C. de la Libr.a de este real Conv.to de S. Pablo de Sev.a

F. Domingo de los Reyes
Lib.o D. de 1739. 60.

F. Juan de Orduña

Librero año de 1766

ORIGENIS ADAMANTII MAGNI ILLIVS ET VETVSTI SCRIPTVRARVM INTERPRETIS ET SECVNDI ECCLESIÆ POST APOSTOLOS MAGISTRI,

OPERA, QVAE QVIDEM PROFERRI POTVERVNT OMNIA.

Doctissimorum virorum studio iam olim translata, & recognita: atque multiplici indicè copiosè locupletata.

Nunc postremò à Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi, diuinarum Hebräicarumque literarum professore Regio partim cum Græca veritate collata, partim libris recens versis & è regia Bibliotheca depromptis aucta.

Quorum nomenclaturam sequens elenchus indicabit.

Cætera eiusdem præfatio & collectanea illustrabunt.

AD CAROLVM REGEM CHRISTIANISSIMVM.



PARISIIS,
Ex Officina Petri l'Huillier, Via Iacobæa, sub signo Oliuæ.
M. D. LXXIIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à Pierre l'Huillier & Guillaume Chaudiere, marchands Libraires iurez en l'vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer les Oeuures d'Origene, docteur Ecclesiasticq', partie traduicts de Grec en Latin par maistre Gilbert Genebrard Docteur en la faculté de Theologie, & Lecteur ordinaire du Roy es lettres sainctes & Hebraicques à Paris, & partie par iceluy, reueuës & corrigees sur les exemplaires Grecs escripts à la main, & tirez de la Librairie du Roy, defendant à tous Libraires & Imprimeurs d'imprimer lesdictes Oeuures iusques au temps & terme de sept ans, comme il est plus à plain declaré par ledict Priuilege. Donné à Villers-Costerez le xiij. Iour d'Octobre, 1573.

Ainsi signé par le Roy, à la relation du Conseil. MORE'.

Et séellees du grand séel dudit Seigneur, en simple queuë de cire iaune.

Acheué d'Imprimer le dixiesme iour de Nouembre, l'an mil cinq cens septante & trois.

CAROLO NONO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO, G. GENEBRARDVS, THEOLOGVS PARISIENSIS, HEBRAICARVMQVE literarum Regius eius professor Christianam. S. D.

ORIGENES Ecclesiæ Magister antiquißimus, inter Christianos viros illustres, CAROLE Rex Christianißime (nihil enim habeo, quod verius & gloriosius dicam, vt eam rationem vsurpem, quam Ambrosius Augusto Gratiano, quòd repudiatis cæteris laudum vsitatis titulis, Christianißimũ modo Principem appellasset, reddidit) eas tenuit partes, vt cùm Ethnici religionis nostræ primã humilitatem per annos iam centum & quinquaginta miris sannis prosequerentur, & ad eam duntaxat illiteratos, & bonarum artium, quarum celebritate tumebant, rudes concedere criminarentur, vnius ORIGENIS splendore & nomine ita subitò sunt perstricti, vt desperare tùm primùm cœperint, Christi Ecclesiam disciplinarum humanarum armis deinceps posse extingui. Non nititur quidem religio eruditorum hominum disputationibus, non præstantium ingeniorum sapientia & ratiocinationibus, non dicendi disserendive acumine, non eloquentia, non doctrina, sed Dei summi rerum opificis numine: Quemadmodum & eo solo vniuersitatem hanc, quàm latißimè expanditur, contineri cernimus, terram, iuxta diuinum sermonem, super nihilo fundari, ne de suo loco, vllo ingenio, vlla solertia & nixu valeat demoueri, etiamsi Archimedes id se effecturum receperit, si modò ipsi daretur extra terræ ambitum loculus, quo vel sua firmaret vestigia. Videbat se in istiusmodi sede non posse collocari, suámque hypothesim humanã industriam superare, vt proindè audacius eam sibi dari posceret, sicque quod minus fieri poterat, ingenti spiritu polliceretur. Verùm ea est Dei consuetudo, is mos, vt ipsorummet armis istius seculi sapientes sternat, & suam sapientiam, quam ab istis indignè circumsessam videt, iisdẽ modis statuat, quibus impetitur. Principiò Philosophi, huius mundi mancipia, præ se nostros contemnebant, quòd contenti essent simpliciter scire Christum, eúmque cruci suspensum, & in lucro ponerent hominum disciplinas nescire, quæ tùm in orbe Romano florebant, & quibus instructi soli sapientes habebantur, suum vt studium totum in sacris literis consumerent: vt mysteria, quæ mundo aperire per Christum, deinde Apostolos, Deus cœperat, sedulò inuestigarent: vt denique totos se religioni rebúsque diuinis dederent. Suo igitur studio delectati Philosophi, quid aliud fecissent suo genio congruentius, quàm humilitatem Ecclesiæ ridere, miserari, calumniis lacessere, traducere, popello inuisam suis argutiis reddere? Quid ad hæc Deus, qui olim Philisteos cum suo illo Goliath, pusilla & modica exercitus Patrum nostrorum corpora exprobrantes, suomet ferro perdidit? Comprehendam (inquit) sapientes in suo astu, perdam sapientiam sapientium, & scientiam peritorum profligabo. Adest ex improuiso, eius concessu & munere. ORIGENES, de quo Porphyrius nostri sancti nominis hostis ista inuitus confitetur, & scribit libro blasphemiarum contra nos tertio: Adhærent Christiani sermonibus Iudaicarum scripturarum, & ea, quæ Moses agresti & simplici sermone conscripsit, diuinitùs sancita, & figuris ænigmatibúsque obtecta esse confirmant, atque vt ingentibus repleta mysteriis exponunt. Cuius expositionis genus initium habuit à viro, quem ego, cùm adhuc essem valdè puer, vidi arcam totius eruditionis tenentem. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur. Magnum autem est ab hoste ac æmulo, virtutis & dignitatis habere testimonium: quod vt negligamus, res tamẽ ipsa loquitur & clamat. Opus enim est ipsius, quòd primæ post Apostolos Ecclesiæ monstra confossa iaceant, quòd Philosophis arma è manibus extorta sint, ne vel deinceps oppugnarent, vel nocerent, atque vt facillimè, tanquam raucos & imbelles ictus impressuri, si sese vellent erigere, tenerentur. Quanta vi, obsecro (nam in rem præsentem est descendendum) quanta facultate Celsum Epicureum, omnis generis eruditione inueniliter exultantem, & librum veri sermonis contra nos inscribentem, repreßit, domuit, prostrauit? Quanta subtilitate, quanto acumine, qua vbertate & copia Platonicos & Stoicos, quibus illa ætas abundabat, quósque tum excitasse videbatur Satanas, vt Ecclesiam adhuc vagientem, aut certè adhuc infantem, necdum satis adultam opprimeret, profligauit & refellit? Præterea Iudæos, & primos hæreticos Iudaizantes, in nuda & frigida litera omnẽ suæ causæ spem malè collocantes, ab omni alioqui veritatis iure derelictos, admirabiliter confecit. Nam de cæteris hæreticis pietatem labefactare etiam illa tempestate, sed opinione planè contraria, conantibus, dicam posteà, vt sic eluceat, quanta sapientia atque etiam neceßitate tunc Dominus Ecclesiæ de Adamantio prouiderit. At maximum & præcipuum ei negotium fuit cum superioribus, quòd legem perpe-

[Ambr. epist. 26.] [Synes. in lib. de insomniis.] [1 Reg. 1. Cor. 1. Abd. 1.] [Euseb. li. 6. histo. Suidas. Ruffinus.] [Philosophi ab Origene refutati.] [Iudæi.]

tuò ad literam interpretarentur & intelligerent, quasi in perpetuum iuxta corticem esset seruanda: vnde & eorum qui Christiani dicebantur, plurimi, quippe Mosem cum Euangelio iuxta istorum documenta retinentes, Iudæi censebantur. Alioqui quorsum Rutilius Gallus blasphemabat, vbi ritus quosdam de Sabbatto descripsisset, detestatusque esset?

Rutil. Gallus lib. 1. Itinerarij

Atque vtinam numquam Iudæa excisa fuisset
 Pompeij bellis, imperióque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
 Victorésque suos natio victa premit.

Vt igitur his maculis Ecclesiam emundaret, maiores omnes conatus adhibuit. Ei vel hoc vno nomine quis sanus non videt quantum debeamus, qui temporibus difficillimis & periculosissimis, quando nihil erat odiosius Christiano nomine, & religio sæuissimè oppugnabatur à Paganis, à Iudæis, à primis illis hæreticis IudaiZantibus, veram Euangelij & Gratiæ lucem asseruit tam fortiter, & ita Mosem, Mosisve libros explicauit, vt eos totos ad Christianam disciplinam transtulerit, atque τὸ ῥητὸν patribus circumcisis, suo tempori seruientibus concedens, nobis τὴν διάνοιαν diuinè declarauerit, sicque legis perpetuitatem ratione Spiritus conseruauerit atque defenderit? Quod vt promptius expeditiúsque consequeretur, liberiorem sibi indulsit (fateor) scripturarum commentationem, primusque ferè licentiam inuexit discedendi longius à litera, & subuolandi quauis occasione ad intelligentiam spiritalem, quam ipse vocat nunc Mysticam, nunc dogmaticam. Et quanquam id temperatè faciendum, & ita faciendum, vt numquam litera ipsa destruatur, tamen huius libertatis duas iustas habuit causas, quæ & ipsum, & veteres alios Theologos, nostræ Ecclesiæ primarios auctores, qui ante D. Hieronymum, atque adeò ipsius memoria, ad sensum literarium mutescentes, in spiritali & allegorico toti hærebant, non tantùm excusant, verùm etiam laudandos præbent, quamuis eam ob causam speciosè à recentioribus sectariis carpantur: adeò illi sunt iniusti & morosi, vt nihil rectum, nisi ipsi fecerint, putent. Prior est, quòd verba faciebat ad populum, nec tam Commentaria scribebat, quàm Homilias, conciones, hortationes, agebátque non literarum professorem, non interpretem sed concionatorem & ecclesiastem. Aliud certè est docendi, aliud concionandi munus & officium. Ille optimè docet, docendi finem is vere assequitur, qui lucem affert iis, quæ dicenda primò & per se sibi ille proposuit, quem suscepit interpretandum. Digressiones ad auctoris animum non pertinentes, hac in parte vitiosæ sunt. Non quæritur à doctore, quid de quaque re, quouis loco & tempore & occasione dicere possit, quàm copiosè, quàm magnificè, quantis affectibus, quanta ingenij contentione atque motu rem quamque tractare valeat: sed vt simpliciter, purè, aptè, propriè, perspicuè, breuiter id de quo agitur, illustret: quid quidque valeat, quid sonet, quid significet, interpretetur. Iā ecclesiastis longè aliud est propositū. Cùm enim quidā sit orator, cuius partes non tantùm versantur in docendo, sed præcipuè in afficiendo & mouendo, queadmodum vniuersa Rhetorum schola fusiùs tradit, dum illud ait esse honorarium, hoc necessarium, non potest non excurrere concionator in locos communes de Deo, de fide, de charitate, non inquirere in hominum mores, non laudare virtutes, non vituperare vitia, non persequi instituta, ritus, hæreses, & cætera ad ædificationem conscientiarum pertinentia, séque totum ad audientium vtilitates, necessitates & vsus conuertere. Hanc causam agnoscit ipse ORIGENES in libro Iudicum: Continentia (inquit) explanationis alium ordinem requirebat. Verùm quia nos non tam scripturas commentantes, nunc loquimur, quàm populum de iis quæ recitata sunt consolantes, sparsim, quæ occurrunt, de singulis quibusque tractamus. Posterior, quòd illi & Christianis res erat, sicuti attigimus, maxima cum Iudæis & primis hæreticis: qui vt fere è circumcisione erant, ita & IudaiZabant: neque solùm legem veterem ad literam accipiebant, verùm ad literam quoque seruatam cupiebant, Mosem cum Christo, Iudaismum cum Christianismo, legem cum Euangelio mixtam volebant, vt idem frequenter conqueritur. Ad istos ab ipsa radice labefactandos nihil erat præsentius, nihil tempestati accommodatius, quàm relicta litera, quam quidem vrgebant, sensum spiritalem, mentémque Spiritus sancti altiorem discutere, etiamsi, vt prouerbium huc detorqueamus, nandum interdum esset sine cortice. Quocirca sæpè aduersus eos pugnat, literæ Mosaicæ superficiem in Christiana religione minimè recipiendam, neque legem perinde esse æternam, atque sui temporis IudaiZantes contendebant. Vetus enim veterum hæreticorum cantilena legem retinendam cum Euangelio, quòd sacræ paginæ legem non viderentur facere temporariam, vbique æternam viderentur sonare: Quam sententiam ita Iudæi amplificarent, eam vt non dubitauerint reponere inter tredecim fidei suæ articulos. Nouus est, legem non esse cum alia commutandam, in perpetuum autem seruandam, prout à Mose dictata est. Quòd etsi refutauerit D. Paulus epistolis ad Hebræos & Galatas, & id vni illi ferè debeamus, secundum datam ipsi sapientiam, quòd Moses Christo non fuerit sociatus: non desinebant tamen è circumcisione hæretici garrire, legem dici æternam: cumulare Scripturas, quæ id apertè sua ipsorum corrupta sententia enuntiarent. ORIGENES ex aduerso clamabat, legem non esse sempiternam, sed Domini nostri beneficio antiquatam. Si alicubi nominetur æterna, id dici secundum eam partem, qua nos asseueramus legem esse spiritualem, & per eam spiritualia posse offerri sacrificia, quæ neque interrumpi, neque cessare valeant: Non enim esse in loco qui subuertitur, aut in tempore quod mutatur, sed in fide credentis, & corde sacrificantis. Alioqui isti, qui legem secundum literam sequi volunt, nunc mihi dicant, quomodo lex sacrificiorum possit esse æterna, cùm vtique destructo templo, subuerso altari, & omnibus, quæ dicebantur sancta, profanatis, ritus iste sacrificiorum non potuerit permanere. Quomodo ergo æternum prædicabunt, quod olim cessasse, & finitum esse iam hodie perspicitur. Quare vt Ecclesiam ædificaret, vt Ecclesiam ad insigni corruptela & impuritate liberaret, quando ei erat dicendum ad populum de Mosaicis libris, qui sæpe in solennibus sacris recitabantur, nihil morabatur exteriorem legis faciem, præteruolabat pinguem & crassam Iudæorum intelligentiam ad vacuos apices obstupescentem, ad Spiritum omnia transferebat: nucleum, qui in putamine includebatur, recludebat,

Libertas interpretādi Origenica.

Duæ causæ cur Origenes minus literali expositioni fuerit deditus.

Differt doctor à concionatore.

Cic. De opt. gen.

Hom. 8. in Iud.

Hom. 4. in Leuiti.

Margaritum

Margaritum rudi panno inuolutum euoluebat: & , vt semel dicam, suorum temporum habita ratione, id prætermittebat vnum, cuius gratia turbas in Ecclesia cieri animaduertebat, aut in meliorem, suique æui valetudini congruentiorem sensum deflectebat. Non putabat historiam, siue historicam intelligentiam esse falsam, vt maleuoli, inuidi, indocti, maleuolè, inuidiosè & indoctè criminantur: non sentiebat literæ nihil subesse veritatis & certitudinis, aut externum corpus esse negligendum, præsertim cùm illud sæpè esse profiteatur fundamentum & basim Spiritus: mysterium frigere, nisi quatenus verborum contextu fulcitur: frustra de sententia spiritali laborari, vbi priùs de literæ sensu non conuenit. Nam de eo apertum & clarum tulit testimonium in Philocalia, quam è tua regia Bibliotheca, huiusmodi bonis Græcis referta, Christianissime Rex, summi Eleemosynarij tui D. Iacobi Amioti, Antissiodorensis Episcopi, fauore & ductu sum consecutus, & modò verti, iisque operibus adiunxi, vt eorum, qui pro illo dixerunt, contra attrectatores responsa alia transiliam. Verba è principio Homiliæ secundæ in Leuiticum sic habent:

Μὴ νοήσαντες δὲ διαφορὰν ἰουδαϊσμοῦ ὁρατοῦ καὶ ἰουδαϊσμοῦ νοητοῦ, τουτέστιν ἰουδαϊσμοῦ φανεροῦ καὶ ἰουδαϊσμοῦ τοῦ ἐν κρυπτῷ, οἱ ἀπὸ τῶν ἀθεωτάτων καὶ ἀσεβεστάτων αἱρέσεων εὐθέως διέστησαν ἀπὸ τοῦ ἰουδαϊσμοῦ καὶ τοῦ θεοῦ, τοῦ δόντος ταύτας τὰς γραφὰς, καὶ ὅλον τὸν νόμον, καὶ ἀνέπλασαν ἕτερον θεὸν παρὰ τὸν δεδωκότα θεὸν τὸν νόμον, καὶ τοὺς προφήτας παρὰ τὸν ποιήσαντα οὐρανὸν καὶ γῆν. τὸ δὲ οὐχ οὕτως ἔχει. ἀλλ᾽ ὁ δεδωκὼς τὸν νόμον, δέδωκε καὶ τὸ εὐαγγέλιον: ὁ ποιήσας τὰ βλεπόμενα, δέδωκε καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα, καὶ συγγένειαν ἔχει τὰ βλεπόμενα καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα. Οὕτω δὲ ἔχει συγγένειαν, ὥστε τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶσθαι: συγγένειαν ἔχει καὶ τὰ βλεπόμενα τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν πρὸς τὰ μὴ βλεπόμενα, ἀλλὰ νοούμενα τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Ἐπεὶ οὖν συνέστηκεν ἡ γραφὴ, καὶ αὐτὴ οἱονεὶ ἐκ σώματος μὲν τοῦ βλεπομένου, ψυχῆς δὲ τῆς ἐν αὐτῷ νοουμένης καὶ καταλαμβανομένης, καὶ πνεύματος τοῦ κατὰ τὰ ὑποδείγματα, καὶ σκιὰν τῶν ἐπουρανίων. φέρε ἐπικαλεσάμενοι τὸν ποιήσαντα τῇ γραφῇ σῶμα καὶ ψυχὴν καὶ πνεῦμα, σῶμα μὲν τοῖς πρὸ ἡμῶν, ψυχὴν δὲ ἡμῖν, πνεῦμα δὲ τοῖς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι κληρονομήσουσι ζωὴν αἰώνιον, καὶ μέλλουσιν ἥκειν ἐπὶ τὰ ἐπουράνια καὶ ἀληθινὰ τοῦ νόμου, ἐρευνήσωμεν οὐ τὸ γράμμα, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν ἐπὶ τοῦ παρόντος· εἰ δὲ οἷοί τε ἐσμὲν, ἀναβησώμεθα καὶ ἐπὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν λόγον τῶν περὶ τῶν ἀναγνωσθεισῶν θυσιῶν. Vbi igitur nunc sunt Germanorum hæreticantium logodedali qui ad oras præcedentium editionum passim annotauerant hîc illic, literam Scripturæ ab Origene destrui, euerti, labefactari, submoueri. O homines in maledicendo copiosos! ò eruditos in detrahendo, qui aliis in rebus sunt infantissimi! ô scitos, qui statim quicquid non intelligunt, quemadmodum & ignoratio alligata est hæreticorum ceruicibus, destructionem, euersionem, aut aliquid eiusmodi nominant. Quàm candidi erga primariæ notæ auctores, qui eos, quorum consilia & instituta, præ mentis hebetudine vel malitia, non cernunt, censoria sua virgula protinus notandos censent. Et vt magis istorum intemperiem & temeritatem admirère, margines infarciunt annotatiunculis, pro suo erga studiosos imperio iubentibus, vt cautè legamus hunc, illum locum, qui disertè ignem Purgatorium, preces pro mortuis, & simile fidei caput, cui infidelitatis bellum indixerunt, asserit. Neque interim vident (tanta est impiæ libidinis cæcitas, tam effrænata eorum rabies, qui fidem semel amiserunt, & lumen rationis tenebris errorum oppressum habent) se nihil aliud agere, quàm tanquam sorices, se suo perdere iudicio, & monstrare contra ipsos, quid Ecclesia illorum temporum senserit, & tradiderit, quod necesse sit tandem referre ad Apostolorum traditionem, qui sic tum per sermonem, tum per epistolam & literas docuerunt, ac pios doctores continuò excitarunt ad illam doctrinam posteris per scripta commendandam. Vbi mihi veniunt in mentem Magdeburgenses Rapsodi siue Centuriatores, qui vbique per omnes suas Centurias, in omnibus antiquis Patribus decreta Christiana, quæ aduersus eos Christianè & sanctè tuemur atque defendimus, inter næuos & corruptelas illorum auctorum impiè & blasphemè numerant. Nam vnum hoc occultis Dei iudiciis faciunt, vt successio Catholicæ doctrinæ & Ecclesiæ per omnes annorum à Christo centurias ad nos vsque ostensa, prodita, notata, probatáque ab ipsismet, qui eius sunt hostes & apostatæ, habeatur. Verùm reuoluamur ad enarrationes Origenicas, id est, vt Porphyrius volebat, allegoricas, certè si illi, qui se suásque conscientias & animas ob superiores causas ea ratione ædificabant, merentur reprehensionem, isti acerbiore castigatione digni sunt, qui citra necessitatem temporum, citra Ecclesiæ vsum, alterum duntaxat interpretandi genus amplectuntur, alterum planè contemnunt, rident, blasphemant, id vnum agentes, vt animaduerso contradicentium eorum studio, historicam interpretationem dedignemur, & relabamur ad puras allegorias, atque Spiritum. Nam isti sic hodiè languent, circa pugnas vocularum, eam vt vnicam rectam putent intelligendi scripturas, & dum Spiritus arcana rimanda sunt, Grammaticam sufficere arbitrentur. Cúmque, vt quidem præclarè annotauit Valla, Grammaticæ professorum supercilio nihil sit superbius, nihil improbius, nihil ad emendandum aut potiùs corrumpendum magis audax, nihil morati grauissimum D. Petri pronuntiatum, Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, quippè quæ humana voluntate minimè sit allata, sed à Spiritu sancto inspirata: &, in scripturis sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant ad suam ipsorum perditionem: omnia audacissimè suscipiunt, de omnibus earum propositis se responsuros, vt olim Gorgias, Hippias, & eius temeritatis sophistæ, insigni temeritate & impudentia, sola Grammatica freti, profitentur.

Centuriatores Magdeburgensis.

Valla lib. 2. cap. 1.

2. Pet. 1. & 3.

Fuit causa, vt commemoraui, ORIGENI, cur illud tam studiosè sequeretur. Non istis est causa, cur altero delectati tam bene de Ecclesia & religione meritum perstringant: Nisi fortasse Apostolicos omnes scriptores posthabent recentioribus Hebræorum doctoribus & Rabbinis, qui in sacris literis nihil cernunt, nihil concipiunt, nisi ieiunam & raucidam vocum significationem, contentionis plenam, fructus & solatij inanem, sententiam mysteriis refertam elabi sinentes è manibus, dum e Grammatistarum apiculis & literulis toti pendent & obstupescunt. Nec propterea eorum Scholasticorum causam egimus, qui his minutiis neglectis, nihil in Scripturis anquirunt præter allegorias & mysticos sensus. quasi verò illi possint seipsis consistere, & non nitantur litera, tanquam basi. Nam alia est Grammatica expositio, in qua isti se toti exercent, alia historica, quæ præter literæ sonos, sensum Spiritus sancti primò & per se significatum contemplans, orationis vim, verborum & sententiarum pondus, ordinem, antecessiones, consecutiones, profunditatem & amplitudinem declarat, atque spiritualibus spiritualia, vt ait Paulus, comparat. Quæ vt media est inter istorum Grammaticam, & horum allegoricam, ita etiam est omnium doctissima, solidissima, efficacissima, & dif-

Historica expositio media inter Grammaticam & allegoricam.

facillima. D. Hieronymus, atque adeò Augustinus, quem literæ paulò iniquiorem aliquando fuisse accepimus & legimus, dum vtrumque istorum interpretandi genus inter se conferunt, palmam concedunt historico & simplici. Hieronymus quidem in Abdiam commentationem allegoricam & spiritalem, quam olim in hunc Prophetam fuisset consectatus, exercitationem appellat puerilis ingenij: historicam, quam ipse tum pararet, maturæ senectutis. Augustinus verò libro primo Retractationum, duos libros in Genesim secundum allegoriam contra Manichæos labore facili scripsisse se tradidit: deinde cùm sibi minus satisfacerent, aggressum maiorum vigiliarum opus de Genesi ad literam, sed deterritum laboris magnitudine, defessúmque, perficere non potuisse quod auidè inchoauerat. Facili ergo labore assui posse allegorias scripturis existimauit: laboris esse ingentis literam scripturæ adipisci, eiúsque simplicem intelligentiam habere comprehensam atque exploratam. Quod certè habuit ab Apostolorum traditionibus, qui, vt Clemens eorum amanuensis narrat, quatenus fieri potest, omnia κατὰ λέξιν, interpretari docuerunt & præceperunt. Qua de re insigne extat Andronici veteris auctoris, qui Isagogem Scripturarum conscripsit, in Photij Bibliotheca fragmentum. Singula verba Scripturæ, signa quædam sunt itineris & cursus, quæ sunt ingredientibus viam intelligendi ostendenda, vt sine errore ac tutò ad destinatum perueniant. Qui enim verba (ait) negligunt, volare cupiunt, & non per viam ingredi. Sic discernenda sunt in illa idiomata, figuræ, tropi, & vnumquodque κατὰ λέξιν. i. secundum verba, accommodatè ad sensus rei subiectæ interpretandum.

Clemens lib.2.Constit. Apostol.cap.5

Hæc ratio, cur ORIGENES, vbi λέξις & litera aliquantò est obscurior, primùm in ea explicanda elaboret, nec statim & quasi ex abrupto ad eruendos sublimiores sensus euolet, sed tanquam futuræ substructionis fundamentum, historiam & literæ formam antè iaciat. Quam regulam si isti animaduertissent, non reuoluissent eundem lapidem contra nostrum ORIGENEM, quem ipse iam olim ab inuidis & maleuolis & indoctis proiectum significat libro quarto de principiis. Sic enim respondet iis, qui ipsum cauillabantur literam Scripturæ, & historiæ consequentiã atque veritatem destruere. Ne quis autem (inquit) nos suspicetur hoc docere, quia nullam historiam Scripturæ factam esse sentiamus, quoniam ex iis aliqua non facta esse suspicamur, vel nulla præcepta legis secundum literam stare, quoniam secundum eam dicimus seruari non posse, in quibus vel ratio, vel rei poßibilitas non admittit, vel ea quæ scripta sunt de Saluatore, non putare etiam sensibiliter impleta, vel præcepa eius secundum literam non debere seruari: Respondemus, quoniam à nobis euidenter decernitur in quamplurimis seruari & posse, & oportere historiæ veritatem. Multò enim plura sunt, quæ secundum historiam constant, quàm quæ nudum seusum continent spiritalem, &c. Quoties autem idem inculcat? Quoties obtrectatoribus & maleuolis respondet, se non destruere literam, sed præter eam plerisque in locis aliud quærere, aliud vestigare? Literam esse Scripturæ veluti corpus, cuius aliqua sit anima, aliquis spiritus? His enim nominibus triplicem Scripturarum sensum adumbratum præclarè voluit. Animam Scripturæ ad moralem locum, qui è litera exurgit, vt instructionem conscientiis afferat, Spiritum ad mysteria retulit: vt cùm quis ostendit, quorumnam cœlestium exemplaribus & vmbris deseruirent hi, qui secundum carnem sunt Iudæi, quarúmnã rerum futurarum vmbram haberet Lex, quæ sit illa sapientia, quam Paulus prodidit in mysterio absconditam, & à Deo prædestinatam ante omnia secula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius mundi cognouit. Ad quam quia noui isti hæreticorum Theologastri penetrare non possunt, non est mirum, si ipsis nõ sapiat ORIGENES, ac hodiè Biblia, & in ea commenta potiùs quàm commentaria eulgent, quæ nihil aut parum habeãt Christianum, nihil spirituale, cuncta habeant Iudaica, cuncta Grammatica & abecedaria. Atqui non hoc mysticæ interpretationis genus ab ipso fuit excogitatum, quamuis etiam istorum atauus Porphyrius (audis quàm impij ducis sequãtur signa) citante Eusebio, aliter senserit. Quippè ante eum veteres Hebræorum Rabbini, dum ceremonias veteris legis intelligerent insipidas esse sine Christo, illud sunt diligentißimè persequuti: vt cùm integram historiam Ruth ad Ecclesiam è gentibus coaceruandam, quasi Thor, id est, turturem, inuersis literis, retulerunt, & ad drama Cantici canticorum Salomonis varios allegoriarum tropos & formas adhibuerunt, hi etiam, qui mysteriis alioqui minimè sunt dediti. Esseni quoque (vt Philo Iudæus refert, ORIGENE vno seculo antiquior) viri inter Iudæos & religione & sanctitate præcipui, hoc genus studiosißimè coluerunt. Sic Apostoli, seorsum Ioannes & Paulus, illius varia sparserunt semina, dum ille Agni Paschalis præscriptam immolationem ad Christum transfert, ex eóque probat nullum os Christi fuisse in cruce conterendum: & in Apocalypsi, Mannæ absconditi, & ligni vitæ recordatur: hic legem clamat spiritalem, exemplar esse cœlestium, vmbram habere futurorum: Quæ de Agar & Sara narrata sunt, esse dicta per allegoriam, & delineare duo testamenta: Christum esse petram spiritalem, de cuius liquidis laticibus patres olim biberint: Veteres fuisse in mari rubro baptizatos, illis omnia in figura contigisse: Abraham, Isaac & Iacob expectasse, quando ipsis fiebant de terra promißiones, fundamenta habentem ciuitatem, cuius opifex Deus, quæque esset in cœlis: Illam patriam à Patriarchis desideratam, & tot peregrinationibus requisitam, non esse præsentem, visibilem, terrenã illam Chananæorum regionem, sed futuram, inuisibilem, immobilem, cœlestem patriam & ciuitatem Dei viuentis, cœlestem Hierusalem, multis Angelorum myriadibus abundantem: Melchisedech æternum illum esse sacerdotem, qui in cœlis non habuerit matrem, in terris caruerit patre: Neomenias, sabbata, cibos lege interdictos, extitisse vmbram futuri. Sed quid hæc anxie commemoro? Nónne & ipse Christus, noster & Scripturarum Dominus, hanc explanationis methodum edocuit, cùm alibi, tùm quando serpentem æreum ad suam crucem conuertit, Pascha typicum, & Manna patribus deplutum, ad suam Eucharistiam traduxit. Ionæ Prophetæ in vterum Ceti exceptionem, suam resurrectionem significasse tradidit?

vt Rabbi Abrahã Abben Eyra.

Philo in lib. de vita theoretica.

Ioan. 14.
Apoc. 2.
Heb. 8. et 10.
Gal. 4.
1. Cor. 10.
Heb. 11.
Heb. 13.
Heb. 7.
Col. 2.
Ioan. 3.
Ioan. 6.

Mentitus est igitur Porphyrius, dum Spiritus sancti priscum inuẽtum ORIGENI, tribuit. Mentiuntur & nostri logodædali, dum se in hominibus culpare non sentiunt, quod in Deum auctorem cadit.

Alterum genus hæreticorum ab Origene profligatum.

Nec hos Iudaizantes modò profligant, qui secundum literam tantùm, vt ipse loqui solet, veterem Scripturam volebant intelligi, maxime legem & historias, verùm etiam alios, qui plane contraria via incedentes, erant legis & Prophetarum aduersarij, vt ab Augustino appellantur, vel potius Dei, qui per legem & Prophetas loquebatur, séque hominibus tanquam per epistolam manifestabat. Nam eius tempestate duo hæc hæreticorum contraria præcipue Ec-

clesiam infestabant. Id ipse testatur Homilia decima quinta in Iosuam, vbi docuit bella ista carnalia figuram spiritualium gerere. Vtinam (inquit) hæc crebrò inculcata habeatis, vt non hæc legentes, vel Iudaicum in his sensum teneatis, vel hæreticum. Et decima tertia, Iosuæ historiam intelligendam putat, non secundum hæreticos, neque secundum Iudæos, sed secundum Spiritum sanctum, qui per Iosuam Iesum nostrum repræsentauit atque depinxit. Hæreticos vocat Valentinum, Basilidem, Marcionem, qui indè probabant alium esse Deum Euangelij, alium legis & Prophetarum, mundi creatorem & iudicem, per hæc quæ scripta sunt, crudelitatem quodammodò docentem, vt homilia duodecima loquitur. Per Iudæos Iudaizantes intelligit, vt Cherinthum, Ebionem, Nazoreos, & cæteros de circumcisione hæreticos. Ergo ipsi erat confligendum cum hæreticis sibi mutuò contrariis. Alij enim legem mordicùs retinebant secundum omnes circunstantias, quemadmodum dictum est, alij penitùs nec legem nec Prophetas recipiebant, quasi Deum vltionum, non patrem misericordiarum, id est, vt ipsi blasphemabant, Deum iustum, non Deum bonum prædicantes, in quibus præsertim tres superiores nominare solet. Contra has pestes se Scripturæ literam simul ac Spiritum defendere, homilia decima quarta in Leuiticum profitetur: ad quorum vtrumque euertendum ingentibus animis ita concurrebant, vt potissimùm externa verba ad suam impietatem stabiliendam & firmandam obtenderent. Hæc igitur tertia est causa, cur tantoperè Scripturæ spiritum vrgeat: nempè vt breuiùs & compendiosiùs eluderet Valentinianos, Basilidianos, Marcionistas, qui quòd minus essent idonei (nam hæretici ignoratione animos solent habere cæcatos) ad prolixas literæ enarrationes, in quibus multa opus rerum & disciplinarum cognitione, maximóque iudicio & studio, vt sententia perpetuetur, neque scopa dissoluta videatur, simplici & probabili allegoria de suis stultis & ineptis raciocinationibus deiiciebantur. Accedebat, quod isti tanquam Platonici, sublimi quadam speculatione, & si fieri posset, ænigmatica, quam homines populariter ignorarēt, suos fumos volebant reddere admirabiles. Vt ergò se eorum disputandi docēdíque rationibus accommodaret, vt eos eadem methodo euerteret, visus est literæ, quam isti vrgebant ad Dei Mosaici, si modò est alius, quàm Pater Domini nostri Iesu Christi, sæuitiam constituendam, paulò iniquior, in se ostendens quod Theodoritus diligenter annotauit, Ecclesiasticos auctores, cùm aduersus hæreticos vel ethnicos disputant, ardore quodam in partem nonnumquam rapi contrariam. Quod facilè excusat, qui ad eorum institutum respicit, ac contemplatur vnde disputatio sit exorta, & per quæ media descenderit. Nam quando alterius generis hæretici sunt ei refellendi, alio modo progreditur, & ita singulis accommodato, vt sui temporis hæreticorum, maléque de religione sentientium, malleus verè extiterit, sitque appellatus.

Theod. lib. 3. Polymorph.

Nec iis contentus, Theologiæ liquidissimam veluti scaturiginem aperuit, & cum frugi illo Salomonis viro deriuauit fontes suos foras, & in plateis aquas suas diuisit, è quibus vniuersi penè alicuius notæ Theologi sua arentia prata copiosissimè rigarunt, Hilarius, Ambrosius, Nazanzenus, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Didymus, Hieronymus ipse. Et sanè omnium, quorum quidem in diuina scripta Commentarij extent, fuit antiquissimus. Quare apud eos tanta fuit authoritate, tanto honore, vt eius testimonium magnum habere pondus putauerint ad Symbolum & Nicenam Synodum contra Arianos tuendam. Vnus eorum Athanasius, clarissimum Ecclesiæ iubar, & immortale religionis Ecclesiæ decus, Mirabilis (inquit) ille & laboriosus ORIGENES nostram sententiam, dum filium pronuntiat Patri coeternum, testatur atque confirmat. Laboriosum appellat, quem alij Adamantium, ab adamantino veluti pectore, quòd nulla valetudinis iniuria domari, nulla senectutis vi frangi potuit, quin perpetuò duraret in legendo, docendo, concionando, hortando, scribendo, meditando, innumerabiles libros emittendo, cū hæreticis, Ethnicis, Iudæis disputando. Atque vt non multa quis eius non admiretur, industriam ne dicam, an magis laboris pertinaciam, quam maximè in diuinissimis illis Hexaplis, vel potius Octaplis euulgandis exhibuit, de quibus D. Hieronymus in Commentariis Epistolæ ad hunc modum narrat! Nobis curæ fuit omnes veteres legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus & ipsa Hebræa propriis characteribus sunt descripta, & Græcis literis tramite vicino expressa: Aquila etiam & Symmachus, Septuaginta quoque & Theodotio suum tenent ordinem, Nonnulli verò libri, & maximè hi qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent, quam Quintam, & Sextam, & Septimam translationem vocant, authoritatem sine nominibus interpretum consecutas. Hæc immortale ingenium suo nobis labore donauit.

Prou. 5.

Magni certè facio opus Septuaginta interpretum, & propter authoritatem, & propter antiquitatem, quos & vehementissimè optarim alicundè prodiisse incorruptos: sed pluris Octapla ORIGENIS, quæ si extarent, nec nobis inscitia inuidisset, non opus haberemus Complutensibus vel Antuerpianis Bibliis. Nouæ editiones, quæ pauco tempore plurimæ emicuerunt, aut nullum haberent vsum, aut valdè exiguum. Nam vnus abundè omnium ingeniis satisfaceret, quod vix cuncti hodiè sacrorum Bibliorum interpretes præstant. Cùm enim sit modus interpretandi multiplex, & alter altero delectetur, vnique placeat, non verbum de verbo, sed sensum de sensu exprimi, alter verbis tenaciùs inhærescat, & amplectatur illam tralationem, quam Græci vocant τῶ κατὰ πόδα, quasi vestigia verborum persequentem, alius expetat μετάφρασιν, paraphrasin, hypomnemata: quid horum non præbuit ORIGENES? Septuaginta, vt etiam Hieronymus commemorat ad Pammachium, & repetit Quæstione secunda ad Algasiam, quemadmodum & Euangelistæ primam formam sunt secuti, neque tam studuerunt verba verbis, quàm res rebus reddere. Alterum affectauit, quem idcircò contentiosum interpretem idem nominauit Hieronymus. Vberiores fuerunt Symmachus & Theodotio, vt vel paraphrastæ, vel metaphrastæ ordinem obtinere possint. Iucunda & erudita varietas in tribus aliis editionibus. Quæ omnia per columnas digessit noster Adamantius, &, vt singula singulis verbis responderent, incredibili diligentia accurauit, appositis etiam notis æmulatione Aristarchi, qui poema Homericum magna sua laude & eruditorum plausu emendasse fertur. Vtinam autem hæc Origeniana Biblia haberemus! Non opus esset nouis translationibus, quæ quotidiè sine numero cuduntur: de quibus quid sentiam, alio loco erit disputandum.

De veteribus vtriusque Testamenti interpretibus.

De nouis translationibus.

Suo enim ſint loco,& conſulantur,ſi quando literatura vulgatæ editionis fuerit obſcurior. Verùm nihil ad vulgatam,quæ fere mentem & ſententiam aſſequitur, etiam illis locis,quibus videtur ab Hebraica vel Græca veritate diſcedere,& minus ſæpè aberrat à ſuo archetypo,& cùm id facit,res momenti eſt leuioris, quàm vt indè hæreſis, vel abſurda opinio efformari queat. Sanctis Pagnini ſecundum eam omnium optima:ſed, vt liberè dicam, minus diligens,nimis ambitioſa, nimis curioſa,nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum ſubtilitate, noxam ſinceritati & ſententiarum & rerum ſæpiuſcule afferat: vnde nec ſatis interdum cohæret cum veterum Hebræorum doctrina, nec cum fidei Catholicæ myſteriis. Quin in propriis nominibus locorum,fluuiorum,hominum,&c. parum fidelis eſt,proptereáque imperitè factum eſt,vt veteri traductione neglecta, Iacobus Ziaglerus Laudanus Bauarus in ſua Palæſtina ad ſancteam acceſſerit, moréque infælicium data optione peius elegerit. Nam præter quàm quòd multa brutè deſcribit,quid ibi opus fuit flagellare noſtrum interpretem,qui ſeſe in propriis vocabulis ad ſuauitatem Latinam accommodauit,quòd Latinis verteret? Ipſe Ioſephus multò magis fuerat flagellandus,vt Græcorum ritui ſeſe aptaret,quibus ſuas Iudaicas Antiquitates lucubrabat,omnia ferè deformauit,& ad linguam Græcam deflexit. Neſcio qualibus auribus iſti ſint præditi. Certè Romanis Latiniſque auribus dulciùs ſonat,niſi maximè fallor, Iacob quàm Iahaacob, Iſaac quàm Iitshhac, Ieremias quàm Iirmenahu, Idumei quàm Edumin,Sichem,vt ipſe Lucas protulit,quàm Shechem,vt prætereaam cæteras glandes,ad quarum eſum nos reuocare ſtudent inuentis frugibus. Nec opus eſt commemorare Vatableam,quæ circumfertur,interpretationem.Nam aut illa Vatabli non eſt,viri,vti accepimus(neque enim per ætatem vnquam mihi hominem videre conceſſum eſt) doctiſsimi,& quod multò pluris faciendum eſt, Chriſtianiſsimi,qui longè abhorreret à ſectariorum tum incipientium emergere diſciplina,inſtitutis,opinionibus,ſed quorundam diſcipulorum ipſius,qui prauè dormitando à doctore accepta peius intelligebant, typiſque mandabant, vel nomen ſui doctoris prætexentes, interim ſuas nouitates nouarum rerum cupidis ſpecie Dei verbi inſtillabant. Quod mihi ex eo fit probatum,quia à bonis & doctis eius diſcipulis, quorum adhuc manent reliquiæ, intellexi illũ ea ſuppoſititia editionè ſic fuiſſe offenſum,vt protinus Robertum Stephanum Typographum iam apoſtaſiam illam ſuam meditantem & accelerantem,ad ſe accerſitum grauiſsimè obiurgaret,& falſi crimine,quod non niſi fuga diluere potuerit,poſtularet. Aut ſi illa editio eius eſt, Vatablus,quod horreo cogitare,non modò dicere,vel ignariſsimus fuit Hebraicæ linguæ,vel malitioſiſsimus. Quippè quàm peſsimè potuit,maximam partem & potiorem Scripturæ conuertit, velut de induſtria à litera & ſenſu diſcedens,& data opera aberrationem à veritate Hebraica appetens,vt eum,dum lego,& cum Hebraico (cuius notitiam mediocrem ſi mihi aſſumo,Dei gratia id mihi aliquo iure videor facere,qui mihi per multos annos in eo ſermone tum diſcendo,tum docendo,miſericorditer affuit de qua re aliorum eſto iudicium) confero,mihi videor in alio mundo verſari,& non ſacras literas legere,ſed fabulas è ſacris literis deductas & delineatas, ſed farragines è verbo Dei & humanis cogitationibus conſarcinatas, quæ non tam ad veritatem,quàm vertentis opinionem pertineant. Ille Vatable (te enim appello,quem eſſe cum Chriſto & puto, & opto) tibi quanta,quàm non pianda iniuria ab ingratiſsimis diſcipulis facta eſt! Si tuo nomine & fama ad pietatis euerſionem abuſuros fuiſſe ſciuiſſes,túne ipſis priùs non palam exactis & exploſis regiam cathedram aſcendiſſes? túne, vt eruditis tuis prælectionibus intereſſent ij,qui Catholicam tuam doctrinam in hæreticam erant tuo magno dedecore transformaturi,permiſiſſes? Deus de te meliora.

[margin: Sanctis. — Act.7. — Vatabli.]

Cæteræ verſiones,quas nobis nouatores pepererunt,ineptæ ſunt,indoctæ,barbaræ,factioſæ, fidei ſæpè & pietati noxiæ,corruptæ multis additionibus,detractionibus,diſtorſionibus. Caſtalionis eſt affectata,plus habens pompæ & phalerarum,quàm rei & firmitatis, plus oſtentationis quàm ſubſtantiæ,plus fuci quàm ſucci,plus hominis quàm ſpiritus, plus fumi quàm flammæ,plus humanarum cogitationum quàm diuinorum ſenſuum,plus foliorum quàm fructuũ. Tot verbis vix adhuc explico hominis vanitatem,qui Dei ſacramenta ſermone,non modò animo,ſe poſſe cõplecti putauit. Elegantiam pollicetur,& tamen verba interdum vſurpat alieniſsima à Ciceronis puritate. Præterea tibi ex inferis ſuſcitat genios,pollubra,& ſimilia pagana vocabula,quæ pridem ſepulta oportuit, nedum in Scripturæ contextum illata. Myſteria ex oculis ſubducit,ſubmutatis verbis. Vbi Dixit Deus,fiat firmamentum,ille, Iuſsit Deus,ne vllum diuini verbi,per quod omnia facta ſunt,veſtigium in prima rerum cõditione appareat,& velut innuat,quod aſſumpta Ochini perſona,cuius libros contra diuinam Trinitatem de Italico in Latinum ſe memorabat conuertere,pro nouis Arianis diſputauit. Geneuenſis eſt Rhapſodia aſſuta è variis Sanctis,Munſteri,Vatabli, & reliquorum centonibus & pannis. Si nihil in Theologia,ſi nihil in Dei verbo videre exactius velis,ſed nuda Grammatica eſſe contentus,quam à donato dudum debes didiciſſe,illam amplectere,in ea verſanda te exerce. Præterea in perpetuo ſis metu,ne te falſa aliqua cogitatione tingant. Quin & in illa affectus dictantium & vertentium perſpicuè notabis atque leges. Nam,vt Munſterus,neglecta vocum propria notatione,ſæpè lutheraniZabat,& à ſuo D. Franciſci inſtituto diſcedebat,ita vos Caluinolatræ transfertis Scripturæ voces ad veſtra dogmata:quamuis de vobis non mirer magnoperè,cùm hactenus fueritis linguæ ſanctæ ignari,nec Græcam colueritis,niſi quatenus amores & poetica vos eo pellexerunt. Ex omnibus miniſtris vnus Beza Græcè nouit,& tamen magis verſatus in Homero quàm Platone,in Anacreonte quàm Ariſtotele,in demoſthene quàm Nazanzeno & Theologis auctoribus: vnde (ó riſum) in ſuis ſcoriis ad nouum Teſtamentum à ſe miſeré ſuſque deque verſum,ſcriptores noui teſtamenti Græce loquentes ſuas phraſes mutuari paſsim obſeruat ab Homero,& cæteris Græcis poetis,qui illos fortaſſe,præter vnum Paulum,aut etiam Lucam, nunquam legerunt. Ac ſane ſecutos communem linguam,formam & vſum,atque adeò oratores potius quàm poetas,luce ipſa eſt clarius.

[margin: Tigurinorum & cæterorũ Germanorum. — Caſtalionis. — Geneſ.1. — Geneuenſis verſio. — Munſterus.]

Hîc tu, Rex CAROLE, oſtendas oportet lumen animi,ingenij, conſiliique tui: Hîc te omnes boni, hîc te Chriſtiani, hîc te ipſi cœlites intuentur, quod in te ſecundum Deum nitatur noſtræ Gallicæ Eccleſiæ ſalus. Ac ne multa, regnum tuum conſtituas oportet,tuis limitibus, quicquid iſti obtentu & ſpecie verbi Dei foras proferunt, extermines. Et ſi populariter regni tui incolis libros ſacros tradendos cenſes, quemadmodum olim atauus ille tuus Carolus quintus, qui iuſtis de cauſis cognomentum Sapientis retulit, quam etiam palmam vtinam Deus immortalis tibi reſeruet,

reseruet, veterem & nouam editionem vigere iube. Catholicas cæteras, si quæ sunt aliæ, vt vice Commentariorum sint promoue: hæreticas, quas modò enumeraui, ferro ignique cum ipsarum auctoribus & defensoribus persequere. Quorsum enim gladium Dei gratia & munere in manu tua portas? Nónne vt mala & vitiosa reseces? nónne vt exitiosa excindas? Quorsum pertinet sceptrum à maioribus tuis acceptum, nisi vt tanquam virga & baculo bona ad destinatum dirigas, mala & saluti tuorum noxia corrigas? nisi vt impios aduersus dominum & aduersus Christum eius in vnum conuenientes regas in virga ferrea, & tanquam vas figuli, confringas eos? Sed longiùs euado.

Vtinam igitur extarent ORIGENIS *Hexæpla, quæ abundè nobis inopiam istarum versionum supplerent, & aliam vberem afferrent vtilitatem. Certè illis comprehensæ interpretationes doctiores fuerunt, & nihil veneni è priuato capite continuerunt, cùm earum auctores non diuinarent futuros hæreticos, qui Dei gratiam tollerent, arbitrium liberum negarent, prædestinationem Dei verterent in fatum & necessitatem, in sacramenta instrumenta diuinæ gratiæ essent contumeliosi, mysteria denique Christiana eneruarent, Christique purissimam & saluberrimam doctrinam ad Mahometi abominandi idoli exitiales blasphemias detorquerent. Infinitus sim, si eius cætera elogia velim persequi. Satis nunc habeo, si morosioribus & difficilioribus istis ingeniis respondeam, qui ipsius multa atro signata lapillo, & à sancta antiquitate nigrum habuisse præfixum theta, semper gerunt in ore. Fateor equidem esse*

Rebus in humanis nihil omni ex parte beatum.

Augustinus id in se agnoscit, & se dicto Salomonis excusat, quod priùs in simili argumento vsurpauerat ORIGENES, *In multiloquio non deest peccatum.* (Prou. 10.) *Et tamen eius libri plurimi sunt semper habiti, & pluris semper habebuntur, quandiu Ecclesia in his inferioribus exulabit, ac ex illis cœlestis doctrinæ lac perpetuò sugent Catholici, séque tuebuntur aduersus omnium seculorum hæreses. Sic pauca illa* ORIGENIS, *quæ speciem habent erroris, nunquam efficient, vt extorqueatur è manibus, maximè cùm nemo sit tam oculatus, qui non sæpè hallucinetur, qui non interdum caliget. Nota est Flacci Horatij sententia.*

Quandoque bonus dormitat Homerus,
Atque opere in longo fas est obrepere somnum.

Et si qui veniam merentur, primi illi sunt auctores, qui absque vllo præmonstratore & duce intentatum antea iter aggressi sunt: qui primi viam posteris aperuerunt, ad abditos arcanósque scripturarum sensus se ductoribus vestigandos, qui sequentibus vel præluxerunt, vel lampadem ipsam tradiderunt. Deinde innumerabilia pro temporum, locorum, personarum, negotiorum occasionibus dixerunt, tradiderunt, scripserunt, quæ si suopte ductu egissent, meliora & perfectiora haberemus. Ardebant interdum tanto veræ pietatis studio, vt dum vnum errorem odiis inflammatis delere niterentur, sæpè in alterum oppositum vel declinasse, vel etiam decidisse existimentur. Sic solent Agricolæ, qui dum tortum tenellæ arboris stipitem volunt surrigere, nimio interdum nixu in alteram partem deprauant. Sic idem, qui suprà Augustinus, fuit iniquior interdum libero arbitrio, quòd Pelagianos haberet in procinctu, nihil aliud extollentes, quàm vires arbitrij, Dei autem gratiæ minimum tribuentes. Sic Dionysius Corinthiorum Episcopus (quemadmodum Basilius epistola ad Maximum Episcopum narrat) dum vehementius, dum acriùs Sabellium asserentem vnam Patris & filij esse hypostasim oppugnare adoriretur, non sensit se nimio refellendæ impietatis ardore, penè ad vtriusque substantiæ differentiam & inæqualitatem peruenisse, sibique accidisse, quòd Sponsæ vaganti & descēdenti in hortum nucum, vt videret poma conuallium, & inspiceret an floruisset vinea, & germinassent mala punica. (Niceph. lib. 6. cap. 25.) *Nam ipsam nescientem, aut non animaduertentem anima eius posuit propter quadrigas Aminadab, vt eam longiùs de via deflectentem reuocare Sponsum oportuerit, & ponè vociferari, reuertere, reuertere, Sullamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* (Cantic. 6.) *Sic Diodorus Tarsensis Pontifex, magni illius Chrysostomi in sacris disciplinis præceptor, quoniam nudæ diuinarum Scripturarum literæ erat intentus, Theorias earum subuertisse traditur. Quòd contrà impingitur* ORIGENI, *vt dum nimium ob suæ memoriæ hæreticos attendit ad Scripturarum theoriam, literam subuertisse memoretur.* (Thed. lib. 6. Hist. cap. 3.) *Præterea aliqua causa erat, cur interdum laberentur, nec tamen aliquid indè ipsorum dignitati, sanctitati, & eruditioni decerpatur: quoniam nondum de iis, quæ nunc condemnata sunt, quicquam aut in quæstionem venerat, aut rata sententia erat constitutum, vt diuinæ Scripturæ authoritas in vtramque partem pro diuersitate iudiciorum pendula, liberè de iis sentire ac dicere, quid vellent, adhuc sineret. Postremò, inter cæteros, præcipuè omnium* ORIGENEM *purgat, eiusque maculas mirum in modum abstergit, quòd non tantùm Pamphilus Martyr, Eusebius Cæsariensis, Didymus, qui etiam περὶ ἀρχῶν libros exposuit, & Commentarios in illos euulgans, ipsis comprehensa benè esse scripta contendit, Hieronymus, Ruffinus, Chrysostomus, Basilius, Nazanzenus, præter recentiores Iacobum Merlinum in Apologia pro* ORIGENE, *& Picum Mirandulanum (Deus immortalis, quot, quanti, quàm præstantes viri!) conquesti sunt eius, sicut & aliorum nobilium auctorum, monumenta fuisse ab hæreticis deprauata, vt suis impiis execratísque opinionibus fidem & authoritatem clarissimorum virorum nomine conciliarent: verumetiam ipse quadam epistola, Quali (inquit) adulteratione corrupta est secunda Pauli ad Thessalonicenses.* (1. Thess. 2.) *Illud enim semper fuit hæreticorum ingenium, hæc ars, hoc astu. Nam, vt istud docere desinam, ex antiqua querimonia Dionysij Corinthiorum Episcopi ab iis suas epistolas additionibus & diminutionibus fuisse labefactatas conquerentis, & ex eorundem continuis pro seculorum perpetuata serie corruptelis, quarum plenæ sunt historiæ nostræ Ecclesiasticæ, nostro tempore hæc præcipua est Geneuensium laus, vt quò plus quisque classicum auctorem corruperit, eò insigniorem gratiam & commendationem, & boni Typographi vel correctoris nomen, opinionem atque elogium apud ipsos ineat. Quin etiam eò vsque istorum excreuit audacia, imò* (Geneuenses librorū corruptores.)

verò furor & rabies, vt non modò Geneuæ bonos & Catholicos auctores corrumpant, verumetiam hæreticos, qui à se nonnihil dissentiunt, Bertramum, Nilum de potestate Romani Pontificis, Philippum Melanchthonem, Bucerum, & reliquos. Verbi causa, falsarunt locos communes Melanchthonis, Gallice à se redditos, ac vbi ille quatuor Sacramenta numerabat, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ministerium, duo tantùm à se recepta supposuerunt. Buceri testificationem solennem in Commentariis in sextum caput Ioannis, & in vicesimum sextum Matthæi, errorem Sacramentariorum clara voce eiurantis, & se ab illis delusum deceptúmque coram Deo & Ecclesia profitentis, partim peruerterunt, partim expunxerunt. Quid sperandum deinceps de eorum erga Catholicos libros candore, & conscientia, quando etiam iurabunt se bona fide suam ipsis præstare operam, qui tam scelerati, tā insidi sunt in suos, nec eis citra ipsorum insignem iniuriam, manum publicam admouent? Hanc hæreticorum nequitiam viuus & mortuus noster expertus est ORIGENES.

Seditio propter Origenem.

Hinc illa illustrißimorum Patriarcharum Chrysostomi & Theophili terribilis contentio, quæ totum orbem penè commouit. Theophilus Alexandrinus ex vniuersa Ecclesia eius memoriam, incensa maleuolentia, coactis etiam Synodis, exterminandam censebat. Sibi adiungebat viros simplices, qui non satis eius ingenium perspectum haberent, & in iis sanctum Epiphanium, Cypri Episcopum. Theotimus Scythiæ ei quidem fortißimè restitit, sed modis imparibus, quoniam imbecilliora habebat latera, quàm vt eruditionem, authoritatem, vim, potentiam tanti, tam vafri, tam insolentis aduersarij valeret sustinere. Affuit labanti causæ Chrysostomus, quem propterea maleuoli Origenistam, inuidiose fabricato vocabulo, nuncupabant: cuius & sanctos æmulos atque amicos Ioannitarum nomine circulatim traducebant. Nec propter conuitia, quibus etiam addebantur minæ, & persecutiones grauißimæ, adduci vnquam potuit, vt tam flagitiosæ sententiæ assentiretur. Clamabat Ecclesiam tantum illi debere, quantum non posset multis ætatibus rependere: Parum esse integros, qui eum ante annos propè ducentos in Christianæ doctrinæ defensione, professione, illustratione sanctè mortuum, sic indignè dilacerarent: Ingratißimorum notam non posse effugere, qui eius, è cuius schola plures quàm ex Equo Troiano athletæ & martyres exierant, ac in cœlis cum Domino triumphabant, merita adeò subita obliuione inducerent: maleuolè & inuidè benè ipsius dicta, per quæ profecissent, quibus sancti & pij in terris quotidiè supra modum ædificarentur, detorquerent, & in alienum sensum deprauarent. Negabat illum errorum, qui ipsi tribuerentur, esse auctorem, & tanquam fabrum, sed hæreticorum has esse suturas, hæc artificia, qui bonis frugibus Zizania solent superseminare: interesse rei Christianæ, ne tanti viri, tam salutaris oraculi, tanti diuinæ gratiæ miraculi opera vlla dies absumeret: Propter næuos adeò absolutum, adeò formosum corpus non esse aspernandum. Quæ rationum momenta eò vsque valuere, vt ipse etiam Epiphanius manus dederit, séque à Theophilo tandem aliquando circumuentum animaduertere cœperit, & doluerit: Et Methodius, Olympi lyciæ Episcopus, ORIGENEM cùm initio contumeliosißimè fuisset insectatus, postea pœnitēs miraretur, atque Athanasij testimonio defenderet. Quin & tragœdiæ architectus Theophilus, post eius vniuersa opera à suo Patriarchatu proscripta, repertus est in illorū lectionē incumbere. Cúmque esset interrogatus, cur quē tam solenniter reiecisset, iterū amplecteretur, respondit, viri libros similes esse prato omni florum genere pubenti, atque exculto: vnde quicquid præstans inueniret, excerperet, quicquid spinosum sese offerret, quasi aculeatum & pungens omitteret. Itaque callidum & ambitiosum Theophili consilium apparuit, quali fertur Aristotelem obtinuisse ab Alexandro magno, vt superiorum Philosophorum libri omnes exurerētur, ne sua furta paterent posteris, sicque alienis dispendiis sua compendia amplificaret.

Trip. hist. lib. 10. cap. 10, & seq. Pamphilus bis in Apologetico. Hieron. tract. 24. in Matth. & Præf. in Ezechiel.

Audiuisti, REX CHRISTIANISSIME, quæ me impellere potuerint, aut etiam dato otio debuerint ad ista opera partim recognoscenda, partim etiam nouis libris augenda. Existimaui me apud posteritatē ingentem initurum gratiam, si ei maximè meum desudaret ingenium, quē cum Pamphilo Christi martyre, Didymo & Hieronymo sanctißimis Domini confessoribus, non dubitabam esse alterum magistrum Ecclesiæ post Apostolos, cui debeamus secundum ipsos Apostolos, ne lex adhuc currat cum Euangelio, ne Moses cum christo sit mixtus, ne graue circuncisionis onus suauem fidei gratiam oppresserit, & contrà ne Moses à christo prorsus diuelleretur, ne alius putaretur Deus veteris, alius recentis Testamenti: ne denique non teneremus Deum, qui multifariam, multísque modis olim locutus fuerat Patribus per Prophetas, ipsum, non alium, nouißimè diebus istis locutum esse per filium, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.

Restat vt audias, quamobrem hæc tuæ Maiestati dicanda esse censuerim, quo meum erga eam studium æquioris melioris que consulas, & me semper in tuis recognoscere progrediare. Videbam quicquid inde vtilitatis, mea qualicunque opera, foras manaturum est, profectum è tua illa instructißma Bibliotheca, à veteribus regibus inchoata, ab auo & patre tuo mirum in modum aucta, à te non mediocriter ornata, & penè perfecta. Ex ea enim à tua Maiestate, accessu Iacobi, vt dixi, Amioti, magni tui Eleemosynarij, Episcopi Antißiodorensis, humanißimi viri, per quem vt virum Musis deuotum & sacrum, omnia illic administras, sex volumina Græca Origenis recipere licuit, quibus ad Latina recognoscenda non solùm vteremur, sed & additis opusculis & libris, partim à nobis, partim ab aliis versis, locupletaremus. Nam Ioachimus Perionius, nostri loci & ordinis Theologus, patris tui primus regius interpres, nos labore interpretandi eius commentaria in Iob, & disputationem de fide cum aliquot Ethnicis, ex eodem tuo thesauro deprompta, liberauit, quando vt suo regiæ interpretationis muneri satisfaceret, neque gratis regia stipendia deuoraret, ea elegantißimè more suo versa nobis paulo ante mortem exhibuit. Deinde opus tanti ecclesiæ doctoris postulare videbatur, vt ei nuncuparetur, quem, dum alij tibi ponunt, ante oculos alia regni negotia, que non dubito esse maximæ molis, & desiderare summam animi contentionem, studium, vigilantiam, curam, prouidentiam & sollicitudinem, vt coram deo tremendo iudice, qui non moratur mundi magnitudinem & purpuram, rationem reddas tui muneris, quod maius est, quàm vulgò honines putent, qui tantum ad externum splendorem oculos conuertunt, non item versant illud sapientißimi Salomonis, Potentes potenter tormenta patientur, ego pro mea parte, & meo in rem literariam studio, ad æmulationem prouocarem præstantißimorum maiorum, qui non armorum præsidiis duntaxat, sed multò magis sumpto literarum & disciplinarum patrocinio, & cura, regiam maiestatem decora-

Sap. 6.

runt. Habes domestica exempla, quæ non est necesse numerare. Gloriam illam, quam tibi tot sumptibus & modis pepererunt, incuria perdere, neque est tui stemmatis, neque sapientiæ. Foue igitur bonos & classicos auctores, eos præsertim, qui non modò eruditos, sed etiam probos & pios tuos clientes possunt efficere. Nam sine pietate & virtute eruditio tantùm abest, vt regnorum fœlicitati prosit, vt etiam vsque ad fundi exitium noceat. Caue ne illa gloria ad Hispanos, Polonos, & alios externos peruolet. Musæ domicilium, ex quo Athenas & Græciam Caroli magni temporibus reliquerunt, proprium habent in Galliis, hîc statas sedes collocarunt. Quorsum eas ad alienos transferri patiere? Et tamen vides quantis laboribus, quantis impensis & sumptibus studeat Philippus Rex Hispaniarum, vel hoc nomine sempiterna memoria dignus, literaturæ arcem figere in suis regnis & prouinciis. Quid non contulit, quibus pecunis pepercit, quid non quotidiè confert, vt Antuerpia omnis generis libri, omnium disciplinarum elegantissimi & limatissimi codices, Hebraicè, Syriacè, Græcè, Latinè, in mediũ singulis momentis prodeāt? Nullis bellorũ tempestatibus, nullis negotiorum difficultatibus, quæ maxima habet aduersus Turcas & hæreticos, adduci potuit, vt rem semel inchoatã intermitteret. Videmus etiam viros doctos in Poloniam cum serenissimo Rege Polonorum, fratre tuo, inflammatis studiis & voluntatibus commigrare, & cogitare de perpetuis sedibus illic fundandis, vbi cernunt literas haberi in pretio, vbi intuentur Regem & Catholicos ad eas honorandas & prouehendas sanctè coniurasse, vbi intelligunt infimos Regni ordines Latinè scire & loqui, quod vix apud nos, magno nostro dedecore, summi faciunt. Quotusquisque enim est Antistitum Ecclesiæ nostræ Gallicæ, qui seriò Latinè sciat? Quotusquisque Nobiliũ, qui suam nobilitatē armis simul ac doctrina more maiorum ornauerit? Quàm pauci sunt eorum, qui amant primas Cathedras in foris, & salutari ab hominibus Præsides, Consiliarij, Prætores, iudices, primi aulici, quos magistratus sibi non virtute, non doctrina, non aliqua dignitatis commendatione, sed pecunia, sed fauore, sed malis officiis & artibus compararunt, qui commissi cum Polonis Latinè dicere, & vltro citroque verba facere possit? Ni prouides, actum. Sed Deus meliora.

Age igitur, Rex Christianissime, non solùm beneuolentissimè amplectere ORIGENEM, per me tuæ Maiestati oblatum, & è tua Bibliotheca emendatum atque amplificatum, atque in tuo nomine, in Poloniam etiam ipsam, & remotissimas gentes vltra Sauromatas & glacialem Oceanum, quæ modò Christiano nomine censeantur, peragraturum, verum etiam cæterorum piorum bonorúmque librorum, atque adeò literarum omnium patrocinium suscipe, vt omnibus sit perspectum, Gallis non deesse Regem, qui ad cæteras suas laudes, pietatis & eruditionis defendendæ gloriam & studium, pro vetere maiorem suorum instituto, adiunxerit. Vale, & Christum Dominum & Deum nostrum habe propitium. E nostro musæo Parisiensi, Calendis Ianuarij, anno Domini. 1574.

COLLECTANEA EIVSDEM DE ORIGENIS VITA

OPERIBVS, REBVS ET SENTENTIIS.

Hieron. in Catalogo.] Origenes, qui & Adamantius, decimo Seueri Pertinacis anno, aduersum Christianos persecutione commota, à Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus & matre vidua, pauper relinquitur, annos natus circiter decem & septem. Rem enim familiarem ob confessionem Christi fiscus occupauerat. Hic Alexandriæ dispersa Ecclesia, decimo octauo ætatis suę anno κατηχήσεων, opus aggressus, postea à Demetrio eius vrbis Episcopo, in locum Clementis presbyteri confirmatus, per multos annos floruit: & cùm iam medię esset ętatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolę Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis presbyter ordinatus, Demetrij offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, vt per totum mundum super nomine eius scriberet. Constat eum, antequam Cæsaream migraret, fuisse Romæ sub Zephirino Episcopo, & statim Alexandriam reuersum, Heraclam Presbyterum iterum, qui sub habitu Philosophi perseuerabat, adiutorem sibi fecisse κατηχήσεως, qui quidem & post Demetrium Alexandrinam tenuit Ecclesiam. Quantæ autem gloriæ fuerit, hinc appareret, quòd Firmillianus Cæsareæ Episcopus cum omni Cappadocia eum inuitauit, & diu tenuit, & postea sub occasione sanctorum locorum Palæstinam veniens, diu Cæsareæ in sanctis scripturis ab eo eruditus est. Sed & illud, quod ad Mammeam matrem Alexandri Imperatoris religiosam fœminam rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est: quódque ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem eius literas fecit, quæ vsque hodie extant: & quod tantum in scripturis diuinis habuerit studij, vt etiam Hebręam linguam, contra ætatis, gentísque suæ naturam edisceret, & exceptis Septuaginta interpretibus, alias quoque editiones in vnum congregaret volumen, Aquilæ scilicet Pontici, & Theodotionis Ebionei, & Symmachi eiusdem dogmatis, in Euangeliũ quoque κατὰ ματθαῖον scripsit Cōmentarios, de quo & suũ dogma confirmare conatur. Prætereà quintam & sextam, & septimam editionem, quas etiam nos de eius bibliotheca habuimus, miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparauit. Et quia indicē operum eius in voluminibus epistolarum, quas ad Paulã scripsimus, in quadam epist. contra Varronis opera confetēs posui, nunc omitto: illud de immortali eius ingenio nō tacens, quod dialecticam quoque & Geometriã, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumque Philosophorum sectas ita didicit, vt studiosos quoque secularium literarũ sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidiè, concursúsque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione secularis literaturæ, in fide Christi eos institueret. De crudelitate autem persecutionis, quæ aduersum Christianos sub Decio consurrexit, eò quod in religionem Philippi desæuiret, quē & interfecit, superfluũ est dicere: cùm etiã Fabianus Rom. Ecclesiæ Episcop. in ipsa occubuerit, & Alexander, Babylásque Hierosolymorũ & Antiochenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro cōfessione dormierint. Et super Orig. statu, si quis scire velit, quid actũ sit, primũ quidē de epistolis eius, quæ post

Hebræa lingua cognita Origeni.

poſt perſecutionem ad diuerſos miſſæ ſunt, deinde & de ſexto Euſebij Cæſarienſis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro, & pro eodem Origene in ſex voluminibus poſſit liquidò cognoſcere. Vixit vſque ad Gallum & Voluſianum, id eſt, vſque ad ſexageſimum ſextum ætatis ſuæ annum, & mortuus eſt Tyri, in qua vrbe & ſepultus eſt.

CAP. 2. *Epiphanius in Panario, de Origene, hæreſ. 64.*] Origenes filius erat B. Leonidis, ſancti & martyris. Quin etiã ipſe multa paſſus in ſua puerili ætate, cùm eſſet vir in externis diſciplinis eloquẽtiſſimè verſatus, & in Eccleſia educatus, Decij Imp. tẽporibus Alexãdriæ celebrabatur: Erat enim genere Ægyptius, ita vt Alexãdriæ haberet domiciliũ, & illic cõuerſaretur. Cũ Athenas veniſſet in aliquod tẽpus diſcẽdarũ literarũ cauſa, & in patriã rediiſſet, traditur multa paſſus pro ſancto fidei verbo, & Chriſti nomine. Sæpè in vrbẽ tractus eſt, probris affectus, cruciatibus immanib' applicatus. Aliquando tractũ ipſum Græci ad Serapidis idoli ſui gradus ſtatuerũt, imperãtes vt aſcẽdentibus ad adorationem, & rem diuinam idolo faciendam; palmarum germina porrigeret. hoc enim ſe habent modo idolorum ſacerdotes. Ille germinibus ſumptio, ingenti voce & præfidenti animo, neque metuens, neque hærens clamabat, Adeſte, accipite, non idoli germen, ſed Chriſti. Ac multa quidem alia viri præclara facta per traditionem veteres referunt: at non in ipſis perpetuo permanſit, quouſque brauium conſequeretur. Nam propter eximiam ſanctitatem & eruditionem plurimas inuidiæ calumnias ſenſit. Maximè iſtud rectorum illius temporis animos exacerbauit, quod cùm improbitatis operarij vafricie diabolica excogitaſſent turpitudinem viro intendere, & huiuſmodi ſupplicium decernere, vt eius corpore Æthiops abuteretur, nec verò ille ferret tam flagitioſum diabolici operis inuentum, rupta voce, duobus ſibi ad optionem propoſitis, exclamarit, ſe ſacrificare malle. Item, quamuis ſpontanea voluntate id non perfecerit, vt fama increbuit, poſtquam tamen planè ſe iſtud facturum fuiſſet profeſſus, immiſſum in eius manum thus, in altaris rogum demiſerunt. Sic de martyrio tunc à iudicantibus confeſſoribus & martyribus deiectus eſt, & de Eccleſia expulſus. Alexandriæ vbi hoc ſuſtinuiſſet, nec poſſet exprobrantium irriſus ferre, diſceſſit, & in Palæſtina, id eſt Iudææ terra, habitare cõſtituit. Aſcendens igitur Hieroſolymam, cùm tantus eſſet interpres, & tam eloquens, à ſacerdotum collegio monebatur vt conciones haberet ad populum: aiunt enim etiam ipſum ſacerdotali honore dignum habitum, priuſquàm ſacrificaret. Cùm ergo fuiſſent cohortati ad dicendum in Eccleſia, & qui ſacerdotium ſanctæ illius Eccleſiæ tunc adminiſtrabant, multam vim feciſſent, ſtans in pedes, recitato duntaxat Pſalmi quadrageſimi noni dicto, tota diſtinctione præterita, vbi ad illam Pſalmi ſentẽtiam peruenit, Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum: plicatum librum reddidit, & ſedens omnibus ſimul flentibus, largo imbre lachrymatus eſt. Inde aliquandiu pòſt, multis adhortantibus & cogentibus, cum quodam Ambroſio, qui vnus erat è viris aulæ Imperatoriæ illuſtribus, congreſſus eſt. Hunc Ambroſium quidam narrant fuiſſe Marcionis, alij Sabellij æmulum. Docuit igitur ipſum hæreſim repudiatam anathematizare, & ſanctæ dei Eccleſiæ fidem amplecti. Poſtquàm ille ab hæreſi diſceſſiſſet, vir eloquens, & lectionum diuinæ ſcripturæ ſtudioſus, propter diuinorum librorum profundos ſenſus, eos ſibi Origenem poſtulauit ediſſerere. Qui cupiens eius commodo & hortatu, vniuerſæ ſcripturæ, vt ſic dicam, fieri interpres, negotium explanationis aggreſſus eſt Tyri Phœniciæ, vt rumor eſt, inſigni viginti octo annorum cura & ſtudio & occupatione & labore, Ambroſio quidem alimenta ipſi, & notariis, & famulis eius abundè ſuppeditante, itémque chartam & alios ſumptus, ipſo verò Origene magnis vigiliis & ſummo ſtudio laborem ad ſcripturarum interpretationem adhibente. Primùm diligenter ſtuduit ſex interpretationes colligere, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta duũm, Theodotionis, quintæ & ſextæ editionis, addita vnaquaque voce Hebraica, & ipſis ſimul elementis. E regione viciſſim ſecundæ paginæ, iuxta compoſitionem quidem Hebraicam, dictione, ſed literis Græcis vſus, alteram rurſus compoſitionem fecit, vt hæc quidem omnia eſſent & dicerentur. Hexapla, nempè Græce interpretationes, & duæ ſimul additiones Hebraicæ veritatis in ſua natura, elementis tum Græcis tum Hebraicis: ita vt vniuerſum vetus Teſtamentum eſſet per Hexapla, quę vocantur, & per duas Hebraïcorum verborum delineationes. Totum hoc ſimul opus magno certè labore, elaborauit, ſed gloriam ſuam inextinctam non retinuit in perpetuum. Nam illa multarum rerum notitia magnæ ruinæ occaſionem ei attulit. Nullam enim ſcripturam volens ab ipſo ſcopo ſine expoſitione relinquere, ſe in peccati laqueos coniecit, & pernicioſa verba effudit: vnde qui vocantur Origeniſtæ, non quidem ſuperiores, quos operibus infames fuiſſe narrauimus. Nam non habeo dicere, vt antè dixi, an illi ab Origene Adamantio habuerint principium, an alium ſequuti ſint ducem, qui Origenis quoque nomen prætulerit. Porrò aiunt hunc, de quo loquimur, ſuo corpori attuliſſe noxam: Nempè, vt quidam narrant, neruum abſcidit, ne voluptate tentaretur, neque motibus corporeis vreretur & arderet. Vt alij, excogitatũ à ſe pharmacum partibus genitalibus impoſuit, eáſque deſiccauit. Alij etiam alia ei tribuere audent: verbi gratia, inueniſſe herbam quãdam medicam memoriæ cauſa. Sed ea quæ de ipſo ſuperlatè dicuntur, non firmiter credimus, quãuis ea noluerimus præterire. Atq; hæc ita ex Epiphanio à nobis uerſa ſient. Quæ ſubiungit, ſcribit ex ſtomacho Theophili Alexandrini, qui bellum Origeni Origeníſque beneuolis implacabile prauo maleuolóque animo induxerat. Nam eũ conſtat non adeò grauiter lapſum, ea vt indignitate excipi meruerit. Verùm inuidia virtutis, non cuiuſlibet, ſed eximiæ & præſtantis comes. Quare & de ei affictis erroribus ſatisfecerunt abundè Pamphilus martyr, Euſebius, Didymus, Baſilius, aliíque veteres: è recentioribus Iacobus Merlinus, Picus Mirandulanus: ſed & nos vltimo iſtorum aduerſariorum capite Origenica, quæ non ſatis probantur deſignabimus & examinabimus. *Nunc Sixtum Senenſem in Bibliotheca æquus eius res deſcribentem audiamus.*]

Origenes ad Theologiam rectè explicandam cœpit à contextu.

Duo genera Origeniſtarũ

CAP. 3. ORIGENES Adamantius, patria Alexandrinus, Leonidæ martyris filius Ammonij pręſtantiſſimi Philoſophi in Philoſophia, & Clementis Alexandrini in ſacris dogmatibus auditor ac diſcipulus, vir tãtæ fuit eruditionis & ingenij, vt ei parem doctiſſima Græcia, fœliciſſimorum ingeniorum parẽs, numquam habuerit. Nam quòd ad ſeculares diſciplinas attinet, ita Græcam & Hebraïcam linguã tenuit, ſic Rhetoricam, Dialecticam, Geometriã, Arithmeticam, Muſicam, Aſtronomiam & Phyſicen nouit: ita omnẽ Philoſophiã, & cunctas Philoſophorũ ſectas, authores, aſſertoréſque ſectarum, omnéſque earum aſſertiones & dogmata, omnẽ hiſtoriarum ac ſtudiorum varietatẽ, mira quadã & inexplebili mẽtis capacitate cõplexus eſt, vt magni nominis Philoſophos, licet alienos à Chriſto, ſectatores, admiratores, & laudatores habuerit. De quorũ numero Porphyrius, acerrim' Chriſtiani nominis hoſtis, cùm in libris illis, quos aduerſus religionẽ noſtrã emiſit, diuinas ſcripturas vnà cũ ipſarũ explanatorib' impiè criminaretur, cõuicia & calũnias in Origenẽ cõiecit, apud nos omni laude & cõmendatione digniſſimas, in hũc planè modũ ſcribẽs: Adhærent Chriſtiani ineptiis Iudaïcarũ ſcripturarũ: & ea, quæ Moyſes agreſti & ſimplici ſermone cõſcripſit, diuinitùs ſancita, & figuris atq; ænigmatibus obtecta eſſe cõfirmãt, atque vt ingentibus repleta myſteriis exponũt: cuius abſurdæ expoſitionis genus initiũ habuit à viro, quẽ ego, cùm adhuc eſſe valde puer, vidi, arcẽ totius eruditionis tenentẽ: ſicut etiã ex his, quæ poſteritatis memorię tradidit, cõprobatur. Origenes hic eſt, cuius ingẽs gloria inter eorũ magiſtros habetur: qui aſſecutus fuerat omnia Platonis ſecreta: inſtitutus fuerat in libris Numenij, & Chronij, & Apollophanis, & Lõgini, & Moderati, atque Nicomachi: in Pythagoricis verò ſummorũ virorũ eũ nõ latuêre cõmẽta ria. Attigit etiã Cheremonis Stoici & Cornuti volumina: ex quibus

ex quibus omnia secreta & mystica, quęcũque apud Grę-cos habentur, assumens, ritui barbaro, & superstitionibus Iudaicis coaptauit, & Philosophorum gloriã ad externa & peregrina Christianorum dogmata conuertit. Hęc porphyrius in tertio aduersus Christianos volumine. Qualis autẽ, quantusq; in diuinis scripturis fuerit Origenes, facilè possemus scire, si ingens ille Origenicorũ voluminum index superesset, quem Eusebius Cæsariensis in libro de vita Pamphili martyris, & Hieronymus in epistola ad Paulam, Eustochij matrem, descripserunt.

Sed copiosissimi indicis loco sufficere possunt ad id ostendendum clarissimorum Ecclesiæ Patrum de eo testimonia. Didymus in primis appellat eum secundum post Apostolos Ecclesiarũ magistrum. Athanasius eum fidei suę testem locupletissimũ vocat. Seuerus Sulpicius asserit eum in ea parte, qua probatur, neminẽ post Apostolos habuisse æqualem. Hieronymus eundem prędicat sacrorum omniũ expositorum victorem, optans cum inuidia Origenici nominis, eius quoque intelligentiam habere scripturarũ. Epiphanius & Ruffinus eum sex milia voluminum in sacras scripturas elaborasse referunt. Vincẽtius Lirinensis, vtriq; synchronos, addit, neminẽ mortaliũ plura scripsisse, quàm Origenem: cuius opera non solùm perlegi, sed ne inueniri quidẽ possibile sit. Pamphilus, martyr sanctissim⁹, ita cum aduersus omnes sui temporis hęreses fortiter & cõstanter armis scripturæ diuinæ dimicasse affirmat, vt omnia hæreticorum ædificia, & diabolicę machinationis fundamẽta subuerterit. Denique tanta fuit sacra Origenis doctrina, etiam cum mira vitæ sanctitate cõiuncta, vt quidã de summis Ecclesiæ proceribus dicere aliquãdo nõ dubitauerint, malle se cum Origene errare, quàm cum aliis bene sentire.

Cæterùm, quanquam talis tantúsque esset Origenes, grauem tamẽ laborum suorum iacturam passus est, fraude ac vitio hæreticorum: qui omnia eius opera innumeris hæresibus cõtaminarunt, vt sub prętextu ac fauore nominis Origenici impias cogitationes suas faciliùs persuaderent, & carius venderent. Quam hæreticorum adulterationem multi vel non animaduertentes, vel autoris crimen id esse magis quàm hæreticorum deprauationem credẽtes, Origenem cum operibus suis inter hæreticos teiecerunt. Sed, vtcunque sit, Origenes, adhortante Ambrosio Alexãdrino, & victum, chartas, libros, impensas & notarios suppeditãte, edidit præter infinitos exotericos libros etiã in vniuersam scripturam sanctam innumerabilia Exegematica, hoc est, Explanationum volumina: quæ quidem Hieronymus in præfatione Cõmentariorum in Ezechielem ad Vincentium triplici genere distinxit, hoc est, in Scholia, Homilias, ac Tomos.

Primum quidem genus, quod Græci Σχολιαςικὸν dicunt, Scholiis deputauit: quæ Latinę vacationes, siue Otia, siue per otium excerpta dici possunt: quibus quoties ad plenã commentationem otium deesset, & tãtùm, quæ sibi videbantur obscura, breuibus quibusdam annotationibus summatim perstringebat.

In secundo verò genere, quod Græci ὁμιλιαςικὸν vocãt, nos familiare colloquium dicimus, collocauit sermones & conciones: quibus, vt B. Pamphilus testis est, Origenes quotidiè, & quasi ex tempore scripturas ad populum enarrabat, excipientibus ex ore eius septem notariis, totidémque velocissimis in scribendo puellis, aliísque scriptoribus, qui eas ad monumentũ posteritatis tradiderunt. Stylus enim in hoc homiliatico genere familiaris est, apertus, ac simplex, & ab omni rhetorici apparatus põpa alienus, breuis, succinctus, & absque prolixis præfationibus, ac lõgis crebrísque digressionibus, quales multæ apud Chrysostomum & Augustinum in eorum Homiliis reperiuntur. Attingit autem Origenes in Homiliis suis parùm ac leuiter historicam explanationem, idque iuxta vulgatam Septuaginta interpretum editionem: sed ad altioris allegoricę intelligentiæ sensus ascendit, & ab his iterum ad locos morales, & breues exhortationes descendit.

In tertio genere, quod Origenes τόμους, nos volumina nuncupamus, Hieronymus maiores Commentarios reposuit, eos scilicet, in quibus Origenes, exponẽs diuinas scripturas iuxta Hebraicam veritatem, tota ingenij sui vela vẽtis spirantibus dedit, & recedens à terra, ita in medium altissimorum sensuum, & mysteriorum pelagus aufugit, vt doctissimis etiam lectoribus, illuc eum sequi volentibus, metum & periculum induxerit. In his tamen tam reconditis arcanis pertractãdis summa semper animi humilitate, ac verborum modestia vsus est, nihil temerè affirmans: sed vt discendi auidus, singula humiliter inquirens, & magis excitans lectorem ad commune inuestigandi studium, quàm docens: his perpetuò mouendi formulis eum compellans, videlicet, intuere, si fortè hęc quæ dicimus, sacræ scripturæ aptari possint: Videamus si hoc, quod dicimus, in diuinis scripturis inuenire possimus: item, Ego quidem sic suspicor: vide tu, num hoc ita esse possit. Atque hissimilibus excitatiunculis vbique vti voluit, prout decebat hominem penè αὐτοδίδακτον & qui primus aggressus esset explanationem omnium diuinarum scripturarum, nondũ ob ingentem earum difficultatẽ ab aliquo attentatam. Delectatus est etiã tam in hoc, quàm in superiori genere, vsqueadeò allegoriarum structura, vt ei ab æmulis suis obiectum sit, quòd allegoriæ inuolucris, & anagogię ambagibus vim fecerit reclamanti literæ, & veritatem scripturarum sustulerit. Vtitur quoque in hoc potissimùm genere multis ad imitationem Clemẽtis præceptoris sui apocryphis testimoniis ex vetustissimis recõditorum voluminum monumentis, vt sunt Liber Pastoris, Liber Enoch, Euangelium secundum Hebræos, Prędicatio Petri, Oratio Ioseph, Testamentum duodecim Patriarcharum, & alia his similia.

His tribus expositionum generibus alia quoq; duo addit Eusebius, nempè ἐπιςολικὸν, & ἑρμηνευτικὸν, id est Epistolare, & interpretatiuum. In epistolari, quæstiones ex diuina scriptura, amicorũ literis ad se missas, rescriptis explicauit. Epistola est magnifica illa de Susannæ historia ad Iulium Africanum inter centum Origenicas epistolas ab Eusebio collectas, maximè celebrata. In interpretatiuo, seu translatiuo genere demùm ponendæ sunt omnes diuinæ scripturæ translationes, quas ipse in Hexaplis, Octaplis, & Palæstinæ editionis codicibus complexus est. In hac ergo adeò multiplici laborum varietate licet semper se eundem Origenes ostenderit: diuus tamen Ambrosius ad Clemẽtianum scribens, censet eum longè maiorem fuisse in veteri Testamento, quàm in nouo. Quæ autem ex vnoquoque horum ordinum volumina adhuc extãt, vel apud veteres tantùm autores citata reperiuntur, hæc sunt.

Translationum variarum totius veteris Testamenti collectanea. Origenes enim (vt Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris scribit) post quatuor editiones, videlicet Septuaginta interpretũ, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, duas alias Græcas traductiones inuenit: vnã cum plerisque aliis Hebraicis & Græcis voluminibus, in Hiericunte vrbe Palæstinæ, quam quintam appellauit: alterã verò in littore Actiaco in Nicopoli, in doliis occultatam, quàm Sextam editionem nuncupauit. Ex quibus sex versionibus Origenes duo diuersa genera exemplariorum cõposuit, Hexapla scilicet, & Octapla: & primũ quidem Hexapla. In quorum codicibus sex columnellas per singulas paginas ista distinxit, vt in prima columella ipsa verba scripturæ Hebraica, & Hebraicis literis ponerentur: in secunda verò Grę cis literis è regione Hebraica verba describerentur propter eos, qui Hebraica legere nesciebant: in tertia, Aquilæ translationem subinnxit: in quarta, Symmachi: in quinta, LXX. interpretũ: in sexta, Theodotionis editionem collocauit: & propter eiusmodi compositionem (vt Eusebius annotat) exemplaria hæc ἑξαπλᾶ nominauit. Qua de causa etiam à nonnullis (vt Suidas & Ioann. Zonaras testantur) dicta sunt τετραπλᾶ, hoc est Quadrupla, propter quatuor Græcas editiones, LXX. scilicet, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Deinde post hæc sestuplicia exemplaria Origenes alia rursum Octapla exemplaria composuit: in quibus dispositis per singulas paginas octo columellis, quintam & sextam editiones post quatuor

prædictas adiecit: quas quia sine titulo suorum autorum inuenerat, ex his alteram Quintam appellauit, præfigens ei inscriptionem per literam E, quinarij apud Græcos numeri indicem: alteram vero Sextam nominauit, eique senarij numeri notam, videlicet ς, quam Græci vocant episigmon, inscripsit: & hæc postmodùm exemplaria, propter numerum octo columnarum, Octapla dicta sunt. Quæ postquam Origenes non sine ingenti labore expleuit, iterum aliam translationem in quotidianum vsum Ecclesiæ adorsus est, quàm ex duabus conflauit editionibus, Septuginta videlicet, ac Theodotionis, simul vtramque permiscens, & asteriscis designans, quæ minus essent: obelis verò ac metobelis, quæ superfluò viderentur apposita. Quæ editio cùm postea à Pamphilo martyre, & Eusebio Episcopo Cæsariensi inuulgata esset, Palæstina trãslatio dicta est, eò quòd ipsius lectionem omnes Palæstinæ & Syriæ Ecclesię in quotidianis lectionibus receperunt. Meminit Origenes huius à se editi laboris, tract.8. in Mat. & in Ioã.t.6

Scripsit etiam librum de interpretatione Hebraicorum nominum, in sacris literis extantium: cuius meminit Iustinus in libro Quæstionum, & Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris.

Composuit quoque Stromateos, hoc est, Variegati operis libros decem, in quibus sanctarum scripturarũ & philosophorum sententias comparans, omnia Christianæ religionis dogmata ex philosophorum dictis confirmauit. Horum librorum nonum & decimũ, totos in expositione commatica libri Danielis, atque totius epistolæ ad Galatas consummauit.

Dictauit deinde in quatuor prima Geneseos capita cõtinuatę explanationis Tom. xiij. altissimis sẽsibus, & mysteriis sublimioribus refertissimos, hoc est, à principio libri vsque ad illam sententiam quarti capitis, Omnis qui occiderit Cain, punietur septuplũ. In cuius expositione (vt Hieronymus in Quęstionibus ad Damasum testatum reliquit) duodecimũ & tertiumdecimum tomum dictãdo composuit. Horum vt arbitror, impræsentiarum nihil superest, præter disputationem quandam de astris & fato, tribus foliis comprehensam, quæ habetur apud Eusebium lib.6. de præparat. Euãgelica, cap.9. Suspicor hos tomos, ita volentibus priscis Patribus, interiisse, ob multæ suspecta dogmata eis inspersa, de quibus nonnulla recensentur libro sequenti in censuris libri Geneseos.

Edidit præterea (vt Ruffinus in.2. contra Hieronymum volumine indicat) Homiliarum in Genesim libros duos: è quibus duntaxat decem & septem in varios eiusdem libri locos ad nos peruenerunt, videlicet.

In Genesis caput primum, de mundi principio, hom.1.
In Genes.6. de fabrica arcæ, hom.1.
In Geues.17. de circuncisione, Abrahæ, hom.1.
In Genes.18. de tribus viris Abrahæ visis, hom.1.
In Genes.19. de Loth & filiabus eius, hom.1.
In Genes.20. de Abimelech, Saræ nuptias appetẽte, h.1
In Genes.21. de natiuitate & ablactatione Isaac, hom.1.
In Genes.22. de Abraham, filium immolante, hom.1.
In Genes.23. de promissionibus Abrahæ factis, hom.1.
In Genes.24 de Rebecca ad hauriendũ aquã egressa. h.1
In Genes.25. de Abrahã desponsante sibi Cethuram, h.1
In Genes.25. de conceptu & partu Rebeccæ, hom.1.
In Genes.26. de puteis ab Isaac effossis, hom.1.
In Genes.26. de Deo, qui ad puteum apparuit Isaac. h.1.
In Genes.45. de filiis Iacob annuntiantibus patri imperium Ioseph in Ægypto, hom.1.
In Ge.47. de terra Ægyp. tẽpore famis empta à Ios. h.1.
In Gen.49. de benedictionibus Patriarcharum, hom.1.

Elaborauit etiam alias ferè innumeras in Octateuchum lucubrationes, de quarum numero sunt.

In Exodum Excerptorum, siue Annotationum liber vnus, à Ruffino in prædicto loco citatus.

Item homiliarum in Exodum liber vnus, quarum nunc ex versione Hierony. tredecim tantùm extãt. scilicet.
In Exodi. cap.1. de initio Exodi, hom.1.
In Exod.1. de obstetricibus Hebræorum, hom.1.
In Exod.4. de decem plagis, hom.1.
In Exod.12. de profectione filiorum Israel. hom.1.
In Exod.15. de Cantico Mosis, hom.1.
In Exod.15. de aqua Marath, hom.1.
In Exod.17. de siti populi in Raphidin, & Amalechitarum bello. hom.1.
In Exod.20. de initio decalogi, hom.1.
In Exod.21. de muliere prægnante, quæ duobus litigãtibus viris abortiuis, &c. hom.1.
In Exod.26. de Tabernaculo, hom.1.
In Exod.34. de facie Mosis velata, hom.1.
In Exod.35. de rebus ad tabernaculum offerendis, ho.1.

In Leuiticũ Excerptorum liber vnus, cuius in opere iam dicto recordatur Ruffinus.

Item in Leuiticum Homiliarum ex variis locis liber vnus, ex quibus 16. habẽtur à Hieronymo translatæ, nempè.
In Leuit. cap.1. de principio Leuitici, hom.1.
In Leuit. 2. 3. & 4. de variis sacrificiorum ritibus, hom.1
In Leuit.5. de non reticendis aliorum sceleribus, déque immunda tangentibus, hom.1.
In Leuit.6. de eo qui mentitur proximo super deposito & societate, hom.1.
In Leuit.6. de lege hostiæ pro peccato, hom.1.
In Leuit.7. de sacerdotalibus indumentis, hom.1.
In Leuit.9. & 11. de vino & sicera sacerdotibus sub ingressum tabernaculi non bibendis, hom.1.
In Leuit.12. 13 & 14. de muliere post partum per septẽ dies immunda, & de lepra, hom.1.
In Leuit.16. de sacrificiis propitiationis, & duobus hircis, hom.1.
In Leuit.16. de ieiunio in die propitiationis, hom.1.
In Leuit.20. in illud, Sancti estote, hom.1.
In Leuit.21. de magno sacerdote, hom.1.
In Leuit.23, de diebus festis, candelabro, & mensa, hom.1.
In Leu.24. de filio matris Israelitæ, & patris Ægyp. h.1.
In Leuit.25. de venditionibus & redemptionibus domorum, hom. 1.
In Leuit.26. de benedictionibus Leuitici, hom.1.

In Numeri cap.1. de prima filiorum Israel numeratione, hom.1.
In Num.2. de castrametationis ordine, hom. 1.
In Num.3. de Leuitis ex medio filiorũ Israel assumptis, hom.1.
In Num.3. de Leuitis viginti duo millibus, hom.1.
In Num.4. de plebe Caath non exterminanda, hom.1.
In Num.11. & 12. de Mose ad populum exeunte, hom.1.
In idem. de Aethiopissa, & lepra Mariæ, hom.1.
In Num.14. de his quæ exploratores retulerunt. hom.1.
In Num.16. & 17. de batillis Chore & seditione populi contra Mosen, hom.1.
In Num.18. de eo quod dixit dominus ad Aaron, Tu & filij tui, &c. hom.1.
In Numer.20. de puteo & Cantico, hom.1.
In Num.22. de his quæ superfuerunt superiori tractatui, hom.1.
In Num.22. de Balaam, hom.1.
In Num.23. de prima prophetia Balaam, hom.1.
In Num.23. de secunda prophetia Balaam, hom.1.
In idem. de quarta prophetia Balaam, hom.1.
In idem. de quinta & vltima prophetia Balaam, hom.1.
In Nu.25. de eo qui fornicatus est cum Madianite, h.1.
In Num.26. de secunda populi numeratione, hom.1.
In Num.27. de filiabus Salphaat, & de successione Moysis, hom.1.
In Num.28. in illud, Munera mea data mea, hom.1.
In Num.28. & 30. de sacrifi. cuiusq. festi, & de votis. h.1
In Num.31. de vltione in Madianitas, hom.1.
In idem. de summa numeri filiorum Israel, hom.1.
In Num.33. de mansionibus filiorum Israël, hom.1.

In

In Num.34. De terræ sanctæ descriptione, hom.1.

In Iosue cap.1. De principio libri Iosue, hom.1,

In Ios.1. De eo quod dicitur Moses, famulus meus defunctus est, hom.1,

In Ios. 2. De duabus & semis tribubus Ruben & Gad, & semi tribu Manasse, hom.1.

In Ios.3. De transitu Iordanis, hom.1.

In Ios.4. & 5. De duabus & semis tribubus, quæ transierunt Iordanem, & de populo petrinis gladiis circuncisо, hom.1.

In Ios.5. De Pascha in Galgala celebrato, hom.1.

In Ios.6. De Hierachuntis excidio, hom.1.

In Ios.8. De euersione ciuitatis Hay, hom.1.

In Ios.9. De Deuteronomio in lapidibus altaris scripto, hom.7.

In Ios.9. De Gabaonitarum dolo, hom.1.

In Ios.9. De Iesu Gabaonitis opitulante, hom.1.

In Ios.9. De bellis Iosue spiritaliter intelligendis, ho.1.

In Io.10. De vrbibus Lachis, Lebna, & Chebron, ho.1.

In Ios.11 De Iabin rege Asor, hom.1.

In Ios.11. De gestis post deuictum Iabin, hom.1.

In Ios.13. De Iesus senectute, hom.1.

In Ios 13. De Leuitis terram non accipientibus, hom.1.

In Ios.14. De initio diuisionis terræ promissionis, ho.1.

In Ios.14. & 15. De finibus hæreditatis tribus Iudæ, ho.1.

In Ios.15. De Caleph accipiente Hebron, hom.1.

In Ios.15. De filiis Iuda non valentibus disperdere Iebusæos, hom.1.

In Ios. 16. De tribu Ephrem, & de Chananæis, hom.1.

In Ios. 18. De ratione sortium, vbi septem tribus capiunt hæreditatem, hom.1.

In Ios.19. De Amorrhæis habitantibus cum Ephrem, & Iesu recipiente ciuitatem à filiis Israël, hom.1.

In Ios.21. De ciuitatibus & sorte Leuitarum, hom.1.

In Ios. 22. De petrinis gladiis in terram sepultis, & aris trans-Iordanem extructis, hom.1.

In Iudicum cap. 2. De eo quod populus sub Iosue Domino seruiuit, hom.1.

In Iud.3. De Israelitis in manu hostium traditis, & de Othoniel & Aioth, hom.1.

In Iud.4. De Semegad, Iabin, & Sisara, hom.1.

In idem. De debora & Barach, hom.1.

In Iud.5. De Cantico deboræ, hom.1.

In Iud.6. De Istaelitis in manus Madiam trāslatis, ho.1.

In Iud.6. De Gedeone, hom.1.

In Iud.7. De prælio Gedeonis cum 300. viris, hom.1.

In Regum 1. cap.2. De cantico Annæ, hom.1.

In 3.Reg.3. De iudicio Salomonis, hom. 1. cuius meminit Origenes, hom.3. in Iosue.

In Iob, homilias, siue tractatus emisit plurimos, quorū meminit Hieronymus, in vigilantium scribens: pro quibus nunc habemus Origenicis voluminibus insertum duplex explanationū opus: vnū valdè prolixū, in tres libros distinctum, cōtinens expositionem ab exordio historiæ Iob vsq; ad dimidium tertij capitis: alterū, quod breuiter admodū, quasi paraphrasticos totius libri historicū sēsum edisserit, industria Ioachimi Perionij nuper è Græco translatū. Sed neutrum Origenis est, tametsi vtrunq; eruditū, & lectu dignū. Nam præterquā quod amborū phrasis, & docēdi methodus longè distat ab Origenica dictione, illud quoq; accedit, quòd autor prioris operis contra Origenis consuetudinem, innumeris penè battologiis redundat, multumq; temporis consumit, dum personis orationes plus æquo lōgiores affingit: & nunc ad Iob, nunc ad diabolum per apostrophem loquitur: & inter hæc Luciani martyris celebrat agonem, & Homousij nomen, & Homusianorum sententiam cōmemorat. In posteriore verò opere, in quo præter Origenis morē nudæ literæ insistit, verba quoq; illa vxoris Iob exponit, quæ in Græcis codicibus capite secundo habentur, & ab ipso Origene, ceu apocrypha & ascititia, reprobantur. Deinde Luciani martyris expositionē in tertio capite Iob inducit: & in septimo & octauo capitulo Manichæos nominatim refellit: & in 38. cap. Homusianistarum mentionem facit. Constat autem & Lucianum martyrē & Manichæos post Origenem fuisse, ipsumque Homousij & Homusianorum nomen lōgè post Origenis tempora enatum. Rursum in eodē 38. cap. damnat sententiam eorū, qui stellas affirmant animatas: quod proprium Origenis est dogma. Leguntur in vtroque opere paucula quędā censura digna, quę in sequēti cēsurarū libro inuenies annotata.

In Psalterium quoque duplicem laborem exhibuit Origenes. Scripsit enim (vt in Præfatione Psal. indicat Hiero.) Enchiridion in omnes Psalmos, commatico siue inciso expositionis genere, strictis ac necessariis interpretatiunculis annotatum. Composuit deinde in gratiam Ambrosij Alex. in Psalteriū latissimas explanationū enarrationes iuxta editionē Septuaginta interpretū, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & quintę & sextę editionis ordinē: primusq; omnium Græcorum (vt Hieron. in epist. ad August. testis est) edidit in integrum Psalmorum corpus, Tomos plurimos: de quibus idem Hieronymus refert vertisse se Tomos, siue tractatus septem, à decimo videlicet Psalmo vsque ad decimum sextum. Notissima est inter alios tractatus eius in Psalterium Psalmi primi expositio, quæ propter varietatē maximarum rerum in omnibus penè veterum scriptis discutitur: Extant adhuc sub nomine Origenis tractatus in Psalmos tres, videlicet 36.37. & 38. quos Ruffinus, non indicato autoris ipsorum nomine, asserit se de Græco in Latinum transtulisse, & ad maiorem legentium commoditatem in nouem homilias dissecuisse. Tritemius in catalogo, refert se vidisse Origenis in Psalterium tractatus 150. quorum initium esset, Beatus vir, &c. Hunc Psalmum. Apud Epiphanium verò, & in Catena Psalmorum Græca, prefatio Origenis in Psamos sic incipit, κεκλεῖσθαι, καὶ ἐσφραγίσθαι τὰς θείας γραφάς, id est, Conclusas, & obligatas esse diuinas scripturas.

Post hæc elaborauit Origenes in Prouerbia Salomonis Commentarios, à B. Pamphilo in Apologia citatos.

In Ecclesiastem quoque explanationes: quarum in lib. De resurrectione meminit Methodius, Olympi episcopus.

Item in Canticum canticorum Commentariorū libros decem: quorum primos quinque conscripsit Athenis, alios autem quinque regressus Cæsaream, cōsummauit. Habuit & in eundem librū homilias aliquas ad populū: de quibus Hierony. duas vertit, præfixa in fronte earum epistolari præfatiuncula ad Damasum Papam, in qua tam Commentariorum, quàm homiliarum encomiū apposuit his verbis: Origenes, cùm in cæteris omnes vicerit, in Canticis canticorum ipse se vicit. Nam decē voluminibus explicitis, quæ ad viginti vsque versuū millia penè peruenerunt, primùm Septuaginta interpretes, Deinde Aquilam & Symmachū & Theodotionem, & ad extremum Quintā editionē, quā in Actio litore inuenisse se scribit, ita magnificè apertéque disseruit, vt inde mihi videatur in eo completū esse, quod dicitur, introduxit me rex in cubiculum suum. Itaque, illo opere prætermisso, quia ingentis est otij, laboris & sumptuum, tantas res, tam dignū opus in Latinū trāsferre sermonem, hos duos Tractatus, quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactentibus composuit, fideliter magis quàm ornatè, interpretatus sum, gustū tibi sensuū eius, non cibū offerēs. Tu animaduertas, quāti sint illa æstimāda, quę magna sunt, cùm sic possint placere quę parua sunt. Hæc Hieron. fertur & aliud sub nomine Origenis piū, eruditum, ac disertum opus, vel potius operis fragmentum: in quo duo prima Canticorū capita eloquentissimè ac doctissimè explicantur. hoc in vetustis quibusdā codicibus erat nomine Hiero. prænotatū. Diuisit nescio quis illud in quatuor homilias, cū hom. nō sint, sed cōtinēs ac perpetua explanatio. Ei⁹ initiū est, Epithal. libellus. Scripsit præterea

In Esaiam subscripta volumina, videlicet in totum Esaiam sparsim ΣΗΜΗΩΣΕΩΝ, hoc est, Annotationū, vel Excerptorum librum vnum.

Item in partem Esaiæ iuxta quatuor editiones vsque ad visionē quadrupedū in deserto, hoc est, à principio libri vsq; ad trigesimū cap. cōtinuę explanationis Tomos triginta: in quibus per liberos allegorię cāpos euagās, interpretādo

singularum rerum nomina, ingenium suum fecit Ecclesiæ sacramenta. Ex his autem voluminibus liber vigesimus sextus Hieronymi tempore iam perierat.

Item de visione τετραπόδων in deserto, quæ incipit, Onus iumentorum Austri in terra tribulationis & angustiæ, super trigesimum caput Esaiæ ad Gratam, illustrem fœminam, libri duo: quos plerique falsò de nomine Origenis inscriptos putauerunt.

Item in variòs Esaię locos, Homilias ad populum 25. de quibus tantùm infrascriptæ nouem supersunt videlicet.

In illud ex 4. cap. Apprehendent septem mulieres virum vnum, hom. 1.

In 6. cap. De prima visione Esaiæ, hom. 5.

In Esa. 7. De verbis Angeli ad Achaz, hom. 1.

In Esa. 8. super illud, Ecce ego & pueri mei, hom. 1.

In Esa. 10. super illud, Sicut feci Samariæ, sic faciam Hierusalem, hom. 2.

In Ieremiam quoque scripsisse fertur ingentem Homiliarum numerum: ex quibus Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, in præfatione Commentariorum in Ieremiam affirmat sibi cognitas quinque & quadraginta: de quorum numero tantùm quatuordecim infrascriptas Hieronymo interprete habemus, videlicet.

In Iere. 1. De principio Ieremiæ, hom. 1.

In Iere. 2. Quòd de Babylone fugiendum sit, hom. 1.

In Iere. 2. De vite in amaritudinem conuersa, hom. 1.

In Iere. 3. super illud, Et dixit Dominus ad me diebus regis Iosiæ, hom. 1.

In Iere. 5. De malleo totius terræ confracto, hom. 1.

In Ier. 10. De faciente terram in fortitudine sua, hom. 1.

In Ier. 11. super illud, Audi uerba testamenti huius, ho. 1.

In Ier. 12. De terra exterminata, hom. 1.

In Ier. 12. super illud, Notum fac mihi Domine, & cognoscam, hom. 1.

In Ier. 13. De vtribus vino implendis, hom. 1.

In Ier. 13. & 14. De comminationibus Dei ad Hierusalem, hom. 1.

In Ier. 15. super illud, Heu mihi ego mater, hom. 1.

In Ier. 16. De missione piscatorum, hom. 1.

In Ier. 17. De perdicis clamore, hom. 1.

In Threnos etiam Ieremiæ scripsit Origenes, cùm esset Alexandriæ, Tomos nouem: quorum Nicephorus meminit in quinto Historiæ volumine. Et cùm Athenis degeret, iam sexagenario maior, elaborauit, Eusebio teste,

In Ezechielem Tomos 25. cùm prius in eundem Prophetam Homilias plurimas dedisset: de quibus 14. extant, interprete Hieronymo, quæ sunt,

In Ezech. cap. 1. De captiuitate populi Israël, & Ioachim regis, & visione Ezechielis, hom. 1,

In Eze. 13. De malis Prophetis prophetantibus in Hierusalem, ho. 1, quæ incipit, Nullam speciē peccatorū.

In idem super illud, fili hominis, obfirma faciē tuā, ho. 1

In Eze. 14. De peccatis Hierusalem, hom. 1,

In idem 14 De duabus plagis, romphæa scilicet, ac morte, hom. 1,

In Eze. 15. De parabola ligni vitio, hom. 1,

In Ezech 16 super illud, Radix & generatio tua de terra Canaan, hom. 1,

In idem De vestibus à Deo traditis peccatrici Hierusalem, hom, 1,

In idem. De increpatione peccatricis Hierusalem constituentis lupanar, hom. 1,

In idem. De eo quod scriptum est, Pater vester Amorrhæus, & mater vestra Cethæa, hom. 1,

In idem, De eo quod scriptum est, Confundere, & accipe ignominiam tuam, hom. 1,

In Ezech. 17. De Aquila magna, libanū intrante, hom. 1,

In idem. De Nabuchodonosor, Hierusalē intrante, ho. 1

In Ezech. 28. De eo quod scriptum est, Tu, signaculum similitudinis, plenus sapientia, hom. 1,

In Danielis cap. 13. scripsit ad Iulium Africanum pro defensione historiæ Susannæ epistolam vnam, nuper ab Ambrosio Mediolanensi monacho Cassinate, viro doctissimo, Latinè versam: de qua Eusebius in 6. historiæ Eccl. libro sic scribit: Per id tempus erat etiam Africanus, vir in Scripturis Ecclesiasticis nobilis. Huius epist. fertur ad Origenem scripta, obiicientis eis, vel proponentis, quod historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena à scriptura prophetica. Cui Origenes magnificētissimè rescribens, nequaquā Iudæorū cōmentis & fraudibus auscultandū, sed hoc solū pro vero habēdū in scripturis diuinis, quod Septuaginta interpretes trāstulissent: nā id esse solū, quod autoritate Aposto. confirmatū sit, Hæc Euseb.

Rursus totum historiæ Susannæ contextum in decimo libro Stromateων cōmatica explanatione prosecutus est: cuius pars nunc in Cōmentariis Hieronymianis super Danielē habetur, ab ipso Hieronymo sub titulo Orig. inserta.

Scripsit præterea in quatuordecim Prophetas minores ἐξηγήσεων, id est, Enarrationum libros quamplurimos: ex quibus Eusebius viginti tantùm & quinque se vix inuenire potuisse conqueritur. De his Hieronymus in Cathologo scriptorum sic loquitur: Reperi in duodecim Prophetas volumina manu beati Pamphili martyris exarata: quæ tanto amplector & seruo gaudio, vt Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est vnam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, per quę mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?

Ex his libris duos particulariter exarauit in Oseam: vnū, cui titulum imposuit. περὶ τοῦ πῶς ὀνομάζεται ἐν τῷ Ωσηὲ Ἐφραΐμ, hoc est, Quare appllatur in Osee Efraim: volens ostendere, quæcunque contra eum dicuntur, ad hæreticorū referenda personam: alterū verò ἀκέφαλον in ἀτέλεστον, sic dictum, quod & capite careat, & fine.

Item in Zachariam scripsit libros duos, vix tertiam partem à principio libri vsque ad visionem quadrigarum allegoricè edisserens,

Item in Malachiam, allegoricæ expositionis libros tres.

Atq; hæc sunt quę in vetus Testamentū ab Origene scripta reperi. quę verò ad nouū pertinēt instrumētū, hęc sunt

In Matthæum explanationis genus triplex, hoc est Tomi, Scholia, & Homiliæ. Ex his verò primùm composuit in totum hoc Euangelium Tomos 36. ex quibus decem primi Tomi desiderantur: cæteri supersunt, ab explanatione videlicet eius, Tunc dimissis turbis venit in domum suam, ex cap. 13. vsque ad 27. caput: quos librarij imprudenter in Tractatus, siue Homilias 35. diuiserunt, cùm nec vestigium in ipsis appareat homiliatici generis, quod semper à breuibus exordiis in præfatiunculas & doxologias decurrit.

Secundò scripsit etiam in eundem Euangelistam scholastici generis librum vnum: in quo per commata & interualla, breuibus quibusdam scholiis, quæcunque sibi videbantur obscura, breuiter annotauit.

Tertiò edidit ex homiliatico genere in varios Matthæi locos, Homilias ad populum viginti quinque. Harum quæ nunc supersunt, hæc sunt,

In Matth. 1. De Maria desponsata, hom. 1.

In Matth. 2. De apparitione Angeli ad Ioseph, hom. 1.

In Matth. 6. super illud, Cùm ieiunatis, hom. 1,

In Matth. 8. De leproso mundato, hom. 1,

In Matth. 15. De Cananæa, hom. 1.

In Matt. 25. De aduentu filij hominis ad iudicium, ho. 1,

Cuius posterior pars videtur cōtinere duo Latinorū Patrum fragmenta, quorum alterum habetur in fine Cōmentariorum Hieronymi in Esaiam. alterum apud Gregorium lib. 15. Moralium, cap. 14. Nec dubium est pleraq; his similia hinc inde excerpta, inueniri etiam in nonnullis homiliis, quę sub Origenis nomine in varios Euangeliorum locos leguntur.

In Lucam dictauit Tomos quinque, qui nunc desiderātur, & Homilias plurimas, de quibus 39. adhuc extant: quas quoniā parū elaboratæ sunt, & nonnullis etiā damnatis erroribus inspersę, Hierony. earum interpres, excusat, tanquā ab Origene admodū iuuene enatas, alia enim sunt iuuētutis pręludia, & alia senect. seria. Ex his trig. priores homiliæ explicant Lucā continuata expositionis serie, à principio Euāgelij vsque ad medium quarti capitis: sex verò posteriores

ſteriores diſperſos quoſdã Lucæ locos enarrãt, & ſunt hæ,

In Luc.10. De eo qui incidit in latrones, hom.1.

In Luc.12. ſuper illud, Eſto cõſentiens aduerſario. ho.1.

In Luc.17. ſuper illud, Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, hom. 1.

In Luc.14. De pullo aſinæ, hom.1.

In Luc.14. De fletu Chriſti ſuper Hieruſalem, hom.1.

In Luc.20. De quæſtione Sadducæorum, hom.1.

IN Ioannis Euangelium integræ explanationis ad Ambroſium Alexandrinum Tomos 34. quos Hieronymus in præfatione 34. Homiliarum Origenis in Lucam, excuſat ſe non vertere in Latinam linguam, deterritum magnitudine laboris ac ſumptus. Latuere omnes vſque ad noſtram ætatem, Latinis incogniti: ſed nuper ex his Ioachimus Perionius, monachus Caſſinas, Tomos nouem primus in Latinum conuertit. Tot enim ſolũmodò ſupererant in græco vetuſtiſſimo codice, quem ex clariſſima Bibliotheca Regis Gallorum nactus eſt: & hi quidem multis in locis mutili, miniméque ſequentes, & interpolati, videlicet primus, ſecũdus, ſextus, decimus, decimus tertius, decimus octauus, vigeſimus, vigeſimus octauus, trigeſimus ſecundus.

Quorum primus præfationem operis continet vnà cum expoſitione primæ tãtùm propoſitionis, videlicet in principio erat verbũ. Eius initiũ eſt, quẽadmodũ vetus popul⁹.

In ſecundo exponitur illud ex primo capite, & verbum erat apud Deum, vſque ad ea verba eiuſdem capitis, Qui poſt me venit, ante me factus eſt.

In ſexto exponuntur verba illa ex capite primo, & hoc eſt teſtimonium Ioannis, vſque ad illud, Ecce Agnus Dei.

In decimo explicatur illud ex capite ſecundo, Poſt hæc deſcendit Capharnaum ipſe & mater eius, vſque ad finem eiuſdem capitis, ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

In 13. enarratur illud ex quarto capite, reſpondit Ieſus, Omnis qui biberit ex hac aqua, vſque ad illud eiuſdem capitis, Cùm ergo veniſſet in Galilæã, exceperunt eũ Galilæi.

In 18. exponitur illud ex cap. 8. Neque me ſcitis, neque Patrem meum, vſque ad ea verba, quæ paulò pòſt eodem in capite ſequuntur, Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.

In 20. exponitur ex capite octauo ſentẽtia illa, Scio quia ſemen Abrahæ eſtis, vſque ad illam in eodem capitulo, Nunc cognoſcimus quia dæmonium habes.

In 28. explicatur illud ex capite vndecimo, dixit Ieſus, Tollite lapidem, & cætera quæ ſequuntur, vſque ad finem eiuſdem capituli.

In 32. exponitur illud ex cap.13. Et cœna facta, cùm diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, vſq; ad ea verba eiuſdem capitis, Quæritis me, & ſicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non poteſtis venire.

Hos nouẽ interruptæ explanationis Tomos Græculus quidam incerti nominis, nouo impoſturæ genere diſſecuit in Tomos duos & triginta, vt opus, numerorum multitudine auctum, & arithmeticæ ſupputationis ordine continuatum, optabilius redderet, ac maiori pretio vẽderet. Cuius fraude illuſus Ambroſius Mediolanenſis, monachus Caſſinas, vir alioqui ſagax & ſolertis ingenij, hoc ipſum opus Latinè vertit, & ſub triginta duorum Tomorum partitione impreſſum euulgauit, ſic incipiens, Quemadmodum qui olim populus Dei.

Edidit etiam in hoc Euangelium Homilias aliquot: ſed nunc duæ tantùm extãt, eius titulo inſcriptæ, vna in principium Ioannis, altera in initium 20. cap. de Maria ad monumentum flente: quarum priorem, cuius initium eſt, vox ſpiritualis aquilæ, apparet Origenis non eſſe, tum ex Manichæorum, tum ex Arrianorum nominibus in ea commemoratis, quæ multò poſt Origenem exorta ſunt. Hæc de Euangeliorum explanationibus: poſt quas Paulum explicare aggreſſus, elaborauit.

IN Epiſtolam ad Romanos Commentariorum libros quindecim: de quibus liber ſubnectere iudicium Hieronymi ex præfatiuncula, quam iiſdem Commentariis à ſe tranſlatis præfixit, in hunc modum ad Heraclium ſcribens: Volentem me paruo ſubuectum nauigio oram tranquilli litoris ſtringere, & minutos de Græcorum ſtagnis piſciculos legere, in altum, frater Heracli, laxare vela compellis, relictóque opere, quod in trãſferendis Homiliis ſenis Adamantij habebam, ſuades, vt noſtra voce quindecim eius volumina, quibus Epiſtolam Pauli ad Romanos diſſeruit, explicemus: in quibus ille, dũ ſectatur Apoſtoli ſenſum, in tam profundum pelagus effertur, vt metus ingens ſit illuc eũ ſequi, ne magnitudine ſenſuum, velut immanitate opprimar vndarum. Deinde nec illud aſpicis, quòd tenuis mihi eſt ſpiritus ad implẽdam eius tam magnificã dicendi tubã. Super omnes autẽ difficultates eſt, quod interpolati ſunt ipſi libri. Deſunt enim ferè apud omniũ Bibliothecas (incertũ ſanè quo caſu) aliquãta ex ipſo corpore volumina: & hæc adimplere in Latino opere, & integrã conſequentiã dare, nõ eſt mei ingenij, ſed, vt tu credis, qui hæc exigis, muneris fortaſſè diuini. Addis autẽ, ne quis laboribus meis deſit, vt omne hoc quindecim voluminũ corpus, quod Græcus ad quadraginta ferè, aut eo amplius millia produxit, abbreuiẽ, & ad media, ſi fieri poteſt, ſpatia coarctem. Dura ſatis imperia, & tanquam ab eo, qui pondus operis huius ſcire nolit impoſita. Aggrediar tamẽ, ſi fortè orationibus tuis, quæ mihi, tanquã homini, impoſſibilia videntur, aſpirante Domino poſſibilia fiant. Sed ipſum iam, ſi videtur, Origenẽ, qualiter præfationẽ ſuſcepti operis dirigat, audiamus. Hæc Hieronymus. Sunt qui putent verſionem horum Commentariorum eſſe Ruffini, ſumpta coniectura ex peroratione ipſius interpretis, in fine totius operis appoſita. Scripſit item Origenes.

IN epiſt. ad Corinthios primam Commentarios, quorum meminit Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, quæ incipit, Chriſtiani pudoris.

IN epiſt. ad Galatas ſecundum triplex genus expoſitionis varia elucubrauit, hoc eſt, continuæ & integræ enarrationis in totam epiſtolam Tomos quinque.

Item ex decẽ Stromateωn ſuorũ libris, decimũ volumen commatico ſermo. ſuper huius epiſt. explanatione cõpleuit.

Item ἐκλογῶν, ſeu excerptorum librum vnum.

Item tractatus ad populũ nõ paucos: quæ omnia tẽporis iniuria abſumpſit. Meminit horũ Hieron. in epiſt. ad Aug.

IN epiſt. ad Epheſios, Tomos tres, quos Hieronymus in præfatione Commẽtariorũ, in epiſto. ad Epheſ. & in Apologia prima contra Ruffinum ſe fatetur ſecutum.

IN epiſt. ad Coloſſenſes Commentariorum lib.3. quorum tertium librum citat Pamphilus in Apologia.

IN epiſt. ad Theſſalon. primam libros plures: ex quibus tertium Hieronymus in epiſtola ad Minerium & Alexandrum citat, inquiens: Origenes in tertio volumine ἐξηγηματικῶν epiſtolæ Pauli ad Theſſalon. primæ poſt multa, quæ vario prudentíque ſermone diſſeruit, hæc intulit: in quibus nulli dubium eſt Accacium pleraq; libaſſe, &c.

IN epiſt. ad Titum, librum vnum, cuius fragmentum citatur à Pamphilo in Apologia.

IN epiſt. ad Hebræos libros plures, ex quibus Pamphilus citat in Apologia, fragmentum.

Hæc igitur ſunt Origenis in ſacras literas opera. De vita verò & ſanctitate eius, déq; cæteris exotericis voluminib⁹ extra explanationem diuinarum ſcripturarũ, ab eo cõpoſitis, ſi quis plura ſcire deſiderat, legat Euſebiũ in 6. Eccleſ. hiſtoriæ libro. Scripſerunt pro defenſione operum Origenis multi clariſſimi viri varios apologeticos libros, videlicet Pamphilus Cæſarienſis, martyr ſanctiſſimus, librum vnũ: cui adiungitur Gregorij Neocæſarienſis epiſcopi de laudibus Origenis, liber vnus: Euſebius Cæſarienſis epiſcopus libr. ſext. Didymus Alexandrinus librum vnum, Methodius Olympius Palinodiæ à ſe quondam vituperati Origenis librum vnum, Baſilius Magnus & Gregorius Nazianzenus communi labore librum vnum, Ruffinus presbyter Aquileienſis ad Machariũ libros duos, Ioannes Picus Mirandula librum vnum, Iacobus Merlinus victurnienſis librũ vnũ.

Claruit Origenes ſub Alexandro, Mammeæ filio, vſque ad Gallum, & Voluſianum eius filium, id eſt, vſque ad ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum: & mortuus eſt Tyri, atque ibidem ſepultus, anno à Chriſto nato 260.

CAP. 4. *Espencæus Appendic. vlt. in epistolam ad Titum.*] ORIGENE nemo melius, vbi benè, nemo peius, vbi malè scripsit, vt tradidit antiquitas. Sed multa sanè non sana, adeóque manifestè insana licet effutierit, lectum tamen semper magno cum fructu etiam à Catholicis vel hinc constat, quòd D. Athanasius clara voce hunc virum in Nicenæ fidei testem in libris suis contra Arianos, diù antea mortuũ velut excitauit, & vti præterquàm quod in eius operibus extat, obiecit Epiphanio sanctissimus vir Theotimus Scythiæ Episcopus. Quin & Basil. Nazianzenus, cùm in eius libris se exercuissent, & indè sacrarum literarum sententiam didicissent, multum per id temporis emolumenti Synodi Nicenæ sectatoribus contulerunt, Arianis strenuè restiterunt, eósque Origenis scripta ad dogma suum probandum afferentes refellerunt, non satis illius sententiam assecutos ostendentes, Socrat.lib.4. cap.26. Sozomen.lib. 6.cap.17. Nicephor.lib.11.cap.17. Quem etiam tam multi Latini Orthodoxi Græcè periti, transferendo suum fecerunt, Hilarius, Victorinus, Ambrosius, & cæteri Catholici (vt omittam Didymum, Eusebium, & alios Origenis assertores) quorum se exemplo Hieronymus eiusdem mirator, laudator & interpres defendit. Augustinus, quòd Græcè minus nosset, translatum cupiebat, ita Hieronymo scribens, epist.8. Petimus, & nobiscum petit omnis Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, vt interpretandis eorum libris, qui Græcè scriptutas nostras quàm optimè tractauerunt, curam & operam impendere non graueris. Potes enim efficere, vt nos quoque habeamus tales viros, & vnum potissimùm, quem tu libentius in tuis literis sonas. Origenem indubiè, cuius ingenium immotrale, incredibile studium, indefatigabilem legendi scribendíque instantiam toties miratur, & commendat Diuus Hieronymus: quem cunctis idem placere prudentibus, quem omnes in cæteris vincere, quem denique alterum post Apostolos Ecclesiarum magistrum, neminem, nisi impetitum, negare scribere non dubitauit, licet, vt excusare videtur, adhuc adulescentulus, & iuxta Didimi sententiam, quem & ipsum præceptorem suum, Prophetam videntem, & virum Apostolicum, in suis idem literis nominauit. Ob quàm immodicas Origenis laudes (quas cùm passim apud Hieronymum, tum ad Tit.3.cap. ad Marcellam: item in epistolis ad Paulam & Eustochium, Prologo lib.2. super Micheam, Præfationibus in Mosem, Iosue, Paraleipomena, Cantica, Ezechielem, & Hebraica nomina, & alibi legere est) cùm quidam virum etiam tantum in falsis & impiis dogmatibus ὀριγενίζειν, suspicarentur, vel calumniarentur potiùs, quæ is pro sua Origenicorum voluminum lectione, versione, compilatione, respondit, in rem valdè præsentem sunt, quatenus Catholicis hæreticorum mentio, etiam interdum cum laude non tantùm libri liceant. Amicis ergo Pammachio & Oceano extimulantibus, vt se ab hominũ suspicionibus & calumniis purgaret, & ab Origenistarũ erroribus alienum ostenderet, rescribit Origenis doctrinam se, non dogmata laudasse: Laudaui (inquiens) interpretem, non dogmatisten, ingenium, non fidem, Philosophum, nõ Apostolum: eius tamen dogmatibus semper cõttaini. Quæ enim stultitia est, sic alicuius laudare doctrinam, vt sequaris & blasphemiam? B. Cyprianus Tertulliano magistro vtitur: eruditi, ardentísque viri delectatur ingenio: non etiam cum eo Montanum sequitur, nec bonis aduersariorum (si honestum quid habuerint) detrahendum, nec amicorum laudanda vitia, sed vnumquodque rerum, non personarum pondere iudicandum. Apollinarium frequenter audiui, & colui, & cùm me in sanctis scripturis erudiret, numquam contentiosum illius super sensu (dimidiatam scilicet œconomiam introducentis, hoc est, mentem Christo auferentis) dogma suscepi. Fortissima & egregia contra Porphyrium volumina scripsit: probo laborem viri, licet fatuum in plerisque dogma contemnam. Quod autem opponunt congregasse me libros Origenis, super cunctos homines, vtinam omnium Tractatorum haberem volumina, vt tarditatem ingenij lectionis diligentia compensarẽ. Congregaui libros eius, fateor, & ideò errores nõ sequor, quia scio vniuersa quæ scripsit. Credite experto: venenata sunt eius dogmata, à scripturis sanctis aliena, & vim eis facientia. Legi, inquam, legi Origenem: & si in legendo crimen est, fateor, & nostrum marsupium Alexandrinæ (cuias videlicet fuit Origenes) chartæ euacuauerunt: sed Origenistes numquam fui, Origenem nunquam secutus sum. Cur ergo in opusculis tuis laudasti? Et hodiè laudarem, nisi vos (Ruffine, & similes) eius laudaretis errores. Non mihi displicet ingenium, nisi quibusdam eius placeret impietas. Et Apostolus præcipit omnia legentes, quæ bona sunt retinere. Quis mihi interdicere potest, ne legam Lactantij, quibus contra Gentes fortissimè scripsit, institutionum libros, quia eius in Spiritus sancti substantiam Iudaïca atque detestanda est sententia? Tum subscriptis præcipuis Origenis erroribus, Cùm hæc (inquit) reieceritis, & quasi censoria virgula separaueritis à fide Ecclesiæ, tutò legam cætera, nec venena tam timebo, cùm antidota præbibero, nec mihi nocebit hominem Ecclesiarum doctorem nominasse, nisi fortè accusare debui, cuius rogatu opuscula trãsferebam, & in prologo dicere, Hic quem interpretor, caue lector ne legas, fuge viperam: aut si legere volueris, scito à malis hominibus & hæreticis esse corrupta: timere tamen non debes, vitiata enim omnia correxi: hoc est aliis verbis dicere, qui interpretor, Catholicus sum: quem interpretor, hæreticus est. Ego callidus qui emendaui, silens quod volui: silens crimina, non feci inuidiam criminoso. Aiunt & medici grandes morbos non esse curandos, sed dimittendos, ne medela languorem exasperet. Ante annos propè 150. Origenes mortuus est. Quis Latinorum ausus est trãsferre (quæ Ruffinus scilicet tunc trãstulit) & per infame opus seipsum voluit infamari? Si malo in eum animo fuissem, hos libros interpretatus essem, vt mala eius etiam Latinis nota facerem: sed nec multis rogantibus facere acquieui: nõ enim consueui eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Si adhuc viueret vester Amasius, irasceretur vobis fautoribus suis, & cum Iacob diceret, Odiosum me fecistis mundo. *Genes.34.* Vult aliquis laudare Origenem? laudet vt laudo. Magnus vir ab infantia, verè martyris filius, Alexandriæ Ecclesiam scholam tenuit, voluptates fugit, calcauit auaritiam, scripturas memoriter tenuit, in studio explanationis diebus desudauit & noctibus: innumerabiles tractatus, quos in Ecclesia locutus est, & Commentarios edidit. Quis ardẽtem in scripturis animum non miretur? Quòd si quis zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè, interdum magnus dormitat Homerus. Verùm operi longo fas est obrepere somnum. Non imitemur eius vitia, cuius virtutes non possumus sequi. Errauerunt in fide alij tam Græci quàm Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne aliorũ eum errore, non sui merito videamur defendere, & cæteros accusare, non hunc excusare. Sed cùm in fidei prauitate nec saltem Apostolus, nec Angelus defendendus sit, *Galat.1.* & Origenis simpliciter fatear errorem, sic legam vt cæteros, quia sic errauit vt cæteri. Sed si multorum communis est error, cur solum persequeris? quia vos solum laudatis vt Apostolum. Tolle amoris ὑπερβολὴν, & nos tollimus odij magnitudinem. Cæterorum vitia de libris suis ad hoc tantùm excerpitis, vt huius defendatis errorem: Origenem sic fertis in cœlum, vt nihil eum errare dicatis. Eadem, sed breuius, Minetio & Alexandro: Si quis contrariæ actionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus nõ acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire, Omnia probate: quod bonum est, tenete & Saluatoris verbum, Estote probati nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cęsaris nõ habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciẽ claro profert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. Ego & in adolescentia, & in extrema ętate, profiteor Origenem, Eusebium, Theodotium, Acacium, Appollinarium, viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate, & tamen omnes in explanationibus scripturarum, sudoris sui memoriam nobis reliquerunt. In terra aurum quæritur, & de fluuiorum alueis splendens profertur glarea, Pactolusque cœno ditior

tior est, quã fluento. Meum propositum est antiquos legere, probare singula, bona ratione, à fide Ecclesiæ Catholicę non recedere. Et Tranquillino quærenti, propter multos simplices Origenis errore deceptos, an iuxta Faustinum penitùs respuendus, an secundum quosdam ex parte legendus: Origenem (ait) propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, vt Tertullianum, Nouatum, Arnobiũ, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores, gręcos pariter & Latinos, vt eorum bona eligamus, & cõtraria vitemus, iuxta Apostolum, Omnia probate, bonum tenete. Qui autem vel in amorem eius nimium, vel in odium stomachi sui prauitate ducuntur, videntur mihi maledicto prophetico subiacere, væ his qui dicunt bonum malum, malum bonum, qui faciunt amarum dulce, dulce amarum. Nec enim propter doctrinam praua suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quos Commentarios in scripturas sanctas vtiles edidit, penitus respuendi sunt. Quòd si contentiosum inter se amatores eius & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec seruent modum, sed totum aut probẽt, aut improbent, libentiùs piam rusticitatem, quàm doctãm blasphemiam eligam. Præterea Vigilantio, eius nomen & amicos huius rei ergò infamanti scribens: Eadem (inquit) absenti significo, quæ præsenti sum locutus, me ita Origenem legisse, vel legere, vt Appollinarium, vel cæteros tractatores, quorum in quibusdam libros non recipit Ecclesia, non quò omnia illorum damnanda dicam, sed quędam reprehendenda cõfitear. Verùm quia operis mei est & studij legere, vt ex plurimis diuersos flores carpam, non tam omnia probaturus, quàm bona electurus, assumo multos in manus meas, vt à multis multa cognoscam: iuxta illud, Omnia legentes, bona retinentes. Vnde satis miror Origenis te mihi obiicere dogmata, qui omnia contra Ecclesiam dogmata reprehendo, & publica voce condemno. Origenes hæreticus, quid ad me, qui hoc in plerisque non nego? Errauerit, &c. Si errasse non dicerem, & hæc quotidie non anathematizarem: essem erroris socius. Nec enim ita debemus bona recipere, vt mala suscipere cogamur. At idem scripturas in multis benè interpretatus est, Prophetarum obscura disseruit, noui & veteris Testamenti maxima reuelauit sacramenta. Si igitur bona transtuli, mala vel amputaui, vel correxi, vel tacui, arguendus sum, cur per me Latini bona eius habeant, mala ignorent? Si hoc crimen est, arguantur, & in culpa sint aliquot sancti martyres & Confessores, qui hæretici hominis Commentarios in nostrum verterunt eloquium, licet hęretica prætermittentes, optima quæque transtulerint. Ad teipsum veniam, ne non tam me defendere, quàm criminis socios qui Origenem in scripturarum duntaxat explanatione secuti expresserũt, videar quęrere. cur tractatus eius in Iob descriptos habes, in quibus quædam loquitur quę Ecclesia non recipit? Tibi soli licet τῷ σοφωτάτῳ κρανίῳ, de cunctis & Græcis & Latinis tractatoribus ferre sententiam, & quasi censoria virgula alios eiicere de Bibliotheca, alios recipere, & cùm tibi placuerit, me vel Catholicum vel hæreticum pronuntiare: Nobis non licet peruersa respicere, & damnare quæ sæpè damnauimus. Lege opuscula mea, & liquidò peruidebis me ab adolescentia nunquam alicuius authoritate perterritum acquieuisse hæreticæ prauitati. Obtrectatoribus item suis obiicientibus, quòd Origenis libros noxios, & Ecclesiasticæ fidei repugnantes, in Latinum sermonem vertisset, sic breuiter respondit priore in Ruffinum Apologia, Quòd ab alio (eodem scilicet Antimacho suo) fraudulenter translati essent, nonnullis interpolatis, additis, mutatis, & dogmatibus quibusdam quidem impiis, quæ Romanæ aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutatis: quibusdam verò multò deterrimis vel ita vt in Græco inuenerat, versis, vel aliundè sic firmatis, vt qui in vno Catholicum legeret, in aliis hæreticum non caueret: aut ergò totum fuisse mutandum, quod malum est, aut totum prodendum: quod optimum, & propter simplices noxia quæque detruncanda: sin veritatis fides in translatione conseruanda fuit, non alia fuisse mutanda, alia intacta dimittenda. Sic enim præfantem praua se emẽdasse, & optima reliquisse scriptoris authoritate, non interpretis libertate teneri: si quid in his quæ verterit, hæreticum comprobetur, & manifesti criminis arguitur, veneni calicem idcircò circumlinisse, vt simulata dulcedo virus pessimum tegeret: Ideóque vt mali operis astipulatorem, non vt interpretem, in ius Ecclesiæ trahendum. Simpliciter ergo se, quod in Græco habebatur, expressisse, non vt crederet Lector his quæ (ait) interpretabar, sed ne crederet illis quæ Ruffinus antè transtulerat. Quo in opere, duplex fuit vtilitas, dum & hæreticus author proditur, & non verus interpres arguitur. Neu quis me putaret, his quæ verteram consentire, interpretationis necessitatem præfatione muniui, docens quibus lector nõ deberet credere. Prior translatio autoris laudem continet, ad credendum prouocat: secunda vituperationem, & ad non credendum mouet, adeò non laudans quæ transfero, vt laudantem cogar accusare. Eadem res non eadem mente perfecta est: imò vnum iter diuersos exitus habuit. Absoluit Ruffinus quæ erant ab hæreticis addita, & deprauata simulans, addidit quæ non erant, asserens alibi ab eodem disputata, neque loca vnde se transtulisse dicit, monstrans: Mihi studio fuit nihil mutare de vero: nam interpretabar, vt mala interpretata conuincerem. Putatis me interpretem? Proditor fui, hęreticum prodidi, vt Ecclesiam ab hęresi vindicarem. hæc interpretatio igitur mea cùm pietatis habeat causam, non debeo impietatis argui, prodens impium, quod quasi pium Ecclesiis tradebatur. Cùm tam eius multa per tot annos numquam scandalo fuissent, nulla de opere meo quæstio, nunquam Roma commota sit, quid necesse erat Latinis auribus tradere, quod detestatur & Græcia?

Sic ille suæ Origenicorum, non eorum tantùm, in quibus mali nihil, sed etiam aliorũ, in quibus impietatis permultum, & lectionis & versionis causam, & à Ruffiniana differentiam reddit. Cur autem Origenem in quibusdam antè laudauerit, ex eodem antè audiuimus. De imitatione verò ita postea: in Commentariis sic Origenem, Didymũ, Apollinarium, contraria licet inter se habentes dogmata, secutus sum, vt fidei non amitterem veritatem. Quid enim operis habent Cõmẽtarij? Alterius dicta edisserunt, obscurè scripta explanant, multorum sententias explicant, & plurium expositiones, sensus, intelligentiam, rationes & testimonia etiam inter se contraria ponunt, dicẽtes, Hunc locum quidam sic edisserunt, Alij sic interpretantur, illis aliter videtur: vt prudens lector, cùm tam diuersa legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, iudicans quid verum sit, quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Hæc Hieronymi similitudine sanequàm ad hanc rem apposita vtitur etiam Pamphilus martyr (si modò is Apologetici, quod pro Origene extat, autor est: nam de hoc quoque magna nõ tunc tantum, sed hodiéque controuersia est.) dolebat autem is (quisquis fuit) quosdam non tanto solum Origenica studio incusare, sed etiam aduersus eos qui hæc legerent, tanta inimicitia & pertinacia agere, vt nec venia dignos putarent, quæ secularium librorum, aut etiam interim hęreticorum, percontandi cognoscendíque studio, decurrentibus impertiri solet: sibi scilicet solis concedendam probandi sermonis peritiam rati, vt siquid ab alio dictum est, retinere sciant ab omni specie mali abstinere se nouerint, ab Origenicis autem libris ac lectoribus id mandati penitus excludant, quo probabiles iubemur effici trapezitæ, sciẽtes quod bonum est, retinere, & à malo abstinere: vt si quidpiam eius legisse visus fuerit, hæreseos statim ab his perfundatur infamia: Denique cum multis religiosi propositi viris, in quibus culpæ alioqui nihil inueniunt, ob id solum inimicitias exercent, si quorum studium erga Origenis libros propensius esse perspexerint, inuidiose fingentes ab eis Origenem & Origenica, Sanctorum, vel Apostolorum, vel Prophetarum loco haberi. Quod equidem certum non habeo, calumniandinè voto factitent, an fortè tale quid à simplicioribus, & propensiore affectu virum diligentibus vnquam audierint. Hæc non tam (opinor) Pamphilus scripsit, ea

paulò ætate superior, quàm Origenis studio Ruffinus affinxit. Cuius tempore Theophilus Alexandrinus, sana licet multa,& Ecclesiasticæ fidei non repugnantia, Apollinarem, Origenem,& alios hæreticos scripsisse lib. 1. Paschali confessus, monachis tamen simplicioribus, & Anthropomorphitis id seditiose vrgentibus, vt periculum ab eis imminens euaderet, primùm pollicitus, mox fratrum aliorum doctiorum quidem, meliusque sentientium,& Origenem defendentium odio percitus, & D. Chrysostomi Episcopatu pellendi cupidus, D. Epiphanium, clarum quidem, sed simplicem virum circumueniens,& in partes suas pertrahens, collecta Episcoporum Cypri synodo, Origenis ante annos penè ducentos defuncti libros, & eorum lectionem interdixit, reclamantibus tamen vbi resciuerunt, viris tum sanctissimis Theotimo Scythiæ, Methodio Olympi Lyciæ Episcopis, quorũ ille respondebat nefas esse contumelia pridè mortuos,& benè requiescẽtes afficere,& veterum scripta temerè reprobare & abiicere: Hic etiã Origenem initio multùm insectatus, postea pœnitens virum mirabatur,& Athanasij testimonio defendebat. Diuus autem Chrysostomus,& Theophili literis, & Epiphanij lingua, in Origenis librorum damnationem subscribere, & ab eiusdem lectione abstinere,& coacto concilio idem secum decernere monitus, alioqui cum eis communionẽ nõ habiturus, id facere recusauit, dicens nihil ante Catholicam cognitionem temerè ac petulanter tale faciendum. Obtinuit tamen factio Chrysostomo aduersa, subornato Epiphanio, qui celebrata in Apostolorum Ecclesia Synaxi, prodiens coram omni populo, Origenis libros damnauit, & Dioscorum, Chrysostomumque cum sequacibus, velut Origenis defensores abdicauit & proscidit. At verò malignus huius interdicti autor, & tumultus incentor Theophilus, tanto post odio maiore flagrauit, quòd Origenicis rursus legendis incumbere non vereretur:& interrogatus, cur quæ ante reiecerat, iterùm amplecteretur, sic respondit, Origenis libros similes esse prato omnis generis floribus ornato. Quicquid ergo boni inuenio, id excerpo: si quid contrà spinosum occurrerit, id quasi aculeatum sit,& pungat, omitto. Hæc ait, non considerans Salomonis verbum, dicentis, Sapientium verba esse boum stimulis similia, nec debere aduersum ea illos recalcitrare, qui theorematibus eorum punguntur. Ob hanc ergo causam meritò ab omnibus reprehendebatur Theophilus. Atque hæc est grandis huius tragœdiæ epitome breuis & succincta ex Ecclesiasticis historiis, Tripartita lib. 10. cap. 10. 11. 12. 14. Socrat. lib. 6. cap. 7. 9. 10. 12. 13. 14. 17. Sozomen. lib. 8. cap. 11. 12. 14. Nicephori lib. 13. cap. 10. 12. 13. Chrysostomi vitæ scriptoribus Georgio Alexãdrino, Simeone Metaphraste, Leone Imp. Addit Zonaras tom. 3. Annalium, Atticum Patriarcham Chrysostomi nomen in Ecclesiæ Commentarios retulisse, priùs non inscriptum. Nam religiosissimus ille Pater, Origenista & vocabatur,& habebatur. Necdum tamen finis, donec Vigilio Papa, & Iustiniano Cæsare, Synodus quinta œcumenica, supplicantibus idem Hierosolymæ monachis & Episcopo, multis anathematismis & vociferationibus, impia & absurda Origenis Dogmata dãnauit, quæ extant apud eundem Nicephorum lib. 17. cap. 27. 28.& in eius Concilij actione 4. ca. 11. Liberati quoque Breuiario, cap. 23. & Martini I. synodico aduersus Monothelitas decreto 18. Damnatus itaque est, & mortuus non semel, ac etiamnum olim viuens, nec eius tamen omnia damnata, vel interdicta. Quin Gelasius I. Pontifex Rom. in ca. S.R.E. dist. 15. Canonicorum & Apocryphorum catalogum texens: Cùm hæc (inquit) ad Catholicorum manus peruenerint, B. Pauli sententia præcedat, Omnia probate, quod bonum est, tenete: inter quæ nonnulla Origenis opuscula, quæ B. Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, cætera cum autore renuimus.

CAP. 5. Adiecissem Erasmi Roterodami censuras, si vel aliquid eruditi dixisset, quod Sixtus Senensis nõ fuisset suprà complexus vel eius censuræ fuissent magni momenti. In iis enim ita suo stomacho indulsit more suo, vt in eo modò maiorem animaduersionem, modò firmius iudicium, meritò possis requirere. Verbi gratia censet homilias in Psalmum 36. non esse Origenis. Quin & vbi annotasset sapere phrasim Chrysostomi, mox subiicit se suspicari eum qui scripsit fuisse Latinum. Tu hæc si potes inter se conciliato, cùm Chrysostomi locutio & phrasis sit Græcissima. Deinde esse Origenis apparet, quia hom. 2. de more inuehitur in Valentinianos & hom. 3. locum Pauli 1. Corin. 3. iisdem verbis effert, quibus Exod. hom. 6. Et hom. 4. pro consuetudine perstringit eos qui hærebant in litera neglecto spirituali sensu, eumque necessario statuendum probat è versu, Non vidi iustũ derelictum &c. adeò vt ad seruandam versiculi literariam veritatem patet locutum de derelictione à rebus spiritualibus, non corporalibus. Et hom. 3. nominat Valentinum, Marcionem & Basilidem, contra quos in cæteris libris perpetuo ferè luctabatur. Denique & Phrasis & sententia & mos Origenianus docent temeraria fuisse Erasmi iudicia. Quod commemoro, propter prurientes istorum hominũ aures, qui protinus despuendũ arbitrantur, quod ab aliquo corrosum & morsum intellexerunt. Sic Commẽtarios, in librũ Iob putat Latini fuisse scriptoris & ariolatur è quibusdam anilibus ineptiis esse Maximinum Episcopũ qui conflixit cũ Augustino. Atqui liber Græcus reperitur in Bibliotheca Regia.

Cap. 6. & vltimum, De locis in Origene notatis quorum alij malevolè in deterius accepti sunt, alij è libris vel non extantibus vel suppositiis citantur, alij ab hæreticis corrupti sunt vel assuti.

SIVE humana infirmitate siue hæreticorum improbitate, corruptela & fraude, vt ipse queritur, quadam epistola, multa Origenis loca nõ caruerunt, neque etiam hodie carent reprehensione. Ea tibi in communes locos coniecta, quæ alij confusè coaceruarunt, infra aut oculos ponere libuit. Eorum maximam partem per ordinem librorum Scripturę Sixti Senensis diligẽtiæ debes. Consule igitus eius Bibliothecæ quintum & sextum librum. Sed nos locorum communium rationem seruare maluimus.

I. DE TRINITATE.

HOM. 1. 38. in Iob nonnulla ab Arianis assuta sunt cõtra S. Trinitatis æqualitatem. Sed hi commentarij nec sunt nec habentur Origenis. Epiphanius quidem malè eum sensisse commemorat de consubstantialitate filij ex eius homilia in primum Psalmum, sed nihil certò concludit,& magis est vocis pugna quàm sententiæ.

Hom. 5. in Esaiam Vnum è duobus Seraphim esse dominum nostrum Iesum Christum. Hoc Hieronymus libro 3. in Esaiam reprehendit inquiens, impiè quidam duo Seraphim filium & Spiritum S. intelligit cum iuxta Euangelistam Ioannem & Paulum, filium Dei visum in maiestate regnantis & Spiritus sancti esse doceamur. Et in epistola ad Pammachium & Oceanum, in lectione Esaiæ, in qua duo Seraphim clamantia describuntur Origene interpretantè filium & Spiritum sanctum, ego eius detestandam expositionem in duo testamenta mutaui. Atque hæc ille paulò vehementius. Nam nemo non videt iuxta allegoriam & secundum carnis dispẽsationem, quod ad filium attinet & secundum missionis rationem, quod ad Spiritum sanctum, vtrumque potuisse repræsentari per Angelum. Certè in Esaia iuxta 70. & apud Malachiam iuxta Hebraicam & vulgatam literam filius Dei Angelus testamenti, dicitur.

In comment, in Zachariam qui non extant, duas oliuas interpretabatur filium & Spiritum sanctum,& lampadem siue candelabrum, quod in medio ipsarum est, Deum Patrem. Hiero. in eundem locum fatetur se nescire quomodo sint blasphemiæ, filius & Spiritus sanctus alter à dextris alter à sinistris dicatur. Hæc ille etiam morosius fortasse, vt sibi *Zach. 4.*

vt sibi impensius conciliare vicinos suos Theophilum Alex. & Epiphanium cyprium, à Theophilo deceptum, qui perditè Origenis memoriam persequebantur. Nam etiam Athanasius maximus S. Trinitatis assertor docet Psal. 110. testimonio hoc Dominus à dextris tuis Spiritui sancto non ineptè sinistram partem tribui. Neque enim inde substantiæ inæqualitas sed personarum ordo colligitur.

Prncipio tomi 2. in Ioannem Ariani seminarium quoddam suæ hæresis miscuerunt. Nam ibi aliqua filij 2. Patris inęqualitas tangitur, quasi Pater sit ὁ θεός cum articulo, Christus sine articulo, velut diuinitatis Patris participatione Deus. Quanquam ista quoque dextrè accipi possint, vi delicet de profligata Caluini & Bezæ αὐτοθεότητι. Neque enim filius est à se Deus, vt isti impiè & blasphemè contendunt, quemadmodum in libris nostris de Trinitate disseruimus.

In tomis in Mattheum in 12. cap. videtur opera Trinitatis diuidere, quasi filius in sola rationalia se extendat, Spiritus autem S. in solos baptizatos se explicet. Cautè igitur illic legendus.

2. DE SPIRITV SANCTO.

TOMO 2. in Ioannem Spiritū sanctū per filium esse factum. Quod videtur ab hereticis aspersum: hic multò pòst, filium & Spiritū S. videtur connumerare inter ea quæ facta sunt. Sed memineris in illis tomis multa esse ab Arianis corrupta, multa posse explicari de dignitate hypostaseos, seu authoritate originis nō naturæ, vt cum ait filium Patre esse minorem, quantum ad diuinitatem. Quod quia obtusi Caluiniani non intelligunt, non mirum si blasphemè tradunt Christum à se habere diuinitatem, non à Patre.

Tom. 13. in Ioan. tradit Patrem tanto superiorem esse filio ac Spiritu sancto quanto hi superiores sunt creaturis. Ariani hîc quoque errarunt.

3. DE CHRISTO.

CHRISTVM adhuc lugere peccata nostra pio sensu memorauit hom. 7. in Leuit. Itaque immeritò confutatur à D. Bernardo sermone, qui de verbis Origenis inscribitur. Hic enim piè Paulus Rom. 8. scriptum reliquit Spiritum sanctum ingemiscere.

Origenem commentantem illud Psalmi 18. in Sole posuit tabernaculum suum, Serapion Episcopus Thmuæus contra Manichæos, vt & ipse aliquid dixisse videretur cōtra eundem scribit dormisse Christum cum in cœlum ascenderet, corpus suum reliquisse in Solis globo, inde verè solam animam secum supra cœlos omnes ad dexteram Patris euexisse, atque hinc Manicheos fuisse persuasos, vt solem adorarent, ceu tabernaculum & perpetuum domicilium corporis Christi. Sed quia liber nō extat, negari simpliciter possunt. Vnde & Augustinus lib. 20. contra Faustū Manicheum, refert quidem Manicheos ex hoc Psalmi versiculo in adorationem solis incidisse, sed nullam Origenis mentionem facit. Præterea, vt non imponat Serapion, probabile hæc fuisse supposita à Manicheis, vt plus haberet authoritatis ipsorum impietas, nam Pamphilus martyr allegat hanc sententiam fuisse dedita opera ab ipso oppugnatam in hac ipsa presentis psalmi atque versiculi explanatione.

Quinto libro Stromatôn quę etiam non supersunt perperam locum Ieremiæ 22. Scribit virum istum abominatum, siuè sterilem, exposuisse de Christo tradit D. Hieronymus in eundem locum, Sed credibile è libris qui extant Origenem hæc vtpote allegoricè exponentem protulisse de Christo eo sensu quo Paulus ausus est dicere, Christum factum pro nobis peccccatum, maledictum, execrationem, hoc est, oblationem pro peccato, & maledictioné, cui eramus obnoxij.

Primo tomo in Ioannem si modo illic nihil sit depravatum, Christum passum esse etiam pro Angelis atque syderibus.

Tomo 2. per Christum omnia esse facta, vt per causam instrumentalem & per minorem. Sed puto Arrianorum esse zizania. Nam alibi longe aliter.

Tom. 20. ad illud Ioan. 8. Nō veni à me ipso, innuit animā Christi prius fuisse in cœlo beatā. Deinde à patre missam in vterum virginis, vt indè carnem sumeret. Affinis error ei, quem à quodam hodiè propositum de sapientia creata refutauimus libro primo de Trinitate. Vtinam resipiat auctor, nec eum in posteritatem, necesse sit nominare.

4. DE CRISTI MATRE.

HOM. 14. in Lucam. Virginem post partum purgatione indiguisse innuit. Item eius vuluam in partu reseratam. Sic Amb. in cap. 2. Lucæ sic multo Paulo post Hiero. lib. 2. contra Pelag. Sed soluit D. Thomas 3. q. 28.

Hom. 17. in eundem Virginem in morte Christi fidei defectum esse passam. Rursum, peccata habuisse, pro quibus mortuus sit Christus. Assertioni priori consentiunt Aug. in lib. quæstionū veteris & noui testa. q. 73. Chrys. in Psal. 13. Theoph. in 2. Lucæ. Posteriori Chrys. in 2. Ioan. & cæt. Sed non citra iustam reprehensionem.

5. DE ANGELIS.

ORIGENES in tomis, qui extant in Genesim, docebat aquas super firmamentum non esse aquas sed Angelos sanctos, aquas autem sub firmamento esse dæmones malos è cœlo lapsos. Epipha. epistola ad Ioan. Hierosolymitanum & Hierony. ad Pammachium. Quam sententiam Basilius hom. 3. in Hexaëmeron suppresso Origenis nomine sermones aniles, velut somniis pares appellat. Atqui respiciebat more suo ad Allegoriam.

Pro Angelis Christum passum videtur significare hom. 1. & 2. in Leui. lib. 1. in Epistolam ad Ephesios, to. 1. com. in Ioannem, de qua re grauis altercatio Ruffini & Hieronymi in inuectiuis. Sed illa loca Origenis prout dictata sunt, nō sunt prorsus absona, cùm dicere Angelos merito Christi passuri præseruatos non sit hæreticum. Vnde & in Apocalipsi dicuntur vicisse in sanguine agni. *Apoc. 12*

Hom. 20. & 24. in Numeros, HOM. 13. & 35. in Lucam. Angelos custodes nostros in die iudicandos esse, recepturosque præmia & pœnas iuxta peractæ gubernationis rationem. D. Thomas 1. q. 113. candidè excusat Origenem. Nempe Angeli pro peccatis hominum in iudicium sunt adducendi non vt rei, sed vt testes ad eorum conuincēdam ignauiam, qui ipsorum monitis & suggestionibus acquiescere noluerint. Quam interpretationem designat ipse hom. 11. in Num.

Hom. 23. in Lucam, Angelos Apocalipsis cum essent veri Angeli obnoxios fuisse peccatis & de his à Ioanne fuisse reprehensos. Item Christum venisse in mundum, vt pœnitentiam prædicaret, non tantùm hominibus, sed etiam Angelis. Ab eodem forte manat, quod scribit hom. 35. quosdam ex Angelis ad nostram custodiam destinatos nōdum videre Deum & adhuc de sua salute pendere incertos. *Apoc. 2. & 3.*

Cautè legendum quod hom. 4. in Ezechielem scribit Angelorum alios esse, qui præuaricantur, alios qui non

præuaricantur & vtrosque in die iudicij iudicandos secundum opera sua. Et accipiendum de bonis Angelis eo sensu quo dictum est supra à Thoma, de malis, eo, quo D. Petrus & Iudas dixerunt reseruari in diem iudicij cruciandos. *1. Pet. 3.*

Tom. 2. in Ioan. & lib. 3. περὶ ἀρχῶν, Ioannem baptistam & Malachiam & Aggeum fuisse Angelos & ob dispensationem iussumque Dei assumpsisse humana corpora, atque inter homines conuersatos. Quod notat Hierony. in cap. 1, Agge, & in præfatione Malachiæ. Quod nos omnino (inquit) non recipimus, ne animorum de cœlo ruinas suscipere compellamur.

6. DE DAEMONIBVS.

HOM. 8, in Iosue dæmones & inferni supplicia nō semper futura. Et lib. 1 de principiis cap. 6. & tom. 18. in Ioann. Quod apertius prodidisse in expositione 1. & 2. cap. ad Ephesios testatur D. Hierony. in eiusdem epistolæ commentariis, & ad Auitum, itemque eius inimicus Theophilus Alex. lib. 2. pasch. & Aug. ipse lib. 2. de hæresibus, sed magis è fama, quam de eo Theophilus sparserat, quàm è rei veritate. Nam in libro de principiis id se magis dixisse disputando & pertractando, quam statuendo & definiendo affirmat. Vnde apertè contra reparationem dæmonum & damnatorum scribit hom. 1. & 14. in Ezech. hom. 14. in Iosue, ho. 12. & 14. in Num. lib. 5. in epistolam ad Rom. & in Psal. 37, De quo Iacobus Merlinus in Apologia pro Origene.

7. DE DAMNATIS ET INFERIS.

D. Hierony. in 14. cap. Esaiæ ad illud, Tu autem proiectus es, videtur respicere ad Origenē, dū ait. Alij verò hunc locum sic interpretantur. Omnes animæ apud inferos aliquam requiem accipient, tu solus (ô diabole) in extremas tenebras relegabere. Quasi illius interpretationis auctor, si modo is fuerit Orig. existimar.t aliquando finiēda damnatorum hominum supplicia, non item diaboli. Sed potuit esse comparatio rhetorica. Diaboli enim comparatione animę damnatorum, quia minus plectentur, habebunt aliquam veluti requiem.

Hom. 9. in diuersos Matth. locos docere videtur ignem inferni esse Metaphoricorum in solo conscientiæ & memoriæ afflictione positum. Item ignem inferni & damnatorum incendia tandem aliquando desitura. Quorum dogmatum patronum facere conatur Hieronymum Ruffinus allatis eius in vltimum caput Esaiæ verbis. Atqui D. Hierony. plerisque locis docet ignem inferorum esse corporeum, & eos qui in eo constituti sunt intrinsecus & extrinsecus torqueri, seorsum in Epist. ad Auitū & lib. in Epi. ad Ephesios tertio, Origene perstricto. Quod ad Origenem attinet, multi, quod est valde probabile, illam homiliam eius esse negant.

Tom. 18. in Ioan. peccatum in Spiritum S. vt neque in hoc sæculo neque in futuro remittatur, tamen remittendū in sæculis, quæ futurum sæculum sequuntur. Habet hoc ipsum dogma compluribus in locis, prę sertim primo libro de Principiis. Sed inquirendo, non affirmando.

8. DE MAGIA.

TRACT. 5. in Mattheum exponens Magorum historiam, vt intulit Polychronius, in Ezechielē, Magicam artem summopere commendauit. Quod exaggerat acrius quàm par sit Theophil. Alex. lib. 2. paschal. Sed bene habet quòd ille tractatus nusquam habeatur, ne istorum detegantur calumniæ. Nam quoties Magorum maleficia detestatur, & precipue hom. 23. in Num. vbi longa è diuinis testimoniis oratione Magos, maleficos & omne incantatorum genus prosternit? Ergo si hîc Magos laudauit, non eos laudauit, qui per fœdera cum dæmonibus icta aut verè aut apparenter operantur, sed qui naturalis philosophiæ praxi admirabiles res cōficiunt vel sciunt ex applicatione mutua naturalium virtutum adinuicem agentium & patientium. Et reuera illic erat quæstio de Magis, qui Christum non sine sapientia & pietatis laude adoratum, longis peregrinationibus, venerant. Hanc distinctionem sequitur Hierony. in 2. cap. Danielis & lib. 2. contra Iouinianum, & ante eum Iustinus martyr. lib. quæstionum à gentibus positarum q. 24. & 26. vt appareat ingentem fuisse maleuolentiam, quæ eandem sententiam in vno probauerit, in altero reprehenderit.

9. DE MVNDO.

IN com. in primum cap. Ecclesiastis, scripsisse proditur à Methodio lib. de Resurrectione, ante hunc mundū alios extitisse & post hunc futuros alios. Si opus haberemus, videretur an excusationi superesset aliquis locus. Nam fortasse referebat sententiā Democriti & Epicuri. Hoc ipsum Hierony. In epistola ad Auitum è libro 3. de principiis non tam docet, quàm colligit.

10. DE STELLIS.

IN tomis super Genesim, vt Procopius in com. in eandem refert, & Eus. lib. 6. de prępara. cap. 9, quod caput est Philocalię 23. stellas docuit à Deo positas in cœlo, vt essent in signa, hoc est, vt per varios earum aspectus & coniunctiones significarent vniuersas & singulas humanarum rerum causas, nō tamen efficerent. Depinxisse enim Deum in stellis significationes & rationes omnium futurorum humanæ generationis effectuum, & Angelos in eis velut in libris legere, quæcunque hominibus, citra tamen vllam liberi arbitrij necessitatem per singula interualla temporum eueniunt, & indè aliquam huius scientiæ partem hominibus stellarum obseruatoribus reuelasse. Quin etiam adduxit testimonium Iacob ad filios è libro Apocrypho, qui inscribebatur, Narratio Ioseph, Legi in tabulis cœli, quæcunque euentura sunt vobis & filiis vestris. Hanc opinionem Procopius reprobat tanquam indignam Christiano, quòd nihil opus sit fideli astrorum significationibus, vt sciant, quid expetendum, quid fugiendum, cùm ad id lex diuina sufficiat. Sic Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 11. hanc sententiam, quamuis (inquit) hominum fuerit non mediocriter doctorum, & quanquam duntaxat decernat significare, non item facere, tamen vt fallacem falsamque repudiat. Sed quoniā viget opusculū D. Thomæ inscriptum, de iudiciis astrorum, non laborabimus de excusando interpretandoue Origene. Totum negotiū ad ipsum reiicimus.

In 1. cap. Ioan. videtur facere stellas animatas. Sic alibi cœlos. Quod quatenus vel reiiciendum vel concedendum sit, docet Espenceus libro de animatione cœlorum.

11. DE TERRA.

HOM. 4. in Ezechielem statuere videtur terram esse animal sensu & ratione præditum, virtutis ac vitij, præmij ac pœnæ capax. Sed inquirendo & differendo hoc ait, nam sententiæ diffisus, subiicit. Possem & aliter interpretari quòd terra aliquando delinquat, id est, anima nostra &c. Quin & locus videtur ab hæreticis corruptus.

12. DE TERRESTRI PARADISO.

IN tomis super Genesim, Omnem historiam Paradisi subuertisse dicitur, negans paradisum esse in terra, sed in tertio cœlo, & per arbores Angelos, per fluuios aquas supra firmamentu intelligens. Methodius in dialogo Aglaophon, Et Epiph. in Ancorato & epistola ad Ioan. hieros. In præfatione, respondimus & docuimus rationem fuisse Origeni, cur ad Allegoriā, omissa litera, interdū confugeret. *Gen. 2.*

13. DE HOMINE.

Hierony. epistola ad Cresphontem eum ait asseruisse com.in 15. Psal. viros sanctos cum ad virtutum venerint summitatem ne in nocte quidem ea pati, quę hominum sunt, neque cogitatione vitiorum titillari, atque hūc locum asserit vnum esse è fontibus, vnde errorem suum hauserint Pelagiani docentes hominem esse ἀναμάρτητον. Si commentarius non periisset, videremus defendíne posset Origenes.

In cap. 6. Geneseos Gigantes non fuisse homines inusitatæ molis, sed impietatis, quòd essent insigniter scelerati, athei. &c. Catena Greca Octateuchi. Sic Theodoretus q. 48. in Genesim, sed tacito eius nomine. Non magni momenti næuus.

14. DE ADAM.

IN tomis super Genesim 3. cap. Adam peccando amisisse imaginem, vt commemorat Epiph. epistola ad Ioannem Hierosl. Summum ius summa iniuria. Præsertim cum imaginem non appellaret mentem intelligentiamve naturaliter omni animæ à deo collatam, sed potius originalem iustitiam, vt liquet è sexto cap. lib. 3. de Principiis.

Similem iniuriam patitur ab eodem in Anchorato, & à Methodio in Aglaophonte Origenista, quòd tunicæ pelliceę, quibus Deus ipsum & Euam induit, non fuerint verè tunicæ pelliceæ, sed carnalia & mortalia peccata, quibus post peccatū; vestiti sint. Is enim mentem suam catholicè aperit Hom. 6. in Leuiticum.

15. DE ANIMA ET EIVS beatitudine.

HOm. 7. in Leuitic. Nondum sanctos recepisse lętitiam suam, ne Apostolos quidem. Atqui id de integra & absoluta beatitudinis consummatione, quam nondū sancti in corporibus receperunt, potest explicari.

Hom. 27 in Numer. Mansiones filiorum Israel exponēs innuit animas post resurrectionem non statim eleuandas ad Dei visionem, sed post multos illuminationum gradus & ascensiones.

In Psal. 65. & 141. scripsisse fertur à Methodio animas ob peccata in cœlo commissa detrudi in corpora. Quem etiam errorem in eo notarunt Epiph. in panario. Theoph. Alexand. lib. 1. Paschali. Hierony. ad Pammach. Cyrillus Alex. lib. 1. com. in Ioannem multis rationibus, persequens patrui inimicitias, confutat.

Animas ante corpora conditas in Psal. 89. si quidem D. Hierony. suppresso nomine Origenē designauit in explanatione Psalmi huius ad Cyprianum, & de cœlo delapsas in 24. Hieremiæ, & 28. in cœlis peccasse & ob id animas dęmonum in corpora aerea subtiliora, animas verò hominum in corpora crassiora demissas. Sed errorem minuit, quòd in eosdem locos Hieronymus eum Allegoricum dicat interpretem.

In principio tomi 20. in Ioan. animas in hunc mundum veniētes aduehere secum diuersas rationes seminales tam iustas quàm iniustas.

In com. in Epistolam ad Ephesios ad illud, Et reuelationis in agnitione eius, agnitionem, qua nunc animæ noscunt deum esse reminiscentiā quandā cognitionis animę, quam olim, ante quam in corpora descenderent in cœlo habuit, errore Platonico & Pythagoreo. Hoc eodem loco innuit Hieronymus & Hieronymo obiicit Ruffinus.

Tomo 2. in Ioan. Electionis Iacob & reprobationis Esau causam esse, quòd quædam animæ ipsorum operatæ sint in cœlo, priusquam in corpora descenderent.

Tom. 13. Animas corporibus inseri ab angelis custodibus, ab iisque corpora formari in vtero & hunc esse laborem aliorum, in quem Apostoli intrasse dicuntur Ioan. 4. Sed hoc non tam affirmat, quàm inquirit.

16. DE ECCLESIA ET EIVS potestate.

TRact. 1. in Mattheum. Cautè accipiendum, quod ait super singulos quosque fideles Ecclesiam esse ædificatam. Item potestatem ministrorum Ecclesiæ in ligando & soluendo pendere ex imitatione sanctitatis Petri.

17. DE EVCHARISTIA.

IN tomis super Matthęum in illud cap. 15. Non quod intrat in os, Panem domini non suapte natura sanctificare ait & pleraque alia obscurè proponit, quæ nunc videantur ad sacramentum corporis domini, nunc ad communē panem siue cibum pertinere. Erasmus hunc locum primus animaduertit & in scholiis Origenici fragmenti à se translati lectorum iudicio expendendum reliquit. Sixtus Senensis suspicatur locum fuisse ab hæreticis deprauatum, fortasse ab ipsomet Erasmo. Nam aliis locis magnificentissimè de eo loquitur & sentit.

18. DE MELCHISEDECH.

IN 14. cap. Genes. Melchisedech non fuisse hominem sed Angelum, vt citat Hierony. ad Euagrium. Excusari potest Orig. è diuersitate opinionem, quę de illo inter veteres extitit, nō minus quàm Augustinus q. 109. libri questionum veteris & noui testamenti & alij, quorum varias sententias enumerat illic Hiero. & Epipha. hæres. 55.

19. DE RESVRRECTIONE.

COrpus non idem numero sed specie resurrecturū, ex com. in 1. & 65. Psalmos, vt quidem referunt Methodius in Aglaophōte & Epiph. Si illa cōmentaria extarent innotesceret mens Origenis. Nunc cum Phamphilus martyr in Apolo. proposit. 7. eum ostendat plurimis in locis & in huius potissimum Psalmi primi atque versiculi expositione de resurrectione corporis nostri in eodem indiuiduo pręclarè sensisse, credibile est hæc vel à maleuolis assuta, vel ab ipso authore non ex propria, sed ex aduersarij persona fuisse dictata.

Lib. 3. com. in epist. ad Ephes. scriptum reliquerat in futuris sęculis fœminas redigendas in viros, & humana corpora in animas, vt retulit illic Hierony. suppresso auctoris nomine, qui proinde obiurgatur à Ruffino, quòd hanc hæresim sine confutatione ex eo transfuderit.

20. DE IGNE GEHENNAE VEL conflagrationis.

IN fine lib. 8. com. epist. ad Rom. & hom. 13. in Hierem. & hom. 3. in psal. 36. post hanc vitam omnes tam bonos, quàm malos ignem gehennæ adituros, quod dogma etsi refellat Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 26. & 27. tamen non est simpliciter absurdum, pręsertim si ignis purgatorius non differt specie ab igne gehennæ, sed loco duntaxat & temporis mensura. Nam etiam hoc sequuntur Ambrosius in eundem Psalmi locum & in Psal. 118. ad illud, Vide humilitatem meam, vt ne quidem Apostolos excipiat. Sic Hilarius in versum eiusdem Psal. 118. cōcupiuit anima mea desiderare iudicia tua.

Hom. 14. in Luc. Nos post resurrectionis diem indigere purgatione. Sed vide nū hęc possint accipi de igne vltimæ conflagrationis, qui in die iudicij purgabit quosdā electos nondum purgatos & omnes reprobos conuoluet.

CÆtera, quæ ab Hæreticis solent arripi ad suorum errorum confirmationem suam habent interpretationem, nec sunt errata sed errantium offendicula. Quale illud, quod lib. 1. com. in epistolam ad Rom. ad id, segregatus in Euangelium, scribit præscientiam meritorũ esse causam prędestinationis, & eius generis multa, quę Pelagiano errori occasioné præstare videntur. Nã eiusmodi pertinét ad causas nõ proprias, sed sine quibus non. Quanquã sunt aliæ solutiones Scholasticorum in promptu: quas aliquãdo poterimus, deo fauente, illustrare contra Caluinitas deum malorum causam prædicantes, & multa more suo circa prædestinationis mysterium hallucinantes. Tale illud, quod eius operis lib. 3. tradit, peccatores ex sola fide iustificari sine vllis operibus. Nam fidem illic non opponit piis operibus, sed legi Mosaicæ eiusque ritibus & actionibus. Aut etiam loquitur de prima iustificatione, non secunda, siue de primordio iustificationis & initio, non de incremento & profectu. Cætera vel adhuc sunt controuersa, vel è præcedentibus, consequentibus, adiunctis, scopoque auctoris facile possunt exponi.

Rom. 1.

ELEVCHVS LIBRORVM ORIGENIS.

PRIMO TOMO CONTINENTVR.

SECVNDO.

IN HAC TABVLA POTERIS VNO INTVITV OMNIA VIDERE QVAE IN VTROQVE TOMO ORIGENICORVM OPERVM CONTINENTVR

Optime Lector: hic enim non tantum capita, sed & verba ipsa, quæ ab autore tractantur, ac in quo foliorum numero, indicantur.

IN GENESIM

IN EXODVM.

IN LEVITICVM

IN NVMEROS

IN LIBRVM IESV NAVE

LIB. I. PERI ARCHON, SEV De principiis.

LIB. II. PERI ARCHON, SEV De principiis.

LIB. III. PERI ARCHON, SEV De principiis.

LIB. IIII. PERI ARCHON, SEV De principiis.

IN TOMO SECVNDO

IN MATTHAEVM

HOMIL.

LIBER I

LIBER II

LIBER III

LIBER IIII

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER VII

LIBER VIII

LIBER IX

INDEX II. LOCORVM SACRAE

scripturæ, passim ex Origene excerptorum, quæ ab ipso obiter citantur & explicantur, ordine Biblico.

Et

136 Qui

HIEREMIAS

IN ACTA

IN PAVLVM

INDEX III. SEV POTIVS

THESAVRVS RERVM OMNIVM QVAE IN IIS QVAECVNQVE EXTANT ORIGENIS ADAMANTII OPERIBVS dignæ notandæque, continentur, longè quam hactenus locupletißimus. Vt autem admonearis, lector, numerus qui primus positus est tomum, secundus paginam signat: atque vt labori tuo parceremus, duodecim primis literis alphabetici vsi sumus: quarum sex primæ priorem paginam, reliquæ sex posteriorem designant.

A

angelis

apo-

C

cor

D

E

F

fortitudo

G

H

hæretici

de

iuſti-

L

ma-

N

O

Q

R

regnum

S

sapientia

omnis

spiritus

T

valen-

uir-

INDICIS IN OPERA ORIGENIS FINIS.

ORIGENIS ADAMANTII, EXIMII SCRIPTVRARVM ENARRATORIS HOMILIÆ IN GENESIM, INTERPRETE RVFFINO, AVT, vt alijs placet, Hieronymo.

IN GENESEOS CAP. I HOMILIA I.

De Ortu mundi, & eorum quæ in mundo sunt.

A IN PRINCIPIO creauit deus cœlum & terrã.] Quod est omnium principium: nisi dominus noster, & saluator omnium Christus Iesus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio, hoc est, in verbo suo, deus cœlum & terram fecit: sicut & Euãgelista Ioannes in initio Euãgelij sui ait, dicens. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Non ergo hic temporale aliquod principium dicit: sed in principio, id est, in saluatore factum esse dicit cœlum & terram, & omnia quæ facta sunt. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erãt super abyssum, & spiritus dei ferebatur super aquas.] Inuisibilis & incomposita terra erat antequam deus diceret, fiat lux, & antequam diuideret inter lucem & tenebras, secundum quod sermonis ordo declarat. Verum quoniam in consequentibus firmamentum iubet fieri: & hoc cœlum appellat: cum ad ipsum locum venerimus, ibidem differentiæ ratio cœli firmamẽtique dicetur, cur etiam firmamentum appellatum sit cœlum. Nunc autem ait: Tenebræ erant super abyssum.] Quæ est abyssus? Illa nimirum in qua erit diabolus & angelus eius. Deniq; hoc manifestissime & in Euangelio designatur, cum dicitur de saluatore. Et rogabant dæmonia quæ eijciebat, ne iuberet ea ire in abyssum. Propterea ergo deus soluit tenebras, dicente scriptura, Et dixit deus, fiat lux: & facta est lux. Et vidit deus lucẽ, quia bona est, & diuisit deus inter medium lucis & inter medium tenebrarum. Et vocauit deus lucem, diem: & tenebras vocauit noctem. Et factum est vespere, & factum est mane, dies vna.] Secundum literam deus & lucem vocat diem, & tenebras noctem. Secundum spiritualem verò intelligentiam videamus quid sit: quod cum in initio illo, quo superius diximus: fecerit deus cœlum & terram, C dixerit quoque vt lux fieret, & diuiserit inter medium lucis & tenebrarum, & vocauerit lucem diem, & tenebras noctem: & dixerit quia factum est vespere, & factum est mane: non dixit dies prima, sed dixit dies vna. Quia tẽpus nondum erat antequam esset mundus. Tempus autem esse incepit ex consequentibus diebus. Secunda nanque dies, & tertia dies, & quarta, & reliquæ omnes tempus incipiũt designare. Et dixit deus. Fiat firmamẽtum in medio aquę, & sit diuidens inter medium aquæ & aquæ. Et factum est sic. Et fecit deus firmamẽtum.] Cùm iam antea deus fecisset cœlum, nunc firmamentum facit. Fecit enim cœlum prius, de quo dicit: Cœlum mihi sedes est. Post illud autẽ firmamẽtum facit, id est, corporeum cœlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum: & hoc est quod diuidit inter aquam quæ est super cœlum, & aquam quæ D est sub cœlo. Cùm enim ea quæ facturus erat deus, ex spiritu constarent & corpore, ista de causa in principio, & ante omnia cœlum dicitur factũ, id est, omnis spiritalis substantia, super quam velut in throno quodam & sede deus requiescit. Istud autem cœlum, id est, firmamentum, corporeum est. Et ideo illud quidem primum cœlum, quod spiritale diximus, mens nostra est, quæ & ipsa spiritus est, id est, spiritalis homo noster qui videt ac perspicit deum. Istud autem corporale cœlum quod firmamentum dicitur, exterior homo noster est, qui corporaliter intuetur. Sicut ergo firmamentum cœlum appellatum est, ex eo quod diuidat inter eas aquas, quæ super ipsum, & eas quæ sub ipso sunt: ita & homo qui in corpore positus est, si diuidere potuerit, & discernere quæ aquæ sunt superiores super firmamentum, & quæ sub firmamento sunt, etiam ipse cœlum, id est cœlestis homo appellatur, secundum Apostoli Pauli sen- E tentiam dicentis: Nostra autem cõuersatio in cœlis est. Ita ergo continentur verba ipsa scripturæ. Et fecit deus firmamẽtum, & diuisit inter medium aquæ quæ est super firmamentum, & inter medium aquæ quæ est subter firmamentum. Et vocauit deus firmamentum cœlum. Et vidit deus quia bonum est, & factum est vespere, & factum est mane, dies secundus.] Studeat ergo vnusquisq; nostrum diuisor aquæ effici eius quæ est supra, & quæ est subtus: quo scilicet spiritalis aquæ intellectum, & participium capiens eius quæ est supra firmamentum, flumina de ventre suo educat aquæ viuæ salientis in vitam æternam, segregatus sine dubio, & separatus ab ea aqua, quæ subtus est, id est, aqua abyssi, in qua tenebræ esse dicuntur, in qua princeps huius mundi, & aduersarius draco, & angeli eius habitant, sicut superius indicatum est. Illius ergo aquę supernę participio, quæ suprà cœlos esse dicitur, vnusquisque fidelium cœle- F stis efficitur, id est, cum sensum suum habet in arduis & excelsis, nihil de terra, sed totum de cœlestibus cogitans, quæ sursum sunt quærẽs, vbi Christus est in dextera dei patris. Tunc enim & ipse laude dignus habebitur à deo, quæ hic scribitur cum dicit, Et vidit deus quia bonum est. Deniq; & ea quæ de tertia die in consequentibus describuntur, in hunc eundem conueniunt intellectum. Ait enim. Et dixit deus. Congregetur aqua quæ est sub cœlo in congregationem vnam, & appareat arida. Et factum est ita.] Nos ergo laboremus congregare aquam quæ est sub cœlo, & abijcere eam à nobis, vt cum hoc factum fuerit, appareat arida, quæ sunt in carne gesta opera nostra, quo scilicet videntes homines opera nostra bona, glorificent patrem nostrũ qui in cœlis est. Si enim aquas istas quæ sunt sub cœlo non separauerimus à nobis, id est, peccata & vitia corporis nostri, arida nostra non poterit apparere, nec habere fiduciã procedendi ad lucem. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt in ea manifestentur opera eius, & videantur si in deo sunt gesta. Quæ vtique fiducia non aliter dabitur, nisi velut aquas, abijciamus à nobis, & segregemus vitia corporis, quæ sunt materiæ peccatorum. Quo facto iam arida nostra non permanebit arida, sicut ex cõ-

Ioan.1 — *ἀόρατος ϗ ἀκατασκεύαστος.* — *Luc.8* — *Dies vnus nõ primus, sed hoc magis est ex proprietate sermonis Hebraici, qui interdum primũ diem vocat vnum.* — *Angeli quando creati.* — *Origenicũ.* — *Phil.3* — *Ioan.4* — *Arida quid.* — *Mat.5*

G sequentibus ostenditur. Ait enim. Et congregata est aqua quæ est sub cœlo in congregationes suas, & apparuit arida. Et vocauit deus aridam terram, & congregationes aquarum vocauit maria.] Sicut ergo arida hæc segregata à se aqua, quemadmodum superius diximus, vltra non mansit arida, sed iam terra nominatur: hoc modo etiam nostra corpora si hæc ab eis segregatio fiat, iam non permanebũt arida, sed terra appellabũtur, ex eo quod fructum deo ferre iam poterunt. Quoniam quidem in initio deus cœlum fecit, & terram: postea verò fecit firmamentum & aridam. Et firmamentum quidem vocauit cœlum, donans ei eius cœli quod ante creauerat nomen. Aridam verò appellauit terram, pro eo quod ei facultatem ferendorum fructuum largiretur. Si quis ergo sua culpa aridus adhuc manet, & fructum nullum affert, sed spinas & tribulos, velut ignis escas gerens, secundum ea quæ ex se protulit, etiam ipse esca ignis efficitur. Si verò studio & diligentia sua separatis ex se aquis abyssi, qui sunt dæmonum sensus, exhibuit se terram fructiferam, debet sperare similia, quod ipse introducatur à deo in terram fluẽtem lac & mel. Videamus autẽ ex consequentibus qui sunt fructus, quos producere deus iubet terram ipsam, cui ipse hoc nomen indulsit. Et vidit (inquit) deus quia bonum est, & dixit deus: Producat terra herbam fœni semen seminantis secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens

Hebræi omnem cõgregationẽ aquarum siue salsarũ siue dulciũ vocãt mare

H fructum, cuius semen est in ipso secundum similitudinem super terram, & factum est sic.] Secundum literam manifesti sunt fructus quos terra non arida producit. Sed iterũ referamus ad nos. Si iam facti sumus terra, si iam nõ sumus arida, afferamus fructus vberes & diuersos deo, vt & nos benedicamur à patre dicẽte: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. Et illud quod ait Apostolus, cõpleatur in nobis: Terra enim excipiẽs frequẽter venientem super se imbrem, & generans herbã opportunam ijs à quibus colitur, percipiet benedictiones à deo. Quæ verò spinas & tribulos profert, reproba est, & maledicto proxima, cuius finis est in adustionem. Et produxit terra herbam fœni semen seminantis secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in ipso faciens fructum secundum genus super terram. Et vidit deus quia bonum est, & factũ est vespere, & factum est mane, dies tertia.] Non solum iubet terræ proferre herbam fœni, sed & semen proferre, vt semper fructum possit afferre. Et nõ solum iubet lignũ fructiferum, sed & faciens semen, cuius semen in ipso est, secũdum genus, id est, vt semper ex his seminibus, quæ in se habet, fructum possit afferre. Et nos ergo ita debemus & fructificare fructum, & semina habere in nobis ipsis, id est, omnium bonorum operum omniúmque virtutum semina in corde nostro continere: vt hæc habentes fixa in

Gen. 26
Heb. 6

I mentibus nostris ex ipsis iam omnes actus, qui incurrerint nobis, secundum iustitiam geramus. Isti sunt enim seminis illius fructus, actus nostri qui ex bonis cordis nostri thesauris proferuntur. Si verò audimus quidem verbum, & ex auditu statim terra nostra producit herbam, & hæc herba antequam ad maturitatem vel ad fructum veniat, aruerit, terra nostra petrosa appellabitur. Si verò ea quæ dicũtur profundioribus nitantur in corde nostro radicibus, ita vt & fructum operum afferant, & semina in se habeant futurorum, tunc vere vniuscuiusq; nostrum terra secundũ virtutem suam affert fructum, alia centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum. Sed & illud admonendum necessarium duximus, vt fructus noster nusquam zizania, id est nusquam lolium habeat: vt fructus noster nõ sit secus viã, sed in ipsa via, in illa quæ dicit: Ego sum via: seminetur vtique in ea ne aues cœli comedant fructus nostros, neque vineam nostram. Si quis tamen nostrum vinea esse meruerit: videat ne pro vua afferat spinas: & propter hoc iam nõ putabitur, neque fodietur, neque mandabitur nubibus vt pluant super eam pluuiam, sed econtrario relinquetur deserta, vt increscant super eam spinæ. Post hæc verò iam firmamentum meretur etiam luminaribus adornari. Ait enim deus. Fiant luminaria in firmamento cœli: vt luceant

Mar. 3
Ioan. 14

K super terram: & diuidant inter diem & noctem.] Sicut in firmamẽto isto quod iam cœlum fuerat appellatum, iubet deus fieri luminaria, vt diuidant inter medium diei & noctis: ita & in nobis fieri potest: si tamen studeamus & nos vocari & effici cœlum: luminaria habebimus in nobis, quæ illuminent nos, Christum & ecclesiam eius. Ipse est enim lux mundi, qui & ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim Luna de Sole dicitur percipere lumen, vt per ipsam etiam nox possit illuminari: ita & ecclesia suscepto lumine Christi, illuminat omnes qui in ignorantiæ nocte versantur. Si verò quis in hoc proficiat, vt iam filius dei efficiatur, sic vt in die honeste ambulet, quasi filius dei, & filius lucis: hic ab ipso Christo illuminatur sicut dies à sole. Et sint in signa & tempora, & in dies & in annos: & fiant ad illuminandum in firmamento cœli, vt luceant super terram. Et factum est sic.] Sicut luminaria ista cœli, quæ videmus, posita sunt in signa & in tempora, & dies & annos, vt luceant de firmamento cœli his qui super terram sunt: hoc modo etiam Christus illuminãs ecclesiam suam, signa dat per præcepta sua: vt sciat quomodo quis accepto signo fugiat ab ira superuẽtura, vti ne dies illa sicut fur eum cõprehendat: sed vt magis peruenire possit in annum domini acceptabilem. Christus ergo est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc muudum: ex cuius lumine illuminata ecclesia, etiam ipsa lux mundi efficitur,

L illuminans eos qui in tenebris sunt: sicut & ipse Christus contestatur discipulis suis dicens: Vos estis lux mundi. Ex quo ostenditur, quia Christus qi idem lux est Apostolorum, apostoli verò lux mundi. Ipsi enim sunt non habentes maculam vel rugam, aut aliquid huiuscemodi, vera ecclesia: sicut & Apostolus dicit: Vt ipse sibi exhibeat gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Et fecit duo luminaria magna: luminare maius in principatum diei: & luminare minus in principatum noctis, & stellas. Et posuit ea deus in firmamento cœli: vt luceant super terram, & potestatem habeant diei & noctis, & diuidãt inter medium lucis, & inter medium tenebrarum. Et vidit deus quia bonum est: & factum est vespere, & factum est mane dies quarta.] Sicut Sol & Luna magna luminaria dicta sunt esse in firmamento cœli: ita & in nobis Christus & ecclesia. Sed quoniam etiam stellas in firmamento posuit deus, videamus qnæ sunt etiam in nobis stellæ, id est, in cordis nostri cœlo. Moyses stella est in nobis, quæ lucet & illuminat nos actibus suis. Et Abraham, Isaac, & Iacob, & Esaias, & Hieremias, & Ezechiel, & Dauid, & Daniel: & omnes quibus scriptura sancta testimonium dedit: quia placuerint deo. Sicut enim stella ab stella differt in claritate: ita etiam sanctorum vnusquisque secũdum magnitudinem suam lumen suum fundit in nos.

Matth. 5
Ephe. 5

M Sicut enim sol & luna illuminant corpora nostra: ita & à Christo atque ecclesia illuminantur mentes nostræ. Ita tamen illuminamur, si non simus mentibus cæci. Nam sicut Sol & Luna corporalibus oculis cæcos quamuis illustrẽt, illi tamen recipere lumen non possunt: ita & Christus lucẽ suam præstat mentibus nostris: sed ita demum nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis impediat. Quod etiam si accidat primo, oportet eos qui cæci sunt sequi Christũ, dicentes & clamantes, Miserere nobis fili Dauid: vt etiam visum ab ipso recipientes, possint deinceps & lucis eius splendore radiari. Verum non æqualiter omnes qui vidẽt illuminantur à Christo, sed singuli secundum eam mensuram illuminantur, qua vim luminis recipere valent. Et sicut non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur à sole, sed quanto quis in loca altiora conscenderit, & ortus eius editioris speculæ intuitione fuerit contemplatus, tanto amplius & splendoris eius vim percipiet & caloris: ita etiã mens nostra quanto altius & excelsius appropinquauerit Christo, ac se viciniorem splendori lucis eius obiecerit, tanto magnificentius & clarius eius lumine radiabitur, sicut & ipse ait per prophetam: Appropinquate mihi & appropinquabo vobis, dicit dominus. Et iterũ dicit: Deus approximans ego sum, & non deus delonge. Non similiter tamen venimus ad eum omnes, sed vnusquisque secũdum

Matth. 9

A dum propriam suam virtutem. Aut enim cum turbis venimus ad eum, & per parabolas nos reficit, ad hoc tantummodo ne multis ieiunijs deficiamus in via: aut certè semper & indesinenter eius pedibus assidemus, vacantes ad hoc solum vt audiamus verbum eius, nequaquam perturbati erga multum ministerium, sed optimam partem eligentes, quæ non auferetur à nobis. Et vtique qui sic accedunt ad eum, multo amplius ex eius lumine consequuntur. Si verò sicut Apostoli nusquam omnino moueamur ab eo, sed semper cum eo permaneamus in omnibus tribulationibus eius, tūc nobis secreto ea, quæ ad turbas locutus fuerat, exponit, atque dissoluit, & multo clarius illuminat nos. Si verò etiam talis quis fuerit, vt possit & in montem ascendere cum eo sicut Petrus & Iacobus & Ioannes, iste non solum Christi lumine, sed etiam patris ipsius illuminabitur voce. Et dixit Deus: Producant aquæ repentia animarum viuarum, & volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, Et factum est sic.] Secundum literam iussu dei producuntur ab aquis repentia & volatilia, & hæc quæ videmus à quo sint facta cognoscimus. Sed videamus quomodo etiam secundum nostrum firmamentum cœli, id est, mentis nostræ vel cordis soliditatem, hæc eadem fiant. Arbitror, quia si mens nostra illuminata fuerit à nostro sole Christo, iubetur postmodum ex his quæ in ea sunt aquis producere B repentia & volatilia volantia, id est, cogitationes bonas vel malas proferre in medium, vt discretio fiat bonorum à malis, quæ vtique vtraque ex corde procedunt. De corde namque nostro velut de aquis proferuntur & bonæ cogitationes & malæ. Sed nos verbo ac præcepto dei vtraque proferamus ad conspectum, & iudicium dei, vt cum ipsius illuminatione discernere possimus à bono quod malum est: id est, vt ea quæ super terram repunt, & terrenas sollicitudines gerunt separemus à nobis, illa verò quæ meliora sunt, id est, volatilia, sinamus volare non solum super terram, sed etiam secundum firmamentum cœli: id est, vt sensum & rationem tam terrenorum quàm cœlestium pertractemus in nobis, vt intelligere quoque possimus, quæ sint in nobis noxia ex repentibus. Si viderimus mulierem ad cōcupiscendum eam, illud est in nobis reptile venenatum. Si verò sit in nobis sobrietatis sensus, etiam si domina Ægyptia nos adamauerit, efficimur aues, & relinquentes Ægyptia vestimenta in manibus eius, ex obscœnis insidijs euolabimus. Si sit in nobis sensus ad furandum nos prouocans, istud est reptile pessimum. Si verò sit in nobis sensus, vt etiam si duo minuta habeamus, hæc ipsa pro misericordia offeramus in dona dei, iste sensus auis est, nihil de terrenis cogitans, sed ad firmamentum cœli volatibus tendens. Si C veniat nobis sensus persuadens nobis cruciatus martyrij nos non debere tolerare, istud erit reptile venenatum. Si verò ascendat nobis sensus & cogitatio talis, vt vsque ad mortem pro veritate certemus, auis erit hæc, à terrenis ad superna conscendens. Similiter etiam de cæteris vel peccatorum vel virtutum speciebus sentiendum est, & discernendum quæ sint repentia, & quæ sint volatilia, quæ producere ad discretionem in conspectu dei aquæ nostræ iubentur. Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam repentium animalium, quæ eduxerunt aquæ secundum genus suum, & omne volatile pēnatum secundū genus suum.] Et de his similiter, vt de illis quæ suprà diximus, sentiendum est, quod producere debeamus etiam cetos magnos, & animam repentium secundum genus: In magnis istis cetis impias cogitationes, & nefarios quosque contra deum sensus arbitror iudicari. Quæ tamen omnia producenda sunt ante conspectum dei, & ponenda ante ipsum, vt diuidamus, & separemus bona à malis, vt vnicuique suus locus à domino tribuatur, sicut ex his quę sequuntur, ostenditur. Et vidit Deus quia bona sunt, & benedixit ea dicens. Crescite & multiplicamini, & replete aquas quæ sunt in mari, & volatilia repleantur super terras. Et factum est vespere, & mane, dies quinta.] In mari quidem cetos magnos, & omnem animam animalium, & repentium, quæ produxerunt aquæ, iubet immorari, vbi & draco ille quem psalmauit deus ad illudendum ei inhabitat. Volucres autem multiplicari iubet super terram, quæ aliquando arida fuit, nunc D autem iam terra appellatur, sicut superius exposuimus. Sed requiret aliquis quomodo ceti magni, & repentia in malo accipiuntur, & volatilia in bono, cùm de omnibus simul dictum est, Et vidit deus quia bona sunt? Ipsis sanctis bona sunt ea, quæ illis aduersantur: quia vincere ea possunt, & cum ea vicerint, maioris gloriæ efficiuntur apud deum. Denique cum diabolus petisset vt sibi potestas daretur aduersum Iob, impugnans eum aduersarius causa ei extitit duplicis gloriæ post victoriam. Quod ostenditur ex eo, quia quæ in præsenti perdiderat, in duplum receperit, simili modo sine dubio & in cœlestibus recepturus. Et apostolus dicit, quia nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Et reuera quomodo erit certamen, si non fuerit qui resistat? Quantus decor & splendor sit lucis non dignosceretur, nisi obscuritas intercederet noctis. Vnde aliqui in castitate laudantur, nisi quia alij pro impudicitia condemnantur? Vnde viri fortes magnificarentur, nisi existerent imbecilles, & timidi? Si amarum adhibeas, tunc dulce efficitur laudabilius. Si atrum consideraueris, gratiora tibi quæ clara sunt videbuntur. Et vt breuiter dicam, ex malorum consideratione decus bonorum lucidius indicatur. Propterea ergo de omnibus hoc dicit scriptura, Et vidit deus quia bona sunt. Quare tamē non est scriptum, & dixit deus quia bona sunt, sed vidit deus quia bona E sunt? id est, vidit vtilitatem ipsorum, & eam rationem, qua cum essent ipsa per se talia, bonos tamen facere possunt optimos. Propterea ergo dixit: Crescite & multiplicamini & replete aquas quæ in mari sunt, & volatilia repleantur super terras, id est, vt ceti quidem magni & repentia in mari essent, sicut superius exposuimus, & volatilia super terras.

Et pisces repunt. *Iob.1* *2.Tim.2*

Et dixit deus. Producat terra animam viuam secundum genus, quadrupedia & repentia & bestias terræ secundum genus: & factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, & omnia repentia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt.] Secundum literam quidem nulla quæstio est. Manifeste enim à deo creata esse dicuntur, vel animalia, vel quadrupedia, vel bestiæ, vel serpentes super terram. Aptare autem hæc his, quæ suprà exposuimus, secundum spiritalem intellectum, non otiosa res est. Ibi quidem dictum est. Producant aquæ repentia animarum viuarum, & volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, hic autem ait: Producat terra animam viuam secundum genus, quadrupedia & repentia, & bestias terræ secundum genus. Et illa quidem quæ de aquis producta sunt, diximus debere motus & cogitationes mentis nostræ, qui de profundo cordis producuntur, intelligi. F Nunc verò hoc quod dicitur, Producat terra animam viuam secundum genus, quadrupedum, & repentium, & bestiarum super terram secundum genus, exterioris hominis nostri, id est, carnalis & terreni motus arbitror indicari. Denique nihil volatile in his quæ de carne loquitur, indicauit, sed tantummodo quadrupedia & repentia & bestias terræ. Secundum illud nempe quod dictum est ab apostolo, quia non habitat in carne mea bonum, & quia sapientia carnis inimica est deo, ista nimirum sunt, quæ terra, id est, caro nostra producit, de quibus rursum apostolus præcipit dicens: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, auaritiam, idololatriam, & cætera. Cùm ergo hæc omnia fierent quæ videntur iussu dei per verbum eius, & præparetur immensus iste visibilis mundus, simul autem & per allegoriæ figuram ostenderetur quę essent quæ exornare possent minorem mundum, id est, hominem, tunc iam ipse homo creatur secundum ea quæ in consequentibus declarantur. Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & principatum gerat piscium maris & volucrum cœli, & animalium & vniuersæ terræ, & omnium quæ repunt super terram.] Consequenter secundum ea quæ superius exposuimus, talem hominem qualem descripsimus vult principatum gerere prædictarum bestiarum, & volucrum & repentium, & quadrupedum, & omnium reliquorum. Quæ qualiter intelligi per allegoriam debeant, exposuimus, cùm diximus iuberi aquam, id est,

Rom.7 *Rom.8* *Col.3*

G mentem eius sensum producere, & terram sensum carnis proferre, vt dominetur eis mens, & non illa dominetur ei. Vult enim deus vt magna ista dei factura homo, propter quem & vniuersus creatus est mundus, non solum immaculatus sit ab his, quæ suprà diximus, & immunis, sed & dominetur eis. Iam verò quale animal sit homo, ex ipsis scripturæ sermonibus consideremus. Omnes reliquæ creaturę iussione dei fiunt, dicente scriptura: Et dixit deus, fiat firmamentum. Et dixit deus, congregetur aqua quæ sub cœlo est, in congregationem vnam, & appareat arida. Et dixit deus: Producat terra herbam fœni. ita etiam in reliquis dicit. Videamus autem quæ sunt quæ ipse deus facit, & per hæc quæ magnitudo hominis sit, aduertamus. In principio fecit deus cœlum & terram. Similiter ait, Et fecit duo luminaria magna. & nunc iterum, Faciamus hominem. In his solis factura ipsius dei ascribitur, in alijs verò nusquam: sed tantummodo cœlum & terra, sol & luna ac stellæ, & nunc homo à deo factus est, omnia verò reliqua iussione eius facta esse dicuntur. Ex hoc ergo considera quanta sit magnitudo hominis, qui tam magnis elementis tamque præcipuis adæquetur, qui habet honorem cœli, propter quod & cœlorum ei promittitur regnum. Habet & terræ honorem, quoniam quidem in terram bonam, & terram viuorum fluentem lac & mel ingredi sperat. Habet honorem solis & lunæ, habens repromissionem fulgere sicut sol in regno dei. Illud sanè etiam eminentius in conditione hominis video, quod alibi non inuenio dictum, & fecit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum. Quod neque in cœlo, neque in terra, neque in sole vel luna inuenimus ascriptum. Hunc sanè hominem, quem dicit ad imaginem dei factum, non intelligimus corporalem. Non enim corporis figmentum, dei imaginem continet, neque factus etiam corporalis homo dicitur, sed psalmatus, sicut in consequentibus scriptum est. Ait enim. Et psalmauit Deus hominem.] Id est finxit de terræ limo. Is autem qui ad imaginem dei factus est, interior homo noster, est inuisibilis & incorporalis, & incorruptus atque immortalis. In his enim talibus dei imago rectius intelligitur. Si qui verò hunc corporeum putent esse, qui ad imaginem & similitudinem dei factus est, deum ipsum corporeum & humanæ formæ videntur inducere: quod sentire de deo manifestissimè impium est. Denique carnales isti homines qui intellectum diuinitatis ignorant, sicubi in scripturis de deo legunt, quia cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, suspicantur deum tam ingentis esse corporis, vt putent eum sedentem in cœlo, pedes vsque ad terram protendere. Hoc autem sentiunt, quia non habent illas aures, quæ digne possint audire verba dei de deo, quæ per scripturam referuntur. Quod enim dicit, Cœlum mihi sedes est, ita digne de deo intelligitur, vt sciamus quia in his quorum in cœlis conuersatio est, deus requiescit & residet. In his autem qui adhuc terrenum propositum gerunt, vltima pars eius prouidentiæ inuenitur, quod in pedum appellatione figuraliter indicatur. Ex quibus si qui forte studium ac desiderium sumpserint fieri cœlestes, perfectione vitæ, & intellectus altitudine, efficiuntur etiam ipsi sedes dei, facti prius peritia & conuersatione cœlestes. Qui etiam dicunt, Suscitauit nos cum Christo, & simul sedere nos fecit in cœlestibus. Sed & illi quorum thesaurus in cœlo est, cœlestes dici possunt & sedes dei, quoniam ibi est cor eorum vbi est thesaurus eorum. Et non solùm requiescit super eos deus, sed & inhabitat in eis. Si verò tantus quis effici potest, vt possit dicere, an documentum quęritis eius qui in me loquitur Christus? in hoc non solùm inhabitat deus, sed etiam inambulat. Et propterea perfecti quique cœlestes facti, vel cœli effecti, enarrant gloriam dei, ut in psalmo dicitur. Propterea denique Apostoli qui sunt cœli, mittuntur ad enarrandam gloriam dei, & Boanerges nomen accipiunt, quod est filij tonitrui, vt per tonitrui potestatem, verè eos cœlos esse credamus. Fecit ergo deus hominem, ad imaginem dei fecit illum. Oportet nos videre quæ est imago dei, & perquirere ad cuius imaginis similitudinem homo factus est. Non enim dixit, quia fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, sed imaginem dei fecit illum. Quæ est ergo alia imago dei ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ? de quo scriptum est, quia sit splendor æterni luminis, & figura expressa substantiæ dei, quia & ipse de se dicit. Ego in patre, & pater in me: & qui me videt, videt & patrem. Sicut enim qui viderit imaginem alicuius, videt eum cuius imago est, ita & per verbum dei, quæ est imago dei, deum quis videt. Et ita verum erit quod dixit, qui me videt, videt & patrem. Ad huius ergo imaginis similitudinem homo factus est, & propterea saluator noster, qui est imago dei, misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, videns eum deposita sua imagine, maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumpta, venit ad eum, sicut apostolus contestatur dicens. Cùm in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum vsque ad mortem. Quicunque ergo veniunt ad eum, & rationabilis imaginis participes effici student per profectum suum secundum interiorem hominem renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos: ita vt possint conformes corporalis claritatis eius effici, sed vnusquisque pro viribus. Apostoli se ad eius similitudinem reformarunt in tantum vt ipse de eis diceret, Vado ad patrem meum & patrem vestrum, ad deum meum & ad deum vestrum. Ipse verò iam petierat patrem pro discipulis suis, vt eis similitudo pristina redderetur cum dixit: Pater da, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Semper ergo intueamur istam imaginem dei, vt possimus ad eius similitudinem reformari. Si enim ad imaginem dei factus homo, contra naturam intuens imaginem diaboli per peccatum similis eius effectus est: multo magis intuens imaginem dei, ad cuius similitudinem factus est à deo, per verbum & virtutem eius recipiet formam illam, quæ data ei fuerat per naturam. Sed nemo desperet videns similitudinem suam magis esse cum diabolo quàm cum deo, posse se iterum recuperare formam imaginis dei, quia non venit Saluator vocare iustos, sed peccatores in pœnitētiam. Matthæus publicanus erat, & vtique imago eius diabolo similis erat, sed veniens ad imaginem dei dominum & saluatorem nostrum, & sequens eam, transformatus est ad similitudinem imaginis dei. Iacobus Zebedæi filius, & Ioannes frater eius piscatores erant, & homines sine literis, qui vtique tunc magis ad imaginem diaboli similitudinem ferebant, sed sequentes & isti imaginem dei, similes facti sunt ei, sicut & cæteri apostoli. Paulus ipsius imaginis dei persecutor erat. Vt autem potuit decorem eius & pulchritudinem contueri, visa ea in tantum ad eius similitudinem reformatus est, vt diceret, an documentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos deus dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini in ea.] Dignum videtur hoc in loco requirere secundum literam, quomodo nondum facta muliere dicit scriptura, masculum & fœminam fecit eos. Fortassis (vt ego arbitror) propter benedictionem qua benedixit eos dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, præueniens quod futurum erat, dicit masculum & fœminam fecit eos, quoniam quidem crescere aliter & multiplicari non poterat homo, nisi cum fœmina. Vt ergo benedictio eius sine dubio futura esse crederetur, ait: Masculum & fœminam fecit eos. Hoc namque modo homo videns crescendi & multiplicandi consequentiam esse ex eo, quod ei fœmina iungebatur, certiorem spem gerere poterat in benedictione diuina. Si enim dixisset scriptura, crescite & multiplicamini & replete terram, & dominamini in ea, non adijciens hoc, quia masculum & fœminam fecit eos, vtique benedictioni diuinæ incredulus extitisset, sicut & Maria ad eam benedictionem qua benedicebatur ab angelo ait: Quomodo † sciam hoc? quoniam virum non cognosco. Aut fortasse quia omnia quæ à deo facta sunt, coniuncta & compaginata dicuntur, vt cœlum

K Heb.1 Ioan.14 Phil.2 L Ioan.20 Ioan.17 M 2.Cor.13 Luc.1. † fiet

A vt cœlum & terra, vt sol & luna: Ita ergo vt ostenderetur quoniam & homo dei opus est, & non sine harmonia, vel competenti coniunctione prolatus est, idcirco præueniens ait: Masculum & fœminam fecit eos. Hęc quidem ad eam quæstionem dicta sunt, quæ secundum literam proferri potest. Videamus autem etiam per allegoriam quomodo ad imaginem dei homo factus masculus & fœmina est. Interior homo noster ex spiritu & anima constat. Masculus spiritus dicitur, fœmina anima potest nuncupari. Hæc si concordiam inter se habeant, & consensum, conuenientia inter se ipsa crescunt & multiplicantur, generántque filios sensus bonos, & intellectus vel cogitationes vtiles, per quę repleant terram & dominentur in ea: hoc est, subiectum sibi sensum carnis ad meliora instituta conuertunt, & dominantur eis, scilicet cùm in nullo caro contra voluntatem spiritus insolescit. Iam verò si anima coniuncta spiritui, atque eius (vt ita dicam) coniugio copulata, declinet aliquando ad corporeas voluptates, sensúmque suum in delectationibus carnalibus inclinet, & aliquando quidem obtemperare videatur salutaribus monitis spiritus, aliquando verò vitijs carnalibus cedat, talis anima velut adulterio corporis maculata, neque crescere, neque multiplicari legitimè dicitur, quoniam quidem filios adulterorum imperfectos scri B ptura designat. Talis enim anima, quæ spiritus coniunctione deserta, sensui se carnis, & desiderijs corporalibus totam prosternit, velut auersa à deo imprudenter, audiet, quia facies meretricis facta est tibi, sine pudore effecta es ad omnes. Veluti meretrix ergo punietur, & filij eius ad occisionem præparari videbuntur. Et dominamini piscium maris, & volatilium cœli, & iumentorum & omnium quæ sunt super terram, serpentium quæ repunt super terram. Iam hęc interpretata sunt secundum literam, cum diceremus quod dicit deus, Faciamus hominem, & reliqua. vbi dicit, & dominetur piscium maris, & volatilium cœli, & cætera. Secundum allegoriam tamen in piscibus, & volatilibus, vel animalibus & repentibus terræ, ea mihi videntur indicari, de quibus nihilominus superius diximus, id est, vel quæ de sensu animæ, & cordis cogitatione procedunt, vel quæ ex desiderijs corporalibus, & carnis motibus proferuntur. Quorum sancti quique & benedictionem dei in semetipsis seruátes, dominationem exercent, agentes totum hominem secundum spiritus voluntatem. Peccatoribus verò magis ipsa dominantur, quę de carnis vitijs, & corporis voluptatibus proferuntur. Et dixit deus: Ecce dedi vobis omne fœnum seminale, quod seminat semen, quod est super omnē terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis seminalis, vobis erit ad escam, & omnibus bestijs terræ, & omnibus volatilibus cœli, & omnibus repentibus quæ re C punt super terram, quæ habent in se animam vitæ.] Historię quidem huius sententia manifeste indicat vsum ciborum primitus à deo ex herbis, id est, oleribus, & arborum fructibus esse permissum. Postremo verò cum ad Noe post diluuium fieret testamentum, facultas vescendarum carnium hominibus datur. Quibus sanè de causis in suis locis rectius exponetur. Secundum allegoriam tamen herba terræ & fructus eius qui ad escam hominibus indulgetur, potest de affectibus intelligi corporalibus. Verbi causa: Ira & concupiscentia germen est corporis. Huius germinis fructus, id est, opus, nobis rationalibus, & bestijs terrę communis est. Nam quando irascimur ad iustitiam, id est, ad correctionem delinquentis, & emendationem salutis eius, isto fructu terræ vescimur, & cibus noster iracundia corporalis efficitur, per quam reprimimus peccatum, iustitiam reparamus. Et ne tibi videamur hæc de nostro potius sensu, quàm diuinæ scripturę autoritate proferre, redi ad librum Numerorum, & recordare quid egerit Phinees sacerdos, qui cum Madianiticæ gentis meretricem cum Israelita viro sub oculis omnium impuris vidisset inhærere complexibus, ira diuinę æmulationis impletus, arreptum gladium per vtriusque pectus exercuit. Quod opus reputatum est ei à deo ad iustitiam, dicente domino: Phinees sedauit furorem meum, & reputabitur ei ad iustitiam. Iste ergo cibus iræ terrenus noster fit cibus, cum eo rationabiliter vtimur ad iustitiam. Si verò irrationabiliter agatur ira, aut innocentes puniat, vt efferuescat D in eos qui nihil delinquunt, iste cibus erit bestiarum agri, & serpentum terræ, & volucrum cœli. His etenim dæmones nutriuntur cibis, qui malis nostris actibus & pascuntur & fauent. Indicium namque est huius operis Cain, qui innocentem fratrem ira decepit inuidiæ. Similiter etiam de concupiscentia, & de singulis huiuscemodi affectibus sentiendum est. Cùm enim concupiscit & deficit anima nostra ad deum viuum, noster cibus est concupiscentia. Cùm autem vel alienam mulierem ad cõcupiscendum videmus, vel aliquid rerum proximi concupiscimus: bestialis cibus efficitur concupiscentia. Sicut exemplo potest esse cõcupiscentia Achab, & factum Iezabel de vinea Nabuthei Iezraelitæ. Obseruanda sanè est sanctæ scripturæ etiam in verborum ratione cautela, quæ cum de hominibus dixisset, quia dixit deus, Ecce dedi vobis omne semen seminale quod est super terram, & omne lignum quod est super terram vobis erit ad escam, de bestijs non dixit, quia dedi eis escam hęc omnia, sed erit illis ad escam: vt secundum spiritalem rationem quã exposuimus, affectus isti intelligantur homini quidem à deo dati esse, prænunciari tamen à deo, quod erunt etiam bestijs terræ in cibum. Ideo ergo cautissimo vsa est sermone scriptura diuina, quæ hominibus quidem ait dicere deum, dedit vobis hæc ad escam. Vbi autem ad bestias venit, non iu E bentis, sed quasi prędicentis significatione dicit, quia hęc erunt etiam bestijs & volucribus & serpentibus ad escam. Sed nos secundum Apostoli Pauli sententiam attendamus lectioni, vt possimus, sicut ipse ait, sensum Christi accipere, & scire quę à deo donata sunt nobis: & quæ nobis ad escam data sunt, non faciamus escas porcorum vel canum, sed tales eas præparemus in nobis, quibus dignum sit suscipi in hospitio cordis nostri verbum ac filium dei venientem cum patre suo, & volentem facere apud nos mansionem in spiritu sancto, cuius prius templum per sanctitatem debemus existere. Ipsi gloria in æterna secula seculorum. Amen.

Ier.3 · *Num.14* · *Gen.9* · *Num.25* · *3.Reg.21* · *1.Tim.4* · *1.Cor.2*

De fabrica arcæ, & eorum quæ in ea sunt. Homilia II.

INCIPIENTES de arca, quę secundum mandatum dei à Noe constructa est, differere, primo ominum videamus, quæ de ea secundum literam referuntur: & quæstiones proponentes quę obijci à pluribus solent, etiam absolutiones earum ex his, quæ nobis sunt à maioribus tradita, requiramus: vt cum huiuscemodi fundamenta iecerimus, ab historiæ textu possimus ascendere ad spiritalis intelligentiæ mysticum & allegoricum sensum, & si quid in eis arcanum continetur, F aperire, domino nobis verbi sui scientiam reuelante. Primo igitur hęc ipsa, quæ scripta sunt præponamus. Et dixit, inquit, dominus ad Noe: Tempus omnis hominis venit ante me, quoniam impleta est terra iniquitatibus ab eis, & ecce ego disperdam illos cum terra. Fac ergo tibi arcam de lignis quadratis, nidos facies in arca, & bituminabis eam abintus, & à foris bitumine, & sic facies arcam. Trecentorum cubitorum longitudinem arcæ, & quinquaginta cubitorum latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem eius colligens facies arcam, & in cubitum consummabis eam in summo. Ostium autem arcæ facies ex latere, inferiora bicamerata, & tricamerata superiora facies ea.] Et post pauca addit: Et fecit, inquit, Noe omnia quæ præcepit ei dominus deus, sic fecit.] Primo ergo quæritur qualem oporteat habitum ipsum, & formam arcæ intelligi. Quam ego puto quantum ex his quæ describuntur apparet, quatuor angulis ex vno consurgentibus, eisdémque paulatim vsque ad summum in angustum attractis, in spacium vnius cubiti fuisse collectã. Sic enim refertur, quod in fundamentis eius treceti cubiti in lõgitudine, in latitudine verò quinquaginta sint positi. Triginta autē in altitudine ædificati. Sed collecta in cacumen angustum, ita vt cubitus sit latitudinis, & longitudinis, eius. Iam verò intrinsecus ea quidem quę dicuntur eius inferiora, bicamerata ponuntur, id est habitationem duplicem continentia. Superiora verò tricamerata, veluti

Gen.6 · *Arcæ figura.*

G mentem eius sensum producere, & terram sensum carnis proferre, vt dominetur eis mens, & non illa dominetur ei. Vult enim deus vt magna ista dei factura homo, propter quem & vniuersus creatus est mundus, non solum immaculatus sit ab his, quæ suprà diximus, & immunis, sed & dominetur eis. Iam verò quale animal sit homo, ex ipsis scripturæ sermonibus consideremus. Omnes reliquæ creaturę iussione dei fiunt, dicente scriptura: Et dixit deus, fiat firmamentum. Et dixit deus, congregetur aqua quæ sub cœlo est, in congregationem vnam, & appareat arida. Et dixit deus: Producat terra herbam fœni. ita etiam in reliquis dicit. Videamus autem quæ sunt quæ ipse deus facit, & per hæc quæ magnitudo hominis sit, aduertamus. In principio fecit deus cœlum & terram. Similiter ait, Et fecit duo luminaria magna. & nunc iterum, Faciamus hominem. In his solis factura ipsius dei ascribitur, in alijs verò nusquam: sed tantummodo cœlum & terra, sol & luna ac stellæ, & nunc homo à deo factus est, omnia verò reliqua iussione eius facta esse dicuntur. Ex hoc ergo considera quanta sit magnitudo hominis, qui tam magnis elementis tamque præcipuis adæquetur, qui habet honorem cœli, propter quod & cœlorum ei promittitur regnum. Habet & terræ honorem, quoniam quidem in terram bonam, & terram viuorum fluentem lac & mel ingredi sperat. Habet H honorem solis & lunæ, habens repromissionem fulgere sicut sol in regno dei. Illud sanè etiam eminentius in conditione hominis video, quod alibi non inuenio dictum, & fecit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum. Quod neque in cœlo, neque in terra, neque in sole vel luna inuenimus ascriptum. Hunc sanè hominem, quem dicit ad imaginem dei factum, non intelligimus corporalem. Non enim corporis figmentum, dei imaginem continet, neque factus etiam corporalis homo dicitur, sed psalmatus, sicut in consequentibus scriptum est. Ait enim. Et psalmauit Deus hominem.] Id est finxit de terræ limo. Is autem qui ad imaginem dei factus est, interior homo noster, est inuisibilis & incorporalis, & incorruptus atque immortalis. In his enim talibus dei imago rectius intelligitur. Si qui verò hunc corporeum putent esse, qui ad imaginem & similitudinem dei factus est, deum ipsum corporeum & humanæ formæ videntur inducere: quod sentire de deo manifestissimè impium est. Denique carnales isti homines qui intellectum diuinitatis ignorant, sicubi in scripturis de deo legunt, quia cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, suspicantur deum tam ingentis esse corporis, vt putent eum sedentem in cœlo, pedes vsque ad terram protendere. Hoc autem sentiunt, quia non habent I illas aures, quæ digne possint audire verba dei de deo, quæ per scripturam referuntur. Quod enim dicit, Cœlum mihi sedes est, ita digne de deo intelligitur, vt sciamus quia in his quorum in cœlis conuersatio est, deus requiescit & residet. In his autem qui adhuc terrenum propositum gerunt, vltima pars eius prouidentiæ inuenitur, quod in pedum appellatione figuraliter indicatur. Ex quibus si qui forte studium ac desiderium sumpserint fieri cœlestes, perfectione vitæ, & intellectus altitudine, efficiuntur etiam ipsi sedes dei, facti prius peritia & conuersatione cœlestes. qui etiam dicunt, Suscitauit nos cum Christo, & simul sedere nos fecit in cœlestibus. Sed & illi quorum thesaurus in cœlo est, cœlestes dici possunt & sedes dei, quoniam ibi est cor eorum vbi est thesaurus eorum. Et non solùm requiescit super eos deus, sed & inhabitat in eis. Si verò tantus quis effici potest, vt possit dicere, an documentum quęritis eius qui in me loquitur Christus? in hoc non solùm inhabitat deus, sed etiam inambulat. Et propterea perfecti quique cœlestes facti, vel cœli effecti, enarrant gloriam dei, sicut in psalmo dicitur. Propterea denique Apostoli qui erant cœli, mittuntur ad enarrandam gloriam dei, & Banerges nomen accipiunt, quod est filij tonitrui, vt per tonitrui potestatem, verè eos cœlos esse credamus. Fecit ergo deus hominem, ad imaginem dei fecit illum. Oportet nos videre quæ est imago dei, & perquirere ad cuius imaginis similitudinem homo factus est. Non enim dixit,

Esa. vlt. *Eph. 2* *Psal. 18* *Mar. 3*

quia fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, sed imaginem dei fecit illum. Quæ est ergo alia imago K dei ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ? de quo scriptum est, quia sit splendor æterni luminis, & figura expressa substantiæ dei, quia & ipse de se dicit. Ego in patre, & pater in me: & qui me videt, videt & patrem. Sicut enim qui viderit imaginem alicuius, videt eum cuius imago est, ita & per verbum dei, quæ est imago dei, deum quis videt. Et ita verum erit quod dixit, qui me videt, videt & patrem. Ad huius ergo imaginis similitudinem homo factus est, & propterea saluator noster, qui est imago dei, misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, videns eum deposita sua imagine, maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumpta, venit ad eum, sicut apostolus contestatur dicens. Cùm in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum vsque ad mortem. Quicunque ergo veniunt ad eum, & rationabilis imaginis participes effici student per profectum suum secundum interiorem hominem renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos: ita vt possint conformes corporalis claritatis eius effici, sed vnusquisque pro viribus. Apostoli se ad eius similitudinem reformarunt in tantum vt ipse de eis diceret, Vado ad patrem meum & patrem vestrum, ad deum meum & ad deum vestrum. Ipse verò iam petierat patrem pro discipulis suis, vt eis similitudo pristina redderetur cum dixit: Pater da, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Semper ergo intueamur istam imaginem dei, vt possimus ad eius similitudinem reformari. Si enim ad imaginem dei factus homo, contra naturam intuens imaginem diaboli per peccatum similis eius effectus est: multo magis intuens imaginem dei, ad cuius similitudinem factus est à deo, per verbum & virtutem eius recipiet formam illam, quæ data ei fuerat per naturam. Sed nemo desperet videns similitudinem suam magis esse cum diabolo quàm cum deo, posse se iterum recuperare formam imaginis dei, quia non venit Saluator vocare iustos, sed peccatores in pœnitētiam. Matthæus publicanus erat, & vtique imago eius diabolo similis erat, sed veniens ad imaginem dei dominum & saluatorem nostrum, & sequens eam, transformatus est ad similitudinem imaginis dei. Iacobus Zebedæi filius, & Ioannes frater eius piscatores erant, & homines sine literis, qui vtique tunc magis ad imaginem diaboli similitudinem ferebant, sed sequentes & isti imaginem dei, similes facti sunt ei, M sicut & cæteri apostoli. Paulus ipsius imaginis dei persecutor erat. Vt autem potuit decorem eius & pulchritudinem contueri, visa ea intantum ad eius similitudinem reformatus est, vt diceret, an documentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos deus dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini in ea.] Dignum videtur hoc in loco requirere secundum literam, quomodo nondum facta muliere dicit scriptura, masculum & fœminam fecit eos. Fortasis (vt ego arbitror) propter benedictionem qua benedixit eos dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, præueniens quod futurum erat, dicit masculum & fœminam fecit eos, quoniam quidem crescere aliter & multiplicari non poterat homo, nisi cum fœmina. Vt ergo benedictio eius sine dubio futura esse crederetur, ait: Masculum & fœminam fecit eos. Hoc namque modo homo videns crescendi & multiplicandi consequentiam esse ex eo, quod ei fœmina iungebatur, certiorem spem gerere poterat in benedictione diuina. Si enim dixisset scriptura, crescite & multiplicamini & replete terram, & dominamini in ea, non adijciens hoc, quia masculum & fœminam fecit eos, vtique benedictioni diuinæ incredulus extitisset, sicut & Maria ad eam benedictionem qua benedicebatur ab angelo ait: Quomodo † sciam hoc? quoniam virum non cognosco. Aut fortasse quia omnia quæ à deo facta sunt, coniuncta & compaginata dicuntur,

Heb. 1 *Ioan. 14* *Phil. 2* *L* *Ioan. 20* *Ioan. 17* *2. Cor. 13* *Luc. 1* *† fiet*

A vt cœlum & terra, vt sol & luna: Ita ergo vt ostenderetur quoniam & homo dei opus est, & non sine harmonia, vel competenti coniunctione prolatus est, idcirco præueniens ait: Masculum & fœminam fecit eos. Hęc quidem ad eam quæstionem dicta sunt, quæ secundum literam proferri potest. Videamus autem etiam per allegoriam quomodo ad imaginem dei homo factus masculus & fœmina est. Interior homo noster ex spiritu & anima constat. Masculus spiritus dicitur, fœmina anima potest nuncupari. Hæc si concordiam inter se habeant, & consensum, conuenientia inter se ipsa crescunt & multiplicantur, generántque filios sensus bonos, & intellectus vel cogitationes vtiles, per quę repleant terram & dominentur in ea: hoc est, subiectum sibi sensum carnis ad meliora instituta conuertunt, & dominantur eis, scilicet cùm in nullo caro contra voluntatem spiritus insolescit. Iam verò si anima coniuncta spiritui, atque eius (vt ita dicam) coniugio copulata, declinet aliquando ad corporeas voluptates, sensúmque suum in delectationibus carnalibus inclinet, & aliquando quidem obtemperare videatur salutaribus monitis spiritus, aliquando verò vitijs carnalibus cedat, talis anima velut adulterio corporis maculata, neque crescere, neque multiplicari legitimè dicitur, quoniam quidem filios adulterorum imperfectos scriptura designat. Talis enim anima, quæ spiritus coniunctione deserta, sensui se carnis, & desiderijs corporalibus totam prosternit, velut auersa à deo imprudenter, audiet, quia facies meretricis facta est tibi, sine pudore effecta es ad omnes. Veluti meretrix ergo punietur, & filij eius ad occisionem præparari videbuntur. Et dominamini piscium maris, & volatilium cœli, & iumentorum & omnium quæ sunt super terram, serpentium quæ repunt super terram. Iam hęc interpretata sunt secundum literam, cum diceremus quod dicit deus, Faciamus hominem, & reliqua. vbi dicit, & dominetur piscium maris, & volatilium cœli, & cætera. Secundum allegoriam tamen in piscibus, & volatilibus, vel animalibus & repentibus terræ, ea mihi videntur indicari, de quibus nihilominus superius diximus, id est, vel quæ de sensu animæ, & cordis cogitatione procedunt, vel quæ ex desiderijs corporalibus, & carnis motibus proferuntur. Quorum sancti quique & benedictionem dei in semetipsis seruantes, dominationem exercent, agentes totum hominem secundum spiritus voluntatem. Peccatoribus verò magis ipsa dominantur, quę de carnis vitijs, & corporis voluptatibus proferuntur. Et dixit deus: Ecce dedi vobis omne fœnum seminale, quod seminat semen, quod est super omnẽ terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis seminalis, vobis erit ad escam, & omnibus bestijs terræ, & omnibus volatilibus cœli, & omnibus repentibus quæ repunt super terram, quæ habent in se animam vitæ.] Historię quidem huius sententia manifeste indicat vsum ciborum primitus à deo ex herbis, id est, oleribus, & arborum fructibus esse permissum. Postremo verò cum ad Noe post diluuium fieret testamentum, facultas vescendarum carnium hominibus datur. Quibus sanè de causis in suis locis rectius exponetur. Secundum allegoriam tamen herba terræ & fructus eius qui ad escam hominibus indulgetur, potest de affectibus intelligi corporalibus. Verbi causa: Ira & concupiscentia germen est corporis. Huius germinis fructus, id est, opus, nobis rationalibus, & bestijs terrę communis est. Nam quando irascimur ad iustitiam, id est, ad correctionem delinquentis, & emendationem salutis eius, isto fructu terræ vescimur, & cibus noster iracundia corporalis efficitur, per quam reprimimus peccatum, iustitiam reparamus. Et ne tibi videamur hæc de nostro potius sensu, quàm diuinæ scripturę autoritate proferre, redi ad librum Numerorum, & recordare quid egerit Phinees sacerdos, qui cum Madianiticæ gentis meretricem cum Israelita viro sub oculis omnium impuris vidisset inhærere complexibus, ira diuinę æmulationis impletus, arreptum gladium per vtriusque pectus exercuit. Quod opus reputatum est ei à deo ad iustitiam, dicente domino: Phinees sedauit furorem meum, & reputabitur ei ad iustitiam. Iste ergo cibus iræ terrenus noster fit cibus, cum eo rationabiliter vtimur ad iustitiam. Si verò irrationabiliter agatur ira, aut innocentes puniat, vt efferuescat D in eos qui nihil delinquunt, iste cibus erit bestiarum agri, & serpentum terræ, & volucrum cœli. His etenim dæmones nutriuntur cibis, qui malis nostris actibus & pascuntur & fauent. Indicium namque est huius operis Cain, qui innocentem fratrem ira decepit inuidiæ. Similiter etiam de concupiscentia, & de singulis huiuscemodi affectibus sentiendum est. Cùm enim concupiscit & deficit anima nostra ad deum viuum, noster cibus est concupiscentia. Cùm autem vel alienam mulierem ad cõcupiscendum videmus, vel aliquid rerum proximi concupiscimus: bestialis cibus efficitur concupiscentia. Sicut exemplo potest esse cõcupiscentia Achab, & factum Iezabel de vinea Nabuthei Iezraelitæ. Obseruanda sanè est sanctæ scripturæ etiam in verborum ratione cautela, quæ cum de hominibus dixisset, quia dixit deus, Ecce dedi vobis omne semen seminale quod est super terram, & omne lignum quod est super terram vobis erit ad escam, de bestijs non dixit, quia dedi eis escam hęc omnia, sed erit illis ad escam: vt secundum spiritalem rationem quã exposuimus, affectus isti intelligantur homini quidem à deo dati esse, prænunciari tamen à deo, quod erunt etiam bestijs terræ in cibum. Ideo ergo cautissimo vsa est sermone scriptura diuina, quæ hominibus quidem ait dicere deum, dedit vobis hæc ad escam. Vbi autem ad bestias venit, non iubentis, sed quasi prędicentis significatione dicit, quia hęc E erunt etiam bestijs & volucribus & serpentibus ad escam. Sed nos secundum Apostoli Pauli sententiam attendamus lectioni, vt possimus, sicut ipse ait, sensum Christi accipere, & scire quę à deo donata sunt nobis: & quæ nobis ad escam data sunt, non faciamus escas porcorum vel canum, sed tales eas præparemus in nobis, quibus dignum sit suscipi in hospitio cordis nostri verbum ac filium dei venientem cum patre suo, & volentem facere apud nos mansionem in spiritu sancto, cuius prius templum per sanctitatem debemus existere. Ipsi gloria in æterna secula seculorum. Amen.

Marginal notes: B; C; Hier. 3; Esa. 14; Gen. 9; Num. 25; 3. Reg. 21; 1. Tim. 4; 1. Cor. 2

De fabrica arcæ, & eorum quæ in ea sunt. Homilia II.

INCIPIENTES de arca, quę secundum mandatum dei à Noe constructa est, differere, primo ominum videamus, quæ de ea secundum literam referuntur: & quæstiones proponentes quę obijci à pluribus solent, etiam absolutiones earum ex his, quæ nobis sunt à maioribus tradita, requiramus: vt cum huiuscemodi fundamenta iecerimus, ab historiæ textu possimus ascendere ad spiritalis intelligentiæ mysticum & allegoricum sensum, & si quid in eis arcanum continetur, aperire, domino nobis verbi sui scientiam reuelante. F Primo igitur hęc ipsa, quæ scripta sunt præponamus. Et dixit, inquit, dominus ad Noe: Tempus omnis hominis venit ante me, quoniam impleta est terra iniquitatibus ab eis, & ecce ego disperdam illos cum terra. Fac ergo tibi arcam de lignis quadratis, nidos facies in arca, & bituminabis eam abintus, & à foris bitumine, & sic facies arcam. Trecentorum cubitorum longitudinem arcæ, & quinquaginta cubitorum latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem eius colligens facies arcam, & in cubitum consummabis eam in summo. Ostium autem arcæ facies ex latere, inferiora bicamerata, & tricamerata superiora facies ea.] Et post pauca addit: Et fecit, inquit, Noe omnia quæ præcepit ei dominus deus, sic fecit.] Primo ergo quæritur qualem oporteat habitum ipsum, & formam arcæ intelligi. Quam ego puto quantum ex his quæ describuntur apparet, quatuor angulis ex vno consurgentibus, eisdémque paulatim vsque ad summum in angustum attractis, in spacium vnius cubiti fuisse collectã. Sic enim refertur, quod in fundamentis eius trecẽti cubiti in lõgitudine, in latitudine verò quinquaginta sint positi. Triginta autẽ in altitudine ædificati. Sed collecta in cacumen angustum, ita vt cubitus sit latitudinis, & longitudinis, eius. Iam verò intrinsecus ea quidem quę dicuntur eius inferiora, bicamerata ponuntur, id est habitationem duplicem continentia. Superiora verò tricamerata, veluti

Marginal notes: Gen. 6; Arcæ figura.

G si dicamus triplicibus constructa cœnaculis. Sed hæ habitationum distinctiones ad hoc factæ videntur, vt secerni per singulas mansiones diuersa animalium vel bestiarum genera facilius possint, & à bestijs feris mansueta quæque & ignaua seiungi. Istæ ergo habitationum discretiones nidi appellantur. Quadrata verò ligna fuisse referuntur, quo & facilius alterum alteri posset aptari, & inundante diluuio totus aquarum prohiberetur incursus, cum intrinsecus & extrinsecus oblita bitumine iunctura muniretur. Traditum sanè nobis est, & non absque verisimilitudine, inferiora, quæ suprà diximus constructa dupliciter, quæ & separatim bicamerata dicuntur, ob hunc modum fuisse duplicia, quoniam quidem annum integrum fecerunt omnia animalia in arca. Et vtique in totum annum necesse erat prouidere cibos, & non solum cibos, verum & digestionum constitui loca: quo neque ipsa animalia, præcipue tamen homines, fimi fœtore vexarentur. Tradunt ergo quod inferior regio ipsa, quæ in fundo est ad huiuscemodi necessitates mancipata sit & excepta: huic autem superior contigua, conseruandis pabulis deputetur. Etenim necessarium videbatur, vt ijs bestijs, quibus natura vesci carnibus dedit, introducta sint extrinsecus animalia, quorum vescentes carnibus conseruare vitam posteritatis reparandæ gratia valerent: a-H lijs verò alia, quæ naturalis vsus deposcit, seruarentur alimenta. In hos ergo vsus inferiores partes, quæ bicameratæ dicuntur, tradunt fuisse distinctas. Superiores verò ad habitaculum bestiis, vel animalibus deputatæ sunt: quibus inferiores quidem feris, & immitibus bestijs, vel serpentibus habitaculum præbuisse, his verò contigua in superioribus loca, mitioribus animantibus stabula fuisse. Supra omnia verò in excelso hominibus sedem locatam, vtpote qui & honore & ratione cuncta præcellant: vt sicut ratione & sapientia principatum gerere supra omnia quę in terris sunt, dicitur homo: ita etiam loco celsior, & supra omnes animantes, quę in arca sunt, collocatus sit. Tradunt autem etiam ostium, quod ex latere factum dicitur, eo loci fuisse, vt inferiora, quę dixit bicamerata, infra se haberet, & quę dixit tricamerata, superiora à loco ostij appellata sint: vt inde ingressa vniuersa animalia, per sua queque loca, secundum quòd suprà diximus, congrua discretione dirempta sint. Verum ostij ipsius munimem, non iam humanis rationibus adimpletur. Quomodo enim postea quàm clausum est, & nullus hominum extra arcam fuit, bituminari extrinsecus ostium potuit, nisi quia diuinæ virtutis sine dubio opus fuit, ne ingrederetur aqua per aditum, quem humana non munierat manus? Propterea ergo scriptura cum de cæteris omnibus dixisset, quia fecit arcam Noe, & introduxit animalia, & filios, & vxores eorum, de ostio non dixit, quia Noe clausit ostium arcæ: sed ait, quia clausit dominus I deus deforis ostium arcæ, & sic factum est diluuium. Obseruandum tamen est quod post diluuium non dicitur Noe aperuisse ostium, sed fenestram, cum emisit coruum, vt videret vtrum cessasset aqua super terram. Quod autem intulerit cibum Noe in arcam omnibus animantibus, vel bestiis, quæ cum eo introierunt, audi ex his quæ dominus dicit ad Noe. Tu, inquit, accipe tibi ipsi ab omnibus escis quę eduntur, & congregabis ad temetipsum, & erunt tibi & ipsis ad edendum.] Quod autem fecit Noe ea quæ præcepit ei dominus, audi scripturam dicentem. Et fecit, inquit, Noe omnia quæ præcepit ei dominus deus, sic fecit.] Sanè quod de locis, quæ diximus ad fimum animalium separata, scriptura nihil retulit, sed traditio tenet, opportune videbitur super hoc habitum esse silentium, de quo sufficienter consequentiæ ipsius ratio doceret. Et quia ad spiritalem intelligentiam minus digne poterat aptari, merito ergo scriptura siluit de hoc, quæ magis narrationes suas intellectibus allegoricis coaptat. Veruntamen quantum ad necessitatem pluuiarum & diluuij spectat, nulla potuit tam conueniens & congrua arcę species dari, quàm vt è summo velut è tecto quodam in angustum culmine ducto diffunderet imbrium ruinas, & ima in aquis quadrata stabilitate consistens, nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium, quę intrinsecus erant, aut inclinari posset, aut mergi. Sed his omnibus tanta arte compositis, obiiciunt quidam quęstiones, & pręcipue Apelles, qui fuit discipulus quidem Marcionis, sed alterius hæreseos magis, quàm eius quam à magistro suscepit, inuentor. Is ergo dum assignare cupit scripta Moysi nihil in se diuinæ sapientię, nihilque operis sancti spiritus continere, exaggerat huiusmodi dicta, & dicit nullo modo fieri potuisse, vt tam breue spatium tot animalium genera eorúmque cibos, qui per totum annum sufficerent, capere potuisset. Cùm enim bina & bina ex immundis animalibus hoc est bini masculi & binæ fœminę (hoc enim indicat sermo repetitus) ex mundis verò septena & septena in arcam dicantur inducta, quomodo, inquit, fieri potuit istud spatium, quod scriptũ est, vt quatuor saltem solos elephantes capere potuerit? Et postea quam per singulas species hoc modo refragatur, addit super omnia his verbis. Constat ergo fictam esse fabulam. Quod si est, constat non esse à deo hanc scripturam. Sed ad hęc nos quæ à prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque à veteribus magistris didicimus ad auditorum noticiam deferemus. Aiebant ergo maiores, quod Moyses, qui (vt de eo scriptura testatur) omni sapientia Aegyptiorum fuerat eruditus, secundum artem geometricam, quàm pręcipue Aegyptij callent cubitorum numerum in hoc loco posuit. Apud Geometras enim secundum eam rationem, quę apud eos virtus vocatur, ex solido & quadrato vel in sex cubitos vnus deputatur si generaliter, vel trecentos si minutatim deducatur. Quę vtique ratio si obseruetur, in huius arcę mensura inuenientur & longitudinis & latitudinis tanta spatia, quę vere totius mũdi reparanda germina & vniuersorum animantium capere rediuiua seminaria potuerint. Hęc quantum ad historię pertinet rationem, aduersum eos dicta sint, qui impugnare scripturas veteris testamenti nituntur, tanquam impossibilia quędam & irrationabilia continentes. Nunc vero iam deprecantes eum prius qui solus potest de lectione veteris testamenti auferre velamen, tentemus inquirere quid etiam spiritalis ędificationis contineat magnifica hęc arcę cõstructio. Puto ergo (vt ego pro paruitate sensus mei assequi possum) quod illud diluuium, quo pene finis tunc datus est mundo, formam teneat finis illius qui vere futurus est mundi. Quod & ipse dominus pronunciauit dicens. Sicut enim in diebus Noe emebant, vendebant, ędificabant, nubebant & nuptum tradebant: & venit diluuium, & perdidit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. In quo euidẽter vna eadémque forma diluuij, quod pręcessit, & finis mundi quem venturum dicit, designatur. Sicut ergo tunc dictum est ad illum Noe, vt faceret arcam, & introduceret in eam secum non solum filios, & proximos suos, verum etiam diuersi generis animalia: ita etiam ad nostrum Noe, qui vere solus iustus & solus perfectus est, dominum Iesum Christum in consummatione seculorum dictum est à patre, vt faceret sibi arcam ex lignis quadratis, & mensuras ei daret cœlestibus sacramentis repletas. Hoc enim designatur in psalmo, vbi dicit: Pete à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę. Construit ergo arcam, & facit in ea nidos, id est, promptuaria quędã, quibus diuersi generis animalia recipiantur. De quibus & propheta dicit. Perge populus meus, intra in promptuaria tua, absconde te parumper donec transeat furor irę meę. Confertur ergo populus hic qui saluatur in ecclesia, illis omnibus, siue hominibus, siue animalibus, quę saluata sunt in arca: Verum quoniam non est omnium vnum meritum, nec vnus in fide profectus, idcirco & arca illa non vnam prębet omnibus mansionem, sed bicamerata sunt inferiora, & tricamerata superiora, & nidi distinguuntur in ea: vt ostendat quia & in ecclesia licet omnes intra vnam fidem contineantur, atque vno baptismate diluantur, non tamen vnus omnibus atque idem profectus est, sed vnusquisque in suo ordine. Hi quidem, qui per rationabilem scientiam viuunt & idonei sunt non solum semetipsos regere, sed & alios docere. quoniam valde pauci inueniuntur, qui cum ipso Noe saluantur, & proxima ei propinquitate iunguntur, & tenent figuram: sicut & dominus noster verus

Serpentes in arca. *Quæstio.* *Quæstio ex Apelle.* *Solutio.* *Cubiti geometri.i.* *Inuocatio apta.* *Luc.17.* *Allegoria Noe Christi typus.* *Psal.2* *Esa.26*

K L M

A verus Noe Christus Iesus paucos habet proximos, paucos filios & propinquos, qui verbi eius participes sint, & sapientię capaces. Et ij sunt, qui in summo gradu positi sunt, & in summitate arcę collocantur. Cęterum multitudo irrationalium animalium, vel etiam bestiarum in inferioribus locis habetur, & eorum maxime, quorum feritatis sęuitiam nec fidei dulcedo molliuit. Superiores verò aliquantulo ab his sunt, qui licet minus rationis, plurimum tamen simplicitatis, innocentięque custodiunt. Et sic per singulos habitationum gradus ascendentibus peruenitur ad ipsum Noe, qui interpretatur requies, vel iustus, qui est Iesus Christus. Neque enim in illum Noe conuenit, quod dicit Lamech pater eius. Hic enim, inquit, requiem dabit nobis ab operibus & à tristitijs manuum nostrarum, & à terra quam maledixit dominus deus. Quomodo enim verum erit, quod ille Noe requiem dederit illi Lamech, vel populo, qui tunc habebatur in terris, vel quomodo à tristitijs & labore cessatum est temporibus Noe, vel quomodo ablatum est maledictum terrę, quod dederat dominus, vbi potius iracundia diuina maior ostenditur, & refertur dicere deus, Pœnitet me quod feci hominem super terram? Et iterum dicit: Deleam omnem carnem quę est super terram. Et super omnia summę offensæ indicium interitus viuentiũ datur. Si verò respicias ad dominum nostrum Iesum Christum, de quo dicitur: Ecce agnus dei, ecce qui tollit pec- B cata mundi. & iterũ de quo dicitur. Factus pro nobis maledictũ, vt nos de maledicto legis redimeret. & iterũ cũ dicit. Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. & inuenietis requiem animabus vestris: inuenies hunc esse, qui vere requiẽ dedit hominibus, & liberauit terrã de maledicto, quo maledixit ei dominus deus. Huic ergo spirituali Noe, qui requiem dedit hominibus, & tulit peccatum mundi, dicitur. Facies tibi arcam ex lignis quadratis. Videamus ergo quę sint quadrata ligna. Quadratum est, quod nulla vacillat ex parte, sed quocunque verteris, fida & solida stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quę omne pondus vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt. Quos ego arbitror doctores esse in ecclesia, & magistros atque æmulatores fidei, qui & populos intrinsecus positos verbo commonitionis, & doctrinę gratia consolantur, & impugnantibus extrinsecus, vel gentilibus, vel hereticis, & quęstionum fluctus, ac procellas certaminum commouentibus, virtute verbi, ac sapientia rationis obsistunt. Vis autem videre quod ligna rationabilia nouit scriptura diuina? Recenseamus quid apud Ezechielem prophetam scriptum est. Et factum, est, inquit: in vndecimo anno, tertio men- C se, vna die mensis, factum est verbum domini ad me dicens: Fili hominis dic ad Pharaonem regem Aegypti, & ad multitudinem eius. Cui te similem facis in exaltatione tua? Ecce Assur cypressus in Libano, speciosus ramis, & condensus vmbraculis, excelsus in altitudine. Inter medias nubes factum est cacumen eius, aqua enutriuit eum, & abyssus exaltauit eum, & adduxit omnia flumina sua circa eum, & congregationes suas emisit ad omnia ligna campi. Propterea exaltata est altitudo eius super omnia ligna campi. Et post pauca dicit: Cypressi multę in paradiso Dei, & pini non sunt similes ramis eius, & abietes non fuerunt similes ei. Omne lignum in paradiso dei non assimilatum est ei, & zelata sunt eum omnia ligna paradisi delitiarum dei. Animaduertis de quibus vel qualibus lignis dicat propheta? quomodo describit cypressum Libani, cui omnia ligna, quę in paradiso dei sunt, comparari non possint? Et addidit etiam hoc ad vltimum, quod omnia ligna, quę sunt in paradiso Dei zelata sint eam, euidenter ostendens secundum spiritalem intelligentiã rationabilia dici ligna quæ in paradiso dei sunt: quippe in quibus æmulationem quandam describit esse aduersum ea ligna, quę sunt in Libano. Vnde & excursu etiam hoc dicamus. Considera ne forte & illud, quod scriptum est, Quia maledictus à deo omnis qui pendet in ligno, sic debeat intelligi, quomodo & illud quod alibi dictum est, Maledictus homo, qui spem habet in homine. Pendere enim in solo deo debemus, & in nullo alio etiam si de paradiso Dei procedere quis dicatur, sicut & Paulus dicit: Etiam D si nos, aut angelus de cœlo euangelizauerit vobis aliter quã euangelizauimus vobis, anathema sit. Sed hęc alias. Interim vidisti quę sint quadrata ligna quę velut murus quidam & defensio his qui sunt intrinsecus, obstaculum autem & impugnatio his qui extrinsecus superueniunt, collocantur ab spiritali Noe: Quæ ligna extrinsecus, & intrinsecus bitumine linuntur. Vult enim te architectus ecclesię Christus non esse talem, quales sunt illi, qui deforis quidem apparent hominibus iusti, deintus autem sunt sepulchra mortuorum. Sed vult te & corpore sanctum esse extrinsecus, & corde intrinsecus purum. Cautum vndique & castitatis atque innocentiæ virtute munitum, hoc est. intus & foris bitumine esse oblitum. Post hęc de longitudine, & latitudine arcę, & de altitudine memoratur, & numeri in his quidam ponuntur ingentibus mysterijs consecrati. Sed antequam de numeris disseramus, hoc quod dicit longitudinem & latitudinem, & altitudinem, quale sit videamus, Apostolus in quodam loco, cum de mysterio crucis sacratius loqueretur, ita ait. Vt sciatis quę sit longitudo, & latitudo, & altitudo, & profundum. Profundum autem & altitudo idem significãt, nisi quod altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri, profundum verò de superioribus incipere, & ad inferiora descendere. Consequenter igitur spiritus Dei & per Moysen, & per Paulum E ingentium sacramentorum figuras enunciat. Nam Paulus quoniam descensionis Christi mysterium prædicat, profundum nominauit, quasi de superioribus ad inferiora venientis. Moyses verò quia restitutionem designans eorum, qui per Christum de interitu & perditione seculi tanquam de nece diluuii ex inferioribus ad superna & cœlestia reuocantur, in mensura arcæ non profundum memorat, sed altum, tanquam vbi de terrenis & humilibus ad cœlestia & excelsa conscenditur. Numeri quoque ponuntur, trecenti cubiti longitudinis, quinquaginta latitudinis, triginta altitudinis. Trecenti, tercenteni sunt. Centenarius autem numerus, plenus in omnibus & perfectus ostenditur, & totius rationalis creaturæ continens sacramentum: sicut in Euangelijs legimus, vbi dicit quia habens quis centum oues, ex quibus cum perisset vna, relictis nonaginta nouem in mõtibus descendit quærere eam, quæ perierat. quamque inuentam humeris suis reportauit, & posuit cum illis nonaginta nouem, quæ non perierant. Hic ergo centenarius totius creaturæ rationalis numerus, quoniam non ex semetipso subsistit, sed ex trinitate descendit, & longitudinem vitæ, hoc est, immortalitatis gratiam, ex patre per filium ac spiritum sanctum suscepit, idcirco triplicatus ponitur: vtpote qui ad perfectionem per gratiam trinitatis augetur, & F qui ex centenario per ignorantiam lapsum, per agnitionem trinitatis restituat in trecentos. Latitudo quinquagenarium numerum tenet. Qui numerus remissioni & indulgentiæ consecratus est. Secundum legem enim quinquagesimo anno remissio erat, id est, vt si quis distraxisset possessionem, reciperet, si liber in seruitutem venisset, reciperet libertatem, indulgentiam debitor acciperet, exul rediret ad patriam. Spiritalis ergo Noe Christus, in arca sua, in qua humanum genus de interitu liberat, id est, in ecclesia sua, hunc quinquagenarium remissionis numerum in latitudine collocauit. Nisi enim remissionem peccatorum donasset credentibus, non fuisset per orbem terræ ecclesiæ latitudo diffusa. Triginta autem altitudinis numerus simile vt trecenti continet sacramentum. Quod enim ibi centeni, hoc hic deni tertio multiplicati faciunt. Ad vnum autem totius constructionis numerum summa reuocatur, quia vnus deus pater ex quo omnia, & vnus dominus, & vna ecclesiæ fides est, vnum baptisma, vnum corpus, & vnus spiritus, & ad vnum perfectionis dei finem cuncta festinant. Sed & tu qui hæc audis, si scripturis sanctis intendas ex otio, permulta inuenies magnarum rerum gesta sub tricenario vel quinquagenario numero contineri. Triginta annorum Ioseph educitur de carcere, & totius Aegypti suscipit principatum, vt imminentis perniciem famis diuina prouisione depellat. Triginta annorum refertur Iesus, cum ve-

Marginalia: Recedit à litera. — Genes.5 — Gen.6 — Ioan.1 — Gal.3 — Matth.11 — Quadrata. — Ezech.31 — Deut.21 — Hier.17 — Gal.1 — Bitumina-tã. — Mat.23 — Eph.3 — Longum & latum. — Cẽtenarius numerus. — Luc.15 — Ternio. — πεντικοντάς. — τριακοντάς. — Exempla denumeris. — Gen.41 — Matt.3

G nit ad baptiſmum, & vidit cœlos diuiſos, & ſpiritum dei in columbę ſpecie venientem ſuper ſe. Vbi & primum cœpit ſacramentum patefcere trinitatis. & multa his ſimilia inuenies. *Deut.16* Sed & quinquageſimum diem feſtum, in nouarum frugum conſecratione reperies, & de Ammanitarum ſpolijs domino quinquageſima delibatur. *Gen.14* Cum trecentis verò inuenies & Abraham vincentem Sodomitas, & Gedeon cum trecentis lingua aquam lambẽtibus ſuperat. Oſtium ſanè, quòd non à fronte, nec deſuper, ſed è latere ex trãſuerſo collocatur, *Sophon.1* quoniam iræ diuinæ tempus eſt: Dies enim domini, dies iræ & furoris, ſicut ſcriptum eſt: licet enim videantur aliqui ſaluari, multi tamen, quos merita ſua reprobant, delentur & pereunt: ex tranſuerſo oſtium ponitur, vt illud oſtendatur, *Leuit.26* *Alia allegoria.* quod per prophetam dicitur. Quia ſi inceſſeritis mecum per uerſi, & ego incedam vobiſcum in ira peruerſa. Poſt hæc videamus & de eo quod dicit ſeparatim inferiora bicamerata, *Phil.2.* & ſuperiora tricamerata: ne forte indicetur per hæc, quod apoſtolus dixit, quia in nomine Ieſu omne genu flectetur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & in arca ſignificetur omnium quidem inferiora ipſa eſſe, quæ Apoſtolus dicit inferna, horum autem contigua ſuperiora ipſa eſſe terreſtria, tricamerata verò ſuperiora quæ dicit ſimul omnia eſſe cœleſtia. Sed in his eorum merita diſtingui, qui poſſunt ſecundum H Apoſtolum Paulum vſque ad tertium cœlum conſcendere. Nidi verò & nidi, quia multi ſunt in arca, multas eſſe apud patrem indicant manſiones. De animalibus verò, & beſtijs, ac pecoribus, cæteríſque diuerſis animantibus, quæ nobis alia figura ſeruanda eſt, niſi quam vel Eſaias oſtẽdit, cum dicit, *Eſa.11* in regno Chriſti lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonem & bouẽ ſimul ire ad paſcua, eorúmque fœtus ſimul paleis veſci, inſuper etiam in aſpidum cauerna, paruum puerum (talem ſine dubio, qualem dicebat Saluator, *Matt.18* niſi cõuerſi fueritis & effecti ſicut puer hic, non introibitis in regnum dei) miſſurum eſſe manum, & nihil lędendum? Vel etiam illa figura, quam Petrus iam nunc in eccleſia haberi docet, cum refert ſe viſionem vidiſſe, *Act.10* in qua omnia quadrupedia, & beſtiæ terræ, ac volatilia cœli intra vnum fidei lintheum continebantur, quatuor euangeliorum initijs alligatum. Verum quoniam arca quam deſcribere conamur, non ſolum bicamerata, ſed & tricamerata à deo conſtrui iubetur, operam demus & nos ad hanc duplicem quæ præceſſit expoſitionẽ, ſecundum præceptũ dei etiam tertiam iungere. Prima enim quæ præceſſit hiſtorica eſt, veluti fundamentum quoddam *Senſus ſcripturæ triplex.* in inferioribus poſita. Secunda hæc myſtica, ſuperior & excelſior fuit. Tertiam ſi poſſumus moralem tentemus adijcere. Quamuis & hoc ipſum quod neque bicameratam ſolum dixit & ſiluit, neque tricameratam tantum & ceſſauit, ſed cũ I dixiſſet bicameratam addidit & tricameratam, nec abſque huius ipſius expoſitionis quam habemus in manibus, videatur eſſe myſterio. Nam tricamerata triplicem hanc expoſitionem deſignant. *Hiſtoria nõ conſiſtens.* Sed quia non ſemper in ſcripturis diuinis hiſtorialis conſequentia ſtare poteſt, ſed nonnumquam deficit, vt (verbi cauſa) cum dicitur: *Prouerb. 26. 3. Reg. 6.* Spinæ naſcẽtur in manus ebrioſi: & cum in templo à Salomone conſtructo, dicitur: Vox mallei & ſecuris non eſt audita in domo Dei: & iterum *Leuit.13* in Leuitico, cum lepra parietis & pelliculę & ſtaminis inſpici iubetur à ſacerdotibus & purgatori: propter hæc ergo & his ſimilia non ſolum tricamerata, ſed & bicamerata arca cõtexitur, vt ſciamus in ſcripturis diuinis non ſemper triplicẽ, quia non ſemper nos hiſtoria ſequitur, ſed interdum duplicis tantummodo ſenſum expoſitionis inſertum. *Moralis ſenſus.* Tentemus igitur & tertiam expoſitionem diſſerere, ſecundum moralẽ locum. Si quis eſt, qui creſcentibus malis, & inundantibus vitijs conuertere ſe poteſt à rebus fluxis & pereuntibus & caducis, & audire verbũ Dei, ac præcepta cœleſtia: hic intra cor ſuum arcam ſalutis ædificat, & bibliothecam (vt ita dicã) intra ſe diuini conſecrat verbi, Longitudinem in ea, & latitudinem, & altitudinem, fidem, ſpem, charitatémque collocat. Fide trinitatis ad longitudinem vitæ immortalitatémque deſcendit. Latitudine charitatis, indulgentiæ & benignitatis fũdat affectum. Altitudine ſpei ad cœleſtia erigit & excelſa. Super terram enim ambulans, in cœlis habet conuerſationẽ. Summam verò actuum ſuorum refert ad vnum. Scit enim quia omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam, ſcili- K cet qui cogitationum varietate & inſtabilitate mentis non fuerit multiplex. Sed hanc bibliothecam non ex agreſtibus & impolitis, ſed ex quadratis & ſecundum æquitatis lineam directis conſtruit lignis: id eſt, non ſecularium auctorum, ſed ex propheticis atq; apoſtolicis voluminibus. Ipſi enim ſunt, qui diuerſis tẽtationibus edolati, reſecatis omnibus vitijs & exciſis, quadratam continent vitam, & ex omni parte libratã. Nam auctores ſecularium librorum poſſunt quidem dici ligna excelſa, & ligna vmbroſa. Sub omni enim ligno excelſo & nemoroſo accuſatur fornicatus eſſe Iſrael: *4. Reg.17* quia illi loquũtur quidem excelſa, & florida vtuntur eloquentia: non tamen ita egerunt, vt loquuti ſunt; & ideo non poſſunt ligna quadrata nominari, quod in eis nequaquam vita & ſermo collibret. Tu ergo ſi facis arcam, ſi bibliothecam congregas ex ſermonibus propheticis & apoſtolicis, vel eorum qui eos rectis fidei lineis ſequuti ſunt, congregas, bicameratam, & tricameratam facito eam, ex ipſa narrationes hiſtoricas diſce, ex ipſa myſterium magnum quod in Chriſto & in eccleſia impletur, agnoſce. Ex ipſa etiam emendare mores, reſecare vitia, purgare animam, atque exuere eam omni vinculo captiuitatis intellige, nidos in ea, & nidos diuerſarum virtutũ, & profectuum collocans. Deintus ſanè & deforis bituminabis eam, corde fidem gerens, ore confeſsionem proferens: L intus ſcientiam, foris operam habens: intus corde mundus, foris caſtus corpore incedens. In hanc ergo arcam, ſiue eam bibliothecam diuinorum librorum ſiue animam fidelem ſecundum moralem interim locum ponamus, introducere debes etiam animalia ex omni genere, non ſolum munda, ſed & immunda. Sed munda quidem animalia facile poſſumus dicere, quod memoria, eruditio, intellectus, examinatio, & iudicium eorũ quæ legimus, aliáque his ſimilia intelligi poſſunt. De immundis verò pronũciare difficile eſt, quæ & bina & bina nominantur. Veruntamen quantum in tam difficilibus locis audere poſſumus, puto quod concupiſcentia, & ira, quia ineſt omni animæ, neceſſario iſtæ ſecundum hoc, quod ad peccandum homini famulantur, immundæ dicuntur. Secundum hoc verò quod neque poſteritatis ſine concupiſcentia ſucceſsio reparatur, neque emendatio vlla ſine ira poteſt, neque diſciplina conſtare, neceſſariæ & conſeruandæ dicuntur. Et quamuis hæc iam non morali, ſed naturali ratione diſcuſſa videantur, tamen quæ ad præſens occurrere potuerunt, pro ædificatione tractauimus. Si quis ſane potuerit ex otio ipſam ſibi conferre & comparare ſcripturã diuinã, & ſpiritalibus ſpiritalia coaptare: nec nos latet quod plura in hoc loco profundi & arcani myſterij ſecreta reperiet, M quæ nunc nos adducere in medium, vel pro breuitate temporis, *Peroratio apta.* vel pro auditorum labore non poſſumus. Omnipotentis tamen dei miſericordiam deprecemur, qui nos non ſolum auditores verbi ſui faciat, ſed & factores: & inducat ſuper noſtras quoque animas diluuium aquæ ſuæ, & deleat in nobis quæ ſcit eſſe delenda, & viuificet quæ iudicat eſſe viuificanda, per Chriſtum dominum noſtrum, & per ſpiritũ ſuum ſanctum. Ipſi gloria in æterna ſecula ſeculorũ. Amẽ.

De Circumciſione Abrahæ. *Homilia III.*

Exordium habens cõfutationẽ. QVONIAM in multis diuinæ ſcripturæ locis deum legimus ad homines loqui, & propter hoc Iudæi quidem, ſed & noſtrorum nonnulli, deum quaſi hominem intelligendum putauerunt, id eſt, humanis membris, habitúque diſtinctum: philoſophi verò velut fabuloſa hæc & ad poëticorum ſimilitudinem figmẽtorum formata deſpiciunt: videtur mihi de his primo paucis ſermocinãdum, & tunc ad ea quæ recitata ſunt veniendum. Primo ergo ad eos ſit ſermo, qui foris poſiti arroganter nos circunſtrepunt, dicentes excelſo illi & inuiſibili atque incorporeo deo non conuenire, vt humanis vtatur affectibus. Si enim loquendi (inquiunt) ei datis vſum, ſine dubio dabitis & os, & linguam, cæteráque membra, quibus loquendi expletur officium. Quod ſi ſit, receſſum eſt ab inuiſibili & incorporeo Deo: & multa his ſimilia nectentes noſtros fatigant. Ad hæc ergo, ſi precibus veſtris iuuemur, prout

A prout dominus dederit, breuiter occurremus. Nos sicut incorporeum esse deum, & omnipotẽtem, & inuisibilem profitemur, ita eum curare mortalia, & nihil absque eius prouidentia geri, neque in cœlo, neque in terris, certo & immobili dogmate profitemur. Memento quia nihil sine prouidentia eius geri diximus, non sine voluntate. Multa enim sine voluntate eius geruntur, nihil sine prouidentia. Prouidẽtia nanque est, qua procurat, & dispensat, & prouidet quæ geruntur. Voluntas verò est, qua vult aliquid aut non vult. Sed de his aliâs. Longior enim est & diffusior iste tractatus. Secundum hoc ergo quod prouisorem omnium, & dispensatorem profitemur Deum, consequens est, vt quid velit, vel quid hominibus expediat, indicet. Si enim non indicet, nec erit prouisor hominis, nec creditur curare mortalia. Indicãs igitur deus hominibus quæ eos agere vult, quo potissimum affectu dicendus est indicare? Nónne eo, qui hominibus in vsu & notitia est? Si enim (verbi causa) dicamus quia silet deus, quod naturæ illi conueniens creditur, quomodo indicatum esse aliquid ab eo putabitur per silentium? Nunc autem idcirco loquutus dicitur: vt sciẽtes homines hoc ministerio voluntatem alterius alteri innotescere, agnoscant ea quæ sibi per prophetas deferuntur, dei esse voluntatis indicia. In quibus vtique non intelligitur voluntas Dei cõtineri, nisi ea loquutus dicatur: quia nec sentitur, nec intelligitur inter homines indicari vnquam posse per silentium voluntatem. Sed hæc rursum non secũdum errorem Iudæorum, vel etiam ex nostris nonnullorum, qui cum illis errãt, eatenus dicimus, vt quoniam humana fragilitas aliter audire de Deo non potest, nisi vt sibi res ipsa, & vocabula nota

Prouidẽtia siue præscientia & voluntas siue prædestinatio.

Anthropomorphitæ.

B sunt, idcirco etiam membris hæc nostris similibus, & habitu humano Deum agere sentiamus. Alienum hoc est ab ecclesiastica fide. Sed hoc ipsum quod vel aspirat in corde vniuscuiusque sanctorum, vel sonum vocis peruenire ad aures eius facit, loquutus homini Deus dicitur. Sic & cum nota sibi esse indicat quæ vnusquisque vel loquitur, vel agit, audisse se dicit: & cum aliquid iniustum geri à nobis indicat, irasci se dicit: cum beneficiis suis ingratos nos arguit, pœnitere se dicit: indicans quidẽ hæc his affectibus qui hominibus in vsu sunt. Simplex nanque est illa substantia, & neque membris vllis, neque compaginibus, affectibúsque cõposita, sed quicquid diuinis virtutibus geritur, hoc vt homines possẽt intelligere, aut humanorum membrorum appellatione profertur, aut communibus & notis annunciatur affectibus. Et hoc modo vel irasci, vel audire, vel loqui dicitur Deus. Nam si vox humana aër ictus, id est, lingua repercussus dicitur, potest & vox dei dici aër ictus, vel vi, vel voluntate diuina. Et inde est quod si quando vox diuinitus datur, non ad omnium aures, sed ad quorũ interest auditus allabitur: vt agnoscas sonitum non linguę pulsu redditum, alioquin fieret cõmunis auditus, sed superni nutus moderamine gubernatum. quanquam prophetis sæpe & patriarchis, cæterísque sanctorum, etiam sine vocis sono verbum Dei factum esse referatur: sicut ex omnibus sacris voluminibus abundanter doce-

C mur. In quo (vt breuiter dicam) illuminata mens per spiritũ dei formatur in verba. Et ideo siue hoc, siue illo quo suprà diximus modo, cum voluntatem suam indicat, loquutus esse dicitur deus. Secundum hunc ergo sensum reliqua iam ex his quæ lecta sunt, differamus. Multa responsa dantur à deo ad Abraham, sed non omnia ad vnum eundémque referuntur. Quædam enim ad Abram, quædam ad Abraham, id est, alia post immutationem nominis, & alia cum adhuc genuino vocabulo censeretur. Et primum quidem à deo ad Abram ante immutationem nominis illud defertur oraculum, quo dicit. Exi de terra tua, & de domo patris tui, & de cognatione tua & c. Sed nihil in hoc de testamento dei, nihil de circuncisione præcipitur. Non enim poterat, cum adhuc esset Abram, & carnalis natiuitatis vocabulum ferret, suscipere & testamentum dei, & circuncisionis insigne. Cùm verò exiit de terra sua, & de cognatione sua, tunc ad eum sacratiora iam responsa deferuntur. Et primo dicitur ei quia non vocaberis Abram, sed Abraham erit nomen tuum. Tunc iam & testamentum dei suscipit, & signaculum fidei accipit circũcisionem, quam non potuit accipere dum esset in domo pa-

Sermo sine voce.

Abraham circũcisus.

Gen. 12

Gen. 17

tris, & in consanguinitate carnali, & cum adhuc Abram vo- D caretur. Sed neque presbyter appellat' est ipse, & vxor sua, donec esset in domo patris, & carni cohabitaret ac sanguini: sed postquam inde profectus est, & Abraham vocari, & presbyter meruit. Erant, inquit, ambo presbyteri, id est, senes, Abrahã scilicet, & admirãda vxor eius, & prouecti in diebus suis. Quanti ante eos longioribus annorum spatiis vitã duxere nongentis & eo amplius annis, aliqui non multo minus vsque ad diluuium vixere: & nulli ex his presbyteri appellati sunt. Non enim hoc nomine in Abraham senecta corporis, sed cordis maturitas appellata est. Sic & ad Moysem dominus dicit. Elige tibi presbyteros, quos tu ipse scis presbyteros esse. Intueamur ergo diligentius domini vocem quid sibi velit ista adiectio quæ ait, quos tu ipse scis esse presbyteros. Nunquid is qui senilem corporis gerebat ætatem, non omnium oculis perspicuus erat quod esset presbyter, id est, senex? Quid ergo soli Moysi tanto ac tali prophetæ specialis ista mandatur inspectio, vt illi eligantur, non quos cæteri homines norunt, non quos imperitum vulgus agnoscit, sed quos propheta Deo plenus elegerit? Non enim erga eos de corpore, non de ætate, sed de mente iudicium est. Tales ergo erant isti beati presbyteri Abraham & Sara. Et primo omnium genuina nomina, quæ ortus carnalis dederat, commutãtur. Cùm enim esset nonaginta & nouem annorum Abraham, apparuit ei Deus, & dixit: Ego sum deus, complace coram me, & esto inculpabilis, & ponam testamentum meum inter me & te. Et procidit Abrahã in faciem suam, & adorauit deum, & loquutus est ei deus dicens. Ego sum: ecce testamentum meum tecum, & eris pater multitudinis gentium, E & benedicentur in te omnes gentes, & iam non vocabitur nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham.] Et cum dixisset hoc nomen, statim subiungit. Et ponam testamentum meum inter me & te, & inter semen tuum post te. Et hoc est testamentum quod seruabis inter me & te, & inter semen tuum post te.] Et post hæc addit. Circuncidetur omne masculinum vestrum, & circuncidetur caro præputij vestri.] Igitur quandoquidem in hunc deuenimus locum, requirere volo si omnipotens deus, qui cœli ac terræ dominatum tenet, volens testamentum ponere cum viro sancto, in hoc summam tãti negocii collocabat, vt præputium carnis eius, ac futuræ ex eo sobolis circuncideretur. Erit enim, inquit, testamentum meum super carnem tuam. Hoccine erat, quod cœli ac terræ dominus, ei quem è cunctis mortalibus solum delegerat, æterni testamenti munere conferebat? Hęc enim sunt sola, in quibus magistri & doctores synagogę sanctorũ gloriam ponũt. Ecclesia verò Christi, quæ per prophetam dixerat, Mihi autem satis honorificati sunt amici tui deus, quomodo honoret amicos sponsi sui, & quantam eis gloriam conferat, cum gesta eorum reuoluit, veniant (si videtur) & audiant. Nos ergo imbuti per Apostolum Paulum dicimus, quia sicut multa alia in figura & in imagine futuræ veritatis fiebant, ita & circuncisio illa carnalis, circuncisionis spiritualis formam gerebat. De qua & dignum erat, & de- F cebat, deum maiestatis præcepta mortalibus dare. Audite ergo quomodo Paulus doctor gentium in fide & veritate de circuncisionis mysterio, Christi ecclesiam docet. Videte, inquit, circuncisionem (de Iudæis loquens qui circunciduntur in carne.) Nos enim sumus, ait, circuncisio, qui spiritu deo seruimus, & non in carne fiduciam habemus. Hæc vna Pauli de circuncisione sentẽtia. audi & aliam. Non enim qui in manifesto Iudæus est, inquit, neque quæ manifeste est in carne circuncisio, sed qui in occulto Iudæus circuncisione cordis, in spiritu, non litera. Non tibi dignius videtur talis circuncisio dicenda in sanctis, & amicis dei, quàm carnis obtruncatio? Sed sermonis nouitas fortasse non solum Iudæos, sed etiam aliquos fratrum nostrorum deterreat. Impossibilia enim videtur Paulus præsumere, qui circuncisionem cordis inducit. Quomodo enim fieri poterit vt circuncidatur membrum, quod internis visceribus obtectum, etiã conspectibus ipsis hominum latet? Redeamus ergo ad propheticas voces, & orãtibus vobis, hæc de quibus quærimus, inde clarescant. Ezechiel propheta dicit: Omnis alienigena incircũcisus corde, & incircũcisus carne, non introibit in

Senectus animi.

Alludit ad etymum vocis Sara quæ sonat principem & dominam.

Num. 11

Gen. 17

Circuncisio cordis.

Psal. 138.

Phil. 3

Rom. 2

Ezech. 44

G sancta mea. Et item alibi nihilominus exprobrans propheta dicit. Omnes alienigenæ incircuncisi carne, filij autem Israel incircuncisi corde. Designatur ergo, quod nisi quis circuncisus fuerit corde, & circuncisus carne, non introibit in sancta dei. Sed videbor meis ipse indiciis captus. Hoc enim prophetę testimonio continuò constringet me Iudæus, & dicet. Ecce propheta vtramq; circuncisionem designat, carnis & cordis. Allegoriæ non superest locus, vbi vtraque species circūcisionis exigitur. Si me vestris precibus iuueritis, vt adesse dignetur verbum Dei viui in apertione oris nostri, poterimus ipso duce per arctum hoc quæstionis iter ad latitudinem veritatis exire: quia non solum carnales Iudæi de circūcisione carnis reuincendi sunt nobis, sed nonnulli ex iis, qui Christi nomen videntur suscepisse, & tamen carnalem circuncisionem recipiendam putant: vt Ebionitæ, & si qui his simili paupertate sensus aberrant. Vtamur igitur veteris instrumenti testimoniis, quibus libenter indulgent. Scriptum est enim in Hieremia propheta: Ecce populus hic incircuncisus auribus. Audi Israel propheticam vocem, grande tibi opprobriū indicitur, grādis tibi impingitur culpa. Accusatio tua profertur, quod incircuncisus es auribus. Et cur non hęc audiens adhibuisti ferrum auribus tuis, & incidisti eas? Culparis nanque à deo, & condemnaris, cur aures non habeas circuncisas. Confugere enim tibi ad allegorias nostras, quas Paulus docuit, non permitto. Circuncidere quid cessas? Deseca aures, abscinde membra, quæ Deus ad vtilitatem sensuum, & ad ornatum humani status creauit. Sic enim intelligis verba diuina. Sed & aliud tibi adhuc proferam, cui contradicere non possis. In Exodo, vbi nos in codicibus ecclesię habemus scriptum, respondentem ad dominum Moysen,

H & dicentem: Prouide domine alium quem mittas. Ego enim gracili voce sum, & tardus lingua, vos in Hebræis exemplaribus habetis, ego autem incircuncisus labiis sum. Ecce habetis circuncisionem labiorum, secundum vestra quæ veriora dicitis, exemplaria. Si ergo secundum vos Moyses indignum se esse adhuc dicit quòd non sit labiis circuncisus, certum est hoc illud indicare, quod dignior sit & sanctior ille, qui circuncisus est labiis. Adhibete ergo etiā labis falcem, & oris operimenta desecate, quādo quidem talis vobis in diuinis literis cōplacet intellectus. Quod si circūcisionem labiorum ad allegoriam reuocatis, & circuncisionē aurium nihilominus allegoricam dicitis & figuralē, quomodo nō & in circuncisione præputij allegoriam requiritis? Sed illos quidē qui ad idolorum modū aures habent & nō audiunt, & oculos habēt & non vident, omittamus. Vos autem ô populus dei, & populus in acquisitionē electus ad enarrandas virtutes domini, suscipite dignā circuncisionē verbi dei in auribus vestris, & in labiis, & in corde, & in prępuțio carnis vestrę, & in omnibus omnino mēbris vestris. Circuncisę nanque sint aures vestrę secūdum verbum dei, vt vocem non recipiant obtrectantis, vt maledici & blasphemi verba non audiant, vt falsis criminationibus, mendacio non pateant. Oppilentur, & clausæ sint, ne iudicium sanguinis audiant, aut impudicis canticis & theatralibus sonis pateant. Nihil obscœnum recipiant, sed ab omni scena corruptionis auersæ sint. Hæc est circuncisio, qua ecclesia Christi aures suorum circuncidit infantium, Istæ credo

I sunt aures, quas in auditoribus suis requirebat, dicens: Qui habet aures audiendi audiat. Nemo enim potest incircuncisus auribus & immundus munda verba sapientiæ & veritatis audire. Veniamus (si vultis) & ad labiorum circuncisionem. Ego puto quod incircuncisus sit labiis, qui nondum cessauit à stultiloquio, à scurrilitate, qui bonis derogat, qui criminatur proximos, qui instigat lites, qui calumnias mouet, qui fratres inter se falsa loquendo committit, qui vana, inepta, secularia, impudica, turpia, iniuriosa, proterua, blasphema, & cętera quæ indigna sunt Christiano ore proloquitur. Si quis verò ab his omnibus continet os suum, & disponit sermones suos in iudicio, verbositatem reprimit, linguam temperat, verba moderatur, iste merito circuncisus labiis dicitur. Sed & qui iniquitatem in excelso loquuntur, & extendunt in cœlum linguam suam, sicut hæretici faciunt, incircuncisi, & immundi labiis dicendi sunt. Circuncisus verò & mundus est, qui semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam Euangelicis & apostolicis munitam regulis profert. Hoc ergo

K modo & circuncisio labiorum datur in ecclesia dei. Nunc verò secūdum pollicitationem nostram, qualiter etiam carnis circuncisio suscipi debeat, videamus. Membrum hoc, in quo prępuțium videtur esse, officiis naturalibus coitus & generationi deseruire nemo est qui dubitet. Si quis igitur erga huiuscemodi motus non importunus existat, nec statutos legibus terminos superet, nec aliam fœminam quàm coniugē legitimam nouerit, & in ea quoque ipsa posteritatis tantummodo causa certis & legitimis temporibus agat, iste circuncisus præputio carnis suę dicendus est. Qui vero in omnem lasciuiam proruit, & per diuersos & illicitos passim pēdet amplexus, atque in omnem libidinis gurgitem fertur infrenis, iste incircuncisus est præputio carnis suæ. Verum ecclesia Christi, gratia eius qui pro se crucifixus est roborata, non solum ab illicitis nefandisque cubilibus, verumetiam à concessis & licitis temperat, tanquam iam virgo sponsa Christi castis & pudicis virginibus floret, quibus vera circuncisio carnis præputij facta est, & vere testamentum dei, & testamentum æternum in æternum in eorum circuncisa carne seruatur. Superest nobis etiam designare circuncisionem cordis. Si quis est qui obscœnis desideriis & fœdis cupiditatibus æstuat, & (vt breuiter dicam) qui mœchatur in corde, hic incircuncisus est corde. Sed & qui hæreticos sensus mente cōtinet, & blasphemas assertiones contra scientiam Christi disponit in corde, hic incircuncisus est corde. Qui verò puram fidem in conscientię synceritate custodit, iste circuncisus est corde. De quo dici potest: Beati mundo corde, quia ipsi deū

L videbunt. Ego vero audeo ex simili etiam hæc propheticis vocibus addere: quia sicut oportet auribus, & labiis & corde & carnis præputio, secundum ea quæ supra diximus, circuncidi: ita fortasse & manus nostræ indigēt circuncisione, & pedes, visus, & odoratus, & tactus. Vt enim perfectus sit homo dei in omnibus, cuncta circuncidenda sunt membra. Manus quidem à rapinis, à furtis, à cædibus, & ad sola dei opera pandendæ. Circuncidendi sunt pedes, ne veloces sint ad effundendum sanguinem, & ne intrent in consilium malignātium, sed vt tantum pro mandatis dei circumeant. Circuncidantur & oculi, ne concupiscant aliena, ne videant ad concupiscendam mulierem. Qui enim erga fœminarum formas lasciuo & curioso oberrat aspectu, iste incircuncisus est oculis. Sed & si quis est, qui siue bibat, siue manducet, sicut Apostolus præcepit) ad gloriam dei manducat & bibit, iste circuncisus est gustu. Cuius autem deus venter est, & suauitatibus gulæ deseruit, huius incircuncisum dixerim gustum. Si quis Christi odorem bonum capit, & in operibus misericordiæ odorem suauitatis requirit, huius circuncisa est odoratio. Qui verò primis vnguentis delibutus incedit, iste incircuncisus odoratu dicendus est. Sed & singula quæque membrorum si in officiis mandatorum Dei deseruiant, circuncisa dicenda sunt. Si verò vltra præscriptas sibi diuinitus luxuriant leges, incircūcisa reputanda sunt. Et hoc puto esse quod apostolus dicit. Sicut enim exhibuistis

M membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim iniquitati seruirent membra vestra, non erant circuncisa, nec erat in eis testamentum dei. Cum verò cœperint seruire iustitiæ in sanctificationem, promissio quæ ad Abraham facta est impletur in eis. Tunc enim lex dei, & testamentum eius signatur in eis. Et hoc est vere signum fidei, quod inter deum & hominem, æterni fœderis continet pactum. Ista est circuncisio quæ petrinis machæris per Iesum populo dei data est. Quæ est autem machæra petrina, & qui gladius quo circuncisus est populus dei? Audi apostolum dicentē: Viuus enim est dei sermo & efficax, & acutior omni gladio vtrinque acuto, pertingens vsque ad diuisionem animę ac spiritus, cōpagum quoque & medullarū: & est discretor cogitationū & intentionū cordis. Iste ergo est gladius quo circūcidi debemus, de quo dicit Iesus dominus. Non veni pacem mittere in terram sed gladium. Non tibi videtur dignior hæc esse circūcisio in qua testamentū dei debeat collocari? Confer (si placet) hæc nostra cum vestris Iudaicis fabulis, & narrationibus fœtidis, & vide si in illis vestris, an in his, quæ in Christi ecclesia

Marginalia: Hier. 9. Sorex. — Ebionitæ alludit advocē Hebraicam Ebion quæ significat pauperem & egenum. — Hier. 6. — Exod. 4. — Citat hebræa. — Psal. 113. — Circuncisio membrorū omnium. — Matt. 13. — Doctrinæ synceritas vnde petenda. — Coniugium castum. — Matt. 5. — 1. Cor. 10. — Phil. 3. — Rom. 6. — Iosu. 5. — Heb. 4. — Matt. 10.

A clesia prædicantur, circuncisio diuinitus obseruetur. Si non etiam ipse sentis, & intelligis hanc ecclesiæ circuncisionem honestam, sanctam, deo dignam: illam vestram turpem, fœdam, deformem, ipso etiam habitu & aspectu κακέμφατον præferenté. Et erit (inquit deus ad Abraham) circuncisio & testamentum meum super carnem tuam. Si ergo talis fuerit vita nostra, ita omnibus membris quadrata & composita, vt vniuersi motus nostri secundum Dei leges agantur, vere testamentum Dei erit super carnem nostram. Hæc quidem breuiter à nobis de veteri testamento transcursa sint, ad cōfutandos eos qui in carnis circuncisione confidunt, simul & ad ecclesiam domini ædificandam. Sed venio etiam ad Nouum testamentum, in quo est plenitudo omnium, & inde volo ostendere quomodo & nos possimus Nouum testamentum domini nostri Iesu Christi habere super carnē nostrā. Nō enim sufficit solo nomine & verbo hæc dici, sed rebus oportet impleri. Ioannes quippe apostolus dicit: Omnis spiritus qui cōfitetur Iesum in carne venisse, à deo est. Quid ergo? Si peccans quis, & non rectè agens confiteatur Iesum in carne venisse, in spiritu dei videbitur confiteri? Non est hoc testamentum dei habere in carne, sed in voce. Dicitur ergo ad eum statim. Erras homo, regnum dei non in sermone est, sed in virtute. Quomodo ergo erit testamentū Christi super carnem meam, requiro. Si mortificauero membra mea, quæ sunt super terram, testamentum Christi habeo super carnem meā. Si semper mortem Christi in corpore meo circumferam, testamentum Christi est in corpore meo, quia si compatimur, & conregnabimus. Si complantatus fuero similitudini mortis eius, testamentum eius ostēdo esse super carnem meam. Quid enim prodest si in illa tantum carne, quam de Maria suscepit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hac mea carne, quod venerit? Ostendo autē ita demum, si quemadmodū prius exhibui membra mea seruire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea conuertam & exhibeam seruire iustitiæ ad sanctificationem. Testamentū dei ostendo esse in carne mea, si potuero dicere secundum Paulum, quia Christo concrucifixus sum, viuo autem iam non ego, viuit verò Christus in me. Et si potuero dicere vt ipse dicebat: ego autem stigmata domini mei Iesu Christi in corpore meo porto. Vere autem ille ostendebat testamentum dei esse super carnem suam, qui dicebat: quis nos separabit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu? Tribulatio? an angustia? an periculum? an gladius? Si enim voce tantummodo confiteamur dominum Iesum, & non ostendamus testamētum eius esse super carnem nostram, secundū hæc quæ suprà exposuimus, videbimur etiā nos simile aliquid facere Iudæis, qui solo circuncisionis signo deum se confiteri putant, factis autem negant. Nobis autem præstet dominus corde credere, ore confiteri, operibus comprobare testamentum dei esse super carnem nostram, vt vidētes homines opera nostra bona, magnificent patrem nostrum, qui in cœlis est, per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

Professio Noui testamenti. — *1. Ioan. 4.* — *1. Cor. 4.* — *Col. 3.* — B — *Gal. 6.* — *Rom. 8.* — C

De eo quod scriptum est: Visus est dominus Abrahæ.
Homelia Quarta.

Gen. 18. — *Gen. 19.*

RECITATA est nobis alia visio dei ad Abraham, hoc modo. Visus est, inquit, Deus ad Abraham cum sederet ad ostium tabernaculi sui ad quercū Mambre. Et ecce viri tres astiterūt super eum, & respiciens oculis suis Abrahā vidit, & ecce tres viri super eū & exiit in occursum eis, & cætera.] Cōferamus primo (si videtur) hanc visionem cum illa, quæ facta est ad Loth. Tres viri veniunt ad Abraham, & stant super eū: ad Loth duo veniunt, & sedent in platea. Vide si non dispensatione spiritus sancti pro meritis res geruntur. Etenim Loth inferior longe erat Abraham. Nisi enim fuisset inferior, non esset separatus ab Abraham, nec dixisset ei: si tu ad dextram, ego ad sinistrā: si tu ad sinistram, ego ad dextram. Et nisi fuisset inferior, non ei Sodomorum terra & habitatio placuisset. Veniūt ergo ad Abrahā tres viri meridie, ad Loth duo vespere veniunt. Nō enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem. Abrahā verò capax fuit plenum fulgorem lucis excipere. Videamus nunc quomodo Abraham susceperit veniētes, & quomodo Loth, & qui apparatus hospitalitatis vtriusq; sit cōparemus. Primo tamen obserua quod Abrahæ cū duobus angelis etiā Dominus affuit, ad Loth verò duo tantummodo angeli pergūt. Et quid dicūt? Misit nos dominus conterere ciuitatē, & perdere eam.] Ille ergo suscepit eos, qui perditū darent, nō suscepit eū qui saluaret. Abraham verò suscepit & eum qui saluat, & eos qui perdunt. Nunc videamus quomodo vnusquisque suscipiat. Vidit, inquit, Abraham, & occurrit eis obuiam.] Considera protinus impigrū & alacrem in officijs Abraham. Ipse currit obuiā, & cū occurrisset: festinat, inquit, ad tabernaculum, & dixit ad vxorem suā. Festinat ad tabernaculum.] Vide in singulis quanta sit suscipientis alacritas. Festinatur in omnibus, omnia perurgentur, nihil per ocium geritur. Dixit ergo ad vxorem suam Saram. Festina ad tabernaculum, & consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericias.] Hoc Græce ἐγκρυφίας dicitur, quod ocultos, vel abscōditos indicat panes. Ipse autem cucurrit, inquit, ad boues, & accepit vitulum.] Sed qualem vitulum? Forte qui potuit primus occurrere? Non ita, sed vitulum bonum & tenerum. Et licet per cuncta festinet, scit tamen quæ præcipua & magna sunt domino vel angelis offerēda. Accepit ergo vel elegit de grege vitulum bonū & tenerum, & tradidit puero. Puer, inquit, festinauit facere eū.] Ipse currit, vxor festinat, puer accellerat. Nullus piger est in domo sapientis. Apponit ergo vitulum, & simul cum eo panes, & similam, sed & lac & butyrum. Hæc sunt Abrahæ & Saræ hospitalitatis officia. Nunc videamus quid etiam Loth. Hic neque similam habet, neq; panem mundū, sed farinam. Neq; tres mensuras similæ nouit, neque ἐγκρυφίας, id est absconditos ac mysticos panes apponere venientibus potest. Sed persequamur nūc interim quid agit Abraham cum tribus viris, qui astiterunt super eum. Hoc ipsum vide quale sit, quod super eum veniūt, non contra eum. Subiecerat se quippe volūtati dei, ideo superastare dicitur Deus. Apponit ergo panes tribus mensuris similaginis conspersos. Tres viros suscepit, tribus mensuris similaginis panes conspersit. Totum quod agit mysticū, totū sacramentis repletum. Apponitur vitulus, ecce aliud sacramentum. Vitulus ipse non est durus, sed bonus & tener. Et quid tam tenerum, quid tam bonū, quàm est ille, qui humiliauit se pro nobis vsque ad mortem, & animam suā posuit pro amicis suis? Vitulus ille saginatus quem pro recepto pœnitente filio iugulat pater. Sic enim deus dilexit hunc mundum, vt filium suum vnicū daret pro huius mundi vita. Nec tamen latet sapientem quos susceperit. Tribus occurrit, & vnum adorat, & ad vnum loquitur dicens: Declina ad puerū tuum, & refrigera te sub arbore. Sed quomodo addit iterū, quasi hominibus loquens? Accipiatur, inquit, aqua, & lauentur pedes vestri. Docet quidem te per hæc Abraham pater gentium & magister, quomodo hospites suscipere debeas, & vt laues hospitum pedes, tamen & hoc in mysterio dicitur. Sciebat enim dominica sacramenta, non nisi in lauandis pedibus consummanda. Sed nec illius quidem præcepti tum pondus latebat, quo dicitur à Saluatore. Si quis non susceperit vos, etiam puluerem qui adhæsit pedibus vestris, excutite in testimonium illis. Amen dico vobis quia tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij quā illi ciuitati. Volebat ergo præuenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, posset in die iudicij reseruari. Propterea ergo dicit sapiens Abraham, accipiatur aqua & lauentur pedes vestri. Sed videamus iam quid etiam in consequentibus dicitur. Ipse autem, inquit, Abraham astabat eis sub arbore.] Ad huiuscemodi narrationes, circuncisas aures requirimus. Neque enim summam solicitudinem spiritui sancto fuisse credendū est, vt scriberet in libris legis vbi staret Abraham. Quid enim me iuuat qui veni audire quid spiritus sanctus humanum doceat genus, si audiero quod Abraham stabat sub arbore? Sed videamus quæ sit hæc arbor, sub qua stabat Abraham, & cōuiuium domino atque angelis exhibebat. Sub arbore, inquit, Mambre.] Mambre in nostra lingua interpretatur visio, siue perspicacia. Vides qui & qualis est locus, in quo dominus potest habere conuiuium? Delectauit eum visio & perspicacia Abrahæ. Erat enim mundus corde vt posset videre Deum.

D — *Historiæ annotatio.* — *ἐπιφώνημα.* — E — *τριάς.* — *Ioan. 3.* — *Lotio pedū.* — F — *Ioan. 13.* — *Marc. 6.* — *Mambre allegoria.*

G In tali ergo loco, & in tali corde, potest Dominus cũ angelis suis habere conuiuium. Denique ante prophetæ videntes dicebantur. Quid autem dicit Dominus ad Abraham? Vbi est, inquit, Sara vxor tua? At ille. Ecce, ait, in tabernaculo est. Dixit autem dominus. Veniens veniam in tempore ad te secũdum tempus hoc, & habebit filium Sara vxor tua. Audiebat autem Sara stans post ostium tabernaculi sui post Abraham.] Discant mulieres exemplis patriarcharum, discant, inquam, mulieres sequi viros suos. Neque enim sine causa scriptum est quod Sara stabat post Abraham: sed vt ostenderetur, quia vir si præcedit ad dominum, sequi mulier debet. Quod dico sequi debere mulierem, in eo dico si astare virum suum videat Deo. Alioquin ascendamus ad altiorem intelligẽtię gradum, & dicamus virum in nobis esse rationabilem sensum, & mulierem, quę ei velut viro sociata est, carnem nostram. Sequatur ergo caro semper rationabilem sensum, nec in id vnquam desidię veniatur, vt carni in luxuria, & voluptatibus fluitanti, in ditionem redactus obsequatur rationabilis sensus. Stabat ergo Sara post Abraham. Sed & mysticum aliquid sentire in hoc possumus loco, si videamus quomodo in Exodo prçcedebat Deus in columna ignis per noctem, & in columna nubis per diem: & synagoga domini sequebatur post ipsum. Sic ergo intelligo

Vxor intus post virum

H & Saram sequutam esse, vel stetisse post Abraham. Quid post hæc dicitur? Et erant, inquit, ambo presbyteri, id est senes & prouecti in diebus suis.] Quantum ad ætatem corporis pertinet, multi ante ipsos numerosioribus annis duxerant vitam, nemo tamen presbyter appellatus est. Vnde videtur nomen hoc sanct s non longęuitatis ratione, sed maturitatis ascribi. Quid ergo post tantum ac tale conuiuium, quod Abraham domino & angelis sub arbore visionis exhibuit? Proficiscuntur hospites. Abraham autem deducebat inquit, eos, & ambulabat cum eis. Dominus autem dixit. Non celabo Abraham puerum meum, quid ego faciam. Abraham autem fiet in gentem magnam & multam, & benedicentur in ipso omnes gentes terrę. Scio enim quia prçcipiet filiis suis, & seruabunt vias domini, vt faciant iustitiam & iudicium, vt impleat dominus Abrahę quę indicauit ei. Et dixit: Clamor Sodomorum & Gomorreorum repletus est, & peccata eorum magna valde. Descendi ergo vt viderem si secundum clamorem eorum qui venit ad me, consummentur. Sin autem, vt sciam.] Hęc scripturę diuinę sunt verba. Videamus ergo nunc quid intelligi in his dignum sit. Descendi, inquit, vt videam. Quando ad Abraham respõnsa deferuntur, non dicitur Deus descendere, sed supra ipsum astare, sicut suprà exposuimus. Astiterunt, inquit, tres viri super eum. Nunc autem quia peccatorum causa agi-

Senes qui vere.

I tur, descendere dicitur Deus. Vnde ne ascensionem & descensionem localem sentias. Frequenter enim hoc in diuinis literis inuenitur, sicut in Michęa propheta. Ecce, inquit, Dominus exiit de loco sancto suo, & descendit, & incedit, super excelsa terrę. Descendere ergo dicitur Deus, quãdo curam humanę fragilitatis habere dignatur. Quod specialius de Domino ac saluatore nostro sentiendum est, qui non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Descendit ergo. neque enim alius ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Descendit ergo Dominus non solum curare, sed & portare quę nostra sunt. Formam namque serui accepit, & cùm ipse inuisibilis sit naturę, vtpote æqualis patri, habitum tamen visibilem suscepit, & repertus est habitu vt homo. Sed & cum descendit, alijs deorsum est, aliis verò ascendit, & sursum est. Nam & electis apostolis ascendit in mõtem excelsum, & ibi transformatus est coram ipsis. Illis ergo, quos de mysterijs regni cœlorum docet sursum est. Turbis autẽ, & Pharisæis, quibus exprobrat peccata, deorsum est, & ibi est cum ipsis, vbi fœnum est. Transformari autem deorsum non poterat, sed sursum ascendit cum ijs, qui sequi se poterant, & ibi transformatur. Descendi ergo, inquit, vt videam si secundum clamorẽ eorum, qui venit ad me, consummentur. Sin autem, vt sciam. Ex isto vno sermone hæretici impugnare solent Deũ meum dicentes, ecce nesciebat Deus legis quid ageretur in Sodomis, nisi descendisset vt videret, & misisset qui discerent.

Descendere & ascendere quomodo dicitur deus.

Mich. 1.

Quæstio.

K Sed nos, quibus præcipitur præliari prælia domini, acuamus aduersus eos romphæam verbi dei, & occurramus eis ad pugnam. Stemus in aciem succincti lumbos in veritate, simul & scutum fidei præferentes, excipiamus eorum venenata disputationum iacula, & in ipsos ea rursum librata diligentius torqueamus. Talia nanque sunt prælia Domini, quæ præliatus est Dauid, & cæteri patriarchæ. Stemus aduersus eos pro fratribus nostris. Melius est enim mori me, quàm vt rapiant, & prædentur aliquos ex fratribus meis, & argutis verborum surreptionibus, captiuos ducant paruulos & lactentes in Christo. Perfectis autem nec conferre poterunt manum, nec venire in certamen audebunt. Nos ergo prius dominum deprecantes & vestris orationibus adiuti, aggrediamur contra eos prælium verbi. Dicimus ergo cum fiducia, quod secundum scripturas, non omnes sciat Deus. Peccatum nescit Deus, & peccatores nescit Deus, alienos à se ignorat. Audi dicentem scripturam. Cognouit Dominus, qui sunt eius, & discebat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen domini. Suos cognoscit dominus, iniquos autem & impios nescit. Audi saluatorem dicentem. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: non noui vos. Et iterum Paulus dicit. Si quis in vobis est propheta vel spiritalis, agnoscat quæ scribo, quia domini sunt. Qui autẽ ignorat, ignoratur.

Scire aut nescire qui dicitur deus.

L Hæc autem dicimus non blasphemum aliquid (sicut vos facitis) de Deo sentientes, neque ignorantiam ascribentes ei: sed ita intelligimus, quod hi quorum actus deo est indignus, indigni etiam notitia dei dicãtur. Non enim dignatur Deus nosse eum, qui aduersus est ab eo, & ignorat eum. Et ideo dicit Apostolus. Quoniam qui ignorat ignoratur. Tali ergo specie, & nunc de his qui habitãt in Sodomis dicitur, vt siquidem secũdum clamorem qui ascendit ad dominum, actis eorum indigni consummentur, notione eius iudicentur indigni. Si verò est illis aliqua conuersio, si vel decem in illis inuenti fuerint iusti, ita demum nouerit eos Deus. Et ideo dixit. Sin autem, vt sciam quid agunt, id est, vt ipsos sciam, & scientia mea dignos faciã, si quos in ipsis inueniam iustos, si quos inueniam pœnitentes, si quos tales, quos debeam scire. Denique quia nullus qui pœniteret, nullus qui conuerteretur alius inuentus est, præter Loth, ipse solus de incendio liberatur. Nec generi secundò admoniti, nec vicini, nec proximi, nullus cognoscere voluit clemẽtiam dei, nullus ad misericordiam eius confugere. Idcirco & nullus agnoscitur. Hæc quidem aduersus eos, qui iniquitatem in excelsum loquuntur.

1. Cor. 14

Peroratio.

M Nos verò operam demus tales effici actus nostros, talem cõuersationem nostram, vt digni habeamur notitia Dei, vt nos scire dignetur, vt digni habeamur noticia filij eius Iesu Christi, & notitia spiritus sancti: vt agniti à trinitate, & nos sacramentum trinitatis plene & integre & perfecte mereamur agnoscere, reuelante nobis Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

De Loth & filiabus eius. *Homilia V.*

Gen. 19

MISSI angeli ad subuersionem Sodomorum, cum iniunctum cuperent maturare negotium curam prius gerunt hospitis Loth, vt eum de imminenti ignis excidio, contemplatione hospitalitatis eximerent. Audite hæc, qui peregrinis clauditis domos: audite hæc, qui hospitem velut hostem vitatis. Loth in Sodomis habitabat. Alia eius bene gesta non legimus. Hospitalitas in eo sola ex vsu veniens memoratur: euadit ignes, euadit incendia, ob hoc solum, quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum angeli ingressi sunt. Clausas hospitibus domos ignis ingressus est. Quid ergo ad hospitem pro hospitalitatis officijs dicant angeli videamus. In montem, inquiunt, saluam fac animam tuam, ne forte comprehendaris.] Erat quidem hospitalis Loth, qui etiam (sicut ei scriptura testimonium tulit) ab interitu latuit angelis hospitio receptis. Sed non erat ita perfectus, vt statim de Sodomis exiens, montem posset ascendere. Perfectorum namque est dicere: Leuaui oculos meos in montes

Heb. 13

A tes vnde veniet auxilium mihi. Iste ergo neque talis erat, qui inter Sodomitas perire deberet, neque tantus erat, qui cum Abrahā in excelsioribus posset habitare. Si enim fuisset talis, nunquā ad eum diceret Abraham: si tu ad dextram, ego ad sinistram, aut si tu ad sinistram, ego ad dextram: nec habitacula ei Sodomitica placuissent. Erat ergo medius quidam inter perfectos & perditos. Et sciens non conuenire viribus suis, vt ascenderet in montem, religiose & humiliter excusat dicens. Non possum in montem saluus fieri, sed ecce hæc ciuitas pusilla est, & hic saluabor, & non est pusilla. Ingressus verò Segor ciuitatem pusillam in ea saluatur. Et post hæc cum filiabus ascendit in montem. Neque enim de Sodomis ascendi poterat in montem, quamuis scriptum sit de terra Sodomorum priusquam subuerteretur, eo tempore quo Loth habitationē eius elegit, fuisse sicut paradisus Dei, & sicut terra Ægypti. Et tamen (vt paruo quodam vtamur excessu) quænam videtur esse vicinitas paradiso Dei, & terræ Ægypti, vt ex æquo his Sodoma comparetur? Sed ego ita puto, quod ante quàm peccaret Sodoma, cum adhuc simplicitatem vitæ incontaminabilis custodiret, erat sicut paradisus Dei. Vbi verò decolorari cœpit, & peccatorū maculis obscurari, sicut terra Ægypti facta est. Sed & illud requirimus quoniam quidem propheta dicit, quia restituetur soror tua Sodoma in antiquam, vtrumnam restitutio eius etiam hoc recipiat, vt sit sicut paradisus Dei, an sit sicut terra AEgypti. Ego quidem dubito, si intātum potuerint Sodomorum peccata decoqui, & eousque scelera purgari, vt restitutio eorum B tanta sit, quæ non solum terræ Ægypti, verumetiam Dei paradiso cōparetur. Vrgēt tamen nos qui hoc cōfirmare volūt, ex eo præcipue sermone qui additus huic repromissioni videtur. Non enim dixit quia restituetur Sodoma, & cessauit: sed ait, restituetur Sodoma in antiquum. Et asseuerant antiquum eius statum non fuisse vt terram Ægypti, sed vt paradisum Dei. Sed redeamus ad Loth, qui cum vxore & filiabus interitum fugiens Sodomorum, accepto ab angelis mandato, ne retrorsum respiceret, tēdebat in Segor. Sed vxor eius immemor fit præcepti, retrorsum respicit, impositam legem rumpit, efficitur in statuam salis. Putamus ne tantum sceleris in hoc esse commisso, vt quia respexit mulier, interitum quē diuino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit, si sollicita mulieris mens retrorsum vnde nimio flammarum crepitu terrebatur aspexit? Sed quia lex spiritalis est, & quæ contingebant antiquis, in figuram illis contingebant, videamus ne forte Loth qui non respexit post se, rationabilis sit sensus, & animus virilis, vxor autem hic carnis imaginem teneat. Caro est enim, quæ respicit semper ad vitia, quæ cum animus tendit ad salutem, illa retrorsum respicit, & voluptates requirit. Inde denique & dominus dicebat. Nemo mittēs manum suam ad aratrum, & retro respiciens, aptus est regno Dei. Et addit: Memento te vxoris Loth. Quod autem fit staticulum salis, insipientiæ eius indicium videtur expositum. Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit. Pertendit ergo Loth in Segor, ibique paulisper collectis viribus, quas in Sodomis habere non C potuit, ascendit in montem, & ibi habitauit (sicuti scriptura dicit) ipse, & duæ filiæ eius cum eo. Post hec iam refertur illa famosissima fabula, in qua scribitur filias eius arte furatas cō cubitū patris. In quo nescio si quis potest excusare ita Loth, vt eum immunem faciat à peccato. Neque rursum ita eum accusandum puto, vt ita grauis incesti fieri debeat reus. Non enim inuenio eum insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarū, sed magis insidias passum, & arte circumscriptum. Sed neque rursum circumuentus fuisset à puellis, nisi inebriari potuisset. Vnde videtur mihi in parte culpabilis, in parte excusabilis inueniri. Excusari nanque potest, quod à concupiscentiæ & voluptatis crimine liber est, & quia neq; ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse. Subiacet verò culpæ, quod decipi potuit, quod vino nimis indulsit, & hoc non semel, sed iterum fecit. Nam & ipsa scriptura mihi videtur pro eo quodammodo satisfacere, cum dicit: Ne sciebat enim cum dormiret cum eis, & cum surgeret. De filiabus hoc non dicitur, quæ studio & arte decipiunt patrem. Ille tamē intantū sopitus est vino, vt nesciret dormisse se cum D filia priore, neque cum filia iuniore. Audite ebrietas quid agit, audite quantū facinoris conciliet temulētia. Audite & cauete vos ô quibus istud malū non in crimine, sed in vsu est, ebrietas decipit quē Sodoma non decepit. Vritur ille flāmis mulierum quem sulphurea flāma non vsit. Erat ergo Loth arte non voluntate deceptus. Ideo medius quidam est inter peccatores & iustos: quippe qui ex Abrahæ quidem cognatione descenderit, in Sodomis tamen habitauerit. Nā & hoc quod euadit ex Sodomis (sicut scriptura indicat) magis ad honorem Abrahæ, quàm ad meritū pertinet Loth. Sic enim ait: Et factū est (inquit) cum exterminaret Deus ciuitates Sodomorum, recordatus est dominus Abrahæ, & eiecit Loth de terra illa. Sed & filiarum eius propositum puto diligentius considerandum, ne forte etiam ipsæ non tantum quantum putātur accipere criminis mereantur. Refert enim scriptura quia dixerūt inuicē sibi. Pater, inquiūt, noster senex est, & nemo est super terrā, qui intret ad nos, sicut conuenit omni terræ. Veni & potemus patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus de patre nostro semen.] Quantum ad ea, quę de his dicit scriptura, videtur etiam pro ipsis quodammodo satisfacere. Apparet nanque filias Loth didicisse quædam de consummatione mundi, quæ immineret per ignem sed tanquam puellæ non integre perfectéque didicerant, ne scierunt quod Sodomitis regionibus igne vastatis, multum adhuc spacij integrum resideret in mundo. Audierunt in fine seculi terrā & omnia elemēta ignis ardore decoquenda. Videbāt ignē, videbāt sulphureas flāmas, videbāt cuncta vastari. Matrē quoque suam videbant non esse saluatam, suspi- E catæ sunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noe: & ob reparandam mortalium posteritatem solas esse cum parente seruatas. Recuperādi igitur humani generis desiderium sumunt, atque instaurandi seculi ex se dandum opinātur exordium. Et quamuis grande eis crimen videretur furari concubitum patris, grauior eis tamen videbatur impietas, si humanæ (vt putabant) posteritatis spem, seruata castitate delerant. Propter hoc ergo consilium ineunt minore (vt ego arbitror) culpa, spe tamen, argumentóque maiore: patris mœstitiam, vel rigorem vino molliunt & soluunt. Singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt ab ignorante conceptum. Vltra non repetunt, non requirunt. Vbi hic libidinis culpa? vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor inquam ne castior fuerit harum incestus, quàm pudicitia multarum. Discutiant se, & requirant fœminæ in coniugiis positæ, si ob hoc solum adeant viros, vt suscipiant liberos, si post conceptum desistunt. Istæ enim quæ argui videntur incesti, vt adeptæ sunt conceptum vltra non accedunt ad concubitum viri. Nōnullæ verò mulieres, neque enim vniuersas pariter notamus, sed sunt quędam, quę sicut animalia absque vlla discretione indesinenter libidini seruiunt, quas ego nec mutis pecoribus comparauerim. Pecora enim & ipsa sciunt cum conceperint, vltra non indulgere maribus copiam sui. Notat tales & scriptura diuina, cum dicit: Nolite fieri sicut equus & mulus, qui- F bus non est intellectus. Et iterum: Equi admissarij facti sunt. Sed vos ô populus dei, qui Christum amatis in incorruptione, intelligite apostoli sermonem quo ait: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Quod enim post mādu care, & bibere dicit, siue aliud quid facitis, inuerecunda coniugij negotia verecundo sermone signauit, ostendens etiam ipsa ad dei gloriam geri, si posteritatis solius cōtemplatione procurentur. Prosecuti sumus vt potuimus, vel de culpis Loth ac filiarum eius, vel rursum de excusationibus earum. Verum scio nonnullos, quantum ad allegoriam pertinet Loth traxisse ad domini personam, & filias eius ad duo testamenta. Sed hæc, qui sciat quid de Ammanitis & Moabitis scriptura dicit, qui ex genere Loth descēdunt, nescio si libenter accipiat. Quomodo enim poterit aptare Christo, quod qui de semine eius generētur vsque in tertiā & quartā progeniē non introibūt in ecclesiā domini? Nos autē (prout sentire possumus) Loth figurā ponimus

Mulier respiciens allegorice. *Luc. 9.* *Incestus Loth.* *Ebrietas quantum malum.* *Psal. 13.* *1 Cor. 10.* *Allegoria.* *Deut. 23.* *Hoc de sua addit inter.*

G legis. Nec videatur incõgruum q̃ fœmineo genere apud nos declinatur lex, cum masculinũ genus seruet in Græco. Huius vxorem populũ illum ponimus, qui de Ægypto profectus, & de mari rubro, ac persecutione Pharaonis, tanquã de Sodomiticis ignibus liberatus, rursum carnes & ollas Ægypti, & cepas, cucumerésque desiderans, retro respexit, & cecidit in deserto, factus etiam ipse concupiscentiæ memoria in eremo. Ibi ergo lex primùm illum populũ (tanquam Loth) retro respicientem perdidit, ac reliquit vxorem. Inde veniens Loth habitat in Segor, de qua dicit: Ciuitas hæc pusilla, & saluabitur anima mea in ipsa, & non est pusilla. Quæ ergo est, quantũ ad legem pertinet, ciuitas pusilla & non pusilla, videamus. Ciuitas à conuersatione multorum dicta est, pro eo quòd plurimorum in vnũ constituat & cõtineat vitas. Hi ergo qui in lege conuersantur, pusillam habent & paruã conuersationem, quamdiu secundũ literã intelligunt legẽ. Nihil enim grande est, sabbata, & neomenias, & circuncisionẽ carnis, & ciborũ distinctiones carnaliter obseruare. Si verò spiritaliter intelligere quis cœperit, ipsæ illæ obseruãtiæ, quæ secundũ literã pusillæ erant, & paruæ, secundũ spiritũ non erunt paruæ, sed magnæ. Ascendit ergo post hæc Loth in mõtem, & ibi habitat in spelunca (vt dicit scriptura) ipse & duæ filiæ eius. Et ascendisse lex putanda est, quod ei per tẽplum à Salomone constructũ accessit ornatus, cũ facta est quidẽ domus Dei, domus orationis. Mali autem habitatores fecerunt eam speluncam latronũ. Habitauit ergo in spelunca Loth & duæ filiæ eius. Duas has filias euidenter propheta scribit, dicens Oollam & Olibam duas sorores esse, & esse quidẽ Oollam Hierusalem, & Olibam esse Samariam. In duas ergo partes populus diuisus, duas fecit filias legis. Istæ carnalem cupientes progeniem propagare, & vires regni terrestris numerosa posteritate munire, sopientes patrem, & somnum ei inducentes, id est, cogentes, & obruentes eius spiritalem sensum, solã ex eo carnis intelligentiã trahunt. Inde concipiunt, inde generant filios tales, quos nec sentiret, nec agnosceret pater. Nec enim iste sensus, aut hæc voluntas fuerat legis, vt carnaliter generaret: sed sopitur lex, vt talis posteritas generetur, quæ non intrat in ecclesiam domini. Ammanitæ enim (inquit) & Moabitæ non introibunt in ecclesiam domini vsque in tertiam & quartam progeniẽ, & vsq; in seculũ. Designat quod carnalis generatio legis nõ intrat in ecclesiã Christi, nec tertia generatione pro trinitate, nec quarta pro euangelijs, nec in seculũ, nisi forte post præsens seculũ, cum plenitudo gentium introierit, & sic omnis Israel saluus fuerit factus. Hæc vt potuimus secundũ allegoricã intelligentiam de Loth, & vxore eius, ac de filiabus exculpsimus, nihil præiudicãtes his qui sacratius aliquid de hoc sẽtire potuerint. Quod verò in morali loco superius ipsum quidem Loth ad rationabilem sensum, & virilem animum traximus, vxorem verò eius, quæ retro respexerit, carnem concupiscentijs & voluptatibus deditã diximus; non negligẽter hæc ô auditor excipias. Obseruare enim debes ne forte etiã cũ effugeris flãmas seculi, & incendia carnis euaseris, etiã cum pusillã & non pusillã ciuitatẽ Segor, qui est medius quidã & ciuilis profectus superaueris, & ad scientiæ altitudinẽ, velut ad quædã cacumina mõtis ascenderis: vide ne tibi insidientur duæ filię istę, quæ à te non discedunt, sed sequuntur te etiã cum ascendis in montẽ, id est, vana gloria, & maior soror eius superbia. Vide ne istæ filiæ te sopitum, ac dormientẽ, dum tibi nec sentire nec intelligere videris, cõplexibus suis instringãt. Quę idcirco filię dicũtur, quia non nobis extrinsecus superueniunt, sed de nobis, & de actuũ nostrorũ velut quadã integritate procedunt. Vigila ergo quãtũ potes, & obserua ne de his generes filios: quia qui de his nati fuerint, non introibunt in ecclesiã domini. Tu autẽ si vis generare, in spiritu genera: quoniã qui in spiritu seminat, de spiritu metet vitam æternã. Si vis amplecti, amplectere sapientiã & dic sapientiã sororẽ tuã esse, vt & sapientia dicat de te: Qui fecerit volũtatem patris mei qui in cœlis est, hic meus & frater, & soror, & mater est. Quæ sapientia Iesus Christus dominus noster est, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Segor pusilla & nõ pusilla. *Ezech. 23* H *Deut. 23* I *Vana gloria.* *Mat. 12*

De Abimelech rege Philistinorum, seu Palæstinorum, quomodo accipere voluit Saram in matrimonium. Homilia. VI.

RECITATA est nobis historia libri Geneseos, K vbi refertur quòd post visionem trium virorũ, post euersionem Sodomorum, & Loth vel hospitalitatis merito vel consanguinitatis Abrahæ gratia seruatum, profectus est, inquit, inde Abraham ad Aphricum, & venit ad regem Philistinorum. Refertur etiam quod pactus sit cum Sara vxore sua, vt non diceret vxorem se Abrahæ, sed sororem eius esse. Et quod Rex Abimelech acceperit eam, ingressus sit autem Deus ad Abimelech noctu, & dixerit ei, Quia non contigisti, inquit, mulierem hanc, & non permisi te contingere eam, & cætera.] Post hęc verò Abimelech reddidit eam viro suo simul & increpauit Abrahã, cur ei non confessus fuerat veritatem. Refertur etiam quod tanquam propheta Abraham orauerit pro Abimelech, & vxore eius, & ancillis eius, & sanauerit dominus Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius. Et cur curæ fuit omnipotenti Deo, vt etiam ancillas Abimelech sanaret. Quoniam quidem concludens concluserat, inquit, vuluas earũ ne parerent. Cœperunt autem parere propter orationem Abrahæ. Si quis hęc secundum literam solum audire vult & intelligere, magis cũ Iudæis quàm cum Christianis debet habere auditorium. Si autem vult Christianus esse, & Pauli discipulus, audiat eum dicentem, quia lex spiritalis est. Et cum de Abraham atque vxore eius ac filiis loqueretur, pronunciat hæc esse allegorica. Et licet qui eiusmodi allegorias habere debeant, haud L facile quis nostrum inuenire possit, orare tamen debet vt à corde eius auferatur velamen, si quis est qui conetur conuerti ad dominum: dominus enim spiritus est: vt ipse auferat velamen literæ, & aperiat lucem spiritus, & possimus dicere: quia reuelata facie gloriam domini speculantes, in eadem imagine transformamur à gloria in gloriam, tanquam à domini spiritu. Puto ergo Saram, quæ interpretatur princeps vel principatum agens, formam tenere ἀρετῆς, quod est animi virtus. Hæc ergo virtus coniuncta est, & cohęret sapienti & fideli viro, sicut & ille sapiens, qui dicebat de sapientia. Hanc quæsiui adducere sponsam mihi. Ideo ergo dicitur à Deo ad Abraham. Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Quod vtique in corporali coniugio non conuenit. Dictum est quippe, cùm diuinitus prolata sit illa sententia, quæ dicit ad mulierem de viro: Ad ipsum conuersio tua, & ipse tui dominabitur. Si ergo dominus esse dicitur vir mulieris, quomodo ergo iterum diceretur ad virum: omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius? Si quis ergo asciuit sibi in coniugio virtutem, audiat vocem eius in omnibus in quibus consilium dederit ei. Igitur Abraham non vult iam virtutem vxorem suam dici. Donec enim vxor appellatur virtus, propria est, & cum M nullo participari potest. Et est conueniens, vt donec ad perfectum veniamus, intra nos sit animi virtus, & propria sit. Cùm verò ad perfectum venerimus, ita vt idonei simus & alios docere, tunc iam virtutem, non vt vxorem intra gremium concludamus, sed vt sororem etiam alijs volentibus copulemus. Ad hos denique qui perfecti sunt, dicit sermo diuinus: Dic sapientiam sororem tuam esse. Secundum hoc igitur Abraham Saram dicebat sororem suam esse. Permittit ergo quasi iam perfectus, vt qui vult habeat virtutem. Voluit tamen aliquando & Pharao accipere Saram, sed non in mundo corde voluit, & virtus nisi cum cordis munditia, non potest conuenire. Propterea ergo scriptura refert, quia afflixit dominus Pharaonem afflictionibus magnis & pessimis. Nec enim poterat cum exterminatore (hoc enim interpretatur in lingua nostra Pharao) virtus habitare. Abimelech verò quid dixerit ad dominum videamus. Tu scis, inquit, domine, quia in corde mundo feci hoc.] Longè aliter agit Abimelech iste quàm Pharao. Non est ita imperitus & sordidus, sed scit quia cor mundum debet præparare virtuti, & quia puro corde voluit suscipere virtutẽ, idcirco eum deus sanat, orante pro ipso Abraham. Et non solum ipsum, sed & ancillas eius sanat. Quid autem est quòd adiecerit scriptura, & dominus, inquit, non permisit ei contingere illam? Si virtutis formã tenet Sara, & in corde mundo Abimelech voluit accipere virtutẽ, quid est quod dicitur, quia dominus non

Genes. 20 *Rom. 7* *Gal. 4* *Sap. 8* *Gen. 3* *Sero docendum.* *Prou. 7* *Gen. 12* *Pharao pro præsonat vltorem & vindicem.*

A nō permisit eum contingere illam? Abimelech interpretatur pater meus rex. Et videtur ergo mihi quod hic Abimelech formam teneat studiosorum, & sapientū seculi, qui philosophiæ operam dantes, licet non integrā & perfectam regulam pietatis attigerint, tamen senserint Deū patrē & regem esse omnium: id est, qui genuerit, & regat vniuersa. Isti ergo quātum ad ethicā, id est, moralem philosophiam spectat, etiam puritati cordis operam dedisse aliquatenus cōprobantur, & omni animo, omniq; studio diuinę virtutis inspirationē quęsisse. Sed hanc nō permisit Deus contingere eos. Hæc enim gratia non per Abraham, qui quamuis esset magnus, famulus tamen erat, sed per Christū gentibus parabatur. Idcirco ergo quāuis festinaret Abraham per se, & in se illud impleri, quod ad eū dictum est: quoniam benedicentur in te omnes gentes: tamen in Isaac ei ponitur repromissio, id est, in Christo: sicut dicit Apostolus. Non dixit & seminibus quasi in multis, sed tanquā in vno, & semini tuo, qui est Christus. Sanat tamen dominus Abimelech, & vxorē eius, & ancillas eius. Verū nō mihi videtur ociosum quod non solū vxoris, sed & ancillarū Abimelech mētio facta est, in eo maxime, quod dicit, quia sanauit eas Deus, & pariebant. Concluserat enim illas ne parerent. Quantū possumus in tam difficilibus locis sentire, putamus vxorē Abimelech naturalē posse philosophiā dici, ancillas verò eius, diuersa & vana pro qualitate sectarum commenta dialectica. B Interea Abraham impartiri cupit etiā gentibus donum diuinæ virtutis, sed nondum est tempus à priore populo transire ad gētes gratiam Dei. Nam & Apostolus, licet sub alia specie & alia figura, dicit tamen mulierem alligatam esse legi, quandiu vir eius viuit. Si autem mortuus fuerit vir, solutam esse à lege viri, vt iam non sit adultera si fuerit cū alio viro. Oportet ergo mori prius legem literæ, vt ita demum libera iam anima spiritui nubat, & noui testamenti matrimonium sortiamur. Hoc autem in quo nunc sumus, tempus est vocationis gentium, & mortis legis, quo possint liberæ animæ iam solutæ à lege viri, nouo viro nubere Christo. Quod si edoceri vis quomodo lex mortua sit, considera & vide vbi nunc sacrificia, vbi nunc altare, vbi templū, vbi purificationes, vbi solennitas paschæ, nónne mortua est in his omnibus lex? Aut si possūt isti amici & defensores literæ, custodiant literam legis. Secundum hunc ergo allegoriæ ordinem, Pharao qui est homo immundus, & exterminator, Saram, id est, virtutem accipere omnino non poterat. Porrò Abimelech, id est, qui munde & philosophice viuebat, poterat quidē accipere, quia in corde mundo quærebat, sed nondum tempus aduenerat. Manet ergo apud Abraham virtus, manet in circuncisione, donec tempus veniat, vt in Christo Iesu domino nostro, in quo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, C integra & perfecta virtus ad ecclesiam gentiū transeat. Tunc ergo & domus Abimelech, & ancillæ eius, quas sanauit dominus, parient ecclesiæ filios. Hoc enim tempus est, quo sterilis parit, & quo multi sunt filij desertæ, magis quam eius quæ habet virū. Aperit enim dominus vuluam sterilis, & effecta est fœcunda, ita vt pariat gentem de semel. Sed & sancti clamant, & dicunt, Domine à timore tuo in vētre concepimus, & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Vnde & Paulus similiter dicit. Filioli mei quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis. Tales ergo parturit, & tales filios generat omnis ecclesia dei. Nam qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem. Filii autem spiritus isti sunt, de quibus & apostolus dicit, mulierem saluam futuram per filiorum procreationem, si permanserint in fide & castitate. Ecclesia igitur dei sic intelligat partus, sic generationes accipiat, sic patrum gesta decora & honesta interpretatione sustollat. Sic verba spirit' sancti nō ineptis, & Iudaicis fabulis decoloret, sed plena honestatis, & plena virtutis atque vtilitatis assignet. Alioquin quæ nobis ædificatio erit legentibus Abraham tantū patriarchā, non solum mentitū esse Abimelech regi, sed & pudicitiam coniugis prodidisse? Quid nos ædificat tāti patriarchę vxor, si putetur contaminationibus exposita per conniuentiam maritalem? Hæc Iudæi putent, & si qui cum eis sunt literæ amici, nō spiritus: nos autem spiritalibus spiritalia comparantes, & actu & intellectu spiritales efficiamur in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, D Amen.

Philosophia mundana. *Gen. 22.* *Gal. 3.* *Physica.* *Dialectica* *Rom. 7.* *Esa. 26.* *Gal. 4.* *1. Tim. 2.*

De natiuitate Isaac, & quòd à lacte depulsus est. Homilia VII.

MOYSES nobis legitur in ecclesia. Deprecemur dominum, ne secundum verbum apostoli, etiam apud nos cum legitur Moyses, velamen sit positum super cor nostrum. Lectū est enim quia genuerat Abraham filium Isaac, cum esset cētum annorum. Et dixit Sara: Quis, inquit, nunciabit Abrahæ, quod lactat puerum Sara? Et tunc, inquit, circuncidit Abraham puerum die octaua. Huius pueri diem natalem non celebrat Abraham, sed celebrat diem depositionis à lacte, & facit conuiuiū magnum. Quid? putamus quia propositum sit spiritui sancto historias scribere, & narrare quod à lacte depulsus sit puer, & conuiuium factum sit, quomodo luserit, aliáque puerilia egerit? An per hoc putandum est quod diuinum aliquid nos edocere velit, & dignum quod humanum genus dei vocibus discat? Isaac risus vel gaudium interpretatur. Quis ergo est qui talem filiū generet? Ille nimirum qui dicebat de his, quos per euangelium genuerat: Vos enim estis gaudium meum & corona gloriæ dei. De huiusmodi filijs cum fuerint à lacte E depulsi, fit conuiuium & lætitia magna, de his qui nō iam lacte indigent, sed cibo forti, qui pro possibilitate sumēdi exercitatos habent sensus, ad discretionem boni vel mali. Super his talibus cū depellūtur à lacte, fit conuiuiū magnū. Super illis autem non potest exhiberi conuiuium, nec haberi lætitia, de quibus dicit apostolus. Lac vobis dedi potum non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Et ego nō potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo. Dicant nobis isti qui simpliciter intelligi volunt scripturas diuinas, quid est, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam? Possúntne hæc similiter accipi? Sed interim redeamus ad ea vnde digressi sumus. Lætatur Abraham, & conuiuium facit magnum in die qua depulit à lacte Isaac filium suum. Post hæc ludit Isaac, & ludit cum Hismael. Indignatur Sara quod filius ancillæ ludat cum filio liberæ, & lusum illum perniciem putat, consilium dat Abrahæ, & dicit: Eijce ancillam, & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.] Hæc quomodo intelligi debeant, non ego nunc commentabor. Apostolus ita disseruit, dicens. Dicite mihi qui legem legistis, legem non audistis? Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui verò ex libera, per repromissionem, quæ sunt allegorica. Quid ergo? Isaac non est secundum carnem E natus? nō eum peperit Sara? non est circumcisus? Hoc ipsum quod ludebat cum Hismaele, non in carne ludebat? Hoc est enim quod mirabile est in Apostoli sensu, quod de quibus non potest dubitari quin secundum carnem gesta sint, hæc ille dicit esse allegorica: vt nos quid faciendum sit in cæteris nouerimus, & in his maxime, in quibus nihil diuina lege dignum historica videtur indicare narratio. Hismael ergo secundum carnem nascitur ancillæ filius. Isaac verò qui erat liberæ filius, non nascitur secundum carnem, sed secundum repromissionē. Et dicit de his apostolus, quod Agar in seruitutem genuerit carnalem populum: Sara verò quæ erat libera, populum genuerit qui non secundum carnem, sed in libertate vocatus est, qua libertate liberauit eum Christus. Ipse enī dixit, quia si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Quid verò his addit exponēs apostolus, videamus, Sed sicut tunc, inquit, is qui secundū carnem est, persequebatur eū qui secundū spiritum, ita & nunc. Vide quomodo nos apostolus docet, quia in omnibus caro aduersatur spiritui: siue popul' ille carnalis aduersatur huic populo spiritali, siue etiā inter nos ipsos, si quis adhuc carnalis est, spiritalibus aduersatur. Nam & tu si secundum carnem viuis, & secundum carnem cōuersaris, filius es Agar, & propterea aduersaris his qui secundū spiritū viuunt. Sicut etiā in nobis ipsis si requirimus,

2. Cor. 3. *Gen. 21.* *Isaac ablactatus.* *1. Thess. 2.* *Heb. 5.* *1. Cor. 3.* *Lusus Isaac cū Ismaele.* *Gal. 4.* *Ioan. 8.*

G inuenimus cõcupiſcere carnẽ aduerſus ſpiritum,& ſpiritum aduerſus carnem, & hæc ſibi inuicem aduerſari. Et inuenimus legem in membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ,& captiuos nos ducentem in lege peccati. Vides quantę ſunt pugnæ carnales aduerſus ſpiritum? Eſt adhuc & alia pugna his pene omnibus violentior, quod ij qui legem ſecundum carnem intelligunt, aduerſantur his qui ſecundum ſpiritum ſentiunt,& perſequuntur eos. Quare? quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus dei. Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter diiudicatur. Et tu ergo ſi habes in te fructum ſpiritus dei, quod eſt gaudium charitas, pax, patientia, Iſaac eſſe potes, non ſecundum carnem natus, ſed ſecundum repromiſsionem, & eſſe filius liberæ, ſi tamen potes & tu ſecundum Paulum dicere, In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Arma enim militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia à deo ad deſtructionem cogitationum, deſtruentes omnem altitudinem extollentem ſe aduerſum ſcientiam dei. Si potes talis eſſe, vt dignè tibi aptetur etiam illa apoſtoli ſententia, quæ dicit: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in vobis. Et tu ergo ſi talis es, non es ſecundum carnem natus, ſed ſecundum ſpiritum per repromiſsionem,& eris hæres repromiſsionum, ſecundum quod dictum eſt: Hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Non eris cohæres eius, qui ſecundum carnem natus eſt, ſed cohæres Chriſti. Quia etſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnẽ, ſed nunc iam non nouimus. Et tamen ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, non video quid mouerit Saram, vt filium ancillæ iuberet expelli. Ludebat cum filio Iſaac. Quid læſerat, aut quid nocuerat, ſi ludebat? Quaſi non hoc in ætate illa etiam gratum eſſe debuerit, quod luſerit filius ancillæ cum filio liberæ. Tum deinde & apoſtolum miror, qui ludum hunc perſecutionem pronunciauit, dicens. Sed ſicut tunc is qui ſecundum carnem, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritũ, ita & nunc. cum vtique nulla perſecutio Hiſmahelis aduerſum Iſaac mota referatur, niſi hic ſolus ludus infantię. Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & quid indignata ſit Sara. Superius iam exponentes ſpiritaliter, loco virtutis poſuimus Saram. Si ergo caro cuius perſonam gerit Hiſmahel, qui ſecundum carnem naſcitur, ſpiritui blandiatur, qui eſt Iſaac, & illecebroſis cum eo deceptionibus agat, ſi delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiuſcemodi ludus carnis cum ſpiritu, Saram maxime, quæ eſt virtus offendit,& huiuſcemodi blandimenta acerbiſsimam perſecutionem iudicat Paulus. Et tu ergo ô auditor horum non illã ſolam perſecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris: ſed ſi forte voluptas carnis illiciat, ſi tibi libidinis alludat illecebra, hæc, ſi virtutis es filius, tanquam perſecutionem maximam fuge. Idcirco enim & Apoſtolus dicit, fugite fornicationem. Sed ſi iniuſtitia blandiatur, vt perſonam potentis accipiens, & gratia eius flexus, nõ rectum iudicium feras: intelligere debes, quia ſub ſpecie ludi blãdam perſecutionem ab iniuſtitia pateris. Verum & per ſingulas malitiæ ſpecies, etiãſi molles & delicatæ ſint & ludo ſimiles, has perſecutionẽ ſpiritus dicito, quia in his omnibus virtus offenditur. Duo ſunt ergo filij Abrahã, vnus de ancilla, & vnus de libera: vterque tamen filius Abrahã, licet non vterque de libera. Propterea & is qui de ancilla naſcitur, hæres quidem non fit cum filio liberę, accepit tamẽ dona & non dimittitur vacuus. Accepit & ipſe benedictionem, ſed filius liberæ accepit repromiſsionem. Fiat & ille in gentem magnã, ſed iſte in populũ adoptionis. Spiritaliter ergo omnes quidẽ qui per fidem veniũt ad agnitionem dei, poſſunt filij Abrahæ dici. Sed in his ſunt aliqui pro charitate adhærentes deo, alij pro metu & timore futuri iudicij. Vnde & Apoſtolus Ioãnes dicit: Qui timet non eſt perfectus in charitate. Perfecta autem dilectio foras mittit timorẽ. Iſte ergo qui in charitate perfectus eſt, & de Abraham naſcitur, & filius liberæ eſt. Qui verò non perfecta charitate, ſed futuræ pœnæ metu & ſuppliciorum timore mandata cuſtodit, eſt quidem & ipſe filius Abrahę, accipit & ipſe dona, id eſt, operis ſui mercedem: quia etiam qui calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine diſcipuli, non peribit merces eius. Tamen inferior illo

Rom.7. *1 Cor 2.* *2.Cor.10.* *Rom.8.* *Ibid.* H *Gal.4.* *Perſequebatur in poſteris.* *Perſequutio allegorica.* *1.Cor.6.* *1.Ioan.4.*

K eſt qui non ſeruili timore, ſed in charitatis libertate perfectus eſt. Tale aliquid etiam Apoſtolus oſtendit cum dicit: Quandiu quidem hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cũ ſit dominns omniũ, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre. Paruulus ergo eſt qui lacte alitur, & expers eſt ſermonis iuſtitiæ, nec poteſt cibum ſolidũ accipere ſapientiæ diuinæ, & ſcíẽtiæ legis, qui non poteſt ſpiritalia ſpiritalibus comparare, qui nondum poteſt dicere, cũ autem factus ſum vir, euacuaui quę erant paruuli. Iſte ergo nihil differt à ſeruo. Si verò relinquẽs initiorum Chriſti ſemonem ad perfectionem feratur: & quæ ſurſum ſunt quærat, vbi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens, non quæ ſuper terram: & contempletur non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur: neque in diuinis ſcripturis ſequatur occidentem literam, ſed viuificantem ſpiritũ: ex illis erit ſine dubio, qui nõ accipiunt ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed ſpiritum adoptionis, in quo clament abba pater. Quid interim agat Abraham poſt quam indignata eſt Sara, videamus. Eiicit ancillam & filium eius, ſed tamen dat ei vtrem aquæ. Non enim habebat mater eius puteum aquę viuæ, nec poterat puer haurire de puteo aquam. Iſaac habebat puteos, pro quibus & certamina patitur aduerſus Philiſtinos. Hiſmahel autem de vtre bibit aquã, ſed hic vter quaſi vter deficit, & ideo petit & non inuenit potũ. Tu autem qui ſecundum Iſaac repromiſsionis es filius, bibe aquas de tuis fontibus & de tuis puteis: aquæ non effluant foras, ſed intus in tuis plateis currant tuæ aquæ. Ille verò qui ſecundum carnem natus eſt, de vtre aquã bibit, & aqua ipſa deficit ei, & in multis deficit. Vter legis eſt litera, de qua ille carnalis populus bibit, & inde intellectũ capit: quę litera frequẽter ei deficit, & explicare ſe non poteſt. In multis enim defectum patitur hiſtorialis intelligentia. Eccleſia autem de euangelicis & apoſtolicis fontibus bibit, qui nũquam [illegible] ciunt, ſed in plateis ſuis percurrũt, quia in latitudine ſp[illegible] inter pretationis abundant ſemper & fluunt. Bibit & d[illegible]s, cũ profundiora quęque haurit & ſcrutatur ex lege. [illegible] arbitror myſterio, quod etiã dominus & ſaluator no[illegible]cebat ad Samaritanam, vbi velut ſi cũ ipſa Agar loquer[illegible]iebat. Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui a[illegible]n biberit de aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Et illa dicit ad ſaluatorem. Da mihi domine hanc aquam vt non ſitiã, neque veniam huc haurire. Poſt hæc dominus ad eam: Qui credit inquit, in me, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam. Errabat ergo Agar per deſertum cum puero, & puer plorabat, & proiecit eum Agar, dicens, ne videam mortem filij mei. Poſt hæc cum iam quaſi moriturus fuiſſet abiectus & fleuiſſet, adeſt ei angelus domini, & aperuit oculos Agar, & vidit puteum aquę viuæ.] Hęc ad hiſtoriam referri quemadmodum poſſunt? Vbi enim inuenimus quod A[illegible]lauſos habuerit oculos, & aperti ſunt poſt modum? No[illegible]ce clarior eſt in his intelligẽtia ſpiritalis & myſtica, qu[illegible]iectus eſt is, qui ſecundum carnem eſt populus, & tan[illegible]iacet in fame & ſiti? Non enim famem panis perferens, neque ſitim aquæ, ſed ſitim verbi dei, donec aperiantur oculi ſynagogæ. Hoc eſt quod Apoſtolus dicit eſſe myſteriũ, quia cæcitas contigit ex parte in Iſrael, donec plenitudo gentium introiret, & tunc omnis Iſrael ſaluus fieret. Iſta eſt ergo cæcitas in Agar, quæ ſecundum carnem genuit: quæ tandiu in ea permanet, donec velamen literæ auferatur per euangelium dei, & videat aquam viuam. Nunc enim iacẽt Iudęi circa ipſum puteũ, ſed oculi eorũ clauſi ſunt: & non poſſunt bibere de puteo legis & prophetarum. Sed & nos caueamus, quia frequẽter & nos circa puteũ iacemus aquæ viuæ, id eſt circa ſcripturas diuinas, & erramus in ipſis. Tenemus libros & legimus, ſed ſpiritalẽ ſenſum non attingimus. Et ideo opus eſt lacrymis & orationibus indeſinẽtibus poſtulare, vt dominus aperiat oculos noſtros: quia & illi cæci qui ſedebãt in Hiericho, niſi clamaſſent ad dominũ, nõ fuiſſent aperti oculi eorũ. Et quid dico vt aperiãtur oculi noſtri? quia iã aperti ſunt. Ieſus enim venit aperire oculos cęcorũ. Aperti ergo ſunt oculi noſtri, & de litera legis velamẽ ablatũ eſt. Sed vereor ne nos ipſi eos ſõno iterũ profundiore claudamus, dũ nõ vigilamus in intellectu ſpiritali, neq; ſoliciti ſumus vt ſomnũ diſcutiamus ab oculis noſtris, & contẽplemur quę ſpiritalia ſunt, vti ne cũ populo carnali circa

Gal.4. *Iſmael eiectus cum vtre aquæ.* *Gen.26.* *Cohortatio ſumpta è Pro.5.cap.* L *Ioan.4.* *Deſtruit literam.* M *Rom.11.* *Peroratio.*

A circa ipsam aquam positi erremus, quin potius vigilemus, & cum propheta dicamus: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem tẽporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum deo Iacob. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Psal.131

De eo quod obtulit Abraham filium suum Isaac, Homilia VIII.

ADHIBETE huc aures, qui accessistis ad dominum, qui fideles esse vos creditis, & considerate diligentius quemadmodum fidelium fides probatur ex his quæ recitata sunt nobis. Et factum est, inquit, post hæc verba, tentauit deus Abraham, & dixit ei. Abraham Abraham. Et ille dixit: Ecce ego.] Obserua singula quæ scripta sunt. In singulis enim si quis scit in altum fodere, inueniet thesaurum. Et fortassis etiam vbi nõ existimatur, latent mysteriorum preciosa monilia. Abram vocabatur vir iste prius, & nusquam legimus quòd hoc nomine vocauerit eum deus, aut dixerit ei, Abram. Abram. Non enim à deo vocari poterat nomine delendo, sed vocat eum hoc nomine quòd ipse donauit, & non solùm vocat eum hoc nomine, sed & ingeminat. Cumque ille respondisset, Ecce ego, dicit ad eum: Accipe filium tuum charissimum quem diligis Isaac, & offeres mihi eum. Vade, inquit, in terram excelsam, & ibi offeres eum holocaustum in vno ex montibus, quem ostendero tibi.] Nomen quidem cur ei donauerit deus, & vocauerit eum Abraham, ipse interpretatus est, quia patrem, inquit, multarum gentium posui te. Hanc repromissionem dedit ei deus, cùm haberet filium Hismahel, sed pollicitus est ei, quia in filio qui nasceretur ex Sara, complebitur ista promissio. Accenderat ergo animum ipsius in amore filij, non solùm posteritatis gratia, sed & promissionum spe. Sed hunc in quo ei positę sunt promissiones magnæ istę & mirabiles, hunc inquam filium quo vocatum est nomen eius Abraham, holocaustum domino iubetur offerre in vno ex montibus. Quid tu ad hęc ô Abraham? Quæ & quales cogitationes mouentur in corde tuo? Prolata est vox à deo, quæ discutiat & probet fidem tuã. Quid ad hæc dicis? Quid cogitas? Quid retractas? Putas ne reuoluis in corde tuo, quia si in Isaac data est mihi repromissio, hunc autem offero holocaustum, superest vt non speretur illa promissio? Aut magis illa cogitas & dicis, quia impossibile est mentiri eum qui repromisit, quicquid illud fuerit, promissio permanebit? Verùm ego quia minimus sum, tanti patriarchæ cogitationes non valeo perscrutari, nec scire possum, vox dei quę ad tentandum eum processerat, quas ei cogitationes mouerit, quid animi attulerit, cùm iuberetur vnicum iugulare. Sed quoniam spiritus prophetarum prophetis subiectus est, Paulus Apostolus qui per spiritum (credo) didicerat, quid animi, quid consilij Abraham gesserit, indicauit dicens: Fide Abraham non hæsitauit, cùm vnicum offerret, in quo acceperat repromissiones, cogitans quia & à mortuis eum suscitare potens est deus. Prodidit ergo nobis cogitationes viri fidelis Apostolus, quòd fides resurrectionis iam tum haberi cœperit in Isaac. Abraham ergo resurrecturum sperabat Isaac, & credidit futurum, quod adhuc non erat factum. Quomodo ergo filij sunt Abraham, qui factum non credunt in Christo, quod ille futurum credidit in Isaac? imò (vt apertius loquar) sciebat se Abraham futuræ veritatis imaginem præformare, sciebat de semine suo nasciturum Christum, qui & offerendus esset totius mundi verior hostia, & resurrecturus à mortuis. Sed nunc interim tentabat, inquit, deus Abraham, & dicit ad eum: Accipe filium tuum charissimum quem diligis. Non enim suffecerat dixisse filium, sed adijcitur & charissimum. Esto & hoc: quid adhuc additur, & quem diligis? Sed vide tentationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi, tota carnis militia repugnaret, additur tentationis tempore. Accipe, inquit ergo filium tuum charissimum, quem diligis Isaac. Esto domine, quia commemoras de filio patrem, addis & charissimũ, quem præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad supplicium patris. Addis rursum & quẽ diligis. Sint & in hoc parenti triplicata supplicia. Quid opus est adhuc vt commemores & Isaac? Nũ quid nesciebat Abraham quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat, Isaac vocaretur? Sed cur hoc additur in tẽpore? Vt recordaretur Abraham quia dixeras ad eum quod in Isaac vocabitur tibi semen, & quod in Isaac erunt tibi repromissiones. Fit & commemoratio nominis, vt & promissionum quæ sub hoc nomine factæ sunt, desperatio subeat. Sed hæc omnia, quia tentabat deus Abrahã. Quid post hęc? Vade, inquit, in terram excelsam in vnum ex montibus, quem tibi ostendero, & ibi eum offeres holocaustum. Intuemini per singula quomodo fiunt tentationis augmẽta. Vade in terram excelsam. Nunquid non potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelsam, & imponi prius in mõtem quemcunq; delegerat dominus, & ibi ad eum dici vt offerret filium? sed prius ei dicitur quia offerre debeat filiũ suũ & tunc iubetur ire in terram excelsam, & ascendere in montem. Quo hoc spectat? Vt dũ ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgẽte pręcepto, hinc verò vinci affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam mõtis ascensio, vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus & fides, amor dei & amor carnis, præsentium gratia & expectatio futurorum. Mittitur ergo in terram excelsam, & non sufficit patriarchæ tantùm opus domino peracturo terra excelsa, sed & montem iubetur ascendere, scilicet vt fide elatus terrena derelinquat, & ad superna conscendat. Surrexit ergo Abraham mane, & strauit asinam suam, & cõcidit ligna ad holocaustũ. Et accepit filium suum Isaac, & duos pueros, & peruenit ad locum, quem dixerat ei deus die tertia.] Surrexit Abraham mane. Quod addidit mane, ostendere fortasse voluit, quia initium lucis splenderet in corde eius. Strauit asinam suam, ligna præparauit, assumpsit filium. Non deliberat, non detractat, non cõmunicat cum vllo homine consilium, sed statim occupat iter. Et peruenit inquit, ad locum, quem dixerat ei dominus die tertia.] Omitto nunc quid sacramenti cõtineat dies tertia, sapientiã & cõsilium tentantis intueor. Sic in proximo non erat mõs aliquis, cùm totum ageretur in mõtibus: sed per triduum iter protenditur, & per totum triduum recursantibus curis, paterna viscera cruciãtur: vt omni hoc spacio tam prolixo intueretur filiũ pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus pẽderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio? Vide inquantum tentatio cumulatur. Tertia tamen dies apta fit sacramentis. Nam & populus cum exisset de Ægypto, tertia die offert sacrificium deo, & in die tertia purificatur. Et resurrectionis domini tertia est dies: & multa alia intra hãc diẽ mysteria cõcludũtur. Respiciens, inquit, Abrahã vidit locũ de longè, & dixit ad pueros suos. Sedete hic cum asina, ego autẽ & puer ibimus vsq; illuc, & cũ adorauerimus reuertemur ad vos.] Pueros dimittit. Non enim poterãt ascẽdere pueri cum Abrahã ad holocausti locũ quẽ ostẽderat Deus. Vos ergo, inquit, sedete: Ego autẽ & infans ibimus, & cum adorauerimus reuertemus ad vos. Dic mihi Abrahã, verũ dicis ad pueros, quòd adores, & redeas cum infante, an fallis? Si verũ dicis, ergo non facies eum holocaustum. Si fallis, tantum patriarchã non decet fallere. Quid enim animi in te indicat sermo hic? Verũ, inquit, dico, & holocaustũ offero puerũ. Idcirco enim ligna mecum porto, & cũ ipso redeo ad vos. Credo enim & fides mea hęc est, quòd & à mortuis suscitare eum potens est deus. Post hęc accepit, inquit, Abraham ligna ad holocaustũ, & superposuit ea Isaac filio suo, & accepit ignem in manibus suis, & gladium, & abierunt simul.] Quòd ipse sibi ligna ad holocaustum portat Isaac, illa figura est, quod & Christus ipse sibi baiulauit crucem, & tamen portare ligna ad holocaustum sacerdotis officium est. Fit ergo ipse hostia, & sacerdos. Sed & quod additur, & abierunt ambo simul, ad hoc refertur. Cùm enim Abrahã velut sacrificaturus ignẽ portaret & cultrũ, Isaac non vadit post ipsum, sed cũ ipso, vt ostendatur cũ ipso pariter fungi sacerdotio. Quid post hæc? Dixit, inquit, Isaac ad Abraham patrem suum. Pater.] Et hæc pro tempore à filio prolata tentationis est vox. Quomodo enim putas immolandus filius per hanc vocem viscera paterna cõcussit?

Gen.22 · B · Vt tractat affectus. · C · 1.Cor.14. · Heb.11. · D · E · F · Dilemma.

G inuenimus cõcupiſcere carnẽ aduerſus ſpiritum, & ſpiritum aduerſus carnem, & hæc ſibi inuicem aduerſari. Et inuenimus legem in membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati. Vides quantę ſunt pugnæ carnales aduerſus ſpiritum? Eſt adhuc & alia pugna his pene omnibus violentior, quod ij qui legem ſecundum carnem intelligunt, aduerſantur his qui ſecundum ſpiritum ſentiunt, & perſequuntur eos. Quare? quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus dei. Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter diiudicatur. Et tu ergo ſi habes in te fructum ſpiritus dei, quod eſt gaudium charitas, pax, patientia, Iſaac eſſe potes, non ſecundum carnem natus, ſed ſecundum repromiſsionem, & eſſe filius liberæ, ſi tamen potes & tu ſecundum Paulum dicere, In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Arma enim militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia à deo ad deſtructionem cogitationum, deſtruentes omnem altitudinem extollentem ſe aduerſum ſcientiam dei. Si potes talis eſſe, vt dignè tibi aptetur etiam illa apoſtoli ſententia, quæ dicit: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in vobis. Et tu ergo ſi talis es, non es ſecundum carnem natus, ſed ſecundum ſpiritum per repromiſsionem, & eris hæres repromiſsionum, ſecundum quod dictum eſt: Hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Non eris cohæres eius, qui ſecundum carnem natus eſt, ſed cohæres Chriſti. Quia etſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnẽ, ſed nunc iam non nouimus. Et tamen ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, non video quid mouerit Saram, vt filium ancillæ iuberet expelli. Ludebat cum filio Iſaac. Quid læſerat, aut quid nocuerat, ſi ludebat? Quaſi non hoc in ætate illa etiam gratum eſſe debuerit, quod luſerit filius ancillæ cum filio liberæ. Tum deinde & apoſtolum miror, qui ludum hunc perſecutionem pronunciauit, dicens. Sed ſicut tunc is qui ſecundum carnem, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritũ, ita & nunc. cum vtique nulla perſecutio Hiſmahelis aduerſum Iſaac mota referatur, niſi hic ſolus ludus infantię. Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & quid indignata ſit Sara. Superius iam exponentes ſpiritaliter, loco virtutis poſuimus Saram. Si ergo caro cuius perſonam gerit Hiſmahel, qui ſecundum carnem naſcitur, ſpiritui blandiatur, qui eſt Iſaac., & illecebroſis cum eo deceptionibus agat, ſi delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiuſcemodi ludus carnis cum ſpiritu, Saram maxime, quæ eſt virtus offendit, & huiuſcemodi blandimenta acerbiſsimam perſecutionem iudicat Paulus. Et tu ergo ô auditor horum non illã ſolam perſecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris: ſed ſi forte voluptas carnis illiciat, ſi tibi libidinis alludat illecebra, hæc, ſi virtutis es filius, tanquam perſecutionem maximam fuge. Idcirco enim & Apoſtolus dicit, fugite fornicationem. Sed ſi iniuſtitia blandiatur, vt perſonam potentis accipiens, & gratia eius flexus, nõ rectum iudicium feras: intelligere debes, quia ſub ſpecie ludi blãdam perſecutionem ab iniuſtitia pateris. Verum & per ſingulas malitiæ ſpecies, etiãſi molles & delicatæ ſint & ludo ſimiles, has perſecutionẽ ſpiritus dicito, quia in his omnibus virtus offenditur. Duo ſunt ergo filij Abrahã, vnus de ancilla, & vnus de libera: vterque tamen filius Abrahã, licet non vterque de libera. Propterea & is qui de ancilla naſcitur, hæres quidem non fit cum filio liberę, accepit tamẽ dona & non dimittitur vacuus. Accepit & ipſe benedictionem, ſed filius liberæ accepit repromiſsionem. Fiat & ille in gentem magnã, ſed iſte in populũ adoptionis. Spiritaliter ergo omnes quidẽ qui per fidem veniũt ad agnitionem dei, poſſunt filij Abrahæ dici. Sed in his ſunt aliqui pro charitate adhærentes deo, alij pro metu & timore futuri iudicij. Vnde & Apoſtolus Ioãnes dicit: Qui timet non eſt perfectus in charitate. Perfecta autem dilectio foras mittit timorẽ. Iſte ergo qui in charitate perfectus eſt, & de Abraham naſcitur, & filius liberæ eſt. Qui verò non perfecta charitate, ſed futuræ pœnæ metu & ſuppliciorum timore mandata cuſtodit, eſt quidem & ipſe filius Abrahę, accipit & ipſe dona, id eſt, operis ſui mercedem: quia etiam qui calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine diſcipuli, non peribit merces eius. Tamen inferior illo

Rom. 7. — 1 Cor 2. — 2. Cor. 10. — Rom. 8. — Ibid. — H — Gal. 4. Perſequebatur in poſteris. — Perſequutio allegorica. — 1. Cor. 6. — 1. Ioan. 4.

eſt qui non ſeruili timore, ſed in charitatis libertate perfectus eſt. Tale aliquid etiam Apoſtolus oſtendit cum dicit: Quandiu quidem hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cũ ſit dominus omniũ, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre. Paruulus ergo eſt qui lacte alitur, & expers eſt ſermonis iuſtitiæ, nec poteſt cibum ſolidũ accipere ſapientiæ diuinæ, & ſciẽtiæ legis, qui non poteſt ſpiritalia ſpiritalibus comparare, qui nondum poteſt dicere, cũ autem factus ſum vir, euacuaui quę erant paruuli. Iſte ergo nihil differt à ſeruo. Si verò relinquẽs initiorum Chriſti ſemonem ad perfectionem feratur: & quæ ſurſum ſunt quærat, vbi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens, non quæ ſuper terram: & contempletur non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur: neque in diuinis ſcripturis ſequatur occidentem literam, ſed viuificantem ſpiritũ: ex illis erit ſine dubio, qui nõ accipiunt ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed ſpiritum adoptionis, in quo clament abba pater. Quid interim agat Abraham poſt quam indignata eſt Sara, videamus. Eiicit ancillam & filium eius, ſed tamen dat ei vtrem aquæ. Non enim habebat mater eius puteum aquę viuæ, nec poterat puer haurire de puteo aquam. Iſaac habebat puteos, pro quibus & certamina patitur aduerſus Philiſtinos. Hiſmahel autem de vtre bibit aquã, ſed hic vter quaſi vter deficit, & ideo petit & non inuenit potũ. Tu autem qui ſecundum Iſaac repromiſsionis es filius, bibe aquas de tuis fontibus & de tuis puteis: aquæ non effluant foras, ſed intus in tuis plateis currant tuæ aquæ. Ille verò qui ſecundum carnem natus eſt, de vtre aquã bibit, & aqua ipſa deficit ei, & in multis deficit. Vter legis eſt litera, de qua ille carnalis populus bibit, & inde intellectũ capit: quę litera frequẽter ei deficit, & explicare ſe non poteſt. In multis enim defectum patitur hiſtorialis intelligentia. Eccleſia autem de euangelicis & apoſtolicis fontibus bibit, qui nũquam, deficiunt, ſed in plateis ſuis percurrũt, quia in latitudine ſpiritalis interpretationis abundant ſemper & fluunt. Bibit & de puteis, cũ profundiora queque haurit & ſcrutatur ex lege. Pro hoc arbitror myſterio, quod etiã dominus & ſaluator noſter dicebat ad Samaritanam, vbi velut ſi cũ ipſa Agar loqueretur, aiebat. Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit de aqua quam ego dabo ei, non ſitiet inæternum. Et illa dicit ad ſaluatorem. Da mihi domine hanc aquam vt non ſitiã, neque veniam huc haurire. Poſt hæc dominus ad eam: Qui credit inquit, in me, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam. Errabat ergo Agar per deſertum cum puero, & puer plorabat, & proiecit eum Agar, dicens, ne videam mortem filij mei. Poſt hæc cum iam quaſi moriturus fuiſſet abiectus & fleuiſſet, adeſt ei angelus domini, & aperuit oculos Agar, & vidit puteum aquę viuæ.] Hęc ad hiſtoriam referri quemadmodum poſſunt? Vbi enim inuenimus quod Agar clauſos habuerit oculos, & aperti ſunt poſt modum? Nonne luce clarior eſt in his intelligẽtia ſpiritalis & myſtica, quòd abiectus eſt is, qui ſecundum carnem eſt populus, & tandiu iacet in fame & ſiti? Non enim famem panis perferens, neque ſitim aquæ, ſed ſitim verbi dei, donec aperiantur oculi ſynagogæ. Hoc eſt quod Apoſtolus dicit eſſe myſteriũ, quia cæcitas contigit ex parte in Iſrael, donec plenitudo gentium introiret, & tunc omnis Iſrael ſaluus fieret. Iſta eſt ergo cæcitas in Agar, quæ ſecundum carnem genuit: quæ tandiu in ea permanet, donec velamen literæ auferatur per euangelium dei, & videat aquam viuam. Nunc enim iacẽt Iudęi circa ipſum puteũ, ſed oculi eorũ clauſi ſunt: & non poſſunt bibere de puteo legis & prophetarum. Sed & nos caueamus, quia frequẽter & nos circa puteũ iacemus aquæ viuæ, id eſt circa ſcripturas diuinas, & erramus in ipſis. Tenemus libros & legimus, ſed ſpiritalẽ ſenſum non attingimus. Et ideo opus eſt lacrymis & orationibus indeſinẽtibus poſtulare, vt dominus aperiat oculos noſtros: quia & illi cæci qui ſedebãt in Hiericho, niſi clamaſſent ad dominũ, nõ fuiſſent aperti oculi eorũ. Et quid dico vt aperiãtur oculi noſtri? quia iã aperti ſunt. Ieſus enim venit aperire oculos cęcorũ. Aperti ergo ſunt oculi noſtri, & de litera legis velamẽ ablatũ eſt. Sed vereor ne nos ipſi eos ſõno iterũ profundiore claudamus, dũ nõ vigilamus in intellectu ſpiritali, neq; ſoliciti ſumus vt ſomnũ diſcutiam' ab oculis noſtris, & contẽplemur quę ſpiritalia ſunt., vti ne cũ populo carnali circa

K — Gal. 4. — Iſmael eiectus cum vtre aquæ. — Gen. 26. — Cohortatio ſumpta è Pro. 5. cap. — L — Ioan. 4. — Deſtruit literam. — M — Rom. 11. — Peroratio.

A circa ipſam aquam poſiti erremus, quin potius vigilemus, & cum propheta dicamus: Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem tẽporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum deo Iacob. Ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſal.131

De eo quod obtulit Abraham filium ſuum Iſaac, Homilia VIII.

ADHIBETE huc aures, qui acceſsiſtis ad dominum, qui fideles eſſe vos creditis, & conſiderate diligentius quemadmodum fidelium fides probatur ex his quæ recitata ſunt nobis. Et factum eſt, inquit, poſt hæc verba, tentauit deus Abraham, & dixit ei. Abraham Abraham. Et ille dixit: Ecce ego.] Obſerua ſingula quæ ſcripta ſunt. In ſingulis enim ſi quis ſcit in altum fodere, inueniet theſaurum. Et fortaſsis etiam vbi nõ exiſtimatur, latent myſteriorum precioſa monilia. Abram vocabatur vir iſte prius, & nuſquam legimus quòd hoc nomine vocauerit eum deus, aut dixerit ei, Abram, Abram. Non enim à deo vocari poterat nomine delendo, ſed vocat eum hoc nomine quòd ipſe donauit, & non ſolùm vocat eum hoc nomine, ſed & ingeminat. Cumque ille reſpondiſſet, Ecce ego, dicit ad eum: Accipe filium tuum chariſsimum quem diligis Iſaac, & offeres mihi eum. Vade, inquit, in terram ex-

Gen.22

B celſam, & ibi offeres eum holocauſtum in vno ex montibus, quem oſtendero tibi.] Nomen quidem cur ei donauerit deus, & vocauerit eum Abraham, ipſe interpretatus eſt, quia patrem, inquit, multarum gentium poſui te. Hanc repromiſsionem dedit ei deus, cùm haberet filium Hiſmahel, ſed pollicitus eſt ei, quia in filio qui naſceretur ex Sara, complebitur iſta promiſsio. Accenderat ergo animum ipſius in amore filij, non ſolùm poſteritatis gratia, ſed & promiſsionum ſpe. Sed hunc in quo ei poſitę ſunt promiſsiones magnæ iſtę & mirabiles, hunc inquam filium quo vocatum eſt nomen eius Abraham, holocauſtum domino iubetur offerre in vno ex montibus. Quid tu ad hęc ô Abraham? Quæ & quales cogitationes mouentur in corde tuo? Prolata eſt vox à deo, quæ diſcutiat & probet fidem tuã. Quid ad hæc dicis? Quid cogitas? Quid retractas? Putas ne reuoluis in corde tuo, quia ſi in Iſaac data eſt mihi repromiſsio, hunc autem offero holocauſtum, ſupereſt vt non ſperetur illa promiſsio? Aut magis illa cogitas & dicis, quia impoſsibile eſt mentiri eum qui repromiſit, quicquid illud fuerit, promiſsio permanebit? Verùm ego quia minimus ſum, tanti patriarchæ cogitationes non valeo perſcrutari, nec ſcire poſſum, vox dei quę ad tentandum eum proceſſerat, quas ei cogitationes mouerit, quid animi attulerit, cùm iuberetur vnicum iugulare. Sed quoniam ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt, Paulus Apoſtolus qui per ſpiritum (credo) didicerat, quid ani-

Vt tractat affectus.

1.Cor.14.

C mi, quid conſilij Abraham geſſerit, indicauit dicens: Fide Abraham non hæſitauit, cùm vnicum offerret, in quo acceperat repromiſsiones, cogitans quia & à mortuis eum ſuſcitare potens eſt deus. Prodidit ergo nobis cogitationes viri fidelis Apoſtolus, quòd fides reſurrectionis iam tum haberi cœperit in Iſaac. Abraham ergo reſurrecturum ſperabat Iſaac, & credidit futurum, quod adhuc non erat factum. Quomodo ergo filij ſunt Abraham, qui factum non credunt in Chriſto, quod ille futurum credidit in Iſaac? imò (vt apertius loquar) ſciebat ſe Abraham futuræ veritatis imaginem præformare, ſciebat de ſemine ſuo naſciturum Chriſtum, qui & offerendus eſſet totius mundi verior hoſtia, & reſurrecturus à mortuis. Sed nunc interim tentabat, inquit, deus Abraham, & dicit ad eum: Accipe filium tuum chariſsimum quem diligis. Non enim ſuffecerat dixiſſe filium, ſed adijcitur & chariſsimum. Eſto & hoc: quid adhuc additur, & quem diligis? Sed vide tentationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterum ac ſæpe repetitis, paterni ſuſcitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduerſus fidem animi, tota carnis militia repugnaret, additur tentationis tempore. Accipe, inquit ergo filium tuum chariſsimum, quem diligis Iſaac. Eſto domine, quia commemoras de filio patrem, addis & chariſsimũ, quem præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad ſupplicium patris.

Heb.11.

Addis rurſum & quẽ diligis. Sint & in hoc parenti triplicata D ſupplicia. Quid opus eſt adhuc vt commemores & Iſaac? Nũ quid neſciebat Abraham quia filius ſuus ille chariſsimus, ille quem diligebat, Iſaac vocaretur? Sed cur hoc additur in tempore? Vt recordaretur Abraham quia dixeras ad eum quod in Iſaac vocabitur tibi ſemen, & quod in Iſaac erunt tibi repromiſsiones. Fit & commemoratio nominis, vt & promiſsionum quæ ſub hoc nomine factæ ſunt, deſperatio ſubeat. Sed hæc omnia, quia tentabat deus Abrahã. Quid poſt hęc? Vade, inquit, in terram excelſam in vnum ex montibus, quem tibi oſtendero, & ibi eum offeres holocauſtum. Intuemini per ſingula quomodo fiunt tentationis augmẽta. Vade in terram excelſam. Nunquid non potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelſam, & imponi prius in mõtem quemcunq; delegerat dominus, & ibi ad eum dici vt offerret filium? ſed prius ei dicitur quia offerre debeat filiũ ſuũ & tunc iubetur ire in terram excelſam, & aſcendere in montem. Quo hoc ſpectat? Vt dũ ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcerpatur, vt hinc perurgẽte pręcepto, hinc verò vinci affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam mõtis aſcenſio, vt in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus & fides, amor dei & amor carnis, præſentium gratia & expectatio futurorum. Mittitur ergo in terram excelſam, & non ſufficit patri- E archæ tantùm opus domino peracturo terra excelſa, ſed & montem iubetur aſcendere, ſcilicet vt fide elatus terrena derelinquat, & ad ſuperna conſcendat. Surrexit ergo Abraham mane, & ſtrauit aſinam ſuam, & cõcidit ligna ad holocauſtũ. Et accepit filium ſuum Iſaac, & duos pueros, & peruenit ad locum, quem dixerat ei deus die tertia.] Surrexit Abraham mane. Quod addidit mane, oſtendere fortaſſe voluit, quia initium lucis ſplenderet in corde eius. Strauit aſinam ſuam, ligna præparauit, aſſumpſit filium. Non deliberat, non retractat, non cõmunicat cum vllo homine conſilium, ſed ſtatim occupat iter. Et peruenit inquit, ad locum, quem dixerat ei dominus die tertia.] Omitto nunc quid ſacramenti cõtineat dies tertia, ſapientiã & cõſilium tentantis intueor. Sic in proximo non erat mõs aliquis, cùm totum ageretur in mõtibus: ſed per triduum iter protenditur, & per totum triduum recurſantibus curis, paterna viſcera cruciãtur: vt omni hoc ſpacio tam prolixo intueretur filiũ pater, cibum cum eo ſumeret, tot noctibus pẽderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio? Vide inquantum tentatio cumulatur. Tertia tamen dies apta fit ſacramentis. Nam & populus cum exiſſet de Ægypto, tertia die offert ſacrificium deo, & in die tertia purificatur. Et reſurrectionis domini tertia eſt dies: & multa alia intra hãc diẽ myſteria cõcludũtur. Reſpiciens, inquit, Abrahã vidit locũ de longè, & dixit ad pueros F ſuos. Sedete hic cum aſina, ego autẽ & puer ibimus vſq; illuc, & cũ adorauerimus reuertemur ad vos.] Pueros dimittit. Non enim poterãt aſcẽdere pueri cum Abrahã ad holocauſti locũ quẽ oſtẽderat Deus. Vos ergo, inquit, ſedete: Ego autẽ & infans ibimus, & cum adorauerimus reuertemus ad vos. Dic mihi Abrahã, verũ dicis ad pueros, quòd adores, & redeas cum infante, an fallis? Si verũ dicis, ergo non facies eum holocauſtum. Si fallis, tantum patriarchã non decet fallere. Quid enim animi in te indicat ſermo hic? Verũ, inquit, dico, & holocauſtũ offero puerũ. Idcirco enim ligna mecum porto, & cũ ipſo redeo ad vos. Credo enim & fides mea hęc eſt, quòd & à mortuis ſuſcitare eum potens eſt deus. Poſt hęc accepit, inquit, Abraham ligna ad holocauſtũ, & ſuperpoſuit ea Iſaac filio ſuo, & accepit ignem in manibus ſuis, & gladium, & abierunt ſimul.] Quòd ipſe ſibi ligna ad holocauſtum portat Iſaac, illa figura eſt, quod & Chriſtus ipſe ſibi baiulauit crucem, & tamen portare ligna ad holocauſtum ſacerdotis officium eſt. Fit ergo ipſe hoſtia, & ſacerdos. Sed & quod additur, & abierunt ambo ſimul, ad hoc refertur. Cùm enim Abrahã velut ſacrificaturus ignẽ portaret & cultrũ, Iſaac non vadit poſt ipſum, ſed cũ ipſo, vt oſtendatur cũ ipſo pariter fungi ſacerdotio. Quid poſt hæc? Dixit, inquit, Iſaac ad Abraham patrem ſuum. Pater.] Et hæc pro tempore à filio prolata tentationis eſt vox. Quomodo enim putas immolandus filius per hanc vocem viſcera paterna cõcuſsit?

Dilemma.

G Et quamuis Abraham rigidior esset pro fide, reddit tamen etiam ipse affectionis vocem & respondit. Quid est fili? At ille. Ecce, inquit ignis & ligna, vbi ouis est ad holocaustum? Ad hæc respondit Abraham: Deus prouidebit sibi ouem ad holocaustum fili.] Mouet me Abrahæ satis diligens & cauta responsio. Nescio quid videbat in spiritu, quia non de præsenti sed de futuro dicit. Deus prouidebit ipse sibi ouem: futura respondit filio de præsentibus requirenti. Ipse nanque sibi dominus ouem prouidebat in Christo, quia & sapientia ipsa sibi domum ædificauit, & ipse se humiliauit vsque ad mortem: & omnia quæcunque legeris de Christo non necessitate, sed sponte facta reperies. Perrexerunt ergo ambo, & venerunt ad locum quem dixerat ei deus.] Moyses cum venisset ad locum quem ostendit ei deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur, solue corrigiam calciamenti de pedibus tuis. Abrahæ nihil horum dicitur & Isaac, sed ascendunt, nec calciamenta deponunt. In quo illa fortassis est ratio, quòd Moyses quamuis esset magnus, tamen de Aegypto veniebat, & erãt aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa. Abraham verò & Isaac nihil horum habent, sed veniunt ad locum, ædificant altare: Abraham ponit ligna super altare, colligat puerum, præparat se ad iugulãdum. Multi estis patres in ecclesia dei, qui hęc audistis. Putas aliquis ve

H strum ex ipsa historię narratione tantum constantiæ, tantum animi robur acquirit, vt cũ forte amittitur filius morte cõmuni, & omnibus debita, etiam si sit vnicus, etiam si sit dilectus, adducat sibi in exemplũ Abraham, & magnanimitatem eius ante oculos ponat? Et quidẽ à te non exigitur istud animi magnitudinis, vt ipse alliges filium, ipse constringas, ipse gladiũ pares, ipse vnicum iugules. Hæc omnia à te mysteria non quæruntur. Proposito saltem & mente constans esto, fide fixus lætus offer filium deo. Esto sacerdos animæ filij tui. Sacerdotem autem immolantem deo nõ decet flere. Vis videre quia exigitur hoc à te? In Euangelio dominus dicit: Si filij Abraham essetis, opera vtique Abrahæ faceretis. Ecce istud est opus Abrahæ. Facite opera quæ fecit Abraham, sed non cum tristitia. Hilarem enim datorem diligit deus. Quod si & vos tam prompti fueritis, à deo dicetur vobis: ascende in terram excelsam, & in montem quem ostendero tibi, & ibi offer mihi filium tuum. Non in profundis terræ, nec in conualle fletus, sed in altis & excelsis montibus offer filium tuũ. Ostende quia fides in dominum fortior est, quàm carnis affectus. Amabat enim, inquit, Abraham Isaac filium suum, sed amori carnis prætulit amorem dei. Et inuentus est non in visceribus carnis, sed in visceribns Christi, id est in visceribus verbi dei & veritatis & sapientiæ. Extendit, inquit, Abraham manum suam, vt acciperet gladium, & iugularet filium suum, & vocauit eum angelus domini de cœlo, & dixit Abraham Abraham. At ille dixit: Ecce ego. Et dixit: Ne iniicias

Quæstio.

C manum tuam super puerum, neque facias ei quicquam. Nunc enim cognoui quia tu times deum.] In hoc ergo sermone solet obiici nobis, quod deus nũc se cognouisse dicat, quia Abraham timeat deum, quasi qui ante ignorauerit. Sciebat deus & nõ eum latebat, quippe qui nouit omnia antequã fiãt: sed propter te hæc scripta sunt: quia & tu credidisti quidẽ deo, sed nisi opera fidei expleueris, nisi in omnibus præceptis etiam difficilioribus parueris, nisi sacrificiũ obtuleris, & ostenderis quia nec patrẽ, nec matrẽ, nec filios præferas deo, non agnosceris quia timeas deum, nec dicetur de te, quia nũc cognoui quia times tu deum. Et tamen considerandum est, quia angelus hæc refertur ad Abraham locutus, & quia in cõsequentibus euidenter hic angelus dominus ostenditur. Vnde puto quod sicut inter nos homines habitu repertus est vt homo, ita & inter angelos habitu est repertus vt angelus. Et ipsius sequentes exemplum angeli in cœlo lætãtur super vno peccatore pœnitentiam agente, & de profectibus hominum gloriantur. Ipsi enim velut procuratione animarum nostrarum tenent, quibus dum adhuc paruuli sumus, velut tutoribus & actoribus committimur vsque ad præfinitum tempus à patre. Et ipsi ergo nũc de profectu vniuscuiusque nostrum dicunt, quia nunc cognoui quia tu times deum. Verbi causa, propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere ad me angelus poterit, quia nunc cognoui quod tu times deum. Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si verò accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quæ inferun-

K tur constanter cuncta suscepero, tunc potest dicere angelus, velut confirmans me & corroborans, nunc cognoui quod tu times deum. Verum hæc dicta sunt ad Abraham, vt pronunciatus sit timere deum. quare? quia nõ pepercit filio suo. Nos verò conferamus hæc cum apostolis dictis, vbi dicit de deo: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vide deum magnifica cum hominibus liberalitate certantem. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit deo, deus immortalem filium pro omnibus tradidit morti. Quid nos ad hæc dicemus? quid retribuemus domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Deus pater propter nos proprio filio non pepercit. Quis vestrum putas audiet aliquando vocem angeli dicentis, Nunc cognoui quia times tu deum, quia non pepercisti filio tuo vel filiæ tuæ vel vxori, aut non pepercisti pecuniæ, vel honoribus seculi, & ambitionibus mundi, sed omnia contempsisti & omnia duxisti stercora, vt Christũ lucrifaceres, vendidisti omnia & dedisti pauperibus & secutus es verbum dei? Quis vestrum, putas, audiet ab angelis huiuscemodi vocem? Iterũ Abraham audit hanc vocem, & dicitur ad eum, quia non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Et respiciens, inquit, Abraham oculis suis vidit, & ecce aries tenebatur cornibus in virgulto Sabet.] Diximus puto, in superioribus quod Isaac formam gereret Christi, sed & aries hic nihilominus formã

Rom. 8.

Aries quid indicet.

L Christi gerere videtur. Sed quomodo Christo vterque conueniat, & Isaac qui non est iugulatus, & aries qui iugulatus est, operæ precium est noscere. Christus verbum dei est, sed verbum caro factum est. Vnum igitur in Christo de superioribus est, alterum ex humana natura & virginali vtero susceptum. Patitur ergo Christus, sed in carne, & pertulit mortem, sed caro, cuius hic aries forma est. Sicut & Ioannes dicebat. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Verbũ verò in incorruptione permansit, quod est secundum spiritũ Christus, cuius imago est Isaac. Ideo ipse & hostia est, & põtifex secundum spiritum. Nam qui offert hostiam patri secundum carnem, ipse in altari crucis offertur. Quia sicut dictum est de eo, ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi: ita de eo dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Tenetur ergo cornibus aries in virgulto Sabet. Et accepit, inquit, arietem, & obtulit eum holocaustum pro Isaac filio suo, & vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videt.] Scientibus hæc audire intelligẽtiæ spiritalis euidens panditur via. Omnia enim quæ gesta sunt, ad visionem perueniunt. Dicitur namque quia dominus videt. Visio autem quam dominus vidit in spiritu est, vt & tu hæc quæ scripta sunt in spiritu videas: & sicut in domino corporeum nihil est, ita etiam tu in his omnibus corporeum nihil

Ioh. 1.

Psal. 110.

M sentias: sed in spiritu generes etiam tu filium Isaac, cum habere cœperis fructum spiritus, gaudium, pacem. Quem tamen filium ita demum generabis, si vt de Sara scriptum est, quia defecerunt Saræ muliebria, & tunc genuit Isaac, ita deficiant & in anima tua muliebria: vt nihil iam muliebre & effœminatum habeas in anima tua, sed viriliter agas, & viriliter præcingas lumbos tuos: si sit pectus tuum thorace iustitiæ munitum, si galea salutari, & gladio spiritus accingaris. Si ergo deficiant muliebria fieri in anima tua, generas filium de coniuge tua virtute & sapientia, gaudium ac lætitiam. Generas autem gaudium, si omne gaudium existimaueris, cùm in tentationes varias incideris, & istud gaudium offeras in sacrificium deo. Cùm enim lætus accesseris ad deum, iterum tibi reddit quod obtuleris, & dicit tibi: quia iterum videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo auferet à vobis. Sic ergo quæ obtuleris deo multiplicata recipies. Tale aliquid licet per aliam figurã refertur in Euangeliis, cum per parabolam dicitur accepisse quis mnã vt negotiaretur & patrifamilias pecuniã quæreret. Sed si attuleris quinque multiplicata in decem, tibiipsi donãtur, tibi cõcedũtur. Audi enim quid dicit. Tollite, inquit huic mnam & date illi qui habet decem mnas. Sic ergo videmur quidẽ domino negotiari, sed nobis cedunt negotiationis lucra: & videmur offerre domino hostias, sed nobis quæ offerimus

Matt. 25.

A rimus redonantur. Deus enim nullius indiget, sed nos vult diuites esse, nostrum desiderat per singula quæque profectum. Hæc nobis figura ostenditur etiam in his quæ gesta sunt erga Iob. Et ille enim propter deū perdidit omnia cum diues esset. Sed quia pertulit bene agones patientiæ, & in omnibus quæ passus est magnanimus fuit. & dixit, Dominus dedit, dominus abstulit, vt domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum: vide ad vltimum quid de eo scribitur. Recepit, inquit, omnia dupla quæ amiserat. Vides quid est amittere aliquid pro deo, hoc est, multiplicata recipere tibi. Et aliquid amplius Euangelia promittunt, centuplum tibi pollicentur. Insuper & vitam æternam, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De repromissionibus secundis ad Abraham factis. Homilia IX. Secundæ partis capituli.

Exordium. QVANTVM legentes progredimur, tantum nobis sacramentorū cumulus augetur. Et vt si quis exiguo vectus nauigio ingrediatur mare, donec terræ vicinus est, minus metuit: cum verò paulatim in altum fuerit progressus, & vndis intumescentibus, vel in excelsum attolli cœperit, vel eisdem dehiscentibus in ima deduci: ibi verò mentem pauor ingens & formido percutit, quod exiguam ratem tam immensis fluctibus credidit: B ita etiam nos pati videmur, qui exigui meritis, & ingenio tenues, inire tam vastum mysteriorum pelagus audemus. Sed si orantibus vobis, dominus dignetur spiritus sui sancti auram nobis prosperam dare, secundo verbi cursu portum salutis intrabimus. Videamus ergo nunc quæ sunt, quæ nobis recitata sunt. Et vocauit, inquit, angelus domini Abraham secūdo de cœlo, dicēs. Per memetipsum iuraui dicit dominus: *Genes. 22.* Propterea quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te, & erit semen tuum sicut stellæ cœli in multitudine, & sicut arena maris, quæ non potest dinumerari: &c.] Sollicitum hæc & intentum auditorem requirunt. Nouū est enim quod dicit, & vocauit, inquit, angelus domini Abraham secundo de cœlo. Quod tamen addidit non est nouum. Nam benedicens benedicam te, & ante iam dictum est, & multiplicans multiplicabo te, ante promissum est: & erit semen tuū sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, & prius fuerat pronunciatū. Quid ergo est nūc amplius quod secundo clamatur è cœlo? Quid noui veteribus repromissionibus additur? Quid plus præmij datur in eo quod dicit, propterea quod fecisti verbum hoc, id est, propterea quod filiū obtuli- C sti, propterea quod nō pepercisti vnico filio tuo? nihil aliud additū video, eadem repetuntur, quæ prius fuerant repromissa. Ergo superfluum videbitur eadem sæpius retractare, & minus necessarium. In sacramentis enim fiunt cuncta quæ fiunt. Abraham si tātum secundum carnem vixisset, & vnius populi quem secūdum carnem genuit, pater fuisset, vna suffecerat repromissio. Nunc verò vt ostēderet eum primo patrem futurū eorum, qui secundum carnem circuncisi sunt, circuncisionis suæ tēpore datur ei repromissio, quæ ad populum circuncisionis pertinere deberet. Secundo quia pater esset futurus etiam eorum qui ex fide sunt, & qui per passionem Christi veniunt ad hæreditatem, tempore nihilominus passionis Isaac, promissio renouatur, quæ pertinere debeat ad eum populum, qui passione Christi ac resurrectione saluatur. Et eadem quidem repeti videntur, sed longe diuersa sunt. Illa enim quæ prius dicta sunt, & ad priorem populum pertinent, in terris dicta sunt. Sic enim dicit scriptura. Et eduxit eū foras, de tabernaculo scilicet, & dixit ei. Respice stel- *Genes. 15.* las cœli si dinumerari possunt à multitudine. Et addidit, Sic erit semen tuum. Vbi autē secūdo repetitur repromissio, designat quia loquutus est ei de cœlo & datur promissio de terra prima, secunda de cœlo. Nonne aperte hic illud designare *1. Cor. 15.* videtur, quod apostolus dicit, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis? Ista ergo promissio, quæ ad fidelem populum pertinet, de cœlo est, illa de terra. In illa sermo tantummodo fuit, hic interponitur iusiurādum quod interpretatur ad Hebræos scribens sanctus apostolus D hoc modo dicens: Volens, inquit, deus ostendere pollicitationes *Heb. 6.* hæredibus per immobilitatē cōsilij sui, inter posuit iusiurandum. Et iterum. Homines, inquit, per maiorem suum iurant, deus autem quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, per memetipsum iuro dicit dominus. Non quod deum iusiurandi necessitas vrgeret. Quis enim ab eo exigeret sacramentum? Sed sicut interpretatus est apostolus Paulus, quo per hoc immobilitatem consilij sui cultoribus designaret. Sic & alibi per prophetam dicitur, Iurauit dominus, *Psal. 110.* nec pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Tunc deinde in prima repromissione non habet positam causam cur data sit repromissio: tantum quod eduxit eum foras, & ostendit, inquit, ei stellas cœli, & dixit, sic erit semen tuum. Nunc verò addit causam propter quam iuramento confirmat promissionem firmam futuram. Dicit enim, quia fecisti verbū hoc, & non pepercisti filio tuo. Ostendit ergo quod propter oblationem vel passionem filij, promissio firma sit: euidenter designans quod propter passionem Christi populo ex gentibus, qui ex fide est Abrahę, maneat firma promissio. Et nunquid in hoc solo secunda firmiora sunt primis? In multis huiuscemodi adumbrata inuenies sacramēta. Primas tabulas legis in litera, confregit Moyses & abiecit: Secundam legem in spiritu suscepit, & sunt firmiora secunda quàm prima. Rursus D idem ipse cum omnem legem in quatuor libris comprehendisset, Deuteronomium scribit, quod secūda lex dicitur. Hismahel primus est, secundus Isaac, & similis in secundo prælationis forma seruatur. Hoc & in Esau & in Iacob, in Effrem & Manasse, in mille alijs similiter inuenies adumbratū. Sed redeamus nunc ad nosmetipsos, & moralem locum per singulos quosque tractemus. Apostolus dicit, sicut iā superius memorauimus, primus homo de terra terrenus, secūdus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis *Tropologia* cælestis, tales & cœlestes. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginē cœlestis. Vides quid ostēdit, quia si permanseris in eo quod primum est, quod de terra est, re- *Col. 3.* probaueris, nisi te commutes, nisi conuersus fueris, nisi cœ- *2. Cor. 5.* lestis effectus imaginem cœlestis acceperis. Hoc idem est, quod alibi dicit. Exuite vos veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum, qui secundum deum creatus est. Id ipsum & alio loco scribit. Ecce vetera transierunt, facta sunt omnia noua. Idcirco ergo promissiones suas renouat deus, vt ostēdat tibi quia debes & tu renouari. Non permanet ille in veteribus, ne & tu vetus homo permaneas. De cœlo hæc loquitur, vt & tu imaginem cœlestis accipias. Nunquid tibi prodest si deus innouet promissiones, & tu non innoueris? Si ille de cœlo loquatur, & tu de terra audias? Quid tibi pro- E dest si deus se iuramento constringit, & tu hæc quasi communem audiens fabulā transeas? Quare non cōsideras quod propter te deus etiam ea quæ naturæ suæ apta minime videntur, amplectitur? Iurare dicitur deus, vt tu audiens paueas & intremiscas, & metu consternatus inquiras, quid illud tātum est pro quo deus iurare dicatur. Fiunt ergo hæc, vt tu attentus & sollicitus fias, & audiēs tibi repromissionem parari in cœlis, vigiles & requiras quatenus diuinis promissionibus dignus existas. Veruntamen hunc locum & apostolus interpretatur, dicens. Quia Abrahæ promisit deus, & semini eius: *Gal. 4.* non dixit & seminibus quasi in multis: sed tanquam in vno, & semini tuo, qui est Christus. De Christo ergo dicitur, multiplicās multiplicabo semen tuum, & erunt sicut stellæ cœli in multitudine, & sicut arena quæ est ad oram maris. Quis iā expositione indiget, vt sciat semen Christi quomodo multiplicetur, qui videt à finibus terræ vsque ad fines terræ propagatam prædicationem Euangelij. & nullum pene esse iam locū qui non semen verbi susceperit? Hoc nāque & in initiis mundi præfigurabatur, cum diceretur Adæ, Crescite & multiplicamini. Quod & ipsum dicit apostolus, in Christo dici & in ecclesia. Quod autē dixit, sicut stellæ cœli in multitudi- *Gen. 1.* ne, & adiecit sicut arena quæ est ad oram maris innumerabi- *Eph. 5.* lis, fortasse quidem dicat aliquis cœlestis numeri figuram Christianorū populo, arenæ maris Iudaico cōuenire. Ego tamē hoc magis puto quod vtrūque exēplum vtrique populo

G possit aptari. Nã & in illo populo fuerũt multi iusti & prophetæ, quibus stellarũ cœli merito cõparatur exẽplum: & in nostro populo sunt multi qui terrena sapiũt, & quorũ stultitia grauior est arena maris. In quibus præcipue hæreticorum turbas arbitror deputandas. Sed ne nos quidẽ securi simus: donec enim quis nostrum non deponit imaginem terreni, & induit imaginẽ cœlestis, terrenis comparatur exemplis. Vnde & apostolus ex his (vt opinor) motus, in cœlestibus & terrestribus corporibus resurrectionis format imaginem dicens. Alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Et stella ab stella differt in claritate, ita erit & resurrectio mortuorum. Sed & dominus cum dicit: Vt luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes homines opera vestra bona glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, hoc idem commonet eum qui nouit audire. Quod autem Christus semen Abrahæ, & filius Abrahæ sit, si vis euidentius scripturæ verbis discere, audi quomodo in Euangelio scriptum est. Liber, inquit, generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham. In hoc ergo completur & ille sermo quem dicit: Hæreditate capiet semen tuum ciuitates aduersariorum. Quomodo hæreditates cepit Christus ciuitates aduersariorum? Per hoc sine dubio quod in omnem terram exijt sonus apostolorum, & in orbem terræ verba eorum. Vnde & ad iracundiam excitati sunt angeli illi, qui singulas quasque nationes sub potestate retinebant. Cum enim diuideret excelsus gentes secũdum numerum angelorum dei, tũc pars eius facta est Iacob, & funiculus hæreditatis eius Israel. Christus enim ad quem dixerat pater, Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: depellens ipsos angelos potestate & dominatione, quam habebant in nationibus prouocauit eos ad iracundiam. Et idcirco dicit, quia astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersum dominum, & aduersus Christum eius. Et ideo aduersantur etiam nobis, atque agones contra nos & certamina concitant. Hinc & apostolus Christi: Luctamẽ est, inquit, nobis non aduersum carnem & sanguinem, sed aduersum principatus & potestates, & mũdi huius rectores. Propterea ergo vigilandum nobis est, & sollicite agẽdum, quia aduersarius noster, sicut leo rugiens circuit, quærens quem transuoret. Cui nisi restiterimus fortes in fide, rursum nos in captiuitatem reuocabit. Quod si nobis eueniat, ingratum faciemus opus eius, qui cruci suæ affixit principatus & potestates, cum fiducia triumphans eos in semetipsum, & qui venit captiuos dimittere in remissionem. Quin potius fidẽ Christi sequentes, qui triumphauit eos, disrumpamus vincula eorũ, quibus nos deuinxerunt potestati suæ. Vincula verò quibus nos constringunt, passiones, & vitia nostra sunt, quibus tamdiu innectimur, donec carnem nostram crucifigamus cum vitijs & concupiscentijs, & ita demum disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Igitur occupauit semen Abrahæ ciuitates aduersariorum, id est, semẽ verbi, quod est prædicatio Euangelij, & fides Christi. Sed dico. Nunquid iniquitate vsus est dominus, vt eriperet gentes de potestate aduersariorum, & ad fidem suam, deditionémque reuocaret? Nequaquam. Erat enim aliquando pars domini Israel, sed quia peccatis recesserant à Deo suo, propter peccata sua dixit eis deus. Ecce peccatis vestris distracti estis, & propter peccata vestra dispersi estis sub vniuerso cœlo. Sed iterum dicit ad eos. Si fuerit dispersio vestra ab extremo cœli vsque ad extremum eius, inde cõgregabo vos, dicit dominus. Quia ergo principes huius mundi inuaserant partẽ domini, necesse habuit pastor bonus relictis in supernis nonaginta & nouem descendere ad terras, & vnã ouem quæ perierat quærere, inuentamque & humeris reuectam, ad supernum perfectionis ouile reuocare. Sed quid mihi prodest si semen Abrahæ qui est Christus, hæreditate possideat ciuitates aduersariorum, & meam ciuitatem non possideat? si in mea ciuitate, hoc est, in anima mea, quæ est ciuitas Regis magni, neque leges eius, neque instituta seruentur? Quid mihi prodest quod vniuersum mundum subiecit, & aduersariorũ ciuitates possidet, si non & in me aduersarios suos vincat, si non destruat legem, quæ est in membris meis repugnãs legi mentis meæ, & captiuum me ducit in lege peccati? Sic ergo vnusquisque nostrum satis agat, vt & in sua anima, & in suo K corpore vincat Christus aduersarios suos, & subiiciens eos, ac triumphans etiam suæ animæ possideat ciuitatem. Hoc enim modo de parte eius efficimur, de parte meliore quæ est sicut stellæ cœli in claritate, vt & nos benedictionẽ Abrahæ capere possimus, per Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Margin: 1. Cor. 15. — Matt. 5. — Matt. 1. — Gen. 22. — H — Hier. 51. — Deut. 32. — Psal. 2. — Eph. 6. — I — Amos 9. — Tropologia. — Peroratio.

De Rebecca cum exisset ad aquam hauriendam, & occurrisset ei puer Abrahæ.
Homilia X.

ISAAC (inquit scriptura) crescebat, & confortabatur, id est, gaudiũ crescebat Abrahę respicienti nõ ad ea quæ videntur sed quæ nõ videntur. Nõ enim gaudebat de præsentibus Abraham, neq; de diuitijs mundi, & actibus seculi. Sed vis audire Abrahã vnde gauderet? Audi dominum ad Iudæos dicentem: Abrahã pater vester desiderauit, vt videret diem meũ, & vidit, & gauisus est. Per hoc ergo crescebat Isaac, per quod Abrahæ visio illa qua videbat Christi diem & spes quæ in ipso est, gaudia cumulabat. Atq; vtinã efficeremini etiã vos Isaac & essetis gaudiũ matris vestræ ecclesię. Sed vereor ne adhuc in tristitia & gemitu ecclesia filios pariat. An non est ei tristitia & gemitus, cum vos non conuenitis ad audiendum dei verbum, & vix festis diebus ad ecclesiam proceditis? Et hoc non tam desiderio verbi, quàm studio solennitatis, & publicæ quodammodo remissionis obtentu. Quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? Qui licet inutilis seruus sim, accepi tamen à domino distribuendam familiæ dominicæ tritici mensuram. Sed vide quid addit sermo domini, distribuendam inquit, in tempore tritici mensuram. Quid ergo faciam? Vbi vel quando vestrum tempus inueniã? Plurimum ex hoc, imò pene totum tempus mundanis occupationibus teritis in foro, aliud in negotiatione consumitis: alius agro, alius litibus vacat, & ad audiẽdum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? Quid de absentibus conqueror? Præsentes etiã & in ecclesia positi non estis intenti, sed communes ex vsu fabulas teritis, verbo Dei vel lectionibus diuinis terga conuertitis. Vereor ne & vobis dicatur à domino illud, quod per prophetam dictum est. Conuerterunt ad me dorsa, & nõ facies suas. Quid igitur ego faciam, cui ministeriũ verbi Dei creditum? Quæ leguntur mystica sunt, in allegoricis exponenda sunt sacramentis. Possũmne surdis, & auersis auribus ingerere margaritas verbi Dei? Non ita ait apostolus. Vide enim quid dicit. Qui legem, inquit, legitis, legem nõ auditis. Abraham enim duos filios habuit, & cætera. quibus addit: Quæ sunt allegorica. Nunquid sacramenta legis eis aperuit, qui neque audiunt, neque legunt legẽ? Sed legẽ legentibus dicebat: legẽ non audistis. Quomodo ergo potero mysteria legis, & allegorias, quas ab apostolo edocti sumus, aperire & prodere his, quibus & auditio, & lectio legis, incognita est? Asperior fortasse vobis videor, sed non possum linire parietem lapsantem. Timeo enim illud quod scriptum est. Populus meus qui beatificant vos seducũt vos, & semitas pedũ vestrorum conturbant: tanquam filios meos charissimos moneo. Miror si nondum vobis innotuit via Christi. Si ne hoc quidem audistis, quod non est lata & spatiosa, sed arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam. Et vos ergo intrate per angustam portam, relinquite pereuntibus latitudinem. Nox præcessit, dies autem appropinquauit, vt filij lucis ambulate. Tẽpus breue est, superest vt & qui habẽt, tanquã nõ habẽtes sint, & qui vtuntur hoc mũdo, tanquã nõ vtãtur. Sine intermissione orãdũ apostolus præcipit. Vos qui ad orationes nõ cõuenitis, quomodo impletis sine intermissione, qđ semper omittitis? Sed & dñs præcipit, Vigilate & orate ne intretis in tentationẽ. Quod si illi vigilantes & orãtes, & semper verbo Dei adhærentes, tentationẽ tamẽ nequaquã effugerunt, quid faciunt hi qui diebus tantũ solennibus ad ecclesiã cõueniũt? Si iustus vix saluus fiet, peccator & impius vbi parebunt? Piget me dicere aliquid ex his quæ lecta sunt. Nã & apostous dicit de huiuscemodi sermonib⁹, quia ininterpretabiles sunt ad

Margin: Ioan. 8. — Obiurgatio — L — Hier. 32. — Gal. 4. — M — Esa. 3. — 1. Thess. 5. — Marc. 13. — 1. Petr. 4. — Heb. 5.

A ad dicendum, quoniã vos,inquit, imbecilles facti estis ad audiendũ. Videamus tamen hoc quod nobis modo recitatũ est. Rebecca ,inquit, veniebat cum filiabus ciuitatis haurire aquam de puteo.] Rebecca quotidie veniebat ad puteos,quotidie hauriebat aquã. Et quia quotidie vacabat ad puteos,idcirco inueniri potuit à puero Abraham,& in matrimoniũ sociari Isaac. Hęc fabulas putatis esse,& historias narrare in scripturis spiritum sanctum? Animarum est ista eruditio,& spiritalis doctrina, quę te instituit, & docet quotidie venire ad puteos scripturarũ,ad aquas spiritus sancti , & haurire semper ac plenũ vas domũ referre,sicut faciebat & sancta Rebecca. Quæ non aliter iungi potuisset tãto patriarchę Isaac,qui ex repromissione natus est,nisi hauriendo aquas : & in tantum hauriendo, vt non solum potare posset eos,qui domi sunt, sed & puerum Abrahæ: & non tantum puerum,sed & eo vsque abundaret aquis, quas hauriebat de puteis , vt & camelos posset adaquare, vsquequo cessarent , inquit, bibentes . Mysteria sunt cuncta que scripta sunt: vult te Christus sibi desponsare: ad te enim loquitur per prophetam dicens . Desponsabo te mihi in æternum,& desponsabo te mihi in fide & misericordia,& cognosces dominum. Quia ergo vult te sibi desponsare, præmittit ad te istum puerum. Puer iste sermo propheticus est,quem nisi prius susceperis,nubere Christo non poteris: Scio tamen quia nemo inexercitatus & imperitus sermonem propheticum suscipit,sed qui scit haurire aquã de profundo putei: & qui intãtum scit haurire,vt etiam his sufficiat

Genes.24

Osee.2

B qui irrationabiles & peruersi videntur, quorum figuram tenent cameli: vt & ipse possit dicere,quia sapientibus & insipiẽtibus debitor sum. Denique sic dixerat in corde suo puer iste. Ex his,inquit, viginibus,quæ veniunt ad aquam , quæcunque dixerit mihi bibe tu, & camelos tuos adaquabo, ipsa erit sponsa domini mei. Sic ergo Rebecca,quæ interpretatur patiẽtia vt vidit puerum,& inspexit propheticum verbũ, deponit de humero hydriam. Deponit enim elatam Græcæ facũdiæ arrogantiam , & ad tam humilem ac tam simplicem se inclinans propheticum sermonem dicit: Bibe tu,& camelos tuos adaquabo Sed dicis fortasse,si puer prophetici sermonis tenet figuram,quomodo potatur à Rebecca,quam ipse magis potare deberet ? Vide ergo ne forte sicut & dominus Iesus,cum ipse sit panis vitæ, & ipse pascat animas esurientes,ipse rursum esurire se fatetur cum dicit, Esuriui, & dedistis mihi mãducare. & iterum cum ipse sit aqua viua,& potum det omnibus sitientibus, rursum ipse dicit ad Samaritanam, Da mihi bibere: sic & propheticus sermo,cum ipse potum det sitientibus, nihilominus ipse ab his potari dicatur, cum studiosorum exercitia & vigilantiam suscipit. Ista ergo

Matt.25

Ioan.4

C talis anima,quæ agit cuncta patienter,quæ tam prompta est, & tanta eruditione subnixa,quæ de profundis haurire scientiæ fluenta consueuit , ipsa potest copulari nuptiis Christi. Nisi ergo quotidie venias ad puteos: nisi quotidie haurias aquas,non solum alios potare nõ poteris,sed &,ipse quoque sitim verbi Dei patieris. Audi & dominũ dicentem in Euãgeliis. Qui sitit veniat,& bibat. Sed tu(vt video) nec esuris,nec sitis iustitiã, & quomodo poteris dicere: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ,ita desiderat anima mea ad te deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum, quãdo veniã & parebo ante conspectum eius ? Obsecro vos qui auditorio verbi semper adsistitis,patienter accipite , donec paululum negligentes & desides commoneamus. Habetote patiẽtiam, quia de Rebecca nobis,id est de patientia sermo est. Et necesse est nos eos qui collectam negligunt , & audire declinant verbũ Dei paululum per patientiam castigare, qui non desiderant verbum panem vitæ, nec aquam viuam, qui non exeunt de castris,nec procedunt de domibus luteis , vt colligant sibi manna,qui non veniunt ad petram,vt bibant de spiritali petra. Petra enim est Christus,vt apostolus ait. Habetote inquã vos paululum patientiam . Sermo enim nobis est ad negligentes,& eos qui male habent . Sani enim non indigent medico , sed male habentes. Dicite mihi vos qui tantummodo festis diebus ad ecclesiam cõuenitis, cæteri dies non sunt festi? non sunt dies domini? Iudæorum est,dies certos & raros obseruare solennes. Et ideo ad eos dicit Deus. Quia neomenias vestras,& sabbata & diem magnum non sustineo. Ieiunium

Ioan.7

Psal.42

1. Cor.10.

Genes. 15.

Esa.1.

& ferias & dies festos vestros odit anima mea . Odit ergo D deus eos qui vnum diem putant festum diem esse domini. Christiani omni die carnes agni comedunt, id est carnes verbi dei quotidie sumunt . Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Et quia lex Paschæ talis est,vt in vespera comedatur,propterea in vespera mundi passus est dominus, vt tu semper manduces de carnibus verbi, quia semper in vespera es vsquequo veniat mane. Et si in hac vespera sollicitus fueris,& in fletu ac ieiuniis,atque omni labore iustitiæ vitam duxeris, poteris & tu dicere: Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Lætaberis enim mane,id est in seculo futuro,si in hoc seculo fructum iustitiæ in fletu & labore collegeris. Venite ergo & vos dum tempus est, bibamus de puteo visionis vbi Isaac deãbulabat, & vbi procedit ad exercitium. Obserua quanta geruntur ad aquas, vt & tu inuiteris quotidie venire ad aquas verbi Dei,& assistere puteis eius, sicut faciebat Rebecca, de qua dicitur. Virgo erat decora valde, & vir non cognouerat eam. Et hæc,inquit, exiit sero haurire aquam.] Nec hoc frustra scriptum est de ea . Veruntamen mouet me,quid est quod dicitur,virgo erat, vir non cognouerat eam: quasi verò aliqua sit virgo,quam vir contigerit. Et quid tibi videtur additamentum in virgine, vt dicatur quia vir non cognouerat eam? Est enim aliqua virgo quam cõtigerit vir. Sæpe iam dixit quod in his nõ historiæ narrantur, E sed mysteria contexuntur. Tale enim in hoc aliquid indicari puto. Sicut Christus animæ vir dicitur,cui nubit anima cum venit ad fidem: ita & huic contrarius vir ille est, cui nubit anima cum declinat ad perfidiam. Ipse ille qui & inimicus homo dicitur,cũ lolium superserit tritico. Non ergo sufficit animę vt casta sit corpore,opus est vt & vir hic pessimus non cognouerit eam. Potest enim fieri vt habeat quis in corpore virginitatem, & cognoscens istum virum pessimum diabolum atque ab eo concupiscentiæ iacula in corde suscipiens, animæ perdiderit castitatem. Quia ergo Rebecca virgo erat , sancta corpore & spiritu , idcirco eius duplicat laudem,& dicit virgo erat,& vir non cognouerat eam. Vespere ergo venit ad aquas. De vespera iam suprà diximus. Vide autem prudentiam pueri,non vult assumere sponsam domino suo Isaac,nisi quam inuenerit decoram & pulchram facie virginem, & non solum virginem,sed quam non contigerit vir,& nisi quam repererit aquas haurientem, non vult aliam despondere domino suo,non ei dat ornamenta, nisi talis sit, Non dat inaures,non brachialia. Manet incomposita,inerudita, incompta. Putamus quia pater Rebeccæ vir diues non habeat brachialia & inaures,quas imponeret filiæ suæ? Tanta eius negligentia erat,aut auaritia vt filiæ ornamenta non daret ? Sed Rebecca non vult de auro Bathuelis ornari. Non F sunt ei condigna ornamenta hominis barbari & imperiti. De domo Abrahæ requirit monilia , quia patientia de domo sapientis ornatur. Non potuerunt ergo aures Rebeccæ recipere decorem suum,nisi veniret puer Abrahæ,& ipse eas ornaret. Nec manus eius ornamenta sucipiunt , nisi quæ miserit Isaac. Vult enim aurea in auribus suscipere verba, & aureos actus in manibus habere . Sed hæc prius accipere non potuit , nec mereri , nisi venisset ad puteos haurire aquas. Tu qui non vis venire ad aquas, qui non vis in auribus tuis aurea prophetarum verba suscipere , quomodo poteris ornatus esse in doctrina , ornatus in actibus , ornatus in moribus? Sed vt omittamus plurima, neque enim commentandi nunc tempus est,sed ædificãdi ecclesiam Dei, & pigriores ac desides auditores exemplis sanctorum & mysticis explanationibus prouocandi: secuta puerum Rebecca, venit ad Isaac. Secuta enim sermonem propheticum ecclesia venit ad Christum . Et vbi eum inuenit? Ad puteum inquit, iuramenti deambulantem.] Nusquam receditur à puteis , nunquam desistitur ab aquis. Rebecca inuenitur ad puteum. Rursum Rebecca ad puteum inuenit Isaac. Ibi primos eius contemplatur aspectus,ibi desilit de camelis,ibi à puero sibi demonstratum vidit Isaac. Hæc putas sola referri de puteis? Et Iacob ad puteũ venit, & ibi inuenit Rachel,& ibi innotescit ei Rachel bona oculis, & decora aspectu. Sed & Moyses ad puteum inuenit Sefforam filiam Raguhel. Nondum moueris,vt hæc intelligas spiritaliter dici? Aut putas semper casu con-

Psalm. 29.

Math. 13.

Genes. 29.

Exod. 2.

G tingere, vt patriarchæ ad puteos veniant,& ad aquas coniugia sortiantur? Qui hæc ita putat, animalis homo est, & non percipit quæ sint spiritus dei. Sed qui vult maneat in his, maneat animal: ego Paulum Apostolum sequens, dico hæc esse allegorica, & sanctorum nuptias conunctionem dico esse animæ cum verbo Dei. Qui enim iungit se domino, vnus est spiritus cum eo. Hanc autem coniūctionem animæ cum verbo, certum est non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur. Ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, id est meditando in his sensum, intellectum percipiat altiorem, inueniet nuptias deo dignas. Coniungitur enim anima eius cum Deo. Desilit etiam de camelis, id est discedit à vitiis, abiiciet irrationabiles sensus, & coniungetur Isaac. Dignum namque est, vt Isaac transeat de virtute ad virtutem. Qui virtutis filius est Saræ, nunc coniungitur & sociatur patientiæ, quæ est Rebecca. Et hoc est transire de virtute ad virtutem, & ex fide ad fidem. Sed & ad Euangelia veniamus. Ipse dominus cum ex itinere fatigatus fuisset, videamus vbi requiem quærit. Venit, inquit ad puteum, & sedebat super eum. Vides vbique sibi concordare mysteria, vides noui & veteris testamenti consonantes formas. Ibi ad puteos & ad aquas venitur, vt inueniatur sponsa, & Ecclesia Christo in lauacro aquæ coniungitur. Vides quantus nos sacramentorum cumulus perurget, quanta sunt quæ occurrunt, explicare non possumus, saltem hæc incitare te debent ad audiendum, ad cōueniendum, vt etiam si nos aliqua pro breuitate transcurrimus, tu cum relegis & requiris, etiam ipse discutias, & inuenias, certe, vel in horum inquisitione permaneas, vt & te verbum dei inueniens ad aquam assumat, & coniungat sibi, vt efficiaris cum
H eo vnus spiritus in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

1.Cor.6.
Ioan.4.

De eo quod Abraham Cethuram accepit vxorem, & quod Isaac habitauit ad puteum visionis. Homilia XI.

SEMPER nobis sanctus Paulus Apostolus occasiones præbet intelligentiæ spiritalis, & pauca licet, tamen necessaria studiosis ostendit indicia, quibus quod lex spiritalis sit, in omnibus agnoscatur. Ipse igitur de Abraham & Sara disputans quodam loco ait. Non, inquit, infirmatus fide considerauit suū corpus emortuum cum fere centum annorum esset, & emortuam vuluam Saræ. Hunc ergo quem ille dicit emortui corporis in centenario annorum numero fuisse, & Isaac magis virtute fidei quàm corporis fecunditate genuisse, scriptura nunc refert accepisse vxorem Cethuram nomine, & filios ex ea plurimos genuisse, cum fere cētum triginta & septem videretur annorum. Nam Sara vxor eius decem ab eo annis iunior scribitur, quæ centesimo vicesimo & septimo anno defuncta, indicat Abraham super centum triginta septem annorum fuisse, cum Cethuram accepit vxorem. Quid ergo?
I putamus quod in tanto patriarcha per idem tēpus incitamēta carnis viguerint? Et qui olim à naturalibus motibus emortuus dicitur, nunc à libidine rediuiuus putabitur? An (vt sæpe iam diximus) patriarcharum coniugia mysticum aliquid indicant & sacratum? Sicut & ille, qui dicebat de sapientia: Hanc ego cogitaui vxorem adducere mihi. Fortassis ergo iā tunc & Abraham simile aliquid cogitauit, & quamuis esset sapiens, hoc ipso tamen sciebat, quod sapientiæ nullus est finis, nec discendi terminum, senectus imponit. Qui enim cōsueuit eo modo sortiri matrimonium, quo de ipso superius indicauimus, id est, qui virtutem habere in coniugio solet, quando potest ab huiuscemodi cessare coniugio? Saræ nanque dormitio, virtutis est intelligenda consummatio. Qui verò consummatæ & perfectæ virtutis est, semper necesse est vt in aliqua eruditione versetur. Quā eruditionem cōiugem eius sermo diuinus appellat. Secundum hoc puto quod & in lege cœlebs & sterilis maledicto subiacet. Dicit enim: Maledictus qui non reliquerit semen in Israel. Quod si hæc de carnali semine dici putentur, omnes ecclesiæ virgines sub maledicto positæ videbuntur. Et quid de ecclesiæ virginibus dico? Ipse Ioannes, quo maior inter natos mulierum nemo fuit, & alij sanctorum plurimi, semen secundum carnem non reliquerunt, quippe qui nec iniisse quidem matrimonia referuntur. Sed & certum est illo spiritale semen & spiritales filios reliquisse, & habuisse vnum quemque coniugem sapiētiam, sicut & Paulus per Euangelium filios generabat. Accepit ergo senex mortui iam corporis Abraham Cethuram vxorem. Ego puto secundum hanc, quam supra exposuimus rationem, quod melius tunc vxor accipitur, quando emortuū corpus est, quando mortificata sunt membra. Maior enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest, quando mortificatio Christi circunfertur in corpore nostro mortali. Denique Cethura quam nunc senex Abraham sortitur in matrimonium, θυμίαμα interpretatur, quod est incensum, vel bonus odor. Et ipse enim dicebat sicut Paulus dixit, quia Christi bonus odor sumus. Quomodo autē quis Christi bonus odor efficitur, videamus. Peccatū res est fœtida. Denique peccatores porcis comparantur, qui in peccatis velut in stercore fœtido volutantur. Et Dauid ex persona peccatoris pœnitentis dicit: Computruerunt & exesæ sunt cicatrices meæ. Si quis ergo vestrum est, in quo odor peccati iam nullus est, sed odor iustitiæ, suauitas misericordiæ, si quis sine intermissione orando offert domino semper incēsum, & dicit. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, hic Cethuram duxit vxorem. Sic ergo senum nuptias interpretari dignius puto, sic pulchre inita patriarcharum in vltima iam & defecta ætate coniugia, sic necessarias filiorum procreationes existimo numerandas. Ad tales enim nuptias, & huiuscemodi sobolem, non ita iuuenes vt senes apti sunt. Quanto enim quis carne plus fessus est, tanto erit animi virtute robustior, & sapiētiæ complexibus aptior. Sic & ille in scripturis vir iustus Elchana duas simul refertur habuisse vxores, quarum vna Fenenna alia Anna dicebatur, id est, conuersio & gratia. Et primo quidem dicitur de Fenenna filios suscepisse, id est, de conuersione, & postmodum de Anna, quæ est gratia. Profectus etenim sanctorum scriptura figuraliter per coniugia designat. Vnde & tu potes (si vis) huiuscemodi nuptiarum maritus existere. Vt (verbi causa) si hospitalitatē libēter exerces, hanc tibi coniugē videberis assumpsisse. Huic si addideris pauperū curam, secūdam videberis sortitus vxorē. Quod si & patientiam tibi iungas & mansuetudinem, cæterasque virtutes, tot videberis accepisse vxores, quot virtutibus gaudes. Inde ergo est quòd nonnullos patriarcharum simul plures habuisse cōiuges, alios defunctis prioribus accepisse alias, scriptura commemorat: vt illud figuraliter indicetur, quod quidam plures simul possunt exercere virtutes, alij non prius quæ sequuntur incipere, quam priora perduxerint ad perfectum. Inde denique Salomon plures simul habuisse refertur vxores, cui dixerat dominus: Sapiens ante tē non fuit talis, & post te non erit. Quia ergo dederat ei dominus multitudinem prudentiæ, sicut arena est maris, vt iudicaret populum suum in sapientia, ideo plures simul poterat exercere virtutes. Sane prēter hoc, quod ex lege dei edocemur, si etiam ex his eruditionibus, quæ extrinsecus videntur esse in seculo, aliquas contingimus: verbi causa, vt est eruditio literarum, vel artis grammaticæ, vt est geometrica doctrina: vel ratio numerorum, vel etiam dialectica disciplina: & hæc omnia extrinsecus quæsita, ad nostra instituta perducimus, atque in assertionem nostrę legis adsciscimus, tunc videbimur vel alienigenas, in Matrimonium sumpsisse, vel etiam concubinas. Et si de huiuscemodi coniugiis disputando, contradicentes redarguendo, conuertere aliquos poterimus ad fidem, & si suis eos rationibus, & artibus superantes, ad veram philosophiam Christi, & veram societatem Christi pietatem dei suscipere suaserimus: tunc ex dialectica vel rhetorica, videbimur quasi ex alienigena quadam, vel concubina filios genuisse. Igitur ad tales nuptias, vel ad huiuscemodi filios procreandos, per senectam nullus excluditur, imò potius hæc casta progenies maturæ ætati plus cōuenit. Sicut & nunc Abraham grandæuus, & (vt scriptura dicit) senex, & plenus dierum Cethuram ducit vxorem. Sed ne hoc quidem latere nos debet ex his quæ per historiam referuntur, quæ & quales sint generationes, quæ ex ipsa propagantur.

Rom. 4.
Sapiētia senum vxor.
K
2.Cor.2.
Mat.7.
Psal.38.
Psal. 141.
L
1.Reg.1.
πολυγάμια mystica.
Mille numero. 3. Reg. 11. Cant. 6.
M
Artes humanæ concubinæ.

pagantur. Si enim horum meminerimus, facilius de diuersis gentibus quæ in scripturis dicuntur, poterimus agnoscere.

Exod. 2.

Verbi causa, vt cum dicitur quod Moyses accepit vxorem filiam Iethro sacerdotis Madian, qui Madian inuenitur filius fuisse Cethuræ, & Abraham. Agnoscimus ergo, quod vxor Moysi ex semine Abraham sit, & non fuerit alienigena. Sed & cum scribitur regina Cedar, sciendum nihilominus est, quod & Cedar ex ipso genere Cethuræ descendat & Abraham. Sed & in generationibus Ismael similia inuenies. Quas si diligenter intuearis, plurimas in his quæ cæteros latent, historias deprehendas. Sed & nos interim hæc in aliud tempus prætermittentes, ad ea quæ in consequentibus recitata sunt, properemus. Et factum est, inquit, postquam mortuus est Abraham, benedixit dominus Isaac filium eius, & habitauit ad puteum visionis.] De morte Abraham quid nobis amplius dicendum est, quàm sermo domini in Euangelijs continet dicens. De resurrectione autem mortuorum non legistis quomodo dicit in rubo, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus autem non est mortuorum, sed viuorum.

Exod. 3.

Omnes enim illi viuunt. Optemus ergo & nos huiusmodi mortem, sicut & apostolus dicit, vt moriamur peccato, viuamus autem Deo. Talis namque Abrahæ mors intelligēda est, quæ intantum dilatauerat sinus eius, vt omnes sancti qui de quatuor terræ partibus veniunt, in sinum Abrahæ portentur ab angelis. Sed videamus iam quomodo post mortem eius benedixerit dominus Isaac filiū eius, & quæ est ista benedictio. Benedixit, inquit, dominus Isaac, & habitauit ad puteum visionis.]

Puteus visionis.

Hæc est enim omnis benedictio, qua benedixit dominus Isaac, vt habitaret ad puteum visionis. Intelligentibus grandis est ista benedictio. Vtinam & dominus mihi donet hanc benedictionem, vt habitare merear ad puteum visionis. Quis potest scire & intelligere quæ est visio, quam vidit Esaias filius Amos? Quis potest scire quæ est visio Naum? quis potest intelligere quid contineat illa visio quam vidit Iacob in Bethel, cum abiret in Mesopotamiam, vbi dixit: Hæc est domus Dei, & porta cœli? Et si quis potest singulas quasque visiones, vel quæ in lege sunt, vel quæ in prophetis, scire & intelligere, ille habitat ad puteum visionis. Sed & hoc diligētius perspice, quod ita magnam benedictionem accipere à domino meruit Isaac, vt habitaret ad puteum visionis. Nos verò quando satis mereri poterimus, si forte transitum habere possumus per puteum visionis? Ille tamen permanere meruit in visione & habitare, nos quidem parum illuminati per Dei misericordiam sentire, vel suspicari de vnaquaque visione vix possumus.

Esa. 6. *Genes. 28.* *Tres scripturæ sensus*

Si tamē potuero vnum aliquē intellectum sentire de visionibus Dei, vnā diem videbor fecisse ad puteum visionis. Si vero non solum secundum literā, sed aliquid & secundum spiritum attingere, biduum videbor fecisse apud puteum visionis. Quod & si moralem locū contigero, fecerim triduum, vel certe etiam si non potuero omnia intelligere, assidue tamen in scripturis diuinis, & in lege Dei meditor die ac nocte, & omnino nunquam desino, inquirendo, discutiendo, tractando, & certe (quod maximū est) orando Deum, & ab ipso poscendo intellectum, qui docet hominem scientiam, videbor etiam ego habitare ad puteum visionis. Sin vero, negligam, neque domi exercear in verbo dei, neque ecclesiam ad audiendum verbum dei frequenter ingrediar, sicut nonnullos in vobis video, qui diebus tantummodo solennibus ad ecclesiam veniunt, qui huiuscemodi sunt, non habitant apud puteum visionis. Ego autem vereor ne forte qui ita negligentes sunt, etiam cum ad ecclesiam veniunt, non bibant de puteo vitæ, nec reficiantur, sed occupationibus vacent cordis sui & cogitationibus quas secū deferunt, & discedāt nihilominus ab scripturarum puteis sitiētes. Festinate ergo vos, & satis agite, vt ista ad vos domini benedictio veniat, qua apud puteū visionis habitare possitis: vt aperiat dñs oculos vestros, & videatis puteum visionis, & percipiatis ex eo aquā viuā, quæ fiat in vobis fons aquæ saliētis in vitam æternam. Si quis autē raro ad ecclesiā veniat, raro de scripturarum fontibus hauriat, & quæ audit continuo discedens, & alijs negotijs occupatus omittat, hic non habitat apud puteum visionis. Vis tibi ostendam quis est, qui nunquā recedit à puteo visionis? Apostolus Paulus, qui dicebat: Nos

2 Cor 3.

autem omnes reuelata facie gloriam domini speculamur. Et tu ergo si semper perscruteris propheticas visiones, si semper inquiras, semper discere cupias, hæc mediteris, in iis permaneas, percipis & tu benedictionem à domino, & habitas apud puteum visionis. Et tibi enim apparebit dominus Iesus in via, & aperiet tibi scripturas, ita vt dicas, nonne cor nostrū ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas? Apparet autem his, qui de ipso cogitant, & in ipso meditantur, atque in lege eius die ac nocte versantur. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Luc. 24.

De conceptu Rebeccæ, & partu, Homilia XII, secundæ partis.

Exordium. Psal. 118.

PER singulas quasque lectiones cū legitur Moyses, orandus est nobis pater verbi, vt impleat etiam in nobis illud, quod in Psalmo scriptū est. Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua. Nisi enim ipse aperiat oculos nostros, quomodo videre poterimus tanta hæc, quæ in patriarchis sacramenta formantur? Quæ nunc in puteis, nūc in nuptijs, nunc in parturitionibus, nunc etiam in sterilitatibus figurantur. Refert nanque præsens lectio, quod Isaac rogauit Deum pro Rebecca vxore sua, quia sterilis erat, & exaudiuit illū Deus, & concepit: & exultabunt, inquit, pueri in vtero eius. Primo omnium intuere, quid istud est quod plurimæ sanctarum mulierū in scripturis steriles fuisse referuntur, sicut ipsa Sara, ecce & nunc Rebecca. Sed & Rachel dilecta Israel sterilis fuit. Anna quoque mater Samuelis, sterilis scribitur. Sed & in Euāgelijs Helizabet sterilis fuisse memoratur. In omnibus autem istis vnus hic titulus designatur, quod post sterilitatem sanctum omnes ediderint partum. Sic ergo & hæc nunc Rebecca sterilis fuisse dicitur: sed orauit, inquit, Isaac pro ea dominum, & exaudiuit illum & concepit, & exultabāt (ait) pueri in vtero eius. Sterilis hæc ecce quid concepit. Filij sterilis antequam nascantur, exultant, & quę desperauerat sobolem, gētes & populos gestat in vtero. Sic enim dicit: Abiit, inquit, Rebecca interrogare dominū, & dixit ei dominus, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo separabūtur.] Longum est si velimus nunc exultationem puerorum adhuc in vtero habitantium perscrutari. Longum est si de his interpretationes & ænigmata quæ scribit Apostolus proferamus, quid mysterij, quid causæ contineant, cur antequam nascantur pueri, aut aliquid in hoc seculo agāt boni vel mali, dicitur de his, quia populus populum superabit, & maior seruiet minori: cur antequam de matris vtero procederent, dicitur per prophetam, quia Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hæc supra nostram linguam sunt, & supra auditum vestrum. Nūc interim videamus quid est quod dicitur, abijt Rebecca interrogare ad dominum. Abijt. Quo abijt? Ex eo loco in quo non erat dominus, abijt ad eum locum in quo erat? Hoc enim videtur indicare cum dicitur abijt interrogare dominum. Nonne vbique est deus? Nonne ipse dixit, Cœlum & terram ego repleo, dicit dominus? Quo ergo abijt Rebecca? Ego puto quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actū, de bonis ad meliora transierit, de vtilibus ad vtiliora perrexerit, de sanctis ad sanctiora properauerit. Absurdum nanque est si ita putemus imperitam fuisse Rebeccam & indoctam, quæ in domo sapientis Abrahæ sub viro eruditissimo Isaac fuerat instituta, vt intra aliquem locum dominum putauerit esse cōclusum, & illuc iret interrogare, quid paruulorum intra vterū exultatio designaret. Vis autem videre, quia ex more venit hoc sanctis, vt cum aliquid à deo ostendi sibi viderint, vel abire, vel transire se dicant? Moyses cum vidisset rubum ardere, & non exuri, admiratus visū dixit. Transeam, & videbo visum hoc. Non vtique & ipse significabat se aliquod terræ spatiū transiturum, non montes conscendere, nec digredi prærupta cōualliū. Prope ipsum erat visio, in ore & in oculis eius. Sed dicit transeam, vt ostendat se commonitum visione cœlesti ad superiorem vitam debere cōscendere, ab his, in quibus erat, ad meliora trāsire. Sic ergo & nunc refertur de Rebecca, quod abijt interrogare dominum: quæ (vt diximus) abijsse nō passibus pedum, sed mentis profectibus existimā-

Gen. 25. *Sterilitas vnde.* *Malach. 1.* *Hier. 23.* *Abire ad dominum.* *Exod. 3.*

da est. Et tu ergo si cœperis intueri, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, id est, non carnalia, sed spiritalia, non præsentia, sed futura, abiisse diceris interrogare dominũ. Si eruas te de conuersatione veteri, & à consortio eorum cum quibus turpiter & notabiliter vixeras, honestis verò te ac religiosis actibus socies: cũ requisitus fueris inter sodales turpitudinis, & in cæteruis noxiorũ nequaquam fueris repertus, dicetur & dè te, quia abiit interrogare dominum. Sic igitur sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora. Dixit ergo ei dominus: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo segregabuntur. Et populus populum superabit, & maior seruiet minori. Quomodo populus populũ superauerit, id est, ecclesia synagogã, & quomodo maior seruiet minori, etiam ipsis Iudæis licet non credentibus notum est. De his ergo quæ palam sunt, & valde omnibus trita, dicere superfluum puto. Illud (si placet) addamus, quod vnum quenque nostrũ, qui hæc audit, ædificare & instruere queat. Ego puto quod & de singulis nobis hoc dici potest, quia duæ gentes, & duo populi intra nos sunt. Nam & virtutum populus intra nos est, & vitiorum nihilominus populus intra nos est. De corde enim nostro procedunt cogitationes malæ, adulteria, furta, falsa testimonia, doli, contentiones, hæreses, inuidiæ, comessationes, & his similia. Vides quantus malorum populus intra nos est? Si verò mereamur illam vocem dicere sancto spiritui: A timore tuo domine in vtero concepimus, & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram: tunc & alius intra nos populus inuenitur in spiritu generatus. Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, humilitas, mansuetudo, continentia, castitas, & his similia. Vides & aliũ populũ qui & ipse intra nos est: sed iste minor est, ille maior. Semper enim plures sunt mali quàm boni, & vitia numerosiora virtutibus. Sed si tales simus qualis Rebecca, & mereamur de Isaac, id est, de verbo dei habere conceptum, etiam in nobis populus populum superabit, & maior seruiet minori. seruiet etenim caro spiritui, & vitia virtutibus cedent. Et impleti sunt, inquit, dies eius vt pareret, & erant gemini in vẽtre eius.] Hic sermo, id est, impleti sunt dies ei⁹ vt pareret, nunquam ferè nisi de sanctis mulieribus scribitur. De hac nanque Rebecca dictum est hoc, & de Helisabeth matre Ioãnis, & Maria matre domini nostri Iesu Christi. Vnde mihi videtur eximium aliquid, & præter cæteros homines huiuscemodi partus ostendere, & repletio dierum ortum perfectæ sobolis indicare. Exiit autem filius, inquit, primitiuus, rubens, & totus tanquam pellis hirsutus. Cognominauit autem nomen illius Esau. Et postea exiit, frater eius, & manus eius implexa erat calcaneo Esau, & appellauit nomẽ illius Iacob.]

Tropologia. *Mat.15.* G *Esa.26.* *Gal.5.* *Impleti dies* H

Refert de his alia scriptura, quod Iacob supplãtauit in vẽtre fratrem suum, & huius rei indicium sit, quod manus eius implexa erat calcaneo fratris sui Esau. Qui Esau de vtero matris suæ processit hirsutus totus tanquã pellis, Iacob autẽ leuis, & simplex. Vnde & Iacob à luctãdo nomen accepit. Esau verò (vt aiunt, qui Hebræa nomina interpretantur) vel à rubore, vel à terra, id est, rubrus, vel terrenus, vel (vt aliis visum est) factura dictus videtur. Verum quæ sunt istius natiuitatis priuilegia? Cur autẽ ille supplantauerit fratrẽ, & leuis ac simplex natus sit, cum vtique (sicut dicit Apostolus) ex vno fuerint Isaac patre nostro vtriusque filij conceptus, vel cur ille totus hirsutus & horridus, & (vt ita dicam) peccati & nequitiæ squallore circundatus, non est meum discutere. Si enim voluero in altum fodere, & aquæ viuæ latentes venas aperire, continuo aderunt Philistini, & litigabunt mecum, & rixas mihi & calumnias commouebunt, & incipient replere terra sua, & luto puteos meos. Nam vtique si permitterent isti Philistini, & ego volebam accedere ad dominum meum patientissimum Iesum, qui dicit, quia ego venientem ad me non repello: volebam accedere, & sicut dixerunt ei discipuli, Domine, quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Et ego volebam interrogare eum, & dicere, Domine, quis peccauit, hic Esau, an parentes eius, vt sit totus hirsutus, & horridus nasceretur, vt in vtero supplantaretur à fratre? Sed si voluero interrogare de his verbum Dei, & inquirere, statim mihi lites Philistini, & calumnias mouent. Et ideo nos relinquentes hunc puteum, & vocantes eum inimicitiam, alium fodiamus. Post hæc, inquit, seminauit Isaac hordeum, & inuenit centuplum. Benedixit autem illum Dominus, & magnificatus est homo, & processu maior fiebat, quoadusque magnus factus est valde.] Quid est quod Isaac hordeum seminauit, & non frumentũ, & benedicitur in eo quod hordeum seminat, & magnificatur quousque magnus fiat? Apparet ergo, quia nondum magnus erat: sed posteaquam seminauit hordeum, & collegit cẽtuplum, tunc factus est magnus valde. Hordeum, iumẽtorum maxime cibus est, aut seruorum rusticorum. Est enim species asperior, & quæ velut acuminibus quibusdam contingentem stimulare videatur. Isaac sermo Dei est, qui sermo in lege hordeum seminat, & in euangeliis triticum. Illum enim cibum perfectioribus, & spiritalibus, hunc imperitioribus & animalibus parat: quia scriptum est, Homines & iumenta saluos facies domine. Isaac sermo legis hordeum seminat, & tamen in ipso hordeo inuenit centesimum fructum. Inuenis enim & in lege martyres, quorum est centesimus fructus. Sed & dominus noster in euãgeliis Isaac, perfectiora quæque apostolis, turbis autem plebeia & communia loquebatur. Vis autem videre, quod etiam ipsius hordei cibos incipientibus exhibuit? Scriptum est in euangeliis, quod secundo pauerit turbas. Sed illos quos primo pascit, id est, incipientes, hordeaceis panibus pascit. Postea verò, cum iam profecissent in verbo & doctrina, triticeos eis exhibet panes. Sed post hoc Dominus, inquit, benedixit Isaac, & magnus factus est valde. Paruus erat Isaac in lege, sed processu temporis fit magnus. Fit magnus, processu temporis in prophetis. Nam in sola lege nondum magnus est, quippe quæ & velamine tecta est. Crescit ergo iam in prophetis. Cum verò peruenerit ad hoc vsque, vt & velamen abijciat, tunc erit magnus valde. Cum cœperit litera legis, velut palea hordei eius secerni, & apparuerit quod spiritalis est lex, tunc Isaac magnificabitur, & fiet magnus valde. Vide enim quia & dominus in euangeliis paucos panes frangit, & quod milia reficit populorum, & quanti cophini reliquiarum supersunt. Donec integri sunt panes, nemo saturatur, nemo reficitur, nec ipsi panes vidẽtur augeri. Cõsidera ergo nũc, quomodo paucos panes frangimus: de scripturis diuinis paucos sermones assumimus, quod milia hominũ saturãtur. Sed nisi fracti fuerint isti panes, nisi in partes comminuti à discipulis, hoc est, nisi minutatim litera fuerit discussa & fracta, sensus eius ad omnes non potest peruenire. Cum autem pertractare cœperimus, & singula quęque discutere, tunc turbæ quidem quantum poterunt, sumant. Quod autem non potuerint, colligendum est & reseruandum, ne quid pereat. Seruamus ergo & nos, si quid turbæ capere non possunt, & colligimus in cophinis & sportis. Denique cum paulo ante fregissem panem de Iacob & Esau, quanta de illo pane fragmenta superauerunt? Quę nos diligenter recollegimus ne perirent, & seruamus in sportis vel cophinis, vsquequo dominus de ipsis quid etiam fieri iubeat, videamus. Nunc autem quantum possibile est, vel de panibus comedamus, vel de puteis hauriamus. Tẽtemus facere etiam illud, quod sapientia commonet, dicens, Bibe aquas de tuis fontibus, & de tuis puteis, & sit tibi fons tuus proprius. Tenta ergo & tu, ô auditor, habere proprium puteum, & proprium fontem: vt & tu, cum apprehenderis librum scripturarum, incipias etiam ex proprio sensu, proferre aliquem intellectum, & secundum ea quę in ecclesia didicisti, tenta, & tu bibere de fonte ingenij tui. Est intra te natura aquæ viuæ, sunt venæ perennes, & irrigua fluenta rationabilis sensus, si modo non sint terra, & ruderibus oppleta. Sed satis age fodere terram tuam, & purgare sordes, id est, ingenij tui amouere desidiam, & torporem cordis excutere. Audi enim quid dicit scriptura: Punge oculum, & profert lachrymam: punge cor, & profert sensum. Purga ergo & tu ingenium tuum, vt aliquando etiam de tuis fontibus bibas, & de tuis puteis haurias aquam viuam. Si enim suscepisti in te verbum dei, si accepisti ab Iesu aquam viuam, & fideliter accepisti, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam, in ipso Iesu Christo domino nostro, cui est gloria & imperium, in secula seculorum, Amen.

Miscet etymos Esau et Edõ, Esau à factura dicitur: Edõ, vel à rubore, vel à terra. *Rom.9.* *Ioh.6.* *Ioh.9.* I *Facete.* *Hordeum & triticũ.* *Psal.35.* K *Frangere panem.* *Mat.14.* L *Prou.5.* *Eccles.44* M

De

A *De puteis quos fodit Isaac, & repleti sunt à Philistinis. Homilia XIII.*

SOLITA ergo ad puteos semper patriarcharum inuenimus exercitia. Ecce enim, refert scriptura, quod Isaac postquam benedixit illum Dominus, & magnificatus est valde, aggressus est opus magnum. Et cœpit, inquit, fodere puteos. Puteos quos foderunt pueri eius in tempore patris eius Abraham, sed oppilauerunt eos Philistini, & impleuerunt terra. Primo ergo habitauit apud puteum visionis, & illuminatus à puteo visionis, aggreditur alios puteos aperire. Et non primum nouos puteos, sed quos foderat pater eius Abraham. Et cum fodisset primum puteum, zelati sunt, inquit, eum Philistini. At ille zelo eorum non est deterritus, nec cessit inuidiæ: sed iterum, inquit, fodit puteos, quos foderant pueri Abraham patris eius, & oppilauerant eos Philistini post mortem Abrahæ patris eius: & posuit illis nomina, secundum nomina quæ posuerat pater eius. Fodit ergo illos puteos, quos pater suus foderat, & qui per malitiam Philistinorum terra fuerant repleti. Fodit & alios nouos in valle Gerararum, non quidem ipse, sed pueri eius: & inuenit, inquit, ibi puteum aquæ viuæ. Sed rixati sunt pastores Gerararum cum pastoribus Isaac, dicentes suam esse aquam, & appellauit nomen putei iniquitas. Inique enim gesserunt cum eo. Sed Isaac recedit à malitia eorum, & fodit iterum alterum puteum, & pro ipso nihilominus, inquit, altercabantur, & appellauit nomen eius inimicitiam. Et recessit inde, & fodit iterum puteum alium, & non sunt rixati. Ideo & appellauit nomen eius amplitudo, dicens, quia nunc dilatauit nos Deus, & auxit nos super terram. Bene in quodam loco sanctus Apostolus, considerans mysteriorum magnitudinem, dicit: Et ad hæc quis idoneus? Simili modo, imò longè dissimili, quanto longe illo inferiores sumus, etiam nos videntes tantam mysterij altitudinem puteorum, dicimus, & ad hæc quis idoneus? Quis enim digne valeat explicare, vel puteorum sacramenta tantorum, vel eorum quæ gesta pro puteis referuntur, nisi inuocemus patrem verbi viuentis, & ipse in ore nostro verbum dare dignetur, vt sitientibus vobis possimus aliquantulum aquæ viuæ haurire ex his tam copiosis & multiplicibus puteis? Sunt ergo putei, quos foderunt pueri Abraham, sed hos Philistini repleuerunt terra. Hos ergo primum purgare aggreditur Isaac. Philistini aquas oderunt, terram diligunt. Isaac aquas diligit, puteos semper quærit, veteres purgat, nouos aperit. Intuere nostrum Isaac, qui pro nobis oblatus est hostia, venientem in vallem Gerararum, quam interpretantur macheram, siue sepem venientem in aquam, vt medium parietem sepis soluat, & inimicitias in carne sua, venientem tollere macheram, id est, peccatum, quod inter nos separat & Deum, macheram, quæ est media inter nos & cœlestes virtutes, vt faciat vtraque vnum, & ouem quæ errauerat, humeris suis reportet ad montes, & restituat ad alias nonagintanouem, quæ non errauerunt. Hic ergo Isaac saluator noster, cum venisset in istam vallem Gerararum, primo omnium illos puteos fodere vult, quos foderant pueri patris sui, legis scilicet & prophetarum. Vult puteos innouare, quos Philistini terra repleuerant. Qui sunt isti, qui terra puteos replent? Illi sine dubio qui in lege terrenam & carnalem intelligentiam ponunt, & spiritalem ac mysticam claudunt, vt neque ipsi bibant, neque alios bibere permittant. Audi Isaac dominum nostrum Iesum in euangelijs dicentem: Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam tulistis clauem scientiæ, & neque ipsi introistis, neque intrare volentes permisistis. Isti sunt ergo, qui puteos, quos foderant pueri Abraham, terra repleuerunt, qui legem carnaliter docent, & aquam sancti spiritus maculant. Qui puteos ad hoc habent, non vt aquam proferant, sed vt terram ponant. Hos ergo puteos aggreditur fodere Isaac. Et videamus quomodo eos fodit. Cum pueri Isaac qui sunt apostoli domini nostri transirent, inquit, per segetes sabbato vellebant spicas, & confricantes manibus manducabant. Tunc ergo dicebant ei isti, qui terra repleuerant puteos patris eius: Ecce discipuli tui faciunt sabbatis quod non licet. Ille vt terrenum eorum foderet intellectum, dicit ad eos, Non legistis quid fecit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum ipso erant, quomodo intrauit ad Abiatar sacerdotem, & panes propositionis manducauit ipse & pueri sui, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus? Et his addidit, Si sciretis quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam vtique condemnassetis innocentes. Sed illi ad hæc quid referunt? Rixati sunt cum pueris eius, & dicunt, Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Hoc ergo modo fodit puteos Isaac, quos foderant pueri patris sui. Puer patris sui erat Moyses, qui foderat puteum legis. Pueri patris sui erant Dauid & Salomon, & prophetæ, & si qui alij sunt, qui libros scripserant veteris testamenti, quos terrena & sordida repleuerat intelligentia Iudæorum. Quam cum vellet purgare Isaac, & ostendere quia quæcunque lex & prophetæ dixerant, de ipso dixerant, rixati sunt cum eo Philistini. Sed discedit ab eis. Non enim potest esse cum eis, qui in puteis nolunt aquam habere, sed terram. Et dicit eis, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Fodit ergo Isaac & nouos puteos, imò pueri Isaac fodiunt. Pueri sunt Isaac, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: pueri eius sunt, Petrus, Iacobus, Iudas: puer eius est & apostolus Paulus, qui omnes noui testamenti puteos fodiunt. Sed & pro his altercantur illi qui terrena sapiunt, nec noua condi patiuntur, nec vetera purgari. Euangelicis puteis contradicunt, apostolicis aduersantur. Et quoniam in omnibus contradicunt, in omnibus litigant, dicitur ad eos: Quoniam indignos vos fecistis gratia Dei, ex hoc iam ad gentes ibimus. Post hæc ergo fodit tertium puteum Isaac, & appellauit nomen loci illius amplitudo, dicens, quia nunc dilatauit nos Dominus, & auxit nos super terram. Vere enim dilatatus est Isaac, & auctum est nomen eius super terram, cui adimpleuit nobis scientiam trinitatis. Tunc enim tantum in Iudæa notus erat Deus, & in Israel magnum nomen eius nominabatur, nunc autem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Euntes enim pueri Isaac per vniuersum orbem terræ foderunt puteos, & aquam viuam omnibus ostenderunt, baptizantes omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Sed & vnusquisque nostrum, qui verbum Dei ministrat, puteum fodit, & aquam viuam quærit, ex qua reficiat auditores. Si ergo incipiam & ego veterum dicta discutere, & sensum in eis quærere spiritalem, si conatus fuero velamen legis amouere, & ostendere allegorica esse quæ scripta sunt, fodio quidem puteos, sed statim mihi mouebunt calumnias amici literæ, & insidiabuntur mihi, inimicitias continuo & persecutiones parabunt, veritatem negantes stare posse nisi super terram. Sed nos si Isaac pueri sumus puteos aquæ viuæ diligamus & fontes: à litigiosis & calumniatoribus recedamus, & relinquamus eos in terra quam diligunt. Nos verò nunquam cessemus puteos aquæ viuæ fodiendo: & nunc quidem vetera, nunc etiam noua discutiendo, efficiamur similes illi euangelico scribæ, de quo Dominus dixit, quia profert de thesauro suo noua & vetera. Sed & si quis eorum me nunc audiat disputantem, qui seculares literas nouit, dicit fortasse, Nostra sunt ista quæ dicis, & nostræ artis eruditio est: hæc ipsa quæ disputas & doces, nostra eloquentia est. Et mouet mihi lites velut Philistinus quidam, dicens, quia in meo solo fodisti puteum, & videbitur sibi merito vendicare, quæ propriæ terræ sunt. Verum ad hæc ego respondebo, quia habet omnis terra aquas, sed qui Philistinus est, & terrena sapit, nescit in omni terra inuenire aquam, nescit in omni anima inuenire rationabilem sensum ad imaginem Dei, nescit fidem, pietatem, religionem posse in omnibus inueniri. Quid tibi prodest habere eruditionem, & nescire ea vti, & habere sermonem, & nescire loqui? Istud opus proprie puerorum Isaac est, qui in omni terra fodiunt puteos aquæ viuæ, id est, omni animæ verbum Dei loquuntur, & inueniunt fructum. Denique vis videre, vnus puer Isaac, quantos puteos in terra alienigenarum foderit? Vide Paulum, qui ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum repleuit euangelium Dei. Sed per singulos istos puteos, persecutiones passus est Philistinorum. Audi ipsum dicentem: Quanta mihi acciderunt

Marginalia: Gen.26. (B) Rixa pro puteis. Allegoria. (C) Luc.11. Mat.12. (D) Ioan.9. Mat.23. (E) Act.13. (F) Rom.15. 2.Cor.11.

G Iconio, Lystris, quanta in Epheso? Quoties cæsus & quoties lapidatus est? quoties pugnauit ad bestias? sed permansit vsquequo exiret ad latitudinem, id est, vsquequo in totius orbis terræ latitudinem ecclesias collocaret. Sic ergo putei, quos fodit Abraham, id est, scripturæ veteris testamenti, repleti sunt terra à Philistinis: siue malis doctoribus, Scribis, & Pharisæis, siue etiam aduersarijs potestatibus: & obturatæ sunt eorum venæ, ne potum præbeant his, qui ex Abraham sunt. Non enim populus ille bibere potest de scripturis, sed sitim patitur verbi dei, donec veniat Isaac, & aperiat eos vt bibant pueri sui. Gratia ergo filio Abrahæ Christo, de quo scriptū est, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, qui venit & aperuit nobis puteos. Ipsos enim aperiebat illis, qui dicebant: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas? Aperuit ergo hos puteos, & vocauit eos, sicut vocauerat eos Abraham pater eius. Non enim immutauit vocabula puteorum. Et est mirum quod Moyses etiam apud nos Moyses appellatur, & Prophetæ vnusquisque suo nomine appellantur. Non enim Christus in eis nomina, sed intelligentiam commutauit. Commutauit autem in eo, vt iam vltra non attendamus Iudaicis fabulis, & genealogijs infinitis: qui à veritate quidem auditum auertant, ad fabulas autem conuertantur. Aperuit ergo puteos, & docuit nos, vt non in aliquo loco quæramus deum, sed sciamus quod in omni terra offertur sacrificium nomini eius. Nunc enim illud est tempus quando veri adoratores adorant patrem, neque in Hierosolymis, neque in monte Garizin, sed in spiritu & veritate. Non ergo in loco, neque in terra habitat deus, sed in corde habitat. Et si locum dei requiris, cor mundum est locus eius. In hoc nanque loco habitaturum se dicit, cum per prophetam ait: Habitabo in eis, & inambulabo: & ipsi erunt mihi populus, & ego ero illis deus: dicit dominus. Vide ergo quia forte etiam in vniuscuiusque nostrum anima est puteus aquæ viuæ, est quidam cœlestis sensus, & imago dei latens: & hunc puteum Philistini, id est, potestates aduersæ repleuerunt terra. Quali terra? Carnalibus sensibus, & terrenis cogitationibus, & propterea portauimus imaginem terreni. Tunc ergo cum portaremus imaginem terreni, Philistini repleuerunt terra puteos nostros. Sed nunc quoniam venit noster Isaac, suscipiamus eius aduentum, & fodiamus puteos nostros, & abijciamus ab eis terram: purgemus eos ab omnibus sordibus, & à cunctis cogitationibus luteis & terrenis, & inueniemus in eis aquam viuam, illā quam dicit dominus, qui credit in me, flumina de ventre ei fluent aquæ viuæ. Vide quanta sit liberalitas domini. Puteos repleuerunt Philistini, & venas nobis aquarum exiles & tenues inuiderunt, & pro his nobis fontes redduntur & flumina. Si ergo & vos hodie hæc audientes fideliter percipiatis auditum, operatur & in vobis Isaac, purgat corda vestra à terrenis sensibus & videntes hæc tanta mysteria in scripturis diuinis esse latentia, proficitis in intellectu, & proficitis in spiritalibus sensibus. Incipietis etiam ipsi esse doctores, & procedent ex vobis flumina aquæ viuæ. Adest enim verbum dei, & hæc nunc eius est operatio, vt de anima vniuscuiusque nostrum remoueat terram, & aperiat fontem viuum. Intra te enim est, & nō extrinsecus venit, sicut & regnum dei intra te est. Et mulier illa, quæ perdiderat drachmam, non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua, posteaquam accendit lucernam, & mundauit domum sordibus & immunditijs, quas longi temporis ignauia & hebetudo congesserat, & ibi inuenit drachmam. Et tu ergo si accendas lucernam, si adhibeas tibi illuminationem spiritus sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam. Intra te nanque est collocata imago regis cœlestis. Cùm enim faceret hominem ex initio deus, ad imaginem & similitudinem suam fecit eum: & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit. Hæc in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immunditijs & ruderibus repleta. Iste fons scientiæ intra te erat situs, sed non poterat fluere, quia Philistini repleuerant eum terra, & fecerant in te imaginem terreni. Sed tu portasti quidem tunc imaginem terreni, nunc verò his auditis ab illa omni mole & oppressione terrena per verbum dei purgatus, imaginem cœlestis in te splendescere facito. Hæc ergo imago est de qua dicebat pater ad filium, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Filius dei est pictor huius imaginis. Et quia talis ac tantus est pictor, imago eius obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago dei in te, licet tu tibi ipse superducas imaginem terreni. Istam picturam tu tibi ipse depingis. Cùm enim te libido fuscauerit, induxisti vnum colorem terrenum. Si verò & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cum te ira sanguineum facit, addis nihilominus & tertium colorem. Superbiæ quoque alius additur fucus, & impietatis alius. Et sic per singulas quasque malitias, velut diuersis coloribus congregatis, hanc imaginem terreni, quàm Deus in te non fecit, vt tibi ipse depingis. Propterea ergo deprecandus est nobis ille, qui dicit per prophetam: Ecce ego deleo sicut nubem inquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Et cum deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tūc resplendebit in te imago illa quæ à deo creata est. Vides quomodo diuinæ scripturæ formas inducunt & figuras, quibus ad agnitionem vel purgationem sui anima doceatur. Vis adhuc & aliam videre formam huius imaginis? Sunt quædam literæ quas deus scribit, quædam literæ quas nos scribimus. Peccati literas nos scribimus. Audi apostolum dicentem: Delens, inquit, quod aduersum nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci suæ. Istud quidem quod dicit chirographum, peccatorū nostrorum cautio fuit. Vnusquisque etenim nostrum, in his quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit. Quia & in iudicio dei, quod Daniel consedisse describit, libros dicit apertos, sine dubio qui peccata hominum continerent. Hos ergo ipsi nobis scribimus per ea quæ delinquimus. Huius enim rei & illa imago est, quæ in euangelio dicitur de villico iniquitatis, qui ad vnumquenque debitorem dicit, accipe literas tuas, & sedens scribe octoginta, & cætera quæ referuntur. Vides ergo quia vnicuique dicitur, accipe literas tuas. Vnde constat nostras esse literas peccati, literas autem iustitiæ deus scribit. Ita enim dicit Apostolus: Vos enim estis epistola scripta, non atramento, sed spiritu dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Habes ergo in te literas dei, & literas spiritus sancti. Si verò delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographū. Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi, & ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, & in fonte baptismi deletum est. Non rescribas vltra quæ deleta sunt, nec repares quæ abolita sunt: solas in te serua literas dei, sola in te permaneat scriptura spiritus sancti. Sed redeamus ad Isaac, & fodiamus cum ipso puteos aquæ viuæ: etiamsi obsistunt Philistini, etiam si rixantur, nos tamen perseueremus cum ipso puteos fodiendo, vt & nobis dicatur, bibe aquam de tuis fontibus, & de tuis puteis: & intantum fodiamus, vt superabundent aquæ putei in plateis nostris, vt non solùm nobis sufficiat sciētia scripturarum, sed & alios doceamus, & alios instruamus, vt bibant homines, bibant & pecora. Audiant prudentes, audiant simplices quique: sapientibus & insipientibus debitor est doctor ecclesię, potare homines, potare debet & pecora: quia & propheta dicit: Homines & iumenta saluos facies domine. illuminante nos, & purgante corda nostra ipso domino Iesu Christo saluatore nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matth.1 Luc.24 Matth.1 Ioan.4 Leuit.26 Moralis. Luc.15 Genes.1 Esa.44 Col.2 Dan.7 2.Cor.3 Prou.5 Psal.35

De eo quod apparuit dominus Isaac ad puteum iuramenti, & de pacto quod composuit cum Abimelech Homilia XIIII.

SCriptum est in propheta ex persona domini dicentis, Et in manibus prophetarum assimilatus sum. Qui sermo illud indicat, quod cum vnus sit dominus noster Iesus Christus per substantiā suā, & nihil aliud quàm filius dei sit, in figuris tamē, & formis scripturarū, varius ac diuersus ostēditur. Verbi gratia sicut in superioribus exposuisse nos memini, quòd ipse fuisset in typo Isaac, cū offeretur ad holocaustū, ipsius tamen & aries formam teneret. Ego amplius dico quod in angelo qui locutus est ad Abraham, & dicit ei, ne inijcias manum tuam in puerum,

Ose.12 Regula ad allegorias faciens.

A in puerum, ipse ostenditur, quia iterū dicit ad eum: Propterea quod fecisti verbum hoc, benedicens benedicam te. Ouis, vel agnus qui immolatur in pascha, ipse dicitur, & ouium pastor ipse signatur: & pontifex, qui offert sacrificium, nihilominus ipse describitur. sponsus tanquam verbum Dei ipse appellatur, & tanquam sapientia ipse rursus sponsa nominatur: sicut & propheta dicit ex persona ipsius, Tanquam sponso posuit mihi mitram, tanquam sponsam adornauit me ornamento: & multa alia, quę nunc interim persequi longum est. Sicut ergo ipse Dominus pro loco & tempore, formam sui singulis quibusque accommodat causis: ita etiam sancti, qui eius typum gerebant, pro locis & temporibus & causis, mysteriorum figuras egisse credendi sunt: sicut & nunc fieri in Isaac videmus, de quo recitatum est nobis. Ascendit, inquit, inde ad puteum iuramenti, & apparuit ei Dominus nocte illa, & dixit: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere. Tecum enim sum, & benedicam te, & multiplicabo semen tuum, propter Abraham patrem tuum.] Huius Isaac duas nobis figuras exposuit apostolus Paulus: vnam qua dixit, quod Hismahel quidem filius Agar, populi secundum carnem, Isaac verò populi qui ex fide est, formam tenet: & aliam qua ait, non dixit ex seminibus, quasi in multis, sed semini tuo tanquam in vno, qui est Christus. Tenet ergo Isaac populi figuram, & Christi. Christum autem tanquam verbum Dei, non solum in euāgelijs loqui, sed & in lege certum est & prophetis. Verum in lege incipientes, in euangelijs perfectos, docet. Et Isaac ergo formam nunc verbi, quod in lege vel prophetis est, tenet. Ascendit igitur Isaac ad puteum iuramenti, & apparuit illi Dominus. Ascensionem legis, & ante iam diximus ornatum templi esse, & eorum quæ inibi diuina gerebantur obsequia. Potest & augmentum prophetarum legis ascensio nominari: & propterea forte ad puteum iuramenti ascendisse B dicitur, & ibi apparuisse ei Dominus. Nam per prophetas iurauit Domius, & non pœnitebit, quod ipse sit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ad puteum ergo iuramenti, visus est ei Deus, futura in eo promissa confirmās. Et ædificauit ibi altare Isaac, & inuocauit nomen Domini, & fixit ibi tabernaculum suum. Foderunt autem ibi pueri Isaac puteum.] Ædificat quidem Isaac etiam altare in lege, & figit tabernaculum suum. In euangelijs verò, non tabernaculum figit, sed domum ædificat, & fundamentum collocat. Audi enim dicentem sapientiam de Ecclesia. Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, & supposuit septem columnas. Audi de hoc etiam Paulum dicentem, Fundamentum enim nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Iesus Christus. Vbi ergo tabernaculum est, etiam si figatur, sine dubio resoluendum est: vbi verò fundamenta sunt, & supra petram ædificatur domus, nunquam resoluitur domus illa. Fundata enim est supra petram. Fodit tamen & ibi puteum Isaac, nec vnquam cessat puteos fodiendo, donec fodiatur fons aquæ viuæ, & fluminis impetus lętificet ciuitatem Dei. Sed & Abimelech ille, qui dudum honorauerat Abrahā, venit nunc cum amicis suis de Geraris ad Isaac. Et dicit illis Isaac: Quid venistis ad me? Vos enim odistis me, & eiecistis me à vobis. Ad hęc illi respondent: Videntes, inquit, vidimus, quia est Dominus tecum, & diximus: Fiat coniuratio inter nos & te, & consti- C tuamus tecum pactum, ne facias nobiscum mala, &c.] Iste Abimelech, vt video, non semper pacem habet cum Isaac, sed aliquando dissidet, aliquando pacem requirit. Si meministis quomodo in superioribus diximus de Abimelech, quod personam teneat studiosorum & sapientium seculi, qui per eruditionem philosophiæ, multa etiam ex veritate comprehenderunt: intelligere potestis, quomodo hic cum Isaac, qui verbi Dei, quod in lege est, tenet figuram, neque in dissentione semper potest esse, neque semper in pace. Philosophia enim neque in omnibus legi Dei contraria est, neque in omnibus consona. Multi enim philosophorum vnum esse Deum, qui cuncta creauerit, scribunt. In hoc consentiunt legi Dei. Aliquanti etiam hoc addiderūt, quod Deus cuncta per verbum suum, & fecerit, & regat, & verbum Dei sit, quo cuncta moderentur. In hoc non solum legi, sed etiam euangelijs consona scribunt. Moralis verò & physica, quæ dicitur philosophia, pene omnia quæ nostra sunt, sentiunt. Dissident verò à

Gen.22. *Esa.61.* *Gen.26.* *Gal.4.* *Ibid.* *Psal.110.* *Prouer.8.* *1.Cor.3.* *Mercurius & Plato.*

nobis, cum Deo dicunt esse materiam coæternam. Dissident D cum negant Deum curare mortalia, sed prouidentiam eius supra lunaris globi spacia cohiberi. Dissident à nobis, cum vitas nascentium stellarum cursibus pendunt. Dissident, cum sempiternum dicunt hunc mundum, & nullo fine claudendum. Sed & alia plurima sunt, in quibus nobiscum, vel dissident, vel concordant. Et ideo Abimelech, secundum hanc figuram, aliquando in pace esse cum Isaac, aliquando dissidere describitur. Sed & hoc non puto quod ociose spiritui sancto, qui hæc scribit, curæ fuerit comprehendere, quod duo alij cum Abimelech venerint, id est, Ochozach gener eius, & Ficol dux exercitus eius. Interpretatur autem Ochozach, tenens, & Ficol os omnium. Ipse autem Abimelech, pater meus rex. Qui tres (vt ego arbitror) imaginem totius philosophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes diuiditur, logicam, physicam, ethicam, id est, rationalem, naturalem, moralem. Rationalis est illa, quæ Deum patrem omnium confitetur, vt est Abimelech. Naturalis illa est, quæ fixa est, & tenet omnia, velut naturæ ipsius viribus nitens, quam profitetur Ochozach, qui dicitur tenens. Moralis est, quæ in ore est omniū, & ad omnes pertinet, & pro communi similitudine præceptorum, in omnium ore versatur, quam designat iste Ficol, qui os omnium interpretatur. Hi ergo omnes in huiuscemodi eruditionibus instituti, veniunt ad legem Dei, & dicunt. Videntes vidimus, quia est Dominus tecum, & diximus: Fiat coniuratio inter nos & inter te, & constituamus tecum pactum, ne facias nobiscum mala, sed quemadmodum nos te non sumus execrati, ita & tu benedictus Domino. Possunt quidem isti tres, qui pacem requirunt à verbo Dei, & præuenire cupiunt pacto E societatem eius, figuram tenere Magorum, qui ex Orientis partibus, veniunt eruditi paternis libris, & institutionibus maiorum, & dicunt, Quia videntes vidimus natum regem, & vidimus, quia Deus est cum ipso, & venimus adorare eum. Sed & si quis ille est, qui huiuscemodi eruditionibus institutus, videns quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & admiratus operum eius maiestatem dicat, videntes vidimus, quia est Dominus tecum, & diximus, Fiat coniuratio inter nos. Ascendens enim ad legem Dei, necessario dicit. Iuraui & statui custodire mandata tua. Sed quid petunt? Ne facias nobis, inquiunt, mala: sed sicut nos te execrati non sumus, ita & tu benedictus Domino. Remissionem peccatorum per hæc deposcere mihi videntur, ne recipiant mala. Benedictionem postulant, non retributionem. Denique vide quid sequitur. Et fecit illis, inquit, conuiuium magnum Isaac, & manducauerunt & biberunt. Certum est enim, quia qui ministrat verbum, sapientibus & insipientibus debitor est. quia ergo conuiuium sapientibus exhibet, idcirco dicitur, quia non paruum, sed magnum conuiuium fecit. Et tu, si non sis adhuc paruulus, & lacte non indigeas, sed exercitatos deseras sensus, & eruditione plurima præmissa, ad intelligentiam verbi Dei capacior venias, fit etiam tibi conuiuium magnum. Non tibi holera languidorum parabitur cibus, nec lacte nutrieris, quo paruuli nutriuntur, sed faciet tibi minister verbi conuiuium magnum. Loquetur tibi sapientiam, quæ inter perfectos profertur, sapientiam Dei in mysterio absconditam proferet tibi, quam nemo principum huius seculi cognouit. Reuelabit tibi Christum secundum hoc, quod in eo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi sunt. Faciet ergo tibi conuiuiūmagnum, & ipse tecum epulabitur, si te non inueniat talem, vt dicat tibi: F quia non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam Corinthijs hoc dicit, quibus & addit: Cum enim sint inter vos contentiones, & dissentiones, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Istis non fecit magnum conuiuium Paulus, intantum, vt cum esset apud eos, & egeret, nulli oneri esset, nec panem gratis ab aliquo manducaret: sed sibi & omnibus qui secum erant, nocte & die laborantes, manus suæ ministrarent. Tam ergo longe aberant Corinthij, quibus magnum conuiuium fieret, vt nec minimum quidem, vel exiguum apud eos prædicator verbi Dei potuerit habere conuiuium. Qui verò sciunt audire perfectius, qui eruditos & exercitatos ad audien-

Philosophia mundana. *Psal.118.* *Philosophia præparat ad Theologiā.* *1.Corint.3.* *1.Corint.1.*

G dum verbum Dei deferunt sensus, istis fit magnum conuiuium: cum istis epulatur Isaac, & non solum epulatur, sed & surgens cum iuramento eis pacem de futuris promittit. Oremus ergo & nos tali mente, tali fide accedere ad audiendum verbũ dei, vt facere nobis dignetur conuiuium magnum. Sapientia enim iugulauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, & misit seruos suos, qui omnes quotquot inuenerint, perducant ad conuiuium suum. Tantum est, vt & nos ingressi conuiuium sapientiæ non rursum nobiscum indumenta insipientiæ deferamus, non infidelitatis veste circundati, non peccatorum maculis fucati: sed in simplicitate & puritate cordis amplectamur verbum, & diuinæ sapientiæ famulemur, qui est Christus Iesus dominus noster, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Pro.8

De eo quod scriptum est. Et ascenderunt ex Aegypto, & venerunt in terram Chanaan, ad Iacob patrem suum, & nunciauerunt ei dicentes, quia filius tuus Ioseph viuit, & ipse principatum agit totius terræ Aegypti. Genes. Cap. XLV. & XLVI. Homilia XV.

Ascendere & descendere quid

OBSERVANDVM nobis est scripturas sanctas legentibus, quomodo in singulis quibusque locis ascendere commemoratur, & descendere. Si enim diligẽtius consideremus, inueniemus quia H nunquam ferè in sanctum quis locum dicitur descendisse, neque ad vituperabilem conscendisse memoratur. Quæ obseruationes ostendunt scripturam diuinam non (vt plurimis videtur) inerudito & agresti sermone compositam, sed secundum disciplinam diuinæ eruditionis aptatam: neque tantum historicis narrationibus, quantum rebus & sensibus mysticis seruientem inuenies. Ergo scriptum est eos, qui ex semine Abraham nascuntur, descendisse in Ægyptum, & rursum filios Israel ascendisse de Aegypto. Denique & de ipso Abraham sic dicitur: Ascendit autem Abraham de Ægypto, ipse & vxor eius, & omnia quæ eius erant, & Loth cum ipso in desertum. Tum deinde & de Isaac dicitur, quia apparuit ei dominus, & dixit ei. Ne descendas in Aegyptum. Sed & Ismaelitæ, qui portabant θυμιάματα & rhesinam, & guttam, & ipsi ex semine Abraham erant, in Aegyptum descendere referuntur, cùm quibus Ioseph descendisse in Aegyptum dicitur. Sed & post hæc, videns, inquit, Iacob quia est commercium frumenti in Aegypto, dixit ad filios suos. Vt quid desides estis? Ecce audio quia est frumentum in Aegypto. Descendite illuc, & emite nobis escas, vt viuamus, & non moriamur. Et paulo pòst: Descenderunt, inquit, fratres Ioseph in Aegyptum comparare frumentum. Sanè cùm detẽtus fuisset Simeon in Aegypto, & nouem fratres eius dimissi reuerterentur ad patrem, non est scriptum quia ascenderunt ex Aegypto, sed imponentes, inquit, frumentum super asinos suos abierunt. I Neque enim digne dicerentur ascendere, quorum frater vinctus tenebatur in Aegypto, cum quo & ipsi mente & animo soliciti, velut quibusdam charitatis vinculis cruciabantur adstricti. Cùm autem recepto fratre, & agnito Ioseph, sed & Beniamin in oculis eius oblato, cùm lętitia reuertuntur, tunc dicitur quia ascenderunt ex Aegypto, & venerunt in terram Chanaan ad Iacob patrem suum. Tunc etiam, quando dicunt ad patrem, quia Ioseph filius tuus viuit, & ipse principatum tenet & agit totius terræ Aegypti. Necessario enim ab infimis & humilibus dicuntur ad ardua & excelsa conscendere, qui Ioseph viuere nunciant, & principatum totius Aegypti gerere. Hæc interim ad præsens nobis occurrere de ascensione & descensione potuerunt: ex quibus studiosi quique occasiones habere possunt, plura de scripturis sanctis pro huiusmodi assertione probamenta colligere. Videamus sanè quomodo audire debeamus de eo quòd scriptum est, quia Ioseph filius tuus viuit. Ego hæc non communiter dicta suscipio. Si enim (verbi causa) ponamus quia potuisset vinci à libidine, & peccasset cum vxore domini sui, nõ puto quod hoc à patriarchis de eo nunciatum fuisset patri eius Iacob, quia filius tuus Ioseph viuit. Hoc enim si fecisset, sine dubio non viuebat. Anima enim quę peccat,

Gen.13
Gen.26
Gen.37
Gen.41

ipsa morietur. Sed & Susanna eadem docet, cùm dicit: An- K gustiæ mihi sunt vndique. Si enim hoc fecero (id est, si peccauero) mors mihi est: & si non fecero, non effugiam manus vestras. Vides ergo & ipsam mortẽ in peccato posuisse. Sed & ad primum hominem à deo prolata sententia, eadem continet, cum dicit: Qua die manducaueritis ex eo, morte moriemini. Statim nanque vt præuaricatus est mandatum, mortuus est. Mortua est enim anima quæ peccauit, & arguitur serpens fefellisse, qui dixit, non morte moriemini. Et hæc de eo quod dictum est à filijs Israel ad Iacob, quia Ioseph filius tuus viuit. Quibus similia etiam in posterioribus referuntur, cum dicitur. Et resuscitatus est spiritus Iacob patris eorum: & dixit Israel, magnum mihi est, si adhuc Ioseph filius meus viuit. Quod in Latino dicitur resuscitatus est spiritus eius, in Græco ἀνεζωπύρησεν scriptum est. Quod non tam resuscitare, quàm reaccendere (vt ita dicam) significat, & reignire. Quod dici solet, cùm forte in aliqua materia ignis eousque deficit, vt extingui videatur, & si forte fomentis adhibitis reparetur, reaccensus dicitur. Aut si lucernæ lumen eousque perueniat, vt putetur extingui, si forte infuso oleo resuscitetur, licet minus polito sermone, reaccensa lucerna dicitur. Similiter & de lampade, vel alijs huiuscemodi luminibus appellabitur. Tale ergo aliquid & in Iacob indicare videbitur hic sermo, quòd donec longè fuit ab Ioseph & non est ei annunciatum de vita eius, veluti defecerat in eo spiritus eius, & lumen quod in ipso fuit, fomentis deficientibus iam fuerat obscuratum. Vbi verò venerunt, qui ei annũciarent de vita eius, id est, qui dicerent, quia vita erat lux hominum, reaccendit in se spiritum suum, & reparatus est in eo L fulgor luminis veri. Quod autem possit interdum diuinus ignis extingui etiam in sanctis & fidelibus, audi Apostolum Paulum præcipientem his, qui dona spiritus & gratiam merebantur accipere, & dicentem: Spiritum nolite extinguere. Tanquam ergo tale aliquid passus fuerit Iacob, quale Paulus præcepit fieri non debere, & reparauerit se per ea, quæ ei nunciata fuerant de vita Ioseph, dicitur de eo. Et reaccendit spiritum suum Iacob, & dixit Israel: Magnum mihi est, si adhuc filius meus Ioseph viuit. Sed hoc obseruandũ est, quia qui reaccẽdit spiritũ suũ, eum scilicet, qui penè videbatur extinctus, Iacob dicitur. Ille autẽ qui dicit, Magnum mihi est, si filius meus Ioseph viuit, quasi intelligens & viuens magnam esse vitam quæ est in Ioseph, spiritalis iste nõ iam Iacob, sed Israel scribitur, tanquam qui mente videat veram vitam, quę est verus deus Christus. Non solum autẽ de hoc motus est, quod audiuit, quia Ioseph filius tuus viuit, sed & de illo maxime, quod annunciatum est ei, quia ipse sit qui principatum teneat totius Aegypti. Hoc enim verè magnum est ei, quod in ditionem suam redegit Aegyptũ. Calcare enim libidinẽ, fugere luxuriã, omnésque voluptates corporis premere ac frenare, hoc est principatum gerere totius Aegypti. Et hoc est quod apud Israel magnũ dicitur, & in admiratione habetur. Si quis verò est, qui aliqua M quidem vitia corporis subiuget, alijs verò cedat & subiaceat, de isto non integre dicitur, quia principatum agit totius terrę Aegypti, sed (verbi causa) vnius forte, aut duarum, vel triũ ciuitatum videbitur gerere principatum. Ioseph verò cui nulla corporis libido dominata est, totius Aegypti princeps & dominus fuit. Dicit ergo non iam Iacob, sed Israel reaccẽso spiritu. Magnũ mihi est, si adhuc Ioseph filius meus viuit, ibo & videbo eum antequam moriar. Sed ne hoc quidem otiose relinquendum est, quod non animam, sed spiritum, tanquam meliorem sui partem, resuscitatum, vel reaccensum dicit. Splendor etenim lucis, qui erat in eo, etiam si extinctus in eo penitus non est, tunc cum obtulerunt filij eius tunicam Ioseph, hœdi sanguine maculatam: sed mendacio eorum decipi potuit, ita vt scinderet vestimenta sua, & poneret saccum super lumbũ suũ, & lugeret filiũ suũ, nec vellet omnino consolari, sed diceret quia descendo ad filium meum lugens in infernum, tunc etiam si (vt diximus) non erat penitus extinctum in eo lumen, maxima tamen ex parte fuerat obscuratum, quod decipi potuit, quod vestimenta scindere, quod falso lugere, quod implorare mortem, quod in infernũ cuperet lugẽdo descẽdere. Propter hęc ergo nũc resuscitat &

Dan.13
Gen.2
Gen.3
Gen.45
Hoc de suo addit interp.
1.Theß.5
Israel videns deum.

A tat & reaccendit ſpiritũ ſuũ, quia conſequens erat, vt lumen, quod in eo obſcurauerat fraus mendacij, reaccenderet & refoueret veritatis auditus. Verum quia diximus, quod Iacob eſt qui reaccendit ſpiritum ſuum: Iſrael verò eſt, qui dicit, Magnum mihi eſt, ſi adhuc filius meus Ioſeph viuit, potes & tu, qui hæc audis, incipiens ab eo loco, vbi ſcriptum eſt, quia dixit ei, Iam non Iacob vocabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quia inualuiſti ad Deum, & cum hominibus potens factus es: omnem ſcripturam decurrens, inuenire huius vocabuli differentiam. Verbi cauſa, cum dicit, Annũcia mihi nomen tuum, hic is qui ignorat nomen, non Iſrael eſſe dicitur, ſed Iacob. Vbi verò non edunt neruum, qui obſtupuit in latitudine femoris patriarchæ, non filij Iacob, ſed filij Iſrael eſſe dicuntur. Ille verò qui reſpiciens, vidit Eſau venientem, & cum ipſo quadringentos viros, & adorauit ſepties fornicatorem, & profanum, & eum qui pro vna eſca vendidit primogenita ſua, non Iſrael, ſed Iacob dicitur. Sed & cum ei offert dona, & dicit: ſi inueni gratiam coram te, ſuſcipe hæc munera de manibus meis, propter quod vidi faciem tuam, ſicut qui videt faciem Dei: hic non erat Iſrael, ſed Iacob. Et vbi audiuit quia cõtaminata eſt Dina filia eius, & tacuit Iacob, vſquequo conuenirent filij eius, non dicitur Iſrael. Sed & tu, vt dixi, ſimilia ſi obſerues, inuenies. In præſenti igitur lectione, non

Gen.32. Iſrael fortis Deo. Gen.33. Gen.34.

B Iacob, ſed Iſrael dicit: Magnum mihi eſt, ſi adhuc filius meus Ioſeph viuit. Sed & cum venit ad puteum iuramenti, & offert hoſtias Deo patris ſui Iſaac, non Iacob dicitur, ſed Iſrael. Verum ſi requiras, cur in viſu nocte loquens ad eum Deus, non dicit Iſrael, ſed Iacob: forte propter hoc, quia nox erat, & adhuc per viſum, & nõdum palàm vocem Dei audire merebatur. Et cum intrat in Aegyptum, non Iſrael, ſed Iacob dicitur, & filij eius cum ipſo. & cum ſtat ante Pharaonem, vt benedicat eum, non Iſrael, ſed Iacob nominatur. Neque enim capiebat Pharao Iſraelis benedictionem. Et Iacob non Iſrael eſt, qui dicit ad Pharaonem, quia parui & peſſimi ſunt dies vitæ ſuæ. Quod vtique nũquam diceret Iſrael. Poſt hæc verò, non de Iacob, ſed de Iſrael dicitur, quia vocauit filium ſuum Ioſeph, & dicit ei: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facies ſuper me miſericordiam & veritatem. Et qui adorauit ſuper faſtigium virgæ Ioſeph, non erat Iacob, ſed Iſrael. Tum deinde cum benedicit filios Ioſeph, Iſrael dicitur. Et cum conuocat filios ſuos, dicit: Conuenite, vt annunciem vobis, quæ eueniẽt vobis in nouiſſimis diebus. Congregamini filij Iacob, & audite Iſrael patrem veſtrum. Sed fortaſſe requires, quare filij Iacob dicuntur, qui conueniunt. Iſrael verò dicitur, qui benedicit eos. Vide ne forte hoc indicetur, quod illi nondum eouſque profecerant, vt Iſrael meritis ęquarentur. Et ideo illi filij Iacob dicuntur tanquam inferiores, ille verò qui iam

Gen.48. Gen.49.

C perfectus erat, & benedictiones futurorum conſcius dabat, Iſrael appellabatur. Sanè quod dicitur, quia ſepelierunt ſepultores Aegypti non Iacob, ſed Iſrael, grandis videtur quęſtio. Sed ego arbitror, quod illorum in hoc vitium exponatur, quibus, pro eo quod exoſus eſt omnis intellectus bonorum, & omnis perſpicacia intelligentiæ cœleſtis, Iſrael ab eis ſepeliri dicatur: quia apud impios ſancti mortui ſunt, & ſepulti. Hæc inquantum ad præſens occurrere potuit de differentia Iacob, & Iſrael, memorata ſint nobis. Dignum ſanè poſt hæc videtur intueri, & proſpicere, quæ ad ipſum Deus loquatur, & quomodo eum, velut ad quoſdam agones proficiſcentem corroborãs, & cohortans, mittat ad Aegyptum. Ait enim: Noli timere deſcendere in Aegyptum, hoc eſt dicere, congreſſurus aduerſus principatus & poteſtates, & aduerſus mundi huius (qui figuraliter Aegyptus appellatur) rectores tenebrarum harum, noli timere, noli trepidare Quod ſi & cauſam ſcire vis, quur timere non debeas, audi promiſſionem meam. In gentem enim magnam faciam te ibi, & deſcendam tecum in Aegyptum, & ego te reuocabo inde in finem. Non ergo timet deſcendere in Aegyptum, non timet agones huius mundi, & obſiſtentium dæmonum ſubire certamina, cum quo in agones deſcenderit Deus. Denique audi apoſtolum Paulum dicẽtem, Amplius, inquit, ego quam omnes illi laboraui, non autẽ ego, ſed gratia Dei mecũ. Sed cum Hieroſolymis aduerſus eum cõmota fuiſſet ſeditio, & agonẽ

Gen.46. 1.Cor.15.

D clariſſimum pro verbo, & prædicatione Domini deſudaret, aſtitit ei Dominus, & dixit eadẽ, quæ nunc dicũtur ad Iſrael: Noli, inquit, timere Paule, quia ſicut teſtificatus es de me Hieroſolymis, ita te oportet & Romę teſtimonium dare. Verum ego amplius adhuc aliquid hoc in loco arbitror latere myſterij. Mouet enim me quod dixit, In gentem magnam faciam te, & deſcendam tecum in Aegyptum, & inde te reuocabo in finem. Quis eſt iſte, qui factus eſt in gentem magnam in Aegypto, & in fine reuocatus eſt? Quãtum ad Iacob illum ſpectat, de quo dici putatur, non videbitur eſſe verum. Non enim reuocatus eſt in finem de Aegypto, quippe qui defunctus in Aegypto eſt. Abſurdum autem erit, ſi quis in eo reuocatum dicit à Deo Iacob, quia corpus eius reportatum eſt. Quod ſi recipiatur, nõ erit verum, quod Deus, non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. Non ergo conuenit hoc, de corpore mortuo intelligi, ſed ſuper viuis & vigentibus approbari. Videamus ergo, ne forte, vel domini deſcẽdentis in hũc mundum, & in gentem magnam, hoc eſt, in eccleſiam ex gentibus factam, conſummatíſque omnibus ad patrem regreſſi: vel protoplaſti in hoc figura formetur, qui in agones deſcendit in Aegyptum, cum de paradiſi delicijs eiectus, ad huius mundi labores erũnáſque deducitur, propoſito ſibi cum ſerpente certamine, cum dicitur: Tu illius obſeruabis caput, & ipſe tuum obſeruabit calcaneum. & iterum cum ad mulierem dicitur, quia ponam inimicitias inter te & ipſum, & inter ſemen tuum, & ſemen illius. Nec tamen eos in hoc certamine

Act.27. Quęstio. Mat.22. Gen.3.

E poſitos, deſerit Deus, ſed ſemper eſt cum ipſis. Complacet in Abel, corripit Cain. Inuocatus adeſt Enoch. Noe mandat in diluuio arcam ſalutis extruere. Abraham deducit de domo patris ſui, & de cognatione ſua. Iſaac & Iacob benedicit, filios Iſrael educit ex Aegypto. Per Moyſen legem literis ſcribit, per prophetas quæ deerant implet, hoc eſt, eſſe cum eis in Aegypto. Quod autẽ dicit, Reuocabo te inde in finem, hoc eſt, arbitror (ſicut ſuperius dicimus) quod in fine ſeculorum vnigenitus filius eius, pro ſalute mundi, vſque ad inferna deſcendit, & inde protoplaſtũ reuocauit. Quod enim dixit ad latronẽ: Hodie mecũ eris in paradiſo, hoc non illi ſoli dictũ, ſed & omnibus ſanctis intellige, pro quibus in inferna deſcẽderat. In hoc ergo verius, quã in Iacob adimplebit, quod dictum eſt, quia reuocabo te inde in finẽ. Sed & vnuſquiſque noſtrum eodẽ ordine, atque eadẽ via, Aegyptũ & agones ingreditur, & ſi mereat vt Deus ſemper maneat cum eo, faciet eum in gẽtem magnam. Magna enim gens eſt virtutũ numerus & iuſtitiæ multitudo, in qua ſancti quique multiplicari dicuntur & creſcere. Completur in eo etiã illud quod dictum eſt, quia reuocabo te inde in finem. Finis enim perfectio rerum & virtutum conſummatio ponitur. Propter hoc denique & alius quidam ſanctorum dicebat: Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. Et iterum magno patriarchæ Abrahãm ſcriptura teſtimonium perhibet, quoniam defunctus eſt Abraham plenus dierum. Hoc eſt ergo, reuocabo te inde in finem: velut ſi diceret, Quoniam certamen bonum certaſti, fidem ſeruaſti, curſum conſummaſti, reuocabo te iam de hoc mundo, ad beatitudinem futuram, ad perfectionem vitæ æternæ, ad iuſtitiæ coronam, quam reddet Dominus in finem

Gen. 4. 6. 12. Exod.14. Luc.23. Tropologia. Pſal. 102. Gen.25.

F ſeculorum omnibus qui diligũt eum. Videamus autem quid etiam inde ſentiendum ſit, quod dicit: Et Ioſeph ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. Multa quidem intra huius ſermonis velamen, arcanæ intelligentiæ contegi arbitror ſacramenta, quæ contingere & pulſare alterius temporis eſt. Nunc interim non videbitur abſque ratione dici, quod & prioribus noſtris quibuſdam viſum eſt, prophetiam quandam in hoc deſignatam videri. Quoniam quidem de tribu Ioſeph fuit Hieroboam, ille qui fecit duas vaccas aureas, vt ſeduceret populum adorare eas, & per hoc velut impoſitis manibus ſuis excæcauit, & clauſit oculos Iſrael ne viderent impietatem ſuam, de quo dictum eſt: Propter impietatem Iacob hæc omnia, & propter peccatum domus Iſrael. Quæ autem impietas Iacob? nónne Samaria? Sed ſi quis forte neget, debere ea, quæ ſub ſpecie pietatis futura à Deo dicta ſunt, ad partem vituperabilem flecti: dicemus quia & verus Ioſeph, Dominus & ſaluator noſter, ſicut corporalem manum ſuam poſuit ſuper oculos cæci, & reddidit ei viſum quẽ

Gen.46. 3.Reg.12. Ioan.9.

G perdiderat: ita etiam spiritales manus suas posuit super oculos legis, qui per corporalem intelligentiam scribarum & pharisæorum fuerant excæcati, & reddidit eis visum, vt his quibus aperuit dominus scripturas spiritales in lege, visus & intellectus appareat. Atque vtinā & nobis inijciat dominus Iesus manus suas super oculos, vt incipiamus & nos respicere non ea quæ videntur, sed quæ non videntur: & aperiat nobis illos oculos, qui non intuentur præsentia, sed futura, & reuelet nobis cordis aspectum, quo deus videtur in spiritu, per ipsum dominum Iesum Christum, cui gloria est & potestas in secula seculorum, Amen.

De eo quod scripum est. Et adquisiuit Ioseph omnem terram Aegyptiorum Pharaoni, vendiderunt enim Aegyptij terram suam Pharaoni, quia obtinuit eos fames, & facta est terra Pharaonis, & populum sibi in seruitutem redegit, à summis finibus Aegypti vsque ad summos fines eius. Genes. Cap. XLVII.

Homilia. XVI.

SECVNDVM scripturæ fidem nullus Ægyptius liber. Pharao enim populum sibi in seruitutem redegit, nec aliquem intra Ægyptiorum fines liberum dereliquit, sed in omni terra Ægypti a- H dempta libertas est. Et propterea forte scriptū est: Ego sum *Exod.20* dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Facta est ergo Ægyptus domus seruitutis, & quod est infelicius, voluntariæ seruitutis. Nam de Hebræis quamuis legatur quod in seruitutem redacti sint, & quod iugum dominationis erepta libertate pertulerint, violenter tamen adhoc memorantur addicti. Scriptum est enim, quia Ægy- *Exod.1* ptij abominabantur filios Israel, & per potentiam opprimebant Ægyptij filios Israel violenter, & affligebant vitam eorum in operibus duris, luto & latere, & omnibus operibus quæ erant in campis, in quibus omnibus in seruitutem eos redigebant cum vi. Intende ergo diligentius quomodo Hebræi scribuntur violenter in seruitutem redacti, quibus naturalis inerat libertas, quæ non eis facile, vel per deceptionē aliquam, sed cum vi extorquebatur. Pharao verò Ægyptiū populum facilè sibi in seruitutē redegit, nec scribitur quod cum vi hoc fecerit. Procliues enim sunt Ægyptij ad degenerem vitam, & cito ad omnem famulatum decidunt vitiorum. Respice ad originem generis, & inuenies quod pater eorū *Gen.9* Cham, qui nuditatem riserat patris, huiuscemodi sententiam meruit, vt filius eius Chanaan seruus esset fratribus suis, quo I in eo nequitiam morum argueret conditio seruitutis. Non ergo immerito ignobilitatem generis decolor posteritas imitatur. Hebræi verò etiam si in seruitutem redigantur, etiam si tyrannidem patiantur ab Ægyptijs, violenter & necessitate patiuntur. Idcirco ergo liberantur de domo seruitutis, & ad libertatem pristinam, quàm inuiti amiserant, reuocantur. *Exod.21* Denique etiā diuinis legibus cauetur, vt si forte emerit quis Hebræum puerum, non eum perpetua seruitute possideat, sed sex annis seruiat ei, septimo verò anno exeat liber. De Ægyptijs nihil tale censetur, nec vsquā diuina lex curam gerit libertatis Ægyptiæ, qui eam sponte perdiderant, sed æterno eos conditionis iugo, ac seruituti perpetuæ derelinquit. Hæc ergo si intelligamus spiritaliter quę sit Ægyptiorum seruitus, agnoscimus quia seruire Ægyptiis non aliud est quàm obnoxium fieri carnalibus vitijs, & dæmonibus esse subiectū. In quod vtique vnumquemque non extrinsecus illata necessitas cogit, sed segnities animi, & libido ac voluptas corporis subegit, cui se animus per concordiam subdit. Qui verò libertatis animæ curam gerit, & dignitatem mētis cœlestis cogitatione nobilitat, iste ex filijs Israel est. Qui etiam si violēter opprimatur ad tempus, non tamen libertatem suam in perpetuum perdit. Denique & saluator de libertate & serui- *Ioan.8* tute in euangelio disserens, ita loquitur. Omnis, inquit, qui peccat, seruus est peccati. Et iterum dicit: Si manseritis in verbo meo agnoscetis veritatē, & veritas liberos faciet vos. Quod si quis forte dicat nobis, quomodo ergo per Ioseph omnis terra in possessionem traditur Pharaoni? & cum omnis ista seruitus quàm superius exposuimus, ex peccati conditione suscepta, per hanc temporalem seruitutem signifi- K catur, quomodo per sanctum virum in seruitutē omnis terra addicitur Pharaoni? Possumus ad hæc respondere, quòd ipse scripturæ sermo excusat sancti viri ministerium, cum dicit quod semetipsos vendiderunt Ægyptij, & possessiones suas. Non ergo ad dispensantem culpa reflectitur, vbi digna dispensatorum meritis prouidentur. Inuenies enim ta- *1.Tim.1* le aliquid & à Paulo fieri, cùm ab eo is, qui semetipsum pro fœditate actuum consortio sanctorum fecit indignum, traditur Satanæ, vt discat non blasphemare. In quo vtique nemo dixerit Paulum dure egisse, qui hominem de ecclesia eiecit, & Satanæ tradidit. Sed in illum sine dubio culpa refertur, qui pro actibus suis meruit vt non ei esset in ecclesia locus, sed Satanæ consortio meretur adiungi. Ita ergo & Ioseph, cùm nihil Hebrææ libertatis, nihil Israeliticæ nobilitatis in Ægyptijs prouidisset, digna seruitia digno dominatui sociauit. Ego etiam amplius aliquid dico. Inuenies & in diuinis dispensationibus tale aliquid gestum, in eo quòd dicit Moyses. Cùm diuideret excelsus gentes, & distingue- *Deut.32* ret fines gentium, secundum numerum angelorum dei posuit eas, & facta est pars domini Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Vides ergo quoniam pro meritis vnicuique genti angelorum statuitur principatus. Pars autem domini, gens efficitur Israel. Post hæc sequitur. Vendiderunt, inquit, Ægyptij terram suam Pharaoni: obtinuit enim eos fames. Vituperatio mihi videtur & in hoc Ægyptiorum con- *Genes.47* tineri. Non enim facile de Hebræis scriptum inuenies, quia obtinuit eos fames. Licet enim scriptum sit, quòd inualuit fames super terram, non tamen scriptum est, quòd obti- L nuit fames Iacob, aut filios eius, sicut de Ægyptijs dicitur quod obtinuit eos fames. Quamuis enim veniat etiam ad iustos fames, non tamen obtinet eos: propter quod & gloriantur in ea: sicut Paulus inuenitur libenter gloriari huiuscemodi passionibus, cum dicit: In fame, & siti, & frigore, *2.Cor.11* & nuditate. Quòd ergo iustis exercitium virtutis est, hoc iniustis pœna peccati est. Denique etiam Abrahæ temporibus scriptum est, quòd facta est fames super terram. Descendit Abraham in Ægyptum habitare ibi, quoniam inua- *Gen.12* luerat fames super terram. Et vtique si (vt quidam putant) incaute, & imperite esset sermo scripturæ diuinæ compositus, potuerat dicere, quòd descendit Abraham in Aegyptū habitare ibi, quia inualuerat super eum fames. Sed intuere quanta distinctione vtatur sermo diuinus, quanta cautela. Cùm de sanctis refert, famem dicit inualuisse super terram, cùm de iniustis, ipsos fame dicit obtentos. Neque ergo Abraham, neque Iacob, neque filios eorum obtinet fames. Sed & si inualescat, super terram dicitur inualescere. Et temporibus Isaac nihilominus scriptum est, quia facta est fames super terram, pręter illam famem priorem, quæ fa- M cta est temporibus Abrahæ. Intantum autem non potest obtinere fames Isaac, vt dicat ad eum dominus: Noli descendere in Aegyptum, sed habita in terra quancunque o- *Genes.26* stendero tibi, & in ea habita, & ego ero tecum. Secundum hanc (vt arbitror) obseruantiam longè post ista tempora *Psal.37* propheta dicebat: Iuuenis fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Et ali- *Prou.10* bi: Non occidet deus fame animam iusti. Ex quibus omnibus declaratur terram quidem posse pati famem, & eos qui terrena sapiunt. Quorum autem iste cibus, vt faciant voluntatem patris, qui in cœlis est, & quorum animam panis ille ait, qui de cœlo descendit, nunquam possunt famis inedia laborare. Idcirco ergo obseruanter scriptura diuina non dicit eos fame obtineri, quibus nouit esse scientiam dei, & cibum cœlestis præberi sapientiæ. Sed & in tertio Regnorum libro similem de relatione famis inuenies habitam esse cautelam, vbi cum fames inualuisset super terram, dicentem audis Heliam ad Achab: Viuit *3.Reg.17* dominus deus virtutum, deus Israel, in cuius conspectu sto, si in his annis ros, vel pluuia fuerit super terram, nisi per sermonem oris mei. Et post hæc mandatur à domino coruis vt pascant prophetā, & vt aquam bibat de torrente Coraph. Et iterum in Sarepta Sidoniæ mandatur mulieri viduæ, pascere prophetam, vt cui non amplius quam vnius diei superseerat,

A erat victus, largiendo ea indeficiens fieret, & multipliciter abundaret exhaustus. Hydria enim farinæ, & capsaces olei non deficit pascendo prophetã. secundum verbum domini. *4.Reg.6.* Similia quoq; inuenies etiã in temporibus Helisæi, cũ filius Adadezer rex Syriæ ascendit aduersum Samariam, & obsedit eam: & facta est, inquit, fames magna in Samaria vsquequo efficeretur caput asini quinquaginta siclis argenteis, & quartarium stercoris columbini quinque argenteis. Sed subito per verbum prophetæ fit mira conuersio, dicentis: Audi verbum domini. Hæc dicit dominus deus: Sicut hac hora crastino, mensura similaginis siclo vno, & duæ mẽsuræ hordei siclo vno in portis Samariæ erunt. Vides ergo ex his omnibus quid colligatur. Quia cum terram fames obtineat, nõ solum non obtinet iustos, sed medela potius per eos intentatæ cladi defertur. Cum ergo videas huiusmodi obseruantiam in omnibus penè scripturæ sanctæ locis integre custodiri, conuerte hæc ad tropicum & allegoricum sensum, quẽ ipsorum nihilominus prophetarum sermonibus edocemur. Vnus enim ex duodecim prophetis, aperte & euidenter spiritalem dici famem nudo sermone pronunciat dicens: *Amos 8.* Ecce dies veniunt dicit dominus, & emittam famem super terrã, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiẽdi verbum domini. Vides quæ sit fames, quæ obtinet peccatores? *Fames verbi dei.* Vides quæ sit fames, quæ inualescat super terram? Qui enim de terra sunt, & terrena sapiunt, & non possunt percipere quæ sunt spiritus dei, famem verbi dei patiuntur, legis mandata non audiunt, correptiones prophetarum nesciunt, apostolicas consolationes ignorant, non sentiunt Euangelij medicinam. B Et ideo de his merito dicitur, quod inualuit fames super eos. Iustis autẽ, & in lege domini meditantibus die ac nocte, sapientia præparat mensam suã, occidit victimas suas, miscuit in cratere vinum suum & summa voce clamat, nõ vt omnes veniant, non vt abundantes, non vt diuites, neque vt sapiẽtes huius mundi diuertant ad se, sed si qui sunt, inquit, inopes sensu, veniant ad me, id est, si qui sunt humiles corde, *Matt.5.* qui à Christo didicerunt mites esse & humiles corde, quod alibi dicitur spiritu pauperes, sed fide diuites, isti conueniãt ad epulas sapientiæ, & dapibus eius refecti depellant famem *Tropologia* quæ inualescit super terram. Vide ergo ne & tu forte inueniaris Ægyptius, & obtineat te fames, ne forte seculi actibus occupatus aut auaritiæ vinculis strictus, aut luxuriæ effusione resolutus, alienus efficiaris à sapientiæ cibis, qui semper in dei ecclesijs exhibentur. Si enim auertas auditum ab his, quę vel leguntur in ecclesia, vel disputantur, sine dubio famem verbi dei patieris. Si verò de Abraham stirpe descendas, & nobilitatem Israelitici generis custodias, pascit te semper lex, pascunt prophetæ, exhibẽt tibi & apostoli opulenta cõuiuia. In finibus quoque Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno patris recumbere te inuitabunt euangelia, vt ibi man- C duces de ligno vitæ, & bibas vinum de vite vera, vinum nouum cum Christo in regno patris eius. Ab his enim cibis nõ possunt ieiunare, nec famem pati filij sponsi, donec cum ipsis est sponsus. Refertur sanè in consequentibus, quòd terra *Gen.47.* sacerdotum Ægyptiorum nõ sit in seruitutem redacta Pharaoni, neque cum cæteris Ægyptijs vendiderint semetipsos, sed quod extrinsecus acceperint, vel frumenta, vel munera, non à Ioseph, sed ab ipso Pharaone, & propter hoc tanquã familiares cæteris, non vendiderit terram suam Pharaoni: sed per hoc nequiores esse cęteris ostendũtur, qui pro nimia familiaritate, quæ erat eis cum Pharaone, nihil immutationis recipiunt, sed permanent in mala possessione, & sicut his *Ioan.15.* qui in fide & sanctitate profecerant, dicit dominus, iam non dico vos seruos, sed amicos: ita dicit & istis Pharao, tanquam qui ad summum gradum nequitiæ & ad sacerdotium perditionis ascenderint, iam non dico vos seruos, sed amicos. Denique vis scire quid intersit inter sacerdotes dei, & sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit sacerdotibus suis, dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit *Num.18.* in terra, sed dicit eis: Ego sum pars vestra. Obseruate ergo qui hæc legitis, omnes domini sacerdotes, & videte quæ sit differentia sacerdotum, ne forte qui partem habent in terra, & terrenis cultibus ac studijs vacant, non tam domini quàm Pharaonis sacerdotes esse videantur. Ille est enim qui vult

D sacerdotes suos habere possessiones terrarũ, & exercere agri non animæ culturam, ruri & non legi operam dare. Christus autem dominus noster sacerdotibus suis quid præcepit, audiamus. Qui non abrenunciauerit inquit, omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Luc.14.* Contremisco hæc dicens. Meus enim primo omnium, meus inquam ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & eum qui non renunciat omnibus quæ possidet. Et quid agimus? quomodo hæc aut ipsi legimus, aut populis exponimus, qui nõ solum non abrenunciamus his quæ possidemus: sed & acquirere volumus ea quæ nunquam habuimus antequam veniremus ad Christum? Nunquidnã quia nos redarguit conscientia, tegere & non proferre quæ scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis fieri reus. Confiteor hæc palam, populo audiente, confiteor hæc scripta esse, etiam si nondum implesse me noui. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus implere, festinemus transire à sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes domini, quibus in terra pars nõ est, quibus portio dominus est. Talis enim erat & ille, qui dicebat: *2.Cor.6.* Tanquam egentes, multos autem locupletantes. Vt nihil habentes, & omnia possidẽtes. Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. Vis audire quid etiam Petrus de seipso pronunciet? Audite eum cum Ioanne pariter profitentem, & dicentem. *Act.3.* Aurum & argentum non habeo, sed quod habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi surge & ambula. Vides sacerdotum Christi diuitias, vides nihil habentes, quanta & qualia largiuntur. Istas opes largiri non potest terrena possessio. Contulimus sacerdotes sacer- E dotibus, nunc (si videtur) & populum Ægyptium populo Israelitico conferamus. Dicitur enim in consequentibus, quia post famem & seruitutem populus Ægyptius quintas offerat Pharaoni. E contrario verò Israeliticus populus decimas offert sacerdotibus. Vide & in hoc scripturam diuinã ingẽti ratione subnixam, Vide Ægyptium populum quinario numero tributa pendentem. Quinque enim sensus corporei designantur, quibus populus carnalis deseruit. Semper enim Ægyptij visibilibus rebus & corporalibus obsequuntur. At verò Israeliticus populus honorat decadem perfectionis nũmerum. Decem enim verba legis accepit, & decalogi virtute instructus ignota mundo huic sacramenta diuina largitione suscepit. Sed & in Nouo testamento similiter venerabilis est decas, sicut & fructus spiritus denis exponitur germinare virtutibus. *Gal.5.* Et seruus fidelis de negotiationis suæ lucris decẽ mnas offert domino, & decem ciuitatum accipit potestatẽ. *Matt.25.* Verum quia vnus auctor est omnium, & fons, & initium vnus est Christus, idcirco & populus decimas quidem ministris, & sacerdotibus præstat, primogenita verò offert primogenito omnis creaturæ, & initia initio omnium: de quo scriptum est: Qui est initium, primogenitus omnis creaturæ. F Vide ergo ex his omnibus differentiam populi Aegyptiorum & populi Israel, & differentiam sacerdotum Pharaonis, & sacerdotum domini: & discutiens temetipsum, peruide de *Col.1.* quo populo sis, & cuius ordinis sacerdotiũ teneas. Si adhuc carnalibus sensibus seruis, si adhuc quinario numero vectigal exoluis, & respicis ea que visibilia & temporalia sunt, & non respicis ea quæ inuisibilia & æterna sunt, de Aegyptio te populo esse cognosce. Si verò decalogum legis, & decadem noui testamenti quam suprà exposuimus, semper ante oculos habes, & de his decimas offers, & primogenita sensus tui in fide immolas primogenito ex mortuis, & initia tua refers ad initium omnium, verus Israelita es, in quo dolus non est. Sed & sacerdotes domini si semetipsos discutiant, vt terrenis actibus liberi sint & possessione mundana, vere pos- *Mat.19.* sunt dicere ad dominum: ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: atque audire ab eo, quia vos qui secuti estis me, in regeneratione omnium, cum venerit filius hominis in regno suo, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicãtes duodecim tribus Israel. Post hæc videamus quid dicit Moyses. Et habitauit, inquit, Israel in Aegypto, in terra Gessen.] Interpretatur autẽ Gessen proximitas, vel propinquitas. Per quod ostenditur, quia etiã si in Aegypto habitet Israel, non tamẽ longe est à deo, sed proximus est ei, & cõiunctus, sicut

G etiam ipse dicit, Quia ego descendā tecū in Aegyptū, & ego ero tecū. Et nos ergo etiam si videmur in Aegyptum descēdisse, etiā si in carne positi agones mundi huius & certamina sustinemus, etiā si inter eos habitamus qui deseruiunt Pharaoni, tamen si prope deū simus, si in mandatorū eius meditatione versemur, & pręcepta ei⁹ ac iudicia perquiramus (Hoc est enim prope esse deo, semper quæ dei sunt cogitare, quæ dei quærere) & Deus semper erit nobiscum. Per Iesum Christum dominum nostrū, cui est gloria, in secula seculorum. Amen.

De benedictionibus patriarcharum. Homilia. XVII.

SCIENDVM est primo, quod in singulis quibusque locis vbi scriptura de duodecim patriarchis commemorat, multa sit in ipsa ordinis conscriptione diuersitas. Alius ordo est in ipsa eorum natiuitate conscriptus, alius cum terram Aegypti vna cum patre suo Israel & sobole posteritatis referuntur intrare. Alius nunc cum benedictiones obituri parentis excipiunt, alius cum egressæ de Aegypto tribus, vel cum in deserto cōmemoratur aliquid agere vel terrā repromissionis ingressę in monte Gebal pro benedictionibus & maledictionibus statuuntur. Alius etiam cum diuisionem terræ hæreditatis sorte suscipiunt. Et in tantum ordo iste variatur, vt interdum quidam ex ipsis, nec ascripti inueniantur in numero. Quod vtique certum est non absque aliqua ratione variari, & extare causas probabiles, quibus in alio loco ille, in alio vero alius præferatur. Sed de his nobis nunc propositum non H est, nisi ea tantummodo prout deus dederit explicare, quæ in benedictionibus quas mortis tempore à patre suscipiunt continentur. Quæ quidem benedictiones ex eo fortasse solummodo appellari potuerūt, quod in nouissimis dicitur: Et hæc locutus est eis pater eorum, & benedixit illos, vnum quemque secundum benedictionem suam benedixit illos. Cæterum in initiis vbi conuocat eos pater, non quasi ad benedictionem conuocat, sed ita scriptum est. Vocauit autem Iacob filios suos & dixit, congregamini, vt annunciem vobis quæ occursura sunt vobis in nouissimis diebus. Quod vtique magis prophetiam significat, per quam quæ eis euentura sunt præsignantur. In ipso autem corpore, & serie verborum, neque benedictiones tantum, neque futurorum sola prænunciatio, quantum mores vel propositum eorum, vel etiam quædam ab eis gesta notabiliter arguuntur. Quæ res nobis tripertitam (vt in aliis fecimus) explanationis materiam subijcit, ita vt benedictiones historiæ locū seruent, prophetia verò mysticum, atque dogmaticum. Quorum correptio & obiurgatio moralem dirigat stylum. *[Triplex scripturæ sēsus]* Ruben, inquit, primogenitus meus, virtus mea & initium filiorum meorum durus in conuersatione, durus & temerarius contumelias irrogasti. Tanquam aqua non feruescas. Ascendisti enim super cubile patris tui. Tu polluisti thorum vbi ascendisti.] *[Historia]* Incestus historia neminem latet, quomodo Ruben in concubinam patris ferbuerit flamma libidinis, & paternum maculauerit thorum. Sed quod in initiis laudis ei aliquid videtur ascribere dicens, tu virtus mea, idcirco fit vt grauius no- I tetur in crimine, qui cum virtus patris haberetur, & initium filiorum, nesciit seruare reuerētiam patri. Quale est & illud quod dicitur per prophetam: Ego te plantaui vineam fructiferam totam feracem, quomodo cōuersa es in amaritudinem vitis alienę? *[Hier. 2.]* Secundum verò intelligentiā, videtur mihi Ruben prioris populi Iudæorum ferre posse personam, qui & primogenitus est, & initium filiorum, sicut propheta dicit: *[Allegoria. Exod. 4.]* Israel primogenitus meus. Primo nanque illis data sunt eloquia dei. Quod autem durus fuerit ille populus & temerarius, scripturæ denunciant: dicit enim de eis propheta: Omne quod loquitur populus hic, durum est. *[Act. 7.]* Et iterum alibi de ipsis dicit: Vos semper dura ceruice, & incircuncisi corde. Patri verò deo irrogauit iniurias, cum conuertit ad eum dorsum, & non faciem suam. Thorum autem concubinæ polluit quem ascendit, id est, legem veteris testamenti, quam sæpe præuaricando maculauit. Quod autem in concubinæ persona lex veteris testamenti ponatur, Paulus docuit dicens. *[Gal. 4.]* Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Hæc autem sunt duo testamenta. In quo Agar quæ K concubina fuit, in veteris testamenti ponitur typo. Vna etenim erat perfecta colūba genitricis suæ, quę virgo casta regina sponso regi ecclesia per euangelium iungitur Christo. *[Tropologia]* Sed & moralis nobis in hoc ita tractabitur locus. Ruben interpretatus est à maioribus, filius qui videtur, hoc est, visibilis & carnalis, ipse credo de quo dicit apostolus: *[1. Cor. 15.]* Primus homo de terra terrenus. *[2. Cor. 4.]* Et alibi. Si enim is qui videtur noster homo corrūpitur, sed qui intra est renouatur: Hūc eundem qui videtur, exteriorem hominem appellans. *[1. Cor. 15.]* Et iterum dicit quia non primo quod spiritale est, sed quod animale. Primo ergo omnis homo in hoc mundo carnaliter viuit, & secundū carnem mouetur. Et prius est carnalis motus in concupiscentia libidinis, qui cum primæ iuuentutis tempus obsederit, durum & temerarium simul & lasciuum iuuenem reddit, ascendentem etiam super cubile patris, & polluentem thorum paternum: id est, etiam pręcepta & monita naturalis legis, quę in nobis est, & nunc patrius thorus dicitur, præuaricantem. Est enim intra nos lex quędam naturalis quæ arguit vnumquemque peccantem, & malum ei esse suggerit quod delinquit. Cubile ergo legis huius temerat, ac sedem secreti eius maculat, qui præceps & infrenis fertur ad vitia. Symeon & Leui fratres perfecerunt iniquitatem voluntatis suæ. *[Symeon & Leui.]* In consilium eorum non introeat anima mea, & in consilio eorum non innitantur viscera mea: quoniam in ira sua occiderunt homines, & in cupiditate sua subneruauerunt taurū. Maledictus furor eorū, quia temerarius est, & ira illorū, quia indurata est. Diuidā illos in Iacob, & dispergā illos in Israel.] Quantū quidem ad historiā perti- L net, videtur illud eorū culpare cōmissum, quod Emor filium Sichē, qui post sororis eorū cōcubitū familiæ Israel voluerat *[Genes. 34.]* sociari, fraude & circunuentione iugularunt, atque omnes eius populos peremerunt: quādo & dicebat eis Israel pater eorum, quia odibilem mefecistis in hoc mundo: maledictum eorum furori temeritatíque imprecatur, & diuidendos eos per populum Israel protestatur: vt pote ex ipsis Leuitas & sacerdotes futuros, qui sorte terram propriam non habuerunt. Spiritalis autem de his explanatio talis mihi quædam posse videtur aptari, quod Symeon & Leui, scribarum & pharisæorum Iudaici populi possint ferre personam, de quibus dictum est, Consilium fecerunt scribę & pharisæi vt Iesum tenerent: *[Ioan. 11.]* de quo consilio dicit sanctus qui mente deū videbat, In consilium eorum non introeat anima mea. *[Psal. 26.]* Falsis testibus adhibitis condem nabant Iesum. Non, inquit, in consilio eorum innitantur viscera mea. Nō tibi hoc videtur dicere, mundus ego sum à sanguine iusti huius, mundus, ego sum à sententia quam decernitis aduersus innocētem. Quia in ira sua, inquit, occiderunt homines, & in cupiditate sua *[Mat. 27.]* subneruauerunt taurum.] Requiro quos homines occiderunt, cum certum sit ante passionem domini neminem credentium esse punitum: nisi forte quis ipsis ascribat etiam sanguinem prophetarū: quia vt dicit dominus, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ omnis qui effusus est san *[Mat. 23.]* guis iustorum ab ipsa generatione requiratur. M Sed videamus ne forte & illos homines occiderint quos persuaserūt clamare: Sanguis illius super nos & super filios nostros. *[Mat. 27.]* Et in cupiditate sua subneruauerunt taurum.] Taurum appellari filium dei legimus in scripturarum figuris, nimirum in Euangelio vbi scriptum est ex persona filij senioris dicentis ad patrem: *[Luc. 15.]* Ego semper tecum fui, & mandatum tuum nunquam pręteriui, & nūquam dedisti mihi hœdum vt cùm amicis meis epularer. Cum autem venit filius tuus hic iunior, qui dilapidauit omnem substantiam suam, occidisti ei vitulum saginatum. Istum ergo taurum siue vitulum consilio suo scribæ & pharisæi subneruasse dicuntur: quorum maledictus furor, quia temerarius est, & ira illorum, quia indurata est. Diuidam illos in Iacob, & dispergam eos in Israel.] Videndum est ne forte diuisio ista quæ hic commemoratur, talis sit qualis & illa de qua in Euangelio dicitur, quia cum venerit dominus serui illius, diuidet eum, partémque illius cum infidelibus ponet, vel certe, vt audiui quendam ex sanctis patribus differentem, quia diuisio simul & dispersio nominatur, pro eo quod nonnulli ex ipsis domino crediderunt, & alij

A alii in infidelitate permanserunt, diuisi dicantur hi qui ab eis separantur, & veniunt ad fidem, & dispersi hi quorum patria totumque per orbem terræ incredulum dispergitur genus. Videtur & per ipsos tripartitus iste motus totius animæ designari. In quibus Ruben seruat primam notam sanguinis cũ macula effusi. Secundam iræ vel furoris speciem tenet Symeon, qui & ipse ex furoris eius demonstratur opprobrio. Tertiam formam motus irrationabilis tenet Leui, quippe cui etiam legem seruare permissum est. Has ergo tres species videtur mihi omnis prope anima quæ in hunc mundum venit primis motibus culpabiliter agere, vsquequo peccatorum vitijs prægrauata, & malorum societate fessa, ad locum possit pœnitētiæ peruenire. Iudas enim post hæc sequitur, qui purgat cõfessionis peccata, quia Iudas confessio interpretatur lingua Hebræa. Ait ergo. Iuda te collaudent fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.] Potest hoc vel ad ipsum Iudam, vel ad eos qui ex ipsius videntur esse progenie referri, qui regnum gentis illius ministrantes, inimicorum terga domuerunt. Sed & in Christo competenter accipitur, qui à fratribus suis, id est ab apostolis quos ipse fratres in Euangelio nominauit, merito collaudatur. Inimici verò eius super quorum dorsa manus eius est, illi intelliguntur quos pater promittit sub pedes se eius positurũ, dicens: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis. Sunt ergo inimici, donec increduli sunt & infideles, & ideo cæduntur in tergo. qui posteaquam conuersi fuerint efficiũtur fratres, & collaudant eum qui eos in adoptionem patris B vocatos sibi & cohæredes fecit & fratres. Bene autem terga inimicorum cædi dixit à Christo. Omnes enim qui adorabāt idola, terga dabant deo: sicut & per prophetam dominus exprobrat dicens: Qui conuerterunt ad me dorsa sua & non faciem. Hæc ergo dorsa cædit, vt conuersi aliquando terga dent idolis, & faciem erigant ad deum, & faciant hoc quod in consequentibus scriptum est. Et adorent te filij patris tui.] Tunc enim eum adorant, cum filij patris fuerint effecti, & spiritum adoptionis acceperint, in quo clament abba pater. Nemo enim dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Iste paulo durius refertur ad Iudam, nisi abusiue dicamus adoratos esse quasi reges à fratribus suis, id est, à cæteris contribulibus filios Iuda. Catulus leonis Iuda, de germine eius ascendit, Recubans dormisti sicut leo, & sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum?] In his versiculis non iam cõcludimur, sed pene excludimur: nam catulum leonis si ponamus Iudam dici posse pro virtute bellandi, quomodo exponitur quod de germine eius dicitur ascendisse? Germen autem hic in græco βλαστὸν dicitur, quod magis virgultum, vel ramus rectius interpretatur, qui de radice repullulare, vel de ipso robore arboris solet. Ex quo ergo virgulto, vel ex quo ramo Iudas ascendisse dicitur? vel quomodo recumbens dormisse vt leo, & vt catulus leonis, ita vt quæratur quis eum susci- C tet? Nisi forte aliquis vim faciens velit ita asseuerare, ex germine processisse Iudā, id est, vt superius diximus, vel ex virgulto, vel ex ramo: quod de ipsa patris fortitudine & virtute significet, qui virtutis confidentia recubet, & requiescat vt leo, & vt catulus leonis, nec eum ausus aliquis sit suscitare, dum pro magnitudine virium & potentia bellatorum suscitare eum nullus audeat ad prælia. Sed multo conuenientius aptabitur huic loco mystica expositio, in qua catulus leonis Christus, non solum tropicus, verumetiam physicus designatur: nam Physiologus de catulo leonis hęc scribit, quod cum fuerit natus tribus diebus & tribus noctibus dormiat, tum deinde patris gemitu, vel mugitu tanquam tremefactus cubilis locus, suscitet catulum dormientem. Iste catulus ergo ascendit ex germine: ex virgine enim natus est. Nõ ex semine, sed ex virgine absque concubitu viri, & absque semine naturali nascitur Christus, velut virgultum siue ramus. In quo manifestissime & veritas carnis assumptæ ex virgine declaratur. In sacrosancto germine contagio humani & carnalis seminis excusatur. Recumbens dormisti sicut leo, & catulus leonis. Manifestissime recubuisse & dormisse dictum de passione mortis ostenditur. Sed videamus quare vt leo, & vt catulus leonis dormit. De catuli quidem somno iam superius dictum est, quod valde conuenienter aptatur in Christo, qui tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ sepultus somnum mortis impleuit. Vt leo autē hoc modo debere intelligi arbitror. Mors Christi oppressio & triumphus dæmonum fuit. Omnem nanque prædam quam leo ille cõtrarius inuaserat prostrato homine & deiecto, hic leo interripuit. Quique rediens ab inferis, & ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Hoc ergo modo & somno suo leo fuit vincens omnia & debellans, & destruxit eum qui habebat mortis imperium, & velut catulus leonis die tertia suscitatur. Quis suscitabit eum? Recte quasi inquirentis prophetæ personam quæ suscitarit Christum sermo significat. Quia apostolus quidem dicit: quia deus suscitauit eum à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Et iterum Christus dicit in Euangelijs: Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus suscitabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis sui. Quia ergo & ipse se dicit suscitare templum suum, & deus illum dicitur suscitasse, recte propheta stupore tantæ patris & filij vnitatis atque indiscretionis attonitus est, quis suscitauit eum. Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius vsquequo veniant ea quæ reposita sunt ei, vel (vt in alijs exemplaribus habetur) veniat is cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium.] Hic locus manifeste refertur ad Iudam: constat enim vsque ad natiuitatem Christi nõ defecisse principes ex genere Iudæ, nec duces de femoribus eius vsque ad Herodem regem, qui secundum historiæ fidem quam Iosephus scribit, alienigena fuisse, & per ambitionem in regnum Iudæorum dicitur irrepsisse, Statim ergo vt hoc factum est, & vt defecit dux de femoribus Iudæ, aduenit ille cui erat regnum repositum. In quo quomodo gentes sperent, Euangelij fides, & ecclesiarum docet propagatio. Reposita autē dicuntur ea quæ opportuno tempore proferenda sunt. Sicut & Christus in finem seculorum aduenisse dicitur, cum dicit apostolus: Ecce nunc tempus acceptabile, scilicet ad salutem gentibus inferendam. Si verò quis in omnibus cupiat cursum vtriusq; expositionis aptare, potest extorquere fortassis, vt etiam de Christo hæc hoc modo videantur intelligi: quia non deficiet princeps ex Iuda, id est, hic qui post resurrectionem eius ecclesiarum princeps ordinatur. Et dux de femoribus eius, duces quoque Christianorum de femoribus Christi hoc modo exponet. Membra Christi esse dicit apostolus fidelium populum, sine dubio intelligendo spiritaliter iudicare eos qui pro firmitate & cõstantia fortitudinis omne corpus ecclesiæ sustentare videntur & ferre. Vel quia humani seminis indicium solet in femorum appellatione figuraliter dici, apud nos autē qui seminat, verbũ seminat: poterunt ergo qui ministerium verbi ecclesiæ exhibent, de Christi femoribus intelligi duces vsquequo veniāt quæ reposita sunt. Et videbitur ita posse intelligi, quod vsq; ad consummationē seculi non deerunt isti duces, donec veniant ea quæ reposita F sunt, quæ præparauit deus his qui diligunt eũ: & ipse erit expectatio gentium, in die scilicet iudicij, cum omnes gentes & populi Christum iudicem in pauore cordis, & tremore conscientiæ expectabunt. Alligans ad vitem pullum suum & ad palmitem asinam suam.] Hoc de Christo & proprie & singulariter dicitur: ipse enim alligauit ad vitem pullum suũ qui dixit, Ego sum vitis vera. Ad hanc verò vitem pullũ suũ alligauit, & ad palmitem asinam suā. Pullus est ex gentibus populus, cui vtique nunquā adhuc legis onus fuerat impositũ, & super quē nemo nisi ipse Christus insederat. Pullus verò asinæ sunt hi qui de priore populo qui nunc in figura asinę nominatur, electi sunt ad salutē, de quibus propheta dicit, Si fuerint filij Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Abiecta ergo asina quæ onus legis in infidelitate portare maluit, pullus ex ipsa natus eligitur, id est, nouellus ex vetere per fidem populus asciscitur, ac populo ex gentibus sociatur. Vitis ergo Christus ex ea parte dicitur quæ naturā suscepit humanam, ad quā deus verbum suũ pullum alligat: id est, populum suũ coniungit & sociat ei conuersationi quam ipse exegit in carne: vt imitatione ipsius, pullus qui ad ipsam alligatus est, efficiatur cũ illo & filius dei, & cohæres Christi. Palmitem verò de quo in initijs quid significaret exposuimus, intelligere possumus hoc modo. Fides quæ in Christo

Matt. 12.
Psal. 110.
Mirum de leone.
D
Ioan. 2.
Donec veniat qui mittendus est. Nostra editio.
E
2. Cor. 6.
1. Cor. 6.
Ioan. 15.
Matt. 21.

G est, & præsentis vitæ regulam tenet, & futuræ spei fiduciam præstat. Vitis ergo illud videtur ostendere, quod Christi in carne positi gesta in ipso credentes imitãtur. Palmes verò illud intelligitur, quod palmes arbori connectitur & confirmatur à lapsu, quo adminiculo fretus ventos ac turbines cōtemnit & respuit, futurorum bonorū indicat spem: quia fideles quique non solum in his quæ gerunt, sed & in his quæ sperant & credunt, futuram consummationem salutis expectant. In quo quasi ad quandam patientiæ arborem spe iuncti & confirmati, tentationum procellas ac turbines ferunt. Quod de historiali Iuda interpretari nulla mihi ratio videtur posse permittere, nisi Iudaicis fabulis annuentes putemus ita posse intelligi, pro eo quod dicunt partem tribus Iudę quam in terræ hereditate suscepit, ita refertam esse vineis, vt tanquam nullo alterius generis existente virgulto tanta vitis esse copia videatur, vt ne animal quidem alligãdi ad aliud genus arboris detur facultas. Sed hæc, vt diximus, Iudaica magis commenta videbuntur: nobis autem mystica, & plus etiam si sola sit, placet expositio. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum.] Videbuntur & hæc quantum ad historicam expositionem agrum fertilem vite, ὑπερβολικῶς vini abundantiam significare. Sed nobiliorem sensum mystica producit expositio. Nam stola Christi quæ lauatur in vino, merito eius intelligitur ecclesia, quã ipse mundauit sibi sanguine suo, non habētem maculam aut rugam: non enim (inquit apostolus) argento, vel auro redempti estis, sed precioso sanguine vnigeniti à deo. In huius enim sanguinis vino, id est, lauacro regenerationis à Christo lauatur ecclesia. Consepelimur enim per baptismum in mortem, & in sanguine ipsius, id est, in morte ipsius baptizamur.

1. Pet. 1.

Rom. 6.

H In sanguine autem vuæ quomodo amictum suum lauit, videndū est. Amictus propinquior quædam vel secretior corpori vestis videtur esse quàm stola. Hi ergo qui prius per lauacrum loti stola eius fuerant effecti, posteaquam ad sacramentum sanguinis vuæ peruenerint, vel interioris mysterij secretiorísque facti sunt participes, amictus eius esse dicuntur. Lauatur enim & etiam in vuæ sanguine anima, cum sacramenti huius cœperit capere rationem. Agnita namque & intellecta virtute sanguinis verbi dei, quãto capacior effecta fuerit anima, tanto purior fit & lauatur quotidie ad scientiæ profectum, & iungens se deo non solum amictus eius, verumetiam vnus iam cum ipso spiritus fiet. Huic contrarius erat amictus ille populi Israel, in quo vt gentis impudicitiam designaret, non tam amictum, quàm præcinctorium nominauit. Quod Hieremias circundare lumbis suis, & offerre rursus, atque in Euphraten iubetur abscondere. Gratifici oculi eius à vino, & dentes eius lacte candidiores.] Vides quomodo historialem intellectum erga finem præcipue amputat, & abscindit. Si enim adhuc contentiosius agentes dicere velimus, quia gratifici sunt oculi Iudæ ex vino, pro abundantia (vt suprà diximus) vini, & abundantia poculorum: quid de candidis dentibus respondebimus, & qualitati lactis prælatis? In quo aduersum veritatē impudēter non est agendū, sed interruptione intelligētiæ historialis exclusi, ad spiritalis expositionis ordinē redeamus, Gratifici, inquit, oculi eius à vino. Superius ostēdimus apostolica autoritate mēbra Christi dici dignos quosque fideliū, & diuersa singulariter mēbra nominari, pro eo quod vnusquisque omni ecclesiæ corpori dependit officium. Erunt enim pedes Christi,

Hier. 1.

Recedit à litera.

1. Cor. 6.

I qui currunt ad faciendam pacē, qui pergunt ad subueniendum his qui in necessitate sunt positi. Erunt manus Christi, quæ ad misericordiã extenduntur, quæ auxilium indigentibus ferunt, quę inualidis ad adminiculū porrigūtur. Sic erūt & oculi Christi, qui scientiæ lumē diuerso corpori præstãt. Sicut in Euangelio scriptū est: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Gratifici ergo sunt oculi isti: sermo enim scientiæ sale conditus est, vt det gratiam audientibus. Non ergo per hoc solum gratificus dicitur, quia scientię sermonem ministrat, sed quod habet in se gratiã, facit. His enim (inquit sapiēs) auditis sapiēs sapiētior erit. Gratifici ergo sunt oculi eius à vino, quia nihil est aquatū in verbo sciētiæ, nihil fluidū, nihil frigidum, sed vinum quod lætificat cor hominis, & quod infunditur vulneribus illius qui incidit in latrones, quo scilicet audientium vulnera peccatorum non solum olei lenitate mitigentur, verumetiam vini austeritate purgentur. Et quis est, inquit apostolus, qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me? Candidi dentes eius super lac. Sæpius de membrorum Christi ordine & ratione iam diximus, & eadem frequentius in eis locis repetere absurdum videtur. Dentes ergo eius super lac candidi erunt hi, qui forté & solidum cibum verbi dei mandere & comminuere ad summam subtilitatem dentibus possunt: dé quibus dicit apostolus in epistola ad Hebræos: Perfectorum autem est cibus solidus, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habēt sensus ad discretionē boni & mali, Semiperfectis autē Corinthiis dicit: Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. Super eos qui lacte aluntur, dentes eius sunt candidi, id est, hi qui perfectū cibum capere possunt & comedere, super illos sunt qui tanquam paruuli adhuc lacte indigent. Denique & in lege, ea animantia quæ ruminant, & sumptum cibum ad dentes denuo reuocant, quem subtiliter minutatum sustentationi corporis tradunt, munda esse animalia designantur. Aptissime sane etiã candidos dentes eius dicit. Omnes enim qui perfecti sunt, & qui scripturarum cibos dignis & competentibus interpretationibus explanantes subtilem & minutum intellectum (qui spiritualis dicitur) ecclesiæ corpori subministrant, candidi debent esse & puri, atque omni malo liberi, ne forte dicatur eis, qui alios doces, teipsum non doces. Verum quoniam diuina scriptura non solum sacramentorum debet scientiam continere, verumetiam mores gestáque informare discentium: sic enim & sapientia per

Mat. 6.
Col. 4.

Prouerb.

Luc. 10.

2. Cor. 2

Heb. 5.

1. Cor. 3.

L Solomonem dicit, Describe hæc tibi dupliciter & tripliciter in corde tuo, & arca quæ cōstruebatur à Noe, bicamerata & tricamerata fieri iubetur. Conemur & nos posteaquã dupliciter ista prout potuimus sentire descripsimus, id est, secundū historiã & secundū mysticū intellectū, nunc inquantū recipere locus potest, etiã moralē in eo discutere sermonē: vt scripturarum studiosi, non solum quid in aliis, vel ab aliis gestum sit, sed etiam ipsi intra se quid gerere debeant doceantur. Iudas confessio interpretatur. Qui ergo vel peccata sua confessus pœnitentiam gerit, vel Christum in persecutione corã hominibus cōfitetur, collaudatur à fratribus suis. Lætitia enim & gaudiū est angelis in cœlo super vnū peccatorem pœnitentiã agentem. Ab ipsis ergo tanquam à fratribus (vnius etenim & creatoris & patris filij sunt & homines & angeli) collaudantur. Verum is qui confitetur dominum Iesum, quia in spiritu sancto cōfitetur, manus eius super dorsum inimicorū efficiuntur. Qui enim ante exhibuerat membra sua seruire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea exhibens seruire iustitię in sanctificationem, iam fugientium se inimicorum suorum, id est, dæmonum, terga vexat & cędit. Sic enim pugnat non quasi aërem cędens, sed dæmones fugans: quísque ob nimios profectus velut dei iam in se participium habens, etiam adorari dicitur à filiis patris sui. Filios patris sui quasi in morali loco possumus intelligere minoris meriti fideles, qui in eo maiores quosque & perfectiores adorant,

Prouerb. 22

M quod eorum opera humiles ac subiecti venerãtur & laudãt: vnde ad ecclesiam dicitur. Adorabunt vestigia pedum tuorum.

HOMILIARVM IN GENESIM FINIS.

A D

ORIGENIS IN EXODVM
HOMILIA PRIMA.

Exordium à simili.

VIDETVR mihi vnusquisque sermo scripturæ diuinæ similis esse alicui seminum, cuius natura hæc est, vt cū iactum fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quancunque aliam sui generis speciē multipliciter diffundatur, & tanto cumulatius, quanto vel peritus agricola plus seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulserit. Sic ergo efficitur, vt culturæ diligentia exiguum semen (verbi causa) sinapis, quod est minimum omnium, efficiatur maius omnibus oleribus, & fiat arbor: ita vt veniant volatilia cœli, & habitant in ramis eius. Ita & hic sermo qui nunc nobis ex diuinis voluminibus recitatus est, si peritum inueniat & diligentem colonum, cum primo attactu videatur exiguus & breuis, vt cœperit excoli, & spiritualiter retractari, crescit in arborem, in ramos, & in virgulta diffunditur: ita vt possint venire disputatores, & rhetores huius mūdi, qui velut aues cœli leuibus pennis, verborum duntaxat pompa, excelsa sectantur & ardua, & rationibus capti velint

B

habitare in ramis istis, in quibus non loquendi decor est, sed ratio viuendi. Quid ergo faciemus & nos de his quæ lecta sunt nobis? Si mihi dominus concedere dignaretur spiritalis agri culturæ disciplinam, si peritiam colendi ruris donaret, vnus sermo ex his quæ recitata sunt intantum posset longe lateque diffundi, si tamen & auditorum capacitas fineret, vt vix nobis ad explicandum sufficeret dies. Tentabimus tamē pro viribus nostris aliqua differere, etiam si neque nobis vniuersa explicare, neque vobis cuncta audire possibile est. Quia & hoc ipsum agnoscere, quod supra vires nostras sit horum scientia, non paruæ arbitror esse peritiæ. Videamus ergo quid statim in initijs Exodi lectio cōtineat, & qua possumus breuitate quantum ad ædificationem auditorum sufficit, persequamur. Si tamen precibus vestris iuuetis, vt adsit nobis sermo dei, & ipse dux nostri dignetur esse sermonis.

Exod. 1.

Hæc sunt, inquit, nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum vna cum Iacob patre suo, vnusquisque cum vniuersa domo sua intrauerunt, Ruben, Symeon, Leui, Iudas, & cæteri patriarchæ. Ioseph autem, inquit, erat in Ægypto. Erant autem omnes animæ de Iacob septuagintaquinque.]

Esd. 52.

Simile huic mysterio & illud esse puto, quod per prophetam dicitur, si quis aduertere potest. In Ægyptum descendit populus meus, vt habitaret ibi, & in Assyrios vi abductus

C

est. Si quis ergo potest inuicem sibi ista conferre, & ex his quæ vel à prioribus nostris, vel etiam ab æqualibus, sed & à nobis nonnunquam disputata sunt, intelligere poterit, quæ Ægyptus in quam populus dei non tam ad habitandum, quā ad incolendum, descēdit, qui etiam sint Assyrij, qui eos vim facientes abduxerunt, consequenter aduertet quis sit patriarcharum numerus & ordo, quæúe eorum domus & familiæ designentur, quę vna cum Iacob patre suo ingressæ dicantur in Ægyptum. Descendit enim Ruben cum tota domo sua, & Leui cum tota domo sua, sed & cæteri omnes. Ioseph autem, inquit, erat in Ægypto, & vxorem de Ægypto accepit, & licet ibi positus, tamen in patriarcharum numero habetur.

Israel duplex.

1.Cor.10.

Si quis ergo potest spiritaliter ista discutere, & apostoli sensum sequi, quo discernit & segregat Israel, & dicit esse quendam secundum carnem Israel, vt alium sine dubio indicet esse secundū spiritum: sed & si quis sermonem Domini diligentius consideret, quo hoc ipsum designat cum dicit de quodam, Ecce verus Israelita, in quo dolus non est: & dat intelligi esse aliquos veros Israelitas, aliquos sine dubio non veros: poterit fortasse spiritalibus spiritalia conferens, & nouis vetera ac veteribus noua componens, mysterium Ægypti & patriarcharum in eam descensionem aduertere. Sed & differentias tribuum contemplabitur, vt conijciat quid eximium visum sit in tribu Leui, quod ex ea sacerdotes domini eliguntur ac ministri: quid etiam in tribu Iuda præcipuum dominus senserit, quod ex ea Reges assumūtur, & principes: & quod est maius omnium, quod ex ipsa etiam dominus & saluator noster secundum carnem nascitur.

Ioh.1.

Ex Leui sacerdotes, ex Iuda Reges.

Nescio enim si huiusmodi priuilegia ad illorum meritum referenda sint, ex quorum stirpe nomen vel originem ducunt, id est, vel ad ipsum Iudam, vel ad Leui, vel ad vnumquenque eorum, qui tribui nomen dedit. Mouet enim me in hac intentione & illud, quod Ioannes in Apocalypsi de populo hoc qui Christo credidit, scribit. Dicit enim quia ex tribu Ruben duodecim milia: ex tribu Symeon duodecim milia: similiter autem & ex singulis quibusque tribubus duodena milia, quos simul omnes dicit esse centum quadraginta quatuor milia, qui se cum mulieribus non coinquinauerint, sed virgines permanserint. Quod vtique cum dicitur, nec qualiscunque vel inepta potest esse suspicio, quin ad istas tribus Iudæorum Symeon, & Leui, & cæteras quæ de Iacob genus ducunt, possint reuocari. Ad quos igitur patres iste numerus virginum referendus sit, tam æqualis, tam integer, támque compositus, ita vt nullus altero superior aut inferior numeretur? Ego quidem progredi vltra requirendo non audeo, sed & hactenus pene cum aliquo discrimine incedo. Apostolus tamen quasdam suspiciones his qui altius intueri possunt, subiecit cum dicit. Propter quod flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Et quidem de terrenis paternitatibus intellectus non videtur esse difficilis, Patres etenim tribuum vel domorum sunt, ad quos successio posteritatis refertur simul omnis paternitas appellatur. In cœlo verò quod dicit, quomodo aut qualiter sint patres, aut pro quibus posteritatibus cœlestis paternitas nominetur, ipsius est nosse solius, cuius cœlum cœli est, terram autem dedit filijs hominum.

Apoc.7.

E

Nectit nōdum nec soluit.

Eph.3.

Descenderunt ergo in Aegyptum patres, Ruben, Symeon, Leui, vnusquisq; cum omni domo sua.] Quomodo quis & hoc differat, quod cum omni domo sua introierunt in Aegyptum? Quibus additur. Et omnes, inquit, animæ quæ introierunt cum Iacob LXXV. Hic iam nominando animas pene nudauerat mysterium sermo propheticus quod vbique contexerat, vt proderet quod non de corporibus, sed de animabus hæc dicit. Verūtamen habet adhuc velamen suum. In vsu namque esse creditur, animas pro hominibus appellari. Interim LXXV. animæ descenderunt cū Iacob in Aegyptum. Istæ sunt animæ, quas genuit Iacob. Ego non puto quod quilibet hominum possit animam gignere, nisi si quis forte talis sit, qualis ille qui dicebat: Nam etsi multa milia pædagogorū habeatis in Christo, sed nō multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Isti tales sunt, qui generant animas, & parturiunt eas, sicut & alibi dicit: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Alij enim huiusmodi generationis curam, aut nolunt habere, aut nequeunt. Denique statim in initijs ipse Adam qui dicit: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, nec tamen addidit, & anima de anima mea. Sed velim mihi diceres ô Adam, si os de tuis ossibus agnouisti, & carnem de tua carne sensisti, cur non intellexisti etiam animam de tua anima processisse? Si enim omnia quæ in te erant tradidisti, cur non etiam animæ facis cum cæteris mentionem, quæ melior totius hominis pars est? Sed videtur per hæc intelligentibus indicium dare, quod cum dicit, os de ossibus meis, & caro de carne mea, quæ de terra sunt sua profiteri, non audere verò sua dicere quæ scit non esse de terra. Sed & Laban similiter cum dicit ad Iacob, quoniam os meū & caro mea es tu, nec ipse amplius aliquid videtur audere suum dicere, nisi quod terrenæ consanguinitatis agnoscit. Alia quippe est animarum cognatio, quæ vel Iacob descendenti in Aegyptum sociatur, vel cæteris patriarchis, & sanctis sub enumeratione mysticæ posteritatis ascribitur. Sed qui vicinum terræ nauigantes seruare disposuimus cursum, & ipsam quodammodo oram littoris stringere, in altum

F

Anima nō ex propagatione.

1.Cor. 4.

Gal. 4.

Gen. 2.

Gen. 29.

ὡς καλῶς

G nescio quomodo vndarum nos violentior æstus adducit, Redeamus igitur ad ea, quæ consequenter adduntur. Mortuus est, inquit, Ioseph & omnes fratres eius, & omnis generatio illa. Filij autē Israel creuerunt & multiplicati sunt, & in multitudine magna diffusi sunt, & inualuerunt multū valde: multiplicauit enim illos terra.] Donec viueret Ioseph non refertur quod multiplicati fuerint filij Israel, nec aliquid omnino in his de augmentis & numerositate memoratur. Ego credēs verbis domini mei Iesu Christi, in lege & prophetis tota quidem vnum aut vnum apicem nō puto esse mysteriis vacuum, nec puto aliquid horum transire posse, donec omnia fiant. Verum quoniā exiguæ capacitatis sumus, ea nunc tantū pulsemus, quibus tutius incedamus. Antequam moreretur noster Ioseph, ille qui distractus est triginta argenteis ab vno ex fratribus suis Iuda, valde pauci erant filij Israel. Cum verò pro omnibus gustauit mortem, per quam destruxit eum qui habebat mortis imperium, id est diabolū, multiplicatus est fidelium populus, & diffusi sunt filij Israel, multiplicauit eos terra, & creuerunt nimis valde. Nisi enim (sicut ipse dixit) cecidisset granum frumenti in terram, & mortuum fuisset non vtique fructum hunc plurimum totius orbis terræ ecclesia attulisset. Igitur posteaquam cecidit granum in terram, & mortuum est, omnis hæc ex ipso surrexit fidelium seges, & multiplicati sunt filij Israel, & inualuerunt nimis valde. In omnem terram exiuit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & per ipsos sicut scriptum est, verbum domini crescebat, & multiplicabatur. Hæc quantum ad mysticum pertinet intellectum. Sed & moralem in his non omittamus locum. Ædificat enim animas auditorū. Igitur in te si moriatur Ioseph, id est: si mortificationē Christi in corpore tuo suscipias, & mortifices mēbra tua peccato, tunc in te multiplicabūtur filij Israel. Filij Israel sensus boni & spiritales accipiuntur. Si ergo sensus carnis mortificentur, sensus spiritus crescunt, & quotidie emorientibus in te vitiis, virtutum numerus augetur. Sed & terra te multiplicat in operibus bonis, quæ per officium corporis ministrantur. Verum si vis vt ostendam tibi de scripturis, quis est quem terra multiplicauerit, intuere apostolum Paulū quomodo dicit: Si autē viuerem in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor enim ex duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo enim melius, permanere in carne magis necessarium propter vos. Vides quomodo hæc terra multiplicat? Dum enim manet in terra, id est, in carne sua, multiplicatur condendo ecclesias, multiplicatur acquirendo populum deo, & ab Hierusalē in circuitu vsque ad Illiricum dei Euangelium prædicando. Sed videamus quid additur in consequentibus. Surrexit autem, inquit, rex alius in Ægypto, qui nesciebat Ioseph, & dixit genti suæ: Ecce gens filiorum Israel grandis multitudo est, & valet super nos.] Primo omnium requirere volo quis est rex in AEgypto qui scit Ioseph, & quis est rex qui nescit Ioseph. Dum enim ille regnaret qui sciebat Ioseph, non referuntur afflicti esse filij Israel, neque in luto & latere consumpti, neque masculi eorum necati, & fœminæ viuificatæ. Sed cum surrexit iste qui non nouerat Ioseph, & cœpit ipse regnare, tunc hæc omnia gesta referuntur. Quis ergo est iste rex, videamus. Si dominus regit nos, & sensus mētis nostræ illuminatur à domino, si Christi semper memoriam tenet, faciens illud quod Paulus ad Timotheum scribit: Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis: dum hic viuit in AEgypto, id est, in carne nostra spiritus noster regnum cum iustitia tenet, & filios Israel, quos suprà diximus rationabiles sensus vel animæ virtutes, in luto & latere non consumit: nec curis eos terrenis & solicitudinibus atterit. Si verò perdiderit horum memoriam sensus noster, declinauerit à deo, nescierit Christum, tunc sapientia carnis, quæ inimica est deo, succedit in regnum, & alloquitur ad gentem suam, corporeas scilicet voluptates & vitiorum ducibus ad consilium vocatis, initur deliberatio aduersus filios Israel quomodo circunueniātur, quomodo opprimantur, vt luto & lateribus affligantur, vt mares exponant, fœminas alant, vt ædificent ciuitates AEgypti, & ciuitates munitas. Non nobis hæc ad historiam scripta sunt, neque putandum est libros diuinos Ægyptiorum gesta narrare: sed quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt & commonitionem: vt tu qui hæc audis, si forte iam gratiam baptismi consecutus es, & adnumeratus es inter filios Israel, ac suscepisti in te deum regem, & post hæc declinare volueris ad opera seculi, agere actus terræ, & lutea explere ministeria, scias & agnoscas quia surrexit in te rex alius, qui nescit Ioseph, rex Ægypti, & ipse te cogit ad opera sua, & ipse te facit laterem sibi operari & lutum. Ipse est qui te superpositis magistris & compulsoribus ad opera terrena flagris ac verberibus agit, vt ædifices illi ciuitates. Ipse est qui te facit discurrere per seculum maris ac terræ, elementa pro cupiditate turbare. Ipse est hic Ægypti rex, qui te forum pulsare litibus facit, & pro exiguo terræ cespite propinquos iurgiis fatigare, & vt ita dicam, castitati insidiari, decipere innocentiam, domi fœda, foris crudelia, intra conscientiam flagitiosa committere. Cum ergo tales videris actus tuos, scito te regi Ægyptio militare, quod est immundi spiritus imperio agi. Si verò & aliquid de hoc etiam altius sentiendū est, potest videri rex iste qui nescit Ioseph, diabolus, insipiens ille qui dixit in corde suo non est deus, genti suæ, hoc est, apostaticis angelis, colloqui, & dicere: Ecce genus filiorum Israel magna multitudo est, de his scilicet qui possunt mente deum videre, & potentior est nobis. Venite itaque circūscribamus illos ne forte increscāt, & cum acciderit nobis bellum, consentiant & hi cum aduersariis, & expugnantes nos exibunt de terra nostra. Sed vnde hoc sentit diabolus? vnde intelligit quia magna gens sit Israel, & ipso fortior, nisi quia sæpe congressus est, sæpe habuit luctamen, & sæpe superatus est? Scit enim & ipsum Iacob luctatum esse, & adiutorio angeli obtinuisse aduersarium, & inualuisse cum Deo. Non dubito quin & aliorum sanctorum senserit luctamen, & spiritalia pertulerit sæpe certamina: & inde dicit, quia gens filiorum Israel magna est valde, & valet super nos. Sed & illud quòd timent, nequando eueniat eis bellum, & consentiant aduersariis eius, & deuictis eis discedant de terra sua, videtur mihi ex his quę sanctis patriarchis vel prophetis de aduentu Christi nonnūquam indicata fuerant, præsensisse, & inde scire quod sibi immineat bellū. Sentit venturum qui exuat principatus eius & potestates, & cum fiducia triumphet eos, & affigat in ligno crucis suæ. Igitur conuocata omni gente sua circunuenire, & circunscribere cupit in hominibus rationabilem sensum, qui nunc figuraliter dicitur Israel: & ideo præfecit eis magistros operum, qui eos cogant dicere opera carnis, sicut & in psalmis dicit: Et admixti sunt gentibus & didicerunt opera eorum. Docet eos & ciuitates ædificare Pharaoni. Fithon, quæ in nostra lingua significat os defectionis, vel os abyssi, & Ramesses, quæ interpretatur commotio tineæ, Ethon id est, Heliopolis quę dicitur ciuitas solis. Vides quales sibi ciuitates ædificari præcipit Pharao? Os, inquit, deficiens deficit. Namque os cum mēdacium loquitur, à veritate & probationibus deficit. Ille enim ab initio mendax fuit, & ideo tales sibi ciuitates ædificari vult. vel etiam os abyssi, quia abyssus perditionis, & interitus est locus. Et alia eius ciuitas cōmotio tineę est. Omnes enim qui eum sequūtur, ibi cōgregant thesauros suos, vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiūt & furātur. Sed & ciuitatē solis ædificāt falso nomine, pro eo quod conuertit se sicut angelus lucis. In his ergo præuenit, in his occupat mētes, quę ad hoc factę sunt, vt videant deū. Prospicit' tamen imminere sibi bellum, & maturum gētis suæ affuturum sentit exitium. Ideo dicit, quia gens Israel valet super nos. Vtinam & de nobis hoc dicat, sentiat nos valere super se. Quomodo sentire hoc poterit? Si cum mihi cogitationes iniicit malas, & concupiscentias pessimas, ego non suscipiam, sed iacula eius ignita scuto fidei repellam, si in omnibus quæcunque suggerit menti meæ, ego memor Christi mei domini, dicam: Vade retro Satana. Scriptum est enim, dominum deū tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Si ergo hæc omni fide, omni constantia agamus, dicit & de nobis, quia gens Israel magna est, & valet super nos. Sed & hoc quod dicit, Ne forte accidat nobis bellum, & consentiant & hi cum aduersariis nostris,

Mat.5. Heb.2. Act.2. Moralis sensus. Philip.1. 2.Tim.2. Cur Aegyptiorum gesta narrentur. Col.1. Psal.106. Ioan.8. Matth.4. Deut.6.

Astris, ex propheticis vocibus præuidit venturum sibi bellum & derelinquendum se à filiis Israel, & quia consentient aduersario eius, & adiicientur ad dominū. Hoc est enim quod de eo Hieremias propheta prædixerat. Clamauit perdix, cōgregauit quæ non peperit, fecit diuitias suas non cum iudicio, in dimidio dierū eius de relinquent eum, & in nouissimis suis erit stultus. Intelligit ergo perdicem se dictum, quæ non peperit congregasse, & quod hi quos non cum iudicio congregauit, in dimidio dierum suorum derelinquent eum, & sequentur dominum & creatorem suum Christum Iesum, qui nos genuit. Ille autem congregauit, quos non genuit. [Et ideo remanebit stultus in nouissimis suis, cum ad factorem & ad parentem suum vniuersa, quæ nunc pro huius tyrannide congemiscit, creatura confugerit. Et hoc indignatur, & dicit, ne expugnantes, inquit, nos, exeant de terra nostra. Non vult nos exire de terra sua, sed vult vt semper portemus imaginem terreni. Si enim ad aduersarium eius confugerimus, eum qui nobis præparauit regna cœlorum, necesse est vt relinquamus imaginē terreni, & suscipiamus imaginē cœlestis. Propterea ergo Pharao statuit magistros operū, qui nos suas artes doceant, qui nos artifices malitiæ faciant, qui nobis magisterium malorum præbeant. Et quia multi sunt isti magistri & doctores malitiæ, quos præfecit Pharao, & est ingens multitudo huiuscemodi compulsorum, qui omnes exigunt, imperant, & extorquent opera terrena: ideo veniens dominus Iesus fecit alios magistros, & doctores, qui pugnantes aduersum illos, & subiiciētes omnes eorum principatus, & potestates, & virtutes, defendant à violentiis eorum filios Israel, & doceant nos opera Israelitica: & rursum doceant nos mente deum videre, & relinquere opera Pharaonis, exire de terra Ægypti, abiicere Ægyptios & barbaros mores, deponere totum veterem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum deum creatus est, renouari semper de die in diem ad imaginem eius qui fecit nos in gloriam & laudem suam: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Hier. 17.

B

De obstetricibus, secundæ patris. Cap. I. Homilia II.

MVLTA quidem aduersum gentem dei molitur rex iste, qui non nouit Ioseph, & artes nocendi nouas semper inquirit. Verū nūc calliditas eius supereminet modum, cum obstetricum ministerio sobolem gentis conatur extinguere, quarū arte solet vita seruari. Quid enim dicit? Et dixit, inquit, rex Ægyptiorum obstetricibus Hebræorum, quarum vni nomen erat Sephora, & nomen alterius Phua, & ait: Cum obstetricabitis Hebræas, & prope partum erunt, si masculus fuerit, occidite eum, si fœmina, viuificate.] Sed his adiungitur in consequentibus. Timuerunt autem obstetrices deum, & non fecerunt sicut præceperat illis rex Ægypti, & viuificabant masculos.] Si secundum historiæ narrationem suscipienda essent quæ scripta sunt, videtur hoc quod dicit scriptura, quia non fecerūt obstetrices secundum quod præceperat eis rex Ægypti, stare non posse. Non enim inueniuntur obstetrices non viuificasse fœminas, quas præcepit rex Ægypti viuificari. Sic enim ait, si quidem masculus est, occidite illum: si fœmina, viuificate. Et si non fecerunt obstetrices sicut præceperat rex Ægypti, debuerant vtique sicut masculos viuificabant contra præceptum regis, ita fœminas occidere, vt & hoc esset contra præceptum regis. Nam fœminas viuificasse, secundum præceptum est fecisse Pharaonis. Hæc interim propter eos qui amici sunt literæ, & nō putant legem spiritalem esse & spiritaliter intelligendam. Sed nos qui omnia quæ scripta sunt non pro narrationibus antiquitatum, sed pro disciplina & vtilitate nostra didicimus scripta, hæc quæ leguntur, etiam nunc fieri non solum in hoc mundo, qui Ægyptus figuraliter dicitur, sed in vnoquoque nostrum deprehendimus. Requiramus ergo quomodo rex Ægypti, qui est princeps huius mundi, viuificari mares non vult, fœminas vult. Si meministis, sæpe ostendimus disputantes, quod in fœminis caro & affectus carnis designatur, vir autem rationabilis sensus, & intellectualis sit spiritus. Sensum autem rationabilem, qui potest cœlestia sapere, qui potest intelligere Deum, & quæ sursum sunt quærere, hunc odit Pharao rex & princeps Ægypti, hunc necari cupit & interimi. Cupit autē quæcunque carnis sunt viuere, & quę ad materiam pertinent corporalem, hæc non solum viuere, sed & augeri & excoli cupit. Vult enim vt omnes carnalia sapiant, temporalia desiderēt, quæ supra terram sunt quærant, nemo eleuet ad cœlum oculos suos, nemo requirat vnde huc venerit, nemo patriam paradisum recordetur. Cum ergo videris homines in voluptatibus & deliciis vitam ducere, luxu fluitare, epulis, vino, conuiuiis, cubilibus & impudicitiis operam dare, in istis scias quòd rex Ægypti masculos necat, & viuificat fœminas. Si verò rarum quemque videas vnum ex mille ad dominum conuerti, oculos sursum erigere, quæ perpetua sunt & æterna quærere, contemplari non ea quę videntur, sed quæ non videntur, odisse delicias, amare continentiam, luxuriam fugere, excolere virtutes, istum quasi masculum, quasi virum necari cupit Pharao, persequitur, insectatur, mille aduersus eum machinis pugnat. Odit tales, viuere eos in Ægypto non sinit. Inde ergo est quod in hoc mundo serui dei & omnes qui deum quærunt, despectui habentur, & contemptui. Inde contumeliis expositi sunt, inde replentur opprobriis, Inde odia in eos & persecutiones agitantur, quia odit eos Pharao, odit huiusmodi mares, qui fœminas amat. Iste etiam obstetrices corrumpere aggreditur, & per ipsas implere quod desiderat, quarum etiam nomina nobis per prouisionem spiritus sancti, qui hæc scribi voluit, indicantur. Sephora, inquit, vna quæ interpretatur passer: & Phua, quæ apud nos vel rubens, vel verecunda dici potest. Per has igitur necari mares, & viuificari solas fœminas quærit. Sed quid dicit scriptura? Et timebant, inquit, obstetrices deum, & non fecerūt sicut præcepit eis rex Ægypti. Istas obstetrices dixerūt ante nos, quidam, rationabilis eruditionis formam tenere. Obstetrices enim mediæ quædam sunt, & tam masculos nascentes, quàm fœminas fouent. Eruditio ergo ista communis rationabilis scientiæ, ad omnem propemodum peruenit sensum, omnes instruit, omnes fouet. Si quis in ea virilis animi fuerit, & voluerit cœlestia quærere, & diuina sectari, veluti medicatus, & fotus per huiusmodi eruditiones, ad diuinorum intelligētiam paratior veniet. Est enim vna velut passer quæ celsiora docet, & rationalibus doctrinæ pennis in altum volare prouocat animos. Alia quę rubens est, vel verecunda, moralis est, mores componit, verecundiam docet, instituit honestatem. Mihi tamen, quoniā dicit de his scriptura, quia timebant Deum, & non fecerunt præcepta regis Ægypti, vident obstetrices istę duę vtriusque testamenti figuram seruare: & Sephora quæ passer interpretatur, legi, quæ spiritalis est, posse conferri. Phua verò quæ rubens, vel verecūda est, indicare euangelia, quæ Christi sanguine rubent, & per vniuersum mundum passionis eius rutilant cruore. Ab his ergo animæ, quę nascuntur in ecclesia, velut obstetricibus medicantur, quia ex scripturarum lectione cuncta in ea eruditionis medicina confertur. Tentat tamen Pharao per hæc necare ecclesiæ masculos, cum studiosis quibusque in scripturis diuinis hæreticos sensus, & peruersa dogmata suggerit. Sed stat immobile fundamentum Dei. Timent enim obstetrices Deum, id est, timorem dei docent, quia initium sapientiæ timor domini. Sic denique competentius aptari puto & illud quod in posterioribus scriptum est, vbi dicit: Quia timebant obstetrices deum, fecerunt sibi domos. Quod dictum nullam consequentiam secundum literam habere potest. Quis enim ordo est, vt dicat, quia timebant obstetrices deum, fecerunt sibi domos? quasi propterea domus fiat, quia timetur deus. Hoc si ita accipiatur vt scriptum est, non solum nihil consequentiæ, sed & inanitatis plurimum habere videbitur. Sin autem videas quomodo scripturæ noui ac veteris testamenti timorem Dei docentes domos ecclesiæ faciant, vt vniuersum orbem terræ orationum domibus repleant, tunc

C D E F

Disciplinæ humanæ cōferūt ad intelligētiam scripturarū

Duæ eiusdem loci allegoriæ.

G quod scriptum est, rationabiliter scriptum videbitur. Sic ergo istæ obstetrices, quia timent Deum, & timorem Dei docent, non faciunt præceptum regis Ægypti, sed viuificant masculos suos: nec tamen dicitur quia pauerint præcepto regis Ægypti, vt viuificarent fœminas. Ego confidenter audeo dicere secundum scripturæ sensus, obstetrices istę non viuificant fœminas. Neque enim vitia docentur in ecclesiis, aut luxuria prædicatur, aut peccata nutriuntur: hoc enim vult Pharao, cum viuificari fœminas iubet, sed sola virtus excollitur, & ipsa sola nutritur. Verum hæc ad vnumquenque nostrum referamus. *Moralitas.* Et tu si times Deum, non facis præceptum regis Ægypti. Ille enim tibi præcipit, vt in deliciis viuas, vt diligas præsens seculum, vt præsentia concupiscas. Tu si Deum times, & exhibes obstetricis officium animæ tuæ, si ei salutem conferre cupis, non facis hæc, sed viuificas masculum, qui in te est, interiorem tuum hominem medicaris & foues, & ipsi per actus aut intellectus bonos vitam conquiris æternam. Sed post hæc vbi vidit Pharao, quod per obstetrices non posset necare masculos Israel, præcepit, inquit, omni populo dicens: Omne masculinum quodcunque natum fuerit Hebræis, in flumen proijcite, & omne fœmininum viuificate.] Videte quid princeps huius mundi præcipit suis, vt infantes nostros rapiant, & in flumen proiiciant, primæ statim natiuitati nostrorum insidiantes continuo, vt vbera ecclesiæ prima contigerint, irruant, diripiant, persequantur, vndis & fluctibus huius seculi absorbeant. H Videte quid audiatis, sapientia Dei per Salomonem dicit. *Prouer.22.* Intelligibiliter intellige quæ apponuntur tibi. Vide statim vt natus, imò vt renatus fueris, quid tibi imminet. *Mat.4.* Hoc illud est, quod in euangelio legis, quia Iesus statim vt ascendit de baptismo, ductus est ab spiritu in desertum vt tentaretur à diabolo. Hoc ergo est quod & hoc loco Pharao præcepit populo suo, hebræos infantes statim vt nati fuerint inuadant, diripiant, aquis submergant. Hoc fortassis est quod per prophetam dicitur: Quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Defixus sum in limo profundi, & non est substantia. Sed propterea Christus superauit & vicit, vt tibi vincendi iter aperiret. Propterea ieiunans vicit, vt & tu scias huiusmodi genus dæmoniorum ieiuniis & orationibus superandum. Propterea & oblata sibi omnia regna mundi, & gloriam eorum contemnit, vt & tu contemnens gloriam mundi possis superare tentantem. Ægyptij vero, quibus Pharao dedit præcepta, fœminas tantum viuificant, oderunt masculos: oderunt nanque virtutes, vitia tantum & voluptates nutriunt. Et nunc igitur insidiantur Ægyptij, si forte hebræis nascatur aliquis masculus, vt statim persequantur & interficiant, nisi caueant, nisi obseruent, & occultent germen masculinum. Denique refert scriptura quod de tribu Leui quædam genuit masculinum, I & videns infantem esse elegantem, occultauit eum mensibus tribus. Vide si non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iustitiam nostram coram hominibus faciamus, sed vt clauso ostio oremus patrem in occulto, & quod facit dextera nostra nesciat sinistra. Nisi enim in oculto fuerit, diripietur ab Ægyptijs, inuadetur, in flumen iactabitur, vndis & fluctibus submergetur. Ergo si facio eleemosynam, quia opus dei est, masculum genero. Sed si ita faciam, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, & non eam occultauero, rapta est ab Aegyptijs eleemosyna mea, & in flumen demersa est, & tanto labore, tantóque studio Ægyptijs masculum genui. Propterea ô vos populus Dei qui hæc auditis, nolite putare (vt sæpe iam diximus) veterum vobis fabulas recitari, sed doceri vos per hæc, vt agnoscatis ordinem vitæ, instituta morum, fidei, virtutisque certamina. Videntes ergo isti de tribu Leui elegantem esse infantem, celauerunt eum mensibus tribus. Cúmque non possent amplius celare eum, sumpsit, inquit, mater eius *Tibin, & liniuit bitumine, & iniecit infantem in eam, & posuit in palude secus flumen, & obseruabat soror eius de longe, vt videret quid accideret ei. Descendit autem filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & audiuit plorantem infantem, & misit, inquit, & assumpsit eum, & dixit filia

**Septuaginta reliquerāt vocē hebraicā Teba quæ significat arcam aut potius vas nauigationi aptum.*

Pharaonis, quia de infantibus Hebræorum est hic. K Post hæc iam refertur quomodo soror eius dixit, vt matrem pueri vocaret, quæ eum nutriret. Et dixit, inquit, ad illam filia Pharaonis. Custodi mihi hunc infantem, & nutri eum mihi, ego autem dabo tibi mercedem. Cúmque nutrisset eum, & fortior factus esse, induxit illum ad filiam Pharaonis, & factus est ei in filium, & nominauit nomen eius Moysen, dicens, quia de aqua eum assumpsi. *Moyses.* Singula hæc immensis repléta mysterijs, tempus exigunt grande, & totius diei spatia si in his consumamus, vix fortasse sufficiat. Breuiter tamen aliqua nobis pro ecclesiæ ædificatione pulsanda sunt. Puto filiam Pharaonis ecclesiam quæ congregatur ex gentibus videri posse, quæ quamuis impium & iniquum habeat patrem, tamen dicitur ad eam per prophetam. *Psal.45.* Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, quia concupiuit rex speciem tuam. Hæc ergo est quæ exiit de domo patris, & venit ad aquas, vt lauaretur à peccatis quæ contraxerat in domo patris sui. Denique statim viscera misericordiæ suscipit, & miseratur infantem. Hæc ergo ecclesia ex gentibus veniens, in palude inuenit iacentem Moysen, abiectum à suis & expositum, dat eum nutrici, & nutritur apud suos, ibi agit infantiam. Cum autem fortior factus est, tunc inducitur ad eam, & adoptatur in filium. *Moses lex.* Moyses autem quia lex appellatur, in multis locis iam sæpe dissertum est. Veniens ergo ecclesia ad aquas baptismi suscepit etiam legem, quæ tamen lex erat intra tibin conclusa, pice & bitumine oblita. L *Tibis quid.* Tibis genus est tegminis, ex virgis, aut ex papyro contextum, vel etiam ex arborum cortice formatum, intra quod iniectus infans videbatur expositus. Iacebat ergo lex conclusa intra huiusmodi tegmina, & pice ac bitumine oblita, vilibus & terreis Iudæorum sensibus sordebat obsepta, vsquequo ecclesia veniret ex gentibus & adsumeret eam de luteis & palustribus locis, atque intra sapientiæ aulas & regalia tecta consciscerct. Hæc tamen lex infantiam suam apud suos transigit. Apud illos enim qui spiritaliter eam intelligere nesciunt, paruula est & infans, & lactentium habens cibos. Cùm verò ad ecclesiam venit, cùm ecclesiæ ingreditur domum, fortior est & validior Moyses. Amoto enim velamine literæ, perfectus in lectione eius cibus, & solidus inuenitur. Quid tamen est quod & mercedem nutrimentorum à filia percipit Pharaonis, illa apud quam lex & nata est, & nutrita? Quid est quod synagoga accipit de ecclesia? Puto illud intelligi posse, quod idem Moyses scribit, dicens: *Deut.32.* Ego in non gentem in æmulationem vos inducam, in gentem insipientem in ira vos concitabo. Et synagoga ergo de ecclesia istud mercedis accipit, vt vltra idola non colat. M Videns enim eos qui ex gentibus sunt, ita ad deum conuersos esse, vt vltra idola nesciát, deum præter vnum neminem venerentur, ipsa erubescit idola vltra iam colere. Istud ergo recipit beneficij de ecclesia synagoga, quod ei paruulam nutrisse visa est legem. Sed & nos etiam si Pharaonem habuimus patrem, etiam si nos in operibus malis genuit princeps huius mundi, cum venimus ad aquas, assumamus ad nos legem dei. nec nobis sordeat literæ eius vile tegumen & obscurum, quæ parua eius sunt & lactentia, concedamus, quæ perfecta & valida sunt, sumamus, atque hæc intra cordis nostri tecta regalia collocemus. Grandem & validum habeamus Moysen, nihil de eo paruum, nihil humile sentiamus: sed magnificum totum, totú egregium, totú elegans. Totum enim magnum est, quicquid spiritale, quicquid sublimis intelligentiæ. Et oremus dominum Iesum Christum vt ipse nobis reuelet, & ostendat quomodo magnus est Moyses, & quomodo sublimis, ipse enim reuelat, quibus vult, per spiritum sanctum. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Ego autem gracili voce sum, & tardus lingua.

Homilia III.

DONEC

Exod. 4.

A DONEC esset Moyses in Aegypto, & erudiretur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem. Erat enim quantum ad Ægyptios, & sonore vocis, & eloquentiæ incomparabilis. Vbi autem cœpit audire vocem dei, & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem & gracilem vocem suam, tardámque & impeditam esse suam intelligit linguam: tunc se pronunciat mutum, cum cœpit agnoscere verum illud verbum, quod erat in principio apud deum. Sed quo facilius quod dicimus possit aduerti, vtamur huiusmodi similitudine. Mutis animalibus, quamuis sit imperitus & indoctus, rationalis homo si comparetur, videbitur eloquens ad comparationem eorum, quæ & rationis & vocis expertia sunt: si verò eruditis & eloquētibus viris, atque in omni sapientia probatissimis conferatur, ineloquens & mutus videbitur. At si ipsum quis contempletur diuinum verbum, ipsámque diuinam respiciat sapientiam, quantæuis sit eruditionis, & quantæcunque sapientiæ, multo amplius quàm apud nos sunt pecudes, ipse apud deum mutum se animal profitebitur. Hoc nimirum erat Moyses. Quod & beatus Dauid intuens, & tali ordine semetipsum ad diuinam sapientiam librans, dicebat: Vt iumentum factus sum apud te. Secundum hoc ergo & prophetarū maximus Moyses in præsenti lectione dicit ad eum

Psal. 37. Humana ad deum cōparata nihil sunt.

B quòd gracili voce sit, & tardus lingua, & quod non sit eloquens. Omnes enim homines ad comparationem verbi diuini, non solum ineloquentes, sed & muti putāda sunt. Quia igitur in id intelligentiæ profecit vt agnosceret semetipsum, in quo est pars maxima sapientię, remunerat eum diuina dignatio. Audi quàm optimis magnificísque muneribus: Ego, inquit, aperiam os tuum, & instruam te quæ oporteat te loqui.] Beati sunt, quorum Deus os aperit vt loquantur. Prophetis Deus aperit os, & replet illud eloquio suo, sicut in præsenti dicit: Ego aperiam os tuum, & instruā te quæ oporteat te loqui. Sed & per Dauid dicit deus: Dilata os tuū, & replebo illud. Similiter & Paulus dicit. Vt detur mihi sermo in adapertionem oris mei. Eorum ergo qui verba dei loquūtur, os Deus aperit. Vereor autem ne sint aliqui, quorum econtrario os diabolus aperiat. Nam qui loquitur mēdacium, certum est quia diabolus aperiat os eius vt mendacium loqueretur. Qui falsum testimonium dicit, qui scurrilitates ac turpitudines & cætera huiusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Vereor ne & susurronum & detractorum

Os aperit deus.

Psal. 81
Eph. 6.

C os diabolus aperiat, sed & eorum qui ociosa verba proferunt, pro quibus reddenda in die iudicij ratio est. Iam verò qui iniquitatem in excelso loquuntur, qui negant dominum meum Iesum Christum in carne venisse, vel qui spiritum sanctum blasphemant, quibus neque in præsenti neque in futuro seculo remittetur, quis dubitet quod os eorum diabolus aperiat? Vis tibi & hoc de scripturis ostendam, quomodo huiusmodi hominibus, qui aduersum Christum loquuntur, os diabolus aperit? Vide quid scriptum est de Iuda, quomodo refertur quia introiuit in illum Satanas, & quia misit in cor eius diabolus, vt traderet dominum. Ipse ergo aperuit os eius, vt loqueretur cum principibus, & pharisæis, quomodo eum traderet accepta pecunia. Vnde mihi videtur nō esse paruæ gratiæ intelligere os quod aperit deus, & intelligere os quòd aperit diabolus. Non est sine sancti spiritus gratia huiusmodi os & verba discernere. Et ideo in diuisionibus spiritalium gratiarum additur etiam hoc, quod datur quibusdam discretio spirituum. Ergo spiritalis est gratia per quam spiritus discernitur, sicut & alibi dicit apostolus. Probate spiritus qui ex deo sunt. Sed sicut deus aperit os sanctorum, ita puto quod & aures sanctorum deus aperiat, ad audienda verba diuina. Sic enim dicit Esaias propheta. Dominus mihi aperuit aurem, vt sciam quando oporteat dici verbum. Sic & oculos aperit dominus, sicut aperuit oculos Agar, & vidit puteum aquæ viuæ. Sed & Helisæus propheta dicit: Aperi domine oculos pueri, vt videat quia plures nobiscum sunt quàm cum aduersariis. Et aperuit, inquit, dominus oculos pueri, & ecce totus mons plenus erat equitibus, & curribus, auxilísque cœlestibus. Circumdat enim angelus domini in circuitu timentium eum, vt eripiat eos.

Ioan. 13.
Mat. 26.

1. Cor. 12.

Esa. 50.
Oculos & aures aperit deus.
4. Reg. 6.

D Aperit ergo (vt diximus) deus, & os, & aures & oculos, vt vel loquamur, vel cernamus, vel audiamus, quæ dei sunt. Sed & illud non otiose accipio quod dicit propheta: Erudi-tio, inquit, domini aperuit mihi aurem. Hoc mihi videtur ad nos, id est, communiter ad omnem dei ecclesiam pertinere. Si enim in domini eruditione versemur, aperit & nobis aurem domini eruditio. Auris verò quæ per eruditionem domini aperitur, non semper aperta est, sed aliquando aperta, aliquando clausa est. Audi legislatorem dicentem: Ne respexeris auditum vanum. Siquando ergo vana dicuntur, siquando inania, inepta, turpia, profana, scelesta proferuntur, qui nouit domini eruditionem, claudit aures, & auertit auditum, & dicit: Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus, qui non aperuit os suum. Si verò ad vtilitatem animæ pertinent quæ dicuntur, si de Deo sermo est, si mores docet, virtutes inuitat, vitia resecat, patere debent aures huiuscemodi eloquiis: & non solum aures, sed & cor, & mens, & tota ad huiuscemodi auditum, animæ ianua pādenda est. Sūma tamen moderatione præcepti vsa est lex, vt nō diceret, non audies auditū vanū, sed non recipies. Nā vana frequēter audimus. Marciō quæ loquitur vana sunt Valētinus quæ loquitur vana sūt, & omnes qui cōtra creatorē deū loquūtur, vana sunt quæ loquūtur. Sed tamen frequēter nos audimus ea, vt aduersum ea respōdere possimus, ne forte subrepant simplicioribus quibusque fratrum nostrum per sermonis ornatum. Audimus ergo hæc, sed non recipimus.

Psal. 34

Psal. 38.

E Dicta sunt enim de ore illo quod diabolus aperuit. Et ideo orandum nobis est vt dignetur dominus aperire os nostrum vt possimus & cōtradicentes reuincere, & obturare os quod diabolus aperuit. Hæc de eo quod scriptum est: Ego aperiam os tuum, & instruam te, quæ oportet te loqui. Nō solum autem Moysi promittitur os aperiri à domino, sed & Aaron. Dicitur enim & de ipso: Ego aperiam os tuum, & os illius, & instruam vos quæ faciatis. Occurrit enim & Aaron Moysi, & exiit de Aegypto. Occurrit autem ei, vbi? In quali loco? Interest enim vbi occurrat Moysi is, cuius os aperiendum est à deo. Occurrit enim, inquit, in montem dei. Vides quia merito aperitur os eius, qui potest occurrere in montem dei. Petrus, & Iacobus & Ioannes montem dei ascenderunt, vt trāsformatum Iesum videre mererentur, & Moysen cum ipso, atque Heliam viderent in gloria. Et tu ergo nisi ascenderis ad montē dei, & ibi occurreris Moysi, id est nisi excelsum legis ascenderis sensum, nisi ad spiritalis intelligētiæ cacumen euaseris, non est os tuum apertum à domino. Si in humili loco literę steteris, & historiæ textum Iudaicis narrationibus innectas, non occurristi Moysi in montem dei, nec os tuum aperuit Deus, neque instruxit te quæ oporteat te loqui. Nisi ergo Aaron occurrisset Moysi in monte, nisi eius

Matth. 17.

F sensum sublimem vidisset & arduum, nisi excelsam eius intelligentiam perspexisset, nunquam ei locutus fuisset verba dei, neque virtutem signorum, prodigiorúmque tradidisset, neque participem eum tanti mysterij consciuisset. Verū quoniam lōgum est de singulis per ordinem dicere, videamus ingressi ad Pharaonem Moyses & Aaron quid dicunt. Hæc dicit dominus: Dimitte populum meum, vt seruiant mihi in eremo.] Non vult Moyses vt populus in Ægypto positus seruiat domino, sed vt exeat in desertum, & ibi seruiat domino. Hoc est sine dubio quod ostendit, quia donec quis in tenebris secularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire domino. Non enim potest duobus dominis seruire, non potest domino seruire & Mammonæ. Exeundum igitur nobis est de Ægypto, relinquendus est mundus, si volumus domino seruire. Relinquendus autem dico, non loco, sed animo, non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo. Audi hæc eadem Ioannem dicentem. Filioli nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est, desiderium carnis est, & desiderium oculorum. Et quid tandem dicit? Quomodo, vel quatenus proficisci iubet ex Ægypto, videamus. Viam, inquit, trium dierū ibimus in eremo, & ibi immolabimus domino deo nostro.] Quæ est via trium dierum, quæ nobis incedenda est, vt exeuntes de Ægypto peruenire possimus ad locum, in quo immolare debeamus?

1 Ioan. 2.

G Ego viam illam intelligo qui dixit: Ego sum via, & veritas, & vita. Hæc via triduo nobis incedenda est. Qui enim confessus fuerit in ore suo dominum Iesum, & crediderit in corde suo quod deus illum suscitauit à mortuis tertia die, saluus erit. Hæc ergo est tridui via, per quam peruenitur in locum, in quo domino immoletur, & reddatur sacrificium laudis. Hæc, quantum ad mysticum pertinet intellectum. Si verò etiam moralem, qui nobis perutilis est, requirimus locum: iter tridui de Ægypto proficiscimur, si ita nos ab omni inquinamento animæ, & corporis, ac spiritus conseruemus, vt quemadmodum dixit Apostolus, integer spiritus noster, & anima, & corpus in die Iesu Christi seruetur. Tridui iter proficiscimur de Ægypto, si rationalem, naturalem, moralem sapientiam de rebus mundialibus auferentes ad statuta diuina conuertimus. Tridui iter de Ægypto proficiscimur, si purificantes in nobis dicta, facta, vel cogitata (Tria sunt enim hæc, per quæ peccare homines possunt) efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre. Vis autem videre quod huiusmodi sunt, quæ in scripturis indicat spiritus sanctus? Pharao hic, qui est princeps Ægypti, vbi se videt vehementius perurgeri vt dimittat populum dei, secundo loco hoc cupit impetrare, ne longius abeant, ne totum triduum proficiscantur, & dicit, non longe abeatis. Non vult longe à se fieri populum Dei, vult eum si non in facto, vel in sermone peccare, si non in sermone, vel in cogitatione delinquere. Non vult vt totum à se triduum

Ioan. 4.

Sensus Moralis.

Philosophia triplex ad Deum reducenda.

H proficiscantur. Vult in nobis vel vnum diem suum habere, in alijs duos, in alijs totum triduum ipse possidet. Sed illi beati, qui integrum ab eo triduum discedunt, & nullam in eis suam possidet diem. Non ergo putetis, quia tunc tantummodo eduxit Moyses populum de Ægypto. Et nunc Moyses, quem habemus nobiscum (habemus enim Moysen & prophetas) id est, lex Dei vult te educere de Ægypto si audiamus eam, vult te longe facere à Pharaone, eruere te cupit de opere luti & palearum: si tamen audias legem dei, & spiritualiter intelligas. Non vult te in carnis & tenebrarum actibus permanere, sed exire ad eremum, venire ad locum perturbationibus & fluctibus seculi vacuum, venire ad quietem silentij. Verba enim sapientiæ in silentio & quiete discuntur. Ad hunc ergo locum quietis cum veneris, ibi poteris immolare domino, ibi legem dei, & virtutem diuinæ vocis agnoscere. Propterea ergo cupit te Moyses eiicere de medio fluctuantium negotiorum, & de medio perstrepentium populorum, propterea cupit te exire de Ægypto, id est, de tenebris ignorantiæ, vt legem dei audias, & lucem scientiæ cupias. Sed obsistit Pharao, relaxare te non vult rector tenebrarum harum, non vult te abstrahi de tenebris suis, & ad scientiæ lumen adduci, & audi quid dicit. Quis

Exod. 5.

I est, inquit, cuius audiam vocem? Nescio dominum, & Israel non dimittam. Audi quid respondet princeps huius mundi, nescire se Deum dicit. Vides quid agit cruda superbia? Donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulo post quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur. Iste qui modo dicit, nescio dominum, postea cum vim senserit verberum, dicturus est: Orate pro me dominum: & non solum hoc, sed etiam contestantibus magis fatebitur, quia digitus Dei est in virtute signorum. Nemo ergo ita ineruditus diuinæ sit disciplinæ, vt flagella diuina perniciem putet, vt verbera domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera dominum nescit, verberatus supplicari pro se dominum rogat. Est profectus in pœnis, hoc ipsum agnoscere quod merueris pœnam. Nescio ergo ait, dominum, & Israel non dimitto. Sed vide in euangeliis, quomodo verberatus emendet hanc vocem. Scriptum est enim, quia clamauerunt dæmones ad dominum, & dixerunt. Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus te qui sis, tu es filius Dei viui. Vbi tormenta senserunt, sciunt dominum. Ante flagella dicit, Nescio dominum, & Israel non dimitto. Sed postea Israel dimittit, & non solum dimittit, sed & ipse perurgebit eum exire. Nulla enim societas lucis ad tenebras, nulla pars fideli cum infideli. Sed quid adhuc addit in responsis suis? Quare, inquit, Moyses & Aaron peruertitis populum ab operibus? Discedite vnusquisque ad opus vestrum. Donec secum est populus, & lutum operatur ac laterem, donec in paleis occupatus est, non putat eũ esse peruersum, sed recto itinere incedere. Si verò dicã, volo ire viam trium dierum, & seruire domino, peruerti populũ dicit per Moysen & Aaron. Hoc quidem dicebatur antiquis. Sed & hodie si Moyses & Aaron, id est, propheticus & sacerdotalis sermo animam sollicitet ad seruitium dei, inuitetque eam exire de seculo, renunciare omnibus quæ possidet, operam dare diuinæ legi, & sequi verbum dei, continuo audies dici ab his qui Pharaoni vnanimes & amici sunt: Videte quomodo seducuntur homines & peruertuntur, quales adolescentes ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis prosit, relictis rebus necessariis, & vtilibus, ineptias sectantur & otium. Quid est seruire domino? Laborare nolunt, & inertis otij occasiones requirunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius, & familiares loquuntur. Non solum verbis res agitur, sequuntur & verbera: flagellari iubet scribas Hebræorum, paleas non dari, opus exigi. Hæc pertulerunt patres, ad quorum figuram sæpe etiam populus Dei qui est in ecclesia, patitur. Inuenies enim si consideres eos

Exod. 8.

Induratus pœnis proficit.

Matt. 8.

K

L qui se ex integro principi huius mundi tradiderunt, prosperis successibus agere, omnia eis (vt ipsi putant) feliciter euenire: seruis autem dei sæpe nec hæc quidem humani victus humilia & parua succedere. Istas enim puto videri paleas, quæ à Pharaone ministrantur. Fit ergo sæpe vt deum timentes, vili hoc etiam & paleis simili indigeant victu. Sæpe etiam persecutiones sustinent tyrannorum, perferunt cruciatus & sæua tormenta, ita vt fatigati nonnulli dicant ad Pharaonem: Vt quid tu affligis populum tuum? Superati nanque verberibus nonnulli à fide decidunt, & confitentur se esse populum Pharaonis. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, nec quia sunt semen, sunt omnes & filij. Isti ergo qui dubij sunt, & in tribulationibus fatigantur, etiam contra Moysen & Aaron loquuntur, & dicunt: ex qua die intrastis & existis vos ad Pharaonem, execrabilem fecistis odorem nostrum coram eo. Verum dicunt isti, licet ignorent fortasse quod dicunt, sicut & Caiphas ille verum dicebat, quia expedit vobis vt moriatur vnus pro populo, sed quid diceret nesciebat. Nam (vt Apostolus dicit) Christi bonus odor sumus. Et aliis, inquit, odor de vita in vitam, aliis autem odor de morte in mortem. Ita & propheticus sermo suauis odor est credentibus. Dubiis verò & incredulis, & his qui se populum profitentur esse Pharaonis, odor execrabilis efficitur. Sed & ipse Moyses

Dubij in se de bonis detrahunt.

Ioan. 11.

2. Cor. 2.

M dicit ad dominum: Quia ex quo loquutus sum cum Pharaone, afflixit populum tuum. Certum est enim, quia antequam sermo dei audiatur, antequam prædicatio diuina nascatur, non est tribulatio, non est tentatio. Quia nisi buccinet tuba, non committitur bellum. Vbi verò signum belli tuba prædicationis ostenderit, ibi, inquit, sequitur afflictio, ibi omnis tribulationum pugna consurgit. Ex quo ergo loqui cœpit Moyses & Aaron ad Pharaonem, affligitur populus Dei. Ex quo in animam tuam sermo Dei perlatus est, necessario certamen intra te virtutibus aduersum vitia suscitatur. Prius verò quàm veniret sermo qui argueret, vitia intra te in pace durabant. Sed vbi sermo Dei facere cœpit vniuscuiusq; discrimen, tunc perturbatio magna cõsurgit, & sine fœdere nascitur bellum. Cum iniustitia enim quando potest conuenire iustitia? impudicitia cum sobrietate? cum veritate mendacium? Et ideo non magnopere perturbemur, si videtur odor noster execrabilis esse Pharaoni. Execrationi nanque & vitiis ducitur virtus. Quin potius vt in posterioribus dicit, quia stetit Moyses ante Pharaonem, stemus etiam nos contra Pharaonem, & non flectamur, sed stemus succincti lumbos nostros in veritate, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. Sic enim nos hortatur Apostolus dicens: State ergo & nolite iterum iugo seruitutis inhærere. Iterum dicit:

ἄσπονδος πόλεμος

Stare quid.

Gal. 5.

In

In quo stamus, & gloriamur in spe gloriæ dei. Stamus autem confidenter, si dominum deprecemur, vt statuat pedes nostros super petram, ne nobis illud eueniat, quod idẽ propheta dicit: Mei autem paulo minus moti sunt pedes, & paulo minus effusi sunt gressus mei. Stemus ergo ante Pharaonem, id est, obsistamus ei in certamine, sicut & Petrus Apostolus dicit: Cui resistite fortes in fide. Sed & Paulus nihilominus dicit: State in fide & viriliter agite. Si enim fortiter steterimus, consequetur illud quod orabat Paulus pro discipulis dicens: quia Deus conteret Satan sub pedibus vestris velociter. Quanto enim nos constantius & fortius steterimus, tanto infirmior & inualidior erit Pharao. Si autem nos vel infirmi cœperimus esse, vel dubij, ille aduersum nos validior & constantior fiet. Et vere illud impletur in nobis, in quo Moyses dedit figuram. Cum enim ipse eleuaret manus, vincebatur Amalech. Si verò velut lassas deiiceret, & brachia infirma deponeret, inualescebat Amalech. Ita ergo etiam nos in virtute crucis Christi extollamus brachia, & eleuemus in oratione sanctas manus in omni loco sine ira & disceptatione, vt domini mereamur auxilium. Hoc idem namque & Iacobus Apostolus cohortatur dicens: Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. Agamus ergo omni fide, vt non solum fugiat à nobis, sed & conteratur Satanas sub pedibus nostris, sicut & Pharao demersus est in mare, & in profundo abyssi extinctus. Nos autem si recedamus de Ægypto vitiorum, fluctus seculi tanquam iter solidum euademus, per Iesum Chistum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Rom. 5. Psal. 73. 1. Pet. 5. 1.Cor.16. Rom.16. Exod. 17. Iacob. 4.

De decem plagis, quibus percussa est Aegyptus. Homilia IIII.

HISTORIA quidem famosissima nobis recitata est, & quę pro sui magnitudine vniuerso mũdo sit cognita, per quam designatur, quod ingentibus signorum ac prodigiorum verberibus Aegyptus cum Pharaone rege castigata sit, vt Hebræorum populum, quem ex liberis patribus natum violenter in seruitutem redegerat, ingenitæ redderet libertati. Verum ita gestorum contexta narratio est, vt si singula diligenter inspicias, plura in quibus hæreat intellectus, quàm in quibus expedire se possit, inuenias. Et quia longum est singula per ordinem scripturę dicta proponere, cõtinentiam totius historię compendiosius recensebimus. Igitur primo signo proiecit virgam suam Aaron, & facta est draco, & conuocati incantatores & malefici Aegyptiorum fecerunt similiter ex virgis suis dracones. Sed draco qui ex virga Aaron fuerat effectus, absorbuit dracones Aegyptiorum. Quod cum stupori esse debuerit Pharaoni, & ad credulitatem proficere, in contrarium versum est. Dicit enim scriptura, quia induratum est cor Pharaonis, & non exaudiuit eos. Et hic quidem dicit, quia induratum est cor Pharaonis, sed & in prima nihilominus plaga, vbi aqua in sanguinem vertitur: similiter rescriptum est, & in secunda cum ranæ debulliunt, sed & in tertia cum Scinipes ingruunt, In quarta quoque cum Cynomyia educitur, & in quinta vbi manus domini fit super peccora Aegyptiorum, paria super hoc dicuntur & similia. In sexta verò vbi sumpsit fauillam de fornace Moyses, & respersit, & facta sunt vlcera, & vesicæ feruentes in hominibus & in quadrupedibus, & iam non poterant stare malefici in conspectu Moysi, non dicitur quia induratum est cor Pharaonis, sed terribilius aliquid dicitur. Scriptum est enim quia indurauit dominus cor Pharaonis, & non audiuit illos, quemadmodum constituit dominus. Rursum in septima, cum grando & ignis Aegyptum vastat vniuersam, induratur quidem cor Pharaonis, sed non à domino. In octaua, vbi locusta producitur, dominus dicitur indurare cor Pharaonis. Sed & in nona cum tenebrę palpabiles fiunt per totam terram Aegypti, Pharaonis cor dominus scribitur indurare. Ad vltimum quoque cum extinctis primogenitis Aegyptiorũ, Hebræus populus discessisset, post multa dicitur: Et indurauit Dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & seruorum eius, & insecutus est post filios Israel. Sed & cum Moyses de terra Madian ad Aegyptum mittitur, & præcipitur ei facere omnia prodigia, quæ dedit Dominus in manu eius, additur. Facies, inquit, ea in conspectu Pharaonis. Ego autem induro cor Pharaonis, & non dimittet populum meum. Hic primo dictum est à domino, ego induro cor Pharaonis. Sed & secundo vbi enumerati sunt principes Israel, post pauca addit ex persona domini Ego, inquit, induro cor Pharaonis, & multiplico signa mea. Quod si credimus diuinas esse has literas, & per spiritum sanctum scriptas, non puto quod tam indigne de diuino spiritu sentiamus, vt fortuitu in tanto hoc opere facta sit ista varietas, vt nunc quidem dominus dicatur indurasse cor Pharaonis, nunc autem non à domino, sed quasi sponte induratum dicatur. Equidem confiteor me minus idoneum, & minus capacem, qui valeam in huiuscemodi varietatibus diuinæ sapientiæ secreta rimari. Paulum tamen Apostolum video, qui propter inhabitantem in se spiritum dei dicere cõfidenter audebat. Nobis autem reuelauit dominus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei. Hunc, inquam, video tanquam intelligentem quid differat induratũ esse cor Pharaonis, & indurasse cor Pharaonis dominum, dicere. Alibi quidem dicit: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quia patiẽtia dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. Per quod eum sine dubio, qui sponte induratus est, culpat. Alibi verò velut quæstionem super hoc quandam proponens dicit. Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi. Quid igitur adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistit? Addit etiam his. O homo tu quis es qui contrà respõdeas Deo? Per quod de eo qui à domino dicitur induratus, non tam quæstionis absolutione, quàm apostolica autoritate respondit, credo non iudicans dignum pro incapacitate auditorum, chartis & attramento huiuscemodi absolutionum secreta committere. Sicut & in alio loco de quibusdam verbis ipse dicit, audisse se quædam quæ non licet hominibus loqui. Vnde & in consequentibus, eum qui non tam studiorum merito, quàm sciendi cupiditate secretioribus se quæstionibus curiosus immergit, magnifici doctoris seueritate deterret, cum dicit. O homo, tu quis es qui contrà respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? & cætera. Vnde & nobis hæc obseruasse tantum, & inspexisse sufficiat, atque ostendisse auditoribus quanta sint in lege diuina profundis demersa mysteriis, pro quibus dicere in oratione debeamus, De profundis clamaui ad te domine. Sed & illa non minus mihi intuenda videtur obseruatio, cum quædam verbera Aaron inferre dicitur Pharaoni vel Aegypto, quædam Moyses, quædam verò ipse dominus. Nam in prima plaga, cum aquas vertit in sanguinem, Aaron dicitur leuasse virgam, & percussisse aquam. Sed & in secunda, cum percussit aquas, & eduxit ranas, & in tertia cum extendit manu sua virgam, & percussit puluerem terræ, & facti sunt scnipes. In his tribus verberibus Aaron ministerium fuit. In quarto verò Dominus fecisse dicitur vt adueniret cynomyia, & repleret domos Pharaonis. Sed & quinto cum extinguuntur pecora Aegyptiorum, dominus nihilominus fecisse dicitur verbum hoc. In sexto verò Moyses aspergit fauillam de fornace, & fiunt vlcera, & vesicæ cum feruore in hominibus & pecoribus. Sed & in septimo Moyses eleuat manum suam in cœlũ, & fiunt voces in cœlo, & grando, & discurrit ignis super terram. In octauo quoque idem Moyses extendit manum suam in cœlum, & dominus induxit ventum tota die & tota nocte, & adducit locustas. Sed & in nono idem nihilominus Moyses extendit manum suam in cœlum, & fiũt tenebræ, & caligo super omnem terram Aegypti. In decimo verò, finis & perfectio totius operis à domino ministratur. Ita enim scriptum est. Factum est enim circa mediam noctẽ, & dominus percussit omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui sedebat super thronum eius, vsque ad primogenitum captiuæ quæ est in lacu, & omne primogenitũ pecoris. Est &

Primum signum in Aegyptum. Exod. 7. Plagæ decẽ Aegypti. Exod. 3. Deus indurauit cor Pharaonis, & si ipse Pharao indurauit. 1 Cor. 2. Rom. 2. Rom. 9. 2.Cor. 12. Rom. 9. Psal. 130. Plagæ Aegypti partim à deo, partim à Mose, partim ab Aarone. Exod. 12.

G alia in his differentia, quã obseruauimus, quod in prima quidẽ plaga, cum aqua in sanguinem fluit, nõdum dicitur Moysi vt intraret ad Pharaonem, sed dicitur ei: Vade in occursum eius ad ripam fluminis, cum procedit ad aquam. In secunda verò plaga, posteaquam prima ab eis constanter & fideliter ministrata est, dicitur ad eum. Intra ad Pharaonem, & ingressus dic: Hæc dicit dominus, & reliqua. Iam verò in tertia, vbi scnipes inferuntur, magi qui prius obstiterant, cedunt confitentes quia digitus Dei est hic: In quarta quoque vigilare iubetur Moyses mane, & stare contra Pharaonem procedentem ad aquam, cum cynomyia replentur Aegyptiorum domus. In quinta nihilominus, vbi pecora Aegyptiorum delentur, intrare iubetur ad Pharaonem Moyses. In sexta sanè contemnitur Pharao, & non refertur quod intrauerit Moyses vel Aaron ad Pharaonem, quia facta sunt vlcera & vesicæ cum feruore etiam super maleficos Aegypti, & non poterant resistere Moysi. In septima vigilare iubetur mane valde, & stare contra Pharaonem, cum grandinem & ignem producit, & voces. In octaua præcipitur intrare ad eum, cum locusta producitur. In nona rursum contemnitur Pharao, & præcipitur ad cœlum manus extendere Moyses, vt fiant in tota terra Aegypti palpabiles tenebræ: & non quidem per se intrat, sed vocatur à Pharaone. Similiter & in decima cum primitiua delentur, & cogitur cum festinatione exire de Aegypto. Sunt & aliæ permultæ obseruationes, in quibus H singulis diuinæ demonstrantur indicia sapientiæ. Inuenies enim quod primo non flectitur Pharao, nec diuinis verberibus cedit, cum aquæ in sanguinem versæ sunt. In secundo verò parum quid molliri videtur. Vocauit enim Moysen & Aaron, & dixit ad eos, Orate pro me ad dominum, vt tollat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum. In tertio magi cedunt, & dicunt ad Pharaonem, Digitus dei hic est. In quarto per cynomyiam verberatus dicit: Euntes immolate domino deo vestro, sed non longius tentetis iter. Orate igitur pro me ad dominum. In quinto nece pecudum cæditur, & non solum non cedit, sed & amplius induratur. Similiter & in sexto super plagas vlcerum facit. In septimo verò cum grandine vastatur, & ignibus: Misit, inquit, Pharao, & vocauit Moysen & Aaron, & dixit illis: Peccaui, & nunc dominus iustus est, ego autem & populus meus impij. Orate igitur pro me ad dominum. In octauo cum locustis vrgeretur, Et festinauit, inquit, Pharao, & vocauit Moysen & Aaron dicẽs. Peccaui ante dominum deũ vestrum, & in vos, suscipite peccatum meum etiam nunc, & orate pro me ad dominum deum vestrum. In nono cum tenebris offunditur, Vocauit, inquit, Pharao Moysen & Aaron dicens: Ite, seruite domino Deo vestro. Iam verò in decimo cum primitiua hominum extinguuntur & pecorum, Vocauit, inquit, Pharao Moysen & Aaron nocte, & dixit illis. Surgite I & exite de populo meo, & vos & filij Israel, ite, seruite domino Deo vestro, sicut dicitis: oues & boues vestros assumentes pergite, sicut dixistis. Benedicite autem & me. Et cogebant Aegyptij populum quàm celerrime exire de terra Aegypti. Dicebant enim, quoniam omnes nos moriemur. Quis est ille, quem repleat illo spiritu Deus, quo repleuit Moysen & Aaron, cum hæc prodigia & signa perficerent, vt eodem spiritu illuminatus possit quæ per illos sunt gesta, disserere? Aliter enim non arbitror has ingentium rerum varietates ac differẽtias explanari, nisi eodẽ spiritu quo gesta sunt, disserantur, Quia & Paulus Apostolus dicit, quod spiritus prophetarum prophetis subiectus sit. Non ergo quibuscunque ad explanandum dicta prophetarum, sed prophetis dicuntur esse subiecta. Verum quoniam idem beatus Apostolus huius gratiæ, id est, prophetalis doni, tanquam ex parte sit & in potestate nostra, imitatores nos fieri iubet, dicens, Aemulamini autem dona meliora, magis autem vt prophetetis: tentemus & nos æmulationem suscipere bonorum, & si quid est in nobis, à nobis exigere, à domino verò plenitudinem muneris expectare. Pro hoc enim dicitur à domino per prophetam, Aperi os tuum, & replebo illud. Pro illo verò alia scriptura dicit, Punge oculum, & producit lacrymam: punge cor, & producit sensum. Ne ergo ex desperatione silentio nos tradamus, quod vtique K non ædificat ecclesiam Dei, de quibus possumus, & in quantum possumus breuiter repetamus. Puto ergo (vt sentire possum) quod Moyses ad Aegyptum veniens, & deferens virgam, qua castigat & verberat Aegyptum decem plagis, Moyses hic lex Dei sit: quæ data est huic mundo, vt eum decem plagis, id est, decem mandatis, quæ in Decalogo continentur, corripiat, & emendet. Virga ergo per quam geruntur hæc omnia, per quam Aegyptus subijcitur, & Pharao superatur, crux Christi sit, per quam mundus hic vincitur, & principes huius mundi cum principatibus & potestatibus triumphatur. Quod autem virga proiecta fit draco, vel serpens, & deuorat Aegyptiorum magorum serpentes, qui id similiter fecerant: serpentem pro sapientia poni, vel prudentia, indicat euangelicus sermo cum dicit: Estote prudentes tanquam serpentes. Et alibi: Serpens erat prudentior omnibus animalibus, & bestijs, quæ erant in paradiso. Crux ergo Christi, cuius prædicatio stultitia videbatur, quam Moyses, id est, lex continet, sicut dominus dixit, De me enim ille scripsit: hæc inquam, crux de qua Moyses scripsit, postquam in terra proiecta est, id est, posteaquam ad credulitatem & fidem hominum venit, conuersa est in sapientiam, & tantam sapientiam, quæ omnem Aegyptiorum, id est, huius mundi sapientiam deuoraret. Intuere ergo quomodo stultam fecit deus sapientiam huius mundi, posteaquam manifestauit Christum, qui crucifixus est, Dei virtutem esse & Dei sapientiam: & vniuersus iam mundus L comprehensus est ab eo qui dicit: Comprehendens comprehẽdam sapientes in astutia eorum. Quod verò aquæ fluminis vertuntur in sanguinem, satis conuenienter aptatur, Primo quidem vt is fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem paricidali cæde maculauerant, potando sentirent. Tum deinde, vt allegoricis legibus nihil desit, aquæ vertuntur in sanguinem, & sanguis suus Aegypto propinatur. Aquæ Aegypti, erratica & lubrica philosophorum sunt dogmata, quæ paruulos quosque sensu, & pueros intelligentia deceperunt: vbi crux Christi mundo huic veritatis lumen ostendit, necis eorum pœnas, & reatum sanguinis exigunt. Ita enim & ipse dominus dicit, quia omnis sanguis qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ requiretur à generatione hac. Per secundam verò plagam, in qua ranæ producuntur, indicari figuraliter arbitror carmina poetarum, qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus mundo huic deceptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim illud animal vtile est, nisi quod sonum vocis improbis & inportunis clamoribus reddit. Post hoc scnipes producuntur. Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed ita subtile M est & minutum, vt oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat: corpus tamen cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem. Hoc ergo animalis genus dignissime puto arti dialecticæ comparari, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus nec videat nec intelligat vnde decipitur. Quarto quoque in loco Cynomyiam Cynicorum sectæ compararerim, qui ad reliquas deceptiones suæ improbitatis, etiam voluptatem & libidinem summum prædicant bonum: Quoniam igitur per hæc singula prius deceptus est mũdus, adueniens sermo, & lex dei huiuscemodi eum correptionibus arguit, vt ex qualitate pœnarum, qualitates proprij agnoscat erroris. Quod verò quinto in loco animalium nece, vel pecudum Aegyptus verberatur, vecordia in hoc arguitur stultitiáque mortalium, qui tanquam irrationalia pecora cultum & vocabulum Dei diuersis imposuerunt figuris, non solum hominum, sed & pecudum, ligno & lapidibus impressis, Hammonem Iouem in ariete venerantes, & Anubin in cane, Apin quoque colentes in tauro, cætera quoque quæ Ægyptus Deorum portenta miratur: vt in quibus cultum credebatur inesse diuinum, in his viderent miserãda supplicia. Vlcera

[Marginalia: Pharao aliquantum mollitur. — Exod. 9. — 1. Cor. 14. — Psal. 81. — Ecclesi. 22. — Allegoria. — Virga Moyses crux. — Mat. 10. — Genes. 3. — Ioan. 5. — Ioan. 5. — Esd. 19. — Aquæ Aegypti philosophia. — Mat. 23. — Exod. 8. — Ranæ poetæ. — Scnipes dialectici. — Cynomyia Cynicorum secta.]

A cera post hæc & vesicæ cum feruore, sexto in verbere producuntur. Et videtur mihi quod in vlceribus arguatur dolosa & purulenta malitia, in vesicis tumens & inflata superbia, in feruore scilicet iræ ac furoris insania. Hucusque per errorum suorum figuras, mundo supplicia temperantur. Post hæc verò verbera veniunt de supernis voces, inquit, tonitrui sine dubio, & grando, & ignis discurrens in grandine. Vide temperamentum diuinæ correptionis, non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cœlitus mittit, per quam possit culpam suam castigatus agnoscere mundus. Dat & grandinem, per quam & tenera adhuc vastantur nascentia vitiorum. Dat & ignem, sciens esse spinas & tribulos, quos debeat ignis ille depascere, de quo dicit dominus, Ignem veni mittere in terram. *Luc.12* Per hunc enim incentiua voluptatis & libidinis consumuntur. Quod autem locustarum in octauo loco fit mentio, puto per hoc genus plagæ, dissidentis semper à se & discordãtis humani generis inconstantiam confutari. Locusta enim cum regem non habeat, sicut scriptura dicit, vna acie ordinatum ducit exercitum: *Pro.30* homines verò cum rationales à Deo facti sint, neq; semetipsos ordinate regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulere. Nona plaga tenebræ sunt, siue vt mentis eorum cæcitas arguatur, siue vt intelligant diuinæ dispensationis & prouidentiæ obscurissimas esse rationes. *Prouidẽtiæ rationes obscuræ.* Posuit enim deus tenebras latibulum suum, quas illi audacter & temere perscrutari cupiẽtes, & alia ex alijs asserentes, in crassas & palpabiles errorum tenebras deuoluti sunt. B Ad vltimum primitiuorum infertur interitus, in quo sit fortassis aliquid supra nostram intelligẽtiam, quod commissum ab Ægyptijs videatur in ecclesia primitiuorum, quæ adscripta est in cœlis. *Exod.12* Vnde & exterminator angelus ad huiuscemodi ministerium mittitur, qui parcat illis tantum, qui vtrosque postes agni sanguine inuenti fuerint habere signatos. Delẽtur interim primogenita Ægyptiorum, siue hos principatus & potestates, & mũdi huius rectores tenebrarum dicamus, quos in aduentu suo Christus dicitur traduxisse, hoc est, captiuos duxisse, & triumphasse in ligno crucis: siue inuẽtores falsarum, siue auctores, quæ in hoc mundo fuerunt religionum dicamus, quas Christi veritas cũ suis extinxit & deleuit auctoribus. Hæc quãtum ad locũ mysticum spectat. Iam verò si etiam moralis nobis figura tractãda est, dicemus quod vnaquæque anima in hoc mundo, dum in erroribus viuit, *Tropologia* & ignorantia veritatis, in Ægypto posita est. Huic si appropinquare cœperit lex dei, aquas ei vertit in sanguinem, id est, fluidam & lubricam iuuentutis vitam cõuertit in sanguinem veteris vel noui testamenti. Tum deinde educit ex ea vanam & inanem loquacitatem, & aduersum dei prouidentiam ranarum similem querelam. Purgat etiam malignas cogitationes eius, & scnipum mordacitate similis callidatis aculeos discutit. C Libidinũ quoque morsus cynomyiæ spiculis similes depellit, stultitiámque in ea, & intellectum pecudibus similem delet: per quam homo cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Arguit enim & vlcera peccatorum, atque arrogantiæ tumorẽ, furorẽque in ea feruoris extinguit. Adhibet post hæc etiam voces filiorum tonitrui, id est, euangelicas apostolicásque doctrinas. *Alludit ad ca.3. Marci, vbi Christus Ioannem & Iacobũ filios tonitrui cognominat.* Sed & castigationem grandinis admonet, vt luxuriam voluptatésque coerceat. Adhibet simul & ignem pœnitentiæ, vt & ipsa dicat: Nónne cor nostrum ardens erat intra nos? *Luc.24* Nec locustarum ab ea subducit exempla, quibus mordeãtur, & depascantur omnes inquieti motus eius & turbidi, quò & ipsa dicat, quod Apostolus docet, vt omnia sua secundum ordinem fiant. *1.Cor.14* Vbi verò sufficiẽter fuerit castigata pro moribus, & pro emẽdatioris vitæ correptione coercita, cum auctorem verberum senserit, & confiteri iam cœperit quia digitus Dei est, & parum quid agnitionis acceperit, tunc præcipue gestorum suorum tenebras videt, tunc errorum suorum caliginem sensit. Cumque in hoc venerit, tunc merebitur vt extinguantur in ea primogenita Ægypti. In quo tale aliquid intelligi posse arbitror. Omnis anima cum ad supplementum ætatis aduenerit, & velut naturalis in ea quædam lex cœperit sua iura defendere, primos sine dubio motus secundum desiderium carnis producit, quos ex concupiscentiæ vel ire fomite vis incentiua commouerit.

D Vnde quasi præcipuam & quod non sit commune cum cæteris hominibus, de solo Christo propheta dicit: *Esa.7* Butyrum & mel manducabit, priusquam faciat aut proferat maligna, eligit bonum. Quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, resistit malitiæ, vt eligat quod bonum est. Alius autem propheta tanquam de semetipso loquens, dicebat: *Psal.25* Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quia ergo primi isti animæ motus secundum carnem prolati in peccatum ruunt, merito in morali loco Ægyptiorum primitiua ponuntur, quæ eatenus extinguuntur, si reliquæ vitæ cõuersatione emendatiorem dirigat cursum. Sic ergo in anima quã lex diuina ab erroribus susceptam castigat & corrigit, etiam primogenita Ægyptiorum intelliguntur esse deleta, nisi post hæc omnia in infidelitate perduret, & nolit adiũgi Israeliticæ plebi, vt exeat de profundo, & vadat incolumis, sed in iniquitate permaneat, & descendat tanquam plumbum in aquã validissimam. Iniquitas enim secundum Zachariæ prophetæ visum, super talentum plumbi sedet. *Zach.5* Et ideo qui permanet in iniquitate, tanquam plumbum demergi dicitur in profundum. Sanè quod in superioribus obseruauimus, quædã prodigia per Aaron, quædam per Moysen, quędam verò per ipsum dominum ministrata: intelligi eatenus possunt, vt agnoscamus in quibusdam per sacrificia sacerdotum, & obseruationes pontificum nos esse purgandos, *Purgatio tribus modis obtingere potest.* quod Aaron persona designat: in quibusdam verò per scientiam diuinæ legis emẽdandos, quod Moysi designat officium: in alijs autem, sine dubio quæ difficiliora sunt, ipsius domini egere virtute. E Sed ne illud quidem putandum est nobis inaniter obseruatum, quod primo quidẽ Moyses nõ intrat ad Pharaonẽ, sed occurrit ei exeũti ad aquas, postmodũ verò intrat ad eũ, post hoc nõ intrat, sed accersitus accedit. Et in hoc ita arbitror intelligi posse: quod siue nobis in verbo dei, & religionis adsertione certamen est aduersum Pharaonem: siue etiam obsessãs ab eo animas à potestate eius conamur eripere, & est nobis in disputatione luctamen: non statim in prima fronte ingredi debemus ad vltima quæstionum loca, sed occurrendum nobis est aduersario, & occurrẽdum ad aquas suas. Aquæ enim suæ sunt auctores gentilium philosophorum. Ibi ergo nobis primum disputare volentibus, occurrendum est, vt ipsos arguamus, & ipsos errasse doceamus. Post hoc iam ingrediendum nobis est & ad interiora certaminis. Dicit enim dominus: *Matth.12* Nisi prius quis alligauerit fortem, non potest introire in domũ eius, & vasa eius diripere. *Gentes primum suis literis confutandæ.* Prius ergo alligandus est fortis, & quæstionum vinculis constringendus, & ita introeundum ad diripiendum vasa eius, & liberandas animas, quas deceptionis fraude possederat. Quod cum sępius fecerimus, & steterimus contra ipsum: steterimus autem eo modo, quo Apostolus dicit, State ergo succincti lumbos vestros in veritate. Et iterum, State in domino, & viriliter agite. *Ephes.6* F Cum ergo hoc modo steterimus aduersum ipsum, ille artifex antiquus & callidus, etiam vinci se simulabit & cedere, si forte per hoc negligentiores nos efficiat ad certamen. Sed & pœnitentiam simulabit, & deprecabitur nos discedere quidem, sed non longe discedere. Vult nos esse sibi aliqua ex parte vicinos, vult nos à suis finibus non longe discedere. Sed nos nisi ab eo longius recedamus, & transeamus mare, & dicamus, quãtum interiacet ortus ab occasu elongabit à nobis iniquitates nostras, salui esse non possumus. Propter quod deprecemur misericordiam domini, vt & nos eripiat de terra Ægypti, de potestate tenebrarum, & Pharaonem cum exercitu suo, tanquam plumbum demergat in aquam validissimam. Nos autem liberati, cum gaudio & exultatione hymnum cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. *Exod.15* Quia ipsi gloria & honor in secula seculorum, Amen.

De profectione filiorum Israel de terra Aegypti. Genes. Cap. XII. XIII. XIIII. Homilia V.

DOCTOR gentium in fide & veritate Apostolus Paulus tradidit ecclesiæ, quam congregauit ex gentibus, *1.Tim.2* quomodo libros legis susceptos ab alijs, sibíque ignotos prius, & valde peregrinos deberet aduertere, ne aliena instituta suscipiens, & institutorum regulam nesciens, in peregrino trepidaret instru-

G mento. Propterea ergo ipse in nonnullis intelligentiæ tradit exempla, vt & nos similia obseruemus in cæteris, ne forte pro similitudine lectionis & instrumenti, Iudæorum nos effectos esse discipulos crederemus. Hoc ergo differre vult discipulos Christi à discipulis synagogæ, quod legem quàm illi male intelligendo, Christum non receperunt, nos spiritaliter intelligendo, ostẽdamus eam ad ecclesiæ instructionem merito datam. Iudęi ergo hoc solum intelligebant, quia profecti sunt filij Israel de Aegypto, & prima profectio eorum fuerit ex Ramesse, & inde profecti venerunt in Sochoth, & de Sochoth profecti, venerunt in Othon, ad Epauleum iuxta mare. Tum deinde quod ibi nubes eos præcesserit, & secuta sit petra, de qua biberunt aquam. Transierunt etiam per mare rubrum, & venerunt in desertum Sina. Nobis autem, qualem tradiderit de his Paulus apostolus intelligentiæ regulam, videamus. Corinthijs scribens in quodam loco ita dicit, Scimus enim quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra, petra verò erat Christus. Videtis quantum differat ab historica lectione Pauli traditio. Quod Iudæi transitum maris putant, Paulus baptismum vocat: quam illi existimant nubem, Paulus spiritum sanctũ ponit: & huic simile intelligi vult illud, quod Dominus in Euangelijs præcepit dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Et rursum manna, quod Iudæi cibum ventris & satietatem existimant gulæ, escam spiritalem nominat Paulus. Et non solum Paulus, sed & Dominus de eodem in Euangelio dicit: Patres vestri manna manducauerũt in deserto, & mortui sunt. Qui autem manducauerit de pane quem ego do ei, H non morietur in æternum. Et post hoc dicit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Tum deinde de sequenti petra aperte pronunciat Paulus, & dicit, Petra verò erat Christus. Quid igitur agendum nobis est, qui huiusmodi à Paulo ecclesiæ magistro, intelligentiæ instituta suscepimus? Nónne videtur iustum, vt traditam nobis huiusmodi regulam simili in cæteris seruemus exemplo? An (vt quidam volunt) hæc quæ tantus ac talis Apostolus tradidit, relinquentes, rursum ad Iudaicas fabulas conuertamus? Mihi quidem si hæc aliter, quàm Paulo videtur, exponam, hoc puto esse manus dare inimicis Christi, & hoc esse quod Propheta dicit, Væ qui potat proximum suum subuersione turbulenta. Accepta ergo à beato Paulo apostolo semina spiritalis intelligentię, in quantum nos Dominus precibus vestris illuminare dignabitur, excolamus. Et leuantes, inquit, filij Israel de Ramesse, venerunt in Sochoth, & profecti de Sochoth, venerunt in Othon.] Si quis est qui proficisci de Aegypto parat, si quis est qui cupit obscuros mundi huius actus, & errorum tenebras derelinquere, primo omnium ex Ramesse ei proficiscendum est. Ramesse verò interpretatur commotio tineæ. Si ergo vis venire in Sochoth, vt Dominus tibi dux sit, & in colũna nubis te præcedat, & sequatur te petra, quæ tibi escam spiritalem, & potum nihilominus præbeat spiritalem, proficiscere, I & exi ex Ramesse, nec thesaurizes ibi vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiunt, & furantur. Hoc est quod aperte & Dominus in Euangelijs dicit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Hoc est ergo proficisci de Ramesse, & sequi Christum. Videamus autem quis sit & castrorum locus, ad quem venitur ex Ramesse. Venerunt, inquit, in Sochoth. Sochoth tabernacula intelligi apud Hebræos tradunt interpretes nominum. Cum ergo derelinquens Aegyptum, discusseris abs te tineas totius corruptelæ, & vitiorum incitamenta reieceris, habitabis in tabernaculis. Habitamus enim in tabernaculis, ex quibus nolumus expoliari, sed superuestiri. Habitatio autem tabernaculorum expeditum, & absque vllis impedimẽtis indicat esse eum, qui festinat ad Deum. Sed nec in hoc quidem standum est, vrgenda est profectio. Mouenda sunt castra etiam de Sochoth, & festinãdum est, vt veniamus in Othon. Othon verò in nostram linguam versum, dicunt signa eis. Et merito. Hic enim audiẽs dicit, quia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem K in columna ignis: non hoc inuenis factum apud Ramesse, nec apud Sochoth, quæ secunda proficiscentibus castra dicuntur, sed tertia castra sunt, in quibus fiunt signa diuina. Recordare quæ superius lecta sunt, cũ dicebat Moyses ad Pharaonem: Iter trium dierum ibimus in deserto, & immolabimus Domino Deo nostro. Hoc ergo erat triduum, ad quod festinabat Moyses, & contradicebat Pharao. Ille enim dicebat, non eatis longius. Non permittebat Pharao ad locum signorum peruenire filios Israel, non permittebat eos intantum proficere, vt possent tertij diei mysterijs perfrui. Audi enim Prophetam, quid dicit: Resuscitabit nos Deus post biduum, & in die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius. Prima dies nobis passio Saluatoris est, & secunda qua descẽdit in infernum, tertia autem resurrectionis est dies. Et ideo in die tertia, Deus antecedebat eos, per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis. Quod si secundum ea quæ superius diximus, in his verbis recte nos Apostolus docet baptismi mysteria contineri: necessarium est, vt qui baptizantur in Christo, in morte ipsius baptizentur, & ipsi consepeliantur, & cum ipso die tertia resurgant à mortuis: quos & secundum hoc quod dicit Apostolus, simul secum suscitauit, simúlque fecit sedere in cœlestibus. Cum ergo tibi tertij diei mysteriũ fuerit susceptum, incipiet te deducere Deus, & ipse tibi viam salutis ostendere. Si videamus quid post hæc L dicitur ad Moysen, quæ via præcipitur eligenda. De Othon, inquit, conuersi, iter facite inter Epauleum & inter Magdalum, quod est contra Beelsephon. Hæc autem sic interpretantur. Epauleum quidem ascensio tortuosa. Magdalum, turris. Beelsephon ascensio speculæ, vel habens speculam. Tu fortasse credebas, quia iter quod Deus ostendit planum esset & molle, & nihil prorsus haberet difficultatis aut laboris. Ascensio est & descensio tortuosa. Non enim procliue iter est, quo tenditur ad virtutes: sed ascenditur, & anguste ac difficulter ascenditur. Audi etiam Dominum in Euangelio dicentem, quia arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Vide ergo quantum consonat Euangelium cum lege. In lege ostenditur virtutis via ascensio tortuosa. In Euangelijs dicitur arcta & angusta via quæ ducit ad vitam. Nónne hic aperte etiam cæci videre possunt, quod legem & Euangelia vnus atque idem spiritus scripsit? Est ergo iter quod incedunt ascẽsio tortuosa, & ascensio speculę, vel habens speculam. Ascensio ad actus pertinet, specula ad fidem. Ostendit ergo quia & in actibus, & in fide multa est difficultas, & mult⁹ labor. Multę enim tentationes nobis occurrunt, multa in fide offendicula, volentibus agere quæ Dei sunt. Tum deinde in fide multa inuenies tortuosa. plurimas quæstiones, multas obiectiones hæreticorum, multas contradictiones infidelium. Hoc ergo iter agendũ est sequentibus Deũ. Sed est & turris in hoc itinere. M Quæ est ista turris? Illa nimirum, quam Dominus in Euangelio dicit: Si quis vestrum volens turrim ædificare, nónne prius sedebit, & computabit sumptus, si habet vnde perficiat? Ista est ergo turris, sedes ardua & excelsa virtutum. Sed videns hæc Pharao, audi quid dicit: Errant, inquit, isti. Apud Pharaonem, qui Deum sequitur, errare dicitur: quia, vt diximus, sapientiæ iter tortuosum est, multos habens flexus, multas difficultates, plurimos anfractus. Denique cum confitearis vnum Deũ, eadémque cõfessione patrem, & filium, & spiritum sanctũ asseris vnum Deũ, quàm tortuosum, quàm difficile, quàm inextricabile videtur hoc esse infidelibus? Tũ deinde cum dicis, Dominũ maiestatis crucifixũ, & filium hominis esse qui descẽdit de cœlo, quàm tortuosa hæc videtur, & quã difficilia? Qui audit, si non cum fide audiat, dicit: quia errant isti. Sed tu fix⁹ esto, nec dubites de huiusmodi fide, sciés quia Deus tibi ostendit hanc fidei viam. Ipse enim dixit, Tollentes de Othon castra collocate ea inter Epauleum, & inter Magdalum contra Beelsephon. Fugiens ergo Aegyptum venis ad hæc loca, venis ad has operum ascensiones & fidei, venis ad ædificium turris, venis etiam ad mare, & occurrunt tibi fluctus. Non enim iter vitæ sine tentationum fluctibus agitur. Sicut & Apostolus dicit: Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persecutiones patientur. Sed Iob nihilominus pronunciat, quia tentatio est vita nostra super te

Marginalia: *Mansiones.* — *1.Cor.10.* — *Nubes spiritum sanctum adũbrabat.* — *Ioan.3.* — *Manna cibus spiritalis.* — *Ioan.6.* — *1.Cor.10.* — *1.Tim.1.* — *Habac.2.* — *Paulus semina dedit spiritalis sensus.* — *Ramesse mansio prima.* — *Mat.19.* — *Sochoth secunda mãsio.* — *Othon tertia mansio.* — *Exod.13.* — *Exod.5.* — *Osee 6.* — *Triduum Christi.* — *1.Cor.10.* — *Quarta mãsio Magdalum.* — *Mat.7.* — *In fide multa difficilia* — *Luc.14.* — *Mysterium Trinitatis incredibile infidelibus.* — *2.Tim.3.* — *Iob 7.*

A terram. Hoc est ergo venisse ad mare. Sed si Moysen, id est, legem Dei sequens agas hoc iter, Ægyptius te quidem persequitur & insectatur, sed vide quid fiat: Leuauit, inquit, angelus domini, qui antecedebat castra Israel, & abiit post illos. Eleuauit & columna nubis à facie eorum, & stetit post illos, & intrauit inter castra Ægyptiorũ, & Israelitarum. Hæc columna nubis populo quidem dei efficitur murus, Ægyptijs verò obscuritatem imponit, & tenebras. Nõ enim transfertur columna ignis ad Ægyptios, vt videant lucem, sed in tenebris permanent, quia dilexerũt tenebras magis quam lucem. Et tu ergo si ab Ægyptijs recedas, & de potestate dæmonum fugias, vide quanta diuinitus tibi præparãtur auxilia, vide quantis adiutoribus vteris. Tantum est vt permaneas fortis in fide, nec te Ægyptiorum equitatus, & quadrigarum formido perterreat, nec reclames contra legẽ dei & Moysen, & dicas, sicut quidam ex illis dixerunt: Tanquam non essent sepulchra in Ægypto, ita eduxisti nos, vt in deserto hoc moriamur, melius fuerat nos seruire Ægyptijs, quam mori in deserto hoc. *Exod.14* Hæc fatiscentis in tentatione animi verba sunt. Sed quis ita beatus est, qui sic tentationũ põdus expediat, vt nulla mẽti eius cogitatio ambiguitatis obrepat? Vide magno illi ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit ecclesiam, quid dicatur à domino: Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? *Matth.16* *Matth.14* Veruntamẽ
B qui dicunt, melius fuerat nos seruire Ægyptijs, quàm mori in eremo, tentationis & fragilitatis hæc verba sunt. Alioquin falsum est: Longe enim melius est in eremo mori, quàm seruire Aegyptijs. Qui enim in eremo moritur, hoc ipso quod separatus est ab Aegyptijs, & discessit à rectoribus tenebrarum, & de potestate Satanæ, habuit aliquem profectum, etiã si ad integrum peruenire non potuit. Melius enim perfectam vitam quærenti est in itinere mori, quàm ne proficisci quidẽ ad perfectionem quærendam. Vnde & eorum falsa videtur opinio, qui dum nimis arduum iter virtutis exponunt, dumq; multas eius difficultates, multáque pericula & lapsus enumerant, ne ineundum quidem id aut incipiẽdum iudicant. Sed multo melius est me in hoc itinere vel mori, si ita necesse est, quàm inter Aegyptios permanentem necari, & falsis atque amarissimis fluctibus obrui. Sed interim clamat Moyses ad dominum. *Exod.14* Quomodo clamat? Nulla eius vox clamoris auditur, & tamen dicit ad eum deus, Quid clamas ad me? Velim scire quomodo sancti sine voce clamant ad dominum. Apostolus docet: *Rom.8* Quia dedit deus spiritum filij sui in cordibus nostris, clamantem abba pater. Et addit: Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et iterum: Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secũdum deum postulat pro sanctis. Sic ergo interpellante spiritu sancto apud deum, per silentium sanctorum clamor auditur.
C Et quid post hoc? Iubetur Moyses virga percutere mare, vt ingredienti populo dei dehiscat & cedat, ac voluntati diuinæ elementorum famulentur obsequia: & aquæ quæ timebantur, dextra læuáque famulis dei murus effectæ, non solum perniciem nesciant, sed & munimen exhibeant. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & vnda in semetipsam repressa cur uatur. Soliditatem recipit liquor, & solũ maris arescit in puluerem, vt sicca planta populus dei transiret. Bonitatem dei creatoris intellige, si voluntati eius obtemperes, si legem eius sequaris, ipse tibi elementa etiam contra sui naturam seruire compellit. Audiui à maioribus traditum, quod in ista digressione maris, singulis quibusque tribubus filiorum Israel, singulæ aquarum diuisiones factæ sint, & propria vnicuique tribui in mari aperta sit via. *Traditio, quam Hebræi agnoscunt vt scribit R. Kimhi in Psal.136.* Idque ostẽdi ex eo, quod in psalmis scriptum est: Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Per quod multæ diuisiones docentur factæ, non vna. Sed & per hoc quod dicitur: ibi Beniamin iunior in stupore, principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, & principes Neptalim, nihilominus vnicuique tribui proprius enumerari videtur ingressus. Hæc à maioribus obseruata in scripturis diuinis, religiosum credidi non tacere. Quid ergo nos docemur per hæc? Iam superius diximus quis sit in his apostoli sensus. *1.Cor.10* Baptismum hoc nominat in Moyse consummatum in nube & in mari, vt & tu qui baptizaris in Christo, in aqua & in spiritu sancto, scias insectari quidem post te Aegyptios, & velle
D te reuocare ad seruitium suum, rectores scilicet huius mundi, & spiritales nequitias, quibus antea deseruisti. Quæ conãtur quidem te insequi, sed tu descendis in aquam & euadis incolumis: atque ablutis sordibus peccatorum, homo nouus ascendis paratus ad cantandum canticum nouum. Aegyptij vero post te insequentes, demergentur in abyssum, etiam si videtur rogare Iesum, ne interim mittat eos in abyssum. *Mat.8* Sed & alium ex his accipere possumus intellectum. Si Aegyptum fugias, si ignorãtię tenebras relinquas, & sequaris legem dei Moysen, obuiet autem tibi mare, & cõtradicentium tibi fluctus occurrant, percute tu obluctantes vndas virga Moysi, id est, verbo legis, & vigilantia scripturarum iter tibi ipsi disputando per aduersarios pande, cedent vndæ continuo, & superati fluctus locum victoribus dabunt, mirantibúsque & attonitis ac stupore defixis his qui paulo ante aduersabantur, legitimis tu disputationum lineis rectum fidei iter secabis, & intantum doctrinæ verbo proficies, vt auditores tui, quos in virga legis erudisti, ipsi iam contra Aegyptios, velut fluctus maris insurgant, & non solum impugnent eos, sed & superẽt & extinguant. Extinguit nanque Aegyptium, qui non agit opera tenebrarum. Extinguit Aegyptium, qui nõ carnaliter, sed spiritualiter viuit. Extinguit Aegyptium, qui cogitationes sordidas, & impuras vel depellit ex corde, vel omnino nõ recipit, sicut & apostolus dicit: *Ephes.6* E Assumens scutum fidei in quo possumus omnia iacula maligni ignita extinguere. Hoc enim modo possumus etiam hodie Aegyptios videre mortuos, & iacentes ad littus, submergi quadrigas eorum & equos. Possumus etiam ipsum Pharaonem videre demergi, si tanta fide viuamus, vt deus conterat Satanam sub pedibus nostris velociter per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De cantico quod cantauit Moyses cum populo, & Maria cum mulieribus. Exod. Cap. XV. Homilia VI.

MVLTA quidem cantica fieri legimus in scripturis diuinis, horum tamẽ omnium primum istud est canticum, quod Aegyptijs & Pharaonem submerso populus dei post victoriam cecinit. Moris quippe sanctorum est, vbi aduersarius vincitur, tanquam qui sciant non sua virtute, sed dei gratia victoriam factam, hymnum deo gratulationis offerre. Accipiunt tamen hymnum canentes, etiam tympanum in manibus suis, sicut de Maria sorore Moysi & Aaron refertur. Et tu ergo si mare rubrum transieris, si Aegyptios in mari submergi videris, & extingui Pharaonem, atque in abyssi profundum præcipitari, potes hymnum canere deo, potes vocem gratulationis emittere, & dicere: *Exod.15* F Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Melius autem & dignius hæc dices, si habueris tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitijs & concupiscentijs, & si mortificaueris membra tua, quæ sunt super terram. Et tamen videamus quid dicit: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. Quasi non sufficeret honorificatus est, sed addidit gloriose honorificatus est. Equidẽ quãtũ possum conijcere, videtur mihi aliud esse glorificari, aliud gloriose glorificari. Nã dominus meus Iesus Christus, cũ carnem ex virgine Maria pro salute nostra suscepit, glorificatus est quidẽ, quia venit quærere quod perierat, non tamen gloriose glorificatus est. *Esa.53* Dicitur enim de ipso, quia vidimus eũ, & non habebat speciem, neque decorem, & vultus eius ignobilis super filios hominum. Glorificatus est & cum ad crucẽ venit, & pertulit mortem. Vis scire quia glorificatus est? Ipse dicebat: *Ioan.12* Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Erat ergo ei gloria, etiam ipsa passio crucis, verum gloria hæc non erat gloriosa, sed humilis. Deniq; dicitur de eo, Humiliauit se vsque ad mortem, mortem autẽ crucis. *Phil.2* De quo etiam propheta prædixerat: Morte turpissima condemnemus eum. *Sap.2* Sed & Esaias dicit de eo: In humilitate iudicium eius sublatum est. *Esa.53.* In his ergo omnibus glorificatus est dominus, sed (vt ita dicam) humiliter non gloriose glorificatus est. Verũ quia hæc oportebat pati Christũ, & sic introire in gloriam suam, cum venerit in gloria patris & san-

G ctorũ angelorũ, cum venerit in maiestate sua iudicare terrã, quando & verum Pharaonẽ, id est, diabolũ, interficiet spiritu oris sui, cum ergo refulgebit in maiestate patris sui, & post aduentum humilitatis, secundum nobis in gloria ostendet aduentum, tunc non solum glorificatur Dominus, sed & glo riose glorificatur, cũ omnes ita honorificant filium, sicut honorificant patrem. Equum & ascensorem proiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi in salutem. Homines qui nos insequuntur, equi sunt, &, vt ita dicam, omnes qui in carne nati sunt, figuraliter equi sunt. Sed hi habent ascensores suos. Sunt equi, quos dominus ascendit, & circueunt omnẽ terram, de quibus dicitur: Et equitatus tuus salus. Sunt autem equi, qui ascensorem habent diabolum, & angelos eius. Iudas equus erat, sed donec ascensorem habuit dominum, de equitatu fuit salutis. Cum cæteris enim apostolis missus, ægrotis salutem & sanitatem languentibus præstabat. Sed vbi se diabolo substrauit, post bucellam enim introiuit illum Satanas, & ascensor ipsius effectus est Satanas, & illius habenis ductus aduersus dominum, & saluatorem nostrum cœpit equitari. Omnes ergo qui persequuntur sanctos, equi sunt hinnientes, sed habent ascensores, quibus aguntur, angelos malos, & ideo feroces sunt. Si ergo videris aliquando persecutorem tuum nimium sæuientem, scito quia ab ascensore suo dæmone perurgetur, & ideo sęuus, ideo truculentus est. Dominus ergo equum & ascensorem proiecit in mare, & factus est mihi in salutẽ. Hic Deus meus, & honorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum. Hic ergo & meus est deus, & patris mei. Pater noster qui nos fecit, & genuit, Christus est, & ipse dicit, Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, deum meum, & deũ vestrum. Si ergo agnoscam, quod deus meus sit deus, glorificabo eum. Si verò etiam istud agnoscã,

Duo aduentus Christi.

Habacuc 3.

Ioan. 13.

Ioan. 20.

H quomodo patris mei Christi sit Deus, exaltabo eum. Altior nanque intellectus est, quomodo Christus vt vnius Dei con stringat & muniat veritatem, deum suum dicit, quem natura patrem vocat. Deus conterens bella, Dominus nomen est illi.] Nolo putes, quia tantum visibiles pugnas conterit Dominus, sed & illas conterit, quæ nobis sunt non aduersus car nem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & aduersus mũdi huius rectores tenebrarum harum. Dominus enim nomen est illi. Non est enim vlla creatura, cuius Dominus non sit. Quadrigas Pharaonis, & exercitũ eius proiecit in mare. Electos ascensores, ternos statores demersit in rubrum mare.] Pharao velut potentior in malitia, & regnum nequitię tenens, quadrigas agit. Non illi satis est vnum equũ ascendere, sed plures simul agitat, plures simul plagis torti verberis cogit. Quoscunque videris in luxuria turpiores, in crudelitate sæuiores, in auaritia tetriores, in impietate flagitiosiores, scito hos de quadrigis esse Pharaonis, ipsis sedet, ipsos currui suo subiungit, in ipsis fertur, & volitat, & per apertos scelerum campos effusis eos agit habenis. Sunt & alij electi ascensores, electi sine dubio ad malitiam. Sed iam de ascensoribus suprà diximus: nunc etiam qui sunt terni statores videamus. Mihi videntur terni statores pro eo dici, quod triplex est hominibus peccandi via. Aut enim in facto, aut in dicto, aut in cogitatione peccatur. Et ideo terni statores per singulos quosque dicuntur, qui tres istas in nobis peccandi

Terni statores qui.

I obsideant vias, & speculentur semper, atque in insidijs agant, vt aut ille ex misero homine sermonem malum eliciat, aut ille iniquum opus extorqueat, aut ille cogitationem pessimam rapiat. Denique & semen verbi Dei vbi cadit, & deperit, triplex describitur locus. Vnus secus viam refertur, qui conculcatur ab hominibus, alius in spinis, alius in petrosis. Et econtrario terra bona afferre dicitur triplicem fructum, vel centesimum, vel sexagesimum, vel tricesimum. Triplex nanque est etiam bene agendi via, nihilominus enim vel opere, vel cogitatione, vel verbo boni aliquid agitur. Hoc enim significat & apostolus, cum dicit: Qui autem ędificat super fun damentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, triplicem bonorum indicans viam. Subiungit nihilominus triplicem etiam malorum, cum dicit, Ligna, fœnum, stipulam. Isti ergo terni statores sunt angeli nequam de exercitu Pharaonis, qui stant in huiuscemodi viis, obseruantes vnumquenque nostrum per hæc iter agere in peccatum, quos demergit

Mat. 13.

1. Cor. 3.

Dominus in rubrum mare, & ignitis eos in iudicij die fluctibus tradet, ac pœnarum pelago teget, si tu Deum sequens de eorum te potestate subtraxeris. Deciderunt in profundum

K quasi lapis.] Quare deciderunt in profundum tanquam lapis? Quia non erant tales lapides, de quibus suscitari possent filij Abrahæ: sed tales, qui amarent profundum, & liquidum diligerent elementum, id est, qui amaram & fluxam præsentium rerum caperent voluptatem. Vnde & ipsis dicitur, Demersi sunt tanquam plumbum in aquam validissimam. Peccatores graues sunt. Denique & iniquitas super talentum plumbi sedere monstratur, sicut Zacharias propheta dicit: Vidi, inquit, mulierem sedentem super talentum plumbi, & dixi, Quæ est hęc? Et respondit, Iniquitas. Inde est ergo quod iniqui demersi sunt in profundum, sicut plumbum in aquam validissimam. Sancti autem non demerguntur, sed ambulant super aquas, quia leues sunt, & peccati pondere non grauantur. Denique Dominus & saluator noster super aquas ambulauit. Ipse est enim qui verè peccatum nescit. Ambulauit & discipulus eius Petrus, licet paululum trepidauerit. Non enim tantus erat ac talis, qui nihil omnino de specie plumbi in se haberet admixtum. Habuit, licet parum. Propter quod, dicit ad eum Dominus: Modicæ fidei, quare dubitasti? Idcirco igitur qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiant omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius, bonum esse dicitur, quam habituri sunt sancti, & sicut fornax probat aurum, sic homines iustos tentatio. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium. Sedet enim Dominus & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & *illud cum venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resoluitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis plus illud plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plum beus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, Demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima. Sed longum est si per ordinem velimus exponere, sufficiat pauca perstringere. Quis, inquit, similis tibi in dijs Domine? quis similis tibi? Gloriosus in sanctis, mirabilis in maiestatibus, faciens prodigia.] Quod dicit: Quis similis tibi in dijs, non simulachris gentium comparat Deum, nec dæmonibus, qui sibi falso deorum nomen adsciscunt, sed deos illos dicit, qui

Zach. 5.

Mat. 14.

Interpretatur locum Pauli 1. Cor. 3. de Purgatorio quod conflatorium vocat.

Malach. 3.

** i. ad illã terrã quam habituri sunt sancti vti præcessit.*

Origenes igitur hic purgatoriũ astruit.

L per gratiam, & participationem Dei, dij appellantur. De quibus & alibi scriptura dicit: Ego dixi dij estis. Et iterum: Deus stetit in congregatione deorum. Sed hi quanuis capaces sunt dei, & hoc nomine donari per gratiam videantur, nullus tamen Deo similis inuenitur, vel in potentia, vel in natura. Et licet Ioannes apostolus dicat: Filioli, nondum scimus quid futuri sumus, si autem reuelatum nobis fuerit (de Domino scilicet dicens) similes illi erimus, similitudo tamen hæc non ad naturã, sed ad gratiam reuocatur. Verbi causa, vt dicamus picturã similẽ esse ei, cuius imago in pictura videtur expressa. Quantum ad gratiam pertinet visus, similis dicitur, quantum ad substantiam, longe dissimilis. Illa enim species carnis est, & decor corporis viui, ista colorum fucus est, & cera tabulis sensu carentibus, superposita. Nullus ergo in dijs similis Domino, nullus enim inuisibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio & sine fine, nullus creator

Psal. 81.

1. Ioan. 3.

M omnium, nisi pater cum filio & spiritu sancto. Extendisti dexteram tuam, deuorauit eos terra.] Impios quidem & hodie deuorat terra. An non tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra: qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat? Talem cum videris dicito quia deuorauit eum terra. Sed & si quem videris luxuriæ carnis, & voluptatibus corporis deditum, in quo animus nihil valet, sed totum libibo carnis obtinuit, dicito & de hoc, quia deuorauit eum terra. Adhuc me mouet quod ait: Extendisti dexteram tuam, & deuorauit eos terra:

A terræ: quasi vt deuorarentur à terra, hæc causa fuerit quod extendit dominus dexteram suam. Si consideres quomodo dominus exaltatus in cruce tota die extendit manus suas ad populum non credentem, sed contradicentem, & qualiter infidelem populũ, qui clamauit, Crucifige crucifige eum, mors admissi sceleris oppressit: euidenter inuenies quomodo extendit dexteram suam, & deuorauit illos terra. Nec tamen penitus desperandum est. Possibile nanque est, vt si forte resipiscat qui deuoratus est, rursum possit euomi, sicut Ionas. Sed & omnes nos puto quod aliquando terra deuoratos in inferni penetralibus retinebat, & propterea dominus noster descendit non solum vsque ad terras, sed vsque ad inferiora terræ: & ibi nos inuenit deuoratos, & sedentes sub vmbra mortis: & inde educens non iam locum terræ, vt iterum deuoraremur, sed locum præparat nobis regni cœlorum. Deduxisti in iustitia tua populum tuum hunc, quem liberasti. Consolatus es in virtute tua, in requie sancta tua.] Dominus populum suum, quem liberauit per lauachrum regenerationis, deducit in iustitia, consolatur etiam eum per consolationem spiritus sancti in virtute sua, & in requie sua. Futurorum nanque spes, laborantibus requiem parit: sicut & in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. Audierunt gentes & iratæ sunt, dolores comprehenderunt habitatores Philistijm. Tunc festinauerunt duces Edom, & principes Moabitarum, apprehendit illos tremor. Tabuerunt omnes inhabi-

B tantes Chanaan.] Quantum ad historiam pertinet, nullum ex his gentibus interfuisse mirabilibus quæ facta sunt, constat. Quomodo ergo videbuntur tremore deterritæ, vel festinasse (vt dicit) vel iratæ esse Philistijm, & Moabitæ, & Edom, & reliquæ quas enumerat nationes? Sed si redeamus ad intelligentiam spiritalem, inueniemus quia Philistini, id est cadentes populi, & Edom, qui interpretatur terrenus, trepidant, & horum omnium principes cursitant, & pauent constricti doloribus, cum vident regna sua, quæ in inferno sunt, penetrata ab eo qui descendit in inferiora terræ, vt eriperet eos, qui possidebãtur à morte. Hinc eos comprehendit timor & tremor, quia senserunt magnitudinem brachij eius. Hinc etiam tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan, qui mutabiles interpretantur, & mobiles, cum vident moueri regna sua, alligari fortem, & vasa eius diripi. Veniat ergo super eos timor, & tremor magnitudinis brachij tui. Quid times dæmones? Quid tremunt? Sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius, quod dominus expandit in cruce, sicut dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contra-

C dicentem mihi. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi, nisi & tu poteris dicere, mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Fiant tanquam lapis donec transeat populus tuus domine, donec transeat populus tuus hic, quẽ adquisisti.] Fieri tanquam lapidem, non est natura esse lapidem. Non enim fieret, nisi quod non erat. Hoc propter illos dicimus, qui malæ naturæ Pharaonem, vel Ægyptios dicunt fuisse, & non ex arbitrij libertate in hoc esse deductos. Sed & propter eos, qui creatorem deum accusant tanquam sæuum, quod homines vertat in lapides. Hi ergo priusquam blasphement, considerent summa libratione, quæ scripta sunt. Non enim dixit fiant tanquam lapis, & tacuit, sed tempus statuit, & mensurã condemnationis decernit. Ait enim: Donec transeat populus tuus domine. Quo scilicet post transitum populi non sint tanquam lapides. In quo mihi videtur prophetiæ aliquid latere. Video enim quia prior populus, qui fuit ante nos, factus est tanquam lapis durus, & incredulus. Verũ non eatenus, vt in lapidis natura permaneat, sed donec transeat populus hic, populus hic quem adquisiuit. Cæcitas enim ex parte contigit in Israel secundum carnem, donec plenitudo gentium subintroiret. Cum enim plenitudo gentium subintrauerit, tunc etiam omnis Israel, qui per incredulitatis duritiam factus fuerat sicut lapis, saluabitur. Et vis videre quomodo saluabitur? Potens est, inquit, deus de

Mat.27 — *Dæmones crucem timent.* — *Esa.53* — *Gal.6* — *Liberum arbitrium in impijs.* — *Rom.11* — *Matt.3*

lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Manent ergo lapides D nunc, donec transeat populus tuus domine, populus tuus hic quem adquisisti. Sed si ipse dominus creator est omnium, videndum est quomodo hic adquisisse dicatur, quæ sua esse non dubium est. Dicitur & in alio cantico Deuteronomij. Nónne hic ipse deus tuus, qui fecit te & creauit te, & acquisiuit te? videtur enim vnusquisque illud acquirere, quod non fuit suum. Inde denique & hæretici dicunt de Saluatore, quia non erant sui, quos acquisiuit. Dato etenim precio mercatus est homines, quos creator fecerat. Et certum est (aiunt) vnũquenque non illud emere, quod suum est. Apostolus enim ait: Precio enim empti estis. Sed audi quid dicit propheta: Peccatis vestris venundati estis, & pro iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram. Vides ergo, quia dei quidem creatura omnes sumus, vnusquisque verò peccatis suis venundatur, & pro iniquitatibus suis à proprio creatore discedit. Dei igitur sumus, secundum quod ab eo creati sumus. Effecti verò sumus serui diaboli, secundum quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus redemit nos cum seruiremus illi domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Et ita videtur tanquam suos quidem recepisse, quos creauerat, tanquam alienos autem adquisisse, quia alienum sibi dominum siue errando, siue peccando quæsiuerant. Et fortasse recte quidem dicitur redemisse nos Christus, qui precium E nostri sanguinem suum dedit, quid tale autem vt nos mercaretur etiam diabolus dedit? Ergo (si videtur) ausculta. Homicidium, pecunia diaboli est. Ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium diaboli pecunia est. Diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, hæc omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus. Talis enim pecunia de eius moneta procedit. Hac igitur pecunia emit ille, quod emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huiuscemodi censu eius quantulumcunque susceperunt. Verum ego vereor, ne etiam aliquas de astantibus, quos nescimus, diabolus mercetur occulte, ne etiam aliquibus nostrorum hanc pecuniam, quam suprà enumerauimus, ingerat, & faciat illos rursum suos, & rursum pro eis tabulas seruitutis, & peccati chirographũ scribat, atque immisceat seruis dei eos, quos peccati precio sibi fecerit seruos. Solet enim, quia inimicus homo est, tritico miscere zizaniam. Et tamen si quis forte huiuscemodi pecuniam à diabolo deceptus accepit, non vsquequaque desperet, misericors enim est, & miserator dominus: & creaturę suæ non vult mortem, sed vt conuertatur, & viuat. Pœnitendo, flendo, satisfaciẽdo deleat quod admissum est. Dicit enim propheta: Quia si conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Paulo latius progressi sumus, dum volumus exponere quomodo F deus quæ sua sunt dicatur acquirere, & redimere Christus sãguine precioso, quos emerat diabolus vili mercede peccati. Inducens plãta eos in monte hæreditatis tuæ.] Non vult nos deus in Ægypto plantare, nec in deiectis & in humilibus locis, sed in monte hæreditatis suæ vult plantare quos plantat. Tum præterea quod addit, inducens planta eos, num tibi videtur tanquam de pueris dicere, qui inducuntur ad scholas, inducuntur ad literas, inducuntur ad omnem eruditionem? Intellige ergo per hæc, si tamen habes aures audiẽdi, quomodo deus plantat, ne forte cum audis eum inducere, & plantare, putes eum ficus in terra, aut alia huiuscemodi virgulta defigere. Audi & alibi quomodo plãtat deus. Propheta dicit: Vineam ex Ægypto trãstulisti, & expulisti gẽtes, & plantasti eã. Peruium iter fecisti ante eam, plantasti radices eius, & repleſti terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros dei. Aduertisti iam quomodo plantat deus, & vbi plãtat? Non plantat in vallibus, sed in montibus excelsis, & sublimibus locis. Quos enim educit de Ægypto, quos de seculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, sed conuersationẽ eorum vult esse sublimẽ. Vult nos in montibus habitare, sed in ipsis nihilominus montibus non vult nos super terram repere, nec vltra vult vineam suã humi deiectos habere fructus, sed vult palmites eius sursum duci, in alto collocari, traduces fieri, & traduces non in quibuscunque humilibus arboribus, sed in excelsis, & in altissimis

Acquirere quomodo dicitur deus. — *Deut.32* — *Intelligit Cherinthũ Ebionem, & similes qui negabant Christi diuinitatem.* — *1.Cor.7* — *Esa.50* — *Esa.45* — *Psal.79*

G cedris dei. Cedros dei ego prophetas & apostolos puto, quibus nos si adiũgamur, vitis quam de Ægypto trãstulit Deus, & per ramos eorũ nostri palmites diffundantur, atque ipsis innixi traduces quędam efficiamur charitatis ad inuicem vinculis connexi, fructum sine dubio plurimum adferemus. Nam omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur. In præparata habitatione tua, quam præparasti Domine.] Vide clementis Domini bonitatem, non vult te inducere ad laborem, non vult vt ipse tibi facias habitaculum, iam te ad præparatam deducit habitationem. Audi Deum dicentem in Euangelio: Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Sanctimonium Domine, quod præparauerunt manus tuæ.] Sanctimonium, dicitur tabernaculum Dei, vel templum, ab eo quod sanctificat accedentes. Hoc non dicit manu hominis factum, sed manu Dei. Quid ergo? Propter te Deus & plantat, & ędificat, agricola efficitur, structor efficitur, ne tibi aliquid desit. Audi & Paulum dicentem: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Quod ergo istud est sanctimonium, quod non manu hominis factum est, sed manibus Dei paratum? Audi sapientiam dicentem, quia ædificauit sibi domum. Ego autem hoc de incarnatione Domini, rectius intelligendum puto. Non enim manu hominum factum est, id est, non opere humano templum carnis ædificatur in virgine, sed sicut prædixerat Daniel, Lapis sine manibus excisus creuit, & factus est mons magnus. Istud est sanctimonium carnis assumptę, & sine manibus, id est, absque opere hominum, de monte humanæ naturæ, & substantiæ carnis excisum. Domine qui regnas in seculum, & in seculum, & adhuc.] Quoties in seculum dicitur, longitudo quidem temporis, sed esse finis aliquis indicatur, & si in aliud seculum dicatur, aliquis sine dubio longior quidem, tamen ponitur finis: & quoties secula seculorum nominantur, fortasse licet ignotus nobis, tamen à Deo statutus aliquis terminus indicatur. Quod verò addit in hoc loco & adhuc, nullum sensum termini alicuius, aut finis reliquit. Quodcunque enim illud cogitaueris, in quo finem putes posse consistere, semper tibi dicit sermo propheticus, & adhuc, velut si loquatur ad te, & dicat, Putas in seculum seculi Dominum regnaturum? & adhuc. Et quomodocunque dixeris illud de regni eius spatijs, semper tibi dicit Propheta, & adhuc. Quoniam intrauit equitatus Pharaonis cum quadrigis, & ascensoribus in medium mare, & induxit super eos Dominus aquas maris. Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio mari.] Et tu si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio mari. Si fueris in medio nationis prauæ & peruersæ, sicut lumen solis verbum vitæ continens ad gloriam, potest fieri vt in medio peccatorum incedentem te, non infundat humor peccati, potest fieri vt transeuntem te per hunc mundum, nulla libidinis vnda respergat, nullus cupiditatis æstus verberet. Qui Ægyptius est, & sequitur Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur. Qui vero sequitur Christum, & sicut ipse ambulauit, ita & ipse ambulat, aquæ eius murus fiunt dextra leuáque, ipse autẽ media via incedit per siccum. Non declinat ad dexteram, neque ad sinistram, vsquequo exeat ad libertatem, & hymnum victoriæ Domino concinnat dicens: Cantemus Domino. glo gloriosæ enim honorificatus est: per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Palmitum nexus. *Ioan. 4.* *1. Cor. 3.* *Prou. 8.* *Dan. 2.* *In seculum non dicit æternitatem.* H I

De amaritudine aquæ Merrhæ. Finis Cap. XV.
Homilia VII.

POST transitum maris rubri, & magnifici secreta mysterij, post choros & tympana, post triumphales hymnos, venitur ad Merrham. Merrhę autem aqua erat amara, quam non poterat populus Dei bibere. Quid ergo? post tanta & tam mirifica mirabilia ad amaras aquas, & periculum sitis adducitur populus Dei? Ait enim: Et venerunt filij Israel in Merrham, & non poterant aquam bibere de Merrha, quia amara erat, & propter hoc appellatum est nomen loci illius amaritudo.] Sed quid addit post hæc? Clamauit, inquit, Moyses ad Dominum, & ostendit illi Dominus lignum, & misit illud in aquam, & facta est dulcis aqua. Et ibi, inquit, posuit illi Deus iustitias & iudicia,] Ibi, vbi amaritudo, vbi sitis: & quod est grauius, sitis in abundantia aquarum, ibi posuit ei Deus iustitias & iudicia. Alius non erat locus dignior, aptior, vberior, quàm iste, in quo amaritudo est. Tum propterea quod dixit: Ostendit illi Dominus lignum, & misit illud in aquam, & facta est dulcis aqua: mirum admodum est, vt Deus lignum ostenderet Moysi, quod mitteret in aquam, & faceret eam dulcem. Efficere Deus aquam dulcem sine ligno nõ poterat? Aut Moyses nesciebat lignum, vt ei Deus ostenderet? Sed vidẽdum est quid decoris in his interior habeat sensus. Ego puto quod lex si secundum literam suscipiatur, satis amara sit, & ipsa sit Merrha. Quid enim tam amarum, quàm vt puer octaua die circuncisionis vulnus accipiat, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum satis, & peramarum est huiusmodi poculum legis, intantum vt populus Dei, non ille qui in Moyse baptizatus est in mari, & in nube, sed iste qui in spiritu & aqua baptizatus est, nõ possit bibere de ista aqua: sed ne gustare quidem de circuncisionis amaritudine potest, neque hostiarum ferre amaritudinem valet, nec sabbati obseruantiam. Si verò ostendat Deus lignum quod mittitur in hanc amaritudinem, vt dulcis aqua fiat legis, potest de illa bibere. Quod est istud lignum, quod Dominus ostendit Moysi, Salomon edocet nos, cum dicit de sapientia, quia lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Si ergo lignum sapientiæ Christus missum fuerit in lege, & ostenderit nobis quomodo intelligi debeat circuncisio, quomodo sabbata, quomodo lex lepræ seruanda sit, qualiter mundi & immundi discrimen habeatur, tunc efficitur aqua Merrhæ dulcis, & amaritudo literæ legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis, & tunc potest bibere populus Dei. Si enim non interpretentur hæc spiritaliter, populus qui idola dereliquit, & ad Deum confugit, si audiat legem de sacrificijs præcipientem, continuo refugit & non potest bibere: amarum quippe hoc sentit & asperum. Si enim, inquit Apostolus, quæ destruxi, hæc iterum reædifico, præuaricatorem me constituo. Et in hac ergo amaritudine Merrhæ, id est, in ista litera legis, posuit Deus iustitias, & testimonia. Non tibi hoc videtur dicere, quia velut in vasculo quodam, ita in legis litera sapientiæ & scientiæ suæ thesauros condiderit Deus? Hoc est ergo quod dicit, & ibi posuit ei deus iustitias & testimonia. Hoc erat quod & Apostolus dicebat: Habemus autem thesaurũ hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas, virtutis Dei sit, & nõ ex nobis. Vt ergo possit bibi aqua hæc de Merrha, ostendit deus lignum quod mittatur in eam, vt qui biberit ne moriatur, non amaritudinem sentiat. Vnde constat quod si quis sine ligno vitæ, id est, sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spiritali bibere voluerit de legis litera, per amaritudinem nimiam morietur. Hęc sciens Paulus apostolus dicebat, quia litera occidit: Hoc est aperte dicere, quia aquam Merrhæ occidit, si non mutata bibatur, & in dulcedinem versa fuerit. Sed quid addidit, post quam posuit illi deus iustitias, & iudicia? Et ibi, inquit, tentabat eum dicens: Si auditu audieris vocem domini dei tui, & quæ placent coram illo feceris, & audieris præcepta eius & custodieris, omnem infirmitatem quam induxeram Ægyptijs, non inducam super te. Ego enim sum Dominus tuus, qui sano te.] Videtur mihi quo prospectu datæ sint iustificationes, & iudicia & testimonia legis exponere, vt tentaret, inquit, eos Deus si audirent vocem Domini, & quæ mandabantur, custodirent. Nam quãtum ad priorem populum spectat, quid eis boni, aut perfecti murmurantibus, & contradicentibus mandaretur? Denique paulo post etiam ad idola conuertuntur, & obliti beneficiorum, & mirabilium Dei, & caput vituli statuunt. Propterea ergo dantur eis præcepta, in quibus tententur. Inde est, quod & per Ezechielem prophetam dicit Dominus ad eos: Quia dedi vobis præcepta, & iustificationes non bonas, in quibus non viuetis in eis. Tentati enim in præceptis Domini non inueniuntur fideles. Ideo enim inuentum est eis mãdatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem: quia vnum atque idem mandatum si seruetur, vitam: si non seruetur, generat mortem. Secundum hoc ergo quod non seruantibus generat mortem, dicuntur mandata non bona, in quibus non viuat in eis. Sed quia admiscuit eis lignum crucis Christi, & in dulcedinem versa sunt, & spiritaliter

Hebræi pronuntiant Mará. *Exod. 15.* K *Prouer. 3.* L *Gal. 2.* *2. Cor. 4.* *2. Cor. 3.* M *Lex tentat. Ezech. 20.*

A liter intellecta seruantur, eadem ipsa mandata vitæ appellantur: Sicut & alibi dicit, Audi Israel mandata vitæ. Sed videamus quid eis promittitur si seruentur. Si, inquit, seruaueritis præcepta mea, non inducam super vos omnes ægritudines, quas induxi Ægyptiis. Quid ergo videtur dicere? si quis seruet mandata, nullam ægritudinem patiatur? hoc est, neque febriat, neque alios dolores corporis ferat? Non puto quod hæc sint quę promittantur diuina mandata seruantibus. Alioquin indicio nobis est Iob iustissimus, & totius pietatis obseruantissimus, qui à capite vsque ad pedes repletur vlcere pessimo. Non his carere dicuntur infirmitatibus, qui mãdata custodiunt, sed non habebunt illas infirmitates, quas Ægyptij habent. Ægyptus nanque mundus figuraliter appellatur. Diligere ergo mundum, & ea quæ in mundo sunt, Ægyptius languor est. Dies obseruare, & menses, & tempora, signa requirere, stellarum cursibus adhærere, Ægyptius languor est. Deseruire carnis luxuriæ, & voluptatibus operam dare, vacare delicijs, Ægyptius languor est. Caret ergo his infirmitatibus & languoribus, qui mãdata custodit. Post hæc dicit, quia venerunt in Helim, & erant ibi duodecim fontes aquarum, & LXX. arbores palmarum.] Putásne habet aliquid rationis, quod non ante in Helim ducitur populus, vbi erant duodecim fontes aquarum, quibus nihil amaritudinis inerat, imò potius vbi erat amœnitas plurima ex densitate palmarum: B sed primo ductus est ad aquas salsas & amaras, quibus per lignum monstratum à Domino dulcibus effectis, postea venitur ad fontes? Si historiam solam sequamur, non multum nos ædificat scire ad quem locum primo venerit, & ad quem secundo. Si verò rimemur in his mysterium latens, inuenimus ordinem fidei. Primo enim ducitur populus ad literam legis, ab hac litera legis donec permanet in amaritudine sua, recedere non potest. Cum verò per lignum vitæ dulcis fuerit effecta, & intelligi lex spiritaliter cœperit: tunc de veteri testamento transitur ad nouum, & venitur ad duodecim apostolicos fontes. Ibi etiam arbores reperientur LXX. palmarum. Non enim soli duodecim apostoli fidem Christi prædicauerunt, sed & alij septuaginta missi ad prædicandum verbum Dei referuntur, per quos palmas victoriæ Christi mundus agnosceret. Non ergo sufficit populo Dei aquam Merrhæ bibere, quamuis in dulcedinem versa sit: quamuis per lignum vitæ, & mysterium crucis omnis literæ amaritudo depulsa sit, solum vetus instrumentum non sufficit ad bibendum: sed veniendum est ad nouum testamentum, de quo absque scrupulo bibitur, absque vlla difficultate potatur. Iudæi etiam nunc apud Merrham sunt, etiãm nunc assident ad aquas amaras. Nondum enim eis Deus ostendit lignum, per quod dulces fierent aquæ ipsorum. Etenim prędixit eis propheta, quia nisi credideritis, neque intelligetis. Post hæc scriptum est. In secundo mense, inquit, postquàm de Ægypto profecti sunt, quintadecima die mensis, murmurauit populus aduersum C Moysen dicens: Vtinam mortui fuissemus in terra Ægypti, cum sederemus super ollas carnis, & mãducaremus panes ad satietatem, quoniam eduxisti nos in desertum hoc, necare omnem synagogam fame.] Ego quod propter correptionem legentium indicetur populi peccatum, quia murmurauerit, & ingratus fuerit beneficijs diuinis, cum cœleste manna susciperet, quid etiam dies describitur, in qua murmurauerit populus? Secũdo, inquit, mense, quintadecima die mẽsis. Quod vtique non absque ratione scriptum est. Recordare de legibus paschæ quæ scripta sunt, & inuenies ibi, hoc esse tempus quod statuitur ad secundum pascha faciendum his qui immundi in anima fuerint, vel occupati in negotijs peregrinis. Qui ergo non fuerunt immundi in anima, vel non longe peregrinabantur, quartadecima die primi mensis pascha fecerunt. Qui autem longe peregrinabantur, & immundi erant, secũdum pascha in hoc tẽpore faciunt, quo & manna de cœlo descendit. In die quo primum pascha fit, non descendit mãna de cœlo, sed in hoc quo secundũ pascha fit. Videamus ergo nũc quis sit in his ordo mysterij. Primum pascha, primi populi est. Secundum pascha, nostrum est. Nos enim fuimus immundi in anima, qui colebamus lignum & lapidem, & ignorãtes Deum, his qui natura non erant dij seruiebamus. Nos enim eramus, qui longe peregrinabamur, de quibus dicit Apostolus: Qui fuimus hospites & peregrini testamẽtorũ D Dei, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo errantes. Veruntamen non datur mãna de cælo in illa die, qua primum pascha fit, sed in illa qua secundum. Panis enim qui de cœlo descendit non venit ad illos, qui primam solennitatem celebrabant, sed ad nos, qui secundum suscepimus. Nostrum enim pascha immolatus est Christus, qui verus nobis panis de cœlo descendit. Sed interim videamus quid est, quod in hac die gestum monstratur. Quintadecima, inquit, die mensis secundi murmurauit populus, & dixit, Quia melius fuerat nos mori in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium.] O populus ingratus, desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos. Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus, & cœli alitibus datas. Murmur ergo aduersum Moysen, imò aduersum Deum leuant. Sed hoc primo quidem ignoscitur, ignoscitur & secundo, fortassis & tertio: veruntamen si non desinant, sed persistant, audi quid post hac murmurantem populum consequatur. In Numerorum libro refertur, quod & in suis scripturis retexuit Apostolus dicens, Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & à serpentibus perierunt. Murmurantem populum venenatus in eremo depascitur serpentium morsus. Videamus nos, qui hæc audimus, nos inquam pro quibus scripta sunt: Illis enim ad correctionẽ facta sunt, scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Si E non desinimus murmurare, si nõ cessamus à querelis nostris, quas frequenter habemus aduersus Deum, obseruemus ne simile offensionis incurramus exẽplum. Etenim cum de cœli intemperie, de infœcũditate fructuum, de raritate imbrium, de prosperitatibus aliorum, & de aliorũ improsperitate causamur, hoc est, aduersus Deum murmur attollere. Sed hæc initia habẽtibus ignoscitur, in eos verò, qui non desinũt, grauiter vindicatur. Mittuntur namque in eos serpentes, id est, immundis spiritibus tradũtur, venenatísque dæmonibus, qui eos morsibus occultis ac latentibus perimant, atque internis & intra cordis penetralia cõclusis cogitationibus absumant. Sed obsecro vos, prosint nobis præmissæ correptionis exempla, illorũ pœna, emendatio nostra sit. Dicit enim Deus, quia audiui murmurationem filiorum Israel.] Videtis quia non latet Deum murmuratio nostra: audit omnia, & quod non statim punit, pœnitentiam nostræ conuersionis expectat. Sed quid post hęc recitatum est? Dixit, inquit, Dominus ad Moysen. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, & exibit populus, & colliget vnius diei in diem, vt tentem illos si ambulant in lege mea, an non. Et erit in die sexto parabunt quicunque intulerint, & erit duplum quodcũque intulerint quotidianum in die.] Ego quidem super hac scriptura velim primo cum Iudæis habere sermonem, quibus credita dicũtur eloquia Dei, quid illis videatur de eo quod dicit. Sex diebus cõtinuis colligetis. Die autem sexto duplum colligetis. Apparet autẽ sextam diem nominari illam, quæ ante sabbatum ponitur, quæ apud nos Parasceue appellatur. Sabbatum autẽ, septima dies F est. Quæro ergo qua die cœperit manna cœlitus dari, & volo comparare dominicam nostram cum sabbato Iudæorum. Ex diuinis nanque scripturis apparet, quod in die dominica primo in terris datum est manna. Si enim (vt scriptura dicit) sex diebus continuis collectum est, septima autem die, quæ est sabbati cessatum est, sine dubio initium eius à die prima, quæ est dies dominica, fuit. Quod si ex diuinis scripturis hoc constat, quod die dominica Deus pluit manna de cœlo, & in sabbato non pluit, intelligant Iudæi iam tunc prælatam esse dominicam nostram Iudaico sabbato, iam tunc indicatum quod in sabbato ipsorum gratia Dei, ad eos nullus venerit. Dicit enim & alibi Propheta: Diebus multis sedebunt filij Israel sine rege, sine principe, sine propheta, sine hostia, sine sacrificio, sine sacerdote. In nostra enim dominica die, semper Dominus pluit manna de cœlo. Sed & hodie ego dico, quia pluit Dominus manna de cœlo. Cœlestia nanque sunt eloquia ista, quæ nobis lecta sunt, & à Deo descenderunt verba quæ nobis recitata sunt, & ideo nos felices qui tale manna suscepimus. Semper manna nobis datur de cœlo, illi infelices dolent, & suspirant, & se miseros dicunt, quia manna sicut acceperunt

Marginalia: Baruch 3. — 70. palmæ. 70. discipuli. — Esa. 7. — Primum pascha. — Pascha secundum. — Eph. 2. — Ioan. 6. — 1. Cor. 5. — 1. Cor. 10. — Num. 21. — Rom. 9. — Sexta dies Parasceue. — Die Dominica primum pluit manna. — Osee 3. — Mãna verbum Dei.

G patres ipsorum, ipsi non merentur accipere. Illi nunquam manna manducant: non enim possunt illud māducare, quod est minutum sicut semen coriandri, & candidum sicut pruina. Nihil enim in verbo dei minutum, nihil subtile, nihil sentiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum. Incrassatum est enim cor populi illius. Sed & interpretatio nominis hoc idem sonat. Manna enim interpretatur quid est hoc. Vide si non ipsa nominis virtus ad discendum te prouocat, vt cum audis legem dei recitari, inquiras semper, & interroges, & dicas doctoribus: Quid est hoc? Hoc enim est quod indicat manna. Tu ergo si vis manducare manna, id est si cupis suscipere verbum dei, scito illud minutum esse, & valde subtile sicut semen coriandri. Habet enim aliquid in se holeris, quo nutrire, & recreare possit infirmos, quia qui infirmus est, holera manducat. Habet aliquid rigoris, & ideo vt pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius eruditione diuina? Quid dulcius, quídue suauius eloquiis domini, quæ sunt super mel & fauum? Sed quid est quod dicit, vt in die sexto duplum colligatur in repromissione, quantum sufficiat etiam sabbato? Hoc secundum nostram intelligentiam non otiosi, nec securi præterire, vel trāsire debemus. Sextus dies est hęc in qua nūc sumus vita: In sex enim diebus dominus fecit hūc mundum. Hac ergo die tantum reponere, & recondere debemus, quantum sufficiat & in futuro die. Si quid enim hic H boni operis adquiras, si quid iustitiæ, misericordiæ, & pietatis recondas, hoc tibi in futuro seculo erit cibus. Nunquid non ita in Euangelio legimus, quia qui adquisiuit hic decem talenta, ibi accepit decem ciuitates, & qui adquisiuit quatuor accepit quatuor ciuitates? Hoc est quod & per aliam figurā apostolus dicit: Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Quid ergo agimus nos qui amamus illud recondere, quod corrumpatur, non quod permaneat, & perduret in crastinum? Diuites huius seculi ea recondunt quæ in hoc seculo, imò cum seculo corrumpuntur. Si qua autem bona opera recondunt, illa permanent vsque in crastinum. Denique sic scriptum est, quod: Qui infideles fuerunt, seruauerunt, inquit, de manna, & ebullierūt ex eo vermes, & computruit.] Illud autem quod pro die sabbati reponebatur, non est corruptum, neque vermes ebullierunt in eo, sed permanet integrum. Et tu ergo si propter præsentem vitam tantummodo, & propter amorem seculi thesaurizes, continuo vermes ebulliunt. Quomodo vermes ebulliunt? Audi de peccatoribus, & iis qui præsens seculum diligunt, quæ sit prophetæ sententia. Vermis enim, inquit, eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Isti sunt vermes, quos generat auaritia, isti sunt vermes, quos generat diuitiarum cæca cupiditas iis qui habent pecunias, & videntes in necessitate fratres suos, claudunt ab eis viscera sua. Propterea & aposto- I lus dicit: Diuitibus autem huius seculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, & thesaurizent sibi veram vitam. Sed dicit aliquis: Si manna verbum dei esse dicis, quomodo vermes facit? Nec aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo dei. Sic enim dicit ipse. Nisi venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent. Post susceptum ergo verbum dei si quis peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui eius semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris eius rodat. Sed quid nos adhuc amplius docet sermo diuinus? Et ad vesperam, inquit, scietis, quia ego sum dominus, mane autem videbitis maiestatem domini.] Et de hoc velim mihi Iudæi responderent, quomodo ad vesperam agnoscitur dominus, mane autem videtur maiestas eius. Vbi dominus agnitus est ad vesperam, & eius maiestas visa est mane? Respondete nobis qui erudimini ab infantia vsque ad senectutem semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes: Quare non intelligitis hæc prophetice dici? Sed si vis ista intelligere, non potes nisi per euangelium. Ibi nanque inuenies scriptum, quia vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & Maria Iacobi ad sepulchrum, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Ibi audies terræmotum factum, monumenta disrupta, centurionem & milites qui ad custodiā positi erant, dicētes: Vere hic filius dei erat. Agnitus ergo est per K hæc in vespera dominus, quia ipse dominus est agnitus in virtute resurrectionis. Sed quomodo mane gloria eius visa est? Cum venissent aliæ mulieres prima sabbati valde mane, inuenerunt angelos cum ingenti claritate ad sepulchrum sedentes, & dicentes: Non est hic, resurrexit à mortuis. Venite & videte locum vbi positus erat, & ite, dicite discipulis eius quia resurrexit, & præcedet vos in Galilæam. Visa est ergo mane maiestas domini, cum per angelos resurrectio nunciata est. Additur autem in consequentibus. Vesperi, inquit, manducabitis carnem, & mane replebimini panibus.] Et de hoc velim scire, quali ordine Iudæi prophetæ dicta suscipiunt. Quid enim consequentiæ videbitur, vt aut vespere carnes sine panibus comedant, aut mane panes absque pulmenti adiectione manducent? Quid in hoc diuini muneris, quid temperamenti gratiæ cœlestis ostenditis? Hoccine est in quo agnosci deum ponitis, quod carnes in vespera sine panibus comedantur? & maiestatem dei dicitis apparere, si rursum panes sine carnibus comedantur? Sed vobis ista seruate, & iis qui adquiescunt vobis, & in coturnicibus agnosci posse deū putant. Nos autem quibus in fine seculi, vel ad vesperam mundi, Verbū caro factum est, in illa carne agnosci dicimus deū, quam suscepit ex Virgine. Istas enim Verbi dei carnes, neque mane aliquis, neque meridie manducauit, sed ad vesperam. Aduentus enim domini in carne, ad vesperam factus est. Sicut & Ioannes dicit: Pueri nouissima hora est. Sed & mane, inquit, replebimini panibus. Nobis in quo positus est panis, verbum dei est. Ipse enim panis viuus, qui de cœlo descēdit, & vitam dat huic mundo. Sed quomodo dicit mane dari L hunc panem, cum aduentum eius in carne factum dixerimus ad vesperam? Hoc modo intelligendum puto, quod ad vesperam quidem vergentis mundi, & prope finem cursus sui positi dominus venerit, sed aduentu suo, quoniam ipse est sol iustitiæ, nouum credētibus reparauerit diem. Quia ergo nouū mūdo sciētiæ lumē accēdit, suū quodāmodo mane effecit, & suū mane tāquā iustitiæ sol produxit, & in hoc mane replētur panibus q eius præcepta suscipiūt. Nec mireris quia verbū Dei & caro dicitur, & panis, & lac dicitur, & holera dicitur, & pro mensura credentium, vel possibilitate sumentium diuerse nominatur. Potest tamē & hoc intelligi, quod post resurrectionem suam quam mane ostendimus factam, credētes repleuerit panibus, pro eo quod libros legis & prophetarū ignotos prius & incognitos dederit nobis, & ad instructionē nostram hæc ecclesiæ instrumenta concesserit, vt ipse sit panis in Euangelio: cæteri verò libri legis vel prophetarum, vel historiarum, plures appellati sunt panes, e. quibus repleātur qui ex gentibus credunt. Quod tamen non sine prophetica autoritate factū docemus. Prædixerat nāque Esaias prophe- M ta hoc modo: Ascendent in montem, bibent vinum, vngentur vnguento. Trade hæc omnia gentibus: consilium enim domini omnipotētis est hoc. Sic ergo competenter & carnes ad vesperam accepimus, & panibus replemur mane: quia nec possibile erat nobis mane carnes edere, nōdū enim tēpus erat sed nec meridie poteramus. Vix enim angeli edunt carnes meridie, & illi fortassis ordini meridianum conceditur tempus. Præterea & illud intelligere possumus, quod vnicuique nostrum mane est, & initium diei illud tempus, quo primū illuminamur, & ad lucem fidei accedimus. In hoc ergo tempore, quo adhuc in principiis sumus, carnes verbi dei comedere non possumus: id est, perfectæ & consummatæ doctrinæ nondum capaces existimus. Sed post longa exercitia, post profectum plurimum, cum iam proximi sumus ad vesperam, & ad ipsum finem perfectionis vrgemur, tunc demum solidioris cibi, & perfecti verbi capaces fieri possumus. Nunc ergo festinemus cœleste manna suscipere: Istud enim manna, prout vult quisque, talem saporem reddit in ore eius. Audi enim & dominum dicentem iis qui accedunt ad se: Fiat tibi secundum fidem tuam. Et tu ergo si verbum dei, quod in ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione suscipies, fiet tibi ipsum verbum, quodcunque desideras. Verbi gratia, si tribularis, consolatur te dicens: Cor cōtritum & humiliatum deus non spernit. Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia dicens: Lętamini in domino & exultate iusti.

Si ira-

Marginal notes: Esa.6 — Rom.14 — Psal.18 — Matth.25 — Gal.6 — Exod.16 — Esa.66 — 1.Tim.6 — Ioan.15 — Tit.2 — Mat.28 — Matth.27 — Matth.28 — 1.Ioan.5 — 1.Ioan.2 — Verbū dei variè nominatur. — Esa.57 — Matth.15 — Verbum dei omnia fit. — Psal. 51. 32.37

A Si iracundus es, mitigat te dicens: Desine ab ira, & derelinque indignationem. Si in doloribus, sanat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus alleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi dei reddit in ore tuo saporem quemcunque volueris. hoc tamen si quis infideliter suscipiat, & non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebulliunt. Putásne eousque deducendum est verbum dei, vt etiam vermis fieri putetur? Non te hic turbet auditus, audi Prophetam ex persona domini dicentem: Ego autem sum vermis & non homo. Sicut enim ipse est qui fit alijs in ruinam, alijs autem in resurrectionem: ita & ipse est qui nunc in manna, fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur. Ipse est enim sermo Dei, qui iniquorum mētes arguit, & correptionum spiculis peccatorum conscientias terebrat. Ipse est qui & ignis efficitur in cordibus illorum, quibus adaperit scripturas, qui dicunt: Nonne cor nostrum ardens erat intra nos, cum aperiret nobis scripturas? Et aliis ipse ignis est, qui conflagrat spinas de terra mala, id est, qui malignas cogitationes in corde consumit. Et ideo peccatoribus quidem, neque vermis arguens iniqua moritur, neque ignis exurens aliquando restinguitur. Iustis autem & fidelibus permanet dulcis & suauis. Gustate enim & videte, quoniam suauis est Dominus: Ipse Dominus & saluator noster Iesus Christus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Deut. 7. Psal. 113. Psal. 22. Luc. 24. Psal. 33.

B

De initio Decalogi. Cap. XX. Homilia VIII.

OMNIS qui didicit contemnere præsens seculum, quod figuraliter Ægyptus appellatur, & per verbum Dei, vt secūdum scripturas dicam, transflatus est, & non inuenitur, quia ad seculum futurum festinat ac tendit, de huiusmodi anima dicit Dominus. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Non ergo hæc ad illos tantum dicuntur, qui de Ægypto profecti sunt, sed multo magis ad te, qui nunc audis ista, si tamen proficiscaris ex Ægyto, & Ægyptiis vltra non seruias, dicit hęc Deus: Ego sum Dn̄s deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Vide si non negotia seculi, & actus carnis, domus est seruitutis: sicut rursum econtrario relinquere secularia, & secundum Deum viuere, domus est libertatis, sicut & Dominus in Euangelio dicit: Si permanseritis in verbo meo, vos agnoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Ergo Ægyptus domus est seruitutis, Iudæa verò & Hierusalem, domus est libertatis. Audi & Apostolum de his secundum sapientiam quæ ei in ministerio data fuerat, pronuntiantem: Quæ autem sursum est, inquit, Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Sicut ergo Ægyptus, ista terrena prouincia, filijs Israel, domus dicitur seruitutis, ad cōparationem Iudææ & Hierusalem, quæ eis domus efficitur libertatis: ita ad comparationem cœlestis Hierusalem, quæ (vt ita dicam) mater est libertatis, totus hic mundus, & omnia quæ in hoc mundo sunt, domus est seruitutis. Et quoniam de paradiso libertatis pro pœna peccati ad huiusmodi ventum fuerat seruitutem, idcirco primus sermo Decalogi, id est, prima mandatorum Dei vox de libertate profertur, dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Hanc vocem in Ægypto positus, audire non poteras, etiam si tibi iniūgatur vt pascha facias, etiam si accingaris lumbos, & sandalia accipias in pedibus, etiam si virgam teneas in manu, & azyma cum amaritudine comedas. Et quid dico in Ægypto positus, hæc audire non poteras? Sed ne inde quidem profectus in prima statim mansione hæc audire potuisti, nec in secunda, nec in tertia, nec cum transires rubrum mare, etiam si ad Merrham veneris, & fuerit ibi amaritudo in dulcedinem versa, etiam si in Helim veneris ad duodecim fontes aquarum, & LXX. arbores palmarum, etiam si Raphidim præterieris, cæterósque profectus ascenderis: nondum ad huiuscemodi verba idoneus iudicaris, sed cum perueneris ad montem Sina. Multis ergo ante laboribus peractis, multis erumnis, & tentationibus superatis, vix aliquando mereberis præcepta suscipere

Exod. 20. Ioan. 8. Gal. 4.

C

libertatis, & audire à Domino: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Verum hic sermo nondum sermo mandati est, sed quis sit qui mandat, ostendit. Nunc ergo videamus quid sit initium decem mandatorum legis: & si non occurrimus ad omnia, initia saltem prout Dominus dederit, explicemus. Primum ergo mandatum est, Non erunt tibi dij alij, præter me. Et post hoc sequitur: Non facias tibi idolum, neque vllam similitudinem, quæcunque in cœlo sursum sunt, & quæcunque in terra deorsum sunt, & quæcunque sunt in aquis subtus terram, & non adorabis illa, neque coles illa. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelans: qui reddo peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem iis qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia, ijs qui diligunt me, & qui seruant præcepta mea.] Hæc omnia simul, nonnulli putant esse vnum mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et vbi iam erit decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, quo & nos in superiori pronuntiatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mādatum: Non erunt tibi dij alij præter me. Secundum verò: Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem, &c. Incipiamus ergo à primo mandato. Sed & ego auxilio indigeo ipsius qui hæc præcepit Dei, ad dicendum, & vos purgatioribus egetis auribus ad audiendum. Si quis ergo vestrum habet aures audiendi, audiat quomodo dictum est, Non erunt tibi dij alij, præter me. Si dixisset, non sint dij præter me, absolutior sermo videretur. Nunc autem quia dicit, non erunt tibi dij alieni præter me, non negauit quia sint, sed ne illi sint cui hæc præcepta dantur, inhibuit. Hinc puto apostolum Paulum sumpsisse illud, quod ad Corinthios scripsit, dicēs: Siquidem sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra. Et addit, Et sicut sunt dij multi, & domini multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos per ipsum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed & in multis alijs inuenies scripturæ locis deos nominari, sicut & alibi dicit: Quoniam Deus summus, terribilis, & rex magnus super omnes deos. &, Deus deorum Dominus loquutus est. &, In medio autem deos discernit. De dominis idem Apostolus dicit: Siue throni, siue dominationes, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Dominationes autem nihil aliud sunt, quàm ordo quidam & multitudo dominorum. In quo (vt mihi videtur) sensum legis lucidiorem fecit apostolus Paulus. Tale est enim quod dicit, Licet sint multi domini, qui aliis gentibus dominentur, & dii multi, qui ab aliis colantur, sed nobis, vnus Deus, & vnus Dominus. Quid autem causæ sit in diis multis, vel dominis multis, si intente & patienter auditis, ipsa nos scriptura poterit edocere. Ait enim idem Moses in Deuteronomii cantico. Cum diuideret, inquit, excelsus gentes, & dispergeret filios Adæ, statuit terminos gentium, secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Angelos igitur, quibus regendas gentes commisit excelsus, vel deos appellari, vel dominos constat. Deos quasi à Deo datos, & dominos quasi à Domino sortiti sint potestatem. Vnde & Dominus dicebat ad angelos qui non seruauerunt suum principatum, Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes. Vos autem vt homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis: imitātes scilicet diabolum, qui princeps omnium factus est ad ruinam. Vnde constat quod execrabiles illos fecit præuaricatio, non natura. Tibi ergo, ô populus Israel, qui pars Dei es, qui funiculus hæreditatis eius effectus es, non erūt, inquit, alii dii præter me. Quia vere Deus vnus est Deus, & vere Dominus vnus est Dominus. Cæteris verò, qui ab ipso creati sunt, contulit nomen istud non natura, sed gratia. Verum ne existimes hæc tantum ad illum dici Israel, qui secundū carnem natus est, multo magis hæc ad te dicuntur, qui Israel effectus es, mente Deum videndo, & circuncisus es corde, non carne. Nam & si in carne gentes sumus, in spiritu Israel sumus, propter eum qui dixit: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et propter eum qui iterū dixit: Pater omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum

D Suam præfationem habet decalogus. Primum præceptum decalogi. Secundum præceptum. E 1. Cor. 8. Col. 1. Deut. 32. F Psal. 81. Psal. 2.

G in his, si tamẽ ita agas, vt dignus sis pars esse dei, & in funiculo hæreditatis eius metiri. Alioqui si indigne agas, exemplo sint tibi illi, qui ad hoc vocati fuerant, vt essent pars dei, & peccatis suis hoc meruerunt, vt dispergerentur per omnes gentes. Et qui prius educti fuerant de domo seruitutis, nunc rursum (quia qui peccat seruus est peccati) non iam Ægyptijs solis, sed omnibus gentibus seruiunt. Ergo dicitur & tibi, qui per Iesum Christum existi de Ægypto, & de domo seruitutis eductus es, non erunt tibi dij alij præter me. Post hæc videamus quid etiam secundum videtur continere mandatum. Non facies tibi ipsi idolum, neque omnem similitudinẽ eorum quæ sunt in cœlo, vel quæ in terra, vel quæ in aquis, & quæ subtus terram.] Longe aliud sunt idola, & aliud dij, sicut ipse nos nihilominus Apostolus docet. Nam de dijs dixit: Sicut sunt dij multi, & domini multi. De idolis autem dicit, quia nihil est idolum in mundo. Vnde mihi videtur non trãsitoriæ hæc legisse quæ lex dixit. Vidit enim differentiam deorum, & idolorum: & rursum differentiam idolorum, & similitudinum. Nam qui de idolis dixit quia non sunt, non addit quia similitudines non sunt. Hic autem dicit, Non facies tibi ipsi idolum, neque similitudinem omnium. Aliud est ergo facere idolum, aliud similitudinem. Et si quidem dominus nos ad ea quæ dicenda sunt illuminare dignetur, ego sic arbitror accipiendum: quod (verbi causa) si quis in quolibet

H metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicuius, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, non idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiam si picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundum Apostolum dicentem, quia idolum nihil est, facit quod nõ est. Quid est autem quod non est? Species quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit. Verbi gratia, vt si quis humanis membris caput canis, aut arietis formet, vel rursum in vno hominis habitu duas facies fingat, aut humano pectori postremas partes equi, aut piscis adiungat: hæc & ijs similia qui facit, non similitudinem, sed idolum facit. Facit enim quod non est, nec habet aliquid simile sui. Et idcirco hæc sciens apostolus, dicit, quia idolum nihil est in mundo. Non enim aliqua ex rebus extantibus adsumitur species, sed quod ipsa sibi ociosa mens & curiosa repererit. Similitudo verò est, cũ aliquid ex his quæ sunt vel in cœlo vel in terra, vel in aquis, formatur, sicut superius diximus. Veruntamen non sicut de ijs quæ in terra sunt, vel in mari similitudinibus in prõptu est pronunciare, ita etiam de cœlestibus: nisi si quis dicat de Sole, & Luna, & stellis hoc posse sentiri. Et horum nanque formas exprimere gentilitas solet. Sed quia Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, etiam ea quæ apud illos erant in occultis & reconditis, prohibere cupiebat: sicut (verbi causa, vt nos quoque appellationibus vtamur ipsorum)

I Hecaten quam dicunt, aliásque dæmonum formas, quæ Apostolus spiritalia nequitiæ in cœlestibus vocat. De ipsis fortassis & propheta dicit, quia inebriatus est gladius meus in cœlo. His enim formis, & similitudinibus inuocare dæmonia moris est iis, quibus talia curæ sunt, vel ad repellenda, vel etiam ad vitanda mala, quæ nunc sermo Dei vniuersa complectens simul abiurat, & abijcit, & non solum idolum fieri vetat, sed & similitudinem omniũ quæ in terra sunt, & in aquis, & in cœlo. Addit autem & dicit: Non adorabis ea, neque coles ea.] Aliud est colere, aliud adorare. Potest quis interdum & inuitus adorare, sicut nonnulli regibus adulantes, cum eos ad huiuscemodi studia deditos viderint, adorare se simulant idola, cum in corde ipsorum certum sit quia nihil est idolũ. Colere verò est, toto his affectu & studio mãcipari. Vtrũq; ergo resecat sermo diuinus, vt neq; affectu colas, neque specie adores. Sciendũ tamen est, quod cũ decreueris præcepti eius seruare mandatũ, & omnes cęteros deos & dominos repudiare, & præter vnum deum & dominum neminem habere vel deum vel dominum, hoc est bellum sine fœdere denunciasse omnibus cæteris. Cum ergo venimus ad gratiam baptismi, vniuersis aliis diis & dominis renunciantes, solum confitemur Deum patrem, & filium & spiritum sanctum. Sed hoc confitentes, nisi toto corde diligamus dominum deum nostrum, & tota anima, & tota virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars domini: sed velut in confinio quo-

K dam positi, & illos offensos patimur, quos refugimus, & dominum ad quem confugimus propitium non efficimus, quem non ex toto & integro corde diligimus. Et ideo luget nos propheta, quos videt huiuscemodi inconstantia fluctuare, & dicit: Væh duplices corde & animo. Et iterũ: Vsq; quo claudicatis vtrisq; genibus vestris? Sed & Apostolus Iacobus dicit: Vir duplex animo inconstans est omnibus viis. Sumus ergo nos, qui non integra nec perfecta fide sequimur deum nostrum, & ab alienis recessimus diis, velut in medio quodam confinio positi: & ab alienis quasi fugaces cædimur, & à nostro domino tanquam instabiles & dubij non defendimur. An non hoc est, quod & prophetæ simpliciter imaginantur de amatoribus Hierusalem, cum dicunt, quia amatores tui ipsi inimici facti sunt tibi? Ita ergo intellige & animæ tuæ multos fuisse amatores, qui delectati sunt decore eius, cum quibus meretricata est. De quibus & dicebat: Post amatores meos ibo, qui dant mihi vinum meum, & oleum meum, & cætera. Sed venit iam illud tempus, vt diceret: Reuertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc, quàm modo. Regressa es ergo ad virum tuum priorem, offendisti sine dubio amatores tuos cum quibus adulteria committebas. Nisi ergo nunc tota fide permaneas cum viro tuo, & toto ei ore glutineris, ex multis sceleribus quæ commisisti suspecta es ei, omnis motus tuus, & aspectus tuus, ipse etiam incessus si fuerit negligentior, displicebit.

L Nihil vltra in te lasciuum videre, nihil dissolutum & prodigum potest. At vbi parum quidem à viro tuo diuerteris oculos, statim necesse est memoriam fieri priorum. Vt ergo priora deleas, & fides tibi possit haberi in reliquis, non modo agendum tibi nihil est impudicum, sed ne cogitandum quidem. Vide enim quod scriptum est. Cum, inquit, immũdus spiritus exierit ab homine, vadit per loca arida, quærit requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et si veniens inuenerit eam vacantem, mundatam, & ornatam, vadit, & adducit secum alios septem spiritus nequiores se, & intrans in domum illam habitat in ea. Et erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hęc si aduertamus, quomodo possumus vel in paruo negligentiæ locum dare? Habitauit enim in nobis immundus spiritus, antequam crederemus, antequam veniremus ad Christum, cum adhuc (vt superius dixi) fornicaretur anima nostra à deo, & esset cum amatoribus suis dęmonibus. Sed posteaquam dixit, reuertar ad virum meum priorem, & venit ad Christum, qui eam ex initio ad imaginem suam creauit, necessario locum dedit adulter spiritus, vbi vidit legitimum virum. Suscepti ergo sumus à Christo, & mundata est domus nostra à peccatis prioribus, & ornata est ornamentis sacramentorum fidelium, quæ norunt qui initiati sunt. Sed non statim domus hæc habitatorem habere Christum meretur, nisi sit

M vita eius & conuersatio ita sancta, ita pura, & incontaminabilis, vt templum dei esse mereatur. Non enim domus adhuc, sed templum esse debet in quo habitet deus. Si ergo acceptam gratiam negligat, & implicet se negotiis secularibus, continuo spiritus ille immundus redit, & vendicat sibi domum vacantem. Et ne iterum possit expelli, alios secum septem spiritus adhibet nequiores, & fiunt nouissima huiusmodi hominis peiora prioribus: quia tolerabilius fuerat non redisse ad virum priorem animam semel meretricantem, quàm egressam post confessionem viri, rursum adulteram fieri. Nulla ergo societas, sicut dicit Apostolus, templo dei cum idolis, nulla consonantia Christo & Belial. Si dei sumus, tales esse debemus vt compleatur illud quod dicit de nobis Deus. Quia habitabo in eis, & in eis ambulabo, & ipsi erunt mihi in populum. Et sicut alio loco propheta dicit: Exite de medio eorum, & separamini, dicit dominus, qui portatis vasa domini. Exite, & immundum nolite contingere, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens. Propterea ergo dicit: non erunt tibi dij alij præter me, nec facies tibi ipsi idolum, neque similitudinem vllam quæcunque in cœlo sunt, & quæcunque in terra, & quæ in aquis, non adorabis eos, neque coles

Margin notes: *Ioan. 17* — *Idola quæ* — *Adoratio similitudinum cõtra secundum præceptum.* — *1. Cor. 8* — *Idolũ quid propriè.* — *Ephes. 6* — *Discrimen inter cultũ & adorationem.* — *ἀσπονδοπόλεμος* — *Eccles. 2.* — *3. Reg. 18* — *Iacob. 1* — *Osee. 2* — *Luc. 11* — *2. Cor. 6* — *Leuit. 26* — *Esa. 52*

A que coles eos. Ego enim sum Dominus deus tuus, deus zelans. Vide benignitatem Dei, quomodo vt nos doceat, & perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum non recusat affectuum. Quis enim audiens Deum zelantem non continuo miretur,& humanæ fragilitatis vitium putet? Sed omnia propter nos agit & patitur Deus: & vt possimus edoceri, notis & vsitatis affectibus nobis loquitur. Videamus ergo quid est hoc quod dicit, quia Deus zelans ego sum. Sed vt contemplari facilius possint diuina, de humanis, secundum ea quæ superius disseruimus, doceamur exemplis. Omnis mulier aut sub viro est,& subiecta legibus viri: aut meretrix est, & vtitur libertate peccandi. Qui ergo ingreditur ad meretricem, scit se ad eam ingressum esse mulierem quæ prostituta est, & cunctis volentibus patet: & ideo indignari non potest, si cum ea etiam alios videt amatores. Qui verò legitimo vtitur matrimonio, non patitur in vxore potestatem peccandi, sed accenditur zelo ad castitatem matrimonij conseruandam, quo possit ex ea fieri legitimus pater. Hoc ergo exemplo intelligamus omnem animam, aut prostitutam esse dæmonibus, & habere plurimos amatores, ita vt intret ad eam modo quidem spiritus fornicationis, illo discedente intret spiritus auaritiæ, post hunc veniat superbiæ spiritus, inde iræ, inde inuidiæ, post etiam vanæ gloriæ, alijque cum eis plurimi spiritus immundi. Isti autem omnes, ita cum infideli

Deum esse zelotem, vt debeat intelligi.

B anima meretricantur, vt alter alteri non inuideat, nec zelotypia moueantur adinuicem. Et quid dico quod alter alterum non excludat? imò & inuitant se inuicem, & sponte se conuocant, sicut paulo ante iam diximus, quod in Euangelio scriptum est de illo spiritu qui exiit ab homine, & regressus adduxit secum septem alios nequiores se spiritus, vt in vna anima simul habitarent. Sic ergo nullam zelotypiam amatorum suorum patitur anima, quæ dæmonibus prostituta est. Si verò legitimo coniuncta sit viro, illi viro cuius matrimonio Paulus animas coniungit & sociat, sicut & ipse dicit, Statui enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo: & de quo in Euangelijs scriptum est, quia rex quidam fecit nuptias filio suo: in huius ergo viri nuptias cum se anima dederit, & legitimo eum sortita fuerit matrimonio, etiam si fuit aliquando peccatrix, etiam si meretricata est, tamen si se huic viro tradidit, vltra eam peccare non patitur. Non potest ferre vt rursum anima quæ se sortita est virum, alludat cum adulteris, quia excitatur super eam zelus eius viri, & defendit coniugij castitatem. Et ideo zelans dicitur Dominus, quia animam sibi mancipatam, non patitur dæmonibus admisceri. Alioquin si eam viderit temerantem iura coniugij, & occasionem quærere ad peccandum, tunc (vt scriptum est) dat ei libellum repudij, & dimittit eam dicens: Vbi est libellus repudij matris vestræ quo dimisi eam? Quibus etiam addit &

Mat.12. Luc.11.

2.Cor.11.

C dicit, Ecce peccatis vestris venundati estis, & propter iniquitates vestras dimisi matrem vestram. Hæc qui loquitur zelans est,& zelo commotus hæc dicit: post agnitionem enim sui, post illuminationem verbi diuini, post gratiam baptismi, post confessionem fidei, & tot tantisque sacramentis matrimonium confirmatum, non vult nos vltra peccare, non patitur animam cuius ipse vel sponsus, vel vir appellatur, cum dæmonibus ludere, scortari cum immundis spiritibus, cum vitijs & immunditijs volutari. Quod & si forte aliqualiter eueniat infeliciter, saltem vt conuertatur, & redeat & pœniteat, miseratus expectat. Nouum enim hoc bonitatis est genus, vt etiam post adulterium reuertentem, tamen ex toto corde pœnitentem, suscipiat animam. Sicut & ipse per Prophetam dicit, Nunquid mulier si exierit à viro, & dormierit cum alio viro, reuertetur ad virum suum? Nónne contaminatione contaminabitur? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis,& reuertebaris ad me. Item alibi dicit: Et posteaquàm fornicata es in omnibus his, dixi, Reuertere ad me: & nec sic reuersa es, dicit Dominus. Hic ergo Deus zelans si requirit & desiderat animam tuam adhærere sibi, si te seruat à peccato, si corripit, si castigat, si indignatur, si irascitur, & velut zelotypia quadam erga te vtitur, spem tibi esse salutis agnosce. Si verò castigatus nõ resipiscis, correctus non emendaris, verberatus contemnis: scito quod eousque peccando profeceris, discedit à te zelus eius, & dicetur tibi illud, quod

Esa.50.

Hier.3.

Ibid.

D per Ezechielem prophetam ad Hierusalem dicitur, Propterea discedet zelus meus à te,& non irascar vltra super te. Vide misericordiam & pietatem boni Dei, quando vult misereri & indignari se dicit, & irasci, sicut per Hieremiam dicit, Dolore & flagello castigaberis Hierusalem, vt ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, miserantis Dei vox est: vbi irascitur & zelatur, ibi adhibet dolores & verbera. Flagellat enim omnem filium quem recipit. Vis autem audire indignãtis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam, Cum enumerasset multa nefanda quæ commiserat populus, addit etiam hæc, Et propter hoc, inquit, non visitabo super filias vestras cum fornicãtur, neque super nurus vestras cum mœchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cum iam non corripimur pro peccatis, cum iam nõ corrigimur delinquentes. Tunc enim cum excesserimus peccandi modum, Deus zelans auertit à nobis zelum suum, sicut superius dixit: Auferetur enim zelus meus à te,& non irascar super te vltra. Hæc de eo quod dictum est, Deus zelãs. Videamus nunc & quod sequitur, quomodo reddi dicuntur peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem. In hoc enim sermone, solent nos hæretici suggillare, quod non sit boni Dei sermo, qui pro peccatis alterius alium plecti dicat. Sed secundum ipsorum rationem, qui dum legis mandatum licet non bonum,

Ezech. 16.

Hier.6.

Osee 4.

Ira Dei implacabilis.

Ezech. 16.

E iustum tamen dicunt: ne ipsi quidem possunt ostẽdere, quomodo secundum sensum suum iustitiæ suæ cõuenire videatur, si alius alio peccante puniatur. Superest igitur vt Dominum deprecemur, ostendat nobis quomodo præcepta hæc iusto bonóque conueniant Deo. Sæpe iam diximus, quod scripturæ diuinæ non omnia ad exteriorem hominem, sed perplura ad interiorem loquuntur. Interior igitur homo noster aut Deum dicitur habere patrem, si secundum Deum viuit, & quæ Dei sunt agit: aut diabolum si in peccatis sit, & voluntates illius gerit. Sicut euidenter in Euangelijs Saluator ostendit, cum dicit: Vos de patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit. Sicut ergo semen Dei in nobis dicitur manere, cum verbum Dei seruantes in nobis non peccamus, vt Ioannes dicit, Qui autem ex Deo est, non peccat, quia semen Dei manet in eo: ita etiam cum à diabolo ad peccandum suademur, semen eius efficimur. Cum verò etiam implemus quod suaserit, tunc iam & genuit nos. Nascimur enim ei filij per peccatum. Verum quoniam peccantes vix ferè accidit, vt sine adiutore peccemus, sed aut ministros peccati, aut adiutores semper requirimus: verbi causa, si adulterium quis molitur, non potest hoc solus admittere, sed necesse est etiam adulteram consortem fieri sociámque peccati: tunc præterea etsi non plures, esse tamen necesse est aliquem

Quomodo alius pro alio puniatur.

Ioan.8.

1.Ioan.3.

F vel aliquam in ministerijs ad societatem peccati: qui omnes velut vnus ex altero secundum persuasionis ordinem generati, ex parte diabolo noxiæ natiuitatis progeniem ducunt. Et vt ad ea quæ scripta sunt veniamus, Dominus maiestatis Iesus Christus saluator noster crucifixus est, huius piaculi auctor & pater sceleris sine dubio diabolus est. sic enim scriptum est: Cum autem introijsset diabolus in cor Iudæ Iscariotis, vt traderet eum. Pater ergo peccati diabolus est. Iste in hoc scelere primum filium generat Iudam, sed solus hoc Iudas implere non poterat. Quid ergo scriptum est? Abijt, inquit, Iudas ad scribas & pharisæos, & ad pontifices, dicens eis: Quid mihi datis, & ego vobis eum tradam? Nascitur ergo ex Iuda, generatio tertia & quarta peccati. Et hunc ordinem deprehendere poteris etiam in singulis quibusque peccatis. Nunc ergo videamus secundum hanc quam diximus progeniem, quomodo Deus peccata patrum reddat in filios, in tertiam & quartam progeniem, & in ipsos non reddat patres. Nihil enim de patribus dixit Deus. Diabolus ergo qui peccandi iam modum excessit, sicut Propheta dicit, Quemadmodum vestimentũ in sanguine concretum, non erit mundum, ita & ipse non erit mundus in hoc seculo, neque corripitur pro peccato, neque flagellatur. Omnia nanque ei seruata sunt in futurum. Vnde & ipse sciens sibi istud statutum tẽpus esse pœnarum, dicebat ad Saluatorem, Quid venisti ante tempus torquere nos? Dum ergo stat hic mundus, peccata sua non recipit diabolus, qui est peccantium

Ioan. 13.

Mat.26.

Esa.9.

Caue.

Mat.8.

G pater. Reddũtur autem in filios, id est, in eos quos genuit per peccatum. Etenim homines in carne positi, corripiũtur à domino, verberãtur, flagellantur. Non enim vult dominus mortem peccatoris, sed vt reuertatur, & viuat. (Ezech.33) Et propterea benignus & misericors dominus reddit peccata patrum in filios. Vt quoniam patres, id est, diabolus & angeli eius, cæterique principes mundi huius & rectores tenebrarum harum: & ipsi enim efficiuntur patres peccati, sicut & diabolus: quoniam inquam patres isti indigni sunt qui in præsenti seculo corripiantur, sed in futuro recipient quæ merentur: filij eorum, id est quos peccare persuaserint, & qui nihilominus per ipsos adsciti fuerint ad consortium societatémque peccati, hic recipiant quæ gesserunt: vt purgatiores ad futurum seculum pergant, & vltra diabolo socij non efficiantur in pœna. Quia ergo misericors est dominus, & omnes homines vult saluos fieri, propterea dicit, Visitabo in virga ferrea facinora eorum, & in flagellis peccata eorum. (Psal.89.) Misericordiam autem meam nõ auferam ab eis. Visitat ergo dominus animas, & requirit, quas iste pessimus persuasione peccati genuerit pater, & dicit ad vnamquanque earum, Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. (Psal.45) Visitat ergo te post peccatum, & commonet te, & in flagello & virga te visitat pro peccatis, quæ tibi pater diabolus suggessit, vt reddat tibi illud in sinum, id est, dum in corpore degis. Et sic completur, reddit peccata patrum in sinus filio-H rum in tertiam & quartam progeniem. Deus enim zelans est, & animam quam sibi despondit in fide, non vult illam permanere in contaminatione peccati: sed vult eam cito purgari, vult eam velociter abijcere omnes immunditias suas, si cui forte subreptum est. Si verò permanet in peccatis, & dicit, Non audiemus vocem domini, sed facientes faciemus volũtates nostras, & incendemus ignem reginæ cœli, sicut exprobratur per prophetam: (Hier.7) tunc seruantur etiam ipsi ad illam sapientiæ sententiam, quæ dicit, Quoniam quidem vocabam, & non obaudiebatis, sed irridebatis sermones meos: itaque & ego vestræ perditioni superridebo. (Prou.1) Vel illã quæ posita est illis in Euangelio, dicente domino: Discedite à me in ignem æternum, quem præparauit deus diabolo, & angelis eius. (Matth.25) Ego opto vt dum in hoc seculo sum, visitet dominus peccata mea, & hic mihi restituat, vt ibi dicat etiam de me Abraham, sicut dixit de paupere Lazaro ad diuitem: Memento fili quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. (Luc.16) Nunc autẽ hic requiescit, tu verò cruciaris. Propterea ergo cum corripimur, cum castigamur à domino, esse non debemus ingrati, sed intelligamus propterea nos in præsenti seculo corripi, vt in futuro requiem consequamur, sicut & Apostolus dicit. Cùm autem castigamur à domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. (1.Cor.11) I Propterea denique & beatus Iob libẽter suscipiebat cuncta supplicia, & dicebat: Quia si bona accepimus de manu domini, nóne & mala tolerabimus? (Iob.1) Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. Reddit autem & misericordiam in milia ijs qui diligunt eum. Qui enim diligunt, correptione non indigent, neque enim peccant, sicut & dominus dicit: Qui diligit me, mandata mea custodit. (Ioan.14) Et ideo perfecta dilectio foras mittit timorem. Ob hoc ergo diligentibus sola misericordia posita est, Beati enim misericordes, quia ipsis miserebitur Deus, (Matth.5) in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De Tabernaculo. Exodi. Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. Homilia IX.

SI quis digne intelligat, vel ex Ægypto Hebræorum profectionem, vel trãsitum maris rubri, sed & omnem hanc viam, quæ agitur per desertum, & metationes singulas quasque castrorum: si horum ita extiterit capax, vt etiam legem dei suscipiat scriptam non atramento, sed spiritu dei viui: si quis inquam ad hæc ita per ordinẽ profectuum perfecte veniat, vt singula quæq; implens in spiritu assecutus sit & ea quę in his indicãtur augmenta virtutum: ille poterit consequẽter etiam ad visionem, & intelligentiam tabernaculi peruenire. De quo tabernaculo multis quidem in locis memorant scripturæ diuinæ, & K indicare quædam videntur, quorum vix capax esse possit humanus auditus: præcipue tamen Apostolus Paulus de intelligentia tabernaculi quædam nobis prodit scientiæ excelsioris indicia. Sed nescio quo pacto fragilitatem fortassis intuẽs auditorum, claudit quodammodo ipsa quæ pandit. Dicit nãque ad Hebræos scribens: Tabernaculũ enim factum est primum, in quo erat candelabrum, & propositio panum, quod dicebatur sancta sanctorum. (Heb.9) Post secundum autem velamen, tabernaculum quod dicitur sanctum, habens aureum altare incensi, & arcam testamenti, & intra eam duas tabulas, & mãna, & virgam Aaron quæ fronduerat. Sed ijs addidit, De quibus non est modo dicendum per singula. Quod ergo ait, de quibus non est modo dicendum, quidam ad illud tempus referunt quo Hebræis scribebat epistolam. Alijs verò videtur, quòd pro mysteriorum magnitudine omne tempus præsentis vitæ ad hæc explananda idoneum neget. Verum non vsquequaque tristes nos relinquit Apostolus, sed vt sibi moris est, aperit pauca de multis: vt clausum sit quidem negligentibus, inueniatur autem à pulsantibus, & quærentibus aperiatur. Repetit ergo rursum de tabernaculo, & dicit. Non enim in sancta manu facta ingressus est Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui dei per velamen, id est per carnem suam. Qui ergo velamen interioris tabernaculi, carnem Christi interpretatus est, sancta autem ipsum cœlum, vel cœlos, Dominum verò Christum pontificem, eumque dicit introijsse semel in sancta, L æterna redemptione inuenta, ex his paucis sermonibus, si quis intelligere nouit Pauli sensum, potest aduertere quantum nobis intelligentiæ pelagus patefecerit. Sed qui satis amant literam legis Moysi, spiritum verò eius refugiunt, suspectum habent Apostolum Paulum interpretationes huiuscemodi proferentem. Videamus ergo si non etiam veterum sanctorum aliqui opinionem tabernaculi longè aliam, quàm isti nunc existimant, habuere. Dauid nanque eximius prophetarum, quàm magnifice de tabernaculo sentit, ausculta. (Tabernaculum pro cœlo sumitur.) Dum dicitur, inquit mihi per singulos dies, vbi est deus tuus? hæc memoratus sum, & effudi in me animam meam, quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum dei. (Psal.41.) Et iterum quartodecimo psalmo dicit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & c. Quis ergo est iste locus tabernaculi admirabilis, ex quo peruenitur vsque ad domum dei, cuius quia memor factus est, effusa est in ipso anima eius, & velut quodam intolerabili desiderio resolutus est? Ita ne tandem credendum est, quia istud tabernaculum quod ex pellibus & cortinis, atque operimentis cilicijs, alijsque nostri vsus materijs constabat, propheta desiderans effunderetur animo, ac tota mente corrueret? M Vel certe quomodo verum erit de isto dici tabernaculo quod non habitet in eo nisi innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animã suam: cum Regnorum prodat historia habitasse in tabernaculo dei sacerdotes pessimos filios pestilentiæ, & ipsam quoque arcam testamenti ab Allophylis captam, apud impios & prophanos fuisse detentam? (1.Reg.2) (1.Reg.4) Ex quibus omnibus constat lõge alio sensu Prophetã sentire de tabernaculo hoc, in quod dicit quod non habitet in eo nisi innocens manibus, & mũdo corde: & qui non accepit in vanum animam suam, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Talem ergo oportet esse huius habitatorem tabernaculi, quod finxit dominus & non homo. Sed veniamus etiam ad euãgelia, si quid in ipsis dici de tabernaculis inuenimus, vt per sententiam domini indubitatum possit esse quod quærimus. Inuenimus ergo ipsum saluatorem Iesum Christum tabernaculum non vnum, sed plura memorantem, & non temporalia, sed æterna, cum dicit: Facite vobis amicos de iniquo Mammona, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (Luc.16) Audisti pronunciantem dominum æterna esse tabernacula, audi nunc & apostolum dicentem. Tabernaculum nostrum quod de cœlo est, & superindui cupientes. (2.Cor.4) Nondum tibi ex his omnibus iter aperitur, quod derelicta terra

sequens

A sequens propheticum & apostolicum sensum, & (quod omnium maximum est) sequens verbum Christi, tota mente & toto sensu ascendas in cœlum, atque ibi ęterni tabernaculi magnificentiā quæras, cuius figura per Moysen adumbratur in terris? Denique sic ad eum etiam dominus dicit: Vidē, inquit, omnia facito secundum figuram, quæ tibi ostensa est in monte. Verum humana mens, & nostra præcipue, qui nos minimos, aut etiam nullos in diuina sapientia nouimus, eousque fortassis possit accedere, vt sentiat quidem hæc, quæ diuinis voluminibus inseruntur, nō de terrenis, sed de cœlestibus dici, & formas esse non præsentium, sed futurorum bonorum, non corporalium, sed spiritualium rerum: quomodo autem horum narratio aptari possit cœlestibus & æternis, nec nostræ mensuræ est dicere, nec vestræ (vt opinor) capacitatis audire. Pauca tamen si nos orantibus vobis dominus illuminare dignetur, quæ ad ecclesiæ ædificationem pertineant, aperire tentabimus. Iubetur ergo vniuersus populus, vnusquisque pro viribus conferens facere tabernaculum, vt quodammodo omnes simul vnum sint tabernaculum. Collatio verò ipsa non fit necessitate sed sponte. Ait enim dominus ad Moysen, vt vnusquisque sicut visum fuerit cordi eius aurum, argentum, lapides preciosos, æs, tùm præterea byssum, coccum, hyacintum, & purpuram, pelles etiam arietum rubras, & pelles hyacinthinas, sed & ligna imputribilia, pilos quoque caprarum ad constructionem B tabernaculi offerat. Mulieres quoque sapientes in arte textrina requiruntur, & fabri qui aurum vel argentum, vel æs, lapides etiam aptare nouerint, aurum & ligna formare. Tum deinde mensuræ traduntur atriorum. Quæ atria extenta tentoriis, columnis erecta, seris stabilita, & funibus distenta firmantur. Fiunt præterea quædam velaminibus distincta, quæ appellantur sancta, & alia nihilominus secundo dirempta velamine, quæ dicuntur sancta sanctorum. Collocatur intrinsecus arca testamenti, supra quam Cherubin extensis alis, seque inuicem contingentibus statuuntur, ibique ex auro velut basis eis quædam collocatur, ac sedes, * quod appellatur propitiatorium, sed & [b] altare aureum incensi. Tum præterea in exteriori loco candelabrum ponitur aureum in parte austri, vt respiciat ad aquilonem. In parte verò aquilonis mensa collocatur, & propositio panum super eam. Necnon & [c] altare holocaustorum iuxta velamen interius ponitur. Sed quid ego de his reuoluo per singula? Vix ad hæc tantum enarranda sufficimus, vix nobis ipsa rerum materialium forma adduci ante oculos potest, & quomodo quis latentia in his mysteria expedire sufficiet? Veruntamen causa pro qua fieri deberet tabernaculum, in superioribus inuenitur prædicta, dicente domino ad Moysen. Facietis inquit, mihi sanctificationem, & inde videbor vobis. Vult ergo deus, vt faciamus ei sanctificationem. Promittit enim, quia si fecerimus ei sanctificationem, possit à nobis videri. C Vnde & Apostolus ad hebræos dicit: Pacem sequimini & sanctificationem, sine qua nemo videbit deum. Hæc ergo est sanctificatio, quam iubet dominus fieri, quam & Apostolus in virginibus esse vult, vt sint sanctæ corpore, & spiritu: sciens sine dubio, quod qui fecerit domino sanctificationem per cordis sui & corporis puritatem, ipse videbit deū. Faciamus ergo & nos sanctificationem domino, & omnes vnam, & vnusquisque per singulos vnam, vt omnes sanctificationem ecclesiam faciamus quæ est sancta non habens maculam aut rugam, hoc modo si columnas habeat doctores & ministros suos, de quibus dicit Apostolus: Petrus, Iacobus, & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis. In tabernaculo ergo hoc, columnæ seris interiectis iunguntur, dum in ecclesia doctores, datis sibi dextris sociantur. Sed columnæ istæ inargentatæ sint, & bases earum inargentatæ. Binæ autem bases columnis singulis deputentur. Vna quæ caput dicitur, & superponitur: alia quæ vere basis appellatur, & columnæ velut fundamentum subiicitur. Inargentatæ ergo sunt columnæ idcirco, quia qui verbum dei prædicant, accipient per spiritum eloquia domini, quæ sunt eloquia casta, argentum igne probatum. Isti autem prædicationis suæ bases habent prophetas. Super fundamentum enim apostolorum, & prophetarum collocantur, quorum testimonijs vtentes, fidem D Christi confirmant. Caput autem columnarum est ille (vt opinor) de quo dicit Apostolus, quia caput viri Christus est. Seras verò columnarum, societatis apostolicæ datas sibi inuicem dextras suprà iam diximus. Tentoria quæ ansulis assuta, & circulis suspensa, atque innexa funibus, ad modum cortinarum viginti & octo in longum, atque in latum quatuor cubitis distenduntur, habeatur reliqua credentiū plebs, quæ hæret & pendet in funibus fidei. Funis enim triplex nō rumpitur, quæ est trinitatis fides, ex qua dependet, & per quam sustinetur omnis ecclesia. Viginti autem & octo cubitorum, quot in longum distenditur, & in latum quatuor, atrij vnius mensura, puto quòd inserta lex euangelijs designetur. Septenarius nanque numerus legem significare solet, pro multis septimi numeri sacramentis. Si consociatur ad quatuor, quater septem consequenter xxviij numerum faciunt. Decem verò hæc atria fiunt, vt integrum perfectionis numerum teneant, & legis decalogum signent. Iam verò cocci, & hyacinthi, byssi, ac purpuræ specie, multa ac diuersa opera explicantur. Inde tentoria, inde velum exterius, & interius, inde tota sacerdotalis, & pontificalis vestis, auro & gemmis expeditur adiunctis. Sed ne diutius per singularum demoremur species virtutum, possumus breuiter E dicere, illa significari per hæc quibus ornaretur ecclesia. Fides enim auro conferri potest, sermo prædicationis eius argento, lapidibus preciosis, æs patientiæ, lignis imputribilibus scientia, quæ per lignum venit, aut incorruptio castitatis, quæ nunquam veterascit, Bysso virginitas, cocco confessionis gloria, purpuræ charitatis fulgor. Hyacintho spes regni cœlorum. Istæ sint interim materiæ, ex quibus omne tabernaculum construatur, induantur sacerdotes, ornetur & pontifex. Quorum indumenta quæ sint, vel qualia, in alio loco pronunciat propheta, & dicit. Sacerdotes tui induantur iustitiam. Sunt ergo omnia ista indumenta iustitiæ. Et iterum Paulus Apostolus dicit: Induite vos viscera misericordiæ. Sunt ergo indumenta misericordiæ. Sed & alia nihilominus Apostolus indumenta nobiliora designat, cum dicit: Induite vos dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis ad concupiscentias. Ista sunt ergo indumenta, quibus ornatur ecclesia. Potest autem & vnusquisque nostrum etiam in semetipso constituere tabernaculum deo. Si enim (vt quidam ante nos quoque dixerunt) tabernaculum hoc totius mundi tenet figuram, mundi autem etiam singuli quique habere imaginem possunt, cur non & tabernaculi vnusquisque in semetipso formam possit explere? Has ergo debet columnas sibi aptare virtutum, columnas argenteas, id est patientiam rationabilem. Potest enim esse quidem in homine, quæ videatur patientia, sed quæ rationabilis non sit. Nam & qui non sentit iniuriam, & propterea F non reddit, patiens videtur, sed non est rationabilis ista patientia. Iste ergo habet quidem columnas, sed non sunt argentatæ. Qui verò propter verbum dei patitur, & fortiter fert, iste columnis argenteis decoratus est & munitus. Potest in se & atria distendere, cum dilatauerit cor suum secundum Apostoli vocem dicentis ad Corinthios: Dilatamini & vos. Potest se & seris munire, cum se vnanimitate dilectionis adstrinxerit. Potest super argenteas bases stare, cum super stabilitatem verbi dei, verbi prophetici & apostolici collocatur. Potest habere in columna deauratum caput, si caput aureum sit ei fides Christi. Omnis namque viri caput, Christus est. Decem verò atria potest in semetipso distendere, cum non in vno tantum verbo legis dilatatur, neque duobus, aut tribus, sed in toto decalogo legis spiritalis intelligentiæ dilatare amplitudinem potest, aut fructum spiritus, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, modestiam, fidē, continentiam, adiecta, quæ est mater omnium, charitate, protulerit. Habeat adhuc in se anima ista, quæ non dederit somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, nec requiem temporibus suis, donec inueniat locum domino tabernaculum deo Iacob: habeat inquam in se defixum & altare, in quo orationum hostias, & misericordiæ victimas offerat deo: in quo continentiæ cultro superbiam quasi taurum immolet, iracundiā quasi arietem iugulet, luxuriā omnemq;

Marginalia: Tabernaculum Mosis vmbra cœli. — * Propitiatoriū enim erat tegmen arcæ quod Mosis cherubos sustinebat. — [b] Altare incensi erat in sancto, Puto igitur voluisse dicere Thuribulum aureum de quo & Heb. 9. — [c] Altare holocaustorum eo loco ponit vbi altare erat incensi, Atqui erat in atrio sacerdotum sub dio. — Heb. 12. — 1. Cor. 7. — Eph. 5. — Gal. 1. — 1. Cor. 11. — Eccl. 4. — Psal. 13. — Col. 3. — Rom. 13. — Iosephus lib. 4. de anti. Philo de vita Mosis Heb. Cabbalici & Talmudici. — 2. Cor. 6. — Sacrificia spiritalia.

G libidinem tanquam hircos & hœdos litet. Sciat tamen ex his etiam sacerdotibus separare dextrum brachium, & pectusculum, & maxillas, id est, opera bona, & opera dextra. Nam sinistrum nihil reseruet. Pectusculum quoque integrum, quod est correctum, & mens deo sacrata, & maxillas ad verbum dei loquẽdum. Sciat sibi in sanctis etiam candelabrum luminis collocandum, vt sint ei lucernæ semper ardentes, & lumbi succincti, & ipse tanquam seruus, qui expectat dominum suum redire de nuptiis. De his enim lucernis, & dominus dicebat: Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Mat. 6.* Sed istud cãdelabrum lucernarum in austro collocet, vt ad aquilonem respiciat. Accenso etenim lumine, id est vigilanti corde respicere semper debet ad aquilonem, & obseruare eũ qui ab aquilone est. Sicut & propheta videre se dicit succensum lebetem, vel ollam, & faciem eius à facie aquilonis. *Hier. 1* Ab aquilone enim accendũtur mala vniuersæ terræ. Vigilãs ergo & sollicitus, & ardens intueatur semper astutias diaboli, & semper aspiciat vnde sit ventura tentatio, vnde hostis irruat, vnde inimicus obrepat. Dicit enim & Petrus Apostolus: Quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit quærens quem transuoret. *1. Pet. 5.* Mensa quoque propositionis habens duodecim panes, in parte collocetur aquilonis respiciens ad austrum. Panes isti, apostolicus ei tam numero quàm virtute sit sermo, quo indesinenter vtimur quotidie. H Namque hos ante dominum iubetur apponere. Rursum respiciat ad austrum, vnde dominus venit. Dominus enim ex Theman veniet, sicut scriptum est, quod est de austro. *Abac. 3.* Habeat in penetralibus pectoris sui etiam altare incensi, vt ipse dicat, quia Christi bonus odor sumus. *2. Cor. 2.* Habeat & arcam testamenti, in qua sint tabulæ legis, vt in lege dei meditetur die ac nocte, & memoria eius arca & bibliotheca efficiatur librorum Dei. Quia & propheta beatos dicit eos qui memoria tenent mandata eius, vt faciant ea. Sit intra ipsum vrna mannæ reposita, intellectus verbi Dei subtilis & dulcis. Sit & virga Aaron intra eum, doctrina sacerdotalis, & florida seueritas disciplinæ. Supra omnem verò gloriam sit ei pontificalis ornatus. Potest enim intra se agere pontificatum pars illa quæ in eo est preciosissima omnium, quod quidam principale cordis appellant, alij rationalem sensum, aut intellectualem substantiam, vel quocunque modo appellari potest in nobis portio nostri illa, per quam capaces esse possumus dei. Ista ergo pars in nobis velut quidam pontifex exornetur indumentis, & monilibus preciosis, ac podere byssino. Indumenti hoc genus est, quod vsque ad pedes deducitur totum contegens corpus. In quo designatur, vt primo omnium totus sit castitate vestitus. Accipiat postmodum & I humerale gemmatum, in quo fulgor operum collocatur, vt videntes homines opera vestra bona magnificent patrẽ vestrum, qui in cœlis est. Accipiat & logium, quod rationale dici potest, pectori superpositum, quaterno lapidum ordine distinctum. Sed & aurea lamina in fronte resplendeat, quod Petalum appellatur, in quibus vtrisque veritas, † & manifestatio dicitur collocata. Ego in his quæ in pectore locari dicũtur, sermonẽ euangelicũ sentio, qui quadruplicato ordine veritatẽ fidei nobis & manifestationẽ trinitatis exponit, cũcta referẽs ad caput, ad vnius scilicet dei naturã. In his est ergo omnis veritas, & omnis manifestatio veritatis. Igitur si rectè vis pontificatũ gerere deo, euangelicus sermo, & trinitatis fides semper tibi habeatur in pectore. Cui conuenit etiam Apostolicus sermo tam virtute, quàm numero, tantum vt nomen Dei semper habeatur in capite, & ad vnum deum cuncta referantur. Habeat etiam in interioribus pontifex partibus operimenta sua, habeat pudenda contecta: vt corpore & spiritu sanctus sit, & cogitationibus & operibus purus sit. Habeat etiam per indumenti circuitum tintinnabula, vt ingrediens, inquit, sancta, det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimenti sunt posita, idcirco credo, vt de extremis temporibus, & fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes, & loquaris, secũdum eum qui dixit: Memor esto nouissimorum tuorum, & non peccabis. *Eccl. 7.* Ad hunc ergo modũ homo noster interior Deo pontifex adornetur, vt introire possit non solum in sancta, sed & in sancta sanctorum: vt possit adire propitiatorium, vbi K sunt Cherubim, & inde appareat ei Deus. Sancta possunt esse ea, quæ in præsenti seculo habere sancta conuersatio potest. Sancta verò sanctorum, in quę semel tantummodo intratur, ad cœlum esse transitum puto, vbi est propitiatoriũ, & Cherubim, vbi & mundis corde apparere poterit Deus, vel quia dominus dicit: Ecce regnum Dei intra vos est. *Luc. 17.* Hæc interim quantum ad præsens in transcursu occurrere sensibus nostris potuit, quantúmque moderari auribus potuimus auditorum, de tabernaculo dicta sint, vt vnusquisque nostrum studeat facere intra se tabernaculum deo. Non enim frustra de patribus refertur, quia in tabernaculis habitauerunt. *Heb. 11.* Ego sic intelligo Abraham habitasse in tabernaculis, & Isaac & Iacob. Cõstruxerunt namque isti intra se tabernaculum Deo, qui se tantis ac talibus virtutũ splendoribus adornauerunt. Refulgebat nanque in eis insigne regium purpura, propter quod dicebatur ad Abraham à filiis Heth: Adeo rex in nobis tu es. *Gen. 23.* Splendebat & coccus, propterea enim ad iugulandum duxit Deo vnicum, & propterea dextram illius angelus tenuit. *Gen. 22.* Splendebat hyacinthus, cum cœlum semper intuens cœli dominum sequebatur. Sed & in cæteris similiter ornabatur. Ego sic intelligo & diem festum tabernaculorum qui mandatur in lege, vt exeat populus certa die anni, & in tabernaculis habitet, habens ramos palmarum, & frondes salicis, ac populi, & ramos arboris frondosæ. *Deut. 16.* Palma victoriæ signum est illius belli, quod inter se caro & spiritus gerit. L Arbor autem populus, & salix, tam virtute quàm nomine virgulta sunt castitatis. Quæ si integre conserues, habere potes & nemorosæ ac frondentis arboris ramos, quæ est æterna & beata vita, cum te dominus in loco viridi collocauerit super aquam refectionis. Per Christum Iesum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Logiũ Iosephus oraculum interpretatur, quod ex eius aspectu perciperetur dei consulti voluntas.

† Veritatẽ & Manifestationẽ appellat, quod Hebræi Vrim & Tummim.

D muliere prægnante, quæ duobus viris litigantibus abortiuerit. Exod. Cap. XXI. Homilia X.

QVOD si litigabunt duo viri, & percusserint mulierem prægnantem, & exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieris, & dabit cũ honore. Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedẽ pro pede, combusturam pro combustura, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.] *Pœna talionis.* Primo omnium in his requirendum esse puto, sub quo legis titulo huiusmodi statuta censentur. Nõ enim (vt simplicioribus videtur) cuncta quæ statuuntur lex dicitur, sed quædam quidem lex, quædam testimonia, alia mandata & iustitiæ, quædam iudicia appellantur. *Non omnia statuta lex.* M Quod euidentius in vnum collectum, octauusdecimus edocet Psalmus cum dicit: Lex domini irreprehensibilis, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. *Psal. 119* Iustitiæ domini rectæ lætificantes corda, præceptum domini lucidum illuminans oculos. Timor domini sanctus permanens in seculum seculi, iudicia domini vera, iustificata in semetipsa. Cum ergo istæ diuersitates eorum quæ in lege statuta sunt, habeantur, nunc sermo qui habetur in manibus, sub titulo iustitiarum, vel iustificationũ scriptus est. Sic enim dicit superius: Et hæ iustitiæ, quas propones palàm eis. Non est autem pręsentis temporis vniuscuiusque horum exponere differẽtias, exigimur enim ad explanationem horum quę lecta sunt. Sciendum sanè est, quòd pars aliqua ex his de quibus differendũ nobis est, in Euãgelia secundũ Matthęũ posita est, dicẽte domino hoc modo: Audistis quia dictũ est antiquis. Oculũ pro oculo, dentẽ pro dẽte. *Matth. 5.* Ego autem dico vobis, non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dextram maxillam, conuerte ei & alteram. Sed fortassis qui scripturas attẽtius legit, dicat ea quæ de euangelio scripta memorauimus nõ de hoc Exodi sumpta loco, sed magis Deuteronomij, vbi nihilominus hoc modo quędã scripta referũtur. Quod si steterit, inquit, testis iniquus, testimonium ferens aduersum hominem de impietate, statuẽtur vtrique homines, quibus est controuersia, ante dominum, & ante sa- *Deut. 19.*

te sa-

A te sacerdotes, & ante iudices, quicunque illi fuerint in diebus illis, & discutient iudices diligenter, & examinabunt. Et si inuenerint quia testis iniquus testatus est iniuste, & surrexit aduersum fratrem suum, facietis ei quemadmodum ipse conatus est facere fratri suo, & auferetis malignum de medio vestrum, vt cæteri audientes metum habeant, & non adiiciant vltra facere secundum verbum hoc malũ inter vos. Non parcet oculus tuus super eum, animam pro anima, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Videntur quidem in vtroque loco similia dici, non tamen euidenter ostenditur ex quo potissimum loco sermo qui in Euangelio positus est, videatur assumptus, quem dicit. Quia audistis quod dictum est: Oculum, pro oculo, dentem pro dente. Veruntamen nunc ad ea quæ nobis in Exodo scripta sunt, sermo vertendus est, vbi duo viri litigant, & percutiunt mulierem prægnantem, & ita percutiunt, vt exeat infans ex ea, vel formatus iam, vel nondum formatus. Primum quidem videamus de eo qui nondum formatus exierit, quomodo iubetur damno pecuniæ percuti vnus ex his qui litigant, cum ab scriptura culpa litis, non ad vnum, sed ad vtrunque referatur? Quid etiam quod vir mulieri indicit, vel imponit ei, & non eis? & dabit, & non potius dabunt cum honore? Et quis iste est honor? Quod si infans iam formatus exierit, percussa à litigantibus viris prægnante muliere, animam dari pro B anima facile intelligimus, hoc est, vt morte vindicetur admissum. Quæ sequuntur autem, operæprecium est explicare. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Neque enim videtur esse possibile, vt infans quem percussa mulier abortierit, quanuis formatus exierit, intelligamus quod viri litigantis calce percussus oculum in ventre perdiderit, pro quo orbari oculo à iudicibus debeat. Sed pone, sit & hoc, quia iam formatus refertur, quid & de dente dicemus? Nunquid in ventre matris dentes habuit, quos percutientis ictus excuteret? Si verò hoc referamus ad eam quę abortierit, quomodo rursus conueniet, vt abortiens mulier oculum perdat, aut dentes doleat? Sed pone quia percussa dicatur in oculo, aut in dente, & inde causa aborsus exorta sit, pone liuorem, pone vulnus acceperit, quid etiam dicemus combusturam pro combustura? Nunquid litigantibus viris assistens mulier cõburi potuit, vt cõbustura pro combustura soluatur? Quæ tamen singula videntur mihi nec in Deuteronomij quidem locis, vbi similiter scripta referuntur, facilem habere exitum posse. Ponamus enim & ibi exurrexisse testem iniquum, testimonium falsum dicentem aduersum hominem de impietate. Adhibeatur vterque iudicio, inquirant iudices diligenter, deprehendent accusatorem vel testem illum falsa dixisse: quomodo iudex qui parcere non debet falso testi, & animã rei pro innocentis anima damnare, quomodo inquam poterit C etiam oculum pro oculo eximere? Quasi verò is qui iniuste accusabatur in oculo lædendus fuerit ab accusatore, aut in dente, vel manu, vel pede. Hæc autem à nobis dicta sunt, ostendere volentibus, quod in vtroq; loco quæ scripta sunt, edisseri non facile queant. Oportebat enim nos prius secundum historiam discutere quæ leguntur, & sic quoniam lex spiritalis est, spiritalem in his intelligentiam quærere. Verum quantum ad præsens spectat, etiam ipsa nobis allegoriæ pars, quæ semper patere latius solet, in angustum cogitur. Tamen (prout possumus) quid nobis in hoc loco videatur, explanare tentabimus. Frequenter diximus, quod in scripturis eisdem vocabulis, eisdémque officiis, membra animæ nominentur, quibus vtũtur, vel appellantur corporis membra. Verbi causa, vt cum dicitur. Vides festucam in oculo fratris tui, & ecce in oculo tuo trabes subiacet. Certum est enim quod non de oculo corporis dicat, in quo trabes iaceat, sed de oculo animæ. Et cum dicit: Qui habet aures audiendi audiat, &: quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, & multa his similia. Hæc autem idcirco præmisimus, vti ne super membrorum nos vocabulis similitudo conturbet. Sint ergo duo viri isti qui litigant, duo disputantes, & de dogmatibus vel quæstionibus legis secum inuicem conquirentes, & (vt Apostoli sermone dicamus) rixantes circa verborum pugnas. Vnde & idem Apostolus sciens inter fratres huiusmodi lites exurgere præcipit, & dicit: Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audien- D tium. Et alibi: Quæstiones autem legis deuita, sciens quod generant lites. Seruum autem dei non oportet litigare. Quia ergo isti qui in quæstionibus litigant, ad subuersionem audientium litigant, idcirco percutiunt mulierem prægnantem, & eiiciunt infantem eius, vel formatum iam, vel nondum formatum. Mulier prægnans dicitur anima, quæ nuper dei concepit verbum. De tali autem conceptione legimus in alio loco scriptum: A timore tuo domine in vtero concepimus, & peperimus. Qui ergo concipiunt, & statim pariunt, isti nec mulieres existimandæ sunt, sed viri, & perfecti viri. Denique audi & prophetam dicentem: Si peperit terra in vna die, & nata est gens de semel. Ista est generatio perfectorum quæ statim sub die, vt concepta fuerit, nascitur. Verum ne tibi nouum videatur, quod viros parere diximus, iamdudum præmisimus quomodo membrorum appellationem suscipere debeas, vt recedas à corporeis sensibus, & interioris hominis capias intellectum. Si autem vis vt adhuc & in hoc de scripturis tibi satisfaciam, audi Apostolum dicentem: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Perfecti ergo sunt & viri fortes, qui statim vt concipiunt, pariunt, id est, qui conceptum fidei verbum in opera producunt. Anima autem quæ concepit, & in ventre retinet, & non parit, ista mulier appellatur, sicut & propheta dicit: Dolores partus aduenerunt ei, & virtus pariendi non est in ea. Hæc ergo anima, quæ nunc pro infirmitate sui E mulier appellatur, duobus inter se litigantibus viris, & in certamine scandala proferentibus, quod habere semper verborum contentio solet, percutitur & scandalizatur, ita vt verbum fidei, quod tenuiter conceperat, abiiciat, & perdat. Et hæc est lis & contentio ad euersionem audientium. Si ergo nondum formatum anima quæ scandalizata est, abiecerit verbum, qui scandalizauit, damnum dicitur pati. Vis scire quia est in aliquibus formatum verbum, in aliquibus nondum formatum? Euidenter nos docet Apostoli sermo, quem suprà memorauimus, cum ait: Donec formetur Christus in vobis. Christus autem est verbum dei. Per quod ostendit, quia eo tempore quo scribebat, nondum erat in illis formatum verbum dei. Si ergo nondum formatum exierit, damnum patietur. De damnis doctorum etiam Apostolus docet, cum dicit: Si cuius autem opus arserit, damnum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed & dominus in Euangeliis dicit, Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animam autem suam perdat, aut damnum faciat? Vnde videtur ostendi quod quædam peccata ad damnum quidem pertineant, non tamen ad interitum: quia qui damnum passus fuerit, ipse tamen saluari dicitur, licet per ignem. Vnde credo & Ioannes Apostolus in epistola sua dicit quædam esse peccata ad mortem, quæ- F dam non esse ad mortem. Quæ autem sint species peccatorum ad mortem, quæ verò non ad mortem, sed ad damnum, non puto facile à quoquam hominum posse discerni. Scriptum nanque est: Delicta quis intelligit? Veruntamen ex his quæ in Euangelio per parabolas referuntur, ex parte aliqua cognoscere possumus cuiusmodi sint, quæ damna nominantur, cum ibi iterum videamus ad lucrum deputari quædam, quæ per negociationem quæsita dicuntur. Verbi gratia, cum referuntur super quinque mnas acquisitæ esse aliæ quinque, vel super duas acquisitæ aliæ duæ. Aut cum drachma, vel denarius, vel talentum ponitur, & quasi pecunia quædam in quæstu operum nominatur. Sed & cum dicitur paterfamilias ponere rationem cum seruis suis, & offertur ei vnus, qui debebat decem milia talenta. Talis ergo quædam ratio damni est: vt verbi gratia, qui pro mercede sua accepturus erat decem mnas, non accipiat decem sed octo, vel sex, aut etiam minus: & hoc damno percuti dicitur is, qui causam scandali infirmiori & muliebri præbuit animæ. Dabit autem, inquit, secundum quod indixerit, vel imposuerit vir eius, & dabit cum honore. Animæ discenti, si vir magister eius est, secundum quod indixerit. Ergo vir ille, vel Christus qui omnium magister est, vel qui pro Christo ecclesiæ præest doctor animarum, ille qui ad subuersionem audientium verbis contendit, patietur damnum pro anima illa, quæ

Membra corporis transferũtur ad animam. *Mat.7.* *Mat.13.* *Esa.52.* *2.Tim.2.* *Ibid.* *Esa.26.* *Esa.66.* *Gal.4.* *Esa.37.* *1.Cor.3.* *Mat.16.* *1.Ioan.5.* *Psal.18.* *Mat.25.* *Mat.18.*

G nondum formatum abiecit infantem. Quod potest forte de scandalo catechumeni accipi nondum formati. Potest enim fieri, vt rursum ipse qui læsit, instruat, reparet, restituat animæ ea quæ perdidit, & hæc iam faciet cum honore, cum modestia, cum patientia: sicut Apostolus dicit, Cum mansuetudine corripientes eos, qui resistunt veritati. Non cum lite, sicut prius, cum scandalũ intulit. Quod si formatus iam fuerit infans, dabit animam pro anima. Formatus infans potest videri sermo dei in corde eius animæ, quę gratiam baptismi consecuta est, vel quæ euidentius, & clarius verbum fidei concepit. Hæc ergo si nimia contentione doctorum percussa abiecerit verbũ, & inuenta fuerit esse de illis, de quibus dicebat apostolus, Iam enim quædam cõuersæ sunt retro post Satanam, animam pro anima dabit. Vel in die iudicij accipiendum est apud deum iudicem, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Quia & alibi dicit Propheta ad Hierusalem: Dedi cõmutationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Sidonem pro te. Vel certe potest fortassis etiam illud aptari, vt qui sibi conscius tanti scandali fuerit, ponat animam suam pro anima illius, quẽ scandalizauerit, & vsque ad mortẽ det operã quomodo redeat, quomodo reparetur, quomodo restituatur ad fidẽ. Ponat etiã oculum pro oculo, si oculũ læsit animæ, id est intellectũ eius turbauit: auferatur oculus ipsius ab eo, qui ecclesiæ præest, & intellectus eius ille turbulentus & ferox qui scandalum generat, deseretur. Sed

2. Tim. 2 *1. Tim. 5* *Esd. 43.*

H & si dentẽ læsit auditoris, quo suscipiẽs cibum verbi dei, vel cõminuere vel molaribus terere solitus erat, vt subtilẽ ex his ad ventrẽ animæ trãsmitteret sensum: si hunc dentẽ ille vexauit, & euellit, vt contentione ipsius non possit anima subtiliter & spiritaliter suscipere verbum dei, auferatur dens eius, qui non bene scripturarum comminuit & attriuit cibos. Fortassis enim propter hoc & alibi dicitur à domino: Dentes peccatorum contriuisti. Et alibi nihilominus scribitur: Qui manducat vuam acerbam, obstupescẽt dentes eius. Et alibi: Molas leonum confregit dominus. Sic ergo per membra dicitur lædi anima & percuti, manum quoque pro manu & pedem pro pede deposcitur. Manus est animę virtus, qua tenere aliquid, & constringere potest, velut si dicamus actus eius, & fortitudo: & pes quo incedit ad bona, vel mala. Quia ergo si scandalum patiatur anima, non solum in fide, sed & in actibus deiicitur, qui per manũ significantur: & pedes auferentur illius, qui offendiculum præbuit, & manus: manus quibus non bene operatur, & pedes quibus non bene incedit. Recipiet etiam combusturam pro combustura, qua combussit, & gehennæ tradidit animam. Per quæ singula ostenditur, vt iste percussor omnibus detruncatis membris, à corpore excidatur ecclesiæ: vt cæteri, inquit, videntes timorem habeant, & non faciant similiter. Idcirco & Apostolus cum doctorem describit ecclesiæ, inter

Psal. 3. *Eccl. 30.* *Psal. 58.* *1. Tim. 3.*

I cætera præcipit eum non esse percussorẽ, ne percutiens prægnantes mulieres, animos insipientes, ponat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Tales sunt & illæ animæ quas etiam dominus in Euangelio deflet cum dicit: Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, in quibus scandalizabuntur (si fieri potest) etiam electi. Sciẽdum tamen est, quod non est perfectorum scandalizari, sed aut mulierum aut paruulorum. Sicut & dominus in Euangelio dicit: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis. Pusillus ergo est, & minimus, qui scandalizari potest. Spiritalis autem diiudicat omnia, omnia probat, & quod bonũ est, continet, & ab omni se specie mala abstinet. Hæc prout occurrere potuerunt, in præsenti capitulo diximus. Poscamus vero à domino, vt quæ perfecta sunt, ipse nobis reuelare dignetur per Christum Iesum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matt. 24. *Scãdalum non est perfectorum.* *Matt. 18.* *1. Cor. 2. 4*

De siti populi in Raphidin, & de bello Amalechitarum, & de præsentia Iethro, Exod. Cap. XVII. XVIII. Homilia XI.

QVONIAM omnis qui vult pie viuere in Christo persecutionem patitur, & ab hostibus impugnatur, agens iter vitæ huius semper debet esse armatus, & stare semper in castris. Ideo & de populo dei refertur. Profecta est, inquit, omnis synagoga filiorum Israel de deserto Sin, secundũ castra sua, per verbũ domini.] Est ergo vna quidẽ synagoga domini, sed hæc in quatuor castra diuiditur. Quatuor nanque castra describuntur circa tabernaculum domini posita, sicut refertur in Numeris. Et tu ergo si semper vigiles, & semper armatus sis, & scias te in castris domini militare, obserua illud mandatum, quia nemo militans deo, implicat se negociis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Quia si ita milites, vt à rebus secularibus liber sis, & in castris domini agas semper excubias, & de te dicetur, quia per verbũ domini exeas de deserto Sin & venias in Raphidin. Sin enim tentatio interpretatur. Raphidin verò sanitas iudicij. Qui bene exiit de tentatione, & quem tentatio probabilem reddit, iste venit ad sanitatem iudicij. In die enim iudicij sanus erit, & sanitas cum eo erit, qui in tentatione non fuerit vulneratus. Sicut & in Apocalypsi scriptum est: Qui autem vicerit, dabo ei de ligno vitæ, quod est in paradiso dei mei. Venit ergo ad sanitatem iudicij, qui bene disponit sermones suos in iudicio. Sed quid est quod sequitur? Sitiit ibi, inquit, populus aquam, & murmurabant aduersum Moysen.] Videatur fortasse ex superfluo dictum, quod dixit, quia aquam sitierit populus. Suffecerat enim dicere, quia sitiit, quid opus fuit addere aquam sitiit? Non est superflua adiectio. Sunt enim diuersæ sites, & vnusquisque habet propriam sitim. Qui

K *Num. 2.* *2. Tim. 2.* *Apoc. 2.*

L beati sunt, secundum verbum domini esuriunt, & iustitiam sitiunt: & alij nihilominus dicunt: Sitiuit anima mea ad te deus. Qui verò peccatores sunt, patiuntur non sitim aquæ, neque famem panis, sed sitim audiendi verbum dei. Idcirco igitur & hic addit, quia populus sitiit aquam, qui debuit deum sitire, qui debuit sitire iustitiam. Verum quia deus vere eruditor est infantium, & magister insipientium, corrigit culpas, & emendat errores, & dicit ad Moysen, vt sumat virgam, & percutiens petram, educat eis aquam. Vult enim eos iam de petra bibere, vult eos proficere, & ad interiora venire mysteria. Murmurauerunt enim aduersus Moysen, & propterea iubet dominus vt ostendat eis petram, ex qua bibant. Si quis est, qui legens Moysen murmurat aduersus eum, & displicet ei lex, quę secundum literam scripta est, quod in multis non videtur seruare consequentiã, ostendit ei Moyses petram, quæ est Christus, & adducit eũ ad ipsam, vt inde bibat, & reficiat sitim suã. Sed hæc petra, nisi fuerit percussa, aquas nõ dabit: percussa verò fõtes producit. Percussus enim Christus, & in crucem actus, noui testamenti fontes produxit: Et propterea dictum est de eo, quia percutiam pastorem, & dispergentur oues. necesse ergo erat illum percuti. Nisi enim ille fuisset percussus, & exisset de latere eius aqua & sanguis, omnes nos sitim verbi dei pateremur. Hoc ergo est, quod & Apostolus interpretatus est, quia omnes eundem manducauerunt cibum spiritalem, & omnes eundem spiritalem biberunt potum. Bibebant autem de spiritali, sequente petra. petra verò erat Christus. Obserua tamen quod dixit hoc in loco

Matt. 5. *Psal. 42.* *Amos 8.* *Zach. 13.* *1. Cor. 10.*

M Deus ad Moysen. Antecede populum, & duc tecum maiores natu, id est, presbyteros populi. Non solus Moyses ducit populum ad aquas petræ, sed & seniores populi cum ipso. Non enim sola lex adnunciat Christum, sed & prophetæ, & patriarchæ, & omnes maiores natu. Post hæc bellum describitur gestum cum Amalechitis, pugnasse refertur populus & euicisse. Antequam manducaret panem de cœlo, & biberet aquam de petra, non refertur populus pugnasse, sed dicitur ad eum: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Est ergo tempus quando dominus pugnat pro nobis, nec permittit nos tentari supra id quod possumus, nec impares viribus sinit ad fortis venire congressum. Denique & Iob omne illud tẽtationis suæ famosissimum certamen iam perfectus impleuit. Et tu ergo cum cœperis manducare manna, panem cœlestem verbi Dei & bibere aquam de petra, cúmque ad interiora doctrinę spiritalis accesseris, sperato pugnam: & præpara te ad bellum. Bello igitur imminente, videamus quid præcipiat Moyses. Dixit, inquit, ad Iesum: Elige tibiipsi viros, & exi, & conflige cum Amalech crastino.] Vsque ad hunc locum

Veteres omnes annunciarũt Christum. *Iob. 1.* *Panis verbum dei.*

A cum beati nominis Iesu nusquam facta est mētio. Hic primū vocabuli huius splendor effulsit. Hic primū vocauit Moyses Iesum, & dixit ei: Elige tibiipsi viros. Moyses vocat Iesum, lex vocat Christum, vt eligat sibiipsi viros potentes de populo. Non poterat Moyses eligere, sed Iesus solus est qui possit potentes viros eligere, qui dixit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Ipse enim electorum dux, ipse potentium princeps, ipse qui confligit cum Amalech. Ipse est enim qui intrat in domum fortis & alligat fortem, & vasa eius diripit. Sed interim videamus quid nunc historia præsens retexat. Ascendit inquit, Moyses in verticem collis. Nondum ascendit in verticem montis, sed in verticem collis. Seruabatur enim ei tunc ascendere in verticem montis, cum ascensurus erat Iesus, & cum ipso Moyses, & Helias, & ibi transformandus in gloria. Nunc ergo velut nondum glorificatus ex transformatione Iesu, nondum ascendit in verticem montis, sed ascendit in verticem collis. Et factū est, inquit, cum eleuaret Moyses manus, superior fiebat Israel.] Moyses quidem eleuat manus, non extendit: Iesus autem qui vniuersum orbem terræ exaltatus in cruce complexurus erat brachiis suis, dicit: Extendi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Moyses ergo eleuat manus suas, & cum eleuaret manus vincebatur Amalech. Eleuare manus, hoc est, opera & actus eleuare ad deū, & non habere actus deorsum deiectos, & humi iacentes, sed deo placitos, & ad cœlum erectos. Eleuat ergo manus, qui thesaurizat in cœlum: vbi enim thesaurus eius, ibi & oculus eius, ibi & manus eius. Eleuat manus & ille qui dicit, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Si ergo eleuentur actus nostri, & non sint in terra, vincitur Amalech.

Vbi primũ 70. Interp. Iesuẽ appellarunt Iesũ. Ne autem putes ociosam esse allegoriam scito eum qui olim dicebatur Iosue post captiuitatem babylonicam breuius appellatum Iesum Syriacè. Vnde & Christus Iosue nomen habuit iuxta vetus, Iesus iuxta recens Iudæorum idioma.

Ioan. 15.

B *Psal. 141.* Sed & Apostolus præcipit leuare sanctas manus sine ira & disceptatione. & ad quosdam dicebat: Demissas manus, & dissoluta genua erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris. Si ergo seruat populus legē, eleuat Moyses manus, & aduersarius vincitur. Si nō seruat legem, inualescit Amalech. Quia igitur & nobis pugna est aduersus principes, & potestates & mūdi huius rectores tenebrarū, si vis vincere, si vis obtinere, eleua manus, & eleua actus tuos, & conuersatio tua nō sit in terris, sed sicut dixit apostolus: Super terram ambulantes, conuersationem habemus in cœlo. Et ita poteris superare populum aduersantem tibi Amalech, ita vt dicatur de te etiam, quia in manu occulta expugnabat dominus Amalech. Eleua & tu manus ad Deum, & imple mandatum, quo Apostolus dicit: Sine intermissione orantes: & tūc fiet quod scriptum est: Quia sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est. Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur,

1. Tim. 2. Heb. 12. Phil. 3. 1. Thes. 5. Num. 22.

C quia populus dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnabat: id est orationem fundens ad deum, prosternebat inimicos. Ita ergo & tu si vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad deum, vt dicit apostolus: Orationi instantes, & vigilantes in ea. Hæc enim est Christiani pugna, qua superat inimicum. Puto autem quod per hanc figuram etiam duorum populorum Moyses formam designet, & ostendat vnum esse populum ex gentibus qui eleuet manus Moysi, & erigat eas: id est, qui in sublimi extollat ea quæ scripsit Moyses, & in excelso eorum intelligentiam statuat, & per hoc vincat. Alium esse qui quoniam non eleuat manus Moysi, nec extollit eas à terra, nec altum in eo aliquid & subtile considerat, vincitur ab aduersariis, & prosternitur. Post hæc venit ad montem dei Moyses, & occurrit ei Iethro socer suus. At ille exit ei obuiam de castris, & non eum ducit ad montem dei, sed ducit eum ad tabernaculum suum. Non enim poterat sacerdos Madian ascendere ad montem dei, sed nec in Ægyptum descendere potuit vel ipse, vel vxor Moysi, sed nunc ad eum venit cum filiis eius. Non enim potest descendere in Ægyptum, & subire agones Ægyptios, nisi qui fuerit athleta probabilis, & talis qualem dicit Apostolus: Quia omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans. Moyses ergo quia magnus erat & potens athleta, descendit in Ægyptum, descendit ad agones & exercitia virtutum. Sed & Abraham descendit in Ægyptum, quia erat ipse magnus & potens athleta. Nam de Iacob quid dicam, qui ipso nomine athleta est? Luctator enim & supplantator interpretatur. Et ideo cum descendisset in septuaginta quinque animabus in Ægyptum Iacob, factus est sicut stellæ cœli in multitudinem. Sed omnes qui descēdunt in Ægyptum ita pugnant, & ita expediunt agones, vt in multitudinem fiant, & vt stellæ cœli multiplicentur. Aliis in contrarium cedit descendisse in Ægyptum. Scio ego Hieroboam fugientem à Salomone descendisse in Ægyptum, & non solum non creuisse in multitudinem, sed & scidisse & corrupisse populum dei. Quia descendens in Ægyptum accepit à Susachim rege vxorem Thecimene vxoris eius sororem. Sed interim venit Iethro ad Moysen, adducens secum filiam suam vxorem Moysi, & filios eius. Et venit, inquit, Aaron & omnes presbyteri de Israel manducare panem cum socero Moysi in conspectu Dei.] Non omnes panem manducant in conspectu Dei, sed qui presbyteri sunt, qui seniores, qui perfecti sunt, & meritis probati, ipsi mãducant panem in conspectu Dei, qui obseruant illud quod apostolus dicit: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam dei facite. Omnia ergo quæ faciūt sancti, in conspectu dei faciunt. Peccator autem à conspectu Dei fugit. Denique scriptum est, quia Adam postquam peccauit, fugit à conspectu dei, & interrogatus respondit: Audiui vocem tuam, & abscondi me quia eram nudus. Sed &

Oratio vincit hostes nō gladius. Col. 4. Oratio christiani pugna. Exod. 18. 1. Cor. 9.

D Gen. 16. 3. Reg. 11. Col. 3. Gen. 3.

E Cain postquam pro parricidio condemnatus à deo est, exiit, inquit, à facie dei, & habitauit in terra Naim. Exiit ergo à facie dei, qui indignus est conspectu dei. Sancti autem manducant & bibunt in conspectu dei, & omnia quæ agunt, in conspectu eius agunt. Ego amplius adhuc locum præsentem discutiens, video quia qui pleniorem scientiam dei accipiunt, & plenius diuinis imbuti sunt disciplinis, isti etiam si malum faciunt, coram deo faciunt, & in conspectu eius faciunt, sicut ille qui dixit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid ergo plus habet qui malum coram deo facit? Illud profecto quod continuo pœnitet, & dicit: Peccaui. Qui autem discedit à conspectu dei, nescit conuerti, & peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergo interest, malum coram deo facere, & à dei conspectu discessisse peccantem. Sed vt video Iethro non frustra venit ad Moysen, nec frustra manducauit panem cum senioribus populi in conspectu domini. Dat enim consilium Moysi probabile satis & vtile, vt eligat viros, & constituat principes populi: viros Deum colentes, viros potentes, & odientes superbiam. Tales enim oportet esse principes populi, qui non solum superbi non sint, sed & qui oderint superbiam: id est, vt non solum ipsi absque vitio sint, sed & in aliis oderint vitia. Non homines dico odisse, sed vitia. Et ordinabis, inquit, eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & decanos, & iu-

Gen. 4. Psal. 51. 2. Reg. 12. Iudicum descriptio.

F dicabunt populum omni hora. Verbum autem quod grauius fuerit referent ad te.] Audiant principes populi & presbyteri plebis, quia debent omni hora populum iudicare, semper & sine intermissione sedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare dissidētes in gratia, recordare discordes. Discat vnusquisque ex scripturis sanctis officium suum. Moyses, inquit, vt sit in his quæ ad Deum sunt, & verbum dei edisserat populo. Cæteri autem principes quos appellant tribunos. Tribuni enim ex eo dicuntur, quod tribui præsint. Cæteri ergo tribuni, vel centuriones, vel quinquagenarij, præsint minoribus iudiciis, quæ ad singulos quosque pertinent dirimentes. Puto autem hanc ipsam figuram non solum in præsenti seculo ecclesiæ datam, verumetiam in futuro seruandam. Audi denique quid dominus dicat in Euangelio: Cùm sederit, inquit, filius hominis super thronum gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Vides ergo quia non solum dominus iudicat, cui omne iudicium pater dedit, sed & constituit sibi & alios principes qui iudicent populum de minoribus causis, verbum autem quod grauius fuerit, referant ad ipsum. Idcirco dicebat & dominus de quodam quidem, quia reus erit consilio, de alio autem, reus erit iudicio,

Tribuni vnde. Mat. 19. Caue. Nam sancti de hoc mundo tantum iudicabunt approbãdo, & Iudici assistendo.

G & de alio, reus erit gehennæ ignis. Sed & de omni verbo otioso dicimur præstaturi rationem, & non dixit quia Deo præstabimus rationem: sicut de periurio dicit: Reddes autem domino iuramenta tua. Verum & regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos. Ecce & aliud iudicij genus. Qui habet aures audiendi audiat. Hæc enim omnia typus & vmbra sunt cælestium, & imago futurorum. Verum sicut scriptum est, legimus quia non satiatur oculus visu, nec auris auditu, nec nos satiari possumus intuendo & considerando quæ scripta sunt, quot ex partibus nos ædificent, quantis nos instruant modis. Etenim cum perspicio quod Moyses propheta deo plenus, cui deus facie ad faciem loquebatur: consilium accepit à Iethro sacerdote Madiã, admiratione nimia stuporẽ mẽtis incurro. Dicit enim scriptura: Et audiuit Moyses vocem soceri sui, & fecit quęcunque dixit ei.] Non dixit quia mihi deus loquitur, & quid agere debeam, cœlesti ad me sermone defertur, & quomodo consilium ab homine accipiã, & ab homine gentili, alieno à populo dei? Sed audit vocem eius, & facit omnia quæ dicit & non quis dicat, sed quid dicat, auscultat. Vnde & nos si forte aliquando inuenimus aliquid sapienter à gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine spernere debemus & dicta, nec pro eo quod legem à deo datam tenemus, conuenit nos tumere superbia, & spernere verba prudentium. Sed sicut apostolus dicit: Omnia probantes, quod bonum est tenentes. H Quis autem hodie eorum qui populis præsunt, non dico si iam aliqua ei à deo reuelata sunt, sed si in legis scientia aliquid meriti habet, consilium dignatur inferioris saltem sacerdotis accipere? nedum dixerim laici, vel gentilis. Sed Moyses qui erat homo mansuetus super omnes, accepit consilium inferioris, vt & formam humilitatis populorum principibus daret, & futuri sacramenti designaret imaginem. Sciebat enim futurum quandoque, vt gentiles bonum consilium proferrent apud Moysen, vt bonum & spiritalem intellectum adferrẽt ad legem dei: & sciebat quia audiet eos lex, & faciet omnia sicut dicunt. Non enim potest facere lex sicut Iudæi dicunt, quia infirmatur lex in carne, id est in litera, & nihil potest secundum literam facere: nihil enim ad perfectum adducit lex. Secundum autem consilium quod nos afferimus ad legem, possunt omnia spiritaliter fieri. Possunt & sacrificia spiritaliter offerri, quæ modo carnaliter nõ possunt. Potest & lex lepræ spiritaliter seruari, quæ secundũ literã nõ potest. Sic ergo quomodo nos intelligimus quomodo nos sentimus, & cõsiliũ damus, omnia facit lex: secundum literam autem non omnia, sed admodũ pauca. Post hæc autẽ cum profectus esset Iethro, & venisset Moyses ex Raphidim in desertum Sina, ibíque in columna nubis descendisset dominus ad Moysen, vt videns populus crederet ei, & verba eius audiret, ait dominus ad Moysen: Descende, protestare populo, & purifica illos hodie, & cras, & I lauent vestimenta sua, & sint parati in diẽ tertium. Si quis est qui ad audiendum verbum dei conueniat, audiat quid præcepit dominus. sanctificatus venire debet ad audiendum verbum, lauare debet vestimenta sua. Si enim sordida huc detuleris vestimenta, audies & tu: Amice quomodo huc introisti non habens vestem nuptialem? Nemo ergo potest audire verbum dei, nisi prius fuerit sanctificatus: id est nisi fuerit sanctus corpore & spiritu, nisi vestimenta sua lauerit. Ingressurus est enim paulo post ad cœnam nuptialem, manducaturus est de carnibus agni, potaturus est poculum salutaris. Nemo intret ad hanc cœnam sordidis vestimentis. Hoc enim & alibi sapientia præcepit dicens: In omni tempore sint vestimenta tua munda. Lota sunt enim semel vestimenta tua cum venisti ad gratiam baptismi, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis & spiritus. Quæ ergo deus mundauit, tu immunda ne feceris. Audi igitur nunc & sanctificationis genus. Ne accesseritis, inquit, ad mulierem hodie, & crastina, vt die tertia audiatis verbum dei.] Hoc est quod & apostolus dicit: Bonum est homini mulierem non tangere, Saluo tamen remedio his qui pro infirmitate sua remedio indigent nuptiali. Veruntamen consilium audiamus apostoli dicentis: quia tempus breue est, superest vt & qui habent vxores, tanquam non haben K tes sint, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim habitus huius mundi, præterit temporale regnum, vt perpetuum veniat & æternum. Sicut & in oratione dicere iubemur. Adueniat regnum tuum: in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matt. 12 | Matt. 5. 8. 15. | Eccles. 1 | Gentilium dicta non esse negligenda. | 1. Thess. 5 | Num. 12 | Rom. 8 | Heb. 19 | Ceremonialia Mosis spiritaliter nunc obseruantur. | Matt. 22 | Cœna domini. | Eccles. 9 | 1. Cor. 17 | Matt. 6

De vultu Moysi glorificato, & velamine quod ponebat in facie sua. Exod. Cap. XXXIIII. Homilia XII.

LECTIO nobis Exodi recitata est, quæ nos ad intelligentiæ inquisitionem, vel incitet, vel repellat. Incitat mentes studiosas & liberas, desides & occupatas repellit, Scriptum est enim: Quia vidit Aaron & omnes filij Israel Moysen, & erat glorificata facies eius, & color vultus eius, & timuerunt accedere ad illum. Et post pauca: Ponebat, inquit, Moyses velamen super faciem suam. Cum autem introierat in conspectu domini, vt loqueretur illi, deponebat velamen.] Hæc autem Apostolus differens magnifico illo sensu quo in cæteris vtitur, de quo dixit: Nos autem sensum Christi habemus, ait. Quod si ministerium mortis in literis formatum in lapidibus fuit ad gloriam, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ aboletur, quomodo non magis ministerium spiritus erit in gloria? Et iterum paulo post dicit. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in fa L ciem vultus eius. Obtusi sunt enim sensus eorum, vsque in hodiernum diem. Cum enim legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Quis nõ admiretur mysteriorum magnitudinem? quis non pertimescat velamen obtusi cordis? Glorificata est facies Moysi, sed non poterãt intẽdere in faciem vultus eius filij Israel, non poterat intendere populus synagogæ. Si quis autẽ conuersationem, & vitam potest habere eminentiorẽ quàm reliquum vulgus, iste potest intueri gloriam vultus eius. Et nunc enim, sicut dixit Apostolus, velamen est positum in lectione veteris testamenti: & nunc Moyses glorificato vultu loquitur, sed gloriam quæ est in vultu eius nos possumus intueri. Idcirco autem non possumus, quia adhuc populus sumus, & nihil studij, nihil meriti plusquam reliqua plebs habemus. Verum quia dicit sanctus Apostolus: Idipsum autem velamen in lectione veteris testamẽti manet, amputaret nobis omnẽ intelligentię spẽ tanti & talis apostoli prolata sentẽtia, nisi addidisset: Cum autem quis cõuersus fuerit ad dominũ, auferetur velamen. Igitur causam auferendi velaminis, conuersionem nostram esse dicit ad dominum. Ex quo colligenda sunt nobis indicia, quod donec legentes scripturas diuinas latet nos intellectus donec obscura sunt nobis & clausa quæ scripta sunt, non M dum conuersi ad dominum sumus. Si enim conuersi essemus ad dominum, sine dubio auferretur velamen. Sed & hoc ipsum conuerti ad dominũ quale sit videamus. Et vt euidentius scire possimus quid sit conuersus, dicendum nobis prius est quid sit auersus. Omnis qui cum recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur, auersus est. Omnis qui cum legitur Moyses, de negotiis seculi, de pecunia, de lucris sollicitudinem gerit, auersus est. Omnis qui possessionum curis stringitur, & diuitiarum cupiditate distenditur, qui gloriæ seculi, & mundi honoribus studet, auersus est. Sed & qui ab his quidem videtur alienus, assistit autẽ & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus euagatur, auersus est. Quid ergo est cõuertit? Si his omnibus terga vertamus, & studio, actibus, mente, solicitudine, verbo dei operam demus, & in lege eius die ac nocte meditemur, omissis omnibus deo vacemus, exerceamur in testimoniis eius, hoc est, conuersum esse ad dominum. Tu ergo si volueris filium tuũ scire literas quas liberales vocãt, scire grammaticam, vel rhetoricam disciplinam, nũquid non ab omnibus eum vacuum & liberum reddis? Nunquid non omissis cæteris, huic vni studio dare operam facis? Pedagogos, magistros, libros, impensas, nihil prorsus deesse facis quoadusque perfectũ propositi studij opus reportet. Quis nostrum

Exod. 34 | 2. Cor. 3 | 2. Cor. 3 | Impij sensum scripturæ non intelligunt. | Quibus auersus. | Studium theologiæ. | Literæ liberales.

A nostrũ ita se ad diuinæ legis studia conuertit? Quis nostrum ita operam dedit? Quis tanto studio ac labore diuina quærit studia, quãto quæsiuit humana? Et quid cõquerimur si quod non didicimus ignoramus? Aliqui vestrum vt recitari audierint quæ leguntur, statim discedunt. Nulla ex his quæ dicta sunt inquisitio adinuicem, nulla collatio, nusquam memoria mandati illius, quo te diuina lex cõmonet: Interroga patres tuos, & dicent tibi, presbyteros tuos, & annunciabunt tibi. Alij ne hoc ipsum quidem patiẽter expectant, vsquequo lectiones in ecclesia recitentur. Alij verò nec si recitãtur sciũt, sed in remotioribus dominicæ domus locis, secularibus fabulis occupantur. De quibus ego ausus sum dicere, quia cum legitur Moyses, iam non velamen super cor eorum, sed paries quidam & murus est positus. Si enim ille quia adest, qui audit, & intentus est, & quæ audi retractat, & discutit, & quæ assequi non potest, percontatur, & discit, vix potest ad libertatem scientiæ peruenire: ille qui abscondit aures suas ne audiat, & terga in faciem legẽtis obuertit, quomodo dicendus est velamẽ habere superpositũ cordi, ad quem ne ipsum quidem velamen literæ quo sensus velatur, qui est sonus vocis, accessit? Euidens igitur figura est, quomodo gloriosa efficitur facies Moysi: habent enim gloriam ea quæ loquitur: sed hæc tegitur, & occultatur, & est omnis gloria eius intrinsecus. Illud quoque intuere quale sit, quod in lege vultus

Scripturæ obscuræ.

B quidẽ Moysi glorificatus refertur, licet velamine cõtegatur: manus autem eius intra sinũ missa, leprosa facta memoratur sicut nix. In quo mihi videtur forma totius legis plenissime designari. In vultu enim eius sermo legis, in manu opera designantur. Quia ergo ex operibus legis nullus erat instificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcirco manus Moysi leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura: facies verò eius glorificata est, sed velamine tegitur: quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam. Vnde & propheta dicit: Nisi audieritis occulta, plorabit anima vestra. & Dauid dicit: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. In lege ergo Moyses solam faciem habet glorificatam, neque manus eius habent gloriam, imò potius & contumeliam: sed neque pedibus denique soluere iubetur calciamentum suum, sic nulla erat gloria in pedibus eius, licet & hoc fieret nõ sine alicuius forma mysterij. Nouissima nãque pars hominis pedes sunt. Ostendebatur ergo quod in nouissimis temporibus solueret Moyses calciamentum suum vt acciperet alius sponsam, & illa vocaretur domus discalceati vsque in hodiernum diem. Nihil ergo aliud in lege gloriosum habet Moyses, nisi solam faciem. In Euangeliis autẽ totus glorificatur ex integro. Audi enim quid dicatur in Euangeliis. Cum ascendisset Iesus in montem excelsum, assumens secum Petrum & Ioan-

Exod. 4.
Hier. 13.
Psal. 51.
Exod. 3.
Matt. 17.

C nem & Iacobũ, transformatus est ibi coram ipsis: & ecce apparuerunt, inquit, Moyses & Helias in gloria, colloquentes cum eo. Hic non refertur quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria, colloquens cum Iesu, & ibi ei completur illa promissio, quam eccepit in monte Sina, cum dictum est ei: Posteriora mea videbis. Vidit ergo posteriora eius. Vidit enim quæ in posterioribus & nouissimis diebus facta sunt, & gauisus est. Sicut enim Abraham concupiuit videre diem domini, & vidit, & gauisus est: ita & Moyses concupiuit videre diem domini, & vidit, & gauisus est: & necessario gauisus est, quia iam non solum vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit in montem. Gauisus est sine dubio Moyses, quod eum de quo dixerat: Prophetã vobis suscitabit dominus deus vester ex fratribus vestris, sicut me ipsum audietis per omnia: nunc adesse cernebat, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cũctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Moyses dudũ dixit, illum audietis: nunc pater dicit, hic est filius meus, ipsum audite: & præsentẽ de quo dicit, ostẽdit. Gaudere etiam mihi pro hoc videtur Moyses, quia & ipse quodãmodo nunc deponit velamen cõuersus ad dominum, cum euidenter quæ prædixit implentur: vel cum tẽpus aduenit, vt per spiritum sanctum quæ obtexerat reuelẽtur. Retractãdus tamen est sancti Apostoli sensus, & consideran-

Christus totus transfiguratus, nõ Moses.
Deut. 18.
Matt. 17.

D dum quid ei visum sit, cum dixisset: Si autem conuersus quis fuerit ad dominum, aufertur velamen, vt adderet, Dominus autẽ spiritus est: per quod quasi interpretari videtur quid est dominus. Quis enim nescit quod dominus spiritus est? Sed nunquid in hoc loco de domini vel natura, vel substãtia tractabatur, vt diceret quia dominus spiritus est? Videamus ergo ne non solum cum Moyses legitur, sed & cum Paulus legitur, velamen sit positum super cor nostrũ. Et manifeste, si negligẽter audimus, si nihil studij ad eruditionem & intelligẽtiam conferimus, non solum legis & prophetarum scriptura, sed & apostolorum & Euangeliorũ grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiã negligẽtiam & stoliditatem cordis, nõ solum velata sint nobis diuina volumina, sed & signata: vt si detur in manus hominis nescientis literas libenter legẽdus, dicat, quia nescio literas: si detur in manus hominis sciẽtis literas, dicat quia signatus est. Vnde ostenditur non solum studium nobis adhibẽdum esse ad discendas literas sacras, verum & supplicandum domino, & diebus ac noctibus obsecrandum, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatũ dignetur aperire. Ipse est enim qui scripturas adaperiens, accendit corda discipulorum, ita vt dicant: Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cum aperiret nobis scripturas? Ipse ergo etiam nũc nobis aperire dignetur quid est quod apostolo suo inspirauit vt diceret: Dominus autem spiritus est. vbi autẽ spiritus domini, ibi libertas. Ego quidem quantum pro paruitate intelligen-

2. Cor. 3.
Esa. 28.
Duo necessaria ad intelligendas scripturas, studium & oratio.
Luc. 24.

E tiæ meæ sentire possum, puto quòd verbũ dei pro eo quod auditoribus interest (vt sæpe iam diximus) nunc via, nunc veritas, nunc vita, nunc resurrectio nominatur, nunc etiam caro, nunc verò spiritus dicitur. Quamuis enim vere ex virgine substantiam carnis acceperit, in qua & crucem pertulit, & resurrectionem initiauit: tamen est vbi Apostolus dicit: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Quia ergo & nunc sermo eius ad subtiliorem & spiritalem intelligentiam prouocat auditores, & vult eos nihil carnale in lege sentire, dicitur qui vult auferri velamen de corde suo, conuertatur ad dominum. Nõ quasi ad carnem dominum, est enim & hoc, quia verbum caro factum est: sed quasi ad spiritum dominum. Si enim quasi ad spiritum dominum conuertatur, de carnalibus ad spiritalia veniet, & ad libertatem de seruitute transibit. Vbi enim spiritus domini ibi & libertas. Et vt adhuc euidentius fiat quod dicitur, vtamur & aliis apostoli sensibus. Ad quosdam dicit quos senserat incapaces, Quia nihil me iudicaui aliud scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Istis talibus nõ dicebat quia dominus spiritus est, nec dicebat eis quia Christus dei sapientia est. Non enim poterant agnoscere Christum secundum hoc quod sapientia dei est, sed secũdum hoc, quod crucifixus est. Illi autem quibus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam autem non huius seculi,

2. Cor. 5.
1. Cor. 2.
Ibidem

F neque principum huius mundi, qui destruuntur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam: non indigebant vt verbum Dei secundũ hoc susciperent, quod caro factum est, sed secundum hoc, quod sapientia in mysterio abscõdita est. Sic ergo & in hoc loco, iis qui de carnali ad spiritalem intelligentiã prouocãtur, dicitur, Dominus autẽ spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi & libertas. Vt autem ostenderet, quia ipse iam peruenit ad scientiæ libertatem, & exutus est de velaminis seruitute, addit his, & dicit: Nos autem omnes reuelata facie gloriã domini speculantes. Si ergo & nos dominum deprecemur, vt velamen de corde nostro dignetur auferre, capere possumus intelligentiam spiritalem si tamen conuertamur ad dominũ, & libertatem scientiæ requiramus. Sed quomodo inuenire possumus libertatem, qui seruimus seculo? qui seruimus pecuniæ? qui seruimus desiderijs carnis? Ego meipsum corripio, meipsũ iudico, ego meas culpas arguo, viderint qui audiũt, quid de semetipsis sentiãt. Ego interim dico, quod donec alicui horum deseruio, non sum conuersus ad dominum, nec vllam cõsecutus sum libertatẽ donec talia me negotia, & sollicitudines stringũt. Illius à quo constringor negotij & sollicitudinis seruus sum. Scio enim scriptũ esse, quia vnusquisque à quo vincitur, huic & seruus addicitur, etiã si me amor pecuniæ non superet, etiam si

2. Cor. 3.
Artifex.

G possessionum & diuitiarum cura non stringit, laudis tamē cupidus sum, & gloriā sector humanā, si de hominū vultibus & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me habeat, ne illi displiceam, si illi placeam, donec requiro ista, seruus horum sum. Sed volebam ex hoc saltem satis agere, si possim liber fieri, si possim de iugo huius seruitutis absolui, & peruenire ad libertatem secundum Apostoli commonitionē dicentis: In libertate vocati estis, nolite fieri serui hominum. Sed quis mihi dabit hanc manumissionē? quis me ab hac seruitute turpissima liberabit, nisi ille qui dixit: Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis? Etenim scio quia seruus non potest libertate donari, nisi fideliter seruiens, nisi dominum diligens. Et ideo etiam nos fideliter seruiamus, & ex toto corde, & ex toto animo, & ex tota virtute nostra diligamus dominum deum nostrum, vt mereamur libertate donari à Christo Iesu filio eius domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Gal. 5. Ioan. 8.

De his quæ offeruntur ad tabernaculum. Exod. Cap. XXV. Homilia XIII.

IAM quidem & prius de tabernaculo pro viribus dixeramus, verum quoniam sæpe in Exodi libro repetitur ipsa descriptio: dicitur enim & cum do- H minus præcepit Moysi qualiter fieri debeat, & iterum cum Moyses præcepit populo, vt offerat construendo operi materias, sicut hæc lectio continet, quæ nobis modo recitata est: sed & postmodum enumerantur singula, cū per Beselehel, & cæteros sapiētes viros fabricantur, & iterū, cū ad cōspectum Moysi deferuntur, & rursum, cū præcepto domini dedicantur. Fit præterea & in aliis, vel libris, vel locis, horum commemoratio, & frequenter repetitur, vtpote quod necessario commonetur. Nunc ergo recitatus est nobis ille sermo, vbi dicit: Et dixit Moyses ad omnem synagogam filiorum Israel dicens. Hoc est verbum quod præcepit dominus dicens: Sumite à vobis ipsis redemptionem domino, omnis qui concepit corde, offerat initia domino aurum, argentum, æramentum, hyacinthum, purpuram, coccum duplicatum, & byssum tortam: pilos caprarum, & pelles arietū, rubricatas, & pelles hyacinthinas, ligna imputribilia, & lapides sardinos, & lapides ad sculpturam in humerali & podere, & omnis sapiens corde in vobis veniat, & operetur omnia quæ præcepit dominus. Cum considero meipsum primum, & discutio, piget ad hæc aperienda manum mittere. Vereor enim ne forte etiam si dominus reuelare dignetur alicui, sicut forte dignatur (de me enim non sum ausus dicere) vereor inquam, & valde dubito si inueniam auditores: & cū ita sit, ne forte ab eo qui explanare conabitur, requirantur dominicæ margaritę, vbi vel quomodo, vel ante quos mittā- I tur. Verum quoniam magnopere expectatis vt aliqua ex his quæ lecta sunt, differantur, & præcepit mihi dominus meus dicens: Oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem eam: ipsum rogabo, vt verbum meum suam pecuniam facere dignetur, vti non meam pecuniam, non meum aurum vobis, sed ipsius fœnerē, ipsius vobis verbo, & ipsius sensu loquar, & ad auditus vestri hæc deferam mensam. Vos iam videritis suscipientes dominicam pecuniam, quomodo vsuras eius venienti domino præparetis. Vsuræ autem sunt verbi Dei, habere in vsu vitæ & actuum ea quæ præcepit sermo dei. Si ergo audientes verbum vtimini eo, & agitis secundum ea quæ auditis, & secundum hæc viuitis, vsuras domino præparatis: & potest fieri vt vnusquisque vestrum de quinque talentis faciat decem, & audiat à domino: Euge serue bone, & fidelis, eris potestatē habens super decem ciuitates. Tantum illud videte, ne quis vestrum acceptam pecuniam, aut in sudario colliget, aut defodiat in terram, quia huiusmodi hominis in aduentu domini quis sit exitus bene nostis. Tentabimus igitur pauca de multis, imo pauciora de paucis, quippe quibus & noster sermo librandus, & vester auditus. Primo igitur omniū videamus quid est quod dicit Moyses ad filios Israel: Sumite à vobis ipsis redemptionem domino, omnis qui conceperit corde, offerat initia domino. Non vult Moyses, vt aliquid offeras deo quod extra te est, à vobis ipsis, inquit, sumite, & initia offerte domino, prout vnusquisque concepit corde. Au- K rum iubetur & argentum deferri, æs & cæteræ materiæ, quomodo hoc possum ego de meipso offerre? Nunquid intra me aurum nascitur aut argentum, & cætera quæ iubentur? Nonne hoc vnusquisque de promptuariis, & de scriniis suis profert? Quid est ergo quod dicit Moyses, offerte à vobis ipsis, & vnusquisque sicut concepit corde? Illud quidem aurum & argentum cæteraque materiæ vnde tabernaculum constructum est, constat de scriniis & promptuariis vniuscuiusque prolatum. Spiritalis autem lex aurum requirit ad tabernaculum, quod intra nos est, argentum quod intra nos est, & omnes reliquas materias illas deposcit, quas & intra nos habere possumus, & proferre de nobis. Dicit enim scriptura, quia prope est verbum in ore tuo, quia si confessus fueris in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Si ergo credideris in corde tuo, cor tuum, & sensus tuus aurum est. Obtulisti igitur aurum ad tabernaculum, id est fidem cordis tui. Si verò confessus fueris, sermonem obtulisti, sermonem confessionis argentum. Idcirco ergo dicit Moyses, qui est lex spiritalis, sumite à vobis ipsis. Hæc à te ipso sumis, hæc intra te sunt, hæc etiam si nudus sis, habere potes. Sed & quod addidit, vnusquisque sicut concepit corde, huc respicit. Non enim poteris aliquid de sensu tuo offerre Deo, vel de verbo tuo, nisi prius quæ scripta sunt corde conceperis, L nisi intentus fueris, & diligenter audieris, non potest aurum tuum probatum esse, nec argentum: requiritur enim vt probatum sit. Audi scripturam dicentem: Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne probatum, purgatum septuplum. Si ergo quæ scripta sunt corde conceperis, erit aurum tuum, id est, sensus tuus probus, & argentum tuum, qui est sermo tuus, probatum. Quid etiam de ære dicemus? opus est & ære ad tabernaculi constructionem. Videtur quidem æs pro fortitudine suscipi, & loco poni posse fortitudinis & constantiæ: sed ne quis dicat, hoc diuinare magis est quā explanare, vbi quod dicitur, nō de scripturarum auctoritate munitur, puto ergo æs accipi posse pro voce. Aliud enim est sermo, aliud vox. Sermo dicitur loquela rationi subnixa. Vox verò est (verbi causa) si latine, si græce dicatur, si ele[...]tius, si pressius. Sed hæc necessario vt de scripturis probemus exigitis. Audi quid dicat Apostolus: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum vt æramentum sonans, vt cymbalum tinniens. Ita ergo loqui linguis, & interpretari ex alia in aliam linguam, æris oblatio est. Necesse est enim omnia habere tabernaculum dei, & nihil deesse in domo domini. Est igitur (vt diximus) æris oblatio vox. Vox autem est quæ alterius sensum in alteram linguam vertit. Sermo verò est, qui sensum proprium refert. Omnia ergo offerantur deo, & sensus, & sermo, & vox. Quid M de cæteris dicemus? Multa sunt enim, & singula discutere opus est ingens. Verum quid proderit, vt nostro quidem ingenti labore dicantur, ab occupatis verò auditoribus, & vix vnius horæ puncto verbo Dei assistentibus spernantur, & pereant? Nisi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Veruntamen nos (vt suprà iam dictum est) tradimus ad mensam pecuniam domini, videat enim vnusquisque auditorum, quomodo suscipiat quæ traduntur. Vnusquisque autem, inquit, nostrum, sicut corde cōcepit, offerat initia domino. Quod dixit initia, quæro quæ sint initia auri, vel quæ primitiæ argēti? Quomodo autem de cocco & purpura & bysso videntur conferri primitiæ? Aut quomodo sicut corde conceperit quis offert? Hoc iam singulos nostrum pulsat, videamus simul & quomodo corde cōcepimus. Quanti modo hic præsentes sumus, & sermo dei tractatur? Sunt qui concipiunt corde quæ lecta sunt, sunt qui omnino non concipiunt, quæ dicuntur, sed est mens eorum & cor aut in negociis aut in actibus seculi, aut supputationibus lucri: & præcipue mulieres, quomodo putas corde cōcipiūt, quæ tantū garriunt, quæ tantū fabulis obstrepunt, vt non sinant esse silentium? Iam quid de mēte earum, quid de corde discutiam, si de infantibus suis, aut de lana cogitent, aut de necessariis domus? Vereor magis ne sequantur illas, de quibus dicit Apostolus: Quæ discunt circumire domos, non

Exod. 25. Mat. 25. Vsura verbi Dei. Rom. 10. Psal. 11. Allegoria fine auctoritate scripturæ improbanda. 1. Cor. 13. Mulier in templo garrula. 1. Tim. 5.

A non solū verbosæ, sed & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Quomodo ergo istæ tales corde concipiunt? Non concipiet corde quis, nisi vacet corde, nisi sit mente liber & totus intentus, nisi corde vigilet, non potest corde concipere, & offerre dona deo. Quod si hactenus neglexímus, ex hoc saltem attentiores simus, & sollicite intendamus, vt possimus mente concipere. Iustum est enim, vt in tabernaculo domini inueniatur vnusquisque habere portionem suam. Non enim latet deū vnusquisque quid ei offerat. Quàm gloriosum tibi est, si dicatur in tabernaculo domini: Aurū istud (verbi causa) quo arca testamenti obtegitur, illius est: argētum ex quo bases, & columnæ sunt illius est: de quo anuli, & cādelabrum, & nonnullæ columnarū bases factæ sunt, illius est: sed & lapides isti humeralis, & logij, illius sunt. & purpura qua ornatur pōtifex, illius est, & coccus illius est, & cætera quæque per singula? Et rursum quàm indecorum, quàm miserum erit si dominus veniens requirere ædificium tabernaculi, nihil muneris tui inueniat in eo, nihil à te cognoscat oblatum? Sic indeuotus, sic infidelis vixisti, vt nihil memoriæ tuæ in tabernaculo dei esse gestieris? Sicut enim princeps huius mundi venit ad vnumquemque nostrum, & quærit si quid de suis actibus inueniat in nobis, & si quidē inuenerit, sibi nos vindicat: ita & ecōtrario si veniens dominus inueniat aliquid tuum in tabernaculo suo, sibi te defendit, & suum te dicit. Domine Iesu

B præsta mihi, vt aliquid monumēti habere merear in tabernaculo tuo. Ego optarem (si fieri posset) esse aliquid meū in illo auro. ex quo propitiatorium fabricatur, vel ex quo arca cōtegitur, vel ex quo cādelabrum fit luminis & lucernæ. Aut si aurum nō habeo, aut argentū, saltem aliquid inueniar offerre quod proficiat in colūnas, vel in bases earum. Aut certe vel æris aliquid habere merear in tabernaculo, vnde circuli fiāt, & cætera quæ sermo diuinus describit. Vtinā mihi esset possibile vnum esse ex principibus & offerre gemmas ad ornamentum pontificis humeralis, & logij. Sed quia hæc supra me sunt, certe vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo dei, tantum ne in omnibus ieiunus & infœcundus inueniar. Vnusquisque ergo sicut concepit corde. Videte si concipitis, videte si tenetis, ne forte effluant quæ dicuntur, & pereant. Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: nostris qui diuinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cum suscipitis corpus domini, cū omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parū quid decidat, ne cōsecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiā decidat. Quod si circa corpus eius cōseruandū tanta vtimini cautela, & merito vtimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbū dei neglexisse, quàm corpus eius? Initia ergo iubentur offerre, hoc est primitias: qui offert

Corpus domini.

C quod primum est, necessario habeat ipse quod reliquum est. Vide quantū nos oportet abundare auro, quantum argento, ac reliquis omnibus quæ iubētur offerri, vt & domino offeramus, & nobis supersit. Primo enim omniū debet sēsus meus intelligere deum, & ipsi offerre primitias intellectus sui, vt cum deum bene intellexerit, reliqua cōsequenter agnoscat. Hoc etiam sermo faciat, hoc & omnia quæ in nobis sunt, agant. Sed videamus & cætera, Hyacinthum & purpuram, & coccū duplicatum, & byssum tortā. quatuor ista sunt ex quibus conficiuntur, vel pontificis indumēta, vel cætera quæ ad sacrum parātur ornatum. De his dixerunt quidam ante nos: & sicut non decet aliena furari, ita conueniens puto bene dictis alterius non abuti fatentem. Ista ergo (vt de prioribus visum est) quatuor elementorum, ex quibus & mundus cōstat & corpus humanum, tenent figuram, id est aëris, ignis, aquę, & terræ. Hyacinthus ergo ad aërem refertur, hoc enim ipse indicat color, sicut & coccus ad ignem. Purpura aquæ tenet figurā, quasi quæ de aquis accipiat fucum. Byssus terræ, quia oritur ex terra. Habemus ergo & nos hæc omnia in nobis, & quia ex his primitias domino iubemur offerre, ideo dicit: Sumite ex vobis ipsis, & offerte primitias domino. Verum istud considerandum puto, quod cum de cæteris simpliciter dixit Moyses, tantum de cocco addidit duplicatum, & byssum tortam. Requiritur ergo, cur alias quidem materias, ex quibus & cætera indicantur elementa, simpliciter dixerit: coccum quo ignis designatur, solum posuerit duplicatum. Difficilia hæc ad intelligendum, & ad proferendum multo difficiliora. Veruntamen prout dominus dederit, tentabimus explanare. Oportet enim & dici aliqua, & aliquanta seruari. Videamus ergo qua ratione coccum dixerit duplicatum. Color iste (vt diximus) ignis indicat elemētum. Ignis autem duplicem habet virtutem, vnam qua illuminat, aliam qua incēdit. Hæc est historiæ ratio. Veniamus & ad intellectum alium. Etiam ignis ipse duplex est. Est ignis quidam in hoc seculo, est & in futuro. Dominus Iesus dicit: Ignem veni mittere in terram. Ignis iste illuminat. Itē rursus dominus dicet in futuro operariis iniquitatis: Ite in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Ille ignis incendit. Veruntamen iste ignis, quem venit mittere Iesus, illuminat quidem omnem hominem venientem in hunc mundum, habet tamen aliquid & quod incendat, sicut cōfitentur illi qui dicunt: Nonne cor nostrum ardens erat intra nos, cum adaperiret nobis scripturas? Simul ergo & incēdebat & illuminabat, adaperiens scripturas. Nescio autem si & ille ignis in futuro seculo qui incēdit, habeat aliquid & quod illuminet. Est ergo (vt ostendimus) natura ignis duplex, & ideo iubetur offerri coccus duplicatus. Quomodo ergo nos offerre possumus ignem istum duplicatum ad ædificium tabernaculi, videamus. Si doctor es, extruis tabernaculum ædificans ecclesiam dei: dicit ergo & ad te deus quod & ad Hieremiam dixit: Ecce dedi verba mea in os tuum, id est ignem. Si ergo docens & ædificans ecclesiam dei, increpes tantummodo & arguas & castiges, & peccata populi exprobres, nihil autem consolationis proferas de scripturis diuinis, obscurum nihil

Iosiph. antiq. lib 4.

D

Ignis duplex.

Luc. 12.

Mat. 25.

Ioan. 1.

Luc. 24.

Ignis purgatorij.

Hier. 1.

E explanes, nihil scientiæ profundioris attingas, nec aliquid intelligentię sacratioris aperias, obtulisti quidem coccum, sed non duplicatum. Ignis enim tuus incendit tantummodo, & non illuminat. Et rursum si docens mysteria legis aperias, secretorum arcana discutias, peccantem verò non arguas, neglīgētem non corripias, seueritatem disciplinæ non teneas, obtulisti quidem coccum, sed non duplicatum. Ignis enim tuus tantum illuminat, non accendit. Qui ergo recte offert, & recte diuidit, coccum offert duplicatū, vt cum scientię lumine igniculum seueritatis admisceat. Quid autem sibi velit & byssus torta videamus. Et hic enim dedit aliquid additamenti præ cæteris elementis. Byssum diximus terræ habere formam, quod est caro nostra. Carnem ergo non vult offerri deo fluitātem luxu, & deliciis resolutam, sed torqueri iubet eam & constringi. Quis ergo est qui torquebat carnem suam? Ille nimirum qui dixit: Macero corpus meum, & in seruitutem subiicio, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Sic ergo est offerre & byssum tortam, carnem abstinentia, vigiliis, & meditationum labore conficere. Offeruntur & pili caprarum. Hoc genus pecudis in lege pro peccato iubetur offerri. Pilus verò species est emortua, exanguis & exanimis. Hanc qui offert, ostendit in se sensum peccati iam mortuum, nec in membris suis vltra viuere aut regnare peccatum. Pelles quoque offeruntur arietum. Arietem etiam ante nos quidam pro furore posuerunt. Et quia

Gen. 4.

1. Cor. 9.

Carnis maceratio.

Philo Iudæus.

F pellis mortui animalis indicium est, ostendit in se furorem mortuum qui deo offert arietum pelles. Post hæc: Et viri, inquit, acceperunt à mulieribus suis, omnes quibus visus est sensus, & attulerunt gemmas, & inaures, & annulos, & discriminalia, & dextralia. Vides & hic quomodo illi afferunt dona deo, qui corde vident, qui intellectum corde concipiunt, qui mentem intentam & deditam habent ad verbum dei. Isti ergo afferunt munera, & afferunt etiam à mulieribus suis inaures, inquit, & gēmas & dextralia. Mulieres secundum allegoriam rationem sæpe iam diximus quòd caro accipitur, & vir rationabilis sensus. Bonæ sunt ergo istæ mulieres quæ obediūt viris suis. Bona est caro quæ iam spiritui nō repugnat, sed obtemperat & consentit, & ideo si duobus vel tribus in vobis conuenerit, ex quacūque re petieritis, fiet vobis, dicit dominus. Offerunt ergo à mulieribus suis inaures. Vides quomodo domino offertur auditus. Sed & dextralia domino offerūtur. Opera dextra, & opera bona, quę per carnem gerūtur. Hæc domino offerat rationabilis sensus. Sed & discriminalia offerūtur. Offert discriminalia, qui bene scit discernere quid agēdum sit, quid vitandū, quid deo placeat,

Mat. 18.

G quidúe displiceat, quid iustum sit, quid in iustũ. Ista sunt discriminalia quæ domino offeruntur. Hæ ergo mulieres inaures domino offerunt, quia sunt mulieres sapientes. Venerunt enim, inquit, mulieres sapientes, & fecerunt quæcunque necessaria erant ad indumenta pontificis. Illę verò mulieres quæ inaures suas obtulerunt vt fieret vitulus, insipientes erant, quæ à veritate quidem auerterunt auditum, ad fabulas autem impietatémque se conuerterunt, & ideo obtulerunt inaures suas, vt fieret caput vituli. Sed & in iudicum libro aliud nihilominus idolum inuenimus ex mulierum inauribus factum. Istæ ergo beatæ mulieres, beata ista caro, quæ domino offert inaures suas, & dextralia sua, & anulos suos, & omnia opera manuum suarum quæ in mandatis domini agit. Additur post hæc, quia & apud quem inuenta sunt ligna imputribilia, obtulit deo. Si quis diligit Christum dominum in corruptione, lignum imputribile offert domino. Beatus ergo apud quem inuenitur, vel sensus incorruptus, vel corpus incorruptum, & hoc offert deo. Vnde & bene valde dixit: Apud quem inuenta sunt ligna imputribilia. Non enim apud omnes inueniuntur ligna imputribilia. De auro non dixit neque de argento, apud quem inuentum est. Potest enim apud omnes inueniri sensus & sermo. Sed nec de quatuor coloribus hoc dixit. Omnium nanque est ex quatuor constare secundum corpus elementis.

Iud. 18.

H Ligna autem imputribilia, id est, incorruptionis & virginitatis gratia, apud ratum quenque inueniri potest, sicut & dominus dicit: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sed & principes, inquit, obtulerunt dona sua. Quæ sunt ista dona quæ principes offerunt? Gemmas, inquit, obtulerunt, & lapides Smaragdos, & lapides repletionis, & lapides adhumerales. Lapides repletionis dicuntur, qui ponuntur in logio, hoc est qui in pectore pontificis collocantur, scripti per nomina tribuum filiorum Israel. Hoc quod dicitur logion, id est rationale, qui est pannus exiguus ex auro & gemmis, coloribúsque variis, & superhumerali contra pectus pontificis annectebatur, formam habet sensus rationabilis qui in nobis est. In hoc positi dicuntur lapides repletionis, qui tamen cohærent, & connexi sunt ad lapides humerales, atque ex his continentur adstricti. Humeralis ornatus indicium est actuum bonorum. Actus ergo cum ratione & ratio cum actibus sociatur, vt sit consonantia in vtroque. Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Sit ergo in nobis sermo de actibus pendens, & sermonem actus exornent. Hic enim pontificis refertur ornatus. Sed ad hæc explenda principes requiruntur: iste ornatus eorum est, qui intantum profecerunt, vt præesse populis mereantur. Offerunt etiam oleum principes ad vsus duplices profuturum, lucernis & chrismati. Debet enim lucerna eorum qui populis præsunt, non abscondi, aut sub modio poni, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sed & incensi compositionem principes offerunt, quæ componatur per Moysen in odore suauitatis domino, vt & ipsi dicant, quia Christi bonus odor sumus. Et posteaquam obtulit populus, vocauit, inquit, Moyses omnem sapientem ad fabricandum, & architectum, vt componerent, & fabricarentur singula quæque quæ scripta sunt. Sed & mulieres, inquit, sapientes vocauit, vt facerent quæ conuenirent in tabernaculo domini. Vides hæc omnia quæ fiunt, à sapientibus fieri, & mulieres sapientes vocantur, & viri sapientes. Omnia enim opera domini in sapientia fiunt. L Venit ergo vnusquisq; sapiens sensu, & facit opera domini. Non sufficit nobis si offeramus tantum, sed opus est vt cum sapientia ea quæ in nobis sunt operemur, sciamus miscere aurum cum bysso, & coccum duplicare, vel miscere cum pur pura. Quid enim tibi prodest si habeas hęc, & vti his nescias, neque agnoscas quomodo vnumquodque in suo tempore, & in suo loco aptare debeas & proferre? Et ideo danda nobis est opera, vt sapiẽtes simus, & hæc quæ audimus de scripturis sanctis proferre in tempore & aptare possimus, cõponere atque ex his adornare tabernaculum deo Iacob. Per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Virginitatis gratia. Mat. 19. *Mat. 5.* *2. Cor. 2.*

HOMILIARVM ORIGENIS IN
Exodum Finis.

ORIGENIS TRACTATVS
IN LEVITICVM.

HOMILIA PRIMA SVPER I. CAP.

In Christo duæ sunt naturæ: sic in scripturis duo sensus.

I SICVT in nouissimis diebus verbum dei ex Mariæ carne vestitum processit in hunc mũdum, & aliud quidẽ erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis nanque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita & cum per prophetas vel legislatorem verbum dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur. Vt litera quidem aspiciatur tãquam caro, latens vero intrinsecus spiritalis sensus tanquam diuinitus sentiatur. Tale ergo est quod & nunc inuenimus librum Leuitici reuoluentes, in quo sacrificiorum ritus, & hostiarum diuersitas ac sacerdotum ministeria ascribuntur. Sed hæc secundum literam, que tanquam caro verbi dei est, & indumentũ diuinitatis eius, digni fortasse vel aspiciãt, vel audiãt & indigni. Sed & beati sunt illi oculi, qui velamine literæ obtectum intrinsecus diuinum spiritũ vident, & beati sunt qui ad hęc audiẽda mundas aures interioris hominis deferunt. Alioquin aperte in his sermonibus occidentem literam sentient. Si enim secundum quosdam etiam nostrorum intellectum simplicem sequar, & absque vlla (vt ipsi ridere nos solent) stropha verbi & allegoriæ nubilo vocem legislatoris excipiam, ego ecclesiasticus sub fide Christi viuens, & in medio ecclesiæ positus, ad sacrificandum vitulos & agnos, & ad offerendam similam cum M thure & oleo diuini præcepti auctoritate compellor. Hoc enim agunt, qui deseruire nos historiæ, & seruare legis literam cogunt. Sed tempus est nos aduersus improbos presbyteros vti sanctæ Susannæ vocibus, quas illi quidem repudiãtes, historiam Susannæ de catalogo diuinorum voluminum desecarunt. Nos autem & suscipimus & oportune contra ipsos proferimus, dicentes, Angustiæ mihi sunt vndiq;. Si enim hoc consensero vobis, vt legis literã sequar, mors mihi erit. Si autẽ non consensero, non effugiã manus vestras. Sed melius est me sine vllo gestu incidere in manus vestras, quã peccare in cõspectu domini. Incidamus ergo & nos (si ita necesse est) in obtrectationes vestras, tantum vt veritatem verbi dei sub literæ tegmine coopertam ad Christũ iam dominũ conuersa cognoscat ecclesia. Sic enim dicit Apostolus: Quia si cõuersus quis fuerit ad dominũ, auferetur velamẽ. Vbi enim spiritus domini, ibi libertas. Ipse igitur nobis dominus, ipse sanctus spiritus deprecãdus est, vt omnẽ nebulã, omnẽque caliginem quæ peccatorũ sordibus concreta visum nostri cordis obscurat, auferre dignetur, vt possim⁹ legis eius intelligentiã spiritalẽ, & mirabilẽ contueri, secundũ eum qui dixit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Igitur quã possumus breuiter pauca perstringamus ex multis, non tam singulorũ verborum explanationi studentes, hoc enim facere per otiũ scribentis est, sed quæ ad ædificationem ecclesiæ pertinent proferentes: vt occasiones potius intelligẽtiæ

Nostrorum quidã sensum literalem captabant. *Susannæ historia.* *Dan. 13.* *2. Cor. 3.* *Psal. 118.*

G tiæ auditoribus demus, quã expoſitionũ latitudinẽ proſequamur, ſecundũ illud quod ſcriptũ eſt: Da occaſionem ſapienti & ſapientior erit. Principium ergo Leuitici dicit, quia vocauit dominus Moyſen, & locutus eſt illi de tabernaculo teſtimonij, vt promulgaret filiis Iſrael ſacrificiorum leges & munerũ, & ait: Si homo munus offerat domino, offerat ex bobus vel pecoribus, id eſt, agnis vel hœdis. Si verò ex auibus turtures vel pullos colũbarum. Si verò non homo, ſed anima offerat munus deo, ex ſimila, inquit, offerat panes azymos coctos in clibano, vel certe ſimilã ex ſartagine in oleo cõſperſam, aut ex craticula oleo nihilominus ſubactam. Tum deinde edocemur quia fermentatum nihil omnino oportet offerri ad altare dei, neque mellis quicquam ſacrificiis admiſceri, ſed ſale ſaliri omne ſacrificium vel munus. Secundo in loco de primitiarum præcepit ſacrificiis, quæ recentia toſta bene purgata offerri domino iubet. Poſthæc ſub eadem legis continentia de ſacrificiis ſalutaribus iniungitur, primo ex bobus, ſecundo ex ouibus, in quibus tamen liceat, ſiue in agnis, ſiue in hœdis vel fœminas offerre, vel mares, & nihil præter hæc animalia decernit in ſacrificiis ſalutoribus offerendum. Sed repetamus paululũ, & videamus primo omniũ quidem quod dicit, Homo ex vobis ſi offerat munus, quaſi verò poſſit alius aliquis offerre quàm homo. Et vtique ſuffeciſſet dicere, ſi quis ex vobis offerat munus: ſed nunc dicit, Si homo ex vobis offerat munus. In conſequentibus verò dicit, Si autem anima offerat munus. In poſterioribus porrò, cum ſecundo iam loquitur dominus ad Moyſen, & mandat de ſacrificiis pro peccato offerendis, ita dicit: Si pontifex peccauerit offeratillud & illud. Vel ſi omnis ſynagoga peccauerit, vel ſi principes peccauerint, vel ſi anima vna peccauerit: mandatur ſingulis quibuſque quid offerãt. Quid ergo? inanem putamus eſſe iſtam perſonarum diſtinctionem, vt aliud quidem offerendum ſub hominis appellatione, aliud ſub animæ, aliud ſub pontificis, aliud verò ſub ſynagogæ, aliud etiã ſub principis, vel ſub vnius animæ cognominatione mandetur? Ego interim pro exiguitate ſenſus mei, hoc in loco hominẽ quem appellauit, & primum in omnibus poſuit ad offerẽdum munus deo, intelligendum eſſe omne humanum arbitror genus, & ipſum dici hominem qui holocauſtum offerat vitulum ex bobus ſine macula. Iſte autem vitulus ſine macula, vide ſi nõ ille ſaginatus eſt vitulus quem pater regreſſo ac reſtituto ſibi illo qui perierat filio, quiſque omnem eius ſubſtantiam dilapidauerat, iugulauit, & fecit conuiuium magnũ, & lætitiam habuit, ita vt lætarentur angeli in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Homo ergo iſte qui perierat & inuentus eſt, quoniam nihil habuit propriæ ſubſtantiæ quod offerret, cũcta nãque dilapidauerat viuẽs luxurioſe, inuenit iſtum vitulũ cœlitus quidem miſſum, ſed ex patriarcharum ordine, & connexis ex Abraham generationum, ſucceſſionibus venientem, & idcirco non dixit vitulum & ſiluit, vt videatur vitulus quicunque mandatus, ſed vitulum ex bobus, id eſt ex patriarcharum generatione venientem. Eſt autem maſculus ſine macula. Maſculus verò eſt, qui peccatum quod eſt fœmineæ fragilitatis ignorat. Solus ergo ille maſculus, ſolus ſine macula eſt, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, & qui acceptus contra dominum, offertur ad hoſtium tabernaculi. Ad oſtium tabernaculi non eſt intra oſtium, ſed extra oſtium. Extra oſtium etenim fuit Ieſus, quia in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt. Non eſt ergo ingreſſus tabernaculum illud, ad quod venerat, ſed ad oſtium eius oblatus eſt in holocauſtum, quia extra caſtra paſſus eſt. Nam & illi mali coloni venientem filium patris familiâs eiecerũt foras extra vineam, & occiderũt. Hoc eſt ergo quod offertur ad oſtium tabernaculi acceptum cõtra dominum, & quid tam acceptũ quàm hoſtia Chriſti, qui ſeipſum obtulit deo? Et tamẽ imponent manũ ſuam, inquit, ſuper caput hoſtiæ, & iugulabũt vitulũ contra dominũ, & offerent filij Aaron ſacerdotis ſanguinem, & effundẽt ſanguinẽ ad altare in circuitu quod eſt ad oſtiũ tabernaculi teſtimonij. Poteſt quidem videri ob hoc dictum, quod de filiis Aarõ erant Anna & Caiphas, & cæteri omnes qui conſilium agentes contra Ieſum pronunciauerũt eum reum mortis, & effuderunt ſanguinem eius circa baſim altaris tabernaculi teſtimonij. Ibi enim effunditur ſanguis, vbi erat altare, & baſis eius, ſicut ipſe dominus dixit: Quia non capit perire prophetam extra Hieruſalem. Poſuit ergo & manum ſuam ſuper caput vituli: hoc eſt peccata generis humani impoſuit ſuper caput ſuum. Ipſe eſt enim caput corporis eccleſiæ ſuæ. Sed & hoc fortaſſe non ſine cauſa ſit, quod cum ſuperius dixiſſet, applicabit eum ad oſtium tabernaculi teſtimonij, in poſterioribus repetit, & iterum dicit, ad altare quod eſt ad oſtium tabernaculi teſtimonij, quaſi non eundem locum ſub eadem narratione ſemel deſignaſſe ſuffecerit. Niſi quia forte hoc intelligi voluit, quod ſanguis Ieſu nõ ſolum in Hieruſalem effuſus eſt, vbi erat altare, & baſis eius, & tabernaculum teſtimonij, ſed & quod ſuper illud altare quod eſt in cœlis, vbi & eccleſia primitiuorum eſt, idẽ ipſe ſanguis aſperſus erit, ſicut & Apoſtolus dicit: Quia pacificauit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Recte ergo ſecundo nominat altare, quod eſt ad oſtium tabernaculi teſtimonij, quia non ſolum pro terreſtribus, ſed etiam pro cœleſtibus oblatus eſt hoſtia Ieſus, & hic quidem pro hominibus ipſam corporalem materiam ſanguinis ſui fudit, in cœleſtibus verò miniſtrantibus (ſi qui illi inibi ſunt) ſacerdotibus, vitalem corporis ſui virtutem, velut ſpiritale quoddam ſacrificium immolauit. Vis autẽ ſcire quia duplex hoſtia in eo fuit, conueniens terreſtribus, & apta cœleſtibus? Apoſtolus ad Hebræos ſcribens dicit: Per velamen, id eſt carnem ſuam. Et iterum interius velamen interpretatur cœlum, quod penetrauit Ieſus, vt adſiſtat nunc vultui dei pro nobis, ſemper, inquit, viuens ad interpellandum pro his. Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut pontifex ingreſſus eſt Ieſus, conſequenter & ſacrificium duplex intelligendum eſt, per quod & terreſtria ſaluauerit & cœleſtia. Deniq; & ea quæ ſequuntur, plus cœleſti ſacrificio quàm terreno videntur aptanda. Et decoriantes, inquit, holocauſtum diuident illud membratim, & imponent filij Aarõ ſacerdotis ignem ſuper altare, & conſtipabunt ligna in ignem, & imponent filij Aaron ſacerdotis diuiſa mebra, & caput, & adipes, & ligna quæ ſunt ſuper altare. Interanea verò & pedes lauabunt aqua, & imponet ſacerdos omnia ſuper altare, hoſtia eſt & ſacrificium odor ſuauitatis domino.] Quomodo decorietur caro verbi dei, quod hic vitulus nominatur, & quomodo mẽbratim diuidatur à ſacerdotibus, operepreciũ eſt aduertere. Ego puto quod ille ſacerdos detrahit corium vituli oblati in holocauſtum, & deducit pellem qua membra eius conteguntur, qui de verbo dei abſtrahit velamen literæ, & interna eius quæ ſunt ſpiritalis intelligentiæ membra, denudat: & hæc membra verbi interioris ſcientiæ, non in humili aliquo loco ponit, ſed in alto & ſancto, id eſt ſuper altare collocat: cum non indignis hominibus, & humilem vitam ac terrenam ducentibus pandit diuina myſteria, ſed illis qui altare dei ſunt, in quibus ſemper ardet diuinus ignis, & ſemper conſumitur caro. Super hos ergo tales membratim diuiſus iſte holocauſti vitulus collocatur. Diuidit namque membratim vitulum, qui explanare per ordinem poteſt, & competẽti diſtinctione diſſerere, qui ſit profectus, Chriſti ſimbriam contigiſſe: qui verò pedes eius lauiſſe lacrymis, & capillis capitis extersiſſe: quanto autem iis potius ſit caput eius vnxiſſe myrrha: ſed & in pectore eius recubuiſſe quid habeat eminẽtiæ. Horum ergo ſingulorum cauſam diſſerere, & alia quidem incipientibus, alia verò iis qui iam proficiunt in fide Chriſti, alia autem illis qui iam perfecti ſunt in ſcientia & charitate eius, aptare, hoc eſt membratim vitulum diuiſiſſe. Sed & qui nouit oſtendere quæ fuerint legis principia, qui etiam in prophetis profectus acceſſerit, quæ verò in Euangeliis plenitudo perfectionis habeatur: vel qui docere poteſt, quo verbi lacte alendi ſunt paruuli in Chriſto, & quo verbi holere refouendi ſint qui infirmantur in fide, quis etiam ſit, cibus ſolidus & fortis, quo impinguandi ſint athletæ Chriſti: qui hæc ſingula nouit ſpiritali ratione diuidere, poteſt huiuſmodi doctor ille ſacerdos videri, qui imponit ſuper altare holocauſtũ per mẽbra diuiſũ. Addit & ligna altari, quo ignis animetur, & ardeat is à quo non ſolum de corporalis virtutibus Chriſti, ſed etiã de diuinitate eius ſermo miſcetur. De ſurſũ enim eſt

Marginalia (left): *Satrificia ſalutaria vocat pacificaquæ pro obtinenda vel iam obtenta pace atque adeò beneficio quolibet offerebantur.* — *Leuit. 1.* H — *Leuit. 4.* — *Vitulus in ſacrificiis Chriſtus.* *Luc. 15.* — I — *Chriſtus ſolus ſine peccato.* *Eſ. 53* — *Heb. 13* — *Annas & Caiphas.*

Marginalia (right): K — *Eph. 1.* — *Caue. niſi cœleſte ſacrificium vocet incruentũ in Eucharistia, Terrenum cruentum in cruce, aut hæc pertineat ad mediationem Christi in cælo.* — *Ibidem.* *Heb. 10. 6.* L — *Caro Chriſti Vitulus* — M — *1. Cor. 3.*

G diuinitas Christi, quò ignis iste festinat. Conuenienter ergo omnia hæc quæ in corpore à saluatore gesta sunt, cœlestis ignis absumpsit, & ad diuinitatis eius naturam cuncta restituit. Lignis tamen adhibitis ignis iste succenditur. Vsque ad lignum enim carnis passio fuit Christi. Vbi autem suspensus in ligno est, dispensatio carnis finita est. Resurgens enim à mortuis ascendit in cœlum, quo iter eius natura ignis ostendit. Vnde & apostolus dicebat. Quia & si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. *2.Cor. 3.* Holocaustum nanque carnis eius per lignum crucis oblatum, terrena cœlestibus, & diuinis humana sociauit. *Aqua sacrificiorum figura baptismi.* Interanea sanè cum pedibus aqua dilui iubet sermo præcepti, sacramentum baptismi sub figurali prædicatione denuncians. Nam interanea diluit, qui conscientiam purgat. Pedes abluit, qui consummationem suscipit sacramenti, & scit quia qui mundus est non indiget nisi vt pedes lauet, & *Ioan. 13.* quia partem quis habere non potest cum Iesu, nisi lauerit pedes eius. *Moralis sensus.* Verum si hæc etiam ad moralem locum inclinare velis, habes & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valde superbus, caro tua: quam si vis munus domino offerre, vt eam castam pudicámque custodias, adhuc eam ad ostium tabernaculi, id est, vbi diuinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit munus tuum, fœminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle. H Impone etiam manum tuam super hostiam tuam, vt sit accepta domino, & iugula illam contra dominum, hoc est impone ei continentiæ frenum, & manum disciplinæ ne auferas ab ea, sicut *1.Cor.9.* imposuit manum carni suæ ille qui dicebat: Macero corpus meum & seruituti subiicio, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Et iugula eam contra dominum, mortificans, sine dubio membra tua quæ sunt super terram. Sed & filij Aaron sacerdotis offerant sanguinem eius. Sacerdos in te est, & filij eius, mens quę in te est & sensus eius, qui merito sacerdos, & filij sacerdotis appellantur: soli enim sunt qui intelligunt deum, & capaces sunt scientiæ dei. *Rom.12.* Vult ergo sermo diuinus, vt rationabili sensu carnem tuam in castitate offeras deo: secundum quod apostolus dicit, Hostiam viuam, sanctam, placentem deo, rationabile obsequium vestrum. Et hoc est per sacerdotem vel filios sacerdotis offerre sanguinem ad altare, cum & corpore & spiritu quis castus efficitur. Sunt enim & alij, qui offerunt quidem holocaustum carnem suam, sed non per ministerium sacerdotis. *Mal.2.* Nō enim scientes, nec secundum legem quæ in ore sacerdotis est offerunt, sed sunt quidem casti corpore, anima autem inueniuntur incesti. Aut enim gloriæ humanæ concupiscentia maculantur, aut cupiditate auaritiæ polluuntur, aut inuidiæ ac liuoris infelicitate sordescunt, vel furentis odij & iræ immanitate vexantur. Quicunque ergo tales sunt, licet corpore casti sint, tamen non offerunt holocausta sua per manus & I ministeria sacerdotis. Non est enim in eis consilium, & prudentia, quæ sacerdotio fungitur apud deum: sed sunt ex illis quinque virginibus stultis, quæ virgines quidem fuerunt, & castitatem corporis seruauerunt, oleum autem charitatis, & pacis, & reliquarum virtutum, in vasis suis condere nescierunt, & idcirco exclusæ sunt à thalamo sponsi: quoniam sola carnis continentia ad altare dominicum non potest peruenire, si reliquis virtutibus & sacerdotalibus ministeriis deseratur. Et ideo qui hæc legimus vel audimus, in vtranque partem operam dare debemus, casti esse corpore, recti mente, mundi corde, moribus emendati, proficere in operibus, vigilare in scientia, fide, & actibus, gestis, & intellectibus esse perfecti, vt ad similitudinem hostiæ Christi conformari mereamur. Per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, per quem deo patri omnipotenti cum sancto spiritu est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De sacrificiorum ritu, hoc est de muneribus salutaribus, & pro peccatis: & quomodo offert pontifex pro peccato suo, & pro peccato synagogæ, vel pro anima quæ ex populo terræ peccauerit non voluntate. Leuit. Cap. I. & II. Homilia II.

K SVPERIOR quidem de principio Leuitici disputatio edocuit nos legem sacrificiorum, quæ munera appellantur, vt si homo munus offerat ex animalibus, id offerret ex bobus, vel ouibus, *Quinque genera animalium sacrificijs apta.* vel etiam capris. Si verò ex auibus, turturum par, aut duos pullos columbinos adhiberet. Si vero anima offerat munus, similam offerret ex clibano, id est panes ex simila azymos, aut similam oleo conspersam ex sartagine vel etiam craticula. Si autem sacrificium offerat primitiarum, de primitiis frugum, vt simila sit recens, id est noua, igni quoque eam torreri vult, & medio fractam esse, ne multum minutatum sit, quia primitiæ sunt, & bene purgata sit. Oleum quoque & thus vt imponatur super eam, & sic offeratur. *Sacricium salutare pacificum.* At verò si quis offerat sacrificium salutare, ex bobus iubetur offerre, vel etiam ex ouibus siue capris, & exceptis his nullum aliud sacrificij genus substituitur in salutaribus hostiis. Nam pro peccatis non voluntariis, generaliter quidem anima iubetur offerre, & post hæc per diuersas itur, variásque personas: & iubetur, si quidem pontifex sit qui deliquit, & offert sacrificium pro peccato, vt vitulum in holocaustum offerat, sed nō eo ritu, quo illum pro munere obtulit. De hoc enim tantum adipes, & duos renes cum adipibus suis, & adipem qui tegit interiora, imponet super altare holocaustorum. De sanguine quoque eius intingens digitum suum, respergit septies contra dominum, & linit ex eo cornua altaris incensi. Cæteras autem carnes cum corio, & interaneis, & stercore extra castra igni cremari iubet in loco mundo. L Obseruandum sanè est, quod in peccato pontificis non addidit legislator, quia per ignorantiam, aut non voluntate peccauerit. Neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui vt cæteros doceret, prouectus est. Si autem totius synagogę peccatum fuerit, vitulum nihilominus in holocaustum synagoga iubetur offerre. Sed in peccato synagogæ dicitur, si ignorauerit, & latuerit verbum ab oculis synagogæ, & fecerit vnum ab omnibus mandatis domini, quod non fiet. Vnde apparet etiam omnē synagogam posse delinquere per ignorantiam. Quod & dominus confirmat in euangeliis cum dicit: Pater remitte illis, *Luc.23.* non enim sciunt quid faciunt. *Principis sacrificium.* Quod si princeps fuerit qui offert hostiam pro peccato, hircum ex capris iubetur offerre, non holocaustum, sed tantum vt de sanguine eius imponat sacerdos super altare, & omnem adipem eius offerat in altari: reliquum autem sacerdotibus remanet ad edendum, sanguine tātum ad basim altaris effuso. Si verò anima fuerit, inquit, vna quæ offert pro peccato, capram fœminā offerat: ritu scilicet eodem, quo hircum superius diximus immolatū. Quod si non valuerit, inquit, manus eius ad capram, vel ad agnum, par turturum offerat, aut duos pullos columbarum. Quod si nec hoc inueniet, decimam partem offæ similaginis sine oleo & sine thure mandatur offerre. Hæc quidem nobis singula priori lectione recitata sunt, verum explanatio eorum, quoniam tempore excludebamur, omissa M est, de qua nunc paucis commonere studiosos quosque, & eos qui etiam præteritarum meminerint lectionum, absurdum non puto, quanquam ad ea quæ nuper recitata sunt, vrgeamur. Et primo velim videre quæ sit ista differentia, quod alia quidem hominem dicit offerre, alia animam, alia pontificem, alia synagogam, alia principem, alia vnam animam ex populo terræ. *Sacrificiorū moralis interpretatio.* Et puto quidem hominem illum debere intelligi, qui ad imaginem & similitudinem dei factus, rationabiliter viuit. Hic verò munus offert deo vitulum, cum carnis superbiam vicerit. Ouem, cum irrationabiles motus insipientésque correxerit. Hœdum, cum lasciuiam superauerit. Offert etiā par turturum, cū non fuerit solus, sed mentem suā verbo dei velut viro coniugi sociauerit, sicut hoc genus auium, vnum dicitur & castum seruare cōiugium. Offert etiā & duos pullos columbarum, cum & ipse intellexerit mysterium, quo oculi sponsæ sicut columbæ dicuntur ad plenitudines aquarum, & collum eius sicut turturis. *Cant.1.* Hæc ergo sunt hominis secundū quod suprà exposuimus, munera. Animæ autem munera, longe inferiora describit. Anima hæc neque vitulum habet, neque ouem, neq; hœdū quē offerat deo: sed ne par quidem turturum, aut duos pullos inuenit columbarum. Similam tantum habet, ex ipsa panes azymos offert à clibano,

clibano,ex ipsa in sartagine opus factũ, vel in craticula oleo permixtum. Videtur mihi hæc quæ anima appellata est, homo ille, quem Paulus animalem hominem nominat, intelligendus: qui etiam si peccatis non vrgeatur, nec sit præceps ad vitia,non tamen habet aliquid in se spiritale, & quod figuraliter carnes verbi dei reputentur. Sic enim de eo ipse Paulus Apostolus dicit: Quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere,quia spiritaliter dijudicatur. Spiritalis autẽ examinat omnia. Iste ergo qui anima nominatur, non potest offerre omnia, quia examinare non potest omnia: sed offert solam similam & panes azymos, id est, communem hanc vitam, verbi gratia, in agricultura, aut in nauigando,aut in aliquibus communis vitæ vsibus posita, offert tamen etiam ipsa munus deo,licet solam similam dicatur offerre oleo tantum conspersam. Omnis enim anima eget oleo diuinæ misericordiæ, nec præsentem vitam euadere quispiã potest,nisi ei oleum cœlestis miserationis adfuerit. Secundo in loco,primitiarum,id est de initiis frugum mandatur oblatio. Quod si bene meministis,in die Pentecostes fieri lex iubet. In quo illis planè vmbra data est,nobis autem veritas reseruata est. In die enim Pentecostes oblato orationum sacrificio, primitias aduenientis sancti spiritus apostolorum suscepit ecclesia. Et vere hæc fuerunt recentia,quia erat nouum,vnde & musto repleti dicebantur. Igni tosta. Igneæ nãque linguæ supra singulos consederunt. Et medio fracta. Frangebantur enim media, cum litera separabatur à spiritu. Et bene purgata. Purgat nanque omnes sordes præsentia sancti spiritus,remissionem tribuens peccatorum. Oleum quoque misericordiæ huic sacrificio infunditur, & thus suauitatis,per quod Christi bonus odor efficimur. Post hæc de sacrificiis salutaribus dicit,quæ ex animalibus,id est bobus,vel capris,atque ouibus offeruntur,& nihil his vltra substituitur ad immolandum,sed ne de auibus quidem, quæ superius in offerendis muneribus fuerant substitutæ. Iste enim qui salutares hostias offert,sine dubio iam suæ salutis est conscius: & ideo qui ad salutẽ peruenit,necesse est vt quæ magna & perfecta sunt offerat. Sic enim & apostolus dicit: Perfectorum autem est cibus solidus. Dehinc ad offerendas pro peccatis victimas sacrificiorum ordo dirigitur, in quo & secundo dicitur. Locutus est dominus ad Moysen,dicens: Anima quæcunque peccauerit coram domino,non voluntate. Recte animam dicit, quam peccare describit. Non enim spiritum vocasset, quem diceret peccatorem. Sed ne hominem quidem hunc diceret,in quo nequaquam imago dei peccato interueniente constaret. Non ergo est spiritus ille qui peccat. Fructus enim spiritus est (vt describit Apostolus) charitas, gaudium,pax,patientia.& cætera his similia, quæ etiam fructus vitæ appellantur. Denique & alibi dicit. Qui seminat in carne,de carne metet corruptionem: & qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Quoniam ergo alius est qui seminat,& alius est in quo seminatur, seminatur autem vel in carne cum peccatur vt metatur corruptio,vel in spiritu cum secundum deum viuitur vt metatur vita æterna: constat animam esse,quæ vel in carne,vel in spiritu seminat, & illam esse quæ vel in peccatum ruere possit, vel conuerti à peccato. Nam corpus sequela eius est ad quodcunque delegerit: & spiritus dux eius est ad virtutem,si eum sequi velit. Sed hęc generaliter dicta sunt,nunc verò per species diuidũtur. Si pontifex,inquit,qui vnctus est peccauerit, & populum fecerit peccare,offerat pro peccato suo vitulum de bobus sine macula domino. Terror simul & misericordia in diuinis legibus ostentatur. Itá ne tandem nihil tutum est, nec pontifex quidem? & qui pontifex? Ipse qui vnctus est,ipse qui sacris ignibus diuina succendit altaria, qui deo munera & salutares hostias immolat: qui inter deum & homines medius quidam repropitiator interuenit,nec iste inquam ipse immunis manet à cõtagione peccati. Sed vide misericordiam dei, & plenius eam, Paulo docente,cognosce. Ipse enim ad Hebræos scribens dicit: Omnis nanque pontifex ab hominibus adsumptus,pro hominibus constituitur ad offerendas hostias deo. Et paulo post: Lex,inquit,homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes,vt possint sicut pro sua, ita etiam pro populi infirmitate offerre. Vides ergo dispensationem diuinæ sapientiæ. Sacerdotes statuit,non eos qui omni modo peccare non possent,alioquin non essent homines, sed eos qui imitari quidem debeant illum,qui peccatum non fecit. Offert autem hostias primo pro suis,postea pro populi delictis. Sed quid præcipue in huiusmodi sacerdote mirandum est? non vt non peccet, quod fieri non potest, sed vt agnoscat & intelligat peccatum suum. Nunquam enim se emendat, qui peccasse se non putat. Simul quia & facilius potest indulgere peccantibus,is qui alicuius infirmitatis suę conscientia remordetur. Quæ est autem oblatio sacerdotis pro peccato? Vitulus,inquit,ad holocaustũ. Secundo inuenimus offerri à pontifice vitulum in holocaustum,semel pro munere, semel pro peccato. Sed ille qui offertur in munere super holocausti altare consumitur. Qui verò pro peccato, extra castra, cũ corio,& interaneis ac stercore,in loco mundo iubetur exuri, adipibus solis in altare oblatis & renibus. Quæ singula diuidere ac discernere,quamuis & supra nostras vires sit, & supra auditum vestrum,tamen aliquas vobis ad intelligendum occasiones conquirere, atque in medium proferre tentabimus. Vide ergo ne forte Iesus quem Paulus dicit pacificasse per sãguinem suum non solum quæ in terris, sed & quæ in cœlis sunt,idem ipse sit vitulus,qui in cœlis quidẽ non pro peccato,sed pro munere oblatus est,in terris autem vbi ab Adã vsque ad Moysen regnauit peccatũ,oblatus sit pro peccato, & hoc est passum esse extra castra. Extra illa, opinor, castra, quæ viderat Iacob,angelorũ dei castra cœlestia. De quibus scriptũ est in Genesi: Et suspiciens Iacob vidit castra dei in apparatu, & occurrerunt illi angeli dei, & dicit Iacob cùm videret eos, castra dei sunt hæc. Extra illa ergo castra cœlestia est omnis, in quo habitamus nos, locus iste terrenus in quo in carne passus est Christus. Quod verò dicit,quia cum stercore exuritur & interaneis, vide ne forte ad cõparationem cœlestiũ corporum, corpus istud humanæ naturæ, stercus figuraliter appelletur. Terra enim est, & de terra sumptum. Sed & cophinus ille stercoris qui ad radices succidendæ ficulneæ mittitur,quid aliud quã mysterium susceptæ in corpore dispensationis ostendit? Nec tamen ei interanea deesse dicuntur. Quamuis enim vilem serui gesserit formam, plenitudo tamen in eo diuinitatis habitabat. Hæc quãuis audacter discussa sint, tamen fideliũ quorunque nutriri semper ad maiora debet auditus. Eadem quoque etiam de synagogæ vitulo accipienda sunt. In morali autem loco potest pontifex iste sensus pietatis & religionis videri,qui in nobis per orationes & obsecrationes quas deo fundimus,velut quodam sacerdotio fungitur. Hic si in aliquo deliquerit, omnem continuo quĩ intra nos est bonorum actuum peccare populum facit. Neque enim recti operis aliquid gerimus, cum in prauum declinauerit dux bonorum operum,sensus, & ideo ad huius emẽdationem non qualiscunque hostia, sed ipsius saginati vituli requiritur sacrificium. Similiter & synagogæ culpa, hoc est, omnium quæ intra nos sunt virtutum emendatio, non aliter quàm ex Christi mortificatione reparatur. Si verò princeps, inquit, peccauerit,hircum offerat ex capris. Princeps iste potest videri vis rationis quæ intra nos est. Quæ si peccet in nobis, & stultum aliquid agamus, pertimescenda nobis est illa sententia Saluatoris, quæ dicit: Vos estis sal terræ. Si autem sal infatuatum fuerit, ad nihil valet nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Habet ergo & iste hostiam suam. Sed & anima, inquit, vna si peccauerit, caprã fœminam similiter offerat,secundum illam substitutionem hostiarum,quam superius memorauimus. Sed fortasse dicãt auditores ecclesię. Melius ferè agebatur cũ antiquis,quã nobiscũ,vbi oblatis diuerso ritu sacrificiis, peccãtibus venia præstabatur. Apud nos vna tantũmodo venia est peccatorũ, quę per lauacri gratiã in initiis datur. Nulla post hæc peccãti misericordia,nec venia vlla cõceditur. Decet quidem districtioris esse disciplinæ Christianum, pro quo Christus oblatus est. Pro illis oues, hirci, boues iugulabantur & aues, & simila conspergebatur: pro te Dei filius iugulatus est, & iterum te peccare delectat? Et tamen ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quàm pro desperatione deijciant, audisti quanta sint in lege sacrificia pro peccatis, audi nunc quantæ

Margin notes: 1.Cor.2 — Omnes egent misericordia dei. — Act.2 — Heb.5 — Leuit.4 — Gal.5 — Gal.6 — Hebr.5.7 — Agnitio peccati ducit ad emẽdationem. — Ephes.1 — Caue. — Gen.32 — Moralis interpretatio — Matth.5 — Meliúsne agebatur cum antiquis,quàm nobiscum.

Septem modi remittẽdi peccata. Luc.11. Baptismus. Martyriũ. Eleemosyna Mat.6. parcere in nos peccantibus. Conuertere impium. Iacob.5.

G sint remissiones peccatorum in Euangelijs. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrij. Tertia est, quæ pro eleemosyna datur. Dicit enim Saluator: Veruntamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quarta nobis fit remissio peccatorum, per hoc quod & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit ipse Dominus & Saluator noster, quia si dimiseritis fratribus vestris ex corde peccata ipsorum, & vobis remittet pater vester peccata vestra. Quod si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet pater vester: & sicut in oratione nos dicere docuit, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Quinta remissio peccatorum est, cum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ suæ. Ita enim dicit scriptura diuina, quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. Sexta quoque fit remissio per abundantiam charitatis, sicut & ipse Dominus dicit: Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. & Apostolus dicit: Quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum. Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiũt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, &

Charitas. Luc.7. Pœnitentia 1.Pet.4.

H quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiæ, & imponant ei manus, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Et tu ergo cum veneris ad gratiam baptismi, vitulum obtulisti, quia in morte Christi baptizaris. Cum verò ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia auctorem peccati diabolum iugulasti. Cum verò eleemosynam feceris, & erga indigentes affectum misericordiæ sollicita pietate dependeris, altare sacrum hœdis pinguibus onerasti. Nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore deposito, mitem intra te & simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem, vel agnum in sacrificium obtulisse confide. Porrò autem si diuinis lectionibus instructus meditando sicut columba, & in lege Domini vigilando die ac nocte, ab errore suo conuerteris peccatorem, & abiecta nequitia ad simplicitatem eum colũbæ reuocaueris, atque adhærendo sanctis, feceris eum societatem turturis imitari, par turturum aut duos pullos columbarum Domino obtulisti. Quod si illa quæ spe & fide maior est charitas, abundauerit in corde tuo, ita vt diligas proximum tuum non so-

Psal.32. Confessio sacramẽtalis. Iacob.5. Alludit ad impositionẽ manuũ, quã sacerdos adhibet in absolutione confess. Aliqui in exẽplarib' nostris legitur, Et orent super eum.

I lum sicut teipsum, sed sicut ostendit ille qui dicebat: Maiorem hanc charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, panes similagineos in charitatis oleo subactos, sine vllo fermento malitiæ & nequitiæ, in azymis sinceritatis & veritatis te obtulisse cognosce. Si autem in amaritudine fletus fueris luctu, lachrymis & lamentatione confectus, si carnem tuam maceraueris, & ieiunijs ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris, quia sicut frixorium confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium similam à sartagine, vel à craticula obtulisse te noueris: & hoc modo inueniris tu verius, & perfectius secundum Euangelium offerre sacrificia, quæ secundum legem iam offerre non potest Israel. Sed videamus quid etiam de his quę nuper recitata sunt, sentiendum sit. Si autem, inquit, vna anima peccauerit nolens ex populo terræ, faciendo vnum ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, & deliquerit, & notum factum fuerit illi peccatum quod peccauit, adducet donum suum capram de hœdis, fœminam sine macula adducet pro peccato quod peccauit.] Et omnem post hæc sacrificij ritum, secundum quod supra exposuimus, enarrauit. De anima quam sub peccato factam dicit offerre, qualiter sentiendum sit, in superioribus (prout potuimus) explanauimus: quod verò in hoc loco addidit, dicens, Anima si peccauerit ex populo terræ, non mihi videtur ociosum. Quis enim dubitaret, quin ea quæ dicit lex, ad animas, vel ad populum, qui sunt in terra, dicerentur? Quid ergo necessarium fuit, vt ad hoc quod dixit, anima vna si peccauerit, adderet ex populo terræ? Sed videndum est, ne

Ioan.15.

K forte ad distinctionem alterius populi qui non est de terra, hæc anima quæ peccauit, de populo terræ esse dicatur. Neque enim conuenire dictum hoc potest illi, qui dicebat: nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum. Quomodo ergo istam animam merito dixerim de populo terræ, quæ nihil habet commune cum terra, sed tota in cœlis est, & ibi conuersatur vbi Christus est in dextra Dei sedens, quo & redire desiderat, & esse cum Christo, multo enim melius, sed permanere in carne necessarium dicit propter nos? Hæc enim anima quæ peccat, de populo terræ est, faciens vnum ab omnibus mandatis Domini, quod non fiet. Diu me in hoc sermone quidam stupor attonitum tenuit: Non enim consequẽter dictum video, quod peccauerit anima; & fecerit vnum ex mandatis Domini quod non fiet. Si enim mandatum Domini est, quomodo fieri non debuit, cum vtique ad hoc dentur mandata Domini, vt fiant? Et quomodo hic dicitur peccasse animam quæ fecerit vnum de mandatis Domini, quod non fiet? Et fortassis aliquibus videbitur errorem locutionis per interpretes factum: sed mihi curiosius inquirenti, compertum est omnes interpretes similiter protulisse, & ideo non elocutio-

Phil.1.

L nis error, sed profundioris intelligentiæ requirendus est sensus. Inquantum ergo nobis occurrere potest, hæc mihi videtur absolutio. Mandata Domini quædam data sunt vt fiant, quædam vt non fiant. Sed ea quæ fieri debent, necessitas poposcit humana, vt inserta illis proferrentur, quæ fieri non deberent. Verbi gratia (vt de his ipsis quæ nunc habemus in manibus, sacrificijs proferamus exemplum) Agnus immolari iubetur in Pascha, non quòd vere agni hostiam per singulos annos requireret Deus, sed quòd significaret immolari debere illum agnum, qui tolleret peccata mundi. Hoc ergo fieri voluit, illud noluit, Sic enim per Esaiam dicit: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustis arietum, & adipem agnorum, & sanguinem hircorum, & taurorum nolo. Audisti quomodo non vult hostiam arietum, nec adipes agnorum? dedit tamen mandatum quomodo vel taurorum vel agnorum hostia deberet offerri. Sed qui legem spiritaliter intelligit, spiritaliter hæc quærit offerre. Si verò quæ secundum speciem mandati carnalis obtulerit, hæc anima vna ex populo terræ, quæ peccauit nolens faciendo vnum ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, & deliquit, & ideo adiungit in subsequentibus: Et cum notum factum fuerit illi peccatum quod peccauit, adducet munus suum ante Deum. Debet enim munus offerre anima, cum ei innotuerit, quia Deus non quærit carnale sacrificium. Quia sacrificium Deo est spiritus con-

Cõsulit interpretes. Exod.12. Esa.1. Psal.51.

M tribulatus. Notum fit ergo ei peccatum suum, cum didicerit à Domino dicente: Misericordiam malo quàm sacrificium: & cum agnouerit immolare sacrificium laudis in ecclesia, & reddere altissimo vota sua, per Christum Dominũ nostrum, cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Osee 6.

De eo quod scriptum est. Si autem anima peccauerit, & audierit vocem iuramenti, & hic testis sit aut viderit, aut conscius fuerit, si non indicauerit, & ipsa accipiet peccatum eius. Et anima quæcunque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum, aut à fera captum, &c.

Leuit. Cap. III. Homil. III.

DE sacrificijs quæ offeruntur ab his qui per ignorantiam, vel qui non voluntate peccauerint, sermo est. Vnde & in superioribus, cum de pontificis sacrificio diceremus, obseruauimus non esse scriptum de eo, quia ignorauerit. Sed si quis bene meminit eorum quæ dicta sunt, potest nobis dicere, quia sacrificium quod pontificem pro peccato diximus obtulisse, figuram Christi tenere posuimus, & conueniens non videbitur vero Christo qui peccatum nescit, vt pro peccato dicatur obtulisse sacrificium, licet per mysterium res agatur, & idem ipse pontifex, idem ponatur & hostia. Vide ergo si & ad hoc possumus hoc modo occurrere, quia Christus peccatum quidem non fecit, peccatum tamen pro nobis factus

Christus idem pontifex & hostia.

A factus eſt: dum qui erat in forma dei, in forma ſerui eſſe dignatur: dum qui immortalis eſt, moritur, & impaſſibilis patitur,& inuiſibilis videtur, & quia nobis hominib⁹ vel mors, vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione ſuperducta eſt: ipſe etiam qui in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu repertus vt homo, ſine dubio pro peccato quod ex nobis ſuſceperat,quia peccata noſtra portauit, vitulum immaculatum, hoc eſt carnem incontaminatam obtulit hoſtiam Deo.Sed quid faciemus de eo, quod in ſequentibus iungitur? Vbi enim dicit:Si quidem pontifex qui vnctus eſt, peccauerit, ibi additur:Vt populum faceret peccare, offeret pro peccato ſuo. Quomodo ergo conueniet,quia per carnē ſuam,quàm ſuſcepit ex nobis Ieſus,ipſe peccatum factus eſt, peccare fecerit populum? Auſculta & de hoc, ſi forte cum aliqua conſonantia poſſumus reſpondere:Paſſio Chriſti credentibus quidem vitam,mortem verò non credentibus confert.

Paßio Chriſti vita & mors.

Quamuis enim ſalus gentibus ſit per crucem eius, & iuſtificatio, Iudæis tamen interitus eſt,& condemnatio. Sic enim & ſcriptum eſt in Euangelio: Ecce hic natus eſt ad ruinam,& reſurrectionem multorum.

Luc. 2

Et hoc modo per peccatum ſuum,hoc eſt per carnem in crucem actam,in qua noſtra peccata ſuſceperat,nos quidem credētes liberauit à peccato:populum verò non credentem peccare fecit,quibus ad incredulitatis malum, etiam ſortilegij acceſſit impietas. Et hoc modo pontifex iſte per ſuum peccatum peccare populū B fecit,dum in carne poſitus,& teneri potuit,& occidi. Nā ponamus(verbi gratia) ſi dominus maieſtatis nō veniſſet in carne,non arguiſſet Iudæos,non eis fuiſſet grauis etiam ad vidēdum, non vtique teneri potuiſſet, & neque ad mortem tradi: nunquam ſine dubio veniſſet ſanguis eius ſuper ipſos, & ſuper filios eorum.Sed quia venit in carne,& pro nobis peccatum factus eſt, & hæc pati potuit,idcirco ipſe dicitur peccare populum feciſſe,qui fecit eum in ſe poſſe peccare.

Quo ſenſu Chriſtus dicatur peccare feciſſe Iudæos.

Sed videamus iam quid agit & iſta anima,quæ audit vocem iuramenti,& teſtis eſt,vel quæ vidit aliquid,& conſcia eſt,& nō indicat:ex quo accepit etiam ipſa peccatū eius ſine dubio,qui inique aut egit aliquid,aut iurauit. Hoc etiam ſecundum hiſtoriam nos ędificat, & docet,ne vnquam in peccatis alterius polluamus conſcientias noſtras, ne conſenſum male agentibus præbeamus. Conſenſum autem dico, non ſolum pariter agendo,ſed etiam quæ illicite geſta ſunt,reticendo.

Conſenſus duplex.

Vis autē ſcire quia conſentiant hæc etiam euangelicis præceptis? Ipſe dominus dicit:Si videris fratrem tuum peccare,argue eū inter te & ipſum ſolum. Si te audierit,lucratus es fratrem tuū. Quod ſi te non audierit, adhibe tecum alios duos,vel tres. Quod ſi nec ipſos audierit,dic eccleſiæ. Si vero nec eccleſiā C audierit,ſit tibi ſicut ethnicus,& publicanus.

Mat. 18

Sed euangelicū præceptum in eo perfectius datum eſt, quod indicandi peccatum modum diſciplinámque conſtituit.Non vult enim te, ſi forte peccatum videris fratris tui,continuo euolare ad publicum, & proclamare paſſim,ac diuulgare aliena peccata: quod eſſet vtique non corrigentis,ſed potius infamantis.Solus inquit,inter te & ipſum ſolum corripe eum.Vbi enim ſeruare ſibi myſteriū viderit ille qui peccauerit, ſeruabit & ipſe emendationis pudorem. Si verò diffamari ſe videat, illico ad denegandi impudentiam conuertetur: & non ſolùm non emendaueris peccatum,ſed & duplicaueris.

Ordo Euangelicus in correctione fraterna ſeruandus.

Diſce ergo ex euangeliis ordinem. Primo,inquit,ſolus inter te & ipſum. Secundo adhibe tecum alios duos, vel tres. Quare duos vel tres? In ore enim,inquit,duorum,vel trium teſtiū ſtabit omne verbum. Quoniam quidem tertio correptionē mandat ad eccleſiam deferendam,ſecundo vult duos, vel tres teſtes adhiberi:quibus præſentibus correptus,ſi emendare ſe nō vult, cum ad eccleſiam delatum fuerit eius peccatū, poſſit duobus adhibitis teſtibus confutari: frequenter enim accidit, vt volens quis euangelicum implere mandatum, calumniator videatur ſi crimen deferat ad eccleſiam,& deficiat teſtibus.Ne ergo hoc accidat,idcirco duos vel tres teſtes in ſecunda conuentione iuſſit adhiberi. Cùm ergo euangelij tale mandatum ſit,& lex præcipiat: quia ſi tacuerit, accipiet peccatum eius: ſciendum eſt, quod ſi quis ea quæ videt in delicto proximi ſui, vel non indicat ſecundum regulam ſuperius datam, vel in teſtimonium vocatus, non quæ vera ſunt dixerit, peccatum quod commiſit ille quem celat, ipſe ſuſcipiet, & pœna D commiſſi reuoluetur ad conſcium. Sufficienter ergo in hoc capite, ipſe nos ædificauit textus hiſtoriæ.Puto tamen quod & illa anima,quæ legit ſcriptum in lege dei, quia iurauit dominus,nec eum pœnitebit, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, audit vocem iuramenti,vt faciunt Scribæ & Phariſæi ſemper hæc meditantes,ſed tacent, & enunciare ad populum nolunt, ne Chriſti teſtentur aduētum.

Pſal. 110

Propterea ergo ipſi accipient peccatum,in quo non enunciātes ad populum quæ vera ſunt,peccare faciant Iſrael. Poſt hæc alia lex promulgatur. Anima, inquit, quæcunquē tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum iumentorum immundorum,& latuerit eum,& inquinatus eſt,aut ſi tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia, ex qua inquinetur, & cætera.] Hæc quidem apud Iudæos indecenter ſatis,& inutiliter obſeruantur. Vt quid enim immundus habeatur qui contigerit (verbi cauſa) animal mortuum, aut corpus hominis defuncti? Quid ſi prophetæ corpus ſit? quid ſi patriarchæ,vel etiam ipſius Abrahæ corpus? quid ſi & oſſa Samuelis contigerit, immundus erit? Quid ſi Heliſęi oſſa contingat quæ & mortuum ſuſcitant? Immundus erit ille qui contingit,& immundum faciunt oſſa prophetæ etiā illum ipſum,quem à mortuis ſuſcitant?

4.Reg.13

Vide quàm inconueniens ſit Iudaica intelligentia. Sed nos videamus primo quid ſit tangere,& quis ſit tactus qui faciat immundum, qui verò ſit tactus qui faciat mundū. Apoſtolus dicit:Bonum eſt E homini mulierem non tangere. Hic tactus, immundus eſt: hoc eſt enim illud,quod dominus in Euangelio dixit: Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum,iam mœchatus eſt eā in corde ſuo.

1.Cor.7
Matth.5
Marc.5

Tetigit enim cor eius concupiſcentiæ vitium, & immunda facta eſt anima eius.Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem,id eſt vel per mulieris concupiſcentiam vel per pecuniæ cupiditatem, vel alio quolibet peccati deſiderio,immundum tetigit, & inquinatus eſt. Oportet ergo te ſi quid tale contigeris, ſcire quomodo offeras ſacrificium, ſecundum ea quæ in ſuperioribus memorauimus, vt mundus effici poſſis. Vis tibi oſtendam quæ eſt anima,quæ tetigit immundum, & immunda facta eſt,& rurſum tetigit mundum, & facta eſt munda? Illa quæ profluuium ſanguinis paſſa eſt, & erogauit omnem ſubſtantiam ſuam in medicos, nec aliquid proficere potuit, per immunditiam peccati in hoc deuoluta eſt. Tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis acceperat.Sed poſtquam fide plena tetigit fimbriā Ieſu,ſtetit fluxus ſanguinis eius,& repente facta eſt munda,quæ ante per tantum tempus vixit immunda.

Matth.9

Et quemadmodum cum tetigiſſet dominum,& Saluatorem,dixit ipſe: Quis me tetigit? Ego enim ſenſi virtutem exiſſe de me: illam ſine dubio virtutem,quæ mulierem ſanauerat, & fecerat eam mundam.ſic intelligendum eſt,quia ſi quis contigerit peccatum, F & exeat ex ipſo peccato virtus quædam maligna,quæ eū qui ſe contigit faciat immundum, & hoc eſt vere contigiſſe immundum. Simili ratione etiam de morticino hominis,vel de morticino pecoris mundi aut immundi dicendum eſt. Morticinum nanque hominis cōtingit is,qui in peccatis ſuis mortuum quempiam vel ſequitur, vel imitatur. Sed quia ſingulorum differentiæ requirendæ ſunt, ſingula recenſeamus. Hominis morticinum (ſicut ſuprà diximus) illud poſſumus dicere,quod Apoſtolus ad Corinthios dicit: Scripſi, inquit, vobis in epiſtola,vt non commiſceamini fornicariis. Non vtique fornicariis huius mundi,aut auaris,aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus,alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, vt non commiſceamini. Si quis frater nominatur fornicator,aut immundus,aut auarus, aut idolis ſeruiens,aut maledicus,aut ebrioſus,aut rapax,cum huiuſmodi nec cibum quidem ſumere.

1.Cor.5

Illud eſt ergo hominis morticinum contingere,qui ei ſe ſocium ſaltem in cibo præbuerit,qui in Chriſto homo effectus, rurſum in peccatis eſt mortuus.Nam & illa vidua,de qua dicit Apoſtolus, quæ in delitijs viuens mortua eſt, morticinum hominis dici poteſt.

1.Tim.5

Sed & animalia morticina nihilominus quæ ſunt in eccleſia, requirenda ſunt. Si ſimpliciores quique ad hoc quod nihil prudentię egerunt,etiam in peccatorum ſordibus volutentur,hos ſi quis ſequatur, vel tangat eo tactu quo ſuprà expo-

G fuimus, morticinum animal tetigit. Quod autem ecclesia habeat & animalia, audi quomodo dicit in Psalmis: Homines & iumenta saluos facies Domine. Hi ergo, qui verbi Dei & rationabilis instituti studium gerunt, homines appellãtur. Qui verò absque huiusmodi studijs viuunt, & scientiæ exercitia non requirunt, fideles tamen sunt, animalia quidẽ, sed munda dicuntur. Sicut enim sunt quidam homines Dei, ita sunt quidam & oues Dei. Scriptum est enim, quia Moyses non erat ouis Dei, sed homo Dei. Et Helias non erat ouis Dei, sed homo Dei. Sic enim ipse dicit: Si homo Dei sum ego, descendat ignis de cœlo, & consumat te, & quinquaginta tuos. Vis enim audire de ouibus Dei? dicitur per Prophetã: Oues meæ, oues sanctæ sunt, dicit Dominus. Et iterum Saluator dicit in Euangelio: Oues meæ, vocem meam audiunt. Et non puto eum dixisse de hominibus, quia vocem meam audiunt homines, sed oues. Sed hæc qui habet aures audiendi audiat, quomodo vocem audiunt oues, homines autem verba eius audiunt. Ista ergo sunt animalia munda quidem propter Christum, morticina autem propter peccatum. Quæ si quis tetigerit, hoc est, si secutus fuerit quis in peccato, immundus erit. Et si quis huiusmodi hominis morticinum contigerit, id est, eius qui secundum rationem viuens primo, & in verbo Dei semetipsum exercens, postmodum decidit in peccatum: si quis eum sequatur aut imitetur, hominis contingit morticinum, & erit immundus. Sed & à fera captum si contigeris, H immundus eris. Quæ est fera? leo est, an lupus, quæ rapit homines, vel iumenta? Illa (credo) fera est, de qua dicit Petrus Apostolus, quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide. Et rursum de quibus dicit Apostolus Paulus, Intrabunt enim post discessum meum lupi rapaces, non parcentes gregi. Ab istis ergo feris si captum videris, noli eos sequi, noli contingere, ne & tu efficiaris immundus. Sunt præterea & alia immunda animalia, quorum morticinum vetat contingi. Immunda animalia sunt homines, qui extra Christum sunt, in quibus neque ratio, neque religio vlla est. Horum ergo omnium morticina, id est, peccata si videas, dicit tibi Legislator, ne contigeris, ne adtamineris, ne adtrectaueris. Et istæ sunt immunditiæ, quæ merito fugiendæ sunt. Hominis autem tactum noli refugere vel mortui corporis, cui magis sepultura religiose deferenda est. Iudaicæ istæ sunt & inutiles fabulæ, speciem quidem pietatis habentes, virtutem verò ipsius denegantes. Prima ergo lex de immunditijs data est. Si quis iuramenti alicuius vel delicti testis fuit, & non indicabit, & per hoc immundus quodammodo effectus est etiã ipse societate peccati. Secunda lex, qua contingere immũdum aliquid, ac morticinum vetatur. Tertia nunc lex promulgatur, huiusmodi. Et anima, inquit, quæ iurauerit, pronuncians labijs suis malefacere, aut benefacere secundum omnia quæcunque I dixerit homini cum iuramento, & latuerit eum, & hic cognouerit, & peccauerit vnum aliquid de istis, pronunciet peccatum quod peccauit, & offeret pro his quæ deliquit Domino pro peccato quod peccauit, fœminam de ouibus, & cætera.] Quomodo quidem si pronunciauero labijs meis, vel iurauero benefacere, & non faciam, peccati reus sim, difficultas non est ostendere: quomodo autem si iurem vel pronunciem malefacere, & non fecero, peccauerim, verbo adsignare difficile est. Absurdum enim videtur (verbi gratia) vt si per iracundiam dixero me hominem occisurum, & non fecero, ne periurare, aut fallere videar, cogar ad explendum opus, quod temere & illicite promisi. Quæramus ergo quæ sit res, in qua si promittimus nos malefacere, & non fecerimus, peccamus: si vero fecerimus, excusemur à peccato, vt rationabiliter stare præcepti veritas possit. Quantum in hoc loco intelligendum videtur, malefacere aduersari alicui est, & non indulgere ei vt faciat quod vult. Et nos ergo cum venimus ad Deum, & vouemus ei nos in castitate seruire, pronunciamus labijs nostris, & iuramus nos castigare carnem nostram, vel male ei facere, atque in seruitutem eam redigere, vt spiritum saluum facere possimus. Sic enim & ille iurasse se dixit, qui ait: Iuraui, & statui seruare omnia præcepta tua. Quia ergo carnis vox est, quæ dicit: Non enim quod volo ago, sed quod odi illud facio, afflicta sine dubio ab spiritu, & coercita est: resistit enim & repugnat aduersum spiritum, & nisi male ei fiat, vt affligatur, & infirmetur, non potest dicere spiritus: cum infirmor, tunc potens sum. Huic ergo carni resistenti, & repugnanti aduersum spiritum, si quis iurauerit, & pronunciauerit malefacere, & affligere ac macerare eam, & non fecerit, peccati reus est, in quo iurauit cruciare se carnem suam, & seruituti subijcere, & non fecit. Eodem autem iuramento, & spiritui decernit benefacere. In quo enim carni malefacit, spiritui benefacit. Si quis ergo hoc iurauerit, & non fecerit, peccati efficitur reus. Vis autẽ scire quia nec potest vni eorũ benefieri, nisi alijs malefeceris? Audi etiam Dominum ipsum dicentem: Ego occidam, & viuere faciam. Quid occidit Deus? Carnem vtique. Et quid viuere facit? Spiritum sine dubio. Et rursum in sequentibus dicit: Percutiam, & ego sanabo. Quid percutit? Carnem. Quid sanat? Spiritum. Prorsus vt illa deficiat, iste proficiat, vt faciat te mortificatum carne, viuificatum spiritu: ne forte & tu mente seruias legi Dei, carne autem si mortificata non fuerit, obstringaris legi peccati. Si ergo istum ordinem promiseris, & seruare non quiueris, audi quid legis ordo præcipiat. Si peccauerit, inquit, vnum aliquid de istis, pronunciet peccatum quod peccauit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod iubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda L cuncta quæ egerimus, si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est, & incentor. Ipse enim nunc nos vt peccemus, instigat, ipse etiam cum peccauerimus, accusat. Si ergo in vita præueniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri & accusatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, vt iustificeris. Nonne euidenter mysterium de quo tractamus ostẽdit, cum dicit: Dic tu prior? vt ostendat tibi quia præuenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille præueniat: quia si prior dixeris, & sacrificium pœnitentiæ obtuleris, secundum ea quæ in superioribus diximus offerenda, & tradideris carnem tuam in interitum, vt spiritus saluus fiat in die Domini, dicetur & tibi, quia percepisti & tu in vita tua mala, nunc verò hic requiesce. Sed & Dauid eodem spiritu loquitur in Psalmis, & dicit: Iniquitatem meã notam feci, & peccatum meum non cooperui. Dixi pronunciabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei. Vide ergo quia pronunciare peccatum, remissionem peccati meretur. Præuentus enim diabolus in accusatione, vltra nos accusare non poterit: & si ipsi nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem: si verò expectemus vt à diabolo accu- M semur, accusatio illa cedit nobis ad pœnam: habebit enim socios in gehenna, quos conuicerit criminum socios. Multum erit nunc hostiarum diuersitates, & sacrificiorum ritus, ac varietates exequi, & lõge alterius operis, quàm eius verbi, quod in cõmuni auditorio vulgus excipiat. Verũ vt aliqua in transcursu perstringere videamur, omnis quidem penè hostia quę offertur, habet aliquid formæ, & imaginis Christi. In ipsum namque omnis hostia recapitulatur, intantum vt postquam ipse oblatus est, omnes hostiæ cessauerint, quæ eum in typo & vmbra præcesserant: de quibus prout potuimus, in superioribus diximus, quoniam quod vitulus à pontifice oblatus, siue in munere, siue pro peccato, formam eius haberet ostendimus. Adipes verò qui offeruntur in munere, operientes interiora, & renibus cohærentes, potest sancta illa eius anima intelligi: quæ interiora quidem, id est, diuinitatis eius secreta velabat: renibus autem, hoc est, corporali materię, quæ ex nobis caste sumpta fuerat, cohærebat: & media inter carnem Deúmque posita, deificandam, sanctificanda sacris altaribus & diuinis ignibus illustrandam, & conseruandam secum ad cœlos, naturam carnis imponit. Renunculi autem ignibus traditi, quis dubitet quod nullos in Christo fuisse indicent genitalium partium motus? Quod verò de sanguine hostiæ septies ante Dominum sacerdos respergere memoratur, euidenter sancti spiritus virtus septemplicis gratiæ sub mysterio designatur. Quatuor cornua altaris, quæ sanguine liniuntur

Marginalia: 4.Reg.1. Ezech.34. Ioan.10. 1.Pet.5. Act.20. *Sepultura religiose curanda.* *Iuramenta male præstita, non perficienda.* *Votum castitatis.* Rom.7. 1.Cor.12. Deut.32. 1.Pet.3. *Confeßio via criminandi diabolo intercludit.* Esa.43. homil.2. in Leuit. Luc.16. Psal.38.31. *Cõfeßionis vtilitas.* *Cõfeßionis prætermissæ pœna.* *Omnes hostiæ veteres vmbra Christi.* *Anima Christi media inter carnem & diuinitatem eius.*

A tur, Christi passionem referri quatuor Euangeliis indicant, qui penna iecoris offertur. In iecore, ira iugulatur. In penna velox, & concita vis furoris ostenditur. Reliquus autem sanguis, qui ad basim altaris effunditur, puto quod illius gratiæ formam designet, qua in nouissimis diebus, posteaquam plenitudo gentiũ subintroierit, omnis qui reliquus fuerit Israel, ad vltimum velut ad basim altaris positus, effusionem Christi sanguinis etiam ipse suscipiet. De agnis verò, & hœdis, turturibus & columbis, sed & simila cõspersa in oleo, aut in panibus azymis cocta, quãtum res pati potuit, suprà dictum est. Videamus nunc quæ lex proponitur in offerẽdis hostiis pro peccato. Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens: Anima si qua latuerit, & peccauerit non volens à sanctis domini, offerat pro delicto suo arietem immaculatũ de ouibus, emptum precio argenti siclo sancto, in eo quod deliquit, & quod peccauit à sanctis, reddet, & quintas adijciet ad illud, & dabit illum sacerdoti, & sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, & remittetur ei.] In superioribus legibus, quæ de immunditiæ sacrificiis referebãtur, sicubi dixit offerendũ (verbi causa) ouem, aut hœdum, addidit: Quod si non sufficit manus eius ad hœdum, aut ad agnum, offerat par turturum, aut duos pullos colũbinos. Et iterũ. Quod si nec ad hoc sufficiet, offerat similaginẽ. In hac verò lege, vbi de peccato quod in sanB ctis cõmittitur, differit, nullã substitutionẽ inferioris hostiæ secundæ, vel tertiæ subrogauit, sed statuit solum arietẽ offerendum: nec aliter ostendit solui posse peccatũ quod in sancta cõmittitur, nisi arietẽ iugulauerit: & non simpliciter arietem, sed arietem precio emptũ, & certo precio, siclo, inquit, sancto. Quid igitur? si quis pauper fuerit, & non habuerit siclum sanctũ vnde mercari possit arietẽ, peccatũ eius non soluetur? Quærendæ sunt ergo vnicuique & diuitiæ, vt peccatũ eius possit absolui. Verum si dignetur dominus, vel nobis oculos ad videndum, vel vobis ad audiendũ aures cordis aperire, quid sibi velit Legislatoris sensus apertis mysteriis requiremus. Et primo quidem videamus hoc ipsum quod recitatũ est secundum literam quale sit. Videtur enim de his dicere, in quorũ manibus sancta cõmissa sunt, id est quæ in domini donis oblata sunt: verbi gratia, vota & munera quæ in ecclesiis dei ad vsus sanctorũ, & ministeriũ sacerdotũ, vel quæ ob necessitatem pauperũ à deuotis, & religiosis mentibus offeruntur. De his si quis qualibet præsumptione subtraxerit, decernit lex, vt si rememoratus fuerit peccasse se, & sponte cõpunctionem cordis acceperit: de eo enim qui nõ sponte cõpungitur, sed alio arguente conuincitur, difficilius remedium est. Hic ergo, qui sponte recordatus fuerit peccatũ suũ, reddet, inquit, illud ipsum, quod subtraxerat, & addet ad illud quintas, & offeret arietẽ pro peccato emptũ precio siclo sancto. C Quod dicit, addet ad illud quintas, simpliciores quique existimant ita dictum, vt (verbi causa) si quinque numi subtracti sunt, vnus addatur, vt pro quinque sex reddere videatur. Sed qui in disciplina numerorum peritiam gerunt, longe aliter istius vocabuli numerum supputant. Nam & in græco non habet πέμπτον quod simpliciter quintas facit, sed habet ἐπίπεμπτον quod nos quidem possumus dicere super quintas: nisi diceretur istud specialis cuiusdam numeri apud illos esse vocabulum, quo indicaretur pro quinque alios quinque dãdos, & vnum super: vt verbi gratia intelligatur qui furatus sit quinque numos, ipsos quidem quinque restituere, & alios quinque vno superaddito. Nec tamen hæc continuo pro furtis aut fraudibus intelligenda sunt, sed quod etiam si quis pro vsibus necessariis sibi de sanctis pecuniam sumpsit, & moras attulit in restituendo huiusmodi lege constringitur. Quæ lex etiam secundum literam ædificare debet audiẽtes. Valde enim vtilis & necessaria est obseruatio, his præcipue qui ecclesiasticis dispensationibus præsunt, vt sciant sibi ab his quæ in vsum sanctorum oblata sunt, cautius & diligẽtius obseruandũ. Sed & nos quibus ista forte non accidũt, videamus qua ex parte sermo legis ædificet. Et ego hodie, licet peccator sim, tamen quia dispensatio mihi verbi dominici credita est, sancta dei videor habere cõmissa. Neq; nũc primũ, sed sæpe iam & olim dispensatione hac erga vos vtimur. Si quis ergo ex vobis suscipiat à me dominicam pecuniam, & (vt fieri solet) egressus ecclesiam, & diuersis occupationibus seculi raptus, obliuioni quæ audierat, dedit, nec opus aliD quod ex verbo quod suscepit, impleuit, iste est qui pecuniam de sanctis susceptam, nõ reddidit. Vnde vel his auditis in memoriam reuocet, quod ea quæ dudum sibi fuerant in verbo dei commissa neglexit. Reddat ergo & hoc, quod accepit, & addat ad id quintas eo modo quo ante iam diximus: id est, vt bis quina sint, & vnus superaddatur. Videamus ergo quomodo quinque isti reddãtur. Quinque numerus frequenter imò penè semper pro quinque sensibus accipitur. Scire ergo debemus hoc modo istos quinque sensus in sanctis actibus posse restitui, vt si forte præsumpsimus abuti eis in secularibus actibus, & impendimus vsum eorũ in his, quæ non secundum Deum gessimus: restituamus nunc & ipsos quinque sanctis actibus religiosisque ministeriis, & alios his quinq; addamus, qui sunt interioris hominis sensus: per quos vel mundi corde effecti Deum videmus, vel aures habemus ad audienda ea quæ docet Iesus, vel odorem capimus illum quem dicit Apostolus, quia Christi bonus odor sumus Deo: vel etiam gustum sumimus illum, de quo dicit propheta: Gustate, & videte, quoniam suauis est dominus: vel tactum illum quem dicit Ioannes, quia quod oculis nostris inspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. His autem omnibus vnum superaddamus, vt ad vnum deũ hæc cũcta referamus. Et hæc quidem de restituendis his, quæ qualibet E culpa ex sanctis ablata fuerant, dicta sint. Quid verò dicemus de sacrificio arietis precio empti, & precio sicli sancti, qui pro peccati expiatione iubetur offerri? Diues futurus est, qui precio arietis possit delicta purgare. Quæ sunt istæ diuitiæ, requiramus. Docet nos sapientissimus Salomon dicens: Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ eius. Audis verba sapiẽtiæ, quomodo necessariis cum proprietatibus, vim vniuscuiusque sermonis enunciãt? Diuitias dicit aptas ad animæ redemptionem, & diuitias non alienas, neque communes, sed diuitias proprias. Per quod ostendit esse quasdã diuitias proprias, quasdã verò non proprias. Sed hoc euidẽtius dominus in euangeliis declarauit, cũ dixit: Quod si in alieno fideles nõ fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? ostendẽs per hoc præsentis seculi diuitias nõ esse nostras proprias, sed alienas. Transeunt enim, & sicut vmbra prætereũt. Propriæ vero sũt illæ diuitiæ, de quibus propheta dicit: Et ad te congregabo diuitias gentium. Ex his fortasse diuitiis & Abraham diues factus est valde in auro, & argẽto, & pecoribus atque omni supellectili. Vis tibi ostendam ex quibus thesauris descendant istæ diuitiæ? Audi Apostolum Paulũ dicentẽ de domino Iesu Christo. In quo sunt, inquit, omnes thesauri sapiẽtiæ & sciẽtiæ abscõditi. Sed & in Euãgeliis dominus dicit, quia scriba diues profert de thesauris suis noua & vetera. De his & Apostolus Paulus dicit, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Ex his ergo diuitiis, F quæ de thesauris sapientiæ & scientiæ proferuntur, mercandus nobis est iste aries, qui offerri debeat pro peccatis, illis scilicet quæ in sancta commissa sunt, & sicli sancti adnumeratione mercandus. Iam superius diximus quod omnis hostia typum gerat & imaginem Christi, multo magis aries, qui & pro Isaac quondam à deo substitutus est immolãdus. Siclo igitur sancto comparandus nobis est Christus, qui peccata nostra dissoluat. Siclus sanctus fidei nostræ formam tenet. Si enim fidem obtuleris tanquam precium, Christo velut ariete immaculato in hostiam dato remissionem accipies peccatorum. Sentio quod in explanando vires nostras mysteriorum superat magnitudo. Sed quamuis non valeamus cuncta disserere, tamen sentimus cuncta repleta esse mysteriis. Et ideo studiosis quibusque indicia posuisse sufficiat, quibus excitati ad altiora horum, & profundiora perueniant, & intelligant ex quibus eis gregibus quæratur vitulus ad hostiam, ex quibus ouibus aries prouidendus sit. Habeo enim (inquit Iesus) & alias oues, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt fiat vnus grex & vnus pastor. Sciant etiam vbi turtures, vbi columbæ requirendæ sunt. Oculi, inquit, tui sicut columbæ super plenitudines aquarum. Ad aquarum ergo plenitudines properandum est, in his enim sponsæ describitur pulchritudo. Et collum, inquit, tuum sicut turturis. In columbis oculi prædicantur. Quod enim dixit colum-

Bona ecclesiastica.

Origenes præfectus sacionibus.

Quinque sensus mortificandi.

2. Cor. 2

Psa. 33

1. Ioan. 1

Prou. 13

Luc. 16

Zach. 14

Gen. 13

Col. 1

Matth. 13

1. Cor. 1

Gen. 22

Fides cõsequitur remissionem peccatorũ.

Ioan. 10

Cant. 5

G bæ super plenitudines aquarum, ferunt hoc genus auis, cum ad aquas venerit, quia ibi solent accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volitantis vmbra aquis inspecta deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminentis euadere. Quod si & tu ita prospicere potueris insidias diaboli, & cauere, sacrificium Deo columbas obtuleris. Sed & quibus talia curæ sunt, illud etiam requirant, ex quibus eis agris simila debet offerri. Ego arbitror quod ex illius terræ segetibus, quæ facit alium centesimum, alium sexagesimum, alium tricesimum fructum. Requirant etiam, nisi plusquam debet curiosum videtur, quibus molentibus simila ista ad sacrificia præparetur. Nec eos lateat duas esse quæ molunt, quarum vna adsumitur, & alia relinquitur. Ex illius ergo mola quæ adsumenda est, similam oportebit offerre. Sed & siclus sanctus, quæ ad arietis precium necessarius dicitur, vide vnde, & quomodo perquirendus sit. Siclus pecuniæ dominicæ nomen est, & in multis scripturarum locis, diuersis appellationum nominibus pecunia dominica memoratur. Sed quædam proba, quædam verò reproba dicitur. Proba erat illa pecunia, quam paterfamiliâs peregre profecturus, vocatis seruis suis dedit vnicuique secundum virtutem suam. Proba erat & illa pecunia, quæ denarius nominatur, qui cum mercenarijs pactus est, & à nouissimis datus est vsque ad primos. Scire ergo te oportet, quia est & alia H pecunia reproba. Audi Prophetam dicentem: Argentum vestrum reprobum. Quia ergo est quædam proba, quædam verò reproba, propterea Apostolus, velut ad probabiles trapezytas, probantes, inquit, omnia, quod bonum est obtinentes. Solus enim est Dominus noster Iesus Christus, qui te huiusmodi artem possit edocere, per quam scias discernere, quæ sit pecunia, quæ veri regis imaginem tenet: quæ verò sit adulterina, & (vt vulgo dicitur) extra monetam formata, quæ nomen quidem habeat regis, veritatem autem regiæ figuræ non teneat. Multi namque sunt qui nomen Christi habent, sed veritatem non habent Christi. Et propter hoc dicit Apostolus Paulus: Oportet enim & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Idcirco igitur & in præsenti lectione, Legislator, totus ad mysticū & spiritalem respiciens sensum, addidit vt aries iste, qui ob hoc comparatur, vt peccatum possit absoluere, non qualicunque siclo, hoc est, non qualicunque pecunia, sed siclo sancto comparetur. Quod si non respiciebat ad mysterium, quid rationis esse videbatur, vt aries emptus offerretur ad hostiam, & certo precio? & non sufficit nomen pecuniæ siclo nominasse, sed addidit & sancto siclo? Quid si haberet aliquis in gregibus suis arietes optimos, & diuinis sacrificijs dignos? Aut quid si aliquis ita pauper esset, vt siclum sanctum habere nō posset? Hæc est ergo legislatoris moderatio, vt nisi quis habeat I certum pecuniæ modum, peccatum eius non possit absolui. Quod aperte secundum literam quidem videtur absurdum. Secundum spiritalem verò intelligentiam certum est, quod remissionem peccatorum nullus accipiat, nisi detulerit integram, probam, & sanctam fidem, per quam mercari possit arietem: cuius natura hæc est, vt peccata credentis abstergat. Et hic est siclus sanctus, probata (vt diximus) & syncera fides, id est, vbi nullus perfidiæ dolus, nulla hæreticæ calliditatis peruersitas admiscetur, vt synceram fidem offerentes precioso Christi sanguine, tanquam immaculatæ hostiæ diluamur. Per quem est Deo patri omnipotenti, cum spiritu sancto, gloria & imperium, in secula seculorum, Amen.

Colūbæ natura. *Matt.25.* *Hier.6.* *1.Thess.5* *Christi donum dignoscere hæreses.* *1.Cor.11.* *Remißionē peccatorum fides hæretica non cōsequitur.*

De eo quod scriptum est. Si peccauerit anima, & præteriens præterierit præcepta Domini, & mentietur proximo suo super deposito, aut societate, & cetera. Leuit. Cap. VI. Homil. III.

SI secundum diuinæ legis fidem hæc quæ leguntur nobis, Dominus locutus est ad Moysen, puto quod tanquam Dei verba non debeant secundum incapacitatem audientium, sed secundum maiestatem loquentis intelligi. Dominus, inquit, locutus est. Quid est Dominus? Apostolus tibi respondeat, & ab ipso disce quod Dominus spiritus est. Quod si tibi apostoli sermo non sufficit, audi ipsum Dominum in Euangelijs K loquentem, quia Deus spiritus est. Si ergo & Dominus, & Deus spiritus est, quæ spiritus loquitur spiritaliter debemus audire. Ego adhuc & amplius aliquid dico, quia quæ Dominus loquitur, non spiritalia tantum, sed & spiritus esse credenda sunt. Non meo sensu hæc, sed de Euāgelijs approbabo. Audi Dominum & Saluatorem nostrum ad discipulos suos dicentem: Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Si ergo ipsius Saluatoris voce didicimus, quia verba quæ loquutus est Apostolis, spiritus & vita est, nequaquam dubitare debemus, quod etiam quæ per Moysen loquutus est, spiritus & vita credenda sint. Sed videamus, quæ sint de quibus nunc prout possumus, aliqua dicere debemus. Et loquutus est, inquit, Dominus ad Moysen, dicens, Anima quæcūque peccauerit, & præteriens præterierit præcepta Domini, & mentietur proximo super deposito, aut societate, aut rapina: aut nocuit aliquid proximo, aut inuenit perditionem, & mentietur de ea, aut iurauerit inique de vno ab omnibus quæcunque fecerit homo, vt peccet in his: & erit cum peccauerit, & deliquerit, & reddet rapinam quam rapuit, aut iniuriam qua nocuit, aut depositum quod commodatum est ei, aut perditionem, quam inuenit, ab omni re, pro qua iurauerit iniuste, & restituet ipsum caput, & quintas insuper augebit, & cuius est ei reddet, qua die conuictus fuerit.] Hucusque enim peccati species exponuntur, postea verò purgatio eius per hostias imperatur. Sed qui infirmi L sunt, & incapaces profundioris mysterij, ædificentur ex litera, & sciant quia si quis præteriens præterierit præcepta Domini, & mentitus fuerit proximo super deposito, aut societate, aut rapina, peccati ingentis statuetur reus. Sed absit hoc ab ecclesia Dei, vt ego credam esse aliquem in cœtu isto sanctorum, qui se tam infeliciter agat, vt depositum proximi sui neget, aut societatem fraude contaminet, aut vel ipse aliena diripiat, aut ab alijs rapta suscipiat, & pro his ab eo requiratur, contra conscientiam iuret. Absit, absit inquam, vt hæc ego de aliquo fidelium sentiam. Cōfidenter ergo de vobis dico, quia vos non ita didicistis Christum, neque ita docti estis, sed neque lex ipsa hæc sanctis & fidelibus præcipit. Vis scire, quia non ad sanctos & iustos ista dicantur? Audi Apostolum ista distinguentem: Iusto, inquit, lex non est posita, sed iniustis, & non subditis, scelestis & contaminatis, patricidis, matricidis, & horum similibus. Quia ergo huiusmodi hominibus, Apostolus legem dicit impositam, ecclesia Dei, quam absit in huiusmodi facinoribus maculari, relicta alijs litera, sanctius ædificetur à spiritu. Videamus itaque nunc quod est depositum, quod fidelium vnusquisque suscepit. Ego puto quòd & ipsam animam nostram, & corpus depositum accepimus à Deo. Et vis videre maius aliud depositum, quod accepisti à Deo? Ipsi animæ tuæ Deus imaginem suam, & similitudinem commendauit. Istud ergo de- M positum, tam integre tibi restitutum est, quàm à te constat esse susceptum. Si enim sis misericors, sicut pater tuus in cœlis misericors est, imago Dei in te est, & integrum depositum seruas. Si perfectus es, sicut pater tuus in cœlis perfectus est, imaginis Dei in te depositum manet. Similiter & cætera omnia, si pius, si iustus es, si sanctus, si mundus corde: & omnia quæ in Deo præsto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, depositum apud te diuinæ imaginis saluum est. Si verò econtrario agas, & pro misericorde crudelis, pro pio impius, pro benigno violentus, pro quieto turbulentus, pro liberali raptor existas, abiecta imagine Dei, diaboli in te imaginem suscepisti, & bonum depositum tibi diuinitus commendatum abnegasti. Aut non hoc erat quod sub mysterio Apostolus electo discipulo mandabat Timotheo, dicens: O Timothee, bonum depositum custodi? Ego etiam illud addo, quod & Christum Dominum depositum suscepimus, & sanctum spiritum depositum habemus. Videndum ergo nobis est, ne hoc sancto deposito non sancte vtamur, & cum nos in consensum sui peccata sollicitant, iuremus nos non suscepisse depositum. Quod vtique si habeamus in nobis, peccato consentire non possumus. Sed & ipse sensus rationabilis, qui in me est, commendatus mihi est, vt eo vtar ad intelligentiam diuinorum: ingenium, memoria,

Ioan.4. *Ioan.6.* *1.Tim.1.* *Anima & corpus Dei depositum.* *Imago diaboli siue similitudo.* *2.Tim.1.*

A moria, iudicium, ratio, & omnes qui intra me sunt motus, cōmendati mihi videntur à Deo, vt eis vtar in his, quę præcepit lex diuina. Si verò ad malas artes solers & perspicax vertamus ingenium, & rebus Dei abutamur in his quæ non vult Deus: hoc est, abiurare depositū, & beneficia vertere in perfidiam. Videamus nunc quid etiam societas intelligenda sit. Putas est aliquis, qui secundum literam commoneri debeat, ne forte in ratione pecuniæ, vel qualibet alia specie societatis, socium fraude decipiat? Vltimæ misericordię est anima illa, in quam cadere adhuc fraudis hoc genus potest. Veruntamen quoniam multa est in homine fragilitas, etiam de his cōmoneamus, quia nec Apostolum piguit ista mandare. Dicit enim, Ne quis circūscribat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est de his omnibus Deus. Nunc verò requiramus, quę sit etiam societas spiritus. Audi de his ipsis verbis Apostolum dicentem: Si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum. Vides societatis legem, quomodo intellexit Apostolus Paulus. Audi & Ioannem, quomodo vno eodémque spiritu proloquatur. Et societatem, inquit, habemus cum Patre, & cum filio eius Iesu Christo. Et iterum Petrus dicit: Consortes, inquit, facti estis diuinæ naturæ, quod est socij. Et iterum dicit apostolus Paulus, Quę enim societas luci ad tenebras? Quod si luci ad tenebras societas nulla est, potest ergo societatem lux habere cum luce. Igitur si nobis cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto societas data est, videndum nobis est, ne sanctam istam diuinámque societatem peccando abnegemus. Si enim agamus opera tenebrarum, certum est quia societatem negauimus lucis. Sed & sanctorum socios nos dicit Apostolus, nec mirum. Si enim cum Patre & Filio dicitur nobis esse societas, quomodo non & cum sanctis, non solum qui in terra sunt, sed & qui in cœlis? quia & Christus per sanguinem suū pacificauit cœlestia, & terrestria, vt cœlestibus terrena sociaret. Quod euidenter indicat, vbi dicit gaudium esse in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente. Et rursum cum dicit, Eos qui resurgunt à mortuis, futuros esse sicut angelos Dei in cœlo, & cum ex integro hominibus cœlorum regna promittit. Hanc ergo societatem dirumpit, & abnegat, quicunque malis actibus suis, malísque sensibus ab eorum coniunctione separatur. Post hæc de rapina dicitur: Raptores sunt mali, & boni: & boni quidem illi, de quibus dicit Saluator, quia regnum cœlorum diripiunt. Sunt autem & mali raptores, de quibus dicit Propheta: Et rapina pauperum in domibus vestris est. Apostolus verò abrupte pronunciat, dicēs: Nolite errare, quia neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et tamen aliqui sciunt & secundum spiritalem intelligentiam culpabiliter rapere, sicut illi laudabiliter rapiunt regna cœlorum. Vt verbi causa, dicamus, si homo C nondum purgatus à vitiis, nondum segregatus à profanis & sordidis actibus, velit se cœtui sanctorum & perfectorum latenter ingerere, & sermonem quo perfecta & mystica tractantur audire, huiusmodi homo secretorum & perfectorum scientiam non bene rapit. Meminisse enim oportet præcepti Saluatoris, quo dicit: Quia nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin & vtres rumpentur, & vinum peribit: ostendens quod animæ nondum renouatæ, sed in vetustate malitiæ perduranti, non oporteat nouorum mysteriorum, quæ per Christum mundus agnouit, secreta committi. Addit dehinc Legislator, Aut si quid nocuit proximo, vel inuenit perditionem. Lex literæ hic videtur mandare, vt si quis inuenit quod alius perdidit, & requisitum fuerit, reddat nec periuret pro eo. Est & hæc vtilis audientibus ædificatio. Multi enim sine peccato putant esse, si alienum quod est inuenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere. Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinę, si quis inuenta non reddat. Veruntamen si hoc tantum quod secundum literam putatur, legislator voluisset intelligi, potuerat dicere, si inuenit quod perierat, vel quod aliquis perdiderat. Nunc autem cum dicit, inuenit perditionem, amplius nos aliquid voluit intelligere. Qui nimis peccant, in scripturis perditio appellatur, sicut in Ezechiele Propheta legimus dictum: Perditio, inquit, factus es, & non subsistes in æternum tempus.

1. Thess. 4. — Lex societatis. Philip. 2. — 1. Ioan. 1. — Socij sumus Deo. 2. Pet. 1. — 2. Cor. 6. — Sanctorum sumus socij. — Luc. 15. — Mat. 22. — Mat. 11. — Esa. 3. — 1. Cor. 6. — Mat. 9. — Inuēta esse reddenda. — Ezech. 27.

Est ergo ostendere qui multum quærendo inuenit perditionem: vt verbi gratia, dicamus: Hæretici ad construenda & defendenda dogmata sua multum perquirunt, & discutiunt in scripturis diuinis, vt inueniant perditionem. Cum enim multum quæsierint testimonia, quibus astruant quæ praue sentiunt, perditionem sibi inuenisse dicendi sunt. Sed si forte aliquis horum audiens in Ecclesia verbum Dei catholice tractari, resipiscat, & intelligat quia quod inuenerat perditio est, reddet, inquit, quod inuenit. Et is qui perditionem inuenit, & ille qui rapinam, sed & ille qui depositum abnegauit, & omnis quicunque aliqua ex parte animæ nocuit proximo, aut iurauit iniuste: restituet, inquit, ipsum caput, & quintas su peraugebit, & ei cuius est, reddet, secundum eam duntaxat expositionem quam de quintis addendis ante iam diximus. Et offeret, inquit, Domino, arietem de ouibus sine macula, precio in id quod deliquit, & orabit pro eo sacerdos contra Dominum, & remittetur ei pro vno ab omnibus quæ fecit, & deliquit in eo. Diximus in superioribus, quid est offerre arietem, & hunc precio sicli sancti emptum. Nunc superest, vt differentiam illam dicamus: quod ibi precium posuit sicli sancti, hic tantummodo precium dicit, nec quantitatem precij, nec nomen pecuniæ designauit. In superioribus enim vbi pro peccato quod in sancta commissum fuerit, lex dabatur, siclum sanctum diximus nominatum, & siclum nomen E esse pecunię: aut alibi obolus, alibi drachma, alibi mna, vel talentum, vel minutum æs, denarius dicitur. Hic ergo nihil horum nominatur, sed tantum precium quo offerendus aries dicitur. Interest enim peccare in sanctis, & peccare extra sancta. Vis & alibi videre hanc ipsam distinctionē? Audi quomodo in Regnorum libris dicit Heli sacerdos ad filios suos: Si enim peccauerit quis in hominem, exorabit pro eo sacerdos. Si autem in Deum peccauerit, quis exorabit pro eo? Similiter & Ioannes Apostolus dicit: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt oretur. Quia ergo diuersitates peccatorum discere ex spiritali lege debemus, in quibus peccatis tantummodo emendus sit aries, in quibus verò siclo sancto mercandus, qui etiam sint isti qui vendant arietes, requiramus. Ego arbitror ipsos esse istos, qui arietes ad sacrificium distrahunt, qui sunt & illi, qui oleum ad lampadas virginum vendunt, de quibus dicebant illæ prudentes stultis virginibus: ite ad vendentes, & emite vobis. Vendunt ergo vel oleum luminibus, vel arietes sacrificijs, qui alij nisi Prophetæ sancti & Apostoli, qui mihi cum peccauero ostendunt, & consilium dant quomodo debeam corrigere errores meos, & emendare peccata? Vendit mihi Esaias arietem ad sacrificandum pro peccato, cum mihi dicit, tanquam ex Dei persona: Holocausta arietum, & adipes agnorum, & sanguinem hircorum & taurorum nolo. Et paulo post subiungit: Auferte nequitias ab animis vestris, à conspectu oculorum vestrorum: discite F bonum facere, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra vt phœnicium, vt niuem dealbabo: Si autem vt coccinum, vt lanam candidam efficiam. Vendit mihi arietem & Daniel cum dicit: Quia non est locus ad sacrificandum in conspectu tuo, vt possimus inuenire misericordiam. Sed in anima contribulata, & spiritu humilitatis suscipiamur velut in multitudine agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie. Vendit nobis & Dauid arietem sacrificij, cum dicit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Cum ergo singuli prophetarum, vel etiam apostolorum consilium his qui delinquunt, dederint, quo possint corrigere vel emendare peccatum, merito his vendidisse arietes ad sacrificium videbuntur. Quod autem precij à comparantibus sumant, illud opinor, legendi studium, vigilias audiendi verbi Dei, & super omnia dignissimum precium obedientiam puto, de qua dicit Dominus. Obedientiam malo, quàm sacrificium, & dicto audientiam magis, quàm holocausta. Post hæc subsequitur: Et loquutus est, inquit, Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Aaron, & filijs eius, dicens: Hæc est lex holocausti. Hoc holocaustum in crematione sua erit super altare tota nocte vsque in mane: & ignis altaris ardebit super illud, nec

D Hæreticorū diligēs studium. — Peccatorum gradus. 1. Reg. 2. — 1. Ioan. 5. — Matt. 25. — Esa. 1. — Dan. 9. — Psal. 51. — 1. Reg. 15.

G extinguetur: & induet se sacerdos tunicam lineam, & campestre lineum induet circa corpus suum: & auferet hostiam, quàm consumpserit ignis, & holocaustum de altari, & ponet illud secus altare: & despoliabit se stola sua, & induetur stola alia: & eiiciet hostiam quæ cremata est, extra castra in locum mundum: & ignis super altare ardebit, nec extinguetur, & comburet super illum sacerdos ligna mane, & constipabit in illud holocaustum, & imponet super illud adipem salutaris, & ignis semper ardebit super altare, nec extinguetur.] Audi semper debere esse ignem super altare & tu, si vis esse sacerdos dei, sicut scriptum est: Omnes enim vos sacerdotes domini eritis. Et ad te enim dicitur, Gens electa, regale sacerdotium, populus in adquisitionem. Si ergo vis sacerdotium agere animæ tuæ, nunquam recedat ignis de altari tuo. Hoc est quod & dominus in Euangeliis præcipit, vt sint lumbi vestri præcincti, & lucernę vestræ ardentes. Semper ergo tibi ignis fidei, & lucerna scientiæ accensa sit. Sed & quod dixit lumbi vestri præcincti, dominus in Euāgelio: hoc idem est, quod & nunc legislator præcepit, vt campestri lineo præcingatur sacerdos, & ita veteri cinere deposito, innouet sacros ignes. Oportet enim etiam nos dicere: ecce vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Cāpestri enim lineo cingitur, vel (sicut alibi dicitur) femoralibus vtitur, qui luxuriam fluxe libidinis, cingulo restrinxerit castitatis. Ante omnia enim sacerdos qui diuinis assistit altaribus, castitate debet accingi, nec aliter purgare vetera, & instaurare poterit noua, nisi lineis indutus. De lineis sæpe iam dictum est, & tunc maxime cum de indumentis sacerdotalibus dicebamus, quod species ista

Sacerdotiū spirituale. *1.Pet.2* *Luc.12* *2.Cor.5* *Lineæ vestes significant sacerdotum castitatem.*

H formam teneat castitatis: quia origo lini ita è terra ducitur, & de terra editur, vt ex nulla admixtione concepta sit. Obseruandum tamen est quod aliis indumentis sacerdos vtitur dum est in sacrificiorum ministerio, & aliis, cum procedit ad populum. Hoc faciebat & Paulus scientissimus pontificum, & peritissimus sacerdotum. Qui cum esset in cœtu perfectorum, tanquam intra sancta sanctorum positus, & stola perfectionis indutus, dicebat: Sapientiā loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mūdi, neque principum huius mundi, qui destruuntur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Sed post hæc tanquam ad populum exiens mutat stolam, & alia induitur longe inferiore, quàm illa. Et quid dicit? Nihil aliud, inquit, iudicaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Vides ergo istum doctissimum sacerdotem, quomodo indutus sit. Cum est iturus inter perfectos, velut in sancta sanctorum, alia vtitur stola doctrinæ. Cum verò exit ad eos, qui incapaces sunt, mutat stolam verbi, & inferiora docet: & alios lacte potat, vt paruulos: alios holeribus nutrit, vt infirmos: aliis verò fortes præparat cibos, his scilicet qui pro possibilitate sumendi exercitatos

Pontifices se auditoribus debēt attēperare. *1.Cor.2* *Ibid.*

I habent sensus ad discretionem boni, vel mali. Sic sciebat Paulus mutare stolas, & alia vti ad populum, alia in ministerio sanctorum. Ipse autem pontificum pontifex, & sacerdotum sacerdos dominus, & saluator noster, de quo dicit Apostolus, quia pontifex sit futurorum bonorum, audi quomodo primus hæc fecerit, & ita discipulis suis hæc imitanda reliquerit. Euangelium refert de eo, & dicit, quia in parabolis loquebatur ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Seorsum autem soluebat ea discipulis suis. Vides quomodo ipse docuit aliis indumentis vti debere pōtificem, cum procedit ad turbas, aliis cum eruditis & perfectis ministrat in sanctis. Vnde optandum nobis est, & agendum, ne tales nos inueniat Iesus, ita imparatos, & ita seculi sollicitudinibus alligatos, vt cum turbis loquatur nobis in parabolis, vt vidētes non videamus, & audientes non audiamus: sed potius inter eos inueniri mereamur, ad quos dicit: vobis datū est nosse mysterium regni dei. Post hoc, Hæc est, inquit, lex sacrificij, quod offerent filij Aaron sacerdotis ante altare contra dominum. Auferet ab eo plenam manum de similagine sacrificij cum oleo eius, & cum omni thure eius, quæ sunt ad sacrificium, & imponet super altare hostiam odorem suauitatis, memoriale eius domino. Quod autem superfuerit ex ea, māducabit Aaron & filij eius. Azyma edetur in loco sancto, in atrio tabernaculi testimonij manducabunt eam. Non

Hebr.9 *Matth.13*

K coquetur fermentatum, partem illis hanc dedi ab hostiis domini, sancta sanctorum sunt, sicut est pro peccato, & pro delicto: omnes masculi sacerdotum edēt eam. Legitimum æternum in progenies vestras ab hostiis domini. Omnis qui tetigerit ea, sanctificabitur.] In his quæ proposita sunt, mos quidem sacrificandi sacerdotibus datur, & obseruantiæ quibus coli deus, vel purificari populus videretur, vel etiam in necessariis victus causa consuletur sacerdotibus & ministris. Offerendæ enim similę in sacrificio mensura posita est, quæ decima pars ephi appellatur, huic oleum superfunditur, & thus superponitur. Sed cum ad altare peruenerit, sacerdos, inquit, plenam manum ex ea sumet, ita vt intra plenitudinē manus concludat & oleum quod infusum est, & thus quod superpositum est, vt sit hoc libamen, & sacrificium deo in odorem suauitatis. Cætera, inquit, maneant sacerdotibus ad edendum, sed edenda ea tradidit lex in loco sancto, in atrio tabernaculi, ita vt nihil fermētetur ex eis. Hanc enim inquit, dedi partem sacerdotibus, & hæc sunt sancta sanctorum. Sed & aliud obseruari voluit, vt soli masculi edant ex eo, fœmina nulla contingat. Addit & hoc, quod qui tetigerit ea sanctificetur. Sed si velimus nūc ab iis, qui in manifesto Iudæi sunt, requirere de singulis qua ratione illud hoc modo dictum sit, aut illud alio modo, absoluta nobis responsione satisfacient, dicentes. Ita visum est legem danti, nemo discutit dominum suum. Et ideo cedentes eis in cæteris de hoc nouissi-

L mo sermone requiramus, vt dicant: quomodo omnis qui tetigerit ex sacrificio sanctorū, sanctificetur. Si homicida tetigerit, si profanus, si adulter, si incestuosus, sanctificatus erit? Nō enim excepit aliquem, sed dixit: omnis qui tetigerit ea, sanctificabitur. Ponamus enim, quòd etiam nunc integer sit status illius templi, offerantur hostiæ, sacrificia consumantur. Ingressus est aliquis templum scelestus, iniquus, impurus, inuenit carnes ex sacrificiis propositas, & tetigit eas, sanctificatus continuo pronunciabitur? Enimuero nullo modo, vel rei natura, vel veritas religionis hoc recipit: & ideo redeundum nobis est ad expositiones Euangelicas, atque apostolicas, vt lex possit intelligi. Nisi enim velamen abstulerit euangelium de facie Moysi, non potest videri vultus eius, nec sensus eius intelligi. Vide ergo quomodo in ecclesia apostolorum discipuli adsunt his quæ Moyses scripsit, & defendunt ea, quòd & impleri queant, & rationabiliter scripta sunt. Iudæorum verò doctores, & impossibilia hæc, & irrationabilia, sequentes literam faciunt. Igitur sacrificium, pro quo hæc omnia sacrificia in typo & figura præcesserant, vnum, & perfectum, immolatus est Christus. Huius sacrificij carnem si quis tetigerit, conti-

Lex exponenda ex Euangelio.

M nuo sanctificatur. Si immundus est, mundatur: si in plaga est, sanatur. Sic denique intellexit illa, de qua paulo ante memoraui, quæ profluuium sanguinis patiebatur, quia ipse esset caro sacrificij, & caro sancta sanctorum: & quia vere intellexit quæ esset caro sancta sanctorum, idcirco accessit. Et ipsam quidem carnem sanctam contingere non audet: nondum enim mundata fuerat, nec quæ perfecta sunt, apprehenderat: sed fimbriam tetigit vestimenti, quo sancta caro tegebatur, & fideli tactu virtutem elicuit ex carnę, quæ se & ab immunditia sanctificaret, & à plaga quam patiebatur sanaret. Non tibi videtur isto magis ordine stare posse dicta Moysi, quibus dicit: Omnis qui tetigerit ex carnibus sanctis, sanctificabitur? Has enim carnes, quas nos exposuimus, tetigerunt omnes, qui ex gentibus crediderunt. Has tetigit & ille, qui dicebat: Fuimus enim & nos aliquando stulti, & increduli, errantes, seruientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Sed cum benignitas & humanitas illuxit saluatoris nostri dei, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti. Et alibi dicit: Et hæc, inquit, quidem fuistis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Si enim (vt diximus) tangat quis carnem Iesu eo modo quo suprà exposuimus, tota fide, omni obedientia accedat ad Iesum, tanquam ad verbum carnem factum, iste tetigit carnem sacrificij, & san-

Mar.5 *Tit.3* *1.Cor.6*

A & sanctificatus est. Tangit autem carnes verbi & ille, de quo dicit Apostolus: Perfectorum autem est cibus solidus, eorum qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ac discretionem boni ac mali. Tangit ergo & ille carnem verbi Dei, qui interiora eius discutit, & occulta potest explanare mysteria. Et nos si haberemus talem intellectum, vt possemus singula quæ scribuntur in lege, spiritali interpretatione discernere, & obiectum vniuscuiusque sermonis sacramentum, in lucem scientiæ subtilioris educere: si ita docere possemus ecclesiam, vt nihil ex his quæ lecta sunt remaneret ambiguum, nihil relinqueretur obscurum: fortassis & de nobis dici poterat, quia tetigimus carnes sanctas verbi Dei, & sanctificati sumus. Sic autem accipio & illud quod dictum est, quia omnes masculi ex sacerdotibus edent eam. Nulla enim fœmina, nec remissa & dissoluta anima poterit edere carnes sanctas verbi Dei. Masculus quæritur qui eas edat. Masculi denique sunt, qui perducuntur & ad numerum, nusquam fœminæ, nusquam paruuli numerantur. Vnde & Apostolus dicebat: Cum autem factus sum vir, deposui quæ erant paruuli. Talis ergo iste masculus, & talis vir quæritur, qui carnes sanctas possit comedere, & comedere non in quocunque loco, sed in loco sancto, intra atrium tabernaculi. Audiant hæc qui scindunt ecclesiam, & peregrinas ac prauas inducentes doctrinas putant se sacras carnes extra templum Dei, & extra aulam dominicam posse comedere. Profana sunt eorum sacrificia, quæ contra mandati legem geruntur. B In loco sancto edi iubentur, intra atria tabernaculi testimonij sint. Atria tabernaculi testimonij sunt, quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, charitatis amplitudo dilatat. Vbi hæc non sunt, carnes sanctæ nec haberi possunt, nec comedi. Bene autem quod & ea, quæ ex sacrificio similaginis offeruntur, plena manu cum oleo offeruntur & thure, in odorem suauitatis Domino. Istum locum breuiter explanauit Apostolus Paulus ad Philippenses, dicens: Repletus sum accipiens ab Epaphrodito, ea quæ à vobis missa sunt in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. In quo ostendit, quod misericordia quidem, quæ erga pauperes fit, oleum infundit in sacrificio Dei: ministerium verò quod sanctis defertur, suauitatem thuris imponit. Sed hoc plena manu fieri debere præcipitur. Sic enim idem Apostolus dicit: Quia qui parce seminat, parce & metet. Qui autem seminat in benedictione, de benedictione & metet vitam æternam. Est tamen aliquid in ipso sacrificio, quod memoriale appellatur, quod offerri Domino dicitur. Ego si possem die ac nocte in lege Domini meditari, & omnes scripturas memoria retinere, memoriale sacrificij mei Domino obtulissem. Certe si non omnia possumus, saltem ea quæ nunc docentur in ecclesia, vel quæ recitantur, memoriæ commendemus: vt exeuntes de ecclesia, & agentes opera misericordiæ, & implentes diuina præcepta, C sacrificium cum thure & oleo offeramus in memoriam Domino. Ex his ergo edocemini, vt quæ auditis in ecclesia, tanquam munda animalia, veluti ruminantes ea reuocetis ad memoriam, & cum corde vestro quæ dicta sunt conferatis. Quod si aliqua memoriæ superfuerint, & intellectum vestrum superauerint, facite quod præsentis mandati auctoritas præcipit, dicens: Quod autem superfuerit ex iis manducabit Aaron, & filij eius. Si quid superauerit, & excesserit intellectum tuum, vel memoriam tuam, serua Aaron: hoc est, reserua sacerdoti, reserua doctori, vt ipse hæc manducet, ipse discutiat, ipse exponat: sicut & alibi ipse Moyses dicit. Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi, presbyteros tuos, & dicent tibi. Ipsi enim sciũt quomodo hæc Azyma debeant manducari, & in azymis synceritatis & veritatis exponi. Additur in sequentibus. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hoc munus, Aaron & filiorum eius, quod offerent Domino in die qua vnxeris eum, decimam partem ephi similaginis in sacrificio semper, dimidium eius mane, & dimidium eius post meridiem. In sartagine ex oleo fiet conspersa, offeret eam teneram, sacrificium de fragmentis, in odorem suauitatis Domino. sacerdos qui vnctus fuerit pro eo ex filijs eius, faciat ea, lege æterna omnia consummabuntur. Et omne sacrificium sacerdotis holocaustum erit, & non edetur.] In cæteris quidem præceptis, pontifex in offerendis D sacrificiis, populo præbet officium, in hoc verò mandato, quæ propria sunt curat, & quod ad se spectat, exequitur. Iubetur enim ex die, qua vnctus fuerit, semper & in perpetuum offerre similaginem oleo conspersam, teneram ex sartagine. Idque cognominat sacrificium ex fragmentis, in odorem suauitatis: & hoc lege æterna permanere, & transmitti ad posteros iubet. Addit sane obseruandum, ne vllum sacrificium sacerdotis, hoc est, quod pro seipso offert, edatur à quoquam: sed holocaustum fiat, quod est igni absumi. Præceptum quidem secundum literam clarum est, velim tamen videre qui in hoc typus, & quæ figura formetur. Dimidium sacrificij huius mane vult offerri, & dimidium vespere, certa mensura similæ oleo conspersæ teneræ à sartagine. Vide si non (vt ego suspicor) sacrificij sacerdotis hæc ipsa sit lex, quæ per Moysen promulgatur, cuius dimidium mane iubetur offerre, dimidium verò ad vesperam. Quam legem in duas partes diuidi præcepit, in literam videlicet, & spiritum. Et dimidiam quidem partem, quæ est litera, offerri iubet mane, primo scilicet legis tempore: quod illis quibus tunc secundum literam data est, nouam lucem, & nouum protulit diem, dimidium verò eius offerri iussit in vesperam. In vespera enim nobis datus est Saluatoris aduentus, in quo pars illa dimidia, hoc est, sensus vel spiritus legis, secundum quod lex spiritalis est, offeratur oleo conspersa tenera. Oleum ad misericordiam reuocatur, quæ debet in sacerdotibus abundare. Tenera ad subtilem & puram intelligentiam pertinet. Quod autem à sartagine dicitur, puto quod districtum, & multa continentia aridum, & torridum velit esse sacerdotem, in quo nihil remissum haberi ad luxuriam, nihil fluitans ad libidinem possit. Quod autem sacrificium ipsum ex fragmentis nominauit in odorem suauitatis, puto quod fragmenta sacerdotum velit intelligi: cum legis per eos litera frangitur, & cibus ex ea latens intrinsecus spiritalis elicitur: E vt audientes turbæ reficiantur, sicut & Dominus fecisse refertur in Euangelijs, vbi benedixit panes, & dedit discipulis, & discipuli cõfringentes apposuerunt turbis. Et cum satiati fuissent omnes, superfuerunt, inquit, fragmentorum cophini duodecim. Istud est ergo sacrificium ex fragmentis, cum minutatim quæ sunt legis sancta discutimus, vt spiritalem ex his cibum, purúmque capiamus. Et hæc, inquit, est lex æterna. Ioannes quidem Apostolus in Apocalypsi dicit esse Euangelium æternum: inuenimus & hic scriptum esse legem æternam. sed isti qui legem secundum literam sequi volunt, velim mihi nunc dicerent quomodo lex huius sacrificij esse possit æterna: cum vtique destructo templo, subuerso altari, & omnibus quæ dicebantur sancta, profanatis, ritus iste sacrificiorum non potuerit permanere. Quomodo ergo æternum dicent, quod olim cessasse, & finitum esse iam constat? Restat vt secundum eam partem lex hæc æterna dicatur, qua nos dicimus legem esse spiritalem, & per eam spiritalia posse offerri sacrificia, quæ neque interrumpi vnquam, neque cessare possunt. Non enim in loco est, qui subuertitur, aut in tempore quod mutatur, sed in fide credentis, & in corde sacrificantis. Sane quod ait, Non edetur de sacrificio sacerdotis, sed holocaustum erit, certum est ad Domini & Saluatoris nostri personam referri. F De illius enim sacrificio non edetur, sed holocaustum erit. Hoc in loco sacrificium, verbum ipsum accipiendum est, & doctrina, de qua nullus edet, hoc est, nullus disputat, nullus retractat, sed holocaustum est. Quicquid enim dixit, quicquid statuit, æterna consecratione perdurat, nec aliquis insanus inuenitur, aut profanus, qui retractare de eius sermonibus possit: quos tanquam holocaustum, sacrificium Deo oblatum, in omni cultu & veneratione habere debemus. Quia cœlum & terra transibunt, verba autem eius non transibunt, sed semper manent, sicut & ipse semper manet. Per ipsum Deo Patri cum Spiritu sancto, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Hebr.5. — *1.Cor.13.* — *In schismate vel hæresi sacrificia profana.* — *Philip.4.* — *2.Cor.9.* — *Obscuritates fidei ad sacerdotes referendæ.* — *Legis duæ partes litera & spiritus.* — *Matt.14.* — *Lex quo sensu sit æterna.* — *Apoc.14.* — *Matt.24.*

De eo quod scriptum est. Hæc lex peccati, in loco quo iugulabuntur holocausta, occident & id quod peccati est, &c.
Leuit. Cap. VI. Homil. III.

G ET locutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius dicens. Hæc est lex peccati, in loco quo iugulabuntur holocausta occident & id quod peccati est contra dominũ, sancta sanctorum sunt. Sacerdos qui offert illud in loco sancto edet, in atrio tabernaculi testimonii. omnis qui tangit de carnibus eius, sanctificabitur, & cuicunque aspersum fuerit ex sanguine eius, super vestimentum quodcunque respersum fuerit, & ipsum lauabitur in loco sancto, & vas fictile in quocunque coctum fuerit, confringetur: si autem in vas æreum coctum fuerit, defricabit illud, & diluet aqua. Omnis masculus ex sacerdotibus edet ea, sancta sanctorũ sunt domino. Et omnia quæ pro peccato sunt, ex quibus illatũ fuerit à sanguine eorũ in tabernaculo testimonij deprecari in loco sancto, non edentur, sed igni comburẽtur.] Hæc omnia nisi alio sensu accipiamus, quàm literæ textus ostendit, sicut sæpe iam diximus, cum in ecclesia recitantur, obstaculum magis & subuersionem Christianæ religioni quàm rationem ædificationémque præstabunt. Si verò discutiantur & inueniantur quo sensu hæc dicta sunt, & digne deo quæ hic scribuntur aduertantur, fiet quidẽ Iudæus qui hæc audit, sed non ille qui in manifesto, sed qui in occulto Iudæus est: secundum illam differentiam Iudæi, quam distinguit Apostolus dicens: Non enim qui in manifesto Iudęus est, neque quæ manifeste in carne est circuncisio, sed qui in occulto Iudæus est circunsione cordis, qui spiritu non litera, cuius laus non ab hominibus, sed ex deo est. Quam differentiam Iudæi visibilis & Iudæi inuisibilis non intelligentes impij hæretici, non solum ab his scripturis refugerunt, sed & ab ipso deo, qui legem hanc, & scripturas diuinas hominibus dedit, atque alium sibi deum, præter illum qui cœlum & terram condidit, confinxerunt, cũ vtique fidei veritas vnum eundémque deum legis & Euangeliorum teneat, visibilium & inuisibilium creatorem. Quia & cognationem plurimam visibilia cum inuisibilibus seruãt, ita vt apostolus dicat: Quia inuisibilia dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sicut ergo cognationem sui ad inuicẽ gerunt visibilia & inuisibilia, terra & cœlum, anima & caro, corpus & spiritus, & ex horum coniunctionibus constat hic mundus: ita etiam sanctam scripturam credendum est ex visibilibus & inuisibilibus constare: veluti ex corpore quodam, literæ scilicet quæ videtur: & anima, sensus qui intra ipsam deprehenditur: & spiritu, secundum id quod etiam quædam in se cœlestia teneat, vt Apostolus dicit, quia exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium. Quia ergo hæc ita se habent, inuocantes deum, qui fecit scripturæ animam, & corpus & spiritum: corpus quidem iis qui ante nos fuerunt, animam verò nobis, spiritum autem iis qui in futuro hæreditatem vitæ æternæ consequentur, per quam perueniant ad regna cœlestia: eam nunc, quam diximus legis animam requiramus, quantum ad præsens interim I spectat. Nescio autem si possumus etiam ad spiritum eius ascendere in his, quæ nobis de sacrificiis lecta sunt. Debemus enim eum, quem diximus in occulto Iudæum, sicut ostendimus quia non carne, sed corde circunciditur: ita ostendere quia & sacrificat non in carne, sed corde: & quia edet de sacrificiis non carne, sed spiritu. Sed videamus iam quę sunt illa, quæ referuntur in lege. Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, & filios eius dicens.

Duo Iudæorũ genera. Rom. 2

H *Iudæus visibilis, Iudæus inuisibilis.*

Rom. 1

Scriptura è duobus constat: vide Philonẽ apud Eusib. lib. 2. hist. cap. 17 Hebr. 8

Hæc lex peccati: & cætera quæ paulo ante recitata sunt. Et ante iam dixisse nos memini, quia lex non semper eisdem datur: sed alia quidem datur filiis Israel, alia autem filiis Aaron, alia etiam (sicut iampridem obseruauimus) Moysi & Aaron est: & alia lex quæ soli Moysi datur, ita vt nec Aaron legi ipsius particeps fiat. Quarum per singula distinctiones & diuersitates, quis ita scientiæ dono illuminatus à deo est, vt possit integre apertéque disserere? Inuenimus enim in consequentibus præceptum domini ad solum Moysen dari, & iuberi vt pectusculum arietis perfectionis Moysi detur, sicut præcepit, inquit, dominus Moysi. In qua portione neque Aaron, neque filij eius participes fiunt. Et inuenitur lex quæ pertinet ad arietem perfectionis, non posse peruenire vsque ad Aaron, neque ad filios eius, multo magis nec ad reliquos filiorum Israel, sed ad solum Moysen, qui erat amicus dei. Verum quid opus est, quæ postmodum recitanda sunt, præuenire? Nunc interim lex recitata est, quę ad Aaron & filios eius promulgatur, lex peccati, hoc est hostię quę offertur pro peccato: in loco, inquit, in quo iugulantur holocausta, ibi occident & id quod pro peccato est, in conspectu domini, sancta sanctorum sunt. Multa quidem iam (deo iuuante) de sacrificiorum ritu secundum spiritalem intelligentiam in superioribus dicta sunt, sed & nunc si gratia domini nos visitare dignetur, & vos orationibus annitamini, addemus quæ dederit dominus. Hostiarum quædam quidẽ sunt dei solius, ita vt nullus hominum participet ex ipsis. Quædam sunt Aaron sacerdotis, & filiorum eius: quædam ipsius, & filiorum & filiarum eius, ita vt etiam vxorem sacerdotis edere liceat ex his. Quædam sunt sacerdotum, & filiorum ac filiarum eorum, sed de quibus edere liceat etiam filios Israel. Et in illis quidem hostiis de quibus licet edere filios Israel, sine dubio habent participium etiam sacerdotes, & filij sacerdotum: non tamen ex omni hostia, quam edet sacerdos, etiam filios Israel edere licebit. Igitur cum istę sint hostiarum differẽtiæ, illam quam diximus solius dei esse, ex qua neque Moysen, neque Aaron, neque filios eius participare fas est, aliquando quidem holocaustomata nominari inuenimus: aliquando verò non holocaustomata, sed holocarpomata, veluti dicamus, quod totus fructus sit, ille scilicet qui deo offertur. Est ergo prima legislatio de sacrificiis, si tamen vel obseruastis vel retinetis diligẽter quę lecta sunt, ac disserta, & non transcurrunt aures vestras in vanum, vel quæ à nobis dicuntur, vel quæ ex diuinis voluminibus recitantur. Prima ergo est hostia, holocaustomata. Neque enim oportebat aliam primo hostiam nominari, nisi eam quæ omnipotenti deo offerebatur. Secunda hostia est, quæ ad edendum sacerdotibus mancipatur. Tertia, de qua etiam filios Israel contingere, vel edere, ipsos scilicet qui offerunt, fas est. Sed filios Israel non omnes, nisi illos tãtum qui mundi sunt. Soli enim qui mundi sunt de sacrificiis edere iubentur. Verũ istas omnes hostias tu qui in occulto Iudæus es, non in animalibus requiras visibilibus: nec in mutis pecoribus inueniri putes, quod offerri debeat deo. Istas hostias intra teipsum require, & inuenias intra animam tuam. Intellige te habere intra temetipsum greges boum, illos qui benedicuntur in Abraham. Intellige habere te & greges ouium, & greges caprarum, in quibus benedicti, & multiplicati sunt patriarchæ. Intellige esse intra te etiam aues cœli. Nec mireris quòd hæc intra te esse dicimus, intellige te & alium mundũ esse paruũ, & esse intra te solem, esse lunam, etiam stellas. Hoc enim si ita non esset, nunquam dixisset dominus ad Abraham: Aspice ad cœlum, & vide stellas, si dinumerari possunt à multitudine, sic erit semen tuum. Nec mireris inquam si dicitur ad Abraham, quia sic erit semen tuum sicut stellæ cœli: de illis scilicet qui ex fide eius geniti rationabiliter viuant, ac diuinas leges, & præcepta custodiant. Audi amplius aliquid saluatorẽ ad discipulos dicentẽ: Vos estis lux mũdi. Dubitásne esse intra te solẽ, & lunã, ad quẽ dicitur, quia lux sis mũdi? Vis adhuc amplius aliquid de teipso audire, ne forte parua de te & humilia cogitans, tanquã vilẽ negligas vitã tuã? Habet hic mũdus gubernatorem suum, habet qui eũ regat, & habitet in ipso omnipotentẽ deum, sicut ipse per prophetam dicit. Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit dominus? Audi ergo, ipse omnipotens deus quid etiam de te, hoc est, quid de hominibus dicat. Habitabo, inquit, in eis, & in ipsis ambulabo. Plus aliquid adhuc audi erga personam tuam. Et ero, inquit, eis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios & filias, dicit dominus. Habet hic mundus filium dei, habet spiritum sanctum, secundum quod dicit propheta: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et iterum alibi: Spiritus enim domini repleuit orbem terrarum. Audi & tibi quid dicit Christus: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et de spiritu sancto dicitur: Effundam de spiritu meo super omnẽ carnem, & prophetabunt. Cum ergo videas habere te omnia quæ mundus habet, dubitare non debes quod etiam animalia quæ

Lex nõ semper cõmunis omnibus.

K *Peccatum, id est, hostia pro peccato metonymicè.*

Hostiarum diuisio ratione participantium.

L *Holocarpoma.*

Hostiæ spiritales in cuiusque anima.

Homo paruus mundus.

M *Gen. 15*

Matt. 5

Hier. 23

Leuit. 26

Psa. 33 Sap. 1 Mat. 28 Ioel. 2

A quæ offeruntur in hostijs, habeas intra te, & ex ipsis spiritaliter offerre debeas hostias. Sed de illis (prout potuimus) in superioribus explanauimus. Nunc verò illud addimus, quod dicit: quia in loco in quo iugulantur holocausta, ibi etiam hostiæ pro peccato. Vide quàm multa misericordia & benignitas Dei est, vt vbi holocaustum iugulatur illud quod soli Deo offertur, ibi etiam hostia quæ pro peccato est, immolari iubeatur: quo scilicet intelligat se qui peccauit, & pœnitet, & conuersus ad Dominum contribulati spiritus hostiam iugulat, in loco iam sancto stare, & sociari his quæ pertinent ad Deum. Ibi ergo immolatur hostia pro peccato, vbi & holocaustum, in conspectu, inquit, Domini. Est fortassis in conspectu Domini offerre sacrificium, & non offerre in conspectu Domini. Quis ergo est qui offert in conspectu Domini? Ille (vt opinor) qui non exijt à conspectu Domini, sicut Cain, & effectus est timens & tremens. Si quis ergo est qui habet fiduciam adstare in conspectu Domini, & non fugit à facie eius, nec aspectum eius peccati conscientia declinat, iste in conspectu Domini offert sacrificium. Hanc ergo hostiam quæ offertur pro peccatis, dicit esse sancta sanctorum. Maius aliquid audere vult sermo, si tamen & vester sequatur auditus. Quæ est hostia quæ pro peccatis offertur, & est sancta sanctorum, nisi vnigenitus filius Dei, Dominus meus Iesus Christus? Ipse solus est hostia pro peccatis, & ipse est hostia sancta sanctorum. Sed quod addit, Sacerdos, inquit, B qui offert illud, edet illud, videtur difficile esse ad intelligendum. Illud enim quod edendum dicit, ad peccatum referri videtur: sicut & alibi dicit de sacerdotibus Propheta, quia peccata populi mei manducabunt. Vnde & hic ostendit, sacerdotem peccatum offerentis comedere debere. Sæpe ostendimus ex diuinis scripturis, Christum esse & hostiam quæ pro peccato mundi offertur, & sacerdotem qui offerat hostiam. Quod vno verbo Apostolus explicauit, cum dicit: Qui seipsum obtulit Deo. Hic ergo est sacerdos, qui peccata populi comedit, & consumit, de quo dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Saluator ergo & Dominus meus peccata populi edit. Quomodo edit peccata populi? audi quid scriptum est. Deus, inquit, noster, ignis consumens est. Quid consumit Deus ignis? Nunquid tam imperiti erimus, vt putemus quòd Deus ignis ligna consumat, aut stipulam, aut ferrum? Sed consumit Deus ignis humana peccata, illa absumit, illa deuorat, illa purgat, secundum quòd & alibi dicit: Et purgabo te igni ad purum, hoc est, manducare peccatum eius qui offert sacrificium pro peccato. Ipse enim peccata nostra suscepit, & in semetipso ea tanquam ignis comedit, & absumit. Sic denique econtrario eos qui permanent in peccatis, mors dicitur deglutisse, sicut scriptum est: Deglutiuit mors præualens. Hoc puto esse quod in Euangelio Saluator dicebat: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt accendatur. Atque vtinam & mea C terra accendatur igni diuino, vt vltra non adferat spinas & tribulos. Sic intelligere debes & illud, quod scriptum est: Ignis accensus est ab ira mea, comedet terram, & generationes eius. Dicit ergo lex, Sacerdos qui obtulerit, edet illud in loco sancto, in atrio tabernaculi testimonij. Consequens enim est, vt secundum imaginem eius qui sacerdotium ecclesiæ dedit, etiam ministri eius sint, & sacerdotes ecclesiæ peccata populi accipiant, & ipsi imitantes magistrum, remissionem peccatorum populo tribuant. Debent ergo & ipsi ecclesiæ sacerdotes ita perfecti esse, & in officijs semper sacerdotalibus eruditi, vt peccata populi in loco sancto, in atrijs tabernaculi testimonii, ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum? Locus erat sanctus, in quem peruenerat Moyses, secundum quod dictum est ad eum: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Similiter ergo & in ecclesia Dei locus sanctus est, fides perfecta, charitas de corde puro, & conscientia bona. Qui in his stat in ecclesia, in loco sancto stare se agnoscat. Neque enim in terra quærendus est locus sanctus, in quam semel data sententia est à Deo dicente: Maledicta terra in opere tuo. Fides ergo integra, & sancta conuersatio, locus est sanctus. In hoc itaque loco positus sacerdos ecclesiæ, populi peccata consumit, vt hostiam iugulans verbi Dei, & doctrinę sanæ victimas

Gen. 4.
Hostia pro peccatis Christus solus.
Christus hostia & sacerdos.
Heb. 10.
Psal. 110.
Deut. 4.
Mal. 3.
Luc. 12.
Deut. 32.
Sacerdotes ecclesiæ remissionem peccatorum tribuunt populo.
Exod. 3.
Gen. 3.

offerens, purget à peccatis conscientias auditorum. D Edit ergo sacerdos carnes sacrificij in atrio tabernaculi testimonij, cum intelligere potuerit quæ sit ratio in his, quæúe mysteria, quæ describuntur de atrijs tabernaculi testimonij. Ad hæc enim atria secreta & recondita nullus accedit, nulli hæc nisi sacerdotibus patent: si tamen pateant, si scientia sua, & intellectu mystico potuerint eorum secreta penetrare. Scio autem esse & alia quædam in ecclesia dogmata secretiora, quæ adire nec ipsis sacerdotibus liceat. Illa dico, vbi arca reconditur, vbi vrna, vbi manna, & tabulæ testamenti. Illuc ne ipsis quidem sacerdotibus datur accessus, sed vni tãtum pontifici, & huic semel in anno certis quibusque & mysticis purificationibus conceditur istud intrare secretum. Sunt & alia ecclesiæ dogmata, ad quæ possunt peruenire etiam Leuitæ, sed inferiora sunt ab his quæ sacerdotibus adire concessum est. Scio & alia esse, ad quæ possunt accedere etiam filij Israel, hoc est, laici: non tamen alienigenæ, nisi adscripti iam fuerint in ecclesia Domini. Ægyptius enim tertia generatione intrabit in ecclesiam Dei. Credo fidem Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in quam credunt omnes qui sociantur ecclesiæ Dei, tertiam generationem mysticè dictam. Veruntamen sciendum est, quod ex hostijs quę offeruntur, licet concedantur sacerdotibus ad edendum, non tamen omnia conceduntur: sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, & altaris ignibus traditur: vt sciamus etiam nos quod & si conceditur nobis aliqua ex diuinis scripturis apprehendere & agnoscere, sunt E tamen aliqua quæ Deo reseruanda sunt: quę cum intelligentiam nostram superant, sensúsque eorum supra nos sit, ne forte aliter à nobis quàm se habet veritas, proferantur, melius igni ista seruemus. Et ideo etiam in hoc loco, quæ quidem concessa sunt hominibus ad edendum, prout potuimus intra tabernaculum Domini cõsumpsimus: si qua verò supersunt, & vel nos in audiendo, vel nos superant in dicendo, seruemus igni altaris, tanquam eam partem, quæ pro peccato super altare Domini iubetur offerri. Et hæc est, inquit, lex arietis qui pro delicto est, sancta sanctorum, in loco in quo iugulantur holocaustomata, iugulabunt & arietem qui pro delicto est, contra Dominum, &c.] Videtur quidem in scripturis diuinis frequenter peccatum pro delicto, & delictum pro peccato indifferenter, & absque aliqua distinctione nominari: in hoc tamen loco inuenietur discretum. Nam cum superius hostia pro peccato ritum sacrificij atque ordinem tradidisset, nunc separatim mandat sacrificium pro delicto, & quamuis eodem ordine, atque eadem obseruantia cuncta mandentur, & addat in nouissimis: Sicut id quod pro peccato est, ita & id quod pro delicto est, lex vna erit eorum: tamen voluit ostendere esse aliquid dfferentiæ in his, quibus sacrificia diuisa mandauit. In quo puto ego delictum quidem commissum esse leuius aliquanto, quàm peccatum. F Nam inuenimus de peccato dici, quod sit peccatum ad mortem. De delicto non legimus quod esse dicatur ad mortem. Scio tamen & illam differentiam, quæ nonnullis sapientium visa est, quod delictum quidem sit, cum non facimus ea quæ facere debemus. Peccatum verò sit, cum committimus ea quæ committere non debemus. Sed hæc quoniam non semper in scripturis diuinis sub ista distinctione inuenimus, idcirco generaliter affirmare non possumus. Igitur eodem modo, atque eadem traditione de sacrificio quod pro delicto offertur, accipiendum est, quo & suprà exposuimus de eo quod pro peccato est. Similiter enim iubentur adipes arietis, ij qui circa renes sunt, & ij qui interiora operiunt, imponi super altare: vt & tu qui hæc audis, scias omne quod est intra te crassius, & operit interiora tua, debere te offerre igni altaris: vt purgentur omnia interiora tua, & dicas & tu, sicut & Dauid dicebat: Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Nisi enim ablata fuerit crassitudo illa quæ tegit interiora tua, non possunt subtilem & spiritalem capere sensum, nec possunt intellectum capere sapientiæ, & ideo Dominum laudare non possunt. Quod si ablatum fuerit omne quod pingue est de renibus, & omnibus interioribus viscerum, tunc vere purgatus omni vitio libidinis iugulasti hostiam pro delicto, & obtulisti sacrificium Deo in odorẽ suauitatis. Sacerdotis, in-

In ecclesia dogmata multorum generum.
Obscuriora relinquẽda Deo.
Differentia inter delictum & peccatum.
1. Ioan. 5.
Psal. 103.

G quit, qui offert illud & repropitiabit pro delicto, ipsius erit. Discant sacerdotes domini, qui ecclesiis præsunt, quia pars eis data est cum his, quorum delicta repropitiauerint. Quid autem est repropitiare pro delicto? Si assumpseris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, instruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, à vitiis emendaueris, & effeceris eũ talem, vt ei conuerso propitius fiat deus pro delicto repropitiare diceris. Si ergo talis fueris sacerdos, & talis fuerit doctrina tua, & sermo tuus, pars tibi dabitur eorum quos correxeris: vt illorum meritum, tua merces sit, & illorum salus, tua gloria. Aut non & Apostolus hęc ostendit, vbi dicit quia quod superædificauerit, quis mercedem accipiet? Intelligant igitur sacerdotes domini, vbi est his data portio, & in hoc vacent, atque his operam dent. Non se inanibus & superfluis actibus implicent, sed sciant se in nullo alio partem habituros apud deum, nisi in eo quod offertur pro peccatis: id est quod à via peccati conuerterint peccatores. Notandum etiam illud est, quod quę offeruntur in holocaustum, interiora sunt: quod verò exterius est, domino non offertur. Pellis domino non offertur, nec cedit in holocaustomata. Talis fuit & ille filius Iuda, qui dicebatur Her, quod interpretatur pellis. Propterea & Her pessimus erat, & occidit eum deus, quia isti tales domino non offeruntur. Et omne sacrificiũ quod fiet in clibano, & omne quod fiet in craticula, vel in sartagine, sacerdotis qui offeret illud ipsius erit. Quid

1.Cor.3 · *Gen.38*

H dicimus? Putamúsne quod omnipotẽs deus qui respõsa Moysi cœlitus dabat, de clibano, & craticula, & sartagine præciperet: vt disceret populus per Moysen, quia per hæc deus his propitius fiet, si quædam in sartagine frixerint, quædam in clibano coxerint, quædam in craticula assauerint? Sed non ita ecclesiæ pueri Christum didicerunt, nec ita in eum per Apostolos eruditi sunt, vt de domino maiestatis aliquid tam humile & tam vile suscipiant. Quin potius secundum spiritalem sensum, quem spiritus donat ecclesiæ, videamus quod sit istud sacrificium, quod coquatur in clibano, vel quis iste clibanus intelligi debeat. Sed vbi inueniam modo ad subitũ scripturam diuinam, quæ me doceat quis sit clibanus? Dominum meum Iesum inuocare me oportet, vt quærentem me faciat inuenire, & pulsanti aperiat, vt inueniam in scripturis clibanum, vbi possim coquere sacrificium meũ, vt suscipiat illud deus. Et quidem inuenisse me puto in Osee propheta vbi dicit: Omnes mœchantes, sicut clibanus succensus ad comburendum. Et iterum: Incaluerũt, inquit, sicut clibanus corda eorum. Cor ergo est hominis clibanus. Istud autem cor si vitia succenderint, vel libido inflammauerit, non coquet, sed exuret. Si verò ille id succẽderit, qui dixit, Ignem veni mittere in terram, panem scripturarũ diuinarũ, & sermonum dei, quos in corde suscipio, non exuro ad

Osee.7 · *Cor quidã clibanus.* · *Luc.12*

I perditionem, sed coquo ad sacrificium. Et fortassis illa coqui dicuntur in clibano, quæ interiora sunt, & recõdita, nec proferri facile ad vulgus possunt: Sunt enim multa in scripturis diuinis huiusmodi: sicut apud Ezechielem, cum vel de Cherubim, vel de deo, & de illa magnifica visione describitur. Hæc si in clibano non coquantur, comedi ita vt sunt cruda non possunt. Neque enim credẽdũ est, quod sit animal quoddam in forma leonis positum, quo vehatur deus, vel aliud in forma vituli, aut aquilæ. Hæc ergo & si qua huiusmodi sunt, non sunt cruda proferenda, sed in cordis clibano sunt coquenda. Tria itaque sunt hæc, in quibus dicit sacrificia debere præparari, in clibano, in sartagine, in craticula: & puto quòd clibanus secundum sui formam profundiora, & ea quę sunt inenarrabilia significet in scripturis diuinis. Sartago verò ea quæ si frequenter ac sæpe versentur, intelligi, & explicari possunt. Craticula autem ea quæ palam sunt, & absque aliqua obtectione cernuntur. Triplicem nanque in scripturis diuinis intelligentię inueniri sæpe diximus modum, historicum, moralem, & mysticum. Vnde & corpus inesse ei, & animam, ac spiritum intelleximus. Cuius intelligentiæ triplicem formam, sacrificiorum triplex hic apparatus ostendit. Sed & alibi inuenimus, id est in his ipsis, quæ de sacrificiis memorantur, dici canistrum sanctum perfectionis, in quo tres panes haberi mandantur. Vides consonare sibi sacramentorum omnium formas? Canistrũ perfectionis, in quo tres panes poni iubentur, quid aliud debemus accipere, nisi scri-

Ezech.1. · *Sacrificia in tribus parabãtur.* · *Triplex scripturæ sensus.*

K pturas diuinas, cibos auditoribus tripliciter apponentes? Vis tibi & de euangeliis similis mysterij proferamus exempla? Recolamus domini vocem, vbi dicit, quia medio noctis venit quidam ad amicum suum pulsans ostium eius, & ait: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus mihi superuenit de via, & non habeo quod ponam ei. In quibus (vt breuiter perstringamus) nox est tempus hoc vitæ, & tres panes sunt, vnus qui in clibano, alius qui in sartagine, tertius qui in craticula coquitur. Post hæc inquit: Et omne sacrificium factum in oleo siue non factum, omnibus filiis Aaron erit singulis æqualiter. Quod sacrificium factũ est in oleo, vel quod est non factũ in oleo? Sacrificium salutaris in oleo fieri iubetur, sicut suprà iam diximus. Sacrificium verò pro peccato non fit in oleo. Dicit enim: Non superponet ei oleũ, quoniã pro peccato est. Quod ergo pro peccato est, nec oleum lætitiæ ei, nec thus suauitatis imponitur. De peccãtibus enim dicit apostolus: Et lugeam eos, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Nec odor in eo suauitatis est, quia ex persona peccatoris dicitur: Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Hæc interim à nobis obseruata sunt de superiori capitulo, vbi lex sacrificij scribitur pro delicto. Non autem dubito multa esse, quæ nos latent, & sensum nostrum superant. Non enim sumus illius meriti, vt & nos dicere possimus: Nos autem sensum Christi habemus. Ipsi enim plus est

Luc.11 · *2.Cor.12* · *1.Cor.2*

L sensus Christi, cui patent vniuersa, quæ in legibus sacrificiorũ intra literæ continentur arcanum. Si enim mererer vt daretur mihi sensus Christi, etiam ego in his dicerem: Vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis, quæ & loquimur. Sed nunc cõtenti paruitate sensus nostri, secundi capituli videamus exordium. Hæc est, inquit, lex sacrificij salutaris, quod offerent domino. Siquidem pro laudatione offerent illud, & offerent ad sacrificium panes laudationis ex simila factos in oleo, & lagana azyma vncta oleo, & similaginem cõspersam in oleo, super panes fermentatos offeret munera sua, quia sacrificium laudationis salutaris eius est: & offeret ab eo vnum de omnibus muneribus suis separationem domino, sacerdoti qui effundit sanguinem salutaris, & carnes sacrificij laudationis salutaris, ipsi erunt, & in qua die donum offertur, manducabunt, & non derelinquent ex eo vsque in mane.] Sacrificium hoc, quod salutare appellatur, in duas diuidit partes, & vnam quidem laudationis nominat, alteram voti, vtrunque tamen sacrificium, salutare nominatur. Verum quoniam non est nobis nunc secundũ literã instaurare sacrificia, requiramus in nobis quisnam est tantus ac talis, qui sacrificiũ salutare, & sacrificium laudis offerat deo. Ego illum esse arbitror, qui in omnibus actibus suis facit laudari deum, & im-

Ibid. · *Sacrificiũ salutare siue pacificũ duplex laudis & voti*

M pletur per eum illud quod dominus & saluator noster dicit: Vt videant homines opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Ille ergo obtulit sacrificium laudis, pro cuius actibus, pro cuius doctrina, verbo, & moribus, & disciplina, laudatur & benedicitur deus, sicut è contrario sunt illi, de quibus dicitur: Quia per vos nomen meum blasphematur inter gẽtes. Obserua tamen & hic, quomodo panes ex simila facti in oleo, & lagana azyma vncta oleo, & simila cõspersa in oleo ponitur, & triplici iterũ sacramento hostia salutaris offertur, & ad vltimum, sacerdoti, inquit, qui effundit sanguinem sacrificij salutaris ipsi erit. Superius dixit: Sacerdoti qui propitiabit ipsi erit. Hic sacerdoti qui effundit sanguinem sacrificij salutaris, ipsi erit. Digno ordine vtitur, prius enim repropitiatio quærenda est, & post hæc offerendum sacrificium salutaris. Neque enim salus esse cuiquam potest, nisi prius sibi propitium faciat Deum. Sed & carnes, inquit, sacrificij laudationis salutaris ipsi edunt. Sæpe iam diximus quòd carnes in scripturis solidum indicant cibum, perfectámque doctrinam. Secundum scripturas scio esse animæ cibum quendam lactis, & alium cibum animæ olerum, & alium carnis, sicut ipse Apostolus de quibusdam dicit: Quia lacte vos potaui, non esca. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis. Adhuc enim estis carnales. Et iterum alibi dicit: Alius quidẽ credit manducare omnia, qui autẽ infirmus est olera manducat. Et rursum alibi: Perfectorũ autẽ est cibus solidus, & cæt. Hic ergo carnes sacrificij salutaris, quod

Matth.5 · *Rom.2* · *1.Cor.3* · *Rom.14* · *Heb.5*

A quod offertur pro laudatione, ipsius iubentur esse sacerdotis. Ex simila verò tripliciter oblata (vt suprà diximus) vnum tantum quod placuerit sacerdoti deputatur: cætera offerentis sunt laici, ita tamen vt sub die comedantur, nec remaneat ex his aliquid in mane. Carnes ergo in quibus solidus cibus est, & perfecta scientia, sacerdotibus deputantur, quia debent in omnibus esse perfecti, in doctrina, in virtute, in moribus. Si enim hoc in se non habuerint, de sacrificiorum carnibus non edent. Vnum verò illud quod separatur, tanquam præcipuum ex tribus quæ ex simila præcepta sunt, in hoc illam partem scientiæ arbitror designari, de qua superius diximus, quæ perfectam indicat profundámque doctrinam. Sed requires fortasse, cum superius fermentum penitus abiecerit de sacrificiis, quomodo nunc super panes fermentatos sacrificium mandat imponi? Verum diligentius intuere, quia non ad sacrificium, sed ad ministerium sacrificij fermentatus panis assumitur. Quid ergo hic sit agendum, videamus. Dominus in Euangeliis humanam doctrinam Pharisæorum, qui tradebant traditionem præcepta hominum, fermentum appellat, cum dicit discipulis: Obseruate à fermento Pharisæorum. Similiter ergo humana doctrina est (verbi B causa) grammatica ars, vel rhetorica, vel etiam dialectica. Ex qua doctrina ad sacrificium quidem, hoc est in his quæ de deo sentienda sunt, nihil suscipiendum est, sermo verò lucidus, & eloquentiæ splendor, ac disputandi ratio, ad ministerium verbi dei decenter iubetur admitti. An non super hoc fermentum habebat verbi dei sacrificium positum ille qui dicebat: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. & Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, & alia his similia ex fermento sumpta Græcorum. Quod autem dicit, sub die comedetur, nec derelinquetur ab eo vsque in mane, conferamus cum cæteris sacrificiis, & videamus quæ sit ratio quòd in hoc quidem sacrificio salutari, eadem die quæ offeruntur præcepit comedenda: in alio vero sacrificio, etiam in secundam diem seruari indulget, & vsque in tertiã, tertia verò iam die igni tradi quæ superfuerint, ne polluant offerentem. Quid ergo habeat ista differentia, videamus. Sed verè indigemus auxilio dei, qui omnes adipes contegentes interiora nostra dignetur abscindere, & omne crassioris sensus velamen auferre, vt hæc secundum id quod à deo mandari dicitur, possimus aduertere. Conferamus igitur ipsam sibi scripturam diuinam, & quam aperuerit nobis absolutionis semitam subsequamur. Inuenimus enim de sacrificio Paschæ, quod in vespera immolari iubetur, dari mandatum similiter, vt nihil remaneat ex carnibus vsque in mane. Nõ est hoc ociosum quod hesternas carnes vesci non vult nos sermo diuinus, sed recentes semper & nouas, eos verò maximè C qui sacrificium Paschæ, vel sacrificium laudis immolant deo, nouas verò carnes, & recentes ipsius diei edere iubet, hesternas prohibet. Recordatus sum simile aliquid & prophetam Ezechielem dicere, cum ei dominus præcepisset, vt coqueret sibi panes in stercore humano. Respondit enim domino & dixit: O domine, nunquam contaminata est anima mea, & morticinum aut immundum non introiuit in os meum. Sed neque caro hesterna introiuit in os meum. De quo sæpe apud memetipsum requirebam quænam esset ista prophetæ exultatio, qua velut magnum aliquid ante deum proferret, & diceret, quia nunquam carnem hesternam mãducaui. Sed vt video, hinc edoctus, & ex istis imbutus mysteriis, hæc propheta loquebatur ad dominum, quia non ita abiectus, & degener sum sacerdos, vt hesternis, id est veteribus carnibus vescar. Audite hæc omnes domini sacerdotes, & attentius intelligite quæ dicuntur. Caro quæ ex sacrificiis sacerdotibus deputatur, verbum dei est quod in ecclesia docent. Pro hoc ergo figuris mysticis commonentur, vt cum proferre ad populum sermonem cœperint, non hesterna proferant, non vetera quæ sunt secundum literam proloquantur, sed per gratiam dei noua semper proferant, & spiritalia semper inueniant. Si enim ea quæ didiceris à Iudæis hesterno, hæc hodie in ecclesia proferas, hoc est hesternam carnem sacrificij edere. Si meministis, etiam in oblationem primitiarum eodem sermone vsus est Legislator, vt sint, inquit, noua & recentia. Vides vbique ea, quæ ad laudes dei

Mat. 16.

Quid sumẽdũ ex humanis disciplinis, nempe sermo & tractatio non res.

1. Cor. 15.
Tit. 1.

Ezech. 4. Hebraica & nostra exemplaria aliter legũt.

pertinent (hoc enim est sacrificium laudis) noua, & recen- D tia esse debere, ne forte cum vetera profers in ecclesia labia tua loquentur, & mens tua sine fructu sit. Sed audi quid dicit Apostolus: Si, inquit, loquar linguis, spiritus meus orat, sed mens mea sine fructu est. Quid igitur est? orabo, inquit, spiritu, orabo & mente: psalmum dicã spiritu, psalmum dicam & mente. Ita ergo & tu siue ex eruditione spiritali, & ex dono gratiæ dei, præsentem & recentem protuleris sermonem in laudibus dei, os quidem tuum offert sacrificium laudis, sed mens tua pro sterilitate hesternæ carnis arguitur. Nam & dominus panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis: Accipite & manducate, non distulit, nec seruari iussit in crastinum. Hoc fortasse mysterij continetur etiã in eo quod panem portari non iubet in via, vt semper recentes, quos intra te geris, verbi dei panes proferas. Denique Gabaonitæ illi propterea condemnantur, & ligni cæsores, vel aquæ gestatores fiunt, quia panes veteres ad Israelitas detulerunt, quibus lex spiritalis iubebat semper vti recentibus & nouis. Alia sanè sacramentorum figura est, quæ iubet etiam in altera die, quod superfuerit edi, nihil verò in tertiam diem reseruari, de qua suis locis videbimus. Sed ne illud quidem nos lateat, esse quoddam tempus, in quo benedictio sit veteribus vesci. Nam de anno septimo, qui remissionis annus vel sabbaticus nominatur, ita dicitur: Manducabis, inquit, vetera, & vetera veterum. Tunc sub septimi anni mysterio (vt diximus) benedictio est vetera manducare, nunc vero E prohibetur. Sed multus est excessus hærere per hæc singula, & ex occasione testimoniorum longius euagari, cum explanationem sacrificiorum habeamus in manibus. Dicitur ergo in sequentibus, quòd si votum fuerit, aut si voluntarium sacrificauerit munus suum, quacunque die obtulerit sacrificium suum edetur & altera die. Et quod superfuerit de carnibus sacrificij vsque in diem tertium, igne cremabitur. Si autem manducans manducauerit ex carnibus die tertia, non erit acceptum ei, qui offert illud, non reputabitur ei, coinquinatio est. Anima autem si qua manducauerit ex eo, peccatum accipiet. Hoc est nimirum quod & Dauid dicit in psalmis: Fiat oratio eius in peccatum, quando non solum nihil meriti, sed etiam culpæ multum ex sacrificiis quæritur. Audis enim Legislatorem decernere, quia si quis manducauerit ex eo quod superfuerit in tertiam diem, peccatum accipiet. Vnde cognoscendum est quanta humanæ conditioni peccatorum labes immineat, cùm oriatur etiam inde peccatum, vnde hostia propitiationis offertur. Hæc credo considerans beatus Dauid, dicebat in psalmis: Peccata quis intelligit? Voti igitur & voluntatis sacrificium est, quo & secunda quidem die vesci fas est, penitus verò abiuratur in tertiã. Sed dat remedium negligentibus. Si, inquit, inualidus fueris, & non potueris omnes carnes sacrificij secunda finire die, nihil de his in die tertia comedas, sed igni trade quod su- F perest. Si enim volueris post duos dies manducare de sacrificio, peccatum accipies. Ego (prout sensus mei capacitas habet) in hoc biduo puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum quod ad deum pertinet (hoc enim est sacrificium) requiri, & discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem superfuerit, quod non diuina scriptura decernat, nullam aliam tertiam scripturam debere ad auctoritatem scientiæ suscipi, quia hæc dies tertia nominatur, sed igni tradamus quod superest, id est deo reseruemus. Neque enim in præsenti vita deus scire nos omnia voluit, maxime cum id & Apostolus dicat: Quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus. Cũ venerit autẽ quod perfectũ est, destruetur illa quę ex parte sunt. Iste est ergo ignis, cui quæ in tertium diem superfuerint, seruare debemus, & nõ temeritate præsumpta assumamus nobis cunctorũ scientiam, vt merito nobis dicatur ab eodem Apostolo, Nescientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ne forte ergo non fiat acceptum sacrificium nostrum, & hoc ipsum quod ex diuinis scripturis cupimus scientiam capere, vertatur nobis in peccatum, seruemus eas mensuras, quas nobis per Legislatorem lex spiritalis enunciat. Et carnes quæcunque tactæ fuerint ab omni immundo, non manducabuntur, igni cremabuntur. Omnis mundus manducabit car-

1. Cor. 14.

Mat. 26. Corpus domini.

Ios. 9.

Annus sabbaticus.

Psal. 109.

Psal. 18.

Nulla tertia scriptura.

1. Cor. 13.

1. Tim. 1.

G nes,& anima quæcunque mãducauerit carnes sacrificij salutaris quod est domino,& immũditia eius in eo fuerit, peribit anima illa de populo suo. Et anima quæcunque tetigerit omnem rem immundam, vel ab immũditia hominis, vel quadrupedum immundorũ, vel ab omni abominato immundo, & manducauerit ex carnibus sacrificij salutaris quod est domini, peribit anima illa de populo suo.] Triplices immunditiæ causas hic Legislator exposuit. Vnam, ne carnes sacrificiorũ aliqua immunditia contingantur. Aliam, ne is qui edit carnes sacrificij, immundus sit, & immũditia eius in ipso sit. Tertiam, quod etsi carnes mundæ sint, & ipse qui edit mundus sit, tamen ne contigerit aliquid immundum, vel à pecoribus vel ab auibus, vel ex omnibus quæ immunda pronunciata sunt. Et hæc quidem voluntas est Legislatoris de ritu sacrificiorum corporalium sancientis. Secundum nostre verò expositionis ordinem, vbi carnes sanctæ verba intelligãtur esse diuina, huiusmodi habenda est obseruatio, quia sæpe accidit mundas carnes contingi ab aliquo immundo, vt (verbi causa dixerim) si quis de deo patre, ac de vnigenito eius, & spiritu sancto, digno deitatis mysterio purum faciat syncerúmque sermonem, similiter & de omnibus creaturis rationabilibus tanquam à deo factis ad hoc vt caperent & intelligerent eum, non autem consequenti mysterio afferat etiã carnis resurrectionẽ, primus quidem sermo eius quem perfecte

Tres causæ immũditiæ.

Sensus spiritalis.

H & sancte disseruit, solidus cibus est, carnes sanctæ sunt, hoc verò quòd his addit, resurrectionis carnis negando gloriam quia alienum à fide est, superioribus iunctum perfectis & fidelibus verbis, sanctas carnes contaminauit & polluit. Ideo ergo præcepit Legislator ne manducẽtur huiusmodi carnes, quibus immunditia infidelitatis alicuius adiungitur. Propterea & apostolus dicit: Etenim diem festum celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Secundum immunditiæ genus est, ne ipse qui carnes edit, immũdus sit, & immunditia eius in ipso sit, quod hoc modo intelligi potest, verbi gratia, si sit aliquis naturæ florentis, & ardentis ingenij, non cõtinuo aptus videbitur ad suscipienda verbi dei mysteria, sed quæritur etiam hoc, vt prius à profanis actibus, & immũdis operibus separetur, & ita demũ eruditionis capax si prius capax fuerit sanctitatis. Simile his in Numeris legimus scriptum, vbi dominus carnes cœlitus dedit filijs Israel & dicit: Sanctificamini in crastinum, vt mãducetis carnes, hoc ostendens, quod nisi sanctificati essent prius, & mundi effecti carnes eis non daret Deus. Bene autem clementiam domini Legislator ostendit, vt non diceret quia non manducet carnes in quo fuit immunditia, sed ait, in quo immunditia eius

1. Cor. 5.

Improbi nõ sunt idonei ad Theologiam.

Num. 11.

I in ipso est. Nemo etenim ferè inuenitur, in quo non fuit immunditia. Inueniri autem potest, in quo fuerit quidem, sed audita lege domini vltra iam non sit. Quod si permanet in eo immunditia sua, & his auditis conuerti non vult, & emendari, peribit, inquit, anima illa de populo suo. Tertia est immunditiæ species, qua is qui mundus est, si aliquid contigit immundum, non tam suo peccato, quàm aliena contagione polluitur: vt puta si quis societur amicitiis & consortio hominis liuidi, vel iracundi, vel adulteri, & ipse quidẽ propriis actibus non inferatur sceleribus eius, videat tamen eum, & intelligat quomodo fratrem suum odit, & homicida est, vel quomodo insidiatur alienæ mulieri, & adulter est, vel quomodo in cæteris quibusque sacrilegus est, nec deprehensis his discedat ab eius consortio, iste est qui contigit immundum, vel animal, vel auem, vel morticinum, & aliena immunditia ipse pollutus est. De diuersitatibus autem immundorũ, prout occurrere potuit, in superioribus diximus. Aut non & Apostolus secundum hanc eandem præcepit formam, cum dicit: Nunc autem scripsi vobis in epistola, vt non cõmisceamini fornicariis, si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere? In quibus omnibus quid est aliud quod præcepit, nisi ne nos ab alienis peccatis & immunditiis polluamur? Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicẽs: Loquere filiis Israel dicẽs: Omnẽ adipem boum, & ouium, & caprarum, non edetis & adeps morticinorum, & à fera captorum non erit ad omne opus, & in esca nõ edetur. Omnis

Immũditia legis indicabat vitia animi.

1. Cor. 5.

qui adipem edet ex pecoribus ex quibus offertis ab eis hostiam domino, peribit anima illa de populo suo. Et omnem sanguinem non edetis in omni habitatione vestra, à pecoribus, & à volatilibus. Omnis anima quæcunque manducauerit sanguinem, peribit anima illa de populo suo.] Adipes quidem eorum animalium, quæ in sacrificiis offeruntur, & aliorum nonnullorum edi vel in vsu haberi abnegat Legislator, sanguinem verò omnis carnis comedi vetat. In superioribus locum mysticum pertractantes, vbi vitulus in holocaustum dabatur pro peccato, & adipes imponebantur altari sanguinem quidem quo ex patre aliqua cornua liniebantur, reliquus verò ad basim effundebatur altaris, in eorum accipiemus figurã, qui residuus dicitur Israel, & postquam plenitudo gẽtium subintroierit, salutem in nouissimis sperant. Adipes verò animam diximus Christi, quæ est ecclesia amicorum eius, pro quibus animam suam posuit. potest ergo fieri & in hoc loco, vt quod mandatur ne quis adipes edat ex his quæ domino offeruntur, hoc sit quod & dominus dicit: Ne quis scandalizet vnum ex his minimis, qui credunt in me. Quod autem sanguis nullius animalis edi iubetur, illud fortasse sit, quod de Israelitis dicit Apostolus: Dicis ergo, si fracti sunt rami vt ego inserar. Bene propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Et iterum: Noli gloriari aduersus ramos. quo scilicet casui eorum nullus insultet. Ne forte sicut idem Apostolus dicit, & tu excidaris, & illi si non permanserint in incredulitate inserãtur. Sanguis autem puto quod populus ille competenter intelligatur. Non enim ex fide, neque ex spiritu Abraham, sed tantum ex sanguine eius descendunt. Post hæc: Et locutus est dominus ad Moysen dicens, filiis Israel loquere dicens: Qui offert sacrificium salutaris sui domino, offeret munus suum domino in sacrificio salutaris sui, manus eius offerent hostiã domino, adipem qui super pectusculum est, & pinnam iecoris: offeret ea ita, vt ponatur donum contra dominum, & imponet sacerdos adipem, qui est super pectusculum, super altare, & erit pectusculum Aaron & filiis eius, & brachium dextrum dabitis separationem sacerdoti à sacrificiis salutaribus vestris, qui offert sanguinem salutaris, & adipem ex filiis Aaron, ipsi erit brachium dextrum in parte, pectusculũ enim impositionis, & brachium demptionis accepi à filiis Israel à sacrificiis salutaribus vestris, & dedi ea Aaron sacerdoti, & filiis eius legitimum æternum à filiis Israel.] Hoc est sacrificium quod dicitur salutare. Quod sacrificiũ nemo offert domino, nisi qui sanus est, & salutis suæ conscius, gratias domino refert. Nemo ergo qui æger est animo, & languidus in operibus, offerre potest sacrificium salutare. Vis videre quia nemo æger & languidus non potest illud offerre sacrificium? Leprosus ille, quem in euangelio dominus curasse describitur, nõ poterat offerre hostiam, donec lepræ ægritudine tenebatur. Cum autẽ accessit ad Iesum, & mundatus est, tunc iubetur ei à domino offerre munera ad altare, quod præcepit, inquit, moyses in testimoniũ illis. Audisti quis sit, qui offerre debet hostiã salutaris, audi nũc quomodo debeat offerre. Manus, inquit, eius offerent hostiam domino. Nunquid non euidenter clamat Legislator, quia nõ homo est qui offert hostiam, sed manus eius, id est opera eius? Opera nanque sunt, quæ commendant hostiam deo. Si enim attracta sit manus tua ad dandum, & expansa ad accipiendum, intra te est adhuc lepra tua, & offerre non potes hostiam salutaris. Manus ergo eius offerent sacrificium salutaris, & manus eius offerent ea, quæ domino offerenda sunt, id est adipem qui super pectusculum est, & pinnã iecoris. In hoc loco vbi nos habemus manus eius offerẽt hostiam domino, in Græcis habetur pro hostia ὁλοκαρπώματα, quod intelligitur omnem fructum: per quod ostendit non posse domino offerre omnem fructũ eum qui infructuosus est, qui non affert fructum iustitiæ, fructum misericordiæ, vel etiam fructus spiritus, quos enumerat apostolus, charitatem, gaudium, pacem, patientiam, vnanimitatem, & cætera his similia. Vnde & in alio loco propheta dicit: Et holocaustum tuum pingue fiat. Offeret ergo adipes, qui super pectusculum sunt, & pinnam iecoris, quæ superponantur altari. De adipibus sæpe iam diximus.

Israel residuus. K

Mat. 18.

Rom. 11.

L

M

Peccatores prius curentur deinde deo sacrificent.

Mat. 8.

Citat Græca interpres, non Origenes

Gal. 5.

Psal. 20.

A mus. Quod autem dicit, adipes qui super pectusculum sunt, pectusculum tuum intellige esse cor tuum, de quo tibi auferendæ sunt omnes malæ cogitationes: inde enim procedũt, & altaris igni tradendæ sunt, vt possit cor tuum mundum effectum deum videre. Sed & pinnam iecoris præcepit offerendam. Diximus & ante, iecoris pinnam, loco iracundiæ, vel cupiditatis exponi, offert enim pinnam iecoris, qui ex se omne vitium iræ, & furoris excidit. Adipes ergo qui sunt super pectusculum, imponuntur altari: ipsum verò pectusculum, Aaron & filij eius, sed & brachium dextrum separari præcepit, & esse eis muneris loco ex sacrificio salutari. Vide quibus muneribus honoratur sacerdos. Pectusculum accipit, & brachium, sed brachium dextrum. Putamus non esse aliquid rationis, quod ex omnibus membris animalium, quæ iugulantur in sacrificiis, hæc potissimum membra delecta sint? Ego puto quod si quis dicit se esse sacerdotem dei, nisi habeat pectus ex omnibus membris electum, non est sacerdos: & nisi habeat brachium dextrum, non potest ascendere ad altare domini, nec sacerdos nominari. Quod ergo est sacerdotis pectus, aut quale? Tale ego puto esse, quod plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni diuina intelligentia: & quid dico plenum intelligentia? imò quod plenum sit deo. Quale est & brachium sacerdotis, quod ei offerunt filij Israel pro salute sua, qua saluantur. Formæ sunt singula ista quæ scribuntur in lege, eorum quæ in ecclesia geri debeant. Alioquin nec fuisset necessarium legi hæc in

Matt. 5. *Iecur sedes iracundiæ.*

Qualis debeat esse sacerdos.

B ecclesia, nisi ex his ædificatio aliqua audientibus præberetur. Si ergo sacerdos ecclesiæ per verba, & doctrinam, & multam sollicitudinem suam, & laborem vigiliarum, conuertere potuerit peccatorem, & docere eum, vt meliorem viam sequatur, vt ad timorem dei redeat, cogitet spem futuram, à malis actibus desinat, & conuertatur ad bonos: si inquam tale opus fecerit, consequens est eum, qui in ipsius labore saluatur, deo gratias agere, & offerre hostiam salutaris, pro eo quod salutem consecutus sit. In qua hostia pars efficitur sacerdotis, pectusculum & brachium dextrum: vt sit indicium quod pectus eius & cor quod ante mala cogitabat, sacerdotis labore conuersum, recepit cogitationes bonas, & ita mundatũ est, vt etiam Deum possit videre. Similiter & in brachio illud indicium est, quod mala eius opera & sinistra, quæ sunt vtique praua, & non bona, conuertit in dextram, vt essent secũdum Deum: & hoc est dextrum brachium, in quo pars esse dicitur sacerdotis. Sed & vos deprecamur, qui hæc auditis, detis pectuscula, offeratis pectora vestra sacerdotibus dei, vt auferant ex his omne quod crassum est, vt sacerdotalem eam faciant portionem. Date nobis etiam brachia, sed dextra à vobis poscimus brachia: sinistrum nihil volumus, dextra à vobis opera requirimus. Sed & hoc quod addit pectusculum dici appositionis, & brachium demptionis,

Hortatio.

C non mihi sine causa dictum videtur. Et ideo velim requirere quid est quod apponendum est ad pectusculum, vt fiat pectusculum appositionis. Posteaquam ablatum fuerit à corde tuo omne quod crassum est, & emundatum fuerit ab omni operimento, vel inquinamento, quod igni tradendum est, restat vt apponatur ei gratia spiritus sancti, & tunc fiet pectusculum appositionis, sed & brachium separationis, siue demptionis. Quomodo erit & brachium separationis? Si scias, & intelligas discernere quæ sint opera lucis, & quæ sint opera tenebrarum, & separes actus tuos de tenebris, vt sint opera tua in lumine, brachium tuum efficitur brachium separationis: vel cum separaueris te ab omni fratre inquiete ambulante: vel certe cum secundum prophetam separant se, & exeunt de medio peccatorum, qui portant vasa domini. Denique vernacula quadam consuetudine scripturæ, commune esse dicitur quod immundum est. Sicut & ad Petrum vox de cœlo dicit: Quod deus mundauit, tu commune ne dixeris. Consequenter ergo si id quod immũdum est, commune appellatur, quod sanctum est, nominabitur separatum. Sed & illud addimus. Si quis dei solius seruus est, communis non potest dici. Si quis autem communis est, dubium non est quod multorum sit, & ideo communis dicatur. Grande est in hoc sermone mysterium, quod Israel secundum carnem in vsu sensum quidem habet, sed intellectũ

Esa. 42. & 52. *Act. 10.* *Separatum sumitur pro sancto.*

non habet. Communem dicunt & illi hominem immundũ, D sed cur communis dicatur, ignorant. Discant ergo ab ecclesia, quia qui sanctus est, solius dei est, & cũ nullo ei communio est. Qui autem peccator est & immundus, multorum est. Multi enim dæmones possident eum, & ideo communis appellatur. Denique & ille, qui in euangeliis à domino curatus est, cum interrogatus esset, quod tibi nomen est: dixit, Legio, multi enim sumus. Hæc licet in excessu quodam, necessaria tamen addita videntur, vt mysterium pectusculi appositionis, & brachij separationis, quare scriptum sit dissereremus, quæ est æterna portio sacerdotibus data. in qua dignos nos facere dignetur, vt per cordis puritatem, & operum probitatem, in diuino sacrificio habere participium mereamur, per æternum pontificem dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, per quem est deo patri cum spiritu sancto gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Mar. 5.

De indumentis Pontificis, & sacerdotum. Leuit. Cap. VIII. Homilia VI.

CAVSAM, qua quidem hæc quæ nobis recitantur, aut intelligi possunt, aut non intelligi, breuiter ostendit Apostolus, dicens ab eius oculis posse veteris testamenti velamen auferri, qui conuersus ad deum fuerit: ex quo sciri voluit, quod quanto minus hæc nobis plana sunt, tanto minus est ad deum nostra conuersio. Et ideo omni virtute nitendum est, vt ab occupationibus seculi, & à mundanis actibus liberi, & ipsas etiam (si fieri potest) superfluas sodalium fabulas relinquentes, verbo dei operã demus, & in lege eius meditemur die ac nocte, vt toto corde conuersi, reuelatam, & apertam Moysi faciem possimus aspicere, & maxime in his, quæ nunc recitata sunt, vel de sacerdotalibus indumentis, vel de consecratione pontificis, in quibus talia quædam dicuntur, vt etiam illũ ipsum carnalem Israel ab historica intelligentia penitus excludant: & ideo nobis ad hæc exponenda, non humani ingenij viribus nitendum est, sed orationibus, & precibus ad deum fusis. In quo etiam vestri adiutorio indigemus, vt deus pater verbi, det nobis verbum in adapertionem oris nostri, vt possimus considerare mirabilia de lege eius. Est ergo initium eorum quæ hodie recitata sunt, in his verbis. Hæc vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius ab hostiis domini, qua die applicuit eos sacrificare domino, sicut præcepit dominus dare illis, qua die vnxit illos à filiis Israel, legitimum æternum in progenies eorum. Hæc lex est holocaustorum, & pro peccato, & pro delicto, & consummationis, & sacrificij salutaris, sicut mandauit dominus Moysi in monte Sina, qua die præcepit filiis Israel offerre munera sua coram domino in deserto Sina.] Cum proposuerit dicere Legislator, hæc vnctio filiorum eius, non subiunxit quæ esset vnctio, nec qualiter vnxisset exposuit, sed hoc quidem in sequentibus facit, nunc verò posteaquam dixit hæc vnctio Aaron & filiorum eius, nihil de vnctione subiunxit. Profecto ostenderet, quia hæc quæ suprà dixerat, id est pectusculum impositionis, & brachium separationis, ipsa esset vnctio Aaron & filiorum eius, ne putaremus illa pro carnibus dicta, sed vt doceret etiam ipsa sub sacramento vnctionis inserta. Denique in consequentibus repetit ea, quæ superius exposuerat, & dicit: Hæc lex holocaustorum, & sacrificij, & pro peccato. Hæc, id est, quæ suprà exposita est. & videtur esse ἀνακεφαλαίωσις, id est recapitulatio sacramentorũ, quæ in superioribus latius fuerant enarrata. Post hæc verò subiungit. Et locutus est dominus, inquit, ad Moysen dicens: Sume Aaron, & filios eius, & stolas, & oleum vnctionis, & vitulum qui est pro peccato, & duos arietes, & canistrum azymorum, & omnem synagogam conuoca ad ianuam tabernaculi testimonij. Et fecit Moyses sicut præcepit ei dominus, & conuocauit synagogam ad ianuam tabernaculi testimonij. Et dixit Moyses ad synagogam: Hoc est verbum quod mandauit dominus facere. Et applicuit Moyses Aaron fratrem suum, & filios eius, & lauit eos aqua: & vestiuit eum tunica, & præcinxit eum zona, & vestiuit eum tunica interiore, & imposuit ei humeralem, & cinxit eum secundum facturam hume-

2. Cor. 3. E *Leuit. 8.* F

G ralis, & constrinxit eum in ipso, & imposuit super eũ logium & imposuit super logium manifestationem & veritatem, & imposuit mitrã super caput eius, & posuit super mitram ante faciẽ eius laminã auream sanctificatam sanctam, sicut præceperat dominus Moysi.] Intentis auribus & vigilanti corde consecrationem pontificis vel sacerdotis audite, quia & vos secundum promissa dei, sacerdotes dei estis, gens enim sancta, & sacerdotium sanctum estis. Accepit, inquit, Moyses secundum præceptum domini Aaron & filios eius, & primo quidem lauat, postea verò induit eos. Considerate diligentius ordinem dictorum, primo lauat, postea induit. Nõ enim potes indui, nisi ante lotus fueris. Lauamini ergo, & mundi estote, & auferte nequitias ab animis vestris. Nisi enim hoc modo lotus fueris, non poteris induere dominũ Iesum Christum, secundum quod dicit Apostolus: Induite dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Lauet te igitur Moyses, ipse te lauet, & ipse te induat. Quomodo te lauare potest Moyses, frequenter audisti. Sæpe enim diximus quod Moyses in scripturis suis pro lege ponatur, sicut in Euangelio dictum est: Habent Moysen, & prophetas, audiant illos. Lex ergo dei est quæ te lauat, ipsa sordes tuas diluit, ipsa si audias eam peccatorum tuorum maculas abstergit: ipse est Moyses, hoc est lex quæ sacerdotes consecrat, nec potest sacerdos esse, quem non lex constituerit sacerdotem. Multi enim sunt sacerdotes, sed quos non lauit lex, neque puros reddidit verbum dei, neque abluit à peccatorũ sordibus sermo diuinus. Sed & vos, qui sacrum baptisma desideratis accipere, & gratiam spiritus promereri, prius debetis ex lege purgari, prius debetis audito verbo dei, vitiorum germina resecare, & mores barbaros ferósque componere, vt mansuetudine & humilitate suscepta, possitis etiam gratiam sancti spiritus capere. Sic enim dicit dominus per prophetam: Super quem requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Si humilis non fueris, & quietus, non potest inhabitare in te gratia spiritus sancti, si non cum tremore suscipis verba diuina. Superbam nanque & contumacem animam, & fictam refugit spiritus sanctus. Debes ergo prius meditari legem dei, vt si forte actus tui intemperati sunt, & mores inconditi, lex dei te emendet & corrigat. Vis videre quia Moyses semper cum Iesu est, hoc est lex cum Euangeliis? Docet te Euangelium, quia cum transformatus esset in gloriam Iesus etiam Moyses & Elias simul cum ipso apparuerũt in gloria, vt scias quia lex, & prophetæ, & euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanẽt. Denique & Petrus cum vellet eis tria facere tabernacula, imperitiæ notatur, tãquam qui nesciret quid diceret. Legi enim & prophetis, & euangelio non tria, sed vnum est tabernaculum, quę est ecclesia dei. Lauat ergo primo Moyses sacerdotem domini, & cum eum lauerit, & purgatum reddiderit à sordidus vitiorum, post hæc induit eum. Sed consideremus quæ sint ista indumenta, quibus induit Moyses Aaron fratrem suum pontificem primum, si forte possibile sit etiam tibi indui eisdem indumẽtis, & esse pontificem. Est quidem vnus pontifex magnus dominus noster Iesus Christus, sed ille non solum sacerdos, sed & sacerdotum sacerdos est, & non solum pontifex, sed pontificum pontifex, nec sacerdotum princeps, sed princeps principũ sacerdotũ. Sicut & rex nõ dicitur plebis, sed regũ rex, & dominus nõ seruorũ, sed domin⁹ dominorũ. Potest ergo fieri, si & tu lotus fueris per Moysen, & fueris ita mũdus, quasi quẽ Moyses lauerit tãtus ac talis, vt possis etiam peruenire ad hæc indumenta quæ profert Moyses, & stolas istas, quibus induit Aaron fratrem suum, & filios eius. Sed non solum indumentis opus est ad sacerdotales infulas, verum & cingulis. Sed priusquam de specie ipsa indumentorum dicere incipiamus, velim conferre illa infelicia indumenta, quibus primus homo cum peccasset, indutus est, cum his sanctis & fidelibus indumentis. Et quidẽ illa dicitur deus fecisse: Fecit enim, inquit, deus tunicas pelliceas, & induit Adam & mulierem eius. Illæ ergo tunicæ de pellibus erant ex animalibus sumptæ. Talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquit, tunicis, quæ essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis eius quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. Si verò iam lotus ab his fueris, & purificatus per legem dei, induet te Moyses indumento incorruptionis: ita vt nusquam appareat turpitudo tua, & vt absorbeatur mortale hoc à vita. Videamus ergo quali ordine pontifex constituitur. Conuocauit, inquit, Moyses synagogam, & dicit ad eos: Hoc est verbum quod præcepit dominus.] Licet ergo dominus de constituendo pontifice pręcepisset, & dominus elegisset, tamen conuocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinãdo sacerdote & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstãtior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotiũ, & hoc astante populo, ne qua postmodũ retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis dicẽs: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Ego tamen & amplius aliquid video in eo quod dicit, quia conuocauit Moyses omnem synagogam, & puto quod conuocare synagogã, hoc sit colligere omnes animi, & in vnum congregare virtutes, vt cum sermo de sacerdotalibus sacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intẽtæ sint, nihil in eis sapientiæ, nihil scientiæ, nihil desit industriæ, sed adsit omnis multitudo sensuum, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationũ, vt quid sit pontifex, quid vnxio, quæ indumenta eius, conferens intra sacrarium cordis sui possit aduertere. Lauit ergo eum, & induit. Quali indumento? Tunica, inquit & præcinxit eum zona, & iterũ vestiuit eum tunicam talarem, vel (vt alibi legimus) interiorem. Duabus (vt video) tunicis per moysen induitur pontifex. Sed quid faciemus quod Iesus sacerdotes suos apostolos nostros, prohibuit vti duabus tunicis? Dixeramus quod Moyses & Iesus, id est lex & euangelia sibi inuicem consonarent. Posset fortasse dicere aliquis quia quod præcepit Iesus duas tunicas non habendas, nõ est contrarium legi, sed perfectius lege, sicut & cum lex homicidium vetat, Iesus autẽ etiam iracũdiam resecat, & cum lex prohibet adulterium, Iesus etiam cõcupiscentiam cordis abscindit. Sic ergo videbitur & duabus ibi tunicis pontificem, & hic vna apostolos induisse. Sit quidem etiam iste sensus probabilis si videtur, ego tamen nõ intra huius intelligentiæ angustiam pontificalia sacramenta concludo. Amplius mihi aliquid ex ista forma videtur ostendi. Pontifex est, qui scientiam legis tenet, & vniuscuiusque mysterij intelligit rationes & vt breuiter explicem, qui legem & secundum spiritum, & secundum literam nouit. Sciebat ergo pontifex ille, quem tunc ordinabat Moyses, quia esset circuncisio spiritalis, seruabat tamen & circuncisionem carnis, quia incircumcisus pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas. Vnam ministerij carnalis, & aliam intelligentiæ spiritalis. Sciebat quia & sacrificia spiritalia offerri debent deo, offerebat tamen nihilominus & carnalia. Non enim poterat esse pontifex eorum qui tunc erant, nisi hostias immolaret. Ita ergo conuenienter ille pontifex duabus indutus tunicis dicitur. Apostoli verò qui dicturi erant, quia si circuncidamini Christus vobis nihil proderit, & qui dicturi erant, nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbato, quæ sunt vmbra futurorum, isti ergo vt huiusmodi secundum literam legis obseruantias penitus repudiarent, nec occuparent discipulos Iudaicis fabulis, & imponerẽt his iugum, quod neque ipsi, neque patres eorum portare potuerunt, merito duas tunicas habere prohibentur sed sufficit eis vna, & hæc interior. Nam ista quæ foris est, & quę desuper apparet, legis tunicam nolunt. Vnã namque eis Iesus, & ipsam interiorem habere permittit. Imponet tamen Moyses pontifici & humeralem, qui est humerorum quidam ex circunductione vestis ornatus. Humeri autem operũ figuram tenent, ac laboris indicia. Vult ergo pontificem esse etiã in operibus ornatum, nec sufficit sola sciẽtia, quia qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ. Et cinxit, inquit, eũ secũdum facturã humeralis. Iam & superius dixerat quia cinxit eũ zonam super tunicam, & modo iterum cingitur secundum facturam humeralis. Quod est istud duplex cingulũ, quo constrictũ vult esse ex omni parte põtificem? Constrictus sit in verbo, constrictus in opere, expeditus

Marginalia: 1 Pet. 2; Apoc. 1.; Esa. 1.; Rom. 13; Luc. 16.; H; Apostrophe ad Cathecumenos.; Esa. 66.; Lex semper cum Euangelio.; Matt. 17.; I; Comparatio vestiũ Christi & Adæ; Gen. 3; K; In ordinando sacerdote populi præsẽtia requiritur.; 1. Tim. 3.; L; Luc. 3; Mat. 5; M; Veteres sacrificabant carnaliter simul & spiritaliter.; Gal. 5; Col. 2; Act. 15.; Pontifex instructus esse debet doctrina & virtutibus.

A tus ad omnia, nihil remissum, nihil habeat dissolutum. Accinctus sit animi virtutibus, cõstrictus sit à corporalibus vitiis, nullum animæ lapsum, nullum corporis timeat, vtroque cingulo semper vtatur, vt sit sanctus corpore & spiritu. Bene autem & secundum facturam humeralis cingitur. Secundum facta enim sua & secundum opera sua cingulo virtutis vtitur. Et post hæc, inquit, imposuit super eum logium, quod est rationale, & imposuit super logium manifestationem, & veritatem, & imposuit mitram super caput eius. Sed videamus quid logium, quod est rationale, significet. Posteaquam nuditas tecta est, & indumentis turpitudo velatur, posteaquam munitus operibus & cingulo vtroque firmatus est, logium ei, id est, rationale tunc traditur. Logium sapientiæ indicium est, quia sapientia in ratione consistit. Sed quæ sit sapientiæ huius & rationis virtus ostendit. Imponit enim super rationalem, manifestationem, & veritatem. Non enim sufficit pontifici habere sapientiam, & scire omnium rationem, nisi possit etiam populo manifestare quæ nouit. Ideo ergo imponitur rationali manifestatio, vt possit respondere omni poscenti se rationem de fide & veritate. Ponitur autem super illud & veritas, vt non illa adstruat, quæ proprio excogitare potest ingenio, sed quæ veritas habet, nec vnquam à veritate discedat, vt in omni sermone eius semper veritas maneat. Hoc est ergo superposuisse rationali manifestationem & veritatem. Infelices illi, qui hæc legentes omnem intelligentiam suam erga sensum vestimẽti corporalis effundunt. Dicant nobis quale est vestimentum manifestationis, aut indumentum quale est veritatis. Si quis vnquam vidit, si quis audiuit manifestationem & veritatem vestimenta nominari, dicant nobis quæ sint mulieres quæ ista texuerint, in quo hæc vnquam sint confecta textrino. Sed si verum vultis audire, sapientia est quæ huiusmodi cõfecit indumenta. Illa occultorum manifestationem, illa texit rerum omnium veritatem. Hanc ergo oremus ad dominum vt accipere mereamur, & ipsa nos talibus circumdabit indumẽtis. Sed & ipse ordo rerum quàm sanctus sit, & quã mirabilis, intuere. Non ante logium, & postea humerale, quia non ante sapientia quàm opera, sed prius opera haberi debent, & postea quærenda sapientia est. Tum deinde nõ ante manifestatio quàm rationale, quia non ante alios docere, quàm nos instructi & rationabiles esse debemus. Super hæc autem additur veritas, quia veritas est summa sapientia. Denique propheta hunc eundem ordinem seruat cum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides quomodo non dicit primo illuminate vobis lumen scientiæ, sed primo seminate vobis ad iustitiam, & non sufficit seminare, sed metite, inquit, fructum vitæ, vt post hæc possitis implere quod sequitur, illuminate vobis lumen scientiæ. Sic ergo etiam hic imponitur humeralis ornatus, & non sufficit solus ornatus, sed & zona constringitur. Sed ne hoc quidem satis est, secundo adhuc cingitur, vt ita demum rationale possit imponi, & post hæc manifestatio subsequatur & veritas. His indumentis pontifex vtatur. Tali ornatu debet indui, qui sacerdotium gerit. Sed nondum finiuit, & adhuc ornatus addendus est, necesse est vt accipiat etiam coronam. Propterea accipit primo cidarim, quod est vel operimentum quoddam capitis, vel ornamentum. Et post hæc superimponitur ei mitra. Ante faciem, id est, à fronte pontificis, lamina aurea sanctificata, in qua sculptum dicitur vocabulum dei. Verum iste capitis ornatus, vbi nomen dei impositum dicitur, post illa omnia, quibus inferiora corporis membra fuerant exornata, superponitur. In quo mihi indicari videtur, quòd super omnia, quæ de mũdo vel de cæteris creaturis sentiri, aut intelligi possunt, eminentior tanquam auctoris omnium sciẽtia dei sit. Et quia ipse caput est omnium, ideo & ornatus iste super omnia capiti superponitur. Nihil enim post hæc adiicitur pontificis capiti. Et ideo miseri sunt, illi de quibus dicit Apostolus, quia non tenent caput, ex quo omnis iunctura connexa, & compaginata crescit in incrementum dei in spiritu. Sed nos si bene intelleximus quis sit sacerdotis ornatus, quíue super omnia honor capitis eius, mysteriorum diuinorũ profunda rimantes, nõ scire tantum hæc & audire,

Vrim & Thummim

B

Inuehitur in Iudaizãtes primos hæreticos.

Opera ante sapientiam

Osee 10.

C

Capitis ornatus.

Col. 2.

sed & implere desideremus & facere, quia nõ auditores legis D iustificabũtur apud deum, sed factores. Potes enim & tu (vt sæpe iam diximus) si studiis & vigiliis tuis huiuscemodi tibi præparaueris indumenta, si te abluerit, & mundum fecerit sermo legis, & vnctio charismatis, & gratia in te baptismi incontaminata durauerit, si indutus fueris indumentis duplicibus literæ ac spiritus, si etiam dupliciter accingaris, vt carne & animo castus sis, si humerali operum, & sapientiæ rationali orneris, si etiam mitra tibi & lamina aurea, plenitudo scientiæ dei caput coronet, scito te etiam si apud homines lateas & ignoreris, apud deum tamen agere pontificatum intra animæ tuæ templum. Vos enim estis templum dei viui, si spiritus dei habitat in vobis. Post hæc quæ de consecratione eius dicuntur & de vnctione, sparsim à nobis & sæpe diserta sunt. Quod autem dicit: Et applicuit Moyses filios Aaron, & induit eos tunicas, & præcinxit eos zonas, & imposuit eis cidares, sicut præcepit dominus Moysi, attendendum est quæ sit differentia minorum sacerdotum, ad maiora sacerdotia. Istis neque bina indumenta traduntur, neque humeralis neque rationalis, neque capitis ornatus, nisi tantum cidaris, & zonæ, quæ tunicam stringant. Et isti ergo accipiunt sacerdotij gratiam, & isti funguntur officio, sed non vt ille qui & humerali & rationali ornatus est, qui manifestatione & veritate resplendet, qui aureæ laminæ ornamento decoratur. Vnde arbitror aliud esse in sacerdotibus officio fungi, aliud instructum esse in omnibus & ornatum. Quiuis enim potest solenni ministerio fungi ad populum, pauci autem sunt, qui ornati moribus, instructi doctrina, sapientia eruditi, ad manifestandam veritatem rerum peridonei, & qui scientiam fidei non sine ornamento sensuum & adsertionum fulgore depromant, quod aureæ laminæ capiti impositus designat ornatus. Vnum igitur est sacerdotij nomen, sed non vna, vel pro vitæ merito, vel pro animi virtutibus dignitas. Et ideo in his quæ lex diuina describit, veluti in speculo inspicere se debet vnusquisque sacerdotum, & gradus meriti sui inde colligere, si se videat in his omnibus, quæ suprà exposuimus, positum pontificalibus ornamentis, si conscius sibi sit quod vel in scientia, vel in actibus, vel in doctrina tantus, ac talis sit, sciat se summum sacerdotium non solum nomine, sed & meritis obtinere. Alioquin inferiorem sibi gradum positum nouerit, etiam si primi nomen acceperit. Nos sanè non debet præterire etiam hoc, quod potest ab studioso lectore proferri, in quo & ego sæpe mecum ipse hæsitaui. In Exodo enim legens, vbi de sacerdotalibus mandatur indumentis, inuenio octo esse species, quæ pontifici præparantur. Hic verò septem tantummodo numerantur. Requiro ergo quid sit, quod omissum est. Octaua species ibi ponitur campestre, siue (vt alibi legimus) femoralia linea, de quo hic inter cætera siluit indumenta. Quid ergo dicemus? obliuionem dabimus in verbis spiritus sancti, vt cum cætera omnia secundo enarrauerit, vna eum species superius dicta latuerit? Non audeo hæc de sacris sentire sermonibus. Sed videamus ne forte, quoniam in superioribus diximus hoc genus indumenti indiciũ castitatis videri, quo vel femora operiri, vel constringi renes videntur ac lumbi, ne forte inquam non semper in illis qui tunc erant sacerdotes, has partes dicat esse constrictas. Aliquando enim & de posteritate generis, & de successu sobolis indulgetur. Sed ego in sacerdotibus ecclesiæ huiusmodi intelligentiam non introduxerim. Aliam nanque rem video currere sacramento. Possunt enim & in ecclesia sacerdotes, & doctores filios generare, sicut & ille qui dicebat: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Et iterum alibi dicit: Tametsi multa milia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Isti ergo doctores ecclesiæ in huiusmodi generationibus procreãdis aliquando constrictis femoribus vtuntur, & abstinent à generando, cum tales inuenerint auditores, in quibus sciant se fructum habere non posse. Denique & in actibus Apostolorum refertur de quibusdam, quod non potuerunt, inquit, in Asia verbum dei loqui, hoc est imposita habuisse femoralia, & continuisse se ne filios generarent, quia scilicet tales

1. Cor. 6.

E

Sacerdotij functio & dignitas diuersa sunt.

Exod. 28.

Octo species indumentorum sacerdotalium.

F

Sacerdotũ cœlibatus.

Gal. 4.

1. Cor. 4.

Act. 16.

G erant auditores, in quibus & semen periret, & non posset haberi successio. Sic ergo ecclesiæ sacerdotes, cum incapaces aures viderint, aut cum simulatores inspexerint & hypocritas auditores, imponant campestre, vtantur femoralibus, non pereat semen verbi dei, quia & dominus eadem mandat & dicit: Nolite mittere sanctum canibus, neque margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & conuersi dirumpant vos. *Mat. 7.* Propterea ergo si quis vult pontifex nõ tam vocabulo esse, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quia non discedunt de tabernaculo domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo domini. Quod autem opus eius erat? vt aut à deo aliquid disceret, aut ipse populũ doceret. *Duo pontificis officia.* Hæc duo sunt pontificis opera, vt aut à deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quę ipse à deo didicerit, non ex proprio corde, vel ex humano sensu, sed quæ spiritus sanctus docet. Est & illud opus quod facit Moyses: ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? Orat: & donec ille orat, vincit populus eius. *Exod. 17* Si relaxauerit & dimiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & sacerdos ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus qui sub ipso & hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones, impugnantes eos qui volunt pie viuere in Christo. Et ideo nos meditantes in his, H & hæc die ac nocte ad memoriam reuocantes, & orationi instantes ac vigilantes in ea, deprecemur dominum vt nobis ipse horum quæ legimus scientiam reuelare dignetur, & ostendere quomodo spiritalem legem non solum in intelligentia, sed & actibus obseruemus, vt spiritalem gratiam consequi mereamur illuminati per legem spiritus sancti, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod mandatum est Aaron, & filiis eius, vt vinum & siceram non bibant, cum ingrediuntur tabernaculum testimonij, vel cum accedunt ad altare, & de pectusculo appositionis, & de brachio separationis, & de mundis & immundis animalibus, vel cibis. Leuitici Cap. X. & XI. Homilia VII.

PLVRA quidem superiori lectione fuerunt recitata, ex quibus temporis breuitate constricti pauca admodum diximus. Non enim nũc exponendi scripturas, sed ædificandi ecclesias ministerium gerimus, quamuis & ex his, quæ à nobis ante tractata sunt, prudens quisque auditor euidentes ad intelligendum possit semitas inuenire. Et ideo ex his quoque, quæ nunc le- I cta sunt, quoniam cuncta nõ possumus, aliqua tamen, quæ ædificent auditores, velut agri pleni, quem benedixit dominus, flosculos colligemus. Quid ergo sit quod nobis nunc lectum est, videamus. *Leuit. 10.* Et locutus est dominus ad Aaron dicens: Vinum & siceram non bibetis, tu & filij tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum testimonij, aut cum acceditis ad altare, & non moriemini. Legitimum æternum in progenies vestras, discernere inter medium sanctorum & cõtaminatorum, & inter medium immundorum, & inter medium mundorum, & instruere filios Israel omnia legitima quæ locutus est dominus ad eos per manum Moysi.] Lex euidens datur, & sacerdotibus, & principi sacerdotum, vt cum accedunt ad altare, vino abstineant, & omni potu quod inebriare potest, quod scripturæ diuinæ appellatione vernacula, siceram moris est nominare, *Sicera quicquid potest inebriare.* vult ergo sermo diuinus sobrios in omnibus esse domini sacerdotes, vt pote qui accedẽtes ad altare dei orare pro populo debeant, & pro alienis interuenire delictis, qui portionem in terra non habeant, sed ipse dominus portio eorum sit. Sic enim dicit de his scriptura: Filiis, inquit, Leui non dabitis partem in medio fratrum suorũ, quia ego portio eorum dominus deus ipsorum. *Iosu. 23.* Vult ergo istos, quibus ipse dominus portio est, sobrios esse, ieiunos, vigilantes in omni tempore, maxime autem cum ad exorandum dominum, & sacrificandum in conspectu eius altaribus præsto sunt. *1.Tim. 5. Tit. 1.* Quæ mandata intantum vim sui seruãt, & omni obseruantia custodienda sunt, vt & Apostolus hæc eadem noui testamẽti legibus firmet. In quo similiter etiam K ipse sacerdotibus, vel principibus sacerdotum vitæ regulas ponens, dicit eos non debere esse vino multo seruientes, sed sobrios esse. Sobrietas enim omnium virtutũ mater est, sicut econtrario ebrietas omniũ vitiorũ. Aperte enim prõnũciauit Apostolus dicens: Vinum, in quo est luxuria, vt ostenderet ex ebrietate, veluti primogenitam filiam generari luxuriam. *Eph. 4* Tum preterea & Saluator, domini & regis auctoritate sacerdotibus simul & populis leges ac iura constituens: Attẽdite, inquit, ne forte grauentur corda vestra in ebrietate, & crapula, & in solicitudinibus seculi, & veniat super vos subitaneus interitus. *Luc. 21.* Audistis edictũ regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus, & sapiens medicus his ipsis verbis præciperet, & diceret, attendite vobis, ne quis (verbi gratia) de illius, vel illius herbæ succo auidius sumat, quod si fecerit, subitus ei veniet interitus, non dubio quin vnusquisque propriæ salutis intuitu præmonentis medici præcepta seruaret. Nunc verò animarum & corporum medicus, simulque & dominus, iubet ebrietatis herbam & crapulę vitandam, similiter & solicitudinum secularium, velut mortiferos succos cauendos. Et nescio si quis nostrum non in his cõsumitur, vti ne dixerim sauciatur. Est ergo ebrietas vini perniciosa in omnibus, sola nanque est, quæ simul cum corpore & animam debilem reddat. *Ebrietas corpori & animo officit.* In cæteris etenim potest fieri, vt secundum Apostolum cum infirmatur corpus, tunc magis potens sit spiritus, & vbi is qui de foris est homo corrumpitur, ille qui intus est, renouetur. *2.Cor. 4.* In ebrietatis verò ægritudine, corpus simul & anima L corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur. Omnia membra debilitat, pedem, manum, linguã resoluit, oculos tenebrat, mentem velat obliuio, ita vt hominem se nesciat esse nec sentiat. Habet ergo istud primo dedecoris corporalis ebrietas. Iam verò si discutiamus quot modis mens inebriatur humana, inueniemus ebrios etiam eos, qui sibi sobrij videntur. Iracundia inebriat animã, furor verò eam plusquam ebriam facit, si quid tamen esse ebrietate amplius potest. Cupiditas & auaritia, non solum ebrium, sed & rabidum hominem reddunt. Et obscœnæ cõcupiscentiæ inebriant animam sicut econtrario & sanctæ concupiscentiæ inebriant eam, sed ebrietate sancta illa de qua dicebat quidam sanctorum: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est. *Ebrietas sancta. Psal. 23.* Sed postmodum de ebrietatis diuersitate videbimus, nunc interim vide quanta sunt quæ inebriant animã: & formido inebriat eam, & vana suspitio. Inuidia autem & liuor, supra omnem ebrietatem macerant eã. Sed enumerari non possunt quanta sunt, quæ infelicem animam vitio ebrietatis afficiant. Nunc interim de sacerdotibus videamus, quos accedentes ad altare, vino lex præcipit abstinere. Etquidem quantum ad historicum pertinet pręceptum, sufficiant ista quæ dicta sunt. Quantum autem ad intelligentiam mysticam spectat, *Intelligẽtia mystica.* in superioribus tenetur nostra professio, quod secundum auctoritatem Pauli Apostoli, dominus, & saluator noster futurorum bonorum pontifex dicitur. *Heb. 9* Ipse est ergo Aaron, filij verò eius, Apo- M stoli eius sunt, ad quos ipse dicebat: Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quid ergo præcepit lex Aaron & filiis eius? vt vinum, & siceram non bibant, cum accedunt ad altare. Videamus quomodo id vero põtifici Iesu Christo domino nostro, & sacerdotibus eius ac filiis, nostris verò Apostolis, possimus aptare. Et perspiciendũ primo est, quomodo prius quidem, quàm accedat ad altare verus hic pontifex, cum sacerdotibus suis bibit vinũ. Cum verò incipit accedere ad altare, & ingredi in tabernaculum testimonij, abstinet vino. Putas possumus inuenire tale aliquid ab eo gestũ? Putas possumus veteris instrumẽti formas, noui testamẽti gestis & sermonibus coaptare? Possumus, si nos ipsum dei verbum & iurare & inspirare dignetur. Quærimus ergo quomodo dominus & saluator noster, qui est verus põtifex, cum discipulis suis, qui sunt veri sacerdotes, antequam accedat ad altare dei, bibebat vinum, cum verò accedere cœperit, non bibebat. Venerat in hunc mundum Saluator, vt pro peccatis nostris carnem suam offerret hostiam deo. Hãc priusquam offerret, inter dispensationum moras vinũ bibebat. Denique dicebatur homo vorax, & vini potator, amicus publicanorũ, & peccatorũ.

Vbi

A Vbi verò tempus aduenit crucis suę, & accessurus erat ad altare vbi immolaret hostiam carnis suæ, accipiens, inquit calicem, benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, quia modò accessuri non estis ad altare. Ipse autem tanquam accessurus ad altare, dicit de se: Amen dico vobis, quia nō bibam de generatione vitis huius, vsque quo bibam illud vobiscum nouū in regno patris mei. Si quis vestrum auribus ad audiendum purificatis accedit, ineffabilis mysterij intueatur arcanum. Quid est quod dicit, quia nō bibam ex generatione vitis huius, vsquequo bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei? Dicebamus in superioribus promissionem sanctis bonę huius ebrietatis datam, cum dicunt, Et poculum tuum inebrians, quàm præclarum est. Sed & in aliis multis scripturæ locis similia legimus: vt ibi: Inebriabuntur ad vbertate domus tuæ & torrente bonitatis tuæ potabis eos. In Hieremia quoque dicit dominus: Et inebriabo populum meum. Et Esaias dicit: Ecce qui seruiunt mihi bibēt, vos autem sitietis. Et multa de huiuscemodi ebrietate in scripturis diuinis inuenies memorari. Quæ ebrietas sine dubio pro gaudio animæ, & lætitia mentis accipitur, sicut & alibi distinxisse nos meminimus, aliud esse nocte inebriari & aliud die inebriari.. Si ergo intel leximus sanctorū quæ sit ebrietas, & quomodo hæc pro lætitia sanctis in promissionibus datur, videamus nunc quomodo Saluator noster nō bibit vinum, vsquequo bibat illud cum sanctis nouum in regno dei. Saluator meus luget etiam nunc peccata mea. Saluator meus lætari non potest donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia ipse est aduocatus pro peccatis nostris apud patrem, sicut Ioannes symmysta eius pronunciat dicens: Quia & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris. Quomodo ergo potest ille, qui aduocatus est pro peccatis meis, bibere vinum lætitiæ, quem ego peccando contristo? Quomodo potest iste, qui accedit ad altare vt repropitiet me peccatorem, esse in lætitia, ad quem peccatorum meorum mœror semper ascendit? Vobiscum, inquit, illud bibam in regno patris mei. Quamdiu nos non ita agimus, vt ascendamus ad regnū, non potest illud vinum bibere solus, quod nobiscum se bibere promisit. Est ergo tamdiu in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore. Si enim Apostolus ipsius luget quosdam qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam in his quæ gesserunt, quid dicam de ipso, qui filius dicitur charitatis? qui semetipsum exinaniuit propter charitatem quam habebat erga nos, & non quæsiuit quæ sua sunt, cum esset æqualis deo, sed quęsiuit, quæ nostra sunt, & propter hoc euacuauit se. Cum ergo ista quæ nostra sunt quęsierit, nunc iā nos nō quærit, nec quæ nostra sunt cogitat, nec de erroribus nostris mœret, nec perditiones nostras & contritiones deflet, qui fleuit super Hierusalem, & dixit ad eam: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti? Qui ergo vulnera nostra suscepit, & propter nos doluit tanquam animarū nostrarum, & corporum medicus, modo vulnerum nostrorum putredines negligit? Computruerunt enim (vt ait propheta) & corruptæ sunt cicatrices nostræ, à facie insipientiæ nostræ. Pro his ergo omnibus adsistit nunc vultui dei, interpellans pro nobis, adsistit altari, vt repropitiationem pro nobis offerat deo: & ideo dicebat tanquam accessurus ad istud altare, quia iam non bibam de generatione vitis huius, donec bibam illud vobiscum nouum. Expectat ergo vt conuertamur, & ipsius imitemur exemplum, vt sequamur vestigia eius, & lætetur nobiscum, & bibat vinum nobiscum in regno patris sui. Nūc enim quia misericors est & miserator dominus, maiore affectu ipse quā Apostolus suus flet cum flentibus, cupit gaudere cum gaudentibus. Et multo magis luget ipse eos qui ante peccauerūt & non egerunt pœnitentiam. Neque enim putandum est, quod Paulus quidem lugeat pro peccatoribus, & fleat pro delinquentibus: dominus autem meus Iesus abstineat à fletu cum accedit ad patrem, cum adsistit altari, & propitiationem pro nobis offert: & hoc est accedentē ad altare nō bibere vinum lætitiæ, quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur. Non vult ergo solus in regno dei bibere vinum, nos expectat. Sic enim dixit: Donec bibam illud vobiscum. Nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes, lætitiam illius demoramur. Expectat nos vt bibat de generatione vitis huius. Cuius vitis? Illius vtique cuius ipse erat figura, dicens: ego sum vitis, vos palmites. Vnde iterum dicit: Quia sanguis meus vere est potus, & caro mea vere est cibus. Vere enim in sanguine vuæ lauit stolam suam. Quid ergo est? Expectat letitiam. Quando expectat? Cum consummauero, inquit, opus meum. Quando consummat hoc opus? Quando me qui sum vltimus, & nequior omnium peccatorum, consummatum fecerit & perfectum, tunc consummat opus suum. Nunc enim adhuc imperfectum est opus eius, donec ego maneo imperfectus. Denique donec ego non sum subditus patri, nec ipse dicitur patri esse subiectus. Nō quo ipse subiectione indigeat apud patrem, sed pro me, in quo opus suum nondum consummauit, ipse dicitur non esse subiectus. Sic enim legimus, quoniam corpus sumus Christi, & membra ex parte. Quid autē est quod dicit ex parte, videamus. Ego nunc (verbi gratia) subiectus sum deo secundum spiritum, hoc est proposito & voluntate: sed quādiu in me caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & nondum potui subiicere carnem spiritui, subiectus quidem sum deo, verum nō ex integro, sed ex parte. Si autem potuero etiam carnem meam, & omnia membra mea in consonantiam spiritus trahere, tūc perfecte videbor esse subiectus. Si intellexisti quid sit ex parte, & quid sit ex integro esse subiectum, redi nunc & ad id, quod de subiectione domini proposuimus: & vide quia cum omnes corpus ipsius & membra esse dicamur, donec sunt aliqui in nobis, qui nondum perfecta subiectione subiecti sunt, ipse dicitur non esse subiectus. Cum verò consummauerit opus suum, & vniuersam creaturā suam ad summam perfectionis adduxerit, tunc ipse dicetur subiectus in his, quos subdidit patri, & in quibus opus quod ei pater dederat, consummauit, vt sit deus omnia in omnibus. Verum hæc quorsum spectant? vt intelligamus id quod suprà tractauimus, quomodo non bibit vinum, vel quomodo bibit antequam intraret in tabernaculum, antequam accederet ad altare. Non bibit autem nunc, quia adsistit altari, & luget peccata mea: & rursum bibet posthæc, cum subiecta ei fuerint omnia, & saluatis omnibus ac destructa morte peccati, vltra iam necessarium non erit offerre hostias pro peccato. Tunc enim erit gaudium & lætitia, & tunc exultabunt ossa humiliata, & implebitur illud quod scriptum est: Aufugiet dolor, & tristitia, & gemitus. Sed & illud non omittamus, quod non solum de Aaron dicitur vt non bibat vinum, sed & de filijs eius cum ingrediuntur ad sancta. Nondum enim receperunt lætitiam suam, ne Apostoli quidem, sed & ipsi expectāt, vt & ego lætitiæ eorū particeps fiam. Neque enim decedentes hinc sancti, cōtinuo integra meritorū suorū præmia cōsequuntur: sed expectant etiā nos, licet morātes, licet desides. Non enim est illis perfecta lætitia, donec pro erroribus nostris dolēt, & lugēt nostra peccata. Hoc fortasse mihi dicēti non credas. Quis enim ego sum, qui cōfirmare sententiam tāti dogmatis audeā? Sed habeo horum testem, de quo non potes dubitare. Magister enim gentium est in fide & veritate apostolus Paulus. Ipse igitur ad Hebræos scribēs, cum enumerasset omnes sanctos patres, qui per fidem iustificati sunt, addidit post omnia etiam hoc: Sed isti, inquit, omnes testimoniū habētes per fidem, nōdū adsecuti sunt repromissionem, deo pro nobis melius aliquid prouidēte, vti ne sine nobis perfectionē consequerētur. Vides ergo quia expectat adhuc Abraham, vt quæ perfecta sunt consequatur. Expectat & Isaac, & Iacob, & omnes prophetę expectant nos vt nobiscū perfectā beatitudinem capiant. Propter hæc ergo etiam mysterium illud in vltimam diem dilati iudicij custoditur. Vnū enim corpus est, quod iustificari expectatur, vnū quod resurgere dicitur in iudicio. Licet enim sint multa membra, sed vnum corpus, Non potest dicere oculus manui, non es mihi necessaria, etiam si sanus sit oculus, & non sit turbatus. Quantū pertinet ad videndū, si desint ei reliqua mēbra, quæ erit oculo lætitia? aut quæ videbitur esse perfectio si manus

Marginalia: Luc. 22. — Psal. 23. — Psal. 36. — Hier. 31. — Esa. 65. — *Ebrietas spiritalis, animi gaudium & lætitia.* — 1. Ioan. 2. — 2. Cor. 12. — Col. 1. — *Christus de erroribus nostris etiā nūc mœret.* — Mat. 13. — Rom. 12. — 2. Cor. 12. — Luc. 22. — Ioan. 15. 6. — 1. Cor. 12. — Esa. 35. — *Sancti perfectionem suæ beatitudinis expectant. Quod præcipuè refero ad glorificationem corporum.* — Heb. 11. — 1. Cor. 12.

G non habeat? si pedes desint, aut reliqua membra non adsint? Quia & si est præcellẽs aliqua oculi gloria, in eo maxime est, vt vel ipse dux sit corporis, vel cæterorum membrorum nõ deseratur officiis. Hoc autẽ nos per illã Ezechielis prophetę visionẽ doceri puto, cũ dicit cõgregandũ os ad os, & iuncturã ad iuncturam, & neruos, ac venas, & pellẽ, ac singula locis suis esse reparãda. *[Ezech. 37.]* Denique vide quid addit propheta: Ossa, inquit, ista, non dixit omnes homines sunt, sed dixit ossa ista domus Israel est. Habebis ergo lætitiã de hac vita discedẽs, si fueris sanctus. Sed tunc erit plena lætitia, cũ nullum tibi mẽbrorum corporis deest. *[Lætitia plena & perfecta.]* Expectabis enim tu alios, sicut & ipse expectatus es. Quod si tibi, qui membrum es, nõ videtur esse perfecta lætitia si desit aliud membrum: quãto magis dominus & saluator noster, qui caput & auctor est totius corporis, non sibi perfectam dicit esse lætitiam, donec aliquid ex mẽbris deesse corpori suo videt? Et propterea forte orationem fundebat ad patrem dicẽs: Pater sancte glorifica me illa gloria, quam habui apud te priusquam mũdus esset. *[Ioan. 17.]* Nõ vult ergo sine te recipere perfectam gloriam suã, hoc est, sine populo suo, qui est corpus eius, & qui sunt membra eius. Vult enim in isto corpore ecclesiæ suæ & in istis membris populi sui, ipse velut anima habitare: vt omnes motus, atque omnia opera secundum ipsius habeat volũtatem: vt vere compleatur in nobis illud prophetæ dictum: Habitabo in eis, & ambulabo. *[Leuit. 26.]* Nũc autem, donec perfecti non sumus omnes, sed

H adhuc sumus in peccatis, ex parte in nobis est, & ideo ex parte scimus, & ex parte prophetamus, donec quis peruenire mereatur ad illam mensuram, quam dic.t apostolus: Viuo autem iam nõ ego, viuit verò in me Christus. *[Gal. 2.]* Ex parte ergo (vt dicit apostolus) nũc membra eius sumus, & ex parte ossa eius sumus. Cum autem coniuncta fuerint ossa ad ossa, & iũcturæ ad iuncturam, secundum hoc quod suprà diximus, tũc etiam ipse dicet de nobis illud propheticũ: Omnia ossa mea dicẽt, domine quis similis tibi? *[Psal. 35.]* Omnia nanque ossa ista loquuntur, & hymnum dicunt, & gratias agũt deo. Meminerunt enim beneficij eius, & ideo omnia ossa mea dicent, domine quis similis tibi? Eripiens pauperem de manu fortioris eius. De istis ossibus cũ adhuc essent dispersa, antequã veniret qui ea colligeret, & congregaret in vnum, dictũ est & illud propheticum: Dispersa sunt ossa nostra secus infernum. *[Psal. 141.]* Quia ergo dispersa erant, propterea dicit per alium prophetam: Congregetur os ad os, & iunctura ad iuncturam, & nerui, & venæ, & pelles. *[Ezech. 37.]* Cum enim hoc factum fuerit, tunc omnia ista dicent: Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortioris eius. Vnumquodcũque enim os ex istis ossibus inops erat, & atterebatur fortioris manu. Nõ enim habeat iuncturam charitatis, non neruos patientiæ, nõ venas vitalis animi, & fidei vigorem. Vbi verò venit qui dispersa colligeret, & qui dissipata cõiungeret, consocians os ad os, & iuncturam ad iũcturam,

I ædificare cœpit sanctum corpus ecclesiæ. Hæc inciderũt quidem extrinsecus huic disputationi, sed necessario explanata sunt, vt manifestior fieret pontificis mei ingressus in sancta, nõ bibentis vinum vsquequo sacerdotio fungeretur. Post hæc tamen bibit vinum, sed vinum nouum, & vinũ nouum in cœlo nouo, & in noua terra, & in nouo homine, cum hominibus nouis, & cum his qui cantant ei canticum nouũ: Vides ergo, quia impossibile est de noua vite nouum poculũ bibi ab eo, qui adhuc indutus est veterem hominem cũ actibus suis. Nemo enim, inquit, mittit vinum nouũ in vtres veteres. *[Matt. 9.]* Si vis ergo & tu bibere de hoc nouo vino, innouare, & dic: Quia & si exterior homo noster corrumpitur, sed qui intus est renouatur de die in diem. *[2.Cor. 4.]* Et quidem de his sufficiẽter dictum. Multa sunt & alia, quæ recitata sunt. Sed quoniã cuncta non possumus, eligendum est de quibus dicere debeamus. Et quoniam quid esset bibere, & non bibere vinum pro viribus diximus, nũc quid sit etiam comedere pectusculum separationis, & brachium ablationis, videamus. Post hęc de mundis, & immundis, vel cibis, vel animalibus, inquantũ dominus dederit, & temporis spatium fuerit, differemus. Dicit ergo scriptura. [Pectusculum segregationis, & brachium ablationis manducabis in loco sancto tu, & filij tui, & domus tua tecum: legitimum enim tibi, & legitimum filiis tuis datum est de sacrificiis salutaribus filiorum Israel, brachium ablationis, & pectusculum segregationis.]

K Non omne pectusculum, segregationis est pectusculum: nec omne brachium, ablationis & separationis est brachium. Sed quoniam ad dominum meum Iesum personam pontificis reuocauimus, & ad filios eius sanctos apostolos, videamus quomodo ipse quidem pectusculum segregationis manducat, & filij eius, alij autem non omnes possunt segregationis pectusculum manducare. Quid igitur est, quod à rebus omnibus segregatur, nec est commune cum reliquis, nisi sola substantia trinitatis? Si ergo intelligam quidem rationem mundi, non possim autem etiam de deo intelligere sicut dignum est, neque reuelata mihi fuerit scientia dei, manduco quidem pectusculum, sed non pectusculum segregationis. Etiam si potuero dicere, ipse enim mihi dedit omnium quæ sunt scientiam veram, vt sciam rationem mundi, & virtutem elementorum, initium & finem, medietatem temporum, permutationum vicissitudines, & conuersiones temporum, anni circulos, & stellarum dispositiones: horum omnium scientia, quia rationabilis est, pectusculi cibus est, sed non pectusculi segregationis. Si autem potuero de deo sentire quæ magna, quæ sancta, quæ vera sunt & secreta, tunc manducabo pectusculum segregationis, cũ id quod ab omni creatura eminet & segregatur, agnouero. Primus ergo pectusculum istud verus põtifex meus comedit. Quomodo comedit? Nemo, inquit, nouit patrem, nisi filius. *[Mat. 11.]*

L Secundo in loco manducant & filij eius. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quibus autem aliis nisi Apostolis suis reuelat? Sed & brachium separationis, vel ablationis, sicut & superius diximus, actus sunt & opera eminentiora cæteris, quæ vtique primus ipse saluator, & dominus meus impleuit. Quomodo impleuit? Meus, inquit, cibus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit, & perficiam opus eius. *[Ioan. 4.]* Cum ergo facit voluntatem eius qui misit eum, in hoc non pectusculum, sed brachium separationis comedit. Similiter autem & apostoli eius, cum faciunt opus Euangelistæ, & efficiuntur operarij inconfusibiles, recte tractantes sermonem veritatis, separationis vel ablationis brachium comedunt. Vis adhuc planius videre quomodo saluator separationis brachium comedat? Audi quid dicat ad Iudæos: Si feci, inquit, opera in vobis, quæ nullus alius fecit, pro quo horum vultis me occidere? *[Ioan. 10.]* Vides quomodo ipse vere manducat brachium separationis, qui opera tam segregata & tam sublimia fecit, quàm nullus alius fecit. Sed iã videamus aliqua etiam ex his, quæ de mundis atque immundis, vel de cibis, vel animalibus lecta sunt: & sicut in explanatione poculi de vmbra ascendimus ad veritatem spiritalis poculi, ita etiam de cibis qui per vmbram dicuntur, ascendamus ad eos qui per spiritum veri sunt cibi. Sed ad hæc inuestiganda, scripturæ diuinæ testimoniis indigemus, ne quis putet: amant enim homines exacuere linguas suas, vt gladium: ne quis inquam putet, quod ego vim faciam scripturis diui-

[Vim facere scripturis.]

M nis, & ea quæ de animalibus, quadrupedibus, vel etiam auibus, aut piscibus mundis, siue immundis, in lege referuntur, ad homines traham, & de hominibus hæc dicta esse confingam. Fortassis enim dicat quis auditorum, cur vim facis scripturæ? Animalia dicuntur, animalia intelligantur. Ne ergo aliquis hæc deprauari humano credat ingenio: Apostolica in eis auctoritas euocanda est. Audi ergo primum omnium Paulus de eis qualiter dicat. Omnes enim, inquit, per mare transierunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus. *[1.Cor. 10.]* Paulus hæc dicit: Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, & doctus secus pedes Gamalielis, *[Phil. 3. Act. 22.]* qui vtique nunquã auderet spiritalem escam, & spiritalem potum appellare, nisi hunc esse sensum legislatoris per traditam sibi verissimæ doctrinæ scientiam didicisset. Vnde & illud addit, tanquam cõfidens, & certus de ciborum ratione mundorum, vel immũdorum, quod non secũdum literam, sed spiritaliter obseruãda sint, & dicit: Ne quis ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ *[Col. 2.]*

sunt

A sunt vmbra futurorum. Vides ergo quomodo hæc omnia, quæ de cibis, vel potu loquitur Moyses, Paulus, qui melius ista didicerat, quàm hi qui nunc iactant se esse doctores, omnia hæc vmbra dicit esse futurorum. Et ideo (sicut diximus) ab hac vmbra ad veritatem debemus ascendere Christiani, & ad Christianos sermo est, quibus apostolicorum dictorum chara esse debet auctoritas. Si quis verò arrogantia tumidus apostolica dicta contemnit aut spernit, ipse viderit. Mihi autem, sicut deo & domino nostro Iesu Christo, ita & apostolis eius adhærere bonū est, & ex diuinis scripturis secundum ipsorum traditionem intelligentiam capere. Erit autem opportunum fortasse tempus, si tamen dei voluntas in hoc fuerit, & rerum trāquillitas fuerit (Nescimus enim quid pariat superuentura dies) vt etiam ex veteri testamento adsignemus secundum eam quæ apostolis visa est rationem, ciborum mundorum, vel immundorū, sed & animalium, vel auium, vel piscium, de quibus in lege scribitur, intelligentiam ad homines referendam. Sed nūc quoniam latiore vti explanatione non est tempus, duobus luminibus apostolorū Petro & Paulo testibus cōtenti simus. Et quidem Paulus quę senserit, iam protulimus. Petrus verò apostolus cum esset in Ioppe, & orare vellet, ascendit in superiora. Ergo statim & hoc ipsum, quod noluit in inferioribus orare, sed ascendit ad superiora. Neque enim tanti apostoli consilium ex su-

Primi hæretici Iudaizabant.

Petrus & Paulus duo Apostolorū lumina.

Act. 10.

B perfluo superiora delegit ad orandum, sed quantum ego arbitror, vt ostenderetur quod Petrus quia mortuus erat cum Christo, quæ sursum sunt quærebat, vbi Christus est in dextera dei sedens, & nō quæ super terrā. Illuc ascēdebat, ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit & dominus: Qui in tecto est nō ascēdat tollere aliquid de domo. Denique vt scias quia non hæc suspitiose de Petro dicimus, quia ad superiora conscenderit, ex consequentibus approbabis. Ascendit, inquit, ad superiora, vt oraret, & vidit cœlum apertū. Nondum tibi videtur Petrus ad superiora non solum corpore, sed mente ac spiritu conscendisse? Vidit, inquit, cœlū apertum, & vas quoddam deponi vt linteum in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & reptilia, & volatilia cœli, & audiuit vocē dicentem sibi: Surge Petre, occide & manduca: de his sine dubio imperans manducandis quadrupedibus, & serpentibus, & volatilibus, quæ superposita linteo ad eum cœlitus sunt delata. At ille: Domine, inquit, tu scis quia nunquam cōmune, aut immundum introiuit in os meum. Et vox, inquit, ad eum secundo: Quod deus mundauit, tu cōmune ne dixeris: & hoc factum est per ter. Et post hoc, inquit, receptum est linteum in cœlis. De mundis hic, & immundis animalibus ratio est. De quibus, rerū sciētia cœlitus docetur Apostolus, quoniam quidem eminentiorem se, & maiorem nō habebat in terris, & docetur non vna voce, nec vna visione, sed trina. Ego nec hoc ipsum, quod tertio hæc dicuntur, otiose dictū

Col. 3.

Petrus eminentiorem se & maiorem non habebat in terris.

C suscipio. Tertio ei dicitur, & per illū omnibus nobis. Quod deus mundauit, tu commune ne dixeris. Quæ enim mundauit non sub vna appellatione mundantur, neque sub secunda, sed nisi & tertia appellatio nominetur, nemo mundatur. Nisi enim in patre, & filio, & spiritu sancto fueris mundatus, mundus esse non poteris. Propterea ergo quæ pro emundatione ostendebantur, non semel, neque iterum, sed tertio ostenduntur, & tertio præcipiuntur. Erant ergo omnia in illo linteo quadrupedia, & reptilia, & volucres cœli. Et post hæc cogitabat, inquit, intra semetipsum Petrus, quid hoc esset. Et adhuc eo cogitante superuenerunt, inquit, hi qui à Cornelio centurione missi fuerant ex hac ciuitate, id est à Cæsarea in Ioppe. Ibi nàque erat Petrus, & hospitabatur apud Simonem quendam coriarium. Bene autem Pettus apud coriarium manet, illum fortasse, de quo dicit Iob, quia pelle me & carne induisti. Sed hæc in excessu dicta sint. Interim superueniunt, qui missi fuerant à Cornelio ad Petrum: Quos ille suscipiens, audit ab eis, quæ sibi Cornelius mādat. Et descendens de superioribus, venit ad Cornelium. Descendit, dicit: adhuc enim deorsum erat Cornelius, & in inferioribus manebat. Venit ergo Cæsaream, inuenit multos apud Cornelium congregatos, & ait ad eos post multa: Et mihi, inquit, ostendit deus neminem communem aut immundum dicere hominem. Non videtur tibi Petrus apostolus quadrupedia

D illa omnia, & reptilia, & volatilia dilucide ad hominem tran stulisse, & homines intellexisse ea quæ sibi in linteo cœlitus lapso fuerant demonstrata? Sed fortasse dicat aliquis. De quadrupedibus quidem, & reptilibus, & auibus reddidimus rationem, quod homines intelligi debeant, da etiam de his quæ in aquis sunt. Quoniam quidem lex etiam de ipsis munda esse quædam, & alia designat immunda, Nihil in his vt verbis meis credatur exposco, nisi testes idoneos dedero. Ipsum vobis dominum, & saluatorem nostrum Iesum Christum testem horum & auctorem dabo, quomodo pisces homines esse dicantur. Simile est, inquit, regnum cœlorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium colligit, & cum repletum fuerit, sedentes supra littus condunt eos qui boni sunt in vasis, qui autem mali, foras mittuntur. Euidenter edocuit eos qui retibus colligi dicuntur pisces, vel bonos homines esse, vel malos. Isti ergo sunt, qui secūdū Moysen pisces vel mūdi vel immūdi nominantur. His igitur ex auctoritate apostolica, atque euāgelica cōprobatis, videamus quomodo vnusquisque hominū vel mūdus, vel immundus possit ostendi. Omnis homo habet aliquem in se cibum, quem accedēti ad se proximo præbeat. Nō enim potest fieri, vt cum accesserimus adinuicē nos homines, & conseruerimus sermonē, non aliquem, vel ex responsione, vel ex interrogatione, vel ex aliquo gestu aut capiamus inter nos gustum, aut prębeamus. Et si quidem mundus homo est, & bonæ mentis is,

Animaliū mundities vel immundi tia transferenda ad hominem.

Matt. 13.

E de quo gustum capimus, mundum sumimus cibum. Si verò immundus sit quem contingimus, & immundum cibum secundum ea quæ suprà dicta sunt, sumimus. Et propterea puto apostolus Paulus de talibus, velut immundis animalibus dicit: Cum huiusmodi nec cibum sumere. Verum vt euidentius tibi patescant ad intellectum quę dicimus, de maioribus sumamus exemplum, vt inde paulatim descendentes vsque ad inferiora veniamus. Dominus & saluator noster dicit, Nisi mãducaueritis carnem meā, & biberitis sanguinē meum, non habebitis vitam in vobis ipsis. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Iesus ergo quia totus ex toto mūdus est, tota eius caro cibus est, & totus sanguis eius potus est: quia omne opus eius sanctū est, & omnis sermo eius verus est. Propterea ergo & caro eius verus est cibus, & sanguis eius verus est potus. Carnibus enim & sanguine verbi sui tanquā mundo cibo ac potu, potat & reficit omne hominū genus. Secundo in hoc loco post illius carnem, mundus cibus est Petrus, & Paulus, & omnes apostoli. Tertio loco discipuli eorum: & sic vnusquisque pro quantitate meritorum, vel sensuum puritate, proximo suo mundus efficitur cibus. Hæc qui audire nescit, detorqueat fortassis, & auertat auditum, secundum illos, qui dicebāt: Quomodo dabit nobis hic carnem suam manducare? Quis potest audire eum? & discesserunt ab eo. Sed vos si filij estis ecclesiæ, si Euange-

Homo mundus amplexandus: homo immundus vitandus.

1. Cor. 5

Ioan. 6.

F licis imbuti mysteriis, si verbum caro factum habitat in vobis, agnoscite quæ dicimus, quia domini sunt, ne forte qui ignorat ignoretur. Agnoscite quia figuræ sunt, quæ in diuinis voluminibus scripta sunt, & ideo tanquam spiritales & non tanquam carnales examinate, & intelligite quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, & non alunt. Est enim & in euangeliis litera quæ occidit, non solum in veteri testamento occidens litera deprehenditur. Est & in nouo testamento litera, quę occidat eum, qui non spiritaliter quæ dicuntur aduerterit. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum quod dictum est: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinē meum, occidit hæc litera. Vis tibi & aliam de Euangelio proferam literam, quæ occidit? Qui non habet, inquit, gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium. Ecce & hæc litera Euangelij est, sed occidit. Si verò spiritaliter eam suscipias, non occidit, sed est in ea spiritus viuificās. Et ideo siue in lege, siue in Euangeliis quæ dicuntur, spiritaliter suscipe: quia spiritalis diiudicat omnia, ipse verò à nemine diiudicatur. Vt ergo diximus omnis homo habet in se aliquem cibum, ex quo qui sumpserit, si quidem bonus est, & de bono thesauro cordis suis profert bona, mundum cibum præbet proximo suo. Si verò malus, & profert mala, immundum cibum præbet proximo suo. Potest enim quis innocens &

Litera quæ occidit etiā in Euangeliis.

Significat carnē christi non manducari more aliorum ciborum citra externū symbolum. Hoc nihil pertinet ad rem sacramento comprehensam.

1. Cor. 3.

G rectus corde, mundum animal ouis videri, & præbere audienti se cibum mundum tanquam ouis, quæ est animal mundũ. Similiter & in cæteris. Et ideo omnis homo (vt diximus) cũ loquitur proximo suo, & siue prodest ei ex sermonibus suis, siue nocet, & mundum ei, aut inmundum efficitur animal: ex quibus vel mũdis vtendum vel immundis præcipitur abstinendum. Si secundum hanc intelligentiam dicamus deũ omnipotentem leges hominibus promulgasse, puto quod digna videbitur diuina maiestate legislatio. Si verò adsideamus literæ, & secundum hoc, vel quod Iudæis, vel id quod vulgo videtur, accipiamus quæ in lege scripta sunt, erubesco dicere, & confiteri, quia tales leges dederit deus. Videbuntur enim magis elegantes & rationabiles hominum leges, verbi gratia, vel Romanorum, vel Atheniensium, vel Lacedæmoniorum. Si verò secundum hanc intelligentiam, quam docet ecclesia, accipiatur dei lex, tunc plane omnes humanas supereminet leges, & vere dei lex esse credetur. Itaque his ita præmissis, spiritali (vt commonuimus) intelligentia de mundis & immundis animalibus aliqua perstringamus. *Leuit. 11.* Omne, inquit, pecus quod vngulam diuidit, & vngulas habet, & reducit ruminationem in pecoribus, hæc manducabitis. Præterea ab his non manducabitis, quæ reducunt ruminationem, & non diuidunt vngulas, & habent vngulas. Camelus, quoniam reducit ruminationem, & vngulam non diuidit, immundum erit hoc vobis. Et lepus, quoniam redu- H cit ruminationem &, vngulam non diuidit, immundum hoc erit vobis: & erinacius, quia reducit ruminationem, & vngulam non diuidit, immundum hoc vobis, & sues, &c.] Decernit ergo ne manducentur huiusmodi animalia, quæ ex parte videntur esse munda, & ex parte immunda: sicut camelus ex eo quod ruminat, mundus videtur, ex eo autem, quod vngulas diuisas non habet, immundus dicitur. Post hęc iam nominat & leporem, & erinacium, sed & ipsos dicit ruminare quidem, sed vngulas non diuidere. Alium verò ordinem facit eorum, qui è contrario vngulam quidem diuidunt, sed non ruminant. Primum ergo videamus qui sunt isti, qui ruminant, & vngulam diuidunt, quos mundos appellat. *Ruminare.* Ego arbitror illum dici ruminare, qui operam dat scientiæ, & in lege domini meditatur die ac nocte. Sed audi quomodo dictum est: Qui diuidit, inquit, vngulam, & reuocat ruminationem. Reuocat ergo ruminationem, qui ea quæ secundum literam legit, reuocat ad sensum spiritalem, & ab infimis, & visibilibus ad inuisibilia & altiora conscendit. Sed si mediteris legem diuinam, & ea quæ legis ad subtilem & ad spiritalem intelligentiam reuoces, vita autem tua, & actus tui non sint tales, vt habeant discretionem vitæ præsentis & futuræ huius seculi & seculi superuenturi: si non ista competenti ratione discernas, & diuidas, camelus es tortuosus: *Camelus tortuosus.* qui cum intellectum acceperis ex meditatione legis diuinæ, non diuidis, neque segregas præsentia & futura, nec angu- I stam viam à via spatiosa secernis. Sed adhuc manifestius quod dicitur explanemus. Sunt qui adsumunt testamentum dei per os suum, & cum legem dei in ore habeant, vita & actus sui longe à verbis eorum & sermonibus discrepant. Dicunt enim, & non faciunt: de quibus & propheta dicit: Pec- *Psal. 45.* catori autem dixit deus. Quare tu enarras iustitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum? Vides ergo quomodo iste ruminat, qui testamentum dei habet in ore suo. Sed quid in sequentibus ad eum dicitur? Tu autem odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos post te. In quo euidenter ostendit istum ruminantem quidem, sed vngulam nõ diuidentem, & ideo immundus est quicũque est talis. Et iterum est alius, vel ex his qui extra religionem nostrã sunt, vel ex his qui nobiscum sunt: qui diuidũt quidem vngulas, & ita incedunt in viis suis, vt actus suos ad futurum seculum præparent. Multi enim ita & ex philosophis sapiunt, & futurum esse iudicium credunt. Immortalem nanque animam sentiunt, & remunerationem bonis quibusque positam confitentur.. Hoc & hæreticorum nonnulli faciunt, & quantum spectat, timorem futuri iudicij gerunt, & actus suos tanquam in diuino examine requirendos cautius temperant. Sed horum vterque non ruminat, nec reuocat ruminationem. Non enim ea quæ in lege dei scripta sunt audiens, meditatur, ac reuocat ad subtilem & spiritalem intel- K ligentiam: sed statim vt audierit aliquid, aut contemnit, aut despicit, nec requirit qui in vilioribus verbis preciosus lateat sensus. Et habent isti diuidentem quidem vngulam, sed ruminationem non reuocaut. Tu autem, qui vis esse mundus, conuenientem habeto vitam, & consonam scientiæ, & actus intellectui: vt sis in vtroque mundus, vt & reuoces ruminationem, & vngulam diuidas, sed & vngulas vt producas, siue abiicias. Requiramus & huius rei testimonium, quomodo vngulas producimus, vel (vt alibi legitur) abiicimus. Scriptum est in Deuteronomio: Si, inquit, exieris ad bel- *Deu. 21.* lum aduersum inimicos tuos, & videris ibi mulierem decora specie, & concupieris eam, adsumes eam, & rades omnem pilum capitis eius, & vngulas eius, & indues eam vestimentis lugubribus: & sedebit in domo lugens patrem suum, & matrem suam, & domum paternam suam, & post triginta dies erit tibi vxor. Sed nunc non hoc est propositum, vt hæc quæ in testimonium vocata sunt, explanentur: sed propterea diximus, quia & hic de vngulis mentio facta est. Veruntamen & ego frequenter exiui ad bellum contra inimicos meos, & vidi ibi in prædam mulierem decora speciе. Quæcunque enim bene & rationabiliter dicta inuenimus apud inimicos nostros, si quid apud illos sapienter & scienter dictum legimus, oportet nos mundare id, & ab scientia quæ apud illos est auferre, & resecare omne quod emortuum & inane est: hoc enim sunt omnes capilli capitis, & vngulæ mulieris ex inimicorum spoliis adsumptæ: & L ita demum facere eam nobis vxorem, cum iam nihil ex illis quæ per infidelitatem mortua dicuntur, habuerit, nihil in capite habeat mortuum, nihil in manibus, vt neque sensibus, neque actibus, immundum aliquid, aut mortuum gerat. Nihil enim mundum habent mulieres hostium nostrorum, quia nulla est apud illos sapientia, cui immunditia aliqua nõ sit admixta. Velim tamen dicerent mihi Iudæi quomodo apud eos ista seruentur. Quid causæ, quid rationis est decaluari mulierem, & vngulas eius demi? Verbi causa, ponamus quod ita inuenerit eam is qui dicitur inuenisse, vt neque capillos, neque vngulas habeat, quid habuit, quod secundum legem demere iuberetur? Nos verò quibus militia spiritalis est, & arma non carnalia, sed potentia deo ad destruenda consilia, decora mulier si reperta fuerit apud hostes, & rationabilis aliqua disciplina, hoc modo purificabimus ea quo superius diximus. Oportet ergo eum qui mundus est, non solum diuidere vngulas, & non solum præsentis seculi & futuri actus & opera discernere, sed & vngulas producere, vel (vt alibi legimus) abiicere, vt purificantes nos ab operibus mortuis, permaneamus in vita. Hæc quidem generaliter dicta sint de animalibus: illa verò quæ in aquis *Piscium mũdorum vel immundorum significatio.* sunt, quia dicuntur siquidem habeant pinnas & squamas, munda esse. si verò habeant, immũda, nec edi debere: illud in his ostenditur, vt si quis est in aquis istis, & in mari vitæ huius, atque in fluctibus seculi positus, tamen debeat M satis agere, vt non in profundis iaceat aquarum, sicut sunt isti pisces qui dicuntur non habere pinnas neque squamas. Hæc nanque eorum natura perhibetur, vt in imis semper, & circa ipsum cœnum demorentur: sicut sunt anguillæ, & huic similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, neque ad eius superiora peruenire. Illi verò pisces qui pinnulis iuuantur, ac squamis muniuntur, ascendunt magis ad superiora, & aëri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quærant. Talis est ergo sanctus quisque, quia intra retia fidei conclusus, bonus piscis à saluatore nominatur: qui etiam mittitur in vas, veluti pinnas habens & squamas. Nõ enim habuisset pinnas, nõ resurrexisset de cœno incredulitatis: nec ad rete fidei peruenisset, nisi pinnis adiutus ad superiora venisset. Quid est autem quod & squamas habere dicitur? tanquã qui paratus sit vetera indumẽta deponere. Hi enim, qui squamas nõ habẽt, velut ex integro carnei sunt, & toti carnales, qui deponere nihil possunt. Si quis ergo habet pinnas, quibus ad superiora nitatur, mundus est. Qui verò nõ habet pinnas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est. Similiter autem de auibus. Non manducabis, inquit, hæc, quia immũda sunt, Aquilam,

A Aquilam, & vulturem, & cætera his similia. His etenim auibus semper mortuorum corporum cibus est, & ex mortuis & cadaueribus viuunt. Omnes ergo qui huiusmodi vitam gerunt, immundi habendi sunt. Ego puto & illos in his nominari, qui alienis incubant mortibus & arte quadam vel fraude testamenta subiiciũt. Huiusmodi enim homines, vultures & aquilæ merito appellantur, velut mortuorum cadaueribus inhiantes. Scio & alia volatilia, quæ raptu viuũt. Hæ sunt animæ, quæ secundum hoc quidem, quod rationabiles & imbutæ sunt liberalibus institutis, vel rationabilibus disciplinis, volatilia videntur. Legunt enim & requirunt, vel de ratione cœli, vel quomodo mundus dei prouidentia gubernetur, secundum hæc ergo volatilia nominantur. Si verò huiusmodi homines inique agant, & contra legem faciant, diripiant proximos, vt cum in verbis esse videatur eruditio cœlestis, in actibus carnalia & mortua opera gerãt, recte vultures, vel aquilæ dicẽdi sunt, quæ de excelsis ad carnes mortuas ac fœtidas delabuntur. Ad hoc referenda est & accipitris rapacitas, & cæterorum omnium: ex quibus, quædam sunt volatilia rapacitati studẽtia, quædam verò non tam rapacitatem, quàm obscuritatẽ & tenebras amantia. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, sunt noctuę, & vespertiliones, & cætera quæ lex pronunciauit immunda. A quibus omnibus spiritali nos obseruantia custodientes, & cibum ex B mundis animalibus appetentes, etiam ipsi puri efficiemur & mundi, per Christum dominum nostrum: per quem est deo patri cum spiritu sancto gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Auium permissarũ & prohibitarũ ratio.

Ioan. 3.

De eo quod scriptum est, Mulier quæcunque conceperit semen, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & de diuersitatibus lepræ ac purificationibus leprosi. Leuit. Cap. XII & XIII. Homilia VIII.

MEDICVM dici in scripturis diuinis dominum nostrum Iesum Christum, etiam ipsius domini sententia perdocemur, sicut dicit in Euangeliis. Non indigent sani medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitẽtiam. Omnis autem medicus ex herbarum succis vel arborum, vel etiam metallorum venis, vel animantium naturis, profutura corporibus medicamenta componit. Sed herbas istas si quis forte antequam pro ratione artis componantur aspiciat, siquidem in agris, aut montibus, velut fœnum vile conculcat, & præterit. Si verò eas intra medici scholam dispositas per ordinem viderit, licet odorem tristẽ, forte & austerũ reddãt, tamen suspicabitur eas curæ vel remedij aliquid continere, C etiam si nondum quæ, vel qualis sit sanitatis ac remedij virtus, agnouerit. Hæc de communibus medicis diximus. Veni nunc ad Iesum cœlestem medicum, intra ad hanc stationem medicinæ eius ecclesiam, vide ibi languentium iacere multitudinem. Venit mulier, quę ex partu immũda effecta est, venit leprosus, qui extra castra separatus est pro immũditia lepræ, quærunt à medico remedium quomodo sanentur, quomodo mundentur: & quia Iesus hic qui medicus est ipse est, & verbum dei, ægris suis nõ herbarum succis, sed verborũ sacramentis medicamenta conquirit. Quę verborum medicamenta si quis incultius per libros tanquam per agros videat esse dispersa, ignorans singulorum dictorum virtutem, vt vilia hæc, & nullum sermonis cultum habẽtia, præteribit. Qui verò ex aliqua parte didicerit animarum apud Christum esse medicinam, intelliget profecto ex his libris qui in ecclesia recitantur, tanquam ex agris & mõtibus, salutares herbas adsumere vnumquenque debere, sermonum duntaxat vim: vt si quis ille est in anima languor, non tam exterioris frondis & corticis, quàm succi interioris hausta virtute sanetur. Videamus ergo aduersum immunditiã partus, & contagionem lepræ, præsens hæc lectio, quàm diuersa, & quàm varia purificationum medicamenta conficiat. Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos. Mulier quæcũque conceperit semen, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus.] Primo considere-

Christus dicitur medicus.
Matt. 9.
Mar. 2.

Verborum sacramenta medicamenta quædam

Leuit. 12.

mus secundum historiam, si non videtur quasi ex superfluo D additum, mulier quæ conceperit semen, & pepererit masculum, quasi possit aliter masculum parere, nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur. Ad discretionem nanque illius, quæ sine semine concepit & peperit, istum sermonem præ cæteris mulieribus Legislator adiecit: vt nõ omnem mulierem quæ peperisset, designaret immundam, sed eam quæ concepto semine peperisset. Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quod lex ista, quæ de immunditia scribitur, ad mulierẽ pertinet. De Maria autem dicitur, quia virgo cõcepit, & peperit. Ferãt ergo legis onera muliere, virgines verò ab his habeantur immunes. Sed si nobis aliquis occurrat argutus, & dicat, quia & Maria mulier in scripturis nominatur: sic enim dicit apostolus: Vbi autem venit plenitudo tẽporum misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: respondebimus ei, quia in hoc apostolus mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus indicio nominauit: vt quia dicebat filium dei missum, simul & illud, quia pro communi omniũ vita ingressus in hunc mundum venisset, exponeret. Est porrò & ætatis istud vocabulum, eius scilicet, qua fœminino sexu de annis pubertatis exceditur, & ad id tempus quo habilis viro videatur esse transitus. Sicut & econtrario vir appellatur is qui adolescentiæ tempus excesserit, etiam si vxorem nondum ha- E beat, cuius vir esse dicatur: quo nomine appellari solẽt etiam hi, quos fœmineæ admixtionis macula nulla perstringit. Si ergo recte dicitur vir ille pro sola temporis ætate, etiam is qui nullius admixtionem fœminæ nouerit: quomodo nõ eadem consequentia etiam virgo quæ intemerata permãsit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur? Denique & Abraham cum puerum mitteret Mesopotamiam in domum Batuelis vt inde acciperet Isaac filio suo vxorẽ, & puer curiosius percontaretur, ait ad eum: Quod si noluerit mulier sequi me, reducam filium tuum illuc? Et non dixit, quod si noluerit virgo sequi me. Hæc ergo dicta sint nobis de eo quod obseruauimus scriptum, quia nõ superfluo addidit legislator, mulier si cõceperit semen, & pepererit filium: sed esse exceptionem mysticam, quæ solam Mariam à reliquis mulieribus segregaret, cuius partus non ex conceptione seminis, sed ex pręsentia sancti spiritus, & virtute altissimi fuerit. Nunc ergo requiramus etiam illud, quid causæ sit quod mulier quæ in hoc mundo nascentibus ministerium præbet, nõ solum cum semen susceperit immunda fieri dicitur, sed & cum peperit. Vnde & pro purificatione sua iubetur offerre pullos columbinos, aut turtures pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, vt repropitiet pro ipsa sacerdos: quasi quę repropitiationẽ debeat, & purificationẽ peccati pro eo quod nascenti in hoc mundo homini ministerium præbuit. Sic enim scri- F ptum est: Et repropitiabit pro ipsa sacerdos, & mundabitur. Ego in talibus nihil audeo dicere, sentio tamen occulta in his quædam mysteria contineri, & esse aliquid latẽtis arcani, pro quo & mulier quæ conceperit ex semine, & pepererit, immunda dicatur, & tanquam peccati rea offerre iubeatur hostiam pro peccato, & ita purificari. Sed & ille ipse qui nascitur, siue virilis, siue fœminei sexus sit, pronunciat de eo scriptura quia non sit mundus à sorde, etiam si vnius diei sit vita eius. Et vt scias esse in hoc grande nescio quid, & tale quod nulli sanctorum ex sententia venerit, nemo ex omnibus sanctis inuenitur diem festum, vel conuiuium magnum egisse in die natalis sui, nemo inuenitur habuisse lætitiam in die natalis filij, vel filiæ suæ. Soli peccatores super huiusmodi natiuitate lætantur. Inuenimus etenim in veteri quidem testamento Pharaonem regem Ægypti, diem natalis sui cum festiuitate celebrantem, in nouo verò testamento Herodem. Vterque tamen eorum ipsam festiuitatem natalis sui profusione humani sanguinis cruentauit. Ille enim præpositum pistorum, hic sanctum prophetam Ioannem obtrũcauit in carcere. Sancti verò non solum non agunt festiuitatem in die natalis sui, sed & spiritu sancto repleti execrantur hunc diẽ. Neque enim tantus ac talis propheta (Hieremiã dico, qui in vtero matris sanctificatus est, & propheta in gentibus cõsecratus) libris in æternum mansuris aliquid inaniter condidisset, nisi secretũ quid contineret, & ingẽtibus mysteriis plenũ,

Virgo Maria quo sensu mulier.
Gal. 4.

Gen. 24.

Exceptio mystica.

Peccatũ originarium.
Iob. 14.

Impij celebrant diem suum natalem.
Gen. 40.
Mar. 6.
Sãcti diem natalẽ execrantur.
Hier. 1.

G vbi dicit: Maledictus dies in quo natus sum, & nox in qua dixerunt, ecce masculus: maledictus qui adnunciauit patri meo, dicens, natus est tibi masculus. Lętetur homo ille sicut ciuitates quas dominus destruxit in furore, & non pœnituit: Videtúrne tibi hæc tam grauia, & tam onerosa imprecari propheta potuisse, nisi sciret esse aliquid in ista natiuitate corporea, quod & huiusmodi dignum maledictionis videretur, & pro quo legislator tot immunditias accusaret, quibus congruas purificationes consequenter imponeret? Longum est autem, & alterius temporis, vt testimonia quæ de propheta sumpsimus, explanemus: quia nunc non Hieremiæ, sed Leuitici nobis propositum est differere lectionem. Sed & Iob non sine spiritu sancto loquens, maledicebat diem natiuitatis suæ, dicens: Maledicta dies in qua natus sum, & nox in qua dixerunt, ecce masculus: nox illa sit tenebræ, & non requirat eam dominus denuo, neque veniat in dies anni, nec numeretur inter dies mensium. Quod si tibi non videtur hæc Iob prophetico & diuino spiritu loqui, ex his considera quæ sequuntur: addidit enim: Sed maledicat eam, qui maledixit illum diem, in quo magnum cetum interempturus est. Vides ergo quomodo in spiritu sancto prædixit de magno ceto quem interfecturus esset dominus, cuius typus erat cetus ille Ionæ: Vnde & dominus, qui interfecturus erat cetum istum diabolum, dicit: Sicut enim Ionas H tres dies & tres noctes fuit in ventre ceti, ita oportet & filiũ hominis esse tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. Quod si placet audire quid etiam alij sancti de ista natiuitate senserint, audi Dauid dicentem: In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea: ostendens quod quæcunque anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur: & propterea dictum esse illud, quod iam superius memorauimus: quia nemo mundus à sorde, nec si vnius diei sit vita eius. Addi his etiam illud potest, vt requiratur quid causæ sit, cum baptisma ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum ecclesiæ obseruantiam etiam paruulis baptismum dari: cum vtique si nihil esset in paruulis quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur. Mulier ergo quæcunque conceperit semen, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus: sicut & illa, quæ secundum dies purgationis suæ septem diebus segregatur ab omni mundo. Quia in sanguine immundo facit septem dies, in sanguine autem mundo triginta & tres dies: Sed hoc in masculi natiuitate, duplos autem dies facit in natiuitate fœminæ. Incipit ergo esse in sanguine mundo ab octaua die, & est in sanguine mundo diebus triginta tribus, hoc est tribus decadis, & tribus monadis. Et cum cœperit esse in sanguine I mundo illa quæ peperit, tunc circuncidit infantem: octaua enim die circuncides, inquit, carnem præputij eius. Hæc est lex literæ, sed require tu quam circuncisionem apostolus prædicet, quam nos & suscipere & habere iubet. Nos enim, inquit, sumus circuncisio, qui spiritu deo seruimus. Et quod in psalmo ait: Alienati sunt peccatores à vulua, considera si non de illis hoc dicit, qui illam circuncisionem suscipiunt, qua nos circuncidi apostolus vetat: & tunc est quando alienantur peccatores à vulua, cum non spiritu, sed carne circunciduntur. Quia qui in lege circunciduntur, à gratia exciderunt. Igitur immunda fieri mulier dicitur, quæ concepto semine peperit masculum, quæ autem fœminam pepererit, non solum immunda erit, sed dupliciter immunda. Bis enim septenis diebus in immunditia scribitur permanere. Sed interim quæ peperit masculum, octaua die & qui natus est circunciditur, & illa fit munda. Satis illa operosa res est, in hac breuitate temporis ista contingere, tamen vt in transcursu aliqua dicamus, septimana hæc præsentis vitæ tempus videri potest. In septimana nanque dierum consummatus est mundus. In quo donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octaua venerit dies, id est, nisi futuri seculi tempus affuerit. In quo tamen die si masculus est, & viriliter egerit, statim in ipso aduentu futuri seculi purgatur, & statim munda efficitur mater, quæ genuit eum. Purgatam namque vitijs carnem ex resurrectione recipiet. Si verò nihil in se habuit virile aduersum peccatum, sed remissus &

Hier.20. Iob.3. Matt.12. Peccatum originis. Psal.50. Iob.14. Baptismus paruulorũ ex ecclesiæ obseruãtia. Circuncisio spiritus. Phil.3. Psal.58. Purgatoriũ

effœminatus fuit in actibus suis, cuius peccatũ tale est, quod K non remittatur neque in præsenti seculo, neque in futuro: iste transit & vnam & aliam septimanam in immunditia sua, & tertia demum incipiente oboriri septimana, purgatur ab immunditia, quam fœminam pariendo contraxit. Hostiæ verò, quæ pro huiusmodi immunditia iubentur adhiberi, dupliciter distinguuntur. Primo iubetur agnus offerri anniculus sine macula in holocaustum, aut pulli columbini, aut turtures pro peccato. Secundo verò mundatur hostia, si inquit, non inuenerit manus eius quod sufficiat ad agnum, accipiat duos turtures, aut duos pullos columbarum, vnum ad holocaustum, & alium pro peccato. Vnde & mirum videtur quod oblatio Mariæ non habuerit hostiam primam, id est, agnum anniculum, sed secundam: tanquam cuius manus non suffecerit ad primam. Sic enim scriptum est de ea: Venerunt, inquit, parentes eius, vt offerrent pro eo hostiam, secundum quod scriptum est in lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum. Sed & in hoc ostenditur verum esse illud quod scriptum est, quia Christus Iesus cum diues esset, pauper factus est. Ideo ergo & matrem de qua nasceretur, elegit pauperem, & patriam pauperem, de qua dicitur: Et tu Bethleem minima es in millibus Iuda, & reliqua. Verum hæc breuiter transcurrere cogimur, nec singula quæ scripta sunt discutere valemus, quoniam quidem festinamus aliquid etiam de legibus lepræ quæ recitatæ sunt, pertractare. Inuenimus ergo L sex species positas esse in hominum lepra, quæ sex species hoc modo describuntur. Aut enim in cute corporis fit cicatrix, & signum exalbidum, & tunc fit in cute corporis eius contagio lepræ. Aut efflorens efflorebit lepra, & conteget omnem cutem contagio à capite vsque ad pedes eius. Vel tertia species, in carnis cute fit vlcus, & sanatur: & fit in loco ipso vlceris cicatrix alba: aut in carnis cute fit adustio ignis, & post hæc sanata adustio erit lucida alba, aut cum rubore candida. Quinta species, cum viro aut mulieri fit in capite, aut in barba contagio lepræ. Vltima verò scribitur species, cum fit in caluitie, vel in recaluatione contagio lepræ rubicundæ, quæ est lepra efflorens in caluitio, vel in recaluatione. Hæc vt compendio expositionis vtamur, quoniam quidem nunc propositum nobis est breuiter auditores ex his quæ recitata sunt admonere, nec est temporis ad liquidum singula quæque discutere, referenda mihi videntur ad vnamquanque speciem peccatorum, & in his animæ maculæ, quæ ex peccatis ei accidunt, intuendæ. Dicendum igitur primo est designari per hæc peccata, quæ in hac vita positi committimus. Ex quibus aliqua curari nunc possunt, aliqua verò non possunt: Secundo verò & de illis ipsis, quæ post hanc vitam nobiscum transeunt, significari intelligendum est, & esse in ipsis quædam ita animabus infixa, vt nequeant aboleri: alia verò esse, quæ purgationem M possint recipere secundum inspectionem & iudicium pontificis illius, quem occulta latere non possunt, quique dispensabit animas singulorum secundum hoc quod in eis maculas lepræ, aut expiabiles, aut inexpiabiles viderit. Cuius rei differentias de præsenti lectione colligere, & per singula secundum scripturæ huius indicium, quæ possunt nos monere rimari, extemporaneus (vt iam superius dixi) iste sermo non patitur. Vix enim hæc multis possent voluminibus digesta componi ab his quibus dominus delectione veteris testamenti velamen abstraxit. Nos ergo pro viribus nostris, quantũ proferri in medium conuenit, exequamur, apostolo nobis Paulo pandente intelligentiæ viam: qua dicit legem vmbram futurorum habere bonorum, non ipsam imaginem rerum: & secundum id quod ea quæ de bobus intelligi videntur scripta, non de bobus, quorum deo cura non sit, sed de apostolis aduertenda pronunciat. In quo consequenti vtique ratione edocemur, quod & ea quæ de lepra scribuntur vmbra sint, & in aliis habeant imaginem veritatis. Igitur adhibeamus primo (si videtur) ipsam scripturæ vmbram, & tunc de eius veritate requiramus. In vulneribus corporum posteaquã curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est qui ita curetur, vt nullum suscepti vulneris residere

Luc.2. 2.Cor.8. Mich.5. Leuit.13. Sex lepræ species. Lepræ species totidẽ peccatorum genera. Concionabatur extempore Orig. Heb.10.

sidere

A sidere videatur indiciũ. Transi nũc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima quæ peccati vulnus acceperit, etiã si curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatris non solum à deo videtur, sed & ab eis qui acceperunt ab eo gratiam, qua peruidere possint animæ languores, & discernere quæ sit anima ita curata, vt omni genere vestigium illati vulneris abiecerit: & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indicia. Quod autem sint quædam animæ vulnera, Esaias docet, dicens: A pedibus vsque ad caput non est vulnus, neque liuor, neque plaga cum feruore, de delictis hæc proculdubio populi loquens: quia sunt aliqui quibus possit adhuc medicamentum malagmatis imponi. Alij verò quod sint intantum peccatores, vt eis nec cura possit adhiberi, hoc modo idem propheta designat: Non est, inquit, malagma imponere, neque alligaturas. Quod autem cõtritio, & plaga doloris per correptionem, curæ causa imponantur animæ Hieremias docet, dicẽs: Sic dicit dominus: Suscitaui contritionem plagæ tuę cum dolore: non est qui iudicet iudicium tuum, cum dolore curata es, vtilitas non est in te. Omnes amici tui obliti sunt tui, nunc iam interrogabunt de te: quia plaga inimici percussi te correptione valida pro omni iniquitate tua, quoniam multiplicata sunt peccata tua. Quid vociferaris super contritione tua? Violentus est dolor

Esa. 1

Hier. 30

B tuus, propter multitudinem iniquitatum tuarum præualuerunt peccata tua, & fecerunt tibi hæc. Propterea omnes qui deuorant te deuorabuntur, & omnes inimici tui carnes suas deuorabunt: Et erunt qui te afflixerunt in afflictione, & omnes qui deuastauerunt te, dabo in deprædationem: quoniam reuocabo sanctitatem tuam, & à vulneris tui dolore reuocabo te, dixit dominus. Memẽto diligentius quæ audieris à propheta de vulneribus, & de cicatricibus, & de tumoribus dici. Hęc enim nobis necessaria sunt ad expositionem cicatricum, vel vulnerum, vel aliorum huiuscemodi quæ in lepræ inspectionibus memorantur. Addemus tamen adhuc quæ & in alio loco idem Hieremias ad animæ vulnera, & curas, in quibus tamen vestigia vulnerum resederint post obductam cicatricem, his sermonibus memorat: Ecce ego adducam cicatricem eius, & simul curabo eos, & manifestabo eis pacem & fidem, & conuertam captiuitatem Iudæ, & captiuitatem Hierusalem. Si ergo sufficiẽter à propheta didicimus de vulneribus & cicatricibus animarum, & curis ac sanitatibus, quę deo medicante inferuntur, intuere nunc illã animam, de qua dicit dominus, quia ego adduxi cicatricem eius. Post vulnera sine dubio cicatricem adducit, & sanitatem. Et curabo eos, & manifestabo eis pacem & fidem. Si ergo post cognitionem, & medicinam dei, si post manifestationem pacis & fidei, quã per Christum suscepimus, rursum in istam cicatricem ascen-

C dat aliquod peccati prioris indicium, aut signum aliquod erroris veteris innouetur: tunc fit in cute corporis nostri contagio lepræ, quę inspicienda est per pontificem, secundum ea quæ legislator exposuit. Secunda verò species est lepræ, si effloruerit, inquit, in cute, ita vt tegat omnem cutem corporis à capite vsque ad pedes, per omnia quæcunque sacerdos inspexerit. Cum ergo omnem cutem corporis obtexerit, tũc mũdum eum esse sacerdos à contagione pronunciat. Sed in quacunque die apparuerit in eo color viuus, rursum iudicatur immundus per hoc quod color in eo viuus apparuit, quem ante non habuit. De hoc quidam etiam ante me dixerunt, per colorem viuum indicari rationem vitæ quæ in homine est: qua nondum in anima posita si quid illic peccata fiat, non reputatur pro eo quod videatur nondum rationis capax esse is qui delinquit. Cum autem ratio in eo locum ac tempus inuenerit, si quid iam contra rationem agat, videri eũ iure culpabilem. Nos autem diligentius quæ scripta sunt cõtuentes, arbitramur magis hæc de illis accipienda, quibus vel phrenesi, vel furore, vel quocunque ex pacto occupatus vel oppressus est sensus, & agunt contra rationem. Mundi ergo isti à lepra, id est immunes appellantur à peccato, quia actus sui, vel motus, non habent sensum. Quod si forte apparuerit in eo viuus color corporis, hoc est sensus sui reparata in eo fuerit sanitas, & post hęc aliquid cõtra rationem recti iustiq; gerat, reputari ei peccatũ dicitur ex ea parte qua viuus color,

Secũda lepræ species.

Phrenetici & similes immunes à peccato.

D id est sensus in eo viuæ rationis apparuerit. Tertia lex de leprosis est cum in cute corporis vlcus efficitur, & in loco vlceris cicatrix alba cum rubore inuenitur. Vlceris autem causa est, cum in corpore humor sordidus abundat & noxius. Ita ergo & in anima vlcera intelliguntur ea, quæ ex immundis cupiditatibus, vel sordidis cogitationibus efferuescunt. Quæ si forte per fidei gratiam & remissionem curata sunt peccatorum, & sana facta est anima, residet tamen cicatrix: & si ipsa cicatrix nõ habet similem corporis colorem, sed est albidior, lepra esse pronunciatur. Ita enim lucida est & clara cupiditas, vt etiam porro videntibus peccati in se residentis ostẽdat indicia: & fortassis peccati talis, quòd ad mortẽ sit: & ideo non solũ alba cicatrix esse, sed & rubicũda describitur. Quod verò humiliorẽ ipsam cicatricem dicit videri, certum est quia huiusmodi macula peccati humilẽ & deiectam animã faciat. Quarta est lex, vbi dicitur, quia si in cute fiat adustio ignis, & post hæc cum sanata fuerit adustio, ipsa splendida fiat, & alba cum rubore, vel certe exalbida, & visio eius humilior reliqua cute, & hanc dicit esse lepram, quæ in adustionem effloruit. Vide ergo si non adustio est in omni anima quæcunque recipit iacula maligni ignita: aut si nõ igni aduritur, omnis qui ardet in amore carnali. Istæ sunt ergo adustiones, & succensiones ignis. Sed & ille adustionem patitur, qui gloriæ humanæ cupiditate succenditur, & qui iræ, vel furoris æstibus inflam-

Tertia species.

Quarta lepræ species.

E matur. Quod si forte curetur ab his vulneribus anima per fidem, & post sanitatem receptam contempto eo qui dixit: Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius contingat, incipiat veteris vitij fructus ex obducta cicatrice proferre, nec exequetur cicatrix ad reliqui corporis cutem, sed sit humilior, & illum adhuc retineat colorem, quem habuit lepræ tempore: lepra eius in adustione refloruit, & ideo immundus à sacerdote iudicatur. Quinta species lepræ est, cum in capite contagio efficitur, aut in barba viri, siue mulieris, ita vt visio contagionis ipsius humilior sit à cute corporis, & hæc est lepra capitis, vel barbæ. Vide ergo si potest fieri, vt lepra capitis putetur in eo, qui non habet caput Christũ, sed aliũ aliquẽ, verbi causa: Epicurũ voluptatẽ summũ bonũ prædicantẽ, num tibi & caput, & barba talis hominis videtur immunda? Sed & is qui cum debeat esse vir, & agere tanquã perfect⁹, si forte facile & tãquã puer vincatur à peccato, etiã ipse leprã barbæ habere dicẽdus est: quia cũ vincere deberet malignum, & sacerdotali honore, qui in barba designatur, incedere, adolescentiæ vitiis impeditus, lepram barbæ perpetitur. Mulierem autem animam in scripturis indicari eam, quæ non tam proferre semen verbi, quàm suscipere potest, sæpe dictum est: quæ lepram habere designatur in capite, si virum qui caput mulieris est, id est doctorem pollutum habeat, & immundum, vt Marcionem, aut Valentinum aut ali-

Ioan. 5

Quinta.

F quem eiusmodi sequens. Sexta iam & vltima species lepræ ponitur, quæ fit in caluitio, vel recaluatione: quæ res quãtum in seipsis est, mundæ sunt. Sic enim dixit & lex. Si cuius, inquit, defluxerint capilli capitis, caluus est, mundus est. Si autem à fronte eius defluxerint, recaluus est, & mũdus est. Et cõuenienter hæc referuntur ad animã, vt cum ea quæ sui natura mortua sunt abiicit ac deponit, munda esse dicatur. Sed post hæc si ea quæ prius purificata fuerant, repullulare cœperint sordidius & humilius, quàm dignitas puritatis expetit, videbuntur immunda, ac leprosam animam reddent. Et hoc iam generaliter de omni leproso, in quo fuerit contagio lepræ, & humilior videbitur à reliqua cute: humilius namque est omne animę vitium à reliquis eius virtutibus. Lex quæ spiritalis est, alia quædam decernit. Vestimenta, inquit, eius dissuta sint, & caput eius reuelatum, & os eius adopertum. Per quæ designat eum qui in anima leprosus est, id est, qui peccatis confixus est, non oportere assuere sibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is cuius vestimenta dissuta sunt, nudam atque intectam gerit turpitudinem corporis: ita oportet eum qui peccatis aliquibus obseptus est, mala sua & flagitia nullis verborum assumẽtis, nullis excusationum velaminibus operire: vti ne fiat sepulchrum dealbatum, quod deforis quidẽ apparet hominibus speciosum, intus autem plenum est ossibus mortuorũ, & omni immunditia. Vult ergo lex diuina peccatorẽ non solũ vestimẽta nõ assuere, sed

Sexta.

G & caput non cōtegere: vt si quod est capitis delictum, id est, si in deum aliquid commissum est, si in fide peccatum est, ne hæc quidem habeantur obtecta: sed omnibus publicentur, vt interuentu & correptione omnium emendetur, & veniam mereatur. Veruntamen leprosus iste, os tantummodo iubetur obtegere. Quid est hoc quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os solum operire iubetur? Nonne palam est, & in aperto positum, quod ei qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur os, vt fiducia sermonis, & docendi auctoritas excludatur? Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum? Clausum ergo habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, docere alium non potest: ideo os suum iubetur operire, qui male agendo, loquendi perdidit libertatem. Immundus, inquit erit, & separatus sedebit foris, extra castra erit conuersatio eius.] Clarum est quod omnis immundus abijciatur à conuentu honorum, & segregetur à cœtu, castrísque sanctorum: & ideo dicit, quia extra castra erit conuersatio eius. Quod si forte mundatus fuerit, sponte quidem, & à semetipso non venit ad sacerdotem: Sed offertur, inquit, ab alio, nec intrat in castra.] Neque enim conueniens erat, vt ea die qua mundabatur, priusquam fierent pro eo quæ competebant, introiret in castra. [Propter quod sacerdos, inquit, exibit ad eum foras extra castra.] Sēper enim ad eum

Peccator infamis excluditur ab auctoritate docendi.
Psal. 50.

H qui nondum potest introire in castra, exit ille qui potest exire extra castra, qui dicit: Ego à Deo exiui, & veni in hūc mundum. Exit ergo ad eum sacerdos, & considerat si iam recepit sanitatem, si à lepræ contagione purgatus est. Cum autem viderit eum sacerdos, præcipit vt accipiantur duæ gallinæ viuæ, ei qui mundatur, & lignum cedrinum, & coccus tortus, & hyssopus. Videntur mihi etiam hic duæ istæ gallinæ, habere similitudinem quandam duorum hircorum, ex quibus vnus Domino offertur, alius in eremum emittitur: ita enim & hic ex duabus gallinis vna immolatur, & alia in campum dimittitur. Dat ergo & hic qui purgatur à lepra, aliquam partem quæ abijciatur in eremum: alia autem pars, Domino offertur pro eo. Nondum tamen hic qui purgatur à lepra, & offert gallinas, etiam ipsa illa quæ pro eo Domino offertur, ad altare offertur, sicut turtures, aut columbæ. Nondum enim eadem die is qui purgatur à lepra, diuino altari dignus efficitur. Propter quod mandat Legislator, vt eadem die qua purgatur, accipiantur duæ gallinæ ad purificationem eius. Puto autem quod & hic illius gallinæ intellectus latenter habeatur, per quam purificatio efficitur peccatoris, de qua scriptū est, Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti. Indiget tamen vt per lignum cedrinum purificetur is qui purificatur. Impossibile nanque est sine ligno crucis, peccati lepram posse pur-

Ioan. 8.
Matt. 23.

I gari, nisi adhibeatur & lignum in quo Saluator (sicut Apostolus Paulus dixit) exuit principatus, & potestates, triumphans eos in ligno. Iungitur tamen ad emundationem lepræ huius, etiam coccus tortus, sociatur & hyssopus. Coccus tortus figuram sacri sanguinis continet, qui de eius latere per lanceę vulnus exortus est. Et hyssopus. Hoc genus herbę naturam habere medici ferunt, vt diluat & expurget si quæ illæ pectori hominum sordes ex corruptione noxij humoris insederint. Vnde & necessario in expurgatione peccatorum, huiuscemodi graminis figura suscepta est. Coccus verò quod sæpe sumptus sit ad salutis subsidia, in diuinis referri voluminibus inuenimus, sicut in partu Thamar, cum vnus, inquit, prior protulit manum. Accipiens autem obstetrix coccum, alligauit in manu eius, dicens: Hic exibit prior. Sed & Raab meretrix, cum exploratores suscepisset, & pactum salutis acciperet, & illi: Pone, inquiunt, signum resticulam coccineam, & alligabis eam in fenestra ista, per quam deposuisti nos. Obserua tamen & illud, quod non ipse sacerdos immolare gallinam dicitur, nondum enim dignus est hic qui fuit leprosus, vt ipse sacerdos pro eo immolet. Propter quod nec sanguis gallinæ offertur ad altare, sed dicit quia occidetur gallina in vasculo fictili, in quo vase aqua viua sit missa, vt & aqua adsumatur ad purificationem, & compleatur plenitudo mysterij in aqua & sanguine, quod dicitur exisse de latere Saluatoris, & illud nihilominus quod Ioānes ponit in epi-

Sine ligno crucis non est purgatio. Col. 2.
Hyssopi natura.
Gen. 38.
Iosu. 2.
Ioan. 18.
1. Ioan. 5.

stola sua, & dicit purificationem fieri in aqua, & sanguine & K spiritu. Vnde & hic video omnia ista compleri. Spiritus enim est gallina istius quæ occiditur, & aqua viua quæ in vase est, & sanguis qui super eam diffusus est, non quod per hæc iterandam baptismi gratiam sentiamus, sed quod omnia purificatio peccatorum etiam hæc quæ per pœnitentiam quæritur, illius ope indiget, de cuius latere aqua processit, & sanguis. Vide ergo quomodò & viua gallina, & lignum cedrinum, & coccinum tortum, & hyssopus tingitur in sanguine pulli & aqua viua, vt ex hoc aspersus, & purificatus ex aqua & sanguine, in quo tincta est & illa gallina quæ in campum dimittitur, & septies contra Dominum respersus, is qui purificatur mundus efficiatur ab omni immunditia, qua fuerat ex lepræ contagione possessus. Sed & illud aduerte, quomodo cum superius dixerit, [Hæc lex leprosi in qua die mundatus fuerit,] nunc his omnibus addit, & dicit: [& mundus erit.] Si enim semel abiecta lepra mundatus est, quomodo adhuc mundus erit? Sed vide quia etiam si mundetur quis à peccato, & non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purificatione indigent, & ea quam exposuimus, & alia nihilominus quæ mandatur in consequentibus. Obseruauimus enim & hoc quod scriptum est de lepra, [In qua die mundatus fuerit,] post hæc inter cætera quæ mandantur, tertio dictum esse, [& mundus erit,] & iterum ad vltimum scriptum esse, [& mundabitur.] Vnde mihi videtur esse quasdam & in ipsa purificatione differentias, & (vt ita dixerim) profectus quosdam purgationum. Potest enim & de illo qui cessat à peccato, dici, [& mundus erit,] sed non statim ita mundus videbitur, vt ad summam puritatis accesserit. Denique addit his quæ dixerat, [In quacunque die mundatus fuerit, & emittetur, inquit, viua gallina in campum, & lauabit vestimenta sua is, qui purificatur. Post hęc autem, omnem, inquit, pilum radet.] & addit, [Et lauabitur in aqua.] Et post hæc additur: [Et mundus erit.] Neque enim sufficit quod in responsione dixerat mundus erit, nisi adiecisset etiam hæc. Sordida ergo vestiméta habuit vsque adhuc iste, qui purificatur à lepra, etiam post aspersionem, & nunc lauare ea iubetur. Quæ tamen vestimenta, non mihi per omnia malæ texturæ videntur fuisse. Alioquin abijci ea magis quàm lauari præciperet. In quo ostēditur, neque per omnia alienam fuisse à Deo conuersationem eius, neque pure omnino & integre custoditā.

Baptismi gratia non iteratur. Pœnitētia.
Purgationū gradus.

L Non enim lauaret vestimenta, nisi fuissent sordida, nec iterum lotis eis vteretur, si fuissent textrini in omnibus alieni. Quod autem radi iubet omnē pilum, puto quod omne quicquid emortui operis animæ positæ in peccatis exortum est. Hoc enim nunc pili nomine iubetur abijcere. Peccator enim omne quod ei siue in consilio natum est, siue in verbo, siue in opere, expedit si vere purificari vult, vt eradat, & abijciat, nec residere aliquid patiatur. Sanctus au[illegible]em seruare debet omnem capillū, & si possibile est, nec asc[illegible]ndere debet ferrum super caput eius, ne abscindere aliquid de cogitationibus suis sapientibus, aut dictis, aut operibus possit. Inde denique est, quod & Samueli ferrum dicitur non ascendisse super caput: sed & omnibus Nazaræis, qui sunt isti, quia iustus sicut scriptum est, omnia quæcunque fecerit, prosperabuntur, & folia eius non decidēt. Hinc & discipulorum Domini etiam capilli capitis dicuntur esse numerati: hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Deum, quia iustæ, quia sanctæ sunt. Peccatorum verò omne opus, omnis sermo, omnis cogitatio debet abscindi. Et hoc

1. Reg. 1. Num. 6. Psal. 1. Mat. 10.

M est quod dicitur, [Vt omnis pilus corporis eius radatur, & tunc erit mundus.] Sed & hoc obserua, quod non sufficit ei post purificationem, vel vestimenta lauisse, vel omnem pillum rasisse, nisi & lotus fuerit in aqua. Oportet nanque eum abijcere omnes sordes, omnem immunditiam, non solum de vestimentis, sed & de proprio corpore, vt nulla in eo macula extinctæ lepræ resideat. Tertio ergo nunc purificatus, ita demum dignus efficitur ingredi castra Domini, non tamen continuo permittitur ei introire domum suam, sed dicitur vt extra domum suam maneat septem diebus, & radat omnem pilum capitis & barbæ, & superciliorum: quasi non suffecerit quod prius omnem pilum raserat, nunc additur, vt omnem pilum capitis & barbæ, & su-

perciliorum

A perciliorū radat. Idem nanque videbatur dictum in eo quod dixerat omnem pilum radendum. Sed non mihi videtur inanis esse ista repetitio. Vult enim peccatorē posteaquam fuerit mundus, posteaquam remissionem per pœnitentiam acceperit peccatorum, de purgatione capitis admonere, & barbæ, & superciliorum, velut si diceret ei: Ecce sanus factus es, vide ne vltra capitis contrahas culpam. Capitis enim peccatum est, aliter quàm fides ecclesiæ continet, de diuinis sentire dogmatibus. In barba verò, vt meminerit semper virilis ætatis deposuisse peccata, & conuersus fiat sicut infans. In superciliis autem arrogātiam deiiciat, & male elatum vt ad humilitatem Christi inclinet supercilium. Secundo ergo ad hunc modum omnis pilus corporis raditur. Et sicut hæc geminantur, ita & vestimenta semel in prima purificatione lauisse non sufficit, sed secundo præcipitur vt lauet vestimenta sua & corpus suum aqua, & tunc quarto additur, & mundus erit. Hæc autem fiunt intra castra quidem posito eo, adhuc tamen extra domum suam. Dicit enim, post septem dies in die octaua assumet sibi duos agnos. Iam non alius assumit, sed ipse sibi assumit. Duos, inquit, agnos immaculatos, & ouem vnam anniculam immaculatam, & tres decimas similaginis conspersæ in oleo, & cyathum olei vnum, post hæc quinta purificatione purificatus cōsummetur. Ex his duobus agnis, vnus quidem immolatur, & dicitur pro delicto, in loco, inquit, in quo iugulatur pro peccato, & vbi holocaustomata fiunt in loco sancto. Ecce iam dignus efficitur vt offerat sacrificium, qui potuit ad quintam purificationē peruenire, & hostia eius sancta sanctorum fit. Alius autem agnus holocaustū efficitur, in quo & repropitiari pro ipso sacerdos dicitur, vt purgetur. Igitur primus agnus, qui pro delicto est, videtur mihi virtutis ipsius formam tenere, quam assumpsit is qui erat in peccatis, per quam potuit à se propellere affectū peccandi, & malorum veterum pœnitudinem gerere. Secundus verò agnus figuram tenere illius iam recuperatæ virtutis, per quam abiectis & procul fugatis omnibus vitiis, integrum se, & in integro obtulit deo, & dignus extitit diuinis altaribus. Ouis autem quæ post agnos assumitur quantum coniicere in tam difficilibus locis valemus, fœcunditatem puto quod significet eius, qui conuersus est à peccato, & totum se obtulit deo, qua post omnia in bonorum operum fœtibus vtitur, & innocētiæ fructibus pollet. In tria ergo purificationis huius, id est, conuersionis à peccato ratio diuiditur. Prima est hostia, qua peccata soluuntur. Secunda est, qua anima conuertitur ad deum. Tertia est fœcunditatis, & fructuum, quos in operibus pietatis is qui dicitur conuersus, ostendit. Et quia tres istæ sunt hostiæ, id circo subiungit: Et tres mensuræ decimæ similaginis assumendæ sunt.] Vbique intelligamus purificationem fieri non posse sine mysterio trinitatis. Vide autē quod hic in quinta purificatione non assumitur farina, sed iā similam habet iste qui purificatur à peccatis, simila ei adscribitur, vnde habeat iam panem mundum, & hæc oleo conspergitur. Sed & oleum eius ad duos vsus diuiditur. Vnum quo simila conspergitur, alium quo sacerdos accipit integram mensuram cyathi, vt ait. In quo vt ego sentio, & panis eius pinguis efficitur pro misericordia, & oleum quo lux vera & scientiæ ignis accēditur, per manus sacerdotis capiti eius imponitur. Ita enim dicit: Et statuet, inquit, eum sacerdos qui mundat eum in conspectu domini, ad ostium tabernaculi testimonij. Vides quia sacerdotis est statuere eum qui conuertitur à peccato, vt stabilis esse possit, & vltra non fluctuare, nec moueri omni vēto doctrinæ. Statuit ergo eum non solum intra castra, sed ad ipsum ostium tabernaculi testimonij ante dominum. Et posteaquam secundum ea quæ superius dicta sunt, offeruntur hostiæ pro purificatione, adhibet, inquit, & cyathum olei, & separat illud ante dominum. Et accipiet, inquit, sacerdos de sanguine, & ponet super extremam auriculam eius dextram, & super extremam manum eius dextram, & super extremum pedem eius dextrum. Et post hæc, inquit, accipiet sacerdos non ipsum cyathum olei, sed ex ipso. Et defundet, inquit, in manum suam sinistram, & intinget digitum suum sacerdos in oleo, quod est in manu eius sinistra, & asperget septies ante dominum: & iterum ex eo quod superest in manu eius sinistra, imponet super auriculam eius qui purificatur dextram, & super extremam manum eius dextram & super extremum pedem eius dextrum. Et post hæc id quod relictum fuerit ex oleo, imponet, inquit, sacerdos de manu sua super caput eius qui purificatur. Vides quomodo vltimæ & summæ purificationis est, aurem purificari, vt purus & mundus seruetur auditus. Et manum dextram, vt munda sint opera nostra, nec aliquid immundum his admisceatur & sordidum. Sed & pedes purificandi sunt, vt ad opus bonum tantummodo dirigantur, nec vltra lapsus iuuentutis incurrant. Septies autem respergit sacerdos cōtra dominum ex oleo. Post omnia etenim quæ pro purificato celebrata sunt, postquam conuersus, & reconciliatus est deo, post immolatas hostias, ordinis erat, vt & virtutem super eum septemplicem sancti spiritus inuitaret, secundum eum qui dixerat. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Vel certe quoniam peccatorum corda dominus in euangelio testatur à septem dæmonibus obsideri, competenter septies ante dominum sacerdos in purificatione respergit, vt expulsio septem spirituum malignorum de purificati corde, septies excusso digitis oleo declaretur. Sic ergo conuersis à peccato, purificatio quidē per illa omnia datur, quæ superius diximus. Donum autem gratiæ spiritus, per olei imaginem designatur, vt non solum purgationem consequi possit is qui conuertitur à peccato, sed & spiritu sancto repleri, quo & recipere priorem stolam, & annulum possit, & per omnia reconciliatus patri in locum filij reparari, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ioan. 5 — *Perfecta conuersio in tribus posita.* — *Psal. 51.* — *Luc. 11*

De sacrificiis repropitiationis, & de duobus hircis, quorum vnus sors est domini, & vnus Apopompæi, qui dimittitur in eremum, & de ingressu pontificis in sancta sanctorum. Leuit. Cap. XVI. Homilia IX.

Die propitiationis indigent omnes, qui peccauerunt, & ideo inter solennitates legis, quæ figuras continent cœlestium mysteriorum, vna quædā solēnitas habetur, quæ dies propitiationis appellatur. Hæc ergo quę nunc recitata sunt legislatio est solennitatis ipsius, quæ dies (vt diximus) propitiationis vocitata est. Sed videamus primo quid sibi velit literæ ipsius continentia vt orantibus vobis, si tamen ita domino supplicetis vt exaudiri mereamini, possimus accipere gratiam spiritus, per quam explanare valeamus mysteria quæ continentur in lege. Defuncti sunt duo filij Aaron Nadab & Abiu, cum offerrent ignem alienum ad altare domini. Necesse erat, vt cœlesti doctrina instrueretur Aaron quomodo oporteret eum ad altare accedere, & quo supplicationum ritu propitium faceret deum, vt ne in ea ipse incurreret, in quæ incurrerant filij sui, incaute & inconuenienter accedentes ad altare dei, alienum ignem, & non illum qui diuinitus datus fuerat, offerentes. Propterea ergo de his hoc modo præfata est lex. [Et locutus est dominus ad Moysen, posteaquam defuncti sunt duo filij Aaron dum offerrent ignem alienum ante dominum. Et dixit dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum, vt nō intret omni hora in sancta interiora, quod est intra velum ante cōspectum propitiatorij quod est supra arcam testimonij, & non morietur.] Ex quo ostenditur quod si in omni hora introeat sancta non præparatus, non indutus pontificalibus indumentis, neque hostiis quæ statutæ sunt præparatis, neque propitiato prius deo, morietur. Et iuste quidem, tanquam qui non fecerit ea quę conuenit fieri antequam accedatur ad altare dei. Omnes nos iste sermo constringit, ad omnes pertinet quod hic loquitur lex, præcepit enim vt sciamus quomodo accedere debeam' ad altare dei. Altare enim est super quod orationes nostras offerimus deo, vt sciamus quomodo debeamus offerre, scilicet vt deponamus vestimēta sordida, quę est carnis immunditia, morum vitia, inquinamenta libidinum. Aut ignoras tibi quoque, id est omni ecclesiæ dei, & credentium populo sacerdotium datum? Audi quomodo Petrus dicit de fidelibus: Genus, inquit, electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem,

Dies propitiationis. — *Leuit. 16* — *Altare spiritale.* — *1. Pet. 2*

G Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es, & ideo offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam pudicitiæ, hostiam iustitiæ, hostiam sanctitatis. Sed vt hæc digne offeras, indumentis tibi opus est mundis, & segregatis à reliquorū hominum communibus indumentis, & ignem diuinum necessarium habes, non aliquem alienum à Deo, sed illum qui à Deo hominibus datur, de quo filius Dei dicit: Ignem veni mittere in terram, & quam volo vt accendatur. Si enim non hoc sed alio & huic contrario igni vtamur, illo qui se transfigurat sicut angelum lucis, eadem sine dubio patiemur, quæ Nadab passus est & Abiu. Præcepit ergo mandatum diuinum, vt instruatur Aaron, ne omni hora intraret in sancta ad altare, sed cum fecerit prius ea quæ fieri mandantur, ne forte moriatur. Sed primo omnium ostendamus quomodo hæc quæ de sacrificijs conscribuntur, figuras esse Apostolus dicit, & formas, quarum veritas in alijs ostendatur, ne forte auditores præsumere nos arbitrentur, & legem Dei in alium sensum quàm scripta est, violenter inflectere, quippe qui nulla in his quæ asserimus, apostolica precedat auctoritas. Paulus ergo ad Hebreos scribens, eos scilicet qui legem quidem legerent, & hæc meditata haberent, & bene nota: sed indigerent intellectu, qualiter sentiri de sacrificijs debeat, hoc modo dicit: Non enim H in sancta manu facta introiuit Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et iterum dicit de hostijs: Hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Sed quid de his singulatim quærimus testimonia? Omnem epistolam ipsam ad Hebræos scriptam si quis recenseat, & præcipue eum locum, vbi pontificem legis confert pontifici repromissionis, de quo scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, inueniet quomodo hic locus omnis Apostoli, exemplaria & formas ostendit esse rerum viuarum & verarum, illa quę in lege scripta sunt. Oportet ergo nos quærere pontificem, qui semel in anno, id est, per omne hoc præsens seculum, sacrificium obtulit Deo, indutus veste, cuius Domino iuuante, quæ sit qualitas ostēdemus. [Tunica, inquit, linea sanctificata inducetur.] Linum de terra oritur, tunica ergo sanctificata linea induitur verus pontifex Christus, cum naturam terreni corporis sumit. De corpore enim dicitur, quia terra sit, & in terram ibit. Volens ergo Dominus & Saluator meus, hoc quod in terram ierat suscitare, terrenum suscepit corpus, vt id eleuatum de terra, portaret ad cœlum. Et huius mysterij tenet figuram hoc, quod in lege scribitur, vt linea tunica pontifex induatur. Sed quod addidit sanctificata, non ociose audiēdum est. Sanctificata nanque fuit tunica carnis Christi, non enim erat ex semine viri concepta, sed ex sancto spiritu generata. [Et femoralia, inquit, linea sunt super corpus eius.] I Femorale indumentum est, quo pudenda corporis contegi & constringi solent. Si ergo aspicias Saluatorem meum suscepisse quidem corpus, & in corpore positum, egisse humanos actus, id est, vescendi, & bibendi, & cętera similia: hoc autem solum opus non egisse quod ad pudenda corporis pertinet, carnémque eius neque nuptijs, neque filiorum procreationi patuisse, inuenies qualiter femoralia linea sanctificata habuerit, vt vere de ipso dici debeat, quia inhonestiora nostra abundantiorem habent honorem. Considera tamen & ipsum pontificis habitum, quia quod per naturam minus in eo honestum videtur, indutis femoralibus lineis, & zona constrictis, etiam secundum literam de eo conuenit dici, quia inhonestiora nostra abundantiorem honestatem habent. Ita ergo & omnis qui in castitate viuens imitatur Christum, hoc solum de humanis actibus nescientem, ipse etiam lineis femoralibus sanctificatis indutus est, & inhonestioribus suis abundantiorem circumdedit honestatem. Tunica ergo linea sanctificata induitur, & femoralia linea super corpus eius sunt. Sed ne forte femoralia hæc quibus pudenda conteguntur, resoluta defluant, & turpitudinem reuelent, aut retegāt, adiungit. Non enim, inquit, facies gradus ad altare, ne forte in his reueletur turpitudo tua. Ne ergo turpitudo tua defluentibus femoralibus reueletur, zona, inquit, femoralia cōstringantur. Quodam tempore exponentes Ioannem Baptistam, & alias Hieremiam, quod Hieremias quidem zonam,

Hostiæ spirituales. *Luc. 12.* *Hebr. 9.* *Psal. 110.* *Vestes Aaron.* *1. Cor. 12.* *Exod. 20.* *Matt. 3.*

K Ioannes verò pelliceam zonam circa lumbos habuisse diceretur, sufficienter ostendimus quomodo per hæc declaretur indicari pars illa corporis apud huiusmodi viros ita emortua, vt neque vel leuis motus, neque alius quisquam in lūbis eorum fuisse crederetur, sed sola castitas, & pura pudicitia. Zona ergo pontifex linea cingitur, & cidarim lineam imponit super caput suum, omnia linea. Cidaris quod dicitur ornatus quidam est, qui capiti superponitur, quo vtitur pontifex in offerendis hostijs, vel cæteri sacerdotes. Sed vnusquisque nostrum, ornare debet caput suum sacerdotalibus ornamentis. Etenim quia omnis viri caput Christus est, quicunque ita agit vt ex actibus suis conferat gloriam Christo, caput suum qui est Christus ornauit. Potest & alio modo in nobis intelligi capitis ornatus. Quoniam quidem quod est in nobis primum ac summum, & caput omnium, mens est, ad dignitatem pontificiam excolit caput suum, si quis mentem suam adornauerit sapientiæ disciplinis. Ista igitur sunt quibus indui præcipitur pontifex, ita & demum introire in sancta, ne hæc non habens moriatur. Iam verò de hostijs quædam quidem ipsius mandantur debere esse pontificis, quædam verò à populo sumenda. Ipsius enim dicitur vitulus, quod est in animalibus preciosius & robustius. Et secundum animal aries, quod in ouibus sine dubio preciosius est. A populo verò munera iubētur offerri, aries à principibus, & hirci duo à populo. L Vnus qui dimittatur in eremum, qui & apopompæus nominatur, & vnus qui Domino offeratur. Si esset omnis populus Dei sanctus, & omnes essent beati, non fierēt duæ sortes super hircis: & vnus quidem sortem ferret, vt dimitteretur in eremum, alijs verò vt Domino offerretur, sed esset sors vna, & hostia vna Domino soli. Nunc verò quoniam in multitudine eorum qui accedūt ad Dominum, sunt quidam domini, alij autem sunt, qui mitti ad eremum debeant, id est, qui abijci merentur, & separari ab hostia Domini: propterea pars hostiæ quæ offertur à populo, id est, vnus solus hircus Domino immolatur, alius autem abijcitur, & in eremum dimittitur, & apopompæus nominatur. Sors tamen cadit super vtrunque, & ille quidem qui in eremum dimittitur, dicitur quòd ipse auferat super se peccata filiorum Israel, & iniustitias eorum, & iniquitates ipsorum. Non enim ille hircus qui Domini sors efficitur, sed ille cuius sors est vt in eremum dimittatur, auferre ea dicitur, secundum illud credo quod scriptum est: Dedi commutationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam, & Syenen pro te, ex quo tu honorabilis factus es in conspectu meo. Peccata igitur eorum qui pœnitentiam egerunt, & eorum qui dereliquerunt malitiam, super capita sua suscipiunt hi qui effecti sunt in sorte eius, qui in eremum dimittitur, qui seipsos dignos tali M ministerio, vel huiusmodi sorte fecerunt. Conuenit autem velut econtrario aptari his & illud quod dictum est: Qui habet dabitur ei. Sicut enim qui habet iustitias dabitur ei: ita & qui habet peccata, intantum vt in sorte apopompæi inueniatur illius qui in eremum emittitur: addentur ei ea quæ abstergentur à sanctis, vt & in ipsis compleatur quod scriptum est: Ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo, vt ei addatur qui habet multas mnas peccatorum. Verum quoniam is qui in sorte Domini est, spem gerit non in præsenti seculo, sed in futuro, & cuius sors Dominus est, quotidie moritur: propterea is quidem super quem sors Domini cecidit, iugulatur, & moritur, vt sanguine suo purificet populum Dei: ille autem qui in sortem contrariam ceciderit, non est dignus vt moriatur, quia qui in sorte Domini est, non est de hoc mundo: ille verò de hoc mundo est, qui in mundo dimittitur, & mundus quod suum est diligit. Ideo non occiditur, nec dignus est iugulari ad altare Dei, nec sanguis eius ad basim altaris meretur effundi. Sed videamus quis est hic qui accepit eum, cuius sors apopompæi facta est, vt eum eijciat in eremum. [Homo, inquit, paratus, accipiet hircum, qui venerit in sortem eius, cui ceciderit sors apopompæi, & adducet eum in eremum.] Finis sortis istius eremus est, id est, locus desertus, desertus virtutibus, desertus Deo, desertus iustitia, desertus Christo, desertus omni bono. Et nos ergo singulos manet sors vna è duabus. Aut enim bene

Apopompæus emissarius, Aries qui mittebatur in desertum. *Esa. 45.* *Mat. 13.*

A bene agentes, sors domini sumus, aut male agentes sors nostra nos ducit ad eremum. Vis tibi ostendam quomodo istæ duæ sortes semper operentur, & vnusquisque nostrum aut sors domini aut sors apopompæi vel eremi fiat? Considera in euangeliis illum diuitem viuentem splendide & luxuriose, & Lazarum ad ianuam eius iacentem, vlceribus plenum, & cupientem saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, quis finis designatur vtriusque: Mortuus est, inquit, Lazarus, & abductus est ab angelis in sinum Abrahæ. Similiter autem & diues, & abductus est ad infernum in locum tormenti. Animaduertis euidenter loca sortis vtriusque distincta. Vide etiam qui sunt qui adducant, angeli, inquit, qui semper parati sunt ad adducendum. Ministri enim dei sunt ad hoc ipsum destinati, qui impleant sortem quam tibi ipse paraueris. Si enim bene vixeris, si fregeris esurienti panem tuum ex animo, & nudum vestieris, rectum iudicium iudicaueris, iniquo aduersum iniquitatem suam restiteris, nec posueris consilium tuum cum his qui laqueos innocentibus parant, sortē tuam facies dominum. Si verò libidini inseruias, voluptatis amator sis magis quàm dei, seculum diligas, vt malitiam non oderis, sortem tuam fecisti apopompæi, vt abducaris in eremum per manum ministri dei, qui in hoc ipsum à deo ordinatus est: & ideo paratus appellatur, quia personam nullius erubescit, nec diuitis, nec potentis, nec regis, nec sacerdotis.

Luc.16

B Vis autem scire quia ad nos pertinent quæ dicuntur? Animalia hæc quæ sortes accipiunt, non sunt immunda, nec aliena ab altaribus dei, sed munda sunt, & quæ in sacrificiis offerri solent: vt scias hæc figuram tenere non eorum qui extra fidē sunt, sed eorum qui in fide sunt. Hircus enim animal mundū est, & diuinis altaribus consecratum. Et tu ergo per gratiam baptismi consecratus es altaribus dei, & animal factus es mūdum. Sed si non custodias mandatum illud domini quod dixit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat, sed cum esses mundus, rursum te peccati inquinamento maculasti, & ex virtute ad libidinem, ex puritate ad immunditiam declinasti, tuo vitio, cum animal mūdum fueris, sorti te apopompæi eremique tradidisti. Potest fortassis & alio modo homo paratus & immundus, qui abducit eum cuius sors venit in eremum, & eo ipso quo educit eum, quasi qui immundum contigerit, dicitur lauare vestimenta sua ad vesperam, & esse mundus, etiam ipse dominus & saluator noster intelligi ex ea parte, qua naturæ nostræ, id est, carnis & sanguinis vestimenta suscepit, quæ in vespera lauerit. Propter quod & dudum propheta de eo dixerat: Et vidi Iesum sacerdotem magnum, indutum vestimenta sordida, & diabolum stantem à dextris eius, vt contradiceret ei. Lauit ergo in vino, id est in sanguine suo stolam suam in vespera, & factus est mundus. Et inde fortassis quod post resurrectionem Marię volenti pedes eius tenere, dicebat, Noli me tāgere. Vis autem adhuc videre, & aliam duarum sortium formam?

Ioan.5

Zach.3

Ioan.20

C Considera duos illos, qui tempore crucis eius vnus à dextris, & vnus à sinistra eius pependerunt latrones, & vide illum qui confitebatur dominum, sorté factū esse domini, & abductū esse sine mora ad paradisū, illū verò aliū blasphemātem, sortem factū esse apopompæi, qui in eremū abduceretur inferni. Sed & in eo quod dicitur, quia affixit cruci suæ principatus, & potestates contrarias, & triumphauit eas, sortem in eis apopompæi compleuit, & tanquam homo paratus abduxit eas in eremum. Denique & in Euangelio dominus dicit: Quia cum exierit de homine immundus spiritus, vadit per loca deserta, quærens requiem, & non inuenit. Sic ergo potest & Saluator noster homo paratus intelligi, qui sortem quidem domini, ecclesiam suam fecerit, eámque diuino cōsecrarit altari, sortem verò apopompæi contrarias fecerit potestates, spiritus nequitiæ, & mundi huius rectores tenebrarum harum, quos (sicut dicit Apostolus) cum potestate traduxit, triumphans eos in semetipso. Traduxit, Quo traduxit, nisi ad eremum, ad loca deserta? Sicut enim illi qui confessus est, aperuit paradisi ianuas, dicendo: Hodie mecum eris in paradiso, & per hoc omnibus credentibus, & confitentibus ingrediendi aditum dedit, quem prius Adam peccante concluserat. Quis enim alius rompheam flammeam & versatilem, quæ apposita est custodire lignum vitæ, & fores paradisi, poterat dimouere? Quis alius Cherubim peruigili excubans custodia valebat inflectere, nisi ipse solus, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? Vt inquam præter ipsum nemo alius hæc facere potuit, ita principatus & potestates, & rectores mundi, quos enumerat Apostolus: Nemo alius poterat triumphare, & abducere in eremum inferni, nisi ipse solus qui dixit: Confidite, ego vici mundum. Idcirco ergo necessarium fuit dominum & saluatorem meum, non solum inter homines hominem nasci, sed etiam ad inferna descendere, vt sortem apopompæi tanquam homo paratus in eremum inferni deduceret, atque inde regressus, opere consummato ascenderet ad patrem, ibíque plenius apud altare illud cœleste purificaretur, vt carnis nostræ pignus, quod secum euexerat, perpetua puritate donaret. Hic ergo est verus dies propitiationis, cum propitiatus est deus hominibus. Sicut & Apostolus dicit: Quoniam deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Et iterum de Christo dicit: Pacificans per sanguinē crucis suæ, siue quæ in cœlo sunt, siue quæ in terra. Mandatur ergo in lege, vt in die repropitiationis omnis populus humiliet animam suam. Quomodo humiliet populus animam suam, ipse dicit: Venient, inquit, dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Plures ergo aguntur dies festi secundum legem. Est quidam solennis dies in mense primo, est & alius in secundo.

Col.2

Matth.12

Luc.22

Gen.3

D

Mat.28

Ephes.6

Ioan.15

Necessariū fuit Christum ad inferna descēdere.

2.Cor.5

Ephes.2

Matth.9

Festi dies Iudæorum.

E Sed & in mense primo alia solennitas paschæ, alia azymorum, licet coniuncta videatur azymis paschæ solennitas. Principium enim azymorum ad finem paschæ coniungitur. Pascha autem ille solus dies appellatur, in quo agnus occiditur. Reliqui verò azymorum dies appellantur. Sic enim dicit: [Facies solennitatem azymorum septem diebus.] Hæc ergo est prima solennitas. [Post hæc, inquit, cum demessueris messem tuam, & congregaueris natiuitates ex agro tuo, facies diem festum de initiis fructuum tuorum,] qui dies est post septem septimanas paschæ, id est Pentecostes, cum etiam dici iubetur, & mundabis sancta de domo mea. Post hęc in septimo mense aliæ aguntur solennitates. Primo die mensis Neomenia tubarum, sicut dicitur in psalmo: Tuba canite in initio mensis tubæ. Decima verò die septimi mensis est solennitas repropitiationis. In hac sola die pontifex induitur omnibus pontificalibus indumentis, tunc induitur manifestationem & veritatem, tunc ingreditur ad illa inaccessibilia, quo semel in anno accedi tantummodo licet, id est, in sancta sanctorum. Semel enim in anno pontifex populum derelinquens, ingreditur ad illum locum vbi est repropitiatoriū, & super repropitiatorium Cherubim, vbi est & arca testamenti, & altare incensi, quo nulli introire fas est, nisi pontifici soli.

Paschæ & azymorum festa diuersa.

Psal.81

Vrim & Thūmim.

F Si ergo consideremverum pontificem meum dominū Iesum Christum, quomodo in carne quidem positus, per totum annum erat cum populo, annum illum, de quo ipse dicit: Euangelizare pauperibus misit me, & vocare annum domini acceptum, & diem remissionis, aduerte quomodo semel in anno isto, in die repropitiationis intrat in sancta sanctorū, hoc est, cum impleta dispensatione penetrat cœlos, & intrat ad patrem, vt eum propitium humano generi faciat, & exoret pro omnibus credentibus in se. Hanc repropitiationem eius, qua hominibus repropitiat patrem, sciens Ioannes Apostolus dicit: Hęc dico filioli, vt nō peccemus. Quod & si peccauerimus, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, iustū, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris. Sed & Paulus similiter de hac repropitiatione commemorat, cū dicit de Christo: Quem posuit deus propitiatorem in sanguine ipsius per fidem. Igitur dies propitiationis manet nobis vsque quo occidat sol, id est, vsquequo finem mūdus accipiat. Stamus enim nos pro foribus, operientes pontificem nostrū commorantem intra sancta sanctorum, id est apud patrem, & exorantem pro peccatis eorū, qui se expectant, non pro omnium peccatis exorantem. Non enim exorat pro his, qui in sortem veniunt eius hirci, qui emittitur in desertum. Pro illis exorat tātum, qui sunt sors domini, qui eum pro foribus expectant, qui non recedunt à templo, ieiuniis & orationibus vacantes. An tu putas, qui vix diebus festis ad ecclesiam venis, nec intentus es ad audiēda verba diuina, nec das operā ad implēda mādata, quod possit sors domini venire super te?

Altare incensi solet collocare in sancto sanctorum. Atqui erat in sancto.

Esa.61

Dies ascensionis Christi in cœlū dies expiationum.

1.Ioan.2

Rom.3

Ἱλαστήριον.

G Optamus tamen vt vel his auditis operam detis, non solum in ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus vestris exerceri, & meditari in lege Domini die ac nocte, & ibi enim Christus est, & vbique adest quærentibus se. Propterea nanque mandatur in lege, vt meditemur eam cum imus in via, & cum sedemus in domo, & iacemus in cubili, & cum exurgimus: & hoc est, vere pro foribus expectare pontificem morantem intra sancta sanctorum, & effici in sortem Domini. Quod autem dicimus de sorte, non sic accipiat auditor, quasi sors talis aliqua dicatur, quæ inter homines casu, & non iudicio agi solet. Sors Domini ita accipienda est, tanquam si diceretur electio Domini, vel pars Domini: & rursum sors eius qui in eremum mittitur, accipienda est veluti pars illa quæ pro indignitate sui à Domino spernitur, & abijcitur. Magis enim & sermo ipse Apopompæi, abiecti & refutati significantiam continent. Ex quo possumus etiam illud intelligere, verbi gratia, ascendit in cor tuum mala cogitatio, concupiscentia mulieris alienæ, aut vicinæ possessionis, intellige statim hanc esse de sorte apopompęi, abijce confestim, & expelle de corde tuo. Quomodo abijcis? Si habeas tecum parati hominis manum, id est, si lectio diuina sit in manibus tuis, & præcepta Dei ante oculos habeantur, tunc vere inuenieris paratus ad abijcienda & repellenda ea, quæ sunt sortis alienæ. Sed & ira si ascendit in cor tuum, si zelus, si inuidia, si malitia ad supplantandum fratrem, paratus esto vt abijcias ea, & expellas, & emittas in eremum. Si verò ascendat in cor tuum, cogitare quæ Dei sunt, de misericordia, de iustitia, de pietate, de pace, hæc de sorte sunt Domini, hæc offerũtur ad altare, hæc pontifex suscipit, & in his reconciliat tibi Deum. Propterea ergo & is qui eijcit eum in quo sors apopompæi est, hoc est, malas cogitationes, malas cupiditates, non est homo piger, nec occupatus negotijs secularibus, sed paratus est, & promptus, ac vigilãs: qui etiam si sordescere videatur pro eo quod contigerit immundum, lauabit statim vestimenta sua, & erit mũdus. Quod intelligere possumus quãtum ad vnũquenque nostrum pertinet, secundum moralem locum, esse hominem paratum rationem ipsam quæ intra nos est, per quam discretio nobis boni malique est, quæ etiam si videtur sordescere dum discernit, & pertractat ipsa quæ mala sunt: tamen si ea abijciat, & expellat à corde, ac procul effuget, tunc melioribus cogitationibus velut purificata ac diluta, munda videbitur rationabilis mens. Nec sanè mireris, quod etiam ad personam Saluatoris traximus hunc qui eijcit hircum, & expellit in eremũ, quia dicitur lauare vestimenta sua, & fieri mundus, propter illud quod legimus in Propheta dici de Domino, sicut suprà diximus: Et vidi Iesum sacerdotem magnum indutum vestimenta sordida. Quod si vtique pro assumptione carnis dici pie intelligitur, etiam hic in lauandis vestimentis potest ea figura seruari. Videamus post hæc quæ sunt quæ pontifex faciat: [Et sũmet, inquit, plenum batillum carbonibus ignis de altari, quod est contra Dominum.] Legimus & in Esaia: Quia igni purgatur Propheta per vnũ ex Seraphim, qui missus est ad eum, cum accepit forcipe carbonem vnum ex his qui erant super altare, & contigit labia Prophetæ, & dixit: Ecce abstuli iniquitates tuas. Mihi videntur mystica hęc esse, & hoc indicare, quod vnicuique secundum id quod peccat, si dignum fuerit purificari eum, inferantur carbones membris eius. Nam quoniam dicit Propheta hic: Immunda labia habeo, in medio quoque populi immunda labia habentis habito, idcirco carbo forcipe adsumptus à Seraphin, labia eius mundat, quibus solis se mundum non esse profitetur. Ex quo ostenditur quod vsque ad verbum tantummodo peccatum eius inueniretur, ita quod facto vel opere nullo peccauerit: alioquin dixisset, quoniam immundum corpus habeo, vel immundos oculos habeo, si peccasset in concupiscendo aliena, & dixisset, immundas manus habeo, si eas polluisset operibus iniquis. Nunc autem quoniam in solo fortasse sermone conscius sibi erat delicti illius, de quo dicit Dominus: Quia etiam de verbo ocioso reddetis rationem in die iudicij, pro eo quod difficile est etiam perfectis culpam vitare sermonis, idcirco indigebat etiam Propheta sola purgatione labiorum. Nos autem si redeat vnusquisque ad conscientiam suam, nescio si possumus aliquod membrum corporis excusare, quod non igni indigeat. Et Propheta quidem K quoniam ab omnibus mũdus erat, idcirco meruit vt vnus de Seraphin mitteretur ad eum, qui eius sola labia purgaret. Nos verò vereor ne ignem non membris singulis, sed toto corpore mereamur. Cum enim lasciuiunt oculi, vel per illicitas concupiscentias, vel per spectacula diabolica, quid aliud nisi ignem sibi congregant? Cum aures non auertuntur ab auditu vano, ac derogationibus proximorũ, cum manus à cęde nequaquam, & à rapinis, ac deprædationibus continentur, cum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, cúmque corpus non Domino, sed fornicationi tradimus, quid aliud nisi totum corpus tradimus in gehennam? At hæc cum dicuntur, contemptui habentur. Quare? quia fides deest. Alioquin si tibi hodie diceretur, quia iudex seculi vult te crastino viuum exurere, & his auditis esset tibi vnius diei spatium liberum, quanta faceres? quomodo & per quos discurreres? quàm humilis, quàm lugẽs & sordidus oberrares? Nónne effunderes omnem pecuniam tuam in eos, quorum intercessione euadere posse te crederes? Nónne omnia quę possides redemptionem faceres animæ tuæ? Quod si etiam aliquis te retardare, aut impedire tentaret, nónne diceres, pereant omnia pro salute mea, nec quicquam remaneat, tantum vt ego viuam? Hoc quare faceres? quia inde non dubitares, hinc dubitas. Et ideo bene Dominus dicit: Putas veniens Filius hominis, inueniet fidem super terram? Et quid ego dico de certis L indubitatísque periculis? Tantummodo si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur, nónne omnibus vigilijs excubatur, aduocato patrono munera præparantur, etiam si anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio? Nos quare non credimus, quòd omnes adstabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona siue mala? Hæc si integre crederemus, esset nobis secundum quod scriptum est: Redemptio animæ viri, diuitiæ eius. Sed vnde possumus hæc, vel sentire, vel credere, vel intelligere, cum ne ad hæc ipsa quidem audienda conueniamus? Quis enim vestrum cum recitantur scripturæ præbet auditum? Deus per Prophetam comminatur, & quidem in ira magna: Et mittam famem super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verba Dei. Sed nunc famem non misit Deus super ecclesiam suam, neque sitim ad audiendum verbum Dei. Habemus enim panem viuum, qui de cœlo descendit, habemus aquam viuam salientem in vitam æternam. Cur nos ipsos fœcunditatis tempore fame necamus ac siti? Pigræ & desidis animæ est, in abundantia omnium penuriam pati. Non audistis ex diuinis scripturis, quia certamen est inter homines carni aduersum spiritum, & spiritui aduersus carnem? Et nescitis quod si carnem solam nutriatis, & ipsam frequenti M mollitiæ ac iugi deliciarum fluxu foueatis, insolescet necessario aduersum spiritum, & fortior illo efficietur? Quod si fiat, eum sine dubio in ditionem suam redactum, suis coget legibus ac vitijs obedire. Si verò ad ecclesiam frequenter venias, aurem literis diuinis admoueas, explanationem mandatorum cœlestium capias, sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, ac sensibus, & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, hic victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere quia volumus, sed non possumus, volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carnis tuæ, tu eam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. An nescitis quia non potest ædificium istud ecclesiæ ex leprosis lapidibus construi? Audi quid dicit Apostolus: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate ergo vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Sed ad propositum redeamus. [Et accipiet, inquit, batillum plenum carbonibus.] Non omnes purgantur eo igne, qui de altari assumitur. Aaron purgatur illo igne, & Esaias, & qui sunt

Sors non hic sumitur pro alea iactu.

Moralis expositio.

Zach.3.

Esa.6.

Mat.12.

Fidem nobis deesse probat hypothesi.

Luc.18.

2.Cor.5.

Prouer.13.

Amos.8.

Gal.5.

Nutrimẽta animi quæ.

1.Cor.5.

A sunt similes illis. Alij verò qui non sunt tales, de quibus etiam meipsum computo, alio igne purgabuntur. Timeo ne illo de quo scriptum est: Fluuius ignis currebat ante ipsum. Iste ignis non est de altari. Qui de altari est ignis, ignis est Domini, qui autem extra altare est, non est Domini, sed propius est vniuscuiusque peccantium, de quo dicitur: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Iste ergo ignis, ipsorum est qui eum accenderunt, sicut & alibi scriptum est: Ambulate in igne vestro, & in flamma quam accendistis vobis. Esaiæ autem non suus ignis apponitur, sed ignis altaris, qui circunpurgabat labia eius, & huic de quo dicitur: [Et sumet batillum plenum carbonibus ignis de altari, quod est contra Dominum, & implebit manus suas incenso compositionis minuto.] Quod quidem plenius Dominus noster fecit. Impleuit enim manus suas incenso minuto, de quo scriptum est: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Impleuit ergo manus suas sanctis operibus, quæ pro humano genere operatus est. Quare autem compositionis incensum dicitur? quia non est vna species operum, sed ex iustitia, & ex pietate, ex continentia, ex prudentia, & ex omnibus huiuscemodi virtutibus componitur, vt eo placetur Deus. Sed & minutum quod addit, non otiose intelligimus. Non enim

Esa.6. Dan.7. Esa.66. Esa.50. Esa.6. Psal.140. Compositionis incensum.

B vult eum qui ad perfectionem tendit, verbum Dei crasse & carnaliter intelligere, sed minutum in his sensum, subtilémque perquirere, vt si forte audiat scriptum esse: Non obturabis os boui trituranti, ille hæc non de bobus intelligat, neque enim de bobus cura est Deo, sed de Apostolis dici. Sed & si quis de prouidentia Dei rationem, quæ est minutissima & subtilissima, posset exponere, iste minuto incenso manum suam replere dicitur. Quis ergo nostrum ita promptus est, & paratus, vt ingressuro pontifice in sancta sanctorum, incensum compositionis offerat minutum? Necesse est enim nos singulos aliquid offerre tabernaculo Dei, aliquid etiam pōtificalibus indumentis, aliquid verò quod per pontificis manus ad ipsum Deum per odorem suauitatis ascendat. Pontifex igitur noster Dominus & Saluator aperit manus suas, & suscipere vult ab vnoquoque nostrum incensum compositionis minutum, necesse est nos quærere species incensi. Libanum nobis quærendum est, & non qualecunque libanum, sed dilucidum. Non vult à te suscipere pontifex obscurum aliquid, aut sordidum, dilucidum quærit. Sed & galbanum à te poscit, cuius natura est, vt vehementia odoris sui serpentes noxios fuget. Quærit autem à te, & Stacten, collata enim, & defecata vult esse, vel verba nostra, vel opera. Quærit & Onychen, quo velut scuto quodam obtegatur anima, & illæsa permaneat. Ita & te vult scuto fidei esse

1.Cor.9. Libanū appellat thus, voce Græca & Hebraica. Galbanum. Stacte. Onyx.

C protectum, quo omnia iacula maligni ignita restinguas. Hæc tamen omnia vult in te esse composita. nil inordinatum, nihil inquietum, nihil indecens, sed hoc vult, vt omnia nostra composite, & honeste fiant. Stat ergo etiam nunc verus pontifex noster Christus, & repleri vult manus suas incenso composito minuto: & ab vnaquaque ecclesia quæ sub cœlo est, considerat quid offeratur, quàm integre incensum suum diligentérque componat, quàm minutum id faciat, id est, quomodo vnusquisque nostrum opera sua ordinet, & quomodo sensum ac verba scripturarum spiritali explanatione discutiat. Nec angelorum ministeria ad huiuscemodi officia desunt. Angeli enim Dei ascendunt, & descendunt ad filium hominis, perquirunt, & curiose agunt quid in vnoquoque nostrum inueniant, quod offerant Deo. Vident & perscrutantur vniuscuiusque nostrum mentem, si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, quod Deo mereatur offerri. Intuentur, & considerant si quis nostrum ex his quæ dicuntur in ecclesia corde compungitur, & animum conuertit ad pœnitentiam, si his auditis corrigere cogitat vias suas, & obliuisci præterita, ac præparare se ad futura, saltem secundum Achab illum impiissimum, de quo dicit Dominus: Vidisti quomodo compunctum est cor Achab? Sed in his omnibus quid de illis dicam, qui nec audiunt auribus hæc, nec corde recipiunt? Quæ in illis compunctionis spes? quæ conuersionis suspicio? quæ emendationis expectatio? Si enim etiam de his qui audiunt dubitamus, quid speramus de

3.Reg.21.

his qui omnino non audiunt? Sed vtamur verbis Domini, D & dicamus: Qui habent aures audiendi audiant, & qui audiunt sciant scriptum esse, quia cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris, & scies vbi fueris. Et si dixeris, tu peccata tua prior, ego exaudiam te tanquam populum sanctum. Audisti quomodo etiam si peccator fuisti, tantum si conuersus es, & destitisti à peccato, iam sanctus appellaris? Nihil ergo desperandum est his qui compunguntur, & conuertuntur ad Dominum. Non enim superat bonitatem Dei malitia delictorum. Sumit ergo pontifex batillum plenum carbonibus ignis de altari, quod est contra Dominum, & implet manum suam de incenso compositionis minuto, & infert in interiora velaminis. Intelligamus primo quid designet historia, & tunc quid sensus spiritalis habeat, requiremus. Duplex ædes est tabernaculi testimonij, vel templi Domini. Prima est, in qua altare holocaustorum est, quod perpetuis ignibus excitatur, in qua æde solis licet assistere sacerdotibus, & sacrificiorum ritus, ac ministeria celebrare, & neque Leuitis, neque alicui vnquam præterea indulgetur accessus. Secunda verò ædes, interior est, solo ab hac discreta velamine. Intra quod velamen, arca testamenti, & propitiatorium, super quod Cherubim duo statuta sunt, & altare incensi collocatum est. In hanc ædem semel in anno primus quicunque erat pontifex, oblatis prius hostijs propitiationis, de quibus suprà exposuimus, ingrediebatur, habens vtranque manum repletam, vnam batillo carbonum, & aliam compositionis incenso, vt cum fuisset ingressus, statim supposito incenso carbonibus fumus ascenderet, totámque ædem repleret, vt aspectum sanctorum, quem ingressus pontificis reuelauerat, nubes velaret incensi. Si tibi sacrificiorum mos patuit antiquus, quid

Mat.11.13. Esa.30. Duplex ædes Domini sanctum et sanctū sanctorum, altare holocaustorum, non erat in sancto, vt hîc putat, sed in atrio sacerdotū, ad quod accessus etiam Leuitis.

E hæc etiam secundum rationem mysticam contineant, videamus. Duas audisti ædes: vnam quasi visibilem, & patentem sacerdotibus, aliam verò inuisibilem, & inaccessam, excepto solo pontifice, cæteri foris sunt. Prima ædes ista puto quod intelligi possit hæc in qua nunc sumus in carne positi ecclesia, in qua sacerdotes ministrant ad altare holocaustorum, succenso illo igne, de quo dixit Iesus: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt accendatur. Et nolo mireris quod hæc ædes solis sacerdotibus pateat. Omnes enim quicunque vnguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem dicit ecclesiam. Vos autem genus electum, & regale sacerdotium, gens sancta. Estis ergo genus sacerdotale, & ideo acceditis ad sancta. Sed & vnusquisque nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat. Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei: aut si tradidero corpus meum vt ardeam habens charitatem, & gloriam martyrij consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare Dei. Si diligam fratres meos,

Duorū sanctuariorum mysterium. 1.Pet.2. Holocausta spiritalia.

F ita vt animam meam ponam pro fratribus meis, si pro iustitia, pro veritate vsque ad mortem certauero, holocaustum obtuli ad altare Dei. Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior. Hoc ergo modo sacerdotium geritur, in prima æde, & hostiæ offeruntur, & ex hac æde sanctificatis indutus vestimentis pontifex proficiscitur, & ingreditur in deteriora velaminis, sicut superius Pauli verba posuimus, dicentis: Non in manu facta sancta, sed in ipsum cœlum penetrauit, inquit Iesus, & apparet vultui Dei pro nobis. Cœli ergo locus, & ipsa Dei sedes, per interioris ædis figuram atque imaginem designatur. Sed mirum contuere ordinem sacramentorum. Ingrediens pontifex in sancta sanctorum, ignem secum de hoc altari portat, & incensum de hac æde suscipit. Sed & vestimenta quibus indutus est, de hoc loco sumpsit. Putásne dignabitur Dominus meus verus pontifex & à me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti quod secum deferat ad patrem? Putásne inueniet in me aliquid igniculi, & holocaustum meum ardens, vt dignetur ex eo batillum suum implere carbonibus, & in ipsis Deo patri odorem suauitatis offerre? Beatus est cuius

Heb.9. Christus ad patrem defert nostras oblationes.

G tam viuos, tamque ignitos holocausti sui carbones inuenerit, vt eos aptos iudicet quos altari superponat incēsi. Beatus in cuius corde inuenerit tam subtilem, tam minutum, tamq; spiritalem sensum, & ita diuersa virtutum suauitate compositum, vt replere dignetur ex eo manus suas, deoque patri suauem odorem intelligentiæ eius offerre. At contra infelix anima cuius fidei ignis extinguitur, & refrigescit charitatis calor: ad quam cum venerit cœlestis pontifex noster, quærēs ab ea ignitos & ardentes carbones super quos incensum offerat patri, inuenit in ea aridos cineres, & frigidas fauillas. Tales sunt omnes qui subtrahunt se, & longe faciunt à verbo dei, ne audientes sermones diuinos accendantur ad fidē, incalescant ad charitatem, igniantur ad misericordiam. Vis tibi ostendam quomodo de verbis spiritus sancti ignis exeat, & accendat corda credentium? Audi dicentem Dauid in psalmis: Eloquium domini igniuit eum. Et iterum in Euangelio scriptum est, postquam dominus locutus est ad Cleopham: Nónne cor nostrum, inquit, erat ardens intra nos, cū aperiret nobis scripturas? Tu ergo vnde ardebis? vnde inuenientur in te carbones ignis, qui nunquam domini igniris eloquio? nunquam verbis spiritus sancti inflammaris? Audi & alibi ipsum Dauid dicentem: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Vnde tu concalescis? vnde ignis accenditur, qui nunquam in diuinis

Psal. 17.
Luc. 24
Psa. 39

H meditaris eloquiis: imò quod est infelicius, concalescis in spectaculis circi, concalescis in equorum contentionibus, in certamine athletarum. Atqui iste ignis non est de altari domini, sed is est, qui dicitur ignis alienus: & audisti paulo superius, quia qui obtulerunt alienum ignem ante dominum, extincti sunt. Concalescis & cum te repleuerit iracundia, & cum te inflammauerit furor, vreris interdum & amore carnali, ac turpissimæ libidinis iactaris incendiis. Sed omnis iste ignis alienus est & contrarius deo, quem qui accenderit, sine dubio Nadab & Abiu perferet sortem. Ait ergo eloquium diuinum. [Et imponet incensum super ignem in conspectu domini, & operiet fumus incensi propitiatorium contra orientem, quod est super testimonia, & non morietur, & sumet de sanguine vituli, & resperget digito suo super propitiatorium contra orientem.] Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad deum, qualiter celebraretur edocuit: sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te patri, non hæreas in sanguine carnis: sed disce potius sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia

I hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionē peccatorum. Nouit qui mysteriis imbutus est, & carnem, & sanguinem verbi dei. Non ergo immoremur in his quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt. Quod autem contra orientem respergit, non otiose accipias. Ab oriente tibi propitiatio venit. Inde est enim vir, cui Oriens nomen est, qui mediator dei & hominum factus est. Inuitaris ergo per hoc, vt ad orientem semper aspicias, vnde tibi oritur sol iustitiæ, vnde semper tibi lumen nascitur: vt nunquam in tenebris ambules, neque dies ille nouissimus te in tenebris comprehendat: ne tibi ignorantiæ nox & caligo subrepat, sed vt semper in scientiæ luce verseris, semper habeas diem fidei, semper lumen charitatis & pacis obtineas. Addit post hæc scriptura. [Et non erit, inquit, homo cum ingredietur pontifex intra velamen interius tabernaculum testimonij.] Quomodo non erit homo? Ego sic accipio, quod qui potuerit sequi Christum, & penetrare cum eo interius tabernaculum, & cœlorum excelsa conscendere, iam non erit homo, sed secundum verbum ipsius erit tanquam angelus dei. Aut forte etiam ille super eum sermo complebitur, quem ipse dominus dixit: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Siue ergo spiritalis effectus, vnus cum domino spiritus fiat: siue per resurrectionis gloriam in angelorum ordinem transeat, recte iam non erit homo: sed vnusquisque ipse sibi hoc præstat, vt vel excedat hominis appellationem, vel intra conditionem huius vocabuli censeatur. Si enim factus homo ab initio seruasset illud quod ad eum scriptura dicit: Ecce posui ante oculos tuos mortem & vitam, elige tibi vitam: si hoc fecisset, nunquam profecto humanū genus mor-

Mat. 28
Euchari- stiæ myste- rium non omnibus pa tet, ideo parcè de eo loquitur.
Zach. 6. ex interpreta- tione 70
Psal. 82
Deut. 30.

talis conditio tenuisset. Sed quoniam derelinquens vitam, K mortem secutus est, homo factus est: & nō solum homo, sed & terra, propter quod & in terram redire dicitur. Requiro tamen quæ sit ista mors, quā dicit ante oculos tuos posui. De vita enim non dubitatur quod semetipsum indicet deus, qui dicit: Ego sum veritas & vita. Quæ est ergo ista mors vitæ contraria, quam posuit deus ante oculos nostros? De illo dici puto, de quo Paulus dicit: Nouissimus inimicus destruetur mors. Iste est ergo inimicus diabolus, qui primo quidem ante oculos positus, sed nouissimus destruetur. Positus autem fuerat ante oculos, non vt sequeremur eum, sed vt vitaremus. Vnde & arbitror quod ipsa per se anima humana, neq; mortalis, neque immortalis dici potest: sed si contigerit vitam, ex participio vitæ erit immortalis: in vitam enim non incidit mors: Si verò auertens se à vita participium traxerit mortis, ipsa se facit esse mortalem. Et ideo propheta dicit: Anima quæ peccat, ipsa morietur: quamuis mortem eius non ad interitum substantiæ sentiamus, sed hoc ipsum quod aliena & extorris sit à Deo, qui vera vita est, mors ei esse credenda est. Nulla ergo participatio fit iustitiæ cū iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla consonantia Christo cum Belial. Si elegimus vitam, semper viuemus, mors nobis non dominabitur, & complebitur in nobis sermo domini, qui dixit: Qui credit in me, etiam si moriatur, viuet. Eligamus ergo vitam, eligamus lucem, vt in die honeste ambulemus, vt & nos

Gen. 3
Ioan. 14
1. Cor. 15
Anima nec mortalis, nec immor- talis.
Ezech. 18
Ioan. 11

L sequentes Iesum intra velamen tabernaculi interioris, iam nō simus vt homines mortales, sed vt angeli immortales, cū nouissimum inimicum destruxerit mortem ipse dominus Iesus Christus, qui est via, & veritas, & vita. Cui gloria & imperiū in secula seculorum. Amen.

De Ieiunio quod in die propitiationis fit, & de hirco qui in eremum dimittitur. Ex Leuitici Cap. XVI. Homilia X.

NOs quidem, qui de ecclesia sumus, merito Moysen recipimus, & scripta eius legimus, sentientes de eo, quod propheta & deo sibi reuelante, in symbolis & figuris, ac formis allegoricis cōscripserit futura mysteria, quæ in tempore suo docemus impleta. Qui verò eiusmodi in eo non recipit sensum, siue Iudæorum quis, siue etiam nostrorum est, is ne prophetā quidem eum fuisse docere potest: Quomodo enim prophetam probauit, cuius literas asserat esse communes, futuri nullius conscias, nec occulti aliquid mysterij continentes? Hunc itaque qui ita sentit, legentem hæc arguit sermo diuinus, & dicit: Putásne intelligis quæ legis? Est ergo lex, & omnia quæ in lege sunt, secundum apostoli sententiam vsque ad tempus correctionis imposita, & sicut hi quibus artificium est signa ex ære facere, & statuas fundere, antequā verū opus æris producant, aut argenti, vel auri, figmentum prius luti ad similitudinem futuræ imaginis formant: non quòd figmentum necessarium sit, sed vsquequo opus quod principale est, expleatur: cū autē fuerit effectū opus illud propter quod figmentū luti fuerat formatum, vsus eius vltra non quæritur: tale aliquid intellige etiam in his, quæ in typo & figura futurorum in lege & prophetis, vel scripta, vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex & auctor omnium, & legem quæ vmbram habebat futurorum bonorum, transtulit ad ipsam imaginem rerū. Sed ne forte difficile tibi probari posse quæ dicimus videatur, recognosce per singula. Erat prius Hierusalem vrbs illa magna regalis, vbi templum famosissimum deo fuerat extructum. Postea verò quàm venit ille, qui erat verum templū dei, & dicebat de templo corporis sui, soluite templum hoc, & quia cœlestis Hierusalem cœpit aperire mysteria: deleta est illa terrena, vbi cœlestis apparuit: in templo illo non remansit lapis super lapidem, ex quo verum templum dei facta est caro Christi. Erat prius pontifex sanguine taurorū & hircorum purificans populum: sed ex quo venit verus pōtifex, qui sanguine suo sanctificaret credentes, nusquam est ille pontifex prior, nec vllus ei relictus est locus. Altare fuit prius, & sacrificia celebrabantur: sed vt venit verus agnus qui seipsum hostiam obtulit deo, cuncta illa velut pro tempore posita cassauerunt. Non tibi ergo videtur quod se-

Contra Iudæos & primos hæreticos Iudaizantes.
Act. 8
Heb. 9
M
Heb. 10
Ioan. 2

cundum

Formæ è luto fictæ legis scripta.

cundum figuram quam suprà posuimus, veluti formæ fuerint quædam è luto fictæ, per quas veritatis exprimerentur imagines? Propterea denique diuina dispensatio procurauit, vt & ciuitas ipsa, & templum, & omnia illa pariter subuerterentur: ne qui forte adhuc paruulus, & lactens in fide si videret illa constare, dum sacrificiorum ritum, dum ministeriorum ordinem attonitus stuperet, ipso diuersarum formarum raperetur intuitu. Sed prouidens Deus infirmitati nostræ, & volens multiplicari ecclesiam suam, omnia illa subuerti fecit & penitus auferri, vt sine vlla cunctatione illis cessantibus hæc vera esse, pro quibus in illis typus præcesserat, crederemus. Vnde & nunc dicenda nobis sunt aliqua etiam ad eos, qui putãt pro mandato legis sibi quoque Iudæorum ieiunium ieiunandum, & primo omnium sermonibus vtar Pauli dicentis: Quia si quis vult vnum aliquid custodire de obseruationibus legis, obnoxius est vniuersæ legis faciẽdæ. Qui ergo obseruat ista ieiunia, ascendat & ter in anno in Hierusalem, vt appareat ante templum Domini, vt offerat se sacerdoti: requirat altari quod in puluerem versum est, offerat hostias nullo astante pontifice. Scriptum est enim, vt duos hircos ieiunans populus offerat in sacrificium, super quos sortes mitti debeant, vt vnus ex his fiat Domini sors, & hostia Domino offeratur: alterius verò sors fiat, vt dimittatur in eremum viuus, qui & habeat in se peccata populi. Hæc tibi omnia consequenter explenda sunt, qui vis secundum præceptum legis obseruare ieiunium: de quibus à nobis quidem (prout potuimus) superiori disputatione dissertum est. Tamen quoniam diues est sermo Dei, & secundum sententiam Salomonis non simpliciter, sed & dupliciter & tripliciter describendus in corde est, tentemus etiam nunc addere aliqua ad ea, quæ dudum pro viribus dicta sunt, vt ostendamus quomodo in typo futurorum etiam hic vnus hircus Domino oblatus est hostia, & alius viuus dimissus est. Audi in Euangelijs Pilatum, dicentem ad sacerdotes, & populum Iudæorum: Quem vultis de duobus dimittam vobis, Iesum qui dicitur Christus, an Barabbam? Tunc clamauit omnis populus, vt Barabbam dimitteret, Iesum verò morti traderet. Ecce habes hircum qui dimissus est viuus in eremum, peccata secum populi ferens, clamantis & dicentis: Crucifige, crucifige. Iste est ergo hircus viuus dimissus in eremum: & ille est hircus, qui Domino oblatus est hostia ad repropitianda peccata, & veram propitiationem inter se credentibus populis fecit. Quod si & hoc requiras, quis sit qui hunc hircum produxit in eremum, vt probetur in eo etiam quod lotus sit & mundus effectus, potest Pilatus ipse accipi homo paratus. Iudex quippe gentis ipsius erat, qui eum per sentẽtiam suam emisit in eremum. Audi autem quomodo lotus sit & mundus effectus. Cum ad populum diceret: Vultis dimittam vobis Iesum, qui dicitur Christus? & acclamasset omnis populus, dicens: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: tunc poposcit, inquit Pilatus, aquam, & lauit manus suas coram populo, dicens: Mundus ego sum à sanguine eius, vos videritis. Sic ergo videbitur lotis manibus suis mundus effectus. Nostra igitur, id est, qui non vmbræ & exemplari seruimus, sed veritati, hæc est propitiationis dies, in qua data est nobis remissio peccatorum, cum pascha nostrum immolatus est Christus. Quomodo ergo cognita veritate conuertimur iterum ad infirma, & egena elementa huius mundi, quibus rursus à capite seruire vultis, dies obseruantes, & menses, & tempora, & annos? Audi quomodo etiam Propheta huiusmodi ieiunium respuit, & dicit: Non hoc ieiunium elegi, dicit Dominus, neque diem vt humiliet homo animam suam. Tu si vis ieiunare secũdum Christũ, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus aptum est totius anni: imò totius vitę tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam, si tamen didicisti à Domino Saluatore nostro, quia mitis est, & humilis corde. Quando ergo non est tibi humiliationis dies, qui Christum sequeris, qui est humilis corde, & humilitatis magister? Tu itaque si vis ieiunare, ieiuna secundum præceptum Euangelij, & obserua in ieiunijs Euangelicas leges, in quibus hoc modo Saluator de ieiunijs mandat: Tu autem si ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Quod si requiris quomodo laues faciem tuam, Paulus Apostolus docet quemadmodum reuelata facie gloriam Domini contempleris, ad eandem imaginem formatus à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Vnge etiam caput tuum, sed obserua ne oleo peccati: Oleum enim peccatoris non impinguet caput meum. Sed vnge caput oleo exultationis, oleo lætitiæ, oleo misericordiæ, ita vt secundum mandatum sapientiæ, misericordia & fides non deserant te. Propterea enim & Apostolus, volens abstrahere nos ab his visibilibus & terrenis, & erigere animos, sensúsque nostros ad cælestia, clamat & dicit: Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Nonne aperte tibi dicit, noli quærere in terris Hierusalem, nec obseruantias legis, nec ieiunium Iudæorum, sed ieiunium Christi? Ieiunans enim debes adire pontificem tuum Christum, qui vtique non in terris requirendus est, sed in cœlis, & per ipsum debes offerre hostiam Deo. Vis tibi adhuc ostendam quale te oportet ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas. Ieiuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, contine te à cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtiuos peruersæ doctrinæ. Non concupiscas fallaces philosophiæ cibos, qui te à veritate seducant. Tale ieiunium Deo placet. Abstinere verò à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum his qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo. Indignati sunt aliquando & Pharisæi Domino, cur non ieiunarent discipuli eius. Quibus ille respondit, quia non possunt filij sponsi ieiunare quandiu cum ipsis est sponsus. Illi ergo ieiunent qui perdiderunt sponsum, nos habentes nobiscum sponsum ieiunare non possumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, vt abstinentiæ Christianæ frena laxemus. Habemus enim quadragesimæ dies ieiunijs consecratos. Habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solenniter ieiunamus. Est certe libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed virtute continentiæ. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidijs? Quomodo scripturis operam dabunt? Quomodo scientiæ & sapientiæ studebunt? Nónne per continentiam ventris & gutturis? Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cœlorum, nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia vtatur ministra? Hæc ergo Christianis ieiunandi ratio est. Sed est & alia adhuc religiosa, cuius laus quorundam Apostolorum literis prædicatur. Inuenimus enim in quodam libello ab Apostolis dictum: Beatus est qui etiam ieiunat pro eo vt alat pauperem. Huius ieiunium valde acceptum est apud Deum, & reuera digne satis. Imitatur enim illum, qui animam suam posuit pro fratribus suis. Quid ergo veteribus pannis noua indumenta miscemus? Quid in vtres veteres mittimus vinum nouum? Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua, per Christum Dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Gal.5. Leuit.16. Prouer.3. Mat.27. Dies passionis Domini dies propitiationis Christianorum. Esa.58. Ieiunium humiliatio. Matt.12. Matt.6. 2.Cor.3. Psal.141. Col.3. Ieiunium à peccato. Ieiunare cũ infidelibus Deo non gratum. Mat.9. Ieiunia prisca. Quadragesima. Citát apocrypha.

De eo quod scriptum est, Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Ex Leuit. Cap. XX. Homil. XI.

NVPER in auribus ecclesiæ recitatus est sermo Dei, dicens: [Estote sancti, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.] Nomen hoc sanctus, quid sibi velit, quídue significet in scripturis diuinis, diligentius requirendum est, vt cum vim verbi didicerimus, etiam opus eius possimus implere. Congregemus ergo de scripturis diuinis, super quibus sanctum dici inuenimus, & deprehendimus non solum homines, sed etiam muta animalia sancta appellata, inuenimus & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici, & loca nihilominus, quæ in vrbibus, vel suburbibus posita sunt, & sacerdotibus deputata. Ex mutis quidem animalibus primogenita boum, vel pecorum sanctificari per legem Domino iubentur, & dicitur: Ne facias in eis opus vllum,

Quid sanctum.

G quia domino sanctificata sunt. Super vasis verò, cũ in tabernaculo testimonij vasa ministerij, thuribula, vel phialæ, vel cætera huiusmodi vasa, sancta appellantur. Super vestimentis, etiam stola pontificis Aaron & tunica linea, & cætera huiusmodi vestimenta, sancta dicuntur. Si ergo intueamur quo sensu hæc omnia sancta vocata sunt, aduertemus quomodo etiam nos dare operã debeamus, vt sancti esse possimus. Natus est mihi primogenitus bos, non mihi licet occupare eum ad opus commune: est enim domino consecratus, & ideo dicitur sanctus. Intelligim⁹ ergo ex hoc muto animali, quomodo lex quod sanctũ vult esse, nulli alij id deseruire iubet, nisi domino soli. Iterum pateras vel phialas quas dicit sanctas, illę sunt quæ nunquam iubentur exire de tẽplo, sed esse semper in sanctis, nec vllis penitus humanis vsibus ministrare. Similiter & vestimenta quę sancta nominantur, non iubentur intra domum vsui deseruire pontificis, sed in tẽplo esse, & inde omnino nunquam efferri, sed ad hoc tantum consecrata esse, vt eis deo ministrans pontifex induatur, & sint semper in templo, ad cæteros verò vsus communes, vtatur communibus indumentis. Similiter & pateris, ac phialis his quæ sanctę appellantur, ad humanos & communes vsus vti non licet, sed tantum ad diuina ministeria. Quod si intellexisti quomodo vel animal, vel vas, vel vestimentum sanctum appellatur,

H consequenter intellige quod his obseruationibus, & legibus etiam homo sanctus appelletur. Si quis enim seipsum deuouerit duo: si quis nullis se negotiis secularibus implicauerit, vt ei placeat cui se probauit, si quis separatus est & segregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negotiis obligatis, non quærens ea quæ super terram, sed quæ in cœlis sunt: iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli deo, neque segregatus à vulgo est, non potest esse sanctus. Nam de eis quid dicemus, qui cum gentilium turbis ad spectacula maturant, & conspectus suos atque auditus, impudicis & verbis & actibus fœdant? Non est nostrum pronunciare de talibus. Ipsi enim sentire, & videre possunt quam sibi delegerint partem. Tu ergo qui hæc audis, cum lex diuina recitatur, quem ipsius etiam dei sermo conuenit dicens [Sancti estote, quia & ego sanctus sum dominus deus vester:] sapienter intellige quæ dicuntur, vt sis beatus cũ feceris ea. Hoc est enim quod dicitur tibi: Separa te ab omni non solũ homine, sed & fratre inquiete ambulante, & non secũdum traditiones apostolicas. Separamini etenim qui portatis, inquit, vasa domini, & exite de medio eorum, dicit dominus. Separa te à terrenis actibus, separa te à concupiscentia mundi: omne enim quod in mundo est, secũdum Apostolum, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, quæ non est à deo. Cùm ergo separaueris te ab his omnibus, deuoue te deo tanquam primogenitum vitulũ, non operetur per te peccatum, nec iugum tibi imponat malitia: sed esto semotus, & segregatus, vsibus tantum sacerdotalibus, tanquam primogenitum animal mancipatus. Segre-

I ga te & secerne, tanquam phialæ sanctæ, & sancta thuribula, solius templi vsibus, & dei ministerio vacans. Separa te, & semoue ab omni pollutione peccati, & esto semotus & segregatus intra templum dei, tanquam sancta indumenta põtificis. In templo nanque dei est segregatus & separatus ille, qui in lege dei meditatur die ac nocte, & qui in mandatis eius cupit nimis. [Sancti ergo estote dicit dominus, quia & ego sanctus sum.] Quid est, quia & ego sanctus sum? Sicut ego, inquit, segregatus sum, & longe separatus ab omnibus quæ adorantur, vel coluntur, siue in terra siue in cœlo: sicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuersis quæ à me facta sunt, segregor: ita & vos segregati estote ab omnibus, qui nõ sunt sancti, nec deo dicati. Segregati autem dicimus non locis sed actibus, nec regionibus, sed conuersationibus. Denique & ipse sermo in græca lingua, quod dicitur ἅγιος, quasi extra terram esse significat. Quicunque enim se consecrauerit deo, merito extra terram, extra mundum videbitur: potest enim & ipse dicere: Super terram ambulãtes, conuersationem in cœlis habemus. Salomon quoque in prouerbiis dicit: Laqueus est viro fortis cito aliquid de suis sanctificare. Postea enim quàm vouerit, euenit pœnitere.

Homo sanctus quis. — *Contra spectacula.* — *1. Ioan. 2* — *ἅγιος q. extra terrã* — *Pro. 20*

Et hoc est vtique quod dicit: ne quis forte cum fructus ex K arca, aut vinum ex torcularibus colligit, & dixerit volo tantũ offerre ecclesiæ, vel in vsum pauperum aut peregrinorum tantum præbere: si postea ex his quæ vouet aliquid ad vsus proprios pręsumat, iam non de suis fructibus præsumpsit, sed sancta dei violauit. Et ideo laqueus fortis est sanctificare aliquid, hoc est, vouere deo, & postmodum pœnitentia ductum ad vsus proprios ea quę consecrauerat reuocare. Sed & si nos ipsos consecramus & offerimus deo, aut etiam si alios vouemus, obseruemus hunc laqueum, ne forte posteaquam nos deo vouerimus, iterum humanis vsibus vel actibus subiugemur. Vouet autem se vnusquisque, verbi gratia, sicut Nazaræi faciebant tribus, aut quatuor, aut quot placuisset, annis templa se consecrantes dei, vt ibi semper vacarent obseruãtes illa quæ de Nazaræis scripta sunt: vt comam capitis nutrirent, nec ascenderet ferrum super caput eorum toto voti sui tempore, vt vinum non contingerent, neque aliquid ex vite, & cætera quæcunque, donec completa fuisset voti professio. Sed & alium quis ita vouet deo, sicut Anna fecit Samuelem: ante enim quàm nasceretur, obtulit eum dicens: Et dabo eum domino datum omnibus diebus vitæ suæ. Ex quibus omnibus clarum est, quomodo vnusquisque nostrum, qui vult esse sanctus, consecrari debeat deo, & nullis præterea negotiis, vel actibus qui ad deum minime pertinent occupari. Post hæc scriptum est: [Seruate, inquit, præcepta mea L & facite ea, ego dominus:] & iis addit. [Homo homo si maledixerit patrem aut matrem suam moriatur:] & post multa quæ præcepit, quibus etiam pœnas præuaricationis adscripsit, addit in clausula: [Et seruate omnia præcepta mea, & iustificationes meas, & iudicia mea.] Vnde & consequens mihi videtur requirere quid in his singulis indicetur. Equidẽ secũdum quod obseruare potui, præceptum est, siue mandatum illud quod (verbi gratia) in Decalogo dicitur: Nõ occides, non adulterabis: hoc enim solum præcipitur, & non adscribitur pœna commissi. Nunc autem iterantur quidem eadem, addit his pœnas: dicitur enim. [Homo homo quicunque adulterauerit vxorẽ viri, & vxorem proximi sui, morte moriatur is qui adulterat, & quæ adulteratur. Et si quis dormierit cum vxore patris sui, turpitudinẽ patris sui detexit, morte moriantur ambo, rei enim sunt.] De his autem in prioribus iam data fuerant præcepta, sed non obseruantem quæ maneret pœna non fuerat adscriptum. Nunc ergo eadem repetuntur, & vniuscuiusque pœna peccati decernitur: & ideo hæc rectè iustificationes, & iudicia appellantur, quibus quod iustum est recipere iudicatur ille qui peccat. Sed intuere ordinem diuinæ sapientiæ, non continuo pœnas cum primis statuit præceptis. Vult enim vt nõ metu pœnæ, sed amore pietatis, patris præcepta custodias: sed si contempseris, non tam homini iam, quàm contemptori mandatur pœna. Primo ergo benignitate prouocaris vt filius: Ego enim dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Quod si filius esse obediens non vis, con- M temptor plecteris vt seruus. Post hæc dicit: [Et si quis dormierit cum nuru sua, morte moriantur ambo, impietatem fecerunt, rei sunt.] Et has leges vel hæc præcepta absque pœnis superius dederat: dixerat enim. Turpitudinem nurus tuę non reuelabis, quoniam vxor filij tui est, non reuelabis turpitudinem eius, & omnia quæ subsequuntur. Et hunc locum simili modo ibi absque suppliciis, hic verò cum diuersis suppliciorũ generib⁹ adscripsit. Quo in loco recordor sermonis illius, quem beatus apostolus Paulus ad Hebræos scribens ait: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quanto maioribus suppliciis dignus putabitur, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamẽti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Sed ob quam causam mentionem fecerit scripturæ huius ausculta. Secundum legem adulter & adultera morte moriebantur, nec poterant dicere pœnitentiam petimus, & veniã deprecamur. Nõ erat lachrymis locus, nec emendationi vlla concedebatur facultas, sed omnimode puniri necesse erat, qui incurrisset in legẽ. Hoc autem seruabatur & in singulis quibusque criminibus quibus erat pœna mortis adscripta. Apud Christianos verò si adulteriũ fuerit admissum, nõ est pręceptũ vt adulter vel adultera

Votum. — *Nazaræorũ votum.* — *Num. 6* — *1. Reg. 1* — *Psal. 82* — *Leuit. 18* — *Hebr. 10*

A adultera corporali interitu puniantur: nec potestas data est episcopo ecclesiæ adulterum præsenti morte damnare, sicut tunc secundum legem fiebat à presbyteris populi. Quid igitur? dicemus quod lex Moysi crudelis sit, quæ iubet puniri adulterum, vel adulteram, & Euangelium Christi per indulgentiam resoluit auditores in deterius? Non ita est. Propterea enim sermonem Pauli protulimus in superioribus dicentis: Quanto magis deterioribus supplicijs dignus est qui filium Dei conculcauerit, & cætera. Audi ergo quomodo neque tunc crudelis fuerit lex, neque nunc dissolutum videatur Euangelium propter veniæ largitatem, sed in vtroque Dei benignitas diuersa dispensatione teneatur: hoc quod secundum legem (verbi causa) adulter vel adultera præsenti morte puniebantur, propter hoc ipsum quod peccati sui pertulit pœnam, & commissi sceleris exoluit digna supplicia. Quid erit post hæc quod animabus eorum vltionis immineat, si nihil aliud deliquerunt? si aliud peccatum non est quod condemnet eos, sed hoc solum commiserunt, & tunc tantum cum puniti sunt, & legis pro hoc supplicium pertulerunt? Non vindicabit Dominus bis in idipsum, receperunt enim peccatum suum, & consumpta est criminis pœna. Et ideo inuenitur hoc genus præcepti non crudele, sicut hæretici asserunt accusantes legem Dei, & negantes in ea humanitatis aliquid contineri: sed plenum misericordia, idcirco quod per hoc purgaretur ex peccatis populus magis, quàm condemnaretur. Nunc verò non infertur pœna corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per pœnitētiam: quam vtrum quis digne gerat, ita vt mereri pro ea veniam possit, videto. Multi sunt enim, qui nec ad hoc inclinantur, nec pœnitentiæ refugium quærunt: sed cum ceciderint surgere vltra nolunt, delectantur in eo luto quo hæserint volutari. Nos tamen non obliuiscimur præcepti illius, quo dicitur: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Dicimus enim & ad Deum: Quoniam dedisti nobis panem lachrymarum, & potasti nos in lachrymis in mensura. Sunt ergo ista peccata, quæ dicūtur ad mortem: vnde & consequens est, vt quoties commiserit quis tale peccatum, toties moriatur. Multas enim esse peccati mortes significat etiam Apostolus Paulus, cum dicit: Qui de tantis mortibus eripuit nos, & eripit, in quo speramus, quia & adhuc eripiet. Quas ergo hic mortes plures commemorat, nisi peccatorum? Si enim hæc non diceret de mortibus peccatorum, videbatur Paulus secundum sententiam suam immortalis esse mansurus ab hac communi morte, qui dicit, quia de tantis mortibus eripuit nos, & eripit, in quo speramus quia & adhuc eripiet. Si enim & eripuit, & eripiet, nunquam erit quando moriatur quem Dominus semper eripiet. Et ideo secundum ea quæ discussimus, videndum est ne forte aliquando etiam grauius sit nobis, qui pro peccato C communi hac morte minime punimur, quàm illis quos legis sententia corporaliter condemnabat: quia nobis vltio reponitur in futurum, illos absoluebant commissi sui persoluta supplicia. Quod & si aliquis est qui forte præuentus est in huiuscemodi peccatis, admonitus nunc verbo Dei, ad auxilium confugiat pœnitentiæ: vt si semel admisit, secundo non faciat, aut si & secundo, aut etiam tertio præuentus est, vltra non addat. Est enim apud iudicem iustum pœnæ moderatio, non solum pro qualitate, verumetiam pro quantitate. Inter cætera ergo peccata quæ morte puniuntur, refert diuina lex quod & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Nomen patris grande mysterium est, & nomen matris arcana reuerentia est. Pater tibi secundum spiritum Deus est: Mater Hierusalē cœlestis est. Propheticis hæc & Apostolicis testimonijs disce. Hic ipse Moses scribit in cantico: Nónne hic ipse pater tuus acquisiuit te, & possedit te? Apostolus verò dicit de Hierusalem cœlesti, quia libera est, quæ est, inquit, mater omnium nostrum. Primo ergo tibi pater Deus est, qui genuit spiritum tuum, qui & dicit: Filios genui & exaltaui. Sed & Paulus Apostolus dicit: Obtemperemus patri spirituum, & viuemus. Secundo tibi pater est carnis pater, cuius ministerio in carne natus es, atque in hunc mundum venisti, qui te portauit in lumbis: sicut dicitur de Leui, quia in lumbis erat adhuc Abrahæ, quando occurrit ei Melchisedech, regresso à cæde regum, & benedixit eum, & decimas accepit D ab eo. Quia igitur tam sacratum nomen est patris, & tam venerabile, idcirco qui maledixerit patri aut matri, morte morietur. Similia etiam de matre existimanda sunt, cuius labore, cuius cura, cuius ministerio, & natus, & nutritus es. Et ideo oportet te secundum Apostolum parem gratiam referre parentibus. Si enim dehonoraueris patrem carnalem, huius contumelia ad patrem spiritus redit: & si iniuriam feceris matri carnali, ad illam matrem Hierusalem cœlestem redundat iniuria. Sic & seruus si domino irreuerens sit, per hunc corporalem dominum, in Dominum maiestatis contumeliam iactat. Ille enim huic carnali domino suum nomen imposuit. Et ideo nullo genere aduersum patrem, aut matrem, ne verbo quidem habendum certamen est, aut mouenda contradictio. Pater est, mater est, vt ipsis videtur, agant, faciant, dicant: ipsi nouerint. Quantumcunque detulerimus obsequij, nondum reddimus vicem gratiæ, qua geniti sumus, qua portati, qua hausimus lucem, qua nutriti sumus, fortassis & eruditi, & honestis artibus instituti. Et ipsis fortasse auctoribus agnouimus Deum, & ad ecclesiam Dei venimus, & sermonem diuinę legis audiuimus. Propter hęc ergo omnia, quicunque maledixerit patri, aut matri, non morietur. Quod si hæc de corporalibus parentibus decernūtur, quid illi facient, qui Deum patrem maledicis vocibus lacessunt? qui eum negant conditorem esse mundi: aut qui cœlestem Hierusalem quæ est mater omnium nostrum, indignis sensibus intelligentes dicta E prophetica, ad conditionem terrenæ alicuius vrbis adducunt? Bonum ergo est obseruare, nequando aut carnalem patrem, aut cœlestem minus digna honorificentia veneremur, similiter & matrem: obseruare etiam omne mandatum, quod nobis pudicitiam, castitatémque commendat: vt neque in præsenti vita secundum legem obnoxij simus morti, neque secundum spiritalem futura nos pœna maneat ignis æterni: ex quo effugere & euadere omnibus nobis concedat Dominus noster Iesus Christus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Mat.1. *Mat.7.* *Psal.80.* *2.Cor.1.* *Mortes multæ.* *Deus est pater, ecclesia mater.* *Deut.32.* *Gal.4.* *Esa.1.* *Heb.12.* *Heb.7.* *Gen.14.*

De magno sacerdote. Ex Leuit. Cap. XXI. Homilia XII.

OMNIS qui inter homines sacerdos est, si attendas ad illum sacerdotem, de quo dixit Deus: Tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech, paruus est & exiguus. Ille est autem magnus sacerdos, qui potest penetrare cœlos, & vniuersam supergredi creaturam, & ascendere ad eum, qui lucem habitat inaccessibilem, Deum & patrem vniuersitatis. Propter quod & ille, qui apud Iudæos magnus dicebatur sacerdos, introibat quidem in sancta, sed manu facta, sed lapidibus extructa: non ascendebat in cœlum, nec adstare poterat apud F patrem luminum. Sed quia horum vmbram implebat & imaginem, idcirco etiam magni sacerdotis nomen per vmbram gerebat & imaginem. Vnde & Iudæi per hoc quod ad fidem proximi esse debuissent, quia apud ipsos adumbratio quædam & imago præluxerat veritatis, dum typos veritatem putant, veritatem ipsam tanquam mendacium respuerunt. Nos autem qui recipimus magnum sacerdotem, intelligere debemus quomodo vere ipse sit magnus sacerdos. Vere magnus sacerdos est qui peccata dimittit, non per sanguinem taurorum & hircorum, sed per sanguinem suum. Quia ergo cognouimus qui sit magnus sacerdos, & confitemur ea quæ in lege scripta sunt, de magno sacerdote scripta esse, id est, de Saluatore, quem vere magnum sacerdotem esse, superior tractatus ostendit: videamus nunc quæ sint, quæ de eo lex prophetico spiritu scribit. [Et sacerdos, inquit, magnus, ex fratribus suis, cui infusum est super caput eius oleum chrismatis, & perfectas habet manus suas, vt induat sancta vestimenta: de capite cidarim non deponet, vestimenta sua non disrumpet, & ad omnem animam mortuam non intrabit: in patre suo, vel matre sua non contaminabitur: & de sanctis non exibit, & non coinquinabit nomen quod est sanctificatum Dei sui super se, quia sanctum oleum chrismatis Dei sui in ipso est: ego Dominus. Hic vxorem virginem de

Psal.110. *Quis magnus sacerdos.*

G genere suo accipiet. Viduam autem & eiectam, & pollutam, & meretricem, has non accipiet: sed virginem ex genere suo accipiet vxorem, & non maculabit semen suum in populo suo: ego dominus qui sanctifico eum.] Fuerit quidem etiam apud Iudæos imago huius obseruantiæ, & custodita sint quæ lex statuit à pontificibus Iudæorum: sed & si diligenter cuncta seruata sint, & si omnia quæ lex præcepit, impleta sint, nec sic quidem omnis hæc obseruatio magnum potuit facere sacerdotem. Quomodo etenim magnus dici potest sacerdos, qui peccare potest? Quod autem sub peccato fuerint omnes etiam magni sacerdotes, & ex hoc ipso facile aduertimus: quod lex præcepit, vt prius pro suis, post etiam pro populi peccatis offerat hostiam sacerdos. Quomodo ergo magnus est sub peccato positus? Meus autem sacerdos magnus Iesus idcirco magnus est, quia peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius: & quia venit ad eum princeps huius mundi, & non inuenit in eo quicquam. Ideo ergo & Gabriel archangelus natiuitatem eius annunciat, & dicit: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Peccatum hominem paruum facit, & exiguum: Virtus eminentem præstat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile & exiguum facit corpus hominis, sanitas verò lætum reddit & validum: ita intellige quia & animam ægritudo quidem peccati humilem facit, & paruam, sanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam & eminentem, & quantum in virtutibus crescit, tanto prolixiorem reddit magnitudinem sui. Sic ego intelligo illud quod de Iesu scriptum est, quia proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud deum & homines.

Esa.53 *Ioan.14* *Luc.1* *Luc.2*

H Nam quis est hominum qui non proficiat ætate in pueritia, vt quod velut egregium quiddam de Iesu scriberetur? Ad te hæc dico, qui corporaliter audis quod Iesus ætate proficeret. Intellige ergo quia ætate animæ proficiebat, & magna fiebat anima eius propter magna & ingentia opera quæ faciebat. Denique sciens & Apostolus hanc ætatem de interiori homine sentiendam, ita scribit: Donec omnes occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nā secundum corpus crescere & magnum fieri, nō est in nobis. Corpus enim ex genitali origine quantitatis materiam sumit, vt vel magnum vel exiguum fiat. Anima verò in nobis habet causas, & arbitrij libertatem, vt vel magna vel parua sit. Si ergo pusilla & parua sit anima, etiam scandalizari potest. Sic enim scriptum est in euangelio: Quia expedit præcipitari in profundum maris, quàm scandalizare vnum de pusillis istis. Qui magnus est non scandalizatur, sed qui pusillus est. Qui magnus est, quodcunque viderit, quodcunque passus fuerit, non declinat à fide. Qui autem pusillus est animo & paruus, occasiones quærit quomodo scandalizetur, quomodo in fide videatur offendi. Propterea denique oportet nos maxime his consulere, qui parui sunt in fide: nec tantam curam circa magnos & fortes, quantam erga paruulos & insipientes debemus impendere.

Ephes.4 *Liberum Arbitrum.* *Matth.18*

I Fortis enim omnia tolerat, omnia suffert, & nunquam cadit. Paruuli verò, & infirmi in fide obseruandū est ne occasione nostri offendantur, & recedant à fide, ac decidant à salute. Aut ostēde mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit. Nusquam (vt opinor) inuenies. Audi verò qui sunt, qui magni appellantur. De Isaac dicitur, quia proficiebat valde, vsquequo factus est magnus valde. Moyses magnus dictus est, & Ioannes Baptista magnus dictus est, nunc autem Iesus magnus dictus est, & post hunc iam nullus appellatus est magnus. Prius enim quā adesset qui vere magnus est, ad comparationem reliquorum hominum magni appellati sunt sancti, quorum superius fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione cæterorum, sed sui magnitudine vere magnus erat, de quo etiā scriptū est, quia exultauit vt gigas ad currendam viam, vltra iam nullus magnus appellatus est. Hic est ergo de quo scribitur, Magnus sacerdos ex fratribus suis. Quibus fratribus? De quibus dixit quum resurrexisset à mortuis: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum, & ad deum meum, & deum vestrum. Si autem vis ex antiquis literis discere fratres Iesu, lege vicesimum primum psalmum, vbi ex persona Christi dicitur: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Ex fratribus ergo suis magnus est Iesus, ex his qui prius magni fuerant appellati, & sicut pastorū pastor est, & pōtificum pontifex, & dominantium dominus, & regū rex: ita & magnorum magnus est: & ideo addit, magnus ex fratribus suis.

Gen.25 *Christus propriè magnus.* *Psa.19* *Ioan.20* *Fratres Christi.* *Psal.45.*

K Post hæc verò, [cui, inquit, infusum est oleum chrismatis super caput eius.] Istud oleum noli requirere in terris, quod super caput infunditur magni sacerdotis, vt fiat Christus: sed si videtur, disce à propheta Dauid istud oleum quale sit: Dilexisti, inquit, iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Istud est ergo oleum lætitiæ, quod capiti eius infusum fecit eum Christum. Sed addit adhuc ad laudes eius. [Qui consummatas, inquit, habet manus.] Cuinam (quæso) hominum hòc conuenit dici? In quo mortalium perfectas inuenire possumus manus? Etiam si Aaron iste sit cuius mentio fieri videtur, quomodo consummatas putabitur habuisse manus, quibus vitulum fabricauit, quibus idolum sculpsit? Etiam si ipsum Moysen proferas, quomodo consummatas habuisse videtur manus, qui non glorificauit dominum ad aquam contradictionis? Pro quo delicto etiam vita iubetur excedere. Quod si & alium quenquam sanctorum memorare velis, occurrit tibi sermo scripturæ, qui dicit: Quia non est homo super terram qui faciat bonum, & non peccet. Merito ergo solus Iesus consummatas habet manus, qui solus peccatum non fecit, hoc est, qui perfecta & integra opera manuum habet. Et ideo de ipso recte dicitur: Qui consummatas habet manus, vt induatur sancta.

Oleo terreno Christus non vnctus *Psal.45* *Prou.20*

L Hic enim est, qui vere indutus est sancta, non illa quæ in typo erant, sed ipsa quæ vere sancta sunt. Quod si vis audire de excelsioribus indumentis eius, accipe verba prophetica: Amictus, inquit, lumine sicut vestimento, abyssus sicut pallium amictum vestimentum eius. Hic est mei magni pontificis habitus, quomodo indicatur profunda scientia, & sapientiæ luce vestitus, quæ vere sancta sunt indumenta. [Non, inquit, auferet de capite suo cidarim.] Iam & prius diximus Cidarim genus esse operimentī, quod capiti superpositum pontifici præstat ornatum. Hic ergo magnus pontifex meus nunquam deponit sacri capitis ornatum. Quod sit autem caput Christi, ab apostolo disce qui dicit: caput autem Christi deus. Merito igitur istum capitis sui, qui deus est, nunquam deponit ornatum, quia semper est pater in filio, sicut filius semper in patre. Et vestimenta sua non disrumpet. Vere hic est qui vestimēta sua non disrumpit, sed semper ea munda, semper integra, semper casta seruauit. Et ad omnem animam defunctam non intrabit. Quæ est anima defuncta? quàm mortuam propheta dicit: Anima quæ peccat, ipsa morietur. Super hanc ergo animam mortuam Christus non superuenit, quia sapientia est, & sapientia non intrat ad animam maleuolam.

1.Cor.11

M Ipsa est enim mortua, quia cui inest malitia, inest & peccatum. Peccatum autem cum consummatum, inquit, fuerit generat mortem. Et propter hoc Iesus non intrat ad animam mortuam. Si autem viuat anima, hoc est, si non habeat in se mortale peccatum, tunc Christus qui est vita, venit ad animam viuentem. Quia sicut lux non potest esse cum tenebris, nec cū iniquitate iustitia, ita nec vita potest esse cum morte. Et ideo si quis sibi conscius est quod habeat intra se peccatum, neque id à se per pœnitentiam plenissimæ satisfactionis abiicit, non speret quod intret Christus ad animam eius, qui ad omnem animam defunctam nō intrat, quia magnus sacerdos est. [In patre suo, & matre sua non contaminabitur.] Hic scripturæ locus difficillimus est ad explanādum, sed si orationibus vestris deum patrem verbi deprecemini, vt nos illuminare dignetur, ipso donante poterit explanari. Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Hoc ipso ergo quod in vulua matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, vt ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel vteri materni? Omnis ergo

Iac.1 *Mortale peccatum.* *Peccatum origenis.* *Iob.25*

A ergo homo in patre & in matre pollutus est, solus verò Iesus dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum. Ipse enim erat, qui & dudum per Salomonem dixerat: Magis autem cum essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Non est ergo contaminatus in matre, sed ne in patre quidem. Nihil enim Ioseph in generatione eius prę ter ministerium præstitit & affectum. Vnde & pro fideli ministerio, patris ei vocabulum scriptura concessit. Sic enim Maria ipsa dicit in Euangelio: Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Sic ergo solus est hic sacerdos magnus, qui neque in patre pollutus sit, neque in matre. Videamus autem si adhuc possumus aliquid sublimius: & pro dignitate tanti pontificis inuenire. Pater omnium verus, dicitur deus. Matrem autem, Apostolus Hierusalem dicit esse cœlestem. Omnes ergo qui peccant, contaminantur in patre à quo creati. Siue enim egimus aliquid impium, siue locuti sumus, siue cogitauimus contra deum, cum non credidimus deo, contaminati sumus in patre. Atque vtinam tunc solum per incredulitatem factum sit, cessatum sit verò postquam credidimus. Sic ergo etiam contaminamur in matre, si credētes deo, vel ecclesiam lædimus, vel libertatem matris cœlestis indigna peccati seruitute fœdamus. Solus verò dominus noster Iesus Christus, qui peccatum nescit, neque in

Sap. 8.

Luc. 2.

Gal. 4.

B patre, neque in matre contaminatus est, & de sanctis non exiuit. Fuerant quidem nonnulla & in superioribus proponenda Iudæis, ad quæ respondere non possent, sed omissis illis, de hoc interim sermone quid nobis dicant, vel ipsi, vel qui secundū ipsorum sensum intelligi legem volunt, si hæc ad pontificem nostrum & saluatorem non referantur, quomodo secundum literam probabitur, quod de sanctis non exeat magnus sacerdos, qui vtique & vxorem accipiebat, sicut inferius dicitur, virginem de genere suo? Si de sanctis non exit, si nusquam procedit, quomodo aut ad quos vsus accipere iubetur vxorem? Neque enim putandum est quòd cum vxore intra sancta manere potuerit. Sed hæc putent illi, quibus placent Iudaicæ fabulæ. Nos autem habemus sacerdotem magnum secūdum ordinem Melchisedech Christum Iesum, nunquam de sanctis exeuntem: semper enim in sanctis est, & manet semper sanctus in verbis suis, sanctus in actibus suis, sanctus in omnibus voluntatibus suis, & solus est qui nunquam inueniatur extra sancta. Qui enim peccat, exit de sanctis: & quotiescunque quis peccat, toties efficitur extra sancta. Christus autem qui nunquam peccauit, nunquam exiit de sanctis. Sed & tu qui sequeris Christum, & imitator eius es, si permaneas in verbo dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es, nec vnquam inde discedis. Neque enim in loco

Contra primos hæreticos Iudaizantes.

C sancta quęrenda sunt, sed in actibus, & vita, ac moribus. Quæ si secundum deum sint, & secundum præceptum dei habeātur, etiam si in domo sis, etiam si in foro: & quid dico in foro? etiam si in theatro inueniaris verbo dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites. Aut non tibi videtur Paulus cum ingressus est theatrum, vel cum ingressus est Areopagum, & prædicauit Atheniensibus Christum, in sanctis fuisse? Sed & cum perambulasset aras & idola Atheniensiū, vbi inuenit scriptū ignoto deo, & ex hoc verbo sumpsit Christi prædicationis exordium, etiam ibi aras gentilium lustrans in sanctis positus erat, quia sancta cogitabat. Sed & quicunque custodit se post acceptam gratiam dei ne incidat in homicidium, in adulterium, in furtum, in falsum testimonium, & alia similia: sed permanet mundus ab omni contagione peccati, non exiuit iste de sanctis, & non contaminauit sanctificationem dei sui in semetipso, quia sanctum oleum chrismatis dei sui super ipsum est. Illud oleum, de quo in Exodo scriptum est, quomodo potest secūdum literam proprie oleum dei dici, quod arte myrepsica confectum est à pigmentario? Sed si vis videre oleum dei, audi quem propheta dicat vnctum esse oleo dei, illum sine dubio de quo dicit: Propterea vnxit te deus deus tuus oleo lętitiæ præ participibus tuis. Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo dei vnctus est, & in quo semper sanctum permansit diuini charismatis oleum. Sed quid additur post hæc? [Hic vxorem virginem de genere suo accipiet: viduam autem, & eiectam, & meretricem non accipiet, sed virginem de genere suo, & non contaminabit semē suum in populo suo: ego dominus qui sanctifico eum.] Quia

Act. 17.

Exod. 28.

Psal. 45.

Oleum dei.

D ergo totius expositionis ordo ad verum sacerdotem magnū reuocatus est Christum, videamus nunc & quid de nuptiis eius intelligi debeat. Paulus apostolus dicit: Volo autem vos omnes vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ in Christo est. Vult ergo Paulus omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo: quod vtique nunquam vellet, nisi id possibile videret. Vnde & mirum fortasse videatur, quomodo hi, qui diuersis peccatis corrupti ad fidem Christi venerunt, omnes simul virgo casta dicantur: quæ virgo tam sancta, tam casta sit, vt mereatur etiam Christi nuptiis copulari. Verum quoniam hæc ad carnis integritatem referre non possumus, certum est quod ad integritatem animæ spectent, cuius secundum ipsius Pauli sententiam, simplicitas fidei quæ in Christo est, virginitas eius appellata est, & per hoc quoniam cessantibus, vel philosophorum sophismatibus, vel superstitionibus Iudaicis in fide simplici Christus sibi adsumpsit ecclesiam, virginem de genere suo accepit vxorem. Huius nanque fidem non corrumpit philosophicus sensus, nec circuncisionis ambitio, sed in simplicitate confessionis tanquam in virginali integritate permansit. Sic enim & dudum promise-

2. Cor. 11.

Simplicitas fidei virginitas.

E rat per prophetam dicens: Desponsabo te mihi in fide. Omnis ergo secundum apostolum, qui in Christo est, noua creatura est. Et sicut idem apostolus dicit: Vt exhibeat ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Quomodo ergo eam quæ rugosa est, facit esse sine ruga, nisi quia renouat eam? secundum quod scriptum est. Nam etsi is qui deforis est homo noster corrumpitur, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Viduam sanè, & meretricem, & eiectam non accipiet Christus, nec intrat talis anima thalamum sponsi. Qui enim ingressus fuerit illuc non habens indumēta nuptialia, perferet illud quod scriptum esse nostis in euangelio. Virginem ergo accipiet, viduam non accipiet, neque meretricem, neque eiectam, aut contaminatam. Meretricem quidem, & abiectam animam, & pollutam cur non suscipiat Christus in coniugium, non est laboris exponere: Vidua verò cur non in vxorem recipiatur, diligentius intuendum est. Paulus apostolus ad Romanos scribens, virum animæ legem dicit, eámque cum mortuus fuerit vir, solutam esse pronunciat à lege viri, vt iam non sit adultera si nupserit Christo. Quod si eueniat, vt ei ex quidem animæ ipsi moriatur, id est, vt anima discedat à lege, nec tamen constringat se castioris cōnubij disciplinis, & à lege discedens, euangelici dogmatis non suscipiat iugum: hæc nubere Christo non poterit, quæ libertatis lasciuiam quæsierit, non fidei virginalis & simplicis cultum. Hic ergo sacerdos magnus vxorem virginem ac-

Osee 2.

Eph. 5.

2. Cor. 4.

Vir animæ lex.

Rom. 7.

F cipiet de genere suo. Potest & propter hoc dictum videri de genere suo, quod anima Christi ex genere & ex substantia fuerit humanarum omnium animarum. Potest & secundum hoc, quod fratres vocat credentes in se, de genere suo dici anima, quæ in fide tanquam nuptiis sociatur. Illud tamen nolo vos lateat, quod Hebræi negant se scriptum habere, quod nos apud lxx. interpretes inuenimus, de genere suo. Et recte illi non habēt scriptum. ablata est enim ab illis propinquitas dei, ablata est adoptio filiorum, & translata est ad ecclesiam Christi. Illi ergo non habent scriptum quia de genere Christi sint, sicut nec esse meruerunt. Nos autem qui hoc scriptum habemus, & legimus, gaudeamus quidem de dignatione dei, sed caute & sollicite curemus, ne nos vita nostra & actus ac mores faciant aliquando degeneres. ne & hoc ipsum nobis ad condemnationem ducatur, quod cum genus simus Christi, indignis, & fœdis, ac diabolicis actibus seruiamus. Qui habet ergo sponsam, sponsus est. Audis quomodo sponsus dicitur Christus, sponsa verò eius anima dicitur, quæ fidei simplicitate, & actuum puritate incorrupta probatur & virgo. Dicit enim dominus & per Hieremiam prophetam: Nonne sicut domicilium me, & patrem vocasti, & principem virginitatis tuæ? Viduam autem, & eiectam, &

Hier. 3.

G genere suo accipiet. Viduam autem & eiectam, & pollutam, & meretricem, has non accipiet: sed virginem ex genere suo accipiet vxorem, & non maculabit semen suum in populo suo: ego dominus qui sanctifico eum.] Fuerit quidem etiam apud Iudæos imago huius obseruantiæ, & custodita sint quæ lex statuit à pontificibus Iudæorum: sed & si diligenter cuncta seruata sint, & si omnia quæ lex præcepit, impleta sint, nec sic quidem omnis hæc obseruatio magnum potuit facere sacerdotem. Quomodo etenim magnus dici potest sacerdos, qui peccare potest? Quod autem sub peccato fuerint omnes etiam magni sacerdotes, & ex hoc ipso facile aduertimus: quod lex præcepit, vt prius pro suis, post etiam pro populi peccatis offerat hostiam sacerdos. Quomodo ergo magnus est sub peccato positus? Meus autem sacerdos magnus Iesus idcirco magnus est, quia peccatum non fecit, nec inuétus est dolus in ore eius: & quia venit ad eum princeps huius mundi, & non inuenit in eo quicquam. Ideo ergo & Gabriel archangelus natiuitatem eius annunciat, & dicit: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Peccatum hominem paruum facit, & exiguum: Virtus eminentem præstat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile & exiguum facit corpus hominis, sanitas verò lætum reddit & validum: ita intellige quia & animam ægritudo quidem peccati humilem facit, & paruam, sanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam & eminentem, & quantum in virtutibus crescit, tanto prolixiorem reddit magnitudinem sui.

Esa.53 Ioan.14 Luc.1

Sic ego intelligo illud quod de Iesu scriptum est, quia proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud deum & homines. Nam quis est hominum qui non proficiat ætate in pueritia, vt quod velut egregium quiddam de Iesu scriberetur? Ad te hæc dico, qui corporaliter audis quod Iesus ætate proficeret. Intellige ergo quia ætate animæ proficiebat, & magna fiebat anima eius propter magna & ingentia opera quæ faciebat. Denique sciens & Apostolus hanc ætatem de interiori homine sentiendam, ita scribit: Donec omnes occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nã secundum corpus crescere & magnum fieri, nõ est in nobis. Corpus enim ex genitali origine quantitatis materiam sumit, vt vel magnum vel exiguum fiat. Anima verò in nobis habet causas, & arbitrij libertatem, vt vel magna vel parua sit. Si ergo pusilla & parua sit anima, etiam scandalizari potest. Sic enim scriptum est in euangelio: Quia expedit præcipitari in profundum maris, quàm scandalizare vnum de pusillis istis. Qui magnus est non scandalizatur, sed qui pusillus est. Qui magnus est, quodcunque viderit, quodcunque passus fuerit, non declinat à fide. Qui autem pusillus est animo & paruus, occasiones quærit quomodo scandalizetur, quomodo in fide videatur offendi. Propterea denique oportet nos maxime his consulere, qui parui sunt in fide: nec tantam curam circa magnos & fortes, quantam erga paruulos & insipientes debemus impendere. Fortis enim omnia tolerat, omnia suffert, & nunquam cadit. Paruuli verò, & infirmi in fide obseruandũ est ne occasione nostri offendantur, & recedant à fide, ac decidant à salute. Aut ostẽde mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit. Nusquam (vt opinor) inuenies. Audi verò qui sunt, qui magni appellantur. De Isaac dicitur, quia proficiebat valde, vsquequo factus est magnus valde. Moyses magnus dictus est, & Ioannes Baptista magnus dictus est, nunc autem Iesus magnus dictus est, & post hunc iam nullus appellatus est magnus. Prius enim quã adesset qui vere magnus est, ad comparationem reliquorum hominum magni appellati sunt sancti, quorum superius fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione cæterorum, sed sui magnitudine vere magnus erat, de quo etiã scriptũ est, quia exultauit vt gigas ad currendam viam, vltra iam nullus magnus appellatus est. Hic est ergo de quo scribitur, Magnus sacerdos ex fratribus suis. Quibus fratribus? De quibus dixit quum resurrexisset à mortuis: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum, & ad deum meum, & deum vestrum. Si autem vis ex antiquis literis discere fratres Iesu, lege vicesimum primum psalmum, vbi ex persona Christi dicitur: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Ex fratribus ergo suis magnus est Iesus, ex his qui prius magni fuerant appellati, & sicut pastorũ pastor est, & põtificum pontifex, & dominantium dominus, & regũ rex: ita & magnorum magnus est: & ideo addit, magnus ex fratribus suis. Post hæc verò, [cui, inquit, infusum est oleum chrismatis super caput eius.] Istud oleum noli requirere in terris, quod super caput infunditur magni sacerdotis, vt fiat Christus: sed si videtur, disce à propheta Dauid istud oleum quale sit: Dilexisti, inquit, iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Istud est ergo oleum lætitiæ, quod capiti eius infusum fecit eum Christum. Sed addit adhuc ad laudes eius. [Qui consummatas, inquit, habet manus.] Cuinam (quæso) hominum hoc conuenit dici? In quo mortalium perfectas inuenire possumus manus? Etiam si Aaron iste sit cuius mentio fieri videtur, quomodo consummatas putabitur habuisse manus, quibus vitulum fabricauit, quibus idolum sculpsit? Etiam si ipsum Moysen proferas, quomodo consummatas habuisse videtur manus, qui non glorificauit dominum ad aquam contradictionis? Pro quo delicto etiam vita iubetur excedere. Quod si & alium quenquam sanctorum memorare velis, occurrit tibi sermo scripturæ, qui dicit: Quia non est homo super terram qui faciat bonum, & non peccet. Merito ergo solus Iesus consummatas habet manus, qui solus peccatum non fecit, hoc est, qui perfecta & integra opera manuum habet. Et ideo de ipso recte dicitur: Qui consummatas habet manus, vt induatur sancta. Hic enim est, qui vere indutus est sancta, non illa quæ in typo erant, sed ipsa quæ vere sancta sunt. Quod si vis audire de excelsioribus indumentis eius, accipe verba prophetica: Amictus, inquit, lumine sicut vestimento, abyssus sicut pallium amictum vestimentum eius. Hic est mei magni pontificis habitus, quomodo indicatur profunda scientia, & sapientiæ luce vestitus, quæ vere sancta sunt indumenta. [Non, inquit, auferet de capite suo cidarim.] Iam & prius diximus Cidarim genus esse operimenti, quod capiti superpositum pontifici præstat ornatum. Hic ergo magnus pontifex meus nunquam deponit sacri capitis ornatum. Quod sit autem caput Christi, ab apostolo disce qui dicit: caput autem Christi deus. Merito igitur istum capitis sui, qui deus est, nunquam deponit ornatum, quia semper est pater in filio, sicut filius semper in patre. Et vestimenta sua non disrumpet. Vere hic est qui vestimẽta sua non disrumpit, sed semper ea munda, semper integra, semper casta seruauit. Et ad omnem animam defunctam non intrabit. Quæ est anima defuncta? quàm mortuam propheta dicit: Anima quæ peccat, ipsa morietur. Super hanc ergo animam mortuam Christus non superuenit, quia sapientia est, & sapientia non intrat ad animam maleuolam. Ipsa est enim mortua, quia cui inest malitia, inest & peccatum. Peccatum autem cum consummatum, inquit, fuerit generat mortem. Et propter hoc Iesus non intrat ad animam mortuam. Si autem viuat anima, hoc est, si non habeat in se mortale peccatum, tunc Christus qui est vita, venit ad animam viuentem. Quia sicut lux non potest esse cum tenebris, nec cũ iniquitate iustitia, ita nec vita potest esse cum morte. Et ideo si quis sibi conscius est quod habeat intra se peccatum, neque id à se per pœnitentiam plenissimæ satisfactionis abiicit, non speret quod intret Christus ad animam eius, qui ad omnem animam defunctam nõ intrat, quia magnus sacerdos est. [In patre suo, & matre sua non contaminabitur.] Hic scripturæ locus difficillimus est ad explanãdum, sed si orationibus vestris deum patrem verbi deprecemini, vt nos illuminare dignetur, ipso donante poterit explanari. Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Hoc ipso ergo quod in vulua matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, vt ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel vteri materni? Omnis

ergo

Marginalia: Luc.2; Ephes.4; Liberum Arbitrium; Matth.18; Gen.25; Christus propriè magnus; Psa.19; Ioan.20; Fratres Christi; Psal.45; Oleo terreno Christus non vnctus; Psal.45; Prou.20; 1.Cor.11; Iac.1; Mortale peccatum; Peccatum originis; Iob.25

A ergo homo in patre & in matre pollutus est, solus verò Iesus dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum. Ipse enim erat, qui & dudum per Salomonem dixerat: Magis autem cum essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Non est ergo contaminatus in matre, sed ne in patre quidem. Nihil enim Ioseph in generatione eius præter ministerium præstitit & affectum. Vnde & pro fideli ministerio, patris ei vocabulum scriptura concessit. Sic enim Maria ipsa dicit in Euangelio: Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Sic ergo solus est hic sacerdos magnus, qui neque in patre pollutus sit, neque in matre. Videamus autem si adhuc possumus aliquid sublimius: & pro dignitate tanti pontificis inuenire. Pater omnium verus, dicitur deus. Matrem autem, Apostolus Hierusalem dicit esse cœlestem. Omnes ergo qui peccant, contaminantur in patre à quo creati. Siue enim egimus aliquid impium, siue locuti sumus, siue cogitauimus contra deum, cum non credidimus deo, contaminati sumus in patre. Atque vtinam tunc solum per incredulitatem factum sit, cessatum sit verò postquam credidimus. Sic ergo etiam contaminamur in matre, si credẽtes deo, vel ecclesiam lædimus, vel libertatem matris cœlestis indigna peccati seruitute fœdamus. Solus verò dominus noster Iesus Christus, qui peccatum nescit, neque in B patre, neque in matre contaminatus est, & de sanctis non exiuit. Fuerant quidem nonnulla & in superioribus proponenda Iudæis, ad quæ respondere non possent, sed omissis illis, de hoc interim sermone quid nobis dicant, vel ipsi, vel qui secundũ ipsorum sensum intelligi legem volunt, si hæc ad pontificem nostrum & saluatorem non referantur, quomodo secundum literam probabitur, quod de sanctis non exeat magnus sacerdos, qui vtique & vxorem accipiebat, sicut inferius dicitur, virginem de genere suo? Si de sanctis non exit, si nusquam procedit, quomodo aut ad quos vsus accipere iubetur vxorem? Neque enim putandum est quòd cum vxore intra sancta manere potuerit. Sed hæc putent illi, quibus placent Iudaicæ fabulæ. Nos autem habemus sacerdotem magnum secũdum ordinem Melchisedech Christum Iesum, nunquam de sanctis exeuntem: semper enim in sanctis est, & manet semper sanctus in verbis suis, sanctus in actibus suis, sanctus in omnibus voluntatibus suis, & solus est qui nunquam inueniatur extra sancta. Qui enim peccat, exit de sanctis: & quotiescunque quis peccat, toties efficitur extra sancta. Christus autem qui nunquam peccauit, nunquam exiit de sanctis. Sed & tu qui sequeris Christum, & imitator eius es, si permaneas in verbo dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es, nec vnquam inde discedis. Neque enim in loco C sancta quærenda sunt, sed in actibus, & vita, ac moribus. Quæ si secundum deum sint, & secundum præceptum dei habeãtur, etiam si in domo sis, etiam si in foro: & quid dico in foro? etiam si in theatro inueniaris verbo dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites. Aut non tibi videtur Paulus cum ingressus est theatrum, vel cum ingressus est Areopagum, & prædicauit Atheniensibus Christum, in sanctis fuisse? Sed & cum perambulasset aras & idola Atheniensiũ, vbi inuenit scriptũ ignoto deo, & ex hoc verbo sumpsit Christi prædicationis exordium, etiam ibi aras gentilium lustrans in sanctis positus erat, quia sancta cogitabat. Sed & quicunque custodit se post acceptam gratiam dei ne incidat in homicidium, in adulterium, in furtum, in falsum testimonium, & alia similia: sed permanet mundus ab omni contagione peccati, non exiuit iste de sanctis, & non contaminauit sanctificationem dei sui in semetipso, quia sanctum oleum chrismatis dei sui super ipsum est. Illud oleum, de quo in Exodo scriptum est, quomodo potest secũdum literam proprie oleum dei dici, quod arte myrepsica confectum est à pigmentario? Sed si vis videre oleum dei, audi quem propheta dicat vnctum esse oleo dei, illum sine dubio de quo dicit: Propterea vnxit te deus deus tuus oleo lętitiæ præ participibus tuis. Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo dei vnctus est, & in quo semper sanctum permansit diuini charismatis oleum. Sed quid additur post hæc? [Hic vxorem virginem de genere suo accipiet: viduam autem, & eiectam, & meretricem non accipiet, sed virginem de genere suo, & non contaminabit semẽ suum in populo suo: ego dominus qui sanctifico eum.] Quia D ergo totius expositionis ordo ad verum sacerdotem magnũ reuocatus est Christum, videamus nunc & quid de nuptiis eius intelligi debeat. Paulus apostolus dicit: Volo autem vos omnes vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ in Christo est. Vult ergo Paulus omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo: quod vtique nunquam vellet, nisi id possibile videret. Vnde & mirum fortasse videatur, quomodo hi, qui diuersis peccatis corrupti ad fidem Christi venerunt, omnes simul virgo casta dicantur: quæ virgo tam sancta, tam casta sit, vt mereatur etiam Christi nuptiis copulari. Verum quoniam hæc ad carnis integritatem referre non possumus, certum est quod ad integritatem animæ spectent, cuius secundum ipsius Pauli sententiam, simplicitas fidei quæ in Christo est, virginitas eius appellata est, & per hoc quoniam cessantibus, vel philosophorum sophismatibus, vel superstitionibus Iudaicis in fide simplici Christus sibi adsumpsit ecclesiam, virginem de genere suo accepit vxorem. Huius nanque fidem non corrumpit philosophicus sensus, nec circuncisionis ambitio, sed in simplicitate confessionis tanquam in virginali integritate permansit. Sic enim & dudum promiserat per prophetam dicens: Despõsabo te mihi in fide. Omnis ergo secundum apostolum, qui in Christo est, noua creatura est. Et sicut idem apostolus dicit: Vt exhibeat ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Quomodo ergo eam quæ rugosa est, facit esse sine ruga, nisi quia renouat eam? secundum quod scriptum est. Nam etsi is qui deforis est homo noster corrumpitur, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Viduam sanè, & meretricem, & eiectam non accipiet Christus, nec intrat talis anima thalamum sponsi. Qui enim ingressus fuerit illuc non habens indumẽta nuptialia, perferet illud quod scriptum esse nostis in euangelio. Virginem ergo accipiet, viduam non accipiet, neque meretricem, neque eiectam, aut contaminatam. Meretricem quidem, & abiectam animam, & pollutam cur non suscipiat Christus in coniugium, non est laboris exponere: Vidua verò cur non in vxorem recipiatur, diligentius intuendum est. Paulus apostolus ad Romanos scribens, virum animæ legem dicit, eámque cum mortuus fuerit vir, solutam esse pronunciat à lege viri, vt iam non sit adultera si nupserit Christo. Quod si eueniat, vt lex quidem animæ ipsi moriatur, id est, vt anima discedat à lege, nec tamen constringat se castioris cõnubij disciplinis, & à lege discedens, euangelici dogmatis non suscipiat iugum: hæc nubere Christo non poterit, quæ libertatis lasciuiam quæsierit, non fidei virginalis & simplicis cultum. Hic ergo sacerdos magnus vxorem virginem accipiet de genere suo. Potest & propter hoc dictum videri de genere suo, quod anima Christi ex genere & ex substantia fuerit humanarum omnium animarum. Potest & secundum hoc, quod fratres vocat credentes in se, de genere suo dici anima, quæ in fide tanquam nuptiis sociatur. Illud tamen nolo vos lateat, quod Hebræi negant se scriptum habere, quod nos apud lxx. interpretes inuenimus, de genere suo. Et rectè illi non habẽt scriptum. ablata est enim ab illis propinquitas dei, ablata est adoptio filiorum, & translata est ad ecclesiam Christi. Illi ergo non habent scriptum quia de genere Christi sint, sicut nec esse meruerunt. Nos autem qui hoc scriptum habemus, & legimus, gaudeamus quidem de dignatione dei, sed caute & sollicite curemus, ne nos vita nostra & actus ac mores faciant aliquando degeneres. ne & hoc ipsum nobis ad condemnationem ducatur, quod cum genus simus Christi, indignis, & fœdis, ac diabolicis actibus seruiamus. Qui habet ergo sponsam, sponsus est. Audis quomodo sponsus dicitur Christus, sponsa verò eius anima dicitur, quæ fidei simplicitate, & actuum puritate incorrupta probatur & virgo. Dicit enim dominus & per Hieremiam prophetam: Nonne sicut domicilium me, & patrem vocasti, & principem virginitatis tuæ? Viduam autem, & eiectam, &

Marginalia: Sap. 8. — Luc. 2. — Gal. 4. — Contra primos hæreticos Iudaizantes. — Act. 17. — Exod. 28. — Psal. 45. — Oleum dei. — 2. Cor. 11. — Simplicitas fidei virginitas. — E Osee 2. — Eph. 5. — 2. Cor. 4. — Vir animæ lex. — Rom. 7. — F — Hier. 3.

G contaminatam non accipiet. Si quis noſtrum peccauerit, abiectus eſt, etiam ſi non abiiciatur ab epiſcopo, ſiue quod lateat, ſiue quod interdum ad gratiam iudicetur, eiectus eſt tamen in ipſa conſcientia peccati. Nec prodeſt hominis gratia, cum Chriſtus huiuſmodi animam tãquam abiectam non recipiat in coniugium. Igitur neque viduã (ſicut ſuprà diximus) accipiet, neque eiectã neq; pollutã. Polluta dicitur, quæ etiã ſi non ex integro cõpleuit peccatũ, tamen hoc ipſo quod cogitauit, quod voluit, quod optauit, etiam ſi non admiſit, polluta eſt, & à magno pontifice non eligitur. Valde enim puram, valde mundam, & ſynceram requirit animam, quam ſibi iungat: quia qui ſe iunxerit domino, vnus ſpiritus eſt. Vnde etiã hoc oſtenditur, quod ſint differentiæ peccatorum & qui peccauerit peccatum ad mortẽ abiectus ſit: qui autem non peccat ad mortem, ſed inferius aliquid, pollutus ſit. Sponſa autem Chriſti, neque abiecta, neque polluta poteſt eſſe, ſed virgo, incontaminata, incorrupta, & munda. Memento enim ſermonis apoſtolici, quem paulo ante propoſuimus, dicentis: Vt exhibeat ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. *Eph.5.* Sed & meretricem nõ accipiet. Quæ eſt anima meretrix? quæ ad ſe recepit amatores, de quibus dicit propheta: meretricata es poſt amatores tuos. *Hier.2.*

H Qui ſunt iſti amatores qui intrant ad animam meretricem, niſi contrariæ poteſtates, & dæmones, qui deſiderium capiũt pulchritudinis eius? Pulchra nanque à Deo creata eſt anima, & ſatis decora. Audi quomodo ipſe deus dicit: *Gen.1.* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Vide cuius decoris, cuius pulchritudinis eſt anima quæ imaginem habet & ſimilitudinem dei. Hanc pulchritudinem contrariæ poteſtates cum aſpiciunt, id eſt, diabolus & angeli eius, concupiſcunt ſpeciem ipſius: qui quia non poſſunt ſponſi eius fieri, meretricari cupiunt cum ea. Si ergo ſuſceperis ô homo in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata eſt anima tua cum diabolo. Si receperis angelos eius, ſi ſpiritus diuerſos, qui peccare te ſuadẽt, meretricata eſt cum eis anima tua. Si ſpiritus iræ, ſi inuidiæ, ſi ſuperbiæ, ſi impudicitiæ, ingreſſus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, & cõſenſeris ei loquenti in corde tuo, delectatus fueris his quę tibi ſecundum ſuam mentem ſuggerit, meretricatus es cum eo. Meretricẽ ergo non accipiet ſacerdos magnus, & non contaminabit ſemen ſuum in populo ſuo. Quod eſt iſtud ſemen quod contaminari non vult? In Euangeliis ſcriptum eſt: *Matth.13. Semen verbi dei.* Qui ſeminat, verbum ſeminat. Non vult ergo contaminari verbum dei ab his qui ſeminant. Qui ſunt ergo qui ſeminãt? qui verbum dei in eccleſia proferunt.

I Audiant ergo doctores, ne forte animę contaminatæ, animæ meretricanti, animæ infideli verba dei credant, ne forte mittant ſanctum canibus & margaritas ante porcos: ſed animas mundas, virgines in ſimplicitate fidei quæ in Chriſto eſt, eligant, ipſis committant ſecreta myſteria, ipſis verbũ dei, & arcana fidei proloquantur, vt in ipſis Chriſtus formetur per fidem. An neſcitis quia ex iſto ſemine verbi dei quod ſeminatur, Chriſtus naſcitur in corde auditorum? *Gal.4.* Hoc enim apoſtolus dicit: Donec formetur Chriſtus in vobis. Concipit ergo anima ex hoc verbi ſemine, & conceptum format in ſe verbum, donec pariat ſpiritum timoris dei. *Eſa.26.* Sic enim per prophetam dicunt animæ ſanctorum. A timore tuo domine concepimus in vtero, & parturiuimus, & peperimus ſpiritũ ſalutis tuę quẽ fecimus ſuper terram. Iſte eſt ſanctarum animarum partus, iſte conceptus, iſta ſunt ſancta coniugia, quæ conueniunt & apta ſunt magno pontifici Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

De diebus feſtis, & lucerna, & candelabro, & oleo ad lumen, & de menſa, & panibus propoſitionis. ex Leuit. Cap. XXIII. Homilia 13.

QVI perfectus eſt, ab ipſo deo docetur de ſolẽnitatũ ratione, & homine ad hæc diſcenda magiſtro non vtitur, ſed à deo diſcit, ſi quis poteſt capere dei vocẽ. Qui autẽ nõ eſt talis, ſed inferior, diſcit ab eo qui didicerit à deo. Hæc ergo eſt de ſolẽnitatibus duplex quædã ratio doctrinæ. K Vna, qua illuminata per ſpiritũ prophetica mens docetur, quæ (vt ita dicam) magis intuitu mentis diſcitur, quàm ſono vocis, per quam veritas ipſa, non vmbra & imago veritatis agnoſcitur. Hi verò, qui ipſam dei claritatem capere non poſſunt, nec totum fulgorẽ veritatis intenta mentis acie conſpicari, audiunt de ſolennitatibus ſecundo loco ab his, qui primo didicerunt: & cum illis veritatem rerum ipſa inſpectionis proprietas dederit, ad iſtos veritatis vmbram profert ſolus auditus. Huius myſterij Apoſtolus conſcius dicebat de Iudæis, quia vmbræ & exemplari deſeruiũt cœleſtium. Ipſa enim cœleſtia Moyſes vidiſſe deſcribitur, typos autem & imagines eorũ quæ viderat, populo tradidiſſe. Sic enim ad eum diuinum dicit eloquium. Vide inquit, omnia facito ſecundum formam, quæ oſtenſa eſt tibi in monte. Tale ergo eſt, quod & in hoc loco recitatum eſt, quia dominus locutus fuerit de ſolennitatibus ad Moyſen. & poſt hæc: [Et locutus eſt Moyſes, inquit, de diebus ſolennibus domini dei filiis Iſrael.] *Heb.8.* Tranſacto verò de his ſermone videamus quid poſt hæc edocetur Moyſes. Primo de lucerna, & candelabro, & oleo quod ei infunditur: Secundo loco, de menſa, & panibus propoſitionis, ac numero eorum, & qui eis vti debeant. *Exod.25.* Intendamus ergo animum diligentius his quæ ſcripta ſunt, & ad hæc dignoſcenda concedi nobis gratiã domini deprecemur, vt in his quæ legimus literis, quæ ſit volũtas ſancti ſpiritus agnoſcamus. [Præcipe, inquit, filiis Iſrael, vt deferant tibi oleum de oliuis mundum expreſſum L ad lumen, vt ardeat lucerna ſemper extra velum in tabernaculo teſtimonij, & accendent illam Aaron & filij eius à veſpere vſque in mane contra dominum indeſinenter, legitimum æternale in progenies veſtras. In candelabro mundo accendetis lucernas contra dominum vſque mane.] Candelabrum mundum nominat, lucernas accendi per pontificem iubet, & earum lumen miniſtrari ex oleo quod datur à populo præcepit. Itaque niſi dederit oleum populus, ſine dubio extinguetur lucerna, & non erit lumen in ſanctis. Secundum literam ergo hæc erat conſequentia, vt conferret populus oleum mundum de oliuis expreſſum, vt ex eo miniſtraretur lumen lucernæ: & Aaron accẽdebat lucernas à veſpera vſque mane, fomentis olei quod contulerat populus, lumini pabulum præbens. Verum quoniam lex ſpiritalis eſt, petamus à domino (ſi tamen conuerſi ſimus ad dominum) auferri nobis velamen de lectione veteris teſtamenti, vt poſſimus aduertere quæ ratio ſit cãdelabri, vel lucernarum eius, ſecundum intelligentiam ſpiritalem.

M Ante aduentum domini mei Ieſu Chriſti, ſol non oriebatur populo Iſrael, ſed lucernæ lumine vtebatur. Lucerna enim erat apud eos ſermo legis, & ſermo propheticus, intra anguſtos concluſa parietes, quę non poterat in orbem terræ lumen effundere, intra Iudæam nanque concludebatur ſcientia dei, ſicut & propheta dicit: Notus in Iudæa Deus. Vbi verò exortus eſt ſol iuſtitiæ dominus & ſaluator noſter, & natus eſt vir de quo ſcriptum eſt: Ecce vir, Oriens nomen eſt ei, per vniuerſum mundum ſcientiæ dei lumen effuſum eſt. Sermo ergo legis, & ſermo propheticus erat lucerna ardens, ſed ardebat intra ædem, nec vltra poterat emittere ſplendorẽ ſuum. Quod autẽ ſermo legis & prophetarũ lucerna dicatur, dominus ipſe nos docuit dicens de Ioanne baptiſta. Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluiſtis ad horam exultare in lumine eius. Et alibi dicit, quia lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Lucerna itaque ardens eſt Ioannes, in quo lex cõcluditur & prophetæ. Donec ergo populus ille habebat oleum quod conferret ad lumen, lucerna non eſt extincta. Vbi verò defecit in eis oleum miſericordiæ, oleum operum bonorum, nec inuenta eſt apud eos puritas, purum nanque oleum quærebatur ad lumen, & quia defecit in eis oleum miſericordiæ, neceſſario extincta lucerna eſt. Sed quid dicemus quia illis hæc euenerunt, à nobis verò aliena ſunt iſta? Imo maior cura eſt Chriſtiano olei conquirendi. *Matth.11.* Vide enim quomodo dominus in euangeliis per parabolam ſtultas virgines nominat, quæ oleum non portabant in vaſculis ſuis: & intantum ſtultas, vt quoniam defuit eis oleum ad ſuccendendas lampades ſuas, thalamis excluſæ ſint nuptiarum, nec pulſantibus quæ olei curam neglexerant, vltra ape-

A riri iusserit sponsus. Memini tamen dudum nos cum centesimi decimi octaui psalmi exponeremus illum versiculum, in quo scriptum est: Lucerna pedibus meis lex tua domine & lumen semitis meis, diuersitatem lucernæ, & lucis pro viribus ostendisse. Dicebamus enim quod lucernam quidem pedibus, id est, inferioribus corporis partibus deputarit, lucem verò semitis dederit, quæ semitæ in alio loco semitæ æternæ nominantur. Quia ergo secundum quandam mysticam rationem inferiores partes creaturæ mundus hic intelligitur, ideo lucerna legis his, qui in hoc mundo tanquam totius creaturæ pedes sunt, accensa memoratur. Lux autem æterna erit illis semitis, per quas in futuro seculo vnusquisque pro meritis incedet. Sed de his in suo loco sufficienter pro nostris viribus dictum est. Nunc ergo quoniam vespera est & nox vsque ad consummationem seculi, & vsquequo nouus dies futuri seculi & nouæ lucis effulgeat, ardet vnicuique nostrum lucerna hæc, intantum splendorem luminis præbens, quantum olei copia vbertate operum fuerit ministrata. Denique & Iob in quodam loco, cum bona operum suorum exponeret, addidit etiam hoc. Cum splenderet, inquit, lucerna super caput meum. Splendet ergo vnicuique nostrum lucerna hæc, inquantum oleo bonorum operum fuerit accensa. Si autem male agamus, & opera nostra mala sint, nõ solũ nõ accendimus, sed extinguimus nobis istam lucernam: & completur in nobis illud, quod scriptura dicit: quia qui male agit, in tenebris est, & qui odit fratrem suum, in tenebris ambulas. Extinxit enim lucernam charitatis, & ideo in tenebris ambulat. An non tibi videtur extinxisse lucernam, qui lumen charitatis extinxit? Qui autem diligit fratrem, in charitatis luce perdurat, & cum fiducia potest dicere: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, & filij eius sicut oliua nouella in circuitu mensæ eius. Oleum ergo offerri iubetur à populo, & leum non qualecunque, sed mũdum, & non ex quibuscunque seminibus (vt fieri diuersis in regionibus mos est) sed de oliuis expressum, in quibus indicium pacis ostenditur. Neque enim accepta possunt esse deo opera tua, nisi in pace peragantur: sicut & Iacobus Apostolus dicit: Fructus autem iustitiæ in pace seminatur. Et idcirco credo etiam dominus discipulis suis tradebat fidele depositum dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. De hac ergo oliua oleum premamus operum nostrorum, ex quo lucerna domino possit accendi, vt non in tenebris ambulemus. Hæc quidem à nobis dicta sunt, quantum ad lucernam candelabri & oleum eius spectat. Nunc verò videamus quid etiam in consequentibus de panibus propositionis scriptum sit. [Et sumetis, inquit, similaginem, & facietis de ea duodecim panes. De duabus decimis erit vnus panis, & imponetis eos duas positiones, sex panes vna positio super mensam mundam contra dominum. Et imponetis super positionem thus mundum, & salem, & erunt panes in commemoratione appositi domino: die sabbatorum proponentur contra dominum semper à filiis Israel, in testamentum æternum. Et erunt Aaron, & filiorum eius, & edent ea in loco sancto: sunt enim sancta sanctorum. Hoc erit illis de eis quæ offeruntur domino legitimum æternum.] Secundum ea quæ scripta sunt, in duodecim panibus duodecim tribuum Israel videtur commemoratio ante dominum fieri, & præceptum dari, vt sine cessatione isti duodecim panes in conspectu domini proponãtur: vt & memoria duodecim tribuum apud eum semper habeatur, quo veluti exoratio quædam & supplicatio per hæc pro singulis fieri videatur. Sed parua satis & tenuis est huiuscemodi intercessio. Quantum enim profecit ad repropitiandum, vbi vniuscuiusque tribus per panem fructus, per fructus opera consideranda sunt? Sed si referantur hæc ad mysterij magnitudinem, inuenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panem qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam: illum panem propositionis, quem proposuit deus propitiationem per fidem in sanguine eius: & si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit dominus, Hoc facite in meam commemorationem: inuenies quod ista est commemoratio sola, quæ propitium faciat hominibus deum. Si ergo intentius ecclesiastica mysteria recorderis, in his quæ lex scribit, futuræ veritatis inuenies imaginem præformatam. Sed de his non est plura differere, quod recordatione sola intelligi sufficit. Possumus verò & aliter dicere. Omnis sermo Dei panis est, sed est differentia in panibus. Est enim aliquis sermo, qui ad communem proferri possit auditum, & edocere plebem de operibus misericordiæ, aut totius beneficentiæ, & iste est panis qui communis videbitur. Est verò alius, qui secreta contineat, & de fide dei & rerum scientia differat. Iste panis mundus est, & ex simila confectus. Iste in conspectu domini ponendus est, super mensam mundam proponendus. Iste solis sacerdotibus sequestratus est, & filiis Aarõ æterno munere condonatus. Verum ne putes hæc nos propriis sensibus excogitata narrare, & non in diuinis obseruasse voluminibus, proferam tibi de scripturis quomodo apud diuersos viros, panis diuersitas pro merito vniuscuiusque seruata est. Refertur in Genesi quod Abraham patriarcha angelos suscepit hospitio, similiter autem & Loth. Sed Abraham, qui meritis præcellebat, panes ex simila apposuisse describitur, quos & ἐγκρυφίας id est, occultos ac reconditos nominauit. Loth verò eo quod non habuit similam, ex farina panes hospitibus apposuit: non quòd ita pauper esset, & non habuerit similam, qui in diuitiis non inferior patruo scribitur: sed vtriusque meritorum differentia per hæc designantur indicia: quod is quidem cui erant à Domino mysteria reuelanda, & ad quem dicebatur, non celabo à puero meo Abraham quod facturus sum, qui imbuendus erat, & edocendus de occultis & secretis dei, ille panes ex simila scribitur habuisse: ille verò ad quem nihil sacramenti deferebatur, sed ratio præsentis salutis & vitæ, panes cõmunes ex sola farina scribitur habuisse confectos. Et tu ergo si habes scientiam secretorum, si de fide dei, de mysterio Christi, de sancti spiritus vnitate potes scienter cautéque disserere, panes ex simila offers domino. Si verò communibus vteris ad populum monitis, & moralem scis tantummodo locum tractare qui ad omnes pertinet, communem te obtulisse noueris panem. Sed videamus iam quæ sit confectio in istis panibus propositionis, qui ante dominum poni semper iubentur. [De duabus, inquit, decimis sit panis vnus.] Duas quidem decimas dixit, sed cuius mensuræ sint istæ decimæ non cõprehendit: cum vtique consequens fuisset, si de quantitate similæ volebat agnosci, ipsam cuius decimas sumi iubebat, nominare mensuram. Quæ ergo ista res est, cuius mensura & modus nec comprehendi potuit nec numerari? Decem numerus vbique perfectus inuenitur. Totius enim numeri ex ipso ratio & origo consurgit. Competenter igitur auctor & origo omnium Deus, sub hoc numero videtur ostendi. Sed si in ecclesia de solo patre loquar, & ipsius solius laudes proferam, vnius decimæ panem feci. Aut si de Christo solo fecero sermonem, & ipsius enuntiauero passionem, & resurrectionem prædicauero, vnius decimæ obtuli panem. Si verò dixero quia pater cum filio semper est, & ipse facit opera sua: vel etiã si dixero, quia pater in filio est, & filius in patre, & qui videt filiũ, videt & patrem, & quia pater & filius vnũ sunt: ex duabus decimis similæ mundæ obtuli vnũ panẽ: panẽ verũ qui vitam dat huic mundo. Hæretici non faciunt de duabus decimis vnum panem: negant enim creatorẽ deum, patrem Christi esse, neque vetus & nouum testamentum vnum faciunt panem, nec vnum spiritum in vtroque instrumento profitentur. Nos autem in lege, & Euangeliis vnum atque eundem inesse sanctum spiritum dicimus, & isto quoque modo ex duabus decimis vnum panem propositionis offerimus. Qui ergo separãt Christum à creatore Deo patre suo hæretici, & Iudæi qui solum patrem recipiunt, & verbum & sapientiam eius Christum non recipiunt, non faciũt ex duabus decimis vnum panem. Nos autem mensuræ quidem ipsius, id est, substantiæ nomen vel rationem comprehendere aut inuenire non possumus: confitentes tamen patrem, & filium, vnum facimus panem ex duabus decimis: nõ vt panis vnus ex vna decima fiat, & alius ex alia, vt sint ipsæ duæ decimæ, separatæ, sed sint duæ istæ decimæ vna massa, & vnus panis. Quomodo duæ decimæ vna massa fit? quia non separo filium à patre, nec patrem à filio. Qui enim vi-

Psalmos interpretatus est Orig. — *Iob. 29.* — B — *1. Ioan. 2.* — *Iacob. 3.* — *Ioan. 14.* — C — *Panes propositionis panis Eucharistiæ.* — *Matt. 25.*

D — *Plura de mysterio eucharistiæ non sermocinabantur veteres in cõcionibus ob præsentiam cathecumenorũ & gentiliũ* — *Gen. 18.* — *Non omnia ad populũ proferenda.* — E — *Ibid.* — *Plus est habere scientiam mysteriorũ quàm moralem locum scripturæ tractare.* — *Denarius perfectus.* — F — *Ioan. 14.* — *Cõtra Marcionitas.*

G dit me, inquit, vidit & patrem. Fiunt ergo panes singuli ex duabus decimis, & proponuntur duabus positionibus, id est duobus ordinibus. Si enim vna positio fieret, confusus & permixtus esset sermo de patre ac filio. Nunc autem vnus quidem est panis, vna enim voluntas est & vna substātia: sed duæ sunt positiones, id est, duæ personarum proprietates. Illum enim patrem, qui non sit filius, & hunc filium dicimus, qui non sit pater. Et hoc modo duas decimas in vno pane seruamus, & duas positiones ante dominū profitemur. Sed reuera magni (vt ita dicam) cuiusdam pistoris, & valde artificiosi est, diligenter istas seruare mensuras, & ita temperare de patre & filio sermonem, & coniungere vbi oportet, & rursum vbi competit separare, vt neque duæ mensuræ aliquando desint, neque vnquam nisi vnus panis appareat. Duodecim ergo panes ex ista simila fieri mandantur secundum numerum tribuum quæ tunc erant carnalis Israel. In quo mihi videtur forma totius creaturæ rationalis contineri. Duodecim nanque putātur esse generales ordines rationalis creaturæ, quorum figura erat in illis duodecim tribubus. In quibus erat vnus quidam ordo regalis, qui Iudas nominatur. Alius erat ordo sacerdotalis, & Leui appellatur. Erat & alius ordo Iudæ vicinus, qui Beniamin dicitur, in quo ordine & templum dei, & altare collocatum est. Alius ordo H Isachar, & Zabulon, & Effrem, aliisque, quos nominatim designat scriptura diuina, quorum rationem non est nūc temporis explicare. Est tamen vniuscuiusque tribus, vel ordinis panis ante dominum. Et licet sit aliqua tribus, quæ non ex libera sed ex concubina Israel descendat, & ex parte libera, ex parte seruilis sit, tamen pro omnibus ex duabus decimis panis proponitur ante dominum, & in vniuersis duæ decimæ similaginis constant. Proponi autem iubētur supra mensam mundam. Quis autem nostrum, qui ita habeat mensam mundam, vt panes super eam domino offerantur? Si sederis (inquit Salomon) cœnare ad mensam potentis, intelligibiliter intellige quæ apponūtur tibi. Quę est ergo mēsa potentis, nisi mēsa illius qui dicebat: Omnia possū in eo qui me cōfortat Christo, &: cum infirmor, tunc potēs sum? In istius potētis mensa mūda: hoc est in istius corde, in ipsius mēte, Domino panis offertur. Ad huius potentis Apostoli mensam si sedes cœnaturus, intelligibiliter intellige quæ apponuntur tibi, hoc est, spiritaliter aduerte quæ dicuntur ab eo, vt & tu facere possis quod additur. Ait enim: Sciens quia talia te oportet præparare. Sed videamus quomodo hi duodecim panes proponantur: [Duę, inquit, positiones, in vna positione sex panes.] Putásne otiosa sit ista diuisio? Quid est quod duodecimus numerus iterum partitur in sex? Habet enim propinquitatem quandam cum hoc mundo Senarius I numerus. In sex enim diebus factus est iste visibilis mundus. Duo igitur ordines habentur in hoc mundo, id est, duo populi, qui fidem patris ac filij in vna ecclesia tanquam in vna mensa munda custodiunt. [Et superponitur, inquit, super positionem thus mundum.] Thuris species formam tenet orationum. Oportet ergo panibus fidei, orationum vigilantiam puritatémque coniungere. Pura autem oratio est, sicut Apostolus dicit: Leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & odoris suauitas implere facit illud quod scriptum est: Dirigatur oratio mea sicut incensum in cōspectu tuo. Si quis ergo orationes quidem offerat deo, non tamen habeat mundam conscientiam ab operibus malis: hic thus quidem videtur panibus superponere, sed non ponit thus mundum. Nam si omne thus mundum esset, non vtique addidisset scriptura, Thus mundum super panes propositionis ponendum ante dominum. Nec enim putes quod omnipotens Deus hoc mandabat, & hoc lege sanciebat, vt thus ei ex Arabia deferretur. Sed hoc est thus quod Deus ab hominibus sibi quærit offerri, ex quo capit odorem suauitatis, orationes ex corde puro, & conscientia bona, in quibus vere Deus suscipit fragrantiam suauitatis. [Eterunt, inquit, panes in commemorationem propositi ante dominum. In die sabbatorum proponetis ea.] Si nondum tibi manifestum erat quia panes isti verbum dei est, ex his nunc sermonibus confirmare. Quid est enim quod nobis cōmemorationem Dei faciat? Quid est quod nos ad memoriam iustitiæ, & totius boni reuocet, nisi verbum dei? Ideo ergo dicit, quia erunt in K cōmemorationem propositi ante dominum. Addit & in die sabbatorum, id est, in requie animarum. Et quæ maior fideli animæ requies quàm memoria dei? quàm in conspectu dei versari? quàm in fide patris ac filii permanere? quàm orationes domino tanquam odorem suauitatis offerre: [Testamentum, inquit, æternum erit Aaron & filiis eius, & manducabunt ea in loco sancto.] Aaron & filij eius genus est electum, genus sacerdotale, quibus hæc portio sanctorum donatur à deo, quod sumus omnes qui credimus in Christo. Locum autem sanctū ego in terris non requiro positum, sed in corde. Locus enim dicitur sanctus, rationalis anima, propter quod & Apostolus dicit: Nolite locū dare diabolo. Anima ergo mea locus est si male ago, diaboli: si bene, Dei. Denique & spiritus malignus cum, inquit, exierit ab homine, & circuerit loca arida, & requiem non inuenerit, tunc dicit: Reuertar ad locum meum vnde exiui. Locus ergo sanctus anima est pura. In quo loco edere nobis mandatur cibū verbi dei. Neque enim conuenit vt sancta verba anima nō sancta suscipiat: sed cum purificauerit se ab omni inquinamēto carnis & morum, tunc locus sanctus effecta capiat panem illum qui de cœlo descendit. Nónne melius sic intelligitur locus sanctus, quàm si putemus structuram lapidum insensibilium locum sanctum nominari? Vnde simili modo etiam tibi lex ista proponitur, vt cum acceperis panem mysticum in loco mundo manduces eum: hoc est, ne anima contaminata, & peccatis polluta dominici corporis sacramenta percipias. Quicunque enim manducauerit, inquit, panem, & L biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem se vnusquisque, & tunc de pane manducet, & de calice bibat. [Sancta enim sanctorum sunt.] Vides quomodo non dixit sancta tantummodo, sed sancta sanctorum: vt si diceret, cibus iste sanctus nō est communis omnium, nec cuiuscunque indigni, sed sanctorū est. Quāto magis hoc & de verbo dei recte meritóque dicemus, hic sermo non est omnium, nec cuiuscunque, sed sanctorum est? Non quilibet verbi huius potest audire mysterium, nam tantummodo qui purificati sunt mente, qui mundi sunt corde, qui simplices animo, qui vita irreprehensibiles, qui conscientia liberi, ipsorum est de hoc audire sermonem, ipsis possunt explanari ista mysteria. Vobis enim datum est, inquit, nosse mysterium regni dei: illis autem, id est, qui non merentur, qui non sunt tales vt mereantur, nec capaces esse possunt ad intelligentiam secretorum: illis non potest dari ille sacerdotalis panis, qui est secretus, & mysticus sermo, sed in parabolis, qui communis est vulgi. [Legitimum eternale hoc erit.] Legitimum nanque & æternum est omne quod mysticum est. Nam præsentia hæc & passim visibilia, temporalia sunt, & finem cito accipiunt. Præterit enim habitus huius mundi. Quod si huius mundi præterit, sine dubio & literæ habitus præterit, & manent illa quæ æterna M sunt, quæ sensus continet spiritalis. Si ergo intelleximus primo quomodo deus loquebatur ad Moysen, & Moyses filiis Israel, secundo etiam rationem candelabri mundi, & lucernarum, atque olei eius: tertio quoque panes propositionis ex duabus decimis singulos quosque confectos si secūdum voluntatem spiritus intelleximus, demus operam quomodo & nos hoc tanto & tam sublimi intellectu non efficiamur indigni: sed vt anima nostra prius fiat locus sanctus, & in loco sancto capiamus sancta mysteria per gratiam spiritus sancti, ex quo sanctificatur omne quod sanctum est. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Marginalia: *Vna substātia panis et filii, sed duæ personarum proprietates.* — *Prouerb. 23* — *Phil. 4.* — *2. Cor. 12.* — *1. Tim. 2.* — *Psal. 140.* — *Panes propositionis verbū dei.* — *Eph. 4.* — *Mat. 12.* — *Eucharistia* — *1. Cor. 11.* — *Matt. 13.*

De filio mulieris Israeliticis, & Aegyptij patris, qui nominans nomen, maledixit, & de sententia dei lata in eum.
Cap. XXIIII. Homilia XIIII.

HISTORIA nobis recitata est, cuius quamuis videatur aperta narratio, tamen nisi diligentius continentiam eius quæ est secundum literam cō sequamur interior nobis sensus haud facile patebit. Est ergo scripturę sermo de quo differendum est hic. [Et exiit, inquit, filius mulieris Israelitidis, & hic erat filius Ægyptij inter

A ptij inter filios Israel: & litigauerũt in castris, is qui erat ex Israelitide muliere, & homo Israelita, & nominãs filius mulieris Israelitidis nomen maledixit: & adduxerũt eum ad Moysen, & nomẽ matris eius Salomith, filia Dabri, ex tribu Dan, & miserunt eum in carcerem, vt iudicarent de illo per præceptum domini. Et locutus est dominus ad Moysen dicens: Eiice illum qui maledixit extra castra, & imponent omnes qui audierunt manus suas super caput eius, & lapidabit eum omnis synagoga.] Videamus ergo primo quid sibi velit historia quam proposuimus, & quamuis plana videatur, tamen adhuc euidentius eam tentemus sub oculis ponere. Ponamus ergo vnum ex patre & matre Israelitici nominis generositate gaudentem: alium ex matre tantum, non etiam ex patre, & velut ex parte nobilem, & ex parte non patris, quæ vtique melior videtur, sed matris, quæ inferior est. Si enim pater fuisset Israelita, & mater Ægyptia, esset aliquid amplius. hoc enim fuerant Manasses & Effrem. Nunc verò scriptum est, quia filius sit mulieris Israelitidis, & Ægyptij patris. Si ergo diligenter secutus es duos istos viros, vnum ex integro nobilem, alium ex parte, intuere nunc eos litigantes adinuicem: in qua lite is qui patre Ægyptio, & matre sola Israelitide genitus videtur, nominans maledixerit, & ob hoc perductus sit is qui maledixerat, ad Moysen. Moyses verò B neque absoluere eum ausus est, neque condemnare sine deo. tradidit enim eum custodiæ vsquequo à deo acciperet responsum quid velit fieri de eo. Hæc est historiæ continentia, nunc autem videamus quæ sit in ea spiritalis ratio, quæ ædificare debet ecclesiam. Primo omnium sermo dicit, quia exiit filius mulieris Israelitidis, & Ægyptij patris, & vnde vel quo exierit, non refert. Inueniuntur enim ambo in castris positi, sicut indicat sermo domini dicens: Educ hominem qui maledixit foras extra castra.] Si ergo de castris educitur, necessario in castris erat. Quid ergo est quod cum nondum exisset de castris, dicit de eo scriptura diuina, & exiit filius mulieris Israelitidis? Ego puto quia docere nos vult sermo diuinus, quod qui peccat, dupliciter exire dicitur. Primo enim exit à proposito bono, & recta sententia, exit à via iustitiæ, exit à lege dei. Postmodum verò cum cõfutatus fuerit pro peccato, exit etiam de cœtu & congregatione sanctorum. Vt si verbi causa dicamus peccauit aliquis fidelium, iste etiam si nondum abiiciatur per episcopi sententiam, iam tamen per ipsum peccatum quod admisit, eiectus est: & quamuis intret ecclesiam, tamen eiectus est, & foris est segregatus à consortio & vnanimitate fidelium. Exiit ergo filius patris Ægyptij, & matris Israelitidis. Qui penitus extra fidem est, totus Ægyptius est. Qui autem inter nos est, & peccat, ex vna quidem parte qua Deo credit, Israeliticæ videtur originis: ex ea verò parte qua peccat, de Ægy- C ptio genus ducit. Duos ergo scriptura proposuit litigantes, vnum ex integro Israelitam, qui litigauit quidem sed non peccauit: istum verò cuius peccatum designat, maxima ex parte mixtum esse Ægyptio generi indicat aduersum quem litigat Israelita, & forte competenter, & rationabiliter litigat. Nam & in Exodo Israelita & Ægyptius litigant, vbi Israelita superat, Ægyptius cadit. Igitur & ego hodie si veritatem defendam, si pugnem pro ecclesiastica fide aduersum eum, qui ex parte quidem credit Christo, & recipit scripturas, sed non integre sensum earum nec fideliter recipit: litigo aduersum eum, qui ex matre quidem Israelita est, ex patre verò Ægyptius. Si quis ergo & fidei credulitate: & nominis professione Christianus est & catholicus, iste ex vtraque parte Israelita est. Qui verò professione quidem Christianus est, intellectu autem fidei hæreticus & peruersus est, iste matrem quidem Israelitidem, patrem verò Ægyptiam habet. Quomodo ergo hoc accidit? Cum scripturas quis legit, & literam quidem sequitur, intellectum autem repudiat spiritalem, hic matrem quidem Israeliticam habet, id est, literam: sensum verò quia spiritalem non sequitur, sed carnalem, isti est Ægyptius pater: & ideo aduersum ecclesiasticum & catholicum litigat, id est contra eum qui ex vtraque parte Israelita est, qui & secundum literam Israelita est, & secundum spiritum; quia ipse secundum literam quidem Israelita est, secundum spiritum verò Ægyptius. Quid ergo est vtrisque litigantibus? Necessario ille qui carna- D lem sequitur sensum, tanquam de Ægyptio genus ducens, nomen nominat, & maledicit. nominat enim nomen dei, & cum maledicto nominat: negat enim eum creatorem esse mundi, negat esse patrem Christi. Nos verò qui ex vtroque genere Israelitæ sumus, & literam, & spiritum in scripturis sanctis defendimus, & litigamus aduersum eos, qui ex media parte Israelitæ videntur, & dicimus quia neque secundum literam maledici oportet, neque secundum spiritalem intelligentiam blasphemari. Maledicus enim non solum in deum, sed etiam in proximum Apostoli Pauli sententia à regno dei excluditur. Vide enim quomodo dicit Apostolus: Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici regnum Dei possidebunt. Videte inter quæ crimina, inter adulteros, inter masculorum concubitores, inter auaros, quos alibi dicit idolis seruientes, etiam maledicos posuit, & à regno dei pariter cum illis exclusit. Videant ergo si qui os suum quotidiana pene consuetudine hoc vitio insuescunt, quid eis periculi immineat. Putantes enim leue & facile hoc esse peccatum non facile cauent, sed considerent Apostolum quomodo maledicum à regno dei excludit, & Deus per Moysen quomodo maledicum puniri iubet. Vnde & ego valde admiratus sum, quod in hoc loco quem E habemus in manibus, scriptura non aperte designauit, quia iste qui ex Ægypto genus ducit, maledixerit deum, sed tantum posuit quia nominans maledixerit, & reliquit in medio vel de deo, vel de homine suspicandum. Vnde mihi videtur idcirco noluisse aperte de Deo pronunciare, ne de hominibus videretur dedisse licentiam, & ideo vel de deo vel de homine siluisse, vt de vtroque caueretur. Verum quoniam sententiam apostoli proposuimus, qui dicit maledicos à regno dei excludendos, aliquid exposcit iste sermo solatij ne omnino desperationem videamur indicere iis, qui quotidiana pene male discendi consuetudine rapiuntur, & ori suo adhibere custodiam vel ostium negligunt. Promissionis futuræ non vnus est modus, neque simplex species: sed sicut docuit ipse dominus in Euangelio, cum beatos dicit pauperes spiritu, & ipsorum dicit esse regnum cœlorum. Et item beatos dicit mites, nec tamen eis cœlorum regna, sed terræ hæreditatem promittit. Dicit beatos & pacificos, sed ne ipsis quidem cœlorum regnum dedit, filios tamen eos dei esse pronunciat. Et cum diuersis diuersa repromittat, omnes beatos dicit qui ad promissa peruenerint, non tamen omnibus cœlorum regna promisit. Potest ergo fieri, vt aliquis in cæteris forte operibus & actibus emendatus sit & perfectus, subrepatur ei tamen aliquando oris vitio, lapsúque sermonis: huic licet non promittantur regna cœlorum, nequaquam tamen, si doleat, beatitudinis abscinditur locus, qui vtique in regno cœlorum est. Veruntamen eo magis si quis in cæteris per- F fectus est, cauere debet, ne ei subrepens prauæ consuetudinis vitium dum emendare negligit, à beatitudinis regno penitus excludatur. Possumus adhuc addere etiam illud, quod natura peccati similis est materiæ quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus Apostolus à peccatoribus dicit, qui supra fundamentum Christi ædificant ligna, fœnum, stipulam. In quo manifeste ostenditur esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diu non potest immorari. Alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardius quam in stipulis immoretur. Alia verò esse, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinũ & grãde pabulũ ignis inueniat. Ita ergo vnũquodq; peccatũ pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarũ iusta persoluit. Veruntamen quid opus est fidelibus, & his qui cognouerũt deũ, de pœnarũ qualitatib⁹ cogitare? Quid opus est ligna, quid fœnũ, quid vel ipsam stipulã fundamẽto Christi superponere? Cur non magis aurũ, vel argentũ, vel preciosos lapides, precioso superponimus fundamento, vbi cũ ignis accesserit, nihil inueniat quod absumat? Nam si accesserit ad stipulam, ex stipula fauillas reddet & cineres. Si verò accesserit ad aurum, aurum purius reddet. Hæc nobis dicta sint pro his, qui negligunt oris

Excõmunicatio.

Exod.20.

Et literam & spiritum scripturæ defendit Origenes.

1.Cor.6.

Promißionis nõ vnus modus.

Mat.5.

1.Cor.3.

G maledici cōsuetudinem resecare: qui etiā si nō ex corde maledicant, etiam si non voto & animo iniquo proferant maledicta, tamen immunditiam labiorum secundum Esaiæ verbum, & inquinamenta oris incurrunt. Iste tamen qui licet matre Israelitide, Ægyptio tamen patre progenitus est, exiit, & nominans nomen maledixit. de quo ego puto quod nisi exisset, nec litigasset aduersum verum Israelitem, nec nominans maledixisset. Exiit enim à veritate, exiit à timore dei, à fide, à charitate, sicut superius diximus, quomodo per hæc quis exeat de castris ecclesiæ, etiam si per episcopi vocē minime abiiciatur. Sicut econtrario interdum fit, vt aliquis non recto iudicio eorum qui præsunt ecclesiæ depellatur, & foras mittatur. Sed si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit vt interdum ille qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui intus retineri videtur. Vis tibi ostendam & alium, qui à nullo eiectus exisse dicitur? Scriptū est de Cain, quia exiit à facie dei. Quo exiit à facie dei? Vbi enim non erat facies dei? Sed exisse dicitur, pro eo quod legem naturæ egressus est, & ignaram tanti sceleris terram fraterno sanguine primus infecit. Sunt tamen & qui bene exeunt, & beati sunt qui exeunt. Ostēdam etiam hoc de scripturis. In Exodo scriptum est: Omnes, inquit, qui quærebant nomen domini, exierunt foras ad Moysen extra castra. Isti bene exierunt extra castra, qui sequebantur Moysen, id est, legem dei. & de aliis dicitur: Exite populus meus de medio eorum, & immundum nolite contingere.

Esa. 6.

Excommunicatio iniuste lata nō lædit.

Gen. 4.

Exod. 33.

Esa. 52.

H Exiit ergo, inquit, filius mulieris Israelitidis, & hic erat filius Ægyptij, inter filios Israel, & litigauerunt in castris, ille qui ex Israelitide muliere, & homo Israelita. Vide quanta cautela scripturę diuinæ, si tamen intendas, si diligenter inspicias: illum qui de Israelitide matre, & de Ægyptio patre natus est, non dixit hominem: illum verò qui ex vtroque genere Israelita erat, hominem nominauit. Putamus hæc fortuitu scripta? putamus casu adiectum, vt ille non diceretur homo, & hic diceretur? Non sunt ista fortuita, ratio est. Nihil enim in verbis dei absque profūda ratione cōscriptū est. Ille nanque qui ex parte Ægyptius, ex parte Israelita erat, nondū merebatur homo nominari. Iste verò qui ex integro Israelita erat, hoc est, qui ex mente deū videbat, iste homo appellatur, ille homo interior, qui ad imaginē dei factus, & potest videre deum. Post hæc iam quæ in posterioribus referuntur non absque quadam quæstione sunt, de qua multi quærentes, non multa explicare potuerunt. Sed si vestris me orationibus iuueritis, tentabimus etiam nos in medium proferre, quæ dominus dederit. [Homo, inquit, si maledixerit deum, peccatum accipiet. Qui autem nominat nomen domini, morte moriatur.]

I Quid est hoc? Qui maledixerit deum non habet pœnā mortis, sed qui nominauerit nomen domini? Nónne multo grauius est maledicere deum, quàm nominare, quamuis in vanum nominasse dicatur? Et quomodo qui maledicit, peccatum suscipit tantum, qui autem nominat, morte mulctatur? Hæc ergo sunt, quæ in hoc loco solent quæstionem mouere, quæ ignorantibus sensum scripturarum, inconsequenter dicta videntur, & incongrue. Putant enim quod ille qui nomen dei maledicit, statim puniri debeat: ille verò qui nominauerit nomen domini, hoc est, superfluè & in vanum nominauerit, sufficiat accepisse peccatum. Sed nos consequentiam sermonis tali quodam sensu tentemus aperire. Maius esse peccatum in quo maledicitur deus, quàm in quo nominatur, dubitare non possumus. Restat vt ostendamus multo esse grauius accipere peccatum, & habere secum, quàm morte mulctari. Mors quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius pro quo iubetur inferri. Absoluitur ergo peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicij dies & pœna æterni ignis inueniat. Vbi verò quis accipit peccatum habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœna quæ diluitur transit, cū ipso est etiam post mortem: & quia temporalia hic non persoluit, ibi expendit æterna supplicia. Vides ergo quanto grauius sit accipere peccatum, quàm morte mulctari. Hic enim mors pro vindicta datur, & apud iustum iudicem dominum non vindicatur bis in id ipsum, sicut propheta dixit. Vbi autem non est soluta vindicta, peccatum manet illis æternis ignibus exigendum.

Accipere peccatū grauius quàm morte mulctari.

K Quia autem hæc ita se habeant, possum tibi testes ex diuinis voluminibus adhibere Ruben & Iudam patriarchas loquentes ad patrem suum Iacob, cum vellent adsumere secum Beniamin, & ducere ad Ægyptum, propter sponsionem quam cum Ioseph fratre pepigerant. Ibi ergo Ruben ita dicit ad patrem: Ambos filios meos occide, nisi reduxero ad te Beniamin. Iudas verò ait: Peccator ero in te nisi reduxero eum tibi. Iacob ergo pater ipsorū sciens multo esse grauius quod promiserat Iudas, qui dixerat, peccator ero in te, ab eo qui dixerat occide filios meos, Ruben quidem non credidit filium tanquam qui leuiorem elegerit pœnam. Iudæ verò tradidit sciens grauius esse quod elegerat. Hoc ergo modo conuenienter aptauit scriptura diuina ei qui maledixit deum, vt peccatum sumat: ei verò qui leuius deliquit, quod morte moriatur. Vis autem & de Euangeliis noscere quod qui recepit in hac vita mala sua, ibi iam non recipiat: qui autem hic non receperit, ibi seruentur ei omnia? Docet nos exēplum Lazari pauperis, & illius diuitis, ad quē dicitur in infernis à patriarcha Abraham: Memento fili quoniam tu recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem tu quidē cruciaris, hic verò requiescit. Et solent homines ignorantes iudicia dei, quæ sunt abyssus multa, conqueri aduersum deum, & dicere. Cur homines iniqui, & iniusti, raptores impij, scelesti, in hac vita nihil patiuntur aduersi, sed cuncta eis prosperis successibus cedunt, honores, diuitiæ, potentia, sanitas quoque eis ipsa & corporis habitudo famulantur?

Nab. 1.

Luc. 16

Aduersus eos qui conqueruntur de dei iudiciis.

L Econtra innocentibus, ac piis, & colentibus deum innumerabiles ærumnæ superueniunt, abiecti & humiles, contēpti & sub colaphis potentium viuunt, nonnunquam etiam sæuius eis morbi quoque ipsius corporis dominantur? Sed hęc (vt dixi) conqueruntur ignorantes quis sit ordo diuinis iudiciis. Quanto enim grauius eos puniri volunt, de quorum potentia & iniquitatibus ingemiscunt, tanto necessarium est differri pœnas, quæ si non differrentur, temporales vtique, & leuiores essent, quia finem cū morte reciperent. Nūc vero quia differuntur, certum est quod æternæ erunt, & cum seculis extendentur. Econtra igitur si velint iustis & innocentibus in præsenti seculo bona reddi, essent etiam ipsa bona temporalia, & celeri termino concludēda. Quanto autem magis differuntur in futurum, tanto magis erunt perpetua & nescient finem. Hoc est ergo, quod nos scripturæ huius locus paucis sermonibus comprehensus edocuit, vt sciamus multo esse grauius accipere peccatum, & habere, ac secum ad inferna deferre, quàm in præsenti pœnam dare commissi. Et ideo hæc sciens expedire fidelibus Apostolus Paulus dicit de eo qui peccauerat:

M Quem tradidi, inquit, Satanæ in interitum carnis, hoc est morte mulctasse. Qui autem sit fructus mortis huius, ostendit in sequentibus dicens: Vt spiritus saluus fiat in die domini nostri Iesu Christi. Vides ergo quomodo aperte Apostolus vtilitatem mortis huius exposuit. Quod enim dicit, tradidi in interitum carnis, hoc est, in afflictionem corporis, quæ solet à pœnitentibus expendi, eúmque carnis interitum nominauit, qui tamen carnis interitus, vitam spiritui conferat. Vnde & nunc si quis forte nostrum recordatur in semetipso alicuius peccati conscientiam, si quis se obnoxium nouit esse delicto, confugiat ad pœnitentiam, & spontaneum suscipiat carnis interitum, vt expurgatus in præsenti vita spiritus noster, mundus, & purus pergat ad Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 5.

De venditionibus domorum & redemptionibus. Ex Cap. XXV. Homilia XV.

TRES diuersas leges de domorum venditionibus, & redemptionibus per Moysen in Leuitico datas videmus, quarum continentiam primo secundum historiam pertractemus, vt post hoc etiam ad spiritalem sensum possimus ascendere. Domorum quædam sunt in vrbibus muratis, quædam in vicis, vel agris non habentibus muros. Ait ergo, vt si ciuitate murata vendiderit

Aderit quis domum per annũ integrum habeat copiam redimendi, post annum verò potestas recuperandi nulla conceditur. [Erit enim, inquit, domus ipsius emptoris certa possessio, si intra annum liberare eam non potuerit, qui distraxit.] Secunda lex est, vt si domus quæ distracta est in vico fuerit qui murum non habet, cui tamen vico ager adiaceat, liceat venditori & post annum, & quandocunque potuerit restituere precium, & recuperare quam distraxerat domum. Tertia lex est, vt si forte domus sit leuitæ, vel sacerdotis, vbicunque fuerit talis domus siue in ciuitate murata, siue in vico cui murus non est, liceat semper & in omni tempore, vt quandocunque potuerit leuita vel sacerdos redimat domum suam, nec vnquam vel sacerdotalem vel leuiticam possessionem confirmari in alium qui non sit eiusdem ordinis, diuina iura permittunt. Istæ sunt ergo leges, quibus vtebatur populus ille prior, etiam secundum hoc ipsum quod per historiã designatur, religiose satis & pie sacerdotalibus vel leuiticis ordinibus consulentes. Sed citius hæc referamus ad nos, quibus lex Christi si eam sequamur, nec possessiones in terra, nec in vrbibus domos habere permittit. Et quid dico domos? Nec plures tunicas, nec multam cõcedit possidere pecuniã. Habentes enim, inquit, victum & vestitum his contenti simus. Quomodo ergo nos datas de domibus, siue intra ciuitatem muratam positis, siue in vicis quibus muri non sunt, obseruabimus leges? inuenimus in aliis scripturæ locis, quod sermo diuinus maiore quodam sacramento nominet domum, vt cum dicit de Iacob, & quasi pro laude eius ponit. Erat enim, inquit, Iacob homo simplex habitãs domum. Et iterum inuenio de obstetricibus Hebræorum scriptum: Et quia inquit, timebant Deum obstetrices fecerunt sibi domos. Vidimus ergo quod obstetricibus quidem faciendarum domorum causa, fuerit timor dei: Iacob verò simplicitas & innocentia causam dederit, vt habitaret domum. Denique Esau, quia malus fuit, non est scriptum de eo quia habitauerit domum, nec de alio aliquo scriptum est quia ædificauerit sibi domum, qui non habuerit timorem dei. Quæ est ergo ista domus, & quale ædificium est, Paulus exponit apertius cum dicit: Domum habemus non manu factam, æternam in cœlis. Hęc ergo est domus, quã ædificare nemo potest nisi timeat Deum. Hæc est domus quam extruere, vel habitare nemo potest, nisi in simplicitate mentis, & puritate cordis. Sed quoniam accidere solet, vt etiam qui bene ædificauerit, & domum sibi cœlestem bene agendo & bene viuendo, ac recte crēdendo cõstruxerit, incurrat alicuius peccati debitum, & hanc crudelissimo fœneratori venũdare cogatur, ac labores suos transfundere in alium, pietas & clementia legislatoris succurrit, vt intra certum tempus redimi possit. [Si tamen inuenerit, inquit, manus tua precium quod restituas.] Quale precium? Pœnitentiæ sine dubio lachrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inuentum. Annus autem iste intelligi potest quem venit vocare dominus annum acceptum, quo dimittat confractos in remissionem, & salutem delicta sua confitentibus præbeat. Quod autem dicit domum in ciuitate murata: recte vt ego arbitror, domus quæ in cœlo esse dicitur, in ciuitate murata esse intelligitur. Murus est enim huiusmodi domibus ipsum cœli firmamentum. Sed talem domum rari quique habere possunt, illi fortassis qui super terram ambulantes conuersationem habent in cœlis, & de quibus dicit Apostolus, dei ædificatio estis. Cæteri autẽ qui in vicis habẽt domos, quibus non est murus, est tamen eis adiacens ager fœcũdus, illi fortassis qui sibi habitaculum præparant in terra viuentiũ, & in illa terra quam mansuetis dominus promittit dicens: Beati mites, quoniam ipsi hęreditate possidebunt terram. Istas ergo domos, si forte alicui, sicut suprà exposuimus, lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas, vt verbi gratia dicamus, si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro ecclesiastici & apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat: hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico cui murus non est. Hæc ergo venditio huiusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi pœnitudinem gerere. In grauioribus enim criminibus semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus: ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur. [Quod si sacerdotalis fuerit, inquit ista domus, vel leuitica, vbicunque fuerit, siue in ciuitate, siue in agro, semper habet redemptionem.] In hoc loco sacerdotalem sensum, & leuiticam intelligentiam quæro. Non enim inferior esse debet auditor horum si fieri potest, illo ipso qui hęc scripsit, & sanxit. Quid est ergo quod sacerdos, & leuita domus suæ semper, & vbicunque fuerit, habet redemptionem? Secundum spiritalem intelligentiam sacerdos mens deo consecrata dicitur, & Leui appellatur is qui indesinenter adsistit deo & voluntati eius ministrat. Perfectio ergo in intellectu, & opere, in fide, & actibus sacerdos & leuita accipiendus est. Huic itaque perfectæ menti si acciderit aliquando domum, quam habet non manu factam æternam in cœlis, vendere & in manus alterius dare: sicut contigit aliquando magno patriarchæ Dauid, cum de tecto suo Vriæ Cethei aspexit vxorẽ: statim eam redimit, statim reparat. statim enim dixit, peccaui. Imò verò aliquid adhuc sublimius in hoc debemus inspicere, quomodo domus sacerdotum & leuitarum, id est, perfectarum mentium semper delicta redimantur, sempérque purgentur. Si quando scripturas diuinas legimus, & sanctorum patrum in iis delicta aliqua recensemus: si secundum Apostoli Pauli sententiam dicimus, quia hęc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter commonitionem nostram: hoc modo semper domus eorum redimitur, quia semper pro culpis eorũ purgatio & satisfactio à doctoribus adhibetur, ostendentibus ex diuinis scripturis formas fuisse hæc & imagines rerum futurarum, non quibus arguerentur delicta sanctorum, sed quibus ostenderetur peccatores & impios in partem sanctorum societatémque consciscí. Nunquam ergo sacerdotalis possessio à sacerdote separatur, etiam si ad tempus fuerit ablata, etiam si fuerit distracta, semper redimitur, semper reparatur, velut si diceret, charitas quę perfecta est, omnia patitur, omnia superat, omnia tolerat, charitas nunquam cadit. Sic ergo & possessio ac domus sanctorum nunquam cadit, nunquam aufertur, nũquam ab eorum iure separatur. Quomodo separari à sacerdotibus potest domus quæ ædificata est supra fundamentum apostolorum & prophetarum, in qua est ipse angularis lapis Iesus Christus? Quod autem possit aliquando domus ista distrahi, hoc est, huiusmodi ædificatio incidere in peccatum, audi Apostolus Paulus quomodo de talibus dicit: Vt sapiens architectus fundamentum, inquit, posui, alius superędificat, vnusquisque autem videat quomodo superędificet. Fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, qui est, Christus Iesus. Si quis autem supra fundamentum hoc ædificat aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum stipulam. Vides ergo quia potes supra fundamentum Christi ædificare ligna, fœnum stipulam, hoc est, opera peccati: quæ qui ædificat, sine dubio vendidit domum suam emptori pessimo diabolo, à quo vnusquisque peccantium peccati præmium consequitur, satisfactionem desiderij sui. Hoc si forte incurrerit aliquis, quod absit, cito redimat, cito reparet, dum tempus est reparandi, dum pœnitentiæ locus est, deprecantes in commune, ne æternæ domus habitatione fraudemur, sed digni habeamur recipi in æterna tabernacula, per Christum dominum nostrum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

1. Tim. 6. — *Gen. 26.* — *Exod. 1.* — *2. Cor. 5.* — *Pœnitentia preciũ quod restitui debet.* — *1. Cor. 3.* — *Math. 5.* — *Culpa mortalis.* — *Pœnitentiã semel tantũ concedebatur vel raro* — *Quis sacerdos spiritalis.* — *1. Cor. 10.* — *Heb. 10.* — *1. Cor. 3*

De benedictionibus Leuitici. Ex Cap. XXVI. Homilia XVI.

IN agonibus corporalibus gradus quidam & differentiæ singulorum quorumque obseruari ordinum solent, vt pro qualitate certaminum, præmio remuneretur vnusquisque victoriæ. Verbi gratia, si inter pueros quis habeat agonem, si inter iuuenes, si inter viros, quę per singulos ordines obseruatio haberi debeat, quid fieri liceat, quidúe nõ liceat, & quæ certaminis

G regula custodiri, quid etiá post hæc remunerationis mereatur palma vincétis, ipsis nihilominus agonicis legibus cautú est. Ita & nunc omnipotens Deus obseruandæ legis suæ in hoc mundo agonem mortalibus ponens, posteaquam tradidit obseruanda quàm plurima, & quid fieri quidúe non fieri debeat, adscripsit: conuenienter ad vltimum iam Leuitici librum, in quo de singulis quibusque obseruationibus constitutum est, quid muneris reportet qui impleuerit, & quid pœnæ subeat qui non obseruauerit, enunciat. Sed si lex secundum quod Iudæi volunt, & hi qui eorum sensu scripturas intelligendas putant, non est spiritalis, sed carnalis, dubium non est quin obseruata carnaliter, benedictiones quoque carnales obseruantibus tribuat. Si verò (vt Paulo videtur Apostolo) lex spiritalis est, sine dubio & spiritaliter obseruanda est, & spiritalis ex ea benedictionum speranda remuneratio. Totius nanque consequentiæ est, spiritalem legem benedictiones dare spiritales: & eiusdem nihilominus consequentiæ est, etiam maledicta & condemnationes legis spiritalis non esse corporeas. Sed vt indubitatum sit quod dicimus, ipsius Pauli Apostoli voce vtamur, qua ad Ephesios scribens de spiritualibus benedictionibus hoc modo pronunciat: Benedictus, inquit, Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo. Quoniam quidem sciebat nonnullos legentes de benedictionibus posse H in id prolabi, vt eas corporales putarent & terrenas, voluit eis euidentius aperire quæ sit diuinarum benedictionum natura, vel vbi quærenda, & ideo ait: Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo. Sed & hoc quod addidit in omni benedictione spiritali, non est otiosum, sed apostolicæ vehementiæ plenum. Nam quia sciebat multa esse implenda, quæ mandantur in lege, & in vnoquoque mandato proprios existere agones, in quibus per singula benedictionem qui vinceret mereretur, ideo dixit: Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali: vt & plures eas ostenderet esse, & spiritales. Potest autem in hoc sermone quo ait in omni benedictione spiritali, & illud intelligi, vt (verbi gratia) iustus quique & perfectus capiat benedictiones Leuitici, de quibus nunc sermo est: capiat & eas quæ in libro Numerorum scriptæ sunt, sed & illas quæ in libro Genesis continentur benedictiones Noe ad Sem & Iaphet, & benedictiones Isaac ad Iacob, & item Iacob benedictiones ad Ioseph, & Effrem, & Manassem, & post hæc ad duodecim patriarchas. Quia ergo multæ sunt benedictiones positæ in diuinis scripturis, quæ videntur quidem ad vnumquenque sanctorum, verbi gratia, ad Sem, vel Iaphet, aut Ioseph dirigi, non tamen (vt quibusdam videtur) ita in illos solos diriguntur, vt alius ex his participare non possit: I idcirco eas spiritales Apostolus nominauit, vt quicunque effici potuerit in virtute & spiritu (verbi gratia) Sem, vel Iaphet, vel Ioseph, aut Isaac, aut Iacob, sicut & Ioannes fuit in spiritu & virtute Heliæ, possit etiam ipse benedictionis illius particeps fieri, cuius virtutem & spiritum gesserit. Sed videamus nunc in Leuitico benedictionum quod sit exordium. [Si, inquit, in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis & feceritis ea.] Tria sunt quæ dicit: in præceptis ambulandum, mandata custodienda, & facienda quæ mandata sunt. Vnde videtur mihi præceptum esse (verbi gratia) cum iubetur vt ille qui sabbatum non seruauit, ab omni synagoga lapidetur: aut qui maledixit dominum vt lapidibus perimatur, & si qua iubentur huiusmodi. Mandata verò esse, quibus iubetur (verbi causa) decimas offerri leuitis, vel ter in anno apparere domino, vel non apparere vacuũ in cõspectu domini. Custodire est ergo mandatum, intelligere vel aduertere quæ iubẽtur. Facere autẽ mandatum, est implere quæ iubentur. Sic ergo intelligẽdum puto quod dixit: [Si in præceptis meis ambulaueritis, & mãdata mea custodieritis, & feceritis ea.] Sed videamus quæ sit prima benedictio iis qui ea quæ mãdãtur impleuerint. Dabo, inquit, pluuiã vobis in tempore suo. Igitur primo ad Iudæos dicamus, & eos qui simpliciter vel corporaliter hæc intelligenda opinantur: si pluuia hæc tanquam remuneratio pro laboribus datur iis qui mandata custodiunt, quomodo & iis qui mandata non K seruant, vna atque eadem datur pluuia temporibus suis, & vniuersus mundus communibus vtitur pluuiis à deo datis? Pluit enim super iustos & iniustos. Quod si iustis & iniustis datur pluuia, non erit eximia remuneratio iis qui mandata seruauerint. Vide ergo quia etiam si Iudæi non adquiescunt verbis Iesu domini nostri, tu tamen qui nomine eius censeris, & Christianus appellaris, debes ei credere dicenti, quia pater suus cœlestis communem hanc pluuiam pluit super iustos & iniustos: & non debes putare, quia iustis eximiam separauerit portionem hanc quam communem posuit etiam cum iniustis. Quæramus ergo in scripturis quæ sit pluuia, quæ sanctis tantummodo datur, & de qua mandatur nubibus ne pluant pluuiam istam super iniustos. Quæ ergo sit ista pluuia, ipse nos Moyses horum legislator edoceat. Ipse enim dicit in Deuteronomio: Attende cœlum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo. expectetur sicut pluuia eloquium meum. Nunquid mea verba sunt ista? Nunquid rhetoricis argumentis sensum diuinæ legis violenter inflectimus? Nónne Moyses est qui dicit pluuiam esse quod loquitur? Expectetur, inquit, sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea, sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum. Intende diligenter auditor, ne putes nos vim facere scripturæ diuinæ, cum docentes ecclesiam dicimus vel aquas, vel imbres, vel alia quæ corporaliter L dici videntur, spiritaliter sentienda. Audi Moysen quomodo verbum legis nunc pluuiam nominat, nunc rorem vocat, nunc imbrem, nunc etiam niuem dicit. Et sicut Moyses varia & diuersa proloquitur tanquam ex gratia multiformis Dei sapientiæ proloquens, ita & Esaias cum dicit: Audi cœlum, & percipe auribus terra, quoniam dominus locutus est. Sed & vnusquisque prophetarum cum aperuerit os, imbres deducit super faciem terræ, hoc est auribus & cordibus auditorum. Hoc sciens & Apostolus Paulus dicebat. Terra enim venientem sæpius super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam iis à quibus colitur, accepit benedictiones à deo: quæ autem protulerit spinas & tribulos, reproba est., & maledicto proxima, cuius finis ad exustionem. Nunquid hæc Apostolus de terra hac dixit? Sed nec accipit terra hæc benedictiones à Deo, cum imbres biberit, & fructum produxerit. Sed neque si spinas ac tribulos post pluuiam protulerit, consequetur maledictionem à Deo. Sed nostra terra, id est, nostrum cor, si suscipiat frequenter venientem super se pluuiam doctrinæ legis, & attulerit fructum operum, accipit benedictiones à deo. Si verò nõ opus spiritale, sed spinas & tribulos, id est, sollicitudines seculi habeat, aut voluptates, & diuitiarum cupiditates, reproba est, & maledicto proxima, cuius finis erit ad exustionem. Propterea vnusquisque auditorum cum conuenit ad audiendum, suscipit imbrem verbi dei: & si quidem fructum attulerit operis boni, benedictionem consequetur. M Si verò susceptum verbum dei contempserit, & frequenter audita neglexerit, ac sollicitudini se rerum secularium, libidiníque subiecerit, tanquam qui spinis suffocauerit verbum, maledictionem pro benedictione conquiret, & benedictionis finem, finem exustionis inueniet. [Dabo ergo, inquit, vobis pluuiam in tempore.] Necessario addidit & in tempore. Sicut enim imber iste terrenus si importune veniat, id est, cum messis colligitur, cum frumenta teruntur in areis, obesse magis quàm prodesse videbitur: ita & ij quibus pluuia verbi dei ministranda committitur, obseruare debent hoc quod dicit scriptura, vt in tempore præbeant, id est, ne crapulato & ebrio verbum dei ingerant, nec occupato in aliis animo, cum attentus esse non potest: vel cum alicuius vitij languore constrictus est, & non doctori, sed morbo proprio interior præstatur auditus. Prudenter ergo conijciat, vbi potest vacare mens, vbi sobrius, vbi vigilans, vbi intentus auditor est, & ibi pluuiam ministret in tempore: sicut & tritici mensuram seruus fidelis & prudens in Euangelio conseruis dare iubetur in tempore. Sed & alio modo possumus intelligere hoc, quod mandatur imber dandus in tempore.

Lex est spiritalis. · *Ephes. 1.* · *Gen. 9. 26. 48. 49.* · *Leuit. 26.* · *Præceptum* · *Mandata* · *Deut. 19.* · *Matt. 5.* · *Deut. 32.* · *Pluuia spiritalis.* · *Esa. 1.* · *Heb. 6.* · *Verbũ Dei cũ iudicio dispensandum.*

A tempore. Puer est aliquis, & paruulus in fide, indiget pluuia, sed lactis pluuia. Sic enim dicit ille, qui sciebat pluuias in tempore dispensare: Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. Profecit post hæc in fide, creuit ætate, & sapientia. Aptus sine dubio factus est, qui solidiorem percipiat cibum. Infirmatur aliquis, & non pro tempore, sed pro infirmitate capere non potest quæ robusta sunt: verbi causa nō potest plene de castitate capere sermonem, oportet compati, & metiri doctrinam pro virium qualitate, & concedi talibus nuptias. Hoc est oleribus pascere infirmum, & ad huiusmodi mensuras animæ aptare velut tenuem & rori similem pluuiam verbi. Est autem alia terra, quæ potest suscipere validos imbres, ferre etiam flumina verbi dei, rapidos potare torrentes. De iis enim talibus propheta dicit in psalmis: Et torrente voluptatis tuæ potum dabis illis. [Dabo ego, inquit, vobis pluuiam in tempore suo, & dabit terra natiuitates suas.] Post primam benedictionem pluuiæ, ista secunda est qua dicitur terra suscepta pluuia dare natiuitates suas. In uenimus quia & Isaac benedicens Iacob dixerit: Det tibi dominus à rore cœli, & ab vbertate terræ plenitudinem frumenti, & vini. Putásne tale frumentum in benedictione dabat Isaac filio suo Iacob, quale habent & peccatores homines, & quali abundabat etiam impius Pharao? Hæccine erat tanti patriarchæ benedictio? Vis tibi adhuc ostendam quomodo & alij iniqui habeant multitudidem frumenti? Intuere illum in euangelio, cuius ager multos attulit fructus, qui dixit: Destruam horrea mea, & maiora reædificabo, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona reposita in annos mul

1. Cor. 3.

Gen. 16.

Luc. 12.

B tos. Manduca, bibe, & lætare. Talia ergo credimus esse bona, quæ diuinis benedictionibus sanctis quibusque & fidelibus tradebantur? Alios ergo terræ fructus aspicio, & aliter multitudinem natiuitatis intueor. Si enim terra mea afferat fructū, si natiuitates suas ex domini benedictione producat, intelliget sensus meus, & explicare poterit, quę qualisque sit ista terra, quæ accepta cœlesti pluuia natiuitates proferat rationabilium frugum. Testimonium de Euangeliis sume, quomodo exiit qui seminat seminare, & aliud quidem cecidit secus viam, aliud autem super petram, aliud super spinas, aliud autem super terram bonam. Si ergo ea quæ ceciderint super terram bonam attulerint fructum, dedit terra fructum suum, & natiuitates suas produxit centesimum, & sexagesimum, & tricesimum. [Sed & ligna, inquit, camporum dabūt fructum suum.] Habemus intra nosmetipsos & ligna camporum, quæ fructum suum producunt. Quæ sunt ista ligna camporum, quæ fructum suum producunt? Quæ sunt ista ligna camporum? Dicet fortassis auditor: Quid iterum hic verbilogus agit? Quid vndecunque verba conquirit, vt explanationem lectionis effugiat? quomodo intra nos esse ligna docebit, & arbores? Si non temere obtrectes, iam nunc audies, quia non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Habemus ergo arbores intra nos siue bonas, siue malas: & quæ bonæ sunt, fructus

C malos afferre non possunt, sicut quæ malæ sunt, fructus non afferent bonos. Vis tibi & arborum ipsarum quæ intra nos sunt vocabula, & appellationes expediam? Non est ficus, neque malus, nec vitis, sed vna arbor iustitia vocatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur. Et si vis maiorem adhuc arborum multitudinē disce, quibus fortassis dignius putabitur cōsitus etiam paradisus dei. Est enim ibi arbor pietatis, est & alia arbor sapientiæ, est & alia disciplinæ, est & alia scientiæ boni & mali. Super omnia verò est arbor vitæ. Non tibi videtur magis quod pater cœlestis agricola huiusmodi arbores in anima tua excolat, & huiusmodi plantaria in tua mente cōstituat? Sic ergo dicit Saluator: Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque bona fructus malos facere. Hoc est quod docet. Arbor pudicitiæ bona est, non potest afferre fructus impudicitiæ. Arbor iustitiæ bona est, & afferre fructus iniustitię non potest. Sic & econtrario si habeas malæ arboris radicem in tua mente plātatam, bonos reddere non potest fructus. Si enim sit in te radix malitiæ, fructus non dabit bonos. Si sit intra cor tuum stultitiæ planta, nunquam proferet sapientiæ florem. Si iniustitiæ, si iniquitatis arbor sit, nunquam huiusmo-

Arbores paradisi.

Mat. 10.

di ligna gaudere bonis fructibus possunt. Si ergo seruemus mandata Dei, suscepta pluuia verbi Dei, de qua superius diximus, etiam arbores quę in campis animæ nostræ, & cordis nostri latitudine plantatæ sunt, lætum & bonæ suauitatis afferent fructum. Vis autem tibi de scripturis ostendam arbores vel ligna appellari has singulas quasque virtutes, quas superius memorauimus? Adhibeo testem sapientissimum Salomonem dicentem de sapientia: Lignum vitæ est, inquit, omnibus, qui amplectuntur eam. Si ergo sapientia lignum vitę est, sine dubio & aliud lignum est, prudentiæ, & aliud scientiæ, & aliud iustitiæ. Neque enim consequenter dicitur ex omnibus virtutibus solam sapientiam meruisse, quæ lignum vitæ dicatur, cæteras autem virtutes nequaquam similis sortis suscepisse vocabula. Ligna ergo campi dabunt fructum suum. Hoc credo de se sentiebat & beatus Dauid cum dicebat: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Ex quo manifeste ostēdit lignum oliuæ iustū & sanctum hominē dici. [Et cōprehēdet vobis trituratio vindemiā] Si semē natū est in anima semē bonū, & suscepta à deo pluuia creuit, & venit ad spicā, necessario consequetur & messis: & si messis consequetur etiā trituratio, in qua frumēti purgētur. Etenim anima quæ germinat ex verbo Dei, & cœlesti pluuia rigata germen producit ad messem, necesse est vt ipsa messis quam profert purgetur in area, id est, vt sensus quos genuerit anima in medium proferat, & siue cum cæteris doctoribus, si- E ue etiam cum ipsis quæ sentit diuinis voluminibus conferat: vt si quid in eis inane & superfluum, si quid paleæ simile fuerit aut aristis, flante in se spiritu discretionis excutiat, & purum frumentum quo solo queat nutrire conseruos, & mensuram tritici in tempore dispensare, retineat. [Et consequetur, inquit, trituratio vindemiā.] Quia panis (vt scriptura dicit) confortat cor hominis, & vinum lætificat, quęcunque de continentia, de obseruantiis, & custodia mandatorum dei dicuntur, hæc possunt videri frumentum, ex quo panis efficitur, & auditorum corda confortat. Ea verò quæ ad scientiam pertinent, & occultorum explanatione mentes lætificant audientium, vino ac vindemiæ videbuntur aptanda. Cordi etenim lætitia tribuitur, cum ea quæ occulta & obscura sunt, explicantur. [Et vindemia, inquit, cōprehendet sationem.] Vt si dicamus: primo seminaui quæ legis sunt, & posteaquam seminatum est, oraui vt daret dominus pluuiam in tempore, & facta est messis. Post hęc non maneo otiosus, sed iterū semino, accipio scripturam propheticam, & ex ea semino terras, & noualia auditorum. Post hæc semino & alia de Euangelicis sermonibus. Diuersa sunt quę seminantur, per totum annum possumus seminare. Possumus enim & de apostolicis literis multa semina iacere. Sēper est quod seminetur, in omni vita nostra otij nullū tempus est: quamdiu respiramus seminemus. Tātum est, vt in spiritu seminemus, vt de spiritu metamus vitam æternam.] Et manducabitis panē vestrum in saturitate.] Nec hoc ego cor- F poralis esse benedictionis accipio, quasi qui custodiat legem dei, panem istum communem in abundantia consequatur. Quid enim? Nónne impij & scelesti panem non solum in abundantia, sed & in delitiis comedunt? Magis ergo si respiciamus ad eum qui dixit, Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, & qui manducauerit hunc panem viuet in æternum: & aduertamus, quia qui hæc dicebat, verbum erat quo animæ pascuntur: intelligimus de quo pane dictum sit in benedictionibus à deo, & manducabitis panem vestrum in saturitate. Similia iis etiam Salomon in prouerbiis pronuntiat de iusto dicens: Iustus manducans replebit animam suam: animę autem impiorum in egestate erunt. Hoc si secundum literam accipias, quia iustus manducans replet animam suam, animę verò impiorum in egestate erunt, falsum videbitur. Magis enim animæ impiorum cum auiditate cibum sumunt, & saturitati student. Iusti autem interdum & esuriunt. Denique Paulus iustus erat, & dicebat: Vsque ad hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, colaphis cædimur. Et iterum dicit: In fame, & siti, in ieiuniis multis. Et quomodo dicit Salomon, quia iustus manducans satiat animam suam? Sed si intuearis quomodo iustus semper & sine intermissione mādūcet

Prouerb. 3.

Ioan. 6.

Prouerb. 13

1. Co. 4.
2. Cor. 11.

G de pane viuo, & repleat animam suam, ac satiet eam cibo cœlesti, qui est verbum dei, & sapientia eius: inuenies quomodo ex benedictione dei mãducet iustus panẽ suũ insatietate. [Et habitabitis tuti super terrã vestram.] Iniquus nunquam tutus est, sed semper mouetur & fluctuat, & circumfertur omni vento doctrinæ in fallacia hominum ad deceptionem erroris. Iustus verò, qui legem dei custodit, tutus habitat super terram suam. Sensus enim eius firmus est dicentis ad deum: Confirma me domine in verbis tuis. Et cõfirmatus, & tutus & radicatus habitat super terram, fundatus in fide, quia ædificium eius non est super arenam positum, neque radix eius super petram est: sed domus quidem eius fundata super terram, planta verò eius radicata est in profundo terræ, hoc est, in interioribus animæ eius. Recte ergo ad huiuscemodi animam dicitur in benedictionibus. [Et habitabitis super terram vestram, & dabo pacem super terram.] Quam pacem dat deus? Istam quam habet mundus? Negat se istam dare Christus. Dicit enim: Meam pacem do vobis, meam pacem relinquo vobis: non sicut hic mundus dat pacem, ego do vobis. Negat ergo se pacem mundi dare discipulis suis, quia & alibi dicit: Quid putatis quia pacem veni mittere in terram? non veni pacem mittere sed gladium. Vis ergo videre quam pacem dat deus super terram nostram? Si terra sit bona, illa quæ affert fructum centesimum, aut sexagesimum, aut tricesimum, illam pacem suscipiet à deo, quam dicit Apostolus: Pax autem dei, quæ superat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus vestros. Hæc est ergo pax, quam dat deus super terram nostram. [Et dormietis, & non erit qui vos exterreat.] Et Salomon in prouerbiis dixit: Si enim sederis, sine timore eris: & si dormieris, libenter somnum capies, & non timebis terrorem superuenientem tibi, neque impetus impiorum superuenientes. Hæc ille dixit de iusto & sapiente viro, & hæc in benedictione dicuntur. Dormietis, & non erit qui vos exterreat.] Si enim iustus efficiar, nemo me exterrere poterit: Nihil timeo aliud, si deum timeam: Iustus enim, inquit, confidit vt leo, & ideo non timet leonem diabolum, nec draconem Satanam, nec angelos eius, sed dicit secundum Dauid. Non timebo à timore nocturno, à iaculo volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, à ruina, & dæmonio meridiano. Addit & illud: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Et iterum: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Vides constantiam, & virtutem animæ custodientis mandata dei, & habentis fiduciam libertatis ingenuæ. [Post hæc, exterminabo, inquit, bestias malas de terra vestra.] Bestiæ, inquit, istæ corporales, nõ sunt malæ, neque bonæ, sed medium quiddam. Sunt enim muta animalia. Sed illæ bestiæ malæ sunt spiritales, quas I Apostolus dicit: Spiritales nequitias in cœlestibus. Et illa est mala bestia, de qua dicit scriptura: Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum quæ sunt super terram. Ipsa ergo est hæc mala bestia, quam promittit Deus exterminaturũ se de terra nostra, si eius mandata seruemus. Vis videre & aliam bestiam malam? Aduersarius vester, inquit, diabolus sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Quod si adhuc plures bestias vis discere, docebit te Esaias propheta, qui sub visione quam attitulauit quadrupedum in deserto, talia quædam prophetico spiritu de bestiis loquitur. In tribulatione, inquit, & angustia leo, & catulus leonis: inde & nati aspidum volantium, qui portabant super asinos & camelos diuitias suas ad gentem quæ non proderit eis. Nunquid vllo modo videri possunt hæc de corporalibus bestiis dicta etiam iis, qui valde amici sunt literæ? Quomodo enim leo, & catulus leonis, vel aspides volantes possunt super camelos & asinos portare diuitias suas? Sed euidenter contrarias potestates dæmonum pessimorum: propheta spiritu sancto repletus enumerat: eósque collocare diuitias deceptionum suarum super animas stolidas peruersásque, quas camelis & asinis per figuram comparat, designauit. Et iis bestiis ne traderetur anima deum timens orabat propheta Dauid dicens: Non tradas bestiis animam confitentem tibi. [Et exterminabo, inquit, bestias malignas de terra vestra, & pugna non transibit per terram K vestram.] Multæ sunt pugnæ quæ transeunt per terram nostram si legem Dei non custodimus, nec præcepta eius seruamus. Redeat vnusquisque ad animam suam, & ipse se interna recordatione discutiat, & videat quomodo terra nostra, id est, caro nostra, nunc spiritu fornicationis, nunc iræ & furoris vrgetur, nunc auaritiæ iaculis agitatur, nunc telis pulsatur inuidiæ, nunc spiculis libidinis terebratur, & in quibuscunque concupiscit caro aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem, internis præliis semper agitatur. Quid autem dicam de cogitationum pugnis, quas cordi nostro suggerit inimicus, vt nos exuat à fide Christi, & ab spe vocationis nostræ? Cum enim afflictiones tentationum, & molestiarum seculi suscitauerit nobis, consequenter iam suggerit cogitationi, superfluum & ineptum esse hæc tollerare pro Christo, multo esse melius securam & sine persecutionibus vitam ducere. Hæc sciens & Apostolus Paulus dicebat: Cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam Christi. Qui ergo diuina præcepta seruauerit, mandata eius custodierit, & fecerit ea, hanc pugnam, & hæc bella non patitur, sed deus aufert ea de terra eius, & non sinit ea transire per animam iusti. [Et persequemini inimicos vestros.] Quos inimicos, nisi ipsum diabolum & angelos eius, & spiritus malignos, & dæmonia immunda? Persequemur ea non solum vt à nobis ipsis effugemus, sed & ab aliis quos incursant, si diuina præcepta seruemus. [Persequemini, inquit, inimicos vestros, & cadent in L conspectu vestro in morte.] Si conterat Satanam sub pedibus nostris velociter deus, cadent inimici in conspectu nostro morte. Cuius morte? Ego arbitror quod nostra: Si enim nos mortificemus membra nostra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, si hanc mortem inferamus membris nostris, illi cadent in conspectu nostro. Quomodo cadent in conspectu nostro? Si tu iustus sis, cecidit iniustitia in conspectu tuo. Si castus, cecidit libido. Si pius, etiam ipsa impietas corruit ante te. [Et persequentur ex vobis quinque centum, & centum ex vobis persequentur multa milia.] Qui sunt isti quinque qui possunt persequi centũ? Quinquenus numerus, & in laudabilibus ponitur, & in culpabilibus. Quinque sunt sapientes virgines, & quinque insipientes. Sic ergo & centenarius numerus ad vtranque partem accipi potest. Si itaque nos simus ex quinque laudabilibus, id est, ex quinque sapientibus, persequemur insipiẽtes centum. Si enim sapienter & probabiliter pugnemus in verbo Dei, si prudenter de lege domini disseramus, conuincimus & fugamus infidelium multitudinem. Sicut enim M quinquenus numerus, & sapientes indicat, & insipientes: ita & centenus numerus, & fideles indicat, & infideles. Nam & sub centenario annorum numero Abraham deo credidisse, & iustificatus esse describitur, & peccator qui moritur cẽtum annorum maledictus erit. Et hic centum infideles à quinque sapientibus effugantur, & rursum centum fideles, non tam numero centum quàm perfectione signati, multa milia infidelium persequentur. Fugant enim fideles doctores innumeros dæmones, ne animas credentium antiqua fraude decipiant. Et cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Qui sint inimici suprà diximus, quo autem gladio dicantur cadere, requiramus. Apostolus Paulus nos docet quis sit hic gladius, cum dicit: Viuus enim est sermo dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio vtrinque acuto, pertingens quoque vsque ad compagem animæ ac spiritus, membrorum quoque & medullarum, & est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Hic est gladius, cuius acie cadunt inimici nostri. Sermo nãque dei est qui prosternit omnes inimicos, & ponit eos sub pedibus suis, vt subditus fiat omnis mundus deo. Vis adhuc & de alia epistola Pauli discere, quia gladius sermo dei sit? Audi eum cum arma præparat militibus Christi, quomodo dicit: Et galeam salutis accipite, & gladium spiritus quod est verbum dei per omnem orationem, & obsecrationem, euidentissime per hæc pronuncians, quia per verbum dei, quod est gladius vtrinque acutus, cadent inimici nostri in conspectu nostro. Et respiciam super vos, & augebo vos. Plenum beatitudinis est hoc

Marginalia: Psal. 118. — Ioan. 14. — Mat. 10. — H — Phil. 4. — Prouerb. 3. — Prouer. 28. — Psal. 90. — Psal. 26. — Ibid. — Constantia custodientis mãdata dei. — Ephes. 6. — Gen. 3. — 1. Petr. 5. — Esa. 30. — Psal. 74. — 2. Cor. 10. — Rom. 16. — Quî cadit Satanas. — Quinarius — Heb. 4. — Ephes. 6.

A hoc ipsum, si quem respiciat deus. Vis videre si respiciat deus ad hominem, quanta sit salus? Petrus aliquando pene perierat, & ex consecratione apostolici numeri diabolo per os ancillæ pontificis inspirante fuerat ereptus: sed vbi respexit ad eum Iesus tantum, vbi ad eum placidi vultus ora conuertit, statim reuersus in semetipsum, & prolapsũ de præcipitio reuocans pedem, fleuit, inquit, amarissime, atque ita respectus à deo, locum suum flendo recepit, quem negãdo perdiderat. [Respiciam ergo, inquit, super vos, & augebo vos.] Tanquam si sol respiciat segetem & afferat fructus, quam vtique si non respexisset, infructuosa mãsisset: ita deus segetem cordis nostri respiciens, & radiis nos verbi sui illuminãs, auget nos & multiplicat, vt vltra iam nõ simus paruuli sed magni efficiamur: sicut magnus factus est Isaac, & magnu factus est Moyses, & magnus Ioannes. [Et statuam testamentum meum vobiscum.] Vide quantæ benedictiones promittantur si mandata seruemus. [Statuam, inquit testamentum meum vobiscum, & manducabitis vetera, & vetera veterum, & iniicietis vetera à conspectu nouorũ.] Quo modo eiicimus vetera à conspectu nouorum? Vetera habuimus legem & prophetas, vetera autem veterum, ea quæ ante legem fuerunt ab initio cum mundus factus est. Venerunt Euangelia noua, venerunt & apostoli, à conspectu horum eiicimus vetera. Quomodo ea eiicimus? Legem secundum literam eiicimus, vt statuamus legem secundum spiritum: Possumus & hoc modo dicere. Antequam veniret homo de B cœlo, & nasceretur homo cœlestis, eramus omnes terreni, & portabamus imaginẽ terreni. Sed vbi venit homo nouus, qui secundũ deum creatus est, eiicimus à cõspectu eius vetera, deponẽtes veterẽ hominem, & inducẽtes nouum, qui secũdum D interiorẽ hominẽ renouatur de die in diem. [Et ponã tabernaculũ meum in vobis.] Si hæc habemus in nobis, quæ suprà dicta sunt, si abiecto vetere homine innouatum est cor nostrum, venit ad nos deus, & habitat in nobis, qui dixit. [Et ponam tabernaculum meum in vobis, & nõ abominabitur vos anima mea.] Non nos abominabitur anima dei, si obseruemus ea quæ scripta sunt. Veruntamen velim requirere quid est anima dei. Nunquídnam putamus quia deus habeat animam sicut homo? Absurdum est hoc sentire de deo. Ego autem audeo, & dico quia anima dei Christus est. Sicut enim verbum dei est Christus, & sapientia dei, & virtus dei, ita & anima dei est. Et hoc modo dicitur, quia non vos abominabitur anima mea, id est, filius meus: sed ambulabo inter vos. Non mihi videtur quod hoc promittat deus, quia in terra Iudæorum ambulaturus sit: sed quia si quis meruerit ita puri esse cordis, vt dei capax sit, in eo se dicit ambulare deus. Et vos eritis mihi populus, & ego dominus deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, cum essetis serui, & contriui iugum vinculi vestri. Vere eduxit nos deus de domo seruitutis serui enim eramus peccati, quia omnis qui peccat seruus est peccati. Et contriuit vinculum iugi nostri. Iugi quod imposuerat supra ceruices nostras ille qui nos in captiuitatem duxerat, & peccatorum vinculis colligarat. Contriuit ergo peccati vinculum, & iugum nostræ captiuitatis excussit domi E nus noster Iesus Christus, & suum nobis suaue iugum fidei, & charitatis, & spei, ac totius sanctitatis imposuit. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Quo sensu lex reiecta.

Deus non habet animam.

FINIS.

ORIGENIS SVPER NVMEROS

HOMILIA PRIMA.

DIVINIS Numeris non omnes digni sunt, sed certis quibusque prærogatiuis designantur hi qui intra numerum dei debeant comprehẽdi. Huius autem rei euidens iudicium continet liber hic, qui scribitur Numerorum. In quo refertur quod ex præcepto dei neque mulieres deducantur ad numerum, fœmineæ sine dubio infirmitatis obstaculo neque seruorum quisquam, vt pote vita moribúsque dege- C neres. Sed ne Ægyptiorum quidem vllus ex iis qui erãt admixti numeratur, profecto vt alienigenæ, & barbari: sed soli numerantur Israelitæ, & isti non omnes, sed à viginti annis, & suprà. Nec sola ætatis habetur obseruatio, sed quæritur si & aptum bellis robur ostẽdat: designatur enim per verbum dei, vt numeretur omnis qui procedit in virtute. Non ergo sola ætas, sed & virtus in Israelitica plebe requiritur. Pueriles ætas non numeratur, nec apta diuinis calculis ducitur, nisi forte primogeniti sint, aut sacerdotali vel leuitica stirpe descendant. Isti soli in pueris adducuntur ad numerum. Fœminarũ verò nulla prorsus adducitur. Et quid videtur? Possunt hæc vacua esse mysteriis? sed hoc solum procurasse creditur spiritus sanctus, qui hæc scribẽda dictauit, vt sciremus qui tunc in illo populo numerati sint, & qui sine numero manserint? Et quis dabitur ex hoc profectus iis qui sacris voluminibus gestiũt erudiri? Quid enim prodest ista didicisse? Aut quid animæ confertur ad salutem, si sciat quòd pars aliqua populi numerata est in deserto, pars verò innumerata derelicta est? Si verò sequentes Pauli sententiam legem spiritalem esse credamus, & spiritaliter quæ continet audiamus ingens profectus animæ in iis quæ scripta sunt apparebit. Docet enim me præsens lectio, quod si transcẽdero puerilis ætatis insipientiam, si desidero paruulus esse sensibus, & vir effectus deposuero quæ sunt paruuli, si inquam effectus fuero iuuenis, & talis iuuenis, qui vincam malignum aptus videbor iis, de quibus scriptum est, omnes qui procedunt in virtute Israel, & dignus diuinis numeris computabor. Donec autem inest alicui nostrum, vel puerilis & lubricus sensus, vel fœminea & resoluta segnities, vel Ægyptios gerimus & barbaros mores, haberi apud deum in sancto & consecrato numero non meremur. Innumeri enim apud Salomonẽ dicũtur esse qui pereũt: numerati autẽ omnes illi qui saluãtur. Et vis tibi ostendã quia sanctorũ numerus habetur F apud deũ? Audi quomodo de astris quidẽ cœlestibus dicit Dauid: Qui numerat multitudinẽ stellarũ, & omnibus eis nomina vocat. Saluator verò nõ solũ discipulos suos electos sub numero statuit, verũ & capillos capitis eorũ dicit esse numeratos: ait enim: Vestri autem etiam capilli capitis numerati sunt. In quo vtique non illos dicebat capillos esse numeratos, qui vel ferro attonderi & proiici solent, vel temporis ætate defluere ac perire: sed illi capitis capilli apud deum numerati sunt, qui in Nazaræis erant, quibus inerat virtus spiritus sancti ad prosternandos alienigenas. Virtutes ergo animi, & multitudinẽ sensuũ, qui de principali mẽtis tanquã de capite apostolorum producebãtur, capillos capitis appellauit. Sed in hæc excessum quendã deuenimus, nũc ad propositũ reuertamur. [Et locutus est inquit dominus ad Moysẽ in deserto Sina] Illa scilicet omnia quæ superius cõpendiosa narratione cõprehẽdimus, vbi precipitur numerari à viginti annis & supra omnis qui procedit in virtute Israel. Si quis ergo procedit in virtute, ipse numeratur, & non in qualicũque virtute, id est, non in Ægyptiorum virtute: neque in Assyriorum neque in Græcorum, sed virtute Israel, ipse numeratur apud deum. Est enim virtus animi, quam Græcorum philosophi docent. Sed hæc non pertinet ad numerum dei. Non enim pro deo, sed pro gloria exercetur humana. Est & Assyriorum virtus, est Caldeorum, quæ in astrologiæ studiis prædicatur. Sed non est ista virtus Israelitica, & ideo nõ

Mulieres non numerantur in hoc libro.

Rom. 7.

Certus saluandorum numerus.

Psal. 147.

Matt. 10.

Num. 1.

Virtus philosophorum

G pertinet ad deum. Est & Ægyptiorum virtus in ea quam dicunt secreta sapientia, sed hæc non adiungitur ad calculum dei. Sola apud deum virtus Israelitica numeratur. Hæc est illa virtus, quæ à deo docetur, quæ per scripturas diuinas discitur, quæ per fidem euangelicam & apostolicam traditur. Et ideo dicit vt illi soli numerentur, qui progrediuntur in virtute Israel. Sed & illud consideremus, quid est quod non statim vt egressus est de Ægypto populus numeratur. Adhuc enim persequebatur Pharao. Sed nec cum mare rubrum quidem transiens venit in desertum dicitur numerari. Nondum enim tentati, nondum ab hoste fuerant impugnati. Confligunt aduersum Amalech, & vincunt. Sed nec tunc quidem numerantur. Non enim sufficit ad perfectionem tendenti vna victoria. Mannæ accipiunt cibum, & aquæ poculum de sequenti hauriunt petra: sed neque tunc numerantur. Nondum enim in his ea quæ numeris apta ducuntur adoleuerant. Tabernaculum testimonij construitur, sed nec in hoc quidem numerandi populi tempus aduenit. Lex per Moysen datur, sacrificiorum mos traditur, purificationum ritus docetur, sanctificationum leges & sacramenta conduntur, & tunc ad numerum ex præcepto dei populus adducitur. Describe hæc ô auditor in corde tuo dupliciter, & tripliciter. Vide quanta tibi transeunda sunt, quanta tolH leranda, quot profectibus, quot tentationibus, quot præliis pugnandum tibi est & vincendum, vt possis ad diuinum numerum pertinere, vt in computo aliquo habearis apud deum, vt inter sanctas tribus adnumerari dignus habearis, vt visitari possis, & per dei sacerdotes Aaron & Moysen numerorum censibus adscribi. Suscipienda tibi est primo lex dei, lex spiritus sancti, offerenda sacrificia, explendæ purificationes, peragenda cuncta quæ lex spiritus docet, vt possis aliquando ad Israeliticum numerum pertinere. Ego adhuc amplius aliquid intueor in hoc Numerorum libro mysterij. Ratio enim tribuum, & distinctio ordinum, societas familiarum, atque ordinatio cuncta castrorum, ingentium mihi sacramentorum prodit indicia: Apostolo nobis Paulo spiritalis intelligentiæ semina respergente. Et age iam quid omnis hæc numerorum ratio, quid ordinum diuersitas intelligentiæ mysticæ contineat, videamus. Expectatio certa nobis est resurrectionis mortuorum, cum hi qui viuunt, qui reliqui sunt, non præuenient in aduentu Christi eos qui dormierunt, sed simul cum eis iuncti & sociati, rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, terrenis scilicet huius loci corruptelam & mortis habitacula deserentes, atque ad paradisum in vnam ex multis quæ apud patrem sunt mansionibus transferendi. Diuersitas autem translationis, & gloria ex meritis sine dubio & actibus vniuscuiusque præstabitur, & erit vnusquisque in eo ordine, quem sibi gestorum meriI ta contulerint: sicut & idem Paulus protestatur dicens de resurgentibus: Vnusquisque autem in suo ordine. Hinc ergo accidet in resurrectione, vt vnusquisque aut in tribu Ruben spiritalibus indiciis ascribatur, ob hoc profecto, quod aliquid in moribus actibus, aut vita ipsi Ruben simile & cōsanguineum habuit. Alius autem in tribu Symeon, fortassis pro obedientia. Alius in tribu Leui, credo qui bene præfuit sacerdotio, vel qui bene ministrans gradum sibi bonum acquisiuit. Alius in tribu Iuda, non dubito quod is qui regios spiritus gessit, & bene rexit populum qui intra se est, sensuum scilicet mentis & cogitationum cordis. Sed & singulis quibusque tribubus vnusquisque sociabitur pro his quæ ad vnamquanque earum, vel in actibus cognata vel in moribus habuit. Erunt ergo huiusmodi quidam ordines in resurrectione mortuorum, sicut designat Apostolus: quorum ordinum typus in hoc libro & figura præformari mihi videtur. Sed & illud quod consociatione quadam tribuum & connexione, castrorum positio & metationis ordo describitur, pertinet sine dubio ad aliquem in resurrectione mortuorum statum. Quod tres ad orientem collocatæ dicuntur tribus, tres ad occidentem, tres etiam ad meridiem, & tres vltimæ ad aquilonem, qui durus dicitur ventus: sed & quod tribus Iuda, quæ regalis est, ad orientem statuitur, ex qua ortus est dominus noster, non puto otiosum, & quod Isachar huic iungitur, & Zabulon, & quod in quatuor partes trinus K iste numerus ordinatur. Quæ quamuis positionum suarum diuersas habeant qualitates, omnes tamen intra trinitatis numerum continentur. Et quod per totas has quatuor partes in vnum numerum colligitur eadem trinitas semper, pro eo sine dubio quod sub vno nomine patris & filij & spiritus sancti censentur omnes, qui ex quatuor orbis partibus venientes inuocant nomen domini, recumbentes cum Abraham & Isaac & Iacob in regno dei. Hæc à nobis generaliter indicata sint volentibus totius sacri huius voluminis continentiam mysticam breuiter comprehendere, vt ex his intelligentiæ spiritalis occasione suscepta vnusquisque & in reliquis similem, aut etiam sicut amplius deus reuelat, superiorem & excelsiorem persequatur indaginem. Ego enim vere imparem me iudico ad enarranda mysteria, quæ liber hic continet Numerorum: multo autem inferiorem ad illa, quæ Deuteronomij volumen includit. Et ideo festinandum nobis est peruenire ad Iesum, non illum filium Naue, sed ad Iesum Christum. Prius tamen pædagogo vtentes Moyse, & apud eum rudimenta infantiæ deponentes, sic tendamus ad perfectionem Christi. Moyses enim non multa bella compressit. Iesus autem bella quidem vniuersa compescuit, pacem verò omnibus dedit, ita vt scriptum sit, quia cessauit terra à bellis. Terra repromissionis, terra hæreditatis, terra L quæ fluit lac & mel, ab Iesu distribuitur. Beati enim mites, quia ipsi per Iesum hæreditabunt terram. Sed & ipsius distributionis inuenies typos & imagines præcessisse. Non enim otiosum est quod aliis vltra Iordanē terra diuiditur, aliis intra Iordanem, & aliis primis, aliis verò secundis, nonnullis etiam tertiis, & sic per ordinem hæreditas terræ diuiditur: vbi vnusquisque requiescat sub ficu sua, & sub vite sua, & non sit vltra qui exterreat. Quæ cuncta magnificis præsignata mysteriis, ipse dominus Iesus in die aduentus sui non iam per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem in veritate complebit vnicuique, secundum quod ipse nouerit merita singulorum, qui cognitor cordis est, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Virtus theologa. — *1.Thes. 4.* — *Diuersitas beatitudinis in cœlo.* — *1.Cor. 15.* — *Castrorum positio.* — *Matt. 5.* — *Zach. 2.*

De ordine & collocatione castrorum ex Numerorum Cap. II. Homilia II.

PRIMA Numerorum lectio docuit, quod exercitus dei qui exiuit de terra Ægypti, & iter egit per desertum, visitatus sit, hoc est, numeratus per Moysen & Aaron, ac per singulas quasque tribus sequestratus certo sub numero recensitus sit: quod nos velut cum tota simul libelli continentia exponentes, formam diximus esse perscriptam, quomodo populus dei e- M grediens de mūdi huius Ægypto, & ad terram repromissionis, id est, vel ad virtutum locum, vel ad regni cœlorum gloriam hæreditatémque festinans, ordinibus quibusdam, & meritorum gradibus deducatur. Et per hæc ostendimus futurorum bonorum magnificentiam in legis imaginibus adumbratam. Nunc verò lectionis huius initium, quæ hodie recitata est, edocet nos qualiter ab his qui deo mancipati sunt, nec implicant se negotiis secularibus, componatur ordo castrorum. Ait enim. [Et locutus est dominus ad Moysen, & Aaron dicens: Homo secūdum ordinem suum, & secundum signa sua, & secundum domus familiarum suarum castra collocet, filij Israel ex aduerso in circuitu tabernaculi testimonij considāt.] Moyses dicit: Homo secundū ordinem suū, & secundū signa sua, & secundū domos familiarū suarum incedat in castris: & Paulus dicit: Omnia honeste & secundum ordinem fiant. Et non tibi videtur vnus esse spiritus dei, qui & in Moyse loquitur, & in Paulo? Secundum ordinem Moyses incedi mandat in castris: secundum ordinem cuncta geri in ecclesia præcipit Paulus. Et Moyses quidem, qui legi ministrabat, in castris custodiri ordinē iubet: Paulus verò tanquā Euangelij minister, non solum in actibus, sed in ipso habitu, ordinatum vult esse Christianum: & ideo dicit: Mulieres similiter in habitu ornato. Vnde ego arbitror quod nō solum in

Terra promissionis virtutum locus vel cœli gloria. — *1.Cor. 14.* — *Tit. 2.*

A in officiis & habitu seruari ordinē volunt, sed dant intelligi quod sit aliquis etiam in anima ordo, de quo dicatur quod vnusquisque incedere debeat secundum ordinem suum. Qui ordo præcipue quidē ex operū fructu indicatur: nihilominus autē & ex magnificentia sensuum. Nam sæpe accidit, vt is qui humilem sensum gerit & abiectum, & qui terrena sapit excelsum sacerdotij gradum, vel cathedram doctoris obsideat: & ille qui spiritalis est, & à terrena cōuersatione tam liber vt possit examinare omnia, & ipse à nemine iudicari, vel in inferioris ministerij ordinem teneat, vel etiam in plebe à multitudine relinquatur. Sed hoc est & legis & Euangelij statuta contemnere, & nihil secundum ordinem gerere. Sed & vnusquisque nostrum si de cibo & potu sollicitus sit, & omnē curam in rebus secularibus gerat, vnā verò aut duas horas ex integro die etiā deo deputet, & ad orationem veniat in ecclesiam, vel in transitu verbum dei audiat, præcipuā verò curam erga sollicitudinem seculi & ventris expendat: iste non cōplet mandatū quod dicit, vt homo secundū ordinē suum incedat, vel quod dicit, vt omnia secundum ordinē fiant. Ordo est enim statutus à Christo, quærere prius regnum dei & iustitiam eius: & credere secundo loco quod hæc nobis apponantur. Homo ergo secundum ordinem suum incedat. Putásne qui sacerdotio funguntur, & in sacerdotali ordine gloriantur, secundum ordinem suum incedunt, & agunt omnia

Indigni ad ecclesiæ functiones prouehuntur.

Matth. 6

B quæ illo ordine digna sunt? Similiter autem & diaconi putas secundum ordinem ministerij sui incedunt? Et vnde est quod sæpe audimus blasphemare homines, & dicere, ecce qualis episcopus, aut qualis presbyter, vel qualis diaconus? Nónne hæc dicuntur, vbi vel sacerdos, vel minister dei vsus fuerit in aliquo contra ordinē suum venire, & aliquid cōtra sacerdotalem, vel leuiticum ordinem gerere? Quid autem & de virginibus dicam, aut de continentibus vel omnibus qui in professione religionis videntur? Nónne si quid inuerecūdum, vel petulans, si quid proteruum gesserint, arguit eos cōtinuo Moyses & dicit, homo secundum ordinem suum incedat? Agnoscat igitur vnusquisque ordinem suum, & quid dignum sit eo ordine quem suscepit, intelligat, & ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque ipsum & habitum moderetur, vt cū ordinis sui professione cōueniat, ne audiat dici ad se à deo: Quia propter vos nomen meum blasphematur inter gentes. Quid autem sit quod dicit & secundum signa sua, videamus. Ego puto signa esse ea, quibus vniuscuiusque proprietas designatur: verbi gratia, omnes quidē homines similes sumus, sed est propria quædā vniuscuiusq; distinctio, vel in ipso vultu, vel in statura, vel in positione, vel in habitu, per quæ (verbi gratia) Paulus quia Paulus sit designetur, & Petrus quia Petrus sit, & non sit Paulus. Interdū autē etiā nō videntibus vniuscuiusque signi diuersitas datur,

Conuitia in sacerdotes.

Rom. 2

C vt ex voce & loquela agnoscat illum esse vel illum qui loquitur: & secundum suæ proprietatis signum vnusquisque etiam sine corporali visione cognoscitur. Hoc modo arbitror esse etiam in animis signa diuersa. Et alterius quidem animi motus senior est, mitis, placidus, tranquillus, æqualis: alterius turbidus, elatus, asperior, incitatior, petulātior. Alius circūspectus, cautus, prouidus, sollicitus, impiger. Alius desidiosus, remissus, negligens, incautus. Et in his alius plus, alius minus. Et audeo pronunciare, quia fortassis quanta in specie vultus inest diuersitas hominibus, tanta & in animis inuenitur esse differentia. Sicut & sapientissimum Salomonem memini quodam loco dicentem. Sicut diuersi sunt vultus vultibus, ita & diuersa sunt corda hominum. Sed vnusquisque (vt ait Moyses) secundum signa sua incedat, id est, ne is cuius humilia, & despecta sunt signa, elatior incedat, vel altior quàm animorum suorum signa deposcunt. Et vt adhuc amplius diuersitatis signorum ratio clarescat, addemus etiam hæc. Omnes qui literas norunt, certum est quod xxiiij, si Græca, xxiij si Latina literarum elementa didicerint, & ex his omnia quæcunque scribenda sunt scribunt. Aliud tamen signum (verbi gratia) alpha quod Paulus scripserit, habet, & aliud quod Petrus: & sic per singulos homines, qui literas norunt, diuersa scribēdi per singulas quasque literas signa reperies. Vnde & chirographa singulorum manibus scripta, propriis quibusdā signis & indiciis agnoscuntur: & cum sint elemēta eadem, est

Differentia animorum.

Simile.

D tamen in ipsa similitudine literarum multa dissimilitudo signorum. Igitur si integre tibi propositæ rei patuit exemplū, veni nunc ad motus mentis & animorum, quibus ad aliquid concitantur gerendum. Intuere singulorum virorum chirographa, & vide quomodo (verbi gratia) animus Pauli proposuit castitatem, & animus nihilominus Petri: sed est propria quædam castitas Petri, & alia castitas Pauli, etiam si vna eadémque videatur. Denique alterius ipsorum talis castitas est, quæ requirat macerari corpus suum, & subiicere seruituti, & quæ adhuc dicat, castigo corpus meum, ne forte aliis prædicās ipse reprobus inueniar: alterius autē castitas talis est, quæ istud forte non timeat. Similiter & iustitia habet aliquid proprietatis in Paulo, habet & in Petro. Eodem modo & sapientia cæteræque virtutes. Quod si etiam in his nominibus quæ exempli causa posuimus, potest fieri vt cum vnum sint per spiritum dei, sit tamen aliqua diuersitas in ipsarū proprietate virtutum, quanto magis reliqui omnes homines propria quędam signa in montibus animorum, & animæ virtutibus gerunt? Quæ Moyses mystica ratione perspiciens, scribit in lege, vt vnusquisque secundum signa sua incedat in castris. Potest autem fieri, vt æmulatione operum bonorum ab inferioribus signis, ad meliora & magnificentiora veniamus. Si enim recte à nobis intellectum est, hæc omnia quæ in lege scripta sunt, formas esse futurorū honorū, & illius seculi quod ex re-

Virtutum differentia in singulis hominibus.

Hebr. 10

E surrectione mortuorum speramus, certum est vtique quod si in præsenti vita habuerimus studium meliorum, & secundū Apostoli exemplum posteriora obliuiscentes ad ea quæ in ante sunt extendamur: in resurrectione mortuorum, vbi sicut stella ab stella differt in gloria, ita & vniuscuiusque merita refulgebunt, poterimus vtique ab inferioribus ad meliora signa & fulgentiora transferri, & splendidioribus sideribus exæquari. Atque intantum potest natura humana in hac vita proficere, vt in resurrectione mortuorum non solum stellarum gloriæ, sed & Solis splendori valeat exæquari: secundum quod scriptum est, quia iusti fulgebunt in regno dei sicut sol. Hinc ergo est, quod & in inferioribus dicit: secundū signa sua, per domos familiarū suarū. Quod dicit per domos familiarum suarum, in Græco idem sermo positus est, quem & ibi Apostolus dicit, vbi ait: Huius rei gratia curuo genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Quas ergo hic Paulus paternitates dicit, ibi familias posuit Latinus interpres sed vnus atque idem sermo habetur in Græco. Istæ sunt ergo paternitates, vel familiæ, quas Paulus quidem iam ostendit in cœlis, Moyses autem sub figuris adhuc legalibus describit in terris: secundum quas incedere nos monet, vt possimus cœlestibus paternitatibus sociari. Sunt enim (vt Paulus superius pronunciauit) siue familiæ istæ dicendæ sunt, siue paternitates in cœlo, ex quibus forte est & illa, quam in alio loco nominat idem Paulus ecclesiam primitiuorum adscriptā in cœ-

1. Cor. 15

Dan. 12

πατριά.

Ephes. 3

De suo addidit interpres.

Heb. 16

F lis: cui nos eueniet sociari, si secūdum ordinem incedamus, & omnia secundum ordinem geramus. Si nihil inordinatum, nihil inquietum, nihil inhonestum inueniatur in nobis, tunc & sicut firmamentum resplendebimus, & sicut stellæ & sol ipse refulgebimus in regno dei. Per Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorū, Amen.

De eo quod scriptum est. Ego assumpsi Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui adaperit vuluam, & reliqua. Ex. Cap. III. Homilia III.

SCRIPTVM est de manna, quia secundum tempus illud si quis id ita assumpsisset vt præceperat deus, nutriretur ex eo: si quis verò contra præceptum dei, & cōtra statutum diuinitus modū voluisset assumere, nō frueretur eo, vt vitali cibo, sed vermes ebullirent ex eo. Et ita fiebat, vt vna atque eadem species mānæ aliis quidem vermes, & putredines generaret, aliis verò salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna verbum dei est, & apud nos ergo sermo dei alijs efficitur ad salutem, alijs cedit ad pœnam. Et propter hoc arbitror quod ipse Dominus & Saluator, qui est viuum Dei verbum, dicebat: In iudicium ego veni in hunc mun-

Ioan. 9.

G dum, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant. Quanto melius esset nonnullis omnino nec audire verbum Dei, quàm audire cum malitia, vel audire cum hypocrisi. Melius autem dicimus ad comparationem malorum. Vere autem melius, & vere rectius, ac perfectius est, vt qui audit verbum Dei, audiat corde bono, & simplici, audiat corde recto & parato, vt quasi in terra bona fructificet, & crescat. Hęc in prefatione diximus, propter nonnullos eorum qui ad audiendum non simplici, nec fideli mente conueniunt. De quibusdam dico cathecumenis, quibus fortasse nonnulli etiam eorum qui iam baptismum consecuti sunt, sociantur. Non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ: neque omnes qui loti sunt aqua, continuo etiam sancto spiritu loti sunt: sicut econtrario non omnes qui in cathecumenis numerantur alieni sunt, & expertes spiritus sancti. Inuenio enim in scripturis diuinis nonnullos cathecumenorum dignos habitos spiritu sancto, & alios accepto baptismo indignos fuisse sancti spiritus gratia. Cornelius cathecumenus erat, & antequam ad aquam veniret, meruit accipere spiritum sanctum. Simon baptismum acceperat, sed quoniam cum hypocrisi accessit ad gratiam, repudiatur à dono spiritus sancti. Nolo dubites & nunc esse in populo catechumenorum aliquos Cornelios, ad quos dici possit, quia misericordiæ & orationes tuæ ascen H derunt in cœlum. Et rursum in populo fidelium esse aliquos Simones, quibus confidenter dicendum sit: O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ. Hæc ego ad correptionem mei ipsius loquor, non solum auditorum. Vnus enim & ego sum ex ijs, qui audiunt verbum Dei. Sed audiamus iam quid sermo diuinus loquatur ad Moysen. [Et loquutus est, inquit, Dominus ad Moysen, dicens: Ecce ego assumpsi Leuitas de medio filiorum Israel, pro omni primogenito qui adaperit vuluam ex filijs Israel, redemptiones eorum erunt, & erunt mihi Leuitæ. Meum est enim omne primogenitum. Ex die qua percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificaui mihi omne primogenitum Israel, ab homine vsque ad pecus meum erit, ego Dominus.] Leuitę assumuntur pro primogenitis, cum vtique non sint primogeniti. Leui enim tertius nascitur ex Lia. Primus nanque est Ruben: Symeon secundus, tertius Leui: & assumuntur in primogenitos ij, qui natura non sunt primogeniti. Nunquid hæc in lege Dei otiose scripta esse credendum est? An illud edocet nos, quod apud Deum non illi primogeniti habeantur, qui corporea natiuitate præcedunt, sed ij quos propositio mentis inspecto, Deus ipse in ordinem primitiuorum iudicat assumendos? Sic enim apud Deum Iacob posterior natu primogenitus iudicatus est, & benedictiones primitiuatus procurata diuinitus parentis cæcitate suscepit. Ex propo- I sito etenim cordis quod Deo patuit, etiam priusquam in hoc mundo nascerentur, aut aliquid agerent boni vel mali, pronunciat Dominus de eis, quia Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Filij ergo Leui primogeniti quidem non sunt secundum carnem, sed pro primogenitis assumuntur: vt sit amplius aliquid pro primogenito assumi, quàm primogenitum nasci. Ecce, inquit, assumpsi Leuitas ex medio filiorum Israel. Dic simpliciter, assumpsi Leuitas ex filijs Israel. Quid est quod addis, & de medio filiorum Israel? de quo medio? Tertius est Leui (vt suprà diximus) inter filios Israel. De quo ergo medio assumantur Leuitæ cuperem scire. Inuenio in scripturis beatam illam Sunamitidem, quæ aluerat aliquando Prophetam, respondentem cum fiducia regi Israel volenti sibi aliquid conferre beneficij, & dicentem: In medio populi mei ego habito. Amplius autem, & magnificentius in Euangelio video scriptum de Domino & Saluatore nostro, dicente Ioanne: Medius vestrum stat, quem vos nescitis. Puto ergo eum qui nunquam declinauerit ad dextram, neque ad sinistram, dici posse medium stare, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et ideo ille quidem, quia semper stat, medius stare dicitur. Si quis verò imitator eius est, sicut omnes sancti, & illa beata mulier, cuius superius fecimus mentionem, stare quidem non dicitur. Non enim potest fieri, vt non aliquãdo, aut ad dextram quis inclinatus sit, aut ad sinistram. Nemo enim mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Habitare tamen dicitur in medio populi: Et Leuitæ ergo assumuntur de medio filiorum Israel. Leui- K tæ sunt enim qui non cognouerũt dextram, & sinistrã suam, sed sequentes Moysen, id est, legem Dei, non pepercerunt patri nec matri. Et tu ergo si veniente tentatione, si veniente ira peccati non inclineris ad dextram, neque ad sinistram, nec præuaricatus fueris legem Dei, sed stes in medio fixus & stabilis, & non inclineris, neque curues genua tua peccato, nec pecudis caput, id est, stultitiæ sequaris imagine, assumeris de medio filiorum Israel, & in primitiuorum numero collocaberis. Hæc pro eo quod scriptum est, [& assumam Leuitas de medio filiorum Israel.] Verum (si videtur) recurramus adhuc ad ipsum ordinem historiæ, qui refertur in Numeris, & ex ipso mysterium primitiuorum, vbi vel quomodo requiri debeat, contemplemur. Igitur recenseamus attentius, quomodo distribuũtur duodecim tribus per ternas in quatuor partes, & per singulas quasque cœli plagas certa statione considunt: & inueniemus Iudam quidem ab oriente statui cum Isachar & Zabulon: Ruben verò ab occidente, cum Symeon & Gad: in meridie Effrem cum Beniamin & Manasse: in aquilone verò, Dan cum Neptalim & Aser. Ex his omnibus quasi per quatuor terræ cardines in circuitu collocatis, in medio eorum vtpote Deo proximi circa ipsum tabernaculum Dei constituuntur Leuitæ. In castris quidem Iuda quæ sunt ab oriente, Moyses & Aaron: in castris verò Ruben, Gerson: in castris autem Beniamin, Caath: vbi verò Dan castra constituit, L Merari scribitur collocatus: & ita in medio filiorum Israel ex omni parte, & per circuitum, quasi inserti cæteris, & innexi videntur esse filij Leui. Hæc sunt quæ nobis litera legis exponit, vt ex his sacramentorum semina colligentes, tãquam gradibus quibusdam ab humilibus ad excelsa, & à terrenis ad cœlestia conscendamus. Ascende ergo nunc, ô auditor, si potes, & à terrenis sensibus intuitu mentis & perspicacia cordis eleuare. Obliuiscere paulisper terrena, supra nubes & supra ipsum cœlum gressu mentis incede. Ibi require tabernaculum Dei, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, & assistit nunc vultui Dei interpellans pro nobis. Ibi inquam require quaternos istos ordines, stationésque castrorum. Ibi Israelitica agmina, & excubias cerne sanctorum, & ibi illa quæ hic nunc quærimus primitiuorum sacramenta rimare. Sed ego non audeo illuc solus ascendere, non audeo me in hos tam secretos mysteriorum secessus sine auctoritate magni alicuius doctoris immergere. Non possum illuc ascendere, nisi præcedat me Paulus, & ipse mihi viam noui huius & ardui itineris ostẽdat. Ipse ergo Apostolorum maximus, qui sciret multas esse non solum in terris, sed & in cœlis ecclesias, ex quibus & septem quasdam Ioannes enumerat: ipse tamen Paulus ostendere volens esse quãdam præter eas etiam primitiuorum ecclesiam, dicit ad Hebræos scribens: Non enim accessistis ad ardentem & tractabilem ignem, sed accessistis ad montem M Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestẽ, & multitudinem angelorum collaudantium, & ecclesiam primitiuorum adscriptam in cœlis. Igitur Moyses per quatuor castra populum Dei diuisum describit in terris: & Apostolus quatuor ordines sanctos describit in cœlis, ad quorum singulos vnumquenque nostrum dicit accedere. Non enim omnes ad omnes accedunt, sed & alij quidẽ accedunt ad montem Sion, horum autem paulo meliores accedunt ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem. Qui autem & ijs eminentiores sunt, accedunt ad multitudinẽ angelorum collaudantiũ. Qui autẽ super istos omnes sunt, accedũt ad ecclesiam primitiuorum adscriptã in cœlis. Si ergo ex ijs intellexisti quis sit ordo primitiuorum, & quod sit nominis istius sacramentum, præpara te, & enitere quãtum vales, si forte actibus, vita, moribus, fide, institutísque proficias, vt possis accedere ad ecclesiam primitiuorũ, quæ ascripta est in cœlis. Quod si non tantum vales, sed es paulo inferior, accede ad multitudinẽ angelorum collaudãtium. Quod si nec ad istũ ordinẽ potes ascendere, ad ciuitatẽ saltem Dei viuẽtis Hierusalẽ cœlestem properare contende. Si verò nec ad hoc aptus es, saltem ad montem contende Sion, vt in monte salueris. Tantum ne in terra resideas, ne in vallibus maneas, ne in demersis & humilibus perseueres. Mihi ita intelligendum videtur assumi primogenitos filios Leui, qui ministrant Deo, & altari eius tabernaculóque

Cathecumeni ad audiendũ verbum Dei cõueniebant.

Act. 10.

Ficti in baptismo non recipiunt gratiã Dei.

Act. 8.

Admiscet suam personam.

Gen. 26.

Malach. 1.

Esa. 6.

Ioan. 1.

Apoc. 1.

Heb. 12.

Sanctorum diuersi gradus.

A culóque deseruiunt, excubiis perpetuis ministeria diuina cõcelebrant. Sed & quod ait pro omni primogenito, qui adaperit vuluam, non mihi facile videtur differi posse & explanari. Neque enim quicunque adaperit vuluam, continuo dignus sanctificatione primitiuatus habendus est, quia & in psalmis legimus, quod alienati sunt peccatores à vulua, errauerũt à vẽtre, locuti sunt falsa. Quodvtique stare secũdũ literã nullo modo potest. Quomodo enim quis errare à via dei potuit statim vt de vẽtre matris exiuit? Aut quomodo potuit falsa loqui nuper æditus puer, vel qualencũque proferre sermonẽ? Cũ ergo impossibile sit vel errare aliquẽ à ventre, vel loqui falsa, necessariũ erit & ventrem, & vuluam talẽ requiri, cui conuenire possit hoc dictum quod alienati sunt peccatores ab vtero, errauerunt à ventre, locuti sunt falsa. Et illa erit vulua, quam adaperit omnis primitiuus, qui sanctificatur deo. A daperuit aliquando deus vuluam Liæ, quæ erat clausa, & peperit patriarchas. Similiter & Rachel, vt pareret etiã ipsa cuius visus erat perspicax, & decorus aspectus. Sed & in multis aliis scripturæ locis inuenies adaperiri vuluas. Quarũ si singula pro locis consideres, inuenies quomodo & errent peccatores à vulua, & illi adaperientes vuluam, sanctificentur in ordinem primitiuorum. Et erunt mihi, inquit, leuitæ, meũ est enim omne primitiuũ: ex qua die percussi omne primogenitum in terra Ægypti, mihi sanctificaui omne primogenitum. Notum est quid de iis historia contineat, quomo- B do percussa sint primogenita Ægyptiorum, cum populus Israel educeretur ex Ægypto. Hoc est ergo quod in loco indicatur, quia non prius sanctificati sunt primogeniti Israel quã percuterentur Ægyptiorum primogeniti: & quasi causam sanctificationis horum, interitum & necem ponit illorum. Vnde & hic intelligendum est, esse quosdam primogenitos etiam in Ægyptiis, id est, in contrariis potestatibus, quasi electos in malitia & primos inter dæmonas: qui nisi percussi fuerint & extincti, sanctificationem percipere Israelitarũ primogeniti omnino non possunt. Quis ergo est iste, qui primogenitos Ægyptiorum, id est, principatus, & potestates dæmonum percussit? Nónne dominus meus Iesus Christus, qui est primogenitus omnis creaturæ, qui principatus, & potestates aduersas traduxit, triumphans eos in cruce? Quos vtique nisi ille percussisset, & triumphasset, sanctificatio ad nos primitiualis venire nullatenus potuisset. Vt autem nobis primogenitorũ benedictiones donaret, efficitur prius ipse primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatũ tenens, & nos credentes resurrectionis suæ assumeret pro primitiuis, & in primitiuorum ordine collocaret, si tamen benedictionum gratiam vsque ad finem firmam retineamus, adiuti misericordia ipsius domini nostri Iesu Christi, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

Psal.57 — *Gen.30* — *Exod.11* — *Col.1*

C *De eo quod scriptum est, Viginti duo milia numero inuentos esse leuitas, primogenitos autem filiorum Israel xx. duo milia ducentos lxxiij. Ex. Cap. III. Homilia IIII.*

NVMERORVM liber est, qui legitur nobis, in quo multæ sunt numerorum differentiæ, quæ conscribuntur de filiis Israel. Sed post filios Israel numerantur etiam leuitæ seorsum. Non enim fuerãt recẽsiti cum filiis Israel, & habetur eorum segregatus quidam, ac præcipuus præ cæteris numerus, quo referuntur omnes simul viginti duo milia reperti, ita vt neque amplius aliquid neque minus hoc numero inuentum sit. Post hoc præcepit dominus numerari etiam primogenitos filiorũ Israel eodem ordine, quo leuitæ fuerant numerati, id est, ab vno mense & suprà, & inueniuntur primogeniti filiorum Israel viginti duo milia, & ducenti septuaginta tres. Putásne per hæc solam numeri historiam docere nos voluit Moyses, & nullũ in iis diuersitatibus numerorũ cõclusit solito sibi more mysterium? Nihílne videbitur esse rationis quod ducenti septuaginta tres tantum abundare dicuntur in primogenitis Israel, & in leuitis ad viginti duo milia, neque abundare quicquam, neque deesse describitur? Viginti duo quidem numerus in scripturis diuinis si quis obseruet, quod principalibus quibusdam causis adscriptus sit, frequenter inueniet. Nam viginti duo prima apud Hebræos elementa tradunt esse literarum. Viginti & duo rursus à protoplasto Adam vsque ad Iacob ex cuius semine initium duodecim tribus sumunt, patres fuisse memorantur. Tradunt etiam omnium creaturarum dei species intra viginti & duo numerum colligi. Sed & alia multa in scripturis si quis diligentius exequatur sub hoc numero consecrata reperiet. Propter hoc ergo & leuitæ, id est, qui deseruiunt domino, & primogeniti filiorum Israel admirabili hoc, & sacrato numero titulantur. Quod autem in filiis Israel adduntur ducenti septuaginta tres, neque otiosum mihi videtur, neque absolutionis viam facile cerno, nisi dominus velamen istud impositum à Moyse iis literis adaperire nobis dignetur, & auferre. Igitur humani generis in carne generatio (sicut asserunt qui in talibus periti sunt) nouem quidem mensibus continetur in vulua, sed non prius moueri fertur ad partum quam etiam decimi mensis triduum transeat: & ita inuenitur quod numerus iste, id est, ducenti septuaginta tres dies illos indicent, qui ex nouem mensibus, & triduo mensis decimi colliguntur, & fiunt simul ducenti septuaginta tres dies isti, quibus humano generi in hunc mundum præbetur ingressus. Et ita in viginti quidem & duobus numeris, omnium simul creaturarum rationibus mysticis summa colligitur. In his verò quæ ex abundanti in primogenitis inueniuntur Israel, etiam mysterium humanæ generationis exprimitur. Post hæc cum in tres ordines diuisi essent filij Leui, & ex tribus nominibus principum singuli quique ordines censerentur, etiam in ipsis diuersitates quædam non sine mysteriis adscribuntur. Nam filiorum Caath primus ordo describitur, & merito: Ex ipso enim descendit Moyses & Aaron, quibus sacerdotij summa committitur. Ex ipso enim nascitur Amram. ex Amram autem Moyses, & Aaron. Secundus ergo est Gerson qui primus quidem in natiuitate, sed secundus habetur in ordine. Sic enim scriptura dicit: [Filij autem Leui, Gerson, Caath, & Merari. Sed ex filijs Caath duo rursus ordines diriguntur, & ij quidem qui ex Aaron descendunt, sacerdotio mancipantur, pars verò reliqua administrandum sacerdotibus ordinatur, & idcirco in quatuor partes Leuitarum diuiduntur officia, vt sacerdotio quidem fungantur Aaron & filij eius, sancta autem sanctorum vt portent in humeris suis ij qui reliqui sunt ex populo Caath. Quæ autem ad tabernaculum pertinent testimonij vel ad atria eius, & pelles, vel etiam velamenta, & quæcunque sunt minus dura, & ad onus leuia, vt procurent filij Gerson. Columnas verò tabernaculi, & bases eius, & seras, vt portent filij Merari. Idcirco & in recensendis eis designanter scriptura commemorat, vt recenseatur virtus Merari: virtute enim opus est ad portandas huiusmodi sarcinas. Sed redeamus aliquando ad Apostolum Paulum, qui hæc omnia libero iam & reuelato oculo mentis aspiciens, & veteris testamenti velamen abiiciens, ait, quia prior populus in huiusmodi constructionibus exemplari & vmbræ cœlestium deseruierit. Et hæc audiens, considera ne forte isti quatuor ordines castrorum exemplũ sint & vmbra illorum quatuor ordinum, quos ad Hebræos scribens Paulus enumerauit in cœlis. Et rursus Israeliticis quatuor ordinibus castrorum, quaternos adiice Leuitarum, quæ nos non tam explanare & aperire, quam contigisse tantummodo, & purioribus sensibus (si qui tamen sunt qui puros huc & liberos à secularibus cogitationibus sensus detulerint) indicasse, & leuiter perstrinxisse sufficiat. [Accipiat, inquit, numerum filiorum Caath]. Ecce iterum alius introducitur ordo numerorum. Numerati sunt iam filij Leui ab vno mense & supra, nunc numerãtur filij Leui à vicesimo quinto anno, sed non vt in cæteris supra, sed vsque ad quinquagesimum annum, & fit iste præcipuus numerus & electus. Additur enim iis. [Omnis, inquit, qui procedit ad ministrandum ad opera tabernaculi testimonij.] Isti sunt qui numerantur meliore quodam, & præcipuo numero. Sicut enim in filiis Israel dicebatur, Omnis qui procedit ad præliũ in filiis Israel: ita & hic dicens, omnis qui procedit ad ministerium, vt faciat opera in tabernaculo testimonij. Post hæc dicitur quæ sint opera filiorum Caath in medio filiorum Leui secundum plebes suas in tabernaculo testimonij,

D — E — F

Non nisi post triduũ decimi mẽsis mulier ad partum mouetur.

In quatuor partes Leuitarum officia.

Heb.9. & 10.

G Introibit, inquit, Aaron & filij eius cum eleuata fuerint castra, & deponent velum, quo teguntur sancta, & operient ex ipso velo arcam testamenti.] Et post hæc septem quædam species enumerantur, quæ præcipiuntur operiri. Primo in loco, vt omnium preciosior ipsa arca testamẽti operiatur velo quo prius velabatur, sed & pelle desuper hyacinthina tegatur. Additur etiam aliud velamen desuper hyacinthinum. Secundo in loco mensa operitur. Tertio cãdelabrum. Quarto altare aureum. Quinto vasa ministerij. Sexto operimentum altaris cum quibusdam velamentis apponitur. Septimo in loco operitur & labrum, & nihil horum omnium nudum relinquitur, aut reuelatum. Denique additur etiam præceptum huiusmodi. [Nolite, inquit, exterminare de tribu sua plebem Caath.] Quo scilicet exterminandos esse se scirent, si forte ad hæc mouenda manus suas mitterent, nisi vnumquodque eorum prius à sacerdotibus fuisset obtectum. Nũc ergo redeamus ad istud tabernaculum ecclesiæ Dei viuentis, & videamus quomodo hæc singula obseruari oporteat in ecclesia Dei à sacerdotibus Christi. Si quis verò sacerdos est cui vasa sacra, id est, mysteriorum sapientiæ secreta commissa sunt, discat ex ijs, & obseruet, quomodo hæc oporteat intra velamen conscientiæ custodire, nec facile proferre ad publicum. Aut si res poscit proferre, & inferioribus, id est, imperitioribus tradere, ne nuda proferat, ne aperta ostendat, H & penitus patentia, alioquin homicidium facit, & exterminat plebem. Exterminatur enim omnis qui secreta & ineffabilia sacramenta contigerit, nondum meritis & scientia in sacerdotij ordinem gradúmque translatus. Solis enim filijs Aaron, sacerdotibus scilicet, ipsam arcam testamenti, & mensam, & candelabrum, & si quid est eorum quę suprà comprehendimus, nuda ac reuelata videre concessum est. Alij autem operta hæc videant, imò potius velata hæc in humeris suis portent. Et filij quidem Caath, quoniam ipsi licet non sint sacerdotes, sunt proximi sacerdotibus, in humeris suis possunt ista portare: alij verò sarcinas suas, & ministeria nec in humeris, sed in plaustris ponunt. Vt enim præuenientes lectionem dicamus aliqua etiam de ijs quæ locus admonuit, cum offerretur à singulis quibusque tribubus plaustra, quatuor ex ijs acceperunt filij Merari, duo autem Gerson filij. Illi verò qui horum meliores sunt, plaustra non accipiunt. Intuere ergo nunc cuiusmodi diuisio efficitur in officijs ministerij diuini, & quomodo illa quidem quæ sancta sunt, non imponuntur portanda animalibus mutis, sed rationabiles esse debent homines, & in humeris suis portare vasa, quibus ministrantur sanctorum. Ea verò quæ grauiora sunt & duriora, non tam rationabilibus quàm mutis portãda animalibus imponuntur. Sed & in ipsis est aliqua differentia. Nam illi qui grauiora & duriora obseruant ministeria, plura habent animalia. I Quatuor enim plaustra dantur filiis Merari. Filiis autem Gerson quia erant prope filios Caath, duo tantum plaustra sufficiunt, ex quibus ostenditur quod operibus quidem durioribus, & (vt ita dicam) crassioribus, plures sunt, qui velut animalia inseruiunt: ad ea verò quę rationabilibus procurantur, pauci ex iis qui in his instructi, aut eruditi videntur, accedunt. Nam ad illa quæ mystica sunt, & in secretis recondita, & solis sacerdotibus patent, non solum nullus animalis homo accedit, sed ne ipsi quidem qui habere aliquid exercitij & eruditionis videntur, nondum tamen meritis & vita ad sacerdotalem gratiam conscenderunt: non solum per speculum ea & in ænigmate vident, sed & operta & velata suscipiunt, & in humeris portant, quo scilicet magis ea actu operum, quàm scientiæ reuelatione cognoscant. Quia igitur huiusmodi dispensatio est mysteriorum Dei & ministerij quod habetur in sanctis, tales nos exhibere debemus, vt digni efficiamur ordine sacerdotij, ne velut irrationabilibus nobis onera grauia imponantur, sed tanquam rationabiles & sancti sacerdotalibus officiis deputemur. Gens enim sancta regale sacerdotium sumus & populus in acquisitionem, tantum vt acceptam gratiam vitæ meritis exequentes, digni habeamur sancto ministerio: vt cum discesserimus de hac vita, mereamur assumi (vt suprà diximus) inter sacerdotes Dei, & ministrantes arcæ testamenti, in arcanis scilicet & reconditis mysteriis, reuelata facie gloriam Domini speculemur, & ingrediamur terram sanctam. Cuius hæreditatem nobis præstabit K Dominus noster Iesus Christus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Num. 4. *1. Pet. 2.*

De eo quod scriptum est, Nolite exterminare de tribu sua plebem Caath. Ex Num. Cap. IIII. Homilia V.

RESPONSA dans Dominus ad Moysen & Aaron, dicit: [Nolite exterminare de tribu sua plebem Caath de medio filiorum Leui, sed hoc facite eis & viuent & non morientur cum accedent ad sancta sanctorum,] & reliqua. Primo intelligamus ea, quæ secundum literam referuntur, & ita præstante Domino ab intellectu literæ ascendemus ad intelligentiam spiritalem. Intellige ergo prius ipsam collocationem tabernaculi testimonij, intellige & sancta sanctorum, quæ interiecto à sanctis velamine dirimuntur, quæ inspici non licet ab vllo hominum, nisi à sacerdotibus solis. Post hæc intellige, quomodo vbi ventum fuerit vt castra moueant filij Israel, soluitur tabernaculum, & Aaron ac filij eius sacerdotes intra sancta sanctorum operiunt singula quæque operimentis, ac velaminibus suis, & obtecta ea relinquentes in eodem quo fuerant loco, introducunt filios Caath, qui ad istud officium deputati sunt, & faciunt eos eleuare humeris suis omnia illa quæ manus sacerdotalis obtexerat. Et propter hoc dicitur à Domino: Ne exterminetis de tribu sua plebem Caath. quasi L in eo exterminati essent, si sancta sanctorum nuda & patentia contigissent, quæ non solum non contingere, sed ne intueri quidem fas erat non velata. Si intellexisti quid historiæ ordo contineat, ascende nunc ad splendorem mysterij: & legis spiritalis lumen, si purus tibi est mens oculus, contuere. Si quis dignus ex iis qui Deo ministrant, diuina capere & videre mysteria, ad quæ contuenda cæteri minus capaces sunt, hic Aaron, vel filius Aaron esse intelligitur, qui ingredi potest ad ea quæ adire aliis fas non est. Si quis ergo talis est, huic soli reuelata patet arca testamenti, hic videt vrnam intra se habentem manna, hic considerat & intelligit propitiatorium. Hic intuetur & Cherubim vtrunque, & mensam sanctam, & candelabrum luminis, & altare incensi. Iste hæc considerat, & intelligit spiritaliter, id est, qui verbo Dei & sapientiæ mysteriis operam dat, & Deo soli in sanctis vacat. Sciat sane cui hæc reuelantur, & spiritaliter inspicienda creduntur, non sibi tutum esse aperire ea, & pandere quibus non licet pandi, sed operire debet singula, & operta cæteris minus capacibus tradere portanda in humeris, & ceruicibus imponenda. Cum enim ex verbis mysticis eruditi, & perfecti quoque doctores opera populis iniungunt, & plebis agit quidem & implet quę mandantur, non tamen eorum quæ geruntur intelligit rationem: quid aliud geritur, nisi o- M perta & velata sancta sanctorum super humeros portantur? Et vt adhuc manifestius quæ dicuntur aduertas, exemplis te ex diuinis voluminibus adhibitis informabimus. Moyses intelligebat sine dubio quæ esset vera circuncisio, intelligebat quod esset verum pascha, sciebat quæ essent veræ neomeniæ, & quæ vera sabbata: & cum hæc omnia intellexisset in spiritu, verbis tamen ea per rerum corporalium species adumbrationésque velabat: & cum sciret verum pascha immolandum esse Christum, ouem corporalem immolare mandat in pascha. Cúmque sciret diem festum agi debere in azymis synceritatis & veritatis, tamen de farinæ azymis præcipiebat agi diem festum. Hæc ergo & huiusmodi erant sancta sanctorum, quæ cum Moyses portanda cæteris traderet, id est, rebus & operibus implenda, cooperta tamen ea, & velata communi sermonum tradebat eloquio. Humeri autem quod operum indicium teneant, in multis scripturæ sæpe locis ostendimus. Sed & in ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conuersi orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum. Sed & eucharistiæ siue percipiendæ, siue eo ritu quo geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum, gestorúmque,

Num. 4. *Moyses intelligebat quid vmbræ legis significarent.* *Non omniũ traditionũ ecclesiæ ratio cõperta.*

A storúmque, & ordinum, atque interrogationum ac responsionũ, quis facile explicet rationẽ? Et tamen omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cũ ita implemea & exequimur, vt à magno pontifice, atque eius filiis tradita & commendata suscepimus. Cuncta hæc ergo & horum similia cum gerimus, nec tamen eorum assequimur rationẽ, leuamus humeris nostris, & portamus adoperta & obtecta diuina mysteria: nisi quis sit inter nos Aaron, aut filius Aaron, quibus ista conceditur nuda & reuelata perspicere. Ita tamen conceditur, vt sciant sibi velanda hæc. & operienda, vbi cæteris dari ea & in opus proferri ratio poposcerit. Post hæc dicitur de Leuitis, qui operentur à vicesimo quinto anno, & supra vsque ad quinquagesimum annum. [Omnis, inquit, qui procedit ad opus operum, & ad opera quæ portantur tabernaculi testimonij.] Obserua in his distinctionem sermonum scripturæ diuinæ. Vbi de operibus filiorum Israel loquitur, non dicit opera operum, sed sola opera. Vbi verò de officiis leuitarum, non dicit sola opera, sed opera operum. Sicut enim sunt quædam sancta, sunt autem & alia sancta sanctorum: ita sunt quædam opera, & alia opera operum. Vnde videtur mihi quia Moyses vbi sensit esse quædam opera visibilia quidem, sed quibus inesset interior alia mystica & occulta intelligentia: hæc non solum opera, sed opera operum dixerit: quæ verò communia, & præsentis solum temporis opera intellexit, hæc solum opera nominauerit. Sunt ergo quædam opera operum,

Nota propter eos qui omniũ quæ in Missæ mysteriis geruntur causam quærunt.

Opera operum.

B quæ ego puto esse omnia hæc, de quibus vel in præsenti lectione, vel in Exodo & cæteris locis sub occultis præcipitur mysteriis, & pro parte præsenti, pro parte verò explendis in futurum. Quæ tamen (vt diximus) opera operum, non cuilibet, sed leuitis solis tradenda mandantur. Et inter Leuitas ipsos non prius ad hæc opera quisquam vocatur, nisi à vicesimo demum & quinto anno vitæ suæ vsque ad quinquagesimum. Sed non caret sacramento ne ipse quidem vigintiquinque & quinquaginta numerus annorum. Nam in vigintiquinque numero, quinque sensuum perfectio declaratur, ita vt quinquies quina numerantur. Quod vtique indicat eum vocari ad opera operum in mysterio peragenda, qui ex omni parte multiplicatis & purificatis sensibus inuenitur esse perfectus. Quinquagesimus autem numerus quod remissionis & indulgentiæ teneat sacramentum, in multis scripturarum locis sæpe & abundanter ostendimus. Nam & quinquagesimus annus est qui & Iubileus dicitur apud Hebræos, in quo & possessionum & seruitutis & debiti fit remissio, & quinquagesimus dies post pascha festus traditur in lege. Sed & dominus in euangelio cum parabolam remissionis doceret & indulgentiæ, debitores quos introducit, vnum in quinquaginta, & alium in quingentis fuisse denariis dicit obnoxios. Quinquaginta autem & quingenti cognatus est numerus. Decadæ enim quinquaginta faciunt quingentos. Sed & ex alia parte numerus iste sacratus fit. Septem enim septimanis si addatur vnius numeri perfectio, quinquaginta faciunt dies. Similiter & septuaginta septimanis si adddatur vnius decadæ consummatio, faciunt quingentos. Quod & si abundantius adhuc sacramenta quinquaginta & quingentorum numeri placet colligere, habemus & in hoc ipso qui in manibus est Numerorum libro, vbi de hostium spoliis quidam quidem offerunt in dona dei quinquagesimam portionem, qui non processerunt ad bellum, quidam verò quingentesimam, & vtique non inaniter etiam hic quinquagesimus, & quingentesimus numerus habetur. Sed & in Genesi vbi deus tractabat de indulgentia Sodomorum si forte possent ad veniam peruenire, huiuscemodi mysteriorum conscius patriarcha Abraham à quinquagesimo numero incipit pro indulgentia Sodomorum domino supplicare, & dicit: Si inuenti fuerint quinquaginta in ciuitate, non saluabis propter quinquaginta ciuitatem? Sed ad propositum reuertamur. Oportet ergo operari Leuitas in sanctis vsque ad quinquaginta annos, inferiores quidẽ opera, meliores verò opera operum: horum autẽ superiores, spiritalibus officiis deseruire, & introire in sancta sanctorũ, ibiq; operire quæ operienda sunt, & tradere filiis Caath portanda

Iubileus. Leuit. 25

C

Num. 31

Gen. 18

humeris, & manibus euehenda. Sed & reliquis vnicuique se- D cundum ea quæ iam superius sæpe disserta sunt, ordinantur. Verum ne nimia hæc operimentorum velamentorúmque cautela desperationem quandam & mœstitiam generet auditoribus, pauca aliqua quæ & nobis pandere tutum sit, & vobis fas sit aspicere, quoniam quidem (vt prius diximus) genus regale & sacerdotium, gens sancta & populus in acquisitione dicti sumus, aperire tentabimus. Intelligamus ergo tabernaculum testimonij omnes sanctos, qui sub testamento dei cẽsentur: & in hoc tabernaculo esse quosdam celsiores meritis, & gratia superiores: & ex iis aliquos quidem candelabrum dici, ipsos forte apostolos, qui illuminant accendẽtes ad deum. Sed & si qui alij sunt, qui in hoc tabernaculo dei omnibus ingredientibus scientiæ & doctrinæ lumen ostendunt, omnes isti candelabrum mysticum nominentur. Alij sint mensa sacra, scilicet quicunque habent panes dei, & reficiunt ac pascunt animas esurientes iustitiam. Alij sint altare incensi, quicunque orationibus & ieiuniis die ac nocte vacant in templo dei, orantes non solum pro semetipsis, sed & pro vniuerso populo. Ii verò quibus arcana mysteria credidit deus, & occultorum prouidentiæ suæ iudiciorum secreta commisit, arca testamenti dei appellentur. Porrò qui cum omni fiducia per hostias precum, supplicationúmque victimas deum hominibus repropitiant, & pro delictis populi interueniunt, propiciatoriũ nominẽtur. At qui meruerint multitudinem scientię, & abundantes diuitias in agnitione dei, Cherubim intelligi possunt. Cherubim nanque in nostra lingua multitudo sciẽtiæ interpretatur. Sed hos omnes, qui per hæc singula quæ suprà enumerata sunt designantur, portari necesse est, & portari in humeris. Vnde fortassis (vt ego opinor) angeli qui ordinati sunt propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis, ipsi sint, qui singulos eorũ quos suprà diximus, E portant. Cum enim solutum fuerit tabernaculũ hoc, & cœpimus ingredi ad illa sancta, & pergere ad locum repromissionis, ij qui vere sancti sunt, & in sanctis sanctorum habentur, angelis sine dubio subuectantibus incedunt, & vsquequo requiescat tabernaculum dei portantur in humeris, & extolluntur in manibus. Quod prospiciens in spiritu propheta dicebat: Quoniam angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quod quidem dictum putauit diabolus de Saluatore accipiendum, sed cæcatus malitia, non intellexit eloquia domini mystica. Neque enim Saluator meus angelis indigebat, vt non offenderet ad lapidem pedem suum. Nanque calumniatur diabolus scripturam diuinam, qui hæc de Saluatore dicta protulerit: non de illo, sed de omnibus sanctis hoc dicitur, quia angelis suis mandauit deus pro populo suo, vt non offendat ad lapidem pedem suum. Sed & omnia quæ in hoc psalmo scripta sunt, iustis quibusque magis quàm Saluatori cõueniunt. F Liberat enim dominus à ruina, & dæmonio meridiano non Saluatorem, quod absit à nobis ita intelligere, sed omnem iustum. Iusti enim sunt, qui indigent adiutorio angelorum dei, vti ne à dæmonibus subruantur, & ne corda eorum sagitta volante in tenebris terebrentur. Per ipsos angelos sub eodem mysterio Paulus portandos esse quosdam confirmat in nubibus cum dicit: Sed & nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra. Rapiuntur ergo ab angelis ij qui penitus purgati, & leues effecti sunt à delictis. Portantur verò ij qui aliquibus adhuc reliquiis prægrauantur. Portantur verò & columnæ tabernaculi à quibusdam, & atria, & cætera quæ à scriptura referuntur. Portantur autem non ab Israelitis, sed à leuitis, secundum hunc sensum quem in transcursu videmur breuiter contigisse, relinquentes sensibus auditorum, vt si quis de iis maiore desiderio flagrauerit, accedat sibi lumẽ scientiæ, & maiora horum oculo perspicaciore conijciat. Nobis autem concedat dominus, vt à talibus operariis portati, & subleuati, liberemur & defendamur à sagitta volante in tenebris, & à ruina, & dæmonio meridiano, ne forte offendamus ad lapidem pedem nostrum, vsquequo perueniamus ad locum repromissionis sanctorum. Per Christum dominum nostrum, cui est honor in secula seculorum. Amen.

1. Pet. 2

Cherub propriè sicut multitudo, vel sicut infans.

Psal. 91

1. Thess. 4

G *De eo quod scriptum est, Exijt Moyses ad populum, & de septuaginta presbyteris, & de Aethiopissa, quam Moyses accepit vxorem. Ex Num. Cap. XI. Homil. VI.*

PLVRA nobis simul recitata sunt, & de omnibus iis dicere, nec temporis breuitas, nec mysteriorum magnitudo permittit. Licebit tamen ex ingentibus campis paucos flosculos legere, & non quantum ager exuberat, sed quantum odoratui sufficiat carpere. Sicut & cum quis accedit ad fontem, non ei tantũ haurire necesse est, quantum vena diues effuderit, sed quantum arentes siti mitiget fauces, ne forte plus iusto sumpta, fiat potanti salubris vnda pernicies. [Et exiit, inquit, Moyses ad populum, & loquutus est ad eum verba Domini.] Donec verba Domini audit Moyses & ab ipso docetur, intus est, & in interioribus consistit, atque in intimis secretis habetur. Vbi verò turbis loquitur & populis, ministrat ei qui intus non potest stare, exire dicitur foras. Quid ergo formæ talis continet sermo? Quod omnis doctor, & magister ecclesiæ si de profundioribus mysteriis aliquid moueat, si arcanum quid & reconditum de Dei sapientia proferat inter perfectos, donec in profundis sensibus versatur, intus esse, & in interioribus consistere dicendus est. Cum verò loquitur ad turbas, & ea H profert quæ sufficiant iis qui foris sunt, & quæ potest vulgus audire, foras dicitur exisse, & loqui ad populum verba Domini. Hoc video & Paulum fecisse, & intus quidem fuisse, *1.Cor.2.* cum diceret: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi, neque principum huius mundi, qui destruentur. Sed loquimur Dei sapiẽtiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius mundi cognouit. Vides quomodo intus est, & interna atque arcana diuinæ sapientiæ penetrat Paulus, cum hæc loquitur. Cum autem procedit ad populum, audi quid loquitur: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, & qui furabatur, iam non furetur: & vnusquisque vir vxorem suam habeat: & vnusquisque proximum suum sicut seipsum diligat, & vnaqueque mulier virum suum habeat. Hæc & si qua huiusmodi sunt, Paulus secundum Moysis formam foras exiens ad populum, loquitur. Sed videamus & aliud caput, in quo refertur quod septuaginta viros elegerit Moyses ex senioribus populi, & habuerit eos ante tabernaculum testimonij, & de spiritu Moysi accipiẽs Deus dederit septuaginta senioribus, [& cum *Num.11.* requieuisset, inquit, super eos spiritus, prophetauerunt omnes.] Quod dixit, quia assumens de spiritu Moysi, dedit septuaginta senioribus spiritum, non ita intelligas quasi materialem aliquam, corporeámque substantiam auferens Deus à *Spiritus sanctus nõ secabilis.* Mose in septuaginta secuerit portiones, & ita vnicuique seniorum exiguam particulam dederit. Impium est ita intelligere I naturam spiritus sancti. Sed hoc modo figuram mystici huius sermonis aduerte, quasi Moses, & spiritus qui erat in Mose, clarissimi cuiusdam luminis fuerit lucerna, ex qua alias septuaginta lucernas accenderit Deus, ad quas ita principalis illius luminis splendor peruenerit, vt origo ipsa luminis nihil damni ex commercio deriuationis acceperit. Et hoc modo pie intelligitur quod scriptum est, [quia abstulit Dominus de spiritu Moysi, & dedit septuaginta senioribus.] Sed videamus quid est quod ait in consequentibus. [Et requieuit, inquit, super eos spiritus, & prophetarũt omnes.] Requiescere spiritum non in quibuscunque hominibus legimus: sed in *In quibus requiescit spirit' Dei.* sanctis & beatis. Requiescit enim spiritus Dei in iis qui mundo sunt corde, & in iis qui purificant animas suas à peccato: sicut econtrario non inhabitat in corpore subdito peccatis, *Sap.1.* etiam si habitauit aliquando in eo. Non enim potest spiritus sanctus consortium pati & societatem spiritus mali. Certum est enim peccati tempore adesse in corde vniuscuiusque spiritum malum, & agere partes suas. Cui vtique cum locus datur, & recipitur à nobis per cogitationes malas, & concupiscentias pessimas, contristatus, & (vt ita dicam) coangustatus fugatur de nobis spiritus sanctus. Propter quod & *Ephe.4.* Apostolus sciens hæc ita accidere, monebat dicens: Nolite cõtristare spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis. Igitur peccantes contristamus spiritum sanctum: iuste verò agentes, & sancte, requiem ei paramus in nobis. Vnde & quod nunc ait de septuaginta presbyteris, quia requie-K uit in eis spiritus, laudem vitæ eorum, & virtutes exposuit. Denique quia pro puritate cordis eorum, & syncerit ate mentis, atque intelligentiæ capacitate requieuit spiritus sanctus, continuo & operatur in eis, nec otium patitur, vbi operandi materia digna suppeditat. Ait enim scriptura: [Et requieuit *Num.11.* in eis spiritus, & prophetauerunt.] In omnibus ergo qui prophetauerunt requieuit spiritus sanctus, nec tamen in aliquo ipsorũ ita requieuit, sicut in Saluatore. Propter quod & scriptum est de eo, quia exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei; spi- *Esa.11.* ritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & virtutis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Sed fortasse dicit aliquis: Nihil amplius ostendisti scriptum de Christo, quàm de reliquis hominibus. Sicut enim de cæteris dictum est, quia requieuit super eos, ita & de Saluatore dictum est, requiescit super eum spiritus Dei. Sed vide quia supra nullum alium spiritus Dei requieuisse septemplici *Super solũ Christum spirit' Dei requieuit septempliciter.* hac virtute describitur, per quod sine dubio ipsa illa diuini spiritus substantia, quæ quia vno nomine non poterat, diuersis vocabulis explanatur, requiescere super virgam quæ de stirpe Iesse procederet, prophetatur. Habeo & aliud testimonium quo docere possum in Domino & Saluatore meo spiritum sanctum eximio quodam genere, & longe aliter requieuisse, quàm refertur in cæteris. Dicit enim Ioannes Ba- L ptista de eo: Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem *Ioan.1.* in eo, ipse est. Si dixisset spiritum descendentem, & non addidisset manentem in eo, nihil præcipuum præ cæteris habere videretur. Nunc autem addidit, & manentem in eo, vt esset hoc signum in Saluatore, quod in nullo alio posset ostendi. De nullo enim scriptum est, quia manserit in eo spiritus sanctus. Et ne quis me putet in hoc derogare Prophetis, sciunt ipsi quia non eis derogo, præferens eis Dominum meum Iesum Christum. Recolunt enim singuli dicta sua, & inueniunt quod de nullo alio dictum est, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quia enim solus est sine pec- *Esa.53.* cato, qui peccatum non fecit, idcirco in ipso solo mansit & permansit spiritus. Si enim ipse est de quo singulare aliquid & eximium dicitur, hoc quod suprà diximus quia peccatum non fecit, constat reliquos omnes fuisse sub peccato. Si omnes, necessario & Prophetas. Et quomodo conueniet vt tem- *Prophetæ potuerunt peccare.* pore peccati mansisse in eis dicamus spiritum sanctum? Aut si tibi incredibile videtur Prophetas postquàm acceperant spiritum potuisse peccare, ad hunc ipsum Moysen quem habemus in manibus reuertamur, qui vtique maximus est, & eximius Prophetarum. Ipse de se scribit, & testimonium dat de semetipso, quia peccauerit in eo quo dixit: Audite me in- *Num.20.* creduli. Nunquid de petra ista producere vobis poterimus aquam? In ijs enim dictis non sanctificauit Dominum in aqua M contradictionis: id est, non est fisus in virtute Dei, & non dixit, quia potens est Deus de petra hac educere vobis aquam: sed quasi ex diffidentiæ cuiusdam fragilitate respondit, dicens: Nũquid poterimus vobis de petra hac educere aquam? Quia ergo peccatum ei in iis verbis reputatur à Deo, certum est quod hæc cum loqueretur, non de spiritu sancto loquutus sit, sed de spiritu peccati. Quod si scripturæ testimonio tantus propheta Moyses ostenditur aliquando habuisse in se spiritum Dei, aliquando verò non habuisse, peccati scilicet tempore, certum est quia & de reliquis prophetis similis forma tenenda sit. Quid autem & de Dauid dicam? qui pro spiritu sancto, tanquam qui à se possit auferri, orat ne auferatur, & dicit: Ne proijcias me à facie tua, & spiritũ sanctum tuum *Psal.51.* ne auferas à me. In sequentibus verò tanquam pro culpa ablatum à se munus reposcit, & dicit: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Quid verò etiam de Salomone commemorem? quem vtique nemo dicet, aut sine spiritu sancto iudicasse iudicia, vel templum Domino construxisse: aut rursus in sancto spiritu dæmonibus templa fecisse, aut impiis mulieribus flexisse latera sua. Etiam ille Propheta, qui in tertio Regnorum libro in Bethel mitte- *3.Reg.13.* batur à Domino, in spiritu vtique Dei, verba Dei loquutus est: non tamen in spiritu Dei præuaricatus esse præceptum Domini

A Domini credendus est, quo iussus fuerat non măducare panem in Bethel, propter quod & à leone perimitur. Sed longum est ire per singulos. Ego autem licet non vsquequaque pronunciem, puto tamen quod sint nonnulla etiam communium hominum gesta, quæ quanuis peccato careant, non tamen digna videantur quibus interesse putemus spiritum sanctum. Vt verbi gratia dixerim, connubia quidem legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur præsentia sancti spiritus dabitur, etiam si Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur. Sed & alia plura sunt, in quibus sufficit sola vis humana, & neque vis indiget, neque decet adesse prẽsentiam spiritus sancti. Sed in hæc per excessum quędam incurrimus, dum ostendere volumus, super solum Dominum, & Saluatorem meum Iesum mansisse semper spiritum Dei, in cæteris autĕ omnibus sanctis, & sicut in lxx. senioribus, à quibus verbi huius processit exordium, requieuisse tantum spiritum Dei, & operatum esse in tempore eo, quo expediebat iis per quos operabatur, & vtile erat iis, quibus ministrabatur. Sed & in consequentibus continet lectio quæ recitata est, quod Moyses Æthiopissam duxerit vxorem, & Maria atque Aaron detraxerint de Moyse cur Æthiopissam duxerit, & aiunt: [Nunquid soli Moysi loquutus est Dominus? Nónne & nobis loquutus est? Et audiuit, inquit, Dominus.] Et post hæc iubet eos exire ad tabernaculum testimonij, atque ibi iudicio quodam habito leprosa efficitur Maria vsque ad certum tempus, & sic reuocatur ad castra.

3.Reg.13. — *In cõiugali actu nõ datur spiritus sanctus.* — *Num.12.*

B Quod vt compendiosius explicemus, Mariam dicimus formam habuisse plebis prioris. Moysen, id est, legem Domini trăsisse ad connubium Æthiopissæ huius, quæ ex gentibus congregata est. Hanc ergo Moyses, id est, lex spiritalis accepit vxorem: & pro hoc facto Maria, quæ nunc synagoga est, indignatur, & detrahit, vna cum Aaron, cum sacerdotibus scilicet & pharisæis. Derogat ergo vsque in hodiernum Moysi nobiscum posito plebs illa, & turpe ei videtur, quia circuncisionem carnis non docet apud nos, nec obseruationem sabbati, nec neomeniæ, nec sacrificia sanguinis: sed circumcisionem cordis, & peccandi otium, diésque festos in azymis synceritatis, & veritatis, & sacrificia laudis, & non iam pecudum, sed vitiorum cædi victimas monet. Iudicat ergo de iis Deus, & nuptias Æthiopissæ confirmat: & Moysen quidem libenter cum ea habitare sinit, ac requiescere: Mariam verò eijcit extra castra, & porrò facit à tabernaculo testimonij, cum qua eijcitur etiam Aaron. Insuper autem & leprosa efficitur Maria. Aspice nunc ad illam plebem, & vide quanta in illa est lepra peccati, quanta intelligentiæ caligo, quanta obseruantiæ fœditas, quanta turpitudo conspectus. Veruntamen hæc lepra non perpetuo permanet, sed

C vbi septimana compleri cœperit mundi, reuocabitur ad castra. In fine enim mundi cum plenitudo gentium introierit, tunc etiam omnis Israel saluabitur, & tunc est cum cessabit lepra de facie Mariæ: recipiet enim decus fidei, & splendorem Christi agnitionis accipiet, & restituetur vultus eius, cum fiet vterque vnus grex, & vnus pastor. In quo vere dicendum est: O altitudo diuitiarum sapientię, & scientiæ Dei, qui ita conclusit omnes sub peccato, vt omnibus misereatur in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Rursum de Aethiopissa, & de lepra Mariæ quæ superfuerant. Ex Num. Cap. XII. Homil. VII.

SICVT Apostolus dicit, hęc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter commonitionem nostram: quæro quid commonitionis accipiamus ex eo quod lectum est nobis, quia detraxerunt Aaron & Maria de Moyse, & propter hoc correpti sunt, Maria verò etiam leprosa efficitur. Tanta autem fuit cura correptionis huius, vt dum Maria septimanæ tempus expleret in lepra, populus Dei non ageret iter ad terram repromissionis, ne tabernaculum testimonij moueretur. Primo interim moneor, & vtiliter ac necessario moneor ex hoc facto ne detraham fratri, ne male loquar de proximo meo, ne aperiam os meum ad derogandum non solum sanctis, sed & quibuslibet proximis meis. Vides quanta ex hoc indignatio Dei fuerit, quanta vindicta processerit. Denique

1.Cor.10.

D aduersum peccatum istud simili indignatione etiam in Psalmis Deum commoueri videmus, & dicere: Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Similiter autem & in alio Psalmo ex persona iusti scientis hoc Deo quàm maxime displicere dicitur: Detrahentem occultè aduersus proximũ suum persequebar. Ex iis igitur omnibus diuinæ scripturæ sermonibus, velut gladiis quibusdam vtrinque acutis, obtrectandi fratribus, & derogandi sanctis vitium resecemus. Lepra enim consequitur derogantes & cacologos, id est, maleloquos. Post hæc autem à moralibus ad intelligentiam mysticam transeamus. Quãuis & in superiore tractatu pauca iam dicta sint, tamen quæ defuisse videntur, addemus. Videamus ergo quis est qui derogat Moysi, quis de eo male loquitur. Non solum Iudæi, sed & hæretici, qui non recipiunt legem & prophetas, etiam ipsi detrahunt de Moyse. Denique solent ei etiam crimen impingere, dicentes: quia homicida fuit Moyses, interfecit enim Ægyptium: & alia multa, vel in ipsum, vel in prophetas blasphemo ore concinnant. Isti ergo quia detrahunt Moysi, habent lepram in anima sua, & sunt in homine interiore leprosi, & ideo habentur extra castra ecclesiæ Dei. Siue ergo hæretici sint qui derogant Moysi, siue de ecclesia sint qui detrahunt fratribus, & male loquũtur de proximis suis, omnes qui hoc vitio aguntur, dubitandum non est quin leprosi sint in

Psal.101. — *In maledicos.*

E anima sua. Et Maria quidem interueniente Aaron pontifice septima die curatur: nos verò si in obtrectationis vitium inciderimus, in animæ lepram, vsque ad finem septimanæ mundi, id est, vsque ad resurrectionis tẽpus leprosi in anima permanemus, & immundi: nisi dum pœnitendi tempus est, corrigamur, & conuersi ad Dominum Iesum, ac supplicantes ei per pœnitentiam purgemur ab immunditia lepræ nostræ. Ego autem puto quod non solus ille populus prior, neque soli heretici, de quibus supra memorauimus, detrahũt de Moyse: sed & omnis qui scripta eius male intelligit, & qui spiritalem legem carnaliter suscipit, Moysi derogat: quia de verbis spiritus carnaliter homines docet. Audistis quid sibi iudicij obtrectatores & maleloqui, & quid damnationis adquirant: audite nunc & quantum beneficij conferant iis, quibus obtrectant. Nunquã inuenimus tantas laudes Deũ dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est. Audi ergo in consequentibus quid referat, & quibus Moysen laudibus efferat spiritus sanctus. [Et descendit, inquit, Dominus in columna nubis, & stetit ad ostium tabernaculi testimonij. Et vocati sunt Aaron & Maria, & steterunt ambo, & dixit ad eos: Audite verba mea. Si fuerit Propheta quis vestrum Domini, in visionibus ei agnoscar, & in somnis loquar ei, non sicut famulo meo Moysi, qui in tota domo mea fidelis est, os ad os loquor ad eum,

Qui Moysi detrahant.

F in specie, & non in ænigmate, & gloriam Domini vidit. Et quare non timuistis detrahere famulo meo Moysi? Et ira furoris Domini facta est super illos, discesserunt, & nubes discessit à tabernaculo, & ecce Maria facta est leprosa sicut nix.] Videte quid sibi pœnæ contulerint obtrectatores, quid verò illi cui obtrectauerant, quęsiuerint laudis. Sibi turpitudinem, illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam, sibi opprobrium, illi magnificentiam quæsiuerunt. Veruntamen Moyses priusquam acciperet Æthiopissam, non est scriptum quia in specie loquutus sit ei Deus, & non in ænigmate: sed vbi accepit Æthiopissam, tunc dicit de eo Deus, quia os ad os loquar ad eũ, in specie, & non in ænigmate. Modo enim cum Moyses venit ad nos, & coniunctus est huic nostræ Æthiopissæ, lex Dei iam non in figuris, & in imaginibus sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur: & quæ prius in ęnigmate designabantur, nunc in specie & veritate complentur. Et ideo ille, qui species figurarum & ænigmatum disserebat, dicit: Scimus autem quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra. Petra autem erat Christus. Vides quomodo ænigmata legis Paul[9] absoluit, & species ænigmatũ docet, & dicit quia petra in ænigmate erat apud Moysem, antequam iungeretur huic nostræ Æthiopissæ. Nunc in spe-

1.Cor.10.

G cie petra Christus est. Nunc enim os ad os loquitur per legē Deus. Antea in ænigmate fuit baptismus in nube & in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Quia caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Sic ergo iam nunc Moyses apud nos positus, & huic Æthiopissæ coniunctus, vel ipse ad nos, vel deus ad ipsum non loquitur in ænigmate, sed in specie. His autem additur: [Et gloriam inquit, domini vidit.] Quando vidit Moyses gloriam domini? Ego tunc dico, quādo transformatus est dominus in mōte, & aderat ei Moyses cum Elia, & colloquebantur ei. Et ideo recte in consequentibus adiungit. [Et quare non timuistis detrahere famulo meo Moysi?] Quod euidenter vtique ad eos dictum dirigitur, qui euangelia quidē suscipere videntur, derogant autem Moysi, & merito arguūtur, quia cum discant per euangelium quod Moyses vna cum Elia vidit gloriam domini, legi & prophetis ausi sunt derogare. Et ideo nos non detrahamus Moysi, nec derogemus legi, sed simus non solum auditores legis, sed & factores, vt cū ipso Moyse conglorificari mereamur. Ego autem puto quod & illi materiam præstant ad derogandum Moysi, qui (verbi causa) cum legitur liber Leuitici, vel lectio Numerorum, non ostendunt quomodo hæc quæ in ænigmate scripta sunt, intelligi per speciem debeant, id est, qui non spiritaliter ea quę in legē leguntur exponunt. Necessario enim qui audiunt ri- H tum sacrificiorum, vel sabbatorum obseruantiam, vel cæterorum similium in ecclesia recitari, offenduntur, & dicunt. Quid hoc necesse est in ecclesia legi? Quo nobis prosunt prę cepta Iudaica, & spreti populi obseruantiæ? Hæc Iudæorum sunt, & Iudæi de iis viderint. Ne ergo huiusmodi offendicula auditoribus accedant, danda opera est ad scientiam legis, & secundum hoc quod spiritalis est lex, intelligenda & explananda sunt omnia quæ leguntur, ne doctorum causa, imò desidia & negligentia, ab imperitis & indoctis derogetur Moysi, sed conuertamur ad dominum, vt auferat à nobis velamen literæ: vt non nobis deformis vultus Moysi, sed gloriosus ac decorus appareat, ita vt non solum non obtrectemus, sed & pro magnitudine sensuum, laudem ei & gloriam conferamus. [Et ira furoris domini facta est super illos, & discesserunt, & nubes recessit à tabernaculo, & ecce Maria facta est leprosa sicut nix.] Ira furoris domini efficitur super eos, qui male loquuntur, & detrahunt. Veruntamen quod dicit, & nubes recessit à tabernaculo, & ecce Maria facta est leprosa sicut nix, considerandum diligentius est, quod prius recedit nubes, & ita lepra repletur: vt ostendatur quia etiam si est in aliquo gratia sancti spiritus, & obtrectat, & detrahit, recedit ab eo post obtrectationem, & sic lepra repletur ani- I ma eius. Nam & populus ille prior habuit in se gratiam dei, sed postquam in verum Moysen dominum nostrum Iesum Christum extenderunt linguas blasphemiæ suæ, discessit ab illis nubes, & transiuit ad nos in montem excelsum, cum Saluator noster transformatus est, & nubes refulgens obumbrauit discipulos eius, & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi bene complacui. [Post hoc ergo Maria facta est leprosa sicut nix.] Donec aderat nubes, Maria non erat leprosa, sed cum discessit. Donec enim visitatio dei erat in populo illo, non erat leprosus. Vbi verò discessit, ignominia vultus sui contexit eum. Sed & nos timeamus ne forte effugemus à nobis hanc nubem male loquendo, male agendo, male cogitando, & tunc apparebit in nobis lepra peccati, cum deseruerit nos gratia dei. [Et respexit Aaron ad Mariam, & ecce erat leprosa. Et dixit Aaron ad Moysen: Precor domine ne contuleris in nos peccatum, quoniam ignorauimus quod peccauimus. Ne fiat similis morti, & vt aborsus eiectus de vulua matris. en comedit dimidium carnis eius.] Vult in hoc ostendere quod populus ille formatus quidem fuerit in vulua matris suæ synagogæ, non tamen peruenire potuerit ad perfectum & integrum partum. Sicut enim aborsus imperfectus & incompositus est partus: ita & ille populus aliquātō quidem tempore intra vuluam matris, hoc est, intra synagogæ institutionem positus fuit: sed peccatis intercedentibus, formari ad integrum, viuificarique

Ioan. 6

Matth. 17

Quinam Mosi derogent.

Cur Moses legatur in Ecclesia.

non potuit: & ideo abiecti sunt velut aborsus imperfectus, K & immaturus, peccato scilicet consumente dimidium (vt ait) carnis eius. Est tamen interdum & aborsus bonus. Bonus autem aborsus dicitur cum aliis comparatur, sicut & Ecclesiastes ait. Et dixi: Bonus est aborsus magis quàm ille. Qui ille? Qui in vanitate, inquit, incedit, & in tenebris ambulat. Non ergo absolute bonum dicit aborsum, sed bonum magis quàm vitam, quæ in vanitate ducitur, & in tenebris ignorantiæ. Et fit apud eum quædam comparatio singulorum. Dicit enim & alibi ipse Ecclesiastes, bonos esse mortuos magis, quàm viuentes. Quibus rursus si comparesaborsum, bonum esse dicat super vtrumque. Si ergo consideres qui sunt viui, & qui sunt mortui, quibus aborsus melior sit pro eo quod ne gustauerit quidem vitæ mundi huius auspicia, inuenies quæ sint in comparatione ista differentiæ. Considera ergo quia non alios ibi nominat viuentes, nisi de quibus dicitur in psalmis: Veruntamen vanitas omnis homo viuens. Omni ergo homine qui in vanitate viuit. Non enim omnis vitæ in vanitate est, sed illa vita quæ secundum carnem est, & secundum errores ac voluptates seculi, hæc est vita vanitatis, & super hanc est omnis qui huic vitę mortuus est, & qui dicit: Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo: & de quo dicitur: Mortui ergo estis cum Christo. Isti ergo meliores sunt, quàm illi viuentes. Sed super hos esse dicitur aborsus, quia licet venisse videatur in carne, nulla tamen vanitatis vitæ huius sumpsit ini- L tia. Introducit tamen ecclesiastes & alium quendam (vt videtur) etiam isto meliorem, de quo dicit: Et optimus est super hos duos qui nondum natus est: hoc est, qui ne ad conclusionem quidem vuluæ carnalis, & corporeæ natiuitatis venit iniuriam. Sed & hoc ipsum quod dicit Ecclesiastes: Laudaui omnes mortuos magis quàm viuos, & eos qui viuūt vsque nunc, quomodo non euidenter ostendit quod eos dicat meliores qui mortui sunt mundo, & eos pronunciet inferiores qui viuūt mundo? Nam si secundum literam velis intelligere, quomodo laudandi sunt mortui magis quàm viuentes? Laudari enim solet quis in eo quod voluntate bona, & proposito gerit. Mors autem ista communis, nulli ex voluntate, nec ex proposito venit. Quomodo ergo dignus laude videbitur in eo quis quod conta propositum patitur? Alioquin laudabitur & Pharao rex Ægypti, qui submersus est in mare, super Mosen, qui de mari viuus euasit. Laudabuntur & Ægyptij qui mortui sunt in aquis, magis quàm populus dei, qui transiuit per siccum in medio mari. Non ergo ita intelligas, sed scito te laudandum esse mortuum cum potueris dicere: Christo concrucifixus sum. Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus. Si renunciasti seculo, si abiecisti vitia, si iam non moueris ad peccatum, sed mortuus es peccato, melior es quàm ille qui viuit M peccato, & erit in te mors ista laudabilis. Nam pro morte hac communi, quæ lege naturæ vnicuique venit, nemo laudatur. Hæc licet per excessum, commemorari tamen oportuit in eo loco vbi sermo dei Mariam pro culpa obtrectationis, & pro plaga correptionis aborsum dicit effectam, vt ostenderemus quia est & vituperabilis, est & laudabilis aborsus. Denique etiam Apostolus sciens in istis quibus suprà diximus ordinibus esse aliquam laudabilem aborsus ordinem, etiam de semetipso dicit: Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi: super viuentes se quidem & super mortuos, post eos tamē qui necdum nati sunt, numerās. Fit ergo sicut aborsus Maria. Non enim potuit populus ille ad perfectū formari in lege, sicut & Paulus pronūciat dicēs: Neminem enim ad perfectum adduxit lex. Deniq; & idē Apostolus de quibusdam quos à fide delapsos, & velut in aborsum conuersos ad perfectæ rursum natiuitatis instituta reparabat, ait: Filioli mei, quos iterū parturio donec formetur Christus in vobis. [Et proclamauit Moyses ad dominū dicens: Deus meus precor te sana eam.] Et quem oportebat orare ad dominum pro sanitate populi illius, nisi Moysen? Moyses orat pro illis. Et forte hoc erat quod cū domino Iesu Christo colloquebatur, cum in monte transformatus est, petens ab eo, vt cum plenitudo gentium introisset, tūc omnis Israel saluus fieret. [Et dixit dominus ad Moysen.

Si pater

Eccl. 6

Eccl. 5

Gal. 6

Col. 2. 3

Eccl. 4

Ibid.

Exod. 14

Gal. 2

1. Cor. 15

Heb. 7

Gal. 4

A Si pater eius expuisset in faciem eius, nonne erubesceret septem diebus? Separetur septem diebus extra castra, & post hæc introibit.] Quid est, si pater eius expuisset in faciem eius erubesceret septem diebus? Mariam loco synagogæ posuimus, huic expuit pater eius in faciem. Signum repudij est in faciem conspui. Denique in lege scriptum est, vbi iubetur vt relictæ proximi proximus nubat, si voluerit proximus repudiare coniugium, vt discalciatus in faciem conspuatur, & hoc datum est velut signum repudij. Hinc ergo Maria, id est, populus ille cum repudiatur, à Deo conspui in faciem dicitur. Habemus & in alio loco significantiam sputi, cum dicit Esaias: Omnes gentes sicut guttæ situlæ, & sicut sputum reputatæ sunt. Ostenditur ergo in hoc, quod etiam populus ille sicut gentes cæteræ, quæ vt sputum reputantur, abiectus est. Et re vera si consideres honorem illum priorem, cum pontificalis apud eos ordo florebat, cum insignia sacerdotum, cum leuitica ministeria, cum maiestas templi, cum prophetalis splendor, & cum cœlestibus super terram consortiis vtebantur, quis honor fuit ille? quæ gloria? Et rursum si nunc aspicias quanto dedecore horrescant, sine templo, sine altari, sine sacrificio, sine propheta, sine sacerdotio, sine vlla cœlesti visitatione, dispersi per omnem terram, profugique viuētes: quis non euidenter agnoscat quod conspuit pater illius in faciem eius, & perfudit vultum eorum ignominia? Septem

Maria typus synagogæ.

Esa. 40.

B ergo diebus separatur extra castra. Diximus etiam in superioribus, quod septem dies isti, septimanam mundi istius designent. In septimana enim dierum, creaturæ totius visibilis substantiæ videntur esse productæ. Tunc enim quæ non erant, facta sunt. In septimana verò totius mundi, secreta quadam & Deo soli cognita dispensatione, quæ tunc producta sunt, explicantur. Interim in hac septimana qua sequestrata est Maria, non mouentur castra filiorum Israel, sed stant vno in loco conclusi, & nullus est eis omnino profectus, donec mundetur Maria à lepra sua. [Et post hæc, inquit, promouit populus ex Aseroth, & consederunt in deserto Pharan.] Aseroth interpretatur domus perfectæ. Proficiscitur ergo populus postquam Maria purgata est, à domibus perfectis, & venit in Pharan, quod interpretatur os visibile. Mihi videtur os visibile posse intelligi, quod verbum caro factum est, & inuisibilis visibilis effectus: & hoc significari, quod posteaquam finis & perfectio omnium quæ erga illum populum gerenda fuerant, venit, tunc transit, & venit ad eum, quem verbum carnem factum ante non credidit. [Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros, & considerent terram Chananeorum, quam ego do filijs Israel in possessionem, & reliqua.] In quibus de exploratoribus terræ narratur, qui missi renunciant quod terra quidem sit bona, & admirabilis: habitant autem in ea filij gigantum, in quorum conspectibus populus Dei quasi locustæ videantur. Et plures quidem desperant se posse saluari à filiis gigantum: Iesus tamen non desperat, sed confirmat populi fidem cum Caleb, qui est de tribu Iuda, & dicunt: [Si diligit nos Deus, introducat nos in terram hanc.] Quæ est ergo terra ista secundum spiritalem intellectum, quæ terra quidem sancta est, & terra bona, sed ab impiis habitatur? Qui sunt ergo isti hostes, qui habitant in terra sanctorum? Et quomodo eijciendi sunt, vt illis eiectis sancti succedant in locum eorum? Redeamus ad euangelia, redeamus ad apostolum. Euangelia sanctis promittunt regna cœlorum. Apostolus dicit: Nostra autem conuersatio in cœlis est. In cœlis ergo est locus hæreditatis, qui promittitur sanctis. Et quid putamus quod nullus nunc aduersarius sit in his locis quæ tibi promittuntur, quem tu debeas pugnando euincere, vt liber ad ea quæ tibi promittuntur loca euolare possis? Et quomodo dicit Dominus à diebus Ioannis Baptistæ, quia regnum cœlorum vim patitur, & vim inferentes rapiunt illud? Nisi enim essent quibus vis fieret, nūquam essent qui inde depelli & extrudi deberent, nunquam diceretur per vim diripiendū esse regnum cœlorū. Et nisi essent cum quibus certamen nobis esset ac prælium, nunquam diceret Apostolus: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus mundi huius rectores, tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. De quibus etiam illud Dei dictum diuinitus per Prophetam intelligendum videtur, vbi ait: Et inebriatus est gladius meus in cœlo. Necesse est ergo spiritales nequitias quæ in cœlestibus esse dicuntur, qui sunt veri Chananæi, vinci abs te, vt expeditus ad cœlestia regna transire possis, vt tu pro illis habites ibi. Scito tamen gigantes eos esse. Gigas dicitur omnis qui aduersus Deum resistit. Quicunque ergo aduersatur Deo, & contrarius est veritati, quod illi principaliter faciunt, merito gigas appellatur. Tibi ergo præstatur vt deuictis gigantibus intres in regnum quod illi perdiderunt, vt impleatur quod scriptum est: Quis accipiet à gigante spolia? vnde & Dominus dicebat in Euangelio: Nemo potest introire in domum fortis, & diripere vasa eius, nisi prius alligauerit fortem. Qui licet propter superbiam suam à domo cœlesti iam sit eiectus, tu tamen nisi viceris illum, non introibis in domum fortis. Nec vinci solum, verum & alligari illum oportet. Nisi enim alligetur, haudquaquam tutum esse poterit iter nostrum. Nunc ergo quantum ad comparationem humanæ, & dæmonicæ naturæ, nos locustæ sumus, & illi gigantes: & præcipue si dubia sit fides nostra, & si nos perterreat infidelitas, illi vere gigantes erunt, & nos locustæ. Si verò sequamur Iesum, & credamus verbis eius, ac fide eius repleamur, tanquam nihil erunt in conspectu nostro. Audi enim quomodo nos hortatur, & dicit: Si amat nos Deus, introducat nos in terram hanc, quoniam bona est, & fructus eius mirabilis. Typus ergo, & figura quæ præcessit in patri-

Gen. 1. et 2.

Num. 13.

C

Philip. 3.

Mat. 11.

Ephe. 6.

D

Esa. 34.

Esa. 40.

Matt. 12.

Num. 13.

E bus, completur in nobis. Eiecerunt illi gentes, & consecuti sunt hæreditatem eorum. Consecuti sunt enim omnem terram Iudææ, & Hierusalem ciuitatem, & montem Sion. Hæc in illis impleta sunt, ad te autem quid dicitur? Non inquit, accessistis ad ea quæ visibilia sunt, sed ad inuisibilia. Accessistis enim, inquit, ad montem Dei viuentis, & ad ciuitatem cœlestem Hierusalem, & ad multitudinem angelorum. Sed & alibi idem Apostolus dicit: Hierusalem autem quæ sursum est quæ est mater omnium nostrum. Si quis verbis Apostoli dicentis Hierusalem esse cœlestem, non accommodat fidem, potest & hæc verba nostra recusare. Si verò verbis Pauli fides adhibenda est, sicut & certe adhibenda est, & Hierusalem cœlestem esse credimus ad typum terrenæ huius, & quæ scripta videtur de hac terrena, ad illam cœlestem rectius spiritali intelligentia conferemus. Accessimus ergo (sicut Paulus dicit) ad cœlestem Hierusalem, sine dubio & ad cœlestem Iudæam: & sicut illi de terrestri Iudæa eiecerūt Chananæos, & Pherezæos, & Euæos, reliquasque gētes: ita & nos qui accessimus ad montem Dei, & ad regna cœlestia, necesse est vt debellemus contrarias potestates, & spiritalia nequitiæ in cœlestibus: & sicut illi eiecerunt Iebusæum de Hierusalem, & quæ prius Iebus vocata fuerat, postmodum appellata est Hierusalem: ita & nos oportet (vt ita dicam) expellere prius Iebusæum de Hierusalem, & sic hæreditatem eius consequi.

Hebr. 12.

Gal. 4.

Terrena Hierusalē & Iudæa typus cœlestis

F Sed illi quidem hæc faciebant armis visibilibus, nos verò inuisibilibus. Illi vincebant corporalibus præliis, nos autem spiritali certamine superamus. Quod si vis audire Paulus, qui non solum magister gentium, sed & militiæ huius magister est, quomodo pugnauerit prior, audi quid ipse de se scribat, sicut etiam & suprà memorauimus. Non est, inquit, nobis colluctatio aduersum carnem & sanguinem: sed aduersum principatus & potestates, aduersus rectores mundi huius, tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propterea & hanc pugnam spiritalem, atque inuisibilem pugnaturis, spiritalia arma, & inuisibilia tela componit, & dicit: Induite vos loricam charitatis, & galeam salutis, & adsumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere. Sed & gladium spiritus, inquit, adsumite, quod est verbum Dei. Cum ergo talibus te armaueris telis, sequens Iesum ducem, non verearis gigantes illos: videbis enim quomodo eos tibi subijciet Dominus Iesus: & sicut patres calcauerunt ceruices gentium, ita & tu calcabis super ceruices dæmonum. Ipse enim dicit iis, qui eum fideliter sequuntur: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Vult enim semper Iesus res mirabiles facere, vult de locustis vincere gigantes, & de iis quæ in terris sunt, cœlestes superare nequitias. Et fortasse hoc est quod dicebat in Euangeliis: quia qui

Ephe. 6.

Luc. 10.

Ioan. 14.

G credit in eum, non solum faciet illa quæ ipse fecit, sed maiora, inquit, horum faciet. Vere enim maius mihi videtur quod homo in carne positus, fragilis, & caducus fide tantum Christi & verbo eius armatus, superet gigantes dæmonum legiones. Quamuis ipse sit qui vincit in nobis, plus tamen esse dicit quod per nos vincit, quàm quod per se vincit. Tãtum est vt nos armis istis semper simus armati, & conuersatio nostra semper in cœlis sit. Omnis motus noster, omnis actus, omnis cogitatio, omnis sermo cœlestis sit. Quanto enim nos illuc ardentius ascendimus, tanto illi præcipitantius ruent: & quãto nos magis augemur, tanto illi inferiores fient. Vita nostra si sancta sit, si secundum deum sit, illis conferet mortem. Si segnis & luxuriosa sit, potentes eos aduersum nos & gigantes faciet. Quanto ergo nos virtutibus crescimus, tanto illi inferiores efficiuntur, & fragiles. Sicut econtrario si nos infirmemur, & terrena requiramus, illi fortiores fiunt. Et quãto nos dilatamur in terris, tanto illis spatia in cœlestibus largiora concedimus. Vnde hoc magis agamus, vt nobis augescentibus, illi minuantur, nobis ingredientibus, illi pellantur, nobis ascendentibus, illi cadant: sicut & ille cecidit, de quo dicit dominus in Euangelio: Ecce vidi Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo: vt illis proiectis, introducat nos illuc dominus noster Iesus, & percipere regnum suum cœleste concedat. Ipsi gloria in æterna secula seculorum, Amen.

Luc.10

H

De iis quæ ab exploratoribus renunciantur, & de indignatione domini, ac supplicatione Moysi & Aaron, Ex Num. Cap. XIII. XIIII. Homilia VIII.

DVODECIM missi sunt inspectores ex filiis Israel ad considerandam terram, quæ eis fuerat repromissa. Iique post quadraginta dies regressi, diuersa renunciant. Nam decem ex iis in desperationem populum mittunt, ita vt velint abiecto Moyse eligere alium ducem, & reuerti in Ægyptum. Alij verò duo bona nunciãt, & cohortãtur populũ permanere in fide dicentes: [Si diligit nos dominus, introducat nos in terram hanc.] Sed populus infidelitatis desperatione præceps agitur, & ad lapidãdos eos qui bona nunciant, prosilit. Maiestas verò domini protegit eos in nubibus. [Et dicit dominus ad Moysen: Feriam eos morte, & interimam eos, & faciam te, & domũ patris tui in nationem magnam, & multo magis quàm hæc est.] Fit ergo tanta hæc comminatio à domino, non vt passibilis & iracundæ vitio subiacens ostendatur diuina natura, sed vt per hæc & Mosei charitas, quam erga populum habebat, & dei bonitas, quæ super omnem mentem est, innotesceret. Scribitur enim irasci deus, & cõminari interitũ populo, quo doceatur homo tantum sibi esse apud deum loci, tantúmque fiduciæ, vt etiam si sit aliqua in deo indignatio, obsecrationibus mitigetur humanis: tantumq; de eo impetrare posse hominẽ, vt & propria statuta conuertat. Bonitas enim, quæ subsequitur iracundiam, & Mosei fiduciam ostendit apud deum, & alienam ab iracundiæ vitio diuinam docet esse naturam. Simul & mysterium in seculis futuris explendum continet sermo, per quem promittit deus, quod alium populum hoc abiecto resuscitet. Ait enim: [Percutiam eos morte, & perdam eos, & faciam te & domum patris tui in nationem magnam, multo magis quàm hæc est.] Comminatio ergo hæc, non est iracundia, sed prophetia. Adsumẽda nanq; erat alia natio, id est, populus iste nationũ, sed non per Moysen. Excusauit nanque se Moyses. Sciebat enim, quia gens illa magna, quæ repromittitur, non per Moysen vocãda erat, sed per Iesum Christum. & non Mosaicus, sed Christianus erat populus appellandus. Idcirco igitur plurimum exorat Moyses pro populo illo. Dominus verò modum correptionis librata moderatione dispensat, & dicit. [Quia viri quidem, qui exierunt de Ægypto, & tẽtauerunt me, atque increduli permanserunt, cadent in deserto hoc, & non videbũt, inquit, terram, quam iuraui patribus eorũ: sed filij ipsorũ, qui sunt mecum hic, quicunque ignorant bonum vel malum.] Sit fortassis aliquid etiã secretioris mysterij in verbis domini dicẽtis: Filij eorum, qui sunt mecum hic. Vbi hic? Aut quomodo mecũ? Qui habet aures audiẽdi audiat. Nos interim dicimus quia patres nostri fuerunt ille populus prior, nos autẽ filij ipsorum sumus. Illi ergo quoniã peccauerũt, abiecti sunt & ceciderunt: nos autem filij ipsorum pro ipsis surreximus, & erecti sumus, qui nesciebamus bonum vel malum. Ex gentibus enim sumus, qui neque bona, quæ ex deo veniũt, noueramus, neque mala, quæ ex peccato generantur: si tamen succedentes in locum eorum qui abiecti sunt, tanti lapsus timeamus exemplum, audientes commonitionem Pauli dicentem. Vide autem seueritatem, & bonitatem dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Alioquin & tu excideris, & illi si non permanserint in incredulitate inserentur. Addit autem post hæc dominus, & dicit: [Filij verò vestri erũt incolæ in deserto quadraginta annis.] Et quid haberet mysterij numerus iste, declarat dicens: [Secundum numerum, inquit, dierũ quibus considerastis terram quadraginta diebus, pro die per annũ, recipietis peccata vestra quadraginta annis.] Timeo ego mysterij huius secreta discutere. Video enim quod peccatorũ in hoc ratio cõprehẽditur & pœnarũ. Si enim vnicuique peccatori annus adscribitur ad pœnã pro vnius diei peccato, & secundũ rationem dierum quibus peccatur, annorum totidem numerus in suppliciis consumendus est: vereor ne forte nobis, qui quotidie peccamus, & nullum forte vitę nostræ diem absque peccato transigimus, ne ipsa forte secula, aut etiam secula seculorum sufficere possint ad pœnas luendas. In eo enim quod populus ille prior pro quadraginta dierum delicto quadraginta annis cruciatur in deserto, nec terram sanctam introire permittitur, similitudo quædam futuri iudicij videtur ostendi, vbi peccatorum ratio discutiẽda est: nisi erit aliqua fortasse etiam bonorum operum compensatio, vel etiam eorum quæ in vita sua vnusquisque mala recipit, vt Abraham de Lazaro docuit. Sed hæc nullius est ad integrum nosse, nisi illius cui omne iudicium tradidit pater. Quod autem dies peccati in annum pœnæ reputetur, nõ solũ in hoc libro, in quo nihil omnino est quod dubitari possit, ostenditur, sed & in libello Pastoris, si cui tamen scriptura illa recipienda videtur, similia designantur. Sed fortasse aliquis neget bonitati dei conuenire, vt pro vnius diei peccato annum suppliciorum rependat: quinimmo dicet, etiam si diem pro die reddat, quamuis iustus, non tamen clemens videtur esse aut benignus. Audi ergo ad hæc si forte possimus difficultatem rei exemplis lucidioribus explanare. Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, aut neruorum iunctura resoluatur, sub vnius horæ spatio huiusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis postmodum cruciatibus ac doloribus exactis, multo vix tempore sanari: quanti enim tumores in loco, quanta tormenta generantur. Iam verò si accidat, vt in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum & sępius quis vulneretur, frequentiúsque frangatur, quantis hoc pœnis curari, & quantis potest cruciatibus medicari? Quanto autẽ tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur? & vix aliquando ita curabitur, vt vel debilitatem corporis, vel fœditatem cicatricis effugiat. Transi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. Et ne dubites peccatis eam velut telis & gladiis vulnerari, audi Apostolum monentem vt adsumamus scutum fidei, in quo possitis, inquit, omnia iacula maligni ignita extinguere. Vides ergo peccata, maligni esse iacula, quæ in animam diriguntur. Patitur autem & anima non solum vulnera iaculorum, sed & fracturas pedum, cum laquei parantur pedibus eius, & supplantantur gressus eius. Hæc ergo & huiusmodi vulnera quanto tempore putas posse curari? O si possemus per vnum quodque peccatum videre quomodo homo noster interior assidue vulneratur, quomodo sermo malus vulnus infligit! Non legisti: Dicunt quia vulnerant gladij, sed non ita vt lingua? Vulneratur ergo per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & cõcupiscentias malas, frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quæ si omnia videre possemus, & vulneratæ animæ sentire cicatrices, certum est quod vsque ad mortem resisteremus aduersum peccatum. Sed nũc sicut ij qui vel dæmone repleti, vel mẽte alienati

Rom.11 · Luc.16 · Pastor liber Apocriphus · Ephes.6 · Eccl.18

A alienati sunt, non sentiunt si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent: ita & nos vel cupiditatibus seculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. Et ideo consequentissima ratio est, pœnæ, id est, curæ ac medicationis, tempus extendi, & per vnumquodque vulnus pro qualitate plagæ medendi quoque spatia propagari. Sic ergo & Dei æquitas ac benignitas etiam in ipsis animæ suppliciis euidens fiet: & hæc audiens, qui peccauit, resipiscat, & vltra non peccet. Conuersi enim in præsenti vita, & pœnitentia fructuose gesta, celerem confert huiusmodi vulneribus medicinam. Quia pœnitentia non solum vulnus præteritum sanat, sed & vltra animam peccato non sinit vulnerari. Imò & illud adiiciam: verbi causa, si peccator sum, nunquid eadem mihi erit pœna si semel peccaui, quæ & si secundo, & tertio, & si frequentius peccem? non ita erit: sed pro modo, & numero & mensura peccati, etiam pœnæ quãtitas metienda est. Deus enim dabit nobis panem lachrymarum, & potabit nos in lachrymis, sed in mensura. Mensura autem hæc erit, quam sibi in hac vita vnusquisque vel minus vel amplius peccando quæsierit. Sed & calix in manu Domini vini meri plenus esse dicitur mixto. Miscebitur ergo sine dubio vnicuique, & fiet iudicium eius non solum ex malis quæ gessit, sed etiam ex bonis. Et tamen cum vtraque misceantur, fex eius, quam ego puto malorum partem dici, non ad integrum exinanietur. Sed

Pœnarum gradus.

Psal. 80.

B hæc (vt diximus) in manu Dei sunt, nostrum autem est ad emendationem citius festinare, ad pœnitentiam sine dissimulatione conuerti, lugere preterita, cauere futura, inuocare auxilium Dei: statim enim vt conuersus ingemueris, saluus eris. Inuenies enim aduocatum, qui pro te interpellat patrem, dominum Iesum Christum, multo præstantiorem quàm fuit Moyses, qui tamen orauit pro populo illo, & exauditus est. Et fortasse propterea Moyses scribitur interuenisse pro peccatis populi prioris, & impetrasse veniam, vt multo magis nos confidamus, quod aduocatus noster Iesus, indubitatam nobis veniam impetrabit à Patre: si tamen conuertamur ad eum, & non recedat retro cor nostrum. Sicut & Ioannes in epistola sua dicit: Hæc autem dico filioli, vt non peccetis. Quod & si peccauerit aliquis vestrum, habemus aduocatum apud Patrem, Iesum iustum, qui interpellat pro peccatis nostris. Ipsi gloria in æterna secula seculorum, Amen.

Ezech. 18.

1. Ioan. 2.

De batillis Chore, & seditione populi aduersum Moysen, & de virgis in quibus virga Aaron germinauit. Ex Num. Cap. XVI. XVII. Homilia IX.

C APVD Deum vt intelligi datur nihil est inutile, nihil otiosum, sed & ea quæ hominibus alienanda videntur & abiicienda, aliquid operis necessarij habere inueniuntur. Hunc autem nobis intellectum suggerit præsens lectio, quæ de batillis Chore, & reliquorum qui cum ipso peccauerunt, commemorat, quod ne hæc quidem iubet abiici Deus, sed fieri ex eis laminas ductiles, atque ex iis altare circumdari. Refert ergo scriptura, quia ex præcepto Dei, [accepit, inquit, Eleazar filius Aaron sacerdotis batilla ærea, quæ obtulerunt ij qui exusti sunt, & fecerunt ex eis circulos, & apposuerunt eos altari, ad commemorationem filiorum Israel, vt non accedat quisquam alienigena, qui non est ex semine Aaron, imponere incensum coram Domino, ne fiat sicut Chore, & conspiratio eius, sicut loquutus est Dominus in manu Moysi.] Manifeste quodam in loco Dominus per prophetam dicit: Non sunt consilia mea sicut consilia vestra, nec cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ. Si apud homines hodie iudicaretur hæc causa, & apud ecclesiarum principes haberetur examen de iis (verbi causa) qui diuersa ab ecclesiis docentes diuinæ vindictæ pertulerint vltionem, nónne iudicarent, vt si quid loquuti sunt, si quid docuerunt, si quid etiam scriptum reliquerunt, vniuersa pariter cum ipsorum cineribus deperirent? Sed non sunt iudicia Dei sicut iudicia nostra. Audi enim quo modo de batillis eorum, qui contra Prophetam Dei insurrexerant, iubentur fieri laminæ, & in circuitu altaris affigi. Chore figuram tenet eorum, qui contra ecclesiasticam fidem, &

Esa. 55.

Chore hæreticorum figura.

D doctrinam veritatis insurgunt. Scriptum est ergo de Chore, & de cœtu eius, quod in batillis æreis incensum obtulerint ignis alieni. Et iubetur quidem à Deo ignis alienus dispergi & effundi: [Batilla verò, inquit, quia sanctificata sunt, facito ea laminas ductiles, & circunda ex eis altare, quia oblata sunt coram Domino, & sanctificata sunt.] Hoc ergo mihi per hanc figuram videtur ostendi, quod batilla ista, quæ scriptura nominat ærea, figuram teneant scripturæ diuinæ. Cui scripturæ hæretici ignem alienum imponẽtes, hoc est, sensum & intelligentiã alienam à Deo, & veritati contrariã introducentes, incensum Domino non suaue, sed execrabile offerunt. Et ideo forma ecclesiarum sacerdotibus datur, vt si quando tale aliquid fuerit exortum, ea quidem quæ à veritate aliena sunt, ab ecclesia Dei penitus abstrudantur: si qua autem etiam in ipsis hæreticorum verbis scripturæ diuinæ sensibus inueniuntur inserta, ne pariter cum illis quæ fidei & veritati sunt contraria, respuantur: sanctificata sunt enim quę de scriptura diuina proferuntur, & Domino oblata. Potest autem & alio adhuc modo intelligi quod de batillis precipitur peccatorum, vt iungantur & socientur altari. Et primo hoc ipsum quod ærea dicuntur, non otiosum videbitur. Vbi enim vera fides est, & integra verbi Dei prædicatio, aut argentea dicuntur, aut aurea: vt fulgor auri declaret fidei puritatem, & argentum igne probatum, eloquia examinata significet.

E Ista ergo quæ dicuntur ærea, in sono tantum vocis consistũt, non in virtute spiritus, & sunt (vt Apostolus dicit) vt æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ista ergo batilla ærea, id est, hæreticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, vbi diuinus ignis est, vbi vera Dei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim, vt verbi gratia dicam, ponam dicta Marcionis, aut Basilidis, aut alterius cuiuslibet hæretici, & hæc sermonibus veritatis, ac scripturarum diuinarum testimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam si doctrina ecclesiastica simplex esset, & nullis intrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet oppugnatio, vt fides nostra non torpescat, sed exercitiis elimetur. Propter hoc denique & Apostolus dicebat: Oportet autem & hereses esse, vt probati quique manifesti fiant inter vos. Hoc est, dicere oportet hæreticorum batillis altare circumdari, vt certa & manifesta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cum enim fides ecclesiastica velut aurum cœperit refulgere, & prædicatio eius vt argentum igne probatum intuentibus resplenduerit: tunc maiore cum turpitudine & dedecore hæreticorum voces, obscuri æris vilitate sordebunt. Vis autem scire

1. Cor. 13.

Hæreticorũ dogmata illustriorem reddunt fidem.

1. Cor. 11.

F quod quæ bona sunt, bona esse ex deteriorum magis comparatione noscuntur? Quis sciret bonam esse lucem, nisi noctis tenebras sentiremus? Quis dulcedinem nesciret mellis, nisi gustum amaritudinis accepisset? Ipsum denique diabolum, & obluctantes aduersum nos contrarias potestates si auferas, virtutes animi sine obluctante non potuerunt enitescere. Sic ergo & sacerdotum fidelium gloria non poterit resplendescere, nisi eam infidelium reprobatio & pœna commendet. Sed ex iis quæ legimus, singuli quique iustorum, magis ex comparatione cæterorum clari videntur habiti apud Deum. Denique de Noe scriptum est, quod esset iustus & perfectus in generatione sua. In quo ostenditur quod non ex integro perfectus, sed in generatione sua perfectus fuerit, & ad comparationem cæterorum iustus pronunciatus sit. Simili modo puto etiam de Loth habendum. Quanto enim deteriores quotidie fiebant Sodomitæ, tanto ille iustior apparebat. Sed & in hoc ipso libro quem habemus in manibus, cum ingressi essent ij qui inspexerant terram, & decem ex iis meticulosis sermonibus desperationem populi incussissent, duo verò reliqui, id est, Caleb & Iosue, bona nunciarent, & hortarentur populum permanere in proposito, immortale eis à Domino meritum contulit non tantum sua confessio, quantum formido sodalium. Neque enim tam magnifice in eis virtus animi claruisset, nisi reliquorum decem turpis ignauiæ formido patuisset. Hæc autem dixi-

Gen. 6.

Num. 14.

G mus de batillis eorum qui condemnati sunt,quæ altari iubentur affigi,quod ex comparatione inferiorum iusti appareant clariores,simul vt & posteris daretur exemplum,ne qui presumptione superbi spiritus non sibi à deo datum munus pontificatus inuaderet, sed vt illi cedat, quem non ambitio humana,non fauor corruptus asciuerit, nec largitio condẽnanda subrogauerit,sed meritorum conscientia, & dei voluntas assumpserit. Post hæc refertur.[Et murmurauerunt, inquit,filij Israel aduersum Moysen, & Aaron dicentes: Vos occidistis populum domini. Et factum est cum irrueret synagoga super Moysen & Aaron, in impetu fugerunt ad tabernaculũ testimonij. Illud verò obtexit nubes, & apparuit maiestas domini, & introiuit Moyses & Aaaron ad faciem tabernaculi testimonij. Non legimus antea quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maiestas domini, & receperit intra nubem Moysen & Aaron, nisi nunc cum insurrexerit in eos populus, & lapidare eos voluit. Discamus ex hoc quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur,quomodo propugnator eis fiat deus, quomodo abundanter sanctus spiritus infundatur. Tunc enim maxime gratia dei adest, cum hominum sæuitia concitatur: & tunc pacem habemus apud deum,cum ab hominibus propter iustitiam bella perpetimur. Vbi enim abundauit peccatum,superabundabit & gratia. Adoperit ergo eos nubes tabernaculi, & irruit synagoga super Moysen & Aaron, & apparuit

Rom.5

H gloria domini. Quamuis magni sint vitæ merito Moyses & Aaron,quamuis animi virtutibus polleant, apparere tamen eis dei gloria non potuisset,nisi in persecutionibus,in tribulationibus,in periculis,atque in ipsa pene morte iam positis. Et tu ergo non putes tibi dormienti & otioso apparere posse gloriam dei. Aut non & Paulus apostolus in iis dei gloriã consequi meruit? Nónne super omnes cæteros enumerat se in tribulationibus,in necessitatibus,in carceribus fuisse, ter lapidatum esse,naufragia pertulisse,pericula maris, pericula fluminum, pericula latronum, pericula à falsis fratribus? Quæ quanto magis abundant,tanto amplius iis qui patienter tulerint,conferunt gloriam dei. [Et locutus est dominus ad Moysen & Aaron, dicens:Discedite de medio synagogæ huius,& interimam eos semel: & ciciderunt Moyses & Aaron in faciem suam.] In Sodomis quidem quando minus, decem requirebãtur,per quos vix si forte reperti essent,saluari possent ij qui habitabant Pentapolim Sodomorum:nunc autem etiam duo, si tamen inueniantur tales qualis Moyses fuit & Aaron, sufficere possunt, vt gens Israelitarum tota saluetur. Quid ergo dicemus amplius esse in iis duobus? Quæ tanta virtus,quod meritum, quo sexcenta millia & eo amplius liberentur ab interitu vastatoris? Ego arbitror quod in Moyse lex significetur,quæ docet homines scientiã & amorẽ dei: in Aaron supplicãdi deo,& obsecrandi eum forma cõsistat. Si ergo accidat aliquando indignari nobis vel vniuerso populo deum, & si iam sententia vltionis procedat à domino, redeat autẽ lex dei in cor nostrum cõmonens nos,& docens

2.Cor.11

Gen.18

I conuerti ad pœnitentiam, satisfacere pro delictis,supplicare pro culpis: cessabit continuo iracundia,indignatio conquiescet,propitiabitur dominus,quasi Moyse & Aarõ intercedãtibus pro nobis,& pro vniuerso populo supplicantibus. Si verò aliquando oriatur indignatio dei,& veniat pro peccatis nostris sæua correptio: indurentur autem corda nostra ne conuertamur ad dominum, néue humiliemur in conspectu eius,vt in confessione supplicationum motus eius & iracundiam mitigemus: sed econtrario dicamus, non est cura deo de vita mortalium, nec pertinent hæc ad deum, reliquit nos olim,nec ad notitiam eius ista perueniunt: si talia cogitemus in cordibus nostris,& hæc de ore nostro procedant, certum est non esse in nobis Moysen & Aaron,legis scilicet scientiã & fructus pœnitentiæ, per quos interitum imminentis exitij possimus euadere. Hoc puto accidisse etiam populo illi qui fuit ante nos,quando omnes declinauerunt, omnes simul inutiles facti sunt, & non fuit qui faceret bonitatem, non fuit vsque ad vnum. Si enim fuisset,nunquam vtique dereliquisset eos deus. Sed & nos timeamus ne forte simile aliquid inueniatur in nobis. Timeo enim illam sententiam, in qua dominus & saluator noster, qui cuncta prænoscit, quasi dubitans dicit:Putas veniens filius hominis inueniet fidem super

K terram? Iubentur ergo Moyses & Aaron exire de medio synagogæ, vt interimatur synagoga de semel. Sed videamus quid isti faciant qui sancti sunt: perfecti sunt, & plus magis euangelij discipuli quàm legis,& ideo diligunt etiam inimicos suos,atque orant pro persecutoribus suis. Illis enim sæuientibus vt interficerent eos,isti procidunt in faciem suam super terram.[Et ait Moyses ad Aaron: Assume batillũ,& impone super illud ignem ab altari,& iniice illi incensum,& effer velociter in castra, & exora pro ipsis: exiit enim ira à cõspectu domini,& iam cœpit vastare populũ.] Verũ quoniam in hos peruenimus locos,volo de bonitate dei admonere discipulos Christi,ne quis forte vestrum ab hereticis conturbetur si quando certamen inciderit,illis dicẽtibus quoniã deus legis non est bonus, sed iustus,& Moysis lex non bonitatem continet,sed iustitiam. Videant ergo qui deum pariter criminãtur & legẽ,quomodo Moyses ipse & Aarõ priores fecerũt hoc,quod postmodũ Euangeliũ docuit. Ecce diligit Moyses inimicos,& orat pro persecutoribus suis, quod vtique Christus fieri in Euangeliis docet. Audite enim quomodo cadentes in faciem super terram orant pro illis, qui ad interficiendos eos insurrexerant. Sic ergo inuenitur & euangelij virtus in lege, & fundamento legis subnixa intelliguntur Euangelia. Nec vetus testamentum nomino ego legem, si eam spiritaliter intelligam. Illis tantummodo lex vetus efficitur testamentum,qui eam carnaliter intelligere volunt. Et necessa-

Luc.18

Matth.5

Virtus Euangelij in lege.

L rio illis vetus effecta est, & senuit,quia vires suas non potest obtinere. Nobis autem, qui eam spiritaliter & Euangelico sensu intelligimus & exponimus,semper noua est:& vtrũque nobis nouum testamentũ est, non tẽporis ætate, sed intelligentiæ nouitate. An nõ & Apostolus Ioannes in epistola sua eadem sentit, cum dicit: Filioli mandatum nouum do vobis,vt inuicem diligatis? cum vtiq; sciret olim datum esse mãdatum dilectionis in lege. Sed quoniam charitas nunquam cadit,nec mãdatum charitatis aliquãdo veterascit, hoc quod nunquam veterascit, semper nouum esse pronunciat. Semper enim obseruantes & custodientes in se charitatis mandatum,nouos reddit in spiritu. Peccatori autem & charitatis fœdera non seruanti,etiam Euangelia veterascunt. Nec potest ei nouum esse testamentum,qui non deponit veterem hominem,& induitur nouum,ac secũdum deum creatum. Hortatur ergo Moyses pontificem magnum,vt efferat incensum in castra, & exoret pro populo.[Iam enim,inquit,vastari populus cœpit.] In spiritu videbat Moyses quæ gerebãtur. Vidit virtutem exisse ad castra,& vastare ac perimere peccatores:& propter hoc hortatur pontificem adsumere batillum, ignem de altari imponere, atque incenso superiecto exire & stare inter medium mortuorum & viuorum, ne vltra proce-

Lex Vetus quomodo noua.

1.Ioan.2

M dat vastatio. vel certe vt verius habet se scripturæ sermo,cõfractio. Sed primo (si videtur) historiæ ipsius imaginem describamus,vt cũ rei gestæ species apparuerit, tunc demũ etiã si quid est in hoc loco mysticum requiramus. Intellige ergo populũ illum Israel in castris per ordines tribuũ familiarũq; dispositum, virtutem verò quandam à deo missam,non sparsim sed ex prima aliqua parte cœpisse populum mortevastare, & procedentem per ordinem mortis stragem considera. Post hæc pontificem indutum veste pontificali procedere, & portantem batillum, atque ignem cum incenso tendere ad illum locum,quo per angelũ vastantem mors illata peruenerat,& stantem in eo loco, vbi mors finem dederat primis, & erat vicina postremis. Intuere stantem pontificem,& obiectione quadam sui,viuentes à mortuis dirimentem: virtutẽ verò repropitiationis eius, & incensi mysterium erubuisse angelum vastatorem,& in hoc mortem quidem finitam, vitam verò reparatam. Si intellexisti historiæ ordinem,& oculis (vt ita dicam) cernere potuisti pontificem stantem mediũ inter viuos & mortuos: ascende nunc ad verbi huius celsiora fastigia, & vide quomodo verus pontifex Iesus Christus assumpto batillo carnis humanæ, & superposito igni altaris, anima sine dubio illa magnifica cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos,& mortuos stetit,& mortem non fecit vltra grassari: sed sicut Apostolus dicit, destruxit eum qui habebat

Historia ratio.

Mysterium

Heb.2

A habebat mortis imperium, id est, diabolum, vt qui credit in eum iam non moriatur, sed viuat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium quod postea futurum, iam tunc ille qui populum vastabat, expauit. Agnoscebat enim figuram batilli, & ignis, & incensi: & qualis offerenda esset deo hostia ab eo, qui medius mortuorum viuorúmque constiterat, præuidebat. Et illos quidem tunc imago præfigurata saluauit, ad nos autem salutis veritas ipsa peruenit. Neque enim indumenta pontificis purpura ac lana byssóque contexta erubuisset angelus ille vastator, sed ista quæ futura erant indumenta magni pontificis intellexit, & iis cessit, quibus vtique vniuersa creatura inferior erat. Puto autem quod nō solum primo aduētu domini & saluatoris nostri forma ista completa sit, sed eadem fortassis seruabitur in secundo. Veniet enim iterum filius hominis: & cum venerit, sine dubio inueniet quosdam quidem mortuos, quosdam autem viuētes. Quod possumus quidem & sic intelligere: quia nonnulli adhuc in hoc vitæ statu quo nunc sumus inueniantur, cū multi iam præcesserint mortui. Potest autē & aliter accipi: vt mortuos, corpora intelligamus: viuentes autem, animas. Quidam tamen ex iis, qui ante nos interpretati sunt locum hunc, memini quod mortuos dixerunt eos, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelligūtur: viuētes autem eos, qui in operibus vitæ permāserint. Verūtamen vtrolibet modo stabit etiam in futuro magnus hic pontifex & saluator noster medius viuorum & mortuorum. Sed & tunc forte B medius viuorum & mortuorum stare dicendus est, cum statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Et dicet iis qui à dextris sunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mūdi: &c. Iis autem qui à sinistris sunt dicet: Ite in ignem æternum operarij iniquitatis, quem præparauit pater meus diabolo, & angelis eius, quoniam non noui vos. Et sunt vtique mortui ij, qui in ignem mittuntur æternum: sunt autē viui illi qui mittuntur ad regnum. [Et cessauit, inquit, vastatio] vel vt in aliis exemplaribus legi diximus, confractio: quod & magis interpretationis conuenit veritati. Confractio nāque est, quæ velut in vasis fictilibus efficitur. Peccatores ergo vasa fictilia fiunt: sicut Hieremias propheta designat in Lamentationibus, dicens: Filij Sion, qui erant honorabiles & in auro elati, quomodo reputati sunt in vasa fictilia, opera manuum figuli? Et in domo magna non sunt (inquit Apostolus) tantummodo vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia: & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. Sunt ergo vasa fictilia ad contumeliam, quæ & confringi possunt. Sed cōsideremus diligentius quid in consequentibus. Apostolus de ipsis vasis fictilibus dicat. Si quis, inquit, emundauerit semetipsum ab iis, erit vas ad honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bo- C num paratum. In quo ostendere videtur, quod & vas ipsum quod sit, & per quem fit, vnus atq; idem homo sit. Intellige ergo propositū quidē hominis esse quod operatur: reliquā autem partem hominis ipsum esse vas, quod fit vel ad honorem, vel contumeliam. Cum ergo sensus noster quæ bona sunt eligit, & ad bonam nos conuersationem trahit, facit nos vas vtile. Cum autem neglexerit, & deciderit propositum nostrum à bonis, efficimur vas ad contumeliam. Si ergo intellectus noster luteus sit, & de luto semper ac de terrenis cogitet, efficimur vas fictile, & opus manuum figuli. Et forte propter hoc iste qui talis est, increpatur ab Apostolo, quasi qui sensum habens luteum & terrenum, de magnis & iis quæ capere non potest, quærat & dicat: Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistit? Cui Apostolus quasi luteo respondit. Tu quis es ô homo, qui contra respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? Dicitur præterea corpus nostrum vas fictile, siue etiam legis litera, in eo quod ait Apostolus: Habentes autem thesaurum hunc in vasis fictilibus. Vtrunque enim in hoc sermone accipi potest: & quod in corpore nobis positis thesaurum gratiæ per spiritum sanctum dominus largiatur, & quod in sermonibus legis, qui viles & in contemptu habentur pro eo quod nulla arte grammatica expoliti videntur, reconditus sit thesaurus sapientiæ & scientiæ dei: ita vt merito dici possit, quod in ipsis sint thesauri sa- D pientiæ, & scientiæ dei absconditi. Hæc nobis dicta sint de confractione, quæ cessasse memoratur: nunc autem pauca etiam de sequenti historia disseramus, in qua virgarum commemoratio introducitur. [Et locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: & ab eis virgam per domos familiarum ipsorum, ab omnibus principibus ipsorum duodecim virgas: & vniuscuiusque eorum nomen scribe in virga sua: & nomen Aaron scribe in virga Leui: etenim virgam vnam per tribum, per domos familiarum suarum dabunt tibi. Et pones eas in tabernaculum testimonij contra arcam: ex quibus agnoscar tibi inde. Et erit homo quencunque elegero, virga eius germinabit, & auferam à te murmurationem filiorum Israel, in quibuscunque murmurant ipsi de vobis.] Omnis princeps tribus, & populi habet virgam. Non enim potest quis regere populum, nisi habeat virgam. Vnde & Paulus apostolus, quia princeps erat populi, idcirco dicebat: Quid vultis? In virga veniam ad vos, aut in charitate, spiritúque mansuetudinis? Omnis ergo princeps tribuum habeat necesse est virgam suam, sed vnus solus est (sicut scriptura refert) pontifex Aaron cuius virga germinauit, Verum quoniam (vt sæpe ostendimus) verus pontifex Christus est, ipse solus est, cuius virga crucis non solum germinauit, sed & floruit, & omnes hos credentiū populorum attulit fructus. Quis autem iste est fructus, quem attulit. Nuces inquit, qui fructus, primo quidem indumento amarus est: sequenti munitur, & tegitur. Tertio sumentem pascit, ac nu- E trit. Talis ergo est in adiutorio Christi doctrina legis & prophetarum. Prima literæ facies satis amara est, quæ circuncisionem carnis præcipit, quæ de sacrificiis mandat, & cætera quæ per occidentem literam demonstrantur. Hæc omnia tāquam amarum nucis corticem proiice. Secundo in loco ad munimenta testæ peruenies, in quo vel moralis doctrina vel ratio continentiæ designatur. Quæ necessaria quidem sunt ad custodiam eorum quæ seruantur intrinsecus, frangenda quandoque tamen & sine dubio dissoluenda sunt. Vt si verbi gratia dicamus, abstinentia ciborum, & castigatio corporis, donec sumus in corpore isto corruptibili & passibili, sine dubio necessaria est. Cum autem confractum fuerit ac resolutum, & resurrectionis tempore incorruptibili redditum, atque ex animali spiritale: non iam labore afflictionis, nec abstinētiæ castigatione, sed qualitate sui, nulla iam corpori corruptela dominabitur. Sic ergo & nunc necessaria abstinentiæ ratio videtur, & postmodum nō quærenda. Tertio M autem loco reconditum in iis inuenies & secretum mysteriorum sapientiæ & scientiæ dei sensum, quo nutriantur & pascantur animæ sanctorum non solum in præsenti vita, sed etiam in futura. Iste enim est pontificalis fructus, de quo promittitur iis qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur. Hoc igitur modo in scripturis omnibus triplicis huius sacramenti ratio percurrit. Sic & sapientia monet, vt describamus ea nobis in corde tripliciter, ad respondendum, inquit, verbum veritatis iis qui proposuerint nobis. Sic tres puteos fodit Isaac patriarcha: quorum solus ille tertius ab eo latitudo vel amplitudo nominatur. Quia autem sacramentum sacerdotale est virga nucis, idcirco arbitror etiam Hieremiam, qui erat vnus de sacerdotibus ex Anathoth, vidisse virgam nuceam, & prophetasse de ea, illa quæ scripta sunt vel de virga nucea, vel de lebete, siue de olla succensa: quasi si ostenderet per hæc in virga nucea esse vitam, & in lebete succenso esse mortem. Vita enim & mors ponitur ante faciem nostram. Et est vita quidem Christus in sacramento nucis: mors autem diabolus in figura lebetis succensi. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum lebete succenso: si autem iuste egeris, efficietur portio tua in virga nucea cum magno pontifice. Sed & in Canticis canticorū spōsa descendere dicitur in horum nucis, vbi etiam pariter cum nucibus sacerdotalium quodammodo pomorum copiam perscribitur inuenisse. Veruntamen de virgis (vt dicere cœperamus) vnum promisit deus fructū in virga, & plures dedit. Sed attendite diligentius, si forte possimus liberalitatem dei largiorem etiam ipsis suis promissionibus edocere: si forte & ex iis illam ineffabilem bonitatem dei quæ in

Marginalia: In secundo aduentu Christus apparebit humano habitu. — 1. Thes. 4. — Mat. 25. — Thren. 4. — 2. Tim. 2. — Rom. 9. — Corpus nostrum vas fictile. — 2. Cor. 4. — 1. Cor. 4. — Nucis sacramenta. — Mat. 5. — Prouerb. 3. — Gen. 26. — Hier. 1. — Cant. 6.

G scripturæ litera semper tegitur, rimari atque inuestigare potuerimus: cum largiorem in præstando, quàm in promittendo videamus. Igitur sermo scripturæ de qua nunc loquimur ita habet. [Et erit, inquit, homo quemcunque elegero, virga eius germinabit.] Hoc est solum quod promisit deus, vt virgat eius quem elegerit, germinet. Vbi verò ad rem venitur vt quod promissum est ostendatur impletum: non vnum illud quod promissum fuerat effectum dicitur, sed vide quãta addantur. Ait enim: [Et ecce germinauit virga Aaron in domo Leui.] Est hoc vnum illud sine dubio quod fuerat repromissum: sed adduntur & alia, & dicitur: [Et produxit frondes & protulit flores, & germinauit nuces.] Cum ergo de solo germine fuisset promissum, vide quanta largitur deus: vt non solum germen produxerit, sed & frõdes: & non solum frondes, sed & flores: & germinauerit non solum flores, sed & fructus. Quid igitur est quod ex iis colligere & contemplari debeamus? Primo omnium resurrectionis ex mortuis sacramentum. Virga enim arida germinat, cum corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista quæ resurgenti corpori præstabuntur? Vt seminatum in corruptione surgat in incorruptione: & seminatum in infirmitate, surgat in virtute: & seminatum in ignominia, surgat in gloria: & seminatum corpus animale, surgat corpus spiritale.

Deus plura præstat quã promittit.

Quatuor corporis dotes.

1 Cor. 15.

H Ista sunt quatuor quæ virga aridi corporis nostri in resurrectione germinabit. Sed & illud secundo in loco dicemus: quia sicut in iis promissionem suam deus in quadruplum dedit, & multo plura & prætiosiora largitus est quàm promisit: ita multo magis in omnibus scripturæ locis, vbi aliqua dei promissio continetur, si quis tamen ad eam peruenire mereatur, in futuro multipliciter præparabitur: & sic vere complebitur illud quod Apostolus dicit, quia oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quę præparauit deus iis qui diligunt eum. Vide ergo quanta sint, & qualia, quæ non solum videre & audire nemini licuit, sed ne in cor quidem, id est, ad cogitationem humanam potuit ascendere. Siue ergo terram, siue cœlum dixeris, siue solem hunc & fulgorem visibilis luminis, omnia hæc oculus vidit, & auris audiuit: & non possunt esse ex illis quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Transgredere ergo hæc omnia, & transcende omne quicquid vides, quicquid audis, quicquid etiam cogitare potes, & illud scito esse repositum iis qui diligunt deum, quod nec ad cogitationem cordis tui quiuit ascendere. Vnde ergo arbitror nihil in huiusmodi repromissionibus de rebus corporalibus cogitandum. Ratio enim materiæ corporalis non vsquequaque sesum humanæ cogitationis effugere potest: sed illa sunt quæ ad nullius sensum, nullius cor possunt ascendere, quæ in sola dei sapientia continentur. Etenim videbitur hac ratione

2. Cor. 2.

I quòd promissionũ bona maiori modo quàm promissa sunt, dantur: similiter & pœnæ quæ peccatoribus comminantur, multiplicatis cruciatibus inferendæ sunt: sicut & in superioribus, vbi annus pro die ad vindictam ponitur, exposuimus: nisi si quis tertium aliquid posse fieri cogitet, colligens aliqua solatia ex iis quæ in comminatione ea, quæ ad Dauid facta est, continentur: vbi triduo pronũciata est mortis futuræ vastatio, & intra sex horas abbreuiatum videtur tempus esse supplicij. Sed hæc tibi proficere possunt, vbi pœnitentiæ tempus & satisfactionis conceditur locus. Scribitur tamen deus malis quidem reddens in tertiam & quartam progeniem: bonis autem faciens misericordiam non solum in tertiam & quartam progeniem, sed vt scriptura dicit: in mille generationes. Sed redeamus ad ea quæ de virgis dicere cœperamus. Possumus adhuc etiã sic intelligere eorum quæ in virga germinauerant differentias. Omnis in Christo credit, primo moritur, & post hoc renascitur: & est etiam hæc figura, quod virga arida postmodum germinat. Est ergo primum germen prima hominis in Christo confessio. Secundo frondescit, vbi renatus donum gratiæ dei ex spiritus sancti purificatione susceperit. Inde affert flores, vbi proficere cœperit, & morum suauitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundere. Ad vltimum quoque affert etiam fructus iustitiæ, quibus non solum ipse viuat, sed & aliis præbeat vitam. Cum enim ad perfectum venerit, & protulerit ex se verbum fidei, verbum scientiæ dei, & alios lucrifecerit, hoc est, attulisse fructus quibus alij nutriantur. Sic ergo singuli quique credentiũ de virga Aaron, qui Christus est, germinantur: quorum quatuor istæ differentiæ in aliis scripturæ locis, velut ætates quatuor designantur: quas Ioannes apostolus in epistola sua distinctione mystica comprehendit. ait enim: Scribo vobis pueri, & scribo vobis adolescentes, & scribo vobis patres. In quibus vtique non corporales ætates, sed animæ profectuum differentias ponit, vt etiam in hoc sacerdotalis virgæ germine obseruauimus designari. Habentur ergo hæc omnia non tam in virga Aaron, quàm in ea virga quæ exiit de radice Iesse: & flos de radice eius ascendit, super quem requieuit spiritus dei. In quo nec hoc ipsum videtur otiosum quod exire dicitur virga, & flos ascendere. Quamuis enim vnus sit Christus per substantiam, singulis tamẽ diuersus efficitur, prout indiget is in quo operatur. qui ergo segnior est & negligẽtior, pro disciplina fit ei Christus virga & in virga nõ ascendere dicitur, sed exire. Exeundũ nãque est ei qui iners & segnis est de eo statu in quo recte consistit, & transeundum ad alium statum, tanquam virga compulso, id est, seueritate doctrinæ rigidioris admonito. Qui verò iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga: quia autem proficit ad iustitiam, ascendit in florem. Ascendet autem vsquequo afferat fructus spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, & reliquæ virtutes, in Christo Iesu domino nostro, cui est honor, & gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

2 Reg. 24.

Exod. 20.

1 Ioan. 2.

Substãtiam more Græco vocat substentiam, id est, hypostasim.

L

De eo quod scriptum est. Et dixit dominus ad Aaron, Tu & filij tui, & domus patris tui tecum, sumetis peccata sanctorum. Ex Cap. XVIII.

Homilia X.

QVI meliores sunt, inferiorum semper culpas, & peccata suscipiunt. Sic enim & apostolus dicit: Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum sustinete. Israelitica si peccet, id est, laicus, ipse suum non potest auferre peccatum: sed requirit leuitam, indiget sacerdote, imò potius & adhuc horum aliquid eminentius quærit: pontifice opus est, vt peccatorum remissionem possit accipere. Sacerdos autem si delinquat, aut pontifex, ipse suum potest purgare peccatum: si tamen non peccet in deum. De huiusmodi enim peccatis non facile remissionem aliquam videmus in legis literis designari. Hæc autem diximus pro iis quæ recitata sunt nobis. [Et dixit, inquit, dominus ad Aaron dicens: Tu & filij tui, & domus patris tui tecum sumetis peccata sanctorum] Potest quidem ita exponi locus iste: vt per ea quæ offert pontifex pro peccato vniuscuiusque, & purificat eum pro quo obtulerit, scriptum sit: [Tu, & filij tui tecum sumetis peccata sanctorum.] Mihi autem non videtur otiosum quod sanctorum peccata commemorat. In multis etenim scripturæ locis sermo iste repetitur. Vnde requirendum est, quomodo & sancti dicantur aliqui, & de peccatis eorum scribatur. Non enim (vt putant quidam) statim vt quis sanctus esse cœperit, peccare iam non potest, & continuo sine peccato putandus est. Si enim sanctus non peccaret, non vtique scriptũ esset: [Sumetis peccata sãctorum.] Si sanctus sine peccato esset, non diceret dominus per Ezechielẽ prophetã ad angelos, quos mittebat peccatores punire: Et à Sãctis meis incipietis. Si enim sancti sine peccato sunt, quomodo ipsi primi succumbunt in suppliciis peccatorum? Si sancti sine peccato essent, nunquam diceret scriptura, quia iustus in principio sermonis sui ipse sui accusator fit. Si sancti sine peccato essent, nunquam Paulus apostolus diceret, Romanis scribens: Nolite propter cibũ soluere opus dei: quibus in principio epistolę scripserat: Omnibus qui sunt Romæ dilectis dei, vocatis sanctis, Et iterũ idem Apostolus ad Corinthios scribens dicit. Paulus vocatus apostolus Iesu Christi. Et post pauca, Ecclesiæ dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis.

Rom. 15.

Laicus eget sacerdote ad remissionẽ peccati.

M

Sancti in hoc mundo peccare possunt.

Ezech. 9.

Prouerb. 18

Rom. 1.

1. Cor. 1.

A ctis. Istos ergo quos sanctificatos, & sanctos appellat, audi quanta in eis peccata reprehendat. Ait enim in sequentibus: Cum enim sint inter vos æmulationes & contentiones, nóne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Et iterum: Iam diuites facti estis, sine nobis regnatis, & vtinam regnaretis. Et iterum: Tanquam autem non venturo me ad vos inflati sunt quidam. Et paulo post: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. In consequentibus verò: Et vos, inquit, inflati estis, & non potius luctum habuistis. In quo vtique nullum reliquit immunem, dum aliis fornicationis, aliis inflationis, & superbiæ crimen adscribit. Notat eos & in consequentibus etiam de iudiciis, & dicit: Iam quidem omnino delictum est in vobis: quia iudicia habetis inter vos. Arguit eos quos sanctos dixerat, & pro eo quod idolis immolata manducent, & quasi sententiam inter eos proferens dicit: Sic autem peccantes inter fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Sed & de eo nihilominus confutat eos, quod non solum immolati cibum, sed & calicem dæmoniorum præsumant, & dicit: Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Ipsis etiam illud dicit: Quod conuenientibus vobis in ecclesia, audio schismata esse. Et iterum: Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem B ebrius est. Et pro iis delictis dicit: Propterea inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiunt multi. Quod si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Post hæc autem non iam delicta moralia, sed fidei in eis crimen exaggerat. Ait enim: Quomodo dicunt inter vos quidam quod resurrectio mortuorum non sit? Et iterum: Si autem Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Longum porro est, nec præsenti conueniens tempori, vt plurima de iis testimonia proferamus, quibus præbetur quod ij qui sancti dicuntur, non cōtinuo etiam sine peccato esse intelligantur: Sed hæc opinentur illi qui scripturis diuinis non sollicite, nec diligenter intendunt: in quibus multæ esse differentiæ sanctorum docentur, sicut à nobis & in aliis tractatibus plenius dictum est. Sed & nunc quantum locus requirit dicemus. Sancti dicuntur iidémque & peccatores illi qui se vouerunt quidem deo, & sequestrauerunt à vulgi conuersatione vitam suam ad hoc vt domino seruiant. Huiusmodi ergo homo, secundum hoc, quod se cæteris actibus circuncisis domino mancipauit, sanctus dicitur: Potest autem fieri, vt in hoc ipso quod domino deseruit, non ita omnia gerat vt geri competit, sed delinquat in nonnullis, & peccet. Sicut enim is qui sequestrat se, & segregat ab omnibus actibus, vt disciplinam, verbi gratia, medicinæ, aut philosophiæ consequatur, non vtique continuo vt se huiusmodi tradiderit disciplinis, ita perfectus erit, vt non inueniatur in aliquo peccare: imò potius plurima delinquendo vix ad perfectionem aliquando perueniet: & tamen statim vt se ad huiusmodi scholas tradidit, certum est eum vel inter medicos, vel inter philosophos numerari: Ita & de sanctis accipiendum est quod statim quidem vt mancipat se quis studiis sanctitatis, secundum hoc quod proposuit, sanctus appelletur. Secundum hoc verò quod necesse est eum in multis delinquere, donec vsu & disciplina ac diligentia abscindatur ab eo consuetudo peccandi, etiam peccator (vt suprà diximus) appellabitur. Ego autem & amplius addo aliquid: quod nisi sanctum propositum aliquis habeat, & sanctitatis studium gerat: cum peccauerit, nescit peccati pœnitudinem gerere, nescit delicti remedium quærere. Qui non sunt sancti, in peccatis suis moriuntur: qui sancti sunt, pro peccatis pœnitudinem gerunt, vulnera sua sentiunt, intelligunt lapsus, requirunt sacerdotem, sanitatem deposcunt, purificationem per pontificem quærunt. Idcirco ergo caute & significanter sermo legis designat, quia pontifices & sacerdotes, non quoruncunque, sed sanctorum tantummodo sumant peccata: sanctus enim est qui peccatum suum per pontificem curat. Sed redeamus ad pontificem nostrum, pontificem magnum qui penetrauit cœlos Iesum dominum nostrum: & videamus quomodo ipse cum filiis suis, apostolis D scilicet & martyribus, sumit peccata sanctorum. Et quidem quod dominus noster Iesus Christus venerit vt tolleret peccatum mundi, & morte sua peccata nostra deleuerit, nullus qui Christo credit, ignorat. Quomodo autem & filij eius auferant peccata sanctorum, id est, apostoli & martyres, si poterimus ex scripturis diuinis probare tentabimus. Audi primo Paulum dicentem: Libenter enim, inquit, expendam, & expendar pro animabus vestris: & in alio loco: Ego enim iā immolor, inquit, & tempus regressionis, siue resolutionis meæ instat. Pro iis ergo quibus scribebat, expendi se, & immolari dicit Apostolus: Hostia autem cum immolatur, ad hoc immolatur, vt eorum pro quibus iugulatur, peccata purgentur. De martyribus autem scribit Ioannes apostolus in Apocalypsi, quia animæ eorum qui iugulati sunt propter nomen domini Iesu, adsistant altari: qui autem adsistit altari, ostenditur fungi sacerdotis officio. Sacerdotis autem officium est, pro populi supplicare peccatis. Vnde ego vereor, ne forte ex quo martyres non fiunt, & hostiæ sanctorum nō offeruntur pro peccatis nostris, peccatorum nostrorum remissionem non mereamur. Et ideo vereor, ne permanentibus in nobis peccatis nostris, accidat nobis illud quod de semetipsis dicunt Iudæi, quia non habentes altare, neque templum, neque sacerdotium, & ob hoc nec hostias offerentes, peccata, inquit, nostra manent in nobis: & ideo venia nulla subsequitur. Et contra, nos dicere debemus, quia hostiæ martyrum non offeruntur pro nobis, idcirco manent in nobis peccata nostra. non enim meremur persecutionem pati propter Christum, nec mori propter nomen filij dei. E Et ideo etiam diabolus, sciens per passionem martyrij remissionem fieri peccatorum, non vult nobis publicas gentilium persecutiones mouere: scit enim, quia si ad reges, & præsides adducamur propter nomen Christi, ad testimonium Iudæis & gentibus, gaudium nobis & exultatio sit, quia merces nostra multa in cœlis est. Hæc non facit inimicus, vel quod ipse gloriæ nostræ inuidet, vel fortassis quod ille qui omnia præuidet prænoscit nos non esse idoneos ad martyrium tolerandum. Scit tamen dominus qui sunt eius, & in quibus nō speratur, habet ille thesauros suos: non enim sicut homo videt, ita & deus. Ego non dubito & in hoc conuentu esse aliquos ipsi soli cognitos, qui iam apud eum martyres sint testimonio conscientiæ, parati si quis exposcat effundere sanguinem suum pro nomine domini Iesu Christi: non dubito esse aliquos qui tulerint crucem suam, & sequantur eum. Hæc licet per excessum quendam, necessario tamen videntur dicta, vt intelligeremus quomodo per pontificem, & filios pontificis fiat in sanctis remissio peccatorum. Sequitur post hæc. [Et tu, inquit, & filij tui accipietis peccata sacerdotij vestri: & fratres tuos tribuum Leui, plebem patris tui adsume ad te, & adiungantur tibi, & ministrent tibi: & tu & filii tui tecum in conspectu tabernaculi testimonij obseruabunt custodias suas, custodias tabernaculi.] Obseruare diligentius, & intendere iis quæ scripta sunt, conuenit eos præcipue qui in ordine sacerdotali gloriantur: vt sciant quid est quod eis lex diuina præcepit obseruandum. [Tu, inquit, & filij tui tecum in cōspectu tabernaculi.] F Mandata quidem certa sunt & euidentia, vt obseruare debeamus custodias tabernaculi, & altaris, & sacerdotii: quis sane sit qui obseruet, & faciat ea quæ sacerdotibus mandata sunt: & quis sit qui vtatur quidem ordine & honore sacerdotij, opera verò & ministerium sacerdotij non obseruet: ille solus nosse potest, qui scrutatur corda & renes. Mandātur obseruari non solum ea quæ foris sunt. [Sed & ea, inquit, vt current sacerdotes præcipue quæ intra velamen sunt:] velut si diceret: cura sit sacerdotibus, euidētia ac manifesta mādata diuinæ legis implere: & mysteria eius abscondita & velata omni perspicacia cōtueri. Si verò ad hominem velis referre tabernaculum testimonij: quoniam quidem corpus hominis tabernaculū Paulus appellat, dicēs: Qui enim sumus in tabernaculo hoc, gemimus aggrauati: in quo nolumus expoliari, sed superuestiri. Si ergo ad hominem tabernaculū referamus, interiora velaminis, vbi inaccessibilia conteguntur,

Marginalia: 4 · 4 · 5 · 6 · 10 · 11 · 15 · *Multæ sanctorū differentiæ.* · *Confessione factā sacerdoti innuit* · *Quomodo Apostolici & Ecclesiæ ministri peccata sanctorum auferant* · *2. Cor. 12* · *2. Tim. 4.* · *Apoc. 6.* · *Per martyrium remissio peccatorum.* · *1. Reg. 16.* · *Corpus hominis tabernaculum.*

G principale cordis dicemus: quod solum recipere potest mysteria veritatis, & capax esse arcanorum dei. Altaria verò duo id est, interius & exterius, quoniam altare orationis indicium est, illud puto significare quod dicit Apostolus: Orabo spiritu, orabo & mente. Cum enim corde orauero, ad altare interius ingredior. Et hoc puto esse quod etiam dominus in Euangeliis dicit: Tu autem cum oras, intra in cubiculũ tuum, & claude ostium tuum, & ora patrem tuum in abscondito. Qui ergo ita orat vt dixi ingreditur ad altare incensi quod est interius. Cum autẽ quis clara voce, & verbis cum sono prolatis, quasi vt ædificet audientes orationem fundit ad deum: hic spiritu orat, & offerre videtur hostiam in altari quod foris est ad holocausto mata populi constitutum. Oportet ergo sacerdotes ea curare præcipue & custodire, quæ intra velamen interius conteguntur: ne quid ibi polutum, ne quid inueniatur immundum: hoc est interiorem hominem, & cordis secreta curare vt ibi immaculata permaneãt. Cherubin & propitiatorium, scientia intelligenda est trinitatis: interpretatio enim Cherubim multitudinem, id est perfectionem scientiæ indicat: & quæ est alia perfectio, nisi agnouisse patrem, & filium, & spiritum sanctum? Hæc ergo curanda sunt à sacerdotibus, vt incontaminata & illæsa seruentur. Sed & vrna habens cœlestem cibum mannæ, thesaurus vtique est verbi diuini. Et arca aurea, in qua sunt tabulæ testamenti, vt opinor, non aliud

Oratio duplex vocalis & mentis.
1 Cor. 14.
Matt. 6.

H quàm mens nostra esse declaratur, in qua legem dei debemus habere descriptam. Hæc autem mens, aurea debet esse, hoc est pura, & preciosa, in qua legem dei descriptam semper habeamus, sicut Apostolus dicit: scriptam non attramento, sed spiritu dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. hoc est enim quod & de quibusdam dicitur: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quis autem scripsit in cordibus eorum, nisi deus digito suo? Legem vtique naturalem quam dedit deus humano generi, & in cunctorum mentibus scripsit: vnde & initia sumimus, ac semina quædam ad perscrutandam capimus veritatem: quæ semina si bene excolamus, fructum vitæ afferent in nobis in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

2. Cor. 2.
Rom. 2.
Lex naturalis dat initia veritatis.

De primitiis offerendis. Ex Cap. XVIII.
Homilia II.

I PRIMITIAS omnium frugum, omniúmque pecudum, sacerdotibus lex mandat offerri: ita vt omnis qui possidet agrum, vel vineam, vel oliuetum, vel etiam hortum, & si quid est quod exercetur in terris, sed & si quis peculia cuiuscunque pecoris nutriat, offerat ex iis deo omne quod primum est, id est, ad sacerdotes deferat. Deo enim offerri dicit quod sacerdotibus datur. Et hoc est quod docemur ex lege, quia nemo licite nec legitime vtatur fructibus quos terra produxit, nec animantibus quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis quibusque deo primitiæ, id est, sacerdotibus offerantur. Hanc ergo legem obseruari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto. Sunt enim aliquanta legis mandata quæ etiam noui testamenti discipuli necessaria obseruatione custodiunt. Et si videtur prius de iis ipsis quæ in lege quidem scripta, sed tamen in euangeliis obseruanda sint, sermo moueatur: & cum hæc patuerint, tunc iam quid in iis etiã spiritaliter sentiri debeat requirimus. Sunt enim qui ita dicant, quia si aliquid domino obseruandum est secundum literam, cur non & cuncta seruentur? Si verò ad spiritalem intelligentiam quę lex continet referenda sunt, nihil omnino secundum literam, sed spiritaliter debent vniuersa discerni. Nos autem vtriusque assertionis insolentiam temperantes, qualis regula in huiuscemodi legis sermonibus obseruãda sit ex auctoritate diuinarum scripturarum proferre tentabimus. Scriptum est in octauo decimo psalmo: Lex domini irreprehensibilis conuertens animas, testimonium domini fidele sapientiam præstans paruulis. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Timor domini

Ex omnibus, quæ gignuntur e terra offerẽdum deo itemque ex animantiũ partubus.
Aliqua legis mãdata necessario in nouo testa. obseruanda.
Psal. 18.

K castus permanẽs in seculum seculi. Iustitię domini rectæ lætificantes corda iudicia domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Nisi ergo essent singula ista à semetipsis diuersa, nunquam vtique proprias vnicuique scriptura diuina differentias indidisset, vt aliud de lege domini diceret, aliud de mandato, aliud de iustificationibus, aliud de iudiciis. Est ergo vt ex his ostendimus, aliud lex, aliud præceptum, aliud testimonium, aliud iustificatio, aliud iudicium. Sed & in ipsa lege euidentior horum differentia designatur, vbi dicitur, Hæc est lex, & mãdata, & iustificationes, & pręcepta, & testimonia, & iudicia, quæ præcepit dominus Moysi. Cum ergo hæc ita se habere, & his à se inuicem differre distinctionibus legis ipsius testimoniis approbentur, diligentius debemus intendere iis quę recitantur in lege: quia sicubi scribitur (verbi gratia) hoc esse mandatum, non continuo mandatum lex accipienda est: vel sicubi scriptum est, istæ sunt iustificationes, non continuo iustificationes, aut lex, aut mandatum putandæ sunt. Similiter autem & sicubi scriptum est testimonium, aut iudicia, non confuse vnum ex cęteris, sed diuersum ab aliis vnumquodque sentiendum est. Si ergo scriptum legimus, quia lex vmbram habeat futurorũ bonorũ, non continuo etiam mandatum, vel iustitiæ vel iudicia, de quibus hoc nõ est scriptũ, vmbræ esse credẽdæ sunt futurorũ bonorum. Denique, vt exempli gratia vnum ponamus ex multis, non est scriptum, hoc est mandatum paschæ, sed hęc est lex paschæ. Et quia lex vmbra est

Lex differt à mãdatis iustificationibus, testimoniis &c.
Heb. 10.

L futurorum bonorum, lex sine dubio paschę, vmbra est futurorum bonorum. Cum ergo venio ad locum illum qui de pascha scriptus est, in agno illo corporali debeo intelligere vmbram esse futuri boni, & hoc sentire quod pascha nostrũ immolatus est Christus. Simili modo inuenies etiam de azymis, & de cæteris festorum dierum obseruantiis scriptum. Quia ergo hæc omnia sub legis titulo scribuntur in lege necessaria, quia lex per præsentem vmbram futura bona designat, requirere debeo quæ sint azyma futurorum bonorum: & inuenio dicentem mihi apostolum, vt diem festum agamus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Sed & de circuncisione scriptum est: Hęc est lex circuncisionis. Quia ergo & circuncisio sub legis titulo censetur, lex autem vmbra est, quæro quid circuncisionis vmbra bonorum contineat futurorum, ne forte dicat mihi in vmbra circuncisionis posito Paulus, Quia si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit & illud: Non enim quæ in manifesto in carne est circuncisio, illa circũcisio est, neque qui in manifesto in carne Iudæus est, sed qui in occulto Iudæus & circuncisio cordis in spiritu, nõ litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo est. Hæc ergo singula quæ nequaquam penitus secundum literam obseruanda dicit Apostolus, inuenies omnia fere apud Moysen sub legis titulo designari. Iam verò in eo vbi dicit, non occides, non adulterium facies, non furaberis, & reliqua huiusmodi, non inuenies quoniam legis in iis titulum præmiserit, sed magis hæc mandata videntur: &

Exod. 12.
Lex est vmbra rerũ futurarum.
1 Cor. 5
Gen. 17
Gal. 5.
Rom. 2
Mãdata vigent in euangelio.
Rom. 13
Mãdata nõ habent vmbram futurorum.
1 Tim. 6.

M ideo non exinanitur apud discipulos euangelii scriptura ista, sed adimpletur: quia (vt dixi) non mandatum, sed lex habere dicitur vmbram futurorum bonorum. & ideo hæc nobis secundum literam custodienda sunt. Item alibi: Iuste, inquit, sectare quod iustum est. Quid opus est in his allegoriam quærere, cum ædificet etiam litera? Ostendimus ergo esse quędam quę omnino non sunt seruãda secundum literam legis, & esse quædam quæ allegoria penitus immutare non debet, sed omnimode ita vt scripturæ de iis continent obseruãda sunt: nunc requiro si sunt aliqua quæ & secũdum literam quidem stare possint, necessario tamen in eis etiam allegoriã requirendã. Et vide si possumus hæc apostolica & euãgelica auctoritate munire. Scriptum est in lege. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hæc quod allegorica mysteria cõtineant, Paulus cum in epistola sua hoc ipsum posuisset exemplum, pronunciat dicens: Mysterium hoc magnum est ego

Aliqua secundum literam & allegoriam simul stant.
Gen. 2.
Eph. 5.

A ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Quod autē oporteat hoc etiam secundum literam custodiri, ipse dominus & saluator docet, dicens: Scriptum est, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Et ostendit vtique obseruanda esse hæc etiam secundum literam cum adiicit, Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Sed & in aliis apostolus vbi dicit, quia Abrahā duos filios habuit, vnū de ancilla, & vnū de libera, quis dubitat hæc secūdum literam stare debere? Certum est enim, quia & Isaac de Sara, & Ismael de Agar filij fuerint Abrahæ. Addit tamen iis Apostolus, & dicit: Hæc autem sunt allegorica, quæque in duo testamēta conuertat, & Saræ quidem sobolē tanquā in libertatem gignentis noui testamenti liberos dicit. Agar autem tanquam in seruitutem generantis terrenæ Hierusalem filios nominauit. Ostendimus (vt opinor) auctoritate scripturæ diuinæ, ex iis quæ in lege scripta sunt aliqua penitus refugienda esse & cauenda, ne secundum literam ab euangelij discipulis obseruentur: quædam verò omnimode vt scripta sunt obtinenda: alia autem habere quidem secundum literam veritatem sui, recipere tamen vtiliter & necessario etiam allegoricum sensum. Erit ergo iam sapientis scribæ, & edocti de regno dei, qui sciat de thesauris his proferre noua & vetera, scire quomodo in vnoquoque loco scripturæ, aut abiiciat penitus occidentem B literam, & spiritum viuificantem requirat: aut confirmet omnimode, vt vtilē ac necessariam probet literæ doctrinam: aut manente historia, opportune & decenter introducat etiam mysticum sensum. Sicut & in hoc sermone quem habemus in manibus arbitror conuenire: decet enim & vtile est etiam sacerdotibus euangelij offerri primitias. Ita enim & dominus disposuit, vt qui euangelium annunciāt, de euāgelio viuant, & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario & indecens & indignum existimo & impium, vt is qui deum colit, & ingreditur ecclesiam dei, qui scit sacerdotes & ministros adsistere altari, & aut verbo dei aut ministerio ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ quos dat deus solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus. Nō mihi videtur huiusmodi anima habere memoriā dei, nec cogitare, nec credere quia deus dederit fructus quos cepit, quos ita recondit quasi alienos à deo. Si enim à deo sibi datos crederet, sciret vtique munerādo sacerdotes honorare deū de datis & muneribus suis. Et adhuc vt amplius hæc obseruanda etiā secundū literā ipsius dei vocibus doceātur, addemus ad hæc. Dominus dicit in euāgeliis: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, hoc est, decimam datis mentæ, & cymini, & anethi, & C præteritis quæ maiora sunt legis. hypocritæ hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentius quomodo sermo domini vult fieri quidem omnimode quæ maiora sunt legis, non tamen omitti & hæc quæ secundum literam designantur. Quod si dicas, quia hæc ad phariseos dicebat non ad discipulos, audi iterum ipsum dicentem ad discipulos, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum. Quod ergo vult fieri à Pharisæis, multo magis & maiore cum abundātia vult à discipulis impleri: quod autem fieri à discipulis non vult, nec Pharisæis imperat faciendum. Quomodo autem plus velit fieri à discipulis quàm faciunt Pharisæi, in eo declarat vbi dicit: Dictum est antiquis, non occides. Hoc obseruant & Pharisæi. discipulis autem dicit: Ego autem dico vobis, quia si quis iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio. Similiter & de eo quod scriptum est, Non adulterabis, suorum discipulorum in eo vult amplius abundare iustitiam, vt ne mulierem quidem videant ad concupiscendū. Igitur ex his quæ protulimus paucis, si qui studiosi sunt in scripturis diuinis, perfacile colligere poterūt etiam cæterorum distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit, verbum non solum laudabit, sed & adiiciet ad illud. Quid adiiciet? vt discutiat & discernat in singulis quibusque capitulis legis, vbi fugienda sit legis litera, vbi amplectenda, vbi etiam narratio historię cum mystica expositione conueniat. Christus enim nos redemit

Matt. 19. *Gal. 4.* *Epilogus.* *1. Cor. 9.* *Impium nō offerre decimas & primitias sacerdotibus.* *Matt. 23.* *Antipophora.* *Mat. 5.* *Ibid.* *Prouerb. 1.* *Gal. 3.*

de maledicto legis: non nos redemit de maledicto mandati, D nec de maledicto testimonij, nec de maledicto iudiciorum, sed de maledicto legis: id est, ne subiecti essemus circuncisioni carnis, nec obseruationi sabbatorum, aliisque horum similibus, quæ non in mandatis, sed in lege dicenda sunt contineri. Quomodo ergo abūdat iustitia nostra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, si illi de fructibus terræ suæ gustare non audent priusquam primitias sacerdotibus offerāt, & Leuitis decimæ separentur: & ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutar, vt sacerdos nesciat, Leuites ignoret, diuinum altare non sentiat? Illud sane necessario commonendum est, quod lex dupliciter dicitur. nam generaliter omnia ista, hoc est mandatum, iustificationes, præcepta, testimonia, iudicia lex appellantur: specialiter autem pars aliqua ex iis quæ in lege scripta sunt lex dicitur, vt sunt ista de quibus superius disseruimus. Generalis autem lex significatur (verbi gratia) cum de saluatore dicitur, quia non venit soluere legem, sed adimplere. Et item alibi: Plenitudo ergo legis est dilectio. In quo vtique omnia simul quæ scripta sunt in lege, legem nominauit. Hæc diximus asserentes mandatum de primitiis frugum, vel pecorum, debere etiam secundum literam stare. Nunc autem videamus quomodo & allegoricum, id est, spiritalem recipiat intellectum. Requiramus ergo sicubi in scripturis præter hæc de quibus suprà dictum est, inuenimus primitias nominari: hic enim dixit, [omnes primitias olei & vini, & frumenti, E horum omnium primitiæ quæ oblatæ fuerint deo, tibi dedi ea.] Requiro ergo nunc præter hæc vbi primitiæ nominentur. Si enim omnes primitiæ ad pontificem pertinent, necessario nobis & pontifex requirendus est, ad quem pertinere debeant etiam illæ primitiæ quas in aliis scripturæ locis inditas inuenimus. Et primo quidem omnium de ipso domino Christo legimus scriptum, quia sit primitiæ mortuorum. Est ergo & ipse aliqua in parte primitiæ. Et iterum inuenimus de quibusdam dictum ab Apostolo, quia sunt primitiæ Asiæ, & alii primitiæ Achaiæ. Vnde consequens est per singulas ecclesias aliquos credentium, quos tamen apostolicus spiritus probauerit, primitias nominari. Ex quibus esse arbitror etiam Cornelium illum qui Cæsariensis ecclesiæ cum iis cū quibus spiritum sanctum meruit accipere, primitiæ merito dicitur. Et non solum huius ecclesiæ, sed fortassis & omnium gentium primitiæ Cornelius appellandus est: primus enim credidit ex gentibus, & primus sancto spiritu repletus est. Et ideo recte primitiæ gentium appellabitur. Sed requiris fortasse quis istas offerat primitias deo, aut quis est pontifex cuius hæc rationibus cedant. Ego arbitror quod secundum domini verbum ager dicatur hic mundus. Ager autem non terræ solum, sed corda intelliguntur humana, quem agrum angeli dei susceperint excolendum. Culturæ ergo suæ fructus ipsi quidem possident, & habent, eos videlicet qui sub M procuratoribus agunt, & actoribus, & nondum vsque ad summam ætatem perfectionis venerunt. si quorum verò corda diligēter exculta, & ad perfectum perfecta sunt, hos tanquam electos & præcipuos ex cæteris primitias offerunt pontifici magno. Denique inuenimus ipsum Cornelium antequam doctrinam verbi dei, vel gratiam baptismi susciperet à Petro, audisse ab angelo, quia orationes eius & eleemosynæ ascendissent ad deum, vnde & per ipsum angelum videtur deo primitiæ oblatus esse Cornelius. Possumus autem dicere etiam de Petro, & Paulo cæterisque apostolis, quod & ipsi credentium per se primitias offerant, sicut dicit Apostolus, quia ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum repleuerit euangelium Christi, & ita prædicauerit euangeliū non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamētum ædificaret. Intuere ergo Paulum, omnes eos quos docuit, quibus prædicauit, qui ex ipso profecerunt in fide, tanquam fructus suos offerentem, & quærentē quotidie nouos agros quos excolat, & noua rura quæ seminet, & ob hoc dicentem ad quosdam: Cupio enim venire ad vos, vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Intuere inquam eum ex iis omnibus fructibus electa quæque signantē, & dicentem de quibusdam (sicut suprà diximus) quia sunt primitiæ Asiæ, & alii primitiæ Achaiæ, & singula-

Lex dupliciter dicitur. *Mat. 5.* *Rom. 13.* *Concludit primitias frugū & pecorum iure diuino soluendas.* *Primitiæ spiritales.* *Col. 1.* *1. Cor. 16.* *Act. 10.* *Cornelius primitiæ gentium.* *Rom. 15.* *Rom. 1.* *2. Thes. 2.*

G rum quarumque ecclesiarum eligere primitias & offerre deo. Habet autem fortassis aliquos & primogenitos. Credo autem quod habeat & aliquos inferiores horum, quos neque pro primogenitis, sed pro decimis possit offerre. Sed & vnusquisque doctorum puto pro eo quod docet & prædicat & instruit auditores, agrũ ecclesiæ illius quam docet, id est, credentium corda videatur excolere. Habet ergo & ipse cul turæ suæ fructum, & in iis omnibus fructibus inuenit sine dubio electũ aliquẽ & præcipuũ quum quasi primitias offerat, inuenit & quos pro primogenitis, & alios pro decimis. Quod si nõ videtur temerariũ audere in talibus, possunt for tasse primogeniti vere illi dici, de quibus scriptũ est, quia cũ mulieribus se nõ inquinauerũt, virgines enim permãserunt aut etiam de martyribus potest dictum videri. Et primitiæ nihilominus possũt intelligi ecclesiæ virgines. Decimæ quoq; ij qui post cõiugiũ cõtinenter & caste vixerint. Verum quoniã ex angelorũ primitiis sermo sumpsit exordiũ, quas offerri ab iisdem humani generis cultura dixeramus, atque ad apostolos sequenti loco, & inde ad vnũquenque doctorum deducti sumus, redeamus ad originem eorum quæ discutere cœperamus. Igitur vnusquisque angelorũ in cõsummatione seculi aderit in iudicio, educẽs eos secũ quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem pa-
H tris qui in cœlis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturæ hominum angelus defuerit, sed an culturæ angelicæ nequaquam digne segnitia humana responderit. Quod si ita est, erit ergo etiam inter angelos & homines iudicium dei: & fortassis iudicabuntur aliqui cum Paulo, & conferentur laboribus eius, & fructibus qui ex multitudine credentium veniunt: & forte inuenietur in laboribus superior etiam aliquibus angelis, & ideo nimirum dicebat: Aut nescitis quia angelos iudicabimus? Non quòd ipse Paulus iudicet angelos, sed quod opus Pauli quod egit in euangelio, & erga animas credentium, iudicabit aliquos. non enim omnes, sed aliquos angelorum. Et propterea fortassis etiam Petrus ad ista respondens dicebat: In quem con-
1. Pet. 1. cupiscunt etiam angeli prospicere, quamuis & ipsi apostoli angelis vtantur adiutoribus ad explẽdum prædicationis suæ munus, & opus euangelij consummandum. Sic enim dice-
Act. 12. batur in Actibus apostolorum, quia angelus Petri esset qui pulsaret ad ostium. Similiter ergo intelligitur esse & alius Pauli angelus, sicut est Petri, & alius alterius apostoli, & sin-
I gulorum per ordinem, vel pro meritis, quos vtique in laboribus & doctrina sua, siue apostolorum siue reliquorũ post eos doctorũ, necesse est primas partes habere & animarũ quę per eos profecerunt, & fructum vna cum iis per quos operati sunt ad aream domini comportare. Erit ergo in congregatione fructum, id est in electione credentium, ille, (verbi gratia) qui fuit illius ecclesiæ præcipuus & eximius, primitiæ, & ille etiam hoc superior illius ecclesiæ primogenitus, ab illo (verbi gratia) angelo oblatus. Et ita omne hoc quod adumbratum est in lege, quoniam lex vmbram habet futurorum bonorum, aliquo modo per angelorum ministeria in futurorum bonorum veritate complebitur: vt quæ præformata sunt in illo Israel, qui secundum carnem Israel dicitur, in Israelitis veris & cœlestibus impleantur. Nomen enim Israel peruenit vsque ad angelicos ordines, nisi quia multo verius
Angeli appellantur etiã Israel. illi appellabũtur Israel, quãto verius illi sunt mẽs vidẽs deũ. Hoc enim Israel interpretatur. Puto enim quia sicut quædam nomina, vel gentium, vel principum, in scripturis posita videmus, quæ absque vlla dubitatione ad malos angelos, & ad virtutes contrarias referantur: sicut, verbi gratia Pharao rex Ægypti, & Nabuchodonosor Babylonius & Assyrius: ita etiam ea, quæ de sanctis viris & gente religiosa scribuntur, ad sanctos angelos & ad benignas debemus referre virtutes. Quod autem rex gentis impiæ ad virtutem aliquam malignam ab scriptura referatur, audi quomodo Esaias de
Esa. 10. Nabuchodonosor dicat: Et induam, inquit, gladium super gentem magnam, super principem Assyriorum. Ait enim: Virtute mea faciam, & sapientia sensus mei destruam fines
Esa. 14. gentium, & virtutem eorum deprædabor. Et item alibi quasi de principe gentis cuiusdã loquens dicit: Quomodo cecidit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? Si ergo hæc omnia ad angelos quosdã magnæ virtutis referri cogit ratio veritatis, K nónne eadem consequentia etiam quæ de bonis, vel principibus, vel gentibus conscribuntur, ad bonarum, vt suprà diximus, virtutum angelos, ministrósque referentur? Sed & illud quod in Genesi scriptũ legimus, deum ad angelos sine dubio loquentem dicere: Venite confundamus linguas eorum, quid aliud putandum est, nisi quod diuersi angeli, diuersas in hominibus linguas operati sint ac loquelas? Vt (verbi gratia) vnus aliquis fuerit, qui Babylonicam tunc vni homini impresserit linguam, alius qui alij Ægyptiam, & alius qui Græcam, & sic diuersarum gentium ipsi illi fortasse principes fuerint, qui & linguarum ac loquelæ videbantur auctores: manserit autem lingua per Adam primitus data vt putamus Hebræa, in ea parte hominum, quæ non pars alicuius angeli, vel principis facta est, sed quæ dei portio permansit. Interim vt dicere cœperamus, offerunt & angeli primitias, vnusquisque credo gentis suæ, & rursum vnusquisque ecclesiæ suæ. Quibus angelis & Ioannes in Apocalypsi scribere videtur, verbi gratia, angelo ecclesiæ Ephesiorum, vel Smyrnæorum, vel Laodicẽsium, aliarũque quæ scriptæ sunt.

Gen. 11. Ministerio Angelorũ deus linguas confudit.

Hebræa lingua in dei populo ab Adam permansit.

Apoc. 2.

Offert ergo vnusquisque angelorum primitias, vel ecclesiæ vel gentis suæ quę ei dispensanda commissa est. Aut forte & alij extrinsecus angeli sunt, qui ex omnibus gentibus fideles quosque congregent. Et consideremus ne forte sicut in aliqua (verbi gratia) ciuitate, vbi nondum Christiani nati sunt, si accedat aliquis, & docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidẽ, & ipse post modũ iis quos docuit princeps & episcopus fiat: ita etiam sancti angeli eorum quos è diuer L sis gentibus congregauerint, & labore suo ac ministerio pro ficere fecerint, ipsi eorum etiam in futuro principes fiant: vt Christus non tam rex dicatur quàm rex regum, & non tam dominus, quàm dominus dominãtium. Quippe si isti reges fiunt eorum quos regunt, & proficere faciunt, ipsi ergo offerunt quosdam quidem pontifici, quosdam verò filiis pontificis, id est, superioribus virtutibus, & archangelis, quosdã etiam Leuitis, id est paulo inferioribus, si tamen cõsequens videatur tali quadam specie etiã angelicos ordines, vt Israelitici sunt, esse distinctos, quandoquidem Israeliticæ vmbrę, exemplari dicãtur deseruire cœlestium. Possumus ergo dicere, quia forte in futuro cum omnes fructus congregabuntur ad aream, erunt quidã portio põtificis, sed illius veri pontificis Christi. Erunt & alij portio Leuitarum, sicut iam suprà diximus, vel angelis, vel aliis cœlestibus virtutibus sequestrata. Puto autem quòd erunt quidam portio etiam hominum, eorum duntaxat qui in hac vita prudentes ac fideles dispensatores verbi dei fuerunt. Hoc enim arbitror in euã- M geliis designari à domino, vbi ait ad eum, cui crediderat quinque mnas, & fecerat ex eis decem, esto potestatem habens supra decem ciuitates. Cui verò crediderat vnam, & fecerat ex ea quinque, esto potestatem habens supra quinque ciuitates. Quæ enim hic potestas ciuitatum intelligenda est, nisi gubernatio animarum? Vnde & videtur mihi quod non sine causa etiam inter ipsos angelos alij potestatem & principatum super alios gerant, alii autem subiaceant, & obtemperent potestati. Sicut ne iste quidem cui potestas decem ciuitatum, vel ille cui quinque ciuitatum datur sine merito, eo quod creditam sibi multiplicauit pecuniam, peruenit ad huiusmodi potestatem. Omnia enim apud deum ratione & iudicio fiunt, nec ad gratiã, sed pro merito aliusprin ceps esse multorum ponitur, alius subiectus esse principatui. Euagati forsitã prolixiore videamur excessu, sed de primitiis exponentibus necessariũ fuit etiam ista discutere, quãdoquidem tanti honoris nomen istud in scripturis diuinis habetur vt etiam ipse Christus primitiæ nominatus sit, & primitiæ dormientium. Et sicut rex regum, & dominus dominantium & pastor pastorum & pontificum pontifex, ita consequenter & primitiarum primitię dicetur. Quæ primitiæ nõ iam pontifici, sed deo oblatæ sunt, secundum hoc quod seipsum hostiam obtulit deo, & surgens à mortuis sedit in dextram dei. Dicitur autem ipse & primitiæ, & primogenitus totius creaturæ, quod vtrum tali modo per singulas quasque creaturas intelligi debeat quali inter homines primitiæ dormientium dicitur, an intelligitur in aliqua celsiore & diuiniore intelligentia

Mat. 25.

Hierarchia angelica.

Merentur angeli custodes. de quo lege mag. sentent. li. 2. dist. 11.

1. Cor. 15.

Col. 1.

A gentia, non est præsentis temporis persequi. Redeamus ergo ad primitiarum rationem quas diximus offerri per angelos, quę colliguntur ex agris huius mundi. Agri autem angelorum, corda nostra sunt. Vnusquisque ergo eorum ex agro quem colit, offert primitias Deo. Etsi mererer ego hodie magnũ aliquem, & summo põtifice dignũ sensum proferre, ita vt ex iis omnibus quæ loquimur & docemus, esset aliquid egregium, quod summo sacerdoti placere deberet, poterat fortasse fieri, vt angelus qui præest ecclesię, ex omnibus dictis nostris eligeret aliquid, & loco primitiarum domino de agello mei cordis offerret. Sed ego me scio non mereri, nec cõscius sum mihi, quod talis aliquis sensus inueniatur in me, quem dignum iudicet angelus qui nos excolit, offerre pro primitiis, vel pro primogenitis domino. Atque vtinam tale sit quod loquimur & docemus, vt nõ pro verbis nostris condemnari mereamur, sufficeret nobis hæc gratia. Offerũt ergo angeli ex nobis primitias, & excolũt vnusquisque eos quos studio & diligentia sua ab erroribus etiam conuertit ad deũ: & est vnusquisque in portione vel cura illius angeli: & sicut ex initio seculi huius cum dispergeret deus filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum dei, & vnaquæque gens sub illo angelo facta est: vna autem fuit & electa gens Israel, quę portio domini fuit, & funiculus hæreditatis eius: ita credo & in fine huius mundi atque in initio seculi alterius futurum, vt iterum diuidat excelsus filios Adam: & qui non potuerint ita mundi esse corde vt ipsum videant dominum, & esse portio domini, videant sanctos angelos, & sint secundum numerum angelorum dei. Sed beatus est qui dignus fuerit in illa vita esse portio domini, & populus eius Iacob, ac funiculus hæreditatis suæ Israel. Optabile est ergo (vt diximus) ita proficere vnumquenque, vt inter primitias, vel primogenita eligi mereatur, & offerri deo, & esse pars domini. sicut è contrario valde timẽdum est ne inueniamur inter illos, de quibus scriptum est: Introibunt inferiora terrę tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Vides ergo resurrectionis tempore cum diuidere cœperit excelsus gentes, & pro meritis dispergere filios Adam, futuros esse quosdam qui intrent in inferiora terræ, & partes vulpium, id est, partes dæmonum fiant. Ipsæ enim sunt vulpes exterminantes vineas, ex quibus erat & Herodes, de quo dicitur: Ite dicite vulpi huic. Refugiamus ergo terrenos actus, & intelligentiam terrenam, ne aggrauati terrenis sensibus, introire dicamur in inferiora terræ, & partes vulpiũ fieri. Intrant enim & illi in inferiora terræ, qui legem dei & repromissionũ bona, intelligentia terrenæ cogitationis excipiunt, & non excitant animas auditorum ad expectationem cœlestium, & intuitum supernorum: cum euidenter Apostolus dicat: Si consurrexistis cum Christo quę sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera dei sedens, non quæ sunt super terram: quod vtique illis dicebat Apostolus, qui terrena obseruatione, terrenis ne tetigeritis aiebant, ne gustaueritis, ne attaminaueritis. quibus addit: Quæ sunt omnia in corruptionem ipso vsu secundum mandata & doctrinas hominum. Addit post hęc: [Et locutus est dominus ad Aaron dicens: Ecce ego dedi vobis ad conseruãdum primitias.] quamuis in nonnullis exemplaribus Latinorum ad obseruandum scriptum sit, verius tamen est ad conseruandum. Sed requirendum est quomodo secundum legem primitiæ conseruentur. Non enim vt seruent, sacerdotes accipiunt primitias, sed vt insumãt. Quomodo ergo dicit: [Ecce dedi vobis primitias ad conseruandum?] Vnde constat non posse hoc ad legem literæ, sed ad legem spiritus applicari. Istæ enim primitiæ quas suprà spiritaliter exposuimus, cõseruari possunt, illæ non possunt. Sed & si Christus est secundũ Apostolum primitiæ, verè istę primitię ad conseruandum datæ sunt nobis. Quid enim tam beatũ, quàm vt anima quæ suscepit Christũ, semper eũ cõseruet, & semper habeat in se manentẽ? Et talis anima vere primitias suscipit ad conseruandum. Nam illæ primitiæ quæ offerebantur in lege, consumebantur per cibos, & ingressæ in in ventrem, dirigebantur, vt euangelium dicit, in secessum. Istas autem primitias qui manducauerit, & gustauerit p.nem qui de cœlo descendit, non morietur, sed permanet in

Humilitas Origenis. *Deut. 32* B *Caut. Nam omnes electi videbunt Deum sicuti est.* *Psal. 63.* *Cant. 2.* *Mat. 23.* C *Col. 3.* *Col. 2.* *Græcus citat latina.*

D vitam æternam. Iste est enim panis, qui cum semper comedatur, semper permanet, imò semper augetur. Est ergo, sicut Apostolus dicit, spiritalis esca, quæ quanto magis insumitur, tanto amplius crescit. Quanto enim amplius verbum dei sumpseris, quanto instantius cibum istum comederis, tanto in te affluentius abundabit. Hæc dicta sunt pro eo quod scriptum est, ad conseruandum primitias. Sequitur autem. Ex omnibus quæ sanctificãtur mihi à filiis Israel.] Nec hoc sine sacramento dicitur, non vult enim deus aliunde accipere primitias, nisi à sanctificatis Israel. Poterat enim fieri, vt & apud gentiles inuenirentur aliqua opera digna deo. Excoluerunt enim & inter illos aliqui virtutes animi, & philosophia in nonnullis egit aliquantulum, sed non vult ista offerri in primitiis. Ex illis vult deus benefacta suscipere, quorum mens videt deum, & qui sanctificati sunt deo per fidem. Gentilis autem etiam si aliquid honestum & probabile habere videatur in moribus, hoc ipso quod non deo ascribit animi virtutem, sed iactantiæ suæ deputat, non est sanctificata huiusmodi probitas, & ideo non recipitur inter primitias. Quantum autem ad definitionem literæ legis, videtur etiam proselytos excludere ab huiuscemodi munere. Solos enim sanctificatos ex filiis Israel vult offerre primitias. Puto autem Israeliten dici posse, ex quo licet ei ingredi ecclesiam dei. Scriptum est enim: Nõ abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quoniam incola fuisti in terra Ægypti. Filij si nati fuerint eis, generatione tertia introibunt ecclesiam dei. Donec ergo fructum non affert Ægyptius, vel Idumæus, nec fecerit filios primæ & secundæ & tertiæ generationis, nõ potest introire in ecclesiam domini, sed filiorum generatio facit eos introire in ecclesiam domini. Obseruet diligentius qui legit literas diuinas, & non vt libet scripturę verba pertrãseat, sed aspiciat ad vnumquenque sermonem, quomodo non dixit, si nati fuerint eis filij vel filiæ, sed filij si nati fuerint eis, tertia generatione introibunt in ecclesiam domini. Et considera si potes secundum mysticum sensum, cur soli filij sint, non etiam filiæ, qui faciunt introire patres in ecclesiam domini. Denique inuenies etiam sanctos quibus eximium à deo testimonium datur, difficile filias, sed filios genuisse. Abraham non genuit filias, Isaac nec ipse quidem, solus Iacob vnam genuit, & ipsam fratribus ac parentibus grauem. Contaminata enim ab Emor filio Sichem, opprobrium generi, & vindictæ furorem fratribus excitauit. Sed & ter in anno apparere domino iubetur omne masculinum. Fœmina ad apparendum domino non vocatur. Sic ergo si quis scripturis diuinis diligenter intendat, inueniet non esse otiosum quod alibi quidem nominat cum filiis etiam filias, alibi autem filiarum non facit mentionem. Et hic ergo primitiæ quæ offerũtur, à sanctificatis filiis Israel, non etiam à filiabus iubentur offerri: quę tamen secundum spiritalem intellectum, non ad sexus, sed animarum discretionem referenda sunt. [Tibi enim, inquit, dedi ea in honorem, & filiis tuis post te legitimum æternum.] Tibi, inquit. Cui? Aaron sine dubio respondebis. Sed sermo qui sequitur, magis de vero pontifice Christo, & filiis eius apostolis, & doctoribus ecclesiarum suadet intelligi. Ait enim legitimum æternum. Quomodo ergo æternum potest esse quod visibile est? cum Apostolus dicat: Quę enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Si ergo visibiles sunt primitiæ quæ offeruntur Aaron, quæ visibilia sunt, dici æterna non possunt. Similiter & circuncisio visibilis, & azyma visibile, & pascha visibile necesse est æternum non esse sed temporale, quia quæ videntur, temporalia sunt. Et rursus: si quæ non videntur, æterna sunt, ergo & inuisibilis circuncisio, quæ est, in occulto, æterna est, & azyma synceritatis & veritatis, & ipsum quia ex iis est quæ non videntur, æternum est. Simili ergo modo & hæc non ei qui in manifesto, sed illi qui in occulto Iudæus est, & qui spiritu non litera legem custodit, secundum interiorem hominem legitima & æterna dicuntur. Et hoc sit vobis ex iis quæ sanctificantur sanctis. De sacrificiis aliquoties apud memetipsum ista percurrens requisiui: quęnam essent sanctificata

1 Cor. 10 *Virtutes gentilium.* *Deut. 24.* E F *2 Cor. 4.* *1 Cor. 5.* *Rom. 2*

G sancta, & videtur mihi quasi ad distinctionem eorum quæ non sanctificata sancta sunt, hic sanctificata sancta dixisse. Puto ergo quod sanctus spiritus ita sanctus sit, vt non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus & aliunde accessit sanctificatio, que ante non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initium sanctitas eius accepit. Similísque modo de Patre & Filio intelligendum est. Sola enim trinitatis substantia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. Omnis verò creatura vel dignatione sancti spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta dicetur. Sic ergo & scriptum legimus: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit dominus deus. Non continuo similitudo sanctitatis in deo, atque hominibus ponenda. De deo enim dicitur quia sanctus est, homines autem quasi qui non semper fuerint, iubentur vt fiant sancti. Denique sermo hic in Græco, vbi nos habemus, sancti estote, hoc magis sonat, sancti efficimini. Sed nostri interpretes indifferenter, estote pro efficimini posuerunt. Vnusquisque ergo nostrum ex quo accedit ad timorem dei, & diuinam recipit in se doctrinam, ex quo se mancipauit deo, si tamen ex animo mancipauit, ex eo sanctus efficitur. Sed hic sanctificatus sanctus dici potest: vere autem & semper sanctus, solus est Deus. Vis autem tibi & de scripturis diuinis huius apicis aperiam differentiam? Audi quomodo Paulus ad Hebræos scribens dicit: Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Quis ergo sanctificat? Christus sine dubio. & qui sanctificantur? credentes in Christo. Manifestum ergo est quod qui sanctificat, sanctus est, quia semper sanctus est. Qui autem sanctificantur, non simpliciter sancti, sed sanctificati sancti dicendi sunt. Nec putes huic sensui esse contrarium illud quod de Christo scriptum legimus: Quem pater sanctificauit, & misit in hunc mundum. Hic enim qui sanctificatur, secundum carnem Christus est, non secundum spiritum. Nam secundum spiritum pariter, & secundum carnem Christus dixit: Ego sanctifico meipsum pro eis: vt qui sanctificat, secundum spiritum intelligatur: qui autem sanctificatur pro discipulis, secundum carnem: vnus tamen atque idem Christus sit, qui nunc in spiritu sanctificat, nunc sanctificatur in carne. Ab omnibus ergo fructibus sanctificatæ sanctæ sunt offerendæ primitiæ, sed spiritali pontifici. Ex quibus ergo fructibus spiritales primitias offeremus? Audi quot fructus enumeret Apostolus. Fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia, & cætera. Quas igitur primitias ex charitatis fructu, qui primus est fructus spiritus offeramus vero pontifici? Illas ego puto esse primitias charitatis, vt diligam dominum deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota mente mea. Istæ sunt primitiæ. Quid autem est quod ex isto charitatis fructu secundo loco habere debeam? Vt diligam proximum meum I sicut meipsum. Illæ ergo primitiæ charitatis deo offeruntur per pontificem, hæc verò quæ in secundo sunt loco, meis vsibus relinquuntur. Puto esse aliquid ex hoc fructu quod tertio loco habendum sit, vt diligam etiam inimicos meos. Vide autem si potes similiter & de cæteris fructibus spiritus similes inuenire primitias. Gaudium secundo loco fructus spiritus scribitur. Si ergo in domino gaudeam, & spe gaudeam, & si gaudeam in nomine domini passus iniuriam, in his omnibus, aliisque horum similibus, primitias gaudij per pontificem verum deo obtuli. Sed & si rapinam bonorum meorum cum gaudio sustineam, & si tribulationes, si paupertatem, si qualemcunque contumeliam gaudens tolerem, est mihi & iste secundo in loco ex fructibus spiritus, fructus gaudij. Nam si gaudeam de rebus seculi, de honoribus, de diuitijs, falsa sunt gaudia, ex vanitatibus vanitatum. Si verò in malis gaudeam, & exultem de aliorum ruinis, ista iam non solum vana, sed & diabolica gaudia, imò nec gaudia nominanda sunt. Non est gaudere impiis, dicit dominus. Volo adhuc & alium fructum gaudij requirere, imò & alias primitias gaudiorum. Si gaudeam in verbo domini, si gaudeam de scientia mysteriorum dei, si gaudeam quod dignus habitus sum sapientiæ dei secreta & arcana cognoscere, si gaudeam quod relictis omnibus quæ sunt in hoc mundo, non solum inutilibus, sed & vtilibus, non solum vanis, sed & K necessariis, soli me verbo dei atque eius sapientiæ mancipa-rim: in iis omnibus satis, vt puto, acceptæ deo primitiæ gaudij offerentur. Sed & de cæteris fructibus spiritus ex otio vnicuique quæ competunt licebit aptare, ne nos sermonem iusto longius protrahamus. [Et ab omnibus, inquit, muneribus eorum.] Munus quis obtulit deo, & rursus ex munere offerendæ sunt primitiæ pontifici. Hoc in expositione allegorica ita arbitror posse constare. Si quis vel egentibus distribuat, vel faciat aliquid boni operis, pro mandato munus obtulit deo. Sed huius muneris offert primitias, si non solum cibos, verbi gratia, vel pecuniam largiatur, sed & affectum miserendi habeat, & compatiendi. Hoc enim est quod requirit ab homine deus, vt mens ipsa piis & misericordibus repleatur & formetur affectibus. [Et ab omnibus immolationibus eorum.] Immolatio spiritalis est illa quam legimus: Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Laudare ergo deum, & vota orationis offerre, immolare est deo. Sed huius immolationis primitiæ ita per pontificem offerentur, si non solum verbis & voce, sed & mente oremus & corde, secundum quod & Apostolus monet: Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente. Assistunt enim & nunc angeli dei cultores & agricolæ cordis nostri, & requirunt si est in aliquo nostrum huiuscemodi mens tam sollicita, tam intenta, L quæ verbum dei tanquam semen diuinum tota auiditate susceperit, si fructum statim vt ad orationem surgimus ostenderit, id est, si collectis & congregatis intra se sensibus oret deum, si non euagetur mente, & cogitationibus euolet, ita vt corpore quidem in oratione curuetur, sensibus autem per diuersa discurrat. Si quis inquam intentam & directam senserit obsecrationem suam, & ipsis dei conspectibus, atque ineffabili illi lumini se intellexerit assistentem, ibíque orationes, & obsecrationes, postulationésque, & gratiarum actiones suas profuderit nullius extrinsecus phantasiæ sollicitatus imagine: hic se nouerit per angelum qui assistit altari obtulisse immolationis suæ primitias pontifici magno & vero, Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Spiritus S. non est sanctificatus. Hic pie loquitur de trinitate. — Leuit. 20. — Cita. latina — Heb. 2. — H — Ioan. 10. — Ioan. 17. — Gal. 5. — Leuit. 19. — Heb. 10. — Esa. 57. — 1. Cor. 14.

De puteo & cantico eius. ex Cap. XXI. Homilia. XII.

LECTIO nobis putei, & cantici quod apud puteum cecinit Israel, ex Numerorum libro recitata est. Quam solitis imò forte & amplius solito videmus redundare mysteriis. Ait enim. [Et bibit de puteo populus.] Hic est puteus, quem dixit dominus ad Moysen: [Congrega populum, & dabo eis aquam bibere.] Sed in his dictis non multum mihi iuris videtur historica litera possidere. Quid est enim quod magnopere præcepit dominus Moysi populum congregare, vt det eis aquam de puteo bibere? quasi verò non etiam sponte populus bibendi gratia conueniret ad puteum. Quid ergo tantopere prophetæ præcipitur, vt proprio studio, & labore cógreget populum ad hauriendam putei aquam? Vnde humilitas literæ ad preciositatem nos spiritalis remittit intelligentiæ. Et ideo conueniens puto etiam de aliis scripturæ locis puteorum congregare mysteria, vt ex comparatione plurimorum, si quid præsens sermo obscuritatis continet elucescat. Ait ergo spiritus dei per Salomonem in prouerbiis: Bibe aquas de tuis vasis & de puteorum tuorum fonte, & non supereffundantur tibi aquæ extra tuum fontem. Quamuis in aliis exemplaribus legerimus: Et effundantur tibi aquæ extra tuum fontem. Aquæ tuæ sint tibi soli, & nemo alienus participet ex eis. Habet ergo (vt in iis designatur) vnusquisque nostrum in semetipso puteum. Imò & aliquid amplius dicemus, vnusquisque nostrum habet non puteum vnum, sed puteos multos, & vnum vas aquæ, sed vasa multa. Non enim dixit, bibe aquas de tuo vase, sed de tuis vasis: & non dixit, & de putei tui fonte, sed

M — Prouerb. 5.

A ſed de puteorum tuorum fonte. Legimus habuiſſe & patriarchas puteos, habuit Abraham, habuit & Iſaac. Puto autem habuiſſe & Iacob. Et ab iſtis puteis ſumpto initio, percurre omnem ſcripturam, puteos requirens, & perueni vſque ad euangelia, & ibi inuenies puteum ſupra quem Saluator noſter ſedebat requieſcens poſt itineris laborem, tunc cum veniente muliere Samaritana, & volente haurire aquam de puteo, quę eſſet in ſcripturis putei vel puteorum virtus exponitur, & cõparatio fit aquarum, vbi & diuini myſterij panduntur arcana. dicitur enim quia ſi quis bibat ex ijs aquis, quas continebat puteus ille terrenus, ſitiet rurſum. Qui autem ex illis biberit, quas dat Ieſus, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. In alio autem euangelij loco iam non fons neque puteus, ſed amplius aliquid dicitur. Qui credit, inquit, in eum, ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vides ergo quia qui credit in eum, non ſolum puteũ, ſed & puteos, & non ſolum fontes, ſed & flumina habet intra ſe. Fontes autem & flumina, non quæ iſtam mortalem vitam ſolentur, ſed quæ æternam conferant. Igitur ſecundum ea quæ in prouerbiis ſcripta propoſuimus, vbi putei ſimul cum fõte nominãtur, accipiendũ eſt verbum dei. Putemus quidem ſi profundi aliquid myſterij tegit, fons autem ſi ad populos abũdat & effluit. Sed nõ otioſe requirẽdum eſt quomodo poſſimus pluralem numerum de puteis exponere, & ſingularẽ de fonte, quia in prouerbiis dicit Sapientia: Bibe aquas de puteorum

Gen. 13. 26
Ioan. 4.
Ioan. 7.
Puteus verbum Dei.

B tuorum fonte. Videamus ergo quorum puteorum vnum dixerit fontem. Ego puto quod ſcientia ingeniti patris, vnus poſſit intelligi puteus, ſed & vnigeniti filij eius agnitio, alius puteus intelligi debeat. Alius enim à patre filius, & nõ idem filius qui & pater, ſicut ipſe in euãgeliis dicit: Alius eſt qui & teſtimonium de me dicit pater. Et rurſus tertium puto videri puteũ poſſe, cognitionem ſpiritus ſancti. Alius enim & ipſe eſt à patre, & filio, ſicut & de ipſo nihilominus in euangelio dicitur: Mittet vobis pater alium paracletum ſpiritum veritatis. Eſt ergo hæc trium diſtinctio perſonarum in patre & filio & ſpiritu ſancto, quæ ad pluralem puteorum numerũ reuocatur. Sed horum puteorum vnus eſt fons. Vna enim ſubſtantia eſt, & natura trinitatis. Et hoc modo non ocioſa inuenietur ſcripturæ ſãctæ diſtinctio, quæ dicit, de puteorum tuorum fonte. Sed obſeruanter myſtica ſignauit eloquia, vt quod pluraliter dictum eſt perſonis, ſingulariter ſubſtantiæ conueniret. Poſſunt autem & illi putei videri, de quorum ſcientia dicebat ille, qui repletus eſt ſapientia dei. Ipſe enim mihi dedit eorum quę ſunt ſcientiam veram, vt ſcirem ſubſtantiam mundi, & elementorum virtutem, initium & finem & medietatem, temporum viciſſitudinem, permutationes & commutationes temporum, anni circulos & aſtrorũ poſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, ſpirituũ violentias, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, &

Ioan. 14.
Et hic pie loquitur de trinitate.
Sap. 7.

C virtutes radicum. Vides quanti ſunt putei in rerum ſcientia? Puteus eſt, verbi gratia, ſcientia virgultorum, & forte vniuſcuiuſque virgulti natura habet proprium puteum. Et iterum puteus eſt de animalium ſcientia, & forte vnaquæque ſpecies animalium proprium habet puteum. Et iterum puteus eſt de ratione temporum, & viciſſitudine, ac permutatione. Et hæc ſingula quoniam altam, profundámque habent ſcientiam, merito figuraliter putei appellantur. Et donec quidem abſconditum fuit myſterium Chriſti à ſeculis & generationibus, recte horũ ſcientia putei appellati ſunt: cũ autem ſicut Paulus dicit, credẽtibus manifeſtauit deus per ſpiritum ſuum, efficientur hæc omnia fontes, & flumina: vt iam nõ ita habeatur in occulto horum ſcientia, ſed proferatur ad multos, & riget credentes, ac ſatiet. Et ideo credo Saluator dicebat ad diſcipulos ſuos, quia qui credit in eum, & aquam doctrinæ eius biberit, non iam puteus, nec fons, ſed fient in eo flumina aquæ viuæ. Sicut enim vnus iſte putemus, qui eſt ſermo dei, efficitur putei, & fontes, & flumina innumerabilia: ita & anima hominis, quia ad imaginem eſt dei, poteſt in ſe habere, & producere ex ſe, & puteos, & fontes, & flumina. Sed & reuera putei qui ſunt in anima noſtra indigẽt fodiente: debent enim mundari, & omne quod terrenum eſt ab eis debet auferri, vt venæ illæ rationabilium ſenſuum, quas

Rom. 1.
Ioh. 7.

ei inſeruit deus, pura ac ſyncera fluenta producant. Do- D nec enim terra contegit aquarum venas, & obturat occultum fluenti, non poteſt puri laticis vnda profluere. Denique propterea ſcriptum eſt, quia pueri Abraham fodiebant puteos, ſed replebant atque operiebant eos terra Phyliſtiim. Sed & Iſaac, qui hęreditatem ſuſceperat patris, rurſum fodit puteos, & terram remouit Phyliſtinorum, quam per inuidiã iniecerant aquis. Sed & illud obſeruabimus in Geneſi, vnde & hiſtoria hæc videtur aſſumpta, quod donec viueret Abraham, non fuerunt auſi Phyliſtiim replere puteos, aut iniicere eis terram. Sed cum exceſſit ex hac vita, tunc inualuerunt Philiſtiim & inſidiati ſunt puteis eius. Sed reparantur poſtmodum per Iſaac, & redeunt in ſtatum ſuum. Præterea & puer Abraham cum pergit vxorem ſpondere, vel deducere Iſaac, apud puteum inuenit Rebeccam, quę interpretatur patientia: hæc efficitur vxor Iſaac, non alibi niſi apud puteos. Similiter & Iacob, cum in Meſopotamiam venit, habens præceptum patris, ne alieni generis vel extranei ſanguinis coniugem ſumeret, apud puteos etiam ipſe inuenit Rachel. Et Moyſes Sephoram apud puteos reperit. Si ergo intellexiſti quæ qualéſque ſint vxores ſanctorum, etiam tu ſi vis patientiam in coniugium tibi adſciſcere, ſi ſapientiam, & ſi quæ aliæ ſunt animæ virtutes, & dicere quod de ſapientia dictum eſt: Hanc amaui, hanc quæſiui adducere mihi vxorem: eſto frequens, eſto aſſiduus circa puteos iſtos, & ibi reperies huiuſmodi coniugem. Apud aquas enim viuas, id eſt apud viuentis verbi fluenta, certum eſt omnes animi habitare virtutes. D Sunt ergo multi putei, quos diximus eſſe intra animã. Sunt & alij plurimi, qui in ſingulis quibuſque ſcripturarum ſermonibus intelliguntur & ſenſibus. Eſt tamen eminentior cæteris iſte puteus, & eximius, de quo in præſẽti loco ſcriptura dicit, quia foderint eum non quicunque communes homines, ſed principes & adhuc horum ſublimiores, quos reges appellauit. Propter quod & hymnus canitur deo apud hunc eundem puteum. Et ideo ſcriptum eſt: [Vade, inquit, ad puteum.] Hic eſt puteus quem dixit dominus ad Moyſen. Congrega populum, & dabo eis aquam de puteo, dixit dominus. Moyſes congregare iubetur populum, vt conueniat ad puteum, & bibat aquam. Moyſen autem legem accipi debere ſæpe oſtendimus. Lex ergo dei eſt quæ te conuocat, vt ad puteum conuenias. Quem puteum, niſi illum de quo ſuprà diximus Ieſum Chriſtum filium dei, propria quidem ſubſtantia ſubſiſtentem, vno tamen cum patre & ſpiritu ſancto deitatis fonte nominatum? Ad hunc ergo puteum, id eſt, ad fidem Chriſti nos conuocat lex. Ipſe enim dixit, quia Moyſes de me ſcripſit. Vt quid nos conuocat? Vt bibamus aquam, & cantemus ei canticum: hoc eſt corde credamus ad iuſtitiam, & ore confiteamur ad ſalutem. [Initiate, inquit, illi puteum.] Hic eſt ſenſus. Initium ait omnium, puteum ponite. ſicut & E Apoſtolus dicit: Quia ipſe eſt principium, & primogenitus omnis creaturæ, & in ipſo creata ſunt omnia. Initiate ergo ei puteum, hoc eſt, initium omnium confitemini eſſe puteum. Poteſt autẽ & hoc modo intelligi, vt verba dirigi videantur ex perſona Moyſi ad populum, cohortantis & dicentis: Date initium cordi veſtro, vt incipiat intelligere quis ſit puteus de quo aquæ ſpiritales hauriendæ ſunt, & reficiẽdus eſt credentium populus. Initiate ergo ei, hoc eſt Iſraeli hunc puteum: vt ſenſum myſticum ſi quis eſt corde deum videns, de profundis poſſit haurire. Ad iſtum ergo puteum vt Moyſes, id eſt lex nos cõgreget, non fruſtra dictũ videtur. Poteſt enim fieri, vt aliquis venire ad iſtum puteum videatur, ſed niſi per Moyſen cõgregetur, non eſt acceptus deo. Marcion veniſſe ſibi videtur ad iſtum puteum, & Baſilides, & Valentinus, ſed quia non venerunt per Moyſen, nec receperunt legem & prophetas, non poſſunt laudare dominũ deum de fontibus Iſrael. Non ergo veniunt qui huiuſmodi ſunt, ad puteum quem foderunt principes, & excuderunt reges. Sed vultis oſtendam vobis de ſcripturis, ad quos iſti puteos veniũt? Eſt vallis quædam ſalſa, in qua valle ſunt putei bituminis. Omnis ego hæreſis, & omne peccatum in valle eſt, & in valle ſalſa. Peccatum enim & iniquitas non aſcendit ſurſum, ſed ſemper ad ima & inferna deſcendit. Eſt ergo in valle poſi-

Gen. 26.
Gen. 24.
Gen. 29.
Exod. 2.
Exod. 17.
Puteus fides Chriſti.
Rom. 10.
Col. 1.
Heretici qui non recipie bant legem et prophetas

G tus, & falsus, atque amarus omnis hæreticus sensus, & omnis actus peccati. Quid enim dulce, quid suaue potest habere peccatum? Sed & amplius aliquid habet. Si enim veneris ad hæreticam sententiam, si veneris ad amaritudinem peccati, venisti ad puteos bituminis. Bitumen, esca & nutrimentum ignis est. Si ergo & tu gustaueris aquam de istis puteis, si sumpseris hæreticum sensum, si peccati amaritudinem ceperis, fomenta in te ignis, & gehennæ incendia præparabis. Et propterea ad eos qui nollunt de illo puteo aquam bibere, quem principes foderunt & reges, sed ex istis qui in valle peccati sunt, & ignis materias alunt, dicitur: Incedite in lumine ignis vestri & flammæ quam vobis accendistis. Quid ergo canitur apud hunc puteum? [Initiate ei, inquit, puteum.] Foderunt illum principes, excuderunt reges. Possunt quidem principes & reges iidem videri: si verò distingui necesse est, principes prophetas intelligamus. Ipsis enim sensum & prophetiam de Christo defossam, & demersam in profundo literæ collocarunt, & ideo quidam ex ipsis dicebat: nisi occulte audieritis plorabit anima vestra. Et item alius propheta dicit ad dominum. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te? Isti ergo sunt principes, qui foderunt hunc puteum, reges autem qui excuderunt eum. Quod dixit excuderunt, ab excudendo, non ab excidendo dictum est. Excudi enim dicitur, quod in saxo vel cæditur, vel formatur. Principes ergo tanquam aliquando inferiores, fodere dicuntur puteum, hoc est, quasi in terræ mollitie altitudinem quandam demergere. Isti verò quos reges appellat, quasi eminentiores ac fortiores, non solum terræ profundum, sed & saxi duritiam penetrant, vt peruenire possint ad profundiores aquas, & ipsas (si dici potest) in eo venas abyssi perscrutentur, scientes iudicia dei esse abyssum multam. Istos ergo reges, qui tam profunda possunt & tam abscondita putei perscrutari, merito apostolos dixerimus, ex quibus aliquis dicebat: Nobis autem reuelauit deus per spiritum sanctum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta dei. Quia ergo per spiritum possunt etiam ipsi perscrutari alta dei, & alta ac profunda putei penetrare mysteria, idcirco reges esse dicuntur, qui puteum etiam istum in petra excuderint, ac dura & difficilia secreta scientiæ penetrauerint. Quod autem reges dici possint etiam apostoli, puto & ex eo facile probari posse, quod de omnibus credentibus dicitur: Vos autem genus regale, sacerdotium magnum, gens sancta. Si ergo illos dicunt reges, qui per verbum ipsorum crediderunt, quanto magis ipsi reges habendi sunt, qui faciunt reges? Sed & inde facile colligitur. Si enim reges à regendo dicuntur, omnes vtique qui ecclesias dei regunt, reges merito appellabuntur, multo autem rectius illi, qui & illos ipsos dictis atque scriptis suis regunt, à quibus reguntur ecclesiæ. Et propter hoc, merito dominus rex regum dicitur. Nisi enim isti, & cæteri qui eos imitantur, reges fuerint, ille non videbitur rex regum. Sed & ipse Apostolus Paulus Corinthiis scribens, & velut per quandam ironiam corripiens eos, ait: Sine nobis regnatis, & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. In quo vtique reges quidem esse debere Corinthios, & semetipsum cum iis regnare velle pronunciat, sed elationem nondum pro merito assumpti honoris incusat. Fodiunt ergo ij omnes puteum istum principes, & excudunt eum reges gentium. Apostoli enim præcipue reges sunt gentium, qui gẽtes ad obedientiam fidei congregarunt, & Christi scientiam omnibus patefecerunt: in quo sunt thesauri sapientiæ dei, & scientiæ absconditi: secundum præceptum domini circumeuntes orbem terræ, & implentes quod mandatum est, vt doceant omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: & per hæc excuderunt, hoc est, patefecerunt scientiam putei, & in notitiam vniuersis gentibus adduxerunt. Sed & quæ nunc habemus in manibus, quæ recitata sunt nobis, puteus est, & omnis simul scriptura legis, & prophetarum: Euangelica quoque atque Apostolica scripta simul omnia vnus est puteus, quem non possunt fodere, vel excudere, nisi inueniantur reges, & principes. Vere enim reges, & vere principes habendi sunt, qui

Esa.50. *Psal.31.* H *Exponit latina.* *1.Cor.2.* *Apostoli reges.* *1.Pet.2.* I *Apoc.19.* *1.Cor.4.* *Mat.28.*

possunt auferre terram de puteo, hoc est, amouere superficiem literæ, & de interiore petra vbi Christus est, spiritales sensus velut aquam viuam proferre. Hæc ergo facere decet eos solos, qui vel reges sunt, vel principes. Reges ex eo dicti, quod peccati regnum ex corpore suo depulerint, & iustitiæ regnum parauerunt in membris suis. Decet enim eum docere cæteros, qui prius fecerit ipsa quæ docet. Sic enim scriptum est, quia qui fecerit, & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Magnum autem esse in regno, hoc est regem esse. Excluderunt eum, inquit, reges gentium in regno suo, dum dominarentur eis. Re enim vera non possunt fodere puteum istum, nec latentes aquæ viuæ venas aperire, nisi prius dominatum tenuerint gentium barbararum. Omne enim quicquid in eis ferum fuit in actibus, quicquid in moribus barbarum, si edomuerint, & subiecerint regio sensui, & dominati fuerint eis: ita vt de cætero nõ gentiliter, sed legitime agant: isti sunt vere reges profunda putei rimantes, & verbi dei arcana ac mystica perscrutantes. [Post hæc & à puteo, inquit, profecti sunt in Mathanaim, & à Mathanaim in Nahaliel, & à Nahaliel in Bamoth, & à Bamoth in nemus quod est in cãpo Moab, à vertice montis excelsi qui respicit ad faciẽ deserti.] Nomina hæc quæ videntur locorũ esse vocabula, ex significantiis suis quas in lingua propria designant, rerum magis mysticarum consequentiam, quàm vocabulorum appellationem videntur ostendere. [Profecti enim, inquit, à puteo, veniunt in Mathanaim.] Interpretatur enim Mathanaim munera ipsorum. Vides ergo quia si quis de puteo hoc biberit, quem foderunt reges & principes, statim proficit ad hoc vt habeat munera quæ offerat deo. Quid autem est quod homo offerat deo? Hoc ipsum quod in lege scriptum est: Munera mea, hoc est data mea. Ex iis ergo quæ deus dedit, offerunt nihilominus homines deo. Quod dedit deus homini? Agnitionem sui. Quid ergo offert deo? Fidem suam & affectum. Hoc est quod expetit ab homine deus. Denique ita scriptum est: Et nunc Israel quid est quod dominus deus tuus poscit abs te, nisi vt timeas dominum deum tuum, & incedas in viis eius, & diligas eum, & custodias omnia mandata eius, & seruias domino deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua? Ista sunt munera, ista dona quæ oportet domino dari. Damus autem hæc domino cordis nostri munera posteaquam agnouerimus eum, & agnitione bonitatis eius de putei eius altitudine biberimus. Obserua tamen quomodo dixerit propheta: Et nunc Israel quid dominus deus tuus poscit abs te? Erubescant illi hæc verba, qui negant in homine liberum esse arbitrium. Quomodo posceret ab homine deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti deo deberet offerre? Sunt ergo quæ dantur à deo, & sunt quæ præbentur ab homine. Verbi gratia, in homine fuit vt vna mna faceret decem mnas, aut vna mna faceret quinque mnas. Ex deo autem fuit, vt haberet homo mnam, ex qua facere posset decem mnas. Cum autem obtulit ex se decem mnas, accepit rursus à deo non iam pecuniam, sed potestatem & regnum decem ciuitatum. Petit iterum deus ab Abraham, vt offerret ei Isaac filium suum, in montem quemcunq; ostendisset ei. Obtulit Abraham intrepidus vnigenitum, imposuit super aram, cultrum eduxit vt iugularet, inhibetur cõtinuo, & aries ei pro filio datur ad victimam. Vides ergo quia quæ deo offerimus, nobis manent: sed ad hoc expetimur, vt in iis affectus noster erga deũ probetur & fides. Hæc pro eo quod diximus profectos esse filios Israel à puteo, & venisse in Mathanaim, quod interpretatur munera eorum. A Mathanaim autem venimus in Nahaliel, quod interpretatur ex deo. Quid ex deo? Posteaquam obtulerimus nos quæ ex nobis sunt, venimus ad hoc vt consequamur ea, quæ ex deo sunt. Cum enim fidem nostram, & affectum obtulerimus ei, tunc & ipse largitur nobis diuersa dona spiritus sancti, de quibus dicit Apostolus: Omnia autem ex deo sunt. Et à Nahaliel venimus in Bamoth, quod interpretatur aduentus mortis. Cuius mortis hic intelligimus aduentum, nisi illius, qua Christo commorimur, vt & conuiuamus ei? & qua debemus mortificare

K *L* *Num.15.* *Agnitionẽ sui deus homini dedit.* *Deut.5.* *Liberũ arbitrium probat.* *Ad parabolã alludit.* *Matt.25.* M *Gen.22.* *1.Cor.2.*

A ficare membra nostra, quæ sunt super terram? Et iterum: Consepulti enim illi sumus per baptismum in morte. Si quis ergo salutaris huius viæ ordinem tenet, per hęc singula quæ memorauimus iter agere debet, & venire post multa ad hũc locum, quem diximus significare mortis aduẽtum. Vt autem ex scripturis docemur, est quædam mors inimica Christi, & quædam amica eius. Non ergo illius mortis dicit inimicæ Christi, de qua dicitur, Nouissimus inimicus destruetur mors, qui est diabolus: sed huius mortis qua commorimur ei: vt & conuiuamus ei: secundum quam mortem dicit deus: Ego occidam, & viuere faciam. Occidit enim vt commoriamur Christo, & viuere facit vt conuiuamus ei. Optandum ergo nobis est, vt veniamus in Bamoth, & promptissime suscipiamus beatæ huius mortis aduentum, vt & viuificari cum Christo mereamur. [Et ex Bamoth, inquit, in nemus, quod est in campo Moab, à vertice montis excelsi, qui respicit ad desertum.] Si hoc itinere incedamus quod nõ tam locorum vocabulis, quàm animæ profectibus constare ratio explanationis asseruit, post omnia ista venimus in nemus, siue (vt in B aliis habetur exemplariis) in Ianã, quod interpretatur ascensus, siue vertex montis. Per hæc ergo venitur ad illud famosissimum diuini paradisi nemus, & amœnas delicias habitationis antiquæ, vel certe ad verticem perfectionis, & beatitudinis summitatem: ita vt possit etiam ipse dicere, quia resuscitauit nos cũ ipso, & sedere fecit in cœlestibus in Christo. Vides quousque peruenitur à puteo? Vides quibus mansionibus, imò quibus profectibus, iter animæ paratur ad cœlũ? Quæ si diligenter inspicias, ipse apud temetipsum quotidianos profectus tuos discutiens, quibus in locis sis, & quàm proximus ad regna cœlorum habearis aduertes: sicut & ille, de quo dominus dixit, quia non longe es à regno dei. Subsequitur post hæc & alia historia. [Ait enim: Et misit Moyses, C aut (vt habetur in nonnullis exemplaribus) & misit Israel legatos ad Seon regem Amorræorum verbis pacificis dicens: Transibimus per terram tuam, per viam transibimus, non declinabimus neque in agrum, neque in vineam. Non bibemus aquam de lacu tuo, via regia incedemus. vsquequo transeamus fines tuos. Et non concessit Seon vt Israel transiret per fines suos. Et collegit Seon omnem populum suum, & exiit belligerare aduersum Israel in deserto, & venit in Assaar, & cõgressus est cum Israel, & percussit eum Israel, nece gladij & dominati sunt terræ eius.] Historia quidem manifesta est, sed deprecemur dominum, vt aliquid dignum possimus interioribus eius sensibus peruidere. Seon duplicem habet interpretationem, siue arbor infructuosa, siue elatus. Mittit igitur Israel legatos ad Seon, mittit ad arborẽ infructuosam, mittit ad elatum, & superbum. Hic autẽ Seon, rex est Amorręorum, qui & ipsi interpretantur in amaritudinem adducentes, vel loquentes. Mittit ergo ad Seon regem Amorręorum Moyses verbis pacificis dicens: Transibimus per terram tuam. Si secundum spiritalem intelligentiam, dixerimus Seon regem figuram tenere diaboli, quia ipse est elatus, & infructuosus: puto quod non debeas mirari, quod eum dixerim regem, cum audias etiam ipsum dominum & Saluatorem nostrum in euangeliis de eo dicentem: Ecce nunc venit princeps huius mundi, & in me non inuenit quicquam. Et iterum: Ecce nunc princeps huius mundi mittetur foras: Si ergo totius mundi princeps esse in Euangeliis dicitur, non debet absurdum videri si Seon regi Amorræorum, vel etiam aliis quibuslibet gentium regibus comparetur. Princeps autem dicitur mundi, non quia creauerit mundum, sed quia multi sunt in hoc mũdo peccatores. Peccati autem quia ipse princeps est, ideo etiam mundi princeps appellatus est: in iis videlicet, qui nondum relinquentes mundum, conuertuntur ad patrem. Secundum hoc enim etiam illud dicitur, quia omnis mundus in maligno positus est. Quid enim nobis prodest dicere quia princeps noster Christus est, si rebus & operibus arguamur, quia diabolus principatum tenet in nobis? Aut non palam est sub quo principe agat impudicus, incestus, & iniustus? Nunquid potest huiusmodi homo dicere, quia sub Christo positus hæc agit, etiam si sub Christi nomine censeri videatur? In quo Christus principatum gerit, nulla ibi immunditia, nulla iniquitas admittitur: nec habere aliquem locum potest iniusta cupiditas. D Secundum hunc itaque modum recte & Christus virtutum princeps, & diabolus malitiæ ac totius iniquitatis dicetur. Mittit igitur Israel legatos ad regem Amorræorum, regem in amaritudine prouocantium, regem infructuosum, regem superbum. Quomodo superbus, quomodo elatus docebitur diabolus? Ipse est qui dixit: Virtute mea faciam, & sapientia intellectus mei auferam fines gentium, & fortitudinem eorum deprædabor, & commouebo ciuitates quę inhabitantur, & vniuersum orbem terræ capiam manu mea sicut nidum. Et iterum dicit elatus hic & superbus: Ascendam in cœlum, supra sidera cœli ponam thronum meum. Sedebo in monte excelso, supra montes altos qui sunt ad aquilonem, ascendam supra nubes, & ero similis altissio. Adhuc requiris si ipse sit elatus, & superbus? Imò potius & ipse superbus est & elatus, & ille qui quasi vnigenitus eius est, de quo scriptum est, quia extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod colitur: ita vt in templo dei sedeat, ostentans se tanquam sit deus. Omnis ergo qui elatus est & superbus, vel filius est elati huius, vel discipulus & imitator. Et propterea dicit Apostolus de quodam: Ne forte elatus incidat in iudiciũ diaboli: ostendens per hoc, quia omnis elatus simili vt diabolus iudicio condemnabitur. E Nos ergo sumus qui transire volumus per hunc mundum, vt peruenire possimus ad terram sanctam, quæ repromissa est sanctis: & mittimus verbis pacificis ad Seon, promittentes non nos habitaturos in terra eius, nec moraturos cum eo, sed transituros tantummodo, & incessuros via regali, nec declinaturos vsquam, neque in agrum, neque in vineam, sed nec de lacu eius aquam bibituros. Videamus ergo quando nos ista promisimus, quando hæc verba diabolo denunciauimus. Recordetur vnusquisque fidelium, cum primũ venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid re- F nunciauerit diabolo: non se vsurum pompis eius, neque operibus eius, neque vllis omnino seruitiis eius ac voluptatibus pariturum. Et hoc est quod his legis sermonibus adumbratur, quia non declinet Israel, neque in agrum eius, neque in vineam eius. Sed neque aquam de lacu eius pollicetur se esse potaturũ. Non enim vltra disciplinæ diabolicæ, non astrologiæ, non magicę, non vllius omnino doctrinæ, quæ contra dei pietatem aliquid doceat, poculum sumet fidelis. Habet enim suos fontes, & bibit de fontibus Israel, bibit de fontibus salutaris: non bibit aquam de lacu Seon, nec relinquens fontem aquæ viuæ congregat sibi lacus confractos. Sed & via regali incessurũ se profitetur. Quę est via regalis? Illa sine dubio quæ dicit, ego sum via, veritas, & vita. Et merito regalis: ipse est enim, de quo propheta ait: Deus iudiciũ tuum regi da. Via ergo regali incedendum est, nec declinandum vsquam neque in agrum eius, neque in vineam eius: id est neque ad opera, neque ad sensus diabolicos declinare vltra mens fidelium debet. Quomodo ergo volumus fines Amorræorum cum pace transire? Amorræi, infidelium qui sunt in hoc mundo pars accipi potest: sed isti interpretantur (vt suprà diximus) vel in amaritudinem adducentes, vel loquentes. Et quomodo quidem in amaritudinem adducant deum infideles & increduli, expositione non indiget: quod autem ait loquentes, ad illam partem trahi potest qua infideles quique & sub principe diabolo agentes loqui norunt tantummodo, sed loquuntur inania. Verbi causa, vt poetę eorum, vt astrologi, vt nonnulli etiam philosophorum, qui inania loquuntur & vana. Fidelium autem regnũ quod à deo est, non in sermone est sed in virtute. Volumus ergo nos pacifice transire per mundum, sed hoc ipsum magis incitat principem mundi, quod dicimus nos nolle permanere cum ipso, nec morari, nec aliquid eius velle contingere: inde magis exacerbatur, inde extollitur, & irascitur, & commouet nobis persecutiones, pericula suscitat, cruciatus intentat. Et ideo dicit: [Congregauit, inquit, Seon omnem populum suum, & exiit confligere aduersus Israel. Quis est omnis populus Seon, quem

Rom.6 · 1.Cor.15 · Deut.32 · Eph.2. · Seon figura diaboli. · Ioan.14. · 1.Ioan.5 · Esa.14. · 2.Thess.2 · 1.Tim.3 · In baptismo renũciamur Diabolo & pompis eius · Astrologia contra dei pietatem. · Esa.12. · Psal.71.

G concitat contra Israel? Principes ac iudices mundi, cũctique nequitiæ ministri, qui impugnant semper, & persequuntur populum dei. Sed quid facit Israel? Venit, inquit, in Issaar. Issaar interpretatur mandati adimpletio. Si ergo veniamus & nos ad locum istum, id est, ad expletionem mandatorum, etiam si cum omni exercitu veniat aduersum nos Seon iste elatus, & superbus diabolus, & confligat aduersum nos, si omnes suos contra nos dæmones concitet, superamus eum si dei mandata complemus. Complere enim mandata, hoc est, diabolum & omnem eius exercitum superare. Et tunc complebitur in nobis apostolica oratio qua ait: Deus autem cõteret Satanam sub pedes nostros velociter. Et illud quod dominus ait: Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi super serpẽtes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Nihil enim nocere vobis poterunt ista omnia si veniamus in Issaar, id est si mãdata & præcepta domini nostri Iesu Christi seruemus. Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Rom. 16. Luc. 10.

De iis quæ superfuerunt priori tractatui, & de Balaam, atque asina eius, ex Cap. XXII. Homilia XIII.

H HESTERNA die dixeramus quomodo Seon rex Amorræorum, qui est elatus, & arbor infructuosa, congressus cum Israel victus fuerit, de quo & obseruanter scriptura dicit, quia cecidit in nece gladij, vel (vt alibi legimus) in ore gladii. Sed si vis diligentius scire, quo gladio infructuosus iste, & elatus sicut cedrus Libani ceciderit, discamus ab Apostolo Paulo dicente: Viuus enim est sermo dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio. Et item in aliis: Et gladium, inquit, spiritus, quod est verbum dei. In huius ergo gladii nece cecidit spiritalis Seõ, qui est diabolus. Additur post hæc: [Et dominati sunt, inquit, filii Israel omni terræ eius.] Omnis quidem regio hæc terrena, terra dicitur Seon: sed Christus & ecclesia eius dominatur in omni terra Seon. [Et dominati sunt ab Arnon vsque Iaboc,] Arnon & Iaboc ciuitates erant regis Seon, sed initium regni eius erat Arnon, & finis Iaboc, & ideo dicitur quia dominati sunt ab Arnon vsque Iaboc. Interpretatur autem Arnon maledictiones eorum. Initium enim regni Seon huius elati, & infructuosi, maledictiones sunt. Finis verò est Iaboc, quod interpretatur luctamen. Necesse est enim vt omnis qui vult exire de regno diaboli, & fines eius euadere, luctamen inueniat, & certamina ei à ministris eius & satellitibus suscitentur. Sed si luctatus fuerit & vicerit, iam nõ erit Iaboc ciuitas Seon, sed erit ciuitas Israel. Hoc est enim nimirum, quod legimus & de patriarcha Iacob, quoniam cum venisset ad locum quendam, luctamen ei præparatum est: & ibi tota nocte luctatus cum obtinuisset & inualuisset ad deum, vocitatum est nomen eius Israel. [Et accepit, inquit, Israel omnes ciuitates istas, & habitauit in omnibus ciuitatibus Amorræorum.] Hic Israel, qui in Christo Israel est, qui non in carne Israel, nec in manifesto Iudæus est, ipse habitat in omnibus ciuitatibus Amorræorum, cum in omni orbe terrarum Christi ecclesiæ propagantur. Sed & vnusquisque nostrum prius ciuitas fuit regis Seon, regis elati: regnabat enim in nobis stultitia, superbia, impietas, & omnia quæ sunt ex parte diaboli: sed vbi expugnatus & deuictus est fortis, & vasa eius direpta sunt, effecti sumus ciuitas Israel, & hæreditas sanctorum: si tamen penitus excisa est in nobis potestas illa, quæ prius dominabatur nobis, & excisa est arbor infructuosa, & deiectus est rex elatus, & sumus sub eo rege, qui dicit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Post hæc singillatim iam ciuitates superbi & infructuosi regis enumerat, & dicit. In Esebon & in omnibus finibus eius. Quid est hoc, quod præcipuam vrbem de regno Seon nominauit Esebon? Esebon interpretatur cogitationes. Merito ergo pars maxima regni diabolici, & potestas eius plurima in cogitationibus regnat. Sic enim dixit & dominus, quia de corde procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa

Heb. 4. Ephes. 6.

I

Mat. 11.

K testimonia, blasphemiæ & ista sunt quæ coinquinant hominem. Et ideo necessario incenditur ista ciuitas, & igne exuritur. Quo igni? Illo profecto de quo dicit Saluator: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt accendatur. Post pauca autem refertur de ipsa ciuitate. [Propter hoc, inquit, dicent ænigmatistæ. Venite in Esebon, vt ædificetur, & construatur ciuitas Seon: quoniam ignis processit de Esebon, & flamma de ciuitate Seon, deuorauit vsque Moab.] Seon (vt diximus) erat rex, cuius erat ciuitas Esebon. Sic ergo intelligendus est ordo verborum, quasi dicant isti ænigmatistæ: Venite vt construatur, & ædificetur Esebon, quæ fuit ciuitas Seon. Sed requiramus nunc qui sint isti ænigmatistæ. Ænigma dicitur sermo figuratus. Ænigmatistæ ergo dicuntur, qui figuraliter loquuntur. Et quis est alius, qui in figuris locutus sit, nisi lex & prophetæ? Audi enim quomodo Dauid dicit: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio seculi. Sed & Esaias, quia ænigmata sint quæ scripsit, hoc modo declarat: Et erunt, inquit, verba libri huius sicut verba libri signati: quem si dederint in manus hominis nescientis literas, & dixerint ei, lege, dicet, non possum legere, signatus est enim. Signatus autem dicitur liber pro eo, quod figuris perplexus est, & ænigmatibus inuolutus. Dicunt ergo isti ænigmatistæ. Venite in Esebon, vt ædificetur. Cecidit illa prima Esebon, imò subuersa est & incensa, reædificanda est alia. Sed quomodo hoc fiat, assumpto ostendamus exemplo. Si videas gentilem in dedecore vitæ positum, ac religionis errore, nõ dubites de eo dicere, quod sit hic Esebon ciuitas in regno regis Seon. Regnat enim in cogitationibus eius rex infructuosus & elatus. Ad hunc si accedat Israel, hoc est ecclesiæ filius, & adhibeat iacula verbi dei, & distringat contra eum gladium spiritus, destruat in eo omnes munitiones gentilium dogmatum, & elationes argumentorum eius igne veritatis exurat, dicito de hoc, quia subuersa est Esebon ciuitas Seon. Sed non continuo desertus & destitutus relinquitur iste, in quo subuersa sunt gentilium dogmata. Non enim disciplina est filiis Israel destructas relinquere quas destruxerint ciuitates: sed cum subruerint, & euerterint in homine malas cogitationes, & impios sensus, reædificabunt rursus in corde eius quem destruxerint, bonas cogitationes, pios sensus, doctrinam veritatis inferent, religionis ritum tradent, ordinem viuendi docebunt, honestatem morum, obseruantiæ statuta monstrabunt. Et tunc vere dicent isti ænigmatistæ ad semetipsos inuicem: Venite & ædificemus Esebon, quæ fuit ciuitas Seon. Et ipsi enim, hoc est filij ecclesiæ, quia figuras legis & ænigmata spiritaliter intelligunt, ænigmatistæ appellantur. Hoc est quod & Hieremias figurali nihilominus sermone designat, vbi ad eum dicitur à domino: Ecce dedi verba mea in os tuum, ecce constitui te hodie super gentes & regna, eradicare, & subuertere, & reædificare, & replantare. Quid eradicat? & quid subuertit? Ciuitatem Esebon, quæ erat regis Seon. Quid eradicat in ea, & quid subuertit? Cogitationes impias, & impuras. Quid reædificat in ea, & quid replantat? Cogitationes pias, & castas, vt efficiatur Esebon ciuitas non Amorræorum, sed filiorum Israel. Sed si volumus singula persequi, excludemur à dissertione eorum, quæ nobis recitata sunt de Balaam: cuius lectionis tanta difficultas est, vt vix ad historiæ ipsius rationem, & cõsequentiam explanandam peruenire possimus. Quanta ergo iam difficultas nobis erit in explanatione spiritalium sensuum, si prima ipsa literæ facies tantis difficultatibus inuoluta est? Sed quamuis rapiat nos desiderium ad ea quæ magis obscura sunt differenda, tamen non sunt penitus obmittenda etiam hæc, quæ media referuntur. Post ea enim quã obtinuerunt filij Israel ciuitates Amorræorum, ascenderunt etiã viam, quæ ducit in Basan, vbi erat Og rex Basan: sed ad hunc neque legatos mittere dignantur, neque petere ab eo, vt per terram eius transeant, sed continuo confligũt cum eo & superãt tam ipsum quàm populum ipsius. Videamus ergo quæ est Basan. Basan interpretatur turpitudo: Merito ergo nec legati mittuntur ad istam gentem, nec transitus per terram eius poscitur. Nullus enim nobis transitus debet esse, nullus

Luc. 12.

Ænigma sermo figuratus.

Psal. 78.

Esa. 28.

L

M

Hier. 1.

A lus accessus ad turpitudinem: sed ab initio statim expugnanda, & omnimode cauenda est. Og autem qui rex dicitur esse Basan, interclusio interpretatur. Potest hic figurã tenere omnium carnalium & materialium rerum, quarum amore & desiderio detenta anima excluditur, & separatur à deo. Aduersus Og ergo ita præcipitur bellum gerendum, [vt non relinquatis, inquit, ex eo viuentem.] Nullum enim à filiis Israel oportet relinqui in regno turpitudinis & dedecoris viuentem. Sed & decet Israeliticã virtutẽ excidere, & resecare turpia, & pia quæq; in anima reædificare, atq; honesta ac religiosa plantare. De regno Seon non est scriptum, vt nullus viuus relinquatur, nec de regno Moab. Forte enim ex illis opus habemus aliquibus, & nonnullis eorum pro vitæ huius agonibus & exercitiis indigemus: alioquin debuissemus de hoc mundo exisse. De Basan tamen, hoc est, de turpitudine, nullo penitus indigemus, nihil ex ea relinquamus: excidenda omnia, cuncta subuertenda sunt opera turpitudinis. In nullo enim potest honestum esse quod turpe est. [Et profecti inde filij Israel collocauerunt castra ab occidente Moab iuxta Iordanem contra Hiericho. Et vt vidit Balach filius Sephor,] & reliqua. Omnia iam quæ de Balaã, & asina eius scribuntur historia plena negotiis: interior verò intellectus multo negotiosior, & nescio an facile sit, vel ipsas tantum historicas explanare sẽtẽtias. Deo tamẽ donante, breuiter quæ possumus perstringemus. Bellum tibi imminet ô rex Balach fili Sephor: sexcenta millia armatorum fines tuos irruunt. Oportebat & te parare arma, exercitum congerere, de constructione prelij cogitare, vt hosti adhuc procul posito, armis instructus occurreres. Tu verò mittis ad Balaam diuinum, & mittis multa munera, ac maiora promittis, & dicis: [Veni maledic mihi populum, qui exiuit de Ægypto.] Sed Balaam (vt scriptura docet) retulit hæc ad deum, à quo & venire prohibetur. Sed & iterum rex mittit legatos, & neglectis armis spem omnem ponit in Balaam vt veniat, & verba deferat, atque in populum iaculetur maledicta pro telis, si forte verbis Balaam vincatur populus, quẽ regis exercitus superare non poterat. Hæc historia quid consequentiæ habet? quid consilij tegit? Vbi vel quando auditum est, quod quis regum imminente sibi prælio, omissis armis, exercitúque neglecto, ad diuini alicuius vel aruspicis verba confugerit? Vnde iterum atque iterum dei nobis exoranda est gratia, vt hæc non fabulosis & Iudaicis narrationibus, sed rationabilibus & dignis diuina lege possimus sensibus explicare. Primo ergo omnium fatendum est in quibusdam plus posse, & plus valere verba quàm corpora: Quia quod exercitus multarum gentium nequiret efficere, quod ferro & armis non posset obtineri, hoc verbis efficitur: & nõ dico sanctis verbis, vel dei verbis, sed verbis quibusdam, quæ inter homines habentur, quæ quomodo nominem nescio: sunt tamen inutili arte composita, cuius artis vocabulum illud sit, quod vnicuique appellari libet. Est ergo (vt dixi) apud homines opus aliquod, quod verbis efficitur. Quid C tamen opus tale est, vt quamuis magnis corporis viribus non possit impleri. Verbi gratia, erant in Ægypto incantatores & magi. Quis potest hominum fortitudine corporis virgam mutare in serpentem, quod ab illis factum refertur? Aut quis potest viribus corporis aquam in sanguinem vertere? Fecerunt tamen hoc Ægyptiorum incantatores & magi. Fecerat enim hæc prius Moyses: sed quia sciebat rex Ægypti quod possent hæc arte quadam fieri verborum, quæ habetur inter homines, putauit & Moysen non hæc dei virtute, sed magica arte fecisse, & quod humana arte fecerat, id dei factum virtute simulare. Conuocat continuò Ægyptiorum incantatores & magos, inter eum qui virtute dei operabatur, & eos qui dæmones inuocabant, facit esse certamen. Efficit tamen similiter & contraria virtus virgam serpentem sicut fecerat virtus dei: sed serpens qui per virtutem dei factus fuerat, absorbuit & deuorauit omnes illos serpentes, qui arte magica ex virgis versi fuerant in serpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam verò reddere ex serpente non potuit: & ideo consumuntur omnes ex ea virga. quæ dei virtute versa fuerat in serpentem. Postea verò per diuinam virtutem naturæ suæ redditur, vt naturæ dominum fateretur: Fecerunt incantatores Ægyptiorum, vt & aquæ verterentur in sanguinem, sed non potuerunt iterum sanguinem vertere in aquam. Dei autem virtus non aquam, sed totum fluuium vertit in sanguinem: & rursum orante Moyse, lympidis eum, ac naturalibus reddidit fluentis. Et iterum, produxerunt magi Ægyptiorum scnipes, sed non potuerunt repellere eas. Moyses verò produxit scnipes, & repulit. Deus enim noster delere facit, & iterum restituit, cõtraria antem virtus male quidem facere aliquid potest, sed restituere in integrum non potest. Hæc autem omnia præmisimus, vt opera Balaam, vel verba eius possimus aduertere. Sunt enim & magorum nonnullæ differẽtiæ: alij enim plus, alij minus valent. Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxiis præpotens. Non enim habebat potestatem, vel artem verborum ad benedicendũ, sed habebat ad maledicendum. Dæmones enim ad maledicendum inuitantur, non ad benedicendum. Et ideo quasi expertus in talibus, in opinione erat omnibus, qui erant in oriente. Nisi enim experimenta eius plurima præcessissent, quod frequenter maledictis hostem vertisset armatum, non vtique præsumpsisset rex hoc posse fieri sermonibus, quod ferro & acie vix posset impleri. Certus ergo Balach de hoc, & frequenter expertus, omissis omnibus instrumentis, & auxiliis bellicis, mittit ad eum legatos dicens: [Ecce populus exiuit de Ægypto & cooperuit faciem terræ, & hic sedit iuxta me.] Sed & amplius aliquid puto quod mouerit regem: videtur enim audisse, quia filij Israel solẽt hostes vincere oratione, non armis, nec tam ferro, quàm precibus. Nulla enim Israel aduersum Pharaonem arma commouit, sed dictum est ei: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Sed nec cõtra Amalechitas quidem tantum vis armorum, quantum Moysis valuit oratio. Vt enim eleuasset Moyses manus ad deũ, vincebatur Amalech. Remissæ verò & deiectæ, vinci faciebát Israel. Hęc profecto audierat Balach rex Moab. Scriptum est enim: Audierunt gentes, & iratæ sunt: dolores cõprehenderunt habitátes Philistiim. Tunc festinauerunt duces Edom, & principes Moabitarum, apprehendit eos tremor. Vides peruenisse ad eos quod in Cantico prædixerat Moyses quando transierant mare rubrum. Audierat ergo rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduersum hostes ore, non gladio, & ob hoc sine dubio apud semetipsum cogitauit dicens: Quoniam quidẽ orationibus populi huius, & precibus nulla possunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda sunt arma verborum, & orationes tales quæ superare possint orationes istorum. Vt autem scias tale aliquid cogitasse regem, ex scripturæ verbis intellige, quæ ego à magistro quodam, qui ex Hebræis crediderat, exposita didici. Scriptum est ergo. [Et dixit Moab ad seniores Madiã. Nunc ablinget synagoga hęc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbam campi.] Aiebat ergo magister ille, qui ex Hæbreis crediderat: Cur, inquit, tali vsus est exemplo dicẽs, sicut ablingit vitulus herbam campi? Ob hoc sine dubio, quia vitulus ore obrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit secat. Ita ergo & populus hic, quasi vitulus ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hæc igitur sciens rex mittit ad Balaam, vt & ipse deferat verbis verba contraria, & precibus preces. Nec mireris si est in magica arte tale aliquid. Esse enim hanc artem designat etiam scriptura, sed vti ea prohibet. Nam & dæmones scriptura esse designat. sed coli eos & exorari vetat. Recte ergo etiam magica vti prohibet, quia magorum ministri angeli sunt refugæ, & spiritus maligni, & dęmonia immunda. Nullus enim sanctorum spirituum obtemperat mago. Non potest inuocare magus Michaelem, non potest inuocare Raphaelem, neque Gabrielem: Multo magis magus inuocare non potest omnipotentem deum, nec filiũ eius dominum nostrum Iesum Christum, nec sanctum spiritum eius. Nos soli accepimus potestatem inuocandi deũ patrem. Nos soli habemus potestatem inuocandi vnigenitum eius Iesum Christum. Sed illud est quod dico: qui iam potestatem accepit inuocandi Christum, nõ potest iterum dæmones inuocare: & qui sancti spiritus particeps factus est, ad immundos vltra spiritus accedere non debet. Si enim inuocauerit

Marginalia: *Og rex figura carnalium hominũ* — *1. Cor. 5* — B — *Virtus diaboli cõuersa non potest restituere, dei potestas vtrumque.* — *Magorum differentiæ* — *Balaam Magus.* — E — *Exod. 14.* — *17.* — *Exod. 15* — F — *Origenes Magistrum habuit ex Hebræis.* — *Israelitæ vincebãt precibus potius quã armis.* — *Nullus sanctorum spirituum obtemperat Mago.*

G immundos spiritus, sanctus ab eo spiritus refugit. Magi sunt qui inuocant Beelzebub. Denique sciebat hoc populus ille, & ideo mentientes contra Dominum meum Iesum, & falsa dicentes, aiebant: Hic in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Saluator autem sciẽs quia verum est quidem quod princeps quidem dæmoniorum Beelzebub sit, in hoc eos non arguit mendacij: sed respondit eis, si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Vnde constat esse quosdam dæmones malos, qui inuocati à Magis, adsunt eis ad malum, non ad bonum. Parati enim sunt ad malefaciendum, bene autem facere nesciunt. Isti ergo dæmones arte quadam & cõpositione verborum in amicitias (vt ita dicam) cesserant Balaam: quorum amicitiis fretus, magnus apud homines videbatur. Ob hoc ergo mittit ad eum rex, & ait: [Veni nunc, & maledic mihi populum hunc, quia fortior est hic quàm nos, si forte possimus percutere aliquos ex eis, & eijcere eos de terra.] Videtur mihi rex hic non ex integro confidere in Balaam diuino, ingenti credo de virtutibus, quæ in populo Dei factæ sunt, auditione perterritus: & ideo dicit, si forte vel eousque præualeant maledictiones Balaam, vt aliquos ex ipsis possit percutere, cæteros verò fugare perterritos, & propria terra depellere. Addit præterea. [Quia scio, inquit, quod quos benedixeris benedicti erunt, & quos maledixeris, maledicti erunt.] Ego non credo quia sciret rex,

Mat. 12.

Euocati dæmones, adsunt ad malum, non ad bonum.

H quod quibuscunque benedixisset Balaam, benedicti essent: sed videtur mihi adulandi gratia hæc dicere, vt artem eius efferens & extollens, promptiorem eum sibi reddat ad facinus. Ars enim magica nescit benedicere, quia nec dæmones sciunt benefacere. Noscit benedicere Isaac & Iacob, & omnes sancti: impiorum nullus scit benedicere. Sed tandem veniunt ad Balaam legati. [Venerunt ergo, inquit, seniores Moab, & seniores Madiam, & diuinacula in manibus eorum.] In illis diuinationis artibus, quas curiositas humana composuit, sunt quædam quæ scriptura quidem diuinacula nominauit: gentilis autem consuetudo, vel tripodas, vel cortinas, vel aliis huiusmodi vocabulis, appellat: quæ quasi ad hoc ipsum consecrata, moueri ab eis & contrectari solent. Scriptura sane diuina Ephod quodam vernaculo sermone nominat in Prophetis, quod indumentum tradunt esse prophetantium. Aliud tamen apud scripturas diuinas prophetia, aliud diuinatio habetur. Ait enim: Non erit auguratio in Iacob, neque diuinatio in Israel. In tempore dicetur ad Iacob & Israel, quid facturus sit Deus. Abdicatur ergo penitus diuinatio: opere enim & ministerio dæmonum (vt suprà iam diximus) adimpletur. Igitur Balaam diuinaculis acceptis, cum solerent dæmones ad ipsum venire, fugatos quidem dæmones videt, sed adesse Deum. Et ideo dicit interrogare se Deũ, quia consuetos sibi parere nusquam dæmones videt. Venit

Magia nescit benedicere.

Diuinacula quid.

I ergo ipse ad Balaam, non quo dignus esset ad quem veniret Deus, sed vt fugarentur illi qui ad maledicendum, & malefaciendũ adesse consueuerant. Iam enim hinc prouidebat Deus populo suo. Adest ergo, & dicit Deus ad eum. [Quid homines isti venerunt ad te? Et dixit Balaam ad Deum: Balach filius Sephor rex Moab, misit eos ad me, dicens: Ecce populus exiit de Ægypto, & cooperuit faciem terræ, & hic sedet iuxta me. Veni ergo nunc, & maledic mihi eum, si forte poterimus percutere eũ, & eijcere. Et dixit Deus ad Balaam: [Non eas cum eis, neque maledicas populũ: est enim benedictus.] Altior hic exoritur quæstio, & nescio vtrum conueniat rem tam profundi mysterij denudare, & proferre ad turbas, & eas turbas quæ ad auditorium verbi Dei non nisi paucis diebus adueniunt, & continuo discedunt, nec in meditatione verbi Dei diutius immorãtur: tamen pro iis qui studiosi sunt, & sciunt audire, possũntque capere spiritalem sensum, pauca aliqua dicemus ex multis. Potest ergo obijci tale aliquid. Inuocet licet dæmones Balaam, maledicat populo, inuocati dæmones faciant quod possunt: nunquid non potest Deus defendere à dæmonibus populum, vimque eorum in malefaciendo destruere? Quid ergo opus erat, vt ipse veniret ad Balaam, & consuetos dæmones prohiberet accedere, ne vel tentarent, aut conarentur lædere populum suum? Ad hæc ergo licet non omnia quæ possunt occurrere, proferenda sunt: tamen dicemus ex parte, quia non vult Deus dæmonum

Cur Deus venit ad Balaam, non dæmones.

Queritur populũ negligentius frequentare conciones.

genus ante tempus damnare. Sciunt enim & ipsi dæmones, K quia tempus eorum præsens hoc seculum continet. Propterea denique & Dominum rogabant, vt non torqueret eos ante tempus, neque in abyssum mitteret. Et ob hoc neque diabolum remouit à principatu seculi huius, quia adhuc opus est opera eius ad perfectionem eorum, qui coronandi sunt, opus est adhuc opera eius ad exercitia certaminum, & victorias beatorum. Sic ergo & reliquos dæmones non vult ante tempus à propositi sui intentione violenter abstrahere: & ideo ex initio non eis indulsit inuocari per Balaam, ne forte inuocati destruerentur ante tempus, & perimerentur defendente populum suum Deo. Aliud enim est, si expectat dæmon à Deo aliquem ad tentandum sicut Iob, & cum certa distinctione potestatem eius accipiat. Verbi gratia, vt dicatur ei, do tibi omnia eius in potestate, sed ipsum non contingas. Aut iterum, do tibi in eum potestatem, sed animam eius custodi. Et aliud est si mago exigente, & adiuramentis quibusdam extorquente, dæmones sine vlla obseruatione desæuiant. In quo vtique si eis libertas seruetur arbitrij, populum Dei perditum dabunt. Si verò libertas auferatur arbitrij, hoc erat damnasse rationabilem creaturam, & ante tempus intulisse iudicium, & impedisse omnibus, qui aduersum eos in agone certantes poterant coronari. Si enim dæmonijs auferatur libertas arbitrij, nullus vltra impugnabit athletas Christi. Nullo autem impugnante, nec certamen aliquod erit: &

Cur potestas diaboli non dum plenè destructa.

Iob 1.

L sublato certamine, nullum erit præmium, nulla victoria. Idcirco igitur tali via vtitur Deus, vt & populus adhuc rudis, & qui nuper abstrahi cœperat à cultu dæmonum, dæmoninibus non tradatur, & inuocante mago responsa deferantur, & genus demonum non nudetur arbitrij potestate. Et ideo præuenit Deus, & ire Balaam, atque inuocare dæmones ad maledicendum prohibet, si tamen à cupiditate cessasset. Sed quia persistit in desiderio pecuniæ, indulgens Deus arbitrij libertati, rursus ire permittit. Verbum tamen suum inijcit in os eius, prohibens maledictionem fieri per dæmones, vt benedictionibus locum daret, & pro maledictis proferat Balaam benedictiones, ac prophetias, quæ possunt ædificare non solum Israel, sed & reliquas gentes. Si enim à Moyse prophetiæ eius sacris insertæ sunt voluminibus, quanto magis descriptæ sunt ab iis, qui habitabant tunc Mesopotamiam, apud quod magnificus habebatur Balaam, quósque artis eius constat fuisse discipulos? Ex illo denique fertur magorum genus, & institutio in partibus orientis vigere: qui descripta habentes apud se omnia quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebant Magi apud semetipsos, & ideo quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, magis ipsi quàm populus Israel, qui sanctorum prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex iis tan- M tum quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus, venerunt, & requirentes eum statim adorauerunt: & vt fidem suam magnam esse declararent, paruum puerum quasi regem venerati sunt. Sed redeamus ad propositum. Molestus est Balaam Deo, & extorquet propemodum permitti sibi, vt eat maledicere filiis Israel, & vt inuocet dæmones, ad quem iam venerat Deus. Ascendit asinam, occurrit ei angelus, qui excubabat pro Israel. De quo scriptum est, dicente Domino ad Moysem: Angelus meus ibit tecum. Petenti ergo ire, conceditur: in via conteritur ab asina. Sed magus dæmones videt, angelum non videt, asina tamen videt. Non quod digna esset videre angelum, sicut nec loqui digna erat, sed vt confutaretur Balaam: & vt ait quodam in loco scriptura: Mutum animal humana voce respondens, arguit prophetæ dementiam. Verum quoniam de historia multa iam dicta sunt, aliqua etiam de allegoria perstringamus in fine. Si videas contrariam potestatem impugnantem populum Dei, intelligis quis sit qui sedeat super asinam. Et si consideres homines quomodo à dæmonibus præcipitantur, intelligis quæ sit asina. Sic enim & in Euangelio intelliges Iesum mittentem discipulos suos ad asinam, quæ alligata erat, & ad pullum eius: vt discipuli eam soluant, & adducant, vt ipse sedeat super eam.

Prophetæ Balaam gentilium literis consignat.

Exod. 32.

2. Pet. 2.

A eam. Et forte hæc asina, id est, ecclesia, prius portabat Balaam, nunc autem Christum, ex quo soluta est à discipulis, & à quibus innexa erat vinculis relaxata: vt filius dei sederet super eam, & cum ipsa ingrederetur sanctam ciuitatem Hierusalem cœlestem, & compleretur scriptura, quę dicit: Lætare filia Siō, prædica filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi mitis, & sedens super subiugale. Subiugale, id est asinam, credentes sine dubio ex Iudæis dicit: & pullum nouellum, eos profecto qui sunt ex gentibus credentes in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Zach. 9

Item de Balaam. Ex. Num. Cap. XXIII.
Homilia XIIII.

PLVRA sunt, quæ nobis resederunt exponentibus lectionem de Balaam, atq; asina eius: & quoniam est temporalis tractatus, qui in ecclesia ædificandi gratia habetur, non habuimus tantum spatij, vt possēmus singula queque scripturę verba proponere, & ita vt nihil omnino indiscussum remaneret explanatione m singulis adhibere, quoniā quidem huiusmodi stilus cōmentariorum magis est. Idcirco quæ inquisitione digna vidētur, repetimus, eáque discutientes, qua possumus explanatione disserere, & in medium proferre tentabimus. Est autē adB huc difficile in explanatione historiæ ipsius, quomodo cum dicatur venisse deus noctu ad Balaam primo, & interrogasse qui essent homines qui venissent ad eum: ac respondisset, quia missi essent à Balaach filio Sephor dicente: [Veni, & maledic mihi populum:] responderit ei deus: [Non ibis cum eis, neque maledices populum, est enim benedictus.] Iterum secundo dicitur ad eum noctu venisse deus, & dixisse, vt iret cū eis: sed hoc obseruaret, vt verbū quod daret deus in ore eius, hoc loqueretur. Et rursum tertio eunti ei occurrisse angelū dei, cui intantum via eius non elegans nec opportuna videretur, vt etiam interficere eum vellet, nisi asina videns angelum, quem Balaam videre non potuit, declinasset. Et tamen posteaquam culpatur ab angelo cur ire voluisset, rursus etiā ab ipso ire permittitur: tantum vt custodiat verbum, quod deus dederit in ore eius, vt hoc solum proferat, nec amplius aliquid. Hæc ergo omnia difficilem habent explanationem: paucis tamen (vt suprà iam diximus) occasionem intelligentiæ vobis dabimus, quo & vos faciatis quod scriptum est: Vt iis auditis sapiens sapientior fiat: & Da occasionem sapienti, & sapientior erit. Sed priusquam perueniamus ad rem, ne illud quidem omittemus, quod curiosius intendentes in hoc loco obseruauimus. In Hebræorū literis nomen dei, hoc est deus, vel domin⁹, diuerse scribi dicitur. Aliter enim scribitur C deus, quicunque deus: aliter deus ipse, de quo dicitur: Audi Israel, dominus deus tuus, deus vnus est. Iste ergo deus Israel, deus vnus, & creator omnium, certo quodā literarum signo scribitur, quod apud illos tetragrammaton dicitur. Si quando ergo sub hoc signo in scripturis scribitur deus, nulla est dubitatio quin de deo vero, & mundi creatore dicatur. Si quando verò aliis, id est communibus literis scribitur, incertum habetur vtrum de deo vero, an de aliquo ex illis dicatur, de quibus Apostolus dicit: Tametsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra: sicut sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos per ipsum. Aiūt ergo qui Hebraicas literas legunt, in hoc loco deus non sub signo tetragrammati esse positum, de quo qui potest, requirat. Sed & quod dixit deus ad Balaam quasi interrogans qui sunt isti homines? requiritur cur ignorare videatur: & iterum quod ait, non maledices populum, est enim benedictus. Sic itaque potest intelligi, quasi dixerit nōn maledices populum meum. Nos interim dicimus dispensatione quadam & sapiētia dei, ita omnia in hoc mundo esse disposita, vt nihil prorsus otiosum sit apud deum, etiam si malum illud sit, etiam si bonum. Sed planius quod dicitur explicemus. Malitiam deus non fecit: tamen cum ab aliis inuentam possit prohibere, nō prohibet: sed cum ipsis à quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas. Per ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si

Prou. 1
Pro. 9.
Deut. 7
Nomen tetragrammaton.
1. Cor. 8
Malitia hominū deus vtitur ad causas necessarias.

perimeretur malitia, nō esset vtique qui cōtrairet virtutibus. D Virtus autem non habens aliquid contrarium non clarescere, nec splendidior & examinatior fieret. Non probata verò nec examinata virtus, nec virtus est. Sed hæc si dicantur sine diuinorum verborum testimoniis, exquisita magis & humana arte composita, quàm vera atque indubitata videbuntur. Requiramus ergo huiusmodi sensus si etiam volumina diuina contineant. Veniamus ad Ioseph. Tolle malitiam fratrum eius, tolle inuidiam, tolle illud omne parricidale commentū quo sæuierunt in fratrem vsquequo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam simul perémeris dispensationem dei. Simul enim abscindes cuncta illa, quæ apud Ægyptum per Ioseph pro salute omniū gesta sunt. Nō fuisset interpretatio somnij Pharaonis, si per inuidiam fratrū non fuisset Ioseph distractus, & venisset in Ægyptum: nemo intellexisset quæ deus reuelauerat regi, nemo frumenta congregasset in Ægypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset: periisset Ægyptus, periissent & finitimæ regiones fame. Interiisset etiam ipse Israel, & semen eius quęrens panem, si Ægyptum non fuisset ingressum, nec egressi fuissent ex ea filij Israel cum mirabilibus domini. Nusquā plagæ in Ægyptios, neq; virtutes illæ, quas fecit deus per Mosen & Aaron. Nemo rubrum mare siccis vestigiis in cessisset. Cibū mannæ mortalis vita nescisset. Nulla de sequenti petra aquarū fluenta proru- E pissent. Lex à deo hominibus data non fuisset: quæ in Exodo, quæ in Leuitico, in Numeris etiam, & Deuteronomio referuntur, ad humani generis scientiam non venissent: hæreditatem certe paternam, & terram repromissionis nullus intrasset. Et vt ad hæc quæ habentur in manibus, veniamus, tolle Balach huius regis pessimi malitiam, qua maledici desiderat Israelem, aufer eius astutiam, qua inuitabat Balaam ad deuorandum populum: pariter abstuleris erga filios Israel dispensationem dei, & prouidentiæ eius fauorem: nusquā prophetiæ illæ erunt, quæ per os Balaam, & filiis Israel, & gentibus prophetantur. Quod si etiam noui testamenti cupis hæc testimoniis confirmari, si auferas malitiam Iudæ, proditionē-que eius perimas, abstuleris pariter crucem Christi & passionem eius: & si non sit crux, non exuuntur principatus, & potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, vtique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis. Quod si non fuisset primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Simili ergo modo & de ipso diabolo ponamus: verbi gratia, necessitate aliqua constrictum fuisse ne peccaret, vel post peccatum ablatam fuisse ab eo malitiæ voluntatem: simul vtique ablatum fuisset nobis certamē aduersum insidias diaboli, nec expectaretur corona victoriæ ei, qui legitime certasset. Si nō haberemus qui aduersum nos obsisteret, agones non essent, F nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cœlorum vincentibus pararetur: neque momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, supra modum pondus gloriæ operaretur nobis in futuro: nec aliquis nostrum pro tribulationum patientia speraret immensam gloriam futurorum. Ex quibus omnibus colligitur, quia deus non solum bonis vtatur ad opus bonum, sed & malis: Et hoc vere mirabile est, quod vasis malis vtitur deus ad opus bonum. In magna enim hac mūdi huius domo non sunt tantummodo vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & alia quidem ad honorem, alia autem ad cōtumeliam, vtraque tamen necessaria. Verū quoniam vasa hæc quæ dicimus, rationabilia intelligenda sunt, & liberi arbitrij: non casu, neque fortuitu, vnusquisque aut vas honoris efficitur, aut vas contumeliæ, sed qui se talem prę buerit, vt electus esse mereatur, vas electum, & vas honoris efficitur. Qui verò indignis & deterrimis sensibus viuit, iste formatur vas contumeliæ, non à conditore, sed à semetipso causis contumeliæ suæ datis. Non ergo eos tales esse conditor fecit, sed huiusmodi mentes secundum propositum eorum, prouidentiæ suæ iusta & ineffabili quadā ratione dispēsat. Sicut (verbi gratia) in vrbibus magnis, si qui indigniores sunt, & abstrusæ vitę, ac deterrimæ homines, vltima quæque opera, & laboriosa condemnantur operari, & tamen necessaria sunt ciuitati huiusmodi opera. Verbi causa, aut fornacibus lauacri ad succendendos ignes deseruiunt, vt tu vel commo-

Gen. 37
Gen. 41
2. Cor. 4
2. Tim. 2

G ditate, vel deliciis perfruaris: aut cuniculos purgant, aut alia huiusmodi gerunt, vt tibi in vrbe fiat & delectabilis habitatio. Et illi quidem vel agunt ex proposito, vel ex merito patiuntur: opus tamen ipsorum proficit ad vtilitatem eorum quibus quæ bona & vtilia sunt, parantur. Ita & hæc de quibus proposuimus, Deus quidem malitiam non fecit, inuentam tamen ex propositi intentione eorum qui declinarunt à via recta, auferre penitus noluit: prouidens hoc, quod etiam si illi esset inutilis qui ea vtebatur, faceret eam tamen vtilem iis, aduersum quos exercebatur. Et ideo refugere quidem omnibus modis debemus, ne vnquam malitia inueniatur in nobis: in aliis verò vincere eã, non perimere studendum est: quia & illi, in quibus est malitia, aliquid necessarij operis conferunt vniuersitati. Nihil enim otiosum, nihil inane est apud Deum. Quia siue bono proposito hominis vtitur ad bona, siue malo vtitur ad necessaria. Sed beatior eris, si magis ex virtutibus quæ in te sunt, inueniatur boni aliquid ex te vitæ huius vniuersitas consequi: sicut illi, de quibus dicit Apostolus Petrus: vt sitis sicut luminaria in hoc mundo, verbum vitæ continentes. Ad gloriam sunt ergo necessaria luminaria mundo huic. Et quid tam delectabile, quid tam magnificũ, quàm opus solis, vel lunæ, à quibus illuminatur mundus? Opus est tamen ipsi mundo etiam angelis qui sint super bestias, & angelis qui præsint exercitibus terrenis. Opus est angelis qui præsint animalium natiuitati, virgultorum, plantationúmque, & cæteris pluralibus incrementis. Et rursum angelis opus est, qui præsint operibus sanctis, qui æternæ lucis intellectum, & occultorum Dei agnitionem, ac rerum diuinarum scientiam doceant. Vide ergo ne te ipse facias inter eos angelos inueniri, qui bestiis přesunt, si beluinam duxeris vitam: aut inter eos, qui terrenis operibus præsunt, si corporea & terrena dilexeris. Sed satage quomodo magis adsumaris ad societatem Michaelis archangeli, qui orationes sanctorum semper offert Deo. Adsumeris autem in hunc numerum vel in istud officium, si insistas semper orationi, & vigiles in ea, & impleas quod Apostolus ait: Sine cessatione orantes. Vel certe vt adsumaris in societatem & officium Raphaelis, qui medicinæ præest: si cum videris aliquem vulneratum peccatis, & sagittis diaboli confixum, adhibueris curationum sermonem ac verbi Dei contuleris medicinam, vt peccati vulnera per pœnitentiam sanes, & medicinam confessionis ostendas. Si quis verò huiusmodi opera in hoc mundo agit, ipse se præbet, vt in futuro seculo vas electionis, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum à conditore formetur. Si verò contraria gerat, vas ad contumeliam diuinæ semetipsum přebebit dispensationi. Et propterea puto in diuinis voluminibus scripta esse & bonorum gesta, & malorum, & ex sinistris, & dextris actibus scripturas diuinas esse contextas, vt intelligamus quia apud Deum otiosa non sunt, nec malorum opera, nec bonorum. Verum nunc post excessum plurimum quidem, sed causæ necessarium, redeamus ad propositum.

2.Pet.1.

Angeli præsunt animalium natiuitati. etc.

H

Michael offert orationes sanctorum Deo.

1.Thess.5.

Raphael præest medicinæ.

2.Tim.2.

Cur malorũ hominum gesta in sacris libris scripta.

I Balaam hic (vt superius diximus) diuinus erat, dæmonum scilicet ministerio, & arte magica nonnunquam futura prænoscens. Rogatur à Balach rege ad maledicendum populo Israel, legati veniunt, diuinacula in manibus ferunt, stant attonitæ gentes, & anxiæ, expectantes quid respondeat Balaam, de quo persuasum habebant quod dignus diuinis colloquiis haberetur. Vide nunc quomodo sapientia Dei vas istud ad contumeliam præparatum proficere fecit ad vtilitatem non solum gentis vnius, sed pene totius mundi: & huic cui solebant videri dæmones, videtur Deus, prohibens mali operis iter. Stupescit Balaam, & miratur prohibentis auctoritatem. Non enim solebat malum dęmonibus displicere. Sed iterum remittit legatos, dicẽs, non se posse facere, nisi verbum quod Deus dederit in os eius. Redeunt rursus legati, iterum requirit, iterum molestus est, & iterum cupit audire. Non enim facile cupidus mercedibus caret. Quid ergo audit secundo à Deo? [Si vocare te, inquit, venerunt homines isti, surge, & vade cum eis.] In quo voluntati quidem cupiditatis eius cedit Deus, vt compleatur illud, quod scriptum est: Dimisit eos in desiderio cordis eorum, ibunt in voluptatibus suis: sed tamen consilium diuinæ dispensationis expletur. Dicitur enim ad eum: [Verbum quodcunque dedero in ore tuo, hoc loqueris.] Si dignus fuisset Balaam, verbum suum Deus non in K ore eius, sed in corde posuisset. Nunc autem quoniam in corde eius desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei non in corde, sed in ore eius ponitur. Agebatur enim mira & magna dispensatione, vt quoniam prophetarum verba, quæ intra aulam continebantur Israeliticam, ad gentes peruenire non poterãt, per Balaam cui fides ab vniuersis gentibus habebatur, innotescerent etiam nationibus secreta de Christo mysteria, & thesaurum magnum proferret ad gentes, non tam corde & sensu, quàm ore & sermone portatum. Sed ne per singula immoremur, non enim temporis est cuncta dissolui, ascensa asina sua Balaam ibat per viam: occurrit ei angelus, ille sine dubio, qui aderat filiis Israel. Aperit os asinæ, vt arguatur per eam Balaam, & muti pecudis vocibus confutetur is, qui diuinus videbatur & sapiens. Verum post hæc conueniens iam videtur, aliqua etiam de allegoria contingere. Balaam hic, qui interpretatur populus vanus, videtur mihi personam habere scribarum & pharisæorum Iudaici populi. Balach verò, qui exclusio vel deuoratio interpretatur, & ipse personam habere intelligendus est vnius alicuius spirituum mundi huius contrariæ potestatis, quæ excludere & deuorare cupiat Israel, non eum qui secundum carnem est, sed eum qui secundum spiritum. Volens ergo potestas ista contraria deleri & penitus extingui spiritalem Israel, non aliis vtitur ministris, nisi pontificibus & scribis ac pharisæis: ipsos inuitat, ipsis mercedem promittit & præmia. Illi verò, sicut iste Balaam facit, simulant se cuncta ad Deum referre & zelo Dei agere. Dicunt enim: Scrutare scripturas, & vide quia propheta à Galilæa non surgit. Et iterum dicunt: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Per quæ singula videntur quidem scribæ & Pharisæi zelum Dei habere, sed simulatum. Asina verò, cui sedebat Balaam, quoniam scriptura dicit: Homines & iumenta saluos facies Domine, ea pars credentium potest intelligi, quæ siue pro stultitia, siue pro innocentia, animalibus comparatur. Sic enim & Apostolus dicit: Videte autem vocationem vestram fratres, quia non multi inter vos sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, sed quę stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Isti ergo tales, sicut Euangelica quæ in parabolis agebantur, gesta designant, ab istis pessimis dominis scribis ac pharisæis subiecti quodammodo tenebantur & vincti, sed à Domino soluuntur, non quidem per ipsum Dominum, sed per discipulos eius. Dicit enim ipse ad discipulos: Ite in vicum, qui est contra vos: & inuenietis asinam alligatam, & pullum eius, soluentes adducite. Sicut ergo in Euangelio non ipse Dominus, sed discipuli soluunt asinam: ita & hic non ab eo ipso, sed ab angelo aperitur os asinæ, & sicut in Euangeliis qui non vident arguuntur videntes: ita & hic, qui muti erant, arguunt loquentes. Et hoc est, quod Dominus dicebat: Pater, gratias ago tibi, quoniam abscondisti hæc sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Scribæ autem & Pharisæi erant qui sedebant super asinam hanc, & tenebant eam vinctam. Ipsis ergo irascitur Angelus, & nisi quodam futurorum profectu, illos quidem peremisset, asinam autem seruasset, quæ vidit, & reuerita est eum qui venit in vineam, & stat inter vineas. Compressit tamen pedes sedentis super se in maceriam: & ideo forte non potest ambulare ille eius sessor antiquus, nec venire ad eum, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Asina tamen venit, adducta à discipulis: & cui tunc sedebat Balaam mercedis cupidus, nunc ei sedet Iesus. Nec mireris si eum quem diximus scribarum, & doctorum populi formam tenere, videas prophetantem de Christo. Hoc enim legimus fecisse & Caipham, qui dixit: Expedit vobis, vt vnus homo pereat pro omni populo. Sed hoc, inquit, quia erat pontifex anni illius prophetauit. Prophetat ergo & Balaam de Christo: & ideo nemo extollatur etiam si prophetet, etiam si præscientiam mereatur: sed redeat ad Apostoli dictum, quo ad ista respiciens, ait: Siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Et quid est ergo quod permanet? Fides, inquit, spes, & charitas: maior autem horum, charitas. Et sola, inquit, charitas est, quæ nunquam excidit. Ideo super prophetiam, super scientiam, super

Prophetia Balaam gentibus vtilis.

L

Ioan.7.
Ioan.18.

1.Cor.1.

Matt.21.

Matt.11.

M

Ibid.

Ioan.11.

1.Cor.13.

A super fidem, super ipsum etiam martyrium (vt Paulus docet) charitas habenda est, & charitas excolenda: quia & deus charitas est, & Christus filius eius charitas est, qui nobis perfectionem charitatis donare dignetur. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

De prophetia Balaam. Ex. Num. Cap. XXIIII.
Homilia XV.

Prætermissa die lectione de prophetia Balaam cōcionatur.

Licet nos ordo lectionum quæ recitantur, de illis dicere magis exigat quæ Lector explicuit, tamen quoniam nōnulli fratrum deposcunt ea potius quæ de prophetia Balaam scripta sunt, ad sermonem disputationis adduci, non ita ordini lectionū satisfacere æquum credidi, vt desideriis auditorum. Primo ergo omnium de ipso Balaam requiramus, cur in scripturis nunc vituperabilis, nunc laudabilis ponitur. Nam vituperabilis est, cum prohibitus à deo venire ad regem, persistit vt veniat, & mercedis cupidus iterum consulit, iterum requirit à deo, donec relinquatur cupiditatibus suis, & eat in voluntatibus suis. Culpabilis est, cum ædificat aras, & victimas imponit dæmoniis, & apparatu magico poscit diuina consulta. Culpabilis est, cum consilium pessimum dat, vt populus decipiatur per mulieres Madianitidas, & cultum idolorum. Rursus laudabilis ostenditur, cum verbum dei ponitur in ore eius, cum spiritus dei fit super eum, cum de Christo prophetat, cum Iudæis & gentibus de aduentu Christi

Balaam in quibus laudabilis.

B mysteria futura pronunciat, cum pro maledictionibus benedictiones populo largitur, & nomen Israel supra visibilē gloriam mysticis extollit eloquiis. Cum ergo hæc tam diuersa de eo & tam varia indicet scriptura diuina, valde mihi difficile videtur ex definito statuere eius personam, cui non solum conueniat ista diuersitas, verum & illum aptari possit, quod ipse de semetipso velut prophetans dicit: Moriatur anima mea inter animas iustorum, & fiat semen meum sicut semen iustorum. Sed & per Michæam prophetam tale de eo dominus testimoniū perhibet, vbi dicit: Populus meus quid feci tibi? respōde mihi, quia reuocaui te de terra Ægypti, & ex domo seruitutis liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, & Mariam. Populus meus memento quid cogitauerit aduersum te Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, à funiculis vsque in Galgal vt agnosceretur iustitia domini. Ostēdit ergo per hęc quia vt iustitia domini agnosceretur propterea illa omnia respondit Balaam filius Beor ad regem Balach, quæ scripta referuntur in libris. Et quis putas inuenietur talis, qui possit ex ipsis responsis Balaam ostendere quod dei iustitia manifestetur in eis? Reuera enim si sermo dei positus est in ore eius, & spiritus dei factus est super illum, & iustitia dei ex responsis eius agnoscitur

Mich.6

C & manifestatur, omnimode quæ ab eo dicuntur, non nisi prophetica & diuina esse credenda sunt. Quamuis difficile alicubi scriptum legamus, quia factus est spiritus dei super aliquem prophetarum: sed aut visio quam vidit, aut assumptio verbi dei, aut dei verbum factum est ad illum, vel ad illum, & alia quædam de prophetis legimus. Factum verò esse spiritum dei super aliquem prophetarum, legisse ad præsens interim non recordor, nisi de Dauid ita scriptū memini. Et apparuit, siue illuxit spiritus dei super Dauid à die illa, & deinceps: non tamen factus est spiritus dei super Dauid. De Saul verò ita memini scriptum: Et decidet spiritus domini super te, & prophetabis cum ipsis, & conuerteris in virum alterum. Et iterum de eodem dicitur: Et spiritus domini discessit à Saul, obstupefecit eum spiritus malignus à domino. Et iterum: Et factum est cum esset spiritus malus ad Saul, adsumpsit Dauid psalterium & psallebat in manibus suis, & percutiebat, & erat bonum ei, & discedebat ab eo spiritus malignus. Hæc pro eo, quod medium potest videri hoc quod scriptum est: Et factus est spiritus domini super eum. Propter quod & nos secundum ea quæ superiore tractatu senseramus, etiam nunc in pharisæorum, & scribarum, eísque similium persona hunc ipsum Balaam explicare conabimur. Sed age iam prophetiæ eius verba, quæ adsumpta parabola sua dixisse scribitur, videamus. [Ex Mesopotamia, inquit, vocauit me Balach rex Moab, ex montibus orientis.] Mesopotamiam

1.Reg.16 *1.Reg.9* *1.Reg.16*

D dicit terram, quæ inter flumina Babyloniæ iacet, de quibus scriptū est: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion. Si quis ergo inter ista flumina fuerit Babylonis, si quis rheumatibus libidinis inundatur, & luxuriæ æstibus circunluitur, iste non dicitur stare, sed sedere: & ideo qui ibi comprehensi sunt dicebant: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion. Sed nec flere quidem ante possunt, nisi cum recordati fuerint Sion. Bonorum nanque recordatio, malorum causas lamētabiles facit. Nisi enim quis recordetur Sion, nisi legem dei, & scripturarum montes aspiciat, mala sua flere nō incipit. Ex istis ergo fluminibus vocatur Balaam, & ab istis orientis montibus inuitatur. Montes isti non sunt sancti montes illi, de quibus scriptum est: Fundamenta eius in mōtibus sanctis. Et iterum: Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui. Non sunt ergo tales Mesopotamiæ montes, sed illi, de quibus dicitur: Montes tenebrosi, & iterum de quo dicitur: Ecce ego ad te mons corrupte. Isti sunt montes, in quibus est omnis altitudo extollens se aduersum scientiam dei. Ab istis ergo montibus accersitur Balaam hic: Quales autem isti sunt montes, talem habent & orientem. Habet enim & ortum luminis sui ille, qui conuertit se sicut angelum lucis. Habet illam lucem, de qua scriptum est: Lux impiorum extinguetur. Et sicut ista lux impiorum, & illa quæ conuertit se sicut angelum lucis, contraria est illi luci, quæ dicebat: Ego sum lux mundi: ita & iste

Psal.136 *Psal.87* *Psal.122* *Hier.51* *2.Cor.10* *2.Cor.11* *Iob.18*

E oriens contrarius est illi orienti, de quo scriptum est in Zacharia. Ecce vir, Oriens nomen eius est. Ex illius ergo non huius orientis finibus veniebat Balaam, illuminatus sine dubio ab illo Lucifero, de quo dicitur: Quomodo cecidit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? Sed videamus quid dicit illi Balach rex Moab, qui accersiuit eum è medio fluminum de mōtibus orientis. [Veni, inquit, & maledic mihi Iacob, & veni maledic mihi Israel.] In Latinis sermonibus pene superflua videtur esse repetitio, quæ ait: Maledic mihi Iacob, & maledic mihi Israel. Sed est in Gręcis literis sub nomine Israel in ẽπ, maledicēdi verbo præpositionis adiectio, quā nostri vel minus decēter dici credentes, vel nullam vim dictionis addi ex hoc posse existimantes, omiserunt. Nos autem sermonem licet contra consuetudinem fingimus, vt sensum ex integro colligamus. Potest ergo dici, veni maledic mihi Iacob, & veni supermaledic mihi Israel. Per quod ostenditur idcirco sermo repetitus, vt ampliore vi, maiore intentione maledictionem in Israel, quàm in Iacob Balach videretur exposcere. Donec enim quis tantum Iacob est, hoc est in actibus solum & operibus positus, inferioribus maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndum deum reuelato mentis oculo exercuerit, & prouoca

Ioan.8 *Zach.6* *Esa.14* *Hæc sunt interpretis.*

F re iam cœperit, tunc non solum maledictis ab inimico, sed & supermaledictis, hoc est, vehementioribus maledictorum iaculis impugnabitur. Sed tunc quidem os Balaam maledictione & amaritudine plenum erat, & sub lingua eius labor & dolor, & sedebat in insidiis cum diuitibus. Expectabat enim mercedes à diuite rege, vt in occultis interficiat innocentes. Sed deus qui facit semper mirabilia solus, ex inimicis operatur salutem. Iniecit enim verbum in os eius, quamuis nondum cor eius capere posset verbum dei. Adhuc enim erat in corde eius mercedis cupiditas, propter quod etiam post verbum dei, quod habuit in ore suo dicebat ad Balach. [Veni, & do tibi consilium,] & docebat eum quomodo mitteret scandalum in conspectu filiorum Israel, vt manducarent idolis immolata & vt fornicarentur. Propter quod & cecidit populus, & plaga magna facta est in eo, donec Finees perempto Israelita, qui fornicabatur cum Madianitide, sedauit furorem domini. Et post hæc, inquit, produxit Finees exercitum contra Madianitas, & interfecerunt duodecim milia virorum, & Balaam filium Beor in gladio. Sed & hæc ante tempus per excessum quendam introduximus, vt ostenderemus quia Balaam non in corde, sed in ore tantummodo habuit verbum dei. Interim quæ profert, quæ loquitur, ex verbo dei loquitur, ideóque dicit, verbum dei

Deus ex inimicis operatur salutem. *Num.31*

G est. Ait ergo: [Quid maledicam, quem non maledicit Dominus? Aut quid supermaledicam, quem non supermaledixit Dominus?] Supermaledicit, nos presumimus secundum Greci sermonis rationem, vim verbi ostendere ex præpositionis augmento cupientes. Quid ergo dicemus? Iacob quidem non maledicit Dominus nec Israel, sed alij putas alicui maledicit? Legimus scriptum, quia dicit Dominus ad serpentem: Maledictus tu in omnibus bestiis terræ. Et iterum ad Adam: Maledicta terra in opere tuo. Sed & Cain: Et nunc maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum, vt reciperet sanguinem fratris tui de manibus tuis: Et maledictus omnis qui facit sculptile, aut fusile. Verum ne putes hæc veteribus tantummodo literis contineri, etiã in Euangeliis similia inuenies. Scriptum est enim quod dicturus sit Dominus iis, qui à sinistris sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Sed & cum dicit: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, & Væ vobis diuitibus, & singula huiusmodi, quid aliud nisi maledictis eos videtur vrgere? Sed quid dicemus quod mandatum per Apostolũ datur, vbi dicit: Benedicite, & nolite maledicere? Quid ergo ab hominibus non vult fieri, hoc ipse facit, qui exemplum vitæ hominibus ponit? Non ita est. Deus enim quibus maledicit, meritum designat eius cui maledicitur, & sententiam promit, vtpote quem non fallat, neque peccati qualitas, neque peccantis affectus. Homo autem quia hæc non

Hoc de suo addit interpres.

Gen. 3.

Gen. 4.

Deut. 27.

Mat. 25.
Mat. 23.

Rom. 12.

H potest scire: neque enim propositum mentémque alterius videre alius aut cognoscere potest: idcirco etiam si iudicantis, vel sententiam promentis intuitu proferat maledictum, non potest esse iusta maledicendi causa, vbi ignoratur peccantis affectus: maxime cum humanum vitium tunc sciat maledicta proferre, cum forte conuitiis, aut iniuriis prouocatur. Quod vitium resecare Apostolus volens, ne maledictis maledicta & conuitiis conuitia prouocemus, mandatũ necessarium ponit: vt benedicamus & non maledicamus: quo conuitiandi vitium resecetur, & non quo iudicandi veritas quæ homines latet, & pronunciandi auctoritas perimatur. Et tamen quid causæ sit, quod non maledicat Dominus Iacob, neque Israel, ab ipso nihilominus Balaam, imò à verbo quod posuit Deus in ore eius, diligentius audiamus. [Quoniam de verticibus, inquit, mõtium intuebor eum, & à collibus intelligam eum.] Quia, inquit, in excelsis montibus & altis collibus, positus est Israel, hoc est, in edita vita & ardua, ad quam contuendam, & intelligendam, non facile quis idoneus fiat, nisi ascendat ad eminentem & excelsam scientiam: idcirco, inquit, non ei maledicit Deus. Est enim vita eius alta & præcelsa, non humilis & deiecta. Quod tamen non mihi videtur quia de illo Israel, qui secundum carnem Israel est, dixerit: sed de illo, cuius super terram ambulantis conuersatio in cœlis est. Aut si e-

I tiam ad illum populum dicta hæc referenda sunt, recte cum distinctione dicit, intuebor & intelligam: vt futurum tempus significet, illud sine dubio quando omnis Israel ad fidẽ Christi veniens, saluabitur, & à montibus & à collibus intuebitur: ab iis sine dubio, qui excelsam, & cœlestem vitam consurgentes cum Christo exercuerint super terras. Sed & quod dixit de Iacob quidem videbo, de Israel autem intelligam, etiam hoc aptissima distinctione suscipiendum est: vt aliud ad actus visibiles, aliud ad inuisibilem fidem, atque intelligibilem scientiam conferatur. Aut si ad futurum seculum ista conuertimus, id est, ad resurrectionis tempus: Iacob videbo, potest de corporibus dictum intelligi: Israel autem intelligam, spiritum & animam significare resurgentium. [Ecce, inquit, populus solus habitabit, & in nationibus non reputabitur.] Potest quidem & secundum literam stare. Solus enim populus Iacob non est permixtus cęteris hominibus, nec inter cæteras gentes reputatus est. Habuit enim certa quæque priuilegia in obseruationibus, & in legitimis suis, ex quibus sequestratus à cæteris gentibus haberetur. Sicut enim tribus Leui non est permixta inter cæteras tribus, nec adnumeratur inter eas: hoc pacto & omnis Israel, nec miscetur cæteris gentibus, nec reputatur inter eas. Hæc quidem in illo populo fuerint secundum formam futurorum bonorum, verus autem Iacob, & spiritalis Israel, vere solus habitabit in gentibus. Si enim accessimus ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & venimus ad spiritalem Iudæam, quæ est

Hebr. 12.

portio Dei, & in terris positi ibi habemus conuersationem, K vere non reputamur inter cæteras gentes, nec reliquarum nationum fines cum nostris finibus admiscentur, etiam si restituatur Sodoma in antiquum, & Ægyptus in statum suum redeat, & si quid aliud tale in prophetis scriptum est. Veruntamen illi Iacob & spiritali Israel, cum ad ecclesiam primitiuorum ascenderint, nullus exæquabitur, nullus admiscebitur, etiam si istæ gentes secundum dicta prophetica fuerint restitutæ. Nisi enim insertus fuerit ramus oleastri, & socius factus erit radici pinguedinis oliuæ, quomodo potest sociari & coniũgi ad Iacob, vel Israel, cum sine ista radice nec Iacob quisquam possit apellari, nec Israel? Neque ergo ex Iacob vel Israel si quis peccat, Iacob dici vel Israel potest, neque ex gentibus si quis ingressus fuerit ecclesiam Domini, inter gentes vltra reputabitur. [Quis inuestigabit semen Iacob? & quis dinumerabit plebem Israel? Simile est hoc illi quod scriptum est. quia eduxit Deus Abraham foras, & ait ei: Respice ad cœlum, & dinumera stellas si potes dinumerare eas, & ait: Ita erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et Abraham quidem, & alius quilibet hominum, aut etiam angelorũ, fortassis autem & superiorum virtutum non poterant numerare stellas, nec semen Abraham, de quo scriptum est: Sic erit semẽ tuum. Deus autem, de quo L scriptum est: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, & qui dixit: Ego stellis omnibus mandaui, potest inuestigare semen Iacob, & dinumerare plebem Israel. Ipse enim scit solus qui vere sit Iacob, & qui vere sit Israel. Non enim ad eum qui in manifesto Iudæus est, respicit: neque ad eam, quæ manifeste in carne est circuncisio: sed videt illum, qui in occulto Iudæus est, & qui circuncisus est corde, non carne. Ipse ergo est solus, qui dinumerare potest, & inuestigare, & ipse secundum ineffabilem & incomprehensibilem sapientiam suam ad illam cœlestem formam, quam ipse solus scire potest, posuit etiã istos numeros, quos habemus in manibus: in quibus præcipit, vt secundum cognationes suas, & secundum domos familiarum suarum, ex nomine omnes masculi per capita numerentur à viginti annis & suprà, omnis qui ingreditur in virtute Israel: & colligitur eorum quidam sacratus numerus, de quo iam superius (prout donauit Dominus) diximus. Sed iste numerus tunc demum sacratus est, & placitus Deo, cum ipso præcipiente numeratur. Si autem contra præceptum Domini voluerit aliquis numerare, licet ille Dauid sit, licet magnus propheta, contra legem agit, & arguitur per Prophetam, & patitur illa quæ in secundo libro Regnorum legimus scripta. Solus ergo ipse qui numerat multitudinem stellarum, & qui omnia mensura & numero & pondere produxit, inuestigat semen Ia- M cob, & dinumerat plebem Israel. Post hæc quasi de semetipso quædam prophetare videtur, cum dicit: [Moriatur anima mea inter animas iustorum, & fiat semen meum sicut semen iustorum.] Sed hoc quantum ad personam spectat illius Balaam, & illius Israel, nec factum est, nec fieri potuit: non enim inter ipsos, sed ab ipsis mortuus est. Magis enim (vt diximus) ipsorum personæ conueniet: qui licet in præsenti seculo vanus populus habeatur, quia sine gratia est spiritus sancti: in fine tamen seculi cum plenitudo gentium introierit, & omnis ista prophetia quæ de Israel dicitur, in spiritali Israele fuerit impleta, tunc anima eius morietur cum animabus iustorum. Suscipiet enim in se fidem Christi, ita vt & ipsi dicant: Qui in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte. Et iterum: Si enim commorimur, & conregnabimus. Et sic vere complebitur intelligi Balaam, vt moriatur anima eius inter animas iustorum. Quod autem dicit, vt fiat semen meum sicut semen iustorum, posset quidem & de illo Balaam intelligi, secundum hoc quod magi illi, qui de oriente venientes primi adorare venerunt Iesum, de semine eius esse videantur, siue per successionem generis, siue per disciplinæ traditionem. Euidenter enim constat illos agnouisse stellam, quam prædixerat Balaam orituram in Israel, & sic venisse, & adorasse regem, qui natus est in Israel. Conueniet tamen & populo illi secundum ea quæ suprà diximus. Non enim tam ipsi, quàm semen eorum efficietur sicut semen

Rom. 11.

Gen. 15.

Psal. 147.

1. Reg. vlt.

Rom. 6.

2. Tim. 2.

Magi qui adorarunt Christum de semine Balaam.

semen iustorum. Eorum scilicet, qui credentes in Christo, iustificati sunt. Vnde manifestum est, quia sicut Apostolus dicit, neque circuncisio aliquid est, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Et ideo nemo aut circuncisionis antiquitate se iactet, aut in præputij nouitate glorietur. Sed vt Apostolus dicit, probet vnusquisque opus suum, & tunc in semetipso tantum gloriam habebit. Sic denique Propheta dicit: Ecce homo, & opus eius, & merces in conspectu Domini esse dicitur, vt reddat vnicuique secundum opera sua, in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De prophetia alia Balaam. Ex Num. Cap. XXIII. Homil. XVI.

PRIORE tractatu, inquantum possibile fuit primas partes prophetiæ Balaam explicare tentauimus. Secundum nunc prophetię initium sumpsimus, vt si Dominus aspirare dignetur, etiam de hac pro viribus, quæ occurrere potuerint, in medium proferamus. Inconueniens enim mihi visum est, quanuis hæc difficilia videantur, interrumpere tractatum eorum, quo minus de singulis quæ comprehendere possumus, explicemus. Igitur Balach rex, veluti attonitus, & percussus ex iis, quæ contra spem dici videbat à Balaam, benedictionem enim pro maledictionibus audiebat, vltra non ferens, interrupit verba eius, & ait: [Quid fecisti mihi? Ad maledicendos inimicos meos vocaui te, & ecce benedixisti benedictione.] Non tulit rex amarus benedictionum dulcedinem, sed maledicta quærit, maledicta deposcit. Est enim ex cognatione illius, ad quem dixit Dominus: Maledictus tu ab omnibus bestiis terræ. Sed quid ad hæc respondit ei ille, cui verbum Deus in ore posuerat? [Nonne quæcunque, inquit, iniecerit Deus in os meum, hæc obseruabo loqui?] Ad hæc Balach putans quia perterritus esset Balaam populi Israelitici multitudine, & idcirco non fuisset ausus proferre maledicta, mutationem sibi loci credidit profuturam, & ait ad eum: Veni adhuc mecum in locum alium, de quo totum non videas eum, sed partem aliquam eius videas, omnes autem non videas, & maledic mihi eum inde. Demens qui Israeliticam gratiam loci obiectione crederet posse celari, & qui nesciret quia non potest abscondi ciuitas super montem posita. [Et adsumpsit, inquit, eum in speluncam agri in verticem montis celsi, & construxit ibi septem aras, & imposuit vitulum, & arietem super aram, & dixit Balaam ad Balach: Adsiste ad sacrificium tuum, ego verò pergam percunctari Deum. Et occurrit Deus ipsi Balaam, & iniecit verbum in os eius, & dixit sine dubio Deus: Conuertere ad Balach, & hæc loqueris. At ille (hoc est, Balach) stabat iuxta holocaustomata sua, & omnes principes Moab cum illo. Et dixit ei Balach: Quid loquutus est Dominus?] Res quidem prophanis sacrificiis gerebatur, & diuinatio magica arte requirebatur: volēs tamen Deus ibi abundare gratiam, vbi superabundauit peccatum, adesse dignatur, nec refugit ab iis, quæ non secundum Israeliticam disciplinam, sed secundum gentilium gerebantur errorem. Adest autem non sacrificiis, sed in occursum venienti, & ibi dat verbum suum, atque ibi mysteria futura prænunciat, vbi maxime fides & admiratio gentilium pendet, vt qui nostris nolunt credere prophetis, credant diuinis & vatibus suis. [Et adsumens, inquit, parabolam suam, dixit:] Per parabolam ergo dicit Balaam: [Surge Balach, & audi, auribus percipe testis fili Sephor. Non sicut homo Deus frustratur, neque sicut filius hominis terretur. Ipse cum dixerit, non faciet? loquetur & non permanebit? Ecce ad benedicendum adsumptus sum, benedicam, & non auertam eam. Non erit labor in Iacob, neque videbitur dolor in Israel, Dominus Deus suus cum ipso, præclara principum cum ipso sunt. Deus qui eduxit eum ex Ægypto, sicut gloria vnicornis eius. Non enim erit auguratio in Iacob, neque diuinatio in Israel. In tempore dicetur Iacob & Israel, quid perficiet Deus. Ecce populus sicut catulus leonis exurget, & sicut leo exultabit, non dormiet donec comedat prædam, & sanguinem vulneratorum bibat.] Hęc est continentia secūdæ prophetiæ in verbis Balaam. Videamus ergo primo hoc ipsum quod ait: Exurge Balach, & audi. Si enim in superioribus non dixisset quia staret iuxta holocaustū suum, non videretur magnopere requirendum cur dixerit, exurge Balach. Nunc autem cum hortetur exurgere eum, quem nuper dixerat stare, non est otiose prætereundus sermo propheticus. Quod ergo ait in superioribus, quia staret ad holocaustum suum, designat eum non rectè stare. Stabat enim in idololatria positus, & stabat quasi inimicus Dei, quod magis esset non stare, sed cadere. Quasi ergo qui illo statu cadere debuerit, imò & qui ceciderit, ita nunc intellectu prophetico exurgere eum iubet. Quippe qui per hoc, quod stare in idololatria visus fuerat, cecidisset. Exurgat ergo qui talis est, exurgat animo, exurgat fide, & efficiatur testis: si quidem cōuertetur, testis fidei: si verò permanet infidelis, vt sit testis condemnationis suæ. Sed quid est quod ei adnūciat, videamus. [Non sicut homo, inquit, Deus frustratur, neque sicut filius hominis terretur ipse.] Non, inquit, habeas talem opinionem de Deo, vt putes eum esse sicut hominem, qui in iis quæ loquitur, frustrari possit. Homines enim multis occasionibus & vitiis, impediuntur, ne verum sit quod loquuntur. Aut irati enim loquuntur, & ira cessante frustra loquuti sunt: aut metus aut cupiditatis, aut iactantiæ gratia, aliisque horum similibus, & vtique frustra erit, & vanū, omne quicquid vitio dominante loquuti sunt. Deus autem, in quo nulla est passio, nulla frugalitas, omne quod dixerit, pro causarum meritis dicit: & ideo nūquam frustrari potest, quia quod ratione profertur, carere non potest ratione. [Non ergo Deus sicut homo, qui frustra loquatur: neque sicut filius hominis terretur, vel (vt in aliis exēplaribus legimus) neque sicut filius hominis terret.] In hominibus interdum sententiam mutat terror, Deus autem qui supra omnia est, à quo terreri potest, vt sententiam mutet? Si vere secundum hoc accipiamus, quod in aliis exēplaribus diximus lectum, hoc est, neque sicut filius hominis terret: illud videbitur dici, quod homines quidem interdum pro iactātia terrores faciunt & minas, etiam iis nonnunquam, quibus nocere non possunt: Deus autem non terret ita homines, quasi qui punire non possit, & si terret, ratione terret. Terret enim vt corripiat hominē in auditionis tribulatione, vt verbo comminationis deterritus emēdet se qui male agit, nec perueniat ad eum ipsa vindicta male gestorum suorum. Non ergo ita Deus terret vt homo: homo enim (vt diximus) pro iactantia, Deus verò pro emendatione terret. Post hæc ait: [Ipse cum dixerit, non faciet? loquetur, & non permanebit?] Sic legendus est locus, quasi interrogantis affectu dicat, Ipse, hoc est, Deus quod dicit, nonne & faciet? & quæ loquutus fuerit, nónne permanebit in eis? Cum vtique homines non faciant quæ docent, & vitio humanæ fragilitatis in iis non permaneant quæ loquuntur: mutabilis enim est homo, Deus verò immutabilis. Sed potest aliquis occurrere, & dicere: Quomodo ergo non permansit Deus in iis, quæ loquutus est de Niniuæ, vt post triduum subuerteretur? neque in iis quę loquutus est Dauid, vbi tribus diebus promissa fuerat mors, vt vastaret populum, & intra vnum diem, & vsque ad horam prandij cessauit? Et videbitur fortassis, quia hæc quæ per interrogationem dicuntur, non penitus pro definito accipiēda sint: sed talis quædam figura verbi sit, quæ medium aliquid videatur ostendere, non tamen definitæ & irreuocabilis sententiæ declaret affectum: quo temperatius aliquid dictum videatur in eo quod scriptū est, ipse cum dixerit, nónne faciet? quàm si scriptum esset, ipse cum dixerit, omnimode faciet. Sed recenseamus & ipsa scripturæ loca, quæ vel in Iona, vel in Regnorum libris posita sunt, ne forte & ibi (vt moris est) scripturæ diuinæ secreti aliquid habeant. Scriptum est ergo in Iona: Et factum est verbum Domini ad Ionam filium Amati dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea, quia ascendit clamor malitiæ eius ad me. Et posteaquam præceptum est ceto, & eiecit Ionam in terram, iterum scriptum est: Et factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea secundum prædicationem quam ego loquutus sum ad te. Et Ionas quidem prædicauit, & dixit: Adhuc tres dies, vel (vt Hebræi habere se scriptum dicunt) adhuc quadraginta dies, & Niniuæ destruetur. Viri autem Ni-

G niuitæ crediderunt in deo, & prædicauerunt ieiunium, & induerunt se ciliciis, à minore vsque ad maiorem ipsorum. Et post pauca: Et vidit deus, inquit, opera eorum, quia conuersi sunt à viis suis malis, & pœnituit, vel (vt in aliis exemplaribus legimus) deprecatus est deus super malitiam quam locutus est facere eis, & non fecit. Obserua igitur in iis quæ assumpsimus de propheta quod non inuenitur in sermonibus dei quibus ad prophetã locutus est, dictum, quia adhuc tres dies, & Niniue destruetur: sed Ionas cum ingrederetur, inquit, ciuitatem, quasi iter dierum trium, ipse dixit, quia adhuc tres dies, & Niniue subuertetur: vt sermo iste, qui scriptus est, & non est factus, à Iona potius, quàm à deo prolatus esse videatur. Sed & de secundo libro Regnorum proferamus quæ scripta sunt, vbi cum Dauid populum numerasset, factum est, inquit, verbum domini ad Gad prophetam videntem dicens: Vade, & loquere ad Dauid. Hæc dicit dominus. Tria ego leuabo super te, elige tibi ex iis vnum, quod faciã tibi. Et introiuit Gad ad Dauid, & denunciauit ei dicens: Aut veniet tibi tribus annis fames super terram tuam: aut tribus mensibus vt fugias ante inimicos tuos, qui te persequentur: aut triduo mors fiat in terra tua. Nunc ergo scito, vide quid respondeam ei, qui me misit. Et dixit Dauid ad Gad: Angustiæ mihi sunt vndique valde. Sed incidam in manus domini magis, quia multæ miserationes eius sunt, & in manus hominum non incidam. Et dedit dominus in Israel mortem

Ibid.

Prophetæ aliquid verbis domini addiderunt

2.Reg. 24

H à mane vsque ad horam prandij, & mortui sunt de populo à Dan vsque Bersabée septuaginta milia virorum. Et extendit angelus dei manum suam in Hierusalem vt corrumperet eã, & deprecatus est dominus super malitiam, & ait ad angelum qui exterminabat populũ. Satis est, remitte manum tuam. Obserua ergo quomodo nec in iis tribus comminationibus deus inuenitur de morte dixisse trium dierum. In verbis enim Gad positum est, non in mandatis domini: & non semper ea quę per prophetam dicuntur, quasi à deo dici suscipiantur. Denique & per Moysen quidem multa locutus est deus, aliquanta tamen & Moyses propria auctoritate mandauit: quod dominus in euangeliis euidentissima distinctione secernit, cũ dicit de repudio mulieris interrogatus: quia ad duritiã cordis vestri scripsit vobis hæc Moyses, ab initio autem non fuit sic. Qui enim fecit hominem, masculum & fœminã fecit eos, & benedixit eos, & dixit. Propter hoc relinquet homo patrẽ suum, & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ, & ambo erũt in carne vna. Et addit: Quod ergo deus coniunxit, homo nõ separet. Vides ergo & hic deum quidem non præcepisse, nec fieri voluisse diuortium: Moysen verò propter duritiã cordis Iudæorum scripsisse dandũ esse repudiũ. Ostẽdit hæc & Paulus in literis suis cum dicit de quibusdam: Dominus dicit & non ego. & de aliis: Hæc autẽ ego dico, non dominus. Et ite-

Moses aliquãta propria auctoritate mandauit.

Matth. 19

1.Cor. 7

I rum in aliis: Præceptum domini non habeo, cõsilium autem do: Et iterum: Quæ loquor, non loquor secundum deum. Vnde similiter etiam in cæteris prophetis aliqua quidem dominus locutus est, & non prophetæ, alia verò prophetæ, & non dominus. & sic videbit obiectio intentata dissolui, cum non tam sua, qaàm prophetæ verba dominus reuocat, ac mutat in melius. Sed magis arbitror absolutionem priorem totius scripturæ sensibus conuenire, & illis præcipue dictis, quibus patiens & multæ misericordiæ, & pœnitens super malitias dicitur deus: vel iis maxime, quæ generaliter ab Hieremia pronunciantur, in quibus euidenter ostenditur pro multis miserationibus, & incomprehẽsibili bonitate sua deus dicere, & non facere, loqui, & non permanere. Ait ergo per Hieremiam deus: In finem loquar, hoc est ex definito loquar super gentem, & super regnum, vt auferam eos, & disperdam. Et si conuertatur gens illa à malitiis suis, pœnitebo de omnibus malis quæ cogitaui facere eis, & in finem loquar super gentem, & regnum, vt reædificem eos, & replantem: & si fecerint mala in conspectu meo, vt non audiant vocem meam, pœnitebit me de omnibus bonis quæ locutus fueram vt facerem eis. Quomodo ergo possumus iis, quæ absolute per Hieremiam dicta sunt, præferre illa quæ suspense per Balaam dicuntur: nisi quia negligentibus, & contemptoribus illa confirmanda, hæc verò à perfectioribus secretius aduertenda sunt? Sed post hæc Balaam: [Ecce, inquit, ad bene-

In libris propheticis aliqua per se propheta locuti, non dominus.

Hier. 18

dicendum assumptus sum, benedicam, & non auertam eam.] Ad benedicendum Balaam assumptus est, non à Balach, sed à deo, qui iniecit verbum in os eius, quo populum benediceret, & hanc benedictionem non auertit. Nec enim potest etiam si velit, verbum dei humana lingua cõuertere. Post hæc, [non erit, inquit, labor in Iacob, neque videbitur dolor in Israel.] Aperte in istis sermonibus futuræ vitæ denunciat statum. Quis enim est, qui hanc vitam sine labore & dolore transcurrat? Nec si Petrus aliquis, aut si Paulus sit. Quomodo non in labore & dolore est cum ter virgis cæditur, semel lapidatur, ter naufragium facit, in profundo maris die ac nocte est, aliáque innumera perpetitur, quæ de laboribus suis ac doloribus scribit? Sed ibi istud complebitur, vbi dictum est: Aufugiet dolor, & tristitia, & gemitus. Quod tamen non ad omnes, sed ad eos tantum, qui meritis Iacob & Israel fuerint, refertur: vt fuit ille pauper Lazarus, qui præsentem quidem vitam in labore ac dolore transegit, ibi autem dicitur ad diuitem: Memento fili, quia tu recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic requiescit, tu verò cruciaris. Ille ergo est Israel, & Iacob, in quem non venit labor, & dolor. Diues autẽ ille erat quidem & ipse secundũ carnẽ Israel, dicitur enim ei, quia fratres sui habent leges & prophetas, audiant illos: sed quia non erat secũdũ spiritũ Israel, ideo venit super illum labor & dolor. [Dominus deus suus cum ipso, præclara principum cum ipso sunt.] Nunquam enim Israel suum deserit deus. Quorum autem principum præclara cum ipso Israel sint, videamus. Præclara principum, potestas est, principatus & regnum. Verum quoniam sunt & aliqui principes, qui de principatu suo, vel pellẽdi, vel iam forte depulsi sunt, & in locum ac principatum eorum introducendi ij, qui vere Israelitæ sunt, præclara illa omnia, quæ habuerunt in cœlis illi principes, qui non seruauerunt principatum suũ, sed dereliquerunt æterna domicilia, Israel iste & Iacob, qui colluctatus est & vicit, accipiet, & sic cum ipso erunt præclara principum. Deus qui eduxit eum ex Ægypto sicut gloria vnicornis eius. Eductus est ille quidem Israel de Ægypto ista terrena, hic autem spiritalis Israel de Ægypto seculi, & de potestate tenebrarum, & est gloria eius tanquã vnicornis. Vnicornis quidem fertur esse animal eo habitu formatum, quo nominis ipsius designat indicium. Quod animal frequẽter in scripturis diuinis positum legimus. sed præcipue apud Iob dei ipsius vocibus potentia eius & virtus exponitur, in quibus, vt in quàm plurimis, Christus intelligitur designari. Et in scripturis diuinis cornu pro regno positum sæpe reperimus, sicut & propheta dicit: Quatuor autem cornua, quatuor regna sunt. Sub nomine itaque vnicornis, in Christo hoc videtur ostendi, quia omne quod est, vnum eius cornu est, hoc est vnum regnum eius. Omnia enim pater subiecit sub pedibus eius vsquequo & nouissimus inimicus destruatur mors, tanquam vnicornis vnum omnium regnum teneat Christus. Quia sicut scriptum est, Regni eius non erit finis. Erit ergo, inquit, ei, hoc est Israeli illi spiritali, gloria, sicut est gloria vnicornis. Sic enim & ipse in euangelio dominus dicit: Pater, da illis, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Et ideo similis gloria dabitur Israeli, sicut est gloria vnicornis, maxime cum transformabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. [Non erit auguratio in Iacob, neque diuinatio in Israel.] In tempore dicetur ad Iacob & Israel quid perficiet deus. Igitur quoniã visum est iam nos diligentius de singulis quibusque discutere, non videbitur absurdum, si etiam quid sit auguratio, vel diuinatio, quoniam quidem placuit scripturæ commemorare de iis, ne quis forte ignoranter in hæc incidat, requiramus. Videtur ergo mihi futurorum præscientia quantum ad ipsam rem spectat, medium quiddam esse, id est neque proprie bonum, neque proprie malum. Quandoquidem potest interdum etiam à parte diaboli ad hominum notitiam futurorum venire præscientia: sine dubio autem cum tempus & opportunitas poscit, & voluntas dei fuerit, datur etiam à deo per prophetas hominibus præscientia, & ideo diximus, quia neque propriè bonum dici potest, quod aliquando à malo venit: neque propriè malũ, quod aliquãdo à deo descendit. Et quamuis de hoc abundanter etiam ex scripturis diuinis exempla

K *2.Cor. 11*

Luc. 16

L

Iob. 39

Dan. 7

M

Luc. 1

Ioan. 17

Futurorũ præscientia est aliquid indifferens

A exempla suppeditent, sufficere tamen credimus si vtamur eo, quod in regnorum libro scriptum legimus: vbi arca Dei ab Allophylis capta est,& deducta in Azotum: & ibi introduxerunt,inquit, eam in domum Dagon, & inuentus est Dagon cecidisse pronus in terram ante arcam testamenti Domini. Et grauata est manus Domini super Azotos, & dissipauit eos,& percussit eos in natibus. Post hæc, inquit, ingressa est arca in Accaron, & miserunt Accaronienses, & congregauerunt omnes satrapas Allophylorum,& congregauerunt sacerdotes,& diuinos suos dicẽtes: Quid faciemus arcæ Domini? Indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Responderunt sacerdotes & diuini: Si remittitis arcam Domini Dei Israel, Nolite eam dimittere inanem, sed dantes dabitis ei pro delicto, & tunc sanabimini, & innotescet vobis. Si autem, non discedet manus eius à vobis. Et post pauca: Et nunc,inquit, facite carrum nouum, duas vaccas fœtas assumite, quibus iugum non est impositum, & iũgite vaccas ad carrum,& fœtus earum retro abducite ad domum: & adsumite arcam Domini, & imponite eam super carrum, & vasa aurea quæ obtulistis ei pro delicto, simul ponite super carrum, & omnia sancta eius: & dimittite eam,& vadat: & videte, si quidem vadit per viam suam, & ad fines suos ascendit in Bethsamis, ipsa nobis fecit mala hæc magna. Si autem non vadit illuc, sciemus quia manus eius non contigit nos, sed

Allophyles more 70. interpretes vocat Palestinos. *1.Reg.5.* *Ibid.*

B fortuitu hæc nobis acciderũt. Obserua ergo in iis, quomodo sacerdotes & diuini causam malorum, quæ acciderant Allophylis, vtrum ex manu Dei,& pro arcæ iniuria venerit, an fortuitu acciderit, propositis contemplãtur indiciis, dicentes: Si per viam suam ad fines suos ascendit in Bethsamis, ipsa nobis fecit hæc mala. Denique in sequentibus refertur. Et cum imposuissent, inquit, arcam Domini super carrum, direxerunt boues in via, contra viam quæ ducit Bethsamis,& non declinauerunt ad dextram, aut sinistram. Quis ergo in his si diligenter inspiciens, præscientiam hanc quæ de boum directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam,& non operatione quadam dæmonum ministratam, qui pertimuerint arcæ Domini virtutem: qua non solum affligebantur, & puniebantur Allophyli, verum & cultus ipse dæmonum destruebatur, vtpote simulacris eorum, templisque, ad ingressum arcæ Domini corruentibus? Est ergo talis quædam in ministerio præscientiæ operatio dæmonum, quæ artibus quibusdam ab iis, qui se dæmonibus mancipauerint, colligitur: & nunc per eas quas sortes nominant, nunc per ea quæ auguria appellant, nunc etiam ex contẽplatione fibrarũ, quæ extispicia vocant, aliisque horum similibus præstigiis comprehendi videtur,& intelligi. Quæ artes in tantum ad decipiendum genus hominum profecerunt, vt etiam iustissimi

Diuinationum multæ species.

C Ezechiæ filius Manasse hoc errore deceptus, ædificauerit (vt scriptura dicit) altare omni exercitui cœli in vtraque domo Domini. Hunc autem esse arbitror exercitum cœli, quem Paulus spiritales nequitias in cœlestibus positas scripsit. Nisi ergo multum in iis artibus & deceptionis esset & erroris, non puto tanti viri filium in lege Domini educatum, in illas impietates potuisse corruere, quæ in 4. Regnorũ libro de eo scriptæ referuntur. Ait enim: Et sortiebatur,& augurabatur, & fecit θελητὰς, & transducebat filios suos in igni, & præscios abundare fecit, vt faceret malignum in conspectu Domini,& exacerbaret eum. Talia ergo erant quæ peccabat, de quibus dici possit, quia in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus fierent, ita vt deciperentur etiam electi. Deceptus est enim per eum & populus, vt faceret malignum in conspectu Domini super gentes illas, quas exterminauerat Deus à facie filiorum Israel. Sed & in secundo libro Paralipomenon similia nihilominus de Manasse scribuntur. Et fecit,inquit, lucos,& adorauit omnem militiam cœli, & seruiuit eis,& construxit altaria in domo Dei, vbi dixit Dominus, In Hierusalem erit nomen meum inæternum, & ibi instruxit altaria omni magnificentiæ cœli, in ambabus domibus Domini. Et ipse transducebat filios suos in igni in gehennam,& sortiebatur, & maleficia faciebat, & augurabatur, & fecit ventriloquos,& incantatores, & multiplicauit vt faceret malignum in conspectu Domini, vt exacerbaret eum. Hæc ergo omnia, id est, siue auguratio, siue extispicium, siue

4.Reg.21. *Sacrificiũ in honorem idolorum.* *2.Thess.2.* *2.Paral.33*

D quælibet immolatio, siue etiam sortitio, aut quicunque motus auium, vel pecudum, vel inspectio quæcunque fibrarum, vt aliquid de futuris videantur ostendere, in operatione dæmonum fieri non dubito, dirigentium vel auium, vel pecudum, vel fibrarũ motus, aut sortium, secundũ ea signa quæ docuerunt iidem dæmones obseruari ab iis, quibus artis huius scientiam tradiderunt. A quibus omnibus, is qui homo Dei est,& in portione Dei numeratur, penitus esse debet alienus, nec aliquid in iis habere cõmune, quæ occulte machinis dæmones operantur: ne forte rursus per hæc dæmonibus societur atque eorum spiritu & virtute repleatur, & ad idolorum cultum denuo reparetur. Hæc enim omnia religio nostra diuina & cœlestis abiurat, in Leuitico quidem aperta lege designans,& dicens: Non diuinabitis, neque augurabimini. Et post pauca: Non sequemini, inquit, ventriloquos, nec adiungemini ad incantatores, vt contaminemini in eis, ego Dominus Deus vester. Et iterum in Deuteronomio: Si autem tu, inquit, introieris in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non discas facere secundum abominationes gentium illarum, non inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam igni, neque diuinans diuinatione, neque sortiens sortibus, neque maleficus, neque incantator, neque ventriloquus, neque portentorum inspector, neque interrogans mortuos. Est enim abominatio Domino, omnis

Dæmones dirigebant auium, sortium, & similium rerum ad diuinationes pertinentiũ motus. *Leuit.18.* *Deut.18.* *Omnia diuinationũ genera religio abiurat.*

E qui facit hæc. Propter istas enim abominationes Dominus Deus tuus euertit gentes istas à conspectu tuo. In quibus omnibus videtur ostendere, quia omnis qui in iis versatur, nihil aliud faciat nisi mortuos interroget. Mortui sunt enim, quia non sunt vitæ participes. Deus autem, viuorum Deus est,& non mortuorum. His autem omnibus legibus additur etiam illud, vt qui vult esse perfectus, à nullo alio discat, nisi ab eo qui per Dei virtutem fuerit electus Propheta, vt ministret populo. Ait ergo: Perfectus esto in conspectu Domini Dei tui: gentes enim istæ, quarum tu hæreditatem cœpisti, istæ audiunt sortilegos & diuinos, tibi autem non ita dedit Dominus Deus tuus. Prophetam enim de medio tui ex fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audietis per omnia quæcunque petiisti à Domino Deo tuo in Oreb in die ecclesiæ, cum dixissetis: Non apponemus audire vocem Domini Dei nostri,& istum ignem magnum non videbimus vltra, ne moriamur. Non vult Deus auditores nos fieri & discipulos dæmonum, neque vult, vt si quid volumus discere, discamus à dæmonibus. Melius est enim ignorare, quàm à dæmonibus discere: & melius est à Propheta discere, quàm à diuinis inquirere. Diuinatio enim non (vt quidam putant) diuinitus datur, sed magis (vt mihi videtur) per antiphrasim, id est, ex contrario nomen accepit, quasi quæ per homines dæmonibus repletos fiat. Sed gentilium ritus, diuinum credit omne, quod per qualemcunque spiritum profertur. Nos tamen nihil ab iis discere Deus iubet, ne efficiamur con-

Ibid. *Diuinatio per antiphrasin sic appellatur.*

F sortes ipsorum, & incurramus in ea, quæ Esaias dicit: Et humiliabuntur in terra verba tua, & sermones tui in terra demergentur, & erit vox tua sicut loquentis de terra, & ad solum vox tua infirmabitur. Propter hoc & Dominus noster Iesus, non dignatur à dæmonibus accipere testimonium, sed ait: Obmutesce, & exi ab eo. Quem etiam Apostolus suus Paulus imitatus, dolens conuertit se, & ait spiritui Pythonis: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, discede ab ea. In quo requiras fortasse, quid dolens Paulus, increpat spiritum Pythonis: nunquid aliquid blasphemum dixerat? Mulier enim, inquit, habens spiritum Pythonis sequebatur Paulum, & eos qui cum eo erant, & clamabat dicens: Isti homines serui sunt summi Dei, qui annunciant viam salutis, & hoc faciebat per dies multos. Vnde ostenditur non pro blasphemia doluisse Paulum, sed pro eo quod indignum iudicaret sermoni suo ab spiritu Pythonis testimonium dari. Quod si Paulus testimonium sibi eum dare non patitur, sed dolet super hoc: quanto magis dolere debemus, si quando decipi videmus animas ab iis, qui velut diuino alicui spiritui Pythonis, aut ventriloquo, aut diuino, aut auguri, vel aliis quibuslibet huiusmodi dæmonibus credunt? Propter hoc ergo, [non erit, inquit, auguratio in Iacob, neque diuinatio in Israel.] Sed quid iis additur? [In tempore,

Esa.29. *Mar.1.* *Act.16.*

G inquit, dicetur Iacob, & Israeli, quod perficiet deus.] Quid est in tempore dicetur? cum oportet, & cum expedit, hoc est, in tempore. Si ergo expedit prænoscere nos futura, dicētur à deo per prophetam dei, per spiritum sanctū. Si verò nō dicuntur, neque denunciantur, scito quia non nobis expedit ventura prænoscere. Quod si idcirco non dicuntur nobis, quia nobis ea scire non expedit, qui diuersis artibus, & dæmonum inuocationibus gestiunt futura prænoscere, nihil aliud faciunt, nisi ea cupiunt discere, quæ sibi scire non expedit. Iacob autem in ijs dici intelligendus est omnis cui luctamen est aduersus principatus & potestates, & aduersus huius mundi rectores. Et Israelem intellige omnē, qui per fidei puritatem, & munditiam mentis videt deum. Sed potest aliquis dicere, si à solo deo debemus discere de futuris, & neque diuinum neque augurem, neque aliud quodcunque horū recipere, ne iste quidē ipse Balaam recipiendus est à nobis. Vnus enim ex iis est, quos recipi prohibet diuina sententia. Sed aduerte diligentius, & memento quid in superioribus legimus, vbi dicitur de eo quia iniecit dominus verbū suū in os eius. Non ergo hæc nunc à Balaā, sed à verbo dei, quod in ore eius est positū, discimus. Nisi enim verba dei essent, non ea vtique reuelasset famulo suo Moysi, quæ procul positus cū ab eo regi Balach dicerentur, certum est quod nisi à deo sibi reuelata,

H Moyses scire non potuit. Adhuc autē ad destruendā penitus diuinationē, vel augurationē, atque alia huiusmodi, etiam hoc cōpetenter addemus, quod omnes isti auiū, vel animaliū ministerio vtuntur, sed talium quæ & immunda scribūtur in lege, & humano generi deprehēduntur semper insidiantia, ex quo vtique opportuna, & digna ministerio dæmonū iudicata sunt. Nā Pythonibus dracones, aliique serpentes ministrare perhibentur. Auguribus & iis qui ex incidentibus diuinandi captare putantur auspicia, aut lupi ferunt omnia, aut vulpes, aut accipitres, aut corui, aut aquilæ, aut alia huiusmodi, quæ in lege Moyses (vt diximus) iis credo de causis notauit immūda. Post hæc: [Ecce, inquit, populus sicut catulus leonis exurget, & sicut leo exultabit.] In iis mihi videtur confidentiam populi describere credentis in Christo, & libertatem quam habet in fide, & exultationem quam gerit in spe. Comparatur enim catulo leonis, cum tēdit ad perfectionē lætus, & velox: leoni verò confertur, cum iam obtinet quæ perfecta sunt. Sicut enim leo & catulus leonis nullum animal, nullam bestiam timent, sed sunt eis cuncta subiecta: ita & perfecto Christiano, qui tollit crucem suam & sequitur Christum, qui potest dicere, Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo, cuncta calcantur, cuncta subiecta sunt. Despicit enim & contemnit omnia quæ in hoc mundo sunt, & imitatur eum, qui leo de tribu Iuda dicitur, & catulus leonis dicitur quia sicut lux est mundi, & discipulis suis dedit vt & ipsi essent lux

I huius mundi, ita & cum ipse sit leo, & catulus leonis, credētibus in se nomen leonis, & catuli leonis adscripsit. Vide autem quàm euidenter non de illo qui tunc erat populo, sed de hoc qui futurus erat, ista dicūtur. Ait enim: [Ecce populus sicut catulus leonis exurget, & sicut leo exultabit.] Exurrecturum dicit populum, vtique qui futurus erat. Nam si de eo diceret quem videbat, dixisset sine dubio, ecce populus sicut catulus leonis exurrexit. Sed certum est quia de illo populo dicat, de quo in psalmis scriptum est: Et annunciabunt cœli iustitiā eius populo qui nascetur, quem fecit dominus. Est ergo populus hic catulus leonis, dū adhuc tanquā nuper geniti infantes, rationabile & sine dolo lac cupiunt. Leo autē exultans, cum vir perfectus, quæ paruuli erant deposuit. [Non dormiet donec comedat prædam, & sanguinem vulneratorum bibat.] In his verbis quis ita erit historicæ narrationis cō tentiosus adsertor, imò quis sic abruptus inuenitur, qui non horrescens sonum literæ, ad allegoriæ dulcedinem ipsa necessitate confugiat? Quomodo enim iste populus tam laudabilis, tam magnificus, de quo tanta præconia sermo dei enumerat, in hoc veniet, vt sanguinem vulneratorum bibat? cum tam validis præceptis cibus sanguinis interdicatur à deo, vt etiam nos qui ex gentibus vocati sumus, necessario iubeamur abstinere, sicut iis quæ idolis immolantur, ita & à sanguine. Dicant ergo nobis, quis est iste populus, qui in vsu habet sanguinem bibere. Hæc erant quæ & in Euangelio audientes ij qui ex Iudæis dominum sequebantur, scandalizati sunt,

K & dixerunt. Quis potest manducare carnem, & sanguinem bibere? Sed populus Christianus, populus fidelis audit hæc, & amplectitur, & sequitur eum qui dicit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis ipsis: quia caro mea vere cibus est, & sanguis meus vere est potus. Et vtique qui hæc dicebat vulneratus est pro omnibus, ipse enim vulneratus est pro peccatis nostris, sicut Esaias dicit. Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solum sacramentorum ritu, sed & cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dicit: Verba quæ locutus sum, spiritus & vita est. Est ergo ipse vulneratus, cuius nos sanguinem bibimus, id est, doctrinæ eius verba suscipimus. Sed & illi nihilominus vulnerati sunt, qui nobis verbum eius prædicarunt, & ipsorum enim, id est, apostolorum eius, verba cum legimus, & vitam ex eis consequimur, vulneratorum sanguinem bibimus. Nō ergo, inquit, dormiet, donec comedat prędā. Iste enim populus qui catulo leonis, vel leoni comparatur, non quiescet, nec dormiet donec rapiat prædam, id est, donec rapiat regnum cœlorum: quia à diebus Ioannis regnū cœlorū vim patitur, & vim facientes diripiunt illud. Vt autem euidentius cognoscas hæc de nostro populo, qui in sacramentis Christi cōfœderatus est, scribi, audi quomodo & in aliis Moyses similia pronunciat dicens: Butyrum boum, & lac ouium, cum adipe agnorum, & arietum filiorum, taurorum & hircorum, cū

L adipe renium, frumenti, & sanguinem vuæ bibent vinum. Et hic ergo sanguis qui nominatur vuæ, illius vuæ est quæ nascitur ex illa vite, de qua Saluator dicit. Ego sum vitis vera, discipuli verò palmites, Pater autem agricola est. qui purgat eos, vt fructum plurimum afferant. Tu ergo es verus populus Israel, qui scis sanguinē bibere, & nosti carnem verbi dei comedere, & sanguinem bibere, & vuæ sanguinē illius quæ est ex vera vite, & illis palmitibus quos pater purgat, haurire. Quorum palmitum fructus, vulneratorum sanguis merito dicitur, quem ex verbis eorum & doctrina bibimus, si tamen simus vt catuli leonis exurgentes, & vt leo exultantes. Hęc interim de secunda visione Balaam dicta sufficiant. Oremus autem dominum vt nobis etiam ad cętera, quæ ab eo prophetata sunt, intelligenda lucidiores quosque & veritati proximos sensus aperire dignetur, vt in spiritu sancto considerātes quæ per spiritum scripta sunt, & spiritalibus spiritalia comparātes, digne Deo, & sancto spiritui, qui hæc inspirauit, quæ scripta sunt explicemus, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De eiusdem tertia prophetia. Ex Num. Cap. XXIIII.

Homilia XVII.

TERTIAM nunc prophetiam ex iis quæ sermo dei per Balaam protulit, habemus in manibus, vt etiam de ipsa (prout dominus dederit) aliqua

M disseramus. Etenim infelix iste Balach putans quod Balaam diuino ad maledicendum loci opportunitas magis defuerit quàm voluntas, vtilius esse ratus si mutaret locū: [Veni, inquit, & educam te in locum alium (si placet deo) & maledices eum inde, & assumpsit Balach ipsum Balaam in verticem montis Fogor, qui tendit in desertum.] Eos quidem quos deus vocat, imponit eos in verticem montis Sina: hic autem Balach, qui deo contrarius est, imponit Balaam in verticem montis Fogor. Fogor autem interpretatur delectatio. In verticem autem delectationis & libidinis imponit homines iste Balach. Amator enim est voluptatis magis quàm dei, & idcirco imponit eos in summitatem & verticem voluptatis, vt excludat eos à deo. Excludens enim & deuoratio interpretatur Balach. Ideo denique & in eremum tendit Fogor, id est, ad ea quæ eremia sunt, & deserta deo negotia. [Et dixit Balaam ad Balach. Construe mihi hic septē aras, & fac mihi hic septem vitulos, & septem arietes: & fecit Balach sicut dixit ei Balaam, & obtulit vitulum, & arietem super aram.] Aperta quidem Apostoli sententia est dicentis: Quæ enim sacrificant gentes, dæmoniis, & non deo sacrificant. Sed & propheta similiter dicit: Sacrificauerunt dæmoniis, & non deo. Tamen quoniam & lex dei de sacrificiis præcipit, & ritum sacrificandi tradit filiis Israel, requiratur

Marginalia: *Animātes augurales immundæ & rapaces.* — *Gal. 6* — *Psal. 22* — *Act. 15* — *Ioan. 6* — *Esa. 53* — *Bibere sanguinē Christi duplici ter dicimur* — *Ioan. 6* — *Deut. 32* — *Ioan. 15* — *Peroratio.* — *1. Cor. 10* — *Deut. 32*

A ratur fortassis, cur hæc cum dæmonijs dicata videantur, etiam Deo iubeantur offerri. Et erit quidem simplex & cita responsio, vt quemadmodum in aliis ostendimus, quod libellum repudij dari non Dei voluntatis fuit, qui quod cõiunxerat noluit separari, sed Moyses hæc proprie ad duritiam cordis Iudæorum scripsit: ita etiam & de hoc videri posse, quia Deus (sicut per alium Prophetam dicit) non manducat carnes taurorum, nec sanguinem hircorum potat. Et item vt alibi scriptum est: Quia non mandaui tibi de sacrificiis, vel victimis, in die qua eduxi te de terra Ægypti. Sed Moyses hæc ad duritiam cordis eorum pro consuetudine pessima qua imbuti fuerant in Ægypto, mandauit eis: vt qui abstinere se non possent ab immolando, Deo saltem, & non dæmoniis immolarent. Videndum tamen est, ne forte sit & aliqua sacrificandi Deo occultior, ac secretior ratio. Ne forte, inquam, sacrificia quæ Deo offeruntur, ad destructionem fiant eorum sacrificiorum, quæ dæmonibus immolantur: vt quia per illa vulnerantur animæ, per ista sanentur: sicut & ij confirmant, qui medicinæ peritiam gerunt. Serpentum nanque venena, depelli medicamentis nihilominus confectis ex serpentibus, perhibent. Ita ergo & sacrificiorum dæmonicorum virus per sacrificia Deo oblata depellitur, sicut & mors Iesu mortem peccati credentibus non sinit dominari. Et quidem donec tempus patiebatur, sacrificia sacrificiis opponebantur: vbi verò venit perfecta hostia, & agnus immaculatus, qui totius mundi tolleret peccatum, sacrificia illa quæ singillatim offerebantur Deo, iam superflua visa sunt, cum vna hostia omnis dæmonum cultura depulsa sit. Verum Balaam iste siue secundum cordis sui propositum quod non emendauerat: siue secundum illam figuram, qua diximus eum tenere personam doctorum, ac Pharisæorum plebis incredulæ: instaurat adhuc hostias, & præparari sacrificia iubet. In his enim omnem spem gerunt ij, quorum cor non recipit fidem Christi. Sed quid sequitur? [Et videns, inquit Balaam, quia bonum est in conspectu Domini benedicere Israel, non abiit ex more in occursum auspiciis, sed conuertit faciem suam in desertum: & eleuans Balaam oculos suos intuens Israel castra constituisse per tribus, & factus est super eum spiritus Dei, & adsumpta parabola sua, ait:] Requiratur fortasse vnde vidit Balaam, quia bonum est in conspectu Domini benedicere Israel, & putabitur ex sacrificiis intellexisse quæ immolauerat. Vbi enim vidit nullum adesse dæmonum, nullam contrariam potestatem victimis suis adsistere audentem, exclusos esse omnis malitiæ ministros, quibus vti ad maledicendum solebat, potuit ex his intellexisse, quia bonum esset in conspectu Domini benedicere Israel. Ego tamen magis illud intelligo, quod populus ille, qui nunc vanus est, C & illi doctores, qui Christo non credentes in vanitate populum detinent, aliquando visuri sunt: id est, in nouissimis diebus, cum plenitudo gentium introierit, & omnis Israel venire cœperit ad fidem Christi: illi inquam, qui nunc oculos habentes non vident, tunc videbunt. Eleuabunt enim oculos suos ad altiores & spiritales sensus, & videbunt, & intelligent quia bonum est in conspectu Domini benedicere spiritalem Israel. Videbunt enim eum dispositum per tribus, & per domos, & per familias, & vnumquemque in suo ordine resurrectionis gloriam adepturum, & adsumpta parabola sua intelligent quæ in parabolis scripta sunt: quæ nunc propter velamen quod positum est super cor eorum, neque vident, neque intelligunt. Denique, [non abiit, inquit, ex more in occursum auspiciis.] Non enim more sibi solito, stultis & inanimis sensibus rapietur, in animalibus mutis & pecudibus, Dei considerans voluntatem, sicut ij, qui ex istis talibus auspicia colligunt: sed agnoscet etiam ipse, quia neque de bobus cura est Deo, similiter neque de ouibus, neque de auibus, alijsque animalibus, sed si qua de his scripta sunt, propter homines intelliget scripta. Sed videamus iam quæ sint quæ in tertia prophetia proloquatur Balaam. [Dixit, inquit Balaam filius Beor, homo vere videns, dixit, audiens verba fortis, qui visum Dei vidit in somnis, reuelati oculi eius.] Mirum profecto est quomodo tantæ laudis dignus habeatur Balaam, qui accepta parabola sua, hæc de semetipso pronunciat. Quomodo enim homo vere videns Balaam sit, qui diuinationi, & auguriis operam dederit, qui etiam magicæ studuerit (sicut suprà ostendimus) valde mirum est, nisi forte pro eo, quod suprà dictum est, quia spiritus Dei factus fuerit in ipso, & quia verbum Dei positum sit in ore eius, hæc de eo putentur tam magna conscripta esse præconia. Nec Moyses enim, nec alius quis prophetarum facile inuenietur tantis laudibus eleuatus. Vnde magis mihi videtur hæc illi populo conuenire eo tempore, quo iam conuersus ad Dominum, deposuit velamen, quod erat super cor suum. Dominus spiritus est. Idcirco denique dicit, reuelati oculi eius, quasi qui nunc vsque clausi fuerint, & nunc per spiritum Dei, qui super eum factus est, ablato velamine reuelentur. Nunc ergo est quando vere videt, & vere audit verba fortis, & visum Dei videt in somnis: id est, ea quæ in somnis Danieli prophetæ tempora designata sunt, videbit impleta: & visiones illas, quæ in somnis ad illum delatæ sunt, videbit: hoc est, intelliget, & agnoscet oculis reuelatis. Efficietur enim similis iis, qui dicebant: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculamur eadem imaginatione tranformati à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Velim tamen requirere, qui sunt isti oculi eius, qui reuelati dicuntur. Ne forte ipsi sint, qui in aliis scripturæ locis (vt in quibusdam exemplaribus legimus) oculi terræ appellantur, & ille, quem Paulus sensum carnis dicit, cum ait de quodam, Frustra inflatus à sensu carnis suæ. De istis credo oculis, etiam serpens dixerit ad Euam, Quia sciebat Dominus quod in quacunque die manducaueritis ex eo, aperientur oculi vestri. Et paulo post: Et manducauerunt, inquit, & aperti sunt oculi eorum. Nisi enim essent differentiæ oculorum, & alij essent qui per præuaricationem aperiuntur, & alij quibus videbant Adam & Eua, antequam isti aperirentur, nunquam vtique scriptura nondum apertis oculis eorum, illis qui ex præuaricatione patefacti sunt, diceret. Et vidit mulier quia bonũ est lignum ad manducandum, & gratum oculis ad videndum, & speciosum est ad considerandum, & accipiens de ligno manducauit, & dedit viro suo secum, & manducauerunt, & aperti sunt oculi amborum. Quomodo enim si nondum aperti fuerant oculi amborum, vidit mulier quia bonum esset lignum ad manducandum, & gratum oculis ad videndum? quibúsque etiam oculis & speciosum dicitur fuisse ad considerandum? Sed ego audiens vocem Domini mei Iesu Christi, & virtutem bonitatis eius intelligens, ita aduerto illud quod dicit: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant: quod in peccatoribus non vident illi oculi, qui meliores sunt: sed ij, qui sensus carnis appellantur, & qui consilio serpentis aperti sunt. Opus ergo magnificum Saluatoris nostri Domini est, vt ij, qui non vident melioribus oculis quæ bona sunt, sed illis qui consilio serpentis patefacti sunt, & quæ mala sunt intuentur, cæci fiant: & qui cæci fuerint illis oculis, quos persuasio serpentis aperuit, videant bona Domini his oculis, quos Iesus Saluator noster venit aperire. Nisi enim prius malorum visus claudatur, bonorum non patebit intuitus. Sic ergo etiam illud boni Dei dictum accipio, quod dixit: Quis fecit videntem, & cæcum? Videntem quidem secundum Christum, cæcum verò secundum consilium serpentis. Hæc autem commonuimus, vt euidentius elucesceret qui sunt oculi qui claudantur, & qui sunt oculi qui reuelentur: simul vt & illud ex his intelligatur, quod in Propheta scriptum est: Videntes videbitis, & non videbitis: vt sciamus quibus oculis vident, & quibus videntes non vident. Apparet ergo & hunc Balaam pro eo quod reuelati fuerant oculi eius, dicere de semetipso, [homo vere videns:] & dicere, [dixit audiens verba fortis.] Eodem enim ordine quo alij oculi clauduntur, & alij aperiuntur, etiam aures aliæ claudendæ, & aliæ aperiendæ intelliguntur. Verum si quis hæc etiam secundum historiam velit dicta suscipere, potest dicere, quia in eo quod vidit Balaam quod bonum est in conspectu Domini benedicere Israel, ostenduntur reuelati oculi eius, & factus esse homo vere videns. Vere enim vidit quæ futura erant de Israel, vel Iacob. Audisse quoque eum verba fortis dicit in eo, cum venit ad eum Deus, & dixit ei in somnis: [Verbum quod dedero in ore tuo,

Hier. 9. — 2. Cor. 3. — Dan. 2. et 7 — 2. Cor. 3. — Col. 2. — Gen. 3. — Ibid. — Ioan. 9. — Exod. 4. — Esa. 6. — Num. 22.

G hoc obserua vt loquaris:] & hoc erat visum dei, quod vidit in somnis, & per hæc reuelatos esse oculos eius asserit, quia potuit videre quæ vidit. Hæc quidem de iis quæ in præfatione sua Balaam in semetipsum visus est prophetare: nunc iam videamus quæ sunt, quæ in consequentibus dicit. [Quàm bonæ, inquit, domus tuæ Iacob, tabernacula tua Israel?] Vt nemora vmbrantia, vt paradisi super flumina, & sicut tabernacula quæ fixit dominus, sicut cedri iuxta aquas. Bonas quas dicit domus Iacob, non puto quod domicilia eorũ collaudet terrena. neque enim tale aliquid fuisse apud eos præter gentes cæteras memoratur. Sed videamus ne forte, quoniã populus per tribus erat diuisus, & vnaquæque tribus per plebes, & iterum plebes per cognationes, & cognationes per domos familiarum, & rursum domus familiarum per numerum nominum, & per capita numerabantur: hoc est, omnis qui erat à viginti annis & suprà, masculus qui procedere poterat ad bellum: has domus Balaam in spiritu cõtuens magnificet, & extollat. Sed non in his solius literæ contuenda sententia est, quoniam quidem quæ loquitur Balaam, adsumpta parabola sua loquitur. In parabolis ergo & nos quod dicitur audiamus. Si enim consideres diuisiones illas, & ordines populorum qui in resurrectione habebuntur in populo veri Israel, quando vnusquisque resurget in suo ordine: si potes intueri tribus illas & plebes, & cognationes, in quibus non tam carnis & sanguinis est cognatio, quàm mentis & animi: tunc intelliges quàm bonæ sunt domus Iacob, & quàm bona tabernacula Israel. Quod & si differẽtias domorum, & tabernaculorum requiras, & Iacob atque Israel diuersitatem, etiam de hoc talis quædam habenda distinctio est. Domus res est fundata, ac stabilis, & certis terminis septa. Tabernacula verò sunt habitacula quædam eorum, qui semper in via sunt, & semper ambulant, nec itineris sui terminum repererunt. Igitur Iacob habendus est in eorum personis, qui in actibus & opere perfecti sunt: Israel vero illi intelligendi sunt, qui studium erga sapientiam ac scientiam gerunt. Quia ergo operum gestorúmque exercitia certo fine clauduntur: neque enim sine fine est operum perfectio: vbi adimpleuerit quis omnia quæ facere debuit, & ad finem perfectionis operum venerit, perfectio ipsa operũ, bona domus eius esse dicetur. Eorum verò qui sapientiæ & scientiæ operam dant, quoniam finis nullus est. Quis enim terminus dei sapientiæ erit? vbi quanto amplius quis accesserit, tanto profundiora inueniet, & quanto magis scrutatus fuerit, tanto ea ineffabiliora & incomprehensibiliora deprehendet, incomprehensibilis enim & inęstimabilis est dei sapientia. Idcirco eorum qui iter sapientiæ dei incedunt, non domos laudat, non enim peruenerunt ad finem, sed tabernacula miratur, in quibus semper ambulant, & semper proficiũt, & quãto magis proficiunt, tanto eis proficiendi via augetur, & in I immensum tenditur: & ideo istos ipsos profectus eorum per spiritum contuens, tabernacula ea nominat Israel. Et vere si quis scientiæ cœpit aliquos profectus, & experimenti aliquid in talibus sumpsit, scit profecto quod vbi ad aliquã ventum fuerit theoriam, & agnitionem mysteriorum spiritalium, ibi anima quasi in quodam tabernaculo demoratur. Cùm verò ex his quæ reperit, alia rursus rimatur, & ad alios proficit intellectus, inde quasi eleuato tabernaculo tendit ad superiora, & ibi collocat animi sedem, sensuum stabilitate confixam: & inde iterum ex ipsis alios inuenit spiritales sensus, quos priorum sine dubio sensuum consequentia patefecerit: & ita semper se ad priora extendens, tabernaculis quibusdam videtur incedere. Nunquam est enim quando anima scientiæ igniculo succensa otiari possit & quiescere, sed semper à bonis ad meliora, & iterum ad superiora à melioribus prouocatur. Hoc ergo sapientiæ dei iter grate satis, & cum multo decore descripsit dicens: [Vt nemora obũbrantia, & vt paradisi super flumina, & sicut tabernacula quę fixit dominus, sicut cedri iuxta aquas.] Qui enim incedunt hac via, per nemora obumbrantia incedunt. Nemora enim sunt eis obumbrantia, omnis iustorum cœtus, & sanctorum prophetarum chorus. Sub vmbra enim sensuum, quos apud illos scriptos inueniunt, refrigerantur animæ ipsorum, & in doctrinis eorum quasi incedentes per opaca nemorum

Populi in suas partes diuisio, & ordo.

1.Cor.15

Cognatio mentis, & animi.

Laudat Theoriam scripturarũ propter sui temporis hæreticos.

delectantur, & sicut paradisi super flumina inueniuntur. K Isti enim paradisi super flumina, similes & cognati sunt illi paradiso in quo lignum vitæ est. Flumina verò possumus vel scripturas Euangelicas atque apostolicas accipere, vel etiam angelorum, vel cœlestium virtutum erga huiusmodi animas adiutoria: rigantur enim ab illis & inundantur, atq; ad omnem scientiam & agnitionem rerum cœlestium nutriuntur. Quamuis & Saluator noster fluuius sit qui lætificat ciuitatem dei: & spiritus sanctus non solum ipse fluuius sit, sed & iis quibus datus fuerit, flumina de ventre eorum procedant: & deus pater dicat: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, ex quo scilicet fonte flumina ista procedunt. His igitur inundata fluminibus tabernacula Israel, fiunt tabernacula sicut sunt illa quæ fixit dominus. Sed intentum fortassis mouere poterit auditorem, quod duas quasdam species tabernaculorum præsens sermo commemorat. Ait enim: [Quàm bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Israel? Vt nemora vmbrantia, & vt paradisi super flumina. Et rursum tabernacula tabernaculis comparat, & dicit:] Et sicut tabernacula quæ fixit dominus.] Potest ergo & alia post illas, quas suprà protulimus, recipi expositio, vt dicamus domus Iacob esse legem, & tabernacula Israel prophetas. Non enim ipsum Iacob, sed domus eius laudat: nec ipsum Israel, sed tabernaculã eius. Et tunc ea laudat, cum reuelati sunt oculi eius. Quãdiu enim velamen positum est super lectionem legis & prophetarum, non videtur bona tabernacula, nec laudabiles domus. Vbi autẽ ablatũ fuerit velamen, & intelligi cœperit lex quia spiritalis est, & prophetæ: tunc bonæ & admirabiles domus L Iacob, & tunc admiranda erũt tabernacula Israel, cum amota litera quæ occidit, viuificantem ex eis percipere spiritum cœperis. Potest adhuc & alio modo intelligi, vt populi credentis & perfecti huius, qui ad Christum ex gentibus congregatus est, corpora simul laudari videatur & animę: & Iacob quidem domus de corporibus dicatur, sicut & in libello quodã legitur, quia Iacob domus sit Israel: hoc est, corpus eius Iacob dicatur, & anima Israel. Similiter ergo & perfectorum quorumque corpora laudabiles domus esse dicantur. Iacob est enim corpus laudabile, cum continentia, & castitate, nonnunquam autem etiã cum martyrio decoratur. Tabernacula verò ad animas perfectas referri possunt, quibus & nomen à videndo deum conuenit Israelis. Ista autem tabernacula sunt, inquit, sicut nemora vmbrantia, & sicut paradisi super flumina, & sicut tabernacula quæ fixit deus. Alia ergo tabernacula ostendit esse quæ fixit Dominus, quibus sint similia tabernacula Israel. Extra hunc mundum me progredi conuenit, vt videam quæ sint tabernacula quæ fixit dominus. Illa nimirum sunt, quæ ostendit Moysi cum tabernaculum construeret in deserto, dicens ad eum: Vide, inquit, vt facias omnia secundum typum, qui ostensus est tibi in mõ M te. Ad imitationem ergo istorum tabernaculorum quæ fixit dominus Israel, iubentur facere tabernacula, & vnusquisque nostrum expedire, & fabricare tabernaculũ suum. Vnde mihi videtur non fortuitu contigisse, vt Petrus quidem, & Andreas, & filij Zebedæi, arte piscatores inuenirentur, Paulus verò arte faber tabernaculorum. Et quia illi vocati ab arte capiendorum piscium, mutantur, & fiunt piscatores hominum, dicente domino: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum: non dubium quin & Paulus, quia & ipse per dominum nostrum Iesum Christum vocatus apostolus est, simili artis suæ transformatione mutatus sit: vt sicut illi ex piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, ita & iste à faciendis tabernaculis terrenis, ad cœlestia tabernacula construenda tralatus sit. Construit enim cœlestia tabernacula docens vnumquenque viam salutis, & beatarum in cœlestibus mansionum iter ostendens. Facit tabernacula Paulus & cum ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum replet Euangelium dei, ecclesias construendo: & hoc modo facit & ipse tabernacula ad similitudinem tabernaculorum cœlestium, quæ ostendit deus in monte Moysi. Sed & vnusquisque nostrum, si quis tamen exiuit de Ægypto, & habitat in deserto, in tabernaculo debet habitare, & diem festum in tabernaculis agere. Sicut enim commemoratio fit egressionis ex Ægypto per pascha

Hiere.2

Domus Iacob lex, Tabernacula prophetæ.

Exod.25

Matth.4

Rom.15

A pascha & azyma, ita & commorationis in deserto fit memoria per tabernacula. In tabernaculis enim habitauerunt patres nostri in deserto. Vnde autem fieri oportet ista tabernacula, nisi ex verbis legis & prophetarũ, ex sermonibus psalmorum, & omnium quæ continentur in lege? Cum enim ex iis quæ scripta sunt, proficit anima, & semper quidem ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ in ante sunt se extendit, & de loco inferiore progrediens crescit, ac proficit ad superiora, ex augmento virtutũ, & ex ipsa immutatione profectuum, in tabernaculis merito dicetur habitare. Vide autem si non sunt tabernacula quæ fixit deus, etiam illa quæ Saluator commemorat in Euangelio dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Fixa autem dicuntur à deo, quasi quæ non circumferantur omni vento doctrinæ. Sunt autem & adhuc tabernacula ista & sicut cedri iuxta aquas. Cedros hic non illas dicit in quibus culpabilis notatur elatio: sed cedros dei, quæ suscipiunt vitis illius quæ ex Ægypto tralata est, palmites, & in quibus requiescit fructus ille, cuius vmbra operuit montes. Si intellexisti quantam requiem habeat iter sapientiæ, quantum gratiæ, quantúmque dulcedinis noli dissimulare, noli negligere, sed aggredere hoc iter, nec eremi solitudinem perhorrescas. Habitanti enim tibi in huiusmodi tabernaculis, occurret manna cœleste, & angelorum panem manducabis. Incipe tantum, nec te perterreat (vt diximus) solitudo deserti. B Cito in consortium tuum etiam angeli venient, quos sub specie cedrorum arbitror indicatos. Sed nunc videamus quid etiam de Christo prophetet. Ipse est enim, de quo dicit: [Exibit homo de semine eius, & dominabitur gentibus multis, & exaltabitur Gog regnum eius, & crescet regnum eius. Deus deduxit eum ex Ægypto sicut gloria vnicornis.] Christus ergo est, qui exiit de semine Israel secundum carnem, qui quomodo gentibus dominetur, expositione non indiget, maxime qui legat dictum ei à patre: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quid est autem quod ait, exaltabitur Gog regnum eius? Gog super tecta interpretatur: & in loco isto non pro gentis alicuius nomine (vt putatur) positum est, sed vt in aliis nonnullis, ipse sermo Hebræus non interpretatus relictus est, & ob hoc quasi de gente aliqua dictum videtur. Est ergo sermonis consequentia talis: Et exaltabitur super tecta regnum eius, & crescet regnum eius. Exaltari autem super tecta de perfectione credentium dicitur: crescere autem ad multitudines refertur. In iis ergo qui perfecti sunt super tecta exaltatur regnum Christi, id est, super eos etiam, qui in supernis sunt, & in superioribus habitant. Sunt enim fortassis aliqui etiam in cœlestibus à quibus plus proficiant & altius exaltentur ij, qui in regno Christi sunt. C Et ideo etiam (credo) ipse Saluator dicebat: Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo: monens vt ij, qui ad excelsam perfectionem venerunt, non iterum ad mundi huius, qui nunc domus appellatur, humilia & abiecta descendant. Sed & illud quod ait: Quod audistis in aures, prædicate super tecta, ad hoc nihilominus respicit. Sic ergo exaltatur super Gog regnum eius, & crescit regnum eius. Crescit enim dum multiplicantur ecclesiæ, & fidelium numerus augetur: & intantum crescit regnum Christi, vsquequo ponat pater omnes inimicos eius sub pedibus eius, sed & nouissimum inimicum destruat mortem. Post hæc scritum est adhuc de Christo, quia deus deduxit eum ex Ægypto: quod in eo completum videtur, vbi post mortem Herodis reuocatur de Ægypto, & designat Euangelium dicens: Ex Ægypto vocaui filium meum. Qui sermo quibusdam ex hoc loco assumptus videtur, & Euangeliis insertus, aliis autem de Osee propheta. Potest autem & secundum allegoriam intelligi: quia posteaquàm venit ad Ægyptum mundi huius, eduxit eum pater, & assumpsit ad semetipsum, vt viam faceret iis, qui de Ægypto mundi huius ascensuri erant ad deum. [Et gloria vnicornis eius.] Omnia enim dæmonum regna deiiciens Christus, vnum suum regnum, tanquam veri vnicornis, fundauit in gloria. Cornu enim pro regno sæpe docuimus nominari. [Edet, inquit, de eodem

Luc.16. *Psal.2.* *Gog nõ hic nomen gentis.* *Matt.24.* *Mat.10.* *Mat.2.* *Osee.11.* *Christus verus vnicornis.*

D adhuc dicens, gentes inimicorum suorum, & crassitudines eorum emedullabit.] Gentes ait, quas inimici sui possidebant, ipse edet, destructa virtute inimici. Et crassitudines eorum medullabit, cum omnem de eis sensum crassum, & carnalem extenuat, & conuertit ad intelligentiam spiritalem. Quod autem crassitudo culpabiliter in scripturis habeatur, indicio erit illud quod scriptũ est: Incrassatũ est cor populi huius. Et alibi: Satiatus est, & incrassatus est, & recalcitrauit dilectus. Edet ergo gentes, & cibum habebit eos, qui credunt in eũ, sicut & ipse dicit in Euangelio: Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui me misit. Cuius vtique voluntas hæc erat, vt gentes conuerterentur ad fidem. Quod si (vt superius docuimus) crassitudo culpabilis habetur, è contrario subtilitas laudabilis habenda est: quia & spiritus sapientiæ, qui intelligibilis, & sanctus, & multiplex dicitur, similiter & subtilis esse perhibetur. [Et iaculis suis sagittabit inimicum.] Iacula eius, verba eius sunt, quibus vel diabolum vicit, vel omnes inimicos, & contradicentes sibi etiam nunc superat & confringit. Omnis enim qui peccat, inimicus eius est dum peccat. Si autem audiat verba dei, & agnoscẽs peccata sua configatur ex eis & compungatur, atque ad pœnitentiam conuertatur, veritatis sermone terebratus, etiam ipse dicetur iaculis eius esse confixus. Sed post hæc etiam de ipsa passionis dispensatione commemorat, & dicit: [Recumbens requieuit vt leo, & vt catulus leonis, quis excitabit eum?] Requieuit vt leo, cum in cruce positus, principatus & potestates exuit, & triumphauit eas in ligno crucis. E Vt catulus autem leonis, cum resurrexit à somno mortis. Quod autem leoni simul & catulo leonis comparatur, potest adhuc & propter hoc intelligi, vt in iis qui perfecti sunt, leo, in iis verò qui incipientes sunt & rudes, catulus leonis nominetur. Quod verò ait, quis suscitabit eum? idcirco quia nunc à patre dicitur suscitatus, nunc etiam ipse templum corporis sui post triduum suscitare se dicit: & merito in hoc quasi percontantis designatur affectus. [Qui benedicunt tibi benedicti sunt: & qui maledicunt tibi, maledicti sunt. [Certum est quod benedicẽtes Christo benedicti sunt, & in communione paternæ benedictionis assumpti. Qui autem maledicunt, maledicti sunt. Si enim ad populum istum respicias, qui maledicit Christo, etiam lachrymabiliter inuenitur esse maledictus. Quid enim aliud euenire posset iis qui maledicunt sapientiæ, qui maledicunt veritati, qui maledicunt vitæ, nisi vt ab iis omnibus bonis extorres, & exules iaceant? Hæc enim omnia Christus est: & qui maledicit Christo, tanquam iis, omnibus bonis maledicens, perpetua maledictione damnatus est. Ego tamen puto quod non ille solum maledicat Christo, qui sermonem aduersum eum maledicum profert: sed & ille, qui sub nomine Christiani male agit, & turpiter conuersatur, & inhonestis verbis, vel actibus suis facit nomen eius blasphemari inter gentes: sicut è contrario non ille qui sermonibus solis dominum benedicit, ipse benedicere putandus est, sed qui actibus, & vita, & F moribus suis facit ab omnibus nomen domini benedici. Et in istis magis complebitur quod tertia prophetia Balaam designat, quia benedicentes Christo benedicentur, & maledicti erunt. Propter quod omninode caueamus, ne propter actus nostros Christi nomen blasphemetur, sed magis id agamus, vt de benedictionibus eius participes esse mereamur: Ipsi gloria, & benedictio in secula seculorum, Amen.

Rom.11. *Deut.32.* *Ioan.4.* *Sap.7.* *A patre & à seipso Christus suscitatus.* *Christiani male viuẽtes maledicũt Christo.*

De Quarta prophetia. ex Cap. XXIIII.
Homilia XVIII.

QVARTAM nũc prophetiam ex iis quæ Balaam in verbo dei locutus est, in manibus assumimus, volentes etiam de ipsa quæ deus dederit aperire. Cui tamen prophetiæ similia, vt in superioribus, in præmissa sunt. Ait enim. [Et iratus est Balach aduersum Balaam, & plausum dedit manibus suis. Et dixit Balach ad Balaam: Maledicere inimicum meum vocaui te, & ecce benedicens benedixisti tertio. Nunc ergo fuge in locum tuum: dixi honorabo te, & nunc fraudauit te domi-

G nus honore.] Ostendit in iis, quia & Balach intellexerit non iam dæmonum ministerio decipi Balaam, sed dei virtute ad meliora transferri, & ideo dicit, dominus fraudauit te honore. Sed hæc quæ plana sunt transcurrentes, ad sequentia veniamus. [Et dixit Balaam ad Balach: Nónne & nunciis tuis, quos misisti ad me, locutus sum dicens: si mihi dederit Balach plenam domum suam argento & auro, non potero transgredi verbum domini, facere illud bonum, aut malum apud meipsum? Quæcunque mihi dixerit deus hæc dicam. Et nunc ecce redeo in locum meum.] Sciens Balaam quod non sibi per ministros solitos responsa deferrentur, sed ab eo qui haberet omnium potestatē, rectè videtur protestatus non se posse verbum domini transgredi, & facere vllum pusillum, aut magnum apud semetipsum. Non enim ille loquebatur ei, qui posset sacrificiis & muneribus permutari, sed ille erat apud quem non est transmutatio, nec commutationis vmbra. Et ideo non potest sacerdos mercede mutari, vbi deus muneribus non mouetur. Discessurus tamen Balaam incipit iterum prophetare, & dicit: [Veni, consilium do tibi quid faciet populus hic populo tuo in nouissimis diebus. Et assumpta parabola sua ait]. Sed priusquam ad explanationem eorum quæ prophetata sunt, veniamus, velim requirere quis iste sensus sit, quis ordo verborum, quod ait, [veni & consilium do tibi.] Et consilij quidem nihil dare videtur, sed ait,

H quid facturus sit populus hic populo tuo in nouissimis diebus: cum vtique conuenientius dictum videretur, si diceret, veni, propheto tibi quid facturus sit populus hic populo tuo in nouissimis diebus: & esset vtique consequentia, vt videretur Balaam prophetare de iis, quæ populus Israel facturus esset populo Balach, vel cæteris gentibus: & quod in virtute faciet ita vt non relinquat ex vrbibus Moab vllū, qui saluus fiat. Sed & prophetia nihilominus quam de Christo coniugit in consequentibus, & dicit: [Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, & vastabit principes Moab,] conuenienter posita videretur si scriptum esset, veni, & propheto tibi. Nunc autem quid dicemus ad hoc quod scriptum est, veni consilium tibi do quid faciet populus hic populo tuo? Requiramus ergo quomodo intelligi debeat quod scriptum est, [consilium tibi do:] de quo sæpe apud memetipsum requirens, nullum potui exitum inuenire sententiæ, si hoc quod ait, consilium tibi do, communi vsitato more dictum putemus. Sed illud magis vidi esse conueniens quod ait consilium tibi do, vt ita dixisse intelligatur, cōsilium diuinū quod in nouissimis diebus implendum est, mihi nunc reuelatum, aperio tibi & manifesto, vt scias quid populus hic faciet populo tuo. Et hoc modo stare mihi visum est posse quod ait, consilium tibi do quid facturus est populus hic populo tuo: hoc est, consilium dei enuncio tibi, & manifesto. Requiren-

I ti sane mihi sicubi forte in scripturis diuinis sub hoc sermone simile aliquid dictum posset occurrere, visum est etiam & illud similiter aduertendum quod Apostolus ait: Quis enim cognouit sensum domini, aut quis ei consiliarius fuit? Hic enim quis, non pro nullo, sed pro raro, vel eximio habetur. Quomodo enim non cognouit sensum dei vnigenitus suus, qui dicit: Nemo nouit patrem, nisi filius & cui voluerit filius reuelare? Quid est ergo aliud scire patrem, nisi scire & consilium eius, & sensum? Sed & spiritus sanctus qui scrutatur etiam alta dei, quid ni sensum eius agnoscat? Agnoscit ergo & filius, & spiritus sanctus sensum domini, & ij quibus voluerit Filius reuelare. Quod si agnoscit filius sensum dei, est ergo & consiliarius eius. Sed consiliarius non ita accipiendus est, quasi ignoranti ei quid agat, consilium det filius, aut spiritus sanctus. sed quod cōsilij, & voluntatis eius particeps & sciēs sit filius, & spiritus sāctus. Simili ergo modo & Balaā quia cōsilij quod ei reuelauerat deus, participem faciebat & gnarum Balach, ait: [Veni consilium tibi do.] tanquam qui vere vidēs sit, & vere audierit verba dei, sicut in cōsequentibus dicit. [Dixit Balaam filius Beor, homo vere videns, & audiens sermones dei, sciens scientiam excelsi, & visionē dei videns in somnis, reuelati oculi eius.] De iis omnibus iam superius diximus, quia & in præfatione tertiæ prophetiæ eadē scripta sunt. Hoc sanè solum in præsenti videtur additum quod ait, sciens scientiam excelsi. Hoc enim in superioribus

Rom. 11 *Quis pro raro vel eximio sumitur.*

Mat. 11

Filius & spiritus S. norunt sensum dei Patris.

non est dictum de Balaam: quod quidem nec facile de quoquam omnium sanctorum prophetarum scriptum esse deprehendi. Vnde & valde miror quomodo hoc de Balaam scriptum est, cui nec hoc concessum est dicere, quod prophetis esse in vsu solet, hæc dicit dominus: sed ait, dixit Balaam, dixit homo vere videns. Tum deinde & quomodo dignum erit tantum istud intelligi de Balaam, vt sciat scientiam excelsi: qui etiam Balach regem docuerit quomodo scandalum mitteret coram filiis Israel, vt manducarent immolata, & fornicarentur? Vix enim de sanctis prophetis, aut apostolis inueniet aliquis dictū, quia sciāt scientiam excelsi. Quāuis Paulus dixerit audisse se verba inenarrabilia quæ nō licet homini loqui, tamen non est professus habere se scientiam excelsi. Propter quod diligentius intendamus si forte signum aliquid nobis deus super hoc sermone reuelare dignabitur. In libro qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi solet, & Ecclesiasticus dici, apud Græcos verò sapientia Iesu filij Sirach appellatur, scriptum est: Omnis sapientia à deo est. Quod fortasse possumus ita intelligere, quasi à Deo sit & illa sapientia mundi huius, quæ destruenda dicitur, & principū mundi huius, & si qua alia est per quam falsa scientia commendatur: nisi in ipso libello in consequentibus diceretur: Non est enim sapientia, malitiæ disciplina. Per quod vtique docet, quia omnis disciplina quæ falsi aliquid asserit, etiam si vehemens videatur, & verisimilis, & quæ subuerti difficile possit, tamen nequaquam huiusmodi scientia

L ad sapientiæ titulum deceat applicari. Quid ergo est quod ait, omnis sapientia à deo est? Illud mihi sensisse videtur, quia omnis peritia, quę vel erga artem aliquam vsui humano necessaria habetur, vel cuiuslibet rei scientia, sapientia dicatur à domino data. Denique apud Iob scriptum est: Quis dedit mulieribus texendi sapientiam, & varietatis disciplinam? Sed & in Exodo, Locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens: Ecce vocaui nominatim Beselechel filium Vri, filij Or, ex tribu Iuda, & repleui eum spiritu diuino sapientiæ, & intellectus, & disciplinæ, vt in omni opere intelligat, & sit architectus ad operandum argentum, & aurum, & æs, & lapides repletionis, & omnia opera fabrilia, & in ligno, vt operetur secundum omnia opera, ad quæ ego dedi eum. Sed & Eliab filium Achisamach ex tribu Dan. Et dedi in cor omni prudenti intellectū, vt faciant omnia quæ cōstitui tibi. Considera ergo ex iis omnibus quomodo à domino est sapientia fabrilis, siue in auro siue in argēto, siue in alia quacūque materia, vel etiam textrini sapientia: & vide quia iure dici de iis omnibus potest quod horum scientia ab excelso sit. Quod si fabrilis scientia ab excelso esse declaratur, quomodo non & geometrica, ex qua vtique hæc scientia quam scriptura architectonicā nominat, deriuatur? Denique & in Zacharia funiculus geometricus dicitur, in quo dimetitur angelus Hierusalem: & ideo nō puto absurdum videri, si etiam hæc scientia dicatur excelsi. Quid

M autem dicemus de Musica, cuius omnem peritiam ita attigerat sapientissimus Dauid, ac totius melodiæ, & rhithmorum collegerat disciplinas, vt ex iis omnibus inueniret sonos, quibus posset etiam perturbatum regem vexatúmque ab spiritu maligno psallendo mitigare? Vnde non puto aliquem recti sensus, qui in horum omnium scientia neget quia omnis sapientia à domino est. Iam verò de medicinæ scientia nec dubitari puto. Si enim est vlla scientia à deo, quæ magis ab eo erit quàm scientia sanitatis, in qua etiam herbarum vires, & succorum qualitates, ac differentię dignoscuntur? Igitur ex his omnibus colligitur quod etiam huius Balaam scientia, pro qua accersitus est ex Mesopotamiæ montibus ab oriente vt malediceret Iacob, habeat quidem initia & originem ab excelso, & inde sit ei agnitio qua didicerit vel naturas animalium, vel motus auium, vel differentias vocum: sed ea quæ ad scientiam bonorum acceperit, contulisse se ad vsum malorum. Quod mihi simile videtur, quasi si is qui medicinam didicerit, & herbarum vires, ac tēperamenta cognouerit, medendi sine dubio gratia à deo hominibus data, conuertere velit propositū: & omni scientia quæ ad salutem corporū præstita est, vtatur ad malū, & pro medico venenarius fiat, pro remediis

De Balaam scriptum, quod nō de præstitibus prophetis.

2. Cor. 12.

Legendum fortasse, apud Hebræos. *Eccl. 1*

Omnium & scientia humana à Deo est.

Exod. 13.

Architectonica ex geometria. *Zach. 2*

Dauid arte Musica clarus.

Medicina à Deo.

Diuinationis origo à Deo.

A remediis morbos, pro sanitatibus inferat mortes. Vt autem amplius intelligamus adhuc totius scientiæ sapientiam à deo originem trahere: ab hominibus autem mali propositi, vel etiam à dæmonibus corruptelas quasdam sapientiæ dei ammiscentibus declinari ad malum: relegamus ea, quæ in Daniele scripta sunt de ipso Daniele & tribus amicis eius, quos Nabuchodonosor rex tribus annis erudiendos tradidit, volens eos in sua, id est patria & Babyloniorum sapientia scientissimos fieri. Ibi ergo scriptum est, quia dedit eis dominus scientiam & intellectum, & prudentiam in omni arte grammatica, & Danieli dedit intellectum in omni verbo, & visione, & somniis: & erant apud regem: & in omni verbo & prudentia, & disciplina, in quibuscunque quæsiuit ab eis rex, inuenit eos decuplo amplius quàm erant sophistæ & philosophi, qui erant in omni regno eius. Et hæc quidem in exemplaribus septuaginta interpretum habentur: in Hebræorum verò codicibus aliquid etiam vehementius reperi, quibus quamuis non vtamur, tamen agnoscendi gratia dicemus etiam ibi quæ legimus. Dedit, inquit, deus intellectum & prudentia in omni grammatica sapientia, & Daniel intellexit in omni visione, & somniis. Et post pauca: Et steterunt inquit, in conspectu regis, & in omni verbo sapientiæ, & disciplinæ, in quo quæsiuit ab eis rex, inuenit in eis decuplo super omnes incantatores & magos, qui erant in omni regno eius. Ex iis ergo omnibus potest intelligi quomodo & Balaã B dixerit de semetipso, qui scit scientiã excelsi, scilicet vt intelligatur quòd origo totius scientiæ ab ipso acceperit exordiũ: vitio autem humanæ malitiæ, adspirantibus & subripientibus etiam dæmonibus, in perniciem versa sint quæ pro vtilitate cõcessa sunt. Hæc de eo quod dixit, sciens scientiam excelsi, à nobis pro viribus discussa sint. Post hæc ait: [Visionem dei videns in somnis, reuelati oculi eius.] De iis sufficienter in tertia visione dissertum est, & eadem repetere otiosum est. Videamus ergo quid est quod in consequentibus dicit: [Ostendam ei, & non modo, Beatificabo, & non appropinquat.] In aliis quidem exemplaribus legimus, videbo eum, sed non modo. Quod si recipiatur, facilius intelligi putabitur: vt Christum de quo in consequentibus dicit. Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, videndum dicat esse, sed non modo: hoc est, non eo tempore, quo ista loquebatur. In nouissimis enim diebus, vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum. Sed si secundũ hoc quod nos habemus in exemplaribus, legendum sit, hoc est: ostendam illa, & non modo: beatificabo, & non appropinquat: non ad hunc Balaam, per quem hæc dicuntur, sed ad illos quorum personam haberi in hoc diximus, refertur. Illi enim doctores legis, & scribæ ostendent Christũ in lege & pro- C phetis prophetatum: sed non modo, hoc est, non eo tempore quo venit: sed cum plenitudo gentium introierit, & cum omnis Israel saluari incipiet, tunc eum ostendent, & tunc beatificabunt, quem modo blasphemant. Sed hoc tempus in quo hæc futura sunt, non appropinquat: longe enim est, & in ipso seculi fine sperandum. Et ideo ait, ostendam illi, & non modo. Illi, hoc est, populo qui tunc saluabitur. [Post hæc, orietur, inquit, stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel.] De his & in superioribus diximus, quia euidenter de stella quæ magis in oriente apparuit, prophetetur: qua duce venerunt ad Iudæam, requirentes eum qui natus est rex Israel, & repertum oblatis muneribus adorauerũt. Sed mouet me, quod de ipsa stella posteaquàm dictum est in Euangelio, quia præcesserit magos vsque in Bethleem, & veniens stetit suprà vbi puer erat: vltra non sit dictum, quia vel discesserit inde, vel euanuerit, vel assumpta sit, aut aliquid omnino de hoc narratio Euangelica designauerit: sed hoc tantum dixerit, quia venit, & stetit suprà vbi erat puer. Ne forte ergo sicut tempore baptismi, cum baptizatus Iesus ascendit de Iordane, aperti sunt ei cœli, & vidit Ioannes spiritum dei descendentem quasi columbam, & manentem super eum, & audiuit vocem dicentem de cœlo: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui: ita & stella hæc, quæ venit suprà vbi erat puer, & stetit, in Christo similiter permansit, sicut & spiritus sanctus in specie columbæ venisse dicitur, & mansisse in eo. Et sicut venisse spiritum dei super eum, & mansisse in eo, ita accipimus quod nunquàm ab eo D recesserit spiritus dei: ita & stella quæ venit, & stetit super eum, accipiendum puto quod sic steterit super eum, vt nunquàm inde mota sit. Et ideo deitatis eius indicium illam stellam fuisse opinor. Vnde & ordo prophetiæ hæc eadem consequenter ostendit, cum de deitate, quidem eius dicit: [Orietur stella ex Iacob:] de humana verò natura. [Et exurget homo ex Israel:] vt in vtroque & secundum deitatem, & secundum humanitatem Christus prophetatus euidenter appareat. [Et vastabit principes Moab.] Moab quidem gens est, cuius principes non alios esse, quàm spiritales nequitias, & principatus illos aduersum quos nobis luctamen est, intelligimus. Hos ergo iste homo ex Israel vastauit, cum exuit principatus & potestates, affigens illos cruci suæ. Neque enim poterat saluare Moabitas, & ad dei agnitionem perducere, nisi principes illos, qui in eis dominationem impietatis tenuerant, deuastasset. Et prædabitur omnes filios Seth. Seth filius est Adam, de quo Eua dixit cum natus esset: Suscitauit enim mihi deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain. Iste est ergo Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus. Nam de Cain qui nati fuerant, diluuio perierunt. Filij ergo sunt Seth omnes homines, qui in hoc mundo sunt. Et cum dicitur, deprædabitur omnes filios Seth, prædam sic accipe, sicut in superioribus interpretati sumus: vbi scriptum est, edet gentes inimicorum suorum: & vbi catulo leonis, & leoni comparatur. Et hic ergo in prædam E accipit omnes filios Seth. Victis aduersariis dæmonibus, eos qui sub ipsorum dominatione tenebantur, Christus quasi prædam victoriæ suæ ducit, & spolia salutis reportat: sicut & in aliis de eo scriptum est, quia ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Captiuitatem scilicet illam humani generis, quam diabolus ad perditionem ceperat, iste rursus captiuam duxit, & à morte reuocauit ad vitam. Vtinam ergo me & captiuum habeat semper Christus Iesus, & me ducat in prædam suam, & ego tenear eius vinculis alligatus: vt & ego dici merear vinctus Iesu Christi, sicut Paulus de semetipso gloriatur. Et erit Edom hæreditas eius, Esau inimicus eius.] Edom idem est, qui Esau. Hic secundum historiam quidem inimicus est Israel, sed in aduẽtu, inquit, Christi etiam ipse hæreditas eius erit: hoc est recipietur ad fidem, nec excludetur ab hæreditate Christi. Si verò spiritaliter aduertamus, Edom caro intelligitur, quæ aduersatur spiritui, & est inimica. In aduẽtu autẽ Christi, cũ subiecta fuerit caro spiritui, per resurrectionis spem etiam ipsa ad hæreditatem veniet. Non enim sola anima, sed & caro, quæ aliquãdo fuerat inimica, per obedientiã spiritus consors futuræ hæreditatis existet. [Et Israel fecit in virtutem.] Hoc est, quod dicit, quia tunc Edom, vel Esau, hoc est carnis natura in hæreditatis societatem vocabitur: cum Israel, anima videlicet, facta fuerit in virtutem, & decenter fuerit repleta virtutibus. Si F enim anima non veniat ad virtutes, sed in ignauia perseueret, nec caro ad hæreditatem veniet, sed ad iudicium illius, qui potest animam, & corpus perdere in gehẽnam. [Et exurget ex Iacob, & perdet liberatum de ciuitate.] Ille, inquit, qui exurgit vt stella ex Iacob, perdet liberatum de ciuitate. Non in hoc solum sed in omni pene prophetico stilo quæ dicuntur, inuoluto satis & obscuro sermone dicuntur. Non enim placuit sancto spiritui, qui de iis scribi voluit, vt palam hæc & pedibus (vt ita dicam) imperitorum conculcanda ponerentur: sed ita prouidit, vt cum publice haberi videantur, sermonum tamen obscuritate recondita in arcanis, & in secretis obtecta seruentur. Et nunc ergo quod ait perdet liberatum de ciuitate, nisi ad consuetudinem propheticam respicias, de qua dicitur, omnis prophetia non potest propria absolutione constare, valde difficilis videbitur intellectus. Videamus tamen si forte hoc modo poterit explanari. Ciuitatem hîc mundum intelligamus, sicut & in Euangeliis dicitur de luxurioso filio, qui dilapidauit substantiam patris: quia accessit, inquit, ad quendam primarium ciuitatis in regione illa. A quo receptus, in agrum mittitur porcos pascere. Et hæc ergo ciuitas, cuius ille primarius erat, mũdus hic intelligitur. Igitur de hac ciuitate liberatũ, hoc est quẽ liberat Christus de hoc mũdo,

Corruptelæ artiũ ab hominibus & dæmonibus — *Dan. 1.* — *Veritatem Hebraicã citat.* — *Diuersos codices cõfert.* — *Gal. 4.* — *Matt. 2.* — *Ioan. 1.* — *Stella dũ Christi x trĩũ Magorum mansit in Christo.* — *Moabitæ, dæmones.* — *Gen. 5.* — *Ephes. 4.* — *Ephes. 3.* — *Edom caro.* — *Israel anima.* — *Luc. 15.*

G perdit eum. Dicit enim, quia qui perdet animam suam propter me, saluam faciet eam. Salutari ergo perditione perdit Iesus eum, quem de huius mundi ciuitate liberauerit. Et nos itaque si ad salutem venire volumus, & de hoc mundo liberari, perdere debemus animas nostras perditione vtili, & necessaria. Perdit enim animam secundum Christum, qui desideria eius refrenat, qui cupiditates eius resecat, qui luxuriam eius, resolutionémque castigat, & in nullo prorsus facit voluntatem suam, sed voluntatem dei: & per hæc perire dicitur anima. Periit nanque vita eius prior, & incipit nouam vitam, quæ in Christo est, ducere: Simile autem huic dicto etiam illud est: Si commorimur, & conuiuemus. Et illud. Si autem mortui estis ab elementis huius mundi, quomodo velut viuentes in hoc mundo decernitis? Necessario ergo etiam in his declaratur quia perdidit animam suam in hoc mundo, qui cum Christo moritur: & qui hic eam perdiderit, inueniet eam ibi sine dubio, vbi dicit Apostolus, quia vita vestra abscondita est cum Christo in deo. Cui gloria in æterna secula seculorum, Amen.

Luc. 9. *2 Tim. 2* *Col. 2.* *Col. 3.*

De visione Quinta Balaam. Ex Cap. XXIIII. Homilia XIX.

H QVINTA hęc nobis, eadémque vltima Balaam visio discutitur, de qua similiter vt in cæteris dominum deprecemur, quo in fine non deferat, vt possimus huius quoque visionis sensum haud procul à veritate captare. Est ergo initium eius in iis verbis. [Et cum videret, inquit, Balaam Amalech, assumens parabolam suam dixit: Initium gentium Amalech, & semen eorum peribit.] Necessarium mihi videtur requirere in scripturis diuinis, quibus in locis vel quo in tempore nomen Amalech scriptum sit, quóue ex genere gens ista descenderit: Facilius enim quod quæritur agnoscetur, si ex pluribus locis, quæ de eadem re scripta sunt, proferantur. Igitur in Genesis lectione vbi quinque reges conuenerunt vt expugnarent quatuor reges qui regnabant in Sodomis, post aliquanta ita refertur. Et regressi, inquit, venerunt ad fontem iudicij, hic est Cades, & interfecerunt omnes principes Amalech, & Amorræos qui habitabant in Sarathem. In his primo locis Amalech memini nominatũ. Sed requiratur fortassis vtrum duæ gentes eiusdem nominis habeantur, quoniam quidem & in catalogo filiorum Esau, & ducum qui ex eius genere descenderant, refertur Amalech. Ita enim scriptum est. Istæ sunt autem generationes Esau patris Edom, in monte Seir, & hęc nomina filiorum Esau. Eliphas filius Ada vxoris Esau,

Gen. 14. *Gen. 36.*

I & Raguel filius Basemmach vxoris Esau. Fuerunt autem filij Eliphas Theman, Suphar, Gothon, Cenes, Thamnas autem fuit concubina Eliphas filij Esau, & hæc peperit Amalech ipsi Eliphas, & isti sunt filij Ada vxoris Esau. & post pauca: Et ij sunt, inquit, duces ex filiis Esau. Filij Eliphas, qui fuit primogenitus filij Esau. Dux Theman, dux Chomor, dux Suphar, dux Cenes, dux Chore, dux Gothon, dux Amalech. Hic igitur Amalech, filius fuit Eliphas primogeniti Esau, natus ex concubina nomine Thamna. Sed redeamus ad primam de Amalech cõmemorationem, vbi ij qui reuersi sunt, & venerunt ad fontem iudicij, qui vocatur Cades, interficiunt omnes principes Amalech. Cades enim interpretatur sanctificatio, vel sanctum. Amalech verò interpretatur ablingens populum, vel declinans populum. Igitur ij qui reuertuntur ad sanctum, & conuertunt se ad sanctificationem, interficiunt & perimunt Amalech, illum scilicet qui ablingit populum vel declinat populum. Quis autẽ alius est qui declinat populum à deo, nisi virtus contraria, & nequitiæ spiritales? Horum ergo principes qui sunt? Illi sine dubio principatus aduersum quos sanctis est colluctatio. Aduersum principatus enim & potestates, & mundi huius rectores sunt eis agones. Quos tamen superare non poterunt, nisi conuertantur ad sanctimoniam. In ipsa tamen sanctimonia, quæ est Cades, fons est iudicij. Omnis enim qui se ad sanctimoniam conuertit, habet semper ante oculos suos fontem iudicij. Prospicit enim iudicij diem, & purificato corde tam malorum pœnas quàm piorum beatitudines contuetur: & hęc

Eph. 6. *Sanctus habet ob oculos diem Iudicij.*

facies omnes Amalechitarum principes prosternit & deiicit. K Si quis autem non se conuerterit ad Cades, id est, ad sanctimoniam, fontémque iudicij, neque futurum iudicij cogitat diem, isti subiecti sunt principibus Amalech. Hunc enim populum ablingit & consumit, & talem populum declinat à deo. Hęc ad illum primum referantur Amalech. Nũc autem videamus & istum Amalech filium Eliphas primogeniti Esau quem peperit ei Thamnas concubina sua, cuius pater est Eliphas, qui interpretatur deus me dispersit: mater autem Thamnas, quæ & ipsa primo quidem est degener, deinde interpretatur defectio commota: vt necessario vtique qui ab his talibus gignitur, hostis sit Israel ablingens, vel declinans populum. Primus enim ipse Hebræos egressos ex Ægypto bello aggressus est in Raphidin, tũc cum Moyses ait ad Iesũ: Elige tibi viros, & exi, & conflige cum Amalech crastino, & ecce ego sto in vertice collis, & virga dei in manu mea erit. Et fecit Iesus sicut dixit ei Moyses, & cõflixit cum Amalech: Moyses autem, & Aaron, & Vr ascenderunt in verticem collis: & factum est, vt cum leuaret manus Moyses, inualesceret Israel: cum autem deponeret manus suas inualescebat Amalech. Et post pauca iterum scriptum est, quia fugauerit Iesus Amalech, & populum eius gladio deiecerit: tunc enim dominus dixit ad Moysen: Conscribe hæc ad memoriam in libro, & da in auribus Iesu. Quia delens delebo memoriam Amalech de sub cœlo. Et ædificauit Moyses altare, & nominauit nomen eius, dominus refugium meum, & ait. Quia in manu occulta dominus expugnat Amalech à generatione in generationem. Intellige ex hoc euidẽtius quid debeat intelligi Amalech, quem manu occulta, id est, inuisibili, expugnare dicitur deus à generatione in generationem. Sed in Deuteronomio ita scriptum est: Memento quanta tibi fecerit Amalech in via cum exisses de Ægypto, quomodo obstitit tibi in via, & excidit caudam tuam, omnes qui laborabant post te. Tu autem esuriebas, & laborabas, & non timuisti deũ. Obserua ergo & in iis quomodo Amalech obstitit Israel in via, sed tamen non potuit caput eius abscindere, nisi caudam tantum: id est, eos potuit obtinere, qui retro positi erant, qui vltimi sequebantur, nec ea quę retro erant obliuiscentes, extendebant se ad ea quæ in ante sunt. Et ideo puto quia dominus præcipiebat in Euangeliis dicens: Nemo mittens manum suam super aratrum, & retro respiciens, aptus est regno dei, & merito. Si enim retro quis inuentus fuerit in cauda, abscindet eum Amalech. Sed & aliam adhuc de Amalech historiam proferamus, vt ex pluribus scripturæ locis clarius, quod quærimus aduertatur. In primo Regnorum libro ait Samuel ad Saul: Misit me dominus vngere te regem super populum suum Israel, & nunc audi vocem verborum domini. Hæc dicit dominus virtutum. Recogitaui omnia quæ fecit Amalech aduersum Israel, quomodo percussit eum in via cum ascenderet ex Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalech, & anathematiza omnia quæcunque habet, & nõ parcas, sed interfice omnes, à viro vsque ad mulierem, & paruulos, & lactentes & tauros, & greges ouium, & camelos, & asinos, & præcepit Saul populo, & inspexit eos in Galaad ducenta milia peditum, & tria milia virorum ex Iuda & venit Saul ad ciuitatẽ Amalech, & insidias posuit in valle, & ait Saul ad Cineum. Vade tu, & discede de medio Amalech, ne forte & tu deiiciaris cum ipso. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de terra Ægypti. Et discessit Cineus de medio Amalech, & percussit Saul Amalech, ab Ejula vsque Sur, quæ est contra faciem Ægypti, cepit Agag regem Amalech viuum, & omnem populum eius anathematizauit in ore gladij, & pepercit Saul & populus regi Agag, & seruauit omne quod bonum erat ex ouibus & bobus, sed & quæ fœcunda erant ex omnibus pecoribus bonis, & noluerunt ea exterminare, sed omne quod fuit contemptibile & despectum, hoc anathematizauerunt. Et factus est sermo domi ad Samuelem dicens: Pœnitet me, quia vnxerim Saul in regem. Et hic ergo obserua quomodo deus per prophetam regi Saul præcipit vt expugnet Amalech, & non parcat cuiquam ex eis: & quoniã pepercit regi Amalech Agag, offensam incurrit inexpiabilem ita vt eousque permoueret deum, vt contra quàm recipit illa natura

Exod. 17. *Ibid.* *Deut. 25.* L *Luc. 9* *1 Reg. 15* M

A natura diceret, pœnitet me quod vnxi Saul in regem. Non ergo expedit nobis parcere illi, qui declinat populum, vel ablingit, & deuorat: illi scilicet inuisibili Amalech, qui volentibus ascendere de Ægypto, & de mundi huius euadere tenebris, atque ad terram repromissionis ascendere, resistit in via, & impugnat nos: & si inuenerit nos lassos ac defessos, & retro respicientes, atque in vltimis & in cauda positos, abscindit nos & perimit. Et ideo tendendum semper in ante est, & ad priora festinandum, imò & in verticem montis ascendendum, & semper leuandæ sunt in orationibus ad cœlum manus, vt ita demum vincatur Amalech & cadat. Vis autem scire quoniam non transitur ad terram sanctam, neque peruenitur ad regnum, nisi prius vincatur Amalech? Dauid cum multa bella gessisset, & contra Allophylos fuissent ei acerrimi frequentésque conflictus, non tamen scribitur obtinuisse regnum, nisi prius edomuisset Amalech. Ait enim scriptura: Et regressus est Dauid posteaquam cecidit Amalech, & suscepit regnum Saül: cum tamen ipse Amalech describatur multas prius strages fecisse in populo Israel, & vrbes eorum incendisse quàm plurimas. Vere enim ante aduentum veri Dauid, illius qui natus est ex semine Dauid secundum carnem, multas strages spiritales Amalechitæ, quæ sunt contrariæ virtutes, fecerunt in populo Israel. Sed & ipsius Dauid captiuarunt, inquit, duas vxores: Iudæum puto primum, & secundum gentilem populum dici: & Iudæos enim B & gentiles omnes constat sub peccato fuisse conclusos. Sed non in his rerum exitus mansit. Adueniens enim Dauid audi quid faciat. Et inuenit, inquit, Dauid dispersos Amalechitas manducantes, & bibentes, & exultantes pro præda quam abstulerant: & cecidit, inquit, eos à prima nocte vsque vesperam in crastinum. Et post hanc cædem Amalechitarum, regressus suscepit regnum. Húc ergo Amalech vidés Balaam filius Beor, homo vere videns, & audiens verba dei, qui scit scientiam excelsi, & visiones dei videt, accepta parabola sua (sicut & in prioribus visionibus scriptum est) ait: [initium gentium Amalech, & semen eorum peribit.] Quod ait initium gentium Amalech, certum est quia nullo pacto ad illum qui tunc erat in carne Amalech, referri possit: neque enim primus erat antiquitatis origine: sed ad inuisibilem Amalech melius refertur, qui à declinando populos à deo, & faciendo gentiles ex dei cultoribus, Amalech nominatur. Et ideo recte initium gentium dicitur, quasi talis quædam virtus contraria, quæ prima initium dederit, vt homines gentiles fierent, mutando gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & pecudum, & serpentium, & seruiendo creaturæ potius quàm creatori. Sicut enim in populo dei scri- C ptum est initium Christus, sic è contrario in populo qui declinat à deo, & gentilis efficitur, initium est Amalech. Et semen eorum peribit. Semen eorum est persuasio, & doctrina, qua docuerunt homines declinare à deo. Istud ergo semen malum, & doctrina pessima, non ipsi in quibus seminatum est, peribunt. Ipsi enim cum conuersi ingemuerint, salui erunt. Et vide si non talis expositio etiam illis conuenienter obsistet, qui deum legis velut duritiæ & crudelitatis accusant, qui non solũ gentem Amalech, sed & semen eius pronunciet periturum: cum gens quidem ad spiritales nequitias referatur, semen verò eius doctrina superstitionum gentilium, & cultus idolorum, atque omnis secta quæ à deo populum declinare suadet, exponatur. Commemorat autem prophetia post Amalech Cineum dicens. [Et videns Cineũ, assumens parabolam suam dixit: Valida habitatio tua, & si posueris in petra nidum tuum, & si fuerit tibi Beor nidus astutiæ, Assyrij captiuum te ducent.] Videtur mihi quod Cineum non valde culpabiliter nominet. Ipse est enim cui & in superioribus dicebat Saül: Discede de medio Amalech, & non percutiam te: quia tu fecisti misericordiam in Israel, cũ ascenderet de Ægypto. De hoc ergo & nunc dicitur, quia valida sit habitatio eius, si ponat nidum suum in petra. Petra Christus est. Si ergo ponat nidum suum in petra, valida est habitatio eius, si tamen non fiat ei Beor nidus astutiæ. Beor, pater est Balaam, qui potest accipi in persona hæreticorum: vt hoc dici videatur, quod saluus possit esse Cineus, si ponat in petra nidum suum, hoc est, si in Christo collocet spem D suam, & non eum hæreticorum circundet & circumscribat astutia. Nam si hoc fuerit, nihil ei proderit quod in petra, qui est Christus, collocatus videtur. Ab Assyriis enim captiuus ducetur, malignis scilicet virtutibus, quæ eos captiuos ducunt, & in potestatem accipiunt, quos hæreticus error inuoluerit. Videtur sane secundum hanc expositionem quam de Cineo edidimus, & coniunctio interturbare sensum. Sed sciendum est, quod vernaculum est Hebrææ linguæ, &, coniunctione frequenter vti, ita vt interdum abundet, & in non necessariis, vt in nostra apparet lingua, videatur inserta: quod vtique cum venia accipiendum est. Habet enim vna quæque lingua aliquid proprietatis, quod apud alias linguas vitiosum videatur. Et hic ergo, &, coniunctio quasi abundans habenda est, & superflua. Caueat ergo Cineus, qui interpretatur possidés, caueat, inquam, etiam si possideat, & promereatur istam gratiam, vt in ecclesia Christi sit, ne forte astutia Beor circumueniat eum, & declinet ad dogmata praua, & peruersa, & ob hoc tradatur Assyriis. Qui enim blasphemant in ecclesia positi, traduntur Satanæ, sicut Phygelus & Hermogenes, de quibus Paulus dicit: Quos tradidi, inquit, Satanæ, vt discant non blasphemare. Propterea ergo Assyriis traditur, qui declinauerit in hæreticam blasphemiam: quia Assyrij interpretantur dirigentes: & ob hoc traduntur eis qui traduntur, non vt pereant, nec vt penitus intereant, sed vt dirigantur, & corrigantur: & sicut ipse Paulus dicit, vt discant non blasphemare. Post hæc verò Balaam E prophetiæ suæ sermonem in his concludit dicens. [Et assumpta parabola sua dixit: O quis viuet, cum fecerit hæc deus? Et exibũt de manu Cithiorũ, & affligent Assur, & affligẽt Hebræos, & ipsi pariter peribunt.] Quod per singula per parabolã loqui dicitur Balaam, legenti incutit pudorẽ, ne quid in iis quæ dicuntur, non quasi in parabola, sed secundum literã dictũ putet. Ait ergo. [O quis viuet, cum fecerit hæc deus?] Hic vitam non hanc communem, sed illam nominat, quæ secundum deum est: & hoc est quod dicit, quia cum hæc omnia fient, cum orietur astrum ex Iacob, & surrexerit homo ex Israel, & deleuerit Amalech, & semen eius perdiderit: hoc est, cum aduenerit Christus, & idolorum cultum destruxerit, atque omnium dæmonum subiecerit potestatem, quis erit ille tam beatus, tam felix qui hæc videat? hoc est, qui sentiat, & intelligat, & credat quòd hæc ita fecerit deus? Et exibunt de manibus Cithiorum, & affligent Assyrios. Cithij interpretantur plaga finis. Hi ergo qui conuertuntur ad deum, & à Christo erudiri, plagam quæ in fine seculi impiis veniet, effugiunt, ipsi affligent Assyrios: hoc est, his qui in agone pietatis positi sunt, conteret Satanam deus sub pedibus, ipsi affligent Assyrios, dæmonum scilicet gentem. Calcabunt nanque super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & affligent eos. Affligent Hebræos, & ipsi pariter peribunt. Hebræi transeuntes interpretantur. F Iste ergo ipse populus etiam Hebræus dicitur, quia transiit de Ægypto ad terram repromissionis, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam. Sed quoniam (vt diximus) hæc non sine agone, nec sine magno certamine poterit obtinere, quasi in agone positus nunc affligit, nunc affligitur, & nunc cædit aduersarium, nunc ipse ab aduersario verberatur. Affligent ergo etiam ipsi Assyrij Hebræos, hoc est, populum domini, sicut affliguntur ab eis: sed ipsi, id est, Assyrij, cum hæc fecerint, & cum vires suas omnes erga Hebræos affligendos effuderint, statim etiam ipsi peribunt. Quod ergo ait, [& affligent Hebræos, & ipsi pariter peribunt:] non ita accipiendum est, quasi pariter cum Hebræis peribunt & Assyrij: sed pariter, id est, statim vt hæc fecerint, & Hebræos afflixerint, etiam ipsi peribunt. Pariter ergo Græcus sermo pro statim ponit. Hic ergo erit finis omnium, vt & Assur, cui tradebantur hi qui delinquebant ex populo dei, vel in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, vel vt discerent non blasphemare, peribit etiam ipse ab eo, qui potestatem habet perdere in gehennam. Dicetur enim eis à iusto iudice: Ite in ignem æternum, quem parauit deus diabolo, & angelis eius. Ibi ergo peribit Assur. Et quidem periit aliquando & vna ouis ex centum ouibus: sed hanc ouem pastor

Marginalia: 2.Reg.1. — 2.Reg.30. — Rom.1. — Cõtra Marcionem, Basilidem, Valentinum, legis oppugnatores. — Hæreticis nihil prodest Christi agnitio. — Cõiunctio, &, apud Hebræos sæpe redundat. — 2.Tim.4. — Pariter pro statim Græca phrasi. — Matt.25. Luc.15.

G bonus relictis nonaginta nouem in montibus descendens ad vallem hanc nostram, vallem lachrymarum, & requirens inuenit, atque impositam humeris suis reportauit, & illi numero qui in superioribus saluus manebat, adiunxit. Iste autem Assur qui in fine omnium dicitur periturus, nescio si aliquando aut quæri possit aut inueniri: periit enim non errore sed iudicio, nec lapsu motus sed perseuerantia perduratus. Quod enim scriptum est: Ego viuere faciam, deducam in infernum & reducam, nescio si generaliter omnes aspiciat, an ad eos tantū quos deceptio diaboli deduci fecit in mortem. Hęc etiam de vltima Balaam prophetia à nobis pro viribus dicta sint, quę pro locorum difficultate explanandi magis, quàm perorandi stilo placuit explicari. Quid enim interest dummodo omnia ad ædificationem dicantur, & omnia ad gloriam dei fiant? qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

De eo qui fornicatus est in Madianitide, & quod consecratus est populus Beelphegor. Ex Cap. XXV.
Homilia XX.

LECTIO hodie recitata est, primam quidem historiam continens de fornicatione viri Israelitæ & mulieris Madianitidis, secundam verò de visione populi, in qua numerari iterum iubetur H ex præcepto domini, in irritum scilicet deuocato priore numero, propter peccata quæ commiserant ij, qui prius fuerant sub numeri definitione censiti. Cassatur ergo & in irritum deducitur ex peccatis numerus qui scriptus est: & tantum valent delicta, vt nec hoc prosit quod in numero quis habitus sit apud deum, cum declinauerit. Sed (vt scriptura refert) etiam artus eorum qui recesserunt à deo, ceciderunt in deserto. Duæ ergo sunt historiæ, quæ recitatæ sunt: sed nos de prima interim, quæ fornicationem populi describit, si quid orantibus vobis dominus gratiæ dignabitur præstare, dicemus. Si verò ipse concesserit, aliquid etiam de secunda contingere audebimus. [Et applicuit, inquit, Israel ad Sethim, & pollutus est populus, & fornicatus est in filias Moab, & inuitauerunt eos ad sacrificia idolorum suorum, & manducauit populus de sacrificiis eorum, & adorauerunt idola eorum, & consecratus est Beelphegor, & iratus est furore dominus contra Israel.] In his ostenditur illud, quod sæpe memorauimus, quia Balaam posteaquam dei virtute constrictus non est permissus maledicere Israel, volēs tamen placere regi Balach, ait ad eum sicut scriptum est: Veni consilium do tibi. Et quid consilij dederit, ibi non apparuit, in posterioribus tamen ipsius libri Numerorum scriptum refertur. Sed plenius in reuelatione Ioannis, vbi ita contine- *Apoc. 2.* I tur: Habes, inquit, ibi doctrinam Balaam, qui docuit Balach, vt mitteret scandalum in conspectu filiorum Israel, vt manducarent idolis immolata, & fornicarentur. Ex hoc ergo apparet quod nequitia vsus sit Balaam, & consilium dederit regi, talia quædam dicens ad eum: Populus hic non propriis viribus, sed deum colendo vincit, & pudicitiam cōseruando. Si vis eum vincere, primo eorum pudicitiam deiice, & sponte vincentur. Sed aduersum hæc non virtute militum sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed molitie fœminarum. Procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum, ludentes pedibus eant, manibúsque plaudentes: forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincentur specie qui non vincuntur prælio. Verum vbi senserint eos mulieres Moabitides vel Madianitides manus dedisse libidini, & peccato inclinasse ceruices, non prius semetipsas cupientibus præbeāt, quàm de sacrificiis idolorum acquieuerint degustare: vt cogente libidine, consiliis obtemperent fœminarum, & consecrentur prius Beelphegor, quod est idolum turpitudinis. Hæc fuerunt consilia Balaam: quibus acceptis rex Balach parat continuo exercitum non armis virilibus sed fœmineo nitore compositum, non furore bellico, sed libidinis flamma succensum. Nullam refrenat pudor, nullam prohibet verecundia. Amor patriæ, & vitium gentis conspirant pariter in lasciuiam, & ad decipiendum proba existit im-

Pudicitia confert ad victoriam.

probitas. Pro nefas, vix prohibetur libido legum minis, vix K gladij terrore reprimitur: quid sceleris non perpetret, vbi facinore suo placituram se mulier regi credidit, & salutem patriæ quæsituram? Captiuantur ergo Israelitæ, non ferro, sed luxu, nec virtute, sed libidine, & fornicantur in mulieres Madianitidas, & ira dei insurgit super eos. Sunt quidem in iis & mystica quædam, atque interioris intelligentiæ secreta: sed nos primo ipse historiæ textus ædificet, vt discamus ex hoc, quoniam aduersus nos iaculantur tela luxuriæ. Sed si nobis non desint arma, quibus nos armari iubet Apostolus, huiusmodi iacula nos terebrare non poterunt. Si sit nobis lorica iustitiæ, si habeamus galeam salutis, & gladium spiritus, super omnia scutum fidei, & calceati simus pedes in præparatione Euangelij pacis. Ista sunt arma quę nos defendunt in huiusmodi bellis. Si autem talia arma proiicimus, statim locum diabolico vulneri damus, & captiuos nos ducit omnis dæmonum chorus: atque ob hoc ira dei insurgit super nos, & non solum in præsenti seculo puniemur, verum etiam in futuro. Quod ergo facit nos vincere in iis præliis quæ aduersum nos diabolus commouet, pudicitia est, & iustitia, & prudentia, & pietas, cæteræque virtutes. Quæ autem faciunt nos vinci, luxuria est, & libido, auaritia & impietas, omnísque malitia. Hæc ergo sunt, quę nos historiæ textus edocuit. Verum quoniam Ioannes in reuelatione sua, ea quæ in lege secundum historiam scripta sunt adducit ad mysteria diuina, & sacramenta quædam in iis edocet contineri, necessarium videtur etiam secundum id quod ille sensit, nos quoque ab illo datam expositionis regulam sequi, & L primo memorare ea, quæ ad angelum ecclesiæ cuiusdam scribens dicit: Habes ibi quosdam, qui tenent doctrinam Balaam qui docuit Balach mittere scandalum in conspectu filiorum Israel, vt manducarent immolata idolis, & fornicarentur. Ergo temporibus Ioannis apostoli erant quidem in ecclesia illa ad quam scribebat, docentes doctrinam Balaam. Putásne ita accipiendum est quod fuerint in illis diebus qui dicerent se docere ea quæ Balaam docuit, & qui profiterentur se dogmatum & traditionum illius esse doctores? An illud potius debemus aduertere, quod si quis faciat opus quod fecit Balaam, is doctrinam Balaam docere videatur? Sicut & de doctrina Iezabel in eadem reuelatione memoratur, non quo aliquis ex discipulis Iezabel doceat quæ illa tradiderit, sed quod si quis (verbi causa) aut prophetas dei persequatur, vt illa fecit, aut ad idola aliquos decipiat, vel falsis circunscriptionibus perimat innocentes, iste Iezabel dicetur tenere doctrinam. Si ergo aliquis malis consiliis scandalum generet populo dei, & offensionem diuinam, atque iracundiam cœlestem prouocet plebi, vel idolorum sacrificiis communicando, vel stupris aut libidini seruiendo, hic doctrinam M Balaā tenere dicēdus est. Est ergo execrabilis corporis etiam fornicatio. Quid enim ita execrabile, quàm templum dei violare, ac tollere membra Christi, & facere membra meretricis? Multo tamen magis execrabilis est generalis illa fornicatio, in qua omne genus peccati pariter continetur. Generalis autem fornicatio dicitur, cum anima quę in consortium verbi dei ascita est, & matrimonio eius quodammodo sociata, ab vllo alieno scilicet, & aduersario illius viri qui eam sibi despondit in fide, corrūpitur & violatur. Est ergo sponsus & vir animæ mundæ & pudicę, verbum dei, qui est Christus dominus, sicut & Apostolus dicit: Volo autem omnes vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne forte sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Donec igitur anima adhæret spōso suo, & audit verbum eius, & ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit verbi: & sicut ille dixit: De timore tuo domine in vtero concepi, ita & hæc dicit, de verbo tuo domine in vētre concepi, & parturiui, & spiritum salutis tuæ feci super terras. Si ergo sic de Christo cōcepit anima, fecit filios pro quibus dicatur ad eam, quia salua erit per filiorum procreationem, si permanserit in fide, & charitate, & sanctitate, cum sobrietate, etiam si prius sicut Eua seducta fuisse anima videatur. Est itaque vere beata soboles, vbi concubitus factus fuerit animæ cum verbo dei, & vbi complexus ad inuicem dederint.

Eph. 6
Apo. 2
Generalis fornicatio.
Christus sponsus animæ piæ.
2 Cor. 11.
Esa. 26
1 Tim. 2

A rint. Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orie-
tur, inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo, &
charitas, atque omnium virtutum proles veneranda suc-
cedet. Quod si infelix anima diuini verbi dereliquerit
sancta connubia, & in adulterinos se complexus diabo-
li, aliorúmque dæmonum illecebris deceptam tradide-
rit, generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos, de
quibus scriptum est: Filij autem adulterorum imperfe-
Sap. 3
cti erunt, & ex iniquo concubitu semen exterminabitur.
Omnia ergo peccata filij sunt adulterij, & filij fornica
tionis. Vnde & ostenditur, quod per singula quæque quæ
gerimus, parit anima nostra & generat filios, sensus scili-
cet & opera quæ gerit. Et si quidem secundum legem
est quod gerit, & secundum verbum dei, spiritum pa-
rit salutis, & propterea saluabitur per filiorum generatio-
Psal. 127
nem, & isti sunt filij, de quibus propheta dicit: Filij tui
sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Si verò quod
agit contra legem est, & peccatum est, sine dubio ex con-
ceptione contrarij spiritus malignam sobolem gignit. Parit
enim filios peccati. Et istæ sunt maledictæ generationes in
Iob. 3.
Hier. 20
quibus à nonnullis sanctorum maledicitur etiam dies in
quo nati sunt. Nunquam est ergo quando non pariat ani-
ma. Anima semper parit, semper generat filios. Sed illa qui-
dem benedicta generatio est, quæ de verbo dei concepta
generatur, & ista est filiorum generatio, per quam silua
fiet. Si autem (vt diximus) ex contrario spiritu concipiat, cer-
tum est quia pariat filios iræ, aptos ad interitum. Et forte ad
B
vtrasque istas generationes animæ respicit illud, quod di-
ctum est: Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egis-
sent boni vel mali, vt propositum dei, quod secundũ electio-
Rom. 9
nem factum est, maneat, nõ ex operibus sed ex vocante dictũ
est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dile-
xi, Esau autem odio habui. Istæ enim tales generationes ani-
mæ etiam priusquam faciãt boni aliquid, siquidem ex sancto
spiritu generatæ sunt, iam diliguntur. Si verò ex spiritu ma-
ligno, etiam priusquã opere impleant aliquid mali, hoc ipso
tamen quod huiusmodi voluntatẽ peperit anima, digne in ea
odio habetur malæ voluntatis execranda conceptio. Propte-
rea fortassis in huius sacramenti figura etiam Chanaam puer
antequã nasceretur maledicitur. Cham nãque peccauerat pa
Gen. 9.
ter eius: & prophetans Noe cum vnicuique filiorum suorum
optima quæque signaret, vbi ad Cham ventũ est, maledictus,
inquit, Chanaam puer. Cham peccauit, & Chanaã progenies
eius maladicitur, & maledicta est. Et ideo acrius nobis inten-
dendum est, & prospiciendũ, ne forte generet aliquid anima
quod maledicto dignum sit, vt etiam si nondum opere im-
pleuerit, in ipsa tamen voluntate & proposito eius erit hu-
iusmodi maledicta progenies. Quod & si forte aliquando e-
C
uenerit, quis enim inuenietur facile qui ab huiusmodi gene-
ratione, id est peccandi voluntate habeatur immunis? Si ergo
acciderit tale aliquid, quid remedij detur, ex diuinis volumi-
nibus requiramus. Inuenimus ergo in psalmis de hoc scriptũ:
Filia Babylonis misera, beatus qui retribuit tibi tetributio-
Psal. 137.
nem quã retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet par-
uulos tuos ad petram. Et si nondum aliquid operis gessit Ba-
bylonius in nobis iste conceptus, dum adhuc paruulus est,
nõ miserearis eius, nec parcas ei, sed statim interfice. Odibi-
lis enim est, perime, occide elidens ad petrã. Petra autem est
Christus. Quis ergo tantus ac talis est, vt non expectet om-
nino vsquequo crescat in eo Babyloniæ soboles, nec augean
tur in eo opera confusionis, sed in primis statim initiis, vbi
nasci cœperint, & ex volũtatis motibus coalescere, atque (vt
ita dicam) vbi caput cœperin[illegible] de vulua animę proferre per-
niciosa desideria maligni spiritus inspiratione cõcepta, arri-
piat statim & elidat ad petram: id est, adducat ad Christũ vt
in conspectu tremendi iudicii eius posita exolescant, & pe-
reant? Hæc dicta sunt nobis de generali fornicatione, quæ
species habet plurimas: quarum vna est hæc quæ in cõsuetu-
dine ob corporale stuprum fornicatio nominatur. Ego verò
1 Cor. 6.
legẽs Apostolum, cum venissem ad eum locum in quo dicit:
Qui se iungit domino, vnus spiritus est, & qui se iungit mere
trici vnum corpus est: quærebã si est aliquid aliud medium
preter hoc, vt aut domino quis iũgatur, aut meretrici: & pro K
viribus meis discutiens, profundũ satis & reconditum in iis
verbis intuebar Apostoli sensum, qui ita definierit, quod
omnis anima aut domino coniuncta sit, aut meretrici: & in-
Prou. 7
tellexi quod dominum quidem dixerit virtutes quæ Chri-
stus est, id est verbum, sapientiam, veritatem, iustitiam, cæ-
teráque huiusmodi: meretricem verò omnes ecõtrario ma-
litię species. Hoc etiam apud Solomonem dici intelligo in
eo quod ait de meretrice, quia per fenestras prospicit in pla-
teas, & si quem viderit insipientiũ adulescentulorum, & ino-
pem sensuum transeuntem iuxta angulos domus suæ, & lo-
quentem in tenebris vespertinis, cum silentium fuerit no-
cturnum, vel caligo noctis: mulier autem occurrit ei habens
speciem meretricis, quæ facit iuuenum euolare corda. Hæc
ergo quæ dicitur meretrix, ipsa est malitia: & qui se iunxerit
huic meretrici, vnũ corpus malitiæ efficitur. Sicut ergo qui
se iungit Christo domino, iungit se sapientiæ, iungit se iusti-
tiæ, iungit se pietati, & veritati, & cum his omnibus vnus effi-
citur spiritus: ita & qui se iungit huic meretrici, iungit se im-
pudicitiæ, impietati, iniquitati, mendacio, & simul omnibus
peccatorum malis, cum quibus vnum corpus efficitur. Ve-
runtamen [applicuit Israel in Sattin]. In interpretatione He-
braicorum nominum Sattin inuenimus in lingua nostra re-
sponsionem, vel refutationem dici. Applicuit ergo Israel ad L
responsionem, vel refutationem. Non bene applicuit. Vide
denique quid incurrit in hac positus mansione. Fornicatus
est cum mulieribus Madianitarũ, & refutatus est à deo: quia
2 Cor. 6
non solum fornicatus, sed & idolis gentium consecratus est,
& comedit ex iis quæ fuerant idolis immolata, quę vtique
execrabilia sunt ad deum. Qui enim consensus templo dei
1. Cor. 8.
cum idolis? Verum ego etiam de iis, quæ apostolus ad Co-
rinthios scribit dicens: Si quis autem viderit scientiam ha-
bentem in idolio recumbere, nónne conscientia eius cum sit
infirma ædificabitur ad manducandum immolata? valde mi-
ratus sum. Videtur enim non tam rem ipsam grauem pro-
nunciare, quàm illius offensam, qui hæc videns simili prouo-
catur exemplo, cum non simili sciẽtia muniatur: ita vt osten-
dat eum qui habens scientiam recumbit in idolio, non tam
sui quàm alterius damni effici reum. Sed vide ne forte non
Corinthij philosophiæ studiosi.
hoc solum fiebat apud Corinthios, vt in idolio recumbe-
rent, & immolata idolis manducarent. Sed forte quoniam
studiosi literarum Græcarum homines erant, & amatores
philosophię, desiderio adhuc studiorum veterum teneban-
tur, & philosophorum dogmata, quasi idolis immolata ede-
bant. Quæ tamen lædere fortasse non poterant eos, qui ple-
nam scientiam veritatis acceperant. Hi autem qui in Chri-
sto minus eruditionis habebant, si imitarentur eos legentes
talia, & illis adhuc studiis operam dantes, vulnerari pote-
rant, & diuersorum dogmatum variis erroribus implicari. Sic
ergo fiebat, vt læderetur alius, vnde is qui habebat ple- M
nam scientiam veritatis, lædi non poterat. Sed quoniam
charitas non requirit quod sibi vtile est, sed quod mul-
tis, obseruari oportet talem verbi capere cibum, qui
non solum nos ædificet & delectet, sed & qui viden-
tes non offendat, aut lædat. Est ergo non solum in cibis
Idolothyta in verbis.
idolis immolatum, sed & in verbis. Ego puto, quia sicut
omnis sermo qui pietatem, & iustitiam, & veritatem do-
cet, deo consecratus est, & deo immolatus: ita & om-
nis sermo qui ad impudicitiam, vel iniustitiam, vel im-
pietatem respicit, idolis immolatus sit, & qui eum reci-
pit, quasi idolis immolata manducet. Manducauit ergo
pòpulus de sacrificiis eorum, & adorauerunt idola eo-
rum. Non solum manducauerunt, sed & adorauerunt.
Vide ordinem mali: seruos domini prima concupiscen-
tia, inde ventris ingluuies, postrema captiuauit impie-
tas. Impietatis autem merces exoluitur fornicatio. Si re-
legas quæ scripta sunt de Salomone, inuenies eum, &
quidem cum esset sapiẽtissimus, multis mulieribus inclinasse
latera sua, cum lex dei dicat; non multiplicabis tibi mulieres,
ne forte fornicari te faciant à deo tuo. Ille ergo cum esset sa-
Deut. 17
pientissimus, & ingentis apud deum meriti, tamen quia se
tradidit multis mulieribus, deceptus est. Ego puto quod mul-

G tæ mulieres, multa dogmata & multarum gentium diuersæ philosophiæ nominentur. Quæ cum singula agnoscere, & perscrutari vtpote & scientissimus & sapientissimus voluisset, semetipsum intra legis diuinæ regulam tenere non potuit. Decepit eũ Moabitica philosophia, & persuasit vt idolo Moabitico immolaret, similiter & Ammonitarum, sed & reliquarum gentium, quarum mulieres dicitur recepisse, & ædificasse templa, vel immolasse idolis earum, grande est ergo & vere opus dei, tam multis dogmatibus quasi mulieribus misceri, nec tamen à veritatis regula declinare, sed constanter dicere: Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adulescentulæ quarum non est numerus. Vna tamen est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, vna est genitricis suæ. Sed isti adorauerunt idola, & cõsecrati sunt Beelphegor. Beelphegor idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipue à mulieribus colebatur. In huius ergo idoli mysteriis consecratus est Israel. Interpretationem nominis ipsius cum requiremus attentius inter Hebræa nomina, hoc tantum inuenimus scriptum, quia Beelphegor species sit turpitudinis. Noluit tamen declarare quæ, vel qualis species, vel cuius esset turpitudinis, honestati credo consulens, qui interpretatus est, vti ne auditum pollueret audientium. Igitur cum multæ sint turpitudinum species, vna quædam ex pluribus turpitudinis species Beelphegor appellatur. Vnde sciẽdum est, quod omnis qui aliquid turpe committit, & in aliquam speciem turpitudinis declinat, Beelphegor Madianitarum dæmonio consecratur. Sed & per singula peccata quæ committimus, maxime si iam non subreptione aliqua, sed studio affectúque peccamus, illi sine dubio dæmoni, cui peccatum illud quod commisimus inoperari curæ est, consecramur. Et fortasse continget nobis tot dæmonibus esse consecratos, quot peccata committimus, & in singulis quibusque delictis velut mysteria illius, aut illius idoli suscipimus. Et fortasse propter hoc dicebat Apostolus. Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Circumeunt ergo spiritus maligni: & quærunt quomodo vnumquenque decipiant, & per illecebram peccati mysteriis consecrent, & neque sentientem, neque intelligentem (verbi causa) per fornicationis peccatum introducunt ad dæmonium Madianitarum, & consecrant Beelphegor, consecrant turpitudini. Similiter & per alia peccata (vt diximus) aliis dæmonibus homines consecrantur. Sed tu obserua diligentius quod scriptum est, & sta in viis, & interroga quæ sint viæ domini æternæ, & quæ sit via bona, & incede in ea, & non accedas ad ianuas domus malitiæ. Sed si senseris malignum spiritum loqui in corde tuo, vt te ducat ad aliquod opus peccati, intellige quia te ducere vult, vt consecret te alicui dæmoni. Ducere te vult vt suscipias mysteria diabolica, mysteria iniquitatis. Et hoc esse I puto quod scribit Apostolus: Cũ autẽ gentes essetis, idolorũ forma euntes prout ducebamini. à quo vel à quibus ducebamini? à spiritibus nempe malignis ducebamini ad opera peccatorum. Hæc audiens vigilans quisque auditor dicet fortasse: Quid ergo faciemus? si circumeunt spiritus maligni vnumquenque nostrum, & ducunt, ac pertrahunt ad peccatum: nemo autem alius est qui ad iustitiam trahat, qui inuitet & ducat ad pudicitiam, ad pietatem: quomodo non videbitur ad pereũdum quidem lata via patere, ad salutem verò nusquam vllus aditus dari? Imo verò aduerte diligentius si potes, & aperto cordis oculo, interiora mecum considera mysteria: & videbis quanto maior in secretis salutis nostræ cura geratur, quàm facultas ad decipiendum præbeatur. Adest vnicuique nostrum, etiam minimis qui sunt in ecclesia dei, angelus bonus, angelus domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem patris qui in cœlis est: sicut dominus designat in euangeliis. Et iterum secundum ea quæ Ioannes in Apocalypsi scribit, vnicuique ecclesiæ generaliter angelus præest qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel etiam pro delictis eius culpatur. In quo etiam stupendi mysterij admiratione permoueor, quod intantum deo cura de nobis sit, vt etiam angelos suos culpari pro nobis & confutari patiatur. Sic enim cum

3. Reg. 11. Cant. 6. — *2. Thes. 2.* — *Ephes. 4.* — *Angeli cuiusquequid conferant.* — *Mat. 18. Apoc. 2.*

pædagogo traditur puer, si forte minus dignis nec secunK dum paternam nobilitatem imbutus appareat disciplinis, continuo culpa ad pædagogum refertur, nec ita puer à patre vt pædagogus arguitur, nisi durior fuerit, & pædagogi monita spreuerit, atque in lasciuiam pronus ac propter viam salutaria eius verba contempserit, illis magis obtemperans qui luxuriam suadent, & ab lasciuiam prouocant, quid fiat illi animæ prophetæ vocibus disce. Derelinquetur, inquit, filia Sion sicut tabernaculum in vinea, & sicut casa custodiaria in cumerario, & sicut ciuitas quæ expugnata est. Et iterum: Auferetur maceria eius, & erit in conculcationem, & diripient eam omnes qui transeunt viam, & singularis ferus depascet eam. Hæc patietur si non acquiescat monitis angeli, qui sibi appositus est ad salutem. Sui nanque arbitrij est anima, & in quã voluerit partem est ei liberũ declinare: & ideo iustum dei iudicium est, quia spõte sua siue bonis siue pessimis monitoribus paret. Vis tibi adhuc amplius quid ex scripturis diuinis ostendam, quomodo maior cura salutis erga homines deo est, quàm diabolo perditionis? Nũ aliquid non sufficiebat angelorũ diligentia aduersus insidias dæmonum & aduersum eos qui ad peccãdum homines trahunt? Ipse vnigenitus, ipse inquam filius dei adest, ipse defendit, ipse custodit, ipse nos ad se trahit. Audi quomodo ipse dicit: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Sed nec sufficit eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit, vt nos pertrahat ad salutem. Ait enim in alio loco: Cum autem exaltatus fuero, omnia ad me traham. Vides quomodo non solum inuitat volentes, sed & cunctantes trahit. Vis autem audire quomodo trahat etiam cunctantes? Non concessit illi qui volebat ire, & sepelire patrẽ suum, nec spaciũ tẽporis dedit, sed ait illi: Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autẽ sequere me. Et alibi dicit: Nemo mittens manũ suam super aratrũ, & retro respiciens, aptus est regno dei. Quod si amplius adhuc vis de hoc cognoscere sacramento, ostendam tibi de scripturis, quod etiam ipse dominus pater dispensationem salutis nostræ non negligit, sed & ipse nos ad salutem non solum vocat, sed & pertrahit. Sic enim dominus dicit in Euangelio: Nemo venit ad me, nisi quem pater meus cœlestis attraxerit. Sed & paterfamiliâs, qui mittit seruos suos inuitare amicos ad nuptias filij sui, posteaquam excusauerunt illi qui priores fuerant inuitati, dicit seruis: Exite ad vias, & angiportus, & quoscunque inueneritis, cogite introire. Sic ergo non solum inuitamur à deo, sed & trahimur, & cogimur ad salutem. Sed nec sanctus quidem spiritus in huiuscemodi dispensationibus deest. ipse enim dicit: Segregate mihi Paulum & Barnabam in ministerium, ad quod adsumpsi eos. Et iterum prohibet Paulum ire in Asiam, & rursum cogit eum ire in Hierosolymam, prædicens ei, quia vincula & carceres eum ibi maneãt. Quod si angeli domini circundant in circuitu timentium eum, vt eripiant eos: si deus M pater, si filius, si spiritus sanctus, non solum hortãtur & prouocant, sed & pertrahũt, quomodo nõ multo maior cura pro nobis geritur ad salutem, quàm ab aduersariis procuretur ad mortem? Hæc autem dicta sint pro eo quod consecratus est populus Beelphegor. [Et iratus est, inquit, furore dominus contra Israel, & dixit dominus ad Moysen: Assume principes populi, & ostenta illos domino contra solem, & auertetur ira furoris domini ab Israel.] Nescio si de his disserentes, non offendamus aliquos: sed & si offendamus, obedire magis & deseruire oportet verbo domini, quàm gratiæ hominum. Peccauit Israel, & dixit dominus ad Moysen, vt assumat omnes principes, & ostentet eos domino contra solem. Populus peccat, & principes ostentantur contra solem. Iidem ad examinandum producuntur, vt arguantur à luce. Vides quæ sit conditio principum populi: non solum pro suis propriis arguuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem: ne ipsorum sit culpa quod populus deliquit, ne forte non docuerint, ne forte non monuerint, neque solliciti fuerint arguere eos qui initium culpæ dederint, vti ne contagio dispergeretur in plures. Hæc enim omnia facere principibus imminet & doctoribus. Si enim illis

Angeli custodes culpantur pro delictis hominum. — *Esa. 1.* — *Liberum arbitrium.* — *Christus nõ solũ vocat, sed & trahit.* — *Mat. 28.* — *Ioan. 12.* — *Mat. 8. Luc. 9.* — *Pater etiam trahit. Ioan. 6.* — *Mat. 22.* — *Spiritus S. trahit. Act. 13. 21.*

A illis hæc non agentibus, nec sollicitudinem gerentibus circa plebem peccauerit populus, ipsi ostentantur, & ipsi ad iudicium producuntur. Arguit enim eos Moyses, id est lex dei, velut negligentes & desides, & in ipsos conuertetur iracundia dei, & cessabit à populo. Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperent, nec ambirent ad populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis, sufficit mihi pro memetipso & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi necesse est etiam pro populi peccatis ostentari? & ostentari contra solem, ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari? Sed fortassis etiam si aliquis in hoc arcanus & reconditus sensus, qui plus aliquid doceat, quàm communis hæc habere videtur expositio. Fortassis enim referri & hoc potest ad illos principes populi, de quibus paulo superius diximus. Venient enim angeli ad iudicium nobiscum, & stabunt pro nobis ante solem iustitiæ, ne forte aliquid etiam ex ipsis causæ fuerit quod nos deliquimus, ne forte minus erga nos operis & laboris expenderint, quo nos à peccatorum labe reuocarint. Nisi enim esset etiam aliquid in ipsis quod in causa nostri culpandum videretur, nunquam diceret sermo scripturæ ad angelum illius, vel illius ecclesię, quia habes (verbi gratia) quosdam tenentes doctrinam Balaam, vel quia dereliquisti charitatem tuam pristinam, vel patientiam tuam, vel alia huiusmodi, quæ iam superius memorauimus, pro quibus in Apocalypsi angeli vniuscuiusque ecclesiæ culpantur. Si enim mercedem sperat angelus (verbi gratia) qui me consignatum accepit à deo, pro iis quæ bene gessi, certum est quia & culpari sperabit pro eis, quæ à me non bene gesta sunt. Et ideo ostentari dicuntur contra solem, proculdubio vt appareat vtrum pro mea inobedientia, an per illius negligentiam peccata cõmissa sint per quæ Beelphegor, siue cuilibet alii idolo pro qualitate scilicet peccãdi consecraret. Quod si princeps meus (angelum dico qui mihi est consignatus) non defuit, sed commonuit de bonis, & locutus est in corde meo in eo duntaxat in quo me conscientia reuocabat à peccato, sed ego contemptis eius monitis, & spreto conscientiæ retinaculo præceps in peccata prorui, duplicabitur mihi pœna, vel pro contemptu monitoris, vel pro facinore commissi. Nec mireris sane si angelos dicimus venire cum hominibus ad iudicium, cum scriptura dicat, quia ipse dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi, & cum principibus eius. Ostentãtur ergo principes, & si in illis culpa est, desinit ira dei à populo. Debet nobis & acrior esse solicitudo actuũ nostrorum, scientibus quod non solum nos ante tribunal Dei pro actibus nostris stabimus, sed angeli pro nobis ad iudicium deducentur tãquam principes & duces nostri. Propterea enim & scriptura dicit: Obedite prępositis vestris, et obtemperate eis in omnibus. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Post C hæc refertur, quia cum vidisset Finees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis Israelitem quendam introisse ad mulierem Madianitidem, rapto siromaste in manu sua ingressus sit prostibulum, & vtrunque per ipsa pudẽda transfoderit. [Et pro hoc, inquit, dixit dominus ad Moysen. Finees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis sedauit iracundiam meam.] Hæc ædificauerint priorem populum: tibi autem qui à Christo redemptus es, & cui de manibus gladius corporalis ablatus est, & datus est gladius spiritus, arripe hunc gladium: & si vides Israeliticum sensum cum Madianiticis scortãtem meretricibus, id est, cum diabolicis se cogitationibus volutantem, nolo parcas, nolo dissimules, sed statim percute, statim perime. Ipsam quoque vuluam, id est, secreta naturæ discutiẽs & penetrans, illum ipsum peccandi fomitem deseca, ne vltra concipiat, ne vltra generet, & maledicta peccatorum soboles Israelitica castra contaminet. Hoc enim si facias continuo sedabis iracundiam domini, præuenisti enim iudicij diem, quæ dies iræ dicitur & furoris, & exterminato à te fomite peccati, qui nunc vulua Madianitidis mulieris appellatur, securus venies ad iudicij diem. Et ideo surgentes oremus, vt inueniamus paratum semper istum gladium spiritus, per quem exterminentur & semina ipsa, & conceptacula peccatorum, ac propicius fiat nobis deus per verum Finees ipsum dominum nostrum Iesum Christum, D cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Cur non ambiẽdus principatus.

Caue

Apoc. 2

Angeli veniunt ad iudicium.

Heb. 12

Gladius spiritalis.

De eo quod secundo populus numeratus est. Ex Cap. XXVI.
Homilia XXI.

NVMERI sunt & in iis quos legimus: & priore quidem lectione tempore exclusi sumus, ne aliquid etiam de secunda dinumeratione diceremus, sed conueniens est, omissa vel exclusa nunc reddere. Igitur per præceptum domini primo numeratus est populus, sed quoniam illi, qui primo fuerant adsciti, ceciderunt propter perseuerantiam delictorum, secundus nunc populus, qui in lapsorum locum rediuiua generatione successit, vocatur ad numerum, & quod de illis prioribus dictum non fuerat, de iis dicitur. Postea enim quàm per tribus & plebes, domósque, ac familias collectus est numerus, dicit dominus ad Moysen: [Iis distribuetur terra in sortem, ex numero nominum. Pluribus plura dabuntur in sortem, & exiguis exiguam dabis hęreditatem.] Si de prioribus dictũ fuisset, quia iis distribuetur terra in sortem, falsum vtique fuisset quia ceciderũt illi in deserto propter delicta sua. quod ergo primis non est dictũ, postremis dicitur, quibus & cuncta quę promittuntur impleta sunt. Hæc autem nolo putes solius historiæ textu cõcludi, mysteria sunt quæ per legis imaginem conscribuntur. Reprobatur enim prior populus, qui est in E circuncisione: & introducitur secundus, qui cõgregatur ex gentibus, & ipse est qui hæreditatem consequitur paternam. Et à quo consequitur? non ab Moyse, sed ab Iesu. Nã Moyses etiam si dat aliquibus hæreditatem, non dat intra Iordanem, nec transit omnino Iordanem, sed extra Iordanem dat terram, non fluentem lacte & melle, sed pecoribus aptam, & muta animalia, atque irrationabiles pecudes melius quàm rationales homines nutrientem. Iesus verò meus secundo populo terrã quàm dat terra est lacte & melle fluens, imò fauus mellis est præ omni terra. Et Moyses hæreditatem non dat in clero, nec sorte distribuit, nec potest per plebes, & domos ac familias, & nomina, & merita singulorũ diuina sorte pensare: hoc solus facit Iesus, cui omne iudiciũ pater tradidit: ipse scit quomodo populũ suum non solum per tribus, & familias & domos, verũ & per nomina vnumquemque digna & cõpetenti mansione dispẽset. Sunt tamen aliqui in istis qui conditione sortis supereminent, & omnino nec addũtur ad sortẽ omnes Leuitæ: id est, omnes qui intente & indesinenter permanent in ministerio dei, & peruigiles in seruitio eius excubias gerunt, sortem inter cæteros non accipiunt: sed nec omnino in terra est sors eorum, sed ipse dominus sors eis & hæreditas esse memoratur. Per hos illi mihi videntur indicari, qui nullis corporeæ naturæ obstaculis hebetati, sed omnium visibilium gloriam supergressi, in sola sibi sapiẽtia dei, & verbo eius viuendi vsum, exercitiúmque posuerunt, qui F corporeum nihil requirunt, nihil rationis alienum. Concupierunt enim sapientiã, concupierũt secretorum dei agnitionem: & vbi est cor eorũ, ibi erit & thesaurus eorum. Isti ergo hęreditatẽ non habent in terris, sed supergrediuntur summa cœli fastigia, & ibi semper in domino, semper in verbo eius, semper in sapientia, & in voluptate scientiæ eius deliciabuntur. Hic eis cibus, hoc erit poculum, istæ diuitiæ, hoc erit regnum. Tales ergo erunt, & in iis erunt illi, quibus hæreditas ipse dominus erit. Qui autem inferiores sunt, nec in istum profectuum verticem peruenerunt, hæreditatem terrę accipient, licet sublimioris alicuius, & potentioris. terra enim viuentium repromittitur, quæ vtique idcirco terra viuentium dicitur, quod nesciat mortem. Et isti quidem magni, & isti beati: sed beatiores illi qui iam non per speculum, & in ęnigmate, neque in substantiis corporalibus, sed facie ad faciem deum videbunt, sapientiæ illuminatione radiati, & veræ diuinitatis capaces per puritatẽ cordis effecti: portionémque suam non in creatora, sed in creatore habentes, qui est super omnia benedictus in secula. Ait ergo, ex numero nominum pluribus plura dabũtur in sortem, & exiguis exiguã dabis hęreditatem, vnicuique sicut recensitus est, dabitur hæreditas eius. Historia hoc est quod docet, vt si qua tribus numero-

Moyses quãlem dat hæreditatem

Ioan. 5

G sior habetur in populis, maiora terræ spatia sortiatur: si qua autem minore hominum numero censetur, breuiore possessione contenta sit. Sed quoniam terræ huius diuisionem, hæreditatémque terrenam, speciem dicimus tenere & imaginē futurorum bonorum, ac formam cœlestis illius, quæ à fidelibus & sanctis speratur, hæreditatis ostēdere: requiro in illa hæreditate quæ sperāda est, qui sint plures, & qui sint pauci, & inuenio ibi beatiores paucos haberi quàm plures. Nā qui per viam latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, egerint iter, multi dicuntur. Qui verò per arctam & angustam viam perrexerint, quæ ducit ad vitam, pauci appellantur. Et iterum in aliis dicitur: Quàm pauci sunt, qui saluantur. Et iterum in aliis: Vbi multiplicatur iniquitas, refrigescet charitas multorum, non paucorum. Sed & in arca, quæ à Noe cōstructa est, vbi mensuræ cœlitus dantur, in inferioribus trecentorum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo. Vbi verò textus eius ad altiora consurgit, in angustum cogitur, & paucorum cubitorum conclusione colligitur, ita vt summitas eius in vnius cubiti spacium consummetur: proptereáque in inferioribus quidem, vbi lata & spatiosa habebantur loca, vel bestiæ, vel pecudes erant collocatæ, in superioribus verò aues: in summis autem quæ angustiora, & altiora erant, ibi homo rationalis collocatur. Ipse verò vertex in vnum cubitum colligitur. omnia enim ad monadem rediguntur. Quæ tamen trinitatis sacramentum in numero

Mat.27. Luc.13. Matt.24. Gen.6.

Pauci saluantur cōparatione damnandorum.

H trecentorum cubitorum designat, & huic sacramento proximus ponitur homo vtpote rationalis, vt dei capax. Sed vnde, quæ sit differentia inter paucos & multos, colligamus indicia? Pone omnem humani generis numerum, ex vniuersis gentibus elige fideles, sine dubio pauciores erunt, quàm sunt vniuersi. Tunc deinde ex fidelium numero, elige meliores. Certum est quod multo inferior numerus remanebit. Et iterum ex ipsis quos elegeris, elige rursum perfectiores, pauciores profecto reperies. Et quanto amplius eligendo processeris, tanto magis exiguos & pauciores inuenies vsquequo vltimo venias ad vnum aliquem, qui cōfidenter dicat, quia amplius quàm omnes illi laboraui. Hi ergo qui hoc modo plures sunt, plus terræ, & plus corporeæ hæreditatis accipiunt: pauci autem exiguum aliquid de terra consequūtur, qui plus in domino habent: vbi autē nihil omnino terrenæ hæreditatis accipiant si qui digni fuerint sacerdotes sunt & ministri dei, horum enim ex integro ipse dominus hæreditas erit. Et quis ita beatus est, vt vel inter paucos exiguū terræ accipiat, vel inter electos sacerdotes & ministros solum deum capere hæreditatis sorte mereatur? Licet etiam ipsi propter iumenta sua accipiant aliquid terræ, sed illius terræ, quæ vrbibus contigua est, & adhæret ciuitatibus. Potest tamen adhuc & alio modo intelligi sermo iste, qui dicit vt pluribus multi-

I plicetur hæreditas. Vnus enim iustus secūdum hoc quod acceptum est deo pro pluribus habetur. Denique & scriptum est: Per vnum sapientem inhabitabitur ciuitas, tribus autem iniquorum desolabuntur. Et vnus iustus pro toto mundo reputatur, iniqui autem, etiam si multi sint, exigui & pro nihilo ducuntur apud deum. Est ergo & multitudo laudabilis, sicut videmus etiam ad Abraham dictum, cum eduxit eum deus foras, & dixit ad eum: Respice ad cœlum si potes dinumerare stellas, ita erit semen tuum. In quo & hoc intuere, quomodo iustus intus est, & in interioribus semper consistit: quia intus in abscondito orat patrem, & omnis gloria filiæ regis, id est, animæ regalis, intrinsecus est, sed tamen deus educit eum foras, cum res postulat, & rerum visibilium ratio deposcit. Potest ergo & hoc modo multis istis, qui sunt sicut stellæ cœli in multitudine, multiplicari hæreditas. & exiguis illis, videlicet qui etiam si numero multi sunt, vitæ tamen suæ indignitate & vilitate exigui habentur, exigua hæreditas poni. [Per sortem, inquit, erit hæreditatis distributio.] Hoc quidem præcipitur, sed cum venio ad scripturas, video ipsum Moysen, cui ista mandantur, sorte non vti in diuisione hæreditatis Ruben, & Gaad, & dimidiæ tribus Manasse. Sed & Iesus Naue, extra sortem dat hæreditatem tribui Iuda, & Caleb extra sortem dat, & tribui Effrem, & dimidiæ tribui Manasse: in cæteris sors mittitur, & prima sors Beniamin procedit, & inde iam tribuum reliquarum. Vnde puto quod &

Eccles.16. Gen.15.

Non omni tribui sorte data est hæreditas. Iosu.15.

in illa regni cœlorum beata hæreditate erunt aliqui, qui non K veniāt ad sortem, neque cum cæteris, quamuis sint sancti numerabuntur: sed erit egregia quædam & eximia eorum hæreditas sicut fuit Caleb ex tribu Iuda, & Iesu ipsius filij Naue. Sicut enim (verbi causa) cum post præliū victoribus prouinciæ partiuntur spolia, egregij quique & eximij bellatores non cum cæteris militibus in diuisione spoliorum ducuntur ad sortem, sed optima quæque & præcipua eis virtutum merito decernuntur, cæteri verò vtuntur sorte solo iure victoriæ: ita mihi videtur & dominus meus Iesus Christus facturus: quosdam enim quos scit abundantius quàm cæteros laborasse, & quorum gesta magnifica sublimésque virtutes ipse cognoscit, illis præcipuos quosque & eximios, atque (vt ita audeam dicere) similes sibi honores decernit & glorias. An non tibi videtur simile aliquid suæ beatitudinis charissimis suis cōferre discipulis, cum dicat: Pater volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum? Et cum iterum dicit, quia sedebitis & vos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel? Et iterum: Sicut tu in me pater, & ego in te, ita & isti in nobis vnum sint? Hæc omnia non sorte decernuntur, sed dilectionis prærogatiua donantur ab eo, qui corda & mētes hominum videt solus, qui nos quoque etiam si non inter eximios & electos, atque illos qui supra sortem sunt, in sortem tamen sanctorum dignetur adducere. Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen. L

Iosu.14. Ioan.17. Matt.19. Ioan.17.

De filiabus Salphaat, & de successione Moysi, ex Cap. XXVII. Homilia. XXI.

QVINQVE filiæ fuerunt, quarum etiam nomina in scriptura comprehensa sunt, de Salphaat quodam Israelita progenitæ, qui mortuus est in deserto, nulla virili sobole derelicta. Istæ ergo filiæ Salphaat interpellant Moysen, & sortem paternæ hæreditatis exposcunt dicentes, ne deleatur nomen patris earum de medio plebis suæ, quia non est ei vir filius natus. Refert pro hoc Moyses consultationem ad deum. Omnipotentis autem dei clementia non spernit, nec despicit consultationem, quæ offertur à puellis, & non solum responsa dare dignatur, sed intantum probat, & amplectitur verba earum, vt ex ipsis æterna hominibus iura constituat & seculis omnibus obseruāda. Ait enim: [Loquens erat dominus ad Moysen. Recte locutæ sunt filiæ Salphaat. Dabis eis possessionem in medio fratrum patris sui, & dabis sortem patris ipsarum ipsis, & filiis Israel loqueris dicens. Homo si mortuus fuerit, & filius non fuerit ei, dabitis hæreditatem eius filiæ eius. Quod si nō fuerint ei filiæ, dabitis hæreditatem fratri eius. Quod si non M fuerint ei fratres, dabitis hæreditatē fratri patris eius. Quod si non fuerint ei fratres patris eius, dabitis hæreditatem domestico, qui fuerit propinquior illi ex tribu sua, & capiet hæreditatem eius, & erit hoc filiis Israel iustificatio iudicij, sicut cōstituit dominus Moysi.] Hæc secundū historiam quid vigoris habeant, omnibus palam est qui sciunt leges istas non solum apud filios Israel custodiri, sed apud omnes homines, qui tamen legibus viuunt. Vnde apparet quod libertas filiarum Salphaat non solum ipsis hæreditatem contulerit, sed & perpetua viuendi iura seculo dederit. Vides quanta sit etiam historiæ ipsius vtilitas in lege Dei. Quis potest leges istas aliquando dissoluere, quibus vniuersus vtitur mundus? Sed tamen nos quæramus quomodo etiam spiritaliter ædificemur. Potest enim fieri, vt neque filij mihi sint secundum carnem, neque aliquid ruris, cuius capi possit hæreditas. Quid ergo? nihil apud eum qui huiusmodi est, ista lex operabitur, & erit alicui otiosum, quod diuina voce sancitum est? Requiramus ergo etiam apud spiritalem legem quæ sint istæ filiæ quinque, quarum etiam si pater mortuus fuerit pro aliquo peccato, ipsæ tamen hæreditatē ex verbo Dei capiant. In superioribus, cum de spiritalibus filiis tractaremus, virtutes animi, & sensus mentis filios dici docuimus. Consequens sine dubio, & conueniens videtur, etiam filias opera quæ corporis ministerio explentur accipere. Ideo denique

Historia legis dei vtilitas.

A denique & quinarius eis numerus ascribitur. Quinque enim corporei sensus sunt, quibus omne opus expletur in corpore. Istæ ergo quinque filiæ, id est, operum perfectio, etiam si patre orbentur, & remaneat orphanæ, non tamen eiiciuntur ab hæreditate, neque excluduntur à regno, sed in medio plebis dei portionem hæreditatis accipiunt. Interim videamus quis est iste pater earum, qui mortuus esse dicitur. Salphaat, inquit. Salphaat autem interpretatur vmbra in ore eius. Pater operum intellectus est. Sæpe ergo accidit, & non pauci inter fratres nostros sunt, in quibus intellectus altior & profundior nullus, sed est in eis sensus emortuus, sicut de quodam scriptum est: Et emortuum est cor eius in ipso. Iste ergo etiam si ad intelligentiam spiritalem nihil sapit, sed est emortuus, tamen si genuerit filias, id est, opera ministerij, opera obsequiorum, opera mandatorum dei hæreditatem terræ cum plebe domini consequitur. Non poterit quidem inter eos numerari, quorum portio dominus est, quorum hęreditas deus est, non poterit ministrorum & sacerdotū numero suscipi, in plebeio tamen ordine hæreditatem terræ repromissionis accipiet. Multi enim sunt vocati, pauci autem electi. Ostenditur tamē & causa ex ipsius nominis interpretatione, quia iste Salphaat non potuerit filios generare, sed filias. Interpretatur enim (vt diximus) vmbra in ore eius. Vides ergo quoniam si quis vmbram legis habet in ore, & non ipsam imaginem rerum, hic quia nihil spiritale, nihil profundi intellectus sentire potest, sed sola vmbra legis in ore eius est, sensus viuos & spiritales non potest generare: tamen potest opera & actus, quæ sunt simplicioris vitæ ministeria. & ideo ostendit in his clementia dei, quod innocentiores quique etiam si sensu deficiant, habeant tamen opera bona, non excludantur ab hæreditate sanctorum. Recte ergo locutæ sunt filiæ Salphaat. Post hęc ponitur lex dei de successione: vt primo filius, filia secundo in loco succedat, tertio frater, quarto patris frater. Quintus verò gradus certum aliquem non designat, sed quisquis illi propinquior ex omni familia fuerit, vt ipse succedat. In his tam integer & perfectus est historiæ sensus, vt nihil requirere videatur extrinsecus. Tamen si quis bene in spiritalibus legibus eruditus est, & pleniore scientiæ lumine radiatus, ille potest intelligere diuersos istos successionum gradus, & quomodo primus sit consequendæ cœlestis hæreditatis gradus, doctrinæ & scientiæ merito, qui est masculus filius. Secundus operum prærogatiua, quæ filia est. Tertius compassionis alicuius & imitationis, propter quod & frater nominatur. Sunt enim nonnulli, qui sponte quidem sua, & proprio intellectu nihil agunt, positi tamen inter fratres, ex imitatione cęterorum eadem videntur agere quæ & illi agunt, qui intellectu proprio mouentur. Datur etiam istis tertius hæreditatis sub titulo fratrum nominis gradus. Quartus verò, quem fratrem patris nominat, potest fortassis intelligi ille ordo hominum, qui audita à patribus, & veterum narratione suscepta conantur implere, & nō tam propriis sensibus moti, nec C præsentis doctrinæ commonitionibus excitati, quàm veterum vel traditione, vel consuetudine sola instituti, boni tamen aliquid gerunt. Vltimus verò gradus scribitur ille, qui quolibet pacto iis proximus fuerit: quasi si diceret, siue occasione siue veritate doctrinæ si quis aliquid boni fecerit, nō peribit boni operis merces, sed largiente domino locum hęreditatis accipiet. Hæc quidem à nobis audacter fortassis præsumpta, & in medium prolata videantur, non tamen erit absurdum si spiritalibus spiritalia proponentes, secretioris eos intelligentiæ æmulatores, cupidósque reddamus. Post hæc historia refertur, & narratione mirabilis, & intellectu magnifica. Ponitur enim quomodo deus dixerit ad Moysen, vt ascenderet in montem, & inde cum prospexisset, & intuitus fuisset omnem terram repromissionis, ibi defungeretur. Sed ille qui populi curam magis quàm sui gereret, orat ad deum, vt prouideat hominem qui regat populum Israel: [ne fiat inquit, synagoga hęc, sicut oues quibus non est pastor.] Vide ergo primo omnium quomodo qui perfectus & beatus est, non in valle, nec in aliqua terræ planitie, aut in colle aliquo, sed in monte, id est, in alto, & in arduo defungitur loco. Vitę nanque eius cōsummatio & perfectio habebatur in excelso.

Intellectus principium operum.

2 Reg. 25

Ingenij tenuitas non nocet ad hæreditatē cōsequendā.

D Sed & oculis suis contueri iubetur omnem terram repromissionis, & diligenter ex eminenti statione cuncta perspicere. Oportebat enim summam perfectionis consecuturo, nihil incognitum remanere, sed cunctorum quæ videntur & audiuntur habere notitiam: ob hoc credo, vt omnium quæ in carne positus, corporali cœpit aspectu, in spiritu effectus, & nuda mente ad auditoria & discipulatum sapientiæ properans, velociter eorum rationes adsequatur & causas. Nam quid videbitur vtilitatis vt decessuro de seculo, & finem vitæ huius protinus accepturo ostenderentur terræ & loca quorum nec laborem perpessus est, nec gratiam suscepturus? Perterret me sanè sermo qui sequitur, & ad dicendum reddit timidum ac trepidum, quo de magno illo Moyse famulo & amico dei, cui facie ad faciem locutus est deus, per quem signa & virtutes mirificæ perpetratæ sunt, tā grauia, tam periculosa referuntur. Quid enim ei dicit deus? [Et apponeris, inquit, ad populum tuum & tu, sicut appositus est Aaron frater tuus in monte Or.] Et quasi causam mortis exponit dicens: [Propter quod transgressi estis verbū meum in deserto Syn, cum restitit synagoga ne me sāctificaret. Nō me sanctificastis in aqua coram eis] Ergóne in culpa est etiam Moyses? Etiam ipse transgressionis crimen incurrit, etiam ipse factus est sub peccato. Idcirco credo cum confidentiam dicebat Apostolus, quia regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen. Accessit enim ad Moysen, & nec ipsi pepercit. Et ideo opinor dicebat, quia peccatum introiuit in hunc mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Et iterum: conclusit deus omnes sub peccato, vt omnibus misereatur. Sed gratias domino Iesu Christo, qui E nos liberauit de corpore mortis huius, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Nam Moyses quo aliquem liberare potuisset à peccatis, cum etiam ipsi dicatur, quia trāsgressi estis verbū meū in deserto Syn, & nō me sanctificastis in aqua corā filiis Israel: vt manifestū sit omnibus quod ille debeat solus requiri, qui solus peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed interim videamus Moysis magnificentiā. Recessurus de seculo orat deum, vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyses? Nunquid filij tibi non sunt, Gerson & Eleazar? Aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras deum pro ipsis, vt eos constituat populo duces? Sed discant ecclesiarum principes successores sibi non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditariū tradere ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed dei iudicio totum de successoris electione permittere. Nunquid non poterat Moyses eligere principem populo, & vero iudicio eligere, & recta iustáque sententia, ad quem dixerat deus: Elige presbyteros populo quos tu ipse scis presbyteros esse, & elegit tales in quibus continuo dei spiritus requiesceret, & prophetarēt omnes? Quis ergo ita potuit eligere principem populi, vt Moyses poterat? Sed hoc non facit, non eligit, non F audet. Cur non audet? Ne posteris præsumptionis relinquat exemplum. Sed ausculta quid dicit: [Prouideat, inquit, dominus deus spirituum & omnis carnis, hominem super synagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum, & qui ingrediatur, & qui producat eos, & qui reducat. Si ergo tantus ille ac talis Moyses non permittit iudicio suo de eligendo principe populi, de constituendo successore, quis erit qui audeat, vel ex plebe quæ sæpe clamoribus ad gratiam, aut ad precium fortasse excitatis moueri solet, vel ex ipsis etiam sacerdotibus quis erit qui se idoneum ad hoc iudicet, nisi si cui oranti, & petenti à domino reueletur? Sicut & deus dicit ad Moysen: [Adsume ad temetipsum Iesum filium Naue hominem qui habet spiritum dei in semetipso, & impones manus tuas super eum, & statues eum coram Eleazaro sacerdote, & præcepta dato ei in conspectu totius synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant illum filij Israel. Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeste ad scripturam, vt penè expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propin-

Num. 12.

Moses in culpa fuit.

Rom. 5

Rom. 11

Contra eos qui hæreditaria Ecclesiæ Sacerdotia consanguineis relinquunt.

Num. 11.

Plebs gratia vel precio facile corrūpitur.

G quitatis habita contemplatio est. Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur, quem deus elegerit: homini scilicet tali, qui habet (sicut scriptum audistis) in semetipso spiritum dei, & præcepta dei in conspectu eius sunt, & qui Moysi valde notus & familiaris sit, id est, in quo sit claritas legis & scientia, vt possint eum audire filij Israel. Verum quoniam mysteriis cuncta referta sunt, non possumus quæ preciosiora sunt omittere, etiam si hæc quæ secundum literam mandantur, necessaria videantur & vtilia. Consideremus ergo quæ sit Moysis mors, finis sine dubio legis: sed legis illius quæ secundum literam dicitur. Quis autem eius finis est? Sacrificiorum scilicet interruptio, & cæterorum quæ simili obseruantia mandantur in lege. Hæc ergo vbi finem accipiunt, Iesus suscipit principatum. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et sicut de prioribus dictum est, quia omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: ita & de Iesu dicatur, quia omnes in Iesu baptizati sunt in spiritu sancto & aqua. Iesus nanque est, qui transit aquas Iordanis, & in ipsis quodammodo iam tum populum baptizat: & ipse est qui terram hæreditatis, terram sanctam partitur vniuersis, non priori populo sed secundo. Prior enim populus propter præuaricationem suam cecidit in deserto. De Iesu autem temporibus dicitur, quia terra quieuit à bellis: quod Moysi tempore dici non potuit. Sed de Iesu hoc dicitur meo domino, non illo Naue. Atque vtinam mea terra cesset à bellis, & cessare posset si ego Iesu principi meo fideliter militarem. Si enim pareamˆ meo domino Iesu, nunquam caro mea insurget aduersus spiritum meum, nec impugnabitur terra mea ab aduersariis gentibus, diuersis scilicet concupiscentiis stimulata. Oremus ergo, vt Iesus regnet super nos, & cesset terra nostra à bellis, cesset ab impugnationibus carnalium desideriorum: & cum ista cessauerint tunc vnusquisque requiescet sub vite sua, & sub ficu sua, & sub oliua sua. Sub velamento enim patris & filij, & spiritus sancti requiescet anima, quæ pacem in se recuperauerit carnis, ac spiritus. Ipsi æterno deo gloria in secula seculorum. Amen.

Rom.10. 1.Cor.10. Ios.11. Zach.2.

H

De eo quod scriptum est: Munera mea, data mea, & de diuersitate festiuitatum. ex Cap. XXVIII. Homilia. XXIII.

SI obseruatio sacrificiorum, & instituta legalia, quæ in typo data sunt populo Israel, vsque ad præsens tempus stare potuissent, exclusissent sine dubio euangelij fidem per quam ex aduentu domini nostri Iesu Christi gentes conuertuntur ad deum. Erat enim in illis quæ tunc obseruabantur, magnifica quædam, & totius reuerentiæ plena religio, quæ ex ipso etiam primo aspectu obstupefaceret intuentes. Quis enim videns illud, quod appellabatur sanctuarium siue sacrarium, & intuens altare, adstantes etiam sacerdotes sacrificia consummantes, omnémque ordinem quo cuncta illa gerebantur aspiciens, non putaret plenissimum hunc esse ritum, quo deus creator omnium ab humano genere coli deberet? Sed gratias aduentui Christi, qui animas nostras auellens ab hoc intuitu, ad considerationem cœlestium, & contemplationem rerum spiritalium contulit, & destruxit quidem illa quæ magna videbantur in terris, cultumque dei à visibilibus ad inuisibilia transtulit, & à temporalibus ad æterna. Sed reuera ipse dominus Iesus Christus & aures requirit quæ hæc audiant & oculos qui hæc videant. Vnde & nos nunc legem datam per Moysen habentes in manibus, & volentes eam ostendere legem esse spiritalem, aures à vobis & oculos tales requirimus, qui non ad illa quæ sunt destructa respiciant, sed qui ibi hæc requirant, vbi Christus est in dextra dei sedes, & quæ sursum sunt sapiant, non quæ sunt supra terras. Sufficiat ergo ista præfationis loco pro iis quæ dicenda sunt, à nobis esse præmissa. Nunc autem ad ea iam, quæ scripta sunt, veniamus. [Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens. Præcipe filiis Israel, & dices ad eos. Munera mea, data mea, hostias meas, in odorem suauitatis obseruate, vt offeratis mihi in diebus festis meis, & dices ad eos. Hæ sunt hostiæ meæ, quas offeratis domino.] Nemo suum aliquid offert deo, sed quod offert domini est, & non tam sua quis offert, quàm ipsi quæ sua sunt reddit. Propterea ergo volens dominus sacrificiorũ, & munerum offerendorum sibi ab hominibus leges scribere, primo omnium ipsorum, quæ offerenda erant, aperit rationem, & dicit: Munera mea, data mea, sacrificia mea in odorem suauitatis obseruate, vt offeratis mihi in diebus festis meis. Hæc, inquit, munera de quibus vobis præcepturus sum vt offeratis mihi in diebus festis meis, data mea sunt, hoc est, à me vobis dantur. A me enim cuncta quæ habet humanum percipit genus. Ne quis ergo in offerendis muneribus beneficij se aliquid conferre crederet deo, & per hoc impius in eo ipso quo deum colere videbatur existeret: quid enim tam impium, nisi si putet homo velut indigẽti aliquid se præstare deo? necessario (vt diximus) prius edocet hominem, quo sciat se quicquid obtulit deo, reddere id ei potius quàm offerre. Sed & illud videamus quomodo ait: [Quæ offeratis mihi in diebus festis meis.] Habet ergo deus dies festos suos? Habet. Est enim ei magna festiuitas humana salus. Ego puto quod per singulos quosque credentium, per singulos qui conuertuntur ad deum, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur domini. Quomodo putas lætificat eam, cum is qui fuerat impudicus, fit castus, & fuerat iniustus, iustitiam colit, & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque conuersiones, festiuitates generant deo. Nec dubium autem quin & dominus noster Iesus Christus, qui pro salute nostra etiam sanguinem suum fudit, agat festiuitatem maximam, cum operæprecium videt esse quod se humiliauit, & formam serui suscipiens factus est obediens vsque ad mortem. Agit festa pariter & spiritus sanctus, vbi plura sibi videt in iis qui cõuertuntur ad deum, templa præparata. Nam de angelis quid dicam, ad quorum festiuitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui conuertuntur ad dominum? Aut non est illis magna festiuitas, cum lætantur in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente magis, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia? Agunt ergo etiam angeli diem festum, lætantes super iis, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum angelicis se festinant sociare consortiis. Mirum fortasse sit, quod dicere volo: Causas (vt videtur) festiuitatis & lætitiæ, nos deo & angelis damus: nos occasionem lætitiæ & exultationis in terris positi cœlo præbemus, dum super terras ambulantes, conuersationem habemus in cœlis & per hoc sine dubio diem festum cœlestibus virtutibus generamus. Sed sicut boni actus nostri, & virtutum profectus, lætitiam festiuitatémque deo & angelis gignunt: ita vereor ne mala conuersatio nostra non solum terris, sed & cœlo lamẽtationes inducat & luctus, & fortassis etiam ipsi deo luctum incutiant humana peccata. Aut non lugentis est illa vox cum dicitur: Pœnitet me, quia feci hominem super terram? Sed & illa domini & Saluatoris nostri in euangelio, vbi dicit: Hierusalem Hierusalem, quæ lapidas prophetas, & occidis eos missos ad te, quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Et ne putes quia de antiquis tantummodo dictum est quod lapidauerint prophetas: & ego hodie si prophetæ verba non audiam, si monita eius spernam, lapido prophetam, & quantum in me est, occido, cuius scilicet verba non audio, tanquam mortui. Sed & illa humanum genus lamentantis dei vox est qua dicitur per prophetam: Heu me, quoniam factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, & sicut racemus in vindemia, quia non est spica, neque botrus ad edenda primogenita. Hei mihi anima, quoniam periit reuertens à terra, & qui corrigat in hominibus non est. Domini sunt istæ voces, genus humanum lugentis. Ipse enim venit ad colligendam messem, & inuenit stipulam pro messe, & venit ad colligendam vindemiam, sed inuenit racemos paucos pro vindemia, Apostolos scilicet: quos nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, & granum frumenti nisi cecidisset in terram vt fructum plurimum faceret, sicut Sodoma facti essemus & sicut Gomorra similes fuissemus. Angelis quoque dei (sicut suprà diximus) fit gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam

Christus transtulit cultũ dei à visibilibus Mosaicis ad inuisibilia. Col.3.

Nemo offert deo sua, sed quæ sunt dei.

Deus & Angeli quando dicunt diem festum.

Gen.9. Mat.23. Mich.7. Esa.1.

I K L M

A tiam agente. Certum est quod vbi pro bonis gaudia aguntur, ibi pro contrarijs lamentetur: si ergo gaudent pro conuerso, necesse est vt lugeant pro peccante. Propterea ergo quod grande peccatum peccauit Hierusalem, secundum quod scriptum est in Lamentatione, in commotione facta est, & perierunt omnes festiuitates eius, & dies solennes eius, quoniam in loco sancto, & in die festiuitatis dominum meum Iesum Christum occiderunt. Et propterea dicit ad eos: Neomenias vestras & sabbata & dies festos vestros odit anima mea. Hic quidem, vbi de muneribus mãdatur, vbi adhuc nulla peccata sunt, dies festos meos dicit, vbi autem peccatũ est, non meos, sed vestros dies dicit dominus. Hæc autem omnia in quibus vel lugere, vel gaudere, vel odisse, vel lętari dicitur deus, tropico & humano more accipienda sunt ab scriptura dici. Aliena porro est diuina natura ab omni passionis & permutationis affectu, in illa semper beatitudinis apice immobilis & inconcussa perdurans. Quia ergo festorum leges habemus in manibus, & inde nunc sermo est, requiramus diligentius qui sit ordo festiuitatum, vt ex ipsis ordinibus & sacrificiorum ritu colligere possimus, qualiter vnusquisque ex suis actibus & conuersationibus sanctis deo festiuitatem possit parare. Prima ergo est festiuitas dei, quæ appellatur indesinens, de iis enim mandatur, quæ indesinenter, & sine vlla prorsus interruptione matutinis & vespertinis sacrificiis offerantur. Mandans igitur festiuitatum ritus, non primo statim venit ad festiuitatem paschæ, neque ad azymorum, neq; ad scenopegiæ, aliásque de quibus præcipitur, sed hãc primã posuit, in qua sacrificium indesinens mãdat offerri: quò scilicet agnoscat quisquis ille vult esse perfectus & sanctus, quia non aliquando quidem agenda est deo, aliquando verò non agenda festiuitas, sed semper & indesinenter iustus agere debet diem festum. Sacrificium nanque, quod indesinẽter, & in matutinis & in vespertinis mandatur offerri, hoc indicatur, vt in lege ac prophetis, quæ matutinũ tempus ostendunt, & in euangelica doctrina, id est, enim vespertinum, quæ vespera mundi saluatoris ostendit aduentũ, indesinenti intentione persistat. Has ergo festiuitates Dominus dicit: Et obseruabitis dies festos meos. Dies ergo festus est domini, si & sacrificium indesinens offeramus, si sine intermissione oremus, ita vt ascendat oratio nostra sicut incensum in cõspectu eius mane, & eleuatio manuum nostrarum fiat ei sacrificium vespertinum. Est igitur prima solennitas sacrificij indesinentis, quæ à cultoribus euangelij eo modo quo suprà exposuimus, debet expleri. Sed quoniam (sicut propheticus sermo perdocuit) dies festi peccatorum conuertuntur in luctum, & cantica eorum in planctum, certum est quia qui peccat, & agit diem peccati, agere non potest diem festum: & ideo illis diebus quibus peccat, offerre non potest indesinẽs sacrificium deo. Sed ille offerre potest, qui indesinenter custodit iustitiam, & C conseruat semetipsum à peccato. Qua die autem interruperit, & peccauerit, certum est quod in illa die non offert sacrificium indesinẽs deo. Vereor aliquid dicere quod ex sermonibus apostolicis intelligi datur, ne forte videar aliquos cõtristare. Nam si oratio iusti sicut incensum offertur in conspectu domini, & eleuatio manuum eius sacrificium est vespertinum, dicit autem Apostolus iis qui in coniugiis sunt: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: certum est quia impeditur sacrificiũ indesinens iis qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde videtur mihi quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Sed sunt & alij dies festi iis, qui forte non possunt indesinenter immolare sacrificia castitatis. Secunda ergo festiuitas post indesinentis sacrificij festiuitatem ponitur sabbati, & oportet sanctorum quenque, & iustum agere etiam sabbati festiuitatem. Quæ est autem festiuitas sabbati nisi illa, de qua Apostolus dicit, relinquetur ergo sabbatismus hoc est, sabbati obseruatio populo dei? Relinquentes ergo Iudaicas sabbati obseruationes, qualis debeat esse Christiano sabbati obseruatio, videamus. Die sabbati nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo desinas ab omnibus secularibus operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritalibus operibus vaces, ad ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis & tractatibus aurem præbeas, & de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad inuisibilia & futura, hęc est obseruatio sabbati Christiani. Sed hæc & Iudæi obseruare deberent. Denique etiam apud ipsos si faber, si structor, & si quis huiusmodi opificum fuerit, otiatur in die sabbati. Lector autem legis diuinæ, vel doctor, non desinit ab opere suo, & tamen sabbatum non contaminat: sic enim & dominus meus dicit ad eos: Aut non legistis, quia & sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Qui ergo cessat ab operibus seculi, & spiritalibus vacat, iste est qui sacrificium sabbati, & diem festum agit sabbatorum. Neque onera portat in via. Onus enim est omne peccatum, quemadmodum dicit & propheta: Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Neque ignem accendit: illum scilicet ignem, de quo dicitur: Ite in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. In sabbato vnusquisque sedet in loco suo, & non procedit ex eo. Quis ergo est locus spiritalis animæ? Iustitia est locus eius, & veritas, sapientia, sanctificatio, & omnia quæ Christus est, locus animæ est. Ex quo loco eam non oportet exire, vt vera sabbata custodiat, & diem festum in sacrificiis exigat sabbatorum: sicut & dominus dicebat, Qui in me manet, & ego in illo. Quod autem diximus vera sabbata, si altius repetamus quæ sint vera sabbata, vltra E hunc mundum est veri sabbati obseruatio. Quod enim scriptum est in Genesi, quia requieuit deus in die sabbati ob operibus suis, non videmus vel tunc factum esse in die septima, vel etiam nunc fieri. Semper enim videmus deum operari, & nullum sabbatum est in quo deus non operetur, in quo nõ producat solem suũ super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos, in quo non producat in montibus fœnum, & herbam seruituti hominũ, in quo nõ percutiat & sanet, deducat in infernum & reducat, in quo non occidat & viuere faciat. Vnde & dominus in Euangeliis cum Iudæi præscriberent sibi de operatione & curatione sabbati, respondit eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: ostendẽs per hæc in nullo seculi huius sabbato requiescere Deum à dispensationibus mundi, & à prouisionibus generis humani. Nam creaturam quidem fecit ex initio, & substantias protulit, quantas sciebat vtpote rerum conditor, ad perfectionem mundi posse sufficere, sed vsque ad consummationem secuii ab earum prouisione & dispensatione non cessat. Erit ergo verum sabbatum, in quo requiescet deus ab omnibus operibus suis, seculum futurum, tunc cum aufugiet dolor, & tristitia, & gemitus, & erit omnia & in omnibus deus. In quo sabbato concedat etiam nobis deus diem festum agere secum, & cum sanctis angelis suis festa celebrare, offerentes sacrificium laudis, & reddentes altissimo vota nostra, quæ hic distinxerunt labia nostra. Tunc fortassis & sacrificium F indesinens, de quo suprà exposuimus, melius offeretur. Tunc enim melius indesinenter poterit anima adsistere deo, & offerre sacrificium laudis per pontificem magnum, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Tertia festiuitas ponitur neomeniæ dies, in qua offertur & hostia. Neomenia autem dicitur noua luna. Est ergo & ista festiuitas cum Luna innouatur. Noua autẽ dicitur, cum Soli proxima fuerit effecta, & valde ei coniuncta, ita vt sub claritate eius lateat. Sed mirum fortasse videatur, imò superfluum lex diuina mandare. Quid enim religioni conducit, Lunæ nouæ, id est cum coniungitur Soli, & adhæret ei, obseruare festiuitatem? Hæc si secundum literam considerentur, non tam religiosa quàm superstitiosa videbuntur: sed sciebat Apostolus Paulus, quia non de iis loquitur lex, nec illum ritum qui à Iudæis obseruari videtur, spiritus sanctus præcepit: & ideo ad eos qui fidem dei susceperunt dicebat: Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbato, quæ sunt vmbra futurorum. Si ergo vmbra futurorum est sabbatum, de quo pro viribus suprà explicuimus, & neomenia vmbra futurorum est, certum est quòd & cæteræ festiuitates similiter vmbrę sunt futurorum. Sed nunc videamus de neomenia. Diximus quod neomeniæ festiuitas appellatur, cum Luna innouari cœperit, & Soli proxima fuerit, penitúsque coniuncta. Sol iustitiæ Chri-

Margin notes: Thren. 2 — Esa. 1 — Ordo festorum. — B Sacrificiũ iuge. — Deut. 5 — 1. Cor. 7 — Cuius sit offerre sacrificium iuge. — Sabbati solennitas secunda. — Heb. 4 — Sabbatum Christianũ. — D — Ioan. 7 — Psal. 38 — Esa. 50 — Ioan. 15 — Verum sabbatum sæculum futurum. — Gen. 2 — Ioan. 5 — Deus cessauit à vera prima productione sed non pro uisione. — Neomenia tertia festiuitas. — Col. 2

G stus est: huic si Luna, id est, ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, iuncta fuerit, & penitus ei adhæserit, ita vt secundum verbum Apostoli, qui se iungit Domino vnus cum eo spiritus fiat, tunc festiuitatem neomeniæ agit: tunc enim noua efficitur cum abiecerit veterem hominem, & induta fuerit nouum, qui secundum Deum creatus est: atque ita merito innouationis solennitatem, quæ est neomeniæ festiuitas, geret. Tunc denique est quando neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus potest. Anima enim cum tota se sociauerit Domino, & splendori lucis eius tota concesserit, nihilque omnino terrenum cogitat, nihil mundanum requirit, nec hominibus placere studet: sed totam se sapientiæ, totam lumini, totam calori sancti spiritus mancipauerit, subtilis & spiritalis effecta, quomodo cerni ab hominibus, aut ab humanis potest conspectibus apprehendi? Animalis nanque homo intelligere & discernere non potest spiritalem. Et ideo dignissime diem festum aget, & hostiam neomeniç Domino, vtpote per ipsum innouata, iugulabit. Quarto in loco ponitur inter festiuitates Dei, paschæ solennitas, in qua festiuitate agnus occiditur. Sed vide tu agnum verum, agnum Dei, agnũ qui tollit peccatum mundi, & dicito, quia pascha nostrum im molatus est Christus. Iudæi carnali sensu comedant carnes agni, nos autem comedamus carnem verbi Dei. Ipse enim dixit: Nisi comederitis carnes meas, non habebitis vitam in vobis ipsis. Hoc quod modo loquimur, carnes sunt verbi Dei, si tamen non quasi infirmis holera, aut quasi pueris lactis alimoniam proferamus. Si perfecta loquimur, si robusta, si fortiora, carnes vobis verbi Dei apponimus comedendas. Vbi enim mysticus sermo, vbi dogmaticus & trinitatis fide repletus profertur ac solidus, vbi futuri seculi amoto velamine literæ legis spiritalis sacramenta panduntur, vbi spes animæ auulsa de terris iactatur in cœlos, & in illis collocatur, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, hæc omnia carnes sunt verbi Dei: quibus qui potest perfecto intellectu vesci, & corde purificato, ille vere festiuitatis paschæ immolat sacrificium, & diem festum agit cum Deo, & angelis eius. Post hanc, imò continuata huic festiuitas sequitur azymorum, quam merito celebrabis, si extermines omne fermentum malitiæ, & nequitiæ, ab anima tua, & azyma synceritatis, veritatisque custodias. Neque enim putandum est, omnipotentem Deum leges homini pro fermento scribere, & propterea iubere exterminari animam de populo suo, si qua forte parum aliquid fermenti huius ex farina consparsi in domo sua habuisse deprehenditur: eámque curam magnopere fuisse diuinæ maiestati, qua fermenti huius causa in tantum se dicat offendi, vt animam, quam ipse ad imaginem & similitudinem suam fecit, exterminari pro hoc iubeat, & euerti: non mihi videtur hæc diuinis legibus digna esse intelligentia: sed illud magis est quod horrescit, & merito horrescit Deus, si malitiæ, si iræ, si nequitiæ spiritu infermentetur anima, & intumescat ad flagitia. Hæc non vult esse in anima Deus, & tale fermentum nisi abiecerimus de domo animæ nostræ, merito exterminabimur. Sed ne contemnas etiam si paruam videris intra te fermentari malitiam, quia modicum fermenti totam massam corrumpit: & ideo neque de paruo peccato negligas, quoniam ex vno peccato generatur & aliud. Sicut enim ex iustitia generatur iustitia, & ex castitate castitas. (Si quis enim primo tenuiter castus esse cœperit, accepto castitatis fermento quotidie castior efficitur,) ita & qui semel intra se licet paruum malitiæ reposuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur ac deterior. Et ideo si vis agere azymorum festiuitatem cum Deo, ne paruum quidem malitiæ fermentum intra te patiaris. Post hanc sequitur sexta festiuitas, quæ dicitur nouorum, id est, cum primitiæ de nouis fructibus offeruntur. Vbi enim seminatus fuerit ager, & diligenter excultus, atque ad maturitatem peruenerit seges, tunc fructuum perfectione festiuitas Domini geritur. Si ergo & tu vis nouorum diem festum agere cum Domino, vide quomodo semines, aut vbi semines, vt possis tales metere fructus, ex quibus lætari facias Deum, & agere diem festum. Quod aliter implere non poteris, nisi audias Apostolum dicentem: Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Si sic semines, & sic metas, vere diem festum ages nouorum. Propterea denique & Propheta admonet, dicens: Innouate vobis noualia, & nolite seminare super spinas. Qui ergo cor suum, & interiorem hominem renouat de die in diem, iste sibi innouat noualia, & non seminat super spinas, sed super terram bonam, quę reddat ei fructum tricesimum, aut sexagesimum, aut centesimum. Iste ergo est, qui in spiritu seminat, & colligit fructum spiritus. Fructus autem spiritus, primum omnium est gaudium. Et merito diem festum nouorum fructuum agit, qui gaudium metit: præcipue si simul metat & pacem, & patientiam, & bonitatem, & mansuetudinem, aliósque horum similes fructus si colligat, dignissime nouorum fructuum festiuitatem Domino aget. Tunc deinde sequitur, festiuitas septimorum. Sicut enim inter dies septimus, quisque dies obseruatur sabbatum, & est festiuitas, ita & inter menses septimus quisque mensis sabbatum est mensium. Agitur ergo in eo festiuitas, quæ dicitur sabbata sabbatorum, & fit in die prima mensis tubarum memoria. Sed quis est qui festiuitatem gerat memoriæ tubarum, nisi qui potest scripturas propheticas, & Euangelicas atque apostolicas, quæ veluti cœlestis quædam personant tuba, mandare memoriæ, & intra thesaurum cordis sui recondere? Qui ergo hæc facit, & in lege Dei meditetur die ac nocte, iste festiuitatem gerit memoriæ tubarum. Sed & si quis potest gratias illas sancti spiritus promoueri quibus inspirati sunt Prophetæ, & psallens, dicere: Canite initium mensis tuba in die insignis solennitatis eius, & qui scit in Psalmis iubilare ei, digne agit solennitatem tubarum. Est adhuc & alia festiuitas, cum affligunt animas suas, & humiliant se Deo festa celebrantes. O mira festiuitas, dies festus vocatur afflictio animæ. Hic enim, inquit, dies est propitiationis decima die mensis septimi. Vide ergo, si vis diem festum agere, si vis vt lętetur Deus super te, afflige animam tuam, & humilia eam. Non ei permittas explere desideria sua, nec concedas ei lasciuiis euagari, sed inquantum fieri potest, afflige & humilia eam. Denique paschæ festiuitas, & azymorum, panem afflictionis habere dicitur: nec potest quis agere diem festum, nisi afflictionis panem manducauerit, & manducauerit pascha cum amaritudine. Manducabitis enim, inquit, azyma cum amaritudine, siue picriis. Audis ergo quid essent festiuitates Dei: non recipiunt dulcedinem corporalem, nihil remissum, nihil voluptuosum, aut luxuriosum volunt, sed afflictionem animæ & amaritudinem, humilitatémque deposcunt, quia qui se humiliat, ipse exaltabitur apud Deum. Hoc ergo deposcit & propitiationis dies. Cum enim afflicta fuerit anima, & humiliata in conspectu Domini, tunc ei repropitiatur Deus, & tunc ad eam venit ille, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine suo, Christus Iesus Dominus & redemptor eius. Iam verò vltimus dies festus Dei quis sit quo Deus lætatur in homine, videamus. [Scenopegia, inquit.] Lætatur ergo super te, cum te viderit in hoc mundo in tabernaculis habitantem, cum te viderit non habere fixum & fundatum animum, ac propositum, super terras, nec desiderantem quæ terrena sunt, nec vmbram vitæ huius quasi possessionem propriam, & perpetuam deputantem: sed velut in transitu positum, & ad veram illam patriam vnde egressus es, paradisi festinantem, ac dicentem: Incola ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. In tabernaculis enim habitauerunt & patres, & Abraham in casulis, id est, in tabernaculis habitauit cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Cum ergo incola fueris, & peregrinus in terris, & non est mens tua fixa & radicata in desideriis terrenorum, sed paratus es vt cito transeas, & paratus es extendere te semper ad interiora, vsquequo peruenias ad terram fluentem lac & mel, & hæreditatem capias futurorum: si te inquam, positum in his videat Deus, lætatur in te, & diem festum agit super te. Hæc quidem in præsenti, in futuro vero, si vis considerare quomodo agantur dies festi, erige paululum si potes sensus tuos à terra, & obliuiscere paulisper hæc quæ habentur in facie. Describe verò tibi quomodo cœlum & terra transeant, & transit omnis hic habitus mundi, cœlum verò nouum, & terra noua fundetur. Amoue de conspectibus tuis etiam Solis huius lucem, & da illi mundo

Marginalia: Ecclesia noua luna. 1 Cor. 6. Ephe. 4. Pascha 4. festiuitas. Ioan. 6. Festũ quintum azymorum. Paruũ peccatum non negligendũ. Sexta festiuitas pentecoste. Gal. 6. Gal. 5. Septima festiuitas sabbatum siue tubarũ. Octaua festiuitas expiationis. Exod. 12. Rom. 3. Nona festiuitas Scenopegia. Psal. 39. Hebr. 11. 1. Cor. 7. Apoc. 21. Esa. 30. (Section letters: G, H, I, K, L, M)

A mundo quiventurus est, Solis septuplum lumen. Imò potius secundum scripturæ auctoritatem ipsum ei da dominum lucem. Pone adstantes angelos gloriæ, pone virtutes, potestates, sedes, dominationes, atque omne nomen clarissimarũ cœlestiúmque virtutum, non solum quod in præsenti seculo nominatur, sed quod etiam in futuro. Inter hos omnes cõsidera, & coniice quomodo agi possint dies festi domini: quę ibi festiuitas, quæ gaudia, quæ lætitiæ magnitudo. Nam de iis quas suprà diximus spiritalibus festiuitatibus etiam si magnæ sint & veræ, præcipue cum spiritaliter gerũtur in anima, magna tamen ex parte sunt, non ex integro. Sicut enim dixit Apostolus, quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus: ita consequens est, vt ex parte diem festum geramus. Vt autem scias hæc ita esse, redeamus ad ipsius Pauli sermonem, quem de diebus festis & neomeniis posuit: & vide quomodo obseruanter dixit: Nemo ergo, ait, vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi. Attẽde ergo diligentius quomodo non dixit in die festo, sed in parte diei festi. Ex parte enim & non ex integro diem festum in hoc mundo positi celebramus. Interpellamur enim etiam si nolumus ab onere carnis, pulsamur à concupiscentiis eius, cursíque & sollicitudinibus terebramur. Corpus enim corruptile (vt ait ille sapientissimus) aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Ex parte ergo in hoc mundo sancti agunt diem festum,

Col.2

Sap.9.

B quia & ex parte sciunt, & ex parte prophetant. Cum autem venerint quæ perfecta sunt, destruentur ista quæ ex parte sunt. Sicut enim perfectæ scientiæ cedit ista quæ ex parte est, & perfectæ prophetiæ cedit ista quæ ex parte est: ita & perfectæ festiuitati cedit ista quæ ex parte est festiuitas. Neque enim quod perfectum est mundus iste capere potest, vbi (vt diximus) necessitas corporis nunc cibum, nunc potum, nunc somnum suggerit, nunc etiam quantamcunque necessario vitæ præsentis sollicitudinem mouet, quæ omnia interrumpũt sine dubio continuationem festiuitatis dei. Cum autem venerit illud quod dictum est de iis qui restituuntur in sancta, si tamen & nos ex iis esse mereamur qui restituendi sunt, qui neque esurient, neque sitient, neque dormitabunt, neque laborabunt, sed erunt peruigiles, sicut angelorum vita peruigil dicitur: cum in illum ordinem restitui merebimur, tunc erit vera, & incorrupta festiuitas, cuius festiuitatis princeps & sponsus & dominus erit ipse Iesus Christus Saluator noster, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

De sacrificiis quæ per vnamquanque festiuitatem iubentur offerri, & de votis quæ vouentur deo. Ex Num. Cap.
XXVIII. XXIX. XXX.
Homilia XXIIII.

C

OMNES qui imbuendi sunt eminentioribus disciplinis, tandiu molestum ducunt rudimentorũ laborẽ, donec quis sit & disciplinæ illius ad quã introducuntur finis & fructus ignorant. Cũ verò imbutos per ordinem perfectio consecuta fuerit disciplinæ, tunc delectabit rudimentorum pertulisse molestias. Sunt ergo & in sanctis, ac diuinis rebus prima quædam rudimenta, quibus inducuntur ij, qui ad perfectionem beatitudinis tendunt. Quod euidenter famulus dei in cantico Exodi designat dicens: Induc, & planta eos in monte hæreditatis tuæ in præparata habitatione tua, quam præparasti domine. Paulus quoque Apostolus sciens esse quædam prima imbuendi initia, tunc deinde per tempus etiam ad perfectionem veniri, scribens quibusdam dicebat: Etenim cum deberitis iam magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt doceamini quæ sint elementa exordij sermonum dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non cibo forti. Omnis enim qui lacte alitur, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum verò cibus solidus est, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali. Et iterum in aliis, literam legis, omnemque huiusmodi scripturam elementa mundi esse commemorat. Et nunc ergo ea quæ pertinuerunt ad illos, qui primis imbuebuantur elementis, molesta nobis primo videntur auditu. Volenti enim vnicuique auditorum discere de iis quæ ad salutem pertinent, cum de sacrificiis arietum & hircorum vitulorúmque

In eminentioribus disciplinis rudimenta.

Exod.15

Heb.5

Gal.4
Col.2

D recitatur, nihil sibi vtilitatis conferre huiusmodi literas iudicant, quantum ad ipsum spectat auditũ. Si verò quis inueniatur qui possit velamen quod est impositum in lectione veteris testamenti, remouere, atque inde perquirere quæ sint vera sacrificia, quæ purificent populum in diebus festis: tunc videbit quã mira, & magnifica sunt, quę per hęc indicantur, quæ superflua ignorãtibus ac superstitiosa ducũtur. Sed hæc quidem Paulus & si qui ei similes sunt, plenius ab ipsa sapientia & verbo dei perfectiúsque cognouerint: nos autem quãtũ ex ipsorũ literis colligere possumus, in quibus nobis velut per vmbrã & imaginẽ indicia quædam dederunt, ad ædificationem communem discutere summatim de sacrificiorũ ritu aliqua tentabimus. In Paschæ festiuitate agnus scribitur esse qui purificat populum, in aliis vitulus, in aliis hircus aut aries, vel capra, vel vitula, sicut ex iis quæ recitata sunt didicistis. Vnus ergo ex iis animalibus, quæ ad purificandum populum sumuntur, est agnus. Qui agnus ipse esse dicitur dominus & Saluator noster. Sic enim intellexit Ioannes qui est maior omnium prophetarum, & signauit de ipso dicẽs: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quod si agnus qui ad purificandum populum datus est, ad personam domini & Saluatoris nostri refertur, consequens videtur quod etiam cætera animalia, quæ eisdem purificatiuis vsibus deputata sunt, referri debeant similiter ad aliquas personas, quæ per meritum sanguinis Christi purificationis aliquid humano generi

Num.28

Agnus Christus
Ioan.1

E conferant. Vide ergo ne forte sicut dominus & saluator noster, quasi agnus ad occisionem ductus, & in sacrificium altaris oblatus, peccatorũ remissionem vniuerso præstitit mũdo: ita fortassis & cæterorum sanctorum, ac iustorũ sanguis, qui effusus est à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ prophetæ, qui interfectus est inter ædem & altare: alterius quidem sanguis sicut vitulæ, alterius sicut hirci, aut capræ, aut alicuius horum fusus est ad expiandum pro parte aliqua populũ. Siuè hæc ad iustorum, prophetarúmque personas, qui in hoc mundo iugulati sunt, vel eorum qui dicunt: Quoniam propter te morte afficimur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis, referenda videantur: siue etiam ad superiores virtutes, quibus procuratio humani generis data est, quis facile audeat affirmare? Neque enim hæc animalia per speciem, sed per figuram referri ad illam, vel illam putanda sunt. Nam & ipse dominus Iesus Christus, non ideo agnus dicitur quasi qui mutatus sit, & couuersus sit in speciem agni. Dicitur tamen agnus, quia voluntas, & bonitas eius qua deum repropitiauit hominibus, & peccatorum indulgentiam dedit, talis extitit humano generi quasi agni hostia immaculata & innocens, qua placari hominibus diuina creduntur. Sic ergo fortassis & si quis est angelorum, cœlestiúmque virtutum, aut si quis iustorum hominum, vel etiam sanctorum prophetarum, atque apostolorũ, qui enixius interueniat pro peccatis hominum: hic pro repropitiatione diuina, velut a-

Animalia alia ab agno sacrificiis deputata adũbrabant intercessionem sanctorum, Martyrum Tanti faciebant Martyrium veteres persecutionum tempore.

Psal.44

F ries, aut vitulus aut hircus, oblatus esse sacrificium ob purificationem populo impetrãdam accipi potest. An non videtur vt aries, aut hircus holocaustum se obtulisse Paulus pro populo Israel, cum dicebat: Optabam autem ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem? Vis autem scire, quia se hostiam Paulus offerat iugulandum? Audi eum in aliis dicentem: Iam enim ego immolor & tempus resolutionis, vel (vt in Græcis codicibus legimus) reuersionis meæ instat. Sic ergo figuraliter potest videri, quod alius pro festiuitate nouorum, alius pro festiuitate sabbati, alius pro festiuitate tabernaculorum, quasi hircus, aut vitulus, aut aries offeratur ad reconciliandum hominibus deum. Donec enim sunt peccata, necesse est requiri & hostias pro peccatis. Nam pone (verbi gratia) non fuisse peccatum: si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari: sed mansisset hoc quod in principio erat deus verbũ, verum quoniam introiit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessariũ fuit prouideri hostiã pro peccato. Et quoniam peccati ipsius diuersæ & variæ qualitates fuerunt, diuersorum animalium mandantur hostiæ, procul

Rom.9

2.Tim.4
Parenthesim hanc de suo addidit interpres.

Christus nõ fuisset corporatus, si non fuisset peccatum.

G dubio quæ conuenirent varietatibus peccatorum. Sic ergo efficitur alius ſanctorum, ſiue angelorum (vt diximus) ſiue hominum vitulus, qui in illa feſtiuitate interueniat pro populi delictis: aliud autem aries in alia feſtiuitate: quorum interceſſione fiat purificatio pro peccatis. Quod ſi purificari potuerint homines à peccatis, & eſſe puriores, minuuntur & hoſtiæ. Si enim pro peccatis ſunt hoſtiæ, & pro multitudine peccatorum multiplicatæ ſunt, ſine dubio & pro exiguitate minuuntur. Huius autem rei in præſentibus locis ſcripturæ habemus indicia, id eſt, in vltima feſtiuitate Scenopegiæ, cum per octo dies hoſtiæ iubentur offerri. Et prima quidem die quaſi adhuc in abundantia peccatorum, quatuordecim vituli iubentur offerri. Secunda autem die imminutis vtpote peccatis minuuntur & hoſtiæ, & tredecim vituli offeruntur. Tertia die duodecim, & poſt hæc vndecim: & ita quaſi deficiente per dies multitudine peccatorum, minuitur conſequenter etiam numerus hoſtiarum. Sic etiam per diſpenſationem totius mundi ratio eſt purificationis & intellectuum.

Terreſtriū, cœleſtium, & infernorum purificatio.

Indigent enim purificatione, non ſolum quæ in terra ſunt, ſed quæ in cœlis. Imminet nanque & cœli perditio, ſic enim dicit Propheta: Cœli peribunt, & omnes vt veſtimentum veteraſcent, & ſicut amictum inuolues eos, & mutabuntur. Intuere igitur totius mundi, id eſt, cœleſtium, ac terreſtrium, & infernorum purificationem: vide quantis indigeant iſta omnia hoſtiis, quantos requirant vitulos, quantos arietes, quantos hircos.

Pſal. 102.

H *Quare hoſtiæ veteres ceſſauerint*

Sed & in his omnibus vnus eſt agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum, & ideo ceſſauerunt cæteræ hoſtiæ: quia talis hæc fuit hóſtia, vt vna ſola ſufficeret pro totius mundi ſalute. Cæteri enim precibus peccata, hic ſolus poteſtate dimiſit. Dicebat enim: Fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

Chriſtus ſolus remittit peccata poteſtate. *Mat. 9.*

Sic ergo imbuitur mundus, primo per diuerſas hoſtias remiſſionem quærere peccatorum, donec veniat ad hoſtiam perfectam, ad hoſtiam cōſummatam, agnum anniculum, perfectum, qui tollat peccata totius mundi: per quem feſtiuitates agat ſpiritales, non ad ſatietatem carnis, ſed ad profectum ſpiritus ſacrificiis ſpiritalibus purificatione mentis oblatis. Decet enim Deo immolari victimam cordis, & hoſtiam contribulati ſpiritus, non carnis & ſanguinis iugulari: quia & ſi agnouimus Chriſtum aliquando ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus: & ideo in ſpiritu diem feſtum agamus, & ſpiritalia ſacrificia iugulemus. Hæc pro viribus noſtris de diuerſitate ſacrificiorum diſcuſſa ſint, quorum ad liquidum intelligentiam ſcit ille, cui nuda & reuelata ſunt omnia, nec eſt vlla creatura in conſpectu eius viſibilis. Poſt hæc votorum lex ponitur, & nouo principio vtitur in hac legiſlatione Moſes. Ait enim: [Homo homo quicunque vouerit votum Domino.] Quæ eſt iſta repetendi nominis cauſa? Quaſi non ſufficeret dixiſſe, Homo qui vouerit votum Domino. Quid eſt

I ergo quod ait, homo homo, & quid ſibi velit ingeminata hominis appellatio, non mihi ſilentio prætereundum videtur.

Duplex homo, interior & exterior. *2. Cor. 4.*

Apoſtolus docet alium eſſe interiorem hominem, & alium exteriorem: & illum eſſe qui renouatur de die in diem ſecundum imaginem eius qui creauit eum: hunc verò eſſe viſibilem, qui corrumpitur. Cum ergo venitur ad iſtum iam profectum, vt lex Dei ſuſcipiatur, & vota Domino offerantur: vota autem Domino offerre nemo poteſt, niſi qui habet aliquid in ſemetipſo, & in ſubſtantia ſua quod offerat Deo: non ſufficit iſte exterior homo legem Dei ſuſcipere, nec vota ſolus offerre, non enim poteſt aliquid dignum Deo habere: ſed ille interior eſt homo, qui magis habet in ſe quod offerat Deo. In illo nanque eſt habitaculum virtutum, in illo omnis intellectus ſcientiæ, in illo eſt diuinę imaginis innouatio. Qui cum ſpeciem ſuam, qua ex initio à Deo factus eſt, recuperauerit, & virtutum redintegratione pulchritudinem priorem formæ receperit, tunc iam poteſt vota offerre Deo, & tunc iam non homo ſolum, ſed homo homo dicetur. Nam qui interiorem hominem non excolit, qui illius curam non gerit, qui virtutibus eum non inſtruit, moribus non adornat, diuinis inſtitutionibus non exercet, ſapientiam Dei non quærit, ſcientiæ ſcripturarum operam non impendit, hic non poteſt homo homo dici, ſed homo tantum, & homo animalis. Quia ille interior, cui verius & nobilius homo nomen eſt, ſopitus in eo eſt carnalibus vitiis, & mundi huius curis ac ſollicitudinibus obrutus, ita vt in eo nec nominis eius haberi poſſit appellatio. Vnde ſatiſagendum eſt vnicuique noſtrum, vt ſi forte videt in ſe interiorem hominem peccatorum ſordibus, &

K vitiorum ruderibus oppreſſum iacere, citius ab eo auferat omnes immunditias, citius eruat eum ab omni inquinamento carnis & ſanguinis, conuertatur aliquando ad pœnitentiam, reuocet ad ſe memoriam Dei, reuocet ſpem ſalutis. Non enim extrinſecus aliunde quærenda ſunt, ſed intra nos eſt ſalutis occaſio, ſicut & Dominus dixit: Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. Intra nos nanque eſt conuerſationis facultas. Cum enim conuerſus ingemueris, ſaluus eris, & tunc poteris digne altiſſimo reddere vota tua, & homo homo appellari.

Luc. 17.

Votum autem eſt, cum aliquid de noſtris offerimus Deo. Vult ergo à nobis prius aliquid accipere Deus, & ita nobis aliquid ipſe largiri, vt dona ſua & munera merentibus & non immeritis, largiri videatur.

Votū quid.

Quid autem eſt quod vult accipere à nobis Deus? Audi ſcripturæ ſententiam: Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus poſcit à te, niſi vt timeas Dominum deum tuum, & ambules in omnibus viis eius, & diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis? Hæc ſunt ergo quæ Deus poſcit à nobis. Quæ ſi non prius offeramus, ab ipſo accipiemus nihil.

Deut. 6.

Legimus & in alio loco: Date gloriam Deo, & date magnificentiam Deo. Si dederitis gloriam, recipietis gloriam. Sic enim dicit ipſe Deus: Glorificantes me, glorificabo.

Hier. 13. *1. Reg. 2.*

L Ego verò dico, quod & ſi offeramus ei iuſtitiam noſtram, accipiemus ab ipſo iuſtitiam Dei. Et ſi offeramus ei noſtram, id eſt, corporis caſtitatem, accipiemus ab ipſo ipſius caſtitatem. Et ſi offeramus ei ſenſum noſtrum, accipiemus ab ipſo ſenſum ipſius. Sicut & Apoſtolus dicebat, nos autem Domini Chriſti ſenſum habemus. Cum autem non obtulerimus Deo quæ in nobis ſunt, & ille contulerit in nos quæ ſua ſunt, tunc vere iam non homo ſolum, ſed homo homo dicetur. Vterque enim homo vocabuli ſui perfectione decenter ornatus eſt. Iſta ſunt ergo vota, quæ debet exſoluere is, qui homo homo appellatur.

1. Cor. 2.

Scio diuerſa vota in ſcripturis referri. Anna quidem vouit Deo fructum ventris ſui, & Samuelem conſecrauit in templo. Alius, quodcunque ſibi poſt victoriam redeunti occurriſſet vouit Deo, occurrente filia, vota lachrymanda perſoluit. Alij vitulos, aut arietes, aut domos, aut alia huiuſmodi ratione carentia, vota offerunt Deo.

Diuerſa vota. *1. Reg. 1.* *Iephte Iud. 11.*

Ille verò qui appellatur Nazaræus, ſemetipſum deuouit Deo. Hoc eſt enim votum Nazaræi, quod eſt ſuper omne votum. Nam filium offerre, vel filiam, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos eſt. Semetipſum Deo offerre, & non alieno labore, ſed proprio placere, hoc eſt perfectius & eminentius omnibus votis: quod qui facit, imitator eſt Chriſti.

Nazaræorū votum omnium præſtantiſſimū.

M Ille enim dedit homini terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, ad obſequium, dedit & cœlum, Solem quoque & Lunam, ac ſtellas, hominum miniſterio conceſſit: pluuias, ventos, & omne quicquid in mundo eſt, hominibus largitus eſt. Sed poſt hæc omnia, ſemetipſum dedit. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro mundi huius vita. Quid ergo magnum faciet homo, ſi ſemetipſum offerat Deo, cui ipſe ſe prior obtulit Deus? Si ergo tollas crucem tuam, & ſequaris Chriſtum, ſi dicas: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus, ſi deſideret & ſitiat anima noſtra redire, & eſſe cum Chriſto, ſicut & Apoſtolus dicebat, & præſentis ſeculi non delectatur illecebris, & ſi omnem legem quæ de Nazaræis data eſt, ſpiritaliter impleat, tunc ſemetipſum, id eſt animam ſuam, obtulit Deo.

Ioan. 3. *Matt. 16.* *Gal. 2.*

Qui in caſtitate viuit, corpus ſuum vouit Deo, ſecundum eum qui dixit: Virgo autem cogitat quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nam & hoc ipſum quod dixit ſancta, ad hoc reſpicit: Sancti enim dicuntur illi, qui ſe vouerunt Deo. Vnde & aries (verbi cauſa) ſi vouetur Deo, ſanctus appellatur, quem tonderi ad communes vſus non licet. Sed & vitulus ſi deuotus fuerit Deo, ſanctus nihilominus appellatur, nec licet eum iungi in opus commune. Ex iis ergo colligamus quid eſt hominem vouere Deo. Si te voueris Deo, imitandus tibi eſt vitulus, quem non licet humanis operibus deſeruire, nihil facere, quod ad homines & ad præſentem pertineat vitam. Sed quicquid ad animam pertinet, & ad diuini cultus obſeruantiam, hoc & agendum & cogitandum

1. Cor. 7.

tibi

A tibi est. Sed interim præsens lectio cõtinet diuersitates quasdam votorum. Etenim si vir fuerit qui vouit, liber esse dicitur in votis suis, nullisque subiectus. Mulier autem si voueat, si quidem in domo patris sui sit, votum eius in patris pendet arbitrio: & si quidem ille recusauerit, liberabitur. Si verò non recusauerit, & ipse & filia tenentur obnoxij. Quod si posteaquam non recusauerit pater, non reddiderit votum filia, peccatum ipsi manet. Similiter autem & erga maritum decernitur, vt si in domo mariti vxor aliquid vouerit, & audiens maritus non recusauerit, reus sit voti pariter cum vxore. Si verò recusauerit, tam vxor sit libera, quã maritus. Si verò tacuerit vterque (vt diximus) reus habeatur. Hæc sunt quidem quæ scripta sunt: sed orandus est nobis deus, vt intellectũ dare dignetur se dignum, quo hæc vt decet de Dei verbis intelligere possimus & aduertere. Omnes qui sub lege dei viuimus, & in ecclesia eius habemur, aliquid sub patribus, aliquid sub viris agimus. Et si quidem paruula est anima & initia habet in eruditionibus diuinis, hæc sub patre agere credenda est. Si verò iam adultior facta est, ita vt viripotens sit ad concipiendum semen verbi dei, & doctrinæ spiritalis capere secreta, hæc sub viro posita dicitur. Sic enim & Paulus dicebat de Corinthiis: Volo autem omnes vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Qui verò perfectiores sunt & eminentiores horum, de illis non dicitur quòd sub viro sint, sed audi quomodo de semetipso suique similibus pronunciet Paulus: Donec occurramus, inquit, omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Huic ergo animæ, quæ in virum perfectum occurrit, nemo dominatur in votis, sed habet potestatem suorum libertatémque votorum. Si autem fœminei adhuc generis fuerit anima, cui vel vir vel pater dominetur in votis, non semper in ipsa est culpa, sed interdum redit ad viros vel parentes. De quibus applicare difficile sit, tamen quæ domino largiente potuerint, inferemus. Sæpe diximus animarum quæ in ecclesia dei sunt, curam procurationémque haberi per angelos, quosq; etiam ad iudicium venire cum hominibus ostendimus, vt illo diuino constet examine, vtrum sua desidia peccauerint homines, an monitorum custodúmque negligentia, videtur mihi etiam in hoc loco, etiam sub mysterio designari & ostendi, quod aliæ quidem vt filiæ superis animæ degunt, aliæ vt vxores secundum ea quæ superius distinximus. Si qua ergo harum offerre aliquid & vouere cupiat deo, si quidem præproperum, & minus aptum quod vouit est, illius est, vtpote custodis & monitoris angeli, retrudere & reprimere vouentis audaciam. Si verò audiens non represserit, nõ monuerit, anima quidem liberabitur à culpa, ipse verò voti manebit obnoxius. Hoc quidem erga inferiores quasque fieri accipiendum est, perfectioribus ipse adest deus, sicut scriptũ est de populo Israel: Dominus ipse deducebat eos. Postea verò quàm deliquerunt, & inferiores semetipsis facti sunt, angelo traduntur. Vnde & Moyses dicebat: Nisi tu ipse veneris nobiscum non me educas hinc. Sed & de iusto dicit deus: Cum ipso sum in tribulatione, & alio dicit: Non timeas descendere in Ægyptum, quoniam tecum ero. Iustis ergo & electis ipse adest dominus: inferioribus verò adsunt angeli, secundum ea quæ superius diximus. Sed contendere debemus vt occurramus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt vtamur libertate votorum, & ita adhærere domino festinemus, vt cum ipso vnus spiritus simus, & ipse in nobis maneat, & nos in ipso: & nihil in nobis fœmineum, nihil paruulæ ætatis habeatur, ne necesse sit nobis sub tutoribus & procuratoribus derelinqui à patre: sed festinemus audire illam à domino & saluatore nostro vocem, qua ait, ipse pater diligit vos: ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

2.Cor.11 / Eph.4 / Caue. / Exod.33 / Psal.91 / Gen.36

De vltione quæ in Madianitis facta est. Ex Num. Cap. XXXI. Homilia XXV.

IN superioribus fornicati sunt filij Israel cum mulieribus Madianitarum, & hoc fuit scandalum filiis Israel in quo offenderunt deum, & ad iracundiam prouocauerunt sanctum Israel. Nunc autẽ posteaquam pertulit Israel quæ pertulit, [locutus est, inquit, D dominus ad Moysen dicens: Vlciscere vltionem filiorum Israel de Madianitis, & ad vltimum apponeris ad populum tuum.] Igitur scandala quæ acciderant Israelitis, quoniã tergiuersatione Madianitarum acciderant: ipsi enim subornauerunt mulieres quæ eos deciperent vt peccarent coram domino: illi quidem pro peccato suo pertulerunt vindictam, mediocrius tamen & parcius: hi verò, qui eis fuerunt causa peccandi, multo vehementiori subiacent vltioni. Vnde edocemur, quia longe sit grauius aliis causam præbere peccati, quàm ipsum vnumquemque peccare. Sicut & dominus designat cũ dicit, quia melius fuerat homini illi nõ nasci, aut molã asinariam alligari circa collum eius, & præcipitari in profundum maris, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. Simulque aduertendum est, quoniam quidem nomen scandali à nonnullis incompetenter præsumitur. Illud igitur scandalum dicitur, vbi recto itinere ambulanti deceptio aliqua instruitur ad peccandum, & subijcitur causa peccati: sicut & Madianitæ, ambulantibus in lege domini Israelitis, & custodientibus castitatem, subornauerunt mulieres, quæ eos deciperent ad peccandum. Causam ergo præbere peccati, hoc est scandalizare. Veruntamen datur vindicta, sed multo grauior in eos qui scandalizauerunt, & qui causam peccati præbuerunt, quàm in eos qui peccauerunt. Simul autem E & illud obserua, quod iis subiecit: [Nouissime autem, inquit, & tu apponeris ad populum tuum.] Si quando nobis cum Samaritis sermo est, quoniamquidem resurrectionem mortuorum negant, nec recipiunt futuri seculi fidem, perurgeamus eos ex iis verbis, quibus dominus dicit ad Moysen, quia apponatur ad populum suum. Nemo enim apponitur ad eos, qui non sunt. Vnde constat esse aliquem populum, cui Moyses post vitæ huius exitum dicitur applicandus. Quia ergo prophetis non credunt Samaritæ, ex quibus posset resurrectionis mortuorum latius fides approbari, ex iis saltem Mosei libris, quos recipiunt, & quorum auctoritatem fatentur, conuincendi sunt & curandi, si tamen oportet Babyloniam curari. Est ergo locus hic resurrectionem mortuorum euidenter ostendens. Designat enim esse populum, cui post obitum suum Moyses adiungendus sit, & ad quos pro suis meritis transferendus. [Post hæc locutus est Moyses ad populum dicens: Armate ex vobis viros, & belligerate aduersum Madian, reddere vindictam in Madian à domino: mille ex tribu, & mille ex tribu, ex omnibus tribubus Israel mittite ad belligerandum.] Attendite lectioni. Non solum enim ad auditum sermonum, sed ad rerum considerationem intendendus est animus. Recordare præterita, audi præsentia, quæ sequuntur aduerte. Confer priora posterioribus, & diuinarum virtutum magnificentiam contemplare. Filij Israel dudum sexcenta milia fuerant armatorum, qui processerant aduersum Madian, & hi omnes F victi sunt, quoniam peccatum erat in ipsis. Nunc verò victores Madianitæ, qui sexcenta milia fugauerant, vincuntur à duodecim milibus, vt scias quia non in multitudine, nec in numero militũ vincit Israel, sed iustitia & pietas est in eis quę vincit. Propterea denique & in benedictionibus eorum dicitur: quia si seruauerint legem domini, vnus ex ipsis persequatur mille, & duo vertant decem milia. Vides ergo, quia multo plus valet vnus sanctus orando, quàm peccatores innumeri præliando. Oratio sancti penetrat cœlum. Quomodo non & hostem vincat in terris? Et ideo omnimode studendum est querere primo, & custodire iustitiam dei. Quam si obtinueris, & seruaueris, omnes tibi hostes ipsa subijciet: si fueris indutus (sicut Apostolus dicit) loricam iustitiæ, & accinctus veritatem, si galeam salutis acceperis, & gladium spiritus, & ante omnia scutum fidei, in quo possis omnia iacula maligni ignita extinguere. Talibus enim instructus armis, vniuersa diabolica castra, omnémque eius fugabis exercitum, & cum fiducia cantabis: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si insurgat in me prelium, in hoc ego sperabo. Congrediuntur ergo duodecim milia aduersum Madianitas, [& interficiunt, inquit, omne masculinum eorum & reges eorum, & Balaam filium Beor interfecerunt gladio cum reliquis vulneratis eorũ.] Quod in superioribus quære-

Matth.18 / Scandalum quid propriè. / Scandalizare quid. / Samaritanorum hæresis. / Leuit.26 / Orationis sancti vis. / Eph.6 / Psal.26

G bamus, quomodo de scripturis probari possit Balaam consilio subornatas esse mulieres Madianitarum, quæ deciperent filios Israel ad fornicandum, præsens hic scripturæ locus euidenter ostendit, dicens eum peremptum esse gladio, velut auctorem scandali, quod immissum est filiis Israel. Dicitur autem de eo, & in sequentibus adhuc euidentius hoc modo. [Et ait ad eos Moyses: Cur viuam reseruastis omnem fœminam? Ipsæ enim sunt, quæ filios Israel secundum verbum Balaam apostatas fecerunt.] Interficiuntur autem & reges Madianitarum, atque illi qui prius à mulieribus victi sunt, nunc expiatione habita, & gesta pœnitentia, etiam reges vincunt. Ex hoc intelligamus, quantum valeat conuersio ad Deum, quantum prosit emendatio peccatorum. Omne masculinum, omnes reges Madianitarum vincuntur, & perimuntur ab iis, qui per correptionem Domini, & per gestorum pœnitentiam correpti sunt, & emendati. Quinque ergo reges Madianitarum referuntur ab Israeliticis militibus superati. Sed & nomina eorum curæ fuit scripturæ diuinæ memorari. [Euin, inquit, & Rocon, & Sur, & Vr, & Roboc.] Isti sunt qui regnant apud Madianitas, quos superare, & penitus debent extinguere omnes qui militant Deo. Euin nanque beluinus, vel ferinus interpretatur. Et quomodo poteris placere ei qui te probauit, si non abscideris à te, & penitus peremeris beluinos & feros mores? Quomodo poteris ad mansuetorum beatitudinem peruenire, nisi prius interficias Euin, & morti tradas H prius iracundiæ feritatem? Ego puto quod nomina hæc, scriptura diuina non pro historia narrauerit, sed pro causis & rebus aptauerit. Nam putas fuerit aliquis ita stultus, qui filio suo nomen Beluinus imponeret? Sed hoc arbitror magis, quod instructioni animarum prospexerit sermo diuinus, volens nobis ostendere quod aduersum huiusmodi vitia militare debeamus, & de habitaculis ea carnis nostræ depellere, istos reges fugare de regno corporis nostri: quod Apostolus euidentius designat, dicens: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Vis autem videre quoniam non solum apud sanctos nomina pro rebus aptantur, sed etiam apud gentiles, & Barbaros? De sanctis quidem notum est cur Abram Abraham vocitatus sit, & Sarai Sara, & Iacob Israel. Doceamus autem quod mos iste habeatur etiam apud Barbaros. Nónne vnus ex filiis Israel à parentibus suis Ioseph nomen acceperat? Cum autem transiit in Ægyptum, & stetit ante Pharaonem, commutauit nomen eius, & de Ioseph cognominauit eum Psomphtomphanec, quod lingua sua Pharao de secretorum, vel somniorum reuelatione composuit. Et non solum Ioseph huic apud Pharaonem ex re nomen aptatur, sed & Daniel in Babylonia Baltassar nominatur: & Ananias, atque Azarias, & Misael, Sidrach, Misach, Abdenago vocitantur. Vides ergo quia tam Israeliticorum, quam etiam Barbarorum hominum nomina, non fortuitu, I sed pro rebus & causis aptantur in lege. Igitur Madianitarum regem Moyses appellauit, prout ipse censuit appellandum. Beluina, inquit, feritas est, quæ regnat in Madianitis, & non ipsa solum, sed & alius apud ipsos rex nomine Rocon: quod est in nostra lingua, inanitas. Regnat ergo & inanitas, in Madianitarum gente. Est enim reuera multa inanitas, & vanitas in hoc mũdo, imò & vanitas vanitatum, & omnia vanitas, quam Dei miles superare debet & vincere. Vincit autẽ inanitatẽ, qui nihil inaniter, nihil superflue, & quod ad rem non pertinet, gerit: qui meminit præcepti illius dominici quo ait, quia etiam de verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij. In hac autem vita, homines totum pene otiosum, & totum inane est. quod loquuntur, quod agunt. Inanis enim dicitur omnis actus, & omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo, vel pro mandato Dei. Est & alius rex Madiam Vr, & hic interpretatur irritatio. Vides quales sunt, qui regnent apud Madianitas, quibus hominibus aduersari oportet, imò quos perimi conuenit ab iis qui Deum sequuntur, & interfici. Non enim tam regum, quàm vitiorum nomina, quæ regnant in hominibus, referuntur in lege: & non tam gentium bella, quàm concupiscentiarum carnalium, quæ militant aduersus animam, describuntur. Denique hi qui in vitiis regnant, quinque reges esse dicuntur: vt euidentissime doceamur, quia omne vitium quod regnat in corpore, ex quinque sensibus pendet. Isti ergo quinque sensus K perimendi sunt de regno Madianitarum, vt vltra vitia non regnent super eos, sed iustitia, ne ad scandalum videant quæ vident, sed ad ædificationem. Apud Madianitas enim sensus isti ad scandalizandum regnabant, vt scandalizarent, & deciperent. Et ideo præcepit Dominus, vt si te scandalizauerit oculus tuus, eruas eum: si manus aut pes, abscindas eum. Vides ergo, quia & ipse iubet abscindi, & perimi reges scandalizantium. Melius est, inquit, te luscum introire in regnum Dei, & mancum, aut claudum, quàm cum iis mitti in gehennam. In quibus non vtique effodiendum præcipit oculum corporis nostri, nec manum, aut pedem abscindendum: sed sensum carnalia sentientem, & concupiscentiis carnalibus lasciuientem mandat abscindi: vt oculi nostri recta videant, & aures nostræ recta audiant, & gustus noster verbum Dei gustet, manúsque nostræ palpent, & contingant de verbo Dei. Et hoc est in quo peremptis regibus Madianitarum, & scandali affectibus amputatis, regnat in nobis iustitia ipse Dominus noster Iesus Christus, qui factus est nobis iustitia à Deo, & pax, & redemptio. Igitur ex præcepto Domini à filiis Israel aduersum Madianitas bella confecta sunt, spolia ex ipsis copiosa referuntur, auri atque argenti, cæterorúmque mobilium pondus immensum, iumentorum, captiuorúmque numerus plurimus. Verum quoniam cuncta hæc apud Israelitas immunda ducuntur, purificatio singulis quibusque competens adhibetur: & ea quidem, quæ ex metallis constant, L ignis purificat: quæ verò fragiliora sunt, & ignem non ferunt, aqua purificari iubentur. Fiunt ergo ex omnibus spoliis, æquales duæ partes, vt vna sit eorum, qui ad bellum processerant, & alia eorum, qui in castris resederant. Iubentur etiam ex iis offerre in dona Dei: illi quidem qui processerant ad bellum, vnum caput ex quingentis: illi verò qui in castris manserant, vnum ex quinquaginta: atque omnium simul in vnum collectus numerus refertur. Hæc est historiæ continentia. Sed videamus quid in iis sensus indicet spiritalis. In populo Dei sunt quidam (sicut Apostolus dicit) qui militant Deo: illi sine dubio, qui se non obligant negotiis secularibus: & isti sunt qui procedunt ad bellum, & pugnat aduersus gentes inimicas, & aduersum spiritales nequitias pro reliquo populo, & pro iis qui infirmiores sunt, siue per ætatem, siue per sexum, siue per propositum. Pugnant autem isti orationibus & ieiuniis, iustitia & pietate, mansuetudine & castitate, cunctísque continentiæ virtutibus, tanquam armis bellicis communiti: & cum ingressi fuerint ad castra victores, fruuntur laboribus eorum etiam imbelles, & ij qui ad pugnam, vel non vocantur, vel exire non possunt. Sciendum tamen est, quod omnia quæ sumuntur ex istis gentibus immunda sunt: & omne fortasse quicquid ex hoc seculo adsumitur, vel prælio capitur, immundum est, & purificatione indiget: & quædam ex ipsis per ignem transitura sunt, aliis autem sufficiet a- M quæ purificatio. Adsumuntur autem ex prælio etiam homines & iumenta, cum captiuantur omnes intellectus ad obediendum Christo. Ex iis enim ipsis quos ceperimus, offerimus Deo. Nisi enim pugnauerimus in verbo Dei, non poterimus captiuare intellectum eorum qui diuersa à Christo sentiunt, & perducere eos ad obedientiam Christi. Pauci sunt tamen qui pugnare possint, & prælia ista conficere: de sexcentis milibus & amplius armatorum, qui videbantur militare Deo, sola duodecim milia eliguntur: cæteri relinquuntur in castris. Intuere mihi nunc populum Dei, qui est in ecclesia, quanti sunt ex iis qui possint pro veritate pugnare, qui possint resistere iis qui contradicunt, qui sciant verbi bella tractare. Beati sunt isti, qui pro omni populo pugnare possunt, & defendere Dei plebem, & copiosa de hostibus spolia reportare. Tamen & reliqua pars populi, quæ videtur imbellis, si cum quiete resideat in castris, si in silentio agat, & non recedat à Moyse, sed permaneat in lege Dei, partem spoliorum etiam ipsa percipiet. Fiet enim æqua portio, non per numerum quidem, sed quantum datur omni populo reliquo, tantum & illis duodecim milibus, quibus vincentibus capta sunt spolia. Quis hæc audiens, non inuitetur ad militiam Dei? Quis non animetur pugnare pro ecclesia, & resistere aduersum veritatis inimicos, eos scilicet, qui vel dogmata ecclesiæ oppugnare,

Marginalia: *Rom. 6.* — *Nomina pro rebus imponũtur. Gen. 41.* — *Dan. 1.* — *Eccles. 1.* — *Quis actus vanus.* — *Omnia vitia è quinque sensibus.* — *Mat. 5.* — *2. Tim. 2.* — *Ephe. 6.*

A oppugnare, vel voluptati & luxuriæ operam dare homines docent? Qui ergo hos expugnat, & vel in se, vel in proximis suis vitia perimit, hic accipiet spolia multa, quinquagies multiplicata quàm cæteri. Intantum nanque numeri quantitas videtur augeri, cum sexcentis milibus duodecim milia conferuntur. Offerre tamen pars vtraque iubetur Deo. Et illi quidem qui vicerunt, vnum ex quingentis: qui autem domi resederunt, vnum ex quinquaginta. Quingentorum autem & quinquaginta numerum sanctum esse scriptura testatur. Vnde & Saluator dicebat in Euangeliis: Homini cuidam fœneratori erant duo debitores: vnus ex ipsis debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Sed & septem septimanæ monada, id est, vno addito, quinquagesimæ diem faciunt, quæ Pentecostes festiuitas appellatur. Similiter & septuaginta septimanæ, addita vnius decadis perfectione, quingentorum numerum reddunt. Sed quanto plures sunt septuaginta septimanæ quàm septem, tantum præstantior & perfectior numerus quingentorum, quàm quinquaginta. Inde denique & in parabola Euangelij, quam suprà proposuimus, Saluator noster pronunciat, quod plus diligat ille, cui quingenti quos debebat denarij donati sunt, quàm ille cui quinquaginta. Denique in præsenti lectione, Eleazar sacerdos non scribitur ad omnem populum loquutus, sed ad eos tantum, qui de prælio redeunt.

Veritatis inimici duplices.

Quinquagesimus & quingētesimus numerus sacer. Luc. 7.

B Ait enim: [Et dixit Eleazar sacerdos ad viros virtutis, qui reuertebantur de prælio.] Vides ergo quomodo ad viros virtutis loquitur sermo Dei. Viri enim virtutis sunt, qui ad bellum procedunt. Si quis verò pugnare non vult, nec militare, si quis non vult habere certamen studiorum diuinorum, & abstinentiæ, hic non vult implere illud quod Apostolus dicit: Qui autem in agone contendit, ab omnibus continens est. Qui ergo non contendit in agone, & ab omnibus non est continens, neque exerceri vult in verbo Dei, & in lege Domini meditari die ac nocte, sic etiam si vir dicatur, vir tamen virtutis non potest appellari. At verò hic, de quo nunc sermo est scripturæ diuinæ, qui spolia de hostibus refert, vir virtutis appellatur. Hoc est enim laudis eius insigne, quod scriptura dicit, quia loquutus est Eleazar sacerdos ad viros virtutis, qui reuertebantur à prælio. Quis nostrum ita paratus est, vt procedat ad bellum, & contra aduersarios dimicet, vt & ipse vir possit appellari virtutis? Sicut autem vita continens, & abstinentiæ labor, atque agonum certamina, faciunt vnumquenque virum virtutis appellari: ita è contrario remissa vita, ac negligens, & ignaua, facit virum ignauiæ appellari. Si ergo vis vir appellari virtutis, indue te Christum Dominum, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, & in omnibus adiunge te Domino, ita vt vnus cum eo spiritus fias, & tunc vir virtutis efficieris. Tempus i-

1. Cor. 9.

C gitur belli nobis est in hoc mundo, pugna aduersus Madianitas est, siue aduersum vitia carnis nostræ, siue aduersum contrarias potestates. Spectat nos angelorum chorus, virtutum cœlestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnusquisque nostrum manubiarum reportet: & intuentur curiosius, ac sollicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quisue lapides deferat preciosos. Requirunt etiam si quis æs deferat aut ferrum, aut plumbum, sed & vas ligneum si forte aliquis, aut fictile, aut aliud huiusmodi magnæ domus vsibus necessarium. In magna enim domo, non sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia. Requiritur ergo diligenter cum abierimus illuc, quid vnusquisque nostrum deferat, & secundum ea quæ detulerit, secundum quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam mansionis ei meritum deputabitur. Probantur tamē omnia hæc: quæ per ignem, per ignem: quæ per aquam, per aquam. Vniuscuiusque enim opus quale sit, ignis probabit. Propterea ergo ait: [Hæc est iustificatio legis, quam cōstituit Dominus Moysi: præter aurum, & argentum, & æramentum, & ferrum & plumbum, & stannum, & omnis res quæ trāsit per ignem, traducite per ignē & mundabitur. Sed & in aqua purificationis purificabuntur. Omnia quæcunque non transeunt per ignem, transibūt per aquam, & lauabitis vestimēta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra.] Vides quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ huius. Quod si aliquid est, vt aliquid audeam dicere secundum scripturæ diuinæ auctoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. Considera enim diligenter, quid indicet historiæ textus. Exierunt isti pugnare pro filiis Israel, interfecerunt Madianitas: interficientes autem eos, quantum ad historiæ ordinem spectat, & literam legis, placuerunt Deo, voluntatem nanque Dei impleuerunt: tamen hoc ipso, quod interfecerunt aduersarios, immundi dicuntur effecti, & propterea dicitur ad eos: Et lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra. Ergo hi qui pugnant, pro eo ipso quod contigerunt hostes immundos, & quod ingressi sunt contra eos, & habuerint cum eis certamen, polluti sunt. Et ego ergo etiam si vincere potuero diabolum, etiam si cogitationes immundas & malas, quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perueniant, quiuero, & si calcare potuero caput draconis, hoc ipso tamen pollui me, & inquinari necesse est, quo eum qui pollutus, & inquinatus est contigi: & ero quidem beatus, quod eum superare potui, immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum contigi, & ob hoc purificatione egeo. Idcirco nimirum & Scriptura dicit: quia nemo mundus à sorde. Omnes ergo purificatione indigemus, imò purificationibus. Multæ enim & diuersæ nos manent purificationes. Sed mystica hæc sunt & ineffabilia.

2. Tim. 2.

1. Cor. 3.

D *Qui exit de hac vita nō omnino est mundus.*

Purgatoriū

E Quis enim nobis enarrare poterit, quæ sint purificationes, quæ parentur Paulo, vel Petro, vel aliis horum similibus, qui tantum pugnauerunt, tot gentes barbaras deleuerunt, tot hostes prostrauerunt, tanta spolia, tot triumphos ceperunt, qui cruentis manibus de cæde hostium redeunt, quorum pes tinctus est in sanguine, & manus suas lauerunt in sanguine peccatorum? Interfecerunt quippe in matutinis omnes peccatores terræ, & imaginem eorum exterminauerunt de ciuitate Domini. Vicerunt quippe & peremerunt diuersas dæmonum gentes. Nisi enim vicissent eas, non potuissent capere ex eis captiuos, omnem hunc credentium numerum, & perducere eos ad obedientiam Christi, & subdere eos iugo eius suaui, & imponere eis onus eius leue. Quis ergo ita beatus est, qui succedat eis in his præliis, & interficiat omnes Madianitas, & iustificetur ex sanguine eorum? Sanguinem enim dæmonum fundere dicitur, qui eripit eos quibus illi dominantur. Lauabitur autem hoc sanguine, & purificabitur in regno Dei, vt purificatus & mundus effectus, possit ingredi sanctam ciuitatem Dei: aperiente sibi hostium Christo Iesu Domino nostro, imò qui est ostium ciuitatis ipsius Dei. Cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

F

De summa numeri filiorum Israel.
Ex Numer. Cap. XXXI.
Homil. XXVI.

DIFFERENTIAS esse profectuum, & meritorum in populo fidelium, si quis diligentius intendat lectioni, multis in locis diuinis in voluminibus deprehendet. Non minus autem hæc, & ex præsenti lectione colligimus de eo quod scriptum est: [Et accesserunt ad Moysen omnes qui constituti erant principes per tribus in exercitu, tribuni, & centuriones, & dixerunt ad Moysen: Nos pueri tui collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus Domino, vnusquisque vir quodcunque inuenit vas aureum, torquem, aut viriolam, aut anulum, aut dextrale, aut catenulam, ad propitiandum pro nobis coram Domino.] Loquuntur ergo ad Moysen electi principes, qui constituti sunt super exercitum, & pro bene gestis rebus, munera offerunt Deo, dicentes: Nos pueri tui sumus, qui accepimus summam bellatorum filiorum Israel. Dicunt autem summam bellatorum illorum duodecim milia virorum, qui electi sunt ex omnibus tribubus Israel, vt confligerent aduersus Madianitas. Sunt ergo in populo dei bellatores multi, sunt & imbelles plurimi: & rursus inter bellatores sunt

Bellatorum differentia.

G quidam, qui appellantur summa bellatorum, eminentiores sine dubio iis qui bellatores dicuntur, sicut & eminentiores sunt ab imbellibus bellatores. Et rursus sunt aliqui celsiores ab iis, qui summa bellatorum dicti sunt: ij scilicet qui cõstituti sunt super eos principes, & prælati singulis quibusque milibus electorum. Est ergo multa diuersitas in eo ordine, qui bellatores appellantur. Sed & inter ipsos imbelles, est nihilominus aliqua differentia. Nec ipsi enim æqualiter, & vno ordine omnes appellantur imbelles. Quidam enim ita imbelles sunt, vt nunquam possint fieri bellatores, vt est senilis ætas, & omnis fœmineus sexus, sed & conditio seruilis. Puerilis verò ætas ita imbellis est, vt spem gerat aliquando fieri bellatrix, scilicet cum occurrit in virum perfectum in mensuram ætatis, tunc non solum bellatores fieri ex pueris, sed & in summam bellatorum venire se sperant, & esse electi, & in duodecim milibus numerari, vel etiam præferri, & esse principes electorum. Considera nunc præsentis seculi statum, & vide omnia bellis repleta, omnémque humanam vitam in uisibilibus præliis, & impugnationibus dæmonum perurgeri: in populo verò dei esse

Imbellium gradus.

H quosdam ita robustos fide, armatósque virtutibus, vt aduersum huiusmodi hostes quotidie bella conficiãt, & semper in procinctu positi non solum semetipsos, sed cæteros qui vel per sexum, vel per ætatem, vel per seruitutis conditionẽ pugnare non possunt, ad hostium tueantur insidiis, verbo doctrinæ eos, exemplóque vitæ, & commonitionum sedulitate munientes: si tamen non desit eis fides. Siue enim bellatores, siue imbelles, impossibile est saluari sine fide. Inter ipsos tamen bellatores, eos duntaxat qui militant deo, considera alios ita esse paratos & expeditos vt nullis se implicent omnino negotiis secularibus, vt placere possint ei, cui se probauerunt, sed in lege dei meditari die ac nocte. Isti ergo qui huiusmodi sunt, summa bellatorum appellãtur. Denique nõ est dictum de communi numero bellatorum, quia nemo in eis dissensit, sed de iis dictum est, qui summa bellatorum nominati sunt. In istis enim qui tales sunt, nulla dissensio, nulla discordia. Ipsi enim sunt isti, de quibus dictum est: Erat autem credentium cor & anima vna, nec quisquam eorum aliquid proprium dicebat, sed erant illis omnia communia. Isti sunt ergo summa bellatorum, in quibus nemo dissensit. Isti sunt qui auri plurimum pugnando ceperunt, & omne aurum atque omne ornamentũ, siue capitis, siue brachiorũ, siue etiã digitorum, id est, quicquid in intellectibus, quicquid in operibus habent, deo offerunt. Sciunt enim quia munera eius data eius sunt, & ideo non dissentit in eis nec vnus. Nec enim

2.Tim.2

Act.4

I possent munera offerre deo, positi in dissensione. Istos puto esse secundum euangelium, qui præceptum illud diligenter obseruant, quod mandat dominus & saluator: Si autem offers munus tuum ad altare, & rememoratus fueris quia frater tu⁹ habeat aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum, quò scilicet leuet manus suas ad deum sine ira & dissensione. Isti sunt ergo qui dicũt, collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & nõ dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus domino. Discenda igitur nobis magnopere est consonantia disciplinæ: quia tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauẽ modulati carminis reddit: si verò sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: ita & ij qui deo militant, si dissensiones & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum deo videbitur, etiam si multa bella conficiãt, etiam si spolia multa deferant, & multa munera offerãt deo. Dicetur enim ad eos, depone munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, vt possis & tu inter eos qui summa sunt virorum bellatorum, numerari, & dicere, quia non dissensit ex nobis quisquam. Ego etiam amplius aliquid dico. Nisi talis fueris, vt in nullo dissentias à mandatis dei, nec in aliquo discrepes ab euangelicis præceptis, non poteris superare inimicum. In eo enim ipso iam victus es in quo dissentis: & per hoc ipsum superaris à diabolo, in quo discordas à deo. Si autem vis vincere inimicum, & esse summa bellatorum, adhære deo, & concorda cum ipso, sicut ille qui dicebat:

Mat.5.

Inimici qui vincantur.

Quis nos separabit à charitate dei? Tribulatio, an angustia, K an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et iterum: Neque vita, neque mors, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Iste talis in nullo omnino dissentit, iste talis potest vincere Madianitas, & interficere omnes peccatores terræ, & perdere omnem imaginem eorum de ciuitate domini. Et ego ergo debeo de meipso, & de terra carnis meæ perdere peccatores, & interficere fornicationem, immunditiam, passionem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Isti enim sunt peccatores terræ meæ, quos tunc demum exterminare potero, & interficere, si nòn dissentiam à mandatis domini: & tũc vere dignus ero, qui offeram deo munera. [Omne vas aureũ, torquem, inquit, aut viriolam, aut anulum, aut dextrale, aut catenulam.] Torquis ornamentum sapientiæ est. In prouerbiis enim de sapientia dicitur, quod qui acquisierit eam, torquem auream ponat circa collum suum. Viriola & anulus, ornamenta sunt manuum, in quibus operum signantur indicia. Similiter & dextrale. Catenulæ vero, verbi & doctinæ connexiones declarant. [Ad propitiandum, inquit, deum pro nobis.] Si dicamus propter aurum deum propitium fieri ho- L minibus, vide quàm absurdum, imò quam impium iudicetur. Hoc enim etiam in viro bono notabile ducitur, si accepto auro ab inferioribus placetur. Quanto ergo magis hæc de deo sentire non conuenit? Vnde puto expositionis huius ecclesiasticæ magis constare rationem, quæ per auri species indicari docet animi virtutes, & bonorum operum gesta, quæ sola offerri deo ab hominibus dignũ est, & pro quibus solis propitium fieri deum hominibus decet: Et accepit, inquit, Moyses, & Eleazar sacerdos aurum ab omnibus tribunis, & centurionibus, & intulit illud in tabernaculum testimonij, memoriale filiis Israel coram domino.] Vides quia quæ dicuntur, non ad conspectum visibilem, sed ad mentis memoriam referũtur. Beatus enim est ille qui recordatur se boni aliquid operis egisse coram domino, & obtulisse munera beneplacita deo, animi virtutes, & ornamenta pietatis. Post hæc sequitur historia de hæreditate Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse: de qua proponẽtes aliqua disserere, volumus prius auditorum diligentiam commonere, & animos eorum ad cõtemplationem spiritalis intelligentiæ suscitare. Omnia quæ dicuntur non solum ex ipso qui dicitur sermone pensanda sunt, sed & persona dicentis magnopere consideranda est. Verbi gratia: si puer est qui loquitur, animos nostros ad auditum eloquij puerilis aptamus, nec plus aliquid in iis quæ dicuntur, nisi inquantum sentire puer potuit, expectamus. Si verò qui loquitur vir est, continuo contemplamur: si vero di- M gna sunt, quę dicuntur. Et rursus si vir ille eruditus sit qui dicit, pro eruditionis eius intuitu etiam dicta pensamus. Si verò vir quidem ille est, imperitus tamen & idiotes, aliter quæ dicũtur accipimus. Sic item si sit senior qui loquitur, & multæ ac probatæ peritiæ, vtpote qui in eruditionibus consenuerit, lõgè maior in eo dictorum habebitur expectatio. Cur autem ista præmiserimus, historiã hæreditatis Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manasse exponere volentes, ausculta. Qui hæc gesta narrat quæ legimus, neque puer est, qualem suprà descripsimus, neque vir talis aliquis, neque senior, nec omnino aliquis homo est: & vt amplius aliquid dicam, nec angelorum aliquis, aut virtutum cœlestium est, sed sicut traditio maiorum tenet, spiritus sanctus hæc narrat. Vnde enim poterat Moyses, vel quæ ab origine mũdi gesta sunt, vel quæ in fine eius erant gerenda narrare, nisi per inspirationem spiritus dei? Vnde potuisset prophetare de Christo, nisi loquẽte spiritu sancto? Sic enim & ipse Christus ei testimonium reddit, & dicit: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo meis verbis credetis? Constat ergo ea per spiritum sanctum dicta, & ideo conueniens videtur hæc secundum dignitatem, imò potius secundum maiestatem loquentis intelligi. Sed & illud hoc in loco memorare aptissimum duco, quod Abraham cum audiret illum diuitem, positum in tormentis rogare se vt dimitteretur, & veniens moneret fratres suos pie viuere, ne & ipsi in locum

Rom.8

Prouerb.1

Expositionẽ Ecclesiasticam appellat mysticã aut moralẽ & opponit Iudaicæ.

Persona dicentis consideranda in iis quæ dicuntur.

Spiritus S. in Mose loquitur.

Ioan.5

Luc.16

A locum illum descenderent tormentorum, respondit ei, quia habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Non vtique homines aliquos dicebat in corpore positos Moysen & Prophetas: sed hæc quæ per Moysen spiritu Dei dictante scripta sunt, Moysen ea nominauit. Dicat ergo aliquis: cum hæc ita scripta sint, si Abraham me ad Moysis dicta transmittat, vt legens ea possim illum locum euadere tormentorum, quid me iuuabit ad effugiendam gehennam, si legam quomodo filij Rubem, & filij Gad, & dimidia tribus Manasse, hæreditatem capiunt à Moyse trans Iordanem, quia erant illis pecora multa præ cæteris tribubus, & quia dicit ad eos Moyses. [Videte ne exacerbetis Deum, sicut & illi decem qui missi sunt cum Iesu & Caleb explorare terram: & dicebant, quia terra talis, & talis est, & non possumus eam capere.] Et quia ad hęc responderunt filij Ruben, & cæteri cum ipsis. [Da nobis terram hanc, & hæreditatem eius, & non quæremus iam intra Iordanem hæreditatis terram cum fratribus nostris: sed hic relinquemus iumenta nostra, & sarcinas nostras, & mulieres nostras, & infantes nostros, Viri autem nostri ibunt pariter & transibunt Iordanem.] Et quia post hæc Moyses commendat eos Iesu filio Naue, & Eleazaro sacerdoti filio Aaron, sub ea tamen conditione, vt transeant cum filiis Israel, & pugnent cum eis aduersus hostes qui erant trans Iordanem, donec liberetur ab eis terra, & tunc accipiant terram quam popo-

B scerunt, regis Seon & regis Og: atque ipsis solis per Moysen detur hæreditas extra Iordanem, cæteris autem omnibus per Iesum intra Iordanem. Dicet ergo aliquis, quid ista prosunt ad hoc quod dixit Abraham, Habent Moysen & Prophetas, audiant illos? Quo scilicet hæc legentes & audientes, in locum illum non deueniant tormentorum. Hæc autem diximus, excitantes animos audientium, vt vigilantius iis quæ leguntur, vel dicuntur intendant, & in Mosei literis remoto literę velamine ita intelligant quæ scripta sunt, vt singulis quibusque ea dici inueniant, quæ si intelligantur, & obseruentur, possit auditores non ad illum locum tormenti deduci, quo diues ille, qui audire hęc quæ in secreto sunt scripta, contempsit, abductus est: sed in sinum erant Abraham, vbi Lazarus requiescit. Oremus ergo Dominum, vt auferatur velamen à cordibus nostris de lectione veteris testamenti, vt ea quæ abscondita sunt & occulta in Mosei literis, videre possimus, secundum prophetæ commonitionem, dicentis: Et nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra. Et quidem quod hæc mystica sint, & diuinum aliquem sensum contineant, puto quod ex iis quæ superius asserta sunt, nullus possit ambigere, quamuis sit ille Iudaicis fabulis insatiabiliter deditus: tamen sicut hoc neminem negare puto, ita quæ sint illa quæ ex istis narrationibus indicentur, & quæ rerum facies sub hoc velamine contegatur, ad liquidum scire, ipsius puto esse sancti spi-

C ritus qui hæc inscribi inspirauit: & Domini nostri Iesu Christi, qui de Moyse dicebat, De me enim ille scripsit: & omnipotentis Dei, cuius consilium antiquum humano generi non nudum, sed velatum literis indicatur. Nos autem oremus ex corde verbum Dei, qui est vnigenitus eius, & qui reuelat Patrē quibus vult, vt & nobis hæc reuelare dignetur: sunt enim in his repromissionum mysteria, quæ repromisit diligentibus se: vt sciamus & nos, quę à Deo donata sunt nobis. Sed & vos iuuate nos in orationibus, & diligenter intēdite, non tam nobis dicentibus, quàm Domino illuminanti eos, quos illuminatione sua dignos inuenerit. Quorum cōtemplatione etiam nobis dare dignetur verbum, in adapertionē oris nostri. Sed age iam si corda erexistis ad Dominum, & verbi eius sancti illustrationem petiistis, ad perscrutandum sensum eorum quæ videtur latere, veniamus. Exeundi de Ægypto, figuram duobus modis accipi, & à prioribus nostris, & à nobis sæpe iam dictum est. Nam & cum quis de errorū tenebris ad agnitionis lumen deducitur, & de terrena conuersatione ad spiritualia instituta conuertitur, de Ægypto videtur exisse, & venisse ad solitudinem: ad illum videlicet vitæ statum, in quo per silentium & quietē exerceatur diuinis legibus, & eloquiis cœlestibus imbuatur: per quæ institutus & directus, cum Iordanem transierit, properet vsque ad terram repromissionis, id est, per gratiam baptismi, vsque ad euangelica instituta perueniat. Sed & illam figuram esse diximus exeundi de Ægypto,

Exitus de Ægypto figura duarū rerum.

cū relinquit anima mūdi huius tenebras, ac naturę corporeæ cæcitatē, & trāsfertur ad aliud seculum: quod vel sinus Abrahæ, vt in Lazaro, vel paradisus, vt in latrone qui de cruce credidit, indicatur: vel etiam si qua nouit Deus esse alia loca, vel alias mansiones, per quæ transiens anima Deo credēs, & perueniens vsque ad flumen illud quod lætificat ciuitatem Dei, intra ipsum sortem promissæ patribus hæreditatis accipiat. Igitur cum duplici (vt memorauim⁹) modo egressus designetur ex Ægypto, & transitus ad desertum, atque inde ingressus ad sanctæ terræ hæreditatem, videamus nunc quid sibi velit Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse. Hæreditas quæ per Moysen traditur, & extra Iordanem decernitur, in duodecim tribubus filiorum Israel, occultis quibusdam & mysticis rationibus totius humani generis figuram complectitur, vel omnium certe hominum, qui ad agnitionem Dei venerunt. Horum ergo pars aliqua extra Iordanem hæreditatem consequitur per Moysen, pars verò trans Iordanem, & hæreditatem suscipit in terra repromissionis per Iesum. Et illi quidem, quibus extra Iordanem hæreditas decernitur, primitiui sunt: licet minus nobiles, licet non inculpati, primitiui tamen sunt. Ruben enim est primogenitus Iacob: licet contaminauerit thorum patris, primogenitus tamen est. Sed & Gad, licet ex ancilla, tamen & ipse primogenitus est. Manasse quoque, cuius dimidia tribus extra Iordanem consequitur, & ipse licet de Ægyptia natus, primogenitus tamen est. Omnes

Purgatoriū innuit.

Rubē, Gad, Manasses, primogeniti

E ergo isti primogeniti sunt, & ideo priorem populū designāt, qui non per Iesum Dominum nostrum, sed per Moysen extra Iordanem sortem hæreditatis accipiunt. Cōsidera autem diligentius etiam causam, qua priores & extra Iordanem, & sequestrati à cæteris, consequuntur hæreditatem. [Iumenta, inquiunt, & pecora multa sunt nobis.] Hæc ergo causa est, quia prior populus ad hæreditatem illius terræ, quæ lacte fluit, quæ melle abundat, quæ fauus mellis est præ omni terra, non potuit peruenire, nec verbum carnem factum potuit agnoscere, quia multa iumenta habebant, & multa pecora. Animalis ergo homo non potuit percipere quæ sunt spiritus Dei, nec spiritaliter dijudicare. Quia homo in honore cum esset, non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est iis, pro quibus hæreditatem suam extra Iordanis fluēta percepit, & à terra se sancta fecit alienum. Ille ergo populus accepit hæreditatem per Mosen, accepit terram duorum regum tantummodo. Non enim amplius potuit Moyses interficere nisi duos reges, quorum terram diuideret populis, multa animalia, multáque pecora habentibus. Illis verò qui Iordanem transeunt, Iesus diuidit terram, quanuis habeant etiam ipsi animalia, habeant pecora, non tamen tanta, quæ eos excludant, ne Iordanem transeant, sed cum ipsis & mulieribus, & cum infantibus suis contendunt transire Iordanem, & ad patrum peruenire promissa. Illi autem propter pecora & iumenta, & mulieres suas, & infantes, non po-

1. Cor. 2.

Psal. 49.

Moses duos tantum reges interfecit.

F tuerunt transire Iordanem, nec ad fidem Christi, quæ est terra repromissionis, intrare. Increpat tamen Moyses, & dicit ad filios Ruben, & ad filios Gad. [Fratres vestri pergent ad prælium, & vos sedebitis hic? Et quare peruertitis corda filiorum Israel, vt non transeant in terram, quam Dominus dat eis? Et cum increpuisset eos huiusmodi verbis, accesserunt, inquit, ad eum filij Ruben, & filij Gad, & dicebant: Ouilia ouibus fabricabimus hic, & pecoribus, & ciuitates impedimentis nostris, & nos armati prima turma incedemus ante filios Israel, vsquequo perducamus eos in suum locum. Et hæc promittentes, mitigauerunt Moysen, ita vt ipse eos commendaret Iesu & Eleazaro. Ita enim scriptum est: Et adhibuit illos Moyses ad Eleazarum sacerdotem, & Iesum filium Naue, & principes familiarum tribuum Israel. Et ait ad eos Moyses: Si transierint filij Ruben, & filij Gad vobiscum Iordanem omnis armatus ad prælium coram Domino, & obtinueritis terram in conspectu vestro, dabitis eis terram Galaad in possessionem.] Terræ nomen in scripturis diuinis, positum diuersis significationibus inuenimus: & primo quidem terra hæc in qua habitamus, non ex initio terra vocitata est, sed arida: & post hæc quæ prius dicta fuerat arida, terra nomen accepit: sicut & cœlum istud visibile, non ab initio cœlum dictum est, sed prius

Fides Christi, terra promissionis.

G firmamentum, post etiam cœli vocabulo nuncupatum est. In principio tamen creaturę cœlum & terram fecisse dicitur deus. & postea aridam, & postea firmamentum. Vis autem scire quia aliud sit in scripturis arida, aliud terra? Audi Aggeum prophetam dicentem: Adhuc semel & ego mouebo cœlum & terram & mare & aridam. Vides quomodo propheta aliud ponit terram & aliud aridam. Sed & in multis scripturæ locis inuenimus terram laudabilem nominari: aridam verò non facile legimus laudabilem poni. Nam & Adam in hunc locum quasi culpabilis post peccatum detruditur, qui arida nominatus est. Antea enim non fuit in arida, sed in terra. Paradisus nanque non est in arida, sed in terra. Sed & mansuetis quod repromittit dominus in euangelio, non est arida, sed terra. Beati enim, inquit, mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Et iterum in euangelio, semen quod dat fructum centesimum, sexagesimum, & tricesimum, terra dicitur esse non arida. Et puto quia profectus quidam sit ab arida ad terram veniendi, sicut & profectus quidam fuit, vt hæc arida terra vocaretur. Omnes enim nos, donec infructuosi sumus, & nullum iustitiæ fructum, nullum pudicitiæ, nullum pietatis afferimus, arida sumus. Si autem nosmetipsos cœperimus excolere, & ad virtutum frugem desides animos suscitare, terra efficimur ex arida, quæ verbi dei suscepto semine læta fruge multiplicet. Est ergo quædam etiam

Agg.2

Matth.5

H in regno dei terra, quæ mansuetis repromittitur, & terra quæ viuentium nominatur, & terra in excelsis posita, de qua ad iustum dicit propheta: Et exaltabit te vt hæredites terram. Istius ergo terræ hæreditatem posteaquam de mundi huius Ægypto exierit deo credens anima consequitur: & alibi quidem ii, qui sub lege vixerunt, alibi autem qui per Iesu Christi fidem & gratiam dispensati sunt. Veruntamen ij qui videntur primi, & per Mosen dispensati, non prius consequentur hæreditatem sibi decretam, quàm Moseo duce meruerunt, nisi & ipsi transeant cum iis quos Iesus dispensat, & pugnent cum eis contra inimicos, & collocent eos in sedibus suis, & ita ipsi consequentur hæreditatẽ quàm Moseo duce meruerunt. Sed hæc nisi ex scripturis diuinis approbentur, fabulæ videbuntur. Paulus ergo horum producatur in medium idoneus testis, qui in epistola ad Hebræos, vbi describit omnes illos patres, & patriarchas, ac prophetas, qui per fidem placuerunt deo, post enumerationem cunctorum, in vltima conclusione sic dicit de eis: Et ij omnes testimonio fidei accepto non perceperunt repromissiones, deo pro nobis melius aliquid prouidente, vti ne sine nobis consummarentur. Quasi diceret istæ nouem & semis tribus de illis duabus & semis tribubus, quia propterea non ceperunt promissiones terræ illius, quæ eis extra Iordanem per Mosen decreta est, deo pro nobis aliquid melius prouidẽte, vti ne sine nobis consummarentur. Propterea ergo transeunt nobiscum armati ad prælium, & iuuant nos ad belligerandum, ad expugnandos inimicos. Sed illi transeunt qui armati sunt, qui viri fortes sunt & potentes: cæteri verò, ignaua manus & imbellis, remanent extra Iordanem. Si qui autem in ipsis viri fortes sunt, relictis animalibus & pecoribus & omnibus impedimentis, pugnant aduersum hostem nobiscum vsquequo vincantur inimici nostri, vsquequo hæreditatem terræ bonæ, terræ mellis lactisque capiamus. Quis enim dubitat quod sancti quique patrum, & orationibus nos iuuent, & gestorũ suorũ confirment atque hortentur exemplis, sed & voluminibus suis, per ea quæ nobis ad memoriam scripta reliquerunt docẽtes nos, & instruentes quomodo aduersum inimicas potestates dimicandum sit, & quomodo agonum toleranda certamina? Pugnant ergo pro nobis & ipsi, incedũt primi ante nos armati. Ipsos enim nos habentes ad exemplum, & videntes eorum per spiritum fortia facta, armamur ad prælium spiritale, & aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus dimicamus. Sic denique qui sub Iesu duce militant, triginta & eo amplius reges perimunt, & terras eorũ sorte hæreditatis accipiunt. Depulsis nanque spiritalibus nequitiis de cœlestibus, hæreditatem regni cœlestis à Iesu domino nostro percipiunt. Potest & tertius adhuc expositionis videri modus, vt in filiis Israel, id est in populo ecclesiæ intelligantur quidam esse spiritales, & intra Iordanem percipere hæreditatem terræ flu-

Heb.11

I

Patres veteris testamenti orãt pro nobis.

Tertia expositio.

K entis lac & mel: sapientiæ scilicet & scientiæ capientes dulcedinem, quorum terra flumine Dei quod repletũ est aquis diuinæ intelligentiæ, circundatur & rigatur. Alij autem sunt carnales, qui iumentis & pecudibus, id est, crassis & stolidis sensibus abundant: sicut erant illi de quibus dicebat Apostolus. Ita insensati estis, vt cũ spiritu cœperitis, nunc carne perficiamini: & ô insensati Galatæ quis vos fascinauit veritati nõ obedire? Sed & vnusquisque nostrum, nisi se armauerit, & abiectis brutis & beluinis sensibus ad spiritalem intelligentiam properauerit, remanebit extra Iordanem, nec poterit per sapientiæ flumen incedere, quod lætificat ciuitatem dei, id est, animam dei capacem: non assequetur eloquiorum domini interiora, quæ sunt dulciora super mel & fauum, sed illam tantummodo consequetur terram, in qua duo reges occisi sunt, vbi dicatur ei: Nihil aliud iudicaui me ipsum scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Qui autem potuerit transire Iordanem, & ad interiora penetrare, ibi Iesum dominum nostrum sequens, interficiet triginta, & eo amplius reges, illos fortassis de quibus dicitur, quia adstiterunt reges terræ, & principes congregati sunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Depulsisque iis regibus & prostratis, agnoscet secretiora mysteria, vsquequo veniat ad illum locum vbi sedes dei est & Hierusalem ciuitas dei viuentis, non ista quæ seruit cum filiis suis in terris, sed illa cœlestis, quæ libera est, & mater omnium nostrum. L Ad cuius nos hæreditatem perducere dignetur dux & dominus noster Iesus Christus. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Gal.3

1.Cor.2

Psal.2

De mansionibus filiorum Israel. Ex Num. Cap. XXXIII. Homilia XXVII.

CVM conderet deus mundum innumeras creauit ciborum differentias, pro diuersitatibus scilicet vel humani desiderij, vel naturæ animaliũ. Vnde non solum homo cum viderit animalium cibum scit eum non pro se, sed pro animalibus creatum, sed & ipsa animalia agnoscunt proprios cibos: & aliis quidem (verbi causa) vtitur leo, aliis ceruus, aliis bos, aliis verò aues. Sed & inter homines sunt quædam differentiæ in appetendis cibis: & alius quidẽ qui bene sanus est & habitudine corporis valens, fortem cibum requirit, & credit confiditque se edere omnia velut robustissimi quique athletarum. Si quis verò inferiorem se sentit & inualidum, delectatur oleribus, & fortem cibum pro sui infirmitate non recipit. Si verò sit aliquis paruulus, etiam si voce indicare non possit, re tamen ipsa nullam aliam quàm lactis requirit alimoniam. Et ita vnusquisque vel pro ætate vel pro viribus, vel pro corporis valetudine, aptum sibi & competentem viribus suis, expetit cibum. Si sufficienter rerum corporalium considerastis exem- M plum, nunc ab iis ad intelligentiã spiritalium veniamus. Omnis natura rationabilis propriis & sibi competentibus nutriri indiget cibis. Cibus autem verus naturæ rationabilis, sermo dei est. Sed sicut in nutrimentis corporis multas paulo ante dedimus differentias, ita & natura rationabilis, quæ ratione & verbo dei (vt diximus) pascitur, non omnis vno atque eodẽ verbo nutritur. Vnde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus etiam in verbo dei cibus lactis, apertior scilicet simpliciórque doctrina, vt de moralibus esse solet, quæ præberi consueuit iis, qui initia habent in diuinis studiis, & prima eruditionis rationabilis elementa suscipiunt. His ergo cum recitatur talis aliqua diuinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt: verbi causa, vt est libellus Hester, aut Iudith, vel etiam Thobię, aut mandata Sapientiæ. Si verò legatur ei liber Leuitici, offenditur continuo animus, & quasi non suum refugit cibum. Qui enim venit vt disceret deum colere, iustitiæ ac pietatis eius pręcepta suscipere, audit mãdata de sacrificiis dari, & immolationũ ritus doceri, quomodo non continuo auertit auditum, & tanquam non sibi aptum cibum recusat? Sed & alius cum leguntur euangelia, vel Apostolus, aut psalmi, lætus suscipit, libenter amplectitur, & velut remedia quędam infirmitatis suę inde colligens gaudet. Huic

Cibus animæ verbũ dei.

Ex libris sacris quidã simplicibus commodati

A Huic si legatur Numerorum liber, & ista maxime loca quæ nunc habemus in manibus, nihil hæc ad vtilitatem, nihil ad infirmitatis suæ remedium, aut animæ salutem prodesse iudicabit: sed continuo refutabit, & respuet tanquam graues & onerosos cibos, & qui ægræ atque inualidæ non competant animæ. Sed sicut, verbi gratia (vt iterum ex corporalibus repetamus exempla) leoni si detur intellectus, non continuo culpabit abundantiam herbarum creatam, quia ipse crudis carnibus vescitur, nec dicet illas superfluè à conditore productas, quia ipse earum cibo non vtitur: nec iterum homo, quia pane aliisque aptis sibi vtitur alimoniis, culpare debet cur fecerit Deus serpentes, quos cibum videat præbere ceruis: neque ouis, aut bos culpare (verbi causa) quod aliis animalibus carnibus vesci datum est, cum ipsis ad edendum gramina sola sufficiant: Ita ergo & in cibis rationabilibus, diuinorum dico voluminum, non continuo aut culpanda, aut refutanda est scriptura, quæ difficilior aut obscurior ad intelligendum videtur: vel ea continere, quibus siue incipiens, & paruulus, siue infirmior & minus ad intelligenda omnia validus vti non potest, nec conferri sibi ex iis vtilitatis aliquid existimat aut salutis: sed considerare debet, quia sicut serpens & ouis, & homo, ac fœnum, Dei creatura sunt omnia, & diuersitas ista ad laudem spectat & gloriam creatoris, quod competentem & in tempore vnicuique eorum pro quibus creata B sunt, vel præbeant, vel capiant cibum: ita & hæc omnia quæ verba Dei sunt, & in quibus diuersus pro captu animarum cibus est, vnusquisque prout sanum se & validum sentit assumat. Quamuis & si diligentius requiramus (verbi causa) in Euangelij lectione, vel Apostolica doctrina, in quibus delectari videris, & in quibus tibi aptissimum & suauissimum deputas cibum: quanta sunt quæ te latent, si discutias, & perscruteris mandata Domini? Quod si ea quę obscura videntur & difficilia, refugienda sunt protinus & vitanda, inuenies etiam in illis, in quibus valde confidis, tam multa obscura & difficilia, vt si hanc sententiam teneas, sit tibi etiam inde recedendum. Sunt tamen plurima in illis, quæ apertius & simplicius dicta sunt, quàm vt parui sensus ædificent auditorem. Hæc autem in præfatione præmisimus, vt suscitemus animos vestros, quoniam quidem huiusmodi lectio habetur in manibus, quæ difficilis ad intelligendum, & superflua videatur ad legendum. Sed non possumus hoc dicere, de sancti spiritus literis, quod aliquid in eis otiosum sit aut superfluum, etiam si aliquibus videntur obscura. Sed hoc potius facere debemus, vt oculos mentis nostræ conuertamus ad eum, qui hæc scribi iussit, & ab ipso horum intelligentiam postulemus: vt siue infirmitas est in anima nostra, sanet nos ille, qui sanat omnes languores eius: siue parui sensus sumus, adsit nobis cu- C stodiens paruulos Dominus, & enutriat nos, atque in mensuram ætatis adducat. Vtrunque enim in nobis est, vt ex infirmis ad sanitatem, & ex paruulis ad ætatem virilem peruenire possimus. In nobis ergo est, hęc à Deo poscere. Dei autem est petentibus dare, & pulsantibus aperire. Sed satis sit ista præfatio, nunc iam ad lectionis ipsius quæ recitata est, veniamus exordium, vt iuuante Domino, sensum quoque eorum, etiam si non ad liquidum, summatim tamen colligere & explicare possimus. Ait ergo: [Hæ sunt mansiones filiorum Israel, ex quo exierũt de terra Ægypti cum virtute sua, in manu Moysi & Aaron. Et scripsit Moyses profectiones eorum, & mansiones per verbum Domini.] Et cætera. Audisti quia scripsit hæc Moyses per verbum Domini. Et quid voluit Dominus hæc scribi? Vt prodesset nobis aliquid scriptura hæc mansionum quas fecerunt filij Israel, aut nihil prodesset? Et quis audeat dicere, quod ea quæ per verbum Domini scribuntur, nihil vtilitatis habeant, nec salutis aliquid conferant, sed solam rem gestam narrent, quæ tunc quidem prætererunt, nunc autem nihil ad nos ex eius reuelatione perueniat? Impia hęc & aliena à catholica fide sententia est, & eorum tantummodo, qui legis & Euangeliorum negant vnum solum sapientem esse Deum patrem Domini nostri Iesu Christi. Quis ergo ex iis mansionibus fidelis sentire debeat intellectus, summatim (prout tempus patitur) pertractare tentemus. Superior disputatio, cum nobis occasionem dicendi de profectione filiorũ Israel ex Ægypto præbuisset, dupliciter diximus videri posse spiritaliter exire vnumquenque de Ægy- D pto: vel cum relinquentes gentilem vitam ad agnitionem diuinæ legis accedimus, vel cum anima de corporis huius habitatione discedit. Ad vtrúque ergo istæ mansiones, quas nunc per verbum Domini Moyses describit, aspiciunt. Nam de illis quidem mansionibus, quas animæ corpore exutæ, immò corpore suo rursus indutæ habituræ sunt, Dominus pronunciauit in Euangelio, dicens. Multæ mansiones sunt apud Patrem meum. Alioquin dicerem vobis, vado & pręparo vobis mansionem. Sunt ergo illic multæ mansiones, in quibus post seculi huius ærumnas, & Ægyptiam seruitutem, fideles animæ requiescant. Sed nos pene immemores præfationis nostræ, subito auditum vestrum ad alta & excelsa surreximus. Immò verò redeamus ad ea, quæ inter nos & in nobis geruntur. In Ægypto erant filij Israel, in operibus Pharaonis regis luto ac latere affligebantur, donec ingemiscentes, clamarent ad Dominum: & exaudiens gemitum eorum, mitteret eis verbum suum per Moysem, & educeret eos de Ægypto. Et nos ergo cum essemus in Ægypto, mundi dico huius erroribus & ignorantiæ tenebris, operantes opera diaboli, & in concupiscentiis & voluptatibus carnis, miseratus est Dominus afflictionem nostram: & misit verbum suum vnigenitum Filium, qui nos de ignorantia erroris ereptos, ad lucem diuinæ legis adduceret. Sed primo omnium, intuere mysterij rationem: quam qui diligenter obseruauerit, in Scri- E pturis inueniet in egressione filiorum Israel de Ægypto, quadraginta & duas habitas esse mansiones: & rursum aduentus Domini & Saluatoris nostri in hunc mundum, per quadraginta & duas generationes adducitur. Sic enim Matthæus euangelista commemorat, dicens: Ab Abraham vsque ad Dauid regem, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. Istas ergo quadraginta & duas generationum mansiones, quas Christus fecit ascendens in Ægyptum mundi huius, ipso numero quadraginta & duas mansiones faciunt, qui ascendunt de Ægypto. Et bene obseruanter posuit Moyses, dicens: [Ascenderunt filij Israel cum virtute sua.] Quæ est virtus eorum, nisi ipse Christus, qui est virtus Dei? Qui ergo ascendit, cum ipso ascendit, qui ad nos inde descendit, vt illuc perueniat, vnde ille non necessitate, sed dignatione descendit, vt verum sit aliud, quod dictum est, quia qui descendit, ipse est & qui ascendit. Igitur in quadraginta duabus mansionibus, perueniunt filij Israel, vsque ad principium capiendæ hæreditatis. Principium verò capiendæ hæreditatis fuit, vbi Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, accipiunt terram Galaad. Constat itaque numerus descensionis Christi, per quadraginta & duos Patres secundum carnem, velut per quadraginta duas mansiones descendentis vsque ad nos, & per totidem mansiones ascensus filiorum Israel, vsque ad hæreditatis promissæ principiũ. Quod si intellexisti quantum sacramenti numerus iste de- F scensionis, ascensionísque contineat, veniam & incipiamus per ea, quæ descendit Christus ascendere, & primam mansionem istam facere, quam ille nouissimam fecit, scilicet, qui natus ex virgine est: & hæc sit prima nobis mansio de Ægypto exire volentibus, in qua relicto idolorum cultu, & dæmoniorum, non deorum veneratione: credimus Christum natum ex Virgine, & de spiritu sancto, & verbum carnem factum venisse in hunc mundum. Post hæc iam proficere, & ascẽdere ad singulos quosque fidei & virtutum gradus nitamur. Quibus si tandiu immoremur, donec ad perfectum veniamus, in singulis virtutum gradibus mansionem fecisse dicemur, vsquequo ad summum peruenientibus nobis institutionum, profectuúmque fastigium promissa compleatur hæreditas. Sed & anima cum de Ægypto vitæ huius proficiscitur, vt tendat ad terram repromissionis, pergit necessario ad illas, quæ apud Patrem ab initio præparatæ sunt mansiones. Quarum credo memor Propheta, dicebat: Hæc memoratus sum, & effudi super me animam meam, quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Istæ sunt mansiones, & ista tabernacula, de quibus in alio loco dicit: Quàm amabilia sunt ta-

Cerui vescũtur serpentibus.

In Euangelijs & Apostolicis scriptis multa obscura.

Ioan. 14.

42. mansiones respondent 42. generationibus.

Matt. 1.

Ephe. 4.

Psal. 84.

G bernacula tua domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Idcirco & in alio loco idem propheta dicit: Multum peregrinata eſt anima mea. Intellige ergo ſi potes, quæ ſint iſtæ peregrinationes animæ, in quibus cum quodam gemitu ac dolore peregrinari ſe diutius deflet. Sed hebeſcit harum intellectus & obſcuratur, donec adhuc peregrinatur: tunc autem verius edocebitur, & verius intelliget quæ fuerit ratio peregrinationis ſuæ, cum regreſſa fuerit ad requiem ſuam, id eſt, ad patriam ſuam paradiſum, quod ſub myſterio intuens propheta dicebat: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Sed interim peregrinatur & agit iter & conficit manſiones, vtilitatis ſine dubio alicuius cauſa per hæc dei promiſſionibus diſpẽſata, ſicut & quodam loco dicit: Afflixi te, & cibaui te mãna in deſerto, quod neſcierunt patres tui, vt dignoſceretur quid eſt in corde tuo. Iſtæ ergo manſiones ſunt, quibus iter è terris agitur ad cœlum. Et quis ita inuenitur idoneus, & diuinorum cõſcius ſecretorum, qui poſſit itineris iſtius & aſcẽſionis animæ deſcribere manſiones, & vniuſcuiuſque loci vel labores explicare vel requies? Quomodo enim enarret quod primam & ſecundam & tertiam manſionem inſequatur adhuc Pharao, inſequantur Ægyptij, & licet non cõprehendant, tamen inſectentur, & licet ſubmerſi ſint, tamen inſecuti ſint? Quomodo enunciet quod ſaluus effectus dei populus, poſt aliquot manſiones primum cantauerit canticum dicens: Cantemus domino, glorioſe enim glorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare? Sed hæc vt dixi qui per ſingulas manſiones audeat aperire, & pro contemplatione nominum qualitates quoque coniicere manſionum, neſcio ſi aut ſenſus dicentis ad myſteriorum pondus ſufficiat, auditus capiat audientium. Quomodo enim vel occurſus belli explicetur Amalechitarum, vel diuerſæ tentationes, & illi quomodo enarrentur, quorum artus ceciderunt in deſerto, & quod omnino non filij Iſrael, ſed filij filiorum Iſrael ad terram ſanctam peruenire potuerunt, & omnis ille vetus populus cecidit, quibus conuerſatio & habitatio fuerat cum Ægyptiis, ſolus autem nouus peruenit ad regnum qui ignorabat Ægyptios, exceptis ſacerdotibus & leuitis? Si quis enim potuerit ſe in ſacerdotum & leuitarum ordine collocare, ſi quis potuerit non habere portionem in terris vllam, niſi ſolum dominum, iſte non cadet in deſerto, ſed perueniet ad terram repromiſſionis. Vnde & tu ſi vis non cadere in deſerto, ſed peruenire ad terram repromiſſionis patrũ, ſortem tuam non habeas in terra, nec ſit tibi aliquid commune cum terra. Portio tua ſit dominus ſolus, & nunquam cades. Agitur ergo aſcenſio de Ægypto ad terram repromiſſionis, per quam vt dixi myſticis deſcriptionibus edocemur aſcenſum animæ ad cœlum ex reſurrectionis ex mortuis ſacramento. Ponuntur autem & nomina manſionibus. Neque enim conueniens videbatur, vt omnis locus qui ſub cœlo, ſiue montium, ſiue collium, ſiue camporum nominibus vteretur: illa verò aſcenſio qua anima aſcendit ad regnum dei, manſionum ſuarum nomina non haberet. Habet nomina manſionum myſticis aptata vocabulis, habet & deducentem ſe non Moyſen, & ipſe enim quo iret ignorabat: ſed columnam ignis & nubem: filium ſcilicet dei, & ſpiritum ſanctum, ſicut & in alio loco propheta dicit: Ipſe dominus ducebat eos. Talis ergo fiet beatæ animæ aſcenſus, cum ſubmerſi fuerint omnes Ægyptij, & Amalechitæ, atque vniuerſi qui impugnauerant eam: & per ſingulas quaſque digrediens manſiones, illas ſcilicet multas quæ dicuntur eſſe apud patrem, illuminatur amplius ex vna ad aliam veniens, maiora ſemper illuminationis augmenta conquirit, vſquequo aſſueta ſit ipſius veri luminis quod illuminat omnem hominem intuitum pati, & miræ maieſtatis ferre fulgorem. Si verò ad ſecundam, de qua ſuperius memorauimus, expoſitionem redeamus: & animæ in hac vita poſitæ per hæc doceri intelligamus profectus, quæ conuerſa de gentili vita, non tam Moyſen quàm legem dei, nec Aaron, ſed ſacerdotem illum qui permanet in æternum ſequitur: antequam ad perfectum veniat, in eremo habitat: vbi ſcilicet exerceatur in præceptis domini, & vbi fides eius per tẽtationes probetur. Vbi cũ vicerit vnam tentationem, & fides eius in ea fuerit probata, inde venit ad aliam, & quaſi de vna manſione ad alteram tranſit, & ibi cum obtinuerit quæ acciderint, & fideliter tulerit, pergit ad aliam: & ita per ſingula quæque tentamẽta vitæ ac fidei proſecutus, manſiones habere dicitur: in quibus per ſingula virtutum quæruntur augmenta: & impletur in iis illud quod ſcriptum eſt: Ibunt de virtute in virtutem, vſquequo perueniatur ad vltimum, imò ad ſummum gradum virtutum, & tranſeatur flumen dei, ac promiſſa ſuſcipiatur hæreditas. Duplici igitur expoſitione vtentes, omnem hunc qui recitatus eſt conſiderare debemus ordinem manſionum, vt ex vtroque ſit animæ noſtræ profectus, agnoſcentibus ex iis vel hæc vita quę ex reſurrectione erroris legem dei ſequitur, qualiter agi debeat, vel futuræ ſpei quæ ex reſurrectione promittitur, quãta ſit expectatio. Sic enim puto quod iis quę leguntur, digna ſancti ſpiritus legibus intelligentia doceatur. Nam ſcire in deſerto illo qui dictus ſit locus ille, vbi (verbi gratia) applicuerũt tunc tranſeuntes filij Iſrael, quid mihi vtilitatis affert, aut quid legentibus ex hoc profectus, & legem dei die ac nocte meditantibus conferatur? maxime cum videamus tantam fuiſſe curam domino de iſtis manſionibus perſcribendis, vt deſcriptio earum ſecundo iam loco diuinis legibus inderetur. Commemorata ſunt enim nomina iſta, licet in nonnullis immutata, iam tunc cum per loca ſingula eleuaſſe dicuntur filij Iſrael de illo loco, & applicuiſſe: ſed & nunc iterum per verbum domini deſcribi iubentur à Moyſe. Vnde & hoc ipſum quod ſecundo repetitur iſta deſcriptio, ſatis congrue mihi videtur ad myſterium expoſitionis huius quam propoſuimus: bis enim repetuntur, vt duas animæ oſtenderent vias. Vnam qua in carne poſita per legem dei in virtutibus exercetur, & per gradus quoſdam profectuũ aſcendens pergit (vt diximus) de virtute in virtutem, & ipſis profectibus quaſi manſionibus vtitur. Aliam verò qua poſt reſurrectionem aſcenſura ad cœlos non ſubito nec importune ad ſumma conſcendit, ſed per multas deducitur manſiones, in quibus illuminata per ſingulas & augmento ſemper ſplendoris accepto, in vnaquaque manſione illuſtrata ſapiẽtiæ lumine vſque ad ipſum perueniat luminum patrem. [Exierunt ergo, inquit, filij Iſrael cum virtute ſua.] Erat cũ illis virtus illa quæ dixerat: Tecum deſcẽdam in Ægypto, & quia erat cum illis iſta virtus, propterea dicit propheta: Et non erat in tribubus eorum infirmãs. Exierãt autẽ in manu Moyſi, & Aaron. Ad exeundum de Ægypto non ſufficit vna manus Moyſi, quæritur & manus Aaron. Moyſes indicat ſcientiã legis, Aaron ſacrificanti deo & immolandi peritiã. Opus eſt ergo, vt exeuntes de Ægypto non ſolũ ſciẽtiã legis & fidei, ſed operum quibus deo placetur fructus habeamus. Ideo enim & manus commemoratur Moyſi & Aaron, vt opera per manus intelligas. Etenim ſi exiens de Ægypto, & conuerſus ad deum abijciam ſuperbiam, per manus Aaron taurum deo ſacrificaui. Si petulantiam, laſciuiámque peremero, hircum domino iugulaſſe me Aaron manibus credám. Si libidinem vicero, vitulum: ſi ſtultitiam, ouem immolaſſe videbor. Sic ergo cum animæ vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis: & manus Moyſi nobiſcum eſt, cum ad hæc ipſa intelligenda illuminamur ex lege. Et ideo vtraque manus neceſſaria eſt de Ægypto exeuntibus, vt inueniatur in eis nõ ſolum fidei, & ſcientiæ, ſed & actuum operúmque perfectio: & tamen vtræque hæ non ſunt duæ manus, ſed vna. In manu enim Moyſi & Aaron eduxit eos dominus, & non in manibus Moyſi & Aaron, vnum enim opus vtriuſque manus eſt, atque vna perfectionis expletio. [Et ſcripſit, inquit, Moyſes perfectiones, & manſiones eorum, per verbum domini.] Scripſit ergo hæc per verbum domini, vt legẽtes nos, & videntes quantæ nobis immineant profectiones ad iter quod ducit ad regnum, præparemus nos ad vitam hanc, & conſiderantes iter quod nobis immineat non ſegniter nec remiſſe vitæ noſtræ tẽpus permittamus abſumi: ne forte dũ in his mundi vanitatibus immoramur, & ſingulis quibuſque quæ ad viſum vel auditum, vel etiam quæ ad tactum atque odoratum guſtúmque veniunt, delectamur, labantur dies, tẽpus prætereat, & non occurramus omne ſpatium imminentis itineris explicare, & deficiamus in medio, atque accidat nobis illud quod de quibuſdam refertur, qui peruenire non potuerunt,

Pſal.115 · *Deut.2* · *Exod.15* · *In deſerto omnes perierunt, exceptis ſacerdotibus & leuitis.* · *Filius dei & Spiritus S. doctores populi.* · *Pſal.84* · *Duæ animæ viæ.* · *Fides & opera, vt deo placeamus.*

A potuerunt, sed artus eorum ceciderunt in deserto. Iter ergo agimus, & idcirco deuenimus in hunc mundum, vt transeamus de virtute ad virtutem: non vt permaneamus pro terrenis in terra, sicut & ille dicebat: Destruam horrea mea, & alia maiora ædificabo, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona reposita in annos multos, manduca, & bibe, & lætare, ne forte dicat & nobis dominus, sicut illi: Stulte hac nocte auferetur à te anima tua. Non dixit in hac die, sed in hac nocte. In nocte enim perimitur & hic, sicut primogenita Ægyptiorum, tanquam qui dilexerit mundum, & tenebras eius, & particeps fuerit rectorum mundi huius tenebrarum harum. Tenebræ autem & nox mundus iste appellatur pro iis qui in ignorantia viuunt, nec lumen recipiunt veritatis. Qui autem tales sunt, de Ramesse non proficiscuntur, nec transeunt ad Sochoth. Videamus tamen prius quando proficiscuntur filij Israel ex Ramesse. [Mense, inquit, primo quintadecima die mensis.] Per præceptum domini quartadecima die mensis egerant pascha in Ægypto, iugulantes agnũ pridie quàm proficiscerentur, & initium quodammodo festiuitatis adhuc in Ægypto positi gerunt. Sequenti ergo die qui est primus dies azymorum, quintadecima die mensis primi proficiscuntur de Ramesse, & veniunt in Sochoth, vt ibi faciant festiuitatis azymorum diem. Quis sapiens & intelliget hæc? sensatus & cognoscet ea? Imò quis est qui hæc vel ex parte cognoscat? sicut Apostolus dicit: Ex parte scimus, & ex parte prophetamus. Quis intelligit quomodo ex

Luc.12.

1.Cor.13.

B parte dies festos agimus, vt nemo nos iudicet in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbati? Omnis nanque dies festus qui in terris ab hominibus geritur, in parte, non in integro, neque perfecto festiuitatis titulo geritur: sed cum exieris de Ægypto ista, tunc erit tibi perfecta festiuitas, tunc azyma synceritatis & veritatis ad perfectum curabis, tunc pentecostes diem in eremo ages, & tunc forte primum mannæ cibum cœlestem suscipies, ac singulas quasque festiuitates geres, de quibus iam superius (vt potuimus) dictum est. Scito tamen quoniam post illud pascha quod in Ægypto factum est, semel inuenimus in deserto pascha curatum, cum lex data est, & aliud (sicut obseruauimus in Numeris) post hæc iam nũsquam geri, nisi in terra repromissionis. Igitur quintadecima die mensis primi, sequenti post pascha die, qui est primus azymorum dies, perfecti sunt filij Israel de Ramesse, [in manu, inquit, excelsa, in conspectu omnium Ægyptiorum.] Quæ est manus excelsa? Et alibi enim dicit: Exaltetur manus tua. Vbi non est humanum opus nec terrenum, sed diuinum, ibi manus excelsa nominatur. Per manus nanque opus intelligi, sæpe iam dictum est. In manu ergo excelsa, in conspectu omnium Ægyptiorum profecti sunt. Et Ægyptij, inquit, sepeliebant mortuos suos: viuentes autem

Perfecta festiuitas in cibo.

Pascha semel in deserto celebratum.

C sequebantur dominum deum suum. Post hæc dicitur quia & in diis eorum fecit dominus vindictam. Sed & in Exodo ita dicit: Et in omnibus diis Ægyptiorum faciet dominus vindictam. Hic autem dicit quia fecit in eos dominus vindictam. Sunt quidam qui dicuntur dij siue in cœlo, siue in terra, Apostolus ait. Sed & in psalmis dicitur: Omnes dij gentium dæmonia. Non ergo simulachra, sed dæmones qui simulachris assident, deos dicit in quos fecit dominus vindictam. Sed velim requirere quomodo deus vindictam faciat in dæmones, cum vtique vindictæ dies & iudicij nondum aduenerit. Sed hanc ego puto in dæmones fieri vindictam, cum is qui ab illis deceptus fuerat vt idola coleret, per verbum domini conuersus dominum colit: & ex ipso opere conuersionis, in eum vindicta qui deceperat, datur. Similiter si is qui à dæmonibus deceptus fuerat ad fornicandum, conuertatur ad pudicitiam, diligat castitatem, errasse se defleat, pœnitentiæ ipsius lacrymis vritur & incenditur dæmõ, & sic vindicta datur in deceptionis auctorem. Similiter etiam si quis de superbia ad humilitatem, de profusione ad parsimoniam redeat, per hæc singula dæmones, qui se in hæc deceperant, flagellat & cruciat. Quantis eos putatis agi tormentis, si quem videant, secundum verbum domini, vendere omnia sua quæ possidet, & dare pauperibus, & tollere crucem suam, & sequi Christum? Super omnia verò eis est tormentorum genera, & super omnes pœnas, si quem videant verbo dei operam dare, scientiam diuinæ legis & my-

1.Cor.8.
Psal.96.

Vindicta in dæmones peccatorum conuersio.

D steria scripturarum intentis studiis perquirentem: in hoc eorum omnis flamma est, in isto vtuntur incendio, quoniam quidem ignorantiæ tenebris humanas obscurauerant mentes, & hæc obtinuerant, vt Deus quidem ignoraretur, ab ipsos verò diuini cultus studia transferrentur. Quæ putas in illos vindicta datur, quæ infertur eis flamma pœnarum cum vident hæc lumine veritatis aperiri, & fraudis suæ nebulas per agnitionem legis diuinæ reserari? Possident enim cunctos qui in ignorantia viuunt: & non solum illos qui adhuc in ignorantia sunt, sed ingerunt se sæpe etiam iis qui agnouerunt deum, & rursus in eis opera ignorantiæ conantur operari. Neque enim sine ipsis consummatur omne peccatum. Nam cum adulterium quis committit, non est vtique sine dæmone: vel cum ira immoderata raptatur, vel cum diripit aliena: & qui sedens aduersus proximum suum detrahit, & aduersum filium matris suæ ponit scandalum, non est sine dæmone. Et ideo omninode agendum est nobis, ne forte Ægyptiorum primogenita, vel deos eorum quos dominus percussit & extinxit, resuscitemus in nobis, si eis locum dederimus operandi in nobis ea quæ odit deus. Si autem ab his omnibus contineamus nos, eo modo quo superius diximus, dedit vindictam in omnibus diis Ægyptiorum, pœnásque ex nostra emendatione & conuersione dæmones susci-

E piunt. Exeunt ergo ex Ægypto filij Israel, & proficiscentes ex Ramesse veniunt in Sochoth. Perfectionis hic ordo, & distinctio mansionum, valde necessaria, & obseruanda est iis qui sequuntur deum, & de virtutum præfectibus cogitant. De quo ordine memini quod iam & in aliis, cum ædificationis causa aliqua loqueremur, quæ dominus dare dignatus est prosecuti sumus. Sed & nunc paucis iterum commonebimus. Fit ergo prima profectio ex Ramesse, & siue de hoc mundo anima proficiscens ad futurum seculum pergit, siue ab erroribus vitæ ad vitam virtutis & agnitionis conuertitur, ex Ramesse proficiscitur. Ramesse enim in nostra lingua dicitur commotio turbida, vel commotio tineæ. In quo vtique ostenditur, quod omnia in hoc mundo in commotionibus, & perturbationibus posita sunt, & in corruptelâ: hoc enim tinea indicat. In quibus non oportet residere animam, sed proficisci, & venire in Sochoth. Sochoth autem interpretatur tabernacula. Igitur primus animę profectus est vt auferatur à commotione terrena, & sciat sibi tanquam peregrinanti in tabernaculis habitandum, quo velut in procinctu posita aduersus insidiantes expedita occurrere possit & libera. Inde iam vbi se sentit esse præparatam, proficiscitur ex Sochoth & applicat in Buthan. Buthan conuallis appellatur. Virtutum diximus in his esse profectum. Virtus nõ nisi exercitiis & labore conquiritur, nec tantum in prosperis, quantum in aduersis probatur. Venitur ad conuallem. In conuallibus autem & in inferioribus locis certamen habetur aduersus diabolum, & contrarias potestates. In conualli

Prima profectio ex Ramesse.

Sochoth.

Buthan.

F ergo agon gerendus est, & in conualli pugnandum est. Denique & Abraham in valle Salinarum pugnauit aduersum barbaros reges, & ibi victoriam consecutus est. Descendit ergo viator hic noster ad eos qui in profundis sunt & in imis, non vt ibi demoretur, sed vt ibi victoriam consequatur. Profecti sunt autem ex Buthan, & applicuerunt ad os Iroth. Iroth vicus interpretatur. Nondum enim venitur ad ciuitatem, nec quæ perfecta sunt iam tenentur, sed interim primo parua quæque capiuntur. Hic est enim profectus, vt à paruis ad magna veniatur. Venitur ergo ad Iroth, hoc est ad ingressum primum vici, quod est initium conuersationis, & abstinentiæ mediocris. Periculosa est nanque in initiis grandis & immoderata abstinentia. Iroth autem hæc posita est contra Beelsephon, & contra Magdalum, Beelsephon interpretatur ascensio speculæ, siue turris. A paruis ergo ascenditur ad magna, & nondum in ipsa specula, sed contra speculam, id est in conspectu speculæ posita est. Speculari enim incipit, & prospicere spem futuram & altitudinem profectuũ cõtemplari, & paulatim crescit, dum plus spe nutritur quàm laboribus fatigatur. Quæ statio, siue mansio contra Magdalum est, nondum in ipso Magdalo. Magdalum enim magnificentia dicitur. Habens ergo in conspectu & ascensionẽ

Gen.14.

Iroth.

Beelsephon

Magdalũ.

G speculæ, & magnificentiam rerum futurarũ, speciebus (vt diximus) ingentibus pascitur & nutritur. In profectionibus enim est, nõ in perfectione iam posita. Post hæc proficiscuntur de Iroth, & transeunt per mediũ maris rubri, & applicuerunt ad amaritudines. Diximus tempus profectuum, tempus esse periculorũ: quàm molesta tentatio transire per medium mare, videre fluctus in cumulũ crescere, audire vndarum insanientium voces & strepitus: sed tamen si sequaris Moysen, id est, legem dei, aquæ tibi murus dextra læuáque fient, & iter inuenies per siccum in medio mari. Sed & illud iter cœleste quod agere dicimus animam, potest fieri vt habeat aliquid aquarum, potest fieri vt ibi inueniantur vndæ: est enim ibi pars aliqua aquarum, & pars aliqua sub cœlo: & nos interim harum quæ sub cœlo sunt aquarum vndas fluctúsque perferrimus: deus viderit si illæ quietæ sunt & placidę, nec aliquibus ventis flantibus excitantur. Sed nos interim cum venerimus ad trãsitum maris, etiam si videamus Pharaonem & Ægyptios insequẽtes, nihil trepidemus, nullus de his metus, nulla formido sit. Credamus tantum in vnum verum deum, & quem misit filium suum Iesum christum. Quod & si dicatur populus deo credidisse & famulo eius moysi, credimus & nos secundum hoc etiam Moysi, id est, legi dei, & prophetis. Constans ergo esto, & paulo post videbis Ægyptios iacentes ad littus maris. Cum autem videris eos iacentes,

H tu exurge & canta in canticis domino, & collauda eum qui equum & ascensorem demersit in rubrum mare. Applicuerunt ergo ad Amaritudines. Audiens amaritudines non pauescas, neque terrearis. Omnis enim eruditio ad præsens non videtur dulcis esse, sed amara. Postea verò fructum dulcissimum, & pacatissimum exercitatis per semetipsam reddit iustitiæ, sicut Apostolus Iacobus docet. Denique & azyma cum amaritudine vesci præcipiuntur: nec est possibile peruenire ad terram repromissionis, nisi per amaritudines transeamus. Sicut enim medici amaritudines quasdam medicamentis inserunt salutis prospectu & suauitatis languentium: ita & salutis prospectu medicus animarum nostrarum amaritudines nos vitæ huius voluit pati in diuersis tentationibus sciens quia finis huius amaritudinis animæ nostræ dulcedinem salutis adquirat: sicut & è contrario finis dulcedinis quæ est in voluptate corporea, vt diuitis illius exempla docuerunt, amarum finem reddit in infernum pœnarum. Tu ergo qui iter virtutis incedis, non refugias applicare ad amaritudines. Proficisceris enim & inde, sicut & filij Israel. Profecti sunt, inquit, de Amaritudine, & venerunt in Helim. Helim est, vbi sunt duodecim fontes aquarum, & septuaginta duæ arbores palmarum. Vides post amaritudines, post asperitates tentationum, quàm te amœna suscipiunt loca. Non venisses ad palmas, nisi tentationum amaritudines pertulisses: nec venisses ad dulcedinem fontium, nisi prius quæ

I tristia fuerant & aspera superasses. Non quo iam finis sit in his itineris, & perfectio cunctorum: sed dispensator animarum deus in ipso itinere interserit laboribus etiam quædam refrigeria, quibus refota anima & reparata, promptior redeat ad reliquos labores. Helim autem interpretatur arietes. Arietes duces sunt gregũ. Qui sunt ergo duces gregis Christi, nisi Apostoli, qui sunt & duodecim fontes? Verum quoniam non solum illos duodecim elegit dominus & Saluator noster, sed & alios septuaginta duos idcirco non solum duodecim fontes, sed & septuaginta duæ arbores scribuntur esse palmarum, & ipsi enim Apostoli nominantur, sicut & ipse paulus dicit, cum de resurrectione Saluatoris exponeret. Visus, inquit, est illis vndecim, deinde apparuit & omnibus Apostolis. In quo ostendit esse & alios Apostolos, exceptis illis duodecim. Hæc te ergo amœnitas post amaritudinem, hæc te requies post laborem, hæc te gratia post tentamenta suscipiet. [Profecti sunt, inquit, de Helim, & applicuerunt iuxta mare rubrum.] Obserua quia iam non intrant in mare rubrum, semel tantum sufficit intrasse, modo iam applicant iuxta mare, vt videant quidem mare, & vndas eius aspiciant, nequaquam tamen motus ipsius & impetus pertimescãt. [Et profecti sunt à rubro mari, & applicuerunt in deserto Syn.] Sin rubus interpretatur, siue tentatio. Incipit ergo tibi iam arridere bonorum spes. Quæ est autem bonorum spes? De

Mara. · *Helim* · *Alij Apostoli præter vndecim.* · *Sin* · *Exod. 3.*

rubo apparuit dominus, & responsa dedit Moysi, & de-

K hinc initium visitationis factum à domino ad filios est Israel. Sed non otiose Sin etiam tentatio interpretatur. Solet enim in visionibus esse tentatio. Nam nonunquã angelus iniquitatis transfigurat se in angelum lucis. Et ideo cauendum est, & sollicite agendum, vt scienter discernas visionum genus, sicut & Iesus Naue cum visionem videret sciens esse in hoc tentationem, statim requirit ab eo qui apparuit & dicit: Noster es, an aduersariorum? Ita ergo & proficiscens anima vbi aduenerit vt iam incipiat discretionem habere visionũ, inde probabitur spiritalis esse, si scit omnia discernere. Idcirco denique & inter dona spiritalia, vnum ex donis sancti spiritus esse memoratur discretio spirituum. [Profecti verò ex deserto Syn, venerunt in Raphaca.] Raphaca interpretatur sanitas. Vides ordinem profectuum, quomodo vbi iam spiritalis efficitur anima, & discretionem cœlestium cœperit habere visionum, peruenit ad sanitatem, vt merito dicat: Benedic anima mea dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Quem dominum? qui sanat, inquit, omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam. Sunt enim multi languores animę. Auaritia languor eius est, & quidem pessimus. Superbia, ira, iactantia, formido, inconstantia, pusillanimitas, & horum similia. Quãdo me domine Iesu ab his omnibus languoribus curabis? quando sanabis, vt ego dicam, Benedic anima mea dominum qui sanat omnes languores tuos? vt possim & ego mansionem facere in Raphaca,

L quod est sanitas. Longum est si velimus ire per singulas mansiones, & ex vnaquaque si qua ex nominum contemplatione suggeruntur, aperire: strictim tamen & breuiter percurremus, vt non tam plenam vobis expositionem, quia minime id tempus indulget, sed occasiones in eis intelligentiæ præbeamus. Proficiscuntur ergo ex Raphaca, & veniunt in Halus. Halus labores interpretantur. Nec mireris si sanitatem sequuntur labores. Propterea enim & adipiscitur à domino anima sanitatem, vt labores delectabiliter, & non inuita suscipiat. Dicitur enim ei, Labores fructum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Post hæc eueniunt in Raphidin. Interpretatur autem Raphidin laus iudicij. Iustissime laus sequitur post labores: cuius tamen rei laus? iudicij inquit. Fit ergo laude digna anima quæ rectè iudicat, rectè discernit, id est quæ spiritaliter diiudicat omnia, & ipsa à nemine diiudicatur. Post hæc peruenitur in desertã Sina. Sina ipse quidem locus est deserti, quem suprà Sin memorauit: sed hic magis locus mõtis, qui in ipso deserto est, appellatur: qui etiam ipse vocabulo deserti Sina nominatur. Postquam ergo laudabilis iudicij facta est anima, & rectũ cœpit habere iudicium, tunc ei datur lex à deo cum capax esse cœperit secretorum diuinorum & cœlestium visionum. Inde venitur ad monumenta concupiscentiæ. Quid est monumenta concupiscentiæ? Sine dubio vbi sepultæ sunt & obrutæ concupiscentiæ, vbi extincta est omnis cupiditas, nec vltra concupiscit caro aduersus spiritum, mortificata scilicet morte

M Christi. Post hæc venitur in Aseroth, quod interpretatur atria perfecta, vel beatitudo. Intuere diligentius omnis viator quis sit ordo profectuũ: posteaquam sepelieris, & morti tradideris concupiscentias carnis, venies ad amplitudines atriorum, venies ad beatitudinem. Beata nanque est anima quæ nullis iam vitiis carnis vrgetur. Inde venitur in Rhathanim siue Pharam. Rhatanim visio consummata interpretatur, Pharam verò visibile os. Quid? nisi ita crescat anima, vt cum desierit molestiis carnis vrgeri, visiones habeat consummatas, perfectámque rerum capiat intelligentiam, causas scilicet incarnationis verbi Dei, dispensationúmque eius rationes plenius altiúsque cognoscens? Hinc iam venitur in Remonphares, quod in nostra lingua excelsa intercisio dicitur, hoc est, vbi magnarum & cœlestium rerum à terrenis & infimis separatio fit & discretio. Crescente nanque intellectu animæ, & notitia ei excelsorum præbetur, & iudicium datur, quo sciat à temporalibus æterna intercidere, & à perpetuis caduca separare. Post hæc venitur Lebna, quod interpretatur dealbatio. Scio in aliis dealbationẽ culpabiliter poni, vt cum dicitur paries dealbatus, & monumẽta dealbata. Sed hic dealbatio illa est, de qua dicit prophéta: La

uabis

Raphaca · *Psal. 103* · *Halus* · *Raphidin* · *Sina* · *Monumẽta concupiscẽtiæ.* · *Aseroth* · *Rathanim siue Pharã* · *Remonphares.* · *Lebna* · *Mat. 23* · *Psal. 55.*

A uabis me, & super niuem dealbabor. Et iterum Esaias: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, vt niuem dealbabo, & vt lanam candidam efficiam. item in psalmo: Niue dealbabuntur in Selmon. Et vetusti dierum capilli dicuntur esse candidi, id est, albi sicut lana. Sic igitur dealbatio hæc ex splendore vere lucis venire intelligenda est, & ex visionum cœlestium claritate descendere. Post hæc mãsio fit in Ressa: quod apud nos dici potest visibilis siue laudabilis tentatio. Quid est hoc, quod quanuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Vnde apparet quia velut custodia quædam, & munimen, ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro si sale non aspergatur, quamuis sit magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuo resoluitur, ac relaxatur. Vnde constat propter hoc dictum esse, quòd omne sacrificium sale salietur. Inde denique est quod & Paulus dicebat, Et ex sublimitate reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Hæc ergo est visibilis, vel laudabilis tentatio. Ex hac venitur ad Macelath, quod est principatus, vel virga. Ex vtroque verò potestas indicari videtur, & quod anima eousque profecerit, vt dominetur corpori, & ipsa in illud virgam potestatis obtineat: imò non solum corpori, sed & vniuerso mundo, cum dicit: Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo. Inde venitur in montem Sephar, quod tubicinatio appellatur. Tuba signum belli est. Igitur B vbi se tantis ac talibus virtutibus anima sentit armatam, necessario procedit ad bellum, quod est ei aduersus principatus, & potestates, & aduersum mundi rectores: vel certe tuba canit in verbo dei, prædicationis scilicet & doctrinæ, vt det significantem vocem per tubam, vt qui audierit, præparare se possit ad bellum. Post hæc venitur super Charadath, quod in nostra lingua sonat idoneus effectus: profecto vt & ipse dicat, quia idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Inde mansio habetur apud Maceloth, quod interpretatur ab initio. Contemplatur nanque qui ad contemplationem tendit initium rerum, imò potius cuncta ad eum refert, qui erat in principio, nec ab isto initio aliquando discedit. Post hæc fit mansio in Caath, quod est confirmatio, vel patientia. Necesse est enim eum qui vult etiam aliis prodesse, multa pati, & cuncta ferre patienter, sicut de Paulo dictum est: Ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine pati meo. Inde venitur Thara, quod apud nos intelligitur cõtemplatio stuporis. Non possumus in Latina lingua vno sermone exprimere verbum Græcum, quod illi ἔκστασιν vocant, id est, cum pro alicuius magnæ rei admiratione obstupescit animus. Hoc est ergo quod dicit contemplatio stuporis, cum in agnitione magnarum & admirabilium rerum mens attonita stupet. Post hæc venitur ad Matheca, C quod interpretatur mors noua. Quæ est noua mors? Quando Christo commorimur vt & conuiuamus ei. Inde Asenna venitur, quod os, vel ossa significare dicitur. Virtus per hæc sine dubio, & robur patientiæ declaratur. Iam hinc habetur mansio apud Mesaloth, quod significare putatur excludens. Quæ excludens est? sine dubio malignas suggestiones contrarij spiritus de cogitationibus suis. Sic enim & sapientia dei dicit: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas. Tenendus est ergo locus, & excludendus est aduersarius, ne inueniat locum in corde nostro, sicut apostolus dicit: Nolite locum dare diabolo. Post hæc Banaim venitur, quod fontes significat, vel excolationes, id est, vbi diuinorum verborum fontes haurit vsquequo excolet eos bibendo. Excolat autem dicitur hic à colando, non à colendo. Excolat ergo verbum dei quis, cum ne minimum quidem mandatum præterierit, imò cum ne iota quidem vnum, vel vnus apex de verbo dei intellectus eius habetur otiosus. Post hæc venitur in Galgat, quod interpretatur tentamentum, siue constipatio. Fortitudo quædam (vt video) & munimen est animæ, tentamentum. Ita enim virtutibus admiscetur, vt videatur absque his virtus nec decora esse, nec plena. Et ideo proficientibus ad virtutem, & variæ & frequentes mansiones in tentationibus fiunt. Quas cum transieris, applicabis in Tabatha. Tabatha interpretatur

Esa.1. Psal.86. Dan.7. Ressa. Leuit.2. 2.Cor.12. Macelath. Sephar. Caradath. Maceloth. Caath. Tharà hæc addit de suo interpres. Matheca. Asenna. Mesaloth. Eccl.10. Banaim. Galgat. Tabatha.

bona. Ad bona ergo non nisi post tentamentorum experimenta venitur. Inde applicuerunt, inquit, in Ebrona, quod D est transitus. Transeunda nanque sunt omnia: quia etiam si ad bona venias, oportet te & ad meliora transire, vsquequo ad illud bonum venias, in quo semper debeas permanere. Post hæc peruenitur ad Gasiongabis, quod interpretatur cõsilia viri. Si quis desiit puer esse sensibus, iste peruenit ad cõsilia viri, sicut & ille qui dicebat: Cum autem factus sum vir quæ paruuli erant deposui. Sunt ergo magna consilia viri, sicut & ille ait: Aqua alta, consilium in corde viri. Hinc iterum venitur Sin. Iterum tentatio est Sin. Diximus enim quia nec aliter expedit iter istud incedere: sicut (verbi gratia) si quis aurifex vas necessarium facere volens, frequenter illud igni admoueat, frequenter malleis subdat, rasoriis sæpe perstringat, vt & purgatius fiat, & ad illam speciem, quam prospicit artifex, atque ad illam pulchritudinem deducatur. Post hæc applicatur ad Pharancades, quod est fructificatio sancta. Vides inde quo venitur, vides quia tentationum sulcos fructificatio sancta subsequitur. Inde applicatur in montem Or, quod interpretatur montanus. Venit enim ad montem dei, vt & ipse fiat mons vber, & mons coagulatus, vel ab eo quod semper in monte dei habitet, montanus dicatur. Subsequitur post hæc mansio Selmona: quod interpretatur vmbra portionis. Illam puto vmbram dici de qua & propheta dicebat, Spiritus vultus nostri Christus dominus, cui diximus: In vmbra eius viuemus in gentibus. Sed E & illa similis huic vmbra est, de qua dicitur: Spiritus domini obumbrabit tibi. Vmbra ergo portionis nostræ, quæ nobis opacitatem præstat ab omni æstu tentationum, Christus est, & spiritus sanctus. Hinc iam venitur ad Fino, quod interpretari putamus oris parsimoniam. Qui enim intueri potuerit mysterium de Christo, & de spiritu sancto, & si viderit, siue audierit ea quæ non licet hominibus loqui, necessario habebit oris parsimoniam, sciens quibus, vel quãdo, vel quomodo de mysteriis diuinis oporteat loqui. Post hæc venitur Oboth, cuius nominis quamuis non inuenerimus interpretationem, tamen non dubitamus, sicut & in cæteris omnibus, etiam in hoc nomine consequentiam profectuum conseruari. Sequitur post hæc mansio quæ appellatur Cai, quod interpretatur chaos. Appropiat enim per hos profectus ad sinus Abrahæ, qui dicit ad eos qui in tormentis sunt: Quia inter vos & nos chaos magnum confirmatum est, vt & ipse in finibus eius, sicut beatus Lazarus requiescat. Inde iterum venitur Dibongad, quod significare fertur apiarium tentationum. O miram diuinæ prouidentiæ cautelam. Ecce iam viator hic itineris cœlestis, summæ perfectioni proximus fit successione virtutum, & tamen ei tentamenta non desunt, sed noui generis audio tentamenta. Apiarium, inquit, tentationum. Apis laudabile animal in scripturis positum est, ex cuius laboribus reges & mediocres ad sanitatem abutuntur: quod recte de verbis prophetarum & apostolorum, at- F que omnium qui sacra volumina conscripserunt, accipitur: & istud esse apiarium, id est, omnem numerum scripturarum diuinarum dignissime intelligi puto. Est ergo iis qui ad perfectionem tendunt, etiam in hoc apiario, id est in verbis propheticis & apostolicis, non nulla tentatio. Vis videre quia sit in his tentatio non nomina? In hoc apiario scriptum inuenio. Vide, inquit, ne aspiciens Solem & Lunam, adores ea quæ sequestrauit dominus deus tuus gentibus: Vides quæ tentatio de apiario isto procedit? Et iterum cum dicit: Deos non maledices. Et iterum in noui testamenti apiario, vbi legimus: Quid me vultis occidere hominem qui veritatem locutus sum vobis? Et iterum in aliis ipse dominus dicit: Propterea in parabolis loquor eis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, ne forte conuertantur, & sanem eos. Sed & cum Apostolus dicit: In quibus deus huius seculi excæcauit mentes infidelium: & multa huiusmodi in hoc diuino apiario tentamenta reperies. Atque necesse est venire vnumquemque sanctorum, vt etiam per hæc, quàm perfecte & pie de deo sentiat, agnoscatur. Post hæc iam venitur Gelmon Deblathaim, quod interpretatur contemptus ficuum, id est vbi contemnuntur, & despiciuntur penitus terrena. Nisi enim spreta fuerint & contempta ea

Ebrona. Gasiõgabis 1.Cor.14. Exod.16. Sin. Pharãcades. Or. Selmona. Thren.4. Luc.1. Fino. Oboth. Cai. Luc.15. Dibongad. Deut.4. Exod.22. Ioan.8. Mat.13. 2.Cor.4. Gelmon-Deblathaim.

G quæ delectare videntur in terris, ad cœlestia transire non possumus. Sequitur enim post hæc mansio Abarim contra Nabau quod est transitus. Nabau verò abscessio interpretatur. *Abarim Nabau* Vbi enim per has omnes virtutes iter egerit anima, & ad summam perfectionis ascenderit, transit iam de seculo, & abscedit: sicut scriptum est de Enoc: Et non inueniebatur, quia transtulerat eum deus. *Gen. 5.* Quod etsi videatur esse adhuc in seculo qui huiusmodi est, & in carne habitare, tamen non inuenietur. In quo non inuenietur? In vllo actu seculari, in vlla re carnali, nullo colloquio vanitatis inuenitur. Transtulit enim eum deus ab iis, & esse fecit in regione virtutum. Vltima mansio est ab occidente Moab iuxta Iordanem. Omnis nanque hic cursus propterea agitur, & propterea cúrritur, vt perueniatur ad flumen dei, vt proximi efficiamur fluentis sapientiæ, & rigemur vndis scientiæ diuinæ: vt sic per omnia purificati, terram repromissionis mereamur intrare. Hæc interim de Israelitis mansionibus secundum vnum exponendi modum in transcursu perstringere, atque in medium proferre potuimus. Verum ne huiusmodi expositio, quæ per Hebræorum linguam & nominum significantias currit, ignorantibus linguæ illius proprietatem affectata videatur & violenter extorta, dabimus etiam in nostra lingua similitudinem, qua consequentiæ huius ratio patescat. *Dissentium diuersitates* H In literario ludo, vbi pueri prima elementa suscipiunt, abecedarij dicuntur quidam, alij syllabarij, alij nominarij, alij iam calculatores appellantur: & cum audierimus hæc nomina, ex ipsis qui sint in pueris profectus agnoscimus. Similiter & in liberalibus studiis, cum aut locum recitare, aut allocutionem, vel laudem, aliasque per ordinem materias audierimus, ex materiæ nomine profectum adolescentis aduertimus. Quomodo ergo & per hæc quæ locorum quasi materiarum nomina memorantur, non credamus in diuinis eruditionibus profectus indicari posse discentium? Et sicut illic singulis quibusque dicendi materiis immorantes quasi mansiones in eis quasdam facere videntur, & de vna ad aliam, ac de alia item ad aliam proficisci: ita etiam hic mãsionum nomen & profectio ab vna ad aliam, & ab alia iterum ad aliam, cur non profectum mentis indicare credatur, & incrementa significare virtutum? Illam verò aliam expositionis partem prudentibus quibusque ex ista coniiciendam & contemplandam relinquo. Sapientibus enim sufficit occasionem dedisse: quia nec expedit vt auditorum sensus penitus remaneat otiosus & piger. Ex horum ergo collatione etiam illa meditetur, imò & aliquid perspicacius ac diuinius contempletur. Non enim ad mensuram dat deus spiritum: *Ioan. 1* sed quia dominus est spiritus, idcirco vbi vult spirat & optamus vt etiam vobis aspiret, quo meliora horum, atque altiora in verbis domini sentiatis, iter agentes per hæc quæ pro nostra mediocritate descripsimus: vt & in illa via superiore, & excelsiore, etiam nos vobiscum possimus incedere: I deducente nos ipso domino domino nostro Iesu Christo, qui est via, & veritas, & vita, vsquequo perueniamus ad patrem, cum tradiderit regnum deo & patri, & subiecerit ei omnem principatũ, & potestatem. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Quæ sit terræ sanctæ descriptio, terminorúmque eius & finium quos dominus descripsit. Ex Cap. XXXIIII. Homilia XXVIII.

VLTIMA in libro Numerorum historia refertur, in qua dominus iubet Moysi pręcepta dare filijs Israel, vt cum ingressi fuerint terram sanctam capere hæreditatem eius, sciant quos in ea terminos finium suorum debeant obseruare: & post iam ipso domino describente dicitur. Ad Aphricum quidem, hoc est, ad occidentem illius loci terminus obseruetur, & illius ad orientem, & sic per quatuor cœli plagas, nomina quædam dominus ipse designat, quæ in Iudæa ista terrena populus dei debeat custodire. Dicit ergo in iis simplicior quique auditorum, quia possunt hæc necessaria videri & vtilia etiam secundum literam, pro eo vt nemo transgrediatur terminos per pręceptum domini constitutos, & fines alterius tribus alia violare non audeat. Ecquid faciemus, cum in terris istis K non solum inuadendi alterius fines Iudęis, sed qualitercunque possidendi facultas nulla remanserit? Profugi nanque ab ea, & extorres exulant, & fines non quos lex diuina statuit nunc possidentes custodiunt, sed quos victorum iura mandarunt. *Respicit ad Hadriani Imp. de ea re edictum.* Quid inquam nos faciemus qui hæc in ecclesia legimus? Si secundum Iudæorum sensum legamus, superflua nobis profecto videbuntur & inania. Sed & ego qui lego de sapientia scriptum: Exi post eam sicut vestigator, volo exire post eam, & quia in rebus eam corporalibus non inuenio, insequi eius vestigia cupio: & inuestigare quo eat, ac videre intellectus meus ad quæ me cubilia pertrahat. Puto enim quòd si diligenter eam sequi potuero, & inuestigare vias eius, dabit mihi aliquas occasiones ex scripturis, quomodo etiam de his locis explicare debeamus, si credimus iis quæ Paulus in mysterio loquitur, quod qui per legem deseruiũt, vmbræ & imagini deseruiũt cœlestiũ. *Heb. 7* *Heb. 10* Et si secũdũ ipsius nihilominus sententiã, lex cuius pars est hæc lectio quam habemus in manibus vmbram habet futurorum bonorũ, consequẽs videtur & necessarium, omnia quæ quasi de rebus terrenis describuntur in lege vmbras esse futurorum bonorum omnísque hæreditas terrę illius, quæ in Iudæa terra sancta & terra bona appellatur, imago sit bonorum cœlestiũ: quorum hæc (vt diximus) quæ in terris bona memorantur, vmbram atque imaginem teneant. Sed vt paululum & meus sermo, & vestra intelligentia sublimetur, atque ingressum quendam ad ea quæ dicimus aduertenda concipiat, vtamur aliqua similitudine. Nemo dubitat quod in terra Iudęa omnis locus, omnis mons, omnis ciuitas & vicus, certis quibusque vocabulis designetur: nec est vllus omnino sine nomine locus, sed L propriis singula quæque appellationibus designantur: verbi gratia quibus aut Chananæi in suis locis, aut Pheresæi nihilo minus in suis: A morrhæíque, aut Euæi, vel etiam Hebręi nominarunt. Ita ergo secundum sententiam Pauli, qua vmbram & exemplar cœlestium dicit esse terrena, fortasse & in cœlestibus regionibus erunt locorum differentiæ non minimæ. Videtis quibus, vel quorum appellationibus, vocabulísque distinctæ, & nomina non solum plagarum cœli, sed etiam omnium stellarum siderúmque signata. Qui enim fecit multitudinem stellarum (vt ait propheta) omnibus eis nomina vocat. De quibus quidem nominibus plurima in libellis qui appellantur Enoch, secreta continentur, & arcana: sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, interím nunc ea quæ ibi nominantur, ad exemplum vocare differamus, sed ex his quę habemus in manibus, de quibus dubitari nõ potest rerum prosequamur indaginem. *Libelli Enoch apocryphi* Describitur ergo verbis dei in lege diuina terra Iudææ, & hæc referri debere dicitur ad imaginem celestium. In cœlis autẽ euidenter esse Hierusalem ciuitas pronunciatur ab Apostolo, & mons Sion. Consequens igitur est vt sicut sunt etiam aliæ ciuitates circa Hierusalem terrenam sitæ, & vici, & diuersę quæque regiones: ita & illa cœlestis Hierusalem secundum imaginem terrenorum habeat circa se & alias ciuitates, ac vicos, diuersásque regiones, in quibus populus dei & M verus Israel, per Iesum verum, cuius ille Iesus Naue ferebat imaginem, collocandus est quandoque, & hæreditatem sortis distributione, id est meritorum contemplatione, capturus. *Heb. 12* Sic ergo nunc dominus dicit in distributione terrę (verbi gratia) terminos tribus illius esse istos, & alterius alios: ne forte quoniam diuersa erunt merita eorum qui hæreditatem consecuturi sunt regni cœlorum, idcirco etiam in iis tribubus obseruanter dirimi iubetur ista distinctio terminorum, vt sciamus has esse meritorum differentias obseruandas in vnoquoque. Verbi grariạ, qui ita negligenter vixerit vt pro fide quidem sua mereatur haberi inter filios Israel, pro negligentia verò vitæ, gestorúmque desidia in tribu Ruben aut Gad, aut dimidia tribu Manasse debeat reputari, & nõ intra Iordanem, sed extra eum, sortem hæreditatis accipere. Alius verò qui se emendatione vitæ, & conuersatione propositi talem reddiderit, vt secundum quas solus deus nouit rationes, aut in tribu Iuda, aut etiam in ipsa tribu Beniamin, in qua ipsa Hierusalem, & templum dei atque altare consistit, debeat reputari: & alius in alia, atque alius in alia. Et

hoc

A hoc modo hæc quæ nunc in libro Numerorum scripta referuntur adumbratio quædam sit futuræ sortis in cœlis, eorum duntaxat qui per Iesum dominum ac Saluatorem nostrum hæreditatem (vt diximus) capient regni cœlorum. Ibi credo diligenter obseruabuntur etiam ista quæ hic adumbrantur priuilegia sacerdotum, quibus vicina quæque vrbibus loca, & ipsis mœnibus iuncta segregari mandatur à filijs Israel. Ibi credo & ciuitates istæ erunt, quarum hic figura describitur, quas refugij nominat ciuitates, ad quas confugiant non omnes homicidæ, sed qui ignoranter homicidium commiserunt. Sunt enim fortassis aliqua peccata, quæ si proposito ac voluntate committimus, homicidas nos faciũt: & sunt alia quæ si ignoranter admittimus, decernitur nobis, credo, & præparatur ex præcepto dei aliquis locus, vbi ad certum tempus habitare debeamus, si qui non voluntaria peccata commisimus: si tamen mundi inueniamur & alieni ab iis peccatis quæ voluntate commissa sunt. Et ob hoc secernuntur quædam ciuitates ad refugium. Videtur quibusdam quod singulorum quoque siderum positio & cœtus ciuitas dici vel haberi possit in cœlo: Quod ego quidem definire non audeo. Video enim omnem creaturam in spe quidem propter eum qui subiecit esse subiectam, expectare tamen libertatem in redemptione filiorum dei sine dubio, & præclarius aliquid aut sublimius operiri. Si ergo (vt diximus) B vmbram habet lex futurorum bonorum, & exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium qui in lege deseruiunt, & nũc per speculum & in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem habebitur rerum contemplatio, credo quod & nunc conuersationem dicimur habere in cœlis per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem talem conuersationem merebimur habere in cœlis. Si ergo per consequentiam rerum, & promissionum fidem nos transferri de terris oportet ad cœlum, puto quòd in ipsis cœlestibus locis Iesus dominus noster non absque meritorum sorte vnumquenque in illa vel illa cœli parte & habitatione constituat. Sed sicut multa est differẽtia in terris, (verbi gratia) habitare in locis fœcũdis & copiosis, ac bonis omnibus abũdantibus, vbi & aeris temperies, & eruditio hominum, ac liberalia instituta nõ desunt: & longe aliud est habitare, aut in locis infœcundis, & rerum penuria squalidis, aut æstu torridis, aut frigore gelúque torpentibus, vel certe vbi nullæ leges, sed immanis & sæua barbaries, vbi bella semper & nunquam quies, & hæc non sine occulta quadam dei dispensatione, & iudicio eius, & iustitia vnicuique decernuntur. ita & in illis locis erit aliquid tale, vt in nullo prorsus inanis habeatur in terris vmbra cœlestiũ.

Purgatoriũ significatũ per ciuitates refugij.

Rom. 8.

Erit ergo & ibi (vt diximus) aliqua ciuitas refugij, & erit alia D in deserto sicut Bossor in hæreditate Ruben ciuitas esse dicitur in deserto. Sed & illa nihilominus cõsequentia capienda est: quia sicut cum dispergeret deus filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum dei, vel (vt in alijs exemplaribus legimus) secundum numerum filiorum Israel: in initio mundi ita dispersi sunt filij illius Adam, sicut vel illorum merita, vel ipsius Adæ contemplatio postulabat: quid dicemus futurum, cum nouissimi Adam (qui non in animam viuentem, sed in spiritum viuificantem factus est) cœperit filios non dispergere, sed dispensare diuina dignatio, non in initio, sed in fine mundi: & non vt illos qui in Adam omnes mortui sunt, sed vt eos qui in Christo omnes viuificati sunt? Sine dubio erit quædam diuisio & distributio talis, quæ non solum pro meritis eorum qui dispẽsantur, sed & pro nouissimi Adam, in quo omnes viuificandi dicuntur, contemplatione pensanda sit. Sed quis nostrum talis est, vt ad huiusmodi distributionem, & ad illam cœlestis hereditatis sortem venire mereatur? Quis ita beatus erit, cuius sors in Hierusalem veniat, vt sit ibi vbi templum dei est, imò vt ipse sit dei templum? Quis ita beatus est vt ibi dies festos agat, vbi altare diuinum perpetuis ignibus adoletur? Quis ita beatus est qui sacrificium suum, & incensum suauitatis supra illum ignem ponat, de quo dicebat Saluator: Ignem veni mittere in terram? Quis ita beatus est qui ibi semper agat pascha in loco E quem elegit dominus suus? Ibi pentecostes diem gerat, & festiuitatem repropitiationis, & tabernaculorum solennitatẽ, non iam per vmbram, sed per ipsam speciem rerúmque veritatem? Quis nostrum dignus habebitur tam beatæ sortis electione, cum deus diuidere cœperit filios nouissimi Adam: nõ cui dicat: Eris super quinque ciuitates potestatem habens, aut cui dicat: Eris super decem ciuitates potestatem habens, nec cui dicat, intra in gaudium domini tui: sed cui dicat: Sedete & vos mecum super duodecim thronos, iudicantes & vos duodecim tribus Israel: de quibus dicat: Pater volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecũ. Volo etiã istos esse reges, vt ego sim rex regum. Volo & istos habere dominationem, vt & ego sim dominus dominantium. Beati qui ad hanc peruenient beatitudinis summam. Beati qui ad ista conscendere poterunt fastigia meritorum, & benedictus deus noster qui hæc promisit diligentibus se. Hi sunt ipsi vere sacris numeris numerati apud dominum, imò ipsi sunt quorum etiam capilli capitis numerati sunt per dominum nostrũ Iesum Christum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Deut. 32.

1. Cor. 15.

Mat. 25.

Matt. 19.

Ioan. 17.

HOMILIARVM IN NVMEROS FINIS.

C

PROLOGVS SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI AD CHROMATIVM EPISCOPVM

in Tractatum Origenis super librum Iesu Naue.

F

In diuinis voluminibus refertur, quod ad constructionem templi vnusquisque pro viribus obtulerit: potentes quidem, & principes populi aurum, argentum, lapides preciosos, alij æra & ligna, sed imputribilia: quidam etiam coccum, purpuram, & byssum, & linum alij, vestibus hæc quoque sacerdotum & stolæ pontificis profutura. Pauperiores autem quique etiam pelles rubras offerentes, sed & pili caprarum non respuuntur. Idcirco nanque Beselehel ille repletus dicitur omni sapientia à deo, vt intelligens singula hæc quibus vsibus apta sint, nihil ex offerentium deuotione repudiet. Quia ergo & tu ò mi semper venerabilis pater Chromati iniungis, & præcipis nobis, vt aliquid ad ædificationem & constructionem diuini tabernaculi ex Græcorum opibus & copijs conferamus: Oratiunculas xxvi. in Iesum Naue, quas ex tempore in ecclesia perorauit Adamantius senex, ex græco latine tibi pro virium mearum paruitate disserui: vt sanè nunc nostri temporis Beselehelis iudicij sit, in ijs quæ offerimus, etiam si nihil inuenitur auri puri quod ad altare proficiat, nec argenti quod ecclesiæ bases efficiat, aut capitella decoret: si nullus ex ijs illis lapidibus qui logio incertus pontificale vestimentum, & vestrum diuinorũ conscium pectus exornet at certe perspicere si vel purpuræ aliquis in his, & regij decoris, aut cocci, & mystici cruoris color intexitur: si quid puritatem byssi imitetur, & fortitudinem lini, & dignum aliquid habeat sacerdotalibus indumentis: postremo si vel rubras apud nos pelles, verecundiam frontis inuenias: ad vltimum si vel caprarum certe reperias pilos, quibus vel penuriam nostram tegamus, aut si quas incurrimus culpas, pœnitendo purgemus. Totum ergo hoc, de tuo iudicio pendeat. Si quid sane est quod placere potest, hoc sit auctoris: neque enim quæ alijs labore parta sunt diripere, & nostræ laudi applicare iustum putamus. Si verò vim sensuum, oratio inculti sermonis exasperat, hoc vel mihi, vel (vt cum tua venia dixerim) tibi ipsi reputato, qui opus quod eruditis debet iniungi, expetis ab indoctis.

Hæc præfatio videtur esse vel Ruffini vel Sophronij.

PROLOGI FINIS.

ORIGENIS ADAMANTII IN LIBRVM IESV NAVE.

HOMILIA PRIMA.

Philip.2.

DONAVIT Deus nomen, quod est super omne nomen, domino & Saluatori nostro Iesu Christo. Est autem nomen quod est super omne nomen Iesus. Et quia est istud nomen super omne nomen, idcirco in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et quia est hoc nomen super omne nomen: idcirco in multis generationibus à nullo cognominatum est. Scripsit Moyses librum Genesis, in quo legimus Abraham, & eos qui ex eo generati sunt, in quibus sunt iusti quàm plurimi, sed nullus ex ipsis Iesus meruit nominari. Neque Abel Iesus dictus est, neque ille qui cœpit inuocare nomen domini dei: neque ille qui placuit deo, & tralatus est: cuius mors inuenta non est: neque ille qui in generatione sua solus iustus inuentus est apud deum Noe: sed ne ipse quidem qui repromissiones acceperat testamenti Abraham: nec ille qui ex eo natus est Isaac: sed nec supplantator Iacob, nec quisquam ex filiis eius. Moyses fidelis erat in omni domo eius, & nõdum tamen vocatus est Iesus. Sed Iesu nomen primo inuenio in Exodo: & volo intueri quando primo nomen Iesu cognominatur. Venit, inquit, Amalech, & expugnabat Israel, & dixit Moyses ad Iesum in Raphidim. Hæc est prima appellatio nominis Iesu. Elige, inquit, tibi viros potentes ex omnibus filiis Israel, & egredere, & conflige cum Amalech crastino. Moses confitetur non posse se exercitũ ducere, confitetur se nõ posse obtinere, quãuis eũ de terra Ægypti eduxerit. Et ideo, inquit, vocauit Iesũ & dixit: Elige tibi viros, & egredere. Vides cui cesserit bellũ gerere aduersum Amalech. In hoc primo nomen discimus Iesu, vbi eũ primũ videmus ducem exercitus: non cui Moyses iniunxerit principatũ, sed cui cesserit principatũ. Nõ potest Moyses eligere viros potẽtes. Tu, inquit, elige tibi viros potẽtes ex omnibus filiis Israel. Hic ergo vbi primũ disco nomẽ Iesu, ibi continuo etiã mysterij video sacramentũ. ducit enim exercitum Iesus. Et factũ est cum extolleret manus suas, inualescebat Israel. Cum autem deiiceret manus suas, inualescebat Amalech. Tunc ergo inualescit Iesus magis & tunc vincit, quãdo Moyses erigit manus suas. Victus autem est populus ille ab Amalech, quoniam iam nõ erigebat manus suas, sed erant dimissæ deorsum: illi sunt enim quibus dicitur: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. Et ecce me vultis occidere qui legem non facitis? Cessante namque lege apud illos & operibus legis, qui dum suã iustitiam quærunt statuere, iustitiæ dei non sunt subiecti, demissę sunt manus Moysi, inualuit incredulitas, vincitur populus. Sed & Nabat, & Abiud, & Eleazar relinquuntur in castris, vt iudicent populum. Derelinquitur etiam Iethro & ipse vt iudicet populum cum eis. Iesus verò non derelinquitur, sed sequitur Moysen in montem cum quadã adiectione verbi mirabilis, in eo quod dicit quia assistebat Moysi. Quomodo assistebat? nõ vt secundus, non vt inferior, sed vt adiutor protegens. Sed & illud quale est, quod cum primo nominatus est, non est indicatum nomen patris eius, neque in secundo, neque in tertio: cum verò pater eius nominatur Naue, tunc ipse non Iesus, sed Ause dicitur? Inter eos enim qui ad explorandum missi sunt, nomen eius Ause scribitur. Et fortassis (vt mihi videtur) pro exploratoris officio non Iesus, sed Ause dictus est, & Naue filius nominatur. Cum verò reddit opere expleto, & perterritis omnibus solus subleuat lapsos, desperationémque populi solus erigit, tunc à Moseo Iesus nominatus est: nec Naue filius dicitur, sed ille ad quem dixerat Moyses: Educ exercitum, & conflige cum Amalech. Illud etiam intuentes, magnitudinem eius peruidemus, quod cum in transfigurationem vultus Moysi, omnis filiorum Israel hebetaret aspectus, nec aliquis posset intueri faciem vultus eius: Iesus non solum faciem contuetur, verumetiam in interioribus tabernaculi mysteriorum conscius perseuerat. Quo igitur nobis hæc cuncta prospiciunt? Nempe eo quod liber hic non tam gesta nobis filij Naue indicet, quàm Iesu mei Domini nobis sacramenta depingat. Ipse est enim qui post mortem Moysi suscepit imperium, ipse est qui ducit exercitum, & configit aduersus Amalech: & quod ibi adumbrabatur in monte manibus extensis, affigit cruci suæ triumphans principatus, & potestates in semetipso. Defunctus est igitur Moyses: cessauit enim lex. Quoniam lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Vis autem de Scripturis proferam documenta, quod lex Moyses appellatur? Audi quid dicit in Euangelio: Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. Moysen vtique hic sine dubio legem nominat. Defunctus est ergo Moyses famulus Dei: defuncta est enim lex, & legalia præcepta iam cessant. Aut si non tibi auctoritatis videtur, cum à me ista proferuntur, sequere Apostoli auctoritatem, dicentis: Quoniam mulier viuente viro alligata est legi, & adultera nominabitur si fuerit cum alio viro: si verò mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, vt iam nõ sit adultera, si fuerit cum alio viro. Mulierem sine dubio animam nominat, quæ sub Moysi lege tenebatur, de qua dicit: Viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, sine dubio lex, absolutam dicit eam animam quæ videbatur esse subiecta: idcirco necesse est legem mori, vt qui credunt Iesu, nequaquam adulterij crimen incurrant. Iesus igitur Dominus & Saluator meus suscepit principatum: & si videtur, conferamus gesta Moysi cum principatu Iesu. Dum Moyses educeret populũ de terra Ægypti, nullus ordo in populis, nulla in sacerdotibus obseruantia. Trãseunt aquam maris, aquam salsam, nec quicquam in se dulcedinnis continentem, & murus erat eis aqua dextra læuáque. Hæc Moseo duce gesta cognoscimus. Cum verò Dominus meus ducit exercitum, quæ sunt quæ iam tunc adumbrantur, videamus. Sacerdotes præcedunt, arca testamenti portatur in humeris sacerdotum, nusquam iam mare, nusquam salsus fluctus occurrit, sed duce Domino meo Iesu venio ad Iordanem, & venio non perturbatione fugæ, neque perterritus metu, sed venio cum sacerdotibus arcam testamenti Domini, in qua Dei lex & diuinæ literæ seruantur, ceruicibus suis humerisque portãtibus. Ingredior Iordanem non cum furtiuo silentio, sed in tubarum cantibus mysticum quiddam diuinúmque canentibus, vt ad prædicationem tubæ cœlestis incedam. Ibi dictum est quod diuisa est aqua in duas partes, & ex aquis vnus murus factus est à dextris, alius à sinistris. Hic verò qui venit soluere medium parietem sepis, fecit vtraque vnum: ex vna enim parte erecta est aqua, alia verò pars defluxit in mare. Deinde hic ait: Præparate vobis cibos ad viam. Cibi etenim opera sunt, quæ nos ad futuram vitam, velut fidele viaticum comitantur. Videamus tamen quoniam non conuenit negligenter, & quasi in transitu literas legere diuinas, vnde eos iubet cibos parare non habentes frumẽtum. Manna etenim cibus erat eis. Sed cum iam transierimus fluminis huius ripas desit manna: & ideo si non vnusquisque præparauerit sibi cibos, non poterit sequi Iesum terram repromissionis intrantem. Videamus quos primum in terra repromissionis capiat fructus: Tunc, inquit, manducauerunt primum fructum de regione palmarum, & manducauerunt primo azyma. Vides ergo quia primum nobis mundi huius iter degressis, si rectè sequamur Iesum, primo occurrit palma victoriæ, & abiecto fermẽto malitiæ & nequitiæ, azyma nobis synceritatis & veritatis parãtur. Mittit tamen Iesus noster exploratores ad Hierichontium regem, & hospitio suscipiuntur à meretrice. Sed illa meretrix quæ ad Iesu missos suscepit exploratores, propterea suscepit ne vltra sit meretrix. Sed & vniuscuiusque nostrum anima meretrix fuit, donec in desideriis & cupiditatibus viueret carnis. Suscepit verò

Marginalia (left): *De nomine Iesu.* — *Enoch. Gen.5.* — H — *Exod.17.* — *Vbi primũ nomen Iesu* — *Exod.17.* — *Ioan.5.* — I — *Num.10. Exod 18.* — *Num.13.*

Marginalia (right): *Et certe liber Iesue apud Hebræos est propheticus primus.* — *Mat.11.* — *Luc.11.* — *Rom.7.* — L — *Mysticalis sue interpretatio.* — *Ios.4.* — M — *Cibi bona opera.* — *Leuit.23.* — *Raab.*

A verò exploratores Iesu, angelos quos misit ante faciem suam vt præpararent viam eius. Quos tamen si ex fide anima vnaquæque suscepit, non in humilibus locis, neque inferioribus collocat, sed in superioribus & excelsis: quia non humilioribus & terrenis Iesum dominum suscipimus, sed à patre profectum, & de cœlestibus venientem. Sed nec lini stipulam, in qua exploratores delitescebant, ego absque sacramentis accipio. Linum nanque est indumentum sacerdotale, per quod significatur vel iis qui inuitandi erant culmen sacerdotale delatum, sicut Petrus apostolus dicit: Vos autem gens sancta, regnum sacerdotale: vel certe quod in sacramento legis, vbi de sacerdotibus adnotatur, populi huius qui est ex gentibus, latebat occulta vocatio. Continuo ergo inimicitias suscepit meretrix aduersus Hierichontium regem. Quid nisi quia caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? Iterum ait: Odit vos hic mundus, quia me priorem vestrum odio habuit. Est ergo rex aliquis inimicus meretricis huius qui est princeps huius mundi, qui insequitur, & occupare cupit exploratores Iesu, sed non potest obtinere quia per montes iter faciunt: non incedunt per humilia, nec vallibus delectantur, sed collinos vertices, & montium excelsa sectantur: quia hæc meretrix dicit: Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxiliũ mihi. Non potest illuc ascendere mundi huius princeps, nec potest per excelsum iter ad Iesum peruenire: quinimo & si eum tentans collocauerit in excelsis, dicit ei: Mitte te deorsum: quia humilia semper diligit, & caduca, in his regnat, in his sedem suam collocat, B in quibus etiam vsque ad infernum descendat. Moses non dixit, stet sol, nec maximis imperauit elementis, sicut Iesus fecit. Stet, inquit, sol super Gabaon, & luna super vallem Elom: & propterea addit scriptura & dicit, quia nunquàm sic audiuit deus hominem. Iesus ergo meus solem stare fecit non tunc solum, sed multo magis modo in aduentu suo. Denique dum nos bellum gerimus aduersus inimicos nostros, & colluctamur aduersus principatus, & potestates, & rectores tenebrarum harum aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus, sol nobis iustitiæ indesinenter assistit, nec deserit vnquam, nec festinat occumbere, quia ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Non solum autem duplicato die nobiscum est, sed omnibus diebus nobiscum est vsque ad consummationem seculi, donec & nos obtineamus aduersarios nostros. Sed & illud videamus, quid est quod repromisit Iesus militibus suis. [Omnis, inquit, locus quemcunque subdideritis vestigiis pedum vestrorum, vester erit.] Dixerat hoc illis qui tunc erant, de regionibus Chananeorum, Pherezæorum, Iebusæorum, cæterarúmque gentium quarum regiones expulsis indignis habitatoribus, ipsi hæreditate ceperunt: sed nobis in his verbis quid repromittitur, videamus. Sunt quædam aduersariarũ potestatum gentes diabolicæ, aduersum quas nobis certamen geritur, & agones in hac vita desudantur. Quantoscunque ergo ex his gentes pedipus nostris subdiderimus, quantoscunque in certamine C vicerimus, ipsorum regiones, ipsorum prouincias & regna: Iesu nobis domino distribuente capiemus. Fuerunt enim illi aliquando angeli, fuerunt in regno dei magnifici. An non legimus quod Esaias dicit de vno ex ipsis: Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur? Lucifer iste sine dubio sedẽ habebat in cœlis: postea verò quàm factus est angelus refuga si eum vincere potuero, & subiicere pedibus meis, si meruero vt dominus meus Iesus conterat Satanam sub pedibus meis: consequenter locũ Luciferi accipere merebor in cœlis. Sic ergo intelligimus promitti nobis ab Iesu domino nostro, quòd omnis locus quem subdiderimus vestigiis pedum nostrorum, noster erit: si non putemus quia in hanc hæreditatem per otium & negligentiam oscitantes & dormitantes intrare possimus. Ira suæ gentis angelum habet. Hanc nisi viceris in temetipso, & absciderıs abs te omnes motus iracũdię ac furoris, locũ quem aliquando habuit ille angelus, capere in hereditate non poteris, pro eo quod desidia tua nequaquam eum de terra repromissionis expuleris. Similiter & superbię & zeli, & auaritiæ, ac libidinis sunt aliqui incẽtores angeli, & instinctores horũ malorum, quorũ nisi vitia in temetipso viceris, atque ea de tua terra quæ iam per gratiã baptismi sanctificata est exterminaueris, nullo modo plenitudinẽ repro- D missæ hæreditatis accipies. Sub Moseo non est dictum hoc quod sub Iesu dicitur, quia cessauit terra à præliis. Certum est quod & terra nostra hæc, in qua agones habemus, & certamina sustinemus, solius Iesu domini virtute cessare poterit à præliis. Intra nos etenim sunt omnes gentes istæ vitiorum, quæ animã iugiter, & indesinẽter oppugnant. Intra nos sunt Pherezæi, hic sunt Iebusęi. Qualiter ergo nobis laborãdum est, qualiter vigilandum, vel quanto tẽpore perseuerandum, vt omnibus istis de nobis vitiorũ gentibus effugatis, tãdem terra nostra cesset à bellis? Et ideo propheta commonet, vt in lege domini meditemur die ac nocte. Quæ vtique diuinorũ verborum meditatio, velut tuba quædam est animos tuos ad prælium cõcitans, ne forte aduersario vigilante tu dormias. Ideo nec dies ad meditandum sufficit, sed & nox adiungitur. Vos verò quid facietis, qui non solum nocte dormitis, sed & tota die aut occupationibus seculi, aut carnis deliciis deseruitis, & vix raro ad ecclesiã diebus solennibus conuenitis? Aliqui autem ex vobis etiam veniẽtes non veniunt, quia venientes non verbo dei sed fabulis vacant. Propter quod dicit ad vos sermo diuinus: Exurge qui dormis, & exurge à mortuis, vt cõtingas Christum. Exurge enim à mortuis dicitur iis qui in operibus permanent mortuis, in immunditiis suis & sceleribus perdurantes: quæ licet hominibus non sint manifesta, deo tamen sunt cognita. Sed vel ex hoc pœnitudinem agite, & conuertimini ad deum ex toto corde vestro, vacate orationibus, vacate verbo dei. Quid prodest si ieiunamus pro peccatis, & iterum peccata cõmittimus? quid prodest lauisse & in cœno denuo volutari? Ieiunasti aliquanto tempore, tale est quale si interim ex Ægypto discesseris. Trãsisti mare E rubrum, secutus es Moysen, præcepta scilicet & mandata legis obseruans: sed iam te à Moseo suscepit Iesus, qui te etiam circuncidat secundo, in loco qui dicitur collis præputiorum. Circuncidendus igitur tibi est non solum idolorum cultus, quem in initiis abiecisti, sed denuo tibi etiam auaritia circuncidenda est, qui est idolorum subtilior cultus. Denique Iesus secundo circuncisum populum circuncidens sic dixit: [Hodie abstuli à vobis opprobrium Ægypti.] Donec peccamus, donec regnant in nobis vitia passionum, etiam si relictis simulachris abscessisse videamur ex Ægypto, opprobriũ tamen Ægypti ablatum non est à nobis. Si ergo secundam hanc circuncisionem acceperis vitiorum & absciderıs à te omne vitium iræ, superbiæ, inuidiæ, libidinis, auaritiæ, iniquitatis, cæterorúmque similium, tunc à te Ægypti abstergentur opprobria, & translatus in terram repromissionis hæreditatem regni cælestis accipies, per verum Iesum, Christum dominum & saluatorem nostrum, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

1.Pet.2. Gal. 5 Ioan.15. Psal.121. Matt.4 Ios.10 Matt.28 Esa.14. Psal. 1 Queritur suos varius ad Ecclesiã conuenire. Eph. 5 Secunda circũcisio.

De eo quod scriptum est, Moses famulus meus defunctus est. Ex Cap. I. Homilia II.

F

NIsi moriatur Moyses, non poterimus aduertere quomodo regnat Iesus. Si ergo consideres Hierusalem subuersam, altare destitutum, nusquam sacrificia, nec hostias, nec libamina, nusquam sacerdotes, nusquam pontifices, nusquam ministeria Leuitarũ, cum hæc omnia vides cessare, dicito quia Moyses famulus dei defunctus est. Si videris neminem ter in anno venire ante conspectum domini, nec offerre munera in templo, nec iugulare pascha, nec azyma edere, nec offerre primitias, nec primogenita consecrare, cum hęc omnia non vides consecrari, dicito quia Moyses famulus dei defunctus est. Cum verò videris introire gentes ad finem ecclesiæ, extrui altaria non cruore pecudũ respergi, sed precioso Christi sanguine comparari: cũ videris sacerdotes & leuitas nõ sanguinẽ hircorum & taurorum, sed verbum dei per spiritus sancti gratiam ministrantes, tũc dicito quia Iesus post Moysen suscepit, & obtinuit principatum, non ille Iesus filius Naue, sed Iesus filius dei. Cum videris quia pascha nostrum immolatus est Christus, azyma edimus synceritatis, & veritatis: cũ videris

G fructus terræ bonæ in ecclesia tricesimos, sexagesimos, & centesimos, id est, viduas, & virgines, & martyres: cum videris multiplicari semen Israel ex iis qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri neque ex voluntate carnis, sed ex deo nati sunt, & cum videris filios dei qui dispersi erant, congregari in vnum: cum videris sabbatizare populum dei, non otium gerentem à conuersatione communi, sed otium gerentem ab operatione peccati: cum hæc omnia vides, dicito quia Moyses famulus dei defunctus est, & Iesus filius dei obtinet principatum. Denique & in libello quodam licet in canone non habeatur, mysterij tamen huius figura describitur. Refertur enim quia duo Moyses videbãtur: vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore. In quo hoc est mirum quod adumbrabatur: quia si intuearis literam legis inanem, & vacuã ab iis omnibus quæ superius memorauimus, ipse est Moyses mortuus in corpore. Si verò potes remouere legis velamen, & intelligere quia lex spiritalis est, iste est Moyses qui viuit in spiritu. [Et dixit, inquit, dominus ad Iesum filium Naue ministrum Mosei: Moyses famulus meus defunctus est. Nunc ergo exurgens transi Iordanem hunc tu & omnis populus hic in terram quam do vobis.] Requires fortasse quomodo minister Mosei fuerit etiam dominus noster Iesus filius dei. Quia cum venisset plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Per hoc ergo H quod factus est sub lege, Mosei minister effectus est. Dicit autem deus, vt transeat in terram, non quam dedit Moyses, sed quam, inquit, ego do vobis. Vides ergo quia Moseo mortuo deus dat terram populo per Iesum. Quam terram? Illam sine dubio de qua dicit dominus: Beati mansueti, quia ipsi hæreditate possidebunt terram. [Omnem, inquit, locum quẽcunque ascenderitis vestigiis pedum vestrorum, vobis dabo eum.] Quæ sunt loca quæ ascendimus vestigiis pedum nostrorum? Legis litera humi posita est, & deorsum iacet. Nusquam ergo ascendit qui legis literam sequitur. Si verò potueris à litera ascendere ad spiritum, & ab historia ad intellectum conscendere celsiorem, tunc vere ascendisti locum editum & excelsum, quem à deo in hæreditate percipies. Si enim in iis quæ scripta sunt, typos intelligas, & aduertas formas esse cœlestium, & mente ac sensu quæ sursum sunt quæras, vbi Christus est in dextra dei sedens: tunc & illum locum in hæreditate percipies, dicente domino & saluatore nostro: Quia vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Si ergo vsque ad Christum sedentem in dextra dei perueneris fide, vita, puritate, virtute, & illis vestigiis pedum tuorum quæ lauit Iesus, illum locum incesseris, dabit tibi eum deus: dum non solum hæres efficieris dei, sed & cohæres Christi. [Sicut, inquit, dixi Moysi, eremum & Antilibanum hunc vsque ad flumen magnum, flumen Euphraten.] I Eremum deus subiecit Iesu, id est, deserta: de quibus dicit propheta: Lætare eremus sitiens: & multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Et iterum: non dixit Libanum, sed Antilibanum, quem à deo accepit Iesus. Antilibanus autem dicitur quasi pro Libano. Si ergo videas priorem populum illum secundum carnem Israel, qui erat vera oliua, ipsum intellige fuisse Libanum verum: sed cum videris quia pro incredulitate sua aufertur ab eo regnum, & datur genti facienti fructum eius, istum populum qui pro illo expulso introducitur in regnum: Antilibanum senti, quæ est ecclesia dei ex gentibus congregata per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria, & imperium cum spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Ioan. 1. — Ioan. 11. — Libellum Apocryphũ citat. — Gal. 4. — Mat. 5. — Esa. 54. — Antilibanus ecclesia gentium.

De duabus & semis tribubus, id est, tribu Ruben, & tribu Gaad, & semitribu Manasse, & nouem & semis tribubus. è Cap. II.
Homilia III.

MOYSES duabus & semis tribubus terram partitur, id est, tribui Ruben, & tribui Gad, & tribui Manasse dimidiæ. Reliquis verò tribubus, nõ Moyses, sed Iesus diuidit terram. Pactum tamen initum est cum illis duabus & semis tribubus quæ trans Iordanem acceperant terram, vt relictis mulieribus, & infantibus suis in illa terra trans Iordanem, ipsi cũ fratribus suis pugnent vsquequo etiam ipsi consequantur hæreditatem. Oportuit igitur post obitum Mosei, qui pactũ istud inierat: Iesum promissa deposcere, & cõmonere eos auxilium pugnaturis fratribus ferre. K Hæc quidem historia narrat: verũ quia nos forte iam conuersi ad dominum sumus, qui aufert velamen ex lectione veteris testamenti, & donat seruis suis credentibus in se, vt reuelata facie gloriã domini speculẽtur, hęc omnia quæ figuraliter illis accidebant, propter nos scripta esse sentiamus, in quos fines seculorum deuenerunt. Et ideo (sicut ante iam diximus) ascendere tentemus à litera ad spiritum, à figuris ad veritatem: & consideremus quã formam teneãt istæ duæ & semis tribus, quæ per Moysen terram hæreditatis accipiunt: & quã formam teneant reliquæ nouem & semis tribus, quæ per Iesum repromissionem terræ sanctæ suscipiũt. Et primo omniũ puto quod impossibile fuerit fortuitu accidisse, vt hi qui per Moysen accipiunt portionẽ, omnes primogeniti essent. Ruben nanque primogenitus est ex Lia, Gad primogenitus ex Gelfa, & Manasses primogenitus ex Assenech Ægyptia filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos, quã accepit Ioseph. Nunquã ego mihi persuadeo vt fortuitu acciderit primogenitos esse omnes quibus per Moysen decernebatur hæreditas, sed magis hoc arbitror quod in iis iam tunc duorũ adumbrabatur forma populorum vnius quidem qui primogenitus per naturæ ordinẽ videretur: alterius qui L per fidem & gratiã, benedictionẽ acciperet hæreditatis. Nec prius illis qui per Moysen accipiũt hæreditatẽ, id est, qui per legem placuerunt deo, requies datur, nisi adiuuent in præliis fratres suos. Mulieres tantũ, & infantes accipiunt quietẽ per Moysen: cæteri autem nõ requiescunt, sed exeunt ad auxiliũ fratrum suorũ. Vide mihi hodie laboranti in agone vitæ huius, & habenti certamen aduersus inimicos, id est, contrarias potestates, quomodo in auxilium veniunt illi qui ante aduẽtũ Iesu Christi domini mei in lege iustificati sunt. Vide quomodo Esaias mihi præstat auxiliũ, cum me sermonibus suæ lectionis illuminat. Vide accinctum, & expeditũ venientẽ Hieremiam ad auxilium nostrũ, & voluminis sui iaculis hostes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem. Accingitur & Daniel ad auxilium nostrum, cũ nos de Christi præsentia ac regno, & de Antichristi futura fraude instruit & præmonet. Adest & Ezechiel sacramẽta nobis cœlestia in quadriformibus rotarum circulis signans, & rotã concludens in rota. Ducit & Osee bissenas prophetici agminis turmas, & procedũt omnes succincti lumbos in veritate quã prædicant ad auxilium fratrum suorũ, vt eorum voluminibus instructi, diabolicas nõ ignoremus astutias. Isti ergo qui viri fortes sunt, armati & præcincti lumbos in veritate exeunt in auxilium nostrũ, & pugnant nobiscum. Infantes autem, & mulieres nõ exeũt ad prælium nostrum. Nec mirum, infans enim dicitur qui nõ loquitur. Quid me ergo adiuuare potuit ille qui nihil locutus est? cuius nihil inuenio quod legam? cuius sermo non instruit? M Mulierem verò dicit Apostolus infirmũ vas esse. Vnde & consequenter, infirmum vas ad conflictum non venit, ne confringatur & pereat. Sic nanque & de Iesu domino in Euangeliis dicitur, quia calamum quassatum non confregit. Quia ergo mulieres à viris suis domi doceri iubentur, & magis in discipulorum quàm docentium persona ponuntur, ad auxilium meum non venit qui docere me nõ potest, & cuius nihil inuenio quod imitari debeam, vel tenere. Videamus ergo quid dicunt ad Iesum isti qui veniunt ex illa terra quam distribuit Moyses: [Sicut audiuimus (aiunt) Moysen, ita audiemus & te.] Nihil tam verum, quam quod omnis qui audit Moysen, audiat & Iesum dominum nostrum. De Iesu enim ille scripsit. Vnde & dominus in Euangelio arguens eos, quia ex eo quod sibi non credunt, nec Moseo credant, dicit: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. De me enim ille scripsit. Mihi tamen nec hoc otiosum videtur, quod non tres integræ tribus sunt istæ quæ per Moysen dispensantur, & illæ integræ nouem quæ per Iesum hæreditatem potiuntur, sed duæ & semis hic, & ibi nouem & semis, & ista vna tribus diuiditur in duas partes, per quam neque hic tertius numerus integer adimpletur, neque ibi decimus perfecte & integre cõsummatur. In quo arbitror illud indicari, quod & illi priores qui per legem habebantur, contigerint quidem scientiã trinitatis, nõ tamen integre & perfecte, sed

Veteres patres iuuant ecclesiam. — Danielis periocha. — Eze. 1. — 1. Pet. 3. — Esa. 42. — 1. Tim. 2. — Ioan. 5. — Veteres nõ plenè nouerunt S. Trinitatem.

A sed ex parte. Deerat enim illis in trinitate, etiam de vnigeniti incarnatione cognoscere. Nam licet de aduentu eius crederent, & de reliquis eius dispensationibus non solum crederent, sed etiam prædicarent: non tamen etiam videre, & adipisci ea quæ crediderant, potuerunt: sicut & dominus discipulis suis dicit de eis: Quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Erat enim fides eorum non integra, pro eo quod nondum in Christo fuerat dispensatio carnis impleta: & quod nos factum iam credimus & impletum, illi tantummodo futurũ credebant. Propterea ergo tribus illæ neque duæ sunt, ne patres extra fidem & salutem sint trinitatis: neque tres integræ & perfectę, ne beatę trinitatis in illis iam sacramentum videretur expletum. Sed contigerunt quidem tertium numerum, & sicut dixit dominus, cupierũt videre quæ videmus, & audire quæ audimus: sed minime potuerunt, quia nondum filius hominis fuerat exaltatus, nec temporum iam venerat plenitudo. Hic me etiam aliquid amplius mouet. Ego puto quod fortasse nec in aduentu Iesu, & incarnatione eius adhuc quod perfectum est & integrum discimus: sed nec si ad crucem ducatur iam, & consummetur in omnibus, nec si à mortuis resurrexit, cuncta nobis per semetipsum quæ perfecta sunt, pandet. Alio adhuc opus habemus qui nobis aperiat, & reuelet vniuersa. Audi B ipsum dominum in Euangeliis dicentem: Multa adhuc habeo vobis loqui, sed non potestis illa modo audire. Veniet autem spiritus veritatis qui à patre procedit, & de meo accipiet, & ille vobis indicabit omnia. Vides quia non solum apud Moysen iste tertius numerus non demonstratur impletus, sed adhuc & Iesus dicit discipulis suis: Nondum potestis audire, nisi ille paracletus veniat spiritus veritatis: quia per ipsum, & in ipso adimpletur perfectio trinitatis. Nã & quod nouem & semis tribus sunt quæ sub Iesu duce agunt, & non integræ decem, qui numerus in omnibus consummatus dicitur & perfectus, eadem sine dubio ratio inuenitur, vt hoc quòd à domino Iesu reseruari dicitur spiritui sancto, semiplenum videatur ac medium. Quamuis enim per dominum & saluatorem pœnitentia prædicetur, & conuersio à malis ad bona, & detur omnibus credẽtibus remissio peccatorum, & omnia quæ ad perfectionem decadæ videntur tendere, compleantur: tamen perfectio & summa cunctorum bonorum in eo consistit, si post hæc omnia sancti spiritus quis gratiam mereatur accipere. Alioqui nihil in eo perfectum putabitur, cui sanctus spiritus deest, per quem mysterium beatæ trinitatis impletur. Vis vt adhuc tibi euidentius probem, apud priorem populum illum, quem Moyses in duabus & semis tribubus adumbrabat, non fuisse omnia integra, nec perfe-C cta? declarat etiam illa historia quæ in hoc ipso libello Iesu Naue scripta est, cum dicit quia altare quidem verum erat in illa terra quam Iesus dispensabat, isti tamen qui erant trans Iordanem, id est, Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, fecerunt sibi altare, sed non verum altare, sed quod typum haberet, & formam veri altaris quod erat apud Iesum. Nihil ergo mireris si non integram scientiam trinitatis acceperant illi, qui nec integrum nec verum altare construxerant. Ideo denique nec multi hostes, neque plures reges cõtrariarũ virtutum ab illis dicuntur esse deiecti. Seon, inquit tantũmodo regem Ammorræorum, & Og regem Basan, & Amalechitas deiecerunt trans Iordanem. Iesus verò vbi ducit exercitum, nunc quinque reges simul cadunt qui confugerant in speluncas & non solum cadunt, sed & suspenduntur in ligno, nunc vigintinouem pariter iugulantur, & immensæ multitudines aduersi exercitus prosternuntur, & exterminantur omnes qui sanctam terram in immunditiis possident, qui terram fluẽtem lac & mel in amaritudine malitiæ detinent. Interea mittuntur ab Iesu exploratores in Hiericho, & suscipiuntur à meretrice Raab. Exploratores isti qui mittuntur ante faciem Iesu, possũt & angeli dei putari, sicut scriptũ est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparet vias tuas. Quod per alios quidem inuisibiliter, per Ioannem verò visibiliter complebatur: de quo & hoc scriptum est. Denique de Ioannis baptismo dicitur à domino: quia Scribæ & Pharisæi non crediderunt ei, meretrices autem & publicani credẽtes baptizati sunt. Sic ergo etiã in hoc completur quod D meretrix Iesu exploratores susceperit, per quos & de interitu totius inimicę gentis refertur erepta. Sed videamus quidem quæ est meretrix. Raab dicitur. Raab interpretatur latitudo. Quæ est ergo latitudo, nisi ecclesia hæc Christi, quæ ex peccatoribus velut ex meretricatione collecta est? Et dicit: Angustus mihi est locus, fac mihi locum vbi habitem. Hos autem mihi quis enutriuit? Et iterum ad quam dicitur: Dilata pedes tuos, & extende tentoria tua. Ista ergo latitudo est quæ suscepit exploratores Iesu. Scio me aliquando in quadam ecclesia disputantem de duabus meretricibus, de quibus scriptum est in tertio libro Regnorum, quæ ad iudicium venerant Solomonis, quarum vna viuum, alia mortuum habebat infantem, discussisse diligentius, & dixisse quia illa meretrix hæc esset cui Solomon non ille, sed hic qui pacem venit facere eorum quæ in cœlis sunt & quæ in terris, reddi viuum iussit infantem: illa verò alia quę mortuum habebat infantem, vel illius esset prioris populi synagoga, vel eorum qui in hæresim declinarunt. Est & alia meretrix quam in Osee iubetur accipere propheta, in figura sine dubio huius quæ ex gentibus congregata est. Talis ergo & hæc meretrix esse dicitur quæ exploratores suscepit Iesu: sed hæc susceptos eos in superioribus collocat, atque in editis & excelsis fidei constituit sacramẽtis. Nemo enim qui ab Iesu mit-E titur, inuenitur deorsum & humi iacens, sed in superioribus permanet: & non solum ipse in superioribus permanet & excelsis, sed & ista meretrix quæ eos suscepit, ex meretrice efficitur iam propheta, dicit enim: [Scio quia dominus deus vester tradidit vobis terram hanc.] Vides quomodo illa quæ aliquando erat meretrix & impia & immunda, nunc iam spiritu sancto repleta est, & de præteritis quidem confitetur, de præsentibus verò credit, prophetat autem & prænunciat de futuris. Sic ergo Raab, quæ latitudo interpretatur, dilatatur & proficit, vsquequo in omnem terram exeat sonus eius, Sed & Iaphet similiter dilatatio interpretatur: qui vtique & ipse formam populi huius ferebat, qui saluatur ex gentibus, & Chanaam puer seruus ei subiicitur à patre suo Sem, qui formam gerit eorum qui ex circuncisione saluantur. in quo admiranda est benignitas & prouidentia dei, qui volens peccatori Chanaam præstare remedium, & cõferre ei salutem, seruiret fratri suo Iacob: non vtique vt periret, sed vt salutem melioribus obediẽdo conquireret. Præstatur enim malis plurimum, & peccatoribus qui semetipsos recte gerere nesciũt, vt non sibimetipsis committantur, sed vt serui fiant sanctorum, & subiaceant melioribus, vt non suo sensu malo, sed illorum bono regantur. Videtis quàm multa benignitas dei: quam abscondit, & occultat ab oribus vulgi, & quam verbis asperioribus tegit, ne forte seruus malus & ingratus contem-F ptor efficiatur, cum nimiam domini sui intellexerit bonitatem. Sed videamus quid egit cum exploratoribus ista sapiẽs meretrix. Consilium eis dat mysticum & cœleste, nihil habẽs terrenum. [Per montana, inquit, abite.] nolite per valles incedere, humilia & deiecta refugite, quæ excelsa sunt & sublimia prædicate. Ipsa autem signum coccineum ponit in domo sua per quod saluari de excidio debeat ciuitatis. Aliud nullum fuit signum quod acciperet, nisi coccineum, quod sanguinis formam gerebat. Sciebat etenim quia nulli esset salus, nisi in sanguine Christi. Datur etiam hoc mandatum huic quæ quondam meretrix fuit: [Omnes, inquit, qui inuenti fuerint in domo tua saluabũtur. Qui autem exierint de domo, impunes sumus nos ab hoc iuramẽto tuo.] Si quis ergo saluari vult veniat in hãc domũ huius quæ quondam meretrix fuit. Etiam si de illo populo vult aliquis saluari, ad hanc domum veniat vt salutem consequi possit. Ad hanc veniat domum, in qua Christi sanguis in signo redẽptionis est. Nam apud illos qui dixerunt: Sãguis eius super filios nostros, Christi sanguis in condẽnatione est. Positus enim fuerat Iesus in ruina, & resurrectione multorũ, & ideo cõtradicentibus signo eius, efficitur sanguis eius ad pœnã, credẽtibus ad salutem. Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat: extra hanc domum, id est, extra ecclesiam nemo saluatur. Nam si quis foras exierit, mortis suæ ipse fit reus. Hic sanguis est signum, quia hic est purificatio, quæ per sanguinẽ cõstat. Quod autem in

Mat. 13. *Ioan. 16.* *Denarius numerus perfectus.* *Mat. 3.* *Esa. 49* *3 Reg. 3* *Osee 1* *Raab prophetat.* *Matt. 27* *Luc. 2.* *Extra ecclesiam nulla salus.*

G fenestra dependet hoc signum, illud arbitror indicari, quia fenestra est quæ illuminat domum, & per quam non integrum, sed tantum quantum oculis & visui nostro sufficiat luminis capimus. Quia ergo & incarnatio saluatoris non nobis merum ingessit & integrum deitatis aspectum, sed tanquàm per fenestras fecit nos per incarnationem suam lumen deitatis aspicere, idcirco mihi videtur signum salutis per fenestram datum: quo signo, salutem consequantur omnes, qui in domo eius quæ aliquando erat meretrix, fuerint inuenti, mundati in aqua & spiritu sancto, & in sanguine domini & saluatoris nostri Iesu Christi, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod Iordanem transit arca testamenti domini, cum sacerdotibus & leuitis & populo, vbi dicitur ad Iesum: In die hac incipio exaltare te. Vbi præcipitur populo vt longe sit ab arca testamenti duo milia cubita. è Cap. III.

Homilia IIII.

PECCATORI quidem omnis creatura hostis est, sicut de Ægyptiis scriptum est: Terra eos impugnabat, aer ipse impugnabat. Iusto verò etiam H quæ inaccessibilia videntur, plana efficiuntur & procliuia. Mare rubrum iustus tanquam per aridam transit: Ægyptius verò si transire voluerit submergetur, nec fiet ei aqua murus dextra, læuáque. Iustus etiam si eremum horribilem ingrediatur & vastam, cibus ei ministratur è cœlis. Ita ergo & in Iordanem arca testamenti duxerat populum dei. Consistit ordo sacerdotalis & leuiticus, & aquæ velut reuerentiam quandam dei mysteriis referentes, cursum suum refrenant, & coaceruantur in cumulum, iter dei populo innoxium concedentes. Et ne mireris cum hæc gesta tibi erga priorem populum referuntur, tibi Christiane, qui per baptismi sacramentum Iordanis fluenta digressus es, diuinus sermo maiora multo & celsiora promittit, iter tibi per aera ipsum & transitum pollicetur. Audi etenim Paulum dicentem de iustis: Rapiemur, inquit, obuiam Christo in aera, & ita semper cum domino erimus. Nihil omnino est quod metuat iustus, omnis ei creatura famulatur. Audi denique quomodo etiam per prophetam repromittit deus dicens: Si trãseas per ignem flamma non aduret te, quoniam ego dominus deus tuus. Omnis igitur locus suscipit iustum, & omnis creatura exhibet debitum famulatum. Et ne existimes quod hæc in prioribus quidem gesta sunt, in te verò qui nunc auditor horum es nihil tale geratur: omnia complentur in te

1. Tes. 4.

Esa. 43.

I secundum mysticam rationem. Et enim tu qui nuper cupis idololatriæ tenebris derelictis ad audientiam diuinæ legis accedere, nunc primum Ægyptum derelinquis. Cum catechumenorum aggregatus es numero, & præceptis ecclesiasticis parere cœpisti, digressus es mare rubrum, & in deserti stationibus, positus ad audiendam dei legem, & intuendum Mosei vultum per gloriam domini reuelatum quotidie vacas. Si verò ad mysticum baptismi veneris fontem, & consistente sacerdotali & leuitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificisque sacramentis, quæ norunt illi quibus nosse fas est, tunc etiam sacerdotum ministeriis Iordane digresso terram repromissionis intrabis, in qua te post Moysen suscepit Iesus & ipse tibi efficitur noui itineris dux. Tu verò tantarum ac talium virtutum dei memor, quod tibi mare diuisum est, & quod aqua fluminis stetit, conuersus ad ea dices: Quid tibi est mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Montes quia exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouiũ? Sed respondebit tibi sermo diuinus & dicet: A facie domini commota est terra, à facie dei Iacob. Qui conuertit petram in stagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum. Quanta ante gesta sunt. Mare rubrum pedibus trãsitum est, manna de cœlo datum est, fontes in eremo disrupti sunt, Lex per Moysen data est, signa & prodigia multa in eremo gesta sunt, & nusquam dicitur exaltatus esse Iesus. Vbi verò Iordanis transitur, ibi dicitur ad Iesum: [In hac die incipio exaltare te in conspectu populi.] Neque enim ante mysterium baptismi exaltatus Iesus, sed exaltatio eius, & exaltatio in conspectu populi, inde sumit exordium. Si enim omnes qui baptizantur, in morte ipsius baptizantur, mors autem Iesu in crucis exaltatione completur, merito vnicuique fidelium tunc primum Iesus exaltatur, cum ad mysterium baptismi peruenerit, quia sic & scriptum est, quod exaltauit illum deus, & donauit ei nomen, quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium & terrestrium & infernorum. Veruntamen per sacerdotes deducitur populus, & iter agit ad terram repromissionis magisterio sacerdotum. Et quis hodie in sacerdotibus tantus ac talis est, qui in illo ordine mereatur ascribi? Si enim sit aliquis talis, cedent ei flumina Iordanis, & ipsa elemẽta verebuntur, pars aquarum fluminis retrorsum resiliet, ac post tergum frænabitur, pars verò in mare salsum rapido lapsu diffugiet. Quod tamen nec ipsum absque mysterij ratione arbitror scriptum, quod pars aquarum Iordanis mergatur in mare, atque in amaritudinem profluat, pars verò in dulcedine perseueret. Si enim omnes qui baptizantur acceptæ cœlestis gratiæ dulcedinem custodirent, & nullus in peccatorum amaritudinẽ verteretur, non vtique esset scriptum quia pars fluminis salsi maris gurgitibus fuisset immersa. Et ideo mihi videtur in his verbis baptizatorum varietas designari, quam quidem nos (quod cum dolore commemoro) sæpe videmus accidere, vt hi qui secundum baptisma consequuntur, cum se rursum ad negotia seculi, & illecebras libidinis tradunt, & cum auaritiæ salsum poculum bibunt, in ea aquarum parte firmentur, quæ in mare profluit, atque in salsis fluctibus diffluit: pars verò illa quæ cum stabilitate permanet, & dulcedinem suam seruat, designet eos qui acceptum dei munus indeclinabiliter tenent. Et rectè vna pars est eorum qui saluantur, quia & panis vnus est, qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam, & fides vna est, & vnum baptisma, & vnus spiritus quo omnes potantur in baptismo, & vnus deus pater omnium. Interea sacerdotalis ordo est, & leuiticus, qui iter ostendat populo dei, qui exiit de Ægypto. Ipsi enim sunt qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus scilicet mundi, & transire per eremum vastam, id est, tentationum genera diuersa transcurrere, neque noceri à serpentibus, qui sunt morsus dæmonum, & malarum suggestionum venena vitare. Quod si aliquis forte percussus fuerit in eremo à serpente, vt ostendant ei eremum serpentem in cruce suspensum: quem qui viderit, id est, qui crediderit in eum cuius figuram serpens ille monstrabat, diabolica per hoc venena diffugiet. Sacerdotalis & leuiticus ordo est, qui adsistit arce testamenti domini, in qua lex dei portatur sine dubio, & ipsi illuminant populum de mandatis dei, sicut propheta dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen semitis meis. Hoc lumen per sacerdotes accenditur & leuitas. Quod si alius forte quis ex hoc ordine accensam lucernam posuerit sub modio, & non super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt: videat quid sibi agendum sit cum domino lucis reddere cœperit rationem pro iis qui nihil illuminationis à sacerdotibus capientes in tenebris ambulant, & peccatorum obscuritate cæcantur. Vide denique quid dicit: [Populus, inquit, vt longe sit ab arca testamenti duo millia cubitorum.] Sacerdotes verò, & leuitæ proximi, & satis proximi, ita vt humeris ipsorum arca domini, & legislatio diuina portetur. Beati qui merentur proximi esse deo. Sed memento quod scriptũ est: Qui approximãt mihi, approximãt igni. Si aurum vel argentum fueris, & igni approximaueris, multo per ignem splendidior & rutilantior effulgebis. Si verò supra fundamentum in te fidei positum conscius tibi es superædificasse te ligna, fœnum, stipulam, cũ tali ædificatione si igni approximaueris, consumeris. Beati igitur qui proximi sunt, & qui ita proximi sunt, vt ignis eos illuminet, non adurat. Saluabitur tamen & Israel, sed longe positus saluabitur, & iter aget non sua virtute, sed adminiculis & prouidentia sacerdotum. Quando autẽ? Ad transitum Iordanis.] notaui enim & hoc non sine causa esse signatum, vt & tempus distingueretur. [Decima, inquit, mensis primi.] Ista ipsa est dies, in qua & agni mysterium præcipiebatur in Ægypto.

Fons baptismi mysticus. — Eucharistia intelligit quæ dabatur cum baptismo. — Psal. 114.

K — Phil. 2. — Mare salsum seu mortuum, seu lacus Asphaltites. — Dum codex Græcus sese offerret secundum baptismũ hic accipio pro prospero & felici. metaphora à nauigatione. — L — Vnum baptisma. — Psal. 118. — M — 1. Cor. 3.

A Ægypto. Decima die mensis primi terram repromissionis incedunt: quod mihi valde beatum videtur, vt eadem ipsa die qua errores quis subterfugerit seculi, etiam terram repromissionis ingredi mereatur, id est, in hac die qua in hoc seculo viuimus. Omnis enim vita nostra præsens in vno die designatur. Et ideo edocemur per istud mysterium, ne actus nostros & opera iustitiæ in crastinum differamus, sed hodie, id est, donec viuimus, donec in hoc mundo demoramur, omnia quæ ad perfectionem pertinent, festinemus implere, & ita demum poterimus decima die mensis primi terram repromissionis, id est, beatitudiné perfectionis intrare. Sed & alia quàm plurima si diligenter obserues, in hanc diem recapitulari scripturarum relatione deprehendes de libris singulis. Vti ne nunc sermo nobis plus quàm volumus dilatetur, hoc sentiendum est de eo, quòd sæpius dies iste repetitur: quia licet generalis nobis sit vna perfectio, tamen vnamquanque speciem virtutum quam aggredimur explicare, si eam potuerimus integre perfectéque complere, est ipsius virtutis sua quoque perfectio. Verbi causa, si is qui iracundus est, virtutem mansuetudinis cupiat adipisci, sine dubio primo offendit in multis, donec longa meditatione vsum multi temporis in naturam conuertat. Et cum obtinuerit quod proposuit, adipiscitur quidem perfectionem mansuetudinis, non tamé ex hoc etiá perfectioné virtutú omniú possidet. Sic ergo per singulas virtutes inueniútur multę perfectiones. Perfectio verò generalis illa est, quæ omnium in se perfectionum B continet summam. Propterea ergo multa in hac die gesta recapitulantur, vt multas perfectiones ad vnum tendere significent finem, sicut & propheta dicit: Multum peregrinata est anima mea. Et iterum: Dum dicunt mihi per singulos dies vbi est deus tuus, hæc remoratus sum, & effudi in me animam meam: quia pertransseam in loco tabernaculi vsque ad domum dei, in voce exultationis, & confessionis sonus epulátis. Post labores enim & tentationes quas in huius mundi eremo pertulerimus, post transitum rubri maris, post fluenta Iordanis, si digni fuerimus terram repromissionis intrare cum lætitia & exultatione perueniemus, sequentes sacerdotes domini Christi & saluatoris nostri, cui est gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

Psal. 136.

De duabus & semis tribubus, quæ transierunt Iordanem. Et de Iesu quomodo exaltauit eum Dominus in conspectu filiorum Israel. quomodo populum circuncidit cultris petrinis secundo.

Ex Cap. IIII & V.

Homilia V.

1 Cor. 10

De iis quidem qui mare rubrum transierunt, apostolus dicit, quia omnes in Moyse babtizati sunt in nube, & in mari. De iis verò qui Iorda- C nem trąseunt, possumus etiam nos simili modo pronunciare, quia omnes in Iesu baptizati sunt in Iordane: ita vt ea quæ in Iordane gesta referuntur, formam teneant sacramenti, quod per baptismum celebratur. Illud verò quod scriptum est[Et festinauit populus & transiit Iordanem, & factum est cum pertransisset omnis populus, transiit & arca testamenti domini:] non mihi otiose additum videtur à spiritu sancto quod dixit quia festinauit populus transire. Vnde & ego arbitror, quia nobis quoque venientibus ad baptismum salutare, & suscipientibus sacramenta verbi dei, non otiose, nec segniter res gerenda est, sed festinandum est, & perurgendum, vsquequo omnia transeamus. Transire enim omnia, implere est omnia quæ mandantur. Festinemus ergo transire, id est, adimplere primo quod scriptum est, Beati pauperes spiritu: vt deposita omni arrogantia, & Christi humilitate suscepta peruenire ad repromissam beatitudinem mereamur. Sed & cum hæc impleuerimus, non nobis standum est, neque cessandum, sed transeunda sunt & cætera quæ sequuntur, vt esuriamus & sitiamus iustitiam. Transeundum nobis est & quod sequitur, vt in hoc mundo lugeamus. Cito etiam reliqua transeunda sunt, vt mansueti efficiamur, & vt pacifici maneamus, vt per hoc filij dei

Mat. 5.

vocari possimus. Festinandum quoque nobis est, vt persecutionum pondus virtute patientiæ transeamus. Cúmque D hæc singula quę ad virtutis gloriam spectant, non segniter nec remisse, sed cum omni instantia & celeritate conquirimus, hoc mihi videtur esse cum festinatione transire Iordanem. Cum verò transierimus, & obtinere potuerimus quæ obtinere debemus, rursum nobis diligentiæ & cautelæ cura succedit, ne forte negligentius incedentes, improuiso aliquo lapsu effundantur gressus nostri, sicut & propheta dicit: Paulominus effusi sunt gressus mei. Nec remissior nobis sollicitudo in conseruandis, quàm in conquirendis debet esse virtutibus. An non hæc tibi designari videntur in eo quod dicitur, quia quadraginta milia virorum accincti, vel expediti transierunt ad pugná in conspectu domini ad expugnandum Hiericho ciuitatem? requiramus qui isti sunt, quos scriptura dicit accinctos vel expeditos. Ego ex meipso præsumere aliquid, & pronunciare non audeo: Apostoli magis literis doceamur in talibus, qui sunt isti accincti Paulo exponente discamus. Audi ipse quid dicit: Estote ergo accincti lumbos vestros in veritate. Vides ergo quia Paulus accinctos nouit eos, præcincti sunt cingulo veritatis. Igitur etiam nostrum esse cingulum veritas debet, si tamen seruauerimus militiæ huius & cinguli sacramentum. Si enim veritas est cingulum nostrum quo ad Christi militiam cingimur, siquádo falsum loquimur, & mendacium de ore nostro procedit, discingimur à militia Christi, & balteo veritatis exoluimur. Ergo si in veritate sumus, sumus cincti: si verò in falsitate, E discincti. Sed nos imitemur potius istos quadraginta millia virorum accinctorum procedentium ad bellum in conspectu domini, & semper simus in veritate succincti. Sed ne illud quidem otiose prætereo quod addit scriptura, quia accincti in conspectu domini. Non enim sufficit te apud homines videri seruare veritatem. Possibile nanque est fallere homines, & veracem videri, sed non ex eo in veritate succinctus es, nisi & in conspectu domini seruaueris veritatem, id est, non solum quæ voce homines audiunt, sed & ea quæ in corde perspicit deus, vt nihil sit falsum in lingua, nihil sit corde fucatum, secundum quod propheta dicit de talibus Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum. Absque his ergo omnibus esse debet qui vult accinctus in conspectu domini procedere ad expugnandum Hiericho, quia transeuntes Iordanem fluuium ad pugnas & bella transimus. Vis iterum discere quę nos pugnæ post baptismum, quæ bella suscipiunt? Noli à me, sed ab ipso rursus disce Apostolo Paulo, ipse te docet dicens: Non enim nobis pugna est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, & aduersus potestates aduersus huius mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Formæ sunt & figuræ quæ scripra sunt. Ita enim dicit apostolus: Hæc enim omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Si ergo propter nos scripta sunt, age quid cessas? Exeamus ad bellum, vt oppugnetur à nobis ciuitas prima huius mundi malitia, & peccati superba mœnia destruantur. Circumspicis forte quo tibi itinere progrediendum sit, qui campus certaminis expetendus. Nouum tibi fortasse videbitur quod dicturus sum, sed tamen verum est, præter temetipsum extrinsecus nihil requiras. Intra te est prælium quod gesturus es: intrinsecus est mala ædificatio, quæ subruenda est: hostis tuus de tuo corde procedit. Non mea vox ista, sed Christi est. Audi enim ipsum dicentem: De corde enim procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Vides quantus & qualis exercitus hostium tuorum aduersum te de tuo corde procedit? Isti nobis prima strage fundendi sunt, isti prima acie prosternendi. Horum si subruere mœnia, ipsósque ad internitioné cędere poterimus ita vt non relinquamus ex eis qui renunciet, vel respiret, si iam nullus ex iis prorsus in nostris cogitationibus rediuiuus eruperit, tunc nobis per Iesum dabitur illa requies, vt vnusquisque requiescat sub vinea sua, & sub ficu sua, cum iam non sit qui exterreat filios Israel. Veruntamen transeunt Iordanem quadraginta milia virorum armatorum

Psal. 73.

Modestia Origenis. Eph. 6

Psal. 28.

Eph. 6

1. Cor. 10.

Mat. 15.

G accincti in conspectu domini ad bellum, & tunc dicit scriptura, quia in die illa exaltauit dominus Iesum in conspectu totius generis filiorum Israel. Fuerit quidem exaltatio filio Naue, vt dux populi illius apud eos quos regebat magnificus haberetur: noster verò Iesus dominus meus, dux & rector populi huius, quomodo exaltatur in conspectu omnis gentis filiorum Israel, videamus. Ego arbitror, quia ipse semper apud patrem exaltatus est, & excelsus. Sed hoc opus est, vt in cōspectu nostro exaltet illum deus. Exaltatur autem in cōspectu meo, cum mihi sublimitas & celsitudo diuinitatis eius aperitur. Quando ergo mihi excelsa diuinitas reuelata est? tunc profectò cum Iordanem transierim, & variis sacramentorum munimentis futura armarer ad prælia. [Et timuerunt, inquit, Iesum, sicut timuerant Moysen.] Omnis qui sub lege est, timet Moysen: cum verò ad euangelium ex lege transierit mutata obseruantia, mutatur & timor, sicut apostolus dicit: Ego autem per legem, legi mortuus sum, vt deo viuam, cum Christo crucifixus sum. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Post hæc iubetur filius Naue facere cultros ex petra, & sedens circuncidere filios Israel secundo. Velim ergo in hoc loco percontari à Iudæis, quomodo potest quis secūdo circuncidi circūcisione carnali. Semel enim circuncisus quis vltra non habet quod secundo possit auferri. A nobis verò quibus dicitur quia lex spiritalis est, vide

Christus quando exaltari dicatur.

Gal. 2.

H quàm digne & conuenienter ista soluantur. Dicimus enim quia ille qui in lege eruditus est, & per Moysen edoctus abiecit idololatriæ errores, simulacrorum superstitionem cultúmque deposuit, hæc est circuncisio prima per legem. Si verò is veniat à lege & prophetis ad euangelicam fidem, tunc accipit etiam secundam circuncisionem per petram, qui est Christus, & completur hoc quod dixit dominus ad Iesum: [Hodie abstuli opprobrium Ægypti à filiis Israel.] Sicut autem dixit apostolus, Bibebant autem de spiritali sequenti eos petra, petra verò erat Christus: ita etiam nos in hoc loco competenter possumus dicere: circuncisi sunt autem de spiritali sequenti petra, petra verò erat Christus. Nisi enim quis fuerit per euangelium secunda circuncisione purgatus, non potest opprobrium Ægypti, id est, illecebras corporalium deponere vitiorum. Videamus tamen quale sit hoc ipsum quod dicitur, quia hodie abstuli opprobrium à filiis Israel. Omnes homines etiam si ex lege veniant, etiam si per Moysen eruditi sint, habent tamen opprobrium peccatorum. Quis erit similis Paulo etiā secundū legis obseruantiam? Audi denique ipsum dicentem: Secundū iustitiam quæ in lege est, cōuersatus sine querela. Ipse autē pronunciat, & dicit: Fuimus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes desideriis & voluptatibus variis, in malitia, inuidia, odibiles, odientes inuicem. Non tibi videntur hæc opprobria esse, & opprobria Ægypti? Sed ex quo venit Christus, & dedit nobis secundā

1. Cor. 10.

Phil. 3.
Tit. 3.

I circuncisionem per baptismum regenerationis, & purgauit animas nostras, abiecimus hæc omnia, & pro iis assumpsimus conscientiæ bonæ adstipulationem in deum. Tunc per secūdam circuncisionem ablata sunt nobis opprobria Ægypti, & purgata sunt vitia peccatorum. Nemo ergo si integre conuersus est, si ex corde pœnituit, si fideliter Iordanis fluenta digressus est, si secunda per euangelium circuncisione purgatus est, præteritorum metuat opprobria delictorum. Audis quia hodie abstulit à te opprobrium Ægypti. Hoc & in euangeliis significat cum dominus dicit: Remissa sunt tibi peccata tua, sed iam noli peccare, ne quid deterius tibi accidat. Si enim post remissionem peccatorum vltra non pecces, vere ablatum est à te opprobrium Ægypti. Si verò iterum peccaueris, iterum in te vetera reuoluuntur opprobria, eo magis quo multo maioris criminis est filium dei conculcare, & sanguinem testamenti pollutum ducere, quàm legē Mosei negligere. Multo enim maioris opprobrij est, qui post euangelium, quàm ille qui sub lege positus fornicatur, quia iste tollens membra Christi, facit membra meretricis. Vides ergo quàm grauiora & cumulatiora in te opprobria si neglexeris, reuoluantur. Denique iam nemo te reum stupri arguit, sed sacrilegij scelere condemnat, quia dicitur ad te: An nescitis quia corpora vestra templum dei est? Si quis autem templum dei violauerit, disperdet illum deus. Hæc etiam si prius

1. Pet. 3.

Ioan. 5.

Heb. 10.

1. Cor. 3.

K ignorabas, nunc tamen ex quo in auribus tuis ista verba dicuntur, & in cor tuum huiuscemodi doctrina transfunditur, scito te his auditis templum dei, & membrum Christi esse iam factum. Vide quantum profeceris ex homunculo terreno. In templum dei progressus es sine dubio, in quo habitare debet deus: & qui caro & sanguis eras, profecisti vt membrū Christi sis. Sed sicut magnus est iste profectus, ita & discessus terribilis, atque irremediabilis, pene lapsus. Iam tibi enim nō licet templo dei vti, nisi in sanctitate, nec membra Christi ad indignum reuocare negotium. Et ideo si quando te malæ cōcupiscentiæ pulsat illecebra, memor horum quæ nunc audis, hosti illi occurre, qui de te ipso, hoc est, de tuo corde procedit, & resiste ei in talibus verbis, & dic, quia non sum meus. Emptus enim sum precio sanguinis Christi, & membrum ipsius effectus sum. Non licet mihi tollere membrum Christi, & facere membrum meretricis. Dic ei, quia templū dei effectus sum, non mihi licet immundum aliquid illuc inducere, nec fas est mihi violare templum dei: sed & illud adde, quoniam qui fornicatur, in corpus suum peccat. Nō istud corpus solum, quod templum dei effectum est, sed & illud quod dicitur, quia omnis ecclesia corpus Christi est: & in omnem ecclesiam videtur delinquere, qui corpus suum maculauerit, quia per vnum membrum, macula in omne corpus diffunditur. Est & illud opprobrium Ægypti, quod si neglexeris, etiam post Iordanis transitum, & post baptismi secundam circuncisionē, vetustæ consuetudinis instinctione suggeritur, obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex iis futurorum rimari, seruare somnia cæterisque huiusmodi superstitionibus implicari. Idololatriæ namque mater est Ægyptus, ex qua certum est huiusmodi opprobria pullulare: quæ si transito iam Iordane susceperis, & iis te rursus laqueis illigaueris, tecum sine dubio opprobria Ægypti trahis. Sed si quando te talis curiositas interpellat & de corde tuo huiusmodi hostis erumpit, dic ei. Quia Iesum ducem sequor, in cuius potestate sunt quæ futura sunt. Quid mihi scire quæ futura sunt? Quæcunque ille vult, hæc futura sunt. Ideo ergo vt in nobis vere secunda circuncisio compleatur, per quam vetera Ægypti opprobria deponamus ab his omnibus segregati prorsus esse debemus, vt purificati corpore & corde puras etiam manus leuemus ad deum, puro quoque ore, & purgatis labiis, ac mente syncera, prece & actibus glorificemus deum in Christo Iesu domino nostro, cui est potestas, & imperium in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 6.

L

Magia idololatriæ parens.

De Pascha quod fecerunt filij Israel in Galgala, & quomodo fructus terræ cœperunt è regione palmarum. De principe virtutum militiæ domini, vbi dicitur ad Iesum: Solue calciamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas terra sancta est. ex Cap. V.

M

Homilia V.

QVI non obedientes fuerunt mandatis domini, incircuncisi dicuntur. Ex quo intelligitur illos appellari incircuncisos, qui non obediunt mandatis domini. Sed tamen & circuncisos, & incircuncisos, quia omnem animam diligit deus, non penitus derelinquit. Misit enim Iesum, qui omnes simul dignos circumcideret & indignos, & non filium Naue Iesum, non enim vera & perfecta circuncisione ille populum circumcidit, sed Iesum Christum dominum & saluatorem nostrum. Hic enim est, qui vere à nobis pollutionem abstulit carnis, & abscidit, & à corde atque anima nostra peccatorum inquinamenta purgauit. Denique audi quid dicit scriptura de iis qui per Naue filium præfigurabantur. [Circuncisi autem (inquit) filij Israel requieuerunt in eodem loco, sedentes in castris vsque dum sanarētur, & tunc dixit dominus ad Iesum: Hodierno die abstuli opprobrium Ægypti à vobis.] Non enim sufficit nobis circuncidi, sed & post circumcisionem sanari, id est, vsquequo etiam cicatricem ipsam circuncisionis vulnus obducat. Quando ergo cicatrix in vulnere nostræ circuncisionis obducitur?

A citur? Ego ita arbitror, quod circuncidi per Iesum nostrum, hoc est, vitiis carere, malas consuetudines, & pessima instituta deponere, fœdos & inconditos mores, & quicquid ab honestatis & pietatis regula abhorret abscindere. Sed hoc cum in initiis facimus, ipsa nouitatis quodammodo difficultate constringimur, & quasi cum labore quodam & dolore animi, veteris consuetudinis culpas nouella institutione mutamus. Et ideo est (vt dixi) quædam difficultas in initiis, vt vix ægre amputare possimus prima, & secunda suscipere. Hoc ergo mihi videtur tẽpus esse, quo velut in dolore circuncisionis nostræ dicimur residere, vsquequo obducta cicatrice sanemur. Obducimur autem cicatrice, cum iam noua instituta absque difficultate complemus, & in vsum nobis vertitur, quod prius quasi insolitum difficile videbatur. Et tunc vere iam sanati dicimur, cum vitiis carentes virtutes nouo vsu vertimus in naturam. Et ita demum merito ad nos dicit sermo diuinus ea quæ sequuntur: [Hodierna die abstuli opprobrium Ægypti à vobis.] Quia posteaquam ablatum est opprobrium Ægypti, tunc dicitur: [Et fecerunt filij Israel pascha quartadecima die mensis primi.] Non enim ante circuncisionem pascha facere poterant, sed neque statim post circuncisionẽ carnes agni comedere antequam sanarentur. Sed posteaquã sanati sunt, dicitur quia fecerunt pascha filij Israel quartadecima die mensis. Vides ergo quia nemo immundus facit pascha, nemo incircumcisus, sed quicunque mundus fuerit & circuncisus, sicut & Apostolus interpretatur dicens: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque diem festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & malignitatis, sed in azymis synceritatis & veritatis. Sed & tunc quidem quando exiit populus de terra Ægypti, portauit sparsum in vestimentis suis. Cum autem defecisset sparsum, & panes non haberent, pluit illis deus manna. Cum autem venerunt ad terram sanctam, & fructus perceperunt prouinciæ palmarum, defecit eis manna, & tunc edere cœperunt de fructibus terræ. Itaque tres species ciborum generaliter describuntur. Vnum quidem quo vescimur exeuntes de terra Ægypti, sed hoc ad paruum tempus sufficit. Post hoc autem manna succedit. Tertium verò iam de terra sancta capimus fructum. In quibus differentias (vt meæ paruitatis intellectus assequitur) illud arbitror indicari, quod primus cibus est quẽ de Ægypto exeũtes nobiscum portauimus, parua hæc eruditio secularis, aut etiam si quis forte attigit liberalium literarum cognitionem, quæ exiguũ aliquid iuuare nos potest. In eremo verò positi, id est, in hoc in quo nunc sumus vitæ statu, manna vescimur, per hoc quod diuinæ legis instructionibus erudimur. Qui verò meruerit terram repromissionis intrare, id est, ea quæ à saluatore repromissa sunt cõsequi, C ille edit fructus è regione palmarum. Vere enim fructum palmæ inueniet, qui deuicto hoste ad promissa peruenerit. Certũ nanque est, quod quantacunque illa sunt, quæ nũc in lege dei, vel diuinis literis intelligere possumus aut sentire, multo sublimiora & excelsiora erunt illa, quæ cessante ænigmate facie ad faciem sancti quique videre merebuntur: quia quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hæc præparauit deus iis qui diligunt eũ. Quod si secundũ literã solã intelligenda sit lex, inueniuntur sine dubio filij Israel, cum melioribus vterẽtur (Mãna quippe de cœlo capiebant) ex repromissione deteriora accepisse, quibus prius Ægyptiaticis deficientibus, cibis melior vtique successerat cibus manna de cœlo. Et quomodo tunc putabitur meliore cibo cessãte successisse deterior, nisi quia maior, & verior ratio in spiritali intelligentia, quàm in textu literę deprehenditur? Sed interim posteaquam introduxit Iesus populum in terrã sanctã, tũc expurgatis omnibus celebrat pascha. [Et factũ est cum esset Iesus in Hiericho, respiciens oculis vidit hominem stantem contra se, & gladius euaginatus erat in manu eius. Et accedens Iesus dixit ei: Noster es, an aduersariorum? At ille dixit: Ego sum princeps militiæ virtutis domini.] Respiciens ergo oculis videt principem militiæ virtutis domini, tanquã qui prius non respexerit, sed tunc cum principem militiæ domini visurus esset. Quem tamen cum vidisset Iesus, non eũ velut cõmunem hominem vidit, sed intellexit virtutem esse quandam. Nondum tamen certus est ex diuinis virtutibus, an ex cõtrariis vna sit quæ videtur, & ideo interrogat, & perquirit dicens. [Noster es, an aduersariorum? At ille D ait: Ego sum princeps militiæ virtutis domini, nunc adueni. Et cum hoc audisset adorauit Iesus, & dixit: Domine quid præcipis seruo tuo? Quid est quod nos per hoc edocet Iesus? Illud sine dubio quod dicit Apostolus. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sunt. Cognouit ergo Iesus non solum quod ex deo est, sed quia deus est. Non enim adorasset, nisi agnouisset deum. Quis enim alius est princeps militiæ virtutum domini, nisi dominus noster Iesus Christus? Omnis nanque cœli militia, siue angeli, siue archangeli, siue virtutes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia hæc quæ per ipsum facta sunt, sub ipso principe militant, qui est principum princeps, & qui largitur principibus principatum. Ipse est enim qui dicit in Euãgelio: Esto potestatem habens supra decem ciuitates. Et alij: Esto tu potestatem habens supra quinque ciuitates. Hic est qui accepto regno regressus est. Sed interim videamus quæ præsens lectio suggerit. In Hiericho est Iesus, adhuc hostes obtinent ciuitatem, nondum victi sunt, & iam tamen dicitur ad Iesum: [Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.] Et quomodo Hiericho terra sancta est, quæ ab hostibus retinetur? Sed ne forte hoc sit quod indicatur, quia quocunque venerit princeps militiæ virtutis domini, sanctificat locum. quia nec ipsa Hiericho locus erat E sanctus: sed quia princeps militiæ domini venit illuc, locus dicitur sanctus. Ego etiam amplius aliquid audeo & dico, quia etiam Moses vbi stabat, per seipsum non erat locus sanctus, sed quia dominus stabat cum Mose, præsentia domini sanctificauerat locum, & ideo dicitur ad eum: Solue corrigiam calceamenti tui, locus enim in quo stas terra sancta est. Vnde & nos si vita & meritis accedamus ad deum, & digni efficiamur vt adsistat nobis deus, dicitur etiam ad nos vt soluamus à pedibus animæ nostræ, si quid in eis vinculi mortalis annexum est. Isti enim sunt pedes, quos lauat Iesus, quos nisi lauerit, non habebimus partem cum eo. Quod si ergo ab anima nostra & sensibus omne vinculum curæ mortalis absoluimus, continuo libenter etiam nobis aderit, & adsistet deus. Quæ autem sunt in consequentibus videamus. Circumdatur Hiericho, expugnari eam necesse est. Quomodo ergo expugnatur Hiericho? Gladius non educitur aduersus eam, aries non dirigitur, nec tela vibrantur, tubæ solummodo sacerdotales adhibentur, & his Hiericho muri subruuntur. In figura enim mundi poni Hiericho in scripturis frequenter inuenimus. Nam & in euangelio quod dicitur homo de Hierusalem in Hiericho descẽdisse, & in latrones incurrisse, forma sine dubio erat illius Adæ qui de paradiso in huius mundi exilium trusus est. Sed & cæci qui erant in Hiericho, ad quos venit Iesus vt faceret eos videre, formã gerebãt eorũ qui in hoc mũdo cæcitate ignorãtię premebantur, ad quos venit filius dei. Hæc ergo Hiericho, id est F mundus hic, casurus est. Consummatio etenim seculi iamdudũ sanctis voluminibus peruulgata est. Quomodo ergo ei cõsummatio dabitur? quibus organis? Vocibus, inquit, tubarum. Quarũ tubarũ? Paulus tibi secreti huius prodat arcanum. Audi ipse quid dicit: Canet, inquit, tuba, & mortui qui in Christo sunt resurgent incorrupti, & ipse dominus in iussu, in voce archangeli, & in tuba dei descendet de cœlo. Tunc ergo dominus Iesus noster cum tubis vincet Hiericho, & prosternet eam, ita vt ex ea meretrix sola saluetur, & omnis domus eius. Veniet, inquit, dominus noster Iesus, & in tubarum voce veniet. Sed iam nunc oremus vt veniat & destruat mũdum, qui in maligno positus est, & omnia quæ in mũdo sunt: quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum. Ista destruat, ista iamiamque dissoluat, saluet autẽ hanc solã quæ exploratores eius suscepit, siue Apostolos eius in fide & obedientia receptos, in superioribus collocauit, & adiungat & societ meretricem hanc cum domo Israel. Sed iam non repetamus nec reputemus ei veterem culpam. Aliquando meretrix fuit, nunc autem vni viro casto, virgo casta copulata est Christo. Audi Apostolum dicentem de ea: Statui autem hoc ipsum, vni viro virginem castam exhibere Christo. Ex ipsa erat & ille ipse qui dice-

Marginalia: 1.Cor.15 — Exod.16 — Tres cibi Iudæorum. — 1.Cor.2 — 1.Ioan.4 — Matth.25 — Exod.3 — Ioan.13 — Figura mũdi Hiericho — Luc.10 — Mat.20. — 1.Thess.4

G bat: Fuimus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis. Vis adhuc copiosius discere, quomodo meretrix iam non sit meretrix? Audi adhuc Paulum dicentem: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Vt enim posset euadere, ne cum Hiericho interiret, validissimum ab exploratoribus signum salutis accepit, spartum coccineum. Per Christi etenim sanguinem Ecclesia hæc vniuersa saluatur, in ipso Iesu Christo Domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorũ, Amen.

Tit.3.

1.Cor.6.

De Hiericho quomodo capta est. Et vti præcepit Iesus filiis Israel, vt de anathemate non sumerent. Et Raab quomodo saluata est. Et de eo qui furatus est ex anathemate linguam auream, & dextralia pura. Cap. VI. Homilia VII.

HIERICHO tubis subruitur sacerdotũ. Statim enim vt tubarum clangor increpuit, murorũ deiectus est ambitus. Dixeramus iam & prius, quòd Hiericho formam seculi præsentis obtineat, cuius robur & munimenta sacerdotalibus tubis videmus esse destructa. Firmitas nanque & munimenta quibus velut muris mundus iste nitebatur, idolorum cultus erat, diuinationum fallacia arte dæmonum ministrata, augurum atque aruspicum, magorúmque commenta, quibus omnibus velut mu H ris validissimis ambiebatur hic mundus. Insuper etiam diuersis philosophorum dogmatibus, & eminentissimis assertionibus ac disputationibus, velut proceris quibusdam, & robustis turribus firmabatur. Veniens verò Dominus noster Iesus Christus, cuius ille prior filius Naue designabat aduentum, mittit sacerdotes Apostolos suos portantes tubas ductiles, prædicationis magnificam, cœlestémque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in Euangelio suo Matthæus increpuit. Marcus quoque Lucas & Ioannes, suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis. Iacobus quoque & Iudas. Addit nihilominus adhuc & Ioannes tuba canere per epistolas suas & Apocalypsim, & Lucas Apostolorum gesta describens. Nouissime autem ille veniens, qui dixit: Puto autẽ nos Deus nouissimos Apostolos ostẽdit, & in quatuordecim epistolarũ suarum fulminans tubis, muros Hiericho, & omnes idololatriæ machinas, & philosophorum dogmata vsque ad fundamenta deiecit. Mouet me sanè etiam illud quod historia refert, quia non solum sacerdotes tubis cecinerunt, vt caderent muri Hiericho, sed & audita voce tubæ, dicitur vniuersus populus vlulasse vlulatu magno, vel sicut in aliis exemplaribus habetur, iubilasse iubilo magno. Et quanuis iste sermo impropriе translatus esse videatur, ἀλαλαγμὸς enim in Græco scriptum est, quod neque iubilum, neque vlulatum proprie significat, sed illam magis ostendit vocem, qua belli tempore exercitus cla I morem consonum tollens, vnanimiter sese cohortari ad prelium solet: tamen hic sermo in scripturis iubilatio magis quàm vlulatio consueuit inscribi, vt ibi: Iubilate Domino omnis terra. Et iterum: Beatus populus qui scit iubilationem. Quod etiam me permouet dictum, quid istud tantum sit operis quod beatum populum faciat. Non dixit, quia beatus populus qui operatur iustitiam, vel beatus populus qui scit mysteria, vel qui scit cœli ac terræ & syderum rationem: sed beatus (inquit) populus qui scit iubilationem. In aliis timor Dei beatum facit, sed vnum tantũmodo hominem facit beatum. Sic enim dicit: Beatus vir qui timet Dominum. Alibi etiam plures fiunt beati, sicut pauperes spiritu, vel mansueti, vel pacifici, vel mundi corde. Hic autem beatitudo profusa est, & tanta hic nescio quæ causa beatitudinis indicatur, vt vniuersum pariter populum faciat beatum, qui tamen scierit iubilationem. Vnde mihi videtur iubilatio indicare quendam concordiæ & vnanimitatis affectum. Qui si incidat in duos vel tres Christi discipulos, omnia quæcunque petierint in nomine Saluatoris, præstat eis pater cœlestis. Si verò tanta fuerit beatitudo, vt vniuersus populus concors & vnanimis maneat, vt eadem dicant omnes in eodem sensu atque in eadem sententia permanentes, isto tali populo vocem vnanimiter eleuante, fiet illud quod scriptum est in Actibus Apostolorum, quia terræ motus factus est magnus, vbi tunc vna- K nimes orabant Apostoli cum mulieribus, & Maria matre Iesu: & terræmotu facto destruentur, & cadent omnia quæ terrena sunt, ac mundus ipse subuertetur. Audi denique Dominum & Saluatorem nostrum, ad hoc ipsum suos milites cohortantem, quomodo dicit: Confidite, ego vici mundum. Illo ergo duce iam nobis victus est mundus, & muri eius collapsi sunt, quibus homines seculi nitebantur. Sed & vnusquisque nostrum, debet in semetipso ista complere. Habes in te Iesum ducem per fidem, fac tibi tubas ductiles ex scripturis sanctis, inde duc sensus, inde sermones, propterea enim tubæ ductiles appellantur. In ipsis cane, id est, in psalmis & hymnis, in canticis spiritalibus cane, in propheticis sacramentis, in mysteriis legis, in apostolicis dogmatibus cane. Et si in talibus cecineris tubis, & septies arcam testamenti circumtuleris, id est, si legis mystica præcepta, ab euangelicis non separes tubis: si etiam iubilationis consensum de temetipso exigas, id est, cogitationum & sensuum tuorum populus qui intra te est, concordem semper & consonam proferat vocem, & non aliquando verum dicas, aliquando personæ potentis adulatus mendacio maculeris, si non te aliquando blandum remissio faciat, aliquando iracundia truculentum, si non arrogans erga modicos, & apud superbos humilis inueniaris, denique si non pugna intra te geritur, dum concupiscit caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: si hæc intra te iam consonant & concordant, vocem iubilationis emitte, L quoniam tibi destructus & deiectus est mundus. Talis (opinor) erat ille, qui confidenter dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Adhuc me tamen mouet aliquid in loco, parum mihi sensisse videor de iubilatione, humilia dixisse de magnis. In aduentu Iesu muri Hiericho subuersi sunt, in aduentu mei Domini Iesu mundus vincitur. Quomodo tamen vincitur mundus, scire velim manifestius, & lucidius intelligere quę dicuntur. Volo ego ipse qui doceo, vobiscum pariter discere. Paulum nobis communiter adhibeamus magistrum. Ipse est enim minister Christi, qui nobis possit indicare quomodo Christus vicerit mundum. Audi ergo ipsum dicentem: Quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio affigens illud cruci suæ, & exuens principatus & potestates transduxit, libere triumphans eos in ligno crucis. Ex his ergo verbis illud intelligo, quod videntes pugnam Iesu cœlestes virtutes, principatus & potestates contrarias exutas potestatibus suis, alligatum fortem, & vasa eius diripi, increpuerunt tubis suis cœlestibus, quia alligato principe huius mundi, victus est mundus, & vocem iubilationis in triumpho Christi cœlestis exercitus dedit. Vere ergo beatus est populus gentium, qui nouit talem hanc iubilationem cœlestis exercitus, & qui mysteria agnoscit & credit. Sed videamus quid est quod in sequentibus indicatur. Dicit enim Iesus: [Custodite vos ab anathemate, ne forte concupiscatis & M tollatis ab anathemate, & faciatis castra filiorum Israel anathema, & conteratis nos, & omnem synagogam Domini.] Tale est quod indicatur in his verbis: Videte ne quid in vobis seculare habeatis, ne seculares mores, ne vitia, ne tergiuersationem de seculo vobiscum ad ecclesiam deferatis. Sed anathema sit vobis omnis conuersatio secularis. Nolite diuinis mundana miscere, nolite negotia seculi ecclesiæ secretis inserere. Hoc est, quod & Ioannes epistolæ suæ personat tuba dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Et Paulus similiter: Nolite (inquit) conformari huic mundo. Qui enim hæc faciunt, accipiunt de anathemate. Sed & illi qui (verbi causa) cum Christiani sint, solennitates gentilium celebrant, anathemata in ecclesias introducunt. Qui de astrorum cursibus vita hominum & gesta perquirunt, qui volatus auium, & cætera huiusmodi quæ in seculo prius obseruabantur, inquirunt, de Hiericho anathema inferunt in ecclesiam, & polluunt castra Domini, & vinci faciunt populum Dei. Sed & multa alia peccata sunt, quæ per anathema de Hiericho introducitur, & prosternitur ab inimicis. Aut non & Apostolus hęc eadem pręcipit, quum dicit: Modicum fermẽtum totam massam corrumpit. Sed videamus iam nunc quæ sequuntur. Subuersa Hiericho, Raab meretrix saluatur sola.

Mundi firmamenta.

Tuba Apostolorum scripta.

1.Cor.4.

Psal.100.

Psal.89.

Psal.111.

Act.1.

Ioan.16.

Gal.6.

Col.2.

1.Ioan.2.

Rom.12.

Contra Astrologos.

1.Cor.5.

A sola. Sic enim scriptum est de ea: [Et Raab meretricem & omnem domum patris eius viuificauit Iesus, & adiecta est ad Israel vsque in hodiernum diem.] Vellem requirere à Iudæis,& ab iis qui Christiani quidem dicuntur,sed in scripturis adhuc sensum Iudaicum seruant, quomodo exponant Raab meretricem adiectam esse domui Israel vsque in hodiernum diem.Quomodo Raab vsque in hodiernum diem adiecta esse dicitur? Hoc enim scripturæ sanctæ moris est dicere de iis quæ vsque ad finem vel vitæ vel seculi permanēt. Verbi causa, vt ait: Hic pater est Moabitarum vsque in hodiernum diem,quod significat vsque in finem seculi.Et iterum dicitur in Euangelio, quia diffamatus est sermo hic apud Iudæos vsque in hodiernum diem,id est,vsquequo seculū stat. Raab verò meretrix quomodo adiecta dicitur domui Israel vsque in hodiernum diem? Nūquid matri successio posteritatis adscribitur, vt videatur in sobolis reparatione seruari? An illud magis intelligendum est,quod vero Israeli adiuncta ac sociata est vsque in hodiernum diem? Et si vis manifestius videre quomodo Raab adiūgitur Israeli, intuere quomodo ramus oleastri inseritur in radicem bonæ oliuæ,& intelliges quomodo ij qui inserti sunt fidei Abrahæ & Isaac & Iacob,rectè appositi dicuntur & adiecti ad Israel vsque in hodiernum diem: quia in illorum radices nos rami oleastri ex

Contra primos hæreticos Iudaizantes.

Matth.27

Rom.11

B gentibus adsumpti,qui aliquando meretricabamur, lignum & lapidem pro deo colentes, appositi sumus vsque in hodiernum diem: & facti sumus propter fidem Christi nos sursum,ille autem populus qui permāsit in incredulitate, deorsum,secundum Deuteronomij prophetiam. Si quis ergo habet in se Christum,qui est omnium caput, hic efficitur in caput. Illi enim negauerunt Christum Iesum,& effecti sunt in caudam, & qui erant primi, facti sunt nouissimi. Sed & illud non ociose transcurrendum est,quod vno peccante ira super omnem populum venit. Hoc modo accidit, quando sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volūt videri,& verentes peccantium linguas ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores, nolunt implere quod scriptum est: Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeāt,& iterum: Auferte malum ex vobis ipsis. Nec zelo dei succincti imitantur Apostolum dicentē: Tradidi huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Neque illud euangelicum implere student,vt si viderint peccantē,primo secrete conueniant,post etiā duobus vel tribus arbitris. Quod si contempserit,& post hæc ecclesiæ correptione non fuerit emendatus, de ecclesia pulsum velut gentilem habeant ac publicanum. Et dum vni parcūt, vniuersæ ecclesiæ moliuntur interitum. Quę ista bonitas? quæ ista misericordia est, vni parcere,& omnes in discrimē adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus,

1.Tim.5

1.Cor.5

Matth.18

C sicut ex vna oue morbida grex vniuersus inficitur, sic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcunque sceleris committente, plebs vniuersa polluitur. Et ideo obseruemus nos inuicem,& vniuscuiusque conuersatio nota sit, maxime sacerdotibus & ministris. Nec putent se rectè dicere, quid hoc ad me spectat si alius male agit? Hoc est dicere caput ad pedes, quid ad me pertinet si dolent? Si male habent pedes mei, non mea interest,dum modo caput in sanitate perduret. Aut si dicat oculus manui, non indigeo opera tua, quid ad me pertinet si doles? si vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex ægritudine manus? Tale ergo est quod agunt ij qui ecclesiis præsunt, non cogitantes quia vnū corpus sumus omnes qui credimus, vnum deum habentes, qui nos in vnitate constringit & continet Christus, cuius corporis tu qui ecclesiæ præsides, oculus es, propterea vtique vt omnia circūspicias, omnia circumlustres, etiam ventura præuideas. Pastor es, vides ouiculas domini ignaras periculi ferri ad præcipitia,& per prærupta pendere, non occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes,& correptionis clamore deterres? Sic memor es dominici sacramenti, vt quum ille derelictis nonaginta nouem in cœlestibus, propter vnam ouiculam quę errauerat, ad terras descenderit, & inuentam vectauerit humeris suis ad cœlum, nos in nullo prorsus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum? Hæc non ideo dicimus, vt pro leui culpa aliquis abscindatur: sed si forte cō-

Contra pastorum nimiam indulgentiā.

Luc.15

Pro leui culpa nemo excommunicandus.

monitus quis & correptus pro delicto semel & iterū ac tertio, nihil emendationis ostenderit, vtamur medici disciplina. Si oleo perunximus, si emplastris mitigauimus, si malagmate molliuimus, nec tamen cedit medicamentis tumoris duritia, solum superest remedium desecandi. Sic enim dominus dicit: Si dextera manus scandalizauerit te, abscinde eam, & proiice abs te. Nunquídnam manus corporis nostri aliquādo scandalizat nos? an de hac manu corporis Euangelium dicit: Abscinde eam & proiice abs te? Hoc est quod dicit, vt ego qui videor tibi manus esse dextera, & presbyter nominor,& verbum dei videor prædicare, si aliquid contra ecclesiasticam disciplinam, & Euangelij regulam gessero, ita vt scandalum tibi ecclesiæ faciam, in vno consensu ecclesia vniuersa conspirans excidat me dexteram suam, & proiiciat à se. Expedit enim tibi ecclesiæ absque me manu tua, quæ male agendo scandalum feci, introire in regnum cœlorum, quàm mecum ire in gehennam. Hæc idcirco diximus, quia videmus in scripturis sanctis referri, quod propter vnum peccantem anathema facti sunt filij Israel, ita vt vincerentur ab hostibus. Sed videamus & ipsum peccatum eius quale sit: [Furatus est (inquit) linguam auream, & posuit eā in tabernaculo suo.] Non puto in illo furto parui auri tantam vim fuisse peccati, vt tam numerosam domini ecclesiam macularet. Sed videamus ne forte interioris intelligentiæ sit tanta & tā grauis acerbitas ista peccati: Multus decor est in verbis, & multa in philosophorum vel rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hiericho, id est, huius mundi homines. Si ergo inuenias apud philosophos peruersa dogmata luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est lingua aurea. Sed vide ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo: memento, quia Iesus anathema iussit esse omne aurum quod in Hiericho fuerit inuentum. Si poetam legeris modulatis versibus,& præfulgido carmine deos deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est: si eam sustuleris & posueris in tabernaculo tuo: si introduxeris in cor tuum ea quæ ab illis asserūtur, pollues omnem ecclesiam domini. Hoc fecit infelix Valentinus & Basilides, hoc fecit & Marcion hæretici, furati sunt isti linguas aureas de Hiericho,& philosophorum nobis non rectas in ecclesias introducere conati sunt sectas,& poluere omnem ecclesiam domini. Sed nos præcedēs patrum sequamur exemplum, discutiamus diligentius ne quis absconditam in tabernaculo suo habeat Hierichonitam linguam, & abiiciamus malum ex nobis ipsis, quia etiam si nos cessamus, arguet deus, ita vt ipse sponte confiteatur & dicat: [Furatus sum linguam auream, & dextralia pura. Vides cuiusmodi furatus est furtum? linguam furatur & dextralia pura. Pura autem dextralia sunt opera in quibus diuinum nihil miscetur, sed totum secundum hominem geritur. Denique & nostris in disputationibus moris est dicere, quia Christum non purum hominem dicimus, sed deum & hominem confitemur. Illud autem quod de Hiericho furatur, purum esse dicitur, id est, sine deo, quæ vtique furanti extitit causa peccati. Et ideo nos nihil purum & humanum de Christo sentiamus, sed deum pariter atque hominem fateamur, quia & sapientia dei multiplex dicitur, vti per hæc mereamur participium sumere sapientiæ dei, qui est Christus Iesus dominus noster, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

D

Matth.5

E

F

De iis quæ in euersione Hay gesta sunt, & de ligno gemino, & de rege eius, vel quomodo eam incendio dederit Iesus, vt non habitetur in æternum. Cap. VIII.

Homilia VIII.

DEPRECAMVR vos ô auditores sacrorum voluminum, non cum tædio, vel fastidio ea quę legūtur audire, pro eo quod minus delectabilis eorum videtur esse narratio. Scire etenim debetis digna quidem esse sancti spiritus eloquio quæ leguntur: sed ad explanāda ea indigemus gratia spiritus sancti, illa quā dicit Apostolus: Alij autem per spiritum datur sermo sapiētię,

1.Cor.12

G alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum. Ista igitur etiam nos in locis præsentibus indigemus, in quibus refertur quod Iesus successit Moseo, & ipse populum ducit: & adumbratur in præsenti lectione talis quædam historia. Qui habitabant Hay ciuitatem, primum quidem visi sunt vincere & vertere filios Israel propter peccatum quod admiserant. Postea verò quam ablatum est malum de medio ipsorum, iubetur à Deo dux populi Iesus in duas partes diuidere populum, vt pars simulet fugam, pars autem subsistat in insidiis quibus decipiatur Hay cum præceperit Iesus. Quibus ita dispositis, rex Hay videns Iesum & filios Israel eminus, concitatur aduersum eos in prælium. Illis verò simulantibus fugam, isti acrius insectantur, & velut spolia ducturi de hostibus, omnes simul ex vrbe procedunt, ita vt (sicut Scriptura dicit) relinquerent vacuam ciuitatem. Sed posteaquam in constitutum progressi sunt locum, conuersus Iesus signum dedit, vt exurgerēt qui in insidiis erant, & dorsa hostium cæderent: & ita illi nouissimi, & isti primi medios hostes conclusos interimunt vniuersos. Et hoc modo victis iis qui habitabant Hay, regem ipsorum suspenderunt in ligno gemino. His auditis verisimile est auditores dicere, quo mihi hæc? quid mihi confert si cognoscam quod victi sunt ij qui habitabant Hay, quasi non similia, aut etiam potentiora bella, vel gesta sint, vel geruntur? H Hæc fuit cura spiritus sancti, vt relictis tot & tantarum nobilium excidiis vrbium, prælium ciuitatis Hay inscriptum sacris voluminibus mandaretur? Temerarium fortasse sit quod facimus, tam ardua, & tam difficilia scripturæ sanctæ loca explanare conantes: sed si nos orationibus vestris iuuetis, non solum culpam effugiemus audaciæ, verum & deuotionem nostram amplexus Pater verbi Deus dabit verbum in adapertione oris nostri, quò & vos ædificemini, & nos non indeuoti pareamus. Orantes ergo, & intentis animis audite. Primo propter peccata victi sumus, & ij qui habitabant Hay, quamplurimos ex nobis interfecerunt. Hay interpretatur Chaos. Chaos autem locum vel habitaculum esse nouimus contrariarum virtutum, quarum rex & princeps diabolus est. Aduersus hunc veniēs Iesus, in duas partes diuidit populum, & alios quidem in primis statuit, alios in posterioribus, qui ex insperato post terga veniant inimicorum. Et vide si non prima pars populi illa de qua dicit: Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Et de qua dicit Apostolus. Gratia autem & pax omni homini operanti bonum: Iudæo primum, tunc etiam & Græco, id est, gentili posteriori. Iste ergo populus est qui in primis statuitur, & quasi fugiens cum Iesu. Posterior verò populus est, qui ex gentibus congregatur: quique ex insperato venientes (quis enim speraret gentes saluari) acrius post tergum aduersarios cædunt: & sic vterque populus mediam turmam dæmonum conclusam sternit & vin-I cit. Sed fortasse dicas mihi, quomodo ergo quasi fugiens ponitur populus prior? Valde consequenter. Fugere etenim visi sunt, qui sequuntur Iesum, à legalibus oneribus & præceptis, ab obseruatione sabbati, à circuncisione carnis, à iugulatione hostiarum. Sed iterum non fugit qui sequutus est Christum, perfectionem & plenitudinem legis. Post omnia autem, etiam rex Hay in ligno gemino dicitur esse suspensus. Hoc in loco mysterium tegitur quamplurimos latens: sed orantibus vobis tentabimus hæc, non nostris opinionibus, sed diuinæ scripturæ testimoniis aperire. In superioribus diximus regem Hay diabolo posse conferri, hic quomodo in ligno gemino crucifixus sit, operæprecium est noscere. Crux Domini nostri Iesu Christi gemina fuit. Mirus tibi sermo fortasse & nouus videtur, quod dico crux gemina fuit: hoc est, gemina ratione constat & duplici. Quod visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter verò in ea cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Audi ergo de iis quid ipse pronunciat: Quod erat, inquit, contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci suæ, exuens principatus & potestates traduxit, libere triumphans eas in ligno crucis: licet in aliis exemplaribus habeatur triumphans in semetipso, sed apud Græcos habetur in ligno. Ergo duplex ratio dominicæ crucis: Vna illa qua dicit Apostolus Petrus, quod Christus

Hay, chaos. *Matt. 15.* *Rom. 2.* *Col. 2.* *Hæc sunt interpretis.*

crucifixus, nobis reliquit exemplum: & hæc secūda, qua crux K illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est & triumphatus. Ideo denique & Apostolus Paulus dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides quia & hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa, se sanctum & peccatorem mundum, ad illam formam sine dubio quam superius diximus Christi & diaboli. Nos enim mundo crucifigimur, tunc quum veniens princeps huius mundi, in nobis non inuenit quicquam. Et nobis mundus crucifigitur, quum peccati concupiscentias non recepimus. Sed si quis forte est attentior auditorum, potest dicere: Forma quidem rerum gestarum videtur esse conueniens, sed adhuc illud me mouet, quod diabolus & exercitus suus quantum ad historiæ figuram ostenditur, interemptus est: & quomodo videmus adhuc & diabolum, & contrarias potestates intantum valere aduersum seruos Dei, vt etiam Apostolus Petrus cum ingenti cautela præmoneat, & dicat obseruandum esse, quia aduersarius noster diabolus, sicut leo rugiens circuit, quærens quem transuoret. Videamus ergo si & in hoc dignum aliquid sancti spiritus eloquiis possimus inuenire. Aduentus Christi vnus quidem in humilitate completus est, alius verò speratur in gloria: & hic primus aduentus in carne, mystico quodam sermone in scripturis sanctis vmbra eius appellatur, sicut & Hieremias propheta denunciat, dicens: Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui nos diximus, in vmbra eius viuimus in gentibus. Sed & Gabriel quum euangelizaret Mariam, de natiuitate eius dicit: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Propter quod intelligimus, quàmplurima primo hoc aduentu eius adumbrari, quorum adimpletio atque perfectio in secundo consummabitur aduentu. Et Apostolus Paulus dicit, quia resuscitauit nos cum eo, simúlque sedere fecit in cœlestibus. Et vtique nondum videmus credentes, aut resuscitatos esse iam aut in cœlestibus consedisse: sed adumbrata sunt quidem hæc nunc per fidem, quia mente & spe à terrenis & mortuis operibus eleuamur, & quotidie cor nostrum erigimus ad cœlestia & æterna: implebitur autem hoc in secundo eius aduentu, vt ea quæ nunc fide & spe præsumpsimus, tunc etiam rerum effectu corporaliter teneamus. Ita ergo & de diabolo intelligendum est, quòd victus quidem & crucifixus est, sed iis qui cum Christo crucifixi sunt, omnibus autem credentibus, & vniuersis pariter populis tunc erit crucifixus, cum cōplebitur illud quod dicit Apostolus: quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Est in hoc etiam resurrectionis futuræ mysterium. Nam & tunc diuidetur populus in duas partes, erunt & tunc quidam primi, M & alij postremi, quicunque ad Iesum in vnum conspirauerint. Iam tunc vltra omnino non erit diabolus, quia iam non erit mors. Vis tibi etiam hæc de diuinis testimoniis comprobemus? Audi Apostolum dicentem: Hoc enim dicimus vobis in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui reliqui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt, quia ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. De diabolo autem dicens, ait: Nouissimus inimicus destruetur mors. Quia vere tunc vincetur mors, cum mortale hoc absorbebitur à vita. Sed videamus quæ in posterioribus consequuntur. [Et incendit, inquit Iesus, Hay, & effecta est vrbs quæ non habitetur in æternum.] Vides quia hæc quæ consequuntur, magis ad mysterij quàm ad historiæ pertinent veritatem. Non enim tam ille locus terræ inhabitabilis est in æternum, quàm locus dæmonum inhabitabilis erit, tunc cum iam nemo peccabit, neque regnabit in aliquo peccatum, quum diabolus & angeli eius igni tradentur æterno, Domino nostro Iesu Christo sedente rege & iudice, & dicente iis qui priores & posteriores vicerunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Aliis autem dicet: Ite in ignem æternū, quem præparauit Deus Diabolo & angelis eius, donec omni animæ quibus ipse nouit remediis consulat, &

Gal. 6. *Geminatcrucis ratio.* *Cur diabolus dicatur interēptus, cum adhuc valeat in pios.* *1. Pet. 5.* L *Prior aduētus vmbra posterioris.* *Lam. 4.* *Luc. 1.* *Ephe. 2.* *1. Cor. 15.* *1. Thess. 4.* *1. Cor. 15.* *Mat. 25.*

A lat, & omnis Israel saluus fiat. Sed & aliud mihi occurrit in loco consideranti Iesum fugientem à facie exercitus Hay. Quid putas est quod Iesus fugiēs designabat? Videamus ne forte sit aliquid quod fugiendo vincamus, & est aliqua perfecta virtus in fuga. Paulus nos Apostolus docet dicens: Fugite fornicationem. Vides ergo esse quendam spiritum fornicationis quem fugere debemus, quicunque caste & pie in Christo ac pudice volumus permanere. Ista ergo fuga est quę habet salutem, ista fuga virtutis est, ista beatitudinem cōfert. Et non solum fornicationis spiritus fugiendus est, sed simili modo sicut dictum est, fugite fornicationem, audiamus dici ad nos, fugite iram, fugite auaritiam, fugite inuidiam & liuorem, fugite detractiones & maleloquia. quæ tamen nescio si quis effugiat, nescio si quis euadat. Iste talis erat exercitus Hay quem Iesus fugiendum docebat milites suos, & de iis fortasse mandat discipulis suis dicens: Si vos persequuntur in hac ciuitate, fugite in aliam. Vult enim nos fugere ab huiusmodi hostibus, vult nos longe effici ab huiusmodi malis: & si potuerimus interim euadere horum malorum fugienda cōtagia, tunc videntes deuotionem, & propositum mentis nostræ sanctæ quæque virtutes, illæ fortasse de quibus dicit Apostolus: Nónne omnes sunt ministeriales spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatē capiunt salutis? Qui fortasse sint sancti angeli: qui videntes nos insectationem dęmonum pati, insurgunt aduersus eos qui nos insectantur, & omnes eos post tergum cædentes interimunt. Iesus enim est B cum iis qui insectationes patiuntur, magis quàm cum illis qui persequuntur. Et merito: quia delectatur esse Iesus cum iis qui fugiunt superbiam, qui fugiunt dolum, & qui fugiunt mendacium. Si ergo ita intelligamus ea quæ scripta sunt, digna fortasse videbitur lectio stilo spiritus sancti. Nam quid mihi prodest, si sciam quod in gemino ligno rex Hay suspensus est? Si autem sciam duplicem esse virtutem crucis, in qua & Christus in carne suspenditur, & diabolus cum suo exercitu triumphatur, ex intelligentia sacramenti ædificabitur anima mea. Et vt magis fortasse adhuc excelsius amplitudinem mysterij dilatemus, in hoc ligno intelligitur esse scientia boni & mali, in quo & bonus Christus, & diabolus malus pependit: sed malus quidem vt interiret, bonus verò vt viueret ex virtute: sicut & Apostolus dicit de Christo, quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute dei. Imò nō solum vt viuat, sed vt viuificet, quia ipse est nouissimus Adam in spiritu viuificante. Sed hæc tropice dici intelligenda sunt. Christus enim ipse dicitur arbor vitæ. Sed sicut in aliis ipse esse ostenditur & sacerdos, & hostia & altare, & non ex altera intelligentia impeditur altera, sed tropice de ipso in suis locis vnumquodque sentitur: ita etiam nunc in figuris sacramentorum non impediet de vno atque eodem sumpta diuersitas personarum. Sed videamus quid etiam in conseC quētibus scribitur: [Et percusserunt, inquit, eos in ore gladij, vsquequo non relinqueretur ex eis qui saluus fieret, neque qui effugeret.] Hæc cum legunt Iudæi, crudeles efficiuntur, & humanum sanguinem sitientes, putantes quia & sancti ita percusserunt eos qui habitabant Hay, vt non relinqueretur ab iis qui saluus fieret, neque qui effugeret: non intelligentes in iis verbis adumbrari mysteria, & hoc nobis magis indicari, quod ex iis quorum chaos est habitaculum, & qui regnarunt in abysso dæmonibus, nullum penitus relinquere debemus, sed omnes interimere. Interimimus autem dæmones, non ipsam eorum substantiam perimentes: sed quia opus eorum ac studium hoc est, vt peccare homines faciant, & hæc est illorum vita si nos peccemus, sine dubio interitus eorum est si non peccemus. Interficiunt ergo habitatores Hay sancti quique, & perimunt, & non dimittunt ex eis vllum: si sine dubio qui cum omni diligentia seruant suum cor, ne de eo cogitationes malæ procedant: sed & qui obseruant os suum, vt omnis sermo malus non procedat ex ore eorum, hoc est non relinquere vllum qui effugiat, cum eos nec sermo effugit malus. Agite ergo & vos, præparemus nos ad huiusmodi prælia, percutiamus Hay in ore gladij, & extinguamus omnes habitantes chaos, omnes contrarias virtutes. Vtinam & ego modo dum loquor ad vos verbum dei, cor peccatoris pulsare possim. Quod si fecero, certum est quod gladio oris mei percutiam fornicationem, percutiam malitiam, reprimam furorem, & si qua alia sunt mala in ore gladij, D id est, oris mei sermone restinguam, & non relinquam ex eis qui saluus fiat, neque qui effugiat. Si enim omnes hos hostes nostros extinxerimus, tunc vere diem festum celebrabimus deo, & deuictis aduersariis læta solennitate gaudebimus. Tale aliquid mihi videtur etiam à sancto propheta in psalmis designari, vbi dicit de se: quia in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperdam de ciuitate domini omnes qui operantur iniquitatem. Siue enim ciuitas domini ecclesia dei viuentis accipitur, eiiciunt doctores de ecclesia, & interficiunt eos qui operantur iniquitatem, contrarios dæmones aduersariásque virtutes qui cogunt homines ad peccatum, docendo, instituendo, & occultata in diuinis literis ex locis talibus in qualibus nunc sumus, mysteria reserando: Siue ciuitatem domini vniuscuiusque nostrum animā intelligamus, quæ ædificatur à domino ex lapidibus viuis, id est, ex virtutibus variis & diuersis: de ipsa quoque ciuitate sanctus quisque & diligens eiicit peccatores: id est, cogitationes pessimas, & cupiditates prauas interficiet in matutino. Iustus enim dicit: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Quod est istud matutinum, nisi dominus noster Iesus Christus, qui est lux vera, & exoriens in cordibus nostris, atque illuminans ignorantiæ nostræ tenebras, & huiusmodi nobis mysteria reuelans, facit nos in lumine suo lumē videre? Si quādo ergo legis in scripturis sanctis iustorum pugnas, cædes ac strages intereptorū, & quia sancti nulli penitus hostiū parcūt, quinimmo & si pepercerint, reputari eis E in peccatum, sicut reputatum est Sauli, qui viuum reseruauerat Agag regem Amalech, hoc modo quo suprà exposuimus, intellige bella iustorum, quia hæc bella ab eis aduersum peccatum geruntur. Quomodo autem manebunt iusti, si vel parum aliquid peccati in semetipsis reseruauerint? Et ideo dicitur de eis, quia non reliquerunt nec vnum qui saluus fieret, ne effugeret. Fortasse non mihi credes, quod aduersum peccatum nobis iniungitur pugna: Paulo crede dicenti: Nondū vsque ad sanguinem restitistis aduersum peccatum. Vides tibi aduersum peccatum pugnam proponi, & vsque ad sanguinis profusionem istud tibi prælium consummandum? Aut non euidenter hæc indicat scriptura diuina, & in iis in quibus moris est ei dicere, sanctificate bellum, & expugnabitis pugnam domini? Quid enim aliud est sanctificare bellū, nisi interemptis omnibus animæ nostræ hostibus, qui sunt vitia peccatorum, & mortificatis membris quæ sunt super terram atque omnibus malis cupiditatibus amputatis, effici sanctum corpore & spiritu, & fortiter facientem venire ad conspectū dei viuentis, & pro palma victoriæ virtutis merito coronari à Christo Iesu domino nostro? Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

F

1.Cor.6 | Mat.10. | Heb.1 | Duplex virtus crucis. | 2.Cor.13 | 1.Cor.15 | Gen.2 | Psal.101 | Ciuitas domini ecclesia, & cuiusque anima. | Psal.63 | 1.Reg.15 | Heb.12

De altari quod ædificauit Iesus. Vbi scripsit in lapidibus altaris Deuteronomium. Et quomodo relegit Iesus Deuteronomium in auribus totius populi stantis in Garizin & Gebal: vbi conuenerunt reges Amorræorum aduersum Iesum. Cap. VIII. IX.

Homilia IX.

POSTEAQVAM subuertit Iesus Hay, id est, Chaos, & omnes habitatores eius exemit, oportebat eum dignum aliquod tali tātáque victoria excelso omnium munus offerre. Quid ergo istud est quod agit post victoriam, videamus: Ædificauit, inquit, Iesus altare domino deo Israel in monte Gebal, & fecit illud sicut præcepit Moyses famulus domini filiis Israel.] Scriptum est autem in lege Mosei, altare fieri ex lapidibus integris, in quibus non est iniectum ferrum. Et posteaquā fecit altare Iesus, imposuit ibi holocausta domino, & immolauit sacrificiū salutaris, & post sacrificium scripsit in lapidibus Iesus Deuteronomium, legem Moysi, & scripsit eam coram filiis Israel: & omnes seniores Israel, & iudices, & scribæ eorum præcedebant hinc & illinc arcam testamenti domini. Videamus ergo quid in his omnibus indicatur, & quid præsens lectio nobis ædificationis adquirat. Omnes qui in Iesum

G Christum credimus,lapides viui esse dicimur,secúdum quod Scriptura pronunciat,dicens:Vos autem estis lapides viui,ædificati domus spiritalis in sacerdotio sancto, vt offeratis spiritales hostias,acceptabiles Deo per Iesum Christum. Sicut autem in istis terrenis lapidibus obseruari nouimus,vt hi quidem lapides qui validiores sunt & potentiores,primi in fundamenta iaciantur,vt ipsis credi & superponi possit totius ædificij pondus: alij verò qui sequentes sunt, id est,paulo illis inferiores, proximi illis qui in fundamento sunt, ordinentur: qui verò plus inferiores sunt, paulo superius à fundamentis: tum deinde in comparatione lapidum qui infirmiores sunt, in superioribus, & prope ipsa iam tecti fastigia collocentur: ita nunc intellige etiá de lapidibus viuis esse aliquos in fundamẽtis huius spiritalis ædificij. Qui autem sunt isti qui in fundamentis collocantur? Apostoli & Prophetæ. Sic enim dicit Paulus,hæc ipsa docens: Ædificati, inquit, supra fundamentum Apostolorum & Prophetarũ,ipso angulari lapide Christo Iesu Domino nostro. Vt autem promptiorem te præpares,ô auditor, ad huius ædificij constructionem, vt lapis aliquis inueniaris vicinior fundamento,disce quia & ipse Christus huius quod nunc descripsimus, ædificij fundamentum est.Sic enim dicit Apostolus: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est,qui est Christus Iesus.Beati ergo qui supra illud tam nobile fundamen-

1.Pet.2.

In fundamẽtis spiritalis ædificij Apostoli & Prophetæ.

Ephe.2.

Christus fundamẽtũ

1.Cor.3.

H tum ædificia religiosa & sancta construxerint. Sed in hoc ædificio Ecclesiæ oportet esse & altare. Vnde ego arbitror, quod quicunque ex vobis lapidibus viuis apti sunt in hoc & prompti,vt orationibus vacent,& vt die noctúque obsecrationes offerant Deo, & supplicationum victimas immolent, ipsi sunt ex quibus Iesus ædificat altare. Sed intuere quid laudis ipsis lapidibus altaris adscribitur. [Sicut dixit,inquit,legislator Moyses, ædificari altare ex lapidibus integris quibus ferrum non est iniectũ.] Qui putas sunt isti integri lapides? Nouit vniuscuiusque conscientia quis sit integer, quis sit incorruptus, impollutus, immaculatus in carne & in spiritu: quis sit ille cui ferrum iniectum non est,id est, qui iacula maligni ignita concupiscentię non recepit,sed scuto ea fidei extinxit & repulit: vel quis est ille, qui ferrum pugnæ, ferrum belli,ferrum litium nunquam recepit: sed semper pacificus fuit,semper quietus & mitis,& Christi humilitati conformatus.Isti sunt ergo lapides viui, ex quibus Iesus Dominus noster altare construxit ex lapidibus integris, quibus ferrum non est iniectum, vt offerat super eos holocausta, & sacrificium salutis.Ego puto quod forte isti tales lapides integri & incontaminati, sancti Apostoli esse possint,omnes simul altare vnum facientes propter vnanimitatem atque cócordiam. Sic enim referuntur omnes simul vnanimiter orantes, & aperientes os suum dixisse:Tu Domine qui corda omnium nosti.Isti ergo qui poterant vnanimes,vna voce,atque vno spi-

Act.1.

I ritu orare, ipsi fortasse digni sunt qui debeant omnes simul vnum altare construere, super quod Iesus sacrificium offerat patri.Tamen & nos tentemus dare operam, vt eadem dicamus omnes vnanimiter vnum sentientes:nihil per contentionem,neque per inanem gloriam gerentes,sed in vno sensu,atque in eadem sententia permanentes, si forte possimus etiam nos apti effici lapides ad altare. Non enim deserit nos Iesus Dominus noster: sed quamuis nos vacantes orationi, quid oremus secundum quod oportet nesciamus,ipse tamen spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Dominus autem spiritus est. Si ergo orationes nostras spiritus adiuuet, & offerat eas patri omnium Deo gemitibus quibus nos explicare non possumus, certum est quia & altaris constructionem sollicite requirat à nobis. Sed nondum plenus altaris ornatus est, etiam si ex integris lapidibus construatur, etiam si ferrum eis & iaculum maligni non inueniatur iniectum,sed adhuc deest aliquid, & adhuc est quod his omnibus adijciat Iesus.Quid illud est? [Scripsit, inquit,Iesus super lapides altaris Deuteronomium legem Mosei, & scripsit eam in conspectu filiorum Israel.] Scripserit quomodo potuerit tunc filius Naue super lapides altaris legem describere,& prout valuit adumbrauerit typos,nos interim videamus quomodo noster Iesus in lapidibus viuis & integris scripsit Deuteronomium,[quod quasi secunda legislatio dicitur.

Rom.8.

Si ergo vis videre quomodo prima lege infirmata secundá legem scribat Iesus,audi eum in Euangeliis,dicentem: Dictum est antiquis,Non occides.Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo,homicida est.Et iterum: Dictũ est antiquis,Non mœchaberis.Ego autẽ dico vobis,si quis aspexerit mulierem ad concupiscẽdam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.Et dictum est antiquis,Non periurabis.Ego autem dico vobis:Nolite iurare omnino.Vides Deuteronomiũ quod scripsit Iesus in lapidibus viuis & integris,non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus,non atramẽto,sed spiritu Dei viui. Si autem vis euidentius noscere, in quibus cordibus Iesus scripserit legem, & in quibus non scripserit, etiam hoc tibi ex scripturarum autoritate patefaciam,vt consolationem capias tu qui ex gentibus vocatus es,nec verearis eorum iactantiam, qui legem Mosei tabulis vel chartulis scriptam,se accepisse gloriantur. Audi ergo in quorum cordibus Dominus Iesus scripserit legem.Paulus dicit:Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciũt, huiusmodi non habentes legem,ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia. Si ergo videas gentes ad Iesum venire & credere ei,& opus legis implere, quod illi qui legem acceperant,implere non possunt, non dubites de eis dicere, quia Iesus in istis lapidibus integris Deuteronomium scripsit.Mo

K

Mat.5.

Rom.2.

L uet me sanè,quod addidit in consequentibus Scriptura. [Et scripsit, inquit Iesus, super lapides Deuteronomium coram filiis Israel.] Quomodo potuerit tam magnum librum, vel adsistentibus & permanentibus ibi filiis Israel describere,ita vt non discederent vsquequo scriptura tot versuum finiretur: vel etiam quomodo potuerint lapides altaris ferre tam magni libri continentiam: dicant mihi isti adsertores literæ Iudæi,qui spiritum legis ignorant: quomodo in hoc historiæ veritas demonstratur?Sed apud illos vsque in hodiernũ diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Nobis verò cõuersis ad Dominum Iesum,aufertur velamen. Quia vbi spiritus Domini,ibi libertas intelligẽtiæ.Noster ergo Iesus Dominus, non indiget multo tempore vt Deuteronomium scribat, vt secundam legem in cordibus credẽtium figat,atque in eorum mentibus qui ad altaris constructionem digni sunt eligi,legem spiritus signet. Statim namque vt quis crediderit Iesu Christo, & lex Euangelij in eius corde descripta est,& in conspectu filiorũ Israel descripta. Aderant enim tunc cum tibi sacramentum fidei tradebatur cœlestes virtutes,ministeria angelorum,ecclesia primitiuorum.Si enim recte intelligamus Israelem dici mentem Deum videntem, rectissime hoc de ministris angelis magis dicitur: secúdum Domini sententiam, dicentis de infantibus, quod & tu fuisti infans in baptismo,quia angeli eorum semper vidẽt faciem Patris mei qui in cœlis est. Coram istis igitur filiis Israel, quia-

2.Cor.3.

Matt.18.

M derant illo in tempore, cum tibi fidei sacramenta tradebantur,vidẽtibus faciem Dei, Iesus in corde tuo Deuteronomiũ scripsit. Vis tibi adhuc euidẽtius hęc de scripturis sanctis probemus,quia coram filiis Israel legem secundam scribat Iesus? Apostolus ad Hebręos manifeste designat,dicens:Non enim accessistis ad sonum tubæ,& ad montem ardentem,sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem,& ecclesiam primitiuorum adscriptam in cœlis,& multitudinem angelorum collaudantium Deum. Vides ergo quia coram iis omnibus, qui ex eo quod semper Deum vident,& merito filij Israel appellantur, Iesus legem suam in cordibus credentium scribit? Sed & nunc per hæc quæ loquimur, Iesus Deuteronomium scribit in eorum cordibus qui integra fide, & toto animo quæ dicuntur accipiunt, qui integro auditu,atque integro corde, & non corrupto sensu, ac reprobo circa fidem, audiunt & retinent quæ dicuntur, quia necesse est Deuteronomium in integris lapidibus scribi.Post hæc dicit: [Et omnis,inquit,Israel & presbyteri & iudices, & scribæ præcedebant hinc & illinc arcam testamenti Domini.] Arca testamẽti Domini est, in qua tabulæ legis manu Dei scriptæ seruantur.Et circa hanc arcam testamẽti, omnis qui vere Israel est,incedit,& non est longe ab ea. Leuitæ verò & sacerdotes etiam in humeris suis eam portãt. Etenim quicunque sacerdotali religione & sanctitate viuunt,non solum

Heb.12.

A lum ij qui sedere videntur in consessu sacerdotali, sed ij magis qui sacerdotaliter agunt, quorum pars est Dominus, nec vlla eis portio habetur in terris: ipsi sunt vere sacerdotes & Leuitæ Domini, qui in humeris suis legē Dei portant, agendo videlicet, & implendo per opus ea quæ scripta sunt in lege. [Sed & proselytus, inquit, & indigena simul, & erunt dimidij iuxta montem Garizin, & dimidij iuxta montem Gebal.] Quomodo etiam ista explicabimus? Vere adiutorio Dei opus est, vt possimus verbis nostris verba diuina disserere, & explanare qui sunt dimidij qui incedebant iuxta montem Garizin, & qui sunt dimidij qui licet & ipsi saluentur, non tamen potuerunt iuxta montem Garizin incedere, sed incedunt iuxta mōtem Gebal. Mons Garizin benedictiones habet, mons autem Gebal maledictiones, quæ peccatoribus imminent. Statuerunt etenim (sicut scriptum est in Deuteronomio) sex tribus ad benedicendum in monte Garizin, & ipsas tribus quæ nobiliores sunt & eximiæ, id est, Simeon, Leui, Iuda, Isachar, Ioseph & Bēiamin. Alias verò sex ignobiliores ad maledicendum: in quibus & Ruben, qui ascendit cubile patris, & thorum maculauit paternum, & Zabulon, qui est vltimus filius. Hæc quidem veterum historiæ referunt gesta, sed quomodo nos hanc historiæ narrationem ad mysticam intelligentiam referemus, vt ostendamus qui sint isti qui incedūt iuxta montem Garizin, & qui sint isti qui incedunt iuxta montem Gebal? Ego sic video, duas esse species eorum, qui per fidem B festinant & properant ad salutem. Vnam eorum qui promissionum cœlestium cupiditate succensi, summo studio diligentiáque nituntur, ne vna saltem minima eos beatitudo prętereat, habentes desiderium non solum benedictionis capiendæ, & effici in parte sortis sanctorum, sed etiam adsistere in conspectu Dei, & semper esse cum Domino. Alij verò sunt, qui & ipsi tendunt ad salutem, sed non tam amore benedictionum vel promissionum ipsarum, quàm hoc magis habentes in prospectu, & dicentes, Sufficit mihi non ire in gehennam, sufficit mihi non mitti in ignem æternum, sufficit non expelli in tenebras exteriores. Cum ergo in singulis quibusque fidelium talis sit propositi varietas, hoc mihi designari videtur in hoc loco, quod dimidij illi qui iuxta montem Garizin incedunt, illum qui ad benedictiones electus est, istos singulariter indicent, qui non metu pœnæ, sed benedictionū & repromissionum desiderio veniunt ad salutem. Illi verò dimidij, qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ sunt, istos alios indicent, qui malorum metu & suppliciorum timore complentes quæ in lege scripta sunt, perueniunt ad salutem. Hic iam Dei solius est nosse ex omnibus nobis filiis Israel, quis est qui boni ipsius desiderio succensus facit quod bonum est, quísue nostrum metu gehēnæ, & æterni ignis terrore tendit ad bonum, & studet ac festinat C implere quæ scripta sunt. Certum est enim nobiliores esse illos, qui boni ipsius desiderio & benedictionum amore, quod bonum est agunt, quàm illos qui pro mali metu bonū sectantur. Solus ergo Iesus est, qui potest ex omni populo huiuscemodi mentes animósque discernere, & alios quidem statuere in mōtem Garizin ad benedictiones, alios verò statuere in montem Gebal ad maledictiones, non vt maledictiones accipiant, sed vt intuentes præscriptas maledictiones, & pœnas peccatoribus constitutas, incurrere caueant eas. Post hæc refertur quia legit Iesus omnia verba legis, id est, benedictiones & maledictiones, secundum omnia quę scripta sunt in libro legis, nec fuit vllum verbum ex omnibus quæ mandauit Moyses, quod non legerit Iesus, coram omni ecclesia filiorum Israel. Facilis quidem est explanatio historiæ, quomodo filius Naue legerit omnia verba quæ scripsit Moyses, coram omni ecclesia filiorū Israel: noster verò Dominus Iesus, quomodo hoc populo suo faciat, ostendere non mihi videtur otiosum. Et ego quidem arbitror, quod siquādo nobis legitur Moyses, & per gratiam Domini velamen literæ amouetur, & incipimus intelligere, quia lex spiritalis est, & quia (verbi causa) dicens lex, Non infrenabis os boui trituranti, non de bobus hæc, sed de Apostolis dixerit: & rursum cum in lege dicitur, quia Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, ego in iis intelligo esse duo testamēta, & duos populos: istam nobis legem quæ sic intelligitur, (quam spiritalem nominat Paulus) Iesus Dominus legit, & ipse est qui D hæc in auribus totius populi recitat, præcipiens nobis ne sequamur occidentem literam, sed teneamus spiritum viuificantem. Legit ergo nobis Iesus legem, cum nobis legis reuelat arcana. Non enim nos qui de ecclesia catholica sumus, spernimus legem Mosei, sed suscipimus eam, si tamen Iesus eam nobis legerit. Sic enim recte poterimus intelligere legem, si eam nobis legat Iesus, vt ipso legente, nos sensum eius & intelligentiam capiamus. Aut non est putandum quod inde conceperat sensum ille, qui dicebat: Nos autem sensum Christi habemus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur? Et illi qui dicebant: Nónne ardens erat in nobis cor nostrum, cum nobis aperiret scripturas in via? quando incipiens à lege Moysi vsque ad prophetas legit eis omnia, & reuelauit quæ de ipso scripta sunt. Mira tamen figura sermonis ostenditur in iis quæ scripta sunt, cum dicit: Non erat sermo ex omnibus quę mandauit Moyses, quem non legerit Iesus in auribus totius ecclesiæ Israel. Et primo legisse in auribus, videamus quid dicit. Vereor ne forte aliquos auditorum sermo noster offendat: sed tamen dicēdum est quod scriptum docemus, quia sermo hic arguit nos, quod non omnes qui audimus legem, de ecclesia sumus filiorum Israel: sed non continuo si est aliqua differentia inter auditores legis, & ecclesiam filiorum Israel, auditor excluditur à salute. Attendite ergo diligentius verbis scripturæ, dicentis: [Non erat vllum verbum ex omnibus quæ mandauit Moyses, quod non legerit Iesus in auribus totius ecclesię filiorum Israel.] Et addit etiam mulieribus & infantibus, & proselytis: Nouit Dominus noster Iesus esse alias aures præter istas carnales, quas ad audientiam verborum suorum, & ad audientiam legis inquirit. Vnde & in Euangelio, posteaquam de singulis quæ oportebat edocuit, addit, & dicit: Qui habet aures audiendi audiat. Quod vtique si de auribus dixisset carnalibus, superfluum videretur. Nemo enim non habens aures ad verba eius audienda conuenerat. Sed quoniam sciebat in auribus interioris hominis, id est, intellectu cordis, recipi debere quæ dicta sunt: quia nihil prodest audire sermonem, si non retineatur & seruetur in corde: idcirco aures ab auditoribus exposcebat. Hoc ergo etiam nunc, vel cum scripturæ in ecclesia leguntur, vel cum sermo explanationis profertur ad populum, scripturæ auctoritatem sequentes dicimus, videte ne legantur quidem ab Iesu verba legis, sed quamplurimis non legantur: quia Iesus illis legit legem, qui aures habuerint audiendi. Sed & quod adiunxit ad ecclesiam Domini etiam mulieres, & infantes, & proselytos, si quidem separatim intelligamus mulieres & infantes & proselytos, & eos velut sequelam quandam esse sentiamus ecclesiæ, quoniam in domo magna non sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: dicimus viris quidem fortibus fortem traditum cibum, illis videlicet, de quibus Apostolus dicit: Perfectorum autem est solidus cibus, ex quibus ipse sibi præparat ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid horum: eos verò quos in mulierum, vel infantum, vel proselytorum appellatione secernit, intelligimus illos esse, qui adhuc lacte indigent, aut etiam velut infirmi, vt sunt mulieres, holeribus vescuntur. Si verò simul omnis accipiatur ecclesia, viri quidem intelliguntur illi, qui in omnibus perfecti stare norunt armati aduersus astutias diaboli: mulieres verò illi, qui nondum ex semetipsis quæ vtilia sunt gerunt, sed imitando meliores, & eorum exempla sectando. Ex quibus & caput habere dicuntur: Caput enim mulieris, vir. Infantes verò erunt, qui fide nuper suscepti, lacte euangelico nutriuntur. Proselyti autem cathecumeni videbuntur, vel ij qui iam sociari fidelibus student. De quibus singulis similia etiā Ioannes sentiens in Epistola sua scribit, & singulis quibusque ætatibus, propria quæque gesta decernit. Veruntamen Iesu nobis recitante legem, & reuelante cordibus nostris intelligentiam spiritalem, neque proselyti: id est, cathecumeni, diutius cathecumeni maneatis, sed festinate ad percipiendam gratiam Dei, vt & vos in ecclesia filiorum Israel annumeremini: & vos infantes nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem estote perfecti, sicut & Apostolus ad Hebræos dicit, relinquentes principiorum Chri-

Marginalia: *Duo genera eorum, qui ad salutem properant.* — 1.Cor.9. — Gal.4. — *Ecclesia legem Moysi suscipit.* — 1.Cor.2. — Luc.24. — Ios.11. — E — Mat.13. — F — Heb.5. — 1.Cor.3. — 1.Cor.11. — *Cathecumeni.* — *Apostrophe ad Cathecumenos & cæteros qui concioni intererāt.* — 1.Cor.14. — Heb.6.

G stisermonem,ad perfectionem feramur. Sed & vos,qui sub mulierum appellatione infirmi & remissi & languidi estis, commonemini,vt remissas manus, & dissoluta genua erigatis,id est,negligentes & desides animos suscitetis, & virilem constantiam in explendis præceptis legalibus & euangelicis assumatis, atque ad virorum fortium perfectionem celeriter properetis. Non enim nouit scriptura diuina secundum sexum separationem virorum ac mulierum facere. Etenim apud deum sexus nulla discretio est, sed pro animi diuersitate vel vir,vel mulier designatur. Quantæ ex mulierum sexu apud deum in viris fortibus numerantur? & quanti ex viris inter remissas & languidas mulieres reputantur? An non tibi videtur inter mulieres existimandus ille vir, qui dicit: non possum obseruare quæ scripta sunt, vendere quæ habeo & dare pauperibus non possum, percutienti maxillam præbere alteram non possum,maledicentem benedicere non possum, blasphematus deprecari non possum,persecutionem pati & sustinere non possum: cætera similia quæ mandantur qui dicit implere non possum,quid tibi videtur aliud,quàm mulieres,quæ nihil virile possunt,esse numerandus? Sed videamus quid post hæc scriptum est. [Et audierunt, inquit, omnes reges Amorræorum,& qui trans Iordanem, & qui in montanis,& qui in campis,& qui super ora maris magni, & qui erant in Antilibano, & Cethæi,& Amorræi & Chananæi & Pherezæi & Euæi & Gergezæi & Iebusæi, & conuenerunt in vnũ,vt expugnarent Iesum & Israel simul.] Historia rerũ gestarum manifesta est,nec explanatione indiget quod euiden-
H ter expletum est: ex iis tamen que gesta sunt visibilibus, nostri domini Iesu saluatoris bella ac triumphos quos egerit, contemplemur,quamuis etiam in ipso hæc visibiliter cernamus expleta. Conuenerunt enim reges terræ. Senatus populusque & principes Romani,vt expugnarent nomen Iesu,& Israel simul. Decreuerunt enim legibus suis, vt non sint Christiani. Omnis ciuitas, omnis ordo Christianorum nomen impugnat. Sed sicut tunc omnes illi reges conuenientes contra Iesum nihil facere potuerunt, ita vel principes, vel potestates istæ contrariæ, vt non Christianorum genus latius ac profusius prorogetur,obtinere non valebunt. Scriptum nanque est,quia quanto magis eos humiliabant, tanto magis plures fiebant, & inualescebant valde. Confidimus autem,quia non solum non nos poterunt obtinere visibiles inimici,& aduersarij nostri,verumetiam velociter Iesu domino nostro vincente conteretur Satanas sub pedibus seruorũ eius. Illo etenim duce semper vincent milites sui,ita vt nos dicamus sicut in Esdra scriptum est,quia à te domine est victoria,& ego seruus tuus,benedictus es deus veritatis. Quem semper & nos inuocemus,vt det nobis victoriam in Christo Iesu domino nostro,cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Psal.2 *Exod.1* *3.Esdræ 4.*

I *De dolo Gabaonitarum,vbi dicunt, Audiuimus quanta fecit dominus vobiscum per mare rubrum.*
Ex Cap. IX. Homilia X.

Ioan.14 *1.Cor.15*

IN domo patris mei mansiones multæ sunt, dicit verbum dei. Sed & resurrectio mortuorum non habebit æqualem resurgentium gloriam, sed alia caro volucrum,alia piscium: & corpora terrestria,sed alia quidem cœlestium gloria, alia verò terrestrium. Alia gloria solis, alia gloriæ lunæ, alia gloria stellarum. Stella ab stella differt in gloria,ita & resurrectio mortuorum. Multæ ergo eorum qui ad salutem veniunt differentiæ designantur. Vnde & nunc Gabaonitas istos, quorum historia recitanda est, arbitror portiunculam quandam esse eorum,qui saluandi sunt, ita tamen vt non absque alicuius notæ inustione saluentur. Vides nanque quomodo ligni cæsores, vel aquæ gestatores fieri condemnantur, ad obsequium populi,& altaris dei ministerium, quoniam quidem cum dolo & calliditate accesserunt ad filios Israel, pannis calciamentisque veteribus induti,& cibum vetusti panis ferentes. Isti ergo veniunt ad Iesum cum omnibus vetustatibus suis,& orant ab hoc tantum vt saluentur. In quorum figura tale mihi aliquid videtur ostendi. Sunt quidam in ecclesia credentes quidem, & habentes fidem in deum, & acquiescentes in omnibus diuinis præceptis: quique etiam erga seruos dei religiosi sunt, & seruire eis cupiunt, sed & ad ornatum ecclesiæ,vel ministerium satis prõpti, paratique sunt, in actibus verò suis & conuersatione propria, obscœnitatibus & vitiis inuoluti,nec omnino deponentes veterem hominem cum actibus suis,sed inuoluti vetustis vitiis & obscœnitatibus suis, sicut & isti pannis & calciamentis veteribus obtecti,præter hoc quod in deum credunt,& erga seruos dei vel ecclesiæ cultum videntur esse deuoti, nihil adhibent emendationis, vel innouationis in mores. Istis ergo Iesus dominus noster salutem quidem concedit, sed quodammodo salus ipsa eorum notam non euadit infamiæ. Similis quoque etiam in libello qui appellatur Pastoris, de his figura describitur. Ait enim,quia est arbor quædam, quæ vlmus appellatur,quæ fructum non affert, portat tamen vitem quæ affert plurimum fructum,& ex eo quod adminiculo est viti, quæ eius viribus nitens,vel afferre, vel seruare potest plurimum fructum,etiam vlmus,quæ infructuosa est, necessaria videtur & vtilis ex hoc ipso quod frugiferę deseruiat viti. Tale aliquid intellige etiam in Gabaonitis qui non deposuerũt quidem veterem hominem cum actibus suis, ministrant tamen sanctis & seruiunt,& aliquid vtilitatis impendunt,& tali quodam ordine ab Iesu salutem cum iuramenti interpositione suscipiunt. Ego nolebam in Gabaonitarum ordine cõsequi,nec in ligni cæsoribus,vel aquæ gestatoribus numerari,sed inter Israelitas cuperem hæreditatem terræ repromissionis accipere. Obseruandum sane est, quod solent hæretici legentes hunc locum calumniam facere, ij qui testamentum vetus non recipiunt,& non dicunt. Vide quomodo nihil humanitatis habuit Iesus filius Naue,vt hominibus qui ad se supplices venerant salutem concedens,notam eis infamiæ,& iugum seruitutis infligeret. Hæc si anima audiat minus instructa scripturis diuinis,infirmari continuo & periclitari potest, ita vt refugiat catholicam fidem. Non enim intelligunt eorum subreptiones. Iesus enim secundum mensuram fidei ipsorum,competens erga eos iudicium tenuit. Porrò autem Raab meretrix, quæ fide integra credidit cum omni domo sua,& exploratores Israeliticos plenissima deuotione suscepit,ex integro in consortiũ populi, societatémque suscepta est,& scriptum est de ea, quia apposita est ad filios Israel vsque in hodiernum diem. Isti verò qui non tam Israeliticæ gentis consortia dilexerunt,quàm suæ perditionis metu perterriti,cum calliditate & fraude accesserunt ad Iesum, quomodo poterant libertatẽ vitæ & regni consortium dolis seruilibus promereri? Denique vis nosse quia digna erga eos ab Iesu mentis eorum ignobilitate conditio dispensata est? Ipsi dicunt quia audiuimus quanta fecit dominus vobis per mare rubrum, & in deserto. Et cum hæc dicerent,& audisse se, & scire de diuinis mirabilibus faterentur,nihil tamen fide dignum,nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt. Et ideo videns Iesus angustum eorum exiguúmque in fide propositum, moderationem erga eos iustissimam seruat vt salutem mererentur,qui parum licet fidei detulerant,nec tamen summam regni vel libertatis acciperent, pro eo quod fides eorum nullo operum nobilitaretur accessu,quoniam fidem sine operibus mortuam haberi pronunciat Apostolus Iacobus. Veruntamen sciendum est quantum ex huiuscemodi figurarum adumbrationibus edocemur, quod si qui tales sunt in nobis, quorum fides hoc tantummodo habet,vt ad ecclesiam veniant, & inclinent caput suum sacerdotibus, officia exhibeant,seruos dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel ecclesiæ aliquid conferant, non tamen adhibent studium, vt etiam mores suos excolant, actus emendent, vitia deponant,castitatem colant,iracundiam mitigent, auaritiam reprimant,rapacitatem refrenent, maleloquia & stultiloquia vel scurrilitatem & obtrectationum venena ex ore suo non adimant: sciant sibi qui tales sunt,qui emendare se nolunt, sed in his vsque in senectutem vltimam perseuerant, partem sortémque ab Iesu domino cum Gabaonitis esse tribuendam. Sed potius deprecamur vos fratres, verbi dei legatione fungentes, vt dum potestatem adhuc habemus emendandi, demus operam, & festinemus abijcientes antiquas sordes,

Saluandorũ differentia. *Pastoris liber apocryphus.* *Iacob.2*

A sordes, & pannos veteres vitiorum, coniungi ac sociari Israeliticæ libertati. Vis autem videre Israelitarum quanta libertas sit? In lege præcipitur ne liceat Hebræum puerum si forte in seruitutem deuenerit, amplius quàm sex annis seruire, septimo verò anno, dimitti eum lex liberum iubet. Tanta apud eos libertatis est cura. Quæ vtique si ad spiritalem intelligentiam reuocemus, etiam si Hebræus puer es tu, qui in seruitium decidisti. Puer enim est, qui facilitate animi in seruitium decidit. Quale seruitium? Scriptura dicit: Qui autem peccat, seruus est peccati. In hoc seruitium non virilis, & perfectus animus decidit, sed puerilis, & facilis. Igitur etiam si Hebræus puer es, id est, fidelis etiam & baptisma in ecclesia consecutus, & post hoc in peccati seruitium decidisti, sufficiat tibi sex annis seruitus, in septimo anno obserua ne seruias, sed festina ad libertatem tuam. Septenarius numerus legem significat mandatorum. Senarius verò numerus, mundi huius tenet figuram. Donec ergo quæ huius mundi sunt sapis, etiam iis exerceri secundum carnem cogitas, necesse est te seruire peccato. Cum verò ad septenarium numerum, id est, ad legis scientiam veneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam, ne si permanseris in malis tuis, & perseueraueris in peccatis, defixa in aure nota, velut qui commonentis te Dei, & ad libertatem pristinam reuocantis verba non audias, eris peccati seruus in æternum. Tum

Exod. 21.

2. Pet. 2.

B deinde require abs te si libenter velis ex patrefamiliâs, & nobili viro, in hoc mundo seruus effici: abnuis sine dubio, quippe cum etiam ex conditione seruili, videamus quamplurimos ad libertatem festinare, & inquantum possunt cupere etiam diuites fieri, & honoribus vndecunque quæsitis, vtilitatem genuinæ nobilitatis obtegere. Si ergo in hac vita nemo esse vult seruus, sed quantum fieri potest & liber esse & diues, & nobilis cupit, vt non solum sibi sufficiat, sed & aliis largiatur, in illis æternis rebus, ac nullo fine mutandis indifferenter tolerabimus seruitutem, & parum nobis videtur, si in ligni cæsoribus, & aquæ gestatoribus deputemur? Propterea ergo dum dies est, operemur quod bonum est, & emendationi nostræ operam demus, vt ex actibus & conuersatione nostra ac moribus nobilitari mereamur, vt digni efficiamur spiritum accipere adoptionis, vt inter Dei potius filios habeamur, per vnicum filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De auxiliis Iesu quibus iuuit Gabaonitas.
Ex Cap. IX. Homil. XI.

C HIS QVI sociauerint se ad filios Israel, omnes qui prius amici erant, post amicitias & familiaritatem filiorum Israel, inimici fiunt. Gabaonitas, qui à filiis Israel fœdus pacis acceperant, Iebusæus rex Hierusalem inuitatis secum aliis quatuor regibus, aggreditur expugnare. Sed Gabaonitæ videntes quinque reges aduersum se in prælium conspirasse, nequaquam propriis viribus, copiisque confidunt, sed mittunt ad Iesum auxilia postulantes. At ille diuino permissu adest Gabaonitis, laturus auxiliũ. Hic autem mirabilia cœlitus ostenduntur. Dominus desuper saxa grandinis pluit, & quinque regum qui aduersum Iesum pugnabant, exercitum vastat. Tunc verò Iesus videns diuinam secum dexteram præliantem, & prosperis successibus cuncta procedere, nouam quandam & miram orationem extollit ad cœlum, dicens: [Stet sol supra Gabaon, & luna super vallem Elom, donec expugnem populum istum. Et stetit sol & luna in loco suo, donec peruinceret Dominus inimicos eorum. Et stetit sol in medio cœlo, & non est progressus ad occasum in finem vnius diei. Non fuit dies talis ante hoc, nec ita exaudiuit Deus hominem, quia Dominus pugnabat pro Israel. Et fugerunt illi quinque reges, & absconderunt se in spelunca in Mageda.] Hęc secundum historiam gesta, miracula diuinæ virtutis vniuersis seculis prædicant, nec interpretatione extrinsecus indigent in quibus gestorum lumen coruscat. Quid tamen in iis spiritalis intellectus contineat, requiramus. Cum anima humana verbo Dei se sociauerit, dubitare non debet statim se inimicos habituram, & eos quos habuerat ante amicos, in aduersarios esse vertendos: ídque non solum pati se ab hominibus speret, verumetiam de contrariis virtutibus & spiritalibus nequitiis id sibi imminere pro certo sciat. Et ita fit, vt qui amicitias expetit Iesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Sed & Salomon similia dicit: Fili, inquit, accedens ad seruitutem Domini, præpara animam tuam ad tentationem. Oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ cuiuscunque modi sint propter amicitias Iesu, & ligni licet sint cæsores, & aquæ gestatores, id est, licet vltimi meriti sis in ecclesia, tamen hoc ipso quia ad Iesum pertines, impugnaberis à quinque regibus. Sed tamen nec Gabaonitæ derelinquuntur, vel spernuntur ab Iesu, vel ab ducibus, ac presbyteris Israelitarum, sed infirmitati eorum auxilium ferunt. An non tibi videtur hoc agere illud Apostoli mandatum, quo dicit: Consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes? Et iterum: Vos autem potentiores, imbecillitates infirmorum sustinete. Hoc ergo modo Iesus cum ducibus & principibus suis, adest iis qui pro nomine suo à contrariis virtutibus oppugnantur, & non solum auxilium præstat in bello, verum & producit tempus diei, & spatia lucis protelans aduentum discutit noctis. Volumus si possumus ostendere, quomodo Dominus noster Iesus protelauerit lucem, & maiorem fecerit diem, vel pro salute hominum, vel pro interitu contrariarum virtutum. Ex quo aduenit Saluator, finis erat iam mundi. Denique ipse dicebat: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sed retinuit & repressit diem consummationis, & adesse prohibuit. Videns enim Deus pater, salutem gentium per ipsum posse constare, dicit ad eum: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Donec ergo paterna pollicitatio compleatur, & ecclesiæ ex diuersis nationibus crescant, atque introeat tota gentium plenitudo, & tunc demum omnis Israel saluetur, dies producitur, differtur occasus, nec vnquam sol occumbit: sed semper exoritur, dum credentium cordibus sol iustitiæ lumen veritatis infundit. Cum verò repleta fuerit mensura credentium, & deterior iam ac decolor ætas vltimæ generationis aduenerit, cum increscente iniquitate refrigescet charitas multorum, & perpauci remanserint in quibus fides inueniatur, tunc iam abbreuiabuntur dies. Idem igitur atque ipse Dominus nouit, & extendere diem cum salutis est tempus, & breuiare diem, cum tribulationis & perditionis est tempus. Nos tamen dum habemus diem, & producitur nobis spatium lucis, sicut in die honeste ambulemus, & opera lucis operemur. Sed & illud videamus quid est quod dicit, quinque reges fuisse, & hos in speluncas fugisse. Sæpe diximus duplicem esse Christianorum pugnam. Perfectis quidem & talibus qualis erat Paulus & Ephesij, sicut ipse Paulus dicit, non erat pugna aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersum mundi huius rectores tenebrarum harum, & spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Inferioribus verò, & nondum perfectis pugna adhuc aduersus carnem & sanguinem geritur, iis qui adhuc carnalibus vitiis & fragilitatibus impugnantur: quod etiam in hoc loco indicari puto. Etenim Gabaonitis indictum esse à quinque regibus diximus bellum, quorum figuram dixi esse in iis, qui imperfecti sunt. Isti ergo à quinque regibus impugnantur. Quinque autem reges, quinque sensus corporeos indicant, visum, auditum, gustum, tactum, & odoratum. Per aliquem enim horum, vnumquenque necesse est decidere in peccatum. Qui quinque sensus, illis quinque regibus comparantur, qui Gabaonitas, id est, qui carnales homines expugnant. Quod autem dicuntur in speluncas confugisse, potest hoc fortasse indicari, quia spelunca locus est in profundum terræ defossus. Igitur etiam isti quos suprà diximus sensus, cum se terrenis actibus in corpore positi demerserint, & nihil ad opus Dei, sed totum ad ministerium corporis egerint, in speluncas confugisse dicuntur. Sciendum tamen quod ista ipsa regna, quorum nunc reges vincuntur ab Iesu, & confugiunt ad speluncas, postmodum in sortem veniunt sanctorum,

D 2. Thess. 3. Eccles. 2. 1. Thess. 5. Rom. 14. E Mat. 4. Psal. 2. Duplex Christianorum pugna F Ephe. 2. Gabaonitæ figura imperfectorum.

G & pars domini appellantur, sicut regnum Hierusalem, vel Lachis, vel Chebron. In quo hoc arbitror indicari, quod etiam isti quinque sensus, quos suprà exposuimus, in corpore positi, cum per Iesum fuerint deuicti, ita vt infidelitas ab eis & incredulitas depellatur, & cum moriũtur peccato in eo quod desinunt à ministerio peccati: istis ipsis postmodũ ministris vtetur anima ad operandam iustitiam, & ita fit, vt Hierusalem in qua prius rex nequam regnabat & pessimus, postmodum in ea regnet Dauid potens manu, vel pacificus Salomon. Assident etenim etiam his ipsis, quos diximus, corporalibus sensibus hominum malignæ virtutes, quæ eas ad malas concupiscentias, & fœda ministeria animæ præbenda sollicitent. Quas malignas virtutes cum fides Christi superauerit, & in ligno crucis eius fuerint suspensæ, vt & de ipsis triumphet in ligno crucis suæ, interemptis iis, regnóque depulsis, tunc efficitur anima in parte dei, tunc Hierusalem regnum dei efficitur, & templum in ea domino construetur. An non hoc de semetipso sentiebat ille qui dicebat, quia eramus aliquãdo & nos insensati, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis? Non enim aliud est hoc quod Hierusalem aliquando fuisse sub rege Adonibeie scribitur, vel aliæ ciuitates sub aliis. Sed interim Iesus interfecit inimicos, non crudelitatem docens per hoc, sicut hæretici putant, sed futura sacramenta designans de iis quæ gerebantur: vt cum interemerit eos reges, qui regnum peccati tenent in nobis, H possimus illud implere quod dixit Apostolus: Sicut exhibuimus membra nostra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nũc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quid ergo est, quod ab eis hoc loco velut crudele culpatur? Hoc, inquit, quod scriptum est, [ponite pedes vestros super collum eorum, & interficite eos.] Quid quod hæc nõ crudelitas, sed humanitas & benignitas inuenitur? Vtinam & tu talis esses, qui poneres pedes tuos super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & cõculcares draconem & basiliscum, id est, regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati: vt illis omnibus interemptis, qui in te regnabant opere peccati, solus in te regnet Christus Iesus dominus noster, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Tit.3 — *Iudic.1* — *Rom.6* — *Psal.91*

De eo quod spiritaliter intelligi debeant bella quæ gessit Iesus. Cap. IX.
Homilia XII.

SI ea quæ per Moysen de tabernaculo, vel sacrificiis & omni illo cultu adumbrabantur, typus & vmbra dicuntur esse cœlestium, sine dubio & bella quæ per Iesum gerũtur, & regum atque hostium strages, cœlestium vmbra & typus esse dicẽda sunt, eorũ dutaxat bellorũ, quę dominus noster Iesus cũ suo exercitu, & magistratibus, id est credentium populis, atque eorũ ducibus contra diabolum, & eius angelos præliatur. Ipse enim est, qui in Paulo, & in Ephesiis pugnat aduersus principatus & potestates & rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Et vide ingrate hæretice, quomodo ex integro veteribus noua concordant. Promissum est veteribus regnum terræ sanctæ, terræ fluentis lac & mel, quæ terra tunc à peccatoribus & pessimis incolis ac regibus tenebatur. Venit in istam terram Iesus cum exercitu domini, & Israeliticis ducibus, expugnat omnes, interimit, obtinet, & ob victoriæ meritum accipit eorum regna quos vicit. Tibi per euangelia non promittuntur regna terræ, sed promittuntur regna cœlorum. Sed hæc regna non sunt vacua, nec inania, habent habitatores suos peccatores & nequam spiritus, angelos refugas. Ibi habitant illi, aduersum quos te Apostolica personans tuba Paulus cohortatur ad prælium, & sicut ibi dicebat Iesus, quia bellum erit vobis aduersum Amorræos & Pherezęos & Euæos & Iebusæos: similiter tibi etiam hic Paulus denunciat dicens, non erit vobis pugna aduersus carnem & sanguinem: id est non sic pugnabimus sicut pugnauerunt antiqui, nec in terris nobis aduersus homines habenda sunt prælia, sed aduersus principatus, & aduersus potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum. Iam vtique intelligis in quibus locis huiuscemodo sint tibi mouenda certamina. Aut si tibi non sufficit intellectus, nisi etiam loca manifesta tibi voce signentur, audi in consequentibus: Aduersum spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Audisti qui sint illi, qui tibi bello & de cœlestibus expellendi sunt, vt tu possis loca illa regni cœlorum hæreditatis sorte suscipere. Sed & dominus in euangelio nonne euidenter hæc indicat quum dicit: A diebus Ioannis regnũ cœlorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud? Quid ergo cessas ô hæretice etiam Domino & Saluatori nostro calumniam facere, qui regnum cœlorum, quod credentibus in se promiserat, per vim diripi iubet? Et vtique si adhibenda vis est, certum est quod possidentibus adhibenda est. Vim enim facere, hoc est, expellere possidentem, possessionem que diripere. Dicite ergo, quid aliud est quod accusatis fecisse Iesum successorem Mosei? Atque vtinam digni essemus quibus dominus Iesus sapientiæ suæ aulam panderet, & introduceret nos intra thesauros scientiæ suæ, & ea de quibus nunc pedetentim conamur tanquam per speculum & in ænigmate aliqua ex parte contueri & inspicere figuras, plenius nobis reserare, & perfectius dignaretur aperire: videres quomodo nobis claresceret cuius potissimum ex spiritalibus hostibus, iis qui nunc impugnant Israel spiritalem, figuram tenuit iste princeps de Mageda, & ille de Lachis, & ille de Lebna: aut cuius intra temetipsum vitij, vel erroris quibus anima implicatur, formam tenent singuli quique horum, quos Iesu duce interfecit populus domini, ij videlicet qui audiunt mandata eius, & præcepta custodiunt, quibus ipse tribuit facultatem calcandi super serpẽtes & scorpiones: & super omnem potestatem inimici. Oremus ergo vt & nostri pedes tales sint, tam speciosi, tam validi, qui possint calcare ceruices inimicorum, qui possint ita caput calcare serpentis, vt calcaneum nostrum mordere non possit. Qui enim pugnat sub Iesu duce aduersum contrarias potestates, debet etiam illud promereri, quod de prioribus bellatoribus scribitur: [Et reuersus est, inquit, vniuersus populus ad Iesum incolumis, & non mutiuit quisquam de filiis Israel in lingua sua.] Vides ergo quia qui sub Iesu militet, incolumis debet redire de prælio: nec vsquam debet ex iaculis maligni ignitis vulnus accipere, non in corde pollui, non in cogitatione maculari, non per iram, non per cupiditatem, non per aliam quamlibet occasionem, dæmoniacis vulneribus locum dare. Quod autem addidit, quia nullus mutiuit in lingua sua, hoc mihi videtur ostendi, quia de victoria nemo se iactat, nemo suæ virtuti quia superauit ascribit: sed scientes quia Iesus est qui victoriam tribuit, ipsi in lingua sua non mutiunt. Quod bene intelligens Apostolus Paulus dicit: Non autem ego, sed gratia dei, quæ in me est. Puto autem quia ad hoc respicit & illud domini mandatum quo ait: Cum autem feceritis omnia hæc, dicite quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Et in hoc enim simili modo rerum prospere gestarum videtur prohibere iactantiam. Sed Marcion, & Valentinus, ac Basilides, cæterique cum ipsis hæretici, dum hæc nolunt sicut sancto spiritu dignum est intelligere, declinauerunt à fide, & inseruerunt se impietatibus multis, alium deum legis, & mundi creatorem ac iudicem proferentes, velut per hæc quæ scripta sunt, crudelitatem quandam docentem, quod calcare hostium ceruices iubentur, atque in ligno suspendere reges terræ illius, quam violenter inuadunt. Atque vtinam dominus meus Iesus filius dei mihi istud concedat, & iubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis, & calcare super ceruices spiritus iracundię & furoris, calcare auaritiæ dæmonem, calcare iactantiam, conterere pedibus superbię spiritum: & cum hæc fecero, operis gesti summam, non mihi, sed cruci eius appendere, sequenti Paulum dicẽtem, quia per ipsum mihi mũdus crucifixus est, & ea quæ iam superius memorauimus quòd ait: Non autem ego, sed gratia dei, quæ in me est. Quod si ita facere meruero, beatus ero, & dicetur etiam mihi, quod dicit antiquis Iesus: [Viriliter agite, & confortamini, non timeatis, nec vereamini à facie eorum, quia dominus deus tradidit vobis omnes inimicos vestros in man⁹.] Hæc si spiritaliter intelligam⁹ & hu-

Bella veteris testamẽti, figuræ bellorum Christi. — I — *Eph.6* — *Leuit.20* — K — *Mat.11.* — L — M — *1.Cor.15* — *Luc.17* — *Gal.6*

A & huiuſcemodi bella ſpiritaliter procuremus, & expellamus omnia illa ſpiritalia nequitiæ de cœleſtibus, demum ipſorum ita poterimus etiam loca & regna ab Ieſu hæreditatis ſorte ſuſcipere, præſtante Domino & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

De Lachis, & Lebna, & de Chebron ciuitatibus, quas receperunt filij Iſrael. Ex Cap. X. Homilia XIII.

HÆC OMNIA, quæ figuraliter accidebant illis, ſcripta ſunt autem propter nos in quos fines ſeculorum deuenerunt, cum legit is qui in manifeſto Iudæus eſt, & qui manifeſtam habet in carne circumciſionem, neſciens quid ſit in occulto eſſe Iudæum in circumciſione cordis, nihil aliud putat eſſe niſi bella deſcripta, & interitus hoſtium, & Iſraelitas duce Ieſu vincentes, & diripientes gentium regna. Qui verò in occulto Iudæus eſt, id eſt, Chriſtianus, qui Ieſum non tam filium Naue, ſed filium Dei ſequitur, hæc omnia myſteria intelligit eſſe regni cœlorum, & dicit quia etiam nunc Dominus meus Ieſus Chriſtus, bellat aduerſum virtutes contrarias, & eijcit eas de ciuitatibus quas poſſidebant, id eſt, de animabus noſtris: & interficit reges qui regnabant in animabus noſtris, ne vltra regnet in B nobis peccatum: vt poſteaquam interemerit regem peccati de ciuitate animæ noſtræ, fiat anima noſtra ciuitas Dei, & regnet in ea Deus, & dicatur ad nos, quia ecce regnũ Dei intra vos eſt. Eſt ergo opus ſummæ miſericordię hoc quod hæretici crudelitatis accuſant, quod Dominus Ieſus adũbratum prius à filio Naue per ſingulas quaſque ciuitates, nunc in veritate per ſingulas quaſque animas credentium complet: vt quæ poſſidebãtur à malis & peſſimis regibus ſecundum principem aeris mundi huius, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, expulſis iis & peremptis, facere eas dignetur habitaculum fidei, & ſancti ſpiritus templum: vt membra quæ ſeruierant ſub rege iniquo iniquitati ad immunditiam, nunc ſeruiant iuſtitiæ ad ſanctificationem. Sic ergo intellige quod interfecit Ieſus regem Hiericho, & regẽ Hay, & regem Lebna, & regem Lachis, & regem Chebron, vt iſtæ omnes animę quæ ante ſub regibus peſſimis peccati legem colebant, nunc ſub Dei legibus agant. Sed de ipſis interpretationibus nominum, ſi curioſius ac diligentius perſcrutemur, inuenietur ſignificantia nominum nunc ad mali regni, nunc etiam ad boni intelligentiam poſſe conferri. Vtputa Lebna candor interpretatur. Candor autem diuerſe intelligitur. Eſt enim candor lepræ, eſt & candor lucis. Poſſibile ergo eſt etiam nominis ipſius interpretatione, vtriuſque ſtatus differentias indicare, vt C candorem quidem lepræ habuerit Lebna ſub regibus malis: quo deſtructo atque euerſo, cum ad Iſraeliticum regnũ peruenit Lebna, candorem lucis acceperit, quia candor in ſcripturis & laudabilis & culpabilis ponitur. Et iterum Lachis interpretatur iter. Iter autem & laudabile & culpabile in ſcripturis habetur. Quod difficile non eſt probare, ſicut dicitur in Pſalmis: Et iter impiorum peribit. Et alibi econtrario: Iter rectum facite pedibus veſtris. Poteſt ergo intelligi etiam hic, quod iter impiorum fuerit primo ciuitas Lachis: quo deſtructo atque ſubuerſo, poſtmodum Iſraelitis regnãtibus ad iter perducta ſit rectum. Similiter autem & Chebron, quam interpretari dicunt coniũctionem, vel coniugium. Coniunctio verò animæ noſtræ, fuit primo cum malo viro, & marito peſſimo diabolo: quo deſtructo & extincto, liberata eſt à lege prioris & peſſimi viri, & coniũcta eſt viro bono & legitimo, illi, de quo dicit Apoſtolus Paulus: Statui autem vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Sic ergo etiam nominum ipſorum intelligentia ad geminum hunc vniuſcuiuſque ciuitatis conſonat ſtatum. Ego puto quod ſic melius eſt intelligi bella Iſraelitica, & quod ſic melius præliari Ieſus putetur, & deſtruere vrbes, ac regna ſubuertere. Sic enim & illud dictum religioſius & clementius apparebit, quod dicitur ita ſubuertiſſe & vaſtaſſe ſingulas quaſque vrbes, vt nihil in eis relinqueretur quod ſpiraret, neque qui ſaluus fieret, neque qui effugeret. Vtinam enim Dominus de animabus credentibus ſibi, & quas ſuo vendicat regno, & de mea ipſius anima ita eijciat & extinguat omnia priora mala, vt nullus in me malitiæ D ſenſus vltra reſpiret, nullus iræ, nullus concupiſcentiæ alicuius malæ in me ſaluetur affectus, nullus ſuperſit qui effugiat ſermo malus de ore meo. Sic enim potero Ieſu duce purgatus ab omnibus prioribus malis, effici in ciuitatibus filiorum Iſrael, de quibus ſcriptum eſt: Ædificabuntur ciuitates Iudæ, & habitabunt in eis. Etenim nunc vniuſcuiuſque noſtrum animam Ieſus deſtruit, & ædificat: & ſicut dicebamus tunc cum Hieremiã diſſerebamus, qui acceperat verba in os ſuum quibus ſubuerteret & ædificaret, euelleret & plantaret: ita etiam nunc in iis quæ habemus in manibus intelligendum puto, non ſecundum hæreticos, vel ſecundum Iudęos: ſed ſicut ibi ad Hieremiam dictum eſt: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, eradicare, & ſubuertere, & perditum dare, & poſt hæc ædificare, & plantare: ita & de iis quæ per Ieſum ſcribuntur geſta credendum eſt: imò potius de iis quæ per noſtrum Dominum Ieſum etiam nunc geruntur in nobis. Primum nanque opus verbi Dei eſt, eradicare præcedentia mala, ſpinas ac tribulos vitiorum. Dum enim iſtæ malæ radices occupatam detinent terram, non poteſt ſemina bona & ſancta ſuſcipere. Neceſſarium ergo & primum hoc opus verbi Dei eſt, plantam eradicare peccati, & omnem plantam quam non plantauit Pater cœleſtis, euellere, ignique conſumere. Secundi iam operis eſt plantare. Quid eſt quod plantat Deus? Moyſes dicit, quia paradiſum plantauit Deus, & E quotidie plantat in animabus credentium. In anima enim de qua excidit iram, manſuetudinem plantat: & de qua excidit ſuperbiam, plantat humilitatem: & de qua eradicat laſciuiam, pudicitiam plantat: & de qua extirpat ignorantiam, inſerit ſcientiam. Non tibi videtur talis eſſe debere plantatio quam plantat Deus, magis quàm inſenſibilium terrenorúmque lignorum? Eſt item in primis opus verbi Dei, deſtruere ædificia diabolica, quæ in anima conſtruxit humana. Ille etenim turres ſuperbiæ in vnoquoque noſtrum, & muros elationis extruxit: hæc ſermo Dei ſubuertit & ſubruit, vt merito ſecundum Apoſtolum efficiamur Dei cultura, & Dei ædificatio, ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, poſito ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ex quo iunctura ędificij creſcat in templum Dei in ſpiritu, & ita demum effici mereamur in hæreditatem terræ ſanctæ in parte Iſraelitica, extinctis omnibus & peremptis hoſtibus noſtris: ita vt non relinquatur ex eis qui reſpiret in nobis, ſed ſolus in nobis reſpiret ſpiritus Chriſti per ora, & ſermones, & intelligentiam ſpiritalem, ſecundum doctrinam Ieſu Chriſti Domini noſtri, cuius eſt virtus & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

De Iabin rege Aſor, & de cæteris regibus, qui congregati ſunt aduerſum Iſrael. Ex Cap. XI. Homil. XIIII.

F

HAs eaſdem ſcripturas ante aduentum quidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum legeret Iſrael ille qui ſecundum carnem eſt, nihil aliud in iis niſi bella, & effuſionem ſanguinis intelligebat, ex quo etiam ad nimiam ferocitatem acuebantur animi eorum, & ſemper bellis ac ſeditionibus paſcebantur. Poſtea verò quàm præſentia Domini mei Ieſu Chriſti humanis cordibus placidum ſciẽtiæ lumen infudit, quippe cum ſecũdum Apoſtolum ipſe ſit pax noſtra, pacem nos docet ex ipſa lectione bellorum. Pax enim redditur animæ, ſi ab ea hoſtes ſui peccata ac vitia propellantur. Et ideo ſecundum traditionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum nos legimus iſta, armamur etiam nos, & concitamur ad prælium, ſed aduerſus illos hoſtes qui de noſtro corde procedunt, cogitationes ſcilicet malas, furta, falſa teſtimonia, blaſphemias, cęteróſque iis ſimiles aduerſarios animæ noſtræ: de qua conamur, ſecundum quod hæc ſcriptura refert, ſi fieri poteſt non relinquere vllum qui ſaluus fiat, neque qui reſpiret. Si enim hos hoſtes obtinuerimus, competenter obtinebimus aerias poteſtates, & regno ſuo eas, quod intra nos ſupra vitiorũ ſedes collocauerant, depellemus. In prioribus lectionibus rex Hieruſalem congregauerat ſecum alios quatuor reges aduerſum Ieſum & aduerſum filios Iſrael, nunc autẽ iam non vnus qua-

Marginalia: Lebna, candor. — Lachis, iter. — Chebrõ, coniunctio. — 2.Cor.11. — Amos.9. — Hæreticos intelligit Valẽtinũ, Baſilidem, Marcionẽ, qui vetus teſtamentũ reſpuebãt. — Hier.1. — Gen.2. — Ephe.2. — Ephe.2.

G tuor congregat, aut quinque, sed vide vnus quãtam multitudinem congregat. [Vt autem audiuit, inquit, Iabin rex Asor, misit ad Iobab regem Amorræorum, & ad regem Symeon, & ad regem Zif, & ad reges qui erãt circa Sidonẽ magnã, & per montana, & in Araba, quæ est contra Ceneroth, & ad cãpos, & in Faneandor, & ad Chananæos, qui erant in maritimis ab oriente, & ad Amorræos qui erant in maritimis, & ad Cethæos, & ad Pherezæos, & ad Iebusæor, qui erat in montanis, & Euæos, qui erant sub deserto Masecma, & exierunt ipsi & reges eorũ cum ipsis, sicut est arena maris in multitudine, & equi, & quadrigæ multæ nimis. Et conuenerunt omnes reges isti, & coierunt in vnum ad aquam Maron pugnare contra Israel. Dixit autem dominus ad Iesum: Non verearis à facie illorum, quia crastina die ad hanc horam ego tradam eos sauciatos ante faciem Israel. Equos eorũ subneruabis, & currus eorum igni exures. Et venit Iesus, & omnis populus bellatorum cũ eo super ipsos ad aquam Maron, & subito irruit super eos in monte, & tradidit eos dominus in manus Israel, & cædentes eos persecuti sunt vsque ad Sidonem magnam, & vsque in Masefoth a daquam, & vsque ad campos Masfre cõtra orientem, & trucidauerunt eos vsquequo non superesset ex eis qui euaderet. Et fecit eis Iesus sicut præcepit ei dominus, & equos eorum subneruauit, & currus eorum exussit igni. Et cõuersus est Iesus in ipso tempore, & occupauit Asor, & regem eius interfecit gladio.] Vides quanta aduersum Iesum, & Israeliticum exercitum, contrariarũ virtutum, & pessimorum dæmonum examina concitentur? Isti omnes

H dęmones ante aduentum domini & saluatoris nostri, quieti & securi humanas animas possidentes, in earum mentibus corporibusque regnabant. Sed vt in terris apparuit gratia & misericordia saluatoris nostri dei, edocens nos vt pie & sancte in hoc mundo, & segregati ab omni contagione peccati viuamus, vt libertatem suam, atque imaginem dei, in qua ex initio creata est, anima vnaquæque recipiat, ista de causa ab illis iniquis veteribus, possessoribus earum pugnæ exoriũtur & pręlia. Et si opprimantur primi, multo plures exurgunt postmodum atque in vnum coeunt, & conspirant in malum, qui semper dissident à bono. Et si secundo victi fuerint, iterum tertio aliæ virtutes nequiores exurgunt. Et fortassis quanto magis augetur populus dei, & multo plus crescit & multiplicatur, tanto illi plures ad oppugnandum conspirant. Sed tẽpus est, prout deus dederit, discutere singulos quosque aduersi exercitus reges, & pro significantiis nominum vniuscuiusque etiã opus quod gerit in malitia cõtemplari. Primus omnium, qui & auctor belli huius nominatus est, congregans cæteros, & ad coniurationem sceleris inuitans, Iabin nominatur, qui erat rex Asor. Ipse enim est qui dicitur etiã cæteros conuocasse. Iabin autem interpretatur sensus, siue prudẽtia. Quis ergo

Iabin sensus siue intelligentia.

I est iste sensus, siue prudentia, nisi ille quem dicit Esaias propheta sensum magnum? Ait enim: Et inducam super Sensum magnum principem Assyriorum. qui dixit: mea virtute faciã, & sapientia sensus mei auferam fines gentium, & virtutem eorum deprædabor. Iste ergo est qui ibi quidem dicitur sensus magnus rex Assyriorum, hic autem Iabin, sensus vel prudentia. Etenim serpens fuisse in paradiso scribitur prudẽtior omnium bestiarum quæ erant super terrã. Sed & villicus iniquitatis prudentes fecisse dicitur illa quæ fecit. Hic igitur Iabin, rex est Asor. Interpretatur autem Asor aula. Est ergo omnis terra aula huius regis, qui totius terræ velut aulæ vnius obtinet principatum, qui est diabolus. Vis autem videre quoniã aula ipsius est terra? In Euangeliis scriptum est, quia fortis in aula sua securus dormit, vsquequo veniat fortior qui & ipsum alliget, & quæ possidet auferat, est ergo rex aulæ, princeps mũdi huius: iste mittit ad Iobab: ipse est enim qui mittit ad omnes gentes, & inuitat ad prælium. Mittit & ad regẽ Marõ. Iobab quidem interpretatur inimicitiæ: Maron autem amaritudines. Mittit ergo diabolus ad aliã virtutẽ inimicã ex angelis sine dubio refugis, quæ virtus amaritudinum rex est: quo auctore scilicet operã dante, omnes quæ in hoc mundo amaritudines & asperitates miseris mortalibus infiguntur, eueniunt. Sunt autẽ ista diuersa genera peccati. Neque enim aliquid amarius potest esse peccato, etiã si quedã dulcia videantur in primis, sicut Salomon scribit: Sed in nouissimis, inquit, amarius felle inuenies quod dulce initiis videbatur, & acutius acie gladij. Iustitiæ verò natura contraria est, in initiis videtur amarior, in nouissimis verò melle dulcior inuenitur, cum virtus fructus attulerit. Misit igitur diabolus ad Iobab inimicum amaritudinis regem. Mittit autẽ etiam ad regẽ Symeon, qui interpretatur exauditio. Sed duplex videtur esse exauditio. Aliquãdo quidem cum exaudiuit hominem deus, secundum quod & Symeon vnus ex patriarchis nomen accepit, qnoniam quidem exaudierat deus precem matris eius. Dicitur etiam exauditio, qua quis exaudiuit præceptum diaboli. Solet enim dicere diabolus, si procidens adoraueris me, tibi dabo hæc omnia. Sed tu si Iesum sequeris, dicis ei, dominum Deum adorabo, & ipsi soli seruiam. Audiunt autem illum, qui sunt ex parte eius, sicut & nunc fecit iste Symeon, illum audiens venit ad pugnam contra Iesum. Mittit autẽ & ad regem Zif. Zif autem interpretatur quomodo fluit, velut admiranti sermone: quia & reuera mirandum est, quomodo fluunt omnia quæ sunt huius mundi carnalia, & quomodo fluxa sunt & caduca, quæ apud infideles homines permanẽtia deputantur & perpetua. Qui autem rerum considerat rationem, & vitæ huius quę putantur bona, contuetur, quomodo semper mutentur & transeant, iste dicit quomodo fluit. Vocat autem contra filios Israel diabolus etiam eos qui circa Sidonem magnam sunt. Ego quidem cum in locis Sidonis aliquoties demoratus sim, nunquam comperi duas esse Sidonas, vnam magnam, & aliã paruã, quantũ ad terrenũ pertinet

Esa.10

Gen.3

Asor aula.

Matth.12

Iobab inimicitiæ.

Maron amare.

Prouerb.5.

K

Symeon exauditio.

Matth.4

Zif fluxus.

Sidon venatrix.

L locum. Sed si ad interpretationem nominis redeam, quod significat venatricem, vel venatores, video quod aduersarium virtutum, in quibus multæ sunt differentiæ, quidam sunt venatores & in paruis, & quidam venatores in magnis: id est, quod alij per parua peccata animas, alij per magna decipiũt. Verbi gratia, cum in voluptatibus seculi, & carnis deliciis anima decipitur, in paruo capta dicẽda est. Cum verò aut prouidentiam negat, aut dæmones quasi deum colit, hæc in magno putanda est esse decepta. Et ideo nunc mittit ad Sidonem, qui quasi ad venationem magnam conueniant contra filios Israel. Mittit & ad montana. Montana intelligenda sunt omnis sensus qui extollit & erigit aduersus scientiã dei. Mittit & in Araba. Interpretatur autẽ Araba insidiæ. Inuitat ergo virtutes insidiatrices, quæ humanas animas non vi, nec apertis expugnationibus, sed improuisis insidiis callidisque decipiant: forte quales sunt & illi, de quibus propheta dicit: Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo, insidiatur vt rapiat pauperem. Sed si quis talis est qualis Paulus, confidenter dicit: Non enim ignoramus astutias eius. Mittit & in Ceneroth. Interpretatur autẽ Ceneroth quasi lucernæ. Nõ lucernę, sed quasi lucernæ. Aliud est enim lucerna, aliud quasi lucerna. Ioannes lucerna erat ardens, quia erat angelus lucis. Quasi lucerna autem est ille, qui transfigurat se in angelum

M lucis. Et si vis adhuc euidentius noscere differentias lucernarũ, & quasi lucernarũ, quæ in Ceneroth sunt, audi Saluatorẽ dicentẽ ad discipulos suos: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ vestræ ardentes. Sunt ergo eorum qui in ecclesia fidẽ catholicam docent, & plebem dei verbo veritatis illuminãt, lucernæ ardentes. Ii verò qui hæretica dogmata ex scripturæ sanctæ testimoniis falsis assertionibus docent, pro eo quod scripturas legunt, videntur accendere lucernas: sed quia falsis assertionibus vtuntur, non sunt lucernæ, sed quasi lucernæ. Misit etiam ad campos. Necesse enim erat, vt in societatem suam vocaret etiam eos qui in campis sunt, & humilia sapiunt ac terrena. Misit & in Faneandor, qui interpretatur conuersio. Et conuersio duplex intelligitur. Est enim conuersio, qua quis ad deum conuertitur, vel à deo est conuersus ad bona. Est autem & illa conuersio, qua rex Iabin, id est diabol⁹, ad se animas cõuertit, sicut & de Symeone suprà exposuimus: qualis putanda est & illa conuersio, quæ Galatis acciderat, de qua dicit apostolus. Currebatis bene, quis vos impediuit, hoc est, conuertit à cursu bono & itinere recto? Mittit & ad eos, qui erant in maritimis locis, ad vicinos fluctuum Chananæos, qui interpretantur velut commotio, id est, qui semper in motionibus & fluctibus permanent, & ad maritimos Amorræos. Amorræi interpretantur amarescentes, qui sunt similes illis, de quibus superius differuimus.

Araba insidiæ.

Psal.9

2.Cor.2

Ceneroth quasi lucerna.

Ioan.5

Luc.12

Faneandor conuersio.

Gal.5

Chananæi velut commotio.

A Talis igitur est catalogus totius militiæ inuisibilium hostium qui congregantur per regem Iabin, vt expugnent nos, qui sequimur ducem Iesum, & Saluatorem nostrum. Sed quid dicit dominus? [Ne verearis, inquit, à facie eorum, quia crastina die hac hora tradam eos in manus tuas.] Video quod hodie non possumus illos omnes opprimere, nec cunctos interficere, sed crastino perimentur, id est, post consummationem huius seculi. Tunc etenim omnis virtus contraria destruetur, & tunc penitus vincetur, cum videris iis qui à sinistris sunt dici: Ite in ignem æternum, quem præparauit deus diabolo, & angelis eius. Tunc enim & nos si vicerimus, & obtinere poterimus, sequentes Iesum ducem, percipiemus regnum quod præparauit deus pater sanctis suis, & iis qui mandata eius & iustitias impleuerunt, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Iosu.11. *1.Cor.15.* *Mat.25.*

In ea quæ consequuntur post Iabin. Et fecit Iesus, inquit, sicut præceperat ei dominus. è Cap. XI.

Homilia XV.

B

Gratianus totum hoc principium citat tãquã ex Gregorio magno. 23. q.1.cap.1. *1.Cor.6.*

NISI bella ista carnalia figuram bellorum spiritalium gererent, nunquam (opinor) Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in ecclesiis fuissent ab apostolis traditi. Quo enim eis bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur ab Iesu: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis? Et quibus per Apostolum iubetur & dicitur, non vosmetipsos vindicantes, & magis iniuriam accipite, & magis fraudem patimini? Vnde denique sciens apostolus nulla nobis iam vltra bella esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spiritales aduersarios desudanda, velut magister militiæ præceptũ dat militibus Christi, dicẽs: Induite vos arma dei, vt possitis stare aduersus astutias diaboli. Et vt horum spiritalium bellorum ex veterum gestis habere possimus exempla, istas nobis rerum gestarum narrationes in ecclesia voluit recitari, vt nos si spiritales sumus, audientes quia lex spiritalis est, in iis quæ audiuimus spiritalibus spiritalia comparemus, & contemplemur ex iis gentibus quæ carnalem Israel visibiliter oppugnarunt, quãtæ sint gentes contrariarum virtutum ex spiritalibus, quæ dicuntur spiritales nequitiæ in cœlestibus, quæ aduersus ecclesiam domini quæ est verus Israel, suscitent bella. Moabitæ veniunt & Ammonitæ, & omnes illi reges, & gentes inuisibiles, quas superius memorauimus, aduersum nos veniunt

Ephes.6.

C pugnaturi, ad hoc vt peccare nos faciant. Quia sicut corpus accepto ferri vulnere moritur, ita & anima accepto peccati vulnere moritur. Et puto quod eadem frequentius dicere nobis quidem pigrum esse non debeat, vobis tamen necessarium sit. Vtinam enim vel frequentius dicta hæc animis vestris crebro inculcata teneatis, vt non hæc legentes, vel Iudaicum in iis sensum teneatis, vel hæreticum. Sed posteaquam generaliter commonuimus, nõ erit superfluum etiam speciatim de iis quæ lecta sunt, pauca differere. Repetentes igitur ea quæ in superioribus omissa fuerant, differamus: [Et fecit, inquit, eis Iesus sicut præceperat ei dominus. Equos eorum subneruauit, & currus eorum exussit igni. Et conuersus Iesus in illo tempore occupauit Asor & regem eius occidit gladio, & interfecit omnem qui spirabat in ea, ore gladij, & exterminati sunt omnes, ita vt non relinqueretur in ea qui respiraret.] Mandatum dicitur à deo datum ad Iesum, vt posteaquam expugnasset hostes superius memoratos, nulli parceret, sed equos eorum subneruaret. Vnde velut mandatum dei implens Iesus, fecit sicut præcepit ei dominus. In quo primo omnium dicimus ad eos, qui volunt secundum literam tantum hæc intelligi, quia siquidem superfuissent aliqui ex hostibus, consequens videbatur equos subneruari, ne vti eis quis posset ad fugam. Nunc verò cum dicatur nullus relictus esse qui spiraret in hostibus, cur etiam equi subneruari iubentur, qui vtique vsui ac ministerio poterant esse victoribus? Vis autem scire quia soleant Israelitæ huius rei & vtilitatis habere curam, & deuictis hostibus ad suos vsus reseruare iumenta? In Numeris legimus scriptum, quia cum ex præcepto dei processissent pugnare aduersum Madianitas, deuictis hostibus aliquot milia asinorum de præda hostium reseruarunt suis vsibus profuturos, nec omnino refertur ibi quia interfecerint asinos hostibus superatis. Nos ergo scripturam sanctam sibi metipsi conferentes, & spiritalibus spiritalia comparantes, requiramus quid est quod de asinis quidem non est scriptum quia subneruati sunt, nec Madianitarum spolia vel animalia interempta dicantur, sed profuisse Israeliticis vsibus: de istis autem qui non habebant asinos, sed equos, præcepit ipse dominus, & dixit, equos eorum subneruabitis: quod & Iesus sicut à domino mandatur, expleuit. Putamus hæc accidisse fortuitu, vt equi hostiles interimerẽtur, & asini seruarentur, & in præceptis dei fortuita aliqua arbitramur incidere? An dignius videtur vt putemus magis in iis scripturam mysticum aliquid indicare? Denique & filij Israel nunquam equis vsi esse referuntur, & lex nihil de equis, sed de asinis mandat, vtpote de animalibus quæ ad humanos labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur existere, equi verò magis ad hominum perditionem: hoc enim est, quod per eos in præliis geritur. Lasciui motus animal, & superbæ ceruicis accipitur. Sunt ergo asini frequenter à scriptura in typo gentium positi: sicut & Saluator ostenditur supra asinum sedens, nunquam autem equo sedens refertur. Sed & cum discipulos mittit ad soluendam asinam, & pullum asinæ, dicit eis: Si quis vos interrogauerit, dicite quia dominus eis opus habet. Et sedens super eum ingreditur Hierusalem, & nunquam equo sedens ingressus esse dicitur. Sed & propheta de ipso ita prænunciauerat, quod sedens asino veniret ad Hierusalem, dicens: Ecce rex tuus mansuetus sedens super subiugalem & pullum asinæ nouellum. Et exterminabit currus Effrem, & equum ex Hierusalem. Vides ergo quomodo secundum prophetæ sentẽtiam qui super asinum sedet exterminabit currus Effrem, & equus de Hierusalem. Et ideo videntur mihi asini quidem (vt diximus) figuram seruare eorum qui ex gentibus credunt, super quibus sedisse scribitur dominus: equi verò qui exterminantur, & currus, figuram tenere illorum, qui in cœlestibus positi, per lasciuiã & superbiam deciderunt, quando vel ad filias hominum cõcupiscendas semetipsos incestatores præbuerunt, vel secuti sunt illum, qui dixit: Ponam super nubes sedem meam, & ero similis altissimo. Inde fortassis est quod propheta dicit, falsus equus ad salutem. Et iterum dicit de iis qui in dæmonibus confidebant: Ii in curribus, & ij in equis, nos autem in nomine dei nostri magnificabimur. Neque enim currus & equos deo contulisset quantum ad inuocandum spectat: sed vtique hoc ostendit, quia sicut nos inuocamus deum verum, ita illi inuocant currus & equos, id est, dæmones, quos inuocabant gentes illæ, quæ aduersus Israel bellum gerebant. Sed & Ægyptiorum equos commemorat scriptura, & istos ipsos quos nunc interimi iubet. Vnde hoc intelligatur, quod in typo quidem asinorum gentes quæ ad credulitatem veniũt, merito reseruantur: in typo verò equorum, & curruum, dæmones qui humanæ saluti aduersarij sunt, & inimici, merito perimuntur. Sed & si passiones corporis, id est, libidinem, lasciuiam, vel superbiam, ac leuitatem, quibus infelix anima velut equitans vectatur, & fertur ad præcipitia, equos nunc dici & currus intelligamus, & ipsos esse qui ex præcepto dei subneruari iubentur, non erit rationi nostræ contraria intelligentia. Subneruatur equus quippe quando ieiuniis & vigiliis, & omni abstinẽtiæ afflictione corpus humiliatur. Et currus igni exuruntur, cum in nobis completur sermo domini dicentis: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt accendatur. Quo igne iam se illi ardere confessi sunt, qui dicebant: Nónne cor nostrum erat ardens intra nos, cum adaperiret nobis scripturas? Ideo ergo & falsus equus dicitur ad salutem, si motus corporis nostri fieri permittamus infrenes, nec abstinentiæ iugo lasciuiam carnis, & superba colla subdamus. Sed & nunc si quis forte ex his quæ dicimus dei verbis stimulatur atque compungitur, & is qui hesterno die pronus & feruidus tanquam equus in libidinem ferebatur, hodie si his auditis pœnitet, conuertitur, ac secundum pro-

Habet ratio nem sui tẽporis quo vngebant Iudaizãtes, itemque aduersarij legis & prophetarum. *Iudaizãtes hæreticos perstringit.* D *Num.31.* *Mat.21.* E *Zach.9.* *Esa.14.* *Psal.19.* F *Mat.5.* *Luc.24.*

G phetam à timore dei confixus refrenat se, & reuocat à peccato, & pudicam dehinc castámque diligit vitam, videbimur etiam nos gladio verbi dei euaginato subneruasse equos: & magis per hoc dignè impletur præceptum dei, quàm si animalia quis equini generis de spoliis hostium capta subneruet. Quorum autem equi subneruantur? Est etiam hoc operæpretium quærere. Equos, inquit, Iabin subneruandos. Iabin autem prudentia interpretatur, vel sensus. Quæ est ista prudentia, vel quis sensus, cuius subneruandus est currus? Illius nimirum, de qua dicit apostolus, quia prudentia carnis inimica est deo: & ille sensus, de quo dicit, inflati sensu carnis suæ. Iabin verò rex Asor. Asor autem aula interpretatur. Hæc est Asor quæ omnium horum regnorum obtinere dicitur principatum: qui intelligitur princeps huius mundi regnans in aula, id est, super terram, vel quod maius est, in vitiis carnis. Sed & omnium illorum regum, quorum vim secundum nominum suorum interpretationem iam ante exposuimus, equi ab Iesu dicuntur interfici. Quorum nos si recte sub Iesu duce militamus, debemus in nobismetipsis abscindere vitia, & accepto spiritali gladio subueruare omnem istum equitatum pessimum vitiorum. Sed & currus debemus incendere, id est, omnem à nobis arrogantiæ, & elationis spiritum resecare, vt vltra non in equis neque armis, sed in nomine domini dei nostri inuocemus. Quomodo autē in nobismetipsis complebimus & hoc quod dicit, vt non remittatur vllus qui respiret? Videndum est quis sit qui nec respirare

Col. 2.

H quidem per præceptum domini iubetur. Verbi causa, si ira ascenderit in cor meum, potest fieri vt opera quidem iracundiæ non impleam, vel metu deterritus, vel etiam futuri iudicij timore cohibitus: sed non, inquit, hoc sufficit, agēdum tibi potius est, quatenus ne ipsa quidem commotio iracūdiæ locum habeat intra te. Si enim efferuescit animus, & conturbatur, etiam si non impleuerit opus, ipsa tamen perturbatio indecens est ei qui sub Iesu militat duce. Similiter & de concupiscentiæ vitio, & de tristitiæ, cæterisque omnibus sentiendum est. De quibus cunctis ita agendū est discipulo Iesu, vt nihil omnino horū in eius corde respiret: ne forte si parui alicuius vitij aut consuetudo aut cogitatio relinquatur in corde, processu temporis conualescat, & paulatim vires latitando conquirat, atque ad vltimum reuocet nos ad vomitum nostrum, & fiant hominis illius cui hoc acciderit, nouissima peiora prioribus. Hoc erat quod & propheta prospiciens in psalmis præmonet dicens: Beatus qui tenet & allidit paruulos suos ad petram: Babylonis scilicet paruulos, qui nulli alij intelligūtur, nisi cogitationes malæ quæ cor nostrū confundunt & conturbant. Hoc enim interpretatur Babylō. Quæ cogitationes dum adhuc paruulæ sunt, & initia habent tenendæ sunt, & allidendæ ad petram, qui est Christus, & ipso iubente iugulandæ, vt nihil in nobis residat quod respiret. Sic ergo ibi beatum est, Babylonis paruulos tenere, &

Psal. 136

I allidere ad petram, & cogitationes malas statim in initiis necare: ita & hic beatum intelligendum est & perfectum, si nihil relinquatur in nobis quod possit gentiliter respirare. [Et omnes, inquit, reges eorum interfecit Iesus in ore gladij.] In omnibus nobis regnauit peccatum, & in omnibus nobis vitia regnauerunt, & fuit in nobis omnibus regnum generale peccati, sicut & apostolus dicit: omnes enim peccauerūt, & egent gloria dei. Vnusquisque tamen habuit in se aliquem specialem regem, qui in eo regnabat, & dominabatur ei. Verbi causa, in alio regnum tenebat auaritia, in alio superbia, in alio mēdacium regnabat, in alio libido dominabatur, & alius regem patiebatur furorem. Quòd autem hæc ita sint, & in vnoquoque nostrum regnet peccatum, apostolo Paulo credé dicenti. Ait enim: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum ei. Erat ergo regnum peccati in vnoquoque nostrum antequam crederemus. Postea verò quàm venit Iesus, & occidit omnes reges, qui in nobis tenebant regna peccati, pręcepit nobis interficere omnes istos reges, & nullū ex eis relinquere. Si quis enim aliquem horum in semetipso seruauerit viuum, in exercitu Iesu esse non poterit. Si ergo regnet in te auaritia, si iactantia, si superbia, si libido, non eris Israeliticus miles, nec imples præceptum quod dedit dominus ad Iesum. [Sicut constituit, inquit, ei Moyses puer domini.] Hic puer domini Moyses, sermo legis appellatur, sicut & in Euangelio dicit: Habēt Moysen, & prophetas, audiant illos. Lex ergo præcepit nobis interficere omnes reges peccati, qui nos prouocant ad peccatum. Sic fecit Iesus, & non est transgressus quicquam ab omnibus quæ constituit ei Moyses. Diximus quidem secundum prioris expositionis ordinem, quia quæcunque lex dei, qui nunc Moyses appellatur, constituit, implet Iesus in nobis: & ipse est qui interimit in nobis vitia, & nequissima peccati regna subuertit. Potest autem etiam de ipso domino & Saluatore nostro dici, quia quæ præcepit Moyses in lege, fecit Iesus, & non est transgressus quicquam: quoniam quidem dicit Apostolus, quia cum venisset plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Si ergo factus est sub lege, cum sub lege non esset, omnia quæ lex mandabat impleuit, vt nos redimeret à maledicto legis. Sed & ipse de se dicit, quia non veni legē soluere, sed adimplere. [Et accepit, inquit, Iesus omnes in bello, quia per dominum factum est vt confortaretur cor eorum, & occurrerent in prælium contra Israel.] Non dixit quia aliquos accepit Iesus in bello, & aliquos non accepit, sed omnes accepit, id est, cepit omnes, peremit omnes. Etenim species peccati purgauit dominus Iesus, omnésque destruxit. Cuncti nanque eramus insensati, increduli, errantes, seruientes desideriis variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem, & omne quodcunque illud est peccati genus, quod inuenitur in hominibus antequam credant. Bene ergo dicit, quia omnes occidit Iesus qui exierunt ad bellum. Nulla enim species peccati tanta est, qua non sit superior Iesus, qui est verbum & sapientia dei. Omnia enim superat & vincit. An non ita

Rom. 6. K *Luc. 16* *Gal. 4* *Tit. 3*

L credimus, quia omne genus peccati cum ad salutare lauacrū venimus aufertur? Hoc enim & Apostolus Paulus designat: qui cum vniuersa peccatorū genera dinumerasset, addit post omnia, & dicit: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. Hoc ergo modo omnes cepisse in prælio dicitur, & omnes peremisse, quia per dominum factum est vt inualesceret cor eorum, & occurrerent in prælium contra Israel, vt exterminarentur. Dum enim non veniunt inimicæ virtutes, quæ peccata operantur in nobis, nec prouocant nos ad peccandum, nec lacessunt ad dimicandum, interfici nō possunt, nec exterminari. Ideo ergo deus dicitur permittere, imò & incitare propemodum aduersarias virtutes exire aduersum nos in prælium, vt & nos victoriam capiamus, & illæ interitum consequantur. Vnde mihi videtur esse infinitus quidam numerus contrariarū virtutum, pro eo quod per singulos penè homines sunt spiritus aliqui, diuersa in iis peccatorum genera molientes. Verbi causa, est aliquis fornicationis spiritus, est iræ spiritus alius: est auaritiæ spiritus, alius verò superbiæ. Et si eueniat esse aliquem hominem, qui his omnibus malis, aut etiam pluribus agitetur, omnes hos, vel etiā plures in se habere inimicos putandus est spiritus. Vnde & per singulos plures esse credendi sunt, quia nō singula singuli homines habent vitia, vel peccata committunt, sed plu-

Baptismo omnia peccata delet. *1 Cor. 6* *Multi spiritus vnius et eiusdē vitij*

M ra ab vnoquoque videntur admitti. Et iterum non est putandum quod vnus fornicationis spiritus seducat eum qui (verbi gratia) in Britanniis fornicatur, & illum qui in India, & in aliis locis, neque vnum esse iræ spiritum, qui diuersis in locis diuersos homines agitet: sed puto magis principē quidem fornicationis spiritum vnum esse, innumeros verò esse qui in hoc ei officio pareant, & per singulos quosque homines diuersi spiritus sub eo principe militantes, ad huiuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter & iracundiæ spiritum principem vnum esse arbitror, innumeros verò esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines huiusmodi vitij peccata succendant. Similiter & auaritiæ vnum esse principem, sic & superbiæ, & cæterorum malorum. Et ideo non vnus principatus dicitur in contrariis virtutibus ab Apostolo, sed plures, aduersū quos pugnam esse nobis omnibus scribit. Tamē reor omniū principē, velut eminentiorem quendā in nequitia, & in scelere celsiorem, qui totū mundū, quem isti ad peccata singuli quique per peccatorum species pro parte sollicitant, solus velut omnium principum dux

A dux, & totius nefandæ militiæ magister, exagitet: cuius figuram cum Iabin discuteremus, pro paruo intelligentiæ nostræ captu in superioribus patefecimus. Puto sanè quia sancti quique repugnantes aduersus istos incentores peccatorum spiritus, & vincentes eos, atque eorum vnumquenque superantes, imminuant exercitum dæmonum, & velut quàm plurimos eorum interimant. Verbi causa, vt is qui caste pudicéque viuendo fornicationis spiritum superauerit, non vltra fas sit illum spiritum qui ab illo sancto victus est, impugnare iterum alium hominem: sed sicut illi spiritus, qui rogabant Iesum ne in abyssum mitterentur, quod nunc interim dominus pro præsenti dispensatione concessit: ita consequens videtur, quod singuli quique nequam spiritus cum vincuntur à sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel quo quisquis ille locus eis dignus est, abducantur à iusto iudice Christo, agonis huius vitæ mortalium præside. Et inde est quod plurimo dæmonum numero iam victo, ad credulitatem gentes venire relaxantur: qui vtique nullatenus finirētur, si integræ eorum, sicut prius fuerant, subsisterent legiones. Quod si alicui difficile videtur esse quod dicimus, per singulos quosque peccantium multa vacare dæmonia, aut fabulosum hoc putat, redeat ad Euangelij auctoritatem, inueniet illum qui in sepulchris habitat dæmonem patiens, cum B interrogaretur à Saluatore, quod tibi nomen est, respondisse, legio. Multa enim, inquit, dæmonia sumus. Quid ergo mirum videtur, si per singula genera peccatorum singuli dæmones ascribantur, cum scriptum sit in vno homine integram fuisse dæmonum legionem? Memini autem similia me dixisse etiam in iis locis, in quibus exponebamus versiculum psalmi, in quo scriptum est: In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperdam de ciuitate domini omnes qui operantur iniquitatem. Ita denique etiam in manu iustorum gladij ancipites esse dicuntur, sine dubio qui contrarias virtutes perimant. Puto autem quod vehementior ad hæc probanda quæ diximus Apostoli Pauli illa proferri possit assertio, cum dicit: Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Si enim vnus est Satanas, quomodo potest ipse contritus esse sub pedibus seruorum dei, & iterum operari? Si enim contritus est, & à deo contritus, operari vltra non potest. Ne forte ergo tanti esse putandi sint Satanæ, quanti sunt illi, qui operantur opera Satanæ. Hoc enim mihi videtur indicare & in Sapientia, vbi dicitur, quia impius maledicens Satanam, ipse maledicit animam suam. Sed & in alio quodam libello, qui appellatur Testamentum duodecim patriarcharum, quamuis non habeatur in canone, talem tamen quendam sensum inuenimus, quod per singulos peccantes singuli Satanæ intelligi debeant. Euidentius autem & ipsa nominis eius interpretatio (sicut studiosi Hebræorum tra- C dunt) hoc idem significare videtur. Satanas nanque aduersarius dicitur. Omnes ergo qui aduersantur dei voluntati, Satanæ possunt dici. Hæc ergo diximus pro eo quod scriptum est, quia confortauit dominus corda eorum vt exirent ad prælium contra Israel, vt exterminarentur. Beatus ergo est qui indesinenter spiritalem machæram tenens, non aufert eam à ceruicibus horum hostium, de quibus superius memorauimus, sicut & Hieremias propheta dicit: Maledictus homo qui facit opera domini negligenter, & aufert machæram suam à sanguine inimicorum. Hoc si secundum literam intelligamus, necesse erit non indesinenter sanguinem fundere. Quod Iudæi putantes qui ex integro caro sunt & sanguis, crudeles & implacabiles fiunt, dicentes maledictionem positam esse iis, qui à sanguine effundendo cessauerint, & ideo pedes eorum veloces sunt ad effundendum sanguinem. Sed illis huiuscemodi intelligentia, quia caro & sanguis sunt, videatur: mihi autem præstet dominus nunquam negligere opera domini, nec auferre spiritalem gladium verbi dei à sanguine contrariarū virtutum, & mortificare eas in vno quoque auditorum. Interficiuntur autem in vobis ita demum, si his auditis earum opera non agatis. Dicitur autem in consequentibus, quia cepit Iesus omnem terram, sicut mandauit dominus Moysi. Ille Iesus filius Naue, non video quod ceperit omnem terram. Quantum enim terræ cepit, qui Iudæā tenuit solam? Noster autem dominus Iesus ipse vere cepit omnem terram, in eo quod ex omni terra, atque ex omnibus D nationibus ad eum concurrit gentium multitudo. Additur etiam post hæc [posteaquam omnem terram cepit Iesus: & requieuit, inquit, terra à bellis.] Hoc quomodo vere videbitur dici de filio Naue, quia cessauit terra à bellis, quæ nunquam ferè temporibus eius cessauit à bellis? Sed hoc completur in solo domino meo Iesu Christo. Si enim considereres te qui venisti ad Iesum, & ab eo per baptismi gratiam, remissionem consecutus es peccatorum, & iam in te non pugnat caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, cessabit terra tua à bellis: si tamen mortem Iesu Christi in corpore tuo circumferas, ita vt cessantibus in te omnibus præliis efficiaris pacificus, & filius dei voceris. Sed hoc fiet posteaquam bella transegeris, & aduersarios viceris. Tunc tibi dabitur requies, vt requiescas sub vite tua, qui est Christus Iesus, & sub ficu tua, qui est spiritus sanctus, vt ita gratias referas deo patri omnipotenti in ipso Christo Iesu domino nostro: cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Matt. 8. — *Luc. 8.* — *Rom. 16.* — *Testamentum duodecim patriarcharū liber apocryphus* — *Hier. 48.*

De eo quod scriptum est, & Iesus erat presbyter, hoc est senior & prouectus in diebus suis. è Cap. XIII.
Homilia XVI.

E

Etiam ante nos quidam obseruantes notarunt in scripturis, quia presbyteri, vel seniores non ex eo appellantur, quod longæuam duxerint vitam, sed pro maturitate sensus, & grauitate vitæ veneranda hac appellatione decorentur, maxime cum additur ad presbyterum sermo iste qui sequitur, plenus dierum. Si enim æui prolixitate appellandus, qui presbyter, vel senior videretur, quem magis oportebat alium hoc nomine censeri, quā primum Adam, vel certe Matusalem, aut Noe, qui vtrique pluribus quàm cæteri annis in hoc mundo vixisse declarantur? Sed nunc videamus quod ex illis quidem nullus refertur à scriptura presbyter aut senior appellatus, sed is qui longe breuioris temporis vitam duxit, primus in scripturis sanctis Abraham presbyter, vel senior appellatur. Dictum est etiam ad Moysen à domino: Elige tibi ab omni populo presbyteros, quos tu nosti quia presbyteri sunt. Sed obserua etiam tu ô auditor in omni scriptura, sicubi inuenire potes appellationem hanc senior & plenus dierum, positam super aliquo peccatore. Nunc ergo sancti spiritus vox est pronunciantis Iesum presbyterum, vel seniorem, & prouectum in diebus. Ita enim dicit: [Iesus enim erat, inquit, presbyter, vel senior & prouectus dierum.] Quod vtique de peccatore dici non poterat, quia peccator non est prouectus dierum. Non enim se extendit ad ea quæ ante sunt, obliuiscens ea quæ retror- F sum sunt, sed semper retro conuertitur, & ad vomitum suum redit, & ideo non aptus est regno cœlorum. Qui autem ad priora extenditur, & ad perfectionem fertur, iste prouectus est in diebus suis. Et nunc ergo dicit dominus ad Iesum: [Tu prouectus es in diebus tuis.] Nescio ego si in hoc loco illud potest videri, quia hoc dicebat dominus ad Iesum, quod de ætate eius senili omnes videbant, & omnes nouerant. Et quæ sunt tam magna responsa ista diuina, quæ hominibus deferuntur, vt dicant seni homini, quia senex es, quod omnes videbant, & omnes nouerant? Sed mihi videtur magnum aliquod testimonium à domino per hæc dari filio Naue, cum ei dicitur, quia prouectus dierum es. Et quātum quidem proloqui nobis, vel aperire de diuinis mysteriis fas est, ego arbitror quod sicut sol iste dies facit mundo huic, ita & sol iustitiæ faciat aliquos dies spiritales, qui fulgore veritatis & lampade sapientiæ illustrentur. Si quis ergo in præceptis Dei vitam hanc præsentem, quæ (sicut Iacob dicebat) paucorum & malorum dierum est, transegerit, & immaculatum se ab hoc mundo custodierit, atque omnes aduersarios, & hostes suos subegerit spiritales, ab istis paucis & malis diebus prouehitur & promouetur ad illos dies æternos & bonos, æterni Solis luce signatos. Tali ergo quodam ordine intelligendus est & Iesus ex diuinis responsis prouectus dierum

Abraham primus appellatur presbyter. — *Exod. 18.* — *Iosu. 13.*

G pronũciari. Verum quoniam instituimus quæ de Iesu dicuntur etiam & ad Dominum & saluatorem nostrum referre, quis ita presbiter & senior prouectus dierum intelligitur, sicut ipse qui est principium, primogenitus omnis creaturæ? Ideo fortassis ipse solus vere & integre presbyter dicitur, ante quem nemo est. Igitur tametsi sunt qui dicãtur in scripturis presbyteri vel seniores, vel pontifices, tamen dominus Iesus sicut in pontificibus pontificum princeps est, & sicut in pastoribus princeps pastorum est, ita & in presbyteris vel senioribus princeps presbyterorum putandus est, & in episcopis princeps episcoporum, & omne quodcunque honorabile nomen est, primum in hoc, & principem esse credendum est saluatorem, quia ipse est omnium caput. Addit autem adhuc responsum diuinum & dicit: [Tu prouectus es in diebus, & terra relicta est multa valde.] In superioribus dicebatur (sicut obseruauimus) quia cessauit terra à bellis, & quia Iesus cepit omnẽ terram: & hic modo dictum est, quia terra relicta est multa valde. Putásne contraria sibi scriptura contineat? Hoc ne leuiter suspicandum est. Sed redeamus ad intelligentiam spiritalem, & in ea nihil inuenies esse contrarium. Intuere domini & saluatoris nostri primo quidem aduentu cum venit seminare verbum suum in orbem terræ, quomodo cepit omnem terram solo seminis iactu, & quomodo aduersarias potestates ex ea & angelos refugas, qui gẽ-H tilium mentes obsederãt, effugauit, & interim seminauit verbum atque ecclesias propagauit. Hæc est prima eius totius terræ possessio. Sequere autem me ô auditor per subtiles lineas verbi, & ostendam tibi quomodo etiam secundo capiat terram hanc, quæ nunc dicitur ad Iesum multa esse derelicta. Audi de eo Paulum dicentẽ: Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos scabellum pedũ suorum: *1. Cor. 15.* Hæc ergo est terra, quæ nunc multa dicitur esse derelicta, donec omnes omnino subdantur sub pedibus eius, & per hęc hæreditate capiat vniuersos. Et hæc est, inquit, terra, quæ derelicta est, omnes fines Philistiim, & alia quamplurima quæ sequuntur. Multa adhuc supersunt quantum ad nostra tempora spectat, quæ videmus nondum pedibus Iesu esse subiecta, quæ necesse est vtique omnia obtinere. Neque enim finis esse poterit rerum, nisi fuerint ei prius cuncta subiecta. Sic enim & propheta dicit, quia omnes gentes seruient ei, & à finibus fluminum vsque ad fines orbis terrarum in conspectu eius procident Æthiopes, & de trans ripas fluminum Æthiopiæ offerent sacrificia. Vnde constat quod in *Psal. 71* secundo aduentu hanc terram multam quæ superest, obtinebit Iesus: sed beati sunt illi, qui in primo eius aduentu obtẽti sunt. Isti enim vere grati erunt, qui multis aduersariis resistentibus, & multis hostibus impugnantibus, bello & armis hæreditatem terræ repromissionis accipiunt. Cum verò ex necessitate quis fuerit subiectus, tunc quando etiam nouissimum inimicum destrui necesse est, scilicet mortem, non erit I iam gratia iis qui subiiciuntur. Post hæc cum enumerasset plurimas gentes, de Sidoniis solis dixit: [Et omnes Sidonios ego exterminabo à facie filiorum Israel.] Nominati sunt Chananæi, nominati sunt & ij qui contrã faciem Ægypti sunt, & ij qui sunt ex finibus Accaron, & à sinistris partibus fluminum, & aliæ quamplurimæ gentes, & de solis Sidoniis dicit dominus quod eos euersus sit. Sidonij dicuntur autem (sicut ante iam diximus) venatores. Qui ergo intelliguntur isti mali venatores quos dominus exterminat, nisi illæ virtutes cõtrariæ de quibus dicit propheta: quia laqueos parauerunt pedibus meis? quibus scilicet venentur & decipiant animas ad peccatum. Istos ergo dominus exterminat: quia si isti tales interierint venatores, cum iam nemo fuerit qui laqueos tendat & retia, vt decipiat animas in peccato, tunc requiescet vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua. Sed & illud nobis hodie lectum est, quia Moyses dederit hæreditatem quibusdam: post hæc verò legitur, quia & Iesus secundum præceptum domini distribuit hæreditatem. Primus ergo Moyses hæreditatem distribuit, secundus autem Iesus. Nunc Moysen legem intellige. hi ergo qui secundum legem vixerunt, primi acceperunt hæreditatem, sed extra terram repromissionis. Tum deinde cum accepissent terram hæreditatis, non eam possident neque diuidunt inter se, sed expectant vsquequo eis per Iesum distribuatur in sorte. Nónne euidenter hoc est K quod Apostolus dicit ad Hebræos, scribens de prioribus patribus, quos dixit fide placuisse deo? Et addit dicens: Ij autem omnes testimonium habentes per fidem nondum consecuti sunt repromissiones, deo pro nobis aliquid prouidente, *Heb. 11* vti ne sine nobis perfecti efficerentur. Habent igitur iam repromissionem suam, & requirunt, & digni iudicati sunt per Moysen capere hæreditatem: veruntamen adhuc & ipsi pugnant, & in certamine sunt pro iis qui sub Iesu militant. Sed requiris qui sint isti qui pugnant, & quæ est illa pugna quam illi gerunt. Ego sic arbitror quod omnes illi qui dormierunt ante nos patres, pugnent nobiscum & adiuuent nos orationibus suis. Ita nanque etiam quendam de senioribus magistris audiui dicentem in eo loco, in quo scriptum est in Numeris *Patres veteris testamenti orant pro nobis* quia ablinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in campo. Dicebat ergo: Quare huiusmodi similitudo assumpta est, nisi quia hoc est quod intelligendum est in hoc loco, quod synagoga domini, quæ nos præcessit in sanctis, ore & lingua consumit aduersariam synagogam, id est, orationibus & precibus aduersarios nostros absumit? Non ergo armis pugnandum est nobis aduersum hostes nostros inuisibiles, sed orationibus, & verbi dei meditationibus, & operibus, ac sensibus rectis. Sic enim armabantur & patres, fide & operibus vincentes. Vide denique quia sic scriptum est de eis: Crediderunt, inquit, deo, & Moysi famulo eius. Et tunc cantauit Moyses canticum hoc *Exo. 14.* & dixit: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. Ita ergo & nos fide plena opera perfecta, indesinentes orationes, meditationem verbi diuini, intelligentiam spiritalem colentes, & in his omnibus velut armis dei muniti, stemus L aduersus astutias diaboli, inuocantes deum adiutorem nostrum in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

De eo quod Leuitæ non acceperunt in hæreditatem terram. Ex Cap. XIII.
Homilia XVII.

SICVT vmbræ & exemplari deseruiunt cœlestium ij, qui legem suscipiunt, quæ est illius veræ legis vmbra, ita exemplar & vmbra sequuntur diuisionis cælestis ij, qui in Iudæa hæreditate diuidunt terram. Erat ergo in cœlis veritas, vmbra verò & exemplar veritatis in terris. Et donec vmbra hæc constabat in terris, erat Hierusalem terrestris, erat templum, erat altare, erat & visibilis cultus, erant pontifices & sacerdotes, constabant etiã ciuitates & vici Iudææ, & omnia hæc quæ nunc in hoc libro descripta recitantur. Cũ verò in aduentu Saluatoris nostri dei è cœlis descẽdens veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit, vmbrę & exemplaria ceciderũt. Cecidit enim Hierusalem, cecidit templum M altare sublatum est, vti iam neque in monte Garizin neque in Hierosolymis sit locus vbi oportet adorare, sed veri adoratores qui adorant patrem in spiritu & veritate adorent. *Ioan. 4.* Sic ergo præsente veritate, typus & vmbra cessauit: & cum adesset templum, quod per spiritum dei, & virtutem altissimi in vtero virginis fabricatum est, dirutum est templum ex lapidibus fabricatum. Aderat pontifex futurorum bonorum, cessauerunt pontifices taurorum & hircorum. Venit agnus dei, qui tollit peccatum mundi, destitit agnus ex pecudibus assumptus. Igitur si hęc omnia quæ in vmbra prioribus data fuerant, præsente & assistẽte veritate cessarunt, cõsequens sine dubio erat, vt hęreditate regni cœlorum patefacta, hæreditas terrena cessaret. Ratio autẽ qua hæc cuncta desinerent, *Cur sacrificia desierint inter Iudæos.* illa est, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus deo, ne qui forte ex incredulo populo, occasiones suæ infidelitatis acciperent, & habentes vmbras antiquitus sibi traditas, vel pontificij, vel sacerdotij, videntur sibi permanente antiqui cultus statu præuaricari religionis ordinem si transirent ad fidem. Propterea ergo auferri hæc omnia quæ in terris dudum fuerant adumbrata, diuina prouidentia dispensauit, vt viam quodammodo accipiant requirendæ veritatis cessantibus typis

A pis. Si ergo veniens ad Hierusalem ciuitatem terrenam ô Iudæe, inuenies eam subuersam, & in cineres ac fauillas redactam, noli flere, sicut nunc facitis tanquam pueri sensibus, noli lamentari, sed pro terrena require cœlestem. Sursum respice, & ibi inuenies Hierusalem cœlestem, quæ est omnium mater. Si altare videris destitutum, nolo contristeris. Si pontificem non inuenias, nolo despeses. Est in cœlis altare, & assistit ei pontifex futurorum bonorum secundum ordinem Melchisedech electus à deo. Sic ergo vobis pietate & misericordia dei etiam hæreditas terrena sublata est, vt hæreditatem quæratis in cœlis. Veruntamen videamus quid est quod per vmbram describitur, quia in vmbra legis veritas reformatur. Refertur ergo prima & secunda hæreditatis facta diuisio. Prima quidem per Moysen: secunda verò, quæ potentior est, per Iesum facta describitur. Et Moyses trans Iordanem tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidiæ tribui Manasse possessionem decernit, cæteri verò omnes per Iesum suscipiunt hæreditatem. Diximus de his iam prius, quomodo ij qui per legem placuerunt deo, præcedentes tempore eos qui per fidem Iesu ad repromissionem veniunt, non per illam quæ perfecta sunt consequuntur, expectantes eos qui posteriores diuerso quidem tempore sed vna fide placebunt (sicut apostolus dicit) vti ne sine nobis perfectionem consequerentur.

Gal. 4. *Heb. 5.* *Heb. 11.*

B Interea Leuitis neque Moyses dedit hæreditatem, neque Iesus, quia dominus deus ipse est hæreditas eorum. In qua re quid aliud sentiendum est, nisi quod sint in ecclesia domini quidam, virtute animi & meritorum gratia cæteros omnes præcedunt, quibus ipse dominus hæreditas esse dicitur? Et si fas est audere in talibus, & arcani reconditi aliquid aperire, videamus ne forte illud sit, quod sacerdotum vel leuitarum figuram latenter ostendit, quia in omni populo (eorum dico qui saluantur) maior sine dubio pars est, & longe numerosior eorum, qui simpliciter credentes in timore dei, per opera bona, & per honestos mores, & actus probabiles domino placent. Pauci verò sunt, & valde rari, qui sapientiæ ac scientiæ operam dantes, & mentem suam mundam purámque seruantes, atque omnibus præclaris virtutibus suas animas excolentes, cæteris simplicioribus per doctrinæ gratiam illuminant iter quo gradiuntur, & veniunt ad salutem. Ii fortassis nunc sub Leuitarum & sacerdotum nomine designantur, quorum hæreditas ipse dominus, qui est sapientia, quam præ cæteris omnibus dilexerũt, esse perhibetur. Inuenio tamen aliquam differẽtiam in iis quæ Moyses distribuit, & in iis quæ Iesus. Moyses nanque duabus & semis tribubus terram distribuens vltra Iordanem, non dedit Leuitis habitaculi portionem quæ eos contingebat: Iesus autem dedit, non solum in iis tribubus quas ipse dispensat, verum & in illis quæ à Moyse trans Iordanem fuerant collocatæ.

C Habitacula etenim Leuitis in singulis tribubus decernũtur, vt per hoc multo magnificentius mysterium cerneremus. Iste enim ordo Leuiticus vel sacerdotalis, qui dei sapientiæ & scientiæ operam impendit, non potuit à Moyse sortem habitationis accipere: quia non erat Moyses veritatis, sed vmbræ & exemplaris minister. Iesus verò dominus noster, qui erat sapientia dei, ipse habitacula sapientibus præbet. Non enim potuit dicere Moyses, vade vende omnia tua quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Hoc est enim partem dare Leuitis. Nec potuit dicere Moyses, quia qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Nec potuit dicere Moyses, omnis qui non oderit patrem vel matrem & fratres & sorores & filios, insuper etiam & animam suam non potest meus esse discipulus. Hoc Moyses dicere nõ potuit, idcirco ipsa habitacula sacerdotum & Leuitarum dispẽsare nõ potuit. Beatus ergo est qui se talem exhibet, & in istis omnibus quæ præcepit Iesus, inuenitur esse perfectus, vt ab Iesu sortem cœlestis mansionis accipiat in futuro. De quo dicit ipse dominus Iesus: Pater volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum: & sicut ego in te, & tu in me vnum sumus, vt & isti in nobis vnum sint. Quod si quis audiens perfectorum & eminentiorum hæreditatem dominum dici, ignoras & ambigis quid illud sit quod sub hoc nomine designatur, audi quia dominus sapientia est. Cui ergo dicitur hæreditas dominus, istæ hæreditatem sapientiæ capiet. Dominus iustitia dicitur. Cui ergo hæreditas dominus est, iste hæreditatem iustitiæ consequetur. Dominus pax est, dominus redemptio est, dominus salus est, in domino sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hæc omnia in hæreditatem percipiet, cuius hæreditas dominus fuerit. Veruntamen & isti quibus sapientia dei, & verbum dei & veritas & iustitia hæreditas esse dicitur, habitationem interim cum illis accipiunt, quorum hæreditas habetur in terris: vt ex ipsorum consortio ij, qui per semetipsos nondum valent, per illos participes efficiantur sapientiæ & scientiæ dei, & veritatis eius ac verbi. Et ita etiam ad minimos quosque dispensatio diuina pertendit, vt qui principaliter non possunt diuinæ gratiæ capaces existere, illuminari ex istorum consortio mereatur, & compleatur illud, quod scriptum est: Qui multum, non abundauit: & qui minimum, non minoratus est. Sed & illud quod apostolus ad Corinthios dicit de sanctis Hierosolymitis: Vt vestra, inquit, abundantia fiat ad illorum inopiam, & illorum abundantia fiat ad vestram inopiam. Ita ergo & nunc cohabitare iubentur leuita & sacerdos qui non habent terram, Israelita qui habet terram, vt percipiat à sacerdote & leuita cœlestia & diuina quæ non habet. Lex enim dei sacerdotibus cõmissa est & leuitis, vt huic soli operam tribuant, & verbo dei absque vlla sollicitudine vacent. Sed interim vt vacare possint, laicorum vti ministeriis debent.

Cur Leuitæ nihil à Moyse acceperint. *Ioan. 17.* *D* *2. Cor. 8.*

E Si enim laicus quæ necessaria sunt non præbuerit sacerdotibus & leuitis, occupati illi in talibus, id est, corporalibus curis, minus legi dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi dei, tu periclitaris. Obscurabitur enim lux scientiæ, quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ, & culpa tua illud eueniet, quod dixit dominus, quia si cæcus cæco ducatum præbens, ambo in foueam cadent. Sed & illud in te cõplebitur quod dominus dixit: Si enim lux quæ in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt? Vt ergo lux scientiæ in sacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum sit semper accensa, tu imple officium tuum, comple mandatum dei erga obsequia sacerdotum. Quod si forte susceptis à te quæ necessaria sunt, & sic non quasi auaritiam sed quasi benedictionem, illi neglexerint eruditioni operam dare, & verbo dei vacare, & in lege dei meditari die ac nocte, ipsi videbunt quomodo pro animabus vestris reddant domino rationem. Sed deprecemur potius dei omnipotentis misericordiam, vt suo lumine, sua veritate, suo splendore, omnes nos illuminare dignetur & dare lucernam pedibus nostris verbum suum, & lumen semitis nostris, ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui est vera lux mundi, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Mat. 6. 7.

F

De initio diuisionis terræ, quæ diuisa est ab Iesu, & quomodo accessit ad Iesum Caleph, & petijt ab eo Hebron. è Cap. XIIII.

Homilia XVIII.

DISCAMVS ex lege quàm necessariè descripta est terræ diuisio, quæ primo per Mosen, secundò per Iesum dicitur facta, non vt vtranque seruemus, sed rationem vtriusque discentes illam solam teneamus, quæ ab Iesu nostro domino traditur. Igitur illam terram, quæ est trans Iordanem, Moyses distribuit: hanc autem quæ est terra sancta & bona, distribuit Iesus & principes tribuum Israel. Vides ergo quia cum cœperit vera illa hæreditas terræ sanctæ à saluatore distribui, assumuntur etiam principes tribuum veri & spiritalis Israel. Quos autem putamus esse principes tribuum nostrarum, vel ecclesiæ principes, nisi sanctos Apostolos, ad quos dicit Saluator, quia sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel? Assumitur tamen ad diuisionem etiam sacerdos, qui est arcanus & mysticus sermo dei. Sic enim dicit, quia conuenerit Iesus & Eleazar simul ad diuidendam terram. Et videamus quis est, qui primum cepit hæreditatem ab Iesu. [Caleph, inquit, filius Ieffone.] Hic enim primus petit, & petit certis quibusdam rationibus & verbis, quæ descripta sunt, quæ verba etiã pos-

Mat. 19.

sunt nos instruere ad salutem. Primo omnium Caleph interpretatur quasi cor. Quis ergo est quasi cor, nisi is qui in omnibus intellectui operam tribuit, qui non aliquod membrum corporis ecclesiæ esse dicitur, nisi illud quod est in nobis pręclarius cor: id est, qui omnia cum ratione & prudentia gerit, & ita cuncta dispensat quasi non sit aliud, nisi cor? Interpretatur autem & Iessone pater eius conuersio. Hic ergo Caleph filius est conuersionis. Quid nisi quia ad deum conuersus, talem ex se fructum proferret, vt cor filium generaret? Est ergo omnis qui diuinis sensibus vacat, & prudẽter cuncta ac rationabiliter agit, Caleph.] Hic primo quidem eruditus est à Mose, secundo verò ab Iesu, cui assistebat, cui & dicit: [Tu nosti verbum quod locutus est dominus ad Mosen hominem dei. Tu scis verbum quod locutus est dominus.] Quis enim alius nosse potest verbum quod locutus est dominus ad Mosen, nisi Iesus solus? Nemo sic intellexit legem sicut docuit Iesus. Ipse enim omnia docuit, & aperuit, ipse reuelauit Paulo, quia lex spiritalis est. [Sicut locutus est, inquit, de me & de te.] De me, inquit, & de te locutus est Moses. De te quidem, hoc est quod dixit dominus: quia si crederetis Mosi, crederetis vtique & mihi. de me enim ille scripsit. De me verò quod dixit, hoc est Caleph, qui cor est, certum est quia de corde scripserit Moses, quippe qui omnia prudenter sapienterque conscripserit. Ait ergo: [Hodie valeo sicut valebam tunc.] Sanctus quippe similiter valet & in præsentibus & in præteritis, & in nouis & in veteribus, & in Euangeliis & in lege. Hoc est ergo quod dicit, valere se hodie sub Iesu sicut tũc sub Mose, quia in vtriusque testamenti mysteriis cor vigilans valet. Sed videamus etiam petitionem eius quam primam poposcit ab Iesu Caleph filius Iessone. [Peto à te montem hunc, inquit, sicut dixit dominus in die illa.] Nihil humile, vel deiectum sanctus requirit, nihil quod in demersis conuallibus iaceat, sed montem quærit excelsum, sed montem in quo ciuitates magnæ, & munitæ sunt. Scriptum est enim, quia ibi sunt Machi ciuitates magnæ & munitæ. Et hęc poscebat, quia nouerat belligerari, sicut scriptum est: Ciuitates munitas occupabit sapiens, & destruet munitionem in qua cõfidebant impij. Putas cum hæc diceret Salomon, hoc nos volebat docere, quia sapiens caperet ciuitates & munitiones destrueret ex lapidibus cõstructas an illud potius indicat, quòd ciuitates & muri sunt impiorũ dogmata, & syllogismi philosophorum, quibus astruunt impia quæque & diuinæ legi contraria, quæ apud paganos, vel barbaros obseruantur? Sed & illa in his deputanda sunt & ciuitates munitæ esse, atque in montibus collocatæ, quæ hæretici in scripturarum assertionibus, veluti in altis montibus, collocant. Istas ergo ciuitates sapiens quisque verbum prædicans destrui, & vrbes mendacij veritatis ariete subuertit, sicut Apostolus Paulus dicebat: Cogitationes destruentes, & omnem altitudinem quæ se extollit aduersus scientiam dei. Ita ergo etiam nunc hic sapientissimus Caleph assistit ante Iesum, & promittit valere se ad bellum, & promptum esse ad prælium: & ideo deposcit permitti sibi velut disputandi facultatem, vt cõgrediatur cum dialecticis seculi, cum iis qui pro veris falsa confirmant, vt eos confutet & superet, vt subuertat omnia, quæ illi falsis assertionibus construxerunt. Ideo denique videns alacritatem eius, [benedicit inquit, eum,] scilicet quod talia deposcat, & audeat. Sed & tu si vis dare operam studiis, & legem dei prudẽter meditari & effici cor in lege dei, potes istas magnas & munitas vrbes, id est, assertiones subuertere falsitatis, vt & tu merearis benedici ab Iesu, & accipere ab eo Chebron. Interpretatur autem Chebron coniunctio, vel coniugium. Per quod potest fortasse illud ostendi, quod spelunca duplex comparata ab Abraham patriarcha in ea est, in qua coniugia patrum & reliquiæ eorum iacent, id est, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lia. Meruit ergo Caleph patrum reliquias in hæreditatem suscipere, sine dubio quia per sapientiam quæ in eo erat, qua vigebat & sub Mose & sub Iesu, intellexerat coniunctionis ipsius rationem, & perspexerat quid esset causæ, quod cum Abraham sola Sara ibi iaceret, & neque Agar, neque Cethura ei meruisset adiungi: vel quid esset causæ quod cum Iacob sola Lia iacere videretur, & neque Rachel, quæ amplius fuerat dilecta, neque aliqua ex concubinis in sepulchro ei fuerat copulata. Ipse ergo in memoriis patrum hæreditatem capit prudẽs & sapiens Caleph: Ipsi Iesus Enachitarum gentis Metropolim tribuit Chebron, & efficitur ei sors vsque in hodiernum diem. Vtinã & mihi daretur sors Abraham & Isaac & Iacob, & efficeretur deus meus sicut effectus est deus Abraham, & deus Isaac & deus Iacob, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Rom. 7. Ioan. 5. H Philosophi structores Paganismi. 1 Cor. 10 I Hebron coniunctio. In Hebron Patriarcharũ reliquiæ K

De finibus hæreditatis tribus Iuda. Ex Cap. XIIII. Homilia XIX.

DISTRIBVIT Moses hæreditatem, distribuit hæreditatẽ & Iesus. Sed non est scriptum in distributione hæreditatis Moysi, quia cessauit terra à bellis: in distributione verò Iesu ipsa verbi præfatio incipit: [Et cessauit, inquit, terra à bellis.] Si ergo tu dignus vis effici qui hæreditatem consequaris ab Iesu, & sumere ab eo portionem, oportet te prius omnia bella finire, & in pace consistere, vt etiam de tuæ carnis terra dicatur, quia cessauit terra à bellis. Tunc deinde cum consuetudo sit sanctæ scripturæ quatuor partes orbis terræ, quas vel axes, vel plagas nominat, appellare, in descriptione finium tribus Iudę, duæ tantummodo nominãtur, duæ reticẽtur. Scriptum enim sic est: [Et facti sunt fines tribus filiorum Iuda secundum plebes eorum, à finibus Idumææ, à deserto Sin, ad occidentem.] Et cum descripsisset fines ab occidente, tunc deinde dicit: [& ab oriente omne, inquit, mare salsum]: & alias duas partes reticuit, id est, septentrionis, vel meridiani. Vide ergo si non repleta sunt ista mysteriis. Licet nos singula vel sentire, vel explicare nequeamus, tamen prout dominus præbere dignatur, & nos capere valeamus, discutere singula quęque tentabimus. [Facti sunt, inquit, fines Iuda secundum plebes eorũ à finibus Idumææ à deserto Sin ad occidentem.] Igitur fines Iudææ proximi sunt finibus Idumææ. Idumæa verò (sicut sæpe iã diximus) interpretatur terrena. Post terrenã ergo statim consequũtur fines Iudææ. Sed & à deserto, inquit, Sin. Interpretatur autem Sin, tentationes. Post tentationes ergo consequuntur fines hæreditatis Iudææ. Occidens & oriens nominatur, & vicina loca ea quæ suprà diximus, imò confinia. Sed vallis Ægypti vicina occidentalibus partibus designatur, quæ est à deserto ad occidentem: ab oriente verò cingũtur fines mari salso. Post hoc, [à collibus inquit, qui tenduntur ad occidentem, & inde ascenditur ab occidente vsque Cades Barne, [& sic pertenditur ab occidente ad occidẽtem Cades. & hi sunt fines eorum ab Africo, & inde perrexit vsque ad vallem Ægypti. Vides quomodo in occidentis partibus & Africum & Ægyptum nominat & occasum? Sine dubio, vt hæc omnia sciat sibi vnusquisque euadenda esse & transeunda, vt ita demum possit ad tribum regiam peruenire, de qua dicit Apostolus. Certum est autem quod ex Iuda ortus est dominus noster. A finibus autem Idumææ est desertum. Paulo ante diximus de deserto Sin, quod tentationes significaret, & ideo necesse est nos transire eremum tentationum, vt sic possimus peruenire in hæreditatem filiorum Iuda. Sed & ascendere nos oportet ascensum collium Acrabin, quod interpretatur scorpiones. Transeundi ergo nobis sunt & calcandi etiam scorpiones, illi sine dubio de quibus Saluator ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpẽtes, & scorpiones. Qui ergo vult, & desiderat ingredi in hæreditatem tribus Iudæ, oportet eum ascendere ascensiones istas, & calcare atque euadere scorpiones qui obsistunt. Vnde arbitror quod istud iter agenti Ezechieli prophetę dicebat dominus: Filij hominis in medio scorpionum tu habitas. [Et sunt, inquit, fines vsque Cades.] Cades interpretatur sanctum vel sanctificatio. Fines ergo Iudæ vsque ad sanctificationem perueniunt. Sed videamus etiam qui sint fines ex partibus orientis. Non quo velim nunc locorum catalogum facere, sed vt mysteriorum

L Idumæa terrena. Sin tentationes. M Heb. 7 Acrabin scorpiones. Luc. 10 Ezech. 2

quæ

A quæ per hæc significantur conticeantur imagines. Dicitur ergo ab orientis partibus tribus Iudæ mare esse salsum, & post hoc in parte eius nominatur fons solis, & ciuitas solis, & in eadem tribu esse etiam ciuitas literarum. Oporter igitur omnem qui vult introire in partem filiorum Iuda, transire prius mare salsum, vitæ scilicet huius vndas & turbines superare, & euadere omnia quæ in hoc mundo pro incerto sui & lubrico marinis fluctibus comparantur, vt possit ad Iudæ terram peruenire, & ad fontem solis accedere. Quis autem est fons solis, vel cuius solis? illius sine dubio, de quo scriptum est: Timentibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ. Huius ergo solis, si prius euaseris mare salsum, fontem inuenies in terra Iudæ. Quem fontem? Illum profecto, de quo dicebat Iesus: Qui autem biberit de aqua quem ego do ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Huius igitur solis cum talem qualem diximus inueneris fontem, inuenies etiam ciuitatem eius. [Est enim, inquit, ibi & ciuitas solis.] Dicitur & in Ægypto ciuitas solis. Sed ista ciuitas quæ in Ægypto est, huius solis nomen accepit, quem pater cœlestis iubet oriri super bonos & malos. Illa verò ciuitas quæ in Iudæa est, sanctorum tantummodo efficitur, quia ciuitas Dei est. Et fons ille de quo superius diximus, fluuius effectus est lætificans ciuitatem Dei. Sed & tu si ex omni parte munitus sis, & continentiæ muro circundatus, si sapientiæ & magnanimitatis turribus confirmatus es, etiam tu efficieris ciuitas dei. Si verò ad

Malac. 4
Ioan. 4.

B hæc omnia adieceris tibi scientiæ lumen, sicut dixit Esaias: Illuminate vobis lumen scientiæ, & sol te iustitiæ radiauerit, efficieris etiam tu ciuitas solis, vel ciuitatem solis sorte hæreditatis accipies. Sed & si te tradideris legi dei, & in ipsa meditaberis die ac nocte, vt non recedat liber legis de manu tua, sicut dicitur ad Iesum, & si memor sis præcepti Saluatoris: si ergo talibus te studiis mancipaueris, & eruditionem legis diuinæ, vel legendo, vel audiendo obtinueris, tuæ portionis efficitur ciuitas literarum. Et hæc quidem nos pro possibilitate sensus nostri, vel etiam pro vestri auditus capacitate discussimus: summa verò scientiæ, & profundior ac lucidior horum intelligentia apud illos erit, qui veram hæreditatem veri & vnigeniti filij dei, quæ repromissa est iis, qui eum perfecte dilexerint consequi merebuntur, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De difficultate intelligentiæ, & de Caleph quomodo accepit Hebron, & de filiabus eius. Cap. X V. Homilia XX.

C SI quibus possibile est ascendere ad terram sanctam, & bonam terram viuentium, in qua mors non est, si quis per spiritum meruit ad hæc videnda conscendere, ille potest verius nosse hæreditatem, & locorum & appellationum quæ in his locis scriptæ sunt, differentias. Verum quia difficile est ita eruditam, vel gratia spiritus repletam inuenire animã, conabimur nos consolationis communis causa, ne forte tædio efficiatur auditoribus sermo diuinus & lectio, si nihil explanationis accipiat, orantibus vobis, & domino donante hæc interim de huiuscemodi lectionibus perstringere, quæ ædificare possint animas nostras. Si qua autem sunt, quæ nos ad præsens sentire non possumus, vel vos nondum potestis audire, ex his tamen quæ disserimus correctiores atque emendatiores redditi, etiam illa quæ nunc capere non possumus, meliores effecti comprehensuros nos sperare debemus. Et quidem optimum erit hæc assequi, dum in hac vita sumus, vbi laboris præmium iustum est: sin minus, post obitum fortasse innotescent iis, qui merebuntur. Veruntamen etiam illud admoneo, non parum ex hoc ipso vtiliratis animæ conferri, quod aures nostras licet obscura videantur, penetrant. Si enim creditum est à gentibus, quod quædam carmina, quas præcantationes appellant, quibus istud artis est insusurrantes, nominibus quibusdam compellatis quæ ne illi quidem qui inuocant, norunt, ex solo vocis sono vel sopian-

Post obitum mysteria innotescent piis.

Ignota scripturæ prosunt non intelligentibus: quod similitudine eleganti cõfirmat.

D tur serpentes, vel etiam de cauernis protrahantur abstrusi: sæpe autem & in corporibus humanis tumores, aut alia huiuscemodi voce sola reprimere dicuntur, interdum etiam animæ stuporem quendam sensus infligere, vbi tamen Christi non restiterit fides: quanto magis totius præcantationis, & carminis validiorem & potentiorem ducendam credimus quamcunque illam scripturæ sanctæ, vel sermonum, vel nominum appellationem? Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes audientes illa vel illa nomina in carminibus, vel præcantationibus, adsunt & exhibent famulatum, & dant operam in hoc, ad quod inuocari se ex illo vel ex illo nomine senserint, officij sui rem quodammodo ac ministerij cui semetipsos mancipauerint dependentes: eo magis vtique cœlestes virtutes & angeli dei, qui nobiscum sunt, sicut dominus de paruulis ecclesiæ dicit, quia angeli eorum semper assistant in conspectu domini, videntes faciem eius, libenter & grate accipiunt, si semper verba scripturæ, & horum nominum appellationes velut carmina quædam & præcãtationes ex nostro ore promamus. Quia etsi nos non intelligimus quæ de ore proferimus, illæ tamẽ virtutes quæ nobis adsunt intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ adesse nobis, & ferre auxilium delectantur. Quia autem sunt non solum circa nos multæ diuinæ virtutes, sed etiam intra nos, indicat propheta cum dicit in psalmis: Benedic anima mea dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Hoc est omnia quæ intra me sunt. Constat ergo multas esse virtutes

Mat. 18.

E intra nos, quibus vel animarum nostrarum, vel corporum cura permissa est, quæ vtique si sanctæ scripturæ legantur à nobis delectantur, & validiores erga nostri diligentiam fiunt si linguis loquamur, & spiritus noster oret, sensus autem noster sine fructu sit. Dixit enim & hoc sanctus Apostolus, & mirum quodammodo mysterium humanis auribus protulit, dicens aliquando fieri posse, vt spiritus qui in nobis est oret, & sensus noster sine fructu sit. Intellige ergo ex hoc, quia fit aliquando noster quidem sensus sine fructu: spiritus autem, id est, virtutes illę, quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt, pascuntur & reficiuntur ex auditu scripturæ sanctæ, velut ex diuinis & rationabilibus cibis. Quid dico quia diuinæ virtutes pascantur & epulentur in nobis, si nos verba diuinæ scripturæ proferamus ex ore? Ipse dominus noster Iesus Christus si nos inueniat his vacantes, & huiuscemodi studiis & exercitiis operam dantes, non solum pasci & refici dignatur in nobis, verumetiam si has epulas apud nos viderit apparatas, patrem secum dignatur adducere. Sed hæc quia satis magna, & supra hominem videntur, non meis tibi, sed ipsius domini & saluatoris sermonibus comprobentur dicentis: Amen dico vobis quia ego & pater veniemus, & mansionem faciemus, & cœnabimus apud eum. Quem? illum profecto qui sua mandata custodit. Sed sicut diximus, quia sicut ex huiuscemodi meditationibus, diuinarum erga nos virtutum consortia & officia prouocamus: ita è contrario malignarum virtutum insidias, & pessimorum dæmonum incursiones, ex huiuscemodi sermonum, & nominum appellationibus effugamus. Verbi gratia, vt si quis vestrum aliquando perspexit præcantationibus sopitum serpẽtem portari in manibus, vel protrahi de cauernis nihil valentem nocere venenis, vtpote incantationis virtute torpentibus: ita etiam lectionis diuinę virtute, si quis intra nos est contrariæ potestatis serpens, si quis ad insidiandum coluber latet, si patienter feras, si non tędio fatigatus auertas auditum, scripturæ carminibus & diuini sermonis assiduitate depellitur. Si ergo vides ô auditor aliquando legis scripturam in auribus tuis quam non intelligis, & sensus eius tibi videtur obscurus, interim hanc primam suscipe vtilitatem, quod solo auditu velut præcantatione quadam, noxiarum virtutum, quæ te obsident & quæ tibi insidiantur, virus depellitur & fugatur. Obserua tantum ne efficiaris sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas, ne audiant vocem incantationis, & veneficij, quod incantatur à sapiente. Verbi causa, est carmen quod præcãtatur à sapiente Mose, & quod præcantatur & canitur à sapiente Iesu Naue, & quod præcantatur & canitur à sapientibus omnibus prophetis. Hæc autem idcirco diximus, ne fastidium capiamus audiẽtes scri-

Psal. 104

Contra eos qui rem diuinam fieri nolunt lingua latina vel græca.

1 Cor. 14

Spiritus apud Paulũ angelus custos.

Ioan. 14.

F

G pturas, etiam si non intelligimus, sed fiat nobis secundum fidem nostram, credentibus quia omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est. Si ergo diuinitus inspirata est & vtilis, etiam si non sentiamus vtilitatem, credere tamen debemus quia vtilis est. Solent medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, verbi gratia ad discutiendam caliginem visus: nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus quia vtile est, & prodest oculis: sed cum transierit visum cibi illius aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis. Sed & in aliis similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est etiam de scriptura sancta, quia vtilis est, & animæ prodest, etiã si sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam (vt diximus) & bonæ virtutes quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus & pascuntur, & contrariæ torpescunt his meditationibus, & effugantur. Sed fortasse dicitur ab auditoribus: Hæc nobis idcirco dicis, vt te ab officio disputationis excuses, & in iis finias, neque quicquam prorsus vel ex iis quibus possibile est, consolationis exhibeas, neque vt dominum depreceris præstare gratiam suam ad reuelanda ea quæ lecta sunt, vt paruum saltem cibum ex occultorum & secretorum explanatione sumamus. Non ista de causa hæc diximus, nec excusantes nos ista protulimus, sed vt ostenderemus in scripturis sanctis esse vim quandam, quæ legenti etiam sine explanatione sufficiat. Nunc verò, quoniam non nobis sufficit tempus vt de omnibus quæ dicta sunt disseramus, vel pauca saltem, prout dominus donauerit, perstringemus. Initium distribuendæ hæreditatis quam Iesus distribuit, incipit à Caleph. Data est enim huic Caleph portionis suæ sors priusquam tribus sua, quæ est filiorum Iuda, perciperet: & datur ei non in extremis aliquibus partibus, sed in medio filiorum Iuda: & data est ei portio non per sortem, sed per præceptum domini, & datur ei ciuitas integra. Quem alium dignum erat talem consequi hæreditatem, & talem percipere portionem, nisi Caleph, qui solus saluus effectus est cum Iesu Naue, ex sexcentis milibus armatorum, qui exierant de Ægypto? Ipsum oportet accipere Metropolim. Et ideo scriptum est: [Dedit ei Iesus ciuitatem Arboc Metropolim Enach, quæ erat Chebron, & exterminauit inde tres filios Enach.] Quid putas nobis volens ostendere etiam hoc designauit, quod Caleph accepta portione hæreditatis suæ, & tres filios Enach exterminauit, & nomina eorum descripsit, id est, Susi, Achimach, & Thalami generationes Enach? Videamus ergo quid est quod nec sufficit ei dicere filios Enach, sed & nomina ipsorum addidit, & super omnia adiecit, istæ erant generationes Enach. Sed & in consequentibus refert, quod accepta hæreditatis sorte Caleph ascendit ad eos, qui habitabant Dabir. Nomen autem Dabir erat prius ciuitas literarum. Videndum ergo est quid est quod prius erat ciuitas literarum, & postea facta est Dabir. Præterea refertur, quia & filiam habens Caleph proposuerit talem quandam conditionem dicens: [Quicunque excindere potuerit ciuitatem literarum, & obtinuerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.] Cúmque ille hoc proposuisset, Gothoniel filius Chenner frater Caleph iunior cepit ciuitatem literarum. Sed & ipsum quæstionis locum scriptura sancta posuerit, si tamen (vt diximus) nihil otiose in verbis prætereundum, quod Gothoniel frater esse dicitur Caleph, & Caleph filius scribitur Ieffone, & Gothoniel filius Chenner. Quomodo ergo videbitur frater esse Caleph, qui non est filius Ieffone, sed ille dicitur filius Ieffone, iste autem filius Chenner, qui dicitur cepisse ciuitatem literarum? De quo additur, quia & iunior erat, & per conditionem virtutis merito acceperit Axam filiam Caleph vxorem, quia excidit & perdidit ciuitatem literarum. Exiens autem de domo patris sui Axa, quæ ei ex certa conditione nuptum tradita est, sedẽs super asinum dicebat viro suo: [Petam à patre meo portionem agri. Et exclamauit de monte, & dixit ei Caleph, quid est tibi? & dixit ei: Da mihi benedictionem, quia in terra austri nuptum me tradidisti. Et accepit Gonetlam superiorem, & Gonetlam inferiorem.] Et conclusit scriptura dicẽs. [Hæc est hæreditas tribus Iuda.] Videtis quia vere auxilio dei opus est, vt hæc explanari queant? Impossibile prorsus est vllum hominum de iis disserere, nisi illuminatus per dei gratiam fuerit. Ideo ergo iuuate me orationibus, & mecum pariter laborate, vt dominus in his tam obscuris & absconditis locis lucem veritatis nobis dignetur ostendere, vt & nos vobis possimus aperire quomodo hæc vera & vtilia & diuina sunt, sed pro fragilitate humanæ naturæ obtecta sacramentis & inuoluta mysteriis. Primo ergo discutiamus quare Metropolim accepit Caleph, & illam quæ prima inter cæteras omnes in terra repromissionis Metropolis nominatur, & Metropolim Enach. Enach interpretatur humilitas inanis vel responsio inanis. Accepit ergo Caleph Metropolim humilitatis inanis. Duas humilitates esse certum est. Vnam laudabilem, de qua dicit saluator: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et de hac humilitate dictum est, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. Et alibi: Humiliamini sub potentissima manu dei. Est autem & alia humilitas culpabilis peccatorum, sicut illa quam de illicito coitu dicit scriptura, quia humiliauit illam, quod de Ammon scriptum est, quia humiliauit Thamar sororem suam. Est ergo humilitas inanis quæ descendit ex peccato. Huius igitur humilitatis inanis Metropolim cepit vel excidit Caleph, & interemit tres filios Enach, qui erant filij inanis humilitatis, & illis interfectis ipse habitabat ciuitatẽ, & facit quæ in consequentibus scripta. Qui autem sunt isti filij inanis humilitatis quos exterminauit Caleph? Primus Susui qui interpretatur extra me, hoc est, extra sanctũ, quia extra sanctum est filius inanis humilitatis, imò & extra deũ. Est & alius Achiman, qui interpretatur frater meus extra consilium, velut si dicamus frater sine consilio. Omnes etenim fratres qui de humilitate inani nascuntur, certum est quia & extra consilium sunt. Tertius Thalami, qui interpretatur præcipitium vel suspensio: quod designat nihil in eo stabilitatis, sed vaga omnia & in præceps ruentia. Istos ergo tres filios Enach exterminauit & interfecit Caleph, & post istos descendit in Dabir. Nomen erat Dabir prius ciuitas literarum. Dabir interpretatur loquela. Sed nomen Dabir, prius ciuitas literarum. Igitur ciuitatem literarum intellige omne testamenti veteris instrumentum: id est, & hanc ipsam quam nunc disserere conamur scripturam, intelligamus esse ciuitatem literarum, quæ postmodum efficiatur Dabir, quod est loquela. Hæc etenim quæ prius in literis erat, & secundum literam intelligebatur, modo in ecclesiis Christo reuelante domino, loquela effecta est, loquentibus & disserentibus primo sanctis apostolis, & remouentibus superficiem literæ, proferentibus verò de ea spiritalem loquelam. Sed & singuli quique doctores ecclesiarum literam legis loquelam, & disputationem Euangelicam faciunt. Qui autem sunt tres filij Enach, quos Caleph, in cuius persona virtutem legis ascripseramus, interimit? Inanis humilitas accipienda est illa, quam omnes huius seculi poetæ vel philosophi de diuinitate senserunt, quia & humilia & deo indigna sunt quæ senserunt. Quid enim tam humile & quid tam inaniter humile quàm ligna & lapides deos astruere? Huius ergo inanis humilitatis filius primus est Susui, qui dicitur extra me, hoc est primus sensus eorum & extra veritatem & extra deum est. Secundus verò Achiman, id est, frater sine consilio. Rectum est verò, quia & iste frater sit illius erroris qui sine consilio geritur. Quid enim tam sine consilio est, quàm relinquere deum qui nos fecit, & sequi eos quos nos fecimus? Tertius erroris sensus est Thalami, quod est præcipitium vel suspensio. Nouissima nanque huius erroris tendunt in præcipitium & in profundum inferni. Ergo hos gentilitatis sensus tanquam filios Enach vetusti erroris abscidit lex, quæ etiam secundum literam deum verum & creatorem omnium prædicat. Sed nunc ascendit Caleph ad istam ciuitatem literarum, & dixit: [Quicunque exciderit ciuitatem istam literarum, & obtinuerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Et cepit eam Gothoniel filius Chenner.] Gothoniel autẽ qui accepit ciuitatem literarũ, interpretatur responsio dei. Respõsio autem

Marginalia: 2.Tim.3. — H Is scripturis vos quædam quæ sine explanatione sufficit. — I — K — Enach humilitas inanis. — Mat.11. — Duplex humilitas. — 1.Pet.5. — 2.Reg.13. — L — Dabir loquela. — M — Poetæ & philosophi humiliter & indignè de Deo senserunt.

A tem dei dici potest, cui respondet deus, hoc est cui reuelat secreta, & pandit arcana. Iste ergo est qui potest accipere ciuitatem literarum, & veteris instrumenti excindere literam occidentem. Frater Caleph iunior. Ego autem sum de ecclesia frater Caleph iunior, qui excisa ac discussa legis litera, sen sum in ea spiritalē requiro. Excindo autem literā, cum iam nō secundū carnem circūcidor, secundum carnem azyma manduco, neque pascha cum Iudæis obseruo, neque sabbatum secundum literam curo. Promissum nanque mihi est, quia si excidero ciuitatem literarum, accepturus sim filiam fratris mei maioris. Eram nanque prius filius Chenner, qui interpretatur spretio literarum, sicut nos gentes alienati à conuersatione Israel, spem non habentes, & sine deo in hoc mundo. Nam prior ille frater meus, cuius nunc accipio filiam pro eo quod excidi ciuitatem literarum, ille filius Ieffone fuit, qui interpretatur conuersio. Dat mihi ergo filiam suam, id est, scientiam dei sui, vel intelligentiam minori fratri dat lex, secundum quod scriptum est: Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Sciēdum tamen est aliud esse legem, cuius nunc personam dedimus Caleph, aliud literam veteris testamenti, quam ciuitatem figuraliter diximus literarum. Accepta ergo filia eius ego frater eius iunior educo eam de domo patris sui. Quæ cum venerit mecum sedens super asinum (super quem asinū? illum sine dubio quem soluerant discipuli saluatoris) dicit ad patrem suum. [Da mihi benedictionem pater. Et accepit Gonetlam superiorem, & Gonetlam inferiorem.] Quod euidentius Apostolus dicit: B Pollicitationem habens vitæ eius quę nūc est & futuræ. Et vt saluator repromittit iis qui verbi sui perfectionem sequuntur, quia accipiant centuplum in præsenti seculo, in futuro autem vitam æternam consequantur. Hoc est ergo accepisse in benedictione Gonetlam superiorem, & Gonetlam inferiorem. Quam benedictionē oremus vt & nos consequi mereamur, per Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

1 Tim. 4
Matt. 19

De filiis Iuda, qui non potuerunt disperdere Iebusæos de Hierusalem. Cap. XV.
Homilia XXI.

FILII Iuda volebant disperdere vel interimere Iebusæos de Hierusalem, & non potuerunt, propter quod habitarunt Iebusæi cum filiis Iuda in Hierusalem vsque in hodiernū diem.] Volumus à litera incipientes inquirere ab iis qui putant hæc secundum literam stare posse, quid dicitur vsque in hodiernum diem: C quod verbum semper scriptura pro eo ponit, vt æternitatem seculi per hoc significet, sicut & dicit: Nolite recedere à domino in hodierno die, id est, donec seculum stat. Ostendat ergo mihi quomodo Iebusæus donec seculum stat, habitet cum filiis Iuda in Hierusalem, quippe cum ne ipsi quidem filij Iuda habitent in Hierusalem. Ideo ergo nec istud verum esse poterit, quod Iebusæi cum Iudæis habitent in Hierusalem, quandoquidem ne ipsi quidem habitant in ea. Sed nos intelligamus hæc spiritaliter, assumentes euangelij parabolam quæ dicit de zizaniis, Sinite vtraque crescere, ne forte cum vultis eradicare zizania, eradicetis simul cum ipsis etiam triticū. Sicut ergo in euangelio permittuntur zizania simul cum tritico crescere: eodem modo etiam hic in Hierusalem, id est, in ecclesia sunt quidam Iebusæi, isti qui ignobilem & degenerem vitam ducunt, qui & fide & actibus, & omni conuersatione sua peruersi sunt. Neque enim possibile est ad liquidum purgari ecclesiam dum in terris est, ita vt neque impius in ea quisquam, neque peccator residere videatur, sed sint in ea omnes sancti & beati, & in quibus nulla prorsus peccati macula deprehēdatur. Sed sicut dicitur de zizaniis, ne forte eradicantes zizania simul cum illis eradicetis & triticum: ita etiam super iis dici potest, in quibus vel dubia vel occulta peccata sunt. Neque enim dicimus de iis qui manifeste & euidenter criminosi sunt, vt non de ecclesia expellantur.

Mat. 13.

Ecclesia in terris plenè purgari nō potest.

Audi ergo scripturam dicentem, quia non potuerunt filij D Iuda disperdere Iebusæos, sed habitauerunt cum ipsis in Hierusalem vsque in hodiernum diem. Vnde deprecor vos qui fideles estis, vt ita vitam vestram & conuersationem seruetis, ne in aliquo vel ipsi scandalum patiamini, vel aliis scandalum faciatis, sed sit vobis summi studij, summęque cautelæ ne quis in hanc sanctam congregationem vestram pollutus introeat, ne quis Iebusæus habitet vobiscū. Vides ergo quia dicit scriptura, quod non potuerunt eiicere filij Iuda Iebusæos de Hierusalem. Iebusæus autem interpretatur conculcatio. Ergo quia non possumus eiicere istos qui nos conculcant, eos saltem quos possumus, quorum peccata manifesta sunt. Vbi enim peccatum non est euidens, eiicere de ecclesia neminem possumus ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum. Mouet me tamen quod dixit, quia non potuerunt eiicere Iebusæos, id est eos qui interpretantur cōculcatio. Et ideo videamus qui sunt in ecclesia conculcantes. Illi sine dubio de quibus dicit dominus in euangeliis: Nolite mittere sanctum canibus, neque margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi elidant vos. Iste est ergo Iebusæus, conculcatio, qui indigni audiunt verbum dei, & cum audierint neque vt infideles discedunt, neque permanent vt fideles, sed percepta mysteriorum notitia, fidei nostræ secretioribus scrutatis conuersi postmodum impugnant nos, & contradictionibus suis corda nostra dirumpunt, conculcantes verbi dominici margaritas, & ornamenta fidei maculantes. De istis ergo dicitur, quia non potuerunt filij Iudæ eiicere Iebusæum de Hierusalem vsque in hodiernum diem. Simile autem aliquid scriptum est & de Effrem, ait enim scriptura: & non disperdidit Effrem Chananæum qui habitabat in Gazer, & habitauit Chananæus in Effrem vsque in hodiernum diem] Effrem E autem interpretatur fructificatio. Qui ergo fructificat & crescit in fide, non potest exterminare Chananæum semen pessimum, semen maledictum, semen semper mobile, semen incertum. Hoc enim interpretatur Chananæus. Et certum est, quia cū eo qui fructificat & crescit, semper habitat Chananæus. Nunquam enim tentationum motus cessant ab eo. Sed tu si vere fructificas in deo, & videns talem aliquem inquietum, turbidum, mobilem, scito quia Chananæus est. Si non potes eum eiicere de ecclesia, quia non potuerunt filij Effren disperdere Chananæos, illud obserua quod Apostolus commendat dicens: Subtrahite vos ab omni fratre inquiete ambulante. Sed quoniam Salomon suadet hæc quæ legimus describi in corde tripliciter, etiam illud præter illa quæ diximus, quod cordi meo occurrit, ad aures vestras proferam: & vos facite quod scriptum est, vt vno dicente omnes examinent. Me ergo dicente quod sentio, vos discernite & examinate si quid rectum est aut minus rectum. De Hierusalem frequenter diximus quod visio pacis interpretatur. Si ergo in corde nostro Hierusalem ædificata, hoc est si visio pacis in corde nostro fundata est, & Christum semper qui est pax nostra, intuemur & seruamus in corde: siquidem ita fixi & stabiles sumus in hac visione pacis, vt nunquā prorsus vlla cogitatio mala, vel alicuius peccati consilium ascendat in cor nostrum: si hoc ita fieri possit, poterimus dicere, F quia in Hierusalem sumus, & nullus alius habitat nobiscum, nisi soli illi qui sancti sunt. Nunc verò cum etiam ad grādem profectum veniamus, & summis nosmetipsos studiis excolamus, tamen non puto cuiquam tantum in corde puritatis euenire, vt nunquam aduersæ cogitationis contagione maculetur: certum est etiam Iebusæos habitare cum filiis Iuda in Hierusalem. Non tamen ideo hæc diximus, quod negligamus quantum fieri potest eiicere eos, sed satis agendū nobis est, & tentandum quotidie eos eiicere de Hierusalem: sed sicut scriptū est, non possumus simul omnes eiicere. Hoc idem autem etiam in iis qui fructificant sentiendum est, qui Effrem filij nominantur, qui & ipsi Chananæos, id est vagas, & lubricas cogitationes semper debent eiicere de animabus suis. Potēs est autē deus, qui & Iebusæos & Chananæos subiiciat nobis, sicut scriptum est: Subiecit autem Chananæos filiis Effrem. Ipsum ergo dominum deprecemur, vt eiiciens à nobis malas cogitationes, bonas inferat, dignas Hierusalē ciuita

Iebusæus cōculcatio.

Mat. 7.

Effrem fructificatio.

2 Thess. 3
Pro. 22
1. Cor. 14.

G te cœlesti, in quibus nihil pollutum inueniatur & sordidum, quod nos in die iudicij ex conscientiæ cogitationibus arguat, sed inueniatur in nobis puritas cordis in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De tribu Effrem & Chananæis. è Cap. XVI. Homilia XXII.

CHANANAEI tertio dicti sunt in filiis esse Effrem: sed obseruemus qui sit in singulis ordo dictorum, id est, quid continet primus sermo qui dicit Chananæos esse cum filiis Effrem, & quid secundus & tertius. Si enim diligentius obseruemus quomodo tertio dicantur esse Chananæi cum filiis Effrem, & domino præstante poterimus inuestigare ordinem dictionum, quid ex primo, quid in secundo, quid in tertio factum refertur: puto quod non erimus increduli, quia vere hæc non vt sola nobis rerum gestarum narratio traderetur, scripta sunt, sed sacramentis diuinis deóque dignis repleta. Primo ergo dictum est, [quia non perdidit Effrem Chananæum qui habitat in Gazer, sed habitabat Chananæus in Effrem vsque in hodiernum diem, & factus est sub tributo seruus vsquequo ascendit Pharao rex Ægypti & accepit ciuitatem, & H incendit eam igni, & Chananæos & Pherezæos & qui habitabant in Gazer trucidauit, & dedit eam Pharao in dotem filiæ suæ.] Secundo: [Et factum est (inquit) quoniam inualuerunt filij Israel, & fecerunt Chananæos subiectos, exterminatione autem non exterminauerunt eos.] Tertio, quando cōtradixerunt viri de tribu Effrem Iesu, volentes secundum numerositatem suam, quia plus erant & validi, maiorem accipere etiam hæreditatis sortem: & iubentur ascendere in saltum, & sibiipsis ampliorem locum capere: & vt possint latiora spatia occupare, iubentur exterminare Chananæum. Videamus ergo nunc quid sibi velit hæc de Chananæis tripartita narratio. Primo Chananæus nobiscum est quidem, & sub tributo est, non est tamen obediens nobis, neque seruus. Secundo etiam seruus efficitur & obediens. Chananęum hic carnem nostram accipiamus, vel ea quæ carnis sunt. Hæc primo nobiscum est, hoc est animæ iuncta est, sed non obediens, nisi tantum quod tributa dependet: id est ministerium quidem agendi aliquid exhibet, vel mouendi, concupiscit tamen aduersus spiritum & non est obediens animæ, sed suis desideriis cedit. Si verò aliquantum profecerimus, efficitur nobis caro seruus, & obediens ac parens animæ voluntati. Et iste est secundus animæ profectus, cum sibi carnē & seruire fecerit & obedire. Tertium verò est, quod perfectum est. Si I enim iam veniamus ad perfectum, etiam exterminādus nobis dicitur Chananæus, & morti tradendus. Quomodo autem hoc in nostra carne completur, audi apostolum Paulum dicentem: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, & cætera quæ sequuntur. Et iterum dicit: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Sic ergo tertio, hoc est cum ad perfectionem venimus, & membra nostra mortificamus, ac mortem Christi in corpore nostro circūferimus, exterminari à nobis dicitur Chananæus. Sed & illud non otiose prætereundum est, quod dicitur Pharao venisse & accepisse ciuitatem Gazer, in qua Chananæus habitabat cum Effrem, & dedisse eam in dotem filiæ suæ. Gazer autem interpretatur constructio. Si ergo corpus & anima in vna atque eadem constructione habitent, id est, coniunctæ sibi inuicem & sociæ, ita vt anima carnaliter viuat, & non festinet anima velocius sibi obedientem & subditam facere carnem, verendum est ne veniat Pharao ex Ægypto, & captiuam ducat infelicem animam, ita vt in dotem eam tradat filiæ suæ. Si enim consideres illud quod dixit Apostolus, exurgere aliam legem in membris nostris, & captiuos nos ducere in lege peccati, inuenies quomodo ille Pharao, qui est auctor & rex peccati, filiæ suæ, quæ est lex peccati, animam quæ carnaliter vixerit, in dotem conscribit. Post hæc etiam hoc videndum est, quod filij Ioseph quæstionem mouent de hæreditate, maiorem sortem requirunt, dicentes ad Iesum: [Quare

Col. 3.
Rom. 8.
Rom. 7.

K nobis dedisti hæreditatis sortem vnam, & pedaturam vnam? Ego autem populus multus sum, & dominus benedixit me.] Si ergo & nos populus simus multus, & benedicat nos dominus, audiemus ab Iesu: [Populus multus es, ascende in saltum, & munda tibi ipsi, & para locum in terra. Expurga Pherezæos & Raphaim.] Necesse est ergo nos eiicere Pherezæos. Inuenimus autem Pherezæos interpretari fructificationem. Sed (sicut sæpe iam diximus de aliis nominibus) in hoc duplex est interpretatio. Est enim fructificatio bona & fructificatio mala, sicut in euangeliis designatur: quia arbor bona, bonos fructus facit, & arbor mala, malos fructus facit. Oportet ergo nos expellere omne quicquid non bene fructificat, & abscindere fructum peccati, & expurgare fructus iniustitiæ. [Sed & Raphaim (inquit) expelle, vel potius expurga de te.] Raphaim inuenimus interpretatum resolutæ matres. Est in anima nostra virtus quædam, quæ parit sensus, & velut mater est eorum sensuum vel intellectuum, qui procedunt è nobis, secundum quod dicitur de anima quasi de muliere: Salua autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide & veritate. Istæ ergo matres, hoc est, ista virtus animæ, illis in quibus fortis est & valida ac robusta, generat sensus validos & potentes, & qui superari à contradicēte non possint. In aliis quidem virtus ista resoluta est & remissa, quod indicatur ex sensibus cum languidi quidam proferuntur & inepti, & nihil in se fortitudinis continentes. Hoc ergo significatur sub nomine Raphaim L vt huiuscemodi de nobis matres remissas, quæ sensus ineruditos & inutiles pariunt, expurgemus. Et bene seruauit spiritalis intelligentiæ proprietatē. Non enim dixit exterminandos Raphaim, sed expurgandos. Non enim ipsos naturalis animæ motus euertere atque exterminare præcipitur, sed expurgare, id est, sordes & immunditias, quæ eis ex nostra negligentia aduenerunt, purgare atque depellere, vt naturalis eius vigor propriæ atque ingenitæ virtutis effulgeat. Post hæc addunt adhuc filij Effrem, & dicunt: [Non sufficit nobis mons, & equus electus, & ferrum Chananæo est qui habitat in meridie.] Nunquam inuenies qui equum habeat Israelitam, sed Chananæus habet illum equum, qui falsus est ad salutem. Habet & ferrum bellicum Chananæus. Sed quid respōdit illis Iesus? [Si populus multus es tu, & virtutem habens, non erit tibi sors vna, quia saltus est tibi, & emundabis eum.] Vides quid ad nos per spiritalem intelligentiam dicitur, vt emundemus syluam quæ in nobis est, & excidentes inutiles & infructuosas ex nobismetipsis arbores, faciamus ibi noualia quæ semper innouemus, & ex quibus fructum capiamus tricesimum & sexagesimum & centesimum? An non eadem nobis euangelij sermo denunciat dicens: Ecce iam securis posita est ad radicem arboris? Omnis ergo arbor quæ non affert fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc prioribus nostris Naue filius præcepit Iesus de infru- M ctuosis arboribus excidendis, hæc nobis dominus Iesus in euangeliis mandata describit: & quomodo non verum est quod vmbra præcessit, & veritas secuta est? Quid autem est quod addidit Iesus: [si emundaueris (inquit) syluam, erit tibi cum exterminaueris Chananæum?] Diximus iam superius quomodo nobiscum positus Chananæus, primo tantum tributa dependet, secundo obediens efficitur & subiectus, tertio verò in membrorum nostrorum mortificatione etiam exterminari dicitur. Quæ si recte intelligimus, & donauit nobis dominus per gratiam suam ita hæc intelligere, sit aliquid operæprecij hæc de secretis & absconditis in publicum produxisse, & venisse ad agnitionem nostram, quæ seruabantur obtecta: & conemur secundum hæc quæ diximus, Chananæum qui nobiscum est, citius subiicere nobis, & obedientem facere, post hæc etiam exterminare: quia si dimittimus eum, & negligimus, veniet Pharao ex Ægypto, & incipiet locum nostrum in dotem dare filiæ suæ, & captiuos nos tradere legi peccati. Sed absit hoc ab Israelitica nobilitate, vt seruiat filiæ Pharaonis Israelita, quem iam deus eduxit de terra Ægypti, iterum seruiat illi, qui in mari rubro submersus est, Pharaoni. Obseruemus ergo sicut & hic dicit Iesus, vt præualeamus nos contra Chananæos: ne forte illi inualuerint super nos & obtinuerint

Duplex fructificatio.
1. Tim. 2.
Mat. 3.

A nuerint nos, de Israeliticis Chananæos nos faciāt, sicut & ille effectus est, quem superauerat carnis illecebra, cui dicitur à propheta: Semen Chanaam, & non Iuda, species seduxit te. Non eueniat ergo nobis audire semen Chanaam, quia maledictus Chanaam puer seruus erit fratribus suis. Nobis autem præstet dominus, vt filij simus Abraham, & Isaac, & Iacob, secundum promissionem hæredes, & ob hoc ex lapidibus suscitati, vt simus filij Abraham à Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Dan. 12

De ratione sortium vbi septem tribus capiunt hæreditatem. Ex Cap. XVIII.
Homilia XXIII.

IN consuetudine hominum cum aliquid sorte diuiditur, fortuitu videtur sors illa ad illum cadere in scriptura autem sancta non ita est. Aliquoties quærebam apud memetipsum, si de tantis, ac talibus patres sancti sortibus iudicium cōmisissent, quod si esset hoc apud sanctos ita gestum, iam de aliis hominibus vel gentibus nihil mirum videretur, si nihil haberetur eximium in iis, quæ à sanctis sorte dicuntur diuisa. Sed videamus si forte in scripturis inuenimus aliquid positum, quod nobis quid virtutis contineatur in sortibus manifestet. Incipiamus ergo B à Leuitico, vbi scriptum est: Et accipient (inquit) duas sortes. Sors vna Domino, & sors vna Apopompæo, hoc est, transmissori. Et super quemcunque venerit sors Apopompæi accipiet hircum, illum, & adducet illum in eremum viuum, & dimittet illum ibi in dimissione sua. Alium verò hircum immolabunt domino. & reliqua, quæ ibi sunt. quæ vtique sciunt qui legunt. Et iterum vbi Moyses sorte diuisit tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidiæ tribui Manasse, quæ poposcerant trans Iordanem accipere terram illam, quam acceperunt filij Israel. Dedit autem etiam Iesus secundum præceptum dei Caleph filio Iessone tribus Iudę sortem. Dedit autem & tribui Effrem, & illi quæ supererat, dimidiæ tribui Manasse. Et post hæc congregauit (inquit) ecclesiam filiorum Israel, & dixit: Mittam sortem, & proferam in conspectu domini sortem, si prius describentes terram, attuleritis descriptionem eius. Et ita post hæc sortibus missis hæreditas populo dei distribuitur, & agitatur sors ista non fortuitu, sed secundum hoc, quod prædestinatum est à deo. Denique tribus Beniamin prima ibi accepit sortem vbi erat Hierusalem, post hanc tribus Simeon secunda, post hanc Isachar, deinde Zabulon, deinde Asser, post etiam Neptalim, inde Dan. In quibus nouissime veniūt tres illæ tribus, quæ ex concubinis descenderāt Iacob. Quę ergo sit ratio sortium apud memetipsum requirebam, vt ex multis testimoniis scripturæ quod latebat agnoscerem. Inueniebā C sane in scripturis etiam gentiles homines vsos esse sortibus, tunc cum nauigaret Ionas, & tempestas vrgeret. Aiunt nanque ij qui nauigabant: Mittamus sortem, & videamus cuius causa hæc tanta malitia est, quasi sors tantum valeret, vt prodere posset, cuius causa periculum nauigantibus immineret. Et quamuis gentiles essent, & alieni à cognitione dei, nō tamen in hac opinione falluntur, sed quod verum erat, prodit eis sors. Denique venit (inquit) sors super Ionam. Quærens ergo de iis, inuenio & Salomonem in prouerbiis dicentem: Contradictiones cohibet sors, & inter potentes definit, veluti cessare ostendens contradictiones, vbi mittitur sors. Sed cum hæc in testamento veteri non pauca referri de sortibus inuenirem, conuerti me etiam ad nouum testamentum vt viderem si forte vel ibi contēnuntur sortes. At ne ibi quidem earum vsus abiicitur, & inuenio quod aliquando cum deesset numero apostolorum vnus apostolus, & esset necessarium in loco Iudæ alium subrogari, conuenientes apostoli, qui vtique multo sapientiores erant quàm ij qui nunc episcopos vel presbyteros vel diaconos ordinant, elegerunt duos & statuerunt in medio: nec tamen de eis sibimetipsis iudicium permiserunt, vt illum facerent quem ipsi volebant, sed orantes (inquit) miserunt sortem, vt ex illis duobus quos statuerant in conspectu dei, id est Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam. Et cecidit D (inquit) sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim apostolis. Præcedente nanque oratione, non iam casu, sed prouidentia, sors diuinum iudicium deferebat. Sed adhuc quærebam in nouo testamento, sicubi sors in Christo vel in ecclesia nominatur, vel in rebus mysticis, & quæ ad animam pertinere videantur. Inuenio Paulum ad Ephesios scribentem dicere de Christo: In qua (inquit) sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius qui ante sperauimus in Christo. Sed & ad Colossenses hæc scribentem: Gratias agentes deo patri qui idoneos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine. Tam multis igitur ex scripturis sanctis de commemoratione sortium testimoniis congregatis, quo ex multorum locorum consideratione virtutem rei possimus diligentius apprehendere, mihi quidem ex iis omnibus vel vidēs adhuc sensus ad liquidum patere non potuit, vel etiam de re tanta enunciandi & proferendi arcani metus insedit. Illud tamen inquantum res patitur contigisse sufficiat, quod nobis ab apostolis sors ducta designat, quia vbi ex fide integra & oratione præmissa sors ducitur, ea quæ dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto. Secundum interiorem verò intellectū, sicut Paulus videtur indicare quum dicit in parte sortis sanctorum, & sorte vocati in Christo, videndum est ne forte non solum in hominibus, sed & in supernis virtutibus sors agatur, & præsideat aliqua virtus huic officio, quæ (verbi causa) Iesu filio Naue nunc sorte hæreditatem distribuenti non ad aliquam gratiam, sed secundum quod scit deo placere, ducatum præbeat: & illi quidem faciat euenire quæ prima sunt, quem scit apud deum primum locum tenere: quo hoc quod in occultis habetur apud deum sortis gubernatione etiam hominibus demōstraretur: alium verò facere secundi loci, & alium tertij. Quod ita gestum esse non solum in terris arbitror, verumetiam in cœlestibus, & huiusmodi sortem quæ apud deum meritorum contemplatione distinguitur, etiam illo tempore habitam cum diuideret & cōstitueret excelsus gentes, & disseminaret filios Adam, & constitueret fines gentium secundum numerum angelorum dei: & facta est portio dei Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Vides enim quia & hic partem & funiculū Israel domino dicit esse sortium. Non ergo fortuitu arbitrandum est per sortem venisse ad liquidum angelo illam gentem suscipere, verbi causa, Ægyptiorum, alij autem Idumæorum, & alij Moabitarum, & alij Indiam, & vnamquamque nationem earum quæ sunt super terram: sed & ibi etiam si secundum numerum angelorum dei dicantur sorte gentes esse diuisæ, tamen illa sors (sicut in hominibus diximus) quia dei iudicium quod in occulto est, sors pandit in publico, talis etiam ibi fuisse credenda est: quia & merito & virtute sua vnusquisque angelus illam vel illam gentem in diuisione susciperet. Et quid dico de magnis & de generalibus rebus? F cum ne per singulos quidem nostrū absque huiusmodi sorte quæ dei iudicio dispēsatur, euenire dicendū est (verbi causa) vt alius nostrum talem, vel talē vitam statim à natiuitate sortiatur: vel certe illud quod erga homines geri ex scripturis sanctis sæpe docuimus, quod & boni angeli adsunt, hominibus & contrarii: quod non vtique fortuitu & absque iudicio ille angelus illius animæ, verbi causa, Petri custos esse sortitus sit, & alius Pauli, vel alius vnius infantis de ecclesia, de quorum angelis dicit dominus quia semper videant faciem patris sui qui in cœlis est. de quibus vtique dubitandum non est, quod iudicio dei qui illorum dignitatem, vel nostræ animæ ad liquidum perspicit qualitatem, vniuscuiusque nostrum custodiam sortiantur sorte quadam mystica Christi dispensatione directa. Ego autem quantum ad opinionem meam spectat, puto audenter dicendum etiam de iis virtutibus quæ mundi huius ministeria susceperūt, quod non fortuitu vel casu illa virtus terræ vel arborum germinationibus præsit, illa fontium ac fluminum sufficiat ac sufficienter exhibeat, alia imbrium, alia ventorum, alia marinis, alia autem terrestribus animalibus, vel singulis quibusque è terra gignētibus præsit: & esse in his singulis sacramēta in-

Leuit. 16 · *De ratione sortium.* · *Ioan. 1* · *Prou. 18* · *Act. 1.* · *Eph. 1.* · *Col. 1.* · *Sortiū vsus legitimus ex fide integra & oratione præmissa.* · *Sors spiritualis.* · *Deut. 32.* · *Angeli custodes.* · *Mat. 18.* · *Angeli præfecti rerum tam animatarū quàm inanimatarum administrationibus.*

G effabila diuinæ dispensationis, vt ordine suo cuncta, & competenti per vnamquanque virtutem dirimantur officio. Sic enim & apostolus Paulus dicit: Nónne omnes sunt ministri spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Ad horum igitur imitationem credendum est etiam hic scripturam referre sortes duci per Iesum, & hæreditatem per vnamquanque tribum diuina dispensatione decerni, & per ineffabilem prouidentiam dei, ac præsentiam in his sortibus adumbrari futuræ in cœlis hæreditatis exemplar. Quoniam quidem lex vmbram dicitur habere futurorum bonorum, & sicuti dicit Apostolus de iis qui ad dominum Iesum Christum venerunt: qui accessistis ad Sion montem, & ad ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestem: est aliqua in cœlis ciuitas quæ dicitur Hierusalem & mons Sion: non est vtique sine causa quod Beniamin in sorte sua accepit Hierusalem & montẽ Sion: nisi quia cœlestis illius Hierusalem ratio sine dubio hoc exigebat, vt aliqua Beniamin dari deberet Hierusalem terrestris, quæ illius cœlestis figuram seruat ac formam. Similiter autem de Bethlehem dicendum est, quod non sine certa quadam ratione in Iudæ sorte decernitur, vel Hebron vel aliæ singulæ ciuitates singulis quibusque tribubus conscribuntur, nisi quia (vt diximus) illa cœlestia loca, in quibus & Hierusalem & Sion esse nominatur, sine dubio & cætera quæ iis vicina vel coniuncta H sunt loca, hoc in se causæ & rationis continebant in cœlis, quod sorte distributa gubernabantur in terris. Hinc ergo est quod dispensauit diuina sapientia nomina quędam locorum scribi in scripturis, quæ mysticam quandam interpretationem contineant, per quæ indicetur nobis, quia hæc certis quibusque rationibus, & non casu vel fortuitu fieri dispensentur. Sicut enim non est putandum quod fortuitu accideret (verbi causa) vt ille angelus Michael vocaretur, alius autem Gabriel, alius verò Raphael: & vt ad humana descendam, sicut non fuit fortuitu vt ille patriarcha Abraham vocaretur, & ille Isaac, & alius Israel: sed ne in fœminis quidem casu accidit, sed certa & diuina ratione, vt illa Sara vocaretur ex Sarai, vel ille Israel ex Iacob, vel ille Abrahã ex Abrã: & vt certum est quod vnusquisque vel angelorum, vel hominum ex iis quæ sibi iniunguntur officiis, & actibus etiam nomina sortiantur: ita cõsequens est etiam loca quædam esse cœlestia & ciuitates, sicut Hierusalẽ cœlestis dicitur & Sion: esse etiam alias quarum typum & imaginem istæ quæ in terris sunt continent, quæ nunc in hac scriptura mystice nobis per Iesum filium Naue designantur. Et de ipsis puto ciuitatibus dictum: Ædificabuntur ciuitates Iuda, & inhabitabunt ibi, & hæreditabunt eam. De ipsis etiam dominus & saluator dicit, quia multæ mansiones sunt apud patrem. Et de ipsis crededum ciuitatibus seruo illi qui bene negociatus fuerat dominum dicere, quia potestatem habebis super decem ciuitates, & alij super quinque ciuitates. Hæc de diuisione sortium I terræ Iudæ proferre ad vos inquantum fas fuit, ausi sumus scriptura prouocante quæ Hierusalem dicit cœlestem: & montem Sion, & cætera quæ similiter scripta sunt, esse dicit in cælis: quæ nobis occasionem dederunt sentire de his omnibus, quod mysteria in iis cœlestia describantur. Et ideo dicimus, ne cum fastidio hæc legatis, & putetis vilem aliquam esse scripturam, pro eo quod est multis nominum appellationibus consita: quin potius scitote ineffabilia per hæc mysteria cõtineri, maiora quàm potest vel humanus sermo proferre, vel auditus mortalis audire: quæ (vt ego arbitror) digne & integre explanari non solum à me minimo non possunt, sed nec ab ipsis quidem qui me multo meliores sunt. Nescio autem si vel ab ipsis sanctis apostolis plene & integre proferuntur. Non dixi quod non plene sciantur, sed non plene proferantur. Certum est enim cognita esse hæc, & integre apprehensa illi qui raptus est vsque ad tertium cœlum, qui vtique in cœlo positus vidit cœlestia, vidit Hierusalem veram ciuitatem dei, vidit ibi & Sion montem quocunque loci est, vidit & Hebron, vidit & omnia ista quæ conscribuntur sorte diuisa: & non solum vidit, sed & rationes eorum in spiritu comprehendit, quia ipse confitetur se audisse verba & traditiones. Sed quæ verba? Ineffabilia (inquit) & quæ non licet homini loqui. Vides ergo quia sic omnia Paulus comprehendit in spiritu, sed non licebat ei hominibus ista pro- K ferre. Quibus hominibus? Illis sine dubio de quibus culpabiliter dicebat: Nônne homines estis, & secundum hominem ambulatis? Sed dicebat fortassis illis qui iam non secundum hominem ambulabant. Dicebat hæc Timotheo, dicebat Lucæ & cæteris discipulis quos sciebat capaces esse ineffabilium sacramentorum. De quibus & in ministerio tale aliquid Timotheum commonebat dicens: Memor esto verborum quæ à me audisti, quæ commenda fidelibus hominibus & iis qui idonei sunt alios docere. Sic ergo diuina hæc esse credẽtes & mystica, dignos nos & aptos ad eorum capacitatem vitæ actibus ac meritis præparemus, vt cum digne à nobis fuerint intellecta, etiam hæreditate ea in cœlis consequi mereamur, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Heb.1. — *Heb.10. 12* — *Nomina Angelorũ casu nõimposita, sed nec Patriarcharum.* — *Ioan.14.* — *Humilitas Origenis.* — *Apostoli plenè & integrè mysteria cognouerunt.* — *2.Cor.12.* — *1.Cor.1.* — *2.Tim.2.*

De Amorræis quomodo habitauerunt cum Effrem, & de Iesu quomodo accepit ciuitatem à filijs Israel. ex Cap. XIX.

Homilia XXIIII.

De Iebusæis qui habitabant Hierusalem, dudum L dictum est, quomodo eos exterminare non potuerunt filij Iuda, sed & de Chananæis quos non potuerunt exterminare filij Effrem, habitantes in medio sui. Quibus similia etiam præsens lectio refert de Amorræis dicens: quia permansit Amorræus habitare in Edom, & in Salamis, & grauis effecta est manus Effrem super eos. Amorræus interpretatur amarus vel amaritudo. Habitantes ergo in Edom, quæ interpretatur arietantes, vel in Salamis, quod interpretatur pacifici, permanent & habitant amaritudines in arietantibus & pacificis. Arietantes sunt ij qui in agonibus positi, expugnare diabolicas ædes structurásque conantur. Pacifici verò qui carnalibus concupiscentiis superatis pacem animæ gerunt. In vtrisque tamen perseuerat & cõtendit contraria virtus amaritudo persistere. In quo tale aliquid intelligere possumus, quia dicit, permansit habitare Amorræus in ipsis. Verbi gratia, si inimica virtus dæmonis ex amaritudinis turma veniens obsideat alicuius corpus, perturbet ac decipiat mentem, adhibeantur autem multæ orationes, multa ieiunia, multæ exorcistarum inuocationes, & ad hæc omnia surdus dæmon in obsesso corpore permaneat & persistat, tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex dei nominis inuocatione tormenta, quàm discedere ab homine quem impudenter obsidet & nequiter: ita etiam hic intelligendum est in istis qui dicuntur Amorræi, qui permanent & persistunt habitare in Elom & in Salamin. Et vt vere ostenderet scriptura, quia perferentes pœnas & flagella persistunt, dicit: [Et grauis effecta est super eos manus Ef- M frem.] Quomodo autem grauis efficitur manus Effrem super Amorræos? Vel exorcistarum (vt diximus) manus impositione vehementius imposita grauari dicitur super immundos spiritus manus Effrem, vel quia boni actus vel bona opera grauant & affligunt dæmonum genus, cõtraríasque virtutes. Quanto enim nos meliora egerimus, & quãto in optimis conuersamur, tanto illis molesta hæc efficiuntur & grauia. Gratum verò illis est & acceptum, & voluptates eis quodammodo exhibet, qui in turpitudine & flagitiis viuit. Qui vero in bonis actibus manum suam grauauerit super eos, etiam si pœnitus eos expellere non potuerit, certe tributarios eos faciet & subiectos. Et abierunt filij Effrem peragrare terram secundum fines suos. Et cum enarrasset illam historiam, in sequentibus quantam mansuetudinem & humilitatem habeat Iesus, qui vere dignus erat ferre nomen domini Iesu & saluatoris nostri declarat. Ait enim: [Dederunt (inquit) filij Israel sortem Iesu filio Naue ex semetipsis per præceptum domini, & dederunt ei ciuitatem quam petiuit Thannasac quæ est in monte Effrem, & ædificauit ibi ciuitatem, & habitauit in ea.] Ipse est qui dedit hæreditatem omnibus filiis Iuda, qui dedit Effrem, & dimidiæ tribui Manasse: ipse dedit & magnifico illi Caleph filio Iessone hæreditatem

Dæmones è corporibus exire adiurati interdum recusant.

A ditatem: ipse misit ternos per singulas tribus, qui vniuersam terram peragrarent, atque describerent in libro, & redirent, & ostenderent: ipse misit omnibus sortes, & se in nouissimis reseruauit. Quare putas voluit esse omnium nouissimus? sine dubio vt esset omnium primus. Et nec ipse sibi hæreditatem sorte præsumpsit, sed à populo accepit, & illi dat populus hæreditatem à quo ipse acceperat. Sic enim scriptum est: [Et dederunt filij Israel sortem Iesu filio Naue.] Sed & hęc figuraliter contingebant illis, quæ nobis proponerentur ad formam, vt & nos seruemus præceptum illud quod iste opere impleuit, quod dicitur: Quanto magnus es, tanto magis humilia te, & ante dominum inuenies gratiam. Et iterum quod scriptum est: Si te ducem ordinauerint ne extollaris, sed esto inter eos quasi vnus ex ipsis. Vide ergo quomodo dux erat populi, ipse qui eos introduxerat in terram sanctam, in terrã repromissionis: ipse erat successor Moysi, & non ipse sibi permittit sumere sortem terræ, sed expectat vt accipiat portiunculam à populo, populi dux: & accepta portiuncula sua Iesus, dignus hoc nomine ædificat locum ipsum quem accepit, & constituit, vt eum vere faciat dignum munere dei, & hæreditate diuina. Sed quoniam ad dominum, & saluatorem nostrum ea quæ de Iesu scribuntur, referre consueuimus, fortassis etiam noster omnis hic populus dat partem aliquam meo domino Iesu, & velut locum quendam habitationi eius tribuit. Sed ne iniuriosum esse videatur quod dicitur, requiB ramus quomodo ei damus nos serui eius habitationis locum. Ego si possem bonus fieri, darem locum filio dei in me, & acceptum locum à me in anima mea dominus Iesus ædificaret eum, & adornaret, & faceret in eo muros inexpugnabiles, & turres excelsas, & ædificaret in me mansionem, si mererer, dignam se & patre, & ita adornaret animam meam, & capacem eam suæ sapientiæ & scientiæ, & totius sanctitatis efficeret, intantum vt etiam faceret deum patrem secum intrare, & in ea facere mansionem, & cœnare etiam apud talem animam cibos quos ipse donaret. Quod vt consequi mereamur, præparemus in nobis cor mundum quo libenter & grate mundũ cordis nostri introire dignetur hospitium: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De ciuitatibus quæ datæ sunt Leuitis & sortibus eorum. Ex Cap. XXI. Homilia XXV.

OMNES filij Israel acceperunt sortes suas in terra, Leuitis autem in hæreditate solus sufficit deus. Verũ quoniã accipiunt Leuitæ decimas C ac primitias de fructibus à filiis Israel per præceptum domini, oportebat etiã de terra (vt ita dicam) & de habitaculis decimas accipere, hoc est enim ab omnibus decimas accepisse. Et ideo accedentes primarij viri qui erant in filiis Leui, ad Eleazarum sacerdotem, & ad Iesum filium Naue, & ad principes tribuum filiorum Israel, in Selon in terra Chanaan, dixerunt: Dominus præcepit in manu Moysi dari nobis ciuitates ad habitandum, & suburbana earum animalibus nostris. Oportebat etiam de suburbanis & de ciuitatibus sortem fieri, ne forte indiscrete & fortuitu inter Leuitas celebrata diuisio videretur. Sicut ergo distributio sortis quæ facta est in filiis Israel, habuit rationem qua quis prima sorte dignus haberetur, & alius secũda, de qua (prout potuimus) iam ante tractauimus: sed & de iis qui per Moysen vltra Iordanẽ, & ab Iesu in terra accipiunt repromissionis, vbi prima sors cecidit ad Beniamin, & postmodũ ad cæteros in quibus fuit vltimus Dan: ita necesse est esse & aliquam rationem etiam in ordine sacerdotalis & leuiticæ sortis, vt alij prima, alij secũda, alij tertia sors ducatur, per quas illa, vel illa loca vnicuique decernantur. Dicuntur autem filij esse Leui, Gerson & Chaat & Merari: & ostenditur primas partes tenuisse in honore Chaat, quia filij Chaat fuerũt Amran, Moyses, Aaron & Maria. Igitur de Chaat pars quidem plebis effecta est sacerdotalis, quæ est Aaron & filij eius. Moyses autẽ aut in sacerdotali ordine, aut si quid etiã plus à sacerdotali esse potest, habẽdus

Moses de ordine sacerdotali.

est. Alia verò est ratio de filiis eius. Cæteri autẽ ex filiis Chaat D secundũ ordinẽ tenuerunt in tribu Leui, qui sunt ex Isaar & Chebron & Odiel. Tunc deinde post hos accipiunt partem post Chaat ex filiis Leui Gerson tertio loco, nouissimus verò omniũ Merari. Hæc est autẽ differẽtia primi ordinis, & secũdi & tertij vel quarti quã primo omniũ obseruauimus in Numeris. Postea quàm ordinatæ fuerant duodecim tribus per quatuor orbis terræ partes circa arcam testamenti domini excubias agere, & statutæ sunt tres quidẽ tribus ab oriente, tres autem ab Africo vel à meridiano, tres autem ad mare quod est ad occidentẽ, tres verò ad aquilonem, qui est septẽtrio, ibi etia isti per quatuor orbis terræ partes eodẽ ordine deputantur. Et ab oriente quidem vbi erat tribus Iuda, quę erat inter cæteras prima, Aaron atque eius filij collocantur: Chaat verò filiis qui erant reliqui, arcam testamenti domini leuare in humeris, & tubis canere statuitur, ita vt cũ prima tuba cecinisset, mouerent castra ij qui erant ab oriente: cũ verò secũda cecinisset, ij qui erant à meridiano consurgerent: tertia ab occidente, quarta ab aquilone. Vides quantus ordo, & quanta in scripturis sanctis rerum consequẽtia custoditur? quomodo nihil nisi modo & ratione & ordine geritur? Intuere diligentius, & in omni scriptura hæc ita inuenies ordinata. Sed si tibi difficile est per omnes libros vigilantẽ cordis oculũ ducere, in hoc saltem loco diligentius quæ referuntur aduerte. E [Prima (inquit) sors exiit Chaat, & facta est filiis Aaron sacerdotis qui erat in Leuitis.] Cuius primã sortẽ exire decebat? cui oportebat primatus dari, nisi Aaron primo pontifici, primo in vitæ meritis, primo in honoribus virtute? Certum est apud te nunc saltẽ quod non sit sors ista fortuita, sed adsit virtus superna, gubernans eam secundum diuinæ prouidentiæ iudicium. Vbi ergo filiis Aaron prima habitacula sors hæc iusta decernit? [In tribu (inquit) Iudæ, in tribu Symeon, & in tribu Beniamin, per sortes ciuitates tredecim.] Vides quomodo electis viris in electis tribubus habitacula dispensantur. Quos autem oportuit secundam sortem suscipere? [Filios (inquit) Chaat, qui reliqui erant post filios Aaron.] Et quas tribus isti accipiunt? [In tribu (inquit) Effrem, & in tribu Dan, & dimidia tribu Manasse, ciuitates decem per sortem.] Qui sunt autem tertij? Filij Gerson. Et in quibus tribubus sortiuntur? Isachar (inquit) & Aser & Neptalim, & in dimidia tribu Manasse, quæ est in Basan, itidem ciuitates decem. [Qui sunt autem vltimi in Leuitis? [Filij (inquit) Merari.] Isti nouissimi in quibus accipiant tribubus, videamus. [Ex tribu (inquit) Ruben trans Iordanem & Gad, qui erat cum ipso trans Iordanem, & de tribu Zabulon, qui & ipse vltimus est inter filios Liæ, accipiunt in sorte ciuitates duodecim.] Sed nondum ea quæ magis obseruanda sunt in locis contingimus: de quibus etiam si pandere profundiora non possumus, saltem summa quæque perstringere non pigeat, vt ex iis vnusquisque auditorum occasionẽ capiat intelligentiæ altioris & mysticæ per F quirendæ. Cum quatuor partes sint orbis terræ, Chaat accepit sortem primus inter filios Leui à parte orientis cum illis tribubus quæ ipsæ primatum omnium tenẽt. Vide ergo quomodo vniuersa conueniunt. In quatuor orbis partibus certũ est orientalem plagam nobiliorem videri, in qua & nobilior omnium reliquarum Iudæ tribus habebatur: & filij Chaat sacerdotis primam ducunt in primis & tribubus & orbis partibus sortem, cum Gerson & Merari qui erant primi inter filios Leui. Sic ergo tres filij primi Leui accipiunt orientalẽ. Occidentem verò vbi erat Ruben & Symeon & Gad, sortitur secunda sorte Chaat ex tribu Symeonis. Merari verò primum sortitur Ruben, & iterũ Merari tertius in Numeris ab oriente accepit Zabulon, vt iustitia seruetur, vt sorte ea quæ secundum dominum dicitur, & credentium mentes ad mysteria futuri seculi dirigat contuenda. Post hæc eorum qui ad mare erant, id est Effrem & Beniamin & Manasse, Chaat cum suscepisset secunda sorte Beniamin, cæteri ex familia eius sortiti sunt Effrem. Post hoc eos qui erant ex media tribu Manasse quæ fuit in terra sancta sortitur Gerson, & iterum ipse Gerson sortitur etiam aliam dimidiam tribum Manasse. Sed quia oportebat eos qui erant in Aquilone aliquid sacerdotalis gratiæ consequi, ne penitus nudari donis cœlestibus viderentur, in iis quorum nouissimus ordo erat in Aquilone

Quatuor ordines filiorũ Leui.

Secunda Leuitarum sors.

Tertius Leuitarum ordo.

Quartus

G de Dan, Neptalim, Aser: rursum Chaat non quidem inter sacerdotes, sed inter cæteros primam tamen accepit sortem in Dan, secundam verò Gerson in Aser, & tertiam idem Gerson in Neptalim. Quis potest assequi hæc omnia & comprehendere? Quis meminisse saltem & obseruare ordinem ipsum ministeriorum valet? Quod si secundum literam solum difficile textus ipse narrationis explicari potest, & permixtio vel locorum, vel personarum, quæ in historia continentur, euolui: quid dicimus de iis sacramentis, quæ per hæc describuntur, & in quibus distributiones futuræ hereditatis adumbrantur, & per quæ sanctæ terræ quam mansueti hæreditate suscipient, diuisio celebrabitur? Quis castrorum sedes diuersas explicet, quomodo hæc in resurrectione per singulos quosque sanctorum sacerdotali vel Leuitico ordine habenda sit distributio, vt quemadmodum dicit Apostolus: In resurrectione non confuse agantur omnia, sed veniat vnusquisque in suo ordine, initium Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum subiecerit ei omnem principatũ, & potestatem? Ibi sine dubio tales quædam castrorũ obseruationes, & sacerdotales distributiones, & ordines, ac tubarum significationes erunt: fortassis enim sicut ordinauit Deus stellas cœli, & rationibus eas quibusdam mirandis, & ineffabilibus collocauit, & alias quidem ipsarum statuit in axe Aquilonis, alias in partibus Orientis, alias verò in Australi parte conuexa, atque alias in Occasu: ita credo quod & eos qui ex resurrectione mortuorum tales erunt, sicut stellæ cœli in multitudine & claritate, venientes scilicet ex semine Abrahãm, ordinabit Deus in regno cœlorum, secundum ordinem stellarum & partium cœli: & dabit aliis sortem ad Orientem, aliis ad Occidentem, ad Austrum aliis, & quos ipse nouit statuet ad Aquilonem: quoniam quidem multi venient ab Oriente & Occidente, ex quatuor orbis partibus, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum, per gratiam Domini nostri Iesu Christi, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Distributio futuræ hæreditatis, hac terræ diuisione adumbrata. *1.Cor.15.* H *Matt.8.*

De eo quod sepultæ sunt petrinæ machæræ, & de ara quam extruxerunt duæ & semis tribus, quæ sunt trans Iordanem.
Ex Cap. XXII. Homil. XXVI.

IN superioribus quidem dictum est, quia filij Israel dederunt sortem Iesu in monte Effrem, & quia accepta sorte Iesus ædificauerit ibi ciuitatẽ, & inhabitauerit in ea. Nunc autem eadem denuo repetit scriptura, vt addat hoc quod machæras petrinas, id est, cultros è saxo quibus circumcidit Iesus filios Israel in eremo, recondiderit in ea ciuitate quam ædificauerat, & in qua habitabat. Vnde denuo & nobis repetenda expositio est, & quod adiectum est explanandum, vt Deo donante sensus scripturę integer expleatur. Diximus etenim in superioribus, quia & Dominus noster Iesus petat à nobis locum quem ædificet, & in quo habitet: & quia debemus tales effici, tam mundi corde, tam simplices mente, tam sancti corpore & spiritu, vt & in anima nostra locum dignetur accipere, & ædificare illam, & habitare in ea. Et qui putas sunt in omni populo ita acceptabiles Deo, qui ad hoc eligi digni sunt? aut forte nec singuli ad hoc capaces esse possunt, sed vniuersus populus & cuncta simul ecclesia vix capax esse potest, vt recipiat in se Dominum Iesum, & habitet in ea? Videamus ergo quis sit iste locus, in quo habitare debet Iesus. [In monte (inquit) Effrem,] hoc est in monte fructifero. Qui putas sunt in nobis montes fructiferi in quibus habitet Iesus? Illi profecto in quibus sunt fructus spiritus, gaudium, pax, patiẽtia, charitas, &c. Isti ergo sunt montes fructiferi, qui fructum Christi afferunt, & mente ac spe semper excelsi sunt. Et licet pauci esse possint tales, tamen si vel pauci fuerint, in ipsis habitans Dominus Deus, qui est lux vera, mittet radios lucis suæ etiam super reliquos omnes, quos non dignos suo habitaculo principaliter iudicarit. Nunc autem videmus quæ sunt machæræ petrinæ, quibus circuncidit Iesus filios Israel. Si oretis pro nobis vt sermo noster viuens sit & efficacior, & acutior super omnem machæram, præstabit & nobis Dominus Iesus, vt verbum Dei quod loquitur ad vos, circumcidat omnem immunditiam, resecet impuritates, abscindat vitia de auditoribus, & amputet omne quo vis mentis & efficacia naturalis obtegitur: & sic per verbum Dei quod nunc machæra petrina dicitur, circumcidemini, & vos ab Iesu audietis, quia abstulit opprobrium Ægypti à vobis hodie. Quid enim nobis prodest exisse de Ægypto, & nobiscum opprobria Ægypti circunferre? Quid prodest ambulare per eremum, hoc est, quid nos iuuat in baptismo seculo renunciasse, & morum nostrorum pristinas sordes ac vitiorum carnalium immũditias retinere? Oportet ergo post digressionem rubri maris, id est, post gratiã baptismi, auferri à nobis etiam carnalia veteris consuetudinis vitia per Iesum Christum Dominum nostrum, vt ita demum Ægyptiacis carere possimus opprobriis. Ponuntur ergo illæ machęrę petrinæ, & cultri lapidei, quibus secundo circuncisi sumus ab Iesu, in eo loco quem petit & accipit. In loco quẽ possidet in anima iusti, in ipso recondit & macheras. Sæpe ostendimus machæram verbum Dei dictum, quo verbo abscinduntur & purgantur peccata de animis audientium. Hęc ergo virtus verbi diuini reconditur in eo loco cui datur sermo scientiæ & sermo sapientiæ, vt opportuno tẽpore anima illa quæ per donum spiritus repleta est verbo sapientiæ, verbo scientiæ, proferat istas machæras in ecclesia, & circuncidat secundum eos qui secunda indigent circuncisione. Quod autem dicit petrinas machæras, hoc est, è saxo cultros, & non è ferro artificis opere fabricatos: illud ostendit quod sermo hic Dei qui circumcidere de animis auditorum immunditias potest, non ex arte grammatica vel rhetorica veniens, neque doctorum malleis edomitus, aut studiorum incudibus elimatus, sed ex illa petta descendens, quæ de monte sine manibus abscissa est, & orbem terræ compleuit, ac dona spiritalia credentibus tribuit. Post hæc Iesus conuocat filios Ruben & filios Gad, & dimidiam tribum Manasse, qui secum militauerunt ad hostes Israeliticos superandos: & dimittit eos ad hæreditatem suam, datis iis etiam muneribus quibusdam, sicut scriptum est. In quo videtur illud indicare mysterium, quod cum plenitudo gentium introierit, & quę repromissa sunt eis à Domino Iesu perceperint illi qui per Moysen eruditi & instructi fuerant, & qui nobis in certamine positis auxilia orationibus & precibus detulerunt, quia nondum repromissiones consecuti sunt, expectantes vt etiam vocatio nostra compleretur (sicut dicit Apostolus) nunc demum perfectionem quæ ab eis dilata fuerat, consequũtur cum muneribus quæ accipiunt ab Iesu, vt vnusquisque habitet in pace, omni bello atque omni impugnatione cessante. Post hæc lectum est nobis, quia filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manasse qui erant trans Iordanem, ædificassent aram ingentem: filij verò Israel reliqui ignorantes, quare hæc ara fuisset extructa, mittunt Fineem filium Eleazari filij Aaron, cum decem viris de singulis tribubus electis: si forte tanquam discedentes à Deo hoc fecissent, vel apostatici effecti, & contra mandatum Dei gerentes, expugnarentur à reliquis filiis Israel: sin aliter, vt cognoscerent causam. Alij verò satisfaciunt de ara, & dicunt: Scimus quia altare verum est apud vos, vbi Iesus habitat: nos autem fecimus hoc altare ad similitudinem illius altaris, quod apud vos extructum est, vt & apud nos figura & imago veri altaris habeatur, ne forte crastino (inquit) placeat vobis dicere, quia Iordanis finitimus est inter nos & vos, & ipse determinat, & ideo non habetis portionẽ in altari nostro. Hæc illi responsa miserunt. Sed videamus nos quid facti huius contineat sacramentum. Prior populus circuncisionis in Rubẽ qui fuerat primogenitus, designatur: sed & in Gad, qui & ipse primogenitus est ex Lia, & Manasse nihilominus primogenitus. Quod autem dico primogenitos, secundum tempus loquor. Hæc ergo dicuntur, ne inter nos & illos qui ante aduentum Christi fuerũt iusti, diuisio aliqua ac separatio videretur: sed vt ostenderent se etiam si ante aduentum Christi fuerant, fratres tamen nostros esse. Licet enim habuerint altare tunc ante aduentum Saluatoris nostri: sciebant tamen & sentiebant, quia non esset illud altare verum, sed quia forma & figura erat futuri & veri huius altaris. Nouerãt illi hęc, quia veræ hostiæ, & quæ possent auferre peccata, non in illo altari offerebantur, quod habebat primogenitus populus, sed in

I K *Hebr.11.* L *Dan.2.* *Heb.11.* M *Inter nos & veteris testamenti patres nulla diuisio.*

A in isto vbi erat Iesus, hic cœlestes hostiæ, hic vera sacrificia consummantur. Fit ergo vnus grex & vnus pastor, illi prio-res iusti & qui nunc sunt Christiani. Volo autem ad horum probationem memoriam facere etiam historiæ cuiusdam, si tamen dominus donare dignetur, vt explanationem ipsius spiritalem inuenire possimus. Cadebat aliquando populus in deserto & moriebatur. Venit Aaron pontifex, & stetit in medio eorum qui moriebantur, & eorum qui viuebant, ne vlterius vastatio mortis proficeret iam in cæteros. Venit & nunc verus pontifex meus dominus, & intercessit medius inter morientes & viuos, id est inter eos qui ex Iudæis suā præsentiā susceperūt, & inter eos qui nō solū nō susceperūt, sed semetipsos magis quā illū occiderūt, dicētes: Sāguis illius super nos & super filios nostros. Vnde & omnis sanguis iustus qui effusus est super terrā à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinē Zachariæ filij Barachiæ, quē occiderūt inter ædē & altare, requiretur à generatione illa quæ dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Sūt ergo populi pars mortui, quia neque azyma, neque dies festos competenter agunt, D sed conuersi sunt dies festi eorum in luctum, & cantica eorū in lamentationem: qui etiam si velint non poterunt diem festum celebrare in eo loco quem elegit dominus deus. Et nos quidem non diximus ad illos, quia non erit vobis pars in hoc altari, vel in hæreditate domini, sed ipsi sponte sua altare verum & cœlestem pontificem refutarunt, & eo vsque infelicitatis adducti sunt, vt & imaginem perderent, & non susciperent veritatem, & ideo dicitur ad eos: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Translata est enim ad gentes gratia spiritus sancti, translatæ sunt solennitates ad nos, quia trāsiit ad nos & pontifex non imaginarius, sed verus secundum ordinem Melchisedech electus: & necesse est eum veras hostias, id est, spiritales offerre apud nos, vbi ædificatur templum dei ex lapidibus viuis, quæ est ecclesia dei viuentis, & vbi est verus Israel, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Vnus grex & vnus pastor veterum iustorum & recentium. *Num. 16* *Matth. 23* *Matth. 27*

Finis tractatus Origenis super Iesum Naue.

E

ORIGENIS IN LIBRVM IVDICVM CAPVT SECVNDVM

B

HOMILIA PRIMA.

De eo quod scriptum est: Et seruiuit populus domino omnibus diebus Iesu, & seniorum qui viderunt omnia opera domini magna quæ fecit cum Israel.

LECTOR quidem præsentis lectionis ita legebat: [Et timuit populus dominum omnibus diebus Iesu.] Nos autē habemus: [Et seruiuit populus domino omnibus diebus Iesu, & omnibus diebus seniorum eorum qui longiorū dierum fuerunt post Iesum.] Oportet ergo scire quia vnusquisque nostrum ipse sibi præstat, vt in bonis diebus sit aut in malis, dies habeat Iesu, id est, dies iustorum, aut dies habeat impiorum. Si enim intelligamus lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & præbeamus ei ad illuminandum animas nostras, aut si oriatur nobis sol iustitiæ & mundum animę nostrum habemus hospitium, habemus & nos dies Iesu Christi, dies salutis. Si quis verò animam suam præbuerit ad recipiendam lucem illam quæ extinguetur, lucem contrariam veritati, & ab ea fuerit illuminatus, habebit C & ipse dies sed malos, & non erit in diebus Iesu, sed erit in diebus Manasse, vel in diebus Pharaonis, vel in alterius cuiuscunque diebus pessimis. Propterea denique in diebus Achab regis iniqui & pessimi non potuit Esaias videre visum, non potuit videre dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Sed ex quo mortuus est rex nequam, cuius erant dies mali, tum potuit videre propheta visionem dei. Et vis nosse quia dies isti cum dicuntur in scripturis illius, vel illius, non significent tempus vitæ illius de quo dicitur, vel præsentiæ corporalis? Audi quid de diebus domini nostri Iesu Christi propheta prædixerit: Exorietur, inquit, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, vsquequo extollatur luna. Hoc si ita accipiamus, quod diebus quibus saluator demorabatur in terris, dies erant iustitiæ, & dies pacis, quomodo probabimus dies iustitiæ exortos esse iis, qui eum crucifixerunt, & qui aduentum eius non receperūt? Aut quomodo multitudo pacis in diebus eius fuisse videbitur apud eos, qui eum in mortem falsis criminationibus tradiderunt? Quomodo istis videbuntur dies iustitiæ & dies pacis exorti, in quorum mentibus iniquitatis & furoris tenebræ versabātur? & rursum si ad illos dies quos Saluator exegit in carne, referatur hoc quod scriptum est: Orietur in diebus eius iustitia, & multitudo pacis, nunc quoniam non sunt illi dies, ergo non orietur iustitia eius, nec multitudo pacis Christi apud fideles & religiosos inuenitur. Magis verò vnusquisque pro actibus suis & conuersatione vitæ, dies sibi vel iniquitatis & belli, vel iustitiæ & pacis acquirit. Audi denique prophetam dicentem: Timentibus, inquit, nomen tuum, orietur sol iustitiæ, sine dubio vt faciat eis dies iustitiæ, dies Iesu. De impiis dicit, quia occidet eis sol iustitiæ, sine dubio illis in quibus iustitia dormit in eis, & tenebræ eis iniquitatis exortæ sunt. Vis autem similiter à propheta discere qui sint qui habeant multitudinem pacis? Audi quomodo dicit in psalmis: Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum. Dies ergo iustitiæ & multitudo pacis exorietur diligentibus nomen domini. Sed habent & impij lucem suam, ex qua sine dubio exoriuntur eis dies mali. Vis autem & hoc tibi de F scripturis probari? Audi quid scriptum est: Lux, inquit, iustis semper, lux autem impiorum extinguetur. Vides ergo quia est propria quædam lux impiorum, quæ extinguitur, & lux iustorum, quæ permanet in æternum. Et nescio si tam inepte quis intelligat, vt putet esse aliquam substantialem lucem, aliam quę impiorum dicatur, & aliam quæ iustorum. Quod vtique nullo modo fieri potest. Vna enim est lux mūdi à Deo facti, quæ omnibus communiter & æqualiter lucet. Sed hoc modo quod superius exposuimus, intelligendum est, quod anima nostra aut vero lumine illuminatur, quod nunquam extinguetur, qui est Christus: aut si non habet in se istud lumen quod æternum est, temporali sine dubio & extinguibili lumine illuminatur ab illo qui transfigurat se in angelum lucis, & falsa luce illuminat cor peccatoris, vt videantur ei illa esse bona, & præclara, quæ sunt præsentia & caduca. Isto lumine illuminantur illi, qui summum bonum voluptatem putant. Isto lumine illuminantur illi, qui diuitias & honores seculi & terrenam gloriam, quasi æternitatis memoriam quærunt. Sunt ergo isti in diebus lucis eius, quæ extinguetur. Omnia hæc quæ agunt & quæ desiderant & cupiunt, extinguuntur. Hoc lumine illuminantur & hæretici, falsi nominis scientiam prædicantes. Hinc Marcion illuminatus, Deum legis iustum, sed non bonum, dicit. Si ergo recte intelleximus qui sint qui à Domino nostro Iesu

Esa. 5 *Psal. 72* *Malac. 4* *Psal. 119* *Prouer. 24* *Duplex lumen, æternum & temporariū*

G Christo vero lumine illuminantur, & qui sint dies qui ab illo illuminantur, qui se transfigurat in angelum lucis, & cuius lumen extinguitur, competenter intelligere possumus etiam istos Iesu Domini, quibus dicitur quod seruiuit populus Domino omnibus diebus Iesu: certum nanque est quod qui habet in se dies Iesu, seruiat Domino: nec fieri potest, vt habens in se aliquis dies Iesu & lumen Christi seruiat Zabulo, aut seruiat auaritiæ: nec potest fieri vt illuminetur quis lumine veritatis & seruiat mendacio: nec potest illuminatus lumine sanctificationis, libidini & immunditiæ deseruire. Denique sic & Apostolus dicit: Quæ enim participatio est iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem consonantia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Oremus ergo vt semper in nobis Christus qui est lux vera, faciat dies bonos, nec vnquam de Zabulo nos illuminati habeamus in nobis dies malos, de quibus dicit Apostolus: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Dies enim malos habemus, quando carnalia pro spiritalibus quærimus, terrena pro cœlestibus, pro æternis caduca, præsentia pro futuris. Siquando ergo huiuscemodi in te desideria videris exoriri, scito te in diebus malis & pessimis positum: & ideo insiste orationibus vt libereris à die illo, & (sicut dicit Apostolus) eripiaris de præsenti seculo malo: hoc enim modo (quod superius diximus) non solum dies fiunt mali, sed & seculum efficitur malum. Seruiuit ergo populus Domino, H omnibus diebus Iesu, & omnibus seniorum diebus qui fuerant post Iesum. Beatus est qui in diebus Iesu seruit Domino, qui verbo & sapientia eius illuminatur, qui ex doctrina eius accipit lumen scientiæ. Secundo autem loco, & ille post hunc est beatus, qui in diebus seniorum qui fuerunt post Iesum, Domino seruit. Seniores qui vel cum Iesu, vel post Iesum fuerunt, qui sunt nisi Apostoli, qui & ipsi scriptis, & præceptis suis illuminant corda nostra, & faciunt etiam ipsi dies quosdam in nobis ex illa luce quam ipsi ex vera luce participati sunt venientes? Qui ergo illuminatur & instruitur ex Apostolorum præceptis, & ad seruitium Domini Apostolicis regulis instruitur, iste est qui seruire dicitur Domino, in diebus seniorum qui fuerunt post Iesum. Vis autem videre quia sicut Saluator erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, ita & Apostoli lux erant mundi. In Euangelio scriptum est, dicente Domino ad eos: Vos estis lux mundi. Quod si etiam Apostoli lux sunt mundi, sine dubio per præcepta & mandata sua illuminant nobis dies, in quibus Domino seruiamus. Quod autem dixit omnibus diebus seniorum, qui longiorum dierum fuerunt post Iesum, nec hoc mihi otiose dictum videtur, quod longæui vel longorum dierum dicuntur esse seniores, qui post Iesum fuerunt. Et quidem Dei est solius nosse post Iesum qui fuerit inter seniores qui longiorem diem fecerit, id I est, qui maiorem ex se emiserit lucem, vtrum Petrus, an Paulus, Bartholomæus, an Ioannes: veruntamen longiorum dicuntur dierum sancti. Econtrario verò tunc, quando iste mundus malis replebitur, quando increscente iniquitate refrigescet charitas multorum, & quando veniens filius hominis, difficile fidem inueniet super terram, tunc non dicuntur futuri longi dies, sed magis abbreuiari dicuntur, sicut dixit Dominus, quia nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua vlla caro. Mali ergo dies breuiari dicuntur: longæui autem sunt, & multi temporis & grandis quodammodo spatij dies boni, in quibus Domino seruimus. Vide tamen quia & hoc designauit in Euangelio, quod propter electos breuiabuntur dies illi. Electis ergo breuiabuntur dies mali, dies iniquitatis & scandali: & vt ego arbitror, cum semel electis dies mali cœperint breuiari, semper breuiantur & minuuntur, vsque dum ad nihilum redigantur, & penitus exolescant atque ad vltimum pereant. Ex quibus vnus puto erat & ille qui dicebat: Pereat illa dies in qua natus sum. Sic ergo electis dies mali breuiantur & pereunt: dies verò seniorum sanctorum, longæui sunt & prolixi. Sed & illud quod dicentibus nobis occurrit, & vtinam Domino suggerente occurreret, prætereundum non est, quod dixit quia seruiuit populus Domino omnibus diebus Iesu: non dixit vnum diem fuisse Iesu, sed multi sunt dies Iesu. Quos ergo multos ponimus

Zabulum vicat diabolum lingua dorica.
2.Cor.6.
Ephe.5.
Gal.1.
Apostoli lux mundi.
Mat.5.
Matt.24.
Iob.3.

dies secundum hunc ordinem quem exposuimus? Ego sic ar- K bitror, quod dies vnus ipsius est iustitia, alius sanctificatio, alius prudentia, alius misericordia, & sic per singula virtutum dona dies computantur Iesu, in quibus Domino seruitur, quia in his virtutibus animi Domino placetur. Sed & patientiam computato diem, & mansuetudinem, & pietatem, & bonitatem, & omne quod ad virtutem pertinet, ipsius dicito diem. Et sic in omnibus diebus Iesu Domino seruies, id est, in omnibus his virtutibus. Non enim vult scripturæ sanctæ institutio, vt aliquas ex his virtutibus habeas in te, & alias negligas, sed vt omnibus his virtutibus adornatus, & in earum actibus positus seruias Domino. Eodem modo quis etiam seniorum dies habet in se, & in diebus eorum seruit Domino, implens illud quod dicit Apostolus Paulus: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. [In diebus, inquit, seniorum eorum, qui cognouerunt omnia opera Domini.] Quis est qui cognoscit omnia opera Domini, nisi qui facit ea? Sicut enim dictum est de filiis Heli, quia essent filij pestilentiæ, nescientes Dominum, non quod ignorarent Dominum, qui vtique & doctores erant cæterorum, sed quia sic agebant vt agunt illi, qui nesciunt Dominum: Hoc modo etiam hic sentiẽdum est quod dicit, qui cognouit omne opus. Et non solum, inquit cognouerunt opus Domini, sed addidit, qui omne opus cognouerunt Domini: id est, qui cognouerunt & iustitiæ opus Domini, & sanctificationis opus, & patientiæ, & mansuetudinis, & pietatis. Et omne quicquid ex mandatis Dei venit, o- L pus Domini dicitur. Sed sicut est opus Domini, est sine dubio huic contrarium opus Zabuli. Certum est enim, quia sicut iustitia est opus Dei, ita & iniustitia opus Zabuli: & sicut mansuetudo opus Dei est, ita & ira & furor opus sit Zabuli. Cognouisse ergo dicuntur opus Dei, illi qui faciunt opus eius. Vt autem hoc amplius ex scripturarum auctoritate clarescat, quomodo soleat dicere scriptura, cognoscere, vel nescire, vide quomodo etiam alibi scriptum est: Qui custodit, inquit, mandatum, nesciet verbum malum. Qui autem mandatum custodit, potest fieri vt nesciat verba mala? Scit quidem, sed nescire pro eo dicitur, quod ea cauet & vitat. Sed de eodẽ ipso Domino & Saluatore quod dictum est, quia non nouit peccatum, certum est quia ignorasse dicitur peccatum, pro eo quod non egit opus peccati. Hoc ergo modo & ille dicitur cognoscere opera Domini, qui opera Domini facit. Ignorat autem opus Dei, qui non agit opus Dei. Sed & illud quomodo preterimus quod addidit: [Qui cognouerit opera Domini magna, quæ fecit in Israel?] Quid enim? sunt aliqua opera Domini parua, ad quorum distinctionem hæc magna dicantur? ego arbitror quod omne quidem Dei opus est magnum, sed pro capacitate eorum qui operãtur, si sibi inuicem comparentur, vel magna opera Domini dicuntur esse, vel parua. Verbi causa, eduxit filios Israel de Ægypto in manu M forti & brachio excelso, Ægypto prodigiis cœlestibus verberata, viam fecit in mari, manna in deserto populo dedit, de cœlo loquutus est ad Mosen, legem conscriptam in tabulis lapideis dedit. Nónne hęc magna sunt opera Dei? Sed si illud his compares, quod ita dilexit Deus hunc mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro salute mundi, inuenies omnia illa parua esse ad huius operis magnitudinem. Quod opus etiam nos & cognoscere debemus, & credere, & operari opera Domini. Non ergo negligenter, sed fideliter & attente, vt inueniamur & nos in diebus Iesu Christi, & in diebus sanctorum seniorum eius Apostolorum, cum quibus & societatem cœlestis hæreditatis mereamur accipere, per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

1.Cor.4.
1.Reg.2.
Eccles.8. Scire et nescire, quid interdum significent.

De eo quod scriptum est: Et defunctus est Iesus filius Naue. Ex Cap. II. Homilia II.

RECITATVS est nobis etiam Iesu obitus. Et ille quidem filius Naue quod defunctus est, nihil mirum. Naturæ nanque quod debebatur exoluit. Verum quoniam instituerámus hæc quæ de filio Naue legebantur, ad Dominum nostrum Iesum Christum referre, videndum est quomodo etiam de ipso dici conueniat

A ueniat quia defunctus est Iesus. Ego arbitror secundum scripturæ auctoritatẽ hoc loquens, quod in quibusdam viuit Iesus, in quibusdam verò defunctus est. In Paulo viuit Iesus & in Petro & in illis omnibus qui merito possunt dicere, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Et iterum dicit: Mihi autem viuere Christus est, & mori lucrum. In istis ergo talibus Iesus viuere merito dicitur. In quibus autem defunctus est Iesus? In illis sine dubio, qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquendo, velut insultare morti Iesu dicuntur. De quibus scribens ad Hebræos dicit Apostolus: Rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei, & ostentui habentes. Vides ergo quia in peccantibus non solum defungi dicitur Iesus, verum & crucifigi ab eis asseritur & illudi. Sed & tu ipse considera apud te, si quando de auaritia cogitas & cupis aliena diripere, nunquid potes dicere, quia viuit Christus in me? Aut si de stupro cogitas, si furore exagitaris, si liuore succenderis, si inuidia stimularis, si temulentia debaccharis, si superbia extolleris, si crudelitate grassaris nunquid potes in his omnibus dicere, quia Christus viuit in me? Sic ergo in peccantibus defungitur Christus, pro eo quod nihil in eis iustitia, nihil patientia, nihil veritas & omnia illa quæ Christus est, operantur. A sanctis verò quæcunque fiunt, Christus ea dicitur operari, sicut & Apostolus dicit: Omnia B possum in eo qui me confortat Christus. Sed & ipse dominus in Euangeliis de hoc distinctionem pulcherrimam dedit, cum dicit: Quicunque confessus in me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo. Vidisti quia confitentes in semetipso dixit confiteri, & quasi qui ipse in eis viuat & operetur opera vitæ. In iis autem qui negant, non tenuit eandem verbi similitudinem, vt diceret quia qui negauerit in me, & ego negabo in eum: sed qui negauerit me coram hominibus & ego negabo eum coram patre meo, vt ostenderet quia qui negat quidem se, extra ipsum est, qui autem confitetur, in ipso est. Propterea ergo & hic scriptura dicit, quia cum defunctus esset Iesus, exurrexit generatio alia post eos, qui non scierunt Iesum, & opera quæ fecit in Israel. [Et fecerũt filij Israel malum ante deum.] Omnipotens dominator deus nunquam accidat nobis, vt Iesus Christus posteaquã resurrexit à mortuis, rursum moriatur in nobis. Quid enim mihi prodest si in aliis viuat ex virtute, & in me moriatur ex infirmitate peccati? Quid mihi prodest si in me, & in meo corde non viuit, & si in me opera vitæ non perficit? Quid mihi prodest si apud aliũ ex bonis studiis, ex bona fide, ex bonis operibus pascitur & perficitur: apud me autẽ & in meo corde per multas cogitationes & desideria nefãda, per studia pessima suffocatur quodammodo & necatur? Vide enim quid addit scriptura. [Quia surrexit, inquit, generatio alia quæ non cognouit Iesum, & C opera quæ fecit magna.] Generatio illa quæ non cognouit dominum Iesum, ista est malarum cogitationum, & pessimarum cupiditatum, quæ procedit ex corde. Ista est generatio quæ non recognoscit dominum Iesum, neque opus magnum quod fecit in Israel. Vides quia peccatores eousque perueniunt, vt & opus illud magnum & præclarũ quod fecit dominus, obliuiscantur, quod crucifixus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostrã. Vnde credo quod propter hanc obliuionem metuens Apostolus dicebat discipulo suo Timotheo, quem præcipuũ habebat: Memor esto Christũ Iesum resurrexisse à mortuis. Sciebat enim quia huius tã magni operis, quod surrexit à mortuis, fieri posset obliuio, si generatio peccatrix oriretur in corde. Fecit ergo malignum corã deo generatio adultera, quæ nesciuit Iesum, neq; presbyteros [& seruiuit, inquit, Baalim, & dereliquerũt dominũ deũ patrũ suorũ.] Hęc quidẽ fecerunt antiqui: sed quoniã quæ scripta sunt, nõ propter illos, sed propter nos scripta dicuntur, in quos fines seculorum deuenerũt, videamus ne maiore ex parte de nobis hæc, quàm de illis dicta videantur, quãuis verũ est quia non per me, sed per Apostolũ de nobis esse ista exponuntur. Audi ipse quid dicat: In Helia autem quid dicit scriptura? quomodo interpellat deum aduersum Israel? Domine prophetas tuos occiderũt, altaria tua demoliti sunt, & ego relictus sum solus & quærunt animam meã. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerũt genua Baalim, & addit: Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Vides ergo quia illos qui curuauerũt genua Baalim, & qui non curuauerunt, in reliquiis credentium, & in multitudine non credentium interpretatur. Quod hoc ostendit, quia illi qui in tempore Saluatoris increduli extiterũt & impij, genua curuauerunt Baalim, & adorauerunt simulacra. Hi verò qui credunt, & implent opera fidei, non curuauerunt genua Baalim. Neque enim vsquam refertur in historiis, vel in Euangelicis, vel in aliis quibuslibet scripturis quod aliquis tempore Saluatoris genua flexerit simulachris, sed de illis vtique hoc dicitur, qui peccatis suis astricti, velut compediti tenebantur. Vnde constat quia & nos quotiescũque peccamus, quod captiui ducimur in lege peccati, genua nostra curuamus Baalim. Sed non in hoc vocati sumus, nec ad hoc credidimus, vt iterum seruiam' peccato, & iterum genua flectamus diabolo, sed vt flectamus genua in nomine domini Iesu: quia in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestiũ & terrestrium & infernorum: & vt flectamus genua ad patrẽ domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Sed quid mihi prodest si genua corporis mei ad orationem veniens flectam deo, & genua cordis E mei flectam diabolo? Si enim non stetero firmus aduersum astutias diaboli, flexi genua mea diabolo. Et si non constanter stetero aduersum iram, flexi genua mea iræ. Similiter & si nõ constanter libidini restitero, flexi libidini genua mei cordis. Et in singulis quibusque quæ contraria sunt deo, hoc facere videbor nisi constanter & fortiter stetero, sicut & illi fecerũt qui coluerunt Baalim; & dereliquerunt deum patrum suorum, qui eduxit illos de terra Ægypti. Non igitur putemus, quia videmur simulacra non colere, propterea hæc non & ad nostrum aliquos pertinere. Vnusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur & diligit, hoc ei deus est. Denique hoc est quod ante omnia, & super omnia per mandatum suũ deus deposcit ab homine. Diliges, inquit, dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: præoccupare quodammodo erga se cupiens hos humanæ mentis affectus, & sciens quia quod ex toto corde dilexerit quis, & ex tota anima, atque viribus totis, hoc ei deus est. Discutiat nunc vnusquisque semetipsum, & tacitus ex suo corde recenseat, quæ in eo potissimum & super cætera omnia flamma amoris exęstuet, quis sibi ardentior cæteris foueatur affectus. Vos ipsi de his habetote iudicium, & in statera hæc vestri examinis appendite, & si quid est quod in dilectionis lance præponderat, hoc tibi deus est. Sed vereor F ne apud quamplurimos præponderet amor auri, & auaritiæ pondus pressa satis lance deuergat. Et vtique dicitur ad hunc: Non potes deo & mammonæ, id est auaritiæ, seruire. Vereor & in aliis ne libidinis & voluptatis amor intantum præponderet, vt vsque ad terram deuergat, in aliis amor gloriæ secularis & humanæ dignitatis cupiditas super omnia prægrauet, & valde paucos esse arbitror, qui intra semetipsos scientes affectus suos, & in staterę eos æqualitate pensantes inuenient quod dilectionis dei pondus super omnia cætera quæ sunt humana pręponderet. Scio ego eum, qui & apud semetipsum summa examinatione pensauerat, & cum inuenisset quia omnes qui intra se erant affectus in illam partem vbi dei erat charitas vergerent, cum omni confidentia dicebat: Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque virtutes, neque pręsentia, neque futura, neque altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Sed Paulus hic est qui hęc ita potuit dicere, quia neq; pręsentia, neq; futura, neque creatura alia eũ separare potest à charitate dei. nos autẽ atq; vtinã vel hoc dicamus, quia neq; aurũ, neque argentum, neque voluptas carnis, neque gloria seculi, & caduca & temporalis dignitas, vel delitiæ corporales, neq; liberorũ vel cõiugis gratia poterit nos separare à charitate dei. Certe vel illud liceat à nobis confidẽter dici, quia neq; secularis literaturę amor, neque philosophorũ sophismata, neque mathematicorũ deceptiones & astrorum simulati cursus, neque diuinationes subreptiua dæmonum fallacia commendatę, neque

Phil. 1 · Heb. 6 · Phil. 4 · Mat. 10 · 2. Tim. 2 · Rom. 11 · Matth. 6 · Rom. 8

G vllus omnino præscientiæ amor per ea quæ non licet inquisitæ poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. An non totius gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea quæ multum diligunt homines, deos esse volunt, & humanis quibusque vitiis & cupiditatibus diuinum nomen ascribunt? Pecuniæ nanque cupidi, & auaritiæ amore flagrantes, Mammonem quidem apud Syros deum cupiditatis istius dicunt, libidinis voluptatis amatores Venerem deam sibi vitij huius quo agitantur ascribunt. Similiter & in cęteris vitiis, hunc ipsum quo vrgentur affectum deum sibi fecerunt. Vnde & Apostolus eadem dicit. Ait enim: Et auaritia quod est idolorum cultus. Vides ergo quia non solum adorare simulacrum, sed quia auaritiæ studere, idolorum cultus & seruitus reputatur. Sic ergo & nos cum aliquibus vitiis ita dediti sumus, vt ea ex toto corde, & ex tota anima, atque ex totis viribus diligamus, adorare idola & abijsse post deos alienos dicimur. [Et adorauerunt, inquit, deos alienos, deos gentium, quę in circuitu ipsorum erant, & ad iracundiam concitauerunt Deum.] Vides quantum faciant peccata, vt peccantes illum in quo non solum iræ nullus affectus est, sed nec alius quidem passibilis motus, nos ad iracundiam prouocare dicamur. Verum ille permanet immutabilis in sua natura, nec vnquam iræ turbatur affectibus: ego autem per ea quæ delinquo, iram mihi ipse conscisco, sicut dicit Apostolus, & ita edocens: Secundum duritiam tuam autem, & cor impœnitens thesaurizas, inquit, tibiipsi iram in die iræ reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. [Irritauerunt ergo Dominum ad iracundiam, & dereliquerunt Dominum, coluerunt Baalim & Astarten, & iratus est furore Dominus in Israel, & tradidit eos in manus diripientium.] Quamdiu quis Deo seruit, non traditur in manus diripientium. Cum autem dereliquerunt Dominum, & seruire cœperunt passionibus suis, tunc dicitur de eis, quia tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Et iterum: Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Quare? Quia repleti sunt, inquit, omni iniquitate, nequitia, fornicatione, auaritia, & cæteris omnibus quæ dicuntur, sicut & hic modo. [Qui seruierunt, inquit, & adorauerunt Baalim & Astarten, tradidit illos Deus in manus diripientium, & facti sunt in manibus inimicorum suorum.] Hæc enim (vt sæpe iam dixi) Iudæi tanquam historias rerum gestarum & præteritarum legunt. Nos autem propter quos hæc scripta dicuntur, scire debemus, quia si peccauerimus Domino, & animi nostri voluptates, ac desideria carnis velut Deum colamus, tradimur etiam nos, & Apostolica autoritate in manus Zabuli concedimur. Audi denique ipsum dicentem, de eo qui peccauerat: Tradidi, inquit, huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Vides ergo quia non solum per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos qui ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solum soluendi, sed & ligandi: traduntur peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis à Christi corpore separantur. Et (vt mihi videtur) dupliciter etiam nunc traduntur homines de ecclesia in potestatem Zabuli. Vno modo quo superius diximus, cum delictum eius manifestum sit ecclesiæ, & per sacerdotes de ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso eueniat illi quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Alio autem modo quis traditur Zabulo, cum peccatum eius manifestum non fit hominibus. Deus autem qui videt in occulto, perspiciens eius mentem, & animam vitiis ac passionibus seruientem, & in corde eius non solum amorem seculi, sed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiusmodi, istum talem ipse Dominus tradit Satanæ. Quomodo eum tradit Satanæ? Discedit à mente eius, & auertit se, & refugit à cogitationibus eius malis, & desideriis indignis, & derelinquit domum cordis eius vacuam. Et tunc complebitur in illo homine quod scriptum est: Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, circuit loca arida: & si non inuenerit requiem, redit ad domum suam: & inueniens eam vacantem & mundatam, assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & intrans habitat in domo: & tunc fient hominis illius nouissima peiora prioribus. Hoc ergo modo intelligendum est, Deum tradere quos tradit, non quia ipse tradat aliquem, sed eo quod derelinquit, indignos eos scilicet iudicans, qui se non ita excolunt & à vitiis purgant, vt libenter in eis habitet Deus. Ipso refugiente, atque auertente se ab anima, quæ in immunditia ac vitiis posita est, tradita dicitur ex eo quod Deo vacua inuenitur, & inuaditur ab spiritu nequam. Et ideo nos summo studio vigilemus, & festinemus purgari à vitiis, & concupiscentiis malis, vt Deum intra nos tenere possimus, & vt habitare dignetur in nobis, dum delectatur & actibus & sermonibus & cogitationibus nostris, si secundum ipsius voluntatem geramus cuncta quæ gerimus, vt siue manducamus, siue bibimus, siue aliud quid facimus, omnia in nomine faciamus Domini nostri Iesu Christi, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Gētilis erroris initiū. — Col.3. — Rom.2. — Rom.1. — 1.Cor.5. — Per quos excommunicatio. — Dupliciter homines traduntur Satanæ. — Matt.12. — Quo sensu Deus tradat Satanæ.

De eo quod traditi sunt filij Israel in manus inimicorum, & de Gothoniele, & Aioth. Ex Cap. II. III.
Homilia I.

QVANDO fecerunt filij Israel malignum in conspectu Dei, & obliti sunt Domini Dei sui, ac relinquentes eum seruierunt Baalim, & lucis gentium, tunc thesaurizantes sibiipsis iram traditi sunt iusto Dei iudicio in manus inimicorum, secundum hæc quæ præsens lectio declarauit, in manus Chusarsaton regis Mesopotamiæ. Interpretatur Chusarsaton humiliatio eorum. Traditi sunt ergo in manus eius, qui humiliaret eos. Et quia ipsi in excelsis montium impie agebant in altissimum, propterea ab ipso in humilitatem traduntur. Sed nolo putes quia erga antiquos solummodo erat hæc diuina prouidentia, vt eos qui impie exaltabantur, traderet humiliandos, vt salubri medicinæ ratione, contraria contrariis curarentur. Nam & nunc omnipotenti Deo erga ecclesiam suam de huiusmodi salubritate prouidentia est. Etiam nunc est Chusarsaton rex Mesopotamiæ, cui traduntur humiliandæ & affligendæ animæ, quæ Christiana humilitate contempta in superbiam se atque arrogantiam dederunt. Odiosum satis est in conspectu Dei superbiæ vitium: quia, sicut scriptura dicit, initium discedendi à Deo, superbia. Et iterum alibi scriptura dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Si quis igitur Christi humilitate contempta, qui propter nos cum Deus esset, homo factus est, & humiliauit se vsque ad mortem, extollitur & effertur, & ad potestates & dignitates seculi prosilit: & artes quibus hæc assequi nititur, etiam si contra fidem & religionem sint, non refugit, nec horrescit, dummodo quod cupit obtineat, faciátque malignum in conspectu Domini: postquam indeptus fuerit summas infulas potestatum, & ad ipsa superbiæ fastigia summa conscenderit, inde deiectus traditur huic Chusarsaton vni scilicet ex aëreis principibus, vt humiliet eum qui nimis fuerat exaltatus, vt affligat, vt conterat, donec resipiscat & quærat Dominum: quia cum esset in superbia, & elatione constitutus, ignorabat Dominum. Nunc ergo ij qui traduntur pro peccato, in tribulatione positi, videamus quid faciunt. Illud profecto quod scriptum est: Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit nos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum diripit. Sed vnusquisque nostrum etiam si paruus sit, & etiam si minimus, etiam si nulla sit vsus in ecclesia dignitate, potest per superbiæ vitium laborare: & nihil reperias tam fœdum, neque execrabile, sicut scriptura dicit, quam pauperem superbum, & diuitem mendacem. Nonnunquam autem morbus iste superbiæ penetrat non solum pauperes plebis, verum etiam sacerdotalem & Leuiticum ordinem pulsat. Inuenies interdum etiam in nobis aliquos, qui ad exemplum humilitatis positi sumus, & in altaris circulo, velut specula, in quibus arrogantiæ vitium fœtet, & de altari Domini, quod deberet incensi suauitate fragrare, odor teterrimus superbiæ & elationis renidet. Sed abijciatur, quæso, ab omni hac sancta ecclesia, & præcipue ab iis qui ministrant in sanctis, odor iste teterrimus: vt possimus, sicut Paulus dicebat, effici bonus

1.Pet.5. — Psal.107. — Eccles.25.

A nus odor Christi: ne forte irascatur dominus, & ad iracundiam prouocemus sanctum Israel, & tradat nos in manus Chusarsaton, & humilitatem quam in scientia Christi docere debuimus, in correptionis nostræ tribulatione discamus. Sed vide benignum dominum, misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clemēti libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquētes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore humilia teipsum deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Non expectes vt humiliet te Chusasarton, & inuito necessitas extorqueat pœnitētiam, sed ipse præueni tortoris istius manus: quia si te ipse emendaueris, si te ipse correxeris, pius est deus, & misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo præuenit. Sed illud consideremus, quia donec seruient Chusasartō ij qui traditi fuerant pro delictis, & non clamauerunt ad dominum, nemo suscitatus est qui saluare eos posset. Cum autē clamauerunt ad dominum, tunc suscitauit dominus saluatorem Israel, & saluauit eos. Saluatorem autem dicit Gothoniel, qui interpretatur tempus mihi deus. Per hunc ergo Gothoniel prior ille populus de seruitute humilitatis ereptus est, & reddita est pax populo, quam superbia dudum, & diuersa plebis facinora fugauere. Verum quoniam diximus spiritalem quendam intelligi posse Chusarsaton regem, & vnum de

2. Cor. 4.

B aduersariis & aereis potestatibus principem: ita consequens mihi videtur etiam Gothonielem istum, qui ad liberandum populum suscitatus est, esse vnum aliquem de militia cœlesti, & archangelicis turmis, qui ad adminiculum mittūtur eorū, qui hæreditatem capiunt salutis, & sunt angeli Saluatoris, qui vel Gothonielis, vel Aioth specie designantur: quia, sicut sæpe ostendimus, non solum à contrariis virtutibus impugnamur, sed & diuinæ bonæque virtutes ad auxilium nostrum mittuntur à domino. Videamus tamen quis fuerit iste Gothoniel, cuius familiæ, cuius nobilitatis. [Filius, inquit, Ceneph, frater Caleph:] illius laudabilis & admirandi viri Caleph, qui fuit comes, & socius Iesu Naue: de quo, prout potuimus, in suis locis, quæ visa sunt, disseruimus. Quid ergo dicit scriptura de isto Gothoniel? Posteaquam dixit quia clamauerunt filij Israel ad dominum, [factus est, inquit, spiritus domini super Gothonielem, & iudicauit Israel.] Putas est in nobis aliquis, qui ita validum, & ita iustum clamorem mittat ad dominum, vt dignus sit exaudiri, & mereatur populus accipere iudicem quem spiritus dei repleat, & possit rectum tenere iudicium. Vnde & liber ipse Iudicum dicitur, & describuntur in eo iudices, qui iudicauerunt populū. Sicut enim alij libri Regum dicuntur, vel Regnorum, in quibus describitur vnusquisque regum quomodo regnauerit, vel quid egerit: ita & in hoc libello gesta Iudicum referuntur, & describitur non so-

Vnde liber Iudicum dicitur.

C lum si quid ab eis recte & humiliter gestum est, verum & si quid culpabiliter emissum est. Cur tamen vtrunque descriptum sit si requiris, profecto vt nunc ecclesiæ principes vel iudices peruidentes ea quæ ab eis laudabiliter gesta sunt, priorum sequantur exempla: si qua verò in illis culpantur, vt isti caueant & declinent. Magna ergo laus primi huius iudicis Gothoniel refertur, quod spiritus dei factus est super eum, & per spiritum domini iudicabat Israel: quod ego de alio quouis dictum non valde memini. Sunt ergo omnium hodie ecclesiarum quæ sunt sub cœlo, quàm plurimi iudices, quibus iudicium non solum rerum gestarum datum est, sed & animarum. Verum nescio si quis talis ecclesiæ iudex est, quem dignum faciat Deus spiritu sancto replere, vt sicut Gothoniel iste testimonio scripturæ decoratus est, ita etiam ipsi de quibus hoc optamus, dei testimonium mereantur. Ait ergo: Et factus est super eum spiritus domini, & iudicauit Israel, & exiit ad bellum, & tradidit dominus in manus eius Chusarsaton regem. Quare hoc? Quia spiritus domini erat in eo, & confortata est manus eius per Chusarsaton regem. Et post hæc dicit, [quia quieuit terra sub eo iudice quadraginta annis.] Vides quam larga est diuina clementia. Octo annis filij Israel seruierant pro multorum delictis, quadraginta annis iustitiam in pace perdurant. Sed quid dicitur post hæc? [Et defunctus est, inquit, Gothoniel filius Ceneth.] Rem

Othoniel primus iudex.

D video periculosam. Defunctus est Gothoniel, quia iam indignus erat populus, qui haberet iudicem talem. Denique in consequentibus dicit: [Illo defuncto adiecerunt, inquit, filij Israel facere malignum in conspectu domini: & confortauit dominus Eglon regem Moab aduersum Israel.] Considera quia pro eo quod indigni erant iam habere principē talē, propterea aufertur ab eis bonus iudex. Et fecerunt filij Israel malignum in conspectu domini, & excitatur eis hostis pessimus. Eglon rex Moab. Vides quia peccata vires hostibus præbent, & quando nos facimus malignum in conspectu domini, & delinquimus, tunc confortātur à domino inimici nostri, tunc vires contrariis virtutibus dantur. Hoc siue secundum literam quæras, ita inuenias, quia non inualescerent nisi eis delicta nostra vires conferrent: siue in spiritalibus consideres, similiter contrariæ virtutes non inualescerent aduersum nos, nec ipse Zabulus in nobis aliquid præualeret, nisi ei vires ex nostris vitiis præberemus: valde infirmus esset aduersum nos, nisi nos eum fortem peccando faceremus, nisi per peccata nostra locum introeundi & dominandi inueniret in nobis. Propterea & apostolus denique premonet dicens: Nolite locum dare Zabulo: sicut & hic modo legimus, quia postea quā fecerunt filij Israel malignum in conspectu domini, locum dederunt Zabulon. Confortauit enim dominus Eglon regem Moab, & adiunxit ei omnes filios Ammon, & Amalech. Non

Peccata vires hostibus præbeant.

Eph. 4.

E solum, inquit, ipse confortatus est ex peccatis filiorum Israel, sed adiunguntur ei socij nequam ex filiis Ammon, & Amalech, qui cum ipso pariter impugnent Israel. [Et seruierunt, inquit, filij Israel Eglon regi Moab, decem & octo annis.] Obserua quia etiam mensuras pœnę indicat scriptura diuina cum ante octo annos, & hic decem & octo dicit: Certum est autem quod secundum peccati modum, & cōuersionis nostræ moram, etiam castigationis tempora temperantur. Trāsierunt enim & isti decem & octo anni seruitutis, & non refertur quia clamauerunt ad dominum, vel conuersi sunt à malitia sua: sed post decem & octo annos iterum dixit, [quia clamauerunt filij Israel ad dominum, & suscitauit eis dominus deus saluatorem Aioth filium Gera, filij Gemini, virum ambidextrum.] Ecce qualis est iste qui suscitatur ad saluandū Israel: nihil habet in se sinistrum, sed vtranque manum dextram habet. Hoc est enim quod dicitur ambidexter. Dignus verò populi princeps, & ecclesię iudex, qui nihil agat sinistrū, cuius quid agit dextera, nesciat sinistra sua, in vtraque parte dexter est, in fide dexter est, in actibus dexter est, nihil habet de illis qui collocantur à sinistris, quibus dicitur: Discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos, ite in ignem æternum quem præparauit deus Zabulo & angelis eius. Quod si licet in talibus ex simili præsumere, puto quod secundum spiritalem intelligentiam, & sancti omnes ambidextri dicantur: &

Ambidexter.

Matt. 25.

F econtrario Zabulus, & princeps eius, si dici potest, ambisinistri dicuntur. Totum enim quod agunt sinistrum est, totum peruersum, totum igni æterno cum iis qui à sinistris sunt, deputatum. Sed videamus quid agit hic ambidexter iudex. [Miserunt, inquit, fili Israel munera ad Eglon regem Moabitarū per manum Aioth: & fecit sibi Aioth gladium ex vtraq; parte acutum, palmæ extensæ longitudine, & alligauit sibi eum Aioth ad femur dextrum.] Vides quia dextrum est omne qđ agit Aioth hic ambidexter, & manibus dexter est, & in pedibus dexter est. In femore enim dextro gladium portat, vt veniat ad regem, & interficiat eum. Dixeramus in superioribus quod isti quos ad salutem populi, & ad liberādos filios Israel suscitare dicitur deus saluatores, vel iudices, imaginem ferant aliquorum principum ex cœlesti militia & supernarum virtutum, quas ad subsidium deus emittat eorum, qui ad se toto corde clamauerint, & per conuersionem pœnitentiæ diuinam erga se clementiam flexerint. Sed hoc vt ne præsumptum apud auditores videatur à nobis, debemus ex scripturarum auctoritate firmare. Scriptum est in Exodo, quia patres nostri filij Israel cum multo tempore Ægyptiis & Pharaoni regi durissimo in luti & lateris cōfectione seruissent, clamauerūt ad dominum, inquit, ita vt ipse dominus diceret: Clamor filiorum ascendit ad me: & misso

Ambisinister.

Exod. 37.

G quidem Moseo, visibiliter eduxit eos. Refert autem scriptura quod angelus exterminator missus sit, qui vastaret quidem omnia primogenita Ægyptiorum: Israelitarum verò neminem tangeret. Et sic declaratur virtutem fuisse cœlestem, quæ vastatis Ægyptiis & prostratis, filios Israel de iugo seruitutis eduxit. Simile quoque etiam illud refertur in historiis quod sub rege Assyriorum Sennacherib, angelus domini mittitur, qui cæsis sub vna nocte & prostratis centum octogintaquinque milibus hostium, & vrbem de obsidione, & populum de imminenti liberaret interitu. Ita ergo etiam nunc eadem consequentia debemus aduertere, vt si quando pro peccatis nostris in captiuitatem tradimur, clamemus ad dominum. Clamemus autem non ore, sed mente, ita vt dolor cordis fontem lachrymarũ producat ex oculis, sicut ille qui dicebat: Lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Si ita conuertimur à malis, vt vltra non contingamus mala, si ita desinamus à superbia, vt vltra nihil superbum, nihil arrogans sapiamus, mittet etiam dominus virtutem suam cœlestem, per quã liberemur à iugo seruitutis Zabolicæ: quæ virtus omnia pro nobis agat dextra & prospera, quæ faciat nos relinquere vitam sinistram, quæ ducit in perditionem, & reuocet nos ad verã vitã, illum qui dicit: Ego sum via, & veritas, & vita, Iesum Christum dominũ nostrum, cui est gloria, & imperium in secula seculorũ. Amẽ.

4. Reg. 19 *Psal. 6* *Ioan. 14*

H

De Semegar, & Iabin, & Sisara, & cæteris iudicibus. Ex Cap. III. IIII. Homilia IIII.

CONIVNGITVR principatui Aioth ambidextri, principatus Semegadi. Sed videamus qualiter Aioth qui interpretatur laus, cõcluserit principatum suum. Historia nos edocuit ea quæ de Eglon rege scripta sunt, quomodo sapientissimus hic Aioth arte quadam, & vt ita dicam, callida, sed laudabili vsus deceptione interemerit Eglon tyrannum, qui interpretatur rotatus vel orbita. Oportet ergo tales esse & nostri populi iudices, qualis fuit Aioth iste qui interpretatur laus, vt omnes volubiles motus, & orbitas mali itineris excidant, & perimãt Madianitarum regem. Madianitæ autem interpretantur fluxus, vel effusio. Huius igitur fluxæ, & dissolutæ gentis princeps vel dux qui potest videri alius, vel intelligi, nisi sermo illius philosophi, qui summum bonum iudicat voluptatem? quem interficiat, & perimat Euangelicus sermo, qui gladio comparatur: & sermo propheticus ipse in ventre eorum, atque in imis præcordiis ambidextri doctoris disputationibus concludatur: vt veritatis assertione eos concludens, extinguat omnem praui dogmatis & crassæ intelligentiæ sensum, qui se extollit, & erigit aduersum spiritalem scientiam Christi: vt hæc ita faciens, & in verbo dei dimicans vnusquisque ecclesiæ iudex, fiat etiam ipse laudabilis Aioth, de quo dicat dominus: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Verum breuiter istis à nobis de priori lectione, id est, de Aioth fine repetitis, videamus nunc quale sit etiam principium Semegar, qui interpretatur ibi aduena. Verum est enim, quia omnes qui sunt homines dei, aduenæ sunt in hoc mundo, & incolæ in terra, sicut & ille qui dicebat: Quoniam incola ego sum apud te in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei. Et hũc ergo Semegar sanctus spirit' ibi incolã dicit, id est, hic. Quod enim sancto spiritui qui in cœlis est, ibi est, nobis hic est. Quid ergo dicitur de Semegar? [Percussit, inquit, Allophylos in sexcentis viris, in stiua, vel pede aratri.] Aliud genus laudis in Semegar video. Iste in aratro pugnat, Aioth pugnabat in gladio. Iste in aratro vincit. Vincit tamen & hic, & superat, & prosternit Allophylos. Potest ergo fieri, vt ecclesiæ iudex non semper gladium proferat, id est, non semper austeritate verbi, & acumine correptionis vtatur: sed aliquando etiã imitetur agricolam, & velut aratro sulcans animæ terram, ac sæpius eam clementi commotione rescindens, aptam eam suscipiendis seminibus paret. Interficientur ergo etiam sic Allophyli, cum non argumentis & acumine contra aduersarios vtimur, sed agresti & simplici commonitione de animis auditorum vitia & peccata propellimus. Sed & tu ipse ô auditor esto agricola animæ tuæ. vtere hoc aratro quo vtitur Semegar. Sed cum miseris manum tuam in aratro, noli retro respicere: id est postquam tuleris crucem tuam, & sequutus fueris Christum, postquam seculo renunciasti & iis quæ in seculo sunt, noli retro respicere, noli requirere quæ propter Christum duxeras vt stercora: quia si in isto aratro manũ semper habueris, ita vt confidenter dicas: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, hæc tibi dicenti cadẽt à dextris tuis decẽ milia, & à sinistris tuis mille, ad te verò nõ appropinquabunt. Sed & hoc ipsum quod dixit, in sexcẽtis viris Allophylos percussisse Semegar, non mihi videtur otiose dictum. Quid enim opus erat designare etiam numerum? nisi forte euidentius in ipso numero ea de quibus superius diximus, indicauit. Nanque senarius numerus, qui multiplicatus venit in sexcentos, mundi huius figuram tenet, qui in sex diebus dicitur consummatus. Sexcentos ergo in aratro dicitur percussisse ille, qui per crucem domini crucifixus est mũdo. Sed quid post hæc additur? [Et adiecerunt, inquit, filij Israel facere malignum in cõspectu domini, & Aioth mortuus est.] Seruatur nimirum in his etiam illa obseruatio, quã in superioribus designauimus, quia pro peccatis populi moritur bonus populi dux. Cum enim indigni fuerint effecti, & fecerint malignũ in cõspectu domini, auferetur ab eis homo dei. Sed dicit fortasse populus noster: Quando ecclesia dei sine iudice est? Etiã si prior defecerit, alter adhibetur. Audacter fortassis aliquid dicimus, tamen quod scriptũ est dicimus. Nõ semper princeps populi, & ecclesiæ iudex per dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu domini, dantur nobis principes secundum cor nostrum. Et hoc tibi de scripturis probabo. Audi nanque quod dominus dixit: Fecerunt sibi regem, & non per me, & principem, & non per consiliũ meũ. Et hoc dictum videtur de Saul illo, quẽ vtiq; ipse dominus elegerat, & regẽ fieri iusserat: sed quoniã non secundum voluntatẽ dei, sed secũdũ peccatoris populi meritũ fuerat electus, negat eum cũ sua volũtate, vel cõsilio constitutũ. Tale ergo aliquid intelligamus etiã in ecclesiis fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo & opere potens à deo tribuitur rector ecclesiæ, aut si malignũ faciat populus in conspectu domini, talis ecclesiæ iudex datur, sub quo famem & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famẽ audiendi verbum domini. Ita ergo nos agamus, & ita oremus, ne vnquam nos diuina indignatio in verbi fame condemnet ac siti, ne vnquã auferatur à nobis, qui nos verbo & opere instruat, qui in moribus, & honestate, qui patientiæ ac mansuetudinis perfectũ de se populis præstet exemplũ. Nam si nos fecerimus malignũ in conspectu domini, id est, si male egerimus, si voluntatẽ nostrã & non dei facimus, moritur & nobis Aioth, aufertur & Semegar, & obscuratur laus nostra, tradimur in manus Iabin regis Chanaan. Iabin autẽ interpretatur sensus siue prudentia. Si ergo nos non probauerimus deum habere in notitia, tradit nos deus in reprobum sensum, repletos iniquitate, nequitia, fornicatione, auaritia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, susurratores, detractores, deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, parentibus non obedientes, incompositos, sine affectu, sine misericordia. Vides qui sint & quales qui traduntur in reprobum sensum, qui traduntur Iabin principi Chananæorũ. [Et princeps, inquit, militiæ Iabin erat Sisara, & ipse habitabat in Arisoth gentium, & erant ei nongenti currus ferrei. Et clamauerũt ad dominum filij Israel.] Etiam & in hoc similiter illa quã superius désignauimus, obseruatio custoditur, quia nesciũt clamare ad dominum filij Israel nisi cũ traditi fuerint in manus Iabin, vel cũ afflicti per eius militiæ principem Sisaram, [cui erant, inquit, nõgẽti currus ferrei,] quibus scilicet affligeretur popul' duræ ceruicis. Sisara autẽ interpretatur visio equi. Iste est enim animalis nõ spiritalis, qui nõ videt nisi ea q̃ animalis sũt. Ipse est eius visio, ipse semper intuitus. Et ideo sẽper animalis homo, & is qui secundũ carnẽ est, persequitur eum qui secũdum spiritum est, donec spiritalis intelligat, & examinet omnia, & intelligat vnde sibi sit auxilium deposcendum, & clamet ad dominũ: donec animę illi quę clamauerit ad dominum,

Eglon rotatus vel orbita. *Aiod laus.* *Epicurus.* I *Matth. 25* *Semegar aduena.* *Psal. 119* *Allophyli Palestini.*

K *Luc. 9* *Gal. 6* *Psal. 91* *Senarius mundi figura.* L *Principes & pastores non semper per dei arbitrium dantur.* *Osee. 8* *Amos 8* M *Iabin prudentia.* *Rom. 1* *1. Cor. 2*

Anum, suscitetur prophetia quæ est in figura Debboræ, & secundum prophetiæ gratiam, & intelligentiam, vel ecclesiæ populus gubernetur, vel etiam sensus vniuscuiusque mentis & animæ regatur, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De Debbora, & Barach, & Iahel, & Sisara. Ex Cap. IIII. Homilia V.

DE quæstionibus ad quæstiones, & de sacramentis ad sacramenta transimus: & cum vix ac difficulter prima quæque explanamus, difficilibus difficiliora succedunt, quæ non tam ingenii facundia indigeant, quàm diuinæ gratiæ aspirationem requirant. Sine dubio enim requirit auditorem, quoniam quidem sententia est Apostoli Pauli, quæ dicit, Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad increpandum, ad doctrinam quæ est in iustitia. Quid ergo habeat in sese ista scriptura, quam sine dubio & ipsam inspiratam diuinitus confitemur, quod nobis ad doctrinam cedat, quod ad increpationem, quod ad disciplinam, quod ad iustitiam, diligentius est inquirendum. Quid enim nobis ex hoc confertur, si legamus hoc quod recitatum est, id est, quod [Debbora, inquit, mulier prophetissa, vxor Laphidoth, ipsa iudicabat Israel illo tempore, & ipsa, inquit, Debbora, sedebat sub palma inter medium Rama, & inter medium Bethel, in monte Effrem, & ascendebat ad eam filii Israel, vt iudicarentur?] Tum deinde quid nobis eruditionis, aut doctrinæ, aut iustitiæ ea conferunt quæ sequuntur, vel de Barach, vel de Iahel, vel etiam de Sisara duce militiæ Iabin? Videamus ergo ne forte per hæc dignum aliquid sicut & ex scripturis cæteris, de sacramentis secretioribus doceamur. Primo hoc ipsum, quod cum plurimi iudices viri in Israel fuisse referuntur, de nullo illorum dicitur, quia propheta fuerit, nisi de Debbora muliere. Præstat & in hoc non minimam consolationem mulierum sexui etiam prima ipsius literæ facies, & prouocat eas viri nequaquam pro infirmitate sexus desperent etiam prophetiæ gratiæ capaces se fieri posse, sed intelligant, & credant quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diuersitas sexus. Sed videamus quid etiam interioris intelligentiæ respirat arcanum. Debbora apis interpretatur siue loquela. Sed iam & in superioribus diximus quod Debbora in prophetiæ forma accipienda sit, quæ est apis. Certum namque est quod omnis prophetia suaues cœlestis doctrinę fauos, & dulcia diuini eloquij mella componat. Vnde & Dauid canebat dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Et iterum alibi dicit, iudicia dei preciosa esse super aurum, & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Sed & illud consideremus, vbi residere dicitur prophetia, & vbi locus eius esse describitur. [Sub palma, inquit, inter medium Rama, & inter medium Bethel]. Sub palma sedem habet prophetia, quia iustus (inquit Dauid) sicut palma florebit, per hoc quod suis institutionibus eruditum prophetia perducit ad palmam supernæ vocationis dei, in Christo Iesu domino nostro. Inter medium autem Rama, & inter medium Bethel sedere dicitur. Rama interpretatur excelsa. Bethel domus dei. Videte in quibus locis residere dicitur prophetia, inter excelsa & domum dei. Nihil enim humile, nihil deiectum, nihil vile erga prophetiæ sedem reperiri potest: sicut & Salomon nihilominus sapientiæ sedem describens, dicit de ea, quod vel in portis ciuitatũ adsistat, vel in murorum mœnibus habitet, vel in altis turribus liberę agat. Hoc ergo modo prophetia, quę nunc in Debbora describitur, inter domum dei, & inter excelsa dicitur habitare. Non enim nos docet quæ super terrã sunt quærere, sed quæ in cœlis sunt & in excelsis, vbi Christus est in dextra dei sedens: illuc nos prophetia hortatur ascendere, illuc discipulos molitur imponere. Hæc ergo primo omniũ, inquit, [misit, & vocauit ad se Barach]. Barach interpretatur coruscatio. Coruscatio verò est quę habet quidẽ lucẽ, sed nõ manentem. Ad modicum enim temporis resplendet, & desinit. Hic ergo Barach mihi videtur formam gerere populi prioris, qui primo omnium per prophetiam vocatus est, & inuitatur ad audienda eloquia dei, & diuinę legis munera capienda, qui refulsit quidem, & ad legis splendorem ad breue tempus coruscauit, sed non diu permansit, nec continuum lucis potuit obtinere fulgorem. Cum ergo dixisset Debbora ad Barach, id est prophetia ad priorem populum, quia [tibi præcepit dominus deus Israel, & tu ascende in montem Thabor, & accipe duodecim milia virorum], & reliqua quæ scripta sunt, quid responderit Barach ex persona populi ad prophetiam videamus: [Non, inquit, ascendam nisi tu ascenderis mecum, quia nescio diem in qua mittet dominus angelum suum mecum.] Vides ergo quomodo illis prioribus prophetia detulit eloquia dei, & illis dicit data esse præcepta vt ascẽdant in montem: sed excusant & dicunt, non ascendam, nisi ascenderis & tu mecum. Et de excusatione quidem verum est, sed de repromissione falsum est. quod enim non ascenderunt in montem dei verum est: quod autem pollicentur se ascensuros cum prophetia falsum est. Non enim sequuti sunt prophetiam, vt crederent ei de quo omnis prophetia prescripta est Christo. Propterea ergo dicit ad eum Debbora: [Ibo tecum.] Veruntamen scito, quia non erit primatus tuus in via hac quam incedis, sed in manu mulieris tradet dominus Sisaram.] Euidenter ostendit quia non erit apud illum populum primatus, nec permanebit apud eum victoriæ palma, sed in manu mulieris, cui nomen Iahel, tradetur Sisara. Describitur autem quod secundum commonitionem Debboræ, id est, prophetiæ, insequeretur Barach principem Allophyllorum Sisaram: & ipse quidem eum comprehendere non potuit, sed occurrit ei fugienti mulier alienigena Iahel, quæ mulier prius cum eo amicitiarum fœdus habuerat. Ad quam ille cum declinasset latendi gratia, & aquam poposcit vt biberet, ab illa lacte potatus est. Et cum eum in latebris collocasset, ac pellibus adoperuisset, post hæc pallum maileo adactum per eius malas vel maxillas defixit. Et tunc occurrens insectãti Barach mortuum iam & prostratum ostendit Sisaram. Quid ergo nobis sacramenti omnis iste historiæ textus ostendit? Iahel mulier alienigena, de qua prophetia dixit, quod in manu mulieris fiet victoria, figuram tenet ecclesiæ, quæ ex alienis gentibus congregata est. Interpretatur autem Iahel ascensio: quia reuera non est alia ascensio qua ascendatur ad cœlum, nisi per ecclesiam multiformis sapientiæ dei. Ipsa est ergo, quæ dum à corporalibus ad spiritalia, & à terrenis ascẽdit ad cœlestia, interfecit Sisaram, de quo iam superius diximus, quod carnalium vitiorum, & animalis, vel stolidi hominis tenet figuram, quia Sisara visio equi interpretatur. De quo scriptura dicit: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Palo ergo eum interfecit, id est ligni crucis acumine, & virtute eum prosternit. Et non sine causa maxillam eius palo transuerberasse describitur. Illud enim os, quod de carnalibus loquebatur, & illa doctrina quæ carnis gloriam præferebat, quia in deliciis, & voluptate viuendum sapientibus seculi persuadebat, & humanum genus luxuriæ adulatione deceperat: illud inquam os ligno crucis confoditur & terebratur, quia illam viam, quam philosophia latam & spatiosam prædicauerat voluptatis, hanc Christus arctam & angustam nobis viam salutis ostendit. Sic ergo Iahel, id est, ecclesia, vitiorum principem Sisaram obtectũ pellibus, id est, membrorum mortificatione sopitum, æterno tradit somno. Occurrit tamen Iahel, id est, ecclesia post hoc & priori populo insectanti Sisaram. Insectabatur enim Israel legem iustitiæ, sed in legem non peruenit. Occurrit ergo ecclesia etiam ipsi, & ostendit ei opus suum, ostendit victoriam consummatam, atque in societatem eum prostrati hostis inuitat. Verum est enim illud, quod Apostolus in nouissimo tempore dicit futurum, quia cum plenitudo gentium subintroierit, tunc omnis Israel saluus fiet. Fit ergo quidem primatus in manus mulieris alienigenæ, non tamen excluditur à consortio gloriæ etiam Barach, qui prior quidem cœperat, sed nouissimus peruenit ad finem. Imò dum ille peruenit, Iahel alienigena prętereuntem quodammodo victoriam rapit. Eadem forma præcessit etiam in Esau, & Iacob fratribus. Dum enim Esau sectatur agrestia, dum moratur in saltibus, præueniens Iacob, & mulieris cõsiliis, id est, matris, compositos patri offerens cibos, benedictionis primatꝰ accepit. Sic & in Euãgelio pergẽte domi

[Margin notes: 2. Tim. 3. — Debbora apis, vel loquela. — Psal. 119. — Psal. 18. — Rama excelsa. Bethel domus Dei. — Prou. 8. — Col. 3. — Barach coruscatio. — Iahel figurã Ecclesiæ gẽtium. — Iahel ascensio. — Psal. 31. — Rom. 11.]

G no ad filiam principis synagogæ suscitandam, præueniés mulier quæ fluxu sanguinis laborabat, fideli tactu prior consequitur sanitatem. Quod si etiam inde requirendum aliquid videtur à diligentibus auditoribus, quod lacte eum potasse dicitur, cum ille aquam poposcisset, videamus ne forte secundum mysticas vel allegoricas legis interpretationes, tale aliquid etiam de hoc possit ostendi. Lactis cibus esse dicitur in scripturis sanctis, prima hæc moralis institutio, quæ incipientibus velut paruulis traditur. Non enim in initiis statim discipulis de profundis & secretioribus tradendum est sacramentis, sed morum correptio, emendatio disciplinæ, religiosæ conuersationis, & simplicis fidei prima eis elementa traduntur. Istud est ecclesiæ lac, hæc incipientibus paruulorum prima sunt elementa. Sed iste cibus iis quidem qui ad bonum proficiendi propositum gerunt, vitam tribuit & salutem: iis verò quibus contraria placent, quibus luxuria, libido, auaritia, & omnis impietas cordi est, huiusmodi doctrina necem & interitum præstat. Sic ergo fit, vt ex his, atque iisdem cibis quibus aluntur boni, suffocentur mali: & in quo piis vita est, ibi sit impiis mors. Denique vt exemplo res quam dicimus planior fiat, vinum sanos & commode degentes iuuat, & (sicut scriptura dicit) cor hominis duntaxat lætificat. Febricitantibus verò si sumpserint, perniciem continuo & interitum parit. Ita fit vt eadem res eodem modo sumpta, vni quidem vitam, alij autem conferat mortem. H Sic ergo intelligendum est & Sisaram istum animalem hominem, & vitiorum principem, per doctrinam ecclesiæ, quam non ex fide suscepit, extinctum. Sed & vnaquæque anima satis agat lacte isto Euangelico atque apostolico sopire in semetipso & extinguere Sisaram. Si enim per hæc edoctus quis mortificauerit membra sua quæ sunt super terram, auaritiam, fornicationem, & cætera quæ sanctus Apostolus enumerat: Sisaram in semetipso videbitur peremisse, vt hæc non solum in persona ecclesiæ consummari, verumetiam vnusquisque in sua anima ostendat impleri. Quia (sicut diximus) cœptus est quidem Sisara insectari à populo priori, interemptus autem à muliere ac ecclesia gentium, & in manu eius data est palma victoriæ. In consummatione omnium, id ed in fine seculi, etiam canticum domino cantabitur per Debboram, in quo primatus quidem dabitur Iahel ecclesiæ gentium: nec tamen Debboræ laus silebitur: sed & primis & nouissimis victoriæ præmium dabitur, per Iesum Christum dominum nostrum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

1.Cor.3. — *Elementa Christianæ institutionis.* — *Col.3*

De cantico quod cantauit Debbora.
Cap. V. Homilia VI.

I SISARA cum exercitu suo, & curribus ferreis quibus impugnat populum dei superatus est, quod ita futurũ prophetia præcecinit per Debboram. Et posteaquam in manu mulieris facta victoria est, cáticum istud Debbora, velut victoriæ ipsius laudem, cecinisse præscribitur. Verũ si meminimus eorũ quæ in superioribus dicta sunt secundum mysticam formã, quæ est figura Debboræ, quæ etiam Barach, quid imaginis teneat Iahel mulier, quæ aduersarium populi dei sola deiecit, quæ etiã imago sit Sisaræ ipsius, qui à muliere alienigena ligni virtute prostratus est: intelligimus hæc omnia sacramenta esse, quæ in nouissimis temporibus, & in fine seculi per ecclesiam cõsummantur, & in cantico hoc velut epinica eius, id est, victoriæ laudem esse descriptam, illius scilicet temporis cum nouissimus inimicus destruetur mors. Tunc enim exultabit Debbora, id est, exultabit gloria prophetiæ, quia quæ prædixit, impleta sunt. Tunc itaque ecclesia hostem communem omnium superabit: & posteaquam plenitudo gentium introierit, tunc & Barach, id est, reliquus Israel saluus fiet, & in societatem victoriæ recipietur. Tunc ergo, si digni fuerimus, etiam nos cantabimus canticum istud refertum mysticis & propheticis sacramentis, ex quibus per singula discutere cuncta temporis non est. Breuitatem nanque auditores ecclesiæ diligunt. Pauca tamen vel de principiis eius disserentes, vel sparsim ex eo flosculos eligentes, consolationis aliquid auditoribus afferre tentabimus, vel nosmetipsos exercere, & meditari vt apti efficiamur ad Debboræ canticum K decantandum. [In incipiendo principes in Israel, in voluntatibus populi benedicite dominum. Benedictio, inquit, qua benedicimus dominum, sit in exordio principum in Israel, tum deinde & in voluntatibus populi. Verbi gratia: cum primum incipimus venire ad dei cultum, cum initium verbi dei & doctrinæ cœlestis accipimus, à principibus Israel ista nobis initia capessanda sunt. Principes autẽ Israel, id est populi Christiani, angelos accipiendos puto, quos adesse dominus dicit vnicuique minimo in ecclesia, qui etiam semper videre dicuntur faciẽ patris, qui in cœlis est. Ipsi ergo sunt principes, & ab ipsis nobis sunt sumenda principia. Verbi gratia: si eat quis puer ad scholas, à magistro quidẽ suscipitur, & efficitur illius doctoris discipulus, sed non statim discendi ab ipso præceptore sumit exordiũ: sed cũ ab eo prima tantũ elemẽta susceperit, traditur aliis erudiẽdus (vt ita dicã) scholæ ipsius principibus: vt cum ab illis quantũ in illis est fuerit edoctus, & cum prima apud eos deposuerit rudimenta, tum demum ipsius doctoris perfectiora præcepta suscipiat. Ita ergo etiã nũc institutionum nostrarum initia repetẽs prophetia dicit, quod cum à principibus, vel principes cœperint operari in nobis, deinde nos volũtate & proposito subsequamur: & aucti profectibus, sic ad benedicendum iam ipsum dominũ veniamus. Sed videamus quid dicit: [In incipiendo, inquit, principes in Israel.] Initia iuuari à principibus dicuntur: post hæc verò iã L voluntate propria, & proposito nitendum est, vt benedicere dominum mereamur. Nam & populus Israel cum inciperet exire de Ægypto, & transire mare rubrũ, nihil ipsius proprio labore, sed totum per principes, id est per angelos agebatur. Denique sic dicit Moyses ad populum: Vos, inquit, tacebitis, & dominus pugnabit pro vobis. Aperte enim angelus vastator pro eis pugnasse describitur, qui Ægyptiorum quidem primogenita interemit: Israelitarum verò nec pecus quidem mutire fecit. Verum non semper expectandum est vt angeli pro nobis pugnent, sed in incipiendo tantummodo, id est in initiis nostris, à principibus angelis adiuuamur. Cæterum processu temporis oportet etiam nos ipsos exire armatos ad prælia. Ante enim quàm bella discamus, antequam pugnas domini parare meditemur, à principibus angelis subleuamur: antequam panis cœlestis consequamur annonam, & carnibus agni immaculati satiemur, antequam veræ vitis quæ ascendit de radice Dauid sanguine inebriemur, donec paruuli sumus, & lacte alimur, & initiorum Christi sermonem tenemus, tanquam paruuli sub procuratoribus agimus, & actoribus angelis. Vbi verò iam militiæ cœlestis sacramenta gustauimus, & pane vitæ refecti sumus, audi quomodo per apostolicam tubam suscitamur ad prælia. Ingenti nanque voce Paulus clamat ad nos dicens, Induite vos arma M dei, vt possitis stare aduersus astutiam diaboli. Non nos vltra patitur latitare, inuitat nos ad certaminum campos: Induite, inquit, vos loricam charitatis, & galeam nihilominus salutis accipite, sed & gladium, inquit, spiritus, & super omnia scutum fidei, in quo possitis (ait) omnia iacula maligni ignea extinguere. Vides ergo quomodo omnia per ordinẽ fiunt, & nihil confusum in populo dei, nihil incompositum, aut præposterum geritur. In incipiendo principes iuuant: cum adiutus fueris, & à principibus eruditus, iam tibi ipse sponte & voluntate tua, quæ didicisti à principibus, gere. Recte enim decoctis principiis, depositisque rudimentis nostræ committemur voluntati, vt vel laus meriti sit, quæ nostra virtute quæsita est, vel culpa iure sit nostra, quæ per nostram venit ignauiam. Hæc pro eo quod scriptum est: [In incipiendo principes in Israel, in voluntatibus populi benedicite dominum.] Post hæc autem dicit: [Audite reges, & auribus percipite satrapæ. Domino cantabo, psallam deo Israel.] Audite, inquit, reges. Reges appellat eos qui conuocantur ad audiendum verbum dei. Exulta popule dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendũ verbũ dei, & nõ vt plebs, sed vt rex vocaris. Tibi enim dictum est: Genus regale, & sacerdotale, populus in acquisitionem. Ideo quia vos reges estis, merito rex noster Christus dominus rex dicitur regum, & dominus dominantiũ. Sed sicut exultatis de nobilitatis vestræ titulo, ita discere debetis quid agendo vnusquisque vestrum

1.Cor.15 — *Breuitatem diligũt auditores ecclesiæ.* — *Exo.14.14* — *Ephe.6* — *1.Pet.2* — *Apoc.19*

A vestrum fiat rex. Quod vobis ita breuiter definiam. Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex nanque à regendo dictus est. Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frenis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te recte agere noueris. Cum ergo talis fueris effectus, digne vt rex ad audienda diuina verba vocaberis. Hoc verò quod subsequitur, magis corporeum aliquid indicat, quod dicit: [Auribus percipite omnes satrapæ.] Sicut enim inferiores sunt regibus satrapæ, ita & auribus percipere inferius videtur esse quàm audire. Audire nanque ad interiorem pertinet hominem, sicut & Dominus dicebat. Qui habet aures audiendi audiat. Auribus verò percipere, ad exteriorem & corporalem pertinet auditum. Ideo ergo & hic illi qui audire deberent reges dicuntur, qui verò auribus percipere, satrapæ appellantur. [Ego Domino cantabo, psallam Deo Israel.] Beati sunt qui possunt cantare canticum Domino. Cum redimus ad scripturas, multa cantica sacris mandata voluminibus inuenimus. Habemus integrum volumen de canticis canticorum scriptum. Ecce & in hoc libro Iudicum habemus canticum, & in Numeris canticum scriptum est, & in Deuteronomio, & in Exodo, & in primo Regnorum libro. In primo etiam Paralipomenon, & in aliis multis locis inuenies cantica diuina esse descripta. Ait ergo

Multa cantica in scripturis.

B hæc vox iusti: [Ego Domino cantabo, psallam Deo Israel.] Quis putas ita canoræ vocis est, & ita spiritus puræ mentis, qui syncere canat, vt cantilena eius diuinum delectare possit auditum? Ille profecto est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit, ille potest dicere: Ego Domino cantabo, psallam Deo Israel. Verum quia continuationem cantici per singula non occurrimus explicare, interpolando saltem seriem lectionis, videamus quid est quod dicit: [Cor meum ad ea quæ disposita sunt huic Israel.] Hoc modo videtur quod dicit: Cor meum, & animus meus, & sensus meus, & tota mens mea ad illud intendit, & illud prospicit, quod dispositum est, & quod præparatum est Israel: illud tota mente prospicio quod futurum est. Si enim ad illud intendero animum, omnia quæ in hoc mundo sunt, ducam vt stercora, vt Christum lucrifaciam, qui præparauit illa omnia quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, iis qui diligunt eum. Cor ergo, inquit, meum, ad illa extenditur. Non enim adhuc humanum cor gero, neque quæ cogito, secundum hominem cogito: sed quia secundum scripturam ij ad quos sermo Dei fit, dij sunt, nec ego hæc humana, sed diuina mente prospicio. [Potentes populi, benedicite Dominum, qui ascenditis super iumenta.] Quid est ascendisse super iumentum? Corpus hoc meum iumentum est: ad adiumentum enim, & ad ministerium datum est: ego autem

Philip. 3.

C sum, id est, interior homo, qui ascendi super iumentum hoc, cui dicitur, vt benedicam Dominum. Si ergo vere ascendisti supra corpus, & superior effectus corporalibus desideriis, & motus corporis tui freno mentis & interioris hominis moderamine gubernantur, de te dicitur, quia ascendisti super iumentum hoc, cui dicitur, vt benedicas Dominum. Quid autem est, quod sequitur? [Super vehicula, inquit, sedentes, & super asinas refulgentes.] Quid sibi videntur esse asinæ refulgentes? Dicit enim scriptura, quia oporteat benedicere Dominum eos, qui sedent super vehicula, & super asinas refulgentes. Mihi velut in locis ita difficilibus tale aliquid videtur: cum iumentum hoc, id est, corpus meum, sub iugo venerit verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei resplendere incipiet: & asina hæc, id est, caro mea tunc refulgere dicetur, cum castitatis ac pudicitiæ fuerit splendore decorata. Et ita recte dicitur anima sedens super asinam resplendentem Dominum benedicere, & in medio lætantium laudare Deum. Ibi dabunt iustitias Domino. Sacrificium Domino illud est acceptabile, quod in iustitia offertur Domino & æquitate. Et ideo dicitur. [Iusti confortati sunt in Israel.] In aliis quidem gentibus, qui corporis robore fortiores sunt, illi potentes dicuntur in prælio: In Israel verò qui iustiores sunt, ipsi potentiores dicuntur in bellis: quia iustitia etiam si viribus infirma sit, vincit: iniustitia verò etsi multos & validos pugnatores

D habeat, superatur. Sic igitur in hac gente nostra, id est, in populo Dei, aut per iustitiam superamus, aut per iniustitiam vincimur. [Exurge Debbora, exurge & suscita dena milia populi.] Prophetia quando exurgit? Profecto in aduentu Domini: & non solum ipsa exurgit, sed & populos suscitat ad credendum. [Captiuam ducito captiuitatem fili Abinoem.] Abinoem responsio patris interpretatur. Huius filius est Barach. Captiuitatem de hostibus capiet, qui cœlestis patris responsa seruauerit. [Domine humilia mihi fortiores me.] Vox ista fidelium est, confitentium simpliciter fortiores esse inimicos suos, aduersum quos nobis pugna & certamen est: quia non est nobis pugna aduersus carnem & sanguinem. Alioquin non esset nobis fortior aduersarius. Sed quoniam aduersum principatus, & potestates, & aduersum mundi huius rectores tenebrarum, & aduersum spiritalia nequitiæ est luctamen, idcirco dicit Propheta: Domine, humilia mihi fortiores me. Quomodo enim non hæc tanta spirituum vis, longe sit humana fragilitate vehementior? Sed in eo Deus adiuuat infirmitatem nostram, in quo dicit Apostolus: Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Sunt istæ quidem virtutes fortiores nobis: sed iterum qui in nobis est Christus, & confortat nos, est omnium fortior: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ephe. 6.

Philip. 4.

De eo quod translati sunt filij Israel in manus Madian. Ex Cap. VI. Homilia VII.

E QVIESCIT terra donec quiescit peccatum. Moueri autem dicitur terra, hoc est, ij qui habitant terram, cum animas hominum mouere cœperint, & pertubare peccata. Et ideo scriptum est hoc quod nunc præsens lectio continet. [Et quieuit, inquit, terra quadraginta annis.] Et fecerunt filij Israel malignum in conspectu Domini, & tradidit eos in manus Madian annis septem, & inualuit Madian super Israel.] Dum esset ergo iustitia in terra, id est, in iis qui habitant terram, quieuisse dicitur terra. Cum verò increuerit iniquitas, & fecerint malignum in conspectu Domini. [Tunc tradidit, inquit, eos Dominus in manus Madian annis septem.] Nec dicuntur inualuisse Madianitæ super populum Domini, donec præcepta Domini populus custodiuit. Cum verò negligere cœpit mandata diuina, robustior & validior effecta est aduersus eum hostium manus. Et aduersum quidem illum priorem populum corporales insurgebant hostes, cum deliquisset: aduersum nos autem, qui Israel sumus secundum spiritum, spiritalis sine dubio hostis insurgit: & cum mandata Dei negligimus, cum Christum contemnimus, validior aduersum nos manus dæmonum efficitur: & tradimur etiam nos inimicis, cum deserimur à gratia. Sed videamus quid accidit eis, qui traditi sunt pro peccatis suis. [Et fugerunt, inquit, filij Israel à facie Madian per septa in montibus, & in speluncis, & in munitionibus: & efficiebatur cum seminasset vir Israel, ascendebant Madian & Amalech, & filij Orientis super eos, & superueniebant eis, & exterminabant omnes fructus terræ, vsquequo perueniretur in Gazam.] Hæc quidem patiebatur ille, qui erat secundum carnem Israel. Seminabat terram, sed quoniam pro peccatis suis traditus erat

F insurgentibus inimicis, pro frugibus corruptionem metebat. Nobis verò qui secundum spiritum Israel nominamur, quid tale accidere potest consideremus. Est quando seminamus, & non possunt inimici corrumpere semina quæ seminamus, non possunt apri insidiari culturæ nostræ: est autem quando seminamus, & corrumpuntur quæ seminamus. Paulus nos Apostolus de hac seminandi doceat differentia. Audi ergo ipse quid dicit: Qui seminat, inquit, in carne, de carne metet corruptionem. Et qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Isti sunt ergo, quorum semina Madianitæ corrumpunt, qui in carne seminant. Isti sunt quorum fructus exterminantur, & pereunt. Illa autem semina, quæ in spiritu seminantur, non possunt Madianitæ corrumpere. Non enim possunt aduersariæ potestates ascendere ad spiritales campos, & noualia spiritus temerare eorum qui non seminant super spinas, sed innouant sibi

Gal. 6.

G noualia. Sed & illud addendum est: volo enim & meipsum vobiscum pariter commonere de cautela seminum, & spiritalium fructuum diligentia. Frequenter accidit, vt aliquis in opere spiritali multum desudans, fructus quamplurimos fecerit, & repleuerit horrea sua iustitiæ frugibus, & multa bona opera recondiderit in conscientię suæ cõclaui: postea verò si negligat, & post laborẽ procliuius ad voluptates & luxurias vergat, omnia ei bonorum semina, & fructus sancti operis dominante libidine corrumpuntur. Cum enim subintroierit peccatum, & captiuauerit hominis sensum, vt iã non respiciat ad mandata dei, nec arduam virtutis viam libenter ascendat, depereunt omnia quæ prius fuerant in horreo cõscientiæ congregata. Propterea ergo scripturæ sanctæ nobis seruanda commonitio est dicentis: Omni custodia serua tuum cor. Custodiendum est igitur cor ab omni peccato, & præcipue in tempore persecutionis. Si cui enim accidat, vt in aliquo quidem tempore congreget fructus iustitiæ, conquirat opera virtutum, & omnibus se probatissimis excolat disciplinis, in persecutionis verò tempore deneget fidem, iste condita omnia euacuauit, ex omnibus facultatibus suis nudus repente & inanis effectus est, quia diu quæsitus, & multo vix labore collectus, subito omnis effusus est labor: & sicut dicit propheta, omnes iustitiæ eius quas fecit, non commemorabuntur. Propterea ergo fratres deprecemur dominũ

Prou.4

Ezech.3

H confitentes ei infirmitatem nostram, ne nos tradat in manus Madian, ne tradat bestiis animam confitentem sibi, ne nos tradat in manus potentum eorum qui dicunt, quando veniet tempus vt detur nobis potestas aduersus Christianos, quando tradentur in manus nostras isti qui se dicunt habere, vel nosse deum? Quod & si tradamur, & acceperint potestatem nostri, oremus accipere à deo virtutẽ, vt sustinere possimus: vt & fides nostra in pressuris & tribulationibus clarior fiat, vt per patientiam nostram illorum superetur impudentia, & (sicut dixit dominus) in nostra patientia acquiramus animas nostras: quia tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem spem. Pertendit enim nostra probatio non vsque ad verbera solum, sed vsque ad profusionem sanguinis peruenit: quia & Christus quem sequimur, pro redemptione nostra effudit sanguinẽ suum, vt inde exeamus loti sanguine nostro. Baptisma enim sanguinis solũ est quod nos puriores reddat, quàm aquæ baptismus reddidit. Et hoc ego non præsumo, sed scriptura refert, dicente domino ad discipulos: Baptismũ habeo baptizare quod vos nescitis. Et quomodo vrgeor vt perficiatur? Vides ergo quia profusionem sanguinis sui baptisma nominauit. Et ne ista dicẽs, offendam, vereor ne istud baptisma eminentius sit illo baptismate quod per aquam traditur. Illo enim accepto, valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatũ vsque ad exitum vitæ

Pagani optabant moueri persecutionem in Christianos

Rom.5

Baptisma sanguinis.

Luc.12

I seruare potuerint. Hoc verò baptismo qui baptizatus fuerit, peccare iam vltra non potest. Et si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid, possumus dicere, quod per illud baptisma præterita peccata purgantur: per istud verò etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa. Mihi si concederet deus vt proprio sanguine diluerer, vt baptismum secundũ, morte pro Christo suscepta perciperẽ, securus ex isto seculo discederem: vt veniens ad animam meã de hac vita exeuntẽ princeps huius mundi non inueniret quicquã, quin potius, & sanguinis mei profusione sopiretur, nec auderet in aliquo criminari animam cruore suo dilutã, morte sua clarificatã, sanguine suo lotam. Post istud baptisma nec Madianitæ vltra irruerent ad disperdendos & exterminãdos animæ fructus. Quis enim sequi possit animam martyris, quæ supergressa omnes aerias potestates, ad cœleste tendit altare? Ibi enim sub altare dei animæ martyrum positæ dicũtur diebus ac noctibus proclamare dicentes: Quousque domine qui iustus & verus es, non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant terram? Ibi enim positæ diuinis adsistunt sacrificiis. Sed beati sunt qui hæc merentur. Beati sunt quorum cor cum de seculo recedunt, non trepidat pro peccato, quos pergentes ad dominum delictorum formido non terret. Beata illa anima quæ occurrentes sibi aerias dæmonum turmas profusi in martyrio sanguinis cruore deturbat. Beatus est de quo euntead cœlum dicunt angeli illam propheticam vo-

Optabat martyrio coronari Origenes.

Apoc.5

cem: Quis est iste qui ascendit ex Bosor, hoc est qui de carne ad cœlum ascendit? Quis est iste qui ascẽdit ex Bosor, rubor vestimentorum eius: in rubore vestimentorum cruorem sanguinis designans. Beatæ sunt ergo animæ quæ sic Christum sequuntur, quomodo eas Christus præcessit. Et ideo quia sic sequuntur, vsque ad ipsum dei altare perueniunt: vbi est ipse dominus Iesus Christus pontifex futurorum bonorum, cui est gloria & potestas in secula seculorum. Amen.

K

Esa.63

De filiis Orientis, & de Gedeon ex parte. Ex Cap. VI. Homilia VIII.

ESTO, conuenerint aduersum Israel Madianitæ, qui interpretantur extra iudicium Esto, isti conuenerint aduersum Israel, qui extra iudicium dei sunt, & qui extra legem peccauerunt, & extra legem peribunt. Esto, conuenerit & Amalech, qui & ipse interpretatur populus ablingens. Esto, & hæc natio terrena, & ventri, & gulæ dedita, impugnare venerint Israel carnalem. Quid est hoc quod etiam filij Orientis his admiscentur, & cum ipsis ad impugnandum Israel venire dicuntur? Dic enim mihi adiutor. Si scriptum esset quia filij occidentis conuenerunt cum ipsis, nihil quærerem: diceres enim mihi allegoricis sensibus: quia filii occidentis sunt filii tenebrarum & ipsi iunguntur illis gentibus, vel quæ extra iudicium Dei sunt, vel quæ ventri deditæ impugnant eos qui mente deum videre contendunt. Nunc autem cum dicatur quia filii orientis venerunt cum Madianitis, & Amalech, quomodo hæc possunt competenter exponi? Videamus ergo si possumus in tam difficilibus locis scripturæ dignum aliquem in his sensum diuinis paginis inuenire. Omnis qui super se quoquo modo nomen suscipit Christi, filius efficitur orientis. Sic enim scriptum est de Christo: Ecce vir Oriens nomen est illi. Quisquis ergo Christi suscipit nomen, filius esse dicitur orientis: sed non semper qui nomen Christi accipiunt, etiam in ecclesia permanent Christi. Si ergo videas hæreticos Christi quidem nomine cẽseri: expugnare autem ecclesiam Christi, & arma conferre aduersum Christi fidem, & impugnare populum domini, bella suscitare aduersum catholicam fidem: nolo dubites de iis dicere, quod isti sunt quidem filij orientis, sed cum Madianitis, & cum Amalech expugnare veniunt populum dei, quia cum paganis & cum Iudæis ecclesiam dei etiam hæretici persequuntur. Et ipsos esse opinor, qui designantur in filiis orientis. [Omnes ergo, inquit, Madianitæ, & Amalech, & filij orientis conuenerunt simul, & ascenderunt, & superuenerunt eis, & castra posuerunt in valle Iezrahel.] Isti qui impugnare volunt populum dei, castra in vallibus collocãt, in deiectis & humilibus locis, in valle, inquit, Iezrahel. Inuenimus autem interpretari Iezrahel, semen dei. Vides vbi collocant castra aduersarij? Non sunt ausi ire illuc, vbi videntur iam nati esse fructus spiritus, sed vbi adhuc semen dei iacet, vbi nondum fructus ascendit. Qui enim exiit seminare semen, seminat super omnem locum. Sed audi ipsum dominum dicentem quid pati soleat semen dei. Aliud, inquit, cecidit secus viam, & venientes aues cœli diripiũt illud. Quod ipse in posterioribus interpretatus dixit: Qui autem secus viam seminati sunt, ij sunt qui audiunt verbum, & cum lætitia accipiunt: venit autem Zabulus, & tollit de corde eorum quod seminatum est. Sic ergo & isti tunc veniunt ad semen dei, & volunt illud tollere de corde eorũ in quibus seminatũ est, quia inueniũt eos in vallibus positos, & ima quæque sectantes. De illis sunt enim qui humiliter & indigne & (vt ita dicã) Iudaico intellectu suscipiunt verbum dei, & ideo possunt illud rapere dæmones de corde eorũ. Qui autẽ ab humilitate literæ ad spiritus excelsa conscendit, & intelligentiam refugiẽs carnalẽ, sectatur in altioribus quæ sunt spiritus dei, de isto nihil possunt rapere Madianitæ, neque Amalechitæ, sed ne ipsi quidem orientis filij deprædari eum potuerunt, in excelso intelligentiæ spiritalis vertice cõstitutum. Illi ergo castra in vallibus collocãt. [Sed spiritus, inquit, dei confortauit Gedeon, & tuba cecinit, & vocauit

Rom.2

L

Zac.6

Hæretici filij Orientis

M

Matth.13

A & vocauit post se Abiezer.] Continétia quidem explanationis alium ordinem requirebat, verum quia nos non tam scripturas commétantes nunc loquimur, quàm populum de iis quæ recitata sunt, consolantes, sparsim quæ occurrunt de singulis quibusque tractamus.[Vocauit,inquit,post se Abiezer:]qui vtique nusquam erat. Interpretatur autem Abiezer patris mei auxilium. Non ergo humilem aliquem, sed patris sui Gedeon inuocasse videtur auxilium. Mittit interea, & auxilia conuocat.Conueniunt populi,& omnes ad Gedeon exercitus congregantur,[Et tunc,inquit,Gedeon dixit ad deū: Si saluum facis in manu mea Israel, quemadmodum locutus es,ecce ego sumam, & ponam vellus lanæ in area: & si quidem ros ceciderit super vellus, & super omnem terram siccitas fuerit, agnoscam quoniam saluum facies in manu mea Israel,sicut locutus es.Et factum est sic.]Cum tam multa sint & innumera signa, vel prodigia, quæ petere potuisset à deo Gedeon ad confirmandam pollicitationem dei, quid ei visum est post angelicam vocem ac pollicitationem cœlestem petere istud tam nouum signum à deo? Ait enim: [Ponam vellus lanæ in area, & si fuerit supra vellus solummodo ros, & super omnem terram siccitas, ero confidens quoniam tu saluum facias Israel in manu mea.] Et cum poposcisset Gedeon à deo signum istud,meruit effectum.Sed esto impetraueris hoc ô Gedeon:quid & accipis vellus lanæ in area,& exB primis in peluim? Quid te permouit hoc facere? Sed esto, impetraueris primum signum, quid vt secundum etiam signum permutato ac peruerso ordine posceres? Fortassis enim dicit aliquis ex iis, qui attentius audiunt quæ leguntur, quia non videntur cōuenire hæc ad illud quod scriptum est: Non tentabis dominum deum tuum,quod lex præcepit.Sed exitus rei docet non esse contra mandatum factum. Neque enim exaudiret deus petitionem contra legem aliquid deposcentem.Nunc autem cum videamus quia & in primo signo ros cecidit super vellus lanæ, in omni autem terra facta est siccitas, & in secundo super omnem terram cecidit ros, siccitas autem fuit in vellere, in quo & fiduciam accipit Gedeon quia dominus in manu eius saluum faciat Israel, videnda est huius mysterij ratio. de qua memini etiam quendam ex prædecessoribus nostris in libellis suis vellus lanæ populum dixisse Israel,reliquam autem terram reliquas gentes posuisse: & ros qui cecidit super vellus, verbum dei esse, quod illi soli populo cœlitus fuisset indultum. Supra solum nanque Israel ros diuinæ legis aduenerat. Siccitatem autem habebant omnes gentes: quia nullus eis humor diuini infundebatur eloquij.Secundi verò ratio signi in contrarium permutatur,in quo ait: vt supra omnem terram ros descendat, supra vellus autem maneat siccitas. cuius rei talis quædam ratio deprehenditur. Vide omnem hunc populum qui per omnem terram ex gentibus congregatus est,habentem nunc C in se rorem diuinum. Vide eum Moysi rore infundi, prophetarum literis irrorari. Vide eum etiam in Euangelico & apostolico humore viridantem.Illud autem vellus,id est,Iudaicum populum,siccitatem & ariditatem verbi dei patientem,secundum quod scriptum est,quia erunt filij Israel mul to tempore sine rege, sine propheta, non erit altare, neque hostia, neque sacrificium. Intueris quanta apud illos siccitas permanet,quanta eis ariditas diuini sermonis euenit.Hæc quidem nobis(sicut fateri decet) ex maiorum labore collata sunt, verum quoniam etiam nos audito verbo à sapientibus (sicut scriptum est)collaudare debemus, & adiicere ad illud, videamus quid etiam superædificare possimus in talibus.Cū septuagesimumprimum psalmum apud memetipsum sæpe discuterem, mouit me in hanc rem, quod cum aduentum Christi in eo describeret, in ipso etiam hoc asserit euenturum. Et descendet,inquit,sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillātia super terram. Vellus hic nominatur,vellus & in Psalmis describitur. Descendit enim sicut pluuia, inquit, super vellus.Descendit ergo in illud vellus populi circuncisionis,& sicut stillicidia stillantia super terram:hoc est super reliquam terrā descendit dominus noster Iesus Christus, stillans etiam super nos, & guttas nobis quoque afferens roris cœlestis, vt & nos bibamus qui eramus super omnē terram iugi ariditate siccati. Hunc igitur mysterij ordinem Gedeon sanctus prophetico spiritu contuens, non solum primum signum poposcit à deo,sed & secundum conuerso ordine repetit. Sciebat enim rorem diuinum,qui est aduentus filij dei,non solum Iudæis, sed & postmodum etiam gentibus esse venturum, quoniam quidem ex incredulitate Israel salus fit gentibus. Et hoc est quod pro ariditate velleris vniuersa terra gratia diuini roris infunditur. Sed & illud in hoc facto viri fidelissimi Gedeonis prætereundum minime puto, quod nobis ad formam potest cautelæ spiritalis accedere. Angelum vidit, sed vir eruditus & habens iam Iesu præcessoris exemplum, cautius agit. Sciebat enim possibile esse etiam angelos tenebrarum trāsfigurare se in angelos lucis: & ideo examinatione cautissima,volo,inquit,probare spiritum si à deo est, quia spiritalis examinat omnia. Sic nanque & præcessor eius fecerat Iesus Naue, cum principem militiæ cœlestis vidisset: inquirit & discutit,si noster sit, an aduersariorum. Hoc modo etiam sanctissimus Gedeon discutit angelicam visionem, diuersitate & immutatione signorum. Sed & illud quod ait Gedeon, ponam vellus non vbicunque,non in campo, neque in saltu, sed in area, quale tibi videtur?In area vbi messis est. Messis quidem multa, operarij autem pauci. [Ponam, inquit, vellus vbi messis est.] Quid mouerat sanctum virum Gedeon,vel quid ei visum fuerat vt hoc faceret? præuidebat enim per spiritum, quia Christus in aream suam populum suum congregat & ibi eum expurgat, tenens ventilabrum in manu sua, & ibi paleas separat à fru- E mento. Non ergo sine causa vir tantus & talis,cuius & sanctus Apostolus ad Hebræos scribens facit in prophetarum catalogo mentionem,aream elegit ad vellus ponendum: nec sine causā expressit vellus in peluim,quando & repleuit eam aqua. Requiramus & de hoc in scripturis sanctis, si quæ nobis etiam huius intelligentiæ præstatur occasio. Veniamus ad euangelium. Inuenimus ibi dominum & saluatorem nostrū exuentem vestimenta sua, & linteo præcinctum mittere aquam in peluim, lauare pedes discipulorum suorum. Vides ergo quia hæc adumbrabant prophetæ, quæ erant in nouissimis temporibus implenda per dominum. Illa ergo aqua quā mittebat Iesus in peluim, ros erat gratiæ cœlestis ex quo lauabat pedes discipulorum suorum. Vnde & merito dicebat ad eos: Vos autem mundi estis propter verbum quod locutus sum ad vos. Sed hoc nos modo si præbeamus pedes nostros, paratus est dominus Iesus lauare pedes animæ nostræ, & purgare eos rore cœlestis gratiæ spiritus sancti, verbo doctrinæ. Non enim solus apostolos mundos esse voluit, sed omnes qui credunt per verbum illius. Et omnibus credentibus dicit illud quod & Petro dixit: Nisi lauero te,non habebis partem mecum. Certum est enim quia nemo habet partem cum Christo, nisi fuerit lotus & mundus. Veni precor domine Iesu fili Dauid, exue te vestimenta quæ tu domine induisti propter me, & accingere propter me, & mitte aquam in peluim, & laua pedes seruorum tuorum & dilue sordes filiorum & filiarum tuarum. Laua pedes animæ no- F stræ, vt nos te imitantes & sectantes exuamus nos vetera vestimenta, & dicamus: Nocte exui me vestimentum meum, quomodo induam illud? Et iterum dicamus.Laui pedes meos, quomodo sordidabo eos? Statim nanque vt laueris pedes meos, etiam recumbere me facias tecum vt audiam abs te: Vos vocatis me magister & domine, & recte dicitis. Sum etenim. Si ergo ego dominus & magister laui pedes vestros, & vos alterutrum pedes lauate. Volo ergo & ego lauare pedes fratrum meorum, lauare pedes condiscipulorum meorum. Et propterea accipio aquam & haurio de fontibus Israel, quam exprimo de Israelitico vellere. Exprimo enim modo aquam è vellere libri Iudicum, & alio tempore aquā de vellere Regnorum,& aquā de vellere Esaiæ,vel Hieremiæ: & mitto eam in peluim animæ, concipiens sensum in corde meo: & accipio pedes eorum qui se præbent & præparant ad sanandum, & inquātum prævaleo lauare cupio pedes fratrum meorum & complere mandatum domini: vt in verbo doctrinæ purgentur auditores à sordibus peccatorum, & abiiciant à se omnem immuditiam vitiorum, & mundos habeant pedes quibus recte ingrediātur ad præparationem euangelij pacis: vt omnes simul in

Non tam commentaria scribit Origenes quàm homilias & conciones. *Deut. 6.* *Ros verbū Dei.* *Osee.3.* *Psal.71.* *Examinādi spiritus à deóne sint an à Satana.* *2.Cor.11.* *1.Cor.2.* *Mat.9.* *Mat.3.* *Heb.11.* *Ioan.13.* 15 13. *Precatio Origenis.* *Cant.5.*

G Christo Iesu purificati per verbum, non abiiciamur de thalamo sponsi pro sordidis indumentis: sed candidis vestibus, lotis pedibus, mundi corde, recũbamus in conuiuio sponsi ipsius domini nostri Iesu Christi, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

De prælio quod Gedeon cum trecentis viris electis gessit. Cap. VII.
Homilia IX.

INGENS erat multitudo quæ aduersum Israel fuerat congregata, ita vt locustis præ multitudine conferrentur. [Et cameli, inquit, eorum sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.] Quomodo ergo hæc potuerit tam innumera multitudo hostium superari videamus: [Exierunt, inquit, duo & triginta milia armatorum ex filiis Isel cũ Gedeone aduersus omnem istam multitudinem pugnare. Et deus responsa dedit ad Gedeon dicens: Grandis multitudo est tecum.] Et quid si grandis est multitudo? nónne in bellis numerosior exercitus præstat & est tutior ad subsidia? Nequaquam, inquit, quia non sunt humana prælia, non enim sicut humana, ita & diuina prælia peraguntur. Non efficitur clarũ diuinæ virtutis opus, si humanis adminiculis fulciatur, quia non fit saluus rex in multitudine virtutis suæ. Ne forte ergo gloriaretur Israel &
H iactantia victoriæ partem præsumeret, propterea dicit dominus ad Gedeon: [Multus est populus tecum: Non tradam Madiam in manus eorum, ne forte exultet aduersum me Israel dicens, quia manus mea saluum me fecit. Propterea loquere in auribus populi dicẽs. Qui timidus est & formidolosus corde, reuertatur. Et reuersi sunt de monte Galaad de populo viginti duo milia viri, & remanserunt decem milia.] Videamus ergo primo quid est quod dicit, timidus & formidolosus corde. duo enim dicta sunt humanæ fragilitatis indicia, quibus arguitur humana fragilitas, id est timidi & formidolosi corde. Timidus potest videri & ille qui primo aspectu trepidat ad congressum, non tamen toto corde terretur, sed reparari & animari denuo potest. Formidolosus est autẽ qui iam quasi inolescente vitio, etiam antequam videat mala sola cogitatione terretur gelidam per membra formidinem voluẽs, ita vt non tam conspectu malorum, quàm ipso auditu & expectatione soluatur, & ideo addidit formidolosus corde. In corde enim iam hoc & in interioribus animi defixum vitium manet. Num ergo dicimus quia tunc tantummodo Gedeon dicebat ad populum: Si quis est timidus &
I formidolosus corde, discedat ex populis, bella deserat, certamina virorum fortium derelinquat? Nam & hodie princeps militiæ nostrę dominus & saluator noster Iesus Christus clamat ad milites suos vt veniãt. Hoc enim est quod quidem aliis verbis eodem tamen sensu in euangelio dicit: Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Et: qui non oderit patrem suum & matrem & fratres suos & sorores, insuper & animam suam, non est me dignus. Et iterum: Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Nónne in his verbis euidenter timidos & formidolosos è castris suis Christus separat & secernit? Omnes igitur qui militiam Christi sequi vultis, qui in castris ipsius esse desideratis, procul à vobis timorem mentis, procul cordis expellite formidinem, vt cum confidentia dicat miles Christi: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat in me prælium, in hoc ego sperabo. Confidenter dicat: Dominus illuminatio mea & salus mea, quẽ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Sed ne nos deterreat talis ista militia, nihil in se difficile, nihil arduũ, aut impossibile cõtinet. Vis scire quàm facile sit implere hæc in fide militãtibus? Solẽt in istis castris sæpe etiã mulieres vincere, quia nõ corporis robore, sed fidei virtute pugnatur. In superioribus in hoc ipso libello Iudicum legimus de Debboræ mulieris triumphis, nec fœmineam mentem mulie bris formido turbauit. Quid ego illam magnificam & omniũ fœminarum nobilissimam memorẽ Iudith? quæ iam perditis pene rebus non dubitauit sola succurrere, seque suumque
K caput immanissimi Holophernis neci sola subijcere, & processit ad bellum non in armis, neque in equis bellicis, aut in subsidijs militaribus freta, sed virtute animi, & confidentia fidei, consilio simul & audacia hostem perimit: & quam viri perdiderant fœmina reddidit libertatem patriæ. Et quid tam longe nobis antiquorum exempla reuoluimus? in oculis nostris sæpe vidimus mulieres & virgines primæ adhuc ætatis pro martyrio tyrannica pertulisse tormenta, quibus ad infirmitatem sexus nouellæ adhuc vitæ fragilitas addebatur. Sic ergo in his qui militant veritati, sed & qui militant deo, non corporis, sed animi fortitudo requiritur: quia non iaculis ferreis sed orationum telis victoria quæritur, & fides est quæ in certamine tolerantiam præbet. Vnde & sanctus Apostolus ad huiuscemodi bella armis conuenientibus instruit milites dei dicens: State ergo induti loricam iustitiæ, & succincti lumbos vestros in veritate, sed & galeam salutis accipite, & gladium spiritus: super omnia autem scutum fidei assumite, in quo possitis iacula maligni extinguere, sed & calceati pedes in præparatione euangelij pacis: & hoc modo armatos tollere vexillum crucis Christi, & sequi eum. Licet tamen etiam hoc in militia Christi, vt si forte aliquando inferiorem te viribus senseris in persecutionibus, & non æquum tibi aduersum crudelitatem tyranni per fragilitatem corporis videris esse certamen, dare locum iræ, & fugere de loco ad locum, nec tibi in hoc adscribitur militare commissum. Designatur
L hoc etiam in legibus Christi dicẽtis: Si vos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Summa nanque rei est, Iesum quem semel confessus es, non negare. Certũ est enim quod Christum confitetur ille, qui propterea fugit, ne neget. Si quis ergo timidus est & formidolosus corde, discedat à castris, reuertatur domum suam, ne exemplum timoris & formidinis cæteris præbeat. Vis autem videre quanti criminis sit timidus & formidolosus? In Apocalypsi vbi enumerãtur ij qui in stagnum ignis mittendi sunt, ibi ante omnes timidos & formidolosos ponit, cum quibus & infideles & fornicatores & vinarios deputat. Sic inter ingentia & nefanda crimina timoris & formidinis crimen ponitur. Hęc autem diximus propter eos qui primo velut timidi & formidolosi corde dimittũtur de castris. Sed posteaquam ista viginti duo milia discesserunt, addit adhuc sermo diuinus, & dicit de Gedeon: [Adhuc, inquit, populus multus est, depone eos ad aquam, & ibi eos probabo tibi.] Vt video, illi qui primi reprobati sunt, nec in aquam descenderant, sed adhuc se catechumenos designabant, & intantum formidinis vitio deterriti sunt, vt nec ad lauacrum salutare descenderent. Illi ergo sic reprobati sunt. Isti verò secundi ad aquam veniunt, vt ibi probentur. Et quomodo probentur, videamus: [Et dixit, inquit, dominus ad Gedeon. Omnem quicunque lãbet aquam in lingua, sicut lambit canis, statues eum seorsum: & omnem qui curuauerit genua sua vt bibat, transferes eum. Et factus est, inquit, numerus eorum qui lamberũt in manu
M aquam vel lingua, trecenti viri. Cæteri autem omnes curuauerunt genua sua, vt biberent aquam: Et dixit dominus ad Gedeon. In trecentis viris istis qui lamberũt in manu aquam, saluos vos faciam, & tradam Madiam in manum tuam.] In omnibus pene veterum gestis mysteria designantur ingentia, sicut etiam in hoc loco fieri videmus, quia ij qui descendunt ad aquam, id est, qui ad baptismi gratiam veniunt, non debent procidere in terram, nec flectere genua sua, & cedere tentationibus venturis, sed stare firmiter & constanter. sicut & Propheta dicebat: Demissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressum rectũ facite semitis vestris. Venisti ad aquam baptismi, istud est certaminis & pugnæ spiritalis initium, hinc tibi aduersum Zabulum nascitur pugnæ principium. Si remissior fueris, si flecti facile potueris, quomodo pugnabis? quomodo stabis aduersus astutias Zabuli? Propterea & Apostolus clamat: State ergo, & nolite iterum iugo seruitutis hærere. Et iterum dicit: State in domino. Et tertio dicit: Quoniam tunc viuimus, si vos statis in domino. Ille igitur probabilis, ille electus est, qui posteaquam ad aquas baptismi ventũ est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim

Matt. 16
Luc. 14
Ibid.
Psal. 26
Iudith 13
Eph. 6
Quando in persecutionibus fugiendum.
Matt. 10
Apoc. 19 [sic]
Gal. 5
Phil. 4
1 Thess. 3

A sitim sternitur pronus. Sed & quod dicit eos manu, vel lingua aquam lambere, non absque sacramenti quadam significantia hoc mihi videtur scriptum, scilicet quod & manu & lingua operari debent milites Christi, hoc est, opere & verbo: quia qui docet & facit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod autem etiam similitudinem canis lambentis scriptura posuit, videtur mihi istud animal hoc in loco propterea nominatum, quod super omnia cætera animalia amorem dicitur proprij domini seruare, nec tempore, nec iniuriis obliterari in eo fertur affectus. Trecenti ergo soli, qui sacramenti huius imaginem præformabant, isti electi, isti probati, isti ad victoriam consecrati, qui ex ipso numeri sacramento obtinere aduersarios possent. Trecenti etenim sunt, qui tertio centena multiplicent, & perfectæ trinitatis numerum ferunt, sub quo numero omnis Christi censetur exercitus. In quo obtinemus vt etiā nos mereamur ascribi. Quomodo tamen isti pugnant: [Hydrias, inquit, portant & lampadas & buccinas corneas in manibus suis: & sic, inquit, veniunt ad illas innumeras multitudines hostium, in quibus erant cameli sicut arena maris. Et cum venissent ad bellum, buccinis, inquit, corneis insonuerunt. Et dimiserunt, inquit, hydrias de manibus, & contritæ sunt. Tunc verò arreptis lāpadibus proruunt in aduersarios, simul & buccinis concrepant.] Vide quia electi milites dei cum lampadibus pugnant.

Canis affectus.

Ternarij sacramentū.

Luc. 12. Mat. 5.

B

D Sic enim eos Christus armauerat dicens: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ vestræ ardentes: Et iterum: Sic fulgeat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Talibus ergo lāpadibus accensis, pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes, & splendore gestorum. Quæ sunt autem buccinæ corneæ, ex quibus tuba canunt? Qui de cœlestibus loquitur, qui de spiritalibus differit, qui mysteria regni cœlorum reuelat, ille buccina concinit, ille de tuba loquitur, qui de magnis & maximis loquitur, qui scientiam Christi humanis auribus pandit. Sed cur & cornea dicitur buccina? Quia & de sancto dicitur, cornu eius exaltabitur in gloria. Vnde & vniuscuiusque buccina dicitur cornea, in eo quod multiplicē scientiam Christi, & crucis eius, quæ in cornu designatur, differit sacramenta. Cum hac ergo buccina militantes, & cū hac pugnantes, vincimus alienigenas, & hostes in fugam vertimus, etiam si fuerit multitudo eorum sicut locustæ. Locustis enim comparata est dæmonum multitudo, quibus neque in cœlo, neque in terris est sedes. Præcedat ergo & nos hoc bello operum lux, scientiæ virtus, diuini verbi prædicatio. Pugnemus & nos in hymnis & psalmis & canticis spiritalibus concinentes & clamantes ad deum, vt ab ipso victoriam consequi mereamur in Christo Iesu domino nostro. Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Psal. 112.

IN LIBRVM IVDICVM FINIS.

E

ORIGENIS HOMILIA IN LIBRVM REGNORVM.

De Helchana, & Fenenna & Anna & Samuele, Heli & Ofni & Finees. Cap. 1. & 11.

NON tunc tantummodo deus plantauit paradisum, sed donec stat vita mortalium, donec salus hominum diuinis institutionibus procuratur, semper fiunt ea quæ iusti vox orat in psalmis, cum dicit: Inducens plāta eos in monte hæreditatis tuæ. Vnde & omnes oramus esse plantatio dei. Quia si quis nō fuerit plantatio dei, sententia semel à iudice omnium saluatore nostro lata est dicens: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. Deus ergo plantat, & est quædam propria dei agricultura, & necesse est quod ager ille quem deus colit & plantat, non vnam habeat arborum speciem, sed tāquam rus diuitis & potentis agricolæ de omnium sit virgultorum genere refertum. Quomodo autem omnia habeantur in agro dei, consideremus ex huius terræ agris quos homines colunt. Nunquid in agro suo paterfamiliâs agricola totum vineas habet, aut totum ficus, aut totum mala, vel palmas: sed qui diligens & industrius est colonus ex his omnibus agrum consitum habet & refertum? Si ergo intelligamus & in eo agro quem deus plantat, quia non vna sola arborum species est, quæ tantum dulcia ferat poma, sed aliqua dulcia, aliqua austera. suæ tamen vnumquodque vtilitatis & gratiæ, nolite ergo in nobis illud requirere, quod in papa Alexandro habetis. Fatemur enim quod omnes nos superat in gratia lenitatis. Cuius gratiæ non solus ego prædicator existo, sed vos omnes experti cognoscitis & probatis. Et ideo eiusdem quidem agri plantæ esse possumus & optamus, non tamen eundem saporem reddere. In fructibus quidem confitemur nos habere aliquid amaritudinis in sapore, aut forte quod iudicatur magis quàm sit amarum: quia sermo correptionis amarus quidem videtur esse dum corripit, dulcis autem efficitur cum emendat. Vide etiam ipsius domini & saluatoris nostri sermones, quia non omnes beatitudinem continent, nec omnes de venia & indulgentia protestantur, sed sunt in verbis etiam quædam austera & tristia. Sicut enim dicit: Beati qui hæc & hæc agunt, ita dicit, væ illis qui hæc & hæc egerunt. Ego hoc etiam in prophetis perscrutatus sum, & inueni paucis prophetarum istud esse concessum, vt nunquam aliquis populis amarum aut triste loqueretur, sed dulcia semper & lenia. Obseruatum tamen est à prioribus nostris, quod in psalmis tantummodo illis qui attitulantur filiis Chore, in ipsis solis nihil amaritudinis vel austeritatis videtur inferri, sed hoc eis quasi diuino munere concessum est, vt nominis eorum psalmi semper læta quæque contineant. Est ergo etiam in ipsis prophetis multa diuersitas. Alij tristia, alij læta denunciāt. Sed & ipse Apostolus Paulus qui imitator est Christi, habere se dicit virgam, ad eos vtique qui indigent disciplina: & in spiritu mansuetudinis venire se dicit, ad eos profecto, quorum vita culpis carebat. & ita inuenitur in vna eademque eius epistola sermo & amarus & dulcis. sicut & ad Corinthios in prima parte prioris epistolæ dicit. quia in omnibus diuites facti estis in ipso, in omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi. Et paulo post gradiens, vide qualiter sermo eius exasperatur cum dicit: Omnino auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luxistis, vt tollatur de medio vestrū qui hoc opus fecit. Hoc autem ideo scribebat: quia non omnes ad quos sermo eius dirigebatur, laude digni erant, neque omnes confutari vel corripi merebantur: & ideo amara dulcibus miscet, vt laus ad optimos quosque, correptio verò referatur ad pessimos. Hæc idcirco diximus in præfatione, quia

Mat. 15. C

Alexandrū Patriarchā Alexandrinum à lenitate prædicationis laudat.

F

Psalmi præferentes nomen filiorū Choræ nihil triste continent, sed omnia læta, cæteræ scripturæ vtraque miscēt.

1. Cor. 4.

1. Cor. 5.

G scio vos consueuisse lenissimi patris dulces semper audire sermones, nostræ verò plantationis arbuscula habet aliquid austeritatis in gustu, quod tamen orantibus vobis fiet medicamentum salutis. Quia & medicamenta quædam sunt dulcia, quædam verò austera, nonnunquam & amara, & tamen in suis quæque locis remedia tribuunt, si cum mensura, & temporis opportunitate sumantur. Historia nobis recitata est de primo libro Regnorum, quæ ita videtur difficilis, & absque diuinæ virtutis gratia explanatio eius non possit exponi. Refertur ergo ibi: [Erat vir vnus ex Ramathaiá Sophin de mõte Effraim, & nomẽ eius Helchana.] & cũ enumerasset omnẽ generationẽ eius dicit: [Et huic erãt, inquit, duæ vxores, nomen vni Anna, & nomẽ secũdæ Fenenna. Et nati sunt Fenennæ filij, & Annæ non erat filius. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua à diebus in dies, vt adoraret & immolaret domino virtutum in Silo. Ibi erant Heli & duo filij eius, Ofni & Finees, sacerdotes domini. Et facta est dies in qua immolauit Helchana, & dedit Fenennæ vxori suæ, & omnibus filiis eius & filiabus partes: Annæ autem dedit vnam partem. Non enim habebat filios, quia cõcluserat dominus vuluam eius.] Tum deinde refert scriptura, quia contristata est Anna, quòd cum acceperit Fenenna plurimas portiones cum filiis, ipsa vnam solam acceperit partem, & quia hoc dolore perculsa templum domini ingressa defleuerit & orauerit cum silentio, ita vt non audiretur vox eius: & quia putans eam Heli sacerdos

Origenis in concionibus accebior Alexandriopa triarcha.

H esse ebriam, increpauerit eam, ipsa verò cum humilitate respondẽs satisfecerit sacerdoti. Orauerit autem ad dominum, vt conciperet filium, promittens se deo consecraturã quodcunque genuisset. Et cum ex repromissione filium suscepisset, refertur quod à lacte depulsum obtulerit eum domino. Non enim poterat offerre domino prius eum quàm à lacte depelleret. Offert ergo eum in oratione quadam propheticis distincta mysteriis. Abbreuiauimus quantum potuimus continentiam lectionis. Videamus nunc quid etiã per hæc quæ proposuimus indicetur. Fortassis enim dicet nobis aliquis ad audientiam legis nostræ nuper accedens: Christiana religio pudicitiam profitetur, intantum vt si fieri potest, nec contingamus omnino mulierem. Sic enim dicit Apostolus: Bonum est homini non tangere mulierem. Iste autem iustus tuus Helchana qui nobis à scriptura proponitur ad exẽplum duas simul vxores habuisse describitur. Ex quibus illa quæ prior nominatur non habet filium, id est, Anna: Fenenna autem & multos habere filios dicitur & multas accepisse portiones. Illa autem prior vnam solam, quia ipsa sola est, accepit partem, & de sterilitate conqueritur. Nunquidnam & nos contristari debemus quia filios non habemus, & virgines nostræ contristari debent quòd sine filiis viuunt? Hæc dixi assumens personam eorum, qui nondum plene instructi de his quæ in scripturis veteribus recitantur, moueri scrupulosius solẽt. Deprecor autem vos omnes, vt quoniã sensum tam difficilium rerum conamur aperire, & ea quæ velamine obte-

Lectionẽ in Ecclesia recitatam in pauca contrahit.

1. Cor. 7.

Continẽtia Christiana.

I cta sunt ecclesiæ auribus pandere (in lectione enim veteris testamenti, sicut dicit Apostolus, velamen est positum) precibus à domino postuletis, vt dignetur nobis ad se conuersis auferre velamen & de hac lectione quam habemus in manibus & planius nobis reserare quæ tecta sunt, vt & nos possimus reuelata facie in his quæ tecta sunt gloriã dominj speculari. [Erat, inquit, vir vnus de Ramatha de monte Effraim.] Non me latet primo loco quod in aliquibus exemplaribus habetur, erat vir quidam, sed in his exemplaribus quę emendatiora probauimus ita habetur. Erat vir vnus. In quo nobis etiam Hebræi qui contradicunt in cæteris, acquiescunt. Erat ergo vir vnus. Vide si non hoc ipsum pertinet ad laudem iusti quod dicitur de eo, erat vir vnus. Nos qui adhuc peccatores sumus non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisque nostrum nõ est vnus, sed est multi. Intuere nanque alicuius vultum nunc irati, nũc iterum tristis, paulo post rursum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis, in alio tempore de rebus diuinis & vitæ æternæ actibus consulentis, paulo post verò vel quæ ad auaritiam, vel quæ ad gloriam seculi pertinent molientis. Vides quomodo ille qui putatur vnus esse non est vnus, sed tot in eo personæ videntur esse quot mores, quia & secundum scripturas insipiens sicut luna mutatur. Vnde & luna cum videatur vna esse per substantiæ immutationem, tamen semper à semetipsa alia est, sempérque diuersa: & sic etiam in ipsa constat quod vna multæ sint. Sic ergo & nos qui adhuc insipientes sumus & imperfecti, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus & sentimus, vnus non possumus dici. De iustis autem non solum per singulos vnus dicitur, verum & omnes competenter vnus dicuntur. Et cur non omnes vnus dicantur, quorum cor & anima vna esse describitur? Vnam semper omnes sapientiam meditantur, vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum deum venerantur, vnum dominum Iesum Christum confitentur, vno spiritu dei replentur. Vnde merito & ipsi omnes, non solum vnum, sed & vnus dicũtur, sicut & Apostolus designauit, dicens: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Vides manifeste quia omnes iusti vnus est qui accipit palmam. Vere enim imitatur iustus qui talis est vnũ dominũ. Nam vt ego arbitror, & illud quod per prophetam dicitur: Audi Israel, dominus deus tuus deus vnus est, nõ tantũ numero vnus designatur, qui vtique supra omnem numerum esse credendus est: sed per hoc magis vnus dici intelligendus est, quod nunquam à semetipso alter efficitur, hoc est, nunquam mutatur, nunquam in aliud vertitur, sicut & de eo Dauid protestatur dicens: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Sed & illud in hunc sensum respicit quod scriptum est: Ego sum dominus deus vester, & non immutor. Immutabilis ergo est deus: & per hoc vnus dicitur, quod non mutatur. Sic ergo & imitator dei iustus qui ad imaginem dei factus est, vnus & ipse cum ad perfectum venerit appellatur, quia & ipse cum in virtutis summa constiterit non mutatur, sed vnus permanet semper. Nam dum in malitia est vnusquisque per multa diuiditur & in diuersa dispergitur: & dum in multis est malitiæ generibus, dici non potest vnus. Igitur quia secundum mirabilem hanc vnitatem vnus est iustus, imò & plures iusti vnus sunt, ideo & sanctus Apostolus omnem cohortatur ecclesiam, dicens: Vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Propterea & in actibus apostolorum cor & anima credentium vna esse dicitur. Si autem & subtilius aliquid considerare velimus, inuenire possumus & aliam vnitatem. verbi gratia, si ita mortificauero membra mea, vt iam non concupiscat caro aduersus spiritum, neque spiritus aduersus carnem, si iam non sit alia lex in membris meis quæ repugnet legi mentis meæ, & captiuum me ducat in legẽ peccati, si omnia quæ intra me sunt in vno atque in eodem sensu perfecta sint, & vna atque eadem sententia moueantur, tunc ero & ego vir vnus. Hic igitur laudabilis duarum vxorum vir primo omnium vnde sit videamus: [De monte, inquit, Effraim.] Ergo non iustus de vallibus, nec de campis, nec de vllis inferioribus locis, sed nec de collibus quidem. [De monte, inquit, est.] de quo monte? De monte Effraim, qui interpretatur fructificatio. Ergo de monte fructificatio. Ergo de monte fructifero, & locus eius fructifer. Vide & scripturam, quam laudem montibus dicit: Deus, inquit, deus montium est, & non est conuallium. Sed & nomen iusti huius est Helchana, quod interpretatur possessio dei. Certum est quia ille de quo dictum est quod vnus esset vir, possessiõ dei est & non possessio dæmonum. Quem enim dæmones possident non est vnus, sed multi: sicut & ipsi dæmones de eo quem possidebant responderunt dicentes, quia legio nomen est ei. vnus verò est Helchana, qui est possessio dei, qui & habet patriã montem Effraim, montem fructiferum. Iste ergo tam laudabilis vir habuit duas vxores. nomen vni Anna, & nomen secundæ Fenenna. Habuit autem filios de secunda Fenẽna: sterilis vxor erat prior, illa quæ & nobilior erat. Similia inuenies & in Genesi. cognata quippe est sibi scriptura diuina. Inuenies ibi primam vxorem Abrahę Saram nobiliorem, secundam verò Ægyptiam Agar ignobilem fuisse, & ante patrem effectum Abraham de ignobili, quàm de nobili. Fit autẽ postmodum etiam de nobili coniuge pater. Ita ergo & nunc Helchana hic qui est possessio dei, prius de secunda vxore efficitur pater, quoniam quidem concluserat deus vuluam Annæ, sicut & prius concluserat vuluam Saræ. Post plurimos verò partus

1 Cor. 3

Citat Hebræos, vt suorum exẽplarium emẽdationẽ probet.

Ecclesi. 27.

K

1 Cor. 9

Deu. 6

Deus supra omnem numerum.

Psal. 102.

L

1 Cor. 1

M

Ephraim fructificatio

3 Reg. 26

Helcana possessio dei

Luc. 8

Gen. 16. 21

A tus Fenennæ, & Annæ vulua orationibus & precibus aperitur, & efficitur & ipsa mater filij eius quem obtulit deo. Quid ergo hæc in se sacramenti cõtineant, videamus: Fenēna interpretatur cõuersio, Anna autē interpretatur gratia. Vnusquisque ergo nostrum qui vult effici possessio dei, istas sibi duas iungat vxores, & cum ipsis sibi nuptias celebret. Primam sibi iungat, quæ nobilior est & generosior gratiam, hæc nobis per fidem prima coniungitur, sicut & Apostolus dicit: Gratia salui facti estis per fidem. Secundæ verò coniungatur Fenennæ: id est, conuersioni: quia post gratiā credulitatis, emendatio fit morum & vitæ conuersio. Sed cum iste sit ordo nuptiarum, alius ordo procreationis efficitur. Prima nanque nobis parit filios Fenenna, quia primos fructus de cõuersione proferimus, & prima iustitiæ germina de actibus & operibus procreamus. Primum nanque iustitiæ opus est conuerti à peccatis. Quia nisi ante conuertamur & declinemus à malo, nec de Anna effici patres, nec de gratia poterimus filios generare. Videamus ergo nunc vniuscuiusque differentias. Filios habet Fenenna, sed qui non assistunt deo. Neque enim tales esse possunt filij conuersionis vt assistant & adhæreant deo. Nec tamen inanes & penitus alieni sunt à rebus dei. Accipiunt nanque partes de sacrificiis diuinis, & edunt de hostiis dei. Vnusquisque ergo nostrum primo conuertitur à peccato, & ex conuersione generat opera iustitiæ. Po-B stea verò excitata in nobis Anna per zelum & æmulationem boni, precem fundit ad deum, vt & ipsa filios generet. Quales ergo Anna (quæ est gratia) filios generat? Qui assideant deo. Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est. Hic ergo est filius gratiæ, qui deo vacat & verbo dei. Vis autē euidentiorem tibi ostendam & in euangeliis huiusmodi intelligentiæ formam, quæ in lege quidem adumbratur per vxores, in euangeliis verò iam præsens describitur per sorores? vide Martham & Mariam: ex quibus quidem Martha cõturbatur, & satagit circa multum ministerium, & explet opera conuersionis, & per hæc velut conuersionis filios generat. Maria verò secus pedes verbi dei intenta optimam partem elegisse dicitur, & per hæc intelligitur velut gratiæ germina procreare. Sic ergo & nunc Anna generat filium. Quē filium? Samuelem (inquit) qui deo assistit, de quo in Psalmis dicitur: Moses & Aarõ in sacerdotibus eius, & Samuel in his qui inuocant nomen eius. Sed & Hieremias dicit: Si steterint Moses & Samuel in conspectu meo non dimittam eis. Si ergo tantus & talis est filius gratiæ, & nos festinemus quidem ad Annæ nuptias, sed patienter agamus vt prius nobis filij de conuersione nascantur: prius in bonis operibus placeamus, tunc deinde & de gratia, & dono spiritus filium procreemus. Et qualem filium? Qualis hic filius est, Samuel (inquit) qui interpretatur ibi ipse deus. Vides quales filios generat gratia? Sic enim scriptum est de his qui spiritus gratiam consecuti sunt, dicente apostolo: Si verò propheta intret, aut C imperitus, aut idiota in conuentum vestrum, discernitur ab omnibus, occulta quoque cordis eius manifesta fient: & tūc cadens in faciem adorabit deum, dicens quia vere deus in vobis est. Hoc est ergo quod interpretatur Samuel, ibi ipse deus. Vbi enim spiritus gratiæ, ibi ipse esse dicitur deus. Sed iste nobis talis filius non potest nasci, nisi præcesserint prius filij Fenennæ, nisi enim præcedant opera conuersionis non meremur gratiam spiritus, nec ex ipsa possumus donum spiritus generare. Videamus autem & ad quem locum conueniebat Helchana cum vxoribus suis. [Immolare (inquit) domino in Silò. Erant autem (inquit) Heli ibi, & duo filij eius, Ofni & Finees sacerdotes domini.] Silo nomen est loci, in quo sacrificia domino offerebantur, priusquam templum ædificaretur in Hierusalem. In hoc ergo loco qui appellatur Silo, hostiæ pro peccatis offerebantur, & ibi fiebat purgatio peccatorum. Silo autem interpretatur auulsio vel excalceatio, hoc est calceamenti resolutio, & vterque sensus conuenienter aptatur. Locus enim in quo peccata purgantur, recte auulsio nominatur, vbi auellitur cor lapideum, & inseritur cor carneum: vel excalceatio, quia omnes donec ad sanctum locum veniamus, excalceati sumus: cum autem peruenerimus ad eum, discalceari iubemur. Sic dicitur ad Mosen: Solue corrigiam calceamenti tui. Locus enim in quo tu stas, terra sancta est. Et quid putamus quod in his non aliquid mysterij obtectum sit, sed quia deus execrabatur calceamenta Mosi corporalia, ideo hæc iubebantur? Aut illud magis putandum est, quod cum exiret de terra Ægypti, habebat calceamenta de pellibus mortuis, & erat velut quadam mortalitate constrictus: cum verò cœpit proficere ad virtutem & ascendere montem dei, atque ibi immortalibus ministrare mysteriis, tunc dicit ad eum vt indicia mortalitatis abiiceret, quæ in calceamentis pelliceis designantur. Ego puto quod propterea & apostolis suis saluator præcepit, ne haberent calceamenta in pedibus suis, vt ipsorum pedes qui currebant ad annunciandam vitam æternam, omni carerent mortalitatis indicio: quippe qui illam viam incederent, quæ dicit: Ego sum via, veritas & vita. Nemo enim viam vitæ cum mortalitatis indicio incedit. Talis ergo est locus iste similiter vbi est Heli vir minus laudabilis. Pro peccato enim retrorsū corruens expirauit. Et non putemus quod iste solus retrorsum corruens expirauerit, sed & nunc si quis retrorsum corruit, si quis retro conuertitur à fide & veritate, necesse est vt cadat, & vt continuo moriatur. Sed & in Deuteronomio comminatur peccatoribus intētatur cum dicitur: Et opisthotonus insanabilis. Opisthotonus autem tergi ægritudinem & posteriorum partium significat & vtique nõ sine causa, cum tot genera languoris habeantur humani, hoc potissimum genus languoris ascribitur peccatori. Nam & in Genesi vxor Loth quæ retro conuersa est, diuinum dicitur trāsgressa præceptum, quo ei mandatum fuerat, ne retrorsum respiceret, néue staret in omni regione, & ideo effecta est staticulum salis. Dominus quoque & saluator noster in euangelio: Nemo inquit, mittens manum suam in aratrum, & retro respiciens aptus est regno dei. Insuper quoque cum de pluribus docuisset, addit & hoc, dicēs: Memores estote vxoris Loth. Optimum igitur est obliuisci priora, obliuisci præterita, vt ne comprehendat nos opisthotonus insanabilis lāguor, neq; cadamus retrorsum sicut Heli, & moriamur. Ibi autem erāt duo filij Heli. Heli interpretatur Arabs, siue extrarius. Extrarius quippe à deo est qui non tenet disciplinam, qui delinquentē filium nõ castigat, non corripit, vt emendet: qui indulget vitiis, qui delicta non punit, sicut & Apostolus dicit: Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini, & non filij estis. Iste est ergo Heli, qui propter hæc punitur à deo. Videamus autem qui sunt & filij eius. Ofni, inquit, & Finees. Interpretatur autem Ofni excessus conuersionis. De Fenenna autem paulo ante diximus quod esset conuersio: hic autem qui excedit, & longe efficitur ab emendatione, nec conuerti vult ad dominum, propterea impius permanet: Sed & quicūque ille est, quem videmus post peccatum non conuerti ad dominum, & agere pœnitentiam, nec recipere meritum futuri iudicij, & verbi diuini præcipientis: Nunquid qui cadit, non adiiciet vt resurgat? aut qui conuersus est non reuertetur? recte & de ipso dicimus quia sit Ofni, & excedens à conuersione. Sed & alius filius eius dicitur Finees. Duos nouimus in scripturis hoc nomine appellatos, Fineem illum iustum Aaron filiū, & hunc iniustum filium Heli. Vnde & competenter duas huius nominis interpretationes inuenimus. Significat enim Finees in lingua nostra, oris obturatio, vel ori parcens. Peccator ergo & qui duritiam non habet, ad loquendum obturatum habet os: iustus verò parcit ori suo. Hodiéque in sacerdotibus domini habetur vterq; Finees, habetur & Eleazar, qui in scripturis primus episcopus nominatus est, sicut in Numeris scriptum est. Sunt ergo hodiéque in sacerdotibus quicunque parcunt ori suo, & omnis sermo malus nequaquam de ore procedit. Sunt sacerdotes ex quorum ore nullum scandalum, nullum mendacium, nullus dolus, neque falsitas vlla depromitur, & isti merito Finees illi Aaron filio comparantur. Sunt autem aliqui & secundum istum Fineem Heli filium sacerdotes, qui obturatum os habent siue imperitiæ vitio, siue conscientia peccatorum. Sed hoc est quod deprecor, vt si quis est qui in sacerdotalem ordinem se ascitum videt, satisfagat eruditioni & emendationi operam dare, & festinet effici de illo numero beatorum, ne forte inueniatur ex istis sacerdotibus qui & reprobā-

Fenenna conuersio. Anna gratia. Ephes. 2. Ioan. 1. Luc. 10. Hier. 15. Samuel ibi ipse Deus. 1. Cor. 14. Silo qui locus. Exod. 3. Ioan. 14. Locus corruptus. Deut. 28. Gen. 19. Luc. 9. Heb. 12. Eleazar primus nominatus episcopus. Num. 20.

G tur & puniuntur à deo. Sem tempus est iam & de oratione Annæ, quam profudit offerens deo Samuelem quem à lacte depulerat, pauca memorare. In qua primo quidem hoc dicimus, quòd is qui deo offertur puer, ante offerri non potuit, quàm depelleretur à lacte. In quo ostenditur consecrari deo neminem posse qui adhuc lacte alitur, & puer est sensibus, atque expers est sermonis iustitiæ, nec sacerdotalia potest procurare sacramenta nisi desistat à puerilibus, & in maius ascendat ab his quibus Apostolus dicit: Lac vobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis. Alioquin secundum literam quid videtur operæprecij puerulum nuper à lacte deuulsum deo offerri, vbi non mater intererit, non nutrices fouebunt, neque educandi pueri aderunt vlla subsidia? Sed vide quia scripturæ sermo ita aptus est, vt figuraliter doceat quod omnis qui primo ad fidem conuertitur, lacte & nõ cibo forti alitur, de quibus in altero loco dicitur: Et effecti estis qui lacte indigetis, & non cibo forti. Quoniam omnis qui lacte alitur alienus est à sermone iustitiæ. Paruulus est enim. Perfectorum est cibus solidus, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Igitur quicunque à lacte nondum depellitur, sed paruulus est, non potest ascendere ad templum domini, non potest ascendere ad ministeria sacerdotum, nec sa-

H crificiis interesse, sed ne mater quidem eius ascendit cum possit ascendere. Gratia est enim mater eius Anna, quæ seruat & custodit eum & enutrit eum, vt tempore opportuno pariter cum ipso ascendat. Quæ cum viderit ipsi adesse tempus, vt iá recedens à lacte solidis & fortibus cibis vtatur, vt possit & sacerdotibus interesse, & de altaris edere sacrificiis, tunc eũ deo consecrat. Vide si in alio loco in scriptutis sanctis inuenis significari aliquem à lacte depulsum. Ego tamen quantum ad præsens memoria suggerit, Isaac memini: de quo scriptum est, quod conuiuium magnum fecit Abraham ea die qua à lacte depulsus est Isaac filius suus. Apud homines quidem seculi huius parentes solent natalis diem celebrare filiorum: Abraham verò non celebrat natalem diem Isaac filij sui, sed illum diem festum agit, & lætitiæ deputat, & conuiuia celebrat, cum eum à lacte depellit; & ad cibos fortes & solidos applicat, quasi si per hæc diceret Isaac: Cum factus sum vir, deposui quæ erant paruuli. Oportet ergo talem esse hunc qui offertur deo vt habitet in sanctis, qui possit vesci carnibus sanctis, de quibus scriptum est: Sanctificamini vt manducetis carnes. Sed videamus quali eum prece Anna, id est gratia consecrat deo. Nouum quippe aliquid in principiis ipsis obseruabimus. Ait enim: [& orauit Anna, & dixit:] Et nusquam eam quasi ad deum orantem inuenio, vel loquentem, nisi per duo tantum verba, vbi dicit: [Lætata sum in salutari tuo] & aliud: Quia non est preter te. Initium autem sic habet [Exultauit cor meum in domino.] Non dixit exultauit cor

I meum in te. Si enim esset oratio, ita dici consequens erat. Exultauit cor meum in te. Et iterum in sequẽti versu eius dicit. [Exaltatum est cornu meum in deo.] Non dixit: Exaltatum est cornu meum in te, sed in deo. Dilatatum est os meum super inimicos, quia lætata sum in salutari tuo. Vnus (vt dixi) sermo orationem continet: Lætata sum in salutari tuo, & in consequentibus non dicit quia non est sanctus nisi tu, sed non est sanctus vt est dominus, & non est præter te. Hic sermo non videtur seruasse orationis ordinem. In nouissimis autem longæ supplicationis specie, etiam commonitiones quasdam introducit, dicens: [Nolite multiplicare loqui mala, neque exeat maliloquacitas de ore vestro, quia fortis in scientia dominus.] In quo nec videtur iam ad dominum loqui. Quid ergo dicemus de his? Ego cum legerem aliquando apud apostolum quod dixit: Sine intermissione orate, quærebam si præceptum hoc possibile esset impleri. Quis enim potest nũquam desinere ab oratione, ita vt neque cibum, neque potum sumendi tempus habeat? Quippe cum si hæc fiant, intermittẽda videtur oratio. Sed nec dormiendi aut aliquid aliud humani vsus agendi veniam secundum istud præceptum oratio communiter intellecta concedit. Videamus ergo ne forte omnes actus eius qui in diuino versatur officio, & omnia gesta vel dicta quæ secundũ deum gerit & dicit ad orationẽ reportẽtur. Si enim oratio hoc solum intelligatur quod cõmu-

Quis debeat deo cõsecrari. — *1 Cor. 9* — *Heb. 5.* — *Genes. 21.* — *1. Cor. 13.* — *Num. 11.* — *1. Thes. 5.* — *An sine intermissione possibile sit orare.*

niter scimus, neque Anna in his verbis orasse videbitur, & K nũquam vllus iustorum secundum apostoli præceptum sine intermissione orare potest. Si verò omnis actus iusti, quẽ secundum deum agit & secundum mandatum diuinum, oratio reputatur, quia iustus sine intermissione quæ iusta sunt agit, per hoc sine intermissione iustus orabit, nec vnquam ab oratione cessabit: nisi iustus esse desistat. Cum enim iniustum aliquid agimus aut delinquimus, certum est quod eo tempore etiam ab oratione cessamus. Puto quod hoc edocemur & in psalmis cum dicitur: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Non enim puto quod si quis eleuauerit vel extenderit manus ad cœlum (vt habitus orantium esse solet) continuo sacrificiũ obtulerit deo. Sed videamus ne forte hoc sit quod ibi indicat sermo dei, quia per manus opera intelliguntur. Eleuat manus ille, qui eleuat actus suos à terra, & conuersatio eius adhuc in terra ambulantis in cœlis est. Excelsi ergo actus & sublimes, quos videntes homines magnificant patrem cœlestem, eleuatio manuum dicitur, & sacrificium vespertinum. An non & in lege id per mysterium docebatur, cum Moyse eleuante manus, vincebat Israel: demittente verò & deiiciente deorsum, vincebat Amalech? Et si omnia hæc figuraliter contingebant illis, scripta sunt verò propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Quare

L intelligere debemus, quia donec famulus dei eleuat actus suos ad deum, vincit gens dei: cum autem deiecerit & demiserit manus, id est, actus suos, vincit Amalech inimicus dei. Aut quid videtur? (volo enim paululum immorari cum his qui nolunt hæc spiritaliter, sed secundum literam intelligi) nunquidnam putandum est, quod omnipotens deus ad manus respiceret Moysi, & siquidem videret eas sursum eleuatas, Israel victoriam daret: si verò deorsum deiectas, Amalechitis? Siccine dignum est de sancti spiritus sentire sermonibus? An illud potius putandum est, quòd futura in his mysteria præformabat? quæ quidem de crucis sacramento & affixione manuum saluatoris intelligi tritum iam, & à multis sæpe dissertum est. Sed quoniam innouari semper iubetur is, qui secundum Euangelium viuit, & nouum testamentum semper debet nouis sensibus illustrari, & cantare domino iubemur canticum nouum, & interior homo noster non dixit Paulus quia renouatur & stetit, sed renouatur de die in diem: oportebat etiam nos & de orationis modo qualiter ne intermissione orandum sit, & de eleuatione manuum, quod sacrificium dicitur vespertinum, non solum vsitatis & attritis, sed & aliquantulum innouatis dissertionibus explanare. Videamus ergo quid sibi vult ratio ista orationis Annæ, quam si didicerimus, similiter fortassis & nos orare poterimus: [Exultauit, inquit, cor meum in domino.] necessario addidit in domino. Est enim exultatio quæ non est in domino, sicut & illud dicitur: Gaudete in domino. Potest enim quis gaudere in carnalibus, & non in domino. Si enim gaudeam quod inueni thesaurum visibilem, istud gaudium carnis est, & non in domino. Si gaudeam quòd me homines laudant, & forte non pro merito, non est hoc gaudere in domino. Si gaudeamus in rebus fragilibus & caducis M hæc omnia non habent laudabile gaudium. Si verò gaudeam quoniam dignus habitus sum pro nomine domini iniuriam pati, istud gaudium in domino est, quia ipse dixit super his: Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cœlis. Si gaudeam cum odia in me exercentur iniusta, si gaudeam cum impugnor propter verbum dei, si gaudeam cum castigor in languoribus, in persecutionibus, in angustiis, si hæc omnia lætus excipiam, istud gaudium in domino est. Et ideo nos docet scriptura, vt abiicentes gaudia terrena fragilia & caduca de æternis gaudiis exultemus in domino, vt merito dicamus quod Anna dixit: [Exultauit cor meum in domino.] Et quoniam cum hoc dicuntur, quidam de astantibus repletus est spiritu immundo, & exclamauit ita vt fieret populi concursus, dicamus & nos cum Anna dicente: Exultauit cor meum in domino. Cõtrarius spiritus exultationem nostram in domino ferre non potuit, sed vult eam mutare, vt ablata ea introducat tristitiam, & prohibeat nos dicere: Exultauit cor meum in domino. Verum ne nos impediamur, sed magis ac magis dicamus: Exultauit cor meum in domino: & pro

Psal. 141. — *Orantium gestus.* — *Exod. 17.* — *Crucis sacramentũ.* — *2. Cor. 4.* — *Duplex gaudium* — *Matt. 5.* — *Spiritus immundus hominem media concione arripit.*

A pro hoc ipso quod videmus immundos spiritus flagellari, gaudeamus: quia & per hæc multi cõuertuntur ad dominum, multi emendantur, multi ad fidem veniunt, & nihil est quod sine causa faciat dominus, nec aliquid fieri frustra permittit. Nam quoniam multi sunt qui verbo non credunt, nec rationem doctrinæ suscipiunt, in his cum dæmon insilierit, tunc conuertuntur, vt vbi abundauit delictum, superabundet gratia: & vbi maligna virtus operata est, ibi plus postmodum domini gratia operetur. Quia cum expulerit domini gratia malignum spiritum, introducit spiritum sanctum: & anima quæ repleta fuerit spiritu immundo, repletur postmodũ spiritu sancto. Ideo pro his omnibus dicamus: [Exultauit cor meum in domino. Et exaltatum est cornu meum in deo meo] Sunt quędam cornua iustorum quibus vtuntur vel agentes aliquid vel loquẽtes, sicut cum dicunt: In te inimicos nostros ventilabimus cornu. In Gręco κερατίσομεν dicitur quod est cornu petemus, vel cornu ventilabimus. Sed & alibi dicitur & exaltabũtur cornua iusti. Oportet ergo nos habere ista cornua, quæ iustis de causis apicibus Christi crucis conferuntur, vt in his destruamus & deiiciamus aduersarias virtutes de anima nostra, quibus prostratis & expulsis possit in nobis plãtari vinea, quia vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi. Exaltatum est ergo cornu & huius iustæ gratiæ. & omnis iusti in domino. Dilatatum est os meum super inimicos meos. Scriptum est: Dilata os tuum, & adimplebo illud, & nunc dicit hæc iusta: Dilatatum os meũ. Si idoneus & fortis fuero in verbo effectus, & validus in sapientia, ita vt non angustis B assertionibus, sed dilatis & affluentibus cõfutare possim omnem scientiam extollentem se aduersum fidem & veritatem Christi: vel cum incredulitatem vel perfidiam arguẽs Iudæorum ex lege & ex prophetis deprõptam ostendero esse Christum Iesum, & in omnibus potero redarguere veritatis inimicos: tunc digne possum etiã ego dicere, dilatatũ est os meũ super inimicos meos. Si mihi certamen moueat Basilides, & eum vehementer obtriuero: si Valentini discipulus occurrat, & me quæstionibus vẽtilet, & de hoc certamine victor exiero: si his prostratis Marcion occurrat, & discesserit etiam ipse superatus: dilatatum est os meum super inimicos meos. Si istis confutatis occurrant philosophi insultantes simplicitati fidei nostræ, & idiotas nos imperitósque clamitantes, & conuertar etiam ad ipsos, & veræ sapientiæ viribus falsæ ac fucatæ sapientiæ nebulam obturbauero, & non solum huius mundi, sed & principum huius mundi sapientiam destruxero, tunc plenius dilatatum est os meum super inimicos meos. Sancti est ergo vox ista & perfecti, qui rebus ipsis & veritate subnixũ huiuscemodi sermonem possit proferre & dicere: Dilatatũ est os meum super inimicos meos. Oportet ergo nos primo os nostrum dilatare, vt impleat illud deus. Quomodo autem os primo dilatamus? per meditationem verbi diuini, vt possimus eousque proficere, vt à dilatatione oris etiam ad cordis dilatationem veniamus, & cum Apostolo dicere: Cor meum dilatatum est ad vos ô Corinthij. Ex latitudine enim cordis abundantia ori sapienti mi-C nistratur. Quia lætata sum in salutari tuo. Si lætatus fuero in salutari dei, tunc dilatatum est os meũ super inimicos meos. Non est sanctus sicut dominus. Si scriptum esset, non est sanctus nisi dominus, consequens erat omnes nos renunciare nobismetipsis ab hac spe vt sancti efficeremur: nunc autem necessaria distinctione vtitur & dicit, nõ est sanctus sicut dominus: hoc est, & si sint multi sancti, sed nullus ita sanctus est vt dominus. Possunt ergo multi sancti fieri, sicut & mandatum dei dicit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum. Sed quantumcunque quis in sanctitate proficiat, quantumlibet puritatis & synceritatis adquirat, ita esse sanctus homo non potest sicut dominus: quia ille largitor sanctitatis est, iste susceptor: ille sanctitatis fons est, hic autem sancti fontis potator: ille sanctitatis lux est, hic sanctæ lucis inspector: & ideo non est sanctus sicut dominus, & non est præter te. Quid est quod dicit, [non est præter te,] non planè capio. Si dixisset, non est deus præter te, vel non est creator præter te, aut tale aliquid addidisset, nihil requirendum videbatur, nunc autem quia dicit, non est præter te, mihi hoc videtur in loco designari, nihil eorum quæ sunt, hoc ipsum quod

Esa. 5. — *Psal. 81* — *Philosophi insultabãt simplicitati fidei nostræ* — *2 Cor. 6* — *Leuit. 20.* — *Deus aliter sanctus aliter homo.*

sunt naturaliter habere. Tu solus es, cui quod es, à nullo datum est. Nos enim omnes, id est, vniuersa creatura non eramus antequam crearemur, & ideo quod sumus voluntas est creatoris. Et quia aliquando non fuimus, non est integrum si dicatur de nobis quia sumus, quantum ad illud spectat cum non essemus. Sed solus est deus, qui quod est semper habuit, & non accepit vt esset initium. Denique Moyses cum discere vellet à deo quod ei nomen esset, docens eum deus dixit: Ego sum qui sum, & hoc mihi nomen est. Si ergo aliud aliquid in creaturis hoc nomine vel hac significantia appellari posset, nunquam diceret dominus hoc sibi esse nomen. Sciebat enim se solum esse, creaturas verò à se accepisse vt essent. Nam & vmbra ad comparationem corporis non est, & fumus ad comparationem ignis non est. Sic ergo & quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, quantum ad naturam dei pertinet, non sunt, quantum ad voluntatem creatoris, sunt hoc quod ea esse voluit ille qui fecit. Ideo ergo dicitur, quia præter te, non est. [Non est potens sicut deus deus noster.] Simile est hoc illi quod superius dictum est, quia non est sanctus sicut dominus. Sicut enim ibi non dixit, quia non est sanctus quisquam, sed non est sanctus sicut dominus, vt ostenderet quia etsi sunt sancti, tamen nemo ita est sanctus vt est dominus: ita & in hoc loco etsi sit aliquis potens, non est, inquit, potens sicut deus noster. [Nolite multiplicare loqui excelsa.] Cur non dixit nolite loqui excelsa? Ergo licet mihi aliqua loqui excelsa, multiplicare autem excelsa & ardua non mihi licet, hoc enim videtur designari per id quod dictum est, nolite multiplicare loqui excelsa. Quid ergo per hoc indicetur, consideremus. Non permittitur hu-E manæ naturæ multa excelsa loqui, neque multa excelsa intelligere. nam & Salomon dicit: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutere, sed de quibus tibi præceptum est, hæc intellige. Ergo & in hoc loco dicitur excelsa, non vt omnino non quæras, sed ne de his multiplices quæstiones. Respicienti quippe ad imbecillitatem conditionis humanæ, sufficiat tibi ea de excelsis & arduis vel inquisisse vel proloqui, quæ vitam vel inquirentibus vel loquentibus tribuant. Quæ autẽ sunt in quibus excelsa me loqui necesse est? Quando de omnipotentia dei loquor, de inuisibilitate & sempiternitate eius, excelsa loquor. Quãdo de vnigeniti eius coæternitate cæterisque eius mysteriis pronuncio, excelsa loquor. Quando de sancti spiritus magnificentia dissero, excelsa loquor. In his tantum nobis cõceditur loqui excelsa. Post hæc tria iam nihil loquaris excelsum. Omnia enim humilia sunt & deiecta, quantum ad trinitatis huius celsitudinem spectat. Nolite ergo multiplicare loqui excelsa, nisi de patre & filio & spiritui sancto. Et vt plenius manifestũ fiat quod loquimur vtamur adhuc (si videtur) ex eplis. verbi gratia gentes multos introducũt deos. Istæ multiplicant loqui excelsa. Hæreticorum quidam derelinquentes creatorem mundi, & filiũ eius, fingunt sibi alium nescio quem excelsiorem deum. & alios similiter introducunt, siue quos αἰῶνας, siue quos deos appellant. Et isti ergo multiplicant loqui excelsa. Non exeat magniloquium de ore vestro. Vide quid dictum est ab Apostolo: Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Conuenit hoc dici de omni homine. Miserum nanque est mortalium genus: siquidem non solum in malis sed & in bonis periclitamur. Verbi gratia, visiones quasdam vidi bonas, factæ sunt mihi elationi. Signa & prodigia per me impleta sunt superbus effectus sum in bonis. Seruaui iustitiã, continentiam, virtutem, sed in his periclitor. Quando enim nihil aliud fecerit zabulus, pro his omnibus suscitat mihi superbiã, ita vt postea habeam angelũ Satanæ qui me colaphizet, vt ne extollar & exeat magniloquium de ore meo, id est, ne magna de meipso loquar. Quoniam quidem exterminat dominus labia dolosa, & linguam magniloquam eorũ qui dixerunt, linguam nostram magnificauimus. Non ergo exeat magniloquium de ore vestro, quia fortis scientiarũ dominus. Et non emendauerunt excusantes. sicut & ibi dictũ est: Non declinet cor tuum in verba mala ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem. Et in prouerbiis dicitur: Occasiones accipit piger & dicit: Leo est in via, in plateis autẽ homicidæ. Inuenimus ergo

Dei nomen proprium. Exod. 3. — *Triatãtum excelsa.* — *Valentiniani* — *Rom. 7.* — *In bonis etiam periclitamur.* — *1 Cor. 12* — *Psal. 11* — *Psal. 141* — *Prou. 26*

G tales esse peccatores accusantes omnia magis quã semetipsos & occasiones sibimet excusationum fingentes, cum dicunt: Gen.3. Zabulus me supplantauit, mulier me seduxit, ille mihi occasioné præstitit vt peccaré, cum vtique oporteret meminisse Esa.43. præcepti dicẽtis: Dic tu peccata tua prior vt iustificeris: Non enim emendant excusationes, neque hic neque in futuro, si male fecerimus. Sed & illud in excursu contingere necessarium videtur. Prouer.18. Mirum quippe continet sensum, quia scriptũ est: Iustus ipse sui accusator fit in principio sermonis sui, cũ tamen iniustus non sit sui accusator, sed aliorum. Sicut & Zabulus accusator quidem est, accusator autem non sui, sed fratrum. Interim omnes necesse est accusari: sed si quidem iustus fuero, non expecto vt alius me accuset, sed ipse mei accusator existo. Plenius tamen velim discutere, quomodo potest iustus sui accusator esse. Certũ est quia donec quis peccat & permanet in delictis, neque iustus est neque accusator est sui. Non enim accusat quod agit. Cum verò pœnituerit à delictis, tunc iustus efficitur, & non alterius, sed sui accusator existit. Arcus potentiũ infirmatus est. Iacula maligni quæ dicuntur ignita, per arcum potentiũ emittũtur. Potentes autem virtutes dicuntur aduersæ, de quibus dicitur, quia ecce peccatores intenderunt arcum, & in ipso parauerunt vasa mortis. Et iterum: Psal.7. Sagittas suas ardentibus effecit. Sed & nunc dicitur, quia arcus potentium infirmatus est. Si enim tu indutus sis armis dei, si scuto fidei sis munitus, H & galea salutis obtectus, & lorica charitatis, & gladio Ephes.6. spiritus accinctus, arcus contra te potentium pro munimentis talibus infirmabitur. Si enim iaculatus fuerit aduersum te vnum aliquod iaculum ignitum, id exceptum fidei scuto continuo restinguitur. Iecit & aliud iaculum, repulsum id quoque à thorace iustitiæ est. Iecit & tertium, & id gladio spiritus detruncatum est. Mittit fortassis & quartum, quod similiter per galeam salutis abiectum est. Cúnque per hæc omnia homo dei petitus inuulnerabilis manserit, tunc arcu potentium nequaquam tot directis spiculis infirmabitur. Et infirmi accincti sunt fortitudine. Si videamus quomodo quæ stulta sunt mundi elegit deus, vt confundat sapientes, & 1.Cor.1. quæ infirma mundi sunt, vt confundat fortia, intelligis quomodo infirmi accincti sunt fortitudine. Infirmus erat gentilis populus, quippe qui alienus erat à testamento dei: hic adeptus est fortitudinem. Quam fortitudinem? Fortitudo mea & laudatio mea dominus, & factus est mihi in salutem. Fortitudo ergo mea ipse est Christus dominus, qua accincti sumus nos qui eramus aliquando alieni à testamento dei, & sine deo in hoc mundo. K [Saturati panibus deducti sunt ad seruitutem.] Culpabile ostendit esse saturari panibus. Quia Deut.32. Iacob manducauit & bibit, & repletus est, & incrassatus est, & recalcitrauit dilectus. Esurientes dereliquerunt. Illos dicit qui saturati fuerant panibus, quia reliquerunt esurientes. Amos.8. Venit fames, non fames, panis, neque aquæ sitis, sed audiendi verbum domini. Propterea ergo esurientes dereliquerunt vsquequo sterilis peperit septem, & fœcunda in filiis infirmata est. Multi enim filij desertæ magis quàm eius Esa.54. quæ habet virum. Sterilis est mater nostra ecclesia, hæc peperit septem, septenarium scilicet numerum, cui requies ascripta est, & fœcunda in filiis infirmata est. Patroni literæ Iudæi velim videre quomodo asserunt quod fœcunda in filiis infirmatur, & sterilis quomodo peperit septem: sed illorum fabulis spretis nos consideremus ne forte vnusquisque nostrum habeat intra se sterilem quæ peperit septem, habeat & fœcundam in filiis quæ infirmatur. Fœcunda in Carnis fructus. propagine erat caro mea habens plurimos carnis fructus, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, idololatriam, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, incitationes, dissensiones, hæc erant carnis nostræ numerosæ progenies. Sed cum venimus ad fidem crucis Christi, & mortificationem Iesu cœpimus circunferre in corpore nostro, & mortificare membra nostra quæ sunt super terram, & exhibere ea seruire iustitiæ & sobrietati: tunc fœcunditas pro- L brosæ huius generationis exclusa est, & hoc modo fœcunda in filiis infirmata est. Quomodo autem sterilis septem pariat videamus. Sterilis erat in me anima mea, non afferebat fructus iustitiæ: nunc autem vbi per fidem Christi meruit gratiam spiritus sancti, & repleuit eam spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus iustitiæ & misericordiæ, & repleuit eam spiritus timoris domini: Esa.11. certum est quod sterilis peperit septem, & fœcunda in filiis infirmata est. [Dominus mortificat & viuificat.] Quem mortificat dominus, & quem viuificat? Meipsum mortificat, cum me mortuum facit esse peccato. Et meipsum viuificat, cum me facit viuere deo. Peccator eram, & in delictis viuebam: mortificauit me à peccatis, mori me fecit vitæ priori, & viuificauit me vt in timore suo viuam, vt in fide sua stem, vt vltra non viuam peccato, sed deo, qui me à mortuis suscitauit, vt in nouitate vitæ ambulem in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

PROLOGVS INTERPRETIS IN ORIGENEM SVPER IOB.

I M

PERITORVM mos est medicorum, vt cum ad infirmum introierint, & qualitatem passionis agnouerint ægrotantis, ea quæ necessaria vel apta sunt curæ, agnitæ adhibeant passioni: nec ante pro infirmo aliquam ordinant curam quàm in integro eius agnouerint causam, ne pro oculo aurem videantur curare, aut pro manu capiti reperiantur medicinam conferre, quod est omnino imperitorum, atque artem ignorantium medicinæ. Sic etiam omnis interpres, nisi ante vim, ac sensum cognouerit lectionis, quomodo poterit fidem in omnibus conseruare interpretis? Nisi sensum inquam dilucide atque integre iuxta linguæ vernacula perlegerit, non facile vllo modo ea quæ ab alio edita sunt, in alterius linguæ saporem veraciter exprimet. Et cum hæc non obseruauerit, aut certe (quod me dicere pudet) ignorauerit, aut aurem pro oculo, aut caput pro manu tanquam imperitus medicus curare incipiet. Hæc à nobis ideo præmissa sunt, quia cognouimus vel potius legimus hunc qui in manibus est beati Iob librum aliquos iam de græco in latinum, non latino vertice sermone, & quia valde satis ab interpretis officio discrepauerũt, & quia à veritate atque regula interpretationis longe discesserunt, ideo omnem sapientem peto, in cuius manus hic liber deuolutus fuerit, vt ante hunc prologum relegat, quàm ad huius libri lectionem accedat: vt ex huius præfationis textu informatus, ex quo hæc interpretata fuerint perfacile cognoscat. Spondeo sanè me à veritatis auctorirate nullatenus discessisse, sed sicut ab illo posita sunt qui hæc prior edidit, ita eorum status integritatem in nullo vitiatam penitus reseruasse: nihilque scabrum, neque asperum, neque additum, demptumúe diligens lector inueniet: quem illi fidem præmissi interpretes facere non præsumpserunt. Quod etiam peto te studiosorum lectorum maximum, atque diligentem veritatis amatorem, vt etiam tu illa mentis viuacitate, atque sancti animi curiositate ad eorum quæ dicta sunt rationem relecta peruenias lectione. Inuenies proculdubio multa eos prætermisisse, necnon & addidisse superflue plurima, atque ab interpretis officio longius recessisse. Quæ cũ diligenter agnoueris, quem legere debeas, quemúe recusare, perfacile cognosces. Nos verò non ideo hæc dicimus, quod nos alijs anteponere velimus: cum simus imperitiores atque abiectiores omnibus hominibus secundum Apostolum sermone, non scientia: sed attente fauentes in omnibus veritati, ea quæ à nobis vobis inuenta sunt, summo studio deo suffragante in omnibus dilegenter implere curauimus.

ARGV-

A

IN terra quidem habitasse Iob Vsitidi in finibus Idumææ &, Arabiæ fertur, & erat ei ante nomen Iobab. Et accepit vxorem Arabissam, & genuit filium quem vocauit Enon. Erat autem ipse filius quidem Zare de Esau filiis filius, de matre verò Bosra, ita vt sit quintus ab Abraam. Et hi sunt reges qui regnauerunt in Edom, in qua & ipse regnauit, sed primus in ea regnauit Balaach filius Beor, & nomen eiusdem ciuitatis Denaba. Post hunc autem Balaach. Post eum Iobab qui vocatur Iob. Post Iob autem Husam, qui erat dux ex Themanorum regione. Et post illũ regnauit Adad filius Badad, qui excidit Madiam in campo Moab, & nomen ciuitatis eius Auith.

ORIGENIS ADAMANTII

IN IOB LIBER PRIMVS.

SICVT cœli luminaria ac sidera in firmamẽto cæli à Deo collocata cunctis indesinenter quæ sub cœlo sunt fulgent, atque omnibus quæ super terram sunt per tempora ac tẽpora, per generationes & generationes mirabiliter relucent, alia quidem per noctem, vt luna & stellæ, alia nihilominus per diem, vt solis speciosissimi radij: sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuo singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Quod autem sideribus atque luminaribus comparentur omnes sancti demonstrat Apostolus, dicens: Stella enim à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum, proculdubio sanctorum. Euidentius autem ostendit hoc angelus, qui ad Danielem locutus est dicens: Tunc iusti effulgebunt sicut luminaria cœli, tanquam sol, & luna & tanquam stellæ in secula. Super hæc vniuersa etiam ipse dominus in Euangeliis dicit: Tunc iusti fulgebunt in conspectu patris sui qui est in cœlis. Sic itaque effulgent atque emicant omnes sancti, non solum in tempore restitutionis, sed & nunc in tempore huius præsentis seculi. Alius enim fide fulget vt Abrahã: alius castitate lucet, vt Ioseph: alius nihilominus mansuetudine, vt homo dei Moses. Item verò alius constantia atque tolerantia vehementium dolorum, sicut admirabilis Iob, de quo plurimus sermo, de quo vehemens disputatio, cuius sanctæ virtutis insignia, cuius admirabilem constantiã cuius inenarrabilem tolerantiam, cuius miserabiles dolores, quis edicere, vel iuxta meritum proferre, vel admirari valeat, quæ scripta sunt Syrorum lingua, siue ab ipso Iob, siue ab amicis eius? Ob hoc enim dicit ipse beatissimus Iob: Quis dabit vt scribantur sermones mei, & ponantur in libro in perpetuum? Interpretata autem sunt à magno illo viro Mose in Hebraicam linguam, atque filiis Israel tradita. quod ostendit ipsa scriptura Iob, dicens: Hic interpretatus est ex Syrorum libro. A quo interpretatus? Manifestum est quod à Mose in Hebræum. Itẽ verò à septuaginta interpretibus ex Hebræo in Græcum translatus est. In Ægypto scilicet olim Moses illum ex Syro in Hebræum transtulit. Item in Ægypto etiam septuaginta sub Ptolæmeo ex Hebræo in Græcum illum transtulerunt, & inde ex Ægypto per vniuersas gentes beati Iob scriptura diuulgata est: primum quidem in Arabia Syriace scripta, vbi & Iob habitabat: post hoc verò & in Hebræis, & in græcis, atque in omnibus gentibus, iuxta hæc quæ intimata atque ostensa sunt, immutata atque interpretata est. Erat nimirum pridem Syriace ex parte scripta non ita diligenter neque ita vigilanter, quemadmodum postea à Mose. Solæ enim responsiones, atque replicationes à primordio scriptæ sunt. Nam quis illorum poterat nosse quomodo venerint angeli, vt staret ante deum, vel quomodo diabolus venerit, vel quid dixerit, vel quid responderit? Nullus illorum poterat hoc nosse, vel hoc quod deus ad diabolum locutus fu[illegible]rit, nisi solus Moses spiritus sancti reuelatione. Sicut enim de factura cœli & terræ nemo alius ita diligenter poterat nosse, vel loqui, vel scribere sicut Moses, ita nec ea quæ circa Iob gesta sunt. Sed ita adhuc, sicut nemo alius poterat nosse, vel dicere, vel scribere, quæ solus pater ad solum filium locutus est, dicens: Faciamus hominem, & cætera vniuersa, nisi solus Moses; quæ reuelauit illi spiritus sanctus paracletus qui præsens erat: sic similiter nullus illius temporis poterat nosse in secreto quæ deus ad diabolum locutus est pro increpatione eius quæ in eo erat cogitationis, nisi solus Moses, cui cuncta sunt reuelata quæ ante erant abscondita, pro iis qui tunc legis auspicium erant accepturi. Quod autem Moses hæc scripserit in Ægypto, etiam iuxta ipsum tempus cum eiusdem sit numeri maxime comprobatur. Nam sicut quintus erat Iob ab Abraham, ita quinta progenie missus est Moses educere filios Israel de terra Ægypti. Super hæc autem omnia ô amici inuenimus in antiquorum dictis, quod cum magnus ille Moses in Ægypto à deo fuisset missus, & vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis qua illos Ægyptij affligebant, minime valeret, vehementes illos atque terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, necnon & in scriptura eos ponens adhuc cum essent recentiores illi populo dederit: vt per cognationes & tribus suas hæc legentes, vehemẽtes atque terribiles illos beati illius viri dolores audientes, in uicem se consolarentur, & cum patientia atque gratiarum actionibus mala quæ eos circundederant sufferrent, & vt bonam remunerationem domini quam Iob post tolerãtiam largitus est audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficia beatæ mercedis laborũ suorum expectarent. Huius nanque rei euidẽs atque irrefutabile indicium est hoc, quod etiam adhuc vsque in hodiernum diem beati Iob tolerantia ante eos qui sunt in dolore & luctu atque planctu legitur pro consolatione atque exhortatione dolorum illorum, & pro ablatione angustiæ cordis eorum. Similiter autem & in conuentu ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob, in diebus ieiunij, in diebus abstinẽtiæ, in diebus in quibus tanquã compatiuntur ij qui ieiunant & abstinent, admirabili illi Iob, in diebus in quibus in ieiunio & abstinentia sanctã domini nostri Iesu Christi passionem sectamur: vt terribilem eius passionem transeuntes ad beatam eius resurrectionem venire mereamur, compassi nunc vt & conregnemus, cõdolentes modo in tempore passionis, vt & congaudeamus post hoc in tempore resurrectionis. Quam passionem dominus noster Iesus Christus ad terras veniens in humano corpore sustinuit pro omnium hominum salute, vt per passionem sanè mortem interficeret, per resurrectionem verò suam recidiuam vitam cunctis ostenderet. Cuius passionis, atque resurrectionis domini formam atque exemplum quia Iob passio in multis gerebat, sicut ij qui diligentius requisierunt, reperiunt: merito etiam nunc in diebus passionis, in diebus sanctificationis, in diebus ieiunij, beati Iob passio legitur, meditatur atque scrutatur. Sed ad priorem reuertamur sermonem. Diximus quod magnus ille Moyses scribens passionem Iob, & dolorem, & laborem, atque constantiam, pro consolatione dederit filiis Israel, blande & benigne ac placide loquens ad eos, ac dicens: Constantes estote filij Israel, animæquiores estote posteritas Abrahæ, sustinete dolores, sufferte hæc mala, quia & olim erat quidam homo in regione Ausitide, cui no-

Marginalia: B — 1. Cor. 15. — Daniel. 12 — Quis scripserit librũ Iob. — Iob. 19 — C — Moses cõuertit librum Iob ex Syriaca lingua secundũ Origenem. At secundũ Hebræos ex Arabica. — Primum caput libri Iob & magna pars secũdi à Mose addita. — Gen. 1 — E — Moses & Iob iisdem ferè tẽporibus. — Iob quo tẽpore legitur in Ecclesia. — F — Iob in exemplũ patiẽtiæ filiis Israel propositus.

G men erat Iob: qui cum esset iustus & verax, & sine querela, ingentes sustinuit dolores, amara supportauit torméta, propter zelum aduersarii, atque nequissimi diaboli inuidiam. Ita & vos, inquit, modo à Pharaone vexaminini, ab Ægyptijs oppressionem patimini, ab immisericordibus vehementes sustinetis dolores, cum omnino non comprobemini peccatores, neque culpabiles, & non solū inculpabiles, sed & sancti boni factores, & perfecti, & grati amici & patribus eorū estis comprobati atque ostēsi. Sed cum hæc patimini illicite ab Ægyptiis in seruitutē redacti, & absque culpa ab eis macerati, atque iniuste afflicti ne defeceritis, neque succumbueritis. Nolite fieri desperantes, sed sustinete constanter, atque sufferte viriliter. Erit namque & vobis liberatio quemadmodum & illi. Reddetur etiam vobis retributio huius tribulationis, sicut & illi reddita est. Si vos quos honorabiles atque diuites esse oportebat propter patrum bonitatem atque diuitias, inhonorabiles atque egeni effecti estis, nolite expauescere: quia & præfatus hic vir Iob de sede regali, & gloriosa ad sterquinium deuolutus est cum ignominia, ex immensis diuitiis atque opulentia ad miserabilem paupertatem immutatus est atque inopiam. Si Ægyptij quos amicos esse oportuerat propter gratiam Ioseph, atque synceritatem Israel, ad inimicorum nequitiam immutati sunt, nec hoc vobis sit mirum: quia & Iob boni illi sodales, qui ei deuoti atque integri H amici esse debuerant, ad inimicitiam conuersi sunt, & ad maximam reluctationem, atque criminationem circa illum immutati sunt. His ergo similia etiam vos, inquit, sustinentes filij Israel, vsque in finem supportate, vsque in finem sufferte. Erit enim vestra inspectio, sicut & illius facta est. Erit atque reddetur vobis tolerantiæ remuneratio, sicut & illi reddita est. Hæc nanque & his similia Moses loquens ad filios Israel scripsit, dicens: [Homo quidam erat in regione Ausitide.] Homo vtpote natura existens homo: quidam verò, vtpote ex omnibus singularis. In regione autem Ausitide, vtpote qui illic moraretur, & illic natus, atque ex ipsis fuerit, & inter eos aduixerit. & qui sunt isti Ausitæ? Genus Esau, posteritas atque tribus Edom, Nam Ausitæ, & Minei, & Euchei, & Themanitæ, & cæteræ omnes tribus erant ex cognatione atque prosapia Esau filij Isaac, qui & Edom cognominatus est. Idcirco cohabitatores sibi erant inuicem, atque integri amici, vtpote vnius generis atque vnius linguæ, & vt breuiter dicam, vnius gentis erant & contigui habitatores. Nam tunc vniuersæ tribus Idumæi vocitatæ sunt, ex nomine Esau ita nuncupatæ. Nunc verò omnes vno nomine Arabi appellantur, non solum Idumæi qui erant ex Esau, sed & Ammanitæ & Moabitæ, omnes pariter nunc in Arabum nomine perstringuntur. Hæc itaque diximus, vt ostendamus qui fuerint Ausitæ, ex quorum Iob appellatur regione, quia tribus I erant & cognationes Edom, qui & Esau. Nam sicut tribus Israel, qui & Iacob, ita & tribus Edom qui & Esau, iuxta carnales tribus, & non iuxta studia spiritalia. Ausitæ ergo & Euchei, & Minei & Themanitæ, omnes pariter Idumæi fuerunt. Ob hoc ergo dicit: [Homo quidam erat in regione Ausitidæ.] Statim in primordio laudem beatissimi Iob demonstrat. Nam cum hominem illum memorat, ostendit protinus quod ille homo fuerit, & non iumentum neque bestia. Homo quidam erat. sed quia homo esse comprobatur, merito factus esse ostenditur. Homo quidam erat. Vnus erat ex omnibus hominibus secundum corpus, secundum corruptionem, sed singularis erat præ omnibus hominibus iuxta spiritus instantiam & animæ synceritatem, atque iustitiæ perfectionem. Homo quidam erat. vere homo, vtpote homo factus, vt homo permanens, vtpote ad imaginem dei creatus, & ad similitudinem iumentorum ac bestiarum atque reptilium non est immutatus, sicuti dicitur de aliquibus: Homo vanitatis similis factus est illis. & adhuc: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Homo quidam erat, patientiæ exemplum, constantiæ testimonium, tolerantiæ indicium. Hoc quidam erat quem innumeri beatum dixerunt, quem præsentes timuerunt, quem absentes reueriti sunt, quem angeli admirati sunt, quem ipse dominus dilexit. Homo quidam erat quem nequissimus æmulatus est, cui aduersarius inuidebat, quem inimicus hominum diabolus apud dominum reprehendebat. Homo quidā erat qui versuti illius draconis caput conculcauit, qui sceleratum diabolum in fugam K conuertit, qui in corpore incorporeum supplantauit. Homo qui erat, homo vere tanquam constantissimus belligerator, tanquam singularis monomachus, tanquam constanter stans aduersus omnes diaboli exercitus, tanquam qui singulariter de omnibus dæmonum virtutibus victoriam sumpserit solus. Homo quidam erat, non erat belua cruenta, non erat serpens nequitia, non erat equus neque mulus luxuria neque petulantia, nō erat canis spurcitia, neque vulpes dolo atque astutia, non erat scorpius, neque veneni letalis vipera, sed homo erat. Nam sicut obscœni atque impudici: maligni quoque versuti, his omnibus comparantur, atque horum omnium appellatione nuncupantur, sicut dicitur de huiusmodi: Canes improbi animo nescientes saturitatem. & adhuc: Equi admissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. & alibi: Serpentes generatio viperarum. & generatio serpentium volantium, qui veloces sunt in malitia. & iterum: Apprehendite vobis vulpes pusillas exterminantes vineas. & : Tanquam vulpes in solitudine facti sunt prophetæ tui Israel. & : Ite dicite vulpi huic (dicit dominus de Herode) & alia innumera his similia dicūtur de huiusmodi in scriptura. Sed beatus Iob non erat talis, neque L his similis. sed homo erat intaminatus, & immaculatus atque illibatus. Homo, vtpote hoc quod ad imaginem & similitudinem dei factus est, integrum custodiens. Sic itaque homo quidam erat iuxta hæc vniuersa quæ monstrata sunt. Non erant tales omnes homines, sed vnus erat solus, talis quidem ex omnibus Iob beatissimus. Vbi autem erat hic homo? In qua regione, in qua prouincia? Respondet dicens: In regione Ausitide. Qui autem sint isti Ausitæ, superius demonstrauimus, quod ex genere fuerūt Esau, siue ex filiis Esau, siue ab ipso Esau Ausitide erant vocati. Et quales isti erant Ausitæ? impij, iniusti, infideles, obscœni, insatiabiles, sicut & pater eorum Esau, de quo dictum est à sanctis: Nemo sit obscœnus & insatiabilis sicut Esau. Cum ergo esset talis ipse Esau, non docuit filios suos pietatem neque iustitiam quam ipse non sectabatur, sed impietatem eos docuit, & iniustitiam atque infidelitatem. Quod si dixerit aliquis: cum ergo talis fuerit Esau atque generationes eius, quomodo fuit Iob ex illis, atque inter illos pius ac bonus? Ita fuit sicut mox in principio Abel innocens cum Cain iniusto, sicut Noe iustus inter gigantes illos sceleratos, sicut Melchisedech sacerdos dei altissimi in medio maledictorum Chananæorum, sicut Abraham qui credidit in medio Chaldæorum idola colentium. Sicut ergo isti omnes quum essent pij ac sancti, atque religiosi dei amici, ex impiorum sunt generationibus procreati: ita admirabilis Iob cum ex obscœni atque insatiabilis Esau genere atque cognatione prodierit, sanctus ac iustus sponte effectus est. hoc scilicet demonstrat dicens: M Homo quidam erat in regione Ausitidæ. Erat tanquam rosa inter spinas, tanquam lilium inter tribulos candidus ac rubens, candidus fide ac sanctitate, rubens velut rosa, plane quia sustinuit dolores ac passiones. Homo quidam erat in regione Ausitide. Erat tanquam columba inter raptrices aquilas, tanquam agnus in medio luporum diripientium, tanquam stella in medio nubium teterrimarum. Homo quidam erat, iustus inter iniustos, inter prophanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tanquam smaragdus in luto, tanquam margarita in arena. Sic nanque erat memoratus homo ille in regione Ausitide. Cum ergo inter tales esset, non talis fuit quales & illi. Cum inter impios esset, non declinauit ad impietatem. Cum esset inter infideles, non habuit infidelitatem. Cum esset inter iniustos, non est cōmixtus iniusticiis: sed permansit in medio impiorum tanquam adamas immobilis, lucerna inextinguibilis, tanquam lumen quod non immutatur, tanquam radius qui non occidit. Sic etiam oportet nos esse ô amici sanctos atque immaculatos, pios ac religiosos, charitatem amplectentes atque perfectos, inuiolabiles atque illibatos in medio generis praui ac peruersi, vt fulgeamus tanquam luminaria cœli in mundo, verbum

Iob. 1.

Arabes Multi populi.

Esa. 56. Hier. 5. Mat. 3. Cant. 2. Ezech. 13. Mat. 13.

Gen. 25. Heb. 12.

A verbum vitę continentes in die Christi, vt & de nobis dicatur sicut & de beato illo: Et erat sine querela homo ille iustus verax dei cultor. Homo ille memoratus atque designatus, qui in regione erat Ausitide, cui nomen erat Iob. Ostendit hominem, cognitam fecit regionem, designauit nomen, dicens: [Cui nomen erat Iob.] quod cum iustis scriptũ est, quod in regione viuorum signatũ est, quod in tabernaculis æternis est deputandum. Cui nomen erat Iob. Dignos habeat etiam nos dominus, vt nomina nostra sic scribantur cum viuentibus, sic cum iis qui salui fiunt nominẽtur, sic cum iustis connumerentur. Sed adhuc, inquit, homo quidã erat in regione Ausitide, cui nomen erat Iob. Aduersus diabolum est hic sermo, aduersus nequissimum est hæc disputatio, tanquam si diceret: O malignissime diabole, ô nequissime satana, aduersus quem altercaris? aduersus quem bellũ geris? aduersus quem præliaris? aduersus quẽ zelo succẽderis? Aduersus hominem, aduersus corruptibilem, aduersus mortalem, aduersus carnalem, aduersus terrenum, cum sis incorruptibilis, & incorporeus atque immortalis: aduersus eum qui in regione moratur Ausitide, tu qui de cœlo cecidisti. Sed & sic superaris, cõculcaris, humiliaris ab vno homine cum sis spiritus, ab vno ex corruptibilibus tu qui ex incorruptibilibus Cherubim cecidisti ordinibus. Hæc itaque signauit dicens: Homo quidam

Satan ex ordine Cherubim.

B erat in regione Ausitide qui omnem exercitum diaboli fugauit, qui omnem virtutem nequissimi debilitauit, qui omnem virtutem & argumentum diaboli superuacuum demonstrauit, qui omnem ventum & aquam atque impetum maligni in se collidentem constanter sustulit, & immobilis perstitit. Ac si ergo diceret: homo quidam erat ô diabole, qui tibi pręualuit. Homo quidam erat qui omnem virtutem tuam infirmam ostendit. Homo quidam erat qui omnem malitiã tuam in derisionem deduxit, & quod est maximum habitans in regione Ausitide, id est impiorum atque infidelium, obscœnorum quoque atque iniustorũ. Nam cum illic moraretur, non potuisti ô diabole immutare, neque cõuertere eum post impios ad impietatem, neque post infideles ad infidelitatẽ, neque post iniustos ad iniustitiam, sed inter omnes, & apud omnes iniustos permansit iustus. sicut testatur mox consequenter dicens: Et erat homo ille magnus, admirabilis. Beatus homo ille qui à deo testimonium accepit, qui ab angelis prælatus est, qui ipsi diabolo in admirationem venit, vt pote qui vehementioribus plagis atque periculosis doloribus nõ succubuit. Hic ergo homo erat sine querela, vt pote ab omni macula illibatus, vt pote ab omni reprehensione exsors. Erat sine querela coram deo & hominibus coram angelis & spiritibus corruptibilibus & incorruptibilibus. Erat sine querela,

C vt pote formam in se ostendens nouæ gratiæ, vbi episcopum irreprehensibilem esse oportet. Erat sine querela in animo & corpore, in consiliis & cogitationibus, in verbis atque operibus, in studiis atque conuersationibus. In omni nihilominus vita sua erat sine querela. Ita dictum est post hoc de Samuele in laudibus patrum: Et non reprehendit homo illum, id est non criminatus est illum homo, quia erat sine querela, sicut & olim Iob. Et vnde inuenit hoc Iob vt esset sine crimine? Ex hoc inuenit, quia erat iustus. Ex hoc inuenit, quia à iustitia non declinauit. Ex hoc inuenit, quia iustitiam non dereliquit, quia à iustitia non discessit, quia iustitiam non despexit. Idcirco postquam sine querela illum ostendit, post hoc nihilominus etiam iustum illum demonstrans dicit, sine querela iustus. Iustus erat quia sine crimine erat, & sine querela erat: quia iustus nũcupatus est. Et erat homo ille sine querela iustus in iudiciis, iustus in causis, iustus in legibus, iustus in ordinationibus. nam quum esset dux ac princeps prouinciæ suę & leges sanxit, & iudicia iudicauit. Sed proculdubio quod omnia iuste disposuerit & iudicauerit, atque misericorditer definierit nõ reueritus personam, non accipiens munera, nõ ambulãs post retributiones, nõ despiciẽs oppressum, nõ spernens viduã, non obliuiscens orphanum: pro his ergo omnibus, & ex his omnibus, atque per hæc cuncta erat iustus tanquam omnem iniustitiã conculcans, tanquam omnẽ iniustitiam eradicans, tanquam omnem iniustum humilians, & non permittens emergere. Eat iustus, vtpote iniustitiæ non communicans, vtpote iniustitiæ nõ appropinquãs, vt pote iniustitiã odio habens atque abominans. Erat iustus quoniam illum diligebat, de quo dicitur in prophetis: Et est iustitia accinctus lũbos. Erat iustus, quia in deo sperabat, de quo dicitur: Iustus dominus, & iustitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius. Sic nanq; erat iustus. Sic erat iustus vt ipse deus qui cognoscit corda, attestaretur iustitiæ eius. Ita erat iustus, vt ipse de semetipso diceret: Iustitia erã indutus, & vestitus iudicio tanquam vestimento: confregi molas iniustorum, de medio autem dentium eorum rapinas abstuli. Sic itaque erat iustus, vt formam atque exẽplum domini dei in se adimpleret, eius qui cum sit iustus iustitias dilexit. Cum autem iustus esset, erat verax. Nam multi vidẽtur iusti esse, sed non veraciter, sed fallaciter, non iuste sed iniuste, non plane sed fictitie. Merito nunc istic cum iustum diceret beatum Iob, adiecit etiam hoc quod verax fuerit. Ob quam rem? Ob hoc, vt ostenderet quia iustitia eius vera erat. Non erat mendax, non erat simulata, sed integra erat, atque deo acceptabilis. Ob hoc ergo dicit verax. Sciebat nanque iustus ille vir quod veritates requirit dominus. Idcirco verax erat, verus, purus, simplex, nõ fictus. Non erat in illo duplicitas, non erat in illo hæsitatio. Non loquebatur aliud in ore, aliud verò cogitabat in animo, Non aliud dicebat verbis, & aliud cogitabat corde. Nõ erant verba eius mollia in labiis, iacula verò in occulto, quẽadmodum nunc sunt plurimorum, quemadmodum sunt innumerabilium. De quibus dicitur: Molles fuerunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Et adhuc: Proximo suo loquitur bona, & intra se habet mala. Et alibi: In labiis suis blãdus obdulcat inimicus, in corde suo verò insidiatur. Sed non erat talis beatus Iob, sed verax erat, verax vt pote seruus eius de quo dicitur, sit deus verax: tanquàm vere seruus illius de quo dictum est: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Cum ergo esset veri dei seruus verax, erat verax, nec ipse mentiens, nec mẽdaciis cõmunicans, nec ipse mẽtiens, nec aliis mendacia congruere permittens. Verax in ore, verax in corde, verax in cogitationibus, & verax in responsionibus, verax in verbis, & verax in factis, verax cum hominibus & verax cum angelis, verax in corruptione, & verax in incorruptionibus, & quod est omnium maximum, verax in conspectu omnia inquirentis dei. Ob hoc enim dicitur: [Non peccauit Iob in cõspectu domini & nõ dedit insipientiam deo.] Dauid bonus aspectui domini nuncupatur, Iob verò verax in conspectu dei ostenditur, verax in lege ante legem, verax in mandatis ante mandata, verax in misericordia & in iustificationibus ante scripturæ sanctionem. Horum nanque omnium cõmemorationem cum in natura haberet conscriptam à creatore, cũcta hæc veraciter adimpleuit, cuncta hæc veraciter perfecit. Idcirco veraciter verax dicitur, atque comprobatur. Primum quidem sine querela: vt pote in semetipso. Deinde iustus, vt pote circa omnes. Item verax tanquam in cõspectu dei. Propterea post hæc vniuersa in conclusione omnium pro vniuersorum recapitulatione adiiciens dicit: [Dei cultor:] quia omnem sanctitatẽ, & omnem iustitiam, & omne opus bonũ quod visi fuerint homines facere, nisi in dei cultura, nisi in dei agnitione atque confessione fecerint, sine causa faciunt atque superuacue. Et vt breuiter atque audenter dicam, omnia quæcunque fecerint homines siue in virginitate, siue in abstinentia, siue in corporis castitate, siue in carnis suæ combustione, siue in bonorum suorum distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint, sine causa agunt nisi in agnitione vnius ingeniti dei patris, & in confessione vnius vnigeniti filij eius domini nostri Iesu Christi, & illuminatione spiritus sancti gloriosi, ac venerabilis paracleti qui adiuuat infirmitatem nostræ orationis, in quo signati sumus in die redemptionis nostræ, hoc fecerint. Omnem ergo sanctitatem, & omnem iniustitiam quam fecerit qui foris à vera dei cultura, atque vera fide, gratis facit, in perditione facit, non prodest ei, non adiuuat eum in die iræ, nõ liberabit eum in die interitus. Ad quod est testis Apostolus qui dicit: Omne quod ex fide non est, peccatum est. Quare? quia bona vidẽtur fecisse non quæsita fide, nõ quæsita agnitione eius

D Esa. 11. Psal. 11. Psal. 55. Prou. 29. D Ioan. 17. E Opera sine fine vana & inutilia. Rom. 14.

G propter quem hoc fecerint. A quo enim accipiet mercedem? Ab eo quem non requisiuit, quem non agnouit, cui nõ credidit, quem non est confessus, neque professus sicut oportuit, non accipiet ab eo remunerationem, nisi iudicium & iram ad condemnationẽ. Sicut enim qui ædificat sine fundamento, nihil proficit nisi detrimentum, & laborem & dolorem: sic similiter qui boni aliquid videtur facere, si sine fide fecerit, nihil proficit. Sicut enim credenti omnia sunt possibilia, vt saluetur atque refrigerium inueniat apud eum cui credidit: sic non credenti nihil est possibile, neque vt saluus fiat, neque vt refrigerium inueniat, neque vt in vitam introeat. Non est enim mentitus qui ait: Quærite dominum & inueniet anima vestra. Quod si non quæsieritis in fide, nõ potestis in vitam introire, id est, animæ non credentium. Sicut enim sol nisi vibrauerit super faciem terræ nullus ex fructibus eius crescit, neque adolescit, neque maturescit: sic similiter nisi per fidem veritas refulserit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram deo. Quod autem si sol nõ radiauerit super fructus terræ, nõ oriuntur, neque maturescere comprobantur, manifestum est apud Noe. Nã per annum illum quo Noe fuit in arca, sol non effulsit super terram, partim sanè ab aeris turbatione coercitus, partim autem quia ab aquarum multitudine erat terra cooperta. Idcirco fructus terræ anno illo neque germinauerunt, neque creuerunt, neque maturescere comprobati sunt, sicut in Genesi scribentes asseruimus. Hæc nanque vniuersa diximus, quia beatus Iob cum iustitiam & veritatem haberet, etiam dei cul turam, hoc est fidem deo delectabilem, preciosam quoque ei, atque acceptabilem habebat. Sicut enim nihil est delectabile hominibus sine luce, sic similiter nihil est delectabile, neque acceptum deo, absque fidei lumine. Ob hoc ergo dicit de Iob, dei cultor, iuste ac veraciter colens deum. Non propter diuitias, atque pecunias, sicut diabolus mendaciter detulit illum apud deum, sed propter iustitiam ac veritatem coluit deum. Nihil hoc iustius, ac veracius, quàm vt creator vniuersorum, ac benefactor omnium veraciter colatur & adoretur. Nihil hoc iustius neque veracius, quàm vt ei qui est omnium deus & conditor, atque prouisor, credatur vt oportet, & confiteatur & profiteatur. Nihil ergo suscipit deus absque fidei veritate. Non enim indiget his quæ nostra sunt, nisi solis animabus nostris in veritate fidei persistentibus, nisi sola conscientia nostra in veritate fidei sibi confitente. Hæc nanque sciens beatus Iob iustitiam ædificauit, veritatem fundauit. Sed hæc vniuersa Dei cultura, hoc est, fide concinnauit atque texit, obdulcauit atque perfecit. Sic oportet etiam nos, ô viri periti, in fide ambulare, in fide stare, in fide perseuerare, infidelitati atque infidelibus non appropinquare, neque communicare, neque conuenticulis eorũ, I neque collectis, vt cuncta quæ facimus in fide Deo acceptabilia sint: sicut & illa quæ paulo post Iob fecisse asseritur acceptabilia facta sunt, quia abstinuit se ab omni re mala, vt deo acceptabilis fieret religiosa eius cultura, vt nihil esset quod ei perstreperet, vel præpediret circa dei coniunctionem, atque familiaritatem, vtpote ei qui erat sine querela, iustus quoque ac verax dei cultor, atque abstinens se ab omni re mala. Dignos etiam faciat nos Deus vt ipsum imitãtes in eius beatitudinis vestigiis requiem ac refrigerium accipiamus in tẽpore resurrectionis. Habuit autem filios septem & filias tres, sed non ex adulterio, neque ex impudicitia, sed ex licito atque immaculato matrimonio. Sciebat nanque beatus Iob quia ex illicito thoro filij qui nascuntur testes erunt iniquitatis aduersus parentes suos cum interrogantur. Idcirco veraciter dicit. Et si secutus est oculus meus vxorem viri alterius, atque his similia. Cum ergo omnia obscœna & execrabilia atque illicita declinaret, septem habuit filios, & filias tres, sancte & pudice secundum officium naturæ, castæ ac veraciter iuxta creatoris promissionem. Fuerunt autem illi filij septem, & filiæ tres fuerunt illi. Cui? Iob iusto, sine querela, vero Dei cultori. Huic ergo fuerunt filij septem & filiæ tres. Deo largiente, prouidente creatore, volente omnium opifice, fuerunt illi filij septem & filiæ tres. Septem filij iuxta hebdomadam dierum seculi, aut iuxta hebdomadã eorum qui ab apostolis in nouæ gratiæ seculo sunt ordinati, aut iuxta septẽ stellas quæ quotidie pertranseunt spatia cœli. K Fuerunt ei septem filij & filiæ tres, omnes simul decem, secũdum decem verba legis, quę post hoc filiis Israel sunt tradita. Ergo quia ea quæ in decẽ verbis legis sunt præcepta, omnia adimpleuit Iob, & ante legem, & extra legem, idcirco & ipsi quidem in formam atque memoriam, illis verò qui post hoc sub lege legem non adimpleuerunt, ad correptionem, ad cõdemnationẽ, decẽ liberi dati sunt ei, vtpote qui singulis eorum singulorũ memor præceptorũ omnia adimpleuerit. Sed dicit aliquis. Porrò cur non dedit ei masculos tãtum, sed partim quidem masculos, partim autem fœminas? Audi. Ob hoc dedit promiscue & filios & filias quia à seculo ita dedit omnibus. Genuit, inquit, filios & filias. Et adhuc ob hoc promiscue & filios & filias dedit, quia ita desiderant omnium mentes, quia hoc requirit hominis desideriũ, vt promiscue vtrosque & filios & filias habeant. Ad satisfaciendũ ergo humanis sensibus, promiscue dedit illis & dat filios & filias. Et adhuc ob hoc dat promiscue, vt concordia atque coniunctio hominum multiplicetur per connubiorum copulationes. vbi enim dederint filias suas in cõiugium, & acceperint filiis suis vxores, illic copulatio fit connubij, crescit coniunctio, siue apud pauperes siue apud diuites. Quod si sanè alicui filij tantũ nascerentur, alij autem filiæ, cum eas viris omnes traderet, domum vacuã relinqueret, atque hæreditatem suam desolatã. Nunc verò filias suas sane dat foras, filiis autem intus accipit L vxores, ac per hoc & extrinsecus habet cognationem & intrinsecus hæreditatem. Hæc videlicet vniuersa diuina efficiũtur prouidentia atque operatione, vtiliter, atque necessarie hominibus ita ab initio ordinata. Sic nanque & Iob fuerunt septem filij & filiæ tres, vt cum ipsas sane filias foras traderet viris haberet extrinsecus filios adoptiuos: & cum filiis suis de foris acciperet vxores, haberet etiam in his extrinsecus adoptiuas filias. Sæpe enim generi, vel nurus filiis synceriores reperiũtur circa soceros, vel socrus suas, illæ quæ dei timorem ac pietatem habuerunt animabus suis. Talis fuit illa beata Ruth, quæ ita detulit socrui suæ veteranæ, vt vsque ad mortẽ non esset passa eam relinquere. Idcirco sane in scriptura in perpetuo magnificatur, apud deũ verò in infinita secula beatificatur, iudicabit nihilominus atque condemnabit in resurrectione omnes malignas & impias nurus, quæ soceris vel socribus suis contumeliam vel iniuriam ingesserint, non reminiscentes quod ipsi eis viros genuerint atque nutrierint, & pro substantia & pro victu illis laborem acquisierint. Si igitur diligis virum tuum ô mulier, dilige & eos qui genuerunt eum & nutrierunt sibi filium, tibi verò maritum. Noli separare filium à patre vel matre. Noli compellere filium patrẽ aut matrem inhonorare, ne in cõdemnationem incidas apud dominum deum in die terribilis inquisitionis, atque iudicij. Sufficiat tibi ô mulier quia possides virum quem non nutristi, & substantiam quam non acquisisti, quia venis in domum M quam non ædificasti & eris domina, atque potestatem habes laborum alienorũ, pro quibus tu nullatenus laborasti. Noli ergo retribuere mala his qui tibi præparauerũt atque suo labore acquisierunt omnia, siue virum, siue substantiam, siue resumptionem ô mulier, ne ascendat super te maledictio à domino deo. Sed hæc pauca per occasionem filiorũ Iob à nobis sunt dicta pro commendatione nuruũ, ad correptionem verò & condemnationem malarum & impiarum, atque crudelium omnium. [Fuerunt, inquit, illi filij septem] Certum est quod religioso religiosi, & sancto sancti, & bono sunt boni, sicut & in priori demõstrauit. Nã cũ sancta esset radix, sancti creuerũt & rami, atque bonæ exortæ sunt propagines. Cum memoratis istis septẽ filiis Iob, fuerũt & tres filiæ. Erant nãq; & ipsę filiæ ipsis filiis similiter, vtpote filiæ Iob, atque eius filiorum suorum vero germanorum certe sorores in omni bona religiositate. Nisi enim ipsæ eorũ sorores tales extitissent, nõ vtique pariter cũ germanis suis semper fuissent, sicut in priori hæc scriptura demonstrauit. Sed adhuc, fuerũt illi septem filij & tres filiæ, numero decem, animo verò vnus erant. Numero plurimi erant. consensu autẽ atque concordia quasi vnus, vnanimitate atque dilectione quasi idem. Nõ separabat autem eos zelus, non dissociabat eos inuidia, sicut pridem fratres Ioseph. Quare? Quia non exorta est in eis præuaricatio, neque

Psal. 69.

H Scripsit in Genesim.

Iob. 31.

Gen. 5.

A neque coinquinatio, sicut in Ruben, neque furor interficiẽs, sicut in Symeon & in Leui, neque odium fraternæ maledictionis, sicut in cæteris filiis Iacob: sed erant omnes vnanimes in pietate: pacifici in iustitia, atque in dei timore concordes, vtpote Iob filij, & non tanquam Esau nepotes. Esau enim cũ vnum sufferre non posset germanum fratrem Iacob, interficere eum quæsiuit. Septem verò filij Iob & tres filiæ tanquã vna anima indiuisi conuixerunt in vnanimitate, & tanta fuit vnanimitas laudabilium filiorum Iob, vt & malignus, atque inuidus dæmon facilius omnes pariter indiuisos interficere, quàm diuidere atque dissociare benignam atque veram eorum vnanimitatem posset. Audite hæc ô filij religiosorũ, audite hæc ô nati fidelium, audite & imitamini piorum fratrum vnanimitatem, qui veri veraciter in vita sua indiuisi fuerunt, & in morte sua non sunt dissociati. Non sit inter germanos lis, sed benignitas atque concordia. Non sit inter fratres contẽtio, neque diuortium, sed pax & vnanimitas, sed synceritas atque puritas. Non subintroeat aduersarius per malorum hominum ora, non perturbet malignus per suæ nequitiæ ministros piæ germanitatis concordiã. Multi fuerunt filij Dauid olim, cum aduersus se inuicem insurrexissent, atque patri iusto rebelles extitissent, Amon & Absalon & Adonias, qui adhuc viuo religioso patre, impie atque iniuste regnũ eius occupare atque rapere tẽtaueruut. Nã cũ essent scelerati atque B iniusti, in dãnationẽ atque in interitũ iuste à deo sunt traditi. Sed non tales fuerunt vel extiterunt septem beati Iob filii, sed tanquã septẽ dies indiuisi, & tanquã hebdomada indissociati. Non certauerunt pro elegãtia, non litigauerunt pro fortitudine, non cõtenderunt pro diuitiis, non sunt conturbati pro regno, sed cum essent vnanimes cuncta propria inuicem sibi æstimabant cõmunia. Erat nanque vere cor eorũ & anima vna. Propterea cum sanctis in perpetuo nominãtur, propterea cum iustis in æternum requiescunt, propterea cum angelis indeficienter laudabuntur. De istis ergo dicit: [Fuerunt illi septem filij, & filiæ tres.] Tres tanquam fides, spes, charitas, tanquã corpus & anima & spiritus, indiuisæ, indissociatæ, intaminatæ. Nam quia fidem, spem & charitatẽ circa deũ seruauerunt, propterea & corpus & animam & spiritum illibata custodierunt. Post quorum omniũ disputationẽ atque ostentionẽ adiiciens dicit: [Et erant pecora eius ouium septem milia,] secundum numerum septem filiorum: [cameli tria milia, secundum numerum trium filiarũ. Simul omnes liberi eius decem, similiter omnia pariter hæc milia decem. Septem filiis, septem milia ouium: & tribus filiabus, tria milia camelorum: singulis filiis appropriata mille. Ita deo ordinãte, atq; patre ita post disponente, in tempore consummationis diuidens hæreditatem. In tempore verò vitæ sicut cogitat de omnibus pater, ita & potestatem habet pater in omnibus: sicut C curã gerit de vniuersis, ita & dominatur cũctis. Deinde adhuc iuga boum quingenta & asinæ pastoriæ quingentæ, vtraque similiter mille. Ordinabiliter etiã hoc, atque apte singulis de decẽ filiis quinquaginta iuga boum, & quinquaginta asinæ. Omnia sanè patris sunt ad regendũ, ad gubernandũ, ad intendendũ, & vsque in finem vitæ suæ possidendũ, post requiem verò patris ordinabiliter supputata iuxta numerũ filiorũ. Sed adhuc erant pecora eius. Omnia pariter pecora appellat, siue oues siue boues, siue camelos, siue asinos, vniuersa pecora nuncupat, quia diuersa peculiaria atque vtilia fuerunt hominibus & sunt, & istis qui nunc sunt, & illis qui tunc fuerunt, & ipso beato Iob. Oues quidem viuæ pro lacte, atque lanæ vestitu: occisæ verò pro esca, atque carnis comestione. Similiter boues viui, ad culturam, & panis commoditatem: iugulati verò pro carnibus & esca, atque pedum calceamentis. Cameli autẽ pro omni onere portãdo, atq; leuãdo de longinquo & de proximo. Post quæ vniuersa asini ad leuia negotia peragẽda & afferẽda, & eũdi, & velociter redeũdi. Quod enim nũc equi & multi perficiũt, hoc nihilominus asini adimplebãt, præsertim tales quales sunt in regione Arabiæ & Palæstinorũ asini, qui veloces sunt similiter vt equi. Omnẽ ergo censum beati Iob supputat in septẽ milibus ouiũ, & tribus camelorũ, & in quingentis iugis boum, & in quingentis asinis pastoriis. Auri vero & argenti, atque vestium non meminit. Quare? Ob hoc vt reticeret, an ob hoc quod Iob aurũ & argẽtum non habuisset? Ob hoc procul dubio, quia non habuit. D Quo teste aurum & argentum non habuerit? Ipso Iob dicente: Et si confidebant in diuitiis multis, & si ad innumerabilia misi manum meam, & alia his similia. Erat nanque hoc vere, vt priores non tantum in auro & argento sibi thesaurizarent, quantũ in pecoribus, & in quadrupedibus. Non enim erãt ita auri expetitores sicut sumus omnes nos, non intẽdebant post aurum & argentum illi tunc quantum nos nunc intendimus. Nunc omniũ nostrũ animus post aurũ detinetur atque argẽtum inhiat, & nihil putant homines nunc pro diuitiis nisi solum aurum & argẽtum. Nunc enim sunt adimpleta tempora illa quæ de longe designans apostolus dicit: In nouissimis diebus aduenient anni periculosi, & erunt homines seipsos diligentes, cupidi, & cætera vniuersa quæ nunc in hominibus videmus impleri omnia. Nam quia in fine est iam hic mundus, & mortuus est iam properans ad defectum, idcirco mẽs hominum inhiat in his quæ mortua sunt, cum sicut stellæ in vtiliter reconduntur, atque thesaurizantur. Olim verò, vtpote adhuc incipiente seculo, & vtpote adhuc viuente mundo hoc, viua atque crescentia cupiebãt homines pecora, quadrupedia, atq; agriculturã pro victus fructificantia. Sciebant nanque quod aurum & argentum reconditum, ac thesaurizatum, atque ad vsuras datũ, peccatũ conferret. Pecorũ verò atque terræ vsura, hoc est pecorũ fœtus multiplicatus, & fructus terræ augmentum, peccatum non conferrent, sed iustitiam. Nam habentes nutriunt: & eos qui non habuerint, cum E ab his qui habent data fuerint ac distributa, gubernant. Tales ergo diuitias habuit laudabilis ille Iob, castas, mundas, incoinquinatas, incontaminatas. De hoc nanque dictum est hoc, atque de similibus illius vsque in æternum: Beatus qui inuentus fuerit diues iustus, qui post aurum non ambulauerit, neque sperauerit in argẽti repositione. Vere enim inæstimabilis atque æterna beatitudo est, vt cum quis diues effectus fuerit, non confidat in auro, neque intendat in argenti repositione, sed recondat hæc in mandato altissimi, & det ea in eleemosyna pauperibus, sed seminet atque spargat ea late per animas miserorum, per ora esurientium, vel per ora debilium, per destitutos, atque miseros. Iuxta hoc quod dictum est: Seminate vobis ad iustitiam vt metatis fructum vitæ. &, Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Eiusmodi verò metet multipliciter in die resurrectionis. Eiusmodi recipiet inæstimabilem beatitudinem in die visitationis. Eiusmodi eleemosynarum iustificationibus tãquam lux effulget coram angelis dei. Talis fuit beatus Iob, apud quem hospes nũquam foris mansit, cuius ianua omni aduenieñti patuit, quẽ inualidi nunquã prætermiserunt de iis quæ opus habuerunt, qui non dimisit pauperem exire de domo sua vacuum, ad cuius tonsuram ouium, omnium pauperum scapulæ calefactę sunt. Ob hoc enim & istam multitudinem pecorum nutriuit, F & maximam agriculturam exercuit, vt plurimis impertiret, vt plurimis benefaceret, vt plurimorum memor esset. Non propter os suum tantum, sed vt multos esurientes saturaret, atque plurimos nudos vestiret, & multis miserabilibus atque infelicibus refrigeraret. Ob hoc enim pecora eius ouium septem milia, cameli tria milia, iuga boum quingenta, & asinæ pastoriæ quingentæ. Et ministerium nimis copiosum. Certũ est quod & mensæ eius, atque sedes eius, & ministerium copiosum: sed plus erat ministerium copiosum quod ministrabat hospitibus & aduenientibus, infirmis & miserantibus, destitutis & peregrinis, pauperibus & infelicibus. Pro horũ ergo omniũ susceptione, nimium copiosum habuit ministeriũ: puto quod & in cœlo & in excelsis copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministrauerunt ei super terram pro miserorum susceptione, sed pluriores ministrabant ei in cœlis, cœlestes angeli, incorruptibiles eleemosynas, atq; bona opera eius in memoriã corã deo in cœlũ deferẽtes, sicut dictũ est ad Corneliũ, Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt sursum in memoriam coram deo. Ascenderunt proculdubio ab angelis, atque spiritalibus ministris delatę. De quibus dicitur, Omnes sunt ministeriales spiritus missi pro his qui salutẽ in hæreditatẽ capiũt. Et alibi. Qui facit angelos suos spiritus & ministros suos ignem ardentem. De istis nanque ministris vnus erat qui locutus est ad Tobiam dicens: Cum orares

Act.4 — Asini in Arabia & Palæstina veloces. — 1.Tim.4 — Eccl.31 — Iacob.3 — Psal.112 — Act.10 — Heb.1 — Tob.12.

A tu & Sara filia Raguelis, ego attuli memoriam orationis ve-stræ in conspectum gloriç summi dei. Tale ergo erat ministe-rium Iob nimium copiosum. Secundum multitudinem enim bonorum operum eius, multiplicati sunt cœlestes ministri at que angeli qui in conspectu dei attestarētur beneficiis illius. Vnus sanè deuotioni animi eius attestabatur, alius autē elee-mosynis eius ac miserationibus, alius nihilominus sollicitis precibus, alius verò iustitiæ iudicij, patientiæ quoque ac lon-ganimitati, atque charitatis plenitudini. Omnes scilicet cun-ctis eius virtutibus attestabantur in conspectu omnia præsciē tis dei. Omnibus itaque modis ministerium copiosum erat beato Iob. Quale putas illi fieri obsequium ad susceptionem, & gloriosum quoque honorem ô amice, cum anima eius ex-iens de corpore ad illud seculum transiret, cum illi occurre-rent omnes angeli, quando gauisæ sunt ad eum omnium san-ctorum animæ, quando omnes animæ miserorum atque ino-pum, quibus super terram benefecerit beneficiis eius attesta-tæ sunt? Quæ vniuersæ in lucem illic procedentes gloriosæ occurrunt atque sanctę attestantur nō solum solius Iob vir-tutibus, sed & omnibus qui similiter vt Iob eleemosynas mi seris, ac beneficia infelicibus impertiunt. Hæc vniuersa, quia dicit, & ministerium nimium copiosum. Postque adiiciens dicit: [Erant opera illius magna in terris.] Primum sanè ope-ra magna fuerunt illi, id est, agri & vineæ, fruteta & olivueta. *Antiquorũ diuitiæ.* Hæ namque erant antiquorum diuitiæ, hæc erat priscorum instantia atque studium, hoc erat quod ab eis thesaurus re-

B putabatur, area & torcular, olivueta & ficeta, & vniuersa ope-ra quæ sunt in agro, quæ cum labore atque sudore atque ma-nuum callositatibus acquirūtur cum iustitia, iuxta ordinem *Gene.3.* dei dicentis: In sudore vultus tui edes panem tuum. Hæc sci-licet opera magna fuerunt Iob in terris, ideo & plurimo in-digebat ministerio ad curandum, ad intendendum, ad circū-eundum, itemque ad dandum, ad distribuendum, ad mini-strandum indigentibus, ad defendendum oppressos, ad opi-tulandum pauperibus, ad benefaciendum viduis & orphanis. Pro his nimirum vniuersis opera magna erant illis in terris & ministerium copiosum, quia magna erant opera meritorum & copiosum ministerium. Sed puto post hæc quæ recitata sunt magna illius opera, post agriculturam atque pecudum nutrimenta, & cætera vniuersa, fuerunt etiam alia magna o-pera Iob in terris, fides, pietas, iustitia, sanctitas, constātia, pa-tientia, tolerantia, atque his similia vniuersa, & omnes quæ superius demonstratæ sunt virtutes, atque merita & eleemo-synæ opera. Hæc namque sunt magna illa opera quæ erant ita magna vt vsque ad cœlum pertingerent, & vsque ad deū peruenirent. Ita erant magna, vt in corruptione perpetrata, in incorruptione fuissent prædicata. Inter homines facta, in-ter angelos sunt mirificata. Hæc inquam fuerunt Iob magna opera. Et vbi hæc fuerunt? in terra, inquit. In qua terra? Primū

C quidem in ea quæ sub cœlo est terra. Item in terreno eius corpore. Omnem enim virtutem, omnem iustificationem omne opus sanctum, omnem tollerantiam cum gratiarum a-ctionibus, vniuersa in hoc corpore terreno perfecit, & sup-portauit atque sustinuit. Testis est ipse dicens de virtute dei *Iob.19.* atque magnitudine: Qui suscitatus est pellem meam quę hau sit hæc mala. Postque vniuersa, opera magna erant Iob. Vbi? In terra, inquit. In qua terra? in terra incorruptibili, in terra immortali, in terra viuentium, in tabernaculis iustorum, vbi non est infirmitas neque mors, vnde fugit dolor & tristitia atque gemitus. Illic ergo magna erant opera Iob, illic demō-strata sunt atque ostensa, illic distincta atque manifestata. Hic perfecta, illic autem demonstrata: hic seminata, illic verò mes-sa: hic dispersa, illic autem collecta: hic deo fœnerata, illic ve-rò cum gloria à deo fœnerantibus redhibita. Qui enim mi-*Prou.19.* seretur pauperi, fœnerat deo. Secundum autem datum illius retribuet illi dominus. Post hæc autem vniuersa, nouissimam virtutem Iob demōstrat, dicens. Fuit autem hic homo de ge-nere optimo, ex partibus orietis. Item autem & istic singula-riter illum designat, atque memorat. Hic homo singularis, se-motus, qui in carne separauit ea quę carnis sunt, qui inter ho-mines super homines fuit, qui in terris erat, & cœlestia age-bat. Hic homo sine querela iustus, verus dei cultor, abstinēs se ab omni re mala. Hic ergo de genere optimo, ex partibus orientis, tanquam si diceret, omnibus qui sunt in partibus o-

D rientis generosior atque melior fuit, nobilior hic, atque subli mior erat. Hoc namque demonstrans dicit: [Fuit autem hic homo de genere optimo, ex partibus orientis.] Sed liceat re-spondere scribenti, & dicere. Vnde Iob de genere optimo? *Iob.1.* Si ex Adam & Eua, præuaricati sunt per inobedientiam. Si ex Esau, sub maledictum redactus est auiditatis. Si ex filiis Esau, impij extiterunt etiam ij propter contumeliam. Quomodo ergo de genere optimo erat qui de talibus nascebatur? Rubē primogenitus Iacob, & Symeon & Leui, qui ex Israel sunt ꝓ *Iob ex filiis Esau.* geniti, de genere optimo non dicuntur: Iob verò qui ex im-piis ortus est, id est ex filiis Esau, qui ex prosapia Edon natus est, hic de genere optimo dicitur? Ego, inquit, non carnalem natiuitatem quæro, nō carnalem generationem significo, non pereuntem generositatem laudo. Nam hæc apud deum non magni penduntur, hæc à creatore non requiruntur. Sicut e-nim non constat apud deum personæ gloria, sic nec requiri-tur ab eo carnalis generositas. Merito de genere optimo dici-tur Iob. Non ex Esau, neque ex posteritate Edon, sed de ge-nere optimo dicitur Iob, ex sanctitate & iustitia, ex pietate, ex fide, ex misericordia, ex dei cultura, ex vero animo, ex cor de puro, ex bonis cogitationibus. Ex istis ergo omnibus be-ne natus esse dicitur Iob, ex istis omnibus generosior esse re-putatur, quasi in dei familiaritate, quasi in dei clientela, tan-quam qui deo fuerit affinis propter animam veram & fidem, atque iustitiam integram. Bene natum eum reddidit non ter-reni patres, neque aui carnales, sed opera veritatis, atque offi-

E cium sanctitatis, necnon & syncera circa deum spes. Quis e-rat nobilior, vel generosior Cham filio Noe mediano, qui & ex patris nobilitate erat nobilis, & ex dei benedictione atque colloquio nobilis erat & illustris? Sed nihil iuuit illum, neque dei colloquium, neque creatoris benedictio, neque patris in-stitia, cum ipse declinauerit à iustitia vt impietatem arripe-ret, propter quam iuste humiliatus, redactus est in maledictū atque in seruitutem. Nam ipse pater Noe qui eius libertatem atque generositatem erat defensurus, ipse iusto dei iudicio *Genes.9.* in maledictum atque seruitutem eum donauit. Non enim e-rat dignus vt patris libertate atque nobilitate fungeretur, quē vt ignobilem impie ad derisionem perduxit. Nequaquā er-go iuuat, ô amici, patrum iustitia iniustos, atque impios filios: & nihil obest piis atque sanctis filiis parentum iniustitia at-que impietas. Siue enim patres, siue inter filios quis fecerit peccatum, hic seruus est peccati: & cum seruus sit peccati, li-ber vel bene natus esse non comprobatur. Item similiter qui liber est peccato, hic habet ingenuam atque dignam a-nimæ libertatem, & digne bene natus dicitur: hic sanè vera-citer generosus nuncupatur, quia libertatem illam quæ ab i-nitio naturaliter est concessa, peccato non vitiauit, neque de

F licto maculauit. Talis ergo erat beatus Iob, foris ab omni cri-mine, iustus, verax dei cultor, abstinens se ab omni re mala. Ergo quia talis erat coram deo, merito digne dicitur de ge-nere esse optimo. Nam quis vere bene erit natus, nisi is qui diuinam natiuitatem atque conditionem integram conser-uauerit? sicut admirabilis ille Iob, qui digne ac iuste bene na-tus appellatur, non quia ex Esau generatione carnaliter fue-rit orsus, sed quia Abraham per deo dilectam fidem est imi-tatus, & quia Isaac in verissima castitate est sectatus, & Israel in perspicua cordis puritate appropinquauit, & Melchise-dech in filiorum immolatione, & Ioseph ī castitate, & Moy-si in mansuetudine, & Samueli in iustitia, & Lazaro in passio-ne iudicij, atque omnibus sanctis in omnibus virtutibus, ita vt possit dicere etiam ipse cum sancto Dauid: Particeps ego sum *Psal.119.* omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Ergo quia omnium sanctorum sanctitatis particeps effectus est bea tus Iob, idcirco digne ex genere optimo fuisse dictus est, vt pote totius iustitiæ nobilitatem in se gestans, vtpote omnium amicorum domini libertatem in se continens. Non dicuntur Amon vel Absalon bene nati: negauerunt enim & discesse-runt atque ceciderunt à sanctitate & dignitate Dauid patris sui: & alij innumeri similiter vt ij primi & nouissimi, qui om-nē iustitiæ libertatē amittētes & serui effecti peccati, æterni supplicij apđ inferos cō͞pbātur famuli. Nos verò dignos oēs habeat sctōs oīm dn̄s, vt bene nati in sancta regeneatiōe ꝑse-ueremus.

A ueremus. Cócedatnihilomin' ipse nobis cœlestis dñs, vt in in
corruptibili generositate illibata permaneamus, nõ carnis tã-
tũ libertate gloriantes, sed animę castitate, fide, atq; omnia co
rãdeo & sanctis angelis eius demõstrantes: vt liberi ab omni-
bus peccatis & delictis in æternam gloriam, ac regnum cœ-
lestis patris nostri regis, cum sanctis sine difficultate introea-
mus sancti atque intaminati filij eius, perseuerantes in præ-
ceptis eius vsque in finem, & libertatem ab eo nobis donatã
atque nobilitatem immaculatam iugiter custodientes. Sic i.
taque omnibus modis bene natus beatus Iob esse dignosci-
tur. Beati omnes qui illum fuerint imitati. Beati omnes qui e-
ius diuina vestigia fuerint secuti. Hi enim omnes simul vt il-
le gloria apud deum digni habebũtur. Sed adhuc fuit, inquit,
hic homo de genere optimo. Et nõ solum de genere optimo,
sed ex partibus orientis. Vnde igitur est delectatio luminis?
vnde etiam radij pulchritudinis? vnde ortus sanitatis? Ex par-
tibus orientis. Vnde est hominum initium? Vnde fuerũt mũ-
di priores? Vbi est paradisus iucunditatis? Plantauit, inquit, pa
radisum voluptatis in Eden, contra orientem. Inde nimirum
admirabilis Iob dicitur fuisse. Ob quam rem? Quia refulsit
veritate, & resplenduit fide, ac pietate, atque tolerantia, &
omnibus virtutum studiis. Ob hoc ergo digne ex genere o-
ptimo & ex partibus orientis fuisse dicitur. Nam sicut omnes
homines diei luce incipiente ad orientem suam extollunt vi-
B sionem, pulcherrimos solis radios properantes respicere: sic
similiter, vel immo potius omnis pia ac religiosa atque cre-
dens anima in omni tempore ad incorruptibilem orientem,
veram spiritalem extollit visionem, vt solis iustitiæ admirabi-
les radios exinde oriri conspiciat. Hoc monebat & hoc signi
ficabat, & hoc docebat omnes ille qui ait: Psallite deo qui a-
scendit super cœlum cœlorum ad orientem. Sic nanque Da-
nieli adoranti deum, atque deprecanti contra Hierusalem a-
periebantur fenestræ. Illo enim vbi erat ex Babylone ad ori-
entem, inde erat solis ortus ad Babylonem. Ergo quia cum in
Hierosolyma esset ad orientẽ adorabat, idcirco & cum esset
in Babylonia tanquã ad Hierusalem versus ad orientẽ ado-
rabat deum & creatorẽ omnium. Ad orientem adorabat eũ,
ex quo est totius beneficij ac salutis, gratiæ quoque ac mise-
ricordiæ ortus. Sic nanque & nunc nos omnes credentes, san
ctis similiter credentibus concordantes, ad orientem adora-
mus dominum deum nostrũ, qui propter nostram salutẽ atq;
redemptionem super occasum sane descendit, vtpote in pas-
sione, ac morte occasurus, ad orientem verò ascendit, vtpote
à mortuis post passionem resurgens, & in cœlum post resur-
rectionem ad orientem ascendens. Horum nanque omnium
figuram adimplens beatus Iob, ex partibus orientis esse dici-
tur, quia omnis sanctitas & pietas atque fides vsque in finem
in illo orta est, post hæc autem vniuersa adiiciens dicit: [Cõ-
C uenientes ergo filij eius adinuicem, potationes faciebant per
singulos dies.] Filij illius. Cuius? Iob. Filij illius qui dudum
sunt designati vel memorati. Filij qui septem fuerunt nume-
ro, & vnam habuerunt animam. Septem fuerunt personæ,
& vnum erat eis cor. Qui dissimiles erant aspectu, atque fa-
cie, similes verò & vnanimes mentis concordia, atque pieta-
tis communione. Isti ergo septem filij Iob conuenientes ad-
inuicem. Non erat inter eos superbia, neque arrogantia, ne-
que inflatio, neque elatio. Non contemnebat primus nouis-
simum, non se extollebat, non exaltabat maior super mino-
rem, sed germanorũ circa inuicem conseruantes vnanimita-
tem, conueniebant adinuicẽ. Conueniebant pure atque syn-
cere, conueniebant cõcorditer atque vnanimiter. Iunior ma-
iori obsequiũ reddebat, nouissimus primo cum primatu ho-
norem exhibebat: Non inuidebat alter alteri, sicut filij Iacob
Ioseph. Non resistebat alter alteri, sicut Absolon Amon, &
sicut Adonias Salomon, sed conueniebant ad inuicem, tan-
quam fratres ad fratres, tanquam germani ad germanos con-
ueniebant ad inuicem. Nullus iudicabat inter eos, nec quic-
quam suũ esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia, & mu-
nera, & substãtia, & diuitiæ, & vnanimitas, & pecunia, & cha-
ritas, omnia erant illis communia. Conueniebãtque ad inui-
cem ipsi priores adimplentes hoc quod dictum est: Ecce quã
bonum, & quàm iocũdum habitare fratres in vnum: ipsi pri-
ores obseruantes id quod post ab apostolis obseruatum est,

Gen. 2

Psal. 86

Dan. 6

Ad orientẽ oramus.

Psal. 133

D & à credentibus perfectum atque impletum, sicut dicitur:
Erat cor & anima omnium credentium vna. Hanc scilicet piã
vnanimitatem ostendentes atque synceram concordiam de-
monstrantes beati illi filij Iob cõueniebant ad inuicem. Ita o-
portet etiam facere religiosos fratres, ita oportet etiam nunc
ostendere veros germanos, blandos atque mites esse inuicẽ,
modestos quoq; & vnanimes, Non oportet contentionẽ, vel
diuortium cum inuicẽ habere. Non oportet eos inuidiam at-
que zelum aduersus inuicem retinere. Non oportet eos ma-
litiã vel iniquitatẽ ad inuicẽ reseruare, sicut olim Esau serua-
uit cõtra Iacob dicens: Quando appropinquabunt dies mor
tis patris mei, interficiam Iacob frattem meum, Sed similiter
vt illi religiosi filij Iob se inuicem debent diligere puriter, at
que synceriter inuicem debent sentire, suam gloriam atque
honorem sibi inuicem deferre. sicut dicit apostolus: Si hono-
rificatum vnum fuerit membrum congaudẽt omnia mẽbra.
Non oportet inuicem mordere atque criminari, ne ab inuicẽ
consumantur: sicut Esau ille nequissimus, qui propter auidita-
tem primatũ amittens, post hæc aduersus germanũ fratrẽ suũ
Iacob insurgens, diuinæ gratiæ exors effectus est. Sed filiorũ
Iob imitari debent benignam illã germanitatẽ, atque deo di-
lectã fraternitatẽ, qui omnes tãquã ex sancta radice sancti cre-
uerũt rami, qui omnes tanquã ex sancta arbore sanctũ produ
xerunt & fructũ. De istis ergo istic dicit: [Conuenientes autẽ
E filij eius adinuicẽ, potationes faciebãt per singulos dies.] Po
tationes faciebant, id est cõuiuia, festiuitates, lætitiã, iucundi-
tatẽ. Sed non sibi tantũ huiusmodi faciebãt, sed & sororibus
suis. [Conuocatis, inquit, ad se & tribus sororibus suis, vt secũ
manducarẽt, & biberẽt] Potationes faciebãt, sed non propter
ebriositatẽ, neque pro luxuria, neque pro turpitudine, neque
pro intẽperantia, neque pro illicitis scurrilitatib', neque pro
desideriosis iocis, neque pro impudicis colloquiis, atque ob-
scœnis. Si enim aliquid horũ apud eos fuisset, si aliquid de hu
iusmodi beati illi filii Iob agerent, non vtique sorores suas se
cũ conuocassent, vt cum sororibus suis illicita atque impudi-
ca agerent, vel colloquerentur. At nunc verò quia opera eo-
rum, & verba, & conuentus atque conuiuia pia ac pudica e-
rant, decora atque delecta, casta nihilominus & mũda, merito
in testimoniũ purgationis suæ: atque munditiæ germanas so-
rores suas secũ cõuocabant, vt innocẽtes scelerũ corã patre
suo atq; omnibus attestarentur. Ob hoc ergo conuocabãt ad
se tres sorores suas vt secum manducarent, & biberent, vt si-
cut secum manducarent & biberent. sic & collaudarẽt, & ho
norificarent secũ dominũ cœlestẽ, sic & adorarẽt, & gratias a-
gerent vero creatori, sic & adorarent & deprecarentur æter-
nũ regem. Ob hoc ergo cõuocabant secũ tres sorores suas, vt
fierent omnes simul ecclesia sanctorũ, congregatio religioso-
rum, conuentus immaculatorũ, & incoinquinatorum atque
F castorũ. Sic itaque conueniẽtes ad inuicẽ potationes faciebãt
per singulos dies. Non per singulos dies totius vitæ suæ, sed
per singulos dies septimanæ. Septem cum essent filij, septem
diebus festa celebrabãt. Sic nanque & lex post hæc præcepit
septem diebus agere, siue paschæ, siue hebdomadarum, siue
scenopegiæ. Hæc itaque implere anticipantes filij Iob, vel e-
tiam ipse Iob qui eos docuit, potationes faciebãt per istos se-
ptem dies, vnusquisque eorum apud se habẽs vna die omnes
fratres suos, & sorores, primus primum, secundus secundum,
& ita consequenter per ordinem omnes vsque ad cõsumma-
tionẽ horũ septẽ dierũ. Per istos ergo singulos septẽ dies po-
tationes faciebant, id est diem festum, conuiuium, epulum,
iucunditatem. Sed proculdubio quod non sibi tantum, neq;
solis sororibus suis, sed & seruis, & liberis, & pauperibus, &
egenis, & indigentibus, & non habentibus omnibus faciebãt
epulum, omnibus exhibebant iucunditatem, atque conuiui-
um. Non enim poterant in parte sanè imitari legem, in parte
autem non. Non poterant in hoc imitari legem vt septẽ die-
bus festa celebrarent, in hoc autem non imitari, vt non epu-
larentur cum illis serui, atque ancillæ, ac egeni. Præcipit nan-
que in lege & dicit: Septem diebus celebrabis diem festũ do-
mino deo tuo, & epulaberis tu & filius tuus, & filia tua, & ser
uus tuus, & ancilla tua, & aduena qui est in te, & egenus gẽtis
tuæ. Quæ ergo in lege post hæc præcepta sunt, hæc nimirum
anticipans Iob, & ipse impleuit, & filios implere docuit, &

Act. 4

Gen. 26

Lex exhibere iubet epulum egenis.

Deut. 16

A hospitalitatem,& eleemosynam,& misericordiam, & pauperum & miserorum beneficia atque cõsolationes, quæ sunt deo valde acceptabiles cum fide perpetratæ atque perfectæ. Ita debemus etiam nos ô amici in diebus festis nostris atque iucunditatibus non solum hoc respicere, quomodo nos soli epulemur atque iucundemus, sed hoc præsertim debemus intendere vt epulentur nobiscum & celebrent diem festum nostrum serui nostri & ancillæ, & clientes nostri, & egeni, & pauperes vniuersi, & celebremus diem festum domino deo nostro. Si enim celebrauerint tecum diem festum, & epulatus tecum fuerit seruus tuus, & ancilla tua, & pauperes, & egeni, atq; inopes, pro certo scito, quod domino deo tuo diem festum celebras. Epulatur enim tecum dominus deus tuus per inopem, & pauperum ora, qui ait: Quodcunque feceritis vni de minimis istis miserabilibus, mihi fecistis. Post hæc vniuersa dicit: [Et cum finiti essent dies potationum.] Ostendit euidenter istic quod superius dictum est verum fuisse, quia non semper epulabantur, quia non quotidie potationes faciebãt, sed certis diebus, sed istis diebus qui memorati sunt septem numero secundum numerum septem filiorum Iob, secundũ illos septem qui in lege celebrati sunt. Cum ergo isti finirentur, post hoc cum transiret solennitas, cum finirentur potationes secundum festiuitatis consuetudinem. Non enim quotidie potationes faciebant filij illius beati viri, neque semper in calicibus & phialis dabant oculos suos, non erant vinolẽti,

Matt.25.

Qualia cõmunia filiorum Iob.

B sicut sunt nũc quamplurimi, sed sancti erant sanctissimi illius filij Iob. Cum ergo sancti viri essent, sancti in solennitatibus suis, de castitate ac sanctitate, de mundicia quoque ac pudicitia & secum inuicem & cum sororibus suis loquentes, iuxta hæc quæ superius memorata sunt vniuersa. Postquam ergo sic finiti sunt dies potationum in castitate, & in pietate atque pudicitia, post hoc nimirum quid factum est ostendit dicens: [Mittebat Iob & mundabat illos,] mittebat ad eos qui pietatem admonerent, qui iustitiam instruerent, qui dei timorem docerent, qui testificarentur dei iudicium terribile, in quo omnium & manifestorum operum, & verborum ratio inquiritur atque redditur, in quo vindicta impatienter omnibus animalibus infertur, in quo ira in flamma ignis omnib⁹ impiis irrogatur. Verbis ergo doctrinæ, disciplinæ, atque ammonitionis, mundabat illos, siue per eos quos mittebat ad illos, siue per semetipsum ad se conuocãs illos. Sed mittebat, inquit, & mundabat eos. Quid mittebat vel quomodo mittebat? ad dominum mittebat, & ad creatorem dirigebat. quid mittebat? Orationes, ac preces suas pro eis, confessionem quoque atq; gratiarum actionem pro illis. Hæc scilicet vniuersa mittebat & mundabat eos. Mundabat eos orationibus suis, mũdabat eos precibus ac postulationibus, mundabat eos sicut Moyses filiis Israel pro illis in deserto orando, mundabat

C eos sicut Samuel vniuersos filios Israel aduersus Allophylos pugnantes, orationibus suis deum illis placando, atque exorando. Sic ergo & hic iustus Iob olim filios suos mundabat. Quod autem orationibus, atque satisfactionibus eos mundauerit, per ea quæ sequuntur ostendit, dicens: [Surgens mane.] Mox ad deum currebat, mox ad deum procedebat, pro se & filiis suis deum exorans atque deprecans, orans quoque atque postulans terribilem dei faciem & sibi & illis repropiciare festinans: nec non & docens, & admonens atque formam ostendens, & tunc filiis suis, & nunc omnibus nobis in perpetuum, vt cõfestim diluculo ex noctis requie exsurgentes, ante omne opus vel verbum, ante omne colloquium vel conuentionem, primitias resurrectionis nostræ deo exhibeamus in synceris orationibus atque precibus, in matutinis deprecationibus, atque gratiarũ actionibus. Hanc itaque pietatis ac religiositatis formã nobis omnibus demonstrans Iob, [surgebat mane, & mundabat eos offerens pro eis hostiam secundum numerum illorum.] Primo mundabat, purificabat, sanctificabat & ita demum pro eis hostiam offerebat, vt cunctis in perpetuum ostenderet, quia mundos, castos, atque sanctos condecent sacrificia, vt sancte atque digne immolata, sancte atque digne à sanctis accipiantur. Sic nanque & apostolus post hæc dicit: Probet seipsum homo, hoc est mundet semetipsum, & ita de sanctissimis domini sacrificiis fruatur. Sic & Iob pridem faciens primum mũ

1.Cor.11.

dabat eos, & ita demum pro eis hostiam offerebat secundum D numerum eorum, secundum personas eorum. Quare secundum numerum eorum? Propter nimiam syncerītatem quam habebat circa illos, atque deuotam castificationem quam habebat circa illos. Singuli idemque à deo creati sunt, sigillatim ex vtero matris exierunt, sigillatim totidem idemque in resurrectione, atque in inquisitione iudicij exurgent. Ob hoc, inquit, ergo pro singulis eorum numerum illorum hostiam offero, vt & ipsi hæc videntes, eadem pro semetipsis perficere properent, hoc scientes, quia vnusquisque omnium hominũ pro semetipso solus in iudicio resurget, & solus ad inquisitionem veniet, & solus pro se solo responsum in visitatione animarum dabit. Non enim liberabit frater fratrem, neque defendet vllus alium in iudicio. Merito ergo secundum numerum eorum offerebat pro eis hostias. Item vitulum vnum ꝓ peccatis animarum illorum. Quis autem offerebat easdem hostias? Certum est quod ipse Iob. Si enim post hoc pro amicis suis ipse iussus est offerre, atque hostias immolare, multo magis pro filiis suis ipse offerebat synceras, atque deo acceptabiles hostias. Erant nihilominus etiam ea tempestate sacerdotes nec dum adhuc à lege ordinati, sed naturali sapientia hoc requirente, ac perficiente. Ita sacerdotio functus est Noe. Ita sacerdotio functus est Abraham. Ita sacerdotiũ gessit Melchisedech. Ita & ipse Iob post illos sacerdotio functus est. Sed interim (sicut diximus) erant etiam sacerdotes per loca qui pro indigentibus hostias offerebãt domino per diuersa tempora. Quod autem fuerint pro certo illo tempore sacerdotes, ostendit ipse Iob dicens: Qui mittit sacerdotes captiuos. Siue ergo memorati sacerdotes, siue ipse per semetipsum Iob offerebat hostias pro illis secundum numerum illorum. Si hæreditatem inquit illis distribuerem, si dona illis ingentia donarem, nonne secundum numerum illorum diuiderem? nonne secundum personas eorum darem? Nũc verò cum spiritalem, inquit, illis hæreditatem diuidam, atque diuina illis dona largiar, sacrificia pro illis offerendo atque hostias, nonne multo magis secundum numerum eorum, & secundum personas hostias immolabo? Cur autem vnum vitulum pro omnibus sacrificas? Cur vnum vitulum communiter pro omnibus animabus iugulas? Ob hoc, inquit, vnum vitulum communiter pro omnium animabus macto, vt communionem atque concordiam, vnanimitatem atque consensum cunctos illos doceam, vt cum vnus vitulus pro omnibus iugulatur, vnanimes esse inuicem omnes iudicentur. Merito ergo pro omnium animab⁹ vnum vitulum communiter mactaui. Sed adhuc, quod est horum maximum, [vitulũ, inquit, vnum pro peccatis animarum illorum.] Dic ô beate Iob, quis te docuit vitulum mactare pro animarum peccatis? Quis do- F cuit ita delonge figuram adimplere illorum quæ perficienda sunt in nouissimo tẽpore? Spũs, inquit, sctũs mihi reuelauit, spũs sanctus me docuit, vt vitulũ ꝓ animab⁹ offerã in figuram illius vituli de quo dictũ est: Cito adducite vitulũ saginatũ. & vt vitulũ ꝓ peccatis iugulẽ in typo illius de quo dictũ est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Ipse, inquit, spirit⁹ sctũs me docuit vitulũ ꝓ peccatis animarũ offerre, atq; delonge figuram implere illius, qui tanquã vitulus saginatus ꝓ mũdo mactãdus est in nouissimo tempore, qui tanquam agnus immaculatus pro mundis erit immolandus. Qui enim docuit Esaiam dicere: Sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, & peccata nostra ipse portauit, & propter impietates nostras deductus est ad mortem: qui docuit Hieremiam dicere: Ego autem tanquã agnus immaculatus ductus ad immolandum, aliaq; innumera his similia: qui ergo omnes illos docuit dicere & prophetare de eo qui erat venturus, idem ipse, inquit, etiam me illuminauit, vt vitulum pro peccatis offerrem, & typum futuri vituli, atque agni adimplerem. Merito ergo vitulum vnum pro peccatis animarum illorum obtulit, vt illa tunc perficeret & futura ostenderet. Sed & adhuc propterea vitulum illum coram filiis suis pro peccatis iugulauit, vt videntes ipsi filij quòd pro alienis peccatis ille vitulus iugulatus moreretur, metuentes ac pauentes ab omnibus peccatis quæ animas perimũt declinarent, & vniuersas animas interficerent, id est iuuentutis ignorantias à se mortificarent. Ob hoc ergo vitulum vnum in figu-

In lege naturæ erant sacerdotes. Ge.12,14. E

Iob vitulũ sacrificat in figuram Christi. Luc.15.

Esa.53.

A in figuram vnius memorati illius vituli mactauit pro peccatis animarum eorum. Hæc nimirum vniuersa fecit beatus Iob, sapiêter cōsiderās sanctéque cogitās. Dicebat enim in semetipso Iob. Ne forte filij mei mali aliquid in corde suo cogitauerint aduersus deum. O synceritas patris, ô dilectio parentis, ô studium genitoris. Non enim tantum pro corpore sollicitus erat, sed plus de anima cogitabat. Ne forte, inquit, filij mei qui in disciplina nutriti sunt, qui in eruditione creuerunt, qui in dei timore exercitati sunt, ne forte filij mei quibus viuis ego gaudeo si ipsi vixerint deo, quibus viuis ego gratulor si ipsi ad deum intenderint, si ipsi deo seruierint, si ipsi à creatore non recesserint, ne forte filij mei in corde suo, in mente, in animo, in sensu, in cogitatione aliquid cogitauerint cōtra deum. Ac si diceret: Ne forte aliqua mala cogitatio in cor eorú ascenderit, quæ à deo longe facit, quæ à sanctitate peruertit, quæ à castitate separat, quæ à pietate abstrahit. Dic ô beate Iob quomodo permitteres vt aliquid mali filiis tuis in verbis atque operibus euidentioribus excideret, qui pro occultis, & abditis, aut omnino forsitan non existentibus, ita nimium sollicitus fueris, atque curam gesseris: qui sollicitus, atque metuens dixisti, ne forte filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint, aduersus deū, ne forte de impudicitia cogitauerint, ne forte ad impietatē declinauerint, ne forte post peccata o-
B berrauerint, ne forte illicita meditati fuerint, ne forte iniusta concupierint, ne forte aliqua radix amaritudinis atque fellis exorta in animis eorum ipsis nocuerit? Hæc scilicet atque his similia plurima intra semetipsum tractās beatus Iob dixit. [Ne forte filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint aduersus deū.] Ne forte, inquit, confringantur rami mei, ne forte euellantur propagines meæ, ne forte, inquit, confringantur rami mei, ne forte euellantur propagines meæ, ne forte excidat fructus meus, quem ego in iustitia genui, quem in fide produxi. Ne forte filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint aduersus deum. Ne forte obliuiscantur deum, & recedentes à timore eius, atque derelinquentes eius beneficia, dicant in corde suo non est deus, non est iustitia, non est iudicium, nō est resurrectio, neque inquisitio, neque retributio. Omnia nanque hæc mala sunt, & deo contraria, & à deo longinqua & deo odibilia: & omnis homo qui hæc cogitauerit, vel disposuerit vel fecerit, vel proposuerit, inimicus est dei, atq; odibilis. Sic itaque omnimode sanissime cogitans pro animabus filiorum suorum Iob dixit: [Ne forte filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint aduersus deum.] Qui enim mala cogitauerint aduersus deum, cito intereunt, & in perpetuo condemnantur, intercipiuntur, impediuntur, atque in profundo inferni in æternum torquentur. Sed plerique hominum hæc non reminiscuntur, qui filios suos ab infantia exterminant,
C qui filios suos & filias suas ab incunabulis non erudiunt, non corripiunt à iuuentute, non prohibent mala, non odiunt pessima, non coercent illicita, non admonent timorem dei, non comminantur iudicium gehennæ, non vitæ æternę introitum docent. Non enim educant eos in disciplina atque eruditione domini, qui non egerunt curam pro animabus eorum, neque solliciti sunt pro salute, vel perditione filiorum. Huiusmodi cum non erudiūt, neque corripiunt filios suos & ipsorum animas igni inextinguibili in interitum tradūt, & semetipsos in furorem iudicij demergunt. Omnia enim quæ deliquerint filij de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint filios suos. Huius euidens exemplum in Heli ostenditur, & in filiis eius, atque in aliis alibi. Hæc sciēs gloriosus dei famulus Iob, non solū à manifestis peccatis obseruat filios suos, sed & ab occultis, ne mali aliquid in corde suo cogitarent. Primus beatus ille ostendens factis hoc, quod post hoc dictum est verbis: Ab occultis meis munda me: pro occultis nihilominus, atque in ignorantia perpetratis delictis filiorum suorum sollicite mundabat eos, & non tantum pro perpetratis, atque certis, quantum pro incertis, & non existētibus. Hoc nimirum faciebat ille beatus vir. Non semel aut secundo, neque vno anno aut duobus, sed sic faciebat Iob omnibus diebus vitæ eorum. Non quiescebat, non fiduciā resumebat, non obdormitabat, neque obliuiscebatur, non erat negligens, non erat fastidiosus: sed ita faciebat cūctis diebus vitæ eorum, ante apostolus ea quæ apostolorum sunt adimplens, sicut dicit: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet
D vsque in diem Christi: & ante aduentum domini, præceptum domini adimplens dicentis: Qui tolerauerit vsque in finem hic saluus erit. Sic itaque faciebat Iob omnibus diebus vitæ eorum, magnum thesaurū se credēs habere in regno cœlorū, vt inuiolatos atque immaculatos filios suos exhiberet, & ad regnū cœlorū eos mitteret. Sic, inquā, faciebat Iob omnibus diebus vitæ eorū. Sic faciebat sicut alter prior illo nō fecit, sicut alter illo antiquior nō gessit. Magn' erat Abrahā in fide, sed excellit illū Iob in tolerātia. Magnus erat Iacob in cordis mūditia, sed non fuit illo minor Iob in misericordia. Aduersus cæteros omnes priores, & nouissimos, nō succubuit inuictū studiis. Cū omniū virtutibus cōmunicaret, & omniū fidē, & pietatē, atq; iustitiā imitaretur, trāscēdit cūctos, atq; præcellit tolerantia vehementium dolorū. Merito digne dicitur de solo Iob: quia ita faciebat sicut nō fecit alter. Omnia enim quæ fecerunt sancti, fecit etiam Iob. Quod autē sustinuit Iob cum gratiarum actionibus, hoc nihilominus nullus alius sustinuit. Omnibus ergo modis veraciter dicitur, [sic faciebat Iob cūctis diebus vitæ eorū.] Sic faciebat, quasi iustus, pius, quasi deo dilectus, quasi credēs. Sic faciebat sicut deo placebat, sicut creatori libitū fuerat, sicut rex sanctus volebat. Sed cū ita faceret Iob, atq; hæc vniuersa bona pficeret, nō sustinuit malignus, nō tolerauit nequissimus, sed zelans malignatus est, &
E inuidēs succensus est. Quid, inquit, illi, faciam? quomodo aggrediar? Quomodo circunueniam? Quomodo supplantem? Quomodo præuaricer? Quomodo à iustitia abducam? Præsentia non reputat, visibilia non requirit, sed futura sperat, inuisibilia expectat, diuina desiderat, atque incorruptibilia requirit. Vndique iustitia indutus est, vndique sanctitate est vestitus, in veritate fundatus, in fide est confirmatus. Hæc nimirum cogitans nequissimus dæmon, hæc apud semetipsum meditans ille qui ab initio aduersus sanctos bellum gessit diabolus, dixit: consideraui quid faciam, ad priorem illam meam nequitiam confugiam, principali illa fraude vtar, accusabo apud deum Iob, sicut olim deum apud Adam, Detraham Iob apud deum, sicut à primordio Adam (habet etiam Iob paradisum diuitiarum, sicut & olim Adam) eo quod inuidens tibi deus, ne efficiaris sicut deus non permisit gustare te de ligno scientiæ: dicam nunc ad deum, quia non propter dilectionem, sed propter pecuniam colere videtur te Iob. Sed cum hæc cogitaret nequissimus, atque hæc secū loqueretur, [factum est, inquit, quasi illa dies.] Quæ dies illa? Dies quæ diaboli nequitiam redarguit, quæ dei iustitiam manifestauit, quæ Iob tolerantiam patefecit. Illa dies quæ dei longanimitatem, & Iob alacritatem: & diaboli nequitiā publicauit: quemadmodum ille dies manifestabit, qui in igne reuelabitur, sic ille dies publicauit omnem nequissimum diaboli zelum, atque vniuersam maligni satanæ inuidiam. Hoc nanque demonstrans dicit: [Factum est quasi dies illa, & ve-
F nerunt angeli dei vt starēt ante deū.] Venerunt nō de loco in locū cedentes, neq; exinde veniētes vbi deus nō fuerit præsens, illò autē venientes, vbi deum inuenirent, vel viderent. Cœlū enim, & terrā, superos, & inferos, corruptionē, incorruptionē, & vniuersa, eius replet beatitudo, vniuersa circūdat virtus, cuncta eius continet magnitudo: & nihil est extra eū. Quomodo ergo venerūt & vnde venerunt ante faciē dei, qui omnia replet? Bene intelligamus ô amici, & sancte, & deo digne omnia quæ dicta, vel scripta sunt: dei enim sermones & consilia digne deo percipienda sunt. Venerunt angeli dei vt starent ante deū, venerunt non vestigiis carnalibus, neque incessibus corporalibus, sed spiritali accessu atque incorruptibili statu cœlesti. Venerunt laudantes, honorificantes, magnificantes, cōfitentes, gratias agentes. Per hoc enim quod venisse dicit, per hoc nihilominus significat quod sit opus, vel studium sanctorū angelorū, quod assidue cœlestē dominum laudent, quod æterno deo gratias agāt, quod sācto deo indesinenter gloriam pro beneficiis eius referant, pro gratia eius, pro misericordia eius, pro mirabilibus eius, quæ impertit generi humano in omni hora, in omni tempore, plurima, & magna, atque diuersa, aliquando de periculis liberans, aliquādo de discriminibus eripiens, nonnunquam ex angustiis saluans, peccātibus lōganimiter parcēdo, pœnitētes miseri-

Marginal notes: *Phil. 1* — *Iob excellit omnibus virtute.* — *Gen. 3* — *1. Reg. 2* — *Psal. 18*

G corditer suscipiendo, contumaces patienter sustinẽdo, spernentibus se clementissime miserando, aliaque ineffabilia atq; inexcogitabilia beneficia circa genus humanum perficiẽdo. quæ vniuersa quotidie videntes sancti angeli stantes in conspectu eius, laudant, & honorificant, magnificant quoq; deũ atq; illi gratias agunt pro inæstimabilibus eius beneficiis, atq; misericordiæ eius. quæ demonstrans istic dicit [Venerũt angeli dei, vt starent ante deum.] Humana vsus consuetudine, ac prouerbio, atque locutione, dicit venerunt ante deum, qui omnia replet, qui vbique præsens est, & non est locus, neque in cœlo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos vbi non sit præsens deus. Hoc sciebat ille qui ait: Si ascendero in cœlum, tu illic es, & si descendero ad infernum ades. Hoc sciebat Helias, quod & cœlum, & terra atque vniuersa quæ sunt in eis, in cõspectu dei sunt. Merito cum esset super terram, ante deum se stare demonstrauit, dicens: Viuit dominus cui asto in conspectu eius. Similiter & angelus Gabriel: Qui adsisto in conspectu eius & dei. Et Helias ergo in corpore super terram, & Gabriel sine corpore in cœlis, vterque similiter assistere se dixerunt in conspectu dei: vbique est enim facies dei, tantum mala videre nõvult. iustus & sanctus deus, ideo dicit: Mala videre non vult dominus. Et alibi: Et ego te videns despiciam. Et adhuc: Cum extenderitis manus vestras ad me, auertam faciem meam à vobis. Sancti ergo digni, ac

Vbique Deus. *Psal. 139.* *3. Reg. 17.* *Luc. 1.* *Esa. 1.*

H iusti, atque credentes, casti quoque, ac veraces, siue in corpore sint, siue extra corpus, siue in terra, siue in cœlo, siue angeli gloriosi, siue sancti viri, iugiter ac indesinẽter atque indissociabiliter astant in conspectu dei. Venire autem dicuntur ante deum homines, dum cum maiori deuotione atque studio animas suas effuderint in oratione ante deum, sicut Anna mater Samuelis, cum in dolore animi effunderet orationem suã in conspectu domini: sicut ille de quo dictum est. Oratio pauperis cum anxiaretur in conspectu domini effunderet orationem. Sic itaque assistunt ante deum omnes qui sollicite cũ oratione adorauerint. Sic angeli cum gratias agentes misericordias eius confitentur, atque gratias illi pro eius beneficiis agunt, quæ ille incessanter impertit filiis hominum, aut cum viderint sanctorum virtutes virorum, insignia virorum nihilominus dei seruorum, constantiam, atque agones, tunc nimirum cum gaudio atque exultatione assistũt ante deum, reuera & vt deum honorificent, atque laudent de victoria seruorum dei, necnon vt eis qui propter deum patiuntur, patientiæ tolerantiam atque sanctam consummationem ab eodẽ postulent deo: Sic itaque venerunt & veniunt angeli dei, vt starent ante deum. Sic astiterunt cum totius mundi salus ad homines veniens initium sumpsit, ex virgine nato vnigenito deo, cum subito facta est multitudo exercituum cœlestium laudantium atque magnificantium deum pro mundi salute. Sic astiterunt in principio totius creaturæ, sicut dicit paulo

1. Reg. 1. *Psal. 102* *Luc. 2.*

I post ipse deus ad Iob depromens, & dicens: Cum fierẽt stellæ laudauerunt me voce magna angeli mei, & hymnum dixerunt. Si tunc laudauerunt quando inanimatæ stellæ factæ sunt, multo magis tunc laudauerunt quando animatæ & sensatę, stellę factę sunt, id est animę sanctorũ atque iustorũ. De quibus stellis dicendum est. Stella enim à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Et alibi: Tunc fulgebunt iusti vt luminaria cœli, & sicut stellæ in perpetuum. Sic itaque à seculo & vsque in æternum astant singula beneficia operationis domini, quæ in omni tempore impertit filiis hominum, confitentia, atque inuocantia, & gratias agentia beatitudini æterni dei. Sed interim secundum historiam steterũt tunc ante deum angeli confitentes, & gratias ei agentes propter sanctitatem Iob, ac meritum, iustitiam quoque, ac pietatem, innocentiam atque integritatem, maximam sibi gloriam reputantes ante deum beati Iob innocentiam atque sanctitatem. Sed quod pro gaudio atque gloria sanctis angelis, hoc nihilominus ad inflammationem atque zelum proficit maligno & aduersario diabolo. Propterea cum venirent angeli gratias agere, ac confiteri pro iusto Iob, venit & diabolus malignitate atque inflammatione repletus aduersum memoratum Iob. Venientibus videlicet angelis, venit & diabolus vt staret ante dominum. Angeli venerunt vt gratias agerent, & confiterentur, & laudarent: diabolus verò venit vt mentiretur, & accusaret, atque culparet. Et vere quasi duabus personis vtens angelorum & diaboli, angelorum sanè bonitatem

Iob. 38. *Animatæ stellæ iustorum animæ* *1. Cor. 15.* *Dan. 12.*

K ostendit, & diaboli nequitiam redarguit, atque nequissimas cogitationes eius detegit, quibus nequiter atque indigne cogitauit apud semetipsum proculdubio tractans, ac dicens: Quis mihi dabit vt possim venire ante conspectum dei? Quis mihi dabit vt possim stare ante faciem illius æterni? Hanc scilicet cogitationem diaboli, & ipsum eius desiderium, quasi aduẽtum memorans scriptor, dicit: [Et diabolus venit vt staret ante dominum.] Venit, sed non in præsentia, non accessu neque introitu, sed venit cogitatione, consilio, desiderio. Nam sicut quis latronum positus in carcere ac vinculis vult frequenter & optat vt sit foras in montibus vbi pridem fuerat, sed non ipse est illic, sed sensus atque cogitatio eius, & venit illi in cogitationem commonefaciens se de iis quæ illic sunt locis & stationibus, factis quoque, atque studiis: ita diabolus, cum commouefacit se priorum omnium, & desiderat illa quæ sunt ante deum, & vadit illuc sensu atque cogitatione, venisse dicitur ante deum, cum non ipse proprie venerit, sed sensu & cogitatione. Nam quomodo veniret ante conspectum dei is, qui sanctæ animæ Iob appropinquare, vel eam tangere permissus non est? Quomodo veniret ad cœlos is, qui non est permissus introire in paradisum? Si enim ad ostium paradisi obseruandum Cherubim positus est, & romphæa flãmea, vt homo ille qui exinde olim cecidit, id est Adam, vltra

Iob. 1. *Satan non venit in cœlum, vt ibi accusaret.* *Genes. 3.*

L introire non posset: quales putamus esse sanctas angelorum custodias, virtutesque cœlorum, quę custodiunt portas illas, ad quas dictum est: Tollite portas principes vestras, & vt introeat rex glorię? Quas transire vel transgredi ad cœlum nequissimo diabolo impossibile erat, & est. Nam cum de cœlis propter iniquitatem ceciderit, nunquã rursus introibit in cœlum, nunquam denuo reuertetur ad illud. Si enim ad impios atque sceleratos dicit Deus, calcare aulam meam non adiicietis, nõnne multo magis diabolus qui est totius iniquitatis auctor, & omnis sceleris pater atque inuentor, ad cœlestem aulam ex qua sponte cecidit, nũquam iterum ascendet, nunquam denuo reuertetur? Si enim spiritus exiens iterum non reuertitur, neque reuocatur anima ablata: nõne multo amplius is qui propter iniquitatem de cœlo exiuit, nunquam rursus illuc reuertetur, & is qui propter impœnitentem nequitiam proiectus est ex choris sanctorum angelorum, nunquam prorsus ad pœnitentiam reuocabitur? Stabit enim tanquam incomptus, atque indomita auersione. Et adhuc, si olim Caim cum exiret à facie domini pro impiis ausibus, nunquam ante conspectum domini dei est reuersus: nonne multo amplius hic diabolus qui ad omnem crudelitatem fuit magister eius, qui & homicida ab initio iuste est nuncupatus, à facie domini dei, tanquam iniustus iuste proiectus, nunquam ante faciem domini veniet amplius, nunquam in conspectu sanctę

Psal. 23. *Alibi diuersa docet esse putatur* *Mala. 1.* *Genes. 4.*

M gloriæ reuertetur vlterius? Iuxta hoc quod dictum est: Auferatur impius ne videat gloriam domini. Et adhuc, si impij nõ resurgent in iudicio, & peccatores in concilio iustorum non apparebunt, quomodo ille qui pater extitit impietatum, & genitor peccatorum, id est, diabolus, in conspectu sanctę gloriæ dei apparebit? Quomodo mors vitæ cõueniret? Quomodo stabunt tenebræ in conspectu lucis inaccessibilis? Quomodo sustineant stipula, fœnum, atque cera vicinitatem ignis insuperabilis? De quo dicitur: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie dei. Quomodo vocem dei audiens, respondeat illi immundus, atque execrabilis refuga diabolus, quem nec sancti angeli dignum habent suo colloquio? cuius coniunctionem nullus sanctorum suscepit, neque amplexus est? Quod claruit in beato Paulo & Syla, quibus valde molestum fuit quod diabolus per illius diuinantis puellæ os in Philippenses sequentes eos clamauerit, vsq; quo non sustinẽs Paulus confusus illud dæmonium pepulit. Omnibus itaque modis comprobatum est, quia diabolus à sanctis pulsus est, atque sanctorum præsentiam non sustinuit, siue angelorum, siue hominum: multo magis terribilem dei præsentiam nõ sustinebit, neque ante gloriosam dei faciem accedet. Si enim cum ad terras veniret vnigenitus, deitatis eius virtutẽ atque accessum nõ sustinens, ne torqueretur rogauit: quomodo ad incorruptionẽ accedẽns, ante

Esa. 26. *Psal. 1.* *Psal. 68.* *Act. 16.*

A ante illam intolerablilem atque inaccessibilem dei faciem stabit,& vocem verborum audiens,responsum atque replicationem dabit?quod est omnibus modis & illicitum,& impossibile. Post quæ vniuersa ô amici, vt superius dixi,intelligamus verba sanctæ scripturæ. Venisse diabolus dicitur ante deum,& audisse à deo,& respondisse deo,nō quod malignus & immundus atque tenebrosus diabolus facie ad faciem steterit ante deum. Absit: Quis enim durus effectus sustineat, inquit,præsentiam eius?paulò post in eodem libro; hoc est, quis durus effectus ad non pœnitendum,timorem atque virtutem sustineat vultus eius?Ideo vt superius diximus, non in persona venit nequissimus diabolus ante deum, sed consiliis, & cogitationibus,atque nequitiæ suę meditationibus:& quę cogitauit de eo, quæ etiam de Iob iusto, hæc venerunt ante deum, horum memoria venit in conspectu æterni dei. Hæc memorans Moyses personas ponit,atque ostendit. Personis quibus vtitur? Aliquando angelorum,aliquando diaboli, nōnunquam autem dei, vt per significationes personarum ea quæ cōtingerint designet,& quæ facta sunt manifestet. Quorum euidens exemplum in nobis reperimus ô amici. Nam & frequēter sensibus nostris illò pergimus, vbi nunquam corpore præsentes fuimus,siue in cœlum ad deum, siue in terrā ad homines: Sæpe ad absentes tanquam ad præsentes loquimur,& cogitationibus nostris cum illis qui valde longe sunt

Ante deū venit satan non in persona, sed desiderio & meditatione.

B contendimus,& altercamur,certamus quoque & replicam⁹, & ex illorum persona controuersitas, atque replicationes, nobis ipsis facimus.Sæpe etiam & in cœlum ad deum ascendimus,& tanquam in conspectu dei in excelsis animi visione, atque spiritus eleuatione stamus, & ad deum loquimur, & à deo audimus, atque deo responsum damus. Et hæc vniuersa ducimus adhuc in corpore positi, atque carnis corruptione super terram circundati. Quod autem ita sit, norunt ij qui synceri sunt circa deum, illi qui animis suis ad incorruptibilia atque excelsa semper intendunt. Sic locutus est ad deum Moyses,quando respondit illi deus dicens: Quid clamas ad me?Sic stetit ante deum.Helias cum diceret, viuit dominus cui asto in conspectu eius.Ita & alij innumerabiles ostenduntur ex scripturis,& ad deum locuti fuisse,& à seculo audisse, & identidem deo respondisse, non corpore tamen in cœlum in conspectu dei ascendisse, sed spiritali animæ synceritate ante deum venisse. Tales fuerunt illi ad quos dicit Apostolus:Vos non estis in carne,sed in spiritu, vtpote non carnalia,sed spiritalia in omni tempore cogitantes, tanquam inter homines super terram visi, animi verò studio ante deum in cœlo fuisse comprobati. Eiusmodi dicunt cum fiducia: Habitatio,vel conuersatio nostra in cœlis est.Si igitur homines carne induti,& corruptione circundati in cœlis ante deū

Exod.14.
3.Reg.17.
Galat.5.
Phil.3

C stare & esse dicuntur,non natura illuc profecti, sed voluntate & desiderio, animi meditatione euecti, quid magnum si diabolus cum sit spiritus & incorruptibiliter aerem pertransiens & pelagus,ante deum venisse dicitur? Non quod ipse venit,sed venerunt immortales cogitationes eius: atque nequissimæ cogitationes eius. Nam sicut ad Cornelium dictum de bonis, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei:sic & dictum est diabolo de malis,malignitates tuæ atque iniquitates ascenderunt in memoriam in conspectu dei. Quomodo ascenderunt? à sanctis angelis oblatæ. Sicut enim offerunt sancti angeli memoriam iustorum,atque iustificationes eorum ante deum : sic similiter deferunt iidē angeli memoriam malitiæ,atque nequitiæ diaboli,liuoris quoque eius & inuidiæ quam habet circa sanctos in conspectu terribilis dei. Quod autē offerunt gloriosi angeli in cōspectu domini hæc vniuersa,dei Raphael nuncius testis est, qui locutus est ad Tobiam dicens: Cum orares tu, & Sara filia Raguelis,ego obtuli memoriam orationis vestræ,& legitima eius in conspectu gloriæ dei. Offerunt nihilominus sancti angeli dei non quasi nesciatis qui omnia nouit antequā fiant, sed vt testes efficiantur sanctitatis atque pietatis iustorum.Iterum tanquam deflentes impietates, atque iniustitias iniustorum,aut etiam ipsius diaboli. Hæc nāque demonstrās atque significans dominus dicit de illis bonis seruis (hoc est, de angelis)Venientes autem nunciauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Sic itaque omnimode ostensum est, &

Satan incorruptibiliter pertransit aerem & mare.
Act.10.
Tob.12.
Angeli offerunt præces nostras deo, non quod eas deus ignoret,sed&c.

per sanctorum verba, atq; historias, & per angelorum dicta, quia non persona sua illa sæua,crudeli, obscœna, atque execrabili,tenebrosa quoque atque abominabili, venerit diabolus in conspectu sancti ac gloriosi dei,sed nequitiæ reuelatione, sed liuoris atque inuidiæ approbatione, & iniustitiæ increpatione, iniquarum nihilominus & malignissimarum cogitationum manifestatione atq; commemoratione. Horū scilicet omnium commemoratio atque memoria venit in conspectu dei.Sic nanq; dicit post hæc.Nunc recordabor impietatum eorum,& vindicabo peccata illorum,nō quasi oblitus nunc recordetur, sed quia nunc vindicare iustè iudicauerit. Iuxta hoc ipsum exēplum nunc venisse dicitur in conspectu dei diabolus, non quod nequissimus ille venerit in cōspectu boni dei, sed quasi cogitationes eius crudeles ac nequissimæ venerint in memoriā in conspectu dei.Hæc nimirum demōstrans in hac scriptura personis vtitur,& nonnunquam ex aduerso sibi inuicem eas statuens dicit,[venerunt angeli vt starent ante deum, & diabolus venit cum illis vt staret ipse ante deum.] Hæc autem ob hoc dicit vt diaboli iniquitatem redargueret, & Iob tolerantiam ostenderet, & dei iustitiam demonstraret.[Venerunt,inquit,angeli dei vt starēt ante deū.] Venerunt, vtpote sancti ac gloriosi, vtpote sanctissima dei facie digni habiti. Venerunt angeli sanctorum sanctitati attestari iustorum,diuersas ac varias virtutes,& coram deo demonstrare:Melchisedech deo dignum sacerdotium: Abrahæ immobilem fidem, Isaac vnum coniugium, Israel cordis puritatem,Ioseph castitatem, Moysi mansuetudinem, iustitiam Iob ac dei culturam. Istis nanque tēporibus erat beatus Iob.

Quo sensu deo tribuatur memoria & recordatio.

E Ista itaq; confiteri,ac profiteri,atque testificari, & (vt ita dicam) de istis gloriari coram deo venerunt sancti angeli. Sic & nunc & vsque in finem seculi veniēt,vnius ieiunio non ficto alterius sollicitis orationibus,alterius puræ pœnitentię atque non simulatæ bono, alterius syncerissimis eleemosynis, & pauperum largitatibus,ac miserationibus instantissime in cōspectu dei attestantes.Pro his inquam omnibus venerunt, & venient angeli ante deū, & diabolus venit cū illis vt accusaret vt detraheret,vt reprehenderet,vt mēdacio simularet,vt vexaret,vt luctaretur:venit & nunc vt luctetur, vt tribulet, vt persecutionem,& tribulationes,atque angustias,& molestias sanctis ac iustis excitet.Ob hoc ergo venisse dicitur tanquam angelus mortis,tanquam angelus pœnas irrogans, atque expectans,quando illi qui pœna digni sunt ei tradantur, & deputentur pœnæ atque perditioni, sicut ille de quo dicitur: Tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis.sicut etiam illi de quibus dictum est:Quos tradidi Satanę,vt discant nō blasphemare. Omnes enim facinorosi, infideles, impij, iniusti, isti omnes malignis atque pessimis diaboli angelis traduntur ac deputantur illis de quibus dicitur: Misit in eos iram indi-

1.Cor.5.
2.Tim.4.

F gnationis,immissiones per angelos malos:illis de quibus dicitur alibi: De domo eius abstrahet eum angelus mortis. Isti ergo veniunt,& tunc venerunt temporibus Iob.Sed non ante beatam dei faciem veniunt illi damnabiles, sed consilia & cogitationes eorum, desideria quoque eorū, &cogitationes malignæ & pessimæ atque nequissimæ, & istarum memoria offertur in conspectu dei, iuxta omnia quæ memorata atque ostensa sunt. Post hæc vniuersa dicit: [Et dixit dominus ad diabolum.]Nam sicut diabolus non persona venit ante deū, sed cogitatione & desiderio, atque nequitia, siue meditatione: ita & deus non ore locutus est ad diabolum, neque verbum contulit cum iniquo, sed occulta atque abdita increpatione nequitiæ eius,atque correptione iniustitiæ illius. Nam si hic super terram nemo de veris ac iustis principibus atque iudicibus,homicidas aut fures aut etiam facinorosos latrones confabulari secum, vel consiliari facit,ne similis illis iudicetur: quanto magis iustus & verus atque terribilis deus, impium illum latronem, atque homicidam diabolum pro colloquio suo ante gloriosam illā suā faciē nunquā venire permittit,neque hoc amplectitur? Si enim cum ad terras veniret in corpore vnigenitus, loqui eum coram se non permisit, sed cum increpatione dixit ad eum, cōticesce & obmutesce: quomodo in aspectu gloriæ suæ deitatis colloqui cum maligno statuat diabolo, cū dicit ad eū & respōdet, & respōsū audire ab eo patitur,vel dignatur?Sed dixit ad diabolum oc-

Psal. 78.
Dei colloquiū cum diabolo quale.

G culta increpatione, atque confutatione occultæ eius malignitatis,& zeli,atque pessimæ cogitationis. Nam & sæpe scriptura ea quæ non dicunt dixisse dicit, & ea quæ non audiunt audisse,& ea quæ non intelligunt nec viuunt infremuisse: sicut cum dicit,dixit mare,virtus autem maris dixit: aut terra audi verbum domini,vel infremuit terra super inhabitantes in ea. Manifestum nanque est quia neque mare, neque virtus maris,hoc est fluctuum,aliquando dixit,vel locuta est,neque terra aliquando audiuit,neque infremuit. Non enim dicit neque viuit terra,cum sit inanimata: sed mos est scripturarum, ita de quamplurimis dicere. Sic nanque illud dicit scriptura, quod deus ad cetum loqueretur,& ad cucurbitam,& ad vermen matutinum,& ad spiritum incendij comburentem,sicut scriptum est. Et præcepit deus ceti magno vt deglutiret Ionam. Cui dixit,vel cui præcepit, vel qua lingua ad cetum locutus est?hominum, an angelorum? Nam pisces neque linguam,neque vocem habent. Vel quomodo dicitur dixisse ad cucurbitam,quæ nec viuit nec spirat? Quomodo loqueretur, vel quid dicens præciperet spiritui incẽdij,qui nec auditum, nec intellectum habet,vt incenderet,atque percuteret in capite Ionæ? Vniuersa enim hæc cum non habeant scientiam naturaliter,vertuntur,atque mouentur huc atque illuc creatoris efficientia. Sicut ergo istis omnibus & dixisse,& locutus fuisse, & præcepisse,atque iussisse dicitur deus non voce dicens,neque lingua loquens, neque in conspectum suum ad cœlestia eos subleuans, sed occultæ suæ operationis virtute vertẽs vt necessitas vel ratio poposcerit: sic similiter iuxta exemplum horum quæ memorata sunt,etiam dixisse,& locutus fuisse,& audisse,& respondisse dicitur,& in præsentiã suscepisse,neque dictis quicquã ad eum depromens,neque lingua ad eum loquens,neque ad excelsa sancta in conspectum suũ nequissimum diabolum eleuans, cum occultam atque abditã eius nequitiã detegit ac reprehendit,atque reuelat omnibus. Quæ nobis euidenter ostendit hæc nunc commemorans scriptura dicẽs. [Et dixit dominus ad diabolum: Vnde venis tu?] Et interrogat ille qui præscius est, atque prouidus, nequissimum diabolum vnde veniret,illum iniustum refugã, vnde approperasset. Sic interrogauit olim Adam,vbi es Adam? nõ vt inscius,sed sciens præscienter,& tunc ad Adã, & nunc ad Adæ seductorem,sed Iob non supplantãtem: ad eum qui Adam circumuenit,sed Iob non superauit. Ergo quia in vtroq; eiusdem nequissimi malitia fuit, merito ad vtrunque eodem vsus est verbo: dixit ad Adam olim,vbi es Adam? ad diabolũ postea,vnde venis tu? Sed non vt inscius interrogauit vnde venisset,sicut nec Adam olim,vbi esset,sed occultam, atque abditam cogitationem eius detegere atque publicare voluit. Latenti enim liuore aduersus Iob inflammatus est,latenti cogitatione deum reprehendit, quasi Iob defendentem,& multitudinem diuitiarum illi cohibenter largientem. Dixit nanq; I intra semetipsum. Si mihi tanta bona dedisset super terram, profecto & ego colerem illum in terris,sicut Iob. Nunc ergo quis mihi dabit vt possim ascendere cum angelis in cœlum,& stare in conspectu dei in medio eorum, & potestatem accipere à deo omniũ eius bonorũ? Et ostenderem eum sua bona perdidisse,quia non est vtilior, neque firmior Iob cæteris hominibus vniuersis, quia non propter charitatem, neque pietatem Iob colit deum,sed propter pecuniæ multitudinẽ, atque bonorum abundantiam. Nisi enim pro horum blandimẽto seruiret deo,profecto nõ esset melior Esau tritauo suo. Nunc verò tanquã flos videtur ex spinis oriri Iob ex posteritate Esau:sed si denudetur diuitiis, profecto continuo denudabitur etiam dei cultura: si auferatur ab illo pecunia, profecto non offeret ipse gratiarũ actiones deo. Ergo quia hæc cogitauit diabolus cum nequiter inuidit Iob, & illicite reprehẽdit deum,iniuste nihilominus atque indigne ingressum cum angelis desiderans ante deum,necnõ & hoc quod illicite deferens Iob,pecuniæ atque filiorum eius potestatem accipere cuperet,acceptáque omnia subito perderet,& cum perdidisset,aut certe Iob à deo abstraheret,aut etiam cum iustum Iob tormentis afficeret,nequitiæ suæ satisfaceret. Ergo quia vt dixi desiderio suo ac cõsilio ita venit nequissimus diabolus ante deum,in medio angelorum merito venisse eum dicit, non quod ipse venerit,sed desiderium eius atque cogitatio venit.

Esa.1
Psal.107
Ion.2.
Ioan.4.
Locutio dei cũ creaturis significat occultæ eius operationis virtutem.
Iob 1.
Gen.3
An deus interroget vt inscius.

Aduersus quam cogitationem respondisse dicitur deus, & K interrogasse diabolum,vnde veniret. Nam vere non poterat hæc historialiter scribi,neq; aliter nobis recitari,nisi vt personæ recitarentur quasi ad inuicem respondentes,ob hoc dicit: [Et dixit deus ad diabolum,vnde venis tu?] Non quasi interrogans, vel quærens, vel sciscitans dixerit vnde venis tu: sed culpans, & detegens,abdicans quoque atque redarguẽs, & iniquitatem eius atque apostasiam,malignũque eius liuorem circa Iob,& circa omnes sanctos demonstrans,dixit vnde venis tu? Non dixit hoc ad angelos neque ad sanctas virtutes,nõ interrogauit speciales ministros vnde venissent, vel vnde veniant. In ipso enim atque in eius voluntate,in visionibus eius atque ordinationibus & eũt & veniũt,& omnia perficiunt atque omnia adimplet, & cuncta secundum eius voluntatẽ operantur,iuxta hoc quod dictum est: Benedicite dominum omnes angeli eius,ministri eius,qui facitis voluntatẽ eius. Ergo quia tales sunt sancti angeli,& taliter faciunt volũtatem dei,& in ipso eunt,& veniunt, & extra ipsum nunquã sunt,merito ergo illos non interrogat vnde veniant: malignũ autem illum refugã atque apostatam interrogat,tanquam alienigenam,tanquam exterum,tanquam aduersariũ, tanquam inimicum omniũ bonorũ. Hũc ergo interrogans dicit, [vnde venis tu?] Ab homicidiis,à sanguinibus,ab adulteriis,à furtis, à mendaciis,tanquã homicida,& tanquam mendacij pater,& horum auctor atque inuentor existens super terram. Vnde L venis tu? Ab internicione Abel,à gigantum impudicitia atq; interitu illorum,à turre contumaciæ atque dispersione,ab Esau auditate atque fratris circumuentione, à Pharaonis pertinacia atq; perditione,ab Israel in deserto idolorũ cultura atque ruina,à prophetarũ persecutione,ab interfectione Ioannis, à Iudæorũ crudelitate,& ab omnium à seculo & vsque in seculũ malorũ perfectione. Omnia,inquit,mala quę super terram exorta sunt,ex te initium sumpserunt,& per te sub cœlo disseminata sunt,& tu es ô diabole omnium horum factor, & suffragator,& initium,& finis. Ob hæc inquit ô diabole & mors viuit,& infernus floret,& tenebrę gaudent,& obscuritas non minoratur,& iniquitas non deficit, & iudex mortis victoriam accipit. Cum ergo interrogem te vnde venias, nõ quasi nesciens interrogo, neque vt ignarus sciscitor, sed vt reprehendens atque detegens,conuincens atque redarguẽs, ostendens quoque atque demonstrans quod ab omni impietatis atq; iniustitiæ perfectione atque operatione venias. Dic vnde venis tu? zelo succẽsus,iniquitate oneratus,inuidia plenus. Ego,inquit,dedi Iob,& tu inuides. Ego adieci illi,& tu ęmularis. Ego multiplicaui,tu verò flauescis. Ego largitus sum, tu verò auferre conaris. Apprehendam enim te, & detegam diuina prouidentia,tanquam furem alienis bonis inhiantem, & sperantẽ quod per hæc iustum Iob subuertere possis. Sed M ego,inquit,& tuam iniquitatem redarguam,bona Iob tibi tradendo,vt & Iob iustum demonstrem per tolerantiam victoriam de te sumentem. Ob hoc ergo tanquã interrogans dico, vnde venis tu,vt occulta tua meditatio appareat,vt vehemẽs tua nequitia omnibus demonstretur,vt malitiosus tuus liuor omnibus innotescat. Pro his ergo omnibus dico, vnde venis tu? Aduersus quæ respondens diabolus dicit. [Circuiui omnem terram quæ sub cœlo est,& veni.] Magniloquio atque arrogantia vteris ô miserrime diabole,elatione quoque atque iactãtia,vt ita appareat quod omnes magni loqui, iactãticuli, arrogantes,& superbi tuæ nequitiæ sint discipuli,& apud te didicerint ea quæ deo sunt contraria. Deus enim superbis resistit,humilibus autem dat gratiam. His similiter etiam Anna mater Samuelis dicit: Nolite loqui superba in superbia, & non exeat magniloquium ex ore vestro. Sed horũ immemor diabolus,& alios docuit, & ipse magna locutus dixit: [Circuiui totam terram quæ sub cœlo est.] Intẽdite ô amici quia circuisse se dicit totã terrã quæ sub cœlo est, sed non carnalibus vestigiis,neque corruptibilibus gressibus,sed spiritali trãscursu,atq; incorporali transitu vniuersa quæ sub cœlo sunt subito peruolans atque peragrans. Sicut ergo non corruptibilibus gressibus,neque carnalibus vestigiis circuiuit diabolus, sed incorruptibili atque occulto transcursu: sic similiter cum dicit quod ante deũ steterit,nõ facie ad faciẽ corã deo stetit, sed occultis cogitationibus, & nequissimis meditationibus ante

Psal.103
Iob.1.
1.Pet.5
1.Reg.2

A ante deum venisse dicitur, hoc est nequissimæ eius cogitationes pro eius increpatione steterunt ante deum. Sed interim, inquit, circuiui totam terram quę sub cœlo est, & veni. Sed, male gloriaris, & mala est hæc tua gloriatio. Terram circuis, sed ad cœlum non reuerteris. Ea quæ sub cœlo sunt peragras, sed illa quæ in excelsis sunt non possidebis. Circuiui omnem terram quæ sub cœlo est. Circuiuit non carnalibus vestigiis, sed circuitionibus iniquitatis, non terrenis gressibus, sed spiritalibus seductionibus. Circuiui totam terram quæ sub cœlo est. Non per temporum spatia circuisti, sed subito, celeriter, ac velociter omnia quæ sub cœlo sunt peragrasti, & omnia quæ in aere sunt peruolando, & cũcta quæ sub cœlo sunt inspiciendo, subito ab oriente ad occasum transeundo, & à meridiano ad aquilonem peruolando, & ea quæ per quatuor terminos orbis in omnibus gentibus, & prouinciis, & regionibus atque linguis fiunt, vel dicuntur videns, & audiens, & sciens, non tanquam in præsentia habens, sed tanquam spiritus volans, & omnia quæ voce dicuntur audiens, & quæ operibus fiunt vniuersa videns, ea verò quæ in corde atque intra animum tractantur, nesciens: Si enim hominum cogitationes sciisset, profecto nullum hominem saluum fieri permisisset, nihilque boni perficere, sed omnia bona mox vt cogitatione cœpta fuissent, continuo destrueret, continuo perficere non permisisset. Nunc verò ea quidem quæ cogitantur, vel tractantur ignorat: ea verò quæ in operibus fiunt, & per vocem dicuntur, audit, & videt, vtpote spiritus

Satan sensa animi nescit.

B callidus ac subtilis, & qui vbique est præsens atque totum mundum subito peruolans. Si enim venti aeris regiones ac prouincias subito perflãt atq; transeũt, nónne multo amplius aerei spiritus, id est, nequissimi dæmones, subito peruolant totum mũdum, subito vniuersa peragrant quę sub cœlo sunt, subito vbique præsentes sunt? In omni prælio vel pugna, in omni perturbatione atque mortis ruina, in omni seditione ac tumultu, in omni contentione & lite, in omni sanguine & homicidio, & furto atque adulterio, omnique lamentabili bello siue orientis, siue occidentis, siue meridiani, siue aquilonis, vbique præsentes sunt nequissimi atque aerei dæmones, plus perturbantes, & succedentes atque vniuersa mouentes. Vnde diuinationes sunt, ex quo malignissimi dæmones, aereíque spiritus subito hunc mundum peruolantes, atque vniuersa quæ in omni loco huius mundi fiunt contemplantes: & ea quæ dicuntur audientes, qui alibi vbicunque longe positi fuerint sub nequitiæ ministris reuelant atque demonstrant, tam in somnis quàm in vigiliis, nec non in phantasmatibus, & iuxta hæc quæ fiunt, vel emergunt, etiam alia atque alia futura sperare atque probare docent. Exinde cœpit diuinationis error filios hominum in scandalum in eos quibus super terram ortum est. His nanque omnibus demonstratis atque memoratis, malignissimus atque aereus diabolus dicit: Circuiui totam terram quæ sub cœlo est, & veni. O nequissime aduersarie, ô malignissime diabole, quàm malignus es, & ad omnia

Motus diaboli velocissimus.

C mala versutus atque callidus. Cum enim ad deum loqueris, humilitatem fingens, totam terram quæ sub cœlo est, circuisse te dicis, & cœli non meminis. Cum autem ad homines loqueris, tunc nihilominus magna loquens vt homines rapias, dicis in cœlum ascendam, super stellas cœli ponam sedem meam, & ero similis altissimo. Hoc nimirum ob hoc dicis, vt pro altissimo adorari atque coli ab hominibus possis. Circuiui, inquit, totam terram quæ sub cœlo est. Terram circuis ô diabole, ad desolandum, ad exterminandum eam. Ea quæ sub cœlo sunt peragtas ad perturbãdum & peruertendum, & ad furorẽ cõcitandas atq; exacerbandas gentes aduersus gẽtes, & regiones. Pro istis ergo omnibus, inquit, circuiui totã terrã quę sub cœlo est, & veni. Sed adhuc aliter circuiui totã terrã omnes terrenos, eos qui terrena sapiunt tantum, eos qui terrena sola cogitant, & meditantur, diligunt, atque requirunt. Istos ergo circuis, exploras, exquiris, & cõculcas, quia introitus & exitus viam atque iter in eis habes. Sic inquam circuis terram ô diabole, & peragras ea quæ sub cœlo sunt. Quę sunt hæc? Corda quæ non sunt in cœlo, quæ in cœlum nunquam ascenderunt, neque fidei integritate, neque mentis desiderio, neque domini memoria, neque resurrectionis expectatione,

Esa. 14.

neque iudicij timore, neque spe gloriæ æternæ, sed horum omnium quæ in cœlo sunt, obliuiscuntur, despiciunt quoque atque delinquunt. Talia sunt corda omnium ferocium, pertinacium, eorum qui non agunt pœnitentiam. Huiuscemodi enim corda circuit diabolus persuadens atque infatuans, obtundens atque obdurans, eorum qui ea quæ super cœlum sunt in incorruptione non sapiunt, sed ea sola quæ sub cœlo sunt in corruptione super terram requirunt. De istis ergo omnibus dicit: Circuiui totam terram quæ sub cœlo est, & veni. A nobis autem auertitur cum donat deus cor mũdum, animam castam, mentemque piam, fidem integram, plenam charitatem, misericordiam synceram, puritatem non fictam, & spem immobilem, vt omnes nequissimi incursus atque accessus longe à nobis auertantur, & omnis versutia ei⁹ confusa atque inefficax comprobetur. Sed interim cum hęc diceret diabolus quod circuisset terram, & peragrasset ea quę sub cœlo sunt, respondit ei deus, dicens: [Animaduertisti ad puerum meum Iob, quia similis ei non est quisquam in terris?] Tanquam si diceret: quia gloriaris quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, dic mihi, animaduertisti ad puerum meum Iob? Quod si forsitan dixeris, nescio quis sit Iob, hic est, cui non est homo similis super terrã; Ego dico quod non sit similis super terram: tu verò qui dicis quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, ostende alium similem illi. Et vere nequissimi diaboli cogitationes arguit, atque illicitum eius liuorem ostendit, quem meditatus est ac nequiter cogitauit, cum Iob zelatur, & inui-

E det. Ac si diceret: Ego arguo meditationes tuas, ecce reuelo consilia tua, ecce ostendo nequitiam tuam atque liuorem. Ecce do tibi audaciam, vt proferas malitiam tuam, vt depromas malignitatem tuam, vt ad certamen atque prælium beatum requiras. Nisi enim fiduciam acceperis, quærere non audebis. Animaduertisti ad puerum meum Iob? hoc est relaxasti animum tuum, cogitationes tuas, cõsilia tua, meditationes tuas? Ad quem? Ad puerum meum Iob. Lætaberis aduersarie sagitta in modum ignis conburente? Hanc vocem diabolus nequaquam audire patitur, non tolerat nequissimus, vt aliquis seruus dei sit, vel omnino nominetur. Cum autem odio haberet Iob atque zelaretur eum, adiecit super nequitiã cum seruum dei illam nuncupari audisset, deo astruente, ad puerum meum Iob. Et animaduerte quantus sensus in hoc ipso demonstratur sermone, cum seruum suum appellat Iob. Primum quidem tanquam gloriam sibi existimat atque honorem omnium dominus cum sanctè atque castè illi seruiũt homines. Idcirco quasi glorians dicit nunc sanè de solo Iob, puerum meum Iob, hoc est, seruum meum: alibi autem de plurimis: Misi ad vos omnes seruos meos prophetas. Vnde etiam ipsos glorificat atque magnificat per id quod seruos, & famulos eos astruit atque appellat, sicut Mosen, de quo dicit ad Aaron: Non sicut famulus meus Moses in tota domo mea fidelis. Et post paululum: Quomodo non timuisti loqui de famulo meo Mose? Quid hoc maius est, quid superius, vt quis sit creatoris seruus atque cœlestis regis famulus? Non

Hier. 44.

Num. 12.

F est hac maior gloria. Super hæc autem ipsum diabolum increpat, deiicit atque obiurgat per id quod Iob puerum suum appellat. [Animaduertisti, inquit, ad puerum meum Iob?]. Ac si diceret: nónne victus es, & deiectus atque humiliatus, vt Iob corruptibilis atque terrenus homo seruus meus sit, & in mea seruitute maneat? Tu verò ô diabole cum superior sis angelis, cum inter Cherubim à me creatus, à mea seruitute recessisti, & meum ministerium dereliquisti, merito ex sanctis choris proiectus atque à cœlestibus pulsus circa terras oberras, circa terras reptas, & terre nos circũuenire conaris. Ob hoc cũ dicis quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, quia cœlestium refuga effectus atque in terrenis reptare, in terra manducare, in persona serpentis es maledictus, animaduertisti animo illo nequissimo, inuido, crudeli, prauo, fero, ad puerum meũ mitem, benignum, subiectum, religiosum, non fraudulentũ, sed deuotum, ad puerum meum, cui non est homo similis super terrã? In omnibus virtutibus atq; studiis nõ est illi similis super terrã. Abrahã non est, Isaac requieuit, Israel trãsiuit,

Satan de Cherubin.

G Ioseph quietem assumpsit: propterea non est illi similis super terram. Ego, inquit, testimonium perhibeo virtutibus eius, vtpote omnium cognitor dominus. Attestatur videlicet illi etiam malignus tuus liuor ô diabole. Nisi, inquit, meus seruus fuisset sanctus ac dignus, atque mihi bene complacens, non vtique eum zelatus fuisses, non vtique ei inuideres. Non es zelatus Esau, neque Ismael, non zelaberis Saul, atque Achitofel, neque Doech, neque vllum ex iis qui tuam peruersam fecerunt voluntatẽ: sed zelatus es à seculo omnes seruos meos, atque cultores, id est Abel & Ioseph, & nunc ipsum Iob, atque his similes omnes, & omnes synceriter me inuocantes. [Quia non est, inquit, similis illi super terrã.] In quo non est similis ei quisquã super terram? In omnibus bonis operibus, atque ideo dilectis, sine querela est, vtpote qui in nullo potuit reprehendi. Quamuis, inquit, tu eum reprehendas ô diabole, quasi propter diuitias me colẽtem, post paulum probabitur, quia omnino Iob sine querela permanet, & non solũ sine querela, sed & iustus, cum iustitia etiam verus. Sed quia plerique hominum in hoc mundo omnibus modis sine querela fuerunt & iusti & veraces in humanis duntaxat iudiciis & causis, atq; corruptibilibus iustitiis vniuersis, & quod summum & maximum est, dei scientiam non habuerunt, charitatem quoque dei, atque culturam, merito super hæc vniuersa

H Iob bona, adiicit id quod maximum est dicens, dei cultor: siue sine querela fuisset, siue iustus, siue verax, omnia hæc propter deum erant, atque dei culturam. Super quę vniuersa adiiciens dicit: [Abstinens se ab omni re mala,] vtpote qui deũ colebat, vtpote qui deum metuebat, tanquam qui deo seruiebat, & tãquã qui deo placere cupiebat. Sic itaque super omnes cæteras virtutes præcipuã eius virtutẽ in cõclusione demonstrans, dei cultorem illũ fuisse ostẽdit, atque ab omni re mala se abstinentẽ. Et vere cum hæc ad diabolũ loquitur, per hæc diabolũ arguit, atque increpat, & veluti diceret, audi ô diabole, ad te enim est hic sermo, & tua hæc increpatio atq; obiurgatio. Sine querela est Iob, tu verò omnibus criminibus es refertus. Iustus est Iob, tu verò ipse iniustus es, & totius iniustitiæ suffragator. Verus est Iob, tu autẽ totius veritatis es exors, atque omni mendacio plenus, & omnis fallaciæ, atque doli es pater. Dei cultor est Iob, tu verò dei refuga & apostata, atq; rebellis: & non solũ tu, sed & omnes homines ad hoc instigas, suades & doces. Abstinet se ab omni opere malo & verbo Iob: tu autem omne malũ & illicitũ, atq; impiũ opus, aut verbũ seminasti inter homines, atque in ea quæ sub cœlo sunt oriri fecisti. Dicit denique hæc vniuersa deus ad diabolũ, cũ laudat Iob & veraciter magnificat eum, vt nosset diabolus aduersus quẽm habebat, ne postea diceret, nõ mihi indicasti, neque ego sperabã in omnibus super terram huiu-

I scemodi esse constantiã. Cunctos audiui, qui fuerũt ab initio seculi, & quãplurimos meis discipulis circundedi, atque meis insidiis apprehendi. Merito putabam etiam hunc quasi vnũ ex omnibus facile superare. Ob hoc ergo ne victus diabolus post hoc posset ea quæ memorata sunt dicere, propterea testificatus est illi deus, & ante præmonuit de omnibus quæ circa Iob agerẽtur, ac si diceret. Noli putare ô diabole, quod aduersum auum Iob Esau habeas, aut aduersum vnũ ex Esau similibus, sed aduersum Iob habes, in fide indeclinabilem, immobilem in iustitia, in gratiarum actionibus immutabilem, in doloribus non succũbentem, non deficientem in tribulationibus. Talem fuisse Iob sciẽs deus, ante testificatus est diabolo, dicẽs: [Homo sine querela, iustus, verax dei cultor, abstinens se ab omni re mala.] Sed & quæ in laudem beati Iob dicit deus, atque in testimonium nequissimi diaboli, hæc ad maximam inflammationem profecerunt, & succensionẽ nequitiæ aduersarij, atque maximã aduersum Iob concitationẽ liuoris ac zeli. Merito audacia fretus nequissimus, immoderanter protulit suam iniquitatẽ dicens: [Non sine causa gratis Iob colit deum.] Respondet nihilominus, & dicit, non labiis depromens, neque humano ore locutus, sed consiliis iniquis cogitãs, atque ipsis cogitationibus illicita meditatus, respondens diabolus dicit, non sine causa Iob colit deum. Incipit ostendere, quia nequiter meditatus est: incipit publicare, quia malitiose cogitauit. Non sine causa, inquiens, Iob colit deum. Non gratis, sed cum precio. Non frustra, sed pro mercede. Non propter pietatem, sed propter diuitias, non propter domini dilectionẽ, sed propter peculij multitudinẽ. Nõ sine causa Iob colit deum. Habet pro quibus recompenset, habet pro quibus reddat retributionem. Non sine causa Iob colit Deum. Si enim ferocioribus, atque immanioribus hominibus tantas conferres diuitias, & tantam gloriam, atque tantũ honorem, profecto omnes vno consensu tibi seruirent, & te colerent. Non sine causa Iob colit Deum, sed pro diuitiis, pro possibilitatibus, pro substantia, pro facultatibus, pro potentia & gloria, atque honore. Pro his ergo atque horum blãdimentis te colit. Nunc verò facile est illi colere te, facile est etiã sine querela & iustũ, atque veracẽ esse. Sine querela est, quia innumerabilia habet, & nullo indiget: iustus est, quia diuitias habet: verax est, quia omnes vndique illi inclinantur, & sermonem eius vsque ad nubes perferunt. Sed mitte manũ tuam & tange omnia quæ habet, & scito si benedicat te. Aufer, inquit, diuitias, expolia facultatibus, detege gloria, priua honore, humilia ex sublimitate, & tũc non solum hanc culturam derelinquet, & si non in præsenti te benedicet, hoc est nisi te in præsenti maledicat & blasphemet, atque detrahat. Moses enim magnus homo dei cum scriberet Iob nõ ita scripsit sicut diabolus locutus est, sed decentius ac benignius, vtpote deuotus dei famulus. Diabolus enim crudeliter, ac

L nequiter locutus est, & vt plus ad iracundiam (vt putabat) prouocaret deum, non dixit si non in faciem te benedixerit, sed si non in faciem tibi maledixerit. Moses verò illicitam atque crudelem diaboli vocem immutans, dixit: In faciem tibi benedicet. Non sine causa, inquit, Iob colit deum. Et vt quid? vel ob quam causam colit? Quia tu munisti illi ea quæ extra domum atque intra domum eius sunt. Tu munisti, tu circumdedisti, tu obumbrasti, tu protexisti, tu illæsa custodisti omnia bona eius, non solum ea quæ intra domum sunt, sed & ea quæ extrinsecus sunt extra domum vniuersa, quæ sunt ei in circuitu. Quoties, inquit, volui appropinquare, & non inueni accessum, cum protegis, atque obumbras? Quoties, inquit, volui perdere & exterminare, & non permisit omnipotens manus tua? Tu munisti ei omnia quæ sunt intra domum, atque extra domum eius tanquam flamma ignis angelorum tuorum custodia ante me omnia bona circumdans, accessum mihi minime concessisti, neque approximare mihi permisisti, potestatem mihi nullatenus dedisti. Quid ergo laudas Iob quasi iustum? Quid magnificas Iob, quasi Dei cultorem, atque religiosum? Non Iob religiositas, neq; iustitia hoc fecit, sed largitiones tuæ, atque multiplicia tua bona, pro quibus te colere videtur. Quod si non hoc est, [mitte manum tuam, tange omnia quæ habet, nisi in faciem benedixerit tibi,] vel potius maledixerit, sicut

M dicit diabolus. Tu, inquit, munisti, tu benedixisti, tu multiplicasti, tu conseruasti & ea quæ domi sunt, & ea quæ extra domum, sed in circuitu sunt, & ea quæ sunt prope, & ea quæ longe sunt vniuersa. Pro his, inquit, omnibus deprecatur & colit, & gratias agit: non tibi gratias agens, sed pro ipsis bonis gratias recompensans, non te diligens, sed ipsam multitudinem pecuniæ amans & conseruans, atque perdere nolens. Non ergo, inquit, pro tua dilectione te colit, neque propter tuam beatitudinem gratias agit, sed pro pecuniæ huius blandimento te colit, sed propter beatitudinem suam rerúmque plurimarum quas hic possidet copiam quam dedisti ei, tibi gratias agit. Aufer ergo illi quæ dedisti vniuersa, & apparebit omnibus quæ sit Iob perfidia, & quia non pura dilectione te colit, sed propter pecuniam rerúmque tantarum possessionẽ, ne eam si ingratus videatur auferas, te reueretur. Cui digne respondeatur & dicatur ad eum. Dico nequissime Satana, dico maligne diabole, non intelligis ô miserrime, quia tu teipsum deiicis, tu temetipsum condemnas. Nam in his quæ in Iob reprehendis, quod ille ingratus extiterit, teipsum condemnas cum tu eadem feceris. Nam hoc ipsum tu fecisti cum à deo discederes, atque deo resisteres, derelinqueres quoque, atque ingratus existeres, de quibus nunc Iob nec quicquam huiusmodi faciẽtem pessime reprehendis. Sed interim ô diabole dicis, quod non propter benedictionẽ colat me Iob, sed pro donis meis, atque pecunia. Dic ergo nequissime Satana, quantum vel quid dedi Iob, quemadmodũ tibi?

Nónne

A Nónne te ſuperiorem angelis feci, & anteriorem archangelis? Nónne inter ordines Cherubin creaui? Nónne incorruptionis gloria te indui? Nónne in indeſinenti lætitia vultus mei te conſtitui? Pro quibus tu vniuerſis ingratus exiſtens me dereliquiſti, & à me receſſiſti, & rebellis mihi extitiſti. Dic ergo ô diabole quid huiuſcemodi dedi Iob? quid huiuſcemodi impertiui? Nónne mortalem & corruptibilem infra angelorum archangelorumque naturam creaui? Nónne in valle miſeriarum cum cæteris filiis hominum conſtitui? Nónne mortalitatis & corruptibilitatis ſuæ paſſionibus eum, vt cæteros homines, ſubieci? Nempe non in triſtitiis viuit ſuper terram? Nempe non labores manuum ſuarum mãducat? Nempe non labores ſuos non habentibus diuidens, mihi gratias agit? Nẽpe non ſudore vultus ſui edens me colit? Quomodo, inquit, ô infeliciſſime diabole cum tu pro glorioſis in incorruptione ingratus extiteris, Iob reprehendis, illum qui in exiguis atque paruis fidelis exiſtens, indeſinenter me colens mihi gratias agit? Hæc itaque audientes nos ô viri periti, caute nos obſeruemus, ſollicite animabus noſtris intendamus. Nam idem ipſe diabolus eſt etiam nunc, qui vtique fuit & tunc: eundem iniquitatis liuorem etiam nunc habet circa nos proculdubio, quem & tunc habuit atque exercuit circa Iob. Non quieſcit vnquam aduerſarius veſter diabolus, ſed tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Non quieſcit vnquam accuſare homines ad deum, & deum ad homines. Merito ergo diabolus eſt appellatus, id eſt accuſator. Sic nanque

Diaboli primæ excellentia.

1. Petr. 5.

B & tunc Iob accuſauit circa deum, quaſi non propter ſynceritatem, ſed propter pecuniæ blanditionem Deum coluerit: & deum accuſauit & reprehendit non minime, ſed potius quàm maxime, quaſi non digne, ſed cohibenter Iob diuitias tribuerit, ob hoc ſolum, vt adorarent illum tantum homines & colerent. Hoc ipſum nimirum etiam nunc facit, & vſque ad conſummationem ſeculi omnes homines occulte accuſans ad deum & pro verbo & pro opere, omnib⁹ hominibus laqueos & capturas & tendiculas ponit & ſcandala multiplicat, & tribulationes & moleſtias ingerit, maxime iuſtis omnibus atque ſanctis, circa quos etiam zelum habet & bella ſuſcitat atque prælium committit, ſicut dicit in quodam loco propheta: Et faciebat bellum cum ſanctis altiſſimi dei, & præualebat eis donec venit antiquus dierum & iudicium dedit ſanctis excelſi. Merito ergo in omni tempore caute atq; ſollicite obſeruemus, atque intendamus animabus noſtris, vt nec hic acceſſum ad nos nequiſſimus inueniat, nec illic in conſpectu dei nos reprehendat. Mitte, inquit, manum tuam quæ nũc circundat, quæ nunc munit, quæ nunc protegit, quæ nũc vndique obumbrat, quæ nũc nullatenus mihi acceſſum tribuit. Mitte nunc manum tuam, hoc eſt præceptum tuum, iuſſionem tuam, imperium tuum. Hæc nanque ſignificans dicit, [mitte manum tuam,] ac ſi diceret, præcipe, iube, manda, permitte. Hæc vtique vniuerſa habens intra mentem ſuam nequiſſimus diabolus dixit, mitte manum tuam. Non de eo infelix dixit ad deũ, mitte manũ tuam, eo quod manũ dei vellet

Diabolus accuſat Deũ & homines & ideo ſic appellatus.

Dan. 7.

C mitti, ſciebat nanque miſer, quia vbicunque manus dei mittitur, cum propitiatione mittitur illic & munit & auxiliatur, ac opitulatur & regit & ſanat atque ſaluat. Hæc nimirum ſciens iniquus, aliud loquebatur & aliud cogitabat, aliud ſuggerebat & aliud quærebat. Ob hoc ergo dicit callide, mitte manum tuam. Bene, inquit, ecce mitto manum meam vt tu dicis: Ad quid faciendum mittam manum meam? [Mitte, inquit, manum tuam, & tange omnia quæ habet.] Cur tãgam, inquit? Ad delendum (ait) tange, ad interitum, ad exterminium, ad perditionem. Et quomodo, inquit, perdam ô inimice omniũ bonorum diabole ea quæ creaui? Quomodo exterminem ea quæ dedi? vel quomodo deleam ea quæ ego feci? Et adhuc aliter. Quomodo perdam ô diabole ſubſtantiam ex qua mihi non indigne victimæ offeruntur, atque ſyncera ſacrificia immolantur? Quomodo exterminem ſubſtantiam, vnde viduæ veſtiuntur & orphani paſcuntur & infirmorum ſcapulæ calefaciũt? Quomodo perdam ô diabole filios eius qui me nimium diligit? Quomodo obturem ora eorum qui in innocẽtia vna cum patre ſuo Iob deuote mihi gratias agunt? Sed interim quia non poteſt, inquit, aliter tua iniquitas ſedari niſi ſic, ecce omnia quæ habet dedi in manum tuam. Nam ſi non

Cur Iob permiſſus Satanæ.

dedero, diſcedens glorariberis & plaudes, quaſi victor diſceſſeris, quaſi ego hoc certamen non conceſſerim, quaſi hoc nõ bellum fieri non permiſerim, quaſi de Iob conſtantia non præſumpſerim, quaſi ante prælium & congreſſionem ſuperatus fuerit Iob, qui à me magnificatus atque laudatus eſt. Ob hoc, inquit, ne de his glorieris ô diabole, ecce omnia quæ habet dedi in manum tuam. Et adhuc propterea, vt cum hoc quod gloriari, vel applaudere non permitteris, cum hoc ipſo etiam humilieris ac refuteris atque mẽdax comproberis: Iob verò exaltetur & beatificetur, atque victor demonſtretur: & ſit deus verax, qui teſtimonium perhibuit Iob, tu verò diabole mendax, atque auctor mendacij oſtendaris. Ob hoc ergo omnia quæcunque habet, dedi in manum tuam, vt omnes in perpetuo cognoſcant & tuam iniquitatem ô diabole, & Iob iuſtitiam ac tolerantiam, & meam præſentiam: & quia in tribulationibus atque tolerantia probo electos meos: & quia plurimæ tribulationes iuſtorum, & ex omnibus his liberabit eos dominus: & quia tanquam aurum in fornace, ita iuſti atque deo acceptabiles probãtur in tentatione. Ob hoc ergo reſpondens dicit ad diabolum: [Ecce, inquit, omnia quæ habet dedi in manum tuam.] Quia hoc quæſiſti, vt ego manum meã

D

mitterem, ideo ecce ego dedi omnia quæcunquæ habet in manum tuam, & peculium & filios & ſubſtantiam & labores & diuitias & poſſibilitatem. Omnia quæ ſunt intra domum & extra domum eius, omnia quæcunque habet non defendo, neque contradico, nõ præpedio, neque obuio, ſed in manum tuam trado. Interfice, perde, dele, atque extermina. Perfice malignum tuum liuorem. Imple maledictum illud tuum odium. Pecuniam enim & filios Iob perdes, ſed charitatem eius non perdes. Subſtantiam ac labores eius intercipies, ſed ſynceritatem illius atque gratiarum actionem non intercipies. Omnia ergo quęcũque habet dedi in manum tuam, quę iram atque gladium continet, quæ prælia atque bella operatur, quæ perditionem atque damnationem perficit, quæ doloribus non ſatiatur, quæ ſceleribus atque impietatibus inhiat. In hanc, inquit, manum tuam trado omnia quæcunque ſunt illius: in hanc manum, quæ ſi præualeret, omnem hominem, & omnem ſpiritum qui ſub cœlo eſt, ſubito in ictu oculi perderet, deleret, atque interficeret, ſi permitteretur, & ſi iuxta voluntatem iniquitatis ſuæ poteſtatem haberet. Sed reſiſtit illi omnipotens manus dei, atque fortiſſima dextera creatoris gubernando, obumbrando, protegendo, omnia quæ ſub cœlo ſunt facta tuendo. Quod autem ita eſt perditioni dedita

E

F nequiſſimi diaboli manus, manifeſtum eſt in Iob: quæ mox vt permiſſa eſt, & mox vt iuſſionem accepit, ſtatim imparcenter cuncta perdit, ſtatim omnia interficit. Ecce, inquam, omnia quæ habet dedi in manum tuam. Ecce omnes tibi ademi occaſiones, ecce non habes contradictionem, ecce non habes vllam replicationem, ecce non habes excuſationem. Omnia quæcunque habet dedi in manum tuam, vt cum omnem Iob ſubſtantiam perdideris, tunc præſertim cognoſcas quia non propter ſubſtantiam me colit Iob, ſed propter charitatem, quia non propter facultates gratias mihi agit, ſed propter ſynceritatem. Ob hoc ergo ecce omnia quęcunque habet dedi in manum tuam, ſed ipſum caue ne tangas. Dixiſti ô diabole, quòd non propter pietatem, ſed propter diuitias Iob coluerit me: dixiſti, aufer quæ dediſti, & cognoſces quid ſit Iob. Ego, inquit, cognoſcere non neceſſe habeo: præſciẽter enim ſcio conſtantiam Iob, atque deuotionem quam habet circa me: omnia verò quæcumque ſunt illi, do in manum tuam, vt cum probaueris, cognoſcas quia ſolus Iob valet reſiſtere vniuerſæ iniquitati, atque malitiæ tuæ. Sed interim omnia, inquit, quæcunque habet dedi in manum tuam, ſed ipſum caue ne tangas. Quod quæſiuiſti, inquit, habes: quæ petiſti, accepiſti, poteſtatem ſubſtantiæ & poſſibilitatis atque diuitiarum, peculij nihilominus atque filiorum: ſed ipſum caue ne tangas, quia non ipſum quæſiſti, ſed quæcunque habet. Idcirco omnibus quæcunque habet acceptis ipſum caue ne tangas, neque carnaliter, neque ſpiritaliter, neque manifeſte, neque latenter. Ipſum caue ne tangas. Cur enim non tangam? Ob hoc, inquit, quia ſeruatur ad ſecundam luctationem, certamẽ quoque & conſtantiam, atque tolerantiæ approbationem Sufficit, inquit, nunc hæc quæ per pecuniæ atque filiorum

G perditionem fit tentatio. Merito ipsum caue ne tangas. O bonitas tua Rex, ô virtus atque magnificentia tua æterne. Quàm magnã consolationem tribuis iis qui ad te confugerint, & constantiæ fiduciam à te sperauerint, vt neque hominum neque iumentorum, neque animatorum neque inanimatorum potestatem habeat aduersarius, nisi vbi fuerit permissus. Non autem permittitur, nisi vbi nouerit deus pro fidei manifestatione, & constantiæ approbatione, atque gloriosæ remunerationis retributione. Hęc scilicet nos scientes sollicite atque deuote ad deum confugiamus, instantissime atque syncerissime in orationibus deum inuocemus, vt auertat à nobis maligni insidias, vt eripiat nos de crudelibus illius incursionibus, & non permittat nos tentari super id quod possimus sufferre. [Ecce, inquit, vniuersa quæcunque habet dedi in manu tua.] Non ideo, inquit, dedi hæc omnia in manu tua, quia oportuerat vel iustum fuerat, sed ob hoc vt nequitiæ tuæ occasiones auferrẽ. Quomodo enim iustũ erat, vel oportuerat vt darem in manu tua iuga boum quæ viduas arando releuabant? & greges pecorum, qui orphanos vestiebant, atque calefaciebant? Quomodo oportuerat, vel iustũ erat vt iustos & innocentes filios Iob tu nequiter interficeres ô diabole, cum dixerim post in lege, Iustum & innocentem non occides? Nõ ergo oportuerat neque iustum fuerat, sed propter iniquitatẽ tuam & zelum & liuorem, vt inexcusabilis comproberis, & absque cõtraditione redarguaris, propterea ecce omnia quęcunque habet dedi in manu tua, sed ipsum caue ne tãgas. [Et factum est quasi dies illa.] Quæ dies? Illa dies in qua malignus permissionem accepit, in qua nequissimus fiducia est fretus, in qua die diabolus innocentum mortem fabricatus est. Et factum est quasi dies illa, in quá diabolus gauisus est, qui nunquam est gauisus, in qua malignus exultauit, qui nunquam exultare est cõprobatus. Nam exultationẽ ducit eorũ qui sunt perditionem, atque viuorũ mortificationem. Et factum est sicut illa dies. Quæ dies? Illa, inquit, dies in qua filii Iob & filiæ nouissimum illud vnanimitatis atque concordię prãdium pranderunt super terram. In cœlis nanque æternæ gloriæ & incorruptibilis beatitudine pariter fruuntur. Quod autẽ nouissimum prandium tunc in corpore pranderunt, mox subsequenter ostendit, dicens: [Et filij Iob & filiæ manducabant & bibebant in domo fratris sui maioris,] ac veluti paruuli infantes malis omnibus expertes, simul sedent & stant, simul & ludunt & bibunt, nec quicquam mali, aut illiciti, aut etiam obscœni de inuicem ad inuicem cogitant: ita & beatissimi filij Iob ac filiæ casti erant animis & mundo corde, & immaculata conscientia & omnibus immunditiis atque illicitis expertes. Merito cum huiuscemodi essent, simul manducabãt & bibebant caste. Ita erant simul olim Adam & Eua quamdiu in I paradiso in innocentia permansissent. Ita & nunc sunt in sancta ecclesia castæ animæ ac sanctæ, sicut simplices infantes, atque omnibus malis expertes. Sic scilicet fuerunt etiam benignissimi, ac deo dilecti, atque omnibus angelis sanctis eius filij Iob propter innocentiam & sanctitatem. De istis ergo filiis Iob dicit istic, [Et filij Iob & filiæ mãducabãt & bibebãt in domo fratris sui maioris.] Et in hoc quod maiori primatus honor ab omnibus exhibebatur, in hoc ipso etiam sicut & in omnibus circa dei ordinationem ambulare properauerunt. Dei enim ordinatio, atque dei iustitia hæc est, vt maiori primatus honor ab omnibus exhibeatur. Manducabant ergo & bibebant non luxuriose, neque petulanter, neque superflua loquentes, neque illicita fabulantes, sed manducabant & bibebant laudantes suum creatorem, benefactorem suum adorantes, atque alentem se benedicentes. Sic itaque mãducabãt & bibebant filij Iob. Quo tempore? Certum est quod tempore prandij. Non enim alio poterant manducare vel bibere talis ac tanti viri filij tempore: quia nec ipse extra ordinem manducare vel bibere solitus erat, sed competenti tempore, sed disposito tempore atque ordinato & ipse manducauit, & filios suos circa ordinem manducare docuit. Sic itaque hora prandij manducantibus illis ac bibentibus, Iob sanè in domo sua, filij autem eius & filiæ, in domo fratris sui maioris, nuncius venit ad Iob. Erat nanque nequissimi diaboli versutia, vt horam prandij obseruaret, vt prandente illo tristes

Exo. 23. *Iob. 1*

ac mortiferos nuncios ad eum mitteret, quo magis fatigaret K & eum interficeret, vt tempore comestionis ac potus atque iocunditatis tristes nuncios mittendo deficere illum iustum faceret. Hæc nanque demonstrans dicit: [Ecce nuncius venit ad Iob,] dolorum atque gemituum nuncius, malorum atque amaritudinis præco, tribulationis atque angustiæ prædicator. Nuncius venit ad Iob, qui conseruatus ab aduersario missus est à diabolo. Nuncius venit ad Iob, conscissus, laceratus, compilatus, contusus, flens, lamentans, plangens & vociferans, atque vniuersa quæ sunt miserabilia luctu demonstrans, ita à maligno edoctus vt ipso potius miserabili suo luctu ac planctu in dei reprehensionem iusti illius mentem cõcitaret. Nuncius venit ad Iob & dixit illi, miserabili atque lachrymabili voce dixit ei. Quid cogitas ô Iob? Ad mensam sedes, & ea quæ contigerunt ignoras. Deliciis vteris, & accidentes tibi miserias nescis. Dixit illi. Ad mensam splendidam sedes Iob: sed hodie ad mensam, cras verò ad lectum foras deportatorum filiorum, modo in iocunditate, post paululum autem in infelici paupertate. Quod si non credis, quod si non speras ita esse audi: [Iuga boum tuorum arabant & asinæ iuxta illos pascebant, & venerunt prædones & prædati sunt illa, & pueros occiderunt in ore gladij, & remansi ego solus, & veni vt tibi nunciarẽ.] O multiplex atque callida aduersarij astutia, vt eadem quæ ingesserat mala, ita L callide enarraret, vt ad dei blasphemiam iusti illius viri animum prouocaret. Iuga, inquit, boum tuorum arabant. Non enim otiosa erant neque inutilia stabant, sed arabant vltimam araturam, atque nouissimam exercentes culturam. Quid ad hæc, inquit? Et venerunt prædones & prædati sunt ea. Iob vel vnde tibi viues, vel vnde aliis beneficia imperties? Vnde vel tibi victus, vel miseris & non habentibus refectio? Iuga boum tuorum arabant, quæ nec tibi vltra, nec aliis arabunt. Asinæ tuæ pascebant, quæ vltra fœtus non facient, quæ nec tibi nec aliis proderunt. Quare, inquit? Ob hoc, ait, quia venerunt prædones & prædati sunt ea. Qui ait: Tantum me terres ô homo, quasi iugis deprædatis viuere non possim. Sũt pueri plurimi, coloni abundantissimi, qui vniuersi mercimonium facientes, & me & se pascant, & me & se tolerent. Sed respondet nuncius qui venerat & dicit: Inaniter tibi blãdiris ô Iob, atque superuacue speras, quod coloni remanserint. Nam hi qui iuga boum & asinas deprædati sunt, iidem ipsi & pueros occiderunt. Quomodo occiderunt? In ore gladij, inquit, non pepercerunt, non miserti sunt, non reliquerunt, sed omnes imparcenter occiderunt, sed immisericorditer interfecerunt, atque omnium sanguinem crudeliter fuderunt. Mihi soli, inquit, pepercerunt, me solum remiserunt. Et cum solus remansissem, veni vt nunciarem tibi. Quid, inquit, mihi nuncias ô homo? Hoc mihi nuncias M quod prædones prædati sunt, & cum prædati fuissent, pueris non pepercerunt, sed & ipsos in ore gladij occiderunt, reliquias mihi non dimittentes, neque solatia relinquentes. Hæc, inquit, mihi nuncias, nuncia & prædones, nuncia & interfectores, vt si possum, inquit, vindicem me: quod si non valeo vindicare de his qui hoc fecerunt, eos enumerem, Deo autem id quod factum est, vt iuste inquirat commendem. At nunc, inquit, ô homo cum tu solus euaseris, ad maximum mihi incendium euasisti, pro augmento doloris mihi aduenisti. Deprædationem mihi nuncias, & prædones non publicas. De proximo sunt, an de longinquo? Hostes sunt publici, an fures occulti? Sed is qui euasit, non ideo vt ei parceretur euasit, sed propter augmentum tentationis Iob aduenit. Hic ergo nihil aduersus ea quæ dicta sunt respondit, sed tantum prædones nominauit: nos intelligere admonens, atque nobis intelligendum relinquens, quos, vel quales prædones nominauerit: illos sine dubio qui de cœlo propter apostasiam in prædã venerunt, & ex sanctorũ choris propter contumaciam proiecti sunt. Illi nimirum, qui sub cœlo omnem captiuitatem ostenderunt tam carnalium quàm spiritalium, qui prædati sunt vniuersos qui sunt super terram, & manifeste & occulte. De quorum captiuitate dicunt sancti: Benedixisti domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Et alibi: Cum conuerterit dominus captiuitatẽ plebis suæ, ex

Psal. 84 *Psal. 125*

A suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel. Isti scilicet prædones, isti memorantur. Venerunt, inquit, prædones. vnde venerunt? ex se ipsis, an ex Chaldæis, an etiam ex Ægyptiis? Sed ex nullis istorum venerunt, sed ex Abyssis venerunt, ex interioribus infernorum venerunt, à desertis venerunt, sicut paulo post demonstrabitur in filiorum internecione. Inde ergo venerunt isti prædones, dimissi ad tentationem, atque ad probationem iusti illius. De istis ergo dicit, venerunt prædones, & prædati sunt eos. Isti nanque sunt qui à seculo deprædati sunt plurimos, & plurima in captiuitatem duxerunt. Isti deprædati sunt Cain per sacrificij æmulationem, gigantes per superbiam, illos ad turrem per dei contumaciam: illos in Sodomis per turpitudinis lasciuiam: Esau per insatiabilitatem, atque petulantiam: Pharaonem per dei contemptum, atque pertinaciam: illos in deserto per idololatriam. aliósque innumeros per eadem deprædati sunt, & his similia, atque per alias innumeras rationes & prædati sunt à seculo & deprædantur vsque in seculum, alios per adulterij appetentiam, vt Amon, alios per honoris ambitionem, vt Absalon, alios per auaritiam, vt Iudam. Istos ergo prædati sunt nequissimi diaboli hostes, aliis autem alios deprædati sunt, vt Noe Cham, Abrahæ Hismael, vt Isaac Esau, vt Israel Symeon Leui & Ruben, vt Heli sacerdoti Ofni & Phinees filios eius, vt Dauid superius memoratos filios, atque aliis alios

Gen. 4. 10 18

B primos, ac nouissimos. Quæ vniuersa scientes nos atque audientes intendamus caute animabus nostris, ne prædentur nos, atque populentur prædones dæmones, ne dicatur de nobis, venerunt prædones & prædati sunt eos, ne compellamur fletus atque lamentationis canticum cantantes dicere: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus. Ob quã rem? Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Sed cum hæc omnia audiret Iob tam peculij deprædationem, atque venientis & narrantis lamentationem, nec quicquam hac re quæ obuenit dignum fecit, sed pariter hunc auditum sustinens, blande enarranti sibi respondit dicens: Quid eiulas ô vir? Quid lamentaris ô homo? Diuitiarum possibilitas ita semper est vertibilis, vt hodie sit hic, crastina verò alibi. Et præsertim, inquit, quia inimici prædati sunt, quia aduersarij abstulerunt, quia iniusti diripuerunt. Ego, inquit, vt inimicos acquirem non gessi, neque inimicos me putaui habere. Et quia non peccanti mihi inimici quidẽ effecti hæc ingesserunt, vt & pueros occiderẽt, & peculium abriperent, sine illos possidere hæc cum iniquitate, nobis verò dabit deus alia sine peccato. Sed cum hæc audiret nequissimus diabolus à beato Iob, & ore dicta, & animo meditata, liquefactus intra semetipsum, insipienter, inquit, feci vt prædones nominarem, abstuli à deo hanc culpam. Non enim imputat deo Iob quod gestum est, sed iniquorum virorum nequitiæ. Ego inquit meipsum circumueni, ego mihi ipsi contraria gessi. Idcirco consideraui quid faciam, conuertam nunc sermonem ad cœlestia, conuertam hæc in dei blasphemiam. Hæc cum nequissimus cogitat, cõtinuo alium nuncium mittit ad Iob. [Qui cum ingrederetur, dixit ei: Ignis cecidit de cœlo, & combussit oues, & pueros combussit similiter, & euasi ego solus, & veni vt tibi nunciarem.] Non est, inquit, vt tu arbitraris ô Iob, quod ex hominibus sint tibi hæ insidiæ, atque hic incursus: non est ex hominibus, sed ex deo est, de cœlis est. Ignis cecidit de cœlo, & combussit oues. Noli, inquit, temetipsum seducere ô Iob, noli teipsum circumuenire, non ex hominibus est circunuẽtio, sed ex deo est ista exterminatio. Non ex terrenis tibi est hic incursus, sed de cœlis est tibi iste interitus. Quod si non credis, audi. Ignis cecidit de cœlo & conbussit oues, & pueros similiter. Nam cum oues combureret, puerorũ non est misertus. Non pepercit pastoribus, sed similiter & illos cõbussit atque perdidit, sed pariter cuncta deleuit, vt per hæc omnia tibi detrimentum atque dolorem ingereret, vt per hæc vniuersa tibi tribulationem atque angustiam adiiceret. Ignis cecidit de cœlo, non ex se, neque à se, neque per se, sed cœlesti iussione atque terribilis dei præceptione. Ignis cecidit de cœlo. Quemadmodum olim in Sodomam & Gomorram, atque super omnem regionem illam, ita & nunc ab illo qui tunc in Sodomam & Gomorram ignem in perditionem

Psal. 137.

C

Gen. 18.

pluit, ab hoc ipso (inquam) etiam ignis cecidit de cœlo, & D combussit oues & pueros & pastores, omnia incendit atque pariter deleuit. Sicut enim Sodomitarum reliquiæ non remanserunt, ita & nunc, inquit, tibi reliquiæ non supersunt, vt est moris: quia eiusdem dei ira super te effusa est, cuius etiam, vt super illos, ignis cecidit de cœlo. Non quod de cœlo ceciderit ipse ignis, absit, sed quia ita finxit nequissimus, & quia ipsum nuncium ita docuit dicere malignissimus diabolus, vt eum putet beatus Iob, atque arbitretur quod de cœlo à deo istæ miseriæ ei impingerẽtur, & vt in blasphemiã dei conuerteretur. Ignis cecidit de cœlo & combussit oues. Nõ sunt, inquit, terrenæ insidiæ hoc quod factum est ô Iob, sed cœlestis est furor. Non est violentia hæc humana, sed contritio est diuina. Si enim in habitaculis hoc euenisset, crederetur quod volens quis, vel nolens hunc succenderit ignem. Nunc verò cum in solitudine, inquit, essemus, in modum sagittæ ignis de cœlo super nos effusus atque iaculatus est, vt nec fugientes effugerent, nec resistentes euaderent. Ignis, inquit, cecidit de cœlo. Non mentiris ô diabole quod ignis cecidit de cœlo, sed non quem deus mitteret, sed quem tu finxisti in diuersas figuras immutando temetipsum, aliquando in prædones, aliquando in ignem, aliquando in tria cornua equitum: item verò in vltimo in spiritum quatuor angulos domus tangentem. Et non est mirum quòd permissus in tantas figuras immutaueris temetipsum, cum & coram ipso domino in omne regnum orbis terræ ipsum immutando simulaueris, & hoc in momento temporis, hoc est, subito, repente atque velociter ignis cecidit de cœlo. Non mentiaris ô miserrime omnium bonorum inimice: non à deo missus, sed tua iniquitate succensus est. Tu, inquit, es ô diabole ignis ipse qui de cœlo cecidit, qui innumeros igne peccatorum immundo succendis. Tu es ipse ignis ô diabole, qui gehennæ igni plurimos peccatores facis, cui ignis & tenebræ digne reseruantur præ omnibus. Tu es ipse ignis ô diabole, qui cum de cœlis descendisses, in medio montium igneorum proiectus es, sicut dicunt sanctorum oracula. Tu es ipse ignis, quem etiam ipse dominus fulgoris igni consimilans, atque de cœlo cadentem demonstrans, dicit: vidi satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Hæc nimirum vniuersa, quia dixit nequissimus ille, ignis de cœlo cecidit, propriam in ignem gehennæ per hæc ostẽdens ruinam. Sed adhuc aduersus diaboli superbiam pauca dicamus. Superbiens ô diabole dicis quod ignis de cœlo ceciderit, & oues combusserit, vtpote tua voluntate atque operatione. Dic ergo ô infelix si super oues Iob potuisti de cœlo ignem adducere, & eas comburere: cum Helias deum inuocaret, & per synceram orationem ignem super holocaustum de cœlo adducetet, tu ô miserrime omnium bonorum inimice quomodo non potuisti compescere, vel reuocare illum ignem, vel illum quem idem Helias super duos quinquagenarios de cœlo aduocauit? Fuerunt namque illi quinquagenarij eius ministri, atque nequitiæ eius nuncij. Sed & hæc vniuersa diximus pro increpatione diaboli, atque condemnatione maligni. Beatus autem Iob quid responderit audiamus, quomodo comminuerit secundam furoris illius sagittam, quomodo trãsierit iniqui illius impetum post priorem alterum per tolerantiæ affectum, quemadmodum & cætera vniuersa. Respondit nanque ei qui venerat dicens: Et quis me erit maior ô homo, vel quis me gloriosior ô vir? Si itaque est vere quod ignis veniens de cœlo omnes greges meos consumpserit illico, gratias illi qui pariter omnes oues meas protinus in acceptabile suscepit holocaustum. Nam quæ ego, inquit, per singula tempora oblaturus eram, hæc videlicet elegit deus, vt statim pariter in vno susciperet holocausto per ignem qui de cœlo missus est. Omnis nanque acceptabilis hostia, per ignem qui desuper fuerit missus suscipitur, atque consumitur. Quod enim plurimo tempore eram facturus, hoc nimirum accelerans vno tempore suscepit deus. Et quis me beatior sub cœlo? Ante paululum, inquit, iuga boum vniuersã protinus mihi mactata. Item nunc greges ouium omnes pariter combussi, & immolaui. Et hæc (inquit) deo eligente obtuli. Sed adhuc supersunt cameli, qui mihi ad transactionẽ proficiant, atque in vitæ sustentationem sufficiant. Sed cum

Diabolus sese variè transformauit.

E

Luc. 10.

3. Reg. 19.

F

G hæc cogitaret & loqueretur Iob, atque cum patientia intolerabiles has sustineret plagas, & nullatenus succumberet maligni tentationibus, alius nuncius venit ad Iob, & dixit ad eum. Inaniter tibi blandiris ô Iob, quod camelos pro vitæ sustentatione habeas, & quod in spe transactionis tibi supersint. [Equires enim fecerunt cornua tria, & circundederunt camelos, & prædati sunt eos: & non solum hoc, sed & pueros occiderűt in ore gladij, & euasi ego solus, & veni vt nunciarem tibi.] Propterea, inquit, euasi ego solus atque restiti, vt id quod contigit, cognitum facerem tibi, & vt quod gestum est tibi enarrarem. Boues, inquit, & asinas perdidisti ô Iob, greges ouium tuarum cœlitus combusti sunt, ecce & nűc post illa omnia nouissima trãsactionis spes, cameli ablati sunt tibi. Prima, inquit, plaga per prædones, secunda per ignem qui de cœlo cecidit, non quod de cœlo hic ignis ceciderit, sed quia ita finxerit, atque ita malignus docuerit, vt deum circa Iob accusaret, & Iob deum blasphemare cõpelleret. Tertia ergo per tria equitum cornua, qui camelos circundantes exterminauerunt. Prima ergo per prædones proculdubio pedestres, secunda per ignem desuper comburentẽ, tertia per equitum tria cornua qui camelos prædati sunt. Omnia, inquit, hæc iacens sustinebis Iob? omnia hæc patienter supportabis ô homo? Cœlum, inquit, & terra aduersum te insurrexerunt, & siles? Ad dimicandum contra te dei imperio H armata sunt, & taces?] Alter, inquit, nuncius venit ad Iob.] alter, post primum, numero verò tertius: alter in nequitia, tertius verò in enunciatione miseriæ. Istos nanque nequissimos nuncios miseriarum annunciatores atque malorum suggestores, tanquam bonæ prædicationis nuncios, mittebat nequissimus. Quos etiam ideo superesse fecit, vt eius malitia huic miseriarum denunciationi deseruiret, Non enim angeli fuerunt, sicut quidam arbitrantur, neque spiritales dæmones, sed homines quidam ex famulis Iob, conseruati ab aduersario, atque succensi à diabolo ad dicenda omnia ac facienda, per quæ possent Iob subuertere ad dei blasphemiam. Tertius ergo hic nuncius venit ad Iob, & tertius doloris præco illi effectus, tertius memorauit dicens: Equites fecerunt tria cornua. Qui equites ô homo? Mentiris etiam istic sicut & in ouibus, cum diceres quod ignis decidisset de cœlo, quinimmo mentitur diabolus qui in te loquitur. Illic (inquit) ô callidissime satana voluisti deum deprauare, quasi ignem de cælo super oues mittentem: hic verò vis homines incusare quasi aduersum Iob insurrexerint illicite: vt circa vtrunque Iob odium acquireret, & circa deum blasphemiam, & circa homines bellum, ex quibus neutrum illi credere acquieuit constantissimus Iob. Sed adhuc equites, inquit, fecerunt sibi tria cornua. Qui equites ô homo? Nam illo tempore non erant equites plurimi inter homines, sed quam plurimi hominum pedestres aduersus inuicem bellum gerebant. Qui ergo fuerunt equites qui tria cornua sibi fecerunt, hoc est, qui triplici I modo se armauerunt, qui triplici prælio circundederunt camelos? Illi fuerunt spiritales equites. id est aërei spiritus, qui terram peragrant, qui pelagus transeunt, qui aërem peruolant, qui omni vento & aqua atque omnibus tempestiuis procellis vehemẽtiores sunt, atque velociores in aëra sua iniquitate. Vnde etiam equites digne appellantur, qui super omnes luxuriosos atque impudicos sedent tanquam super equos, & iuxta nequitiam suam exagitant illos, & ad suæ iniquitatis atque impudicitiæ perfectionem omnes insectantur illos, de quibus dicitur: Adulter sicut admissarius sub omni sessore hinnit. &: Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, & adhuc: Equi admissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebant. Isti ergo tales sunt equi diaboli, isti sunt equi maligni, & isti omnes qui eiusdem seruiunt iniquitati, isti quorum pedes in iniquitatibus currunt. Huiusmodi nanque equorum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem. Equites sunt nequissimi dæmones, atque aërei spiritus. Talis enim equus fuit olim Nabuchodonosor, sed non iugiter, sed septem annis tantum, quibus à nequissimis equitibus, id est, dæmonibus, imparcenter est exagitatus. Talis equus fuit & ille qui in euangeliis à legione similiter per deserta, & per montes vrgebatur donec veniens dominus illos quidem malos equites, id est, dæmones effugauit, & illum miserum liberauit. Aliique innumeri à seculo, alij aperte, alij verò occulte, diuerse ac varie dæmonum K equi effecti sunt: quibus vniuersis cum essent immundi atque execrabiles, in malis vsi sunt eis nequissimi dæmones, aliis sanè ad velocitatem homicidij & sanguinis, deuastationis quoque atque nequissimi liuoris, & omnium quæ voluntas diaboli atque opus exigebat. De istis ergo equitibus dicit istic: Equites fecerunt tria cornua, & circundederunt camelos. Et cur tria cornua, & non quatuor? Ob hoc quia quatuor reseruauit pro quatuor domus angulis ad interficiẽdos eius filios. Ob hoc ergo nõ quatuor sed tria cornua fecerűt, hoc est, finxerunt, consimulauerunt, armauerunt, vt pote equites equis sedentes, atque vniuersam armaturam habentes, timorem ostendentes, atque fortitudinem demonstrantes. Equites fecerunt tria cornua. O quàm multiplicem inquisitionem atque disputationem habet hic sermo. Primum quidem hoc intelligere debet omnis sapiens, quia vniuersa potentia atque exercitus, & omnes dæmonum cateruæ simul illic conuenerunt, & pariter se aduersum beatum Iob in prælio armauerunt, vniuersum mundum despexerunt, tantum vt Iob superarent. Nam totum mundum suum iudicauerunt, & aduersum solum Iob bellum gesserunt, vt pote quia non erat similis alius in toto mundo. Item adhuc tria cornua fecerunt pro peculij consumptione, & filiorum perditione, atque corporis plaga, superare eum nitentes. Tria cornua fecerunt, quia & cum eo tertio congressi sunt. Semel sane cum omne peculium atque filios subito interfecerunt. Secundo quando totű corpus eius putredine ac vermibus repleuerűt. Tertio quando per vxorem seduxerunt, amici verò culpauerunt. Adhuc autem tria cornua fecerunt, tanquam tria præcipua ac singularia, id est, spem, fidem, charitatem, prædari L eum conantes. Fidem quam in dei culturam habuit, spem æternæ liberationis ac cœlestis refrigerij, charitatem circa deum qua nihil est maius, neque in hoc seculo, neque in futuro. Pro his ergo omnibus fecerant tria cornua nequissimi dæmones, omnes pariter aduersum Iob dimicantes, omnes vnanimiter aduersum eum stantes. Solus autem diabolus qui est in iniquitate maximus, præsens Iob erat, sollicite obseruans infelix quando blasphemiæ sermonem ex iusti illius ore potuisset audire. Et quanto magis torquebatur Iob corde lamentabilia nuncia subinde audiendo, tanto plus torquebatur diabolus ea quæ volebat vel desiderabat, id est, dei blasphemiam, ab eo non audiendo. Sed adhuc tria cornua fecerunt hi, qui aduersus tria secula ab initio & vsque in finem bellum gesserunt, & aduersus eum qui ab initio fuit vsque diluuium, & à diluuio vsque ad passionem & resurrectionem domini Christi, & vsque in finem & resurrectionẽ omnium. Et adhuc tria cornua fecerunt hi qui aduersus tria dimicant, aduersus legem & prophetas atque apostolos. Aduersum legem sanè, per idolorum iniquitatem, aduersus prophetas per pseudoprophetas: item & aduersus apostolos per falsos apostolos. Post quæ vniuersa ô amici vltimam audite disputationem. Aduersum Iob olim, & aduersus omnes subsequenter M tribus cornibus dimicauit, tribus cornibus congressus est, triplici modo tentauit, iuxta omnia quæ ostensa atque memorata sunt. Nunc verò nouissimis temporibus, atque in vltimo seculo, non in his solis tribus cornibus dimicat, non triplici modo congreditur, sed mille modis, ac multipliciter dimicat congreditur & tentat, insidiatur, seducit atque subuertit, per multitudinẽ hæresum, per innumeros errores, per abũdantes seductores, per pseudochristos ac pseudodoctores, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminauit; quos atrocissimus ille produxit, quos malignissimus fecit, florem & fructum in infidelitate atque errore afferre coëgit, quibus hic (vt diximus) mundus repletus est, qui venerunt & veniunt in verbo domini, in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, nomen Christianorum habentes, atque speciem pietatis, & erroribus & impietatibus atque seductionibus referti sunt. Isti sunt veræ ianuæ mortis, & viæ inferni. Isti sunt qui à veritate plurimos præuaricantur, & à fide innumeros aberrare faciunt. Isti sunt ministri maligni diaboli, atque nuncij veritate carentes. Isti sunt cæci duces cæcorum. Isti sunt nubes sine aqua, nebula à tempestate

Dæmones induerunt formam equitum.

Psal. 31
Hier. 5

Daniel. 4

Mar. 5

Iob. 1

Dæmonum cateruæ se armant contra Iob.

A pestate fugata, quibus caligo, vel nebula interiorum tenebrarum digne seruatur atque custoditur. Istos ergo fugiamus ô viri, istos late deuitemus ô amici. Istos odio habeamus, & infidelitatem atque errorem qui in eis est, velut flammam ignis declinemus, pro eo ne cum illis flammæ inextinguibili in die furoris atque reuelationis iusti iudicij dei mancipemur. Hæc scilicet vniuersa memorauimus, quia tria cornua ad dimicandum atque congrediendum aduersus Iob nequissimi dæmones fecerunt. Ad dimicandum verò aduersus ecclesiam non tria tantum cornua, sed innumera, atque inæstimabilia omnes sectæ, atque hæreses faciũt, per quas vniuersas aduersus ecclesiæ vnitatem incessanter dimicant. Sed quemadmodum tunc tribus cornibus aduersus Iob congressus, cum confusione est superatus, nihil præualens aduersus Iob: sic & nunc multis modis aduersus ecclesiam congressus est, & per innumeras hæreses aduersus eam dimicans, reuocatur confusus, nihil præualens vere credentibus animabus. Firmum enim firmamentum dei stabit, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, sicut dicit dominus, portas inferni memorando, diuersas sectas atque hæreses infideliũ, quæ vsque ad portas inferorum deducunt omnes qui eos sequantur. Post quæ vniuersa, adhuc vnum aduertamus. Tria

Mat. 15. Ose 13.

Aduersus ecclesiam innumeris modis dimicat Satanas.

Mat. 16.

B cornua fecit diabolus in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triúmque deorum hæresis, quæ vniuersum orbem terræ in modum tenebrarum repleuit, quæ patrem & filium & spiritum sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnunquam vnum adorat, quemadmodum Græcorum lingua memoratur: Triada vel homusion. Istam ergo trinitatis sectam & hæresim atque infidelitatem iam olim de longe designans versutissimus ille diabolus tria cornua misit ad Iob deprædandum. Sic nanque etiam nunc memorata trionyma hæresis, præsertim prædatur atque expugnat ecclesiam. Sed quũ videret nequissimus diabolus quod nihil profecisset per omnia quæ gessit, adiecit hoc quod erat maximum, atque mirabilem filiorum internicionem. Sagittauit prima sagitta, & non vulnerauit iustum. Sagittauit secunda periculosiore, & non læsit in veritate fundatum. Sagittauit & tertia per tria cornua, sed hæc inefficax extitit per tolerantiam. Ista ergo cum Iob retrorsum non auerteret, vnam, inquit, habeo adhuc nouissimam, ac terribiliorem vltimam atque lamentabiliorem, id est, filiorum internicionem ac perditionem, natorum supplicium atque comminutionem. Sustulit, inquit, atque sustinuit priora cum de filiis se consolaretur, sed istam non supportabit neque sustinebit. Hoc ergo faciam, non sinam eum respirare, non permittam resipisci, non permittam consolari, sed subsequenter atque subinde lamentabilibus eum nunciis inquietabo. Hæc quum tractat nequissimus, atque apud semetipsum loquitur, confestim ea adimpleuit. Merito adhuc anteriore loquente alius nuncius venit ad Iob. Non

Hæc videtur effuta ab Arianis contra Catholicorum de S. Trinitate sententiam. Caue igitur vel næuũ scito esse Origenis.

C quieuerat prior narrando mala, & incipiebat alter narrare pessima. Non occurrebat beato Iob ingemiscere pro prioribus doloribus, propter alias & varias angustias quæ superueniebant illi. In modum autem vehementium aquarum diuersis miseriis iusti illius animam inundare nequissimus properabat. Alter ergo nuncius venit ad Iob, alter post anteriorem, quartus verò numero. Alter verò nuncius venit ad Iob, propter nunciorum ac dolorum atque malorum diuersitatem. Alter nuncius venit ad Iob, & dicit ei: Ecce quartus (inquit) præstolor tibi ô Iob dolorum nuncius atque malorum præco, & non succumbis, neque deficis? Sed licet prioribus non succubueris, nouissimis tamen succumbes & pauebis atque deficies, quum nouissimum atque lamentabilem filiorum nuncium audire non sustinueris. [Filij (inquit) tui & filiæ tuæ quum manducarent & biberent in domo fratris sui maioris, subito venit spiritus ab eremo, & tetigit quatuor angulos domus illius, & cecidit super filios tuos, & mortui sunt.] Hoc, inquit, est nouissimum & lamentabile atque miserum nuncium, quod etiam ignorantibus filiorum dilectionem, amorem vel affectum, compatiendo reuocat animum propter tam miserabilem causam. Filij tui, inquit, quos nutristi, quos educasti, quos ad maturitatem cum labore perduxisti. Filij tui quos pietatem docuisti, quos dei cultura imbuisti, quos vt inuicem se diligerent introduxisti, quos in omni iustitia tibi similes reddidisti. Filij tui quorum filios videre cupisti, quorum posteritatem expectare orasti, à quibus in senecta requiescere te sperasti. Isti, ergo filij tui, & non solum filij, sed & filiæ, castæ, mundæ, immaculatæ atque incoinquinatæ, quas in tempore nuptiarum gloriosis coronis coronare sperabas. Isti ergo simul in vnum vnanimiter atque cõcorditer, caste, benigne, munde dum manducant & bibunt non vagantes, neque oberrantes, neque post impudicitiam currentes, neque ad illicita intendentes, neque superflua loquentes, sed cum gratiarum actione manducantes, atque cũ benedictione bibentes, & illud quod post hoc ab Apostolo dictum est adimplentes, siue dum manducatis, siue dum bibitis, siue dum aliud quid agitis, omnia in gloriam dei facite. Sic itaque manducantibus ac bibentibus filiis ac filiabus tuis. Bene (inquit) ecce ostendisti quod manducauerint & biberint, ostende & hoc quod factum est dum manducant & bibunt. Maius (inquit) est quam vt edicere valeam, terribilius est quàm vt proferre audeam. Sed interim (ait) quia non est tacendum, dicam, proferam. Subito spiritus venit ab eremo ita fortis, ita copiosus, ita vehemens, ita terribilis atque insupportabilis, vt tangeret quatuor angulos domus, & illideret eam super filios tuos, & mortui sunt. Cuius (inquit) fuit hæc domus? Fratris eorum maioris. Non fuerunt (inquit) in extera domo, neque in aliena, sed in propria fuere

D

E domo, in domo filij tui, fratris sui maioris. O nequissime aduersarie, ô callidissime diabole. Cur non dixisti simpliciter, & mortui sunt, sed & cuncta enumeras, omnia denominas, & filios, & filias, & cibum, & potum, & domum, & fratrem, & filium tuum maiorem. In domo inquiens fratris sui, filij tui maioris? Ob hoc (inquit) hæc omnia denumero atque denomino, quo magis atteram atque affligam animam eius: atque ob hoc hæc omnia loquor, quò magis comminuam cor eius, cui hæc refero. Si solos (inquit) filios nominassem, & filias non, perfecto æstimans quod mortuis filiis filiæ superessent ei ad consolationem, consolaretur se. Ob hoc (inquit) omnia denomino atque intimo, vt potius iusti illius mentem perturbem, quo facile ad dei blasphemiam prouocem patientem. [Manducantibus (inquit) ac bibentibus meridiano tempore, hora prandij, subito spiritus venit ab eremo.] Hæc scientes sancti atque horum memores, quod ipso meridiano tempore, hora prandij, ruina occupati sunt filij Iob atque mortui, orauerunt ad deum conseruari sicut à negotio in tenebris ambulante, ita & à ruina & à dæmonio meridiano. Sicut enim in noctis tenebris, sic similiter in medio meridie plures dæmonum tentationes se demonstrant quàm cæteris temporibus. Hoc nimirum claruit in filiis Iob, qui non alio tempore, sed medio interfecti sunt meridie. Subito (inquit) spiritus venit ab eremo, & tetigit quatuor angulos domus. O malignissime aduersarie, item deo applicare cupis, item creatorem deprauare quæris, idcirco spiritum, hoc est, ventum ab eremo venire dicis. Nam quia deus est qui producit ventos de thesauris suis, merito vẽtum ab eremo quasi

Iob. 1.

Psal. 90.

Nocte & meridie dæmones tentationes multiplicant.

F à deo missum venire dicis: vt & hoc quod factum est deo imputetur, non in bono, sed in malo, atque audienti in scandalum. Nam sicut super oues ignem de cœlo cadere dixit, ita & nunc spiritum, id est ventum, ab eremo venisse dicit: vt vtraque deo applicaret pro blasphemiæ prouocatione, atque reprehensionis occasione. Subito, inquit, spiritus venit ab eremo. Derepente, insperate, illico cum impetu, spiritus, ventus, tempestas, procella venit ab eremo. Et quid fecit? Tetigit, inquit, quatuor angulos domus, & cecidit super filios tuos, & mortui sunt. Quis ergo, ait, est mortis eorum reus ô Iob? Nonne qui ventum produxit atque adduxit? Sicut & ouium tuarum combustionis quis auctor est, nisi is qui ignẽ de cœlo misit? Sed audi, inquit, ô Iob: Cum substantiæ abũdantiam perdere contempsisti, omnibus facultatibus tibi ablatis sustinuisti: filiorum verò perditionem quomodo sustinebis? natorum tormentum quomodo baiulabis? Subito, inquit, venit ab eremo spiritus, & tetigit quatuor angulos domus, & cecidit super filios tuos, & mortui sunt. Per hoc quod dicit filios stimulat sensum eius, doloribus afficit animam eius, liquefacit præcordia eius, prouocat mentem eius, quo magis post filios liquescens succenderetur. Sed quanto

G plus nequissimus tẽtationes Iob multiplicabat, tanto amplius coronam gloriæ apud æternum iudicem ei augmentabat. Qui enim simplicem transierit tẽtationem vel probationem, simplicem proculdubio accipiet mercedem. Qui autem fuerit multipliciter probatus, multiplici gloria sine dubio à iusto deo coronabitur, quemadmodum beatus Iob, qui omnibus diaboli malignitatibus atque versutiis superior est effectus, & omnibus tentationibus eius fortior comprobatus respondit ei dicens: Dicis quod ab eremo veniens spiritus, hoc est, ventus & tangens quatuor angulos domus deiecit eam, & filios meos interfecit: sed mentiris, inquit, ô diabole & me non irridebis. Mentiris ô malignissime, & me non circunuenies. Nũquam enim venti à deo excitati quatuor contra inuicem flauerunt, neque flant, sed vnus & vnus, aut iste aut ille. Nunquam enim auditum est quòd flantes venti domos à fundamentis subuerterunt, & eas maxime quæ super arida sunt fundatæ, ad instar nauium quæ in pelago natitãt, generaliter subuertẽdo demerserũt. Hæc nunquã prouenerunt, neq; proueniẽt, à ventorũ flabris vel procellis. Noli, inquit, insimulare mẽdacio deũ ô diabole tuis sceleribus, noli deprauare creatorẽ tuis perditis iniquitatibus. Ex te enim sũt hæc & nõ ex deo: ex tua iniquitate, & nõ ex creatoris immissione. Subito, inquit, spiritus venit ab eremo. De te ipso hæc loqueris infelix diabole. Tu videlicet es spiritus ab eremo veniens, tu quatuor angulos domus tetigisti, atque filiorum internicionem fecisti. Tu es qui aliquando in hostes prædantes te transfigurasti aliquando ignem de cœlo cadẽtem. nonnunquam autem in tria cornua equitum, sicut & nunc in procellam

Iob. 1

Venti cõtrarij nõ simul flant.

H venti quatuor angulos domus tangẽtem & ipsam domum à fundamentis subuertentem, atque eos qui intrinsecus erant interficientem, Tuæ, inquit, iniquitatis operationes sunt hæc omnia ô nequissime diabole. Nam deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum, sed tua inuidia atque zelo mors introiuit in mũdum. Sicut enim in totum mundum mors introiuit per tuum zelum, ita & nunc super filios Iob per tuum zelum & inuidiam perditio aduenit, atque interitus ô nequissime diabole. Hoc autem tu ipse de temetipso demonstrans dicis: Subito spiritus venit ab eremo. Subito enim occulte atque clanculo innumeros subuertis, innumeros circunuenis, & tuæ condemnationis hæredes facis. Quos æui æterna conuersio subito apprehendit, vt pote à te in malis seductos. Ob hoc ergo subito venit spiritus. Tu ipse es aëris penetrator diabolus, aëreúsque spiritus ab eremo: spiritus verò tanquam in eremum ac solitudinem, vbi neque hominis, neque quadrupedis vestigium traditur proiectus atque expulsus. Aut adhuc venit ab eremo vt pote omnium diuinorũ exors, & ab omnibus desolatus. Aut adhuc ab eremo venit, vt pote non solum in corruptibilibus atque inanimatis solitudinibus sequestratus ac destitutus, sed quinimmo magis in humanis atque animatis solitudinibus, quæ sunt animæ impiæ, sceleratæ, errãtes, infideles, quæ sunt

Sap. 1
Sap. 2

I desolatæ omni sanctitate, quæ non habitantur neque à sancto spiritu paracleto, neque à sanctis angelis dei: vt pote in huiusmodi desertis habitans, à deserto teipsum venire dicis. Tale desertum factus est etiam ille quem scopis mundatum atque ornatum reperiens nequissimus atque immundus spiritus, alios septem nequiores se assumens habitauit in eo. Tale desertum factus est etiam ille quem scopis mundatum atque ornatum reperiens nequissimus atque immundus spiritus, alios septem nequiores se assumẽs habitauit in eo. Tale desertum factus est ille infelix Iudas, postquam spiritus sancti familiaritatem atque illuminationem à se expulit, & sanctorum angelorum coniunctionem atque habitationem à se amouit, sicut dicit: Et post hæc introiuit in eum satanas. Tales solitudines fuerunt olim omnes pseudoprophetæ atque falsi sacerdotes, illi ad quos dicit Micheas propheta ante Achab regem Israel: Dedit dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum. Quod quum audisset princeps ipsorum pseudoprophetarum Sedechias filius Chanaam, percutiens Micheam in maxillam dixit: Quis spiritus domini discessit à me, vt loqueretur in te? Per quæ euidenter ostendit, quia discessit ab eo spiritus domini, & habitauit in eo spiritus diaboli, vt pote desolato à spiritu sancto. Talia deserta facti sunt Iudæi, qui domino non crediderunt, neque

Matt. 12.

Ioan. 13.

3 Reg. 22

K suscipere eum voluerunt. Propterea dixit ad eos dominus: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Talia scilicet deserta facta sunt etiam nunc omnes infidelium sectæ atque hæreses, quæ desolatæ fidei veritate atque omni pietate, in quibus habitans diabolus multitudines scandalorum tãquam zizania in eis oriri fecit. Post quæ vniuersa adhuc in vltimo talia deserta sunt omnes pertinaces, omnes crudeles qui non agunt pœnitentiam, qui contristant spiritum sanctum, in quo pridem signati sunt in die redemptionis, qui contristant sanctos angelos, qui gaudent super eos, qui pro peccatis pœnitentiam agunt. Omnes ergo isti desolati sunt qui non pœnituerunt. Habitat verò in illis, vt pote in desertis, malignus aduersarius qui tenet cor eorum, vt nec ad pœnitentiam confiteantur, neque ieiunia exerceant, neque eleemosynas faciant. Istis nãque peccata dominantur. Isti ergo omnes cum sint desolati sanctitate & fide atque dei timore, desolantur de regno dei, & proiiciuntur de choris sanctorum, atque in tenebras exteriores pellentur & in ignem inextinguibilem, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Hæc itaque notat vniuersa, quia dicit, subito spiritus venit ab eremo, & tetigit quatuor angulos domus. In tertia plaga tria cornua fecit diabolus, in quarta verò plaga quatuor angulos domus tetigit, & cecidit domus. Et quid si vnum tetigisset angulum, cadere non potuisset. Ergo si per vnum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? Audi. Quatuor angulos, id est, quatuor partes tetigit, ob hoc, vt ostenderet ferocitatem & insaniam, & intemperantiam quoque atque

Matt. 23

L crudelitatem, cruentationem atque animum suum homicidalem. Nam omnes nequissimi dæmones vt relaxati sunt, & mox vt permissionem acceperunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus super domum ipsam irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret. Ob hoc ergo per quatuor partes irruerunt nequissimi dæmones, tanquam leones de insidiis prorumpentes, ingentem vnusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter præcederet ad eius perditionẽ. Et adhuc per quatuor partes, quia metuerunt infelices, ne forte aliquis ex hac ruina euaderet, præter illum vnum quem sponte nequissimi reseruassent, qui & ipsarum iniquitati deseruiret, & Iob ipsos dolores enarraret. Sed & adhuc per quatuor partes accurrentes, quatuor angulos tetigerunt, ob hoc vt suam inconsonantiam atque aduersus inuicem contrarietatem ostenderent. Nam ad iniquitatis perfectionem omnes sibi concordant, cum inuicem sibi discordes sint omnes atque cõtrarij. Et cecidit, inquit, domus super filios tuos, & mortui sunt. Cecidit domus apprehendentibus dæmonibus, commouentibus, infrementibus, à fundamentis subuertentibus. Cecidit domus. Nec quiquam magnum. Nam si solus Sampsom post hæc innumera Allophylorum milia in vna domo subito deiecit quid mirum si innumeri dæmones vnam domum per

Dæmones sibi inuicem discordes in quo concordent.

Iob 1

Iud. 16

M quatuor angulos apprehendentes subuerterunt? Cecidit, inquit, domus super filios tuos, & mortui sunt. O quàm magna fides tua beate Iob. O quàm mirabilis est sapientia tua vere dei serue. Non te exagitauit primus fluctus, neque impulit secundum periculum, non te vulnerauit tertia sagitta, non te superauit quarta tentatio neque subuersio, quæ quasi incipiens, perfecta est in terra. Mortui, inquit, sunt filij tui & vtinam iuxta omnium communem mortem. At nũc verò non ita, sed cecidit, inquit, domus super filios tuos, & sic sunt mortui. Suspira, inquit, ô homo, & lachryma ô Iob, tametsi non, inquit, ob hoc quod tales perdideris filios, saltem vel quia tam lamentabili morte mortui sunt, vel quia ita miserabiliter de vita exierunt. Quis ex videntibus non stupeat Iob? Quis ex audientibus non turbetur ô vir? Tu verò lapidibus durior & saxis firmior extitisti. Filij tui mortui sunt, & quid expectas vt non lugeas? Cum lapidibus comminuti sunt, cum puluere commixti sunt. Carnes eorum cum sanguine & ossibus, cum ipsis etiam visceribus comminutæ sunt, fratrum cum sororibus, & sororem cum germanis omnium comminutio simul cum ipsis antepositis cibis commixta est, omnium nihilominus viscerum cibus cum

A cum ipso vino quod in manibus habent commixtus est. Immenso nanque furore vsus versutus diabolus, & iram & plenam indignationem demonstrans, nec quicquam reliquit quod non comminuerit, neque caluarias, neque viscera, neque ventriculos, neque brachia, neque manus, neque pedes, neque vllum membrum, neque aliquam corporis compagem. Et non solum hæc, sed & ipsos lapides, & ligna nimio succensus furore cuncta contriuit, cuncta comminuit, cuncta commoliuit, cuncta commiscuit, cuncta incerta atque indiscreta reddidit. Nam fundamenta domus ipsius sursum supra tectum excitauit, atque superius tectum in profundo fundati demersit. Non enim ob hoc solum hæc fecit quo magis in contritione filiorum Iob animum comminueret, sed ob hoc quia prioribus plagis non succubuit, propter ea etiam istic omnem iniquitatem suam demonstrauit, & pro priori tolerantia, in filiorum comminutione in eo vindicauit, & comminuit membra & carnes & ossa, ac cum lapidibus & puluere ipsius ruinæ commiscuit, vt non separare, nec colligere, nec sepelire posset eos, à quibus sepeliri sperabat ac volebat. Hæc nanque venit nunciare Iob, nouissimus nequissimi aduersarij nuncius. Hæc venit nunciare quæ nũc auditorum continent mentem, contristant præcordia, lique faciunt animam. Beati verò Iob mens perstitit immota, anima in gratiarum actionibus non est consternata. Quis homi-B num nunc si vnum perdat filium, habens alios, huius vnius diremptionem ac mortem supra modum non lugeat, etiam cum lamentationibus ac clamore? Magnanimus verò ille Iob cum decem haberet religiosos liberos, & istos omnes simul protinus perderet, non luxit, non est contristatus: sed gratias egit danti & iterum auferenti deo: & quod est maximum, non cum dedecore & miserabili motu, ipsis natis morientibus atque in ipsius domus ruina contritis, quorum ciborum apparatus cum comedentium carnibus est commixtus, & hi qui ministrabant vnusquisque vbi apprehensus, illic est comminutus, & potus ministrantium cum sanguine propinatus est commixtus. Erat visio lamentabilis, atque aspectus miserabilis hoc quod gestum est, imò nec visio, nec aspectus. Non enim erat quod videretur, neque quod separaretur de eorum qui mortui sunt comminutis corporibus. Nã tanto furore comminuit ea nequissimus, vt nec de vultibus, nec de personis agnosci possint corpora, quæ cum terra atque lapidibus erant commixta atque concreta. Quod transcendit omne dictum, atque omnem narrationem in dolore atque miseria. Quod nunc nos audientes expauescimus ac terremur. Beatus verò Iob, nec ab auditu territus est, nec ab ipsa probatione expauit, sed in omnibus inclinabilis atque immobilis permansit, factis proculdubio ostendens omnia, quæ deus pridem de eo veraciter dixerat verbis. Hæc audiens Iob. O magne homo dei Moyses quid lo-C queris? quid scribis? quid dicis? Tu enim es qui hæc scripsisti. Cur ergo dicis: Audiens Iob, quasi aliquid leue vel modicum, & cur non dixisti, hæc expertus Iob, hæc passus, hæc sustinens? Nam probatio & passio atque tolerantia fuerunt hæc quæ facta sunt, & non verba neque fabulæ auditus. Propterea (inquit) non dixi probationem, sed auditũ, quia non tanquam probationem æstimauit Iob, sed tanquam transeuntem auditum, & tanquam fabulas percurrẽtes. Probatio verò fuit atque passio: sed dum cum tolerantia & cum gratiarum actionibus hæc sustineret Iob, tanquã auditus pertransiit. Ob hoc ergo dicit hæc audiens Iob, tanquam vehementia, tanquam terribilia, stuporem conferentia atque in pauorem deducentia. Hæc audiens quæ alius prior non audiuit, quæ alius maior non sustinuit, quæ alius ante eũ passus non est. Hæc audiens Iob quem meditatus est diabolus, quæsiuit nequissimus, quem voluit iniquus, quem excogitauit iniustus. Hæc audiens Iob, quem angeli admirati sunt, quem incorruptibiles laudauerunt, vt is qui de terra plasmatus est, viriliter pugnauerit aduersus eum qui de cœlis deiectus est, vt puluis aduersus spiritum, vt homo aduersus diabolum, vt corruptibilis, aduersus incorruptibilem constanter steterit, & non succubuerit, atque victoriam de illo sumpserit. Cum tribus malitiosis sagittis à diabolo sagittaretur, tolerantiæ atque fidei scuto se protegens transiit illibatus. Post quas tres quarta sagittauit illum inimicus tentator nouissime cum do-D lore vltima, miserabili, sed nec hac aliquid peregit, nec per istam suam volũtatem perfecit, & ideo computat istam quasi vnam: non enim erat vna, sed decem erant in hac ipsa. Nam decem filiorum vna fuit perditio, vnus interitus. Quod autem non vulnerauerit illum diabolus, neque dolorem incusserit nequissimus, euidenter ostendit mox in subsequentibus dicens: [Tunc surrexit Iob.] Si enim vulneratus, vel contaminatus, vel laceratus fuisset, surgere omnino non potuisset. Ergo quia surrexit, manifestum est quod fortissimus perseuerauit, atque illæsus perstitit. Tunc surrexit Iob. Surrexit animo, surrexit fide, surrexit veritatis studio, surrexit ad prælium, surrexit ad virtutem, surrexit ad officium constantiæ. Tunc surrexit Iob. Certum est quia cum surrexisset dicit: Nunc belli tempus, nunc approbatio, nunc victoriæ acceptio, nunc coronarum compositio, nunc retributionis expectatio, nunc audaciæ manifestatio. Quod autem ad hæc omnia surrexit Iob, atque ad horum omnium ostensionem, atque perfectionem, iuxta hæc quæ sequuntur, manifestum est: [Conscisdit (inquit) vestimenta sua.] Qur conscidit? Ob hoc conscidit, vt expeditior atque constantior extitisset in prælio, vt illa quæ retardant deponeret, vt illa quæ impediũt à se proiiceret, vt tanquam audacissimus præliator, & tanquam singularis monomachus aduersus innumeros inimi-E cos, & aduersus inæstimabiles aduersarios, singulariter immobilis perstitisset. Ob hoc ergo conscidit vestimenta sua. Nam & vere talis mos est in aliquibus gentibus, vt quum ad durum prælium venerint, tunc nimirum scindentes vestimenta sua cum furore atque indignatione currant contra aduersarios intemperanter, nudo pectore, cum fiducia se offerentes, vt est Syrorum gens. Item verò aliæ barbaræ gentes expoliantes se, atque in ipsis tunicis se præcingentes, nudo pectore, atque scapulati viriliter eunt in prælium. Sic itaque admirabilis Iob conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta, nudus atque audax stetit in spiritale prælium. Aut adhuc conscidit vestimenta sua, sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas. Ecce inquiens dorsum nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate, ego autẽ sufferam. Vos verberate, ego autem sustineam, dicens cum Hieremia: Dorsum meum dedi ad flagella. dicens cũ Dauid: Supra dorsum meũ fabricauerũt peccatores. Sed & adhuc cũ eodem Dauid: Et eram flagellatus tota die. Adhuc conscidit vestimẽta sua, ac si diceret ad ipsos aduersarios nequissimos: O maligni atque iniqui aduersarij, mortuũ me æstimatis, vt vos putatis, & vt vobis videtur in terrã me sepelire præparatis. Si ergo me mortuũ æstimatis ô inimici, anticipem in preciosam meam sepulturam conscindere preciosas atque regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eas possidentes. Puto quòd ex illo consueuerunt homines, cum pre-F ciosam sepulturam cuilibet miserint, conscindunt eam, ne aliqui scelesti & ipsum corpus proiiciant, & ipsam preciosam sepulturam possideant. Quod si tanquam viuentem me (inquit) iudicatis, ecce (inquit) etiam sic nudus atque scapulatus sto cõtra vos, nunquam vobis cessurus. Aut adhuc cõscidit vestimenta sua. Ecce (inquit) ô maligni inimici, peculium consumpsistis, filios perdidistis, substantiam diripuistis, nec quicquam aliud nisi solum corpus atque hanc vestem mihi reliquistis. Tollite (inquit) & hanc vestem, proiicio etiam hanc vobis, nihil apud me remaneat ex his quæ in potestatem nequitiæ vestræ data sunt. Non sit mihi ex vobis hoc beneficium, oleo peccatorum non vngetur caput meũ. Super quæ vniuersa, ecce, inquit, & ipsum corpus nudum, detectum, paratum ad pœnæ supportationem, ad dolorum tolerantiam. Torque (inquit) contunde, verbera, & cum per cuncta probaueris, cognoscas quia solus Iob insuperabilis permanens in omnibus nunquam cedet nequitiæ flagellis. Hæc itaque vniuersa quum cogitaret & loqueretur, atque ipsis perficeret factis, [surrexit & conscidit vestimenta sua, & totondit comam capitis] vtpote superfluam. ociosam atque inutilem. Totondit comam capitis sui, factis perficiens id quod postea duriter ab Apostolo interminatum est verbo quia vir si comam nutrierit, ignominia est illi. Hæc itaque obseruans Iob totondit comam capitis sui. Cum totondisset,

Iob. 1. *Syri scissis vestibus pugnant.* *Psal. 129.* *Psal. 73.* *1. Cor. 11.*

G proculdubio quod ipsis eam aduersariis proiecit. Ecce (inquit) tollite & hanc, habete etiam & hanc, deglutite & istã. Arbor, inquit, sum fructifera, omnia quæ superflua à me proiicio, vt illibatus perfectum fructum afferam. Vitis enim sum bene maceriata, abscindo à me vniuersa superflua, vt in congruis omnibus dicar purgatus, ac iustitiæ perferam perfectum fructum. Totondit comam capitis sui, non vt lugens, sed vt luctum deponens atque proiiciens, omnisque luctu per tolerantiam superior existens. Totondit comam capitis sui. Sicut Ioseph cum de carcere à Pharaone educeretur, sicut Ionathæ filius cum Dauid ad Hierusalem post mortem Absalon reuerteretur, & alij innumeri priores ac posteri, quã diu lugebant, non tondebant comam, deposito autem luctu confestim tondebant: ita & nunc beatus Iob totondit comam capitis sui, vt humiliaret se, vt subiiceret, vt miseriam ostenderet. Quod est huius rei indicium? hoc quod in subsequentibus dictum est. Aspersit nanque terram super caput suum. Nisi enim valde humiliaret se, non vtique caput suum terra aspergeret. Aspersit inquam terram super caput suum. Vnde hanc opinionem sumpsisti ô beate Iob, vt terram capiti tuo aspergeres? A tritauo (inquit) generis mei Abraham dicente: Ego sum terra & cinis. & à patriarcha totius generis humani Adam, ad quem dictum est: Terra es, & in terram ibis. Hæc itaque ab illis audiens atque memor aspersit terram capiti suo. Non itaque sum tanquam diabolus qui de cœlo cecidit, sed sum tanquam vnus ex hominibus ortus de terra, ideóque terram aspergo super caput meum. Non sum sicut diabolus ex incorruptione proiectus, sed sum tanquam vnus corruptibilium de limo plasmatus. Merito terrã aspergo super caput meum, vt nouerit (inquit) diabolus nequissimus aduersus quem habet, quia aduersus terrenum habet, aduersus corruptibilem, aduersus mortalem, aduersus hominem de limo terræ plasmatum. Ob hoc aspergit terra caput

Gen. 14
2 Reg. 19
Iob 1
Adam patriarcha
Gen. 18.
Gen. 3
Esa. 14

H suum, vt instruat omnes terrenos corruptibiles atque mortales, quia etiam ipsi possunt similiter stare aduersus nequissimum. Possunt inquam similiter sufferre ac superare omnes tentationes diaboli, si deum dilexerint atque metuerint: sicut admirabiles Iob sustinuit atque portauit non modicum aliquid, sed magnos & ingentes atque terribiles dolores ac tormenta, quæ alius illo nec prior, nec posterior sustinuit: & quod est superius, non habens formam ex alio priore, nec exemplum recipiẽs ab alio anteriore. Cum vnum ex plurimis videtur Iacob filium perdidisse, à cæteris omnibus consolari non potuit, sed dixit: Ibo post filium meum lugens in infernum. Magnanimus autem Iob post peculij perditionem, & post omnium bonorum direptionem, omnium filiorum miserabilem interitum pariter simul cum audisset non suspirauit, non ingemuit, non reprehendit, non maledixit, nõ blasphemauit, non culpauit, non dixit ea quæ dicenda ratio exposcebat, quæ nunc illicite dicunt plurimi. Cur dedisti primo, aut cur abstulisti modo? Cur oblectasti primo, siue peculio, siue filiis? vel cur priuasti nunc his omnibus pariter? Melius erat vt omnino nõ dedisses, quàm vt dãs rursũ auferres. Vtilius erat vt omnino nõ ostẽderes, quàm vt ostensis denuo mulctares. Sed nihil horũ dixit, neq; omnino cogitauit sãctis-

Gen. 37

I simus atq; cõstãtissimus ille Iob, nisi tantũ vt mentẽ refrigeraret, nisi tantum vt quia lugens dolor erat, hoc quod factum est, quæ pertulit ostenderet. Vestes conscidit, caput totõdit, terram capiti suo aspersit. Per quæ vniuersa se ante deum humilians, nequissimum diabolum vsque ad inferos deiecit. Quid dicimus ô viri? Nunquid ex alio corpore creatus est Iob? Absit. Non enim cum personarum acceptione creauit deus alios tales, aliquos nihilominus tales, sed idem est omnium plasma de limo terræ, sed æqualis est omnium anima ex dei operatione. Sed quia non est omnium similis volũtas, neque pietas, neque religiositas, neque fides, neque propositum circa deum, neque spes vitæ æternæ, neque timor gehennæ, neque inferorum supplicium in tenebris exterioribus, idcirco non omnes homines id demonstrant propositum, neque eandem tolerantiam, non quia non possunt, sed quia nolunt. Propterea digne ac iuste magnificatur beatus Iob, quia volens sustinuit hæc omnia cum gratiarum actionibus. Nam post hæc vniuersa quæ superius memorata sunt atque ostẽ-

Aequalitas animarum.
Iob. 1

sa, dicit: [Et prostrauit se in terra, & orauit ad dominum.] Primum surrexit, & ita demũ se prostrauit. Surrexit ad prælium K prostrauit se ad precem. Surrexit ad virtutẽ, prostrauit se ad orationẽ. Surrexit ad victoriæ perfectionem, prostrauit se ad coronæ acceptionem. Nam & ante imperatores qui victores extiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt. Sic nanque & beatus Iob in prima tentatione quam per peculium atque filios sustinens victoriam de aduersario acquisiuit, ad orationem se prostrauit, vt perfectas tolerantiæ suæ à deo acciperet coronas. Ob hoc ergo prostrauit se & orauit ad dominum. Quem cum prostratum videret diabolus, gauisus est valde infelix: quum autem adorãtem atque orantem audisset, obstupuit atque expauit. [Prostratus, inquit, orauit ad dominum.] Iob prostratus deiecit diabolum, altum humiliauit, exaltatum supplantauit, cõfudit fortem, deformauit elatum. Super hæc autem omnia, quod omnibus maius atque superius est, cum sua prostratione Iob diabolum deiecit, & sua tolerantia nequissimum superat, formam ostendit eius qui de cœlo venit: qui vt granum tritici in terram cadẽs diabolum deiecit, & fortem alligauit, & vasa eius diripuit, & spolia diuisit, & captiuam duxit captiuitatem, & passione atque resurrectione sua mundum redemit, atque seculum saluauit. Horum nanque omnium formam atque exemplum ostendens, post horum omnium lamentabilium tolerantiam prostratus in terra orauit ad dominum, vt prostratio eius ruina efficeretur diabolo atque subuersori maligno, & figuram per hęc in se gereret passionis ac resurrectionis domini. Prostratus (inquit) orauit ad dominum ex tota anima, & ex tota L mente, & ex cordis profunditate. Orauit ad dominum. Quid orauit? Tolerantiam, sufferentiam, consummationem. Orauit ad dominum, sensus illibationem, mentis integritatem, animæ sanitatem. Hoc ergo orauit ad dominum, vt sanam, inquit, animam meam atque illibatum cor meum custodiat dominus & rex omniũ, & nunquam mihi præualebit malignus & nunquam me superabit callidus inimicus. Quanquam atterat carnes, quanquam comminuat ossa, quanquam consumat neruos, si animæ, inquit, meæ sensus illibatus à te custodiatur nunquam à te seducar domine deus meus, nunquam abstrahar à charitate tua rex meus. Idcirco orationem eius exaudiens deus, atque deprecationem illius suscipiens iustus iudex, post hæc loquutus est ad diabolum dicens: [Ecce tradidi tibi illum, tantum animã eius ne tetigeris.] Sic itaque prostratus, orauit ad deum. Vere prostratus, hoc est valde vsque ad terram humiliatus, merito vestem conscidit, comam capitis totondit, terram capiti suo aspersit. Post hæc vniuersa prostratus orauit ad dominum. Sic (inquit) rex Niniue post hoc in cinere & cilicio sedens, & cum humilitate orans, post triduum imminẽtem calamitatem effugit. Sic (inquit) & Iosias Hierosolymæ rex vestes suas conscindens præ timore comminationis dei, famulos suos vestibus cõscissis, & terra atque cinere aspersis misit ad deprecandam atque exorandam faciẽ M domini. Sic etiam primus his omnibus admirabilis Iob conscidit vestimenta sua, & comam capitis sui totõdit, & terram capiti suo aspersit, & ita prostratus ad dominum orauit. Prostratus est ad orationem, sed non cecidit tanquam aduersarius in cõtumaciam. Prostratus est ad precem, sicut Abraham cum pro Loth orasset: sed non cecidit in contumeliam, sicut diabolus qui de cœlo proiectus est propter apostasiam. Sed forsitan dicit aliquis: Et cur omnino totondit comam capitis sui, vel ob quam rem conscidit vestimenta sua, vel ob quam causam aspersit capiti suo terram? Audite: primo quidem pro his omnibus quæ demonstrata sunt. Item sanè adhuc vestimenta sua conscidit ob hoc, quia ex his quæ diabolo data sunt, apud se nihil residere voluit. Comam verò capitis sui totondit ob hoc, quia deposita diuitiarum abundantia, etiam comæ nimietatem deponeret: & aduersario ostenderet, quia sicut passus est o quia comã totondit, ita cum multitudinem bonorum deponeret atque amitteret, nihil se passum fuisse æstimasset: Aufer inquiens omnia superflua, nihil mihi superfit ex his quæ tibi data sunt. Terram verò ob hoc aspersit capiti suo, vt ex parte ostenderet filiorũ dolorem. Nisi enim hoc fecisset, alienũ illum à natura humana fuisse diceremus. Hæc videlicet vniuersa gessit, propter naturalem dolorem.

Figura passionis & resurrect. domini
Ioan. 3
4 Reg. 22
Gen. 18

Gratias

A Gratias verò egit propter constantiã & animæ veritatem, atque illã quam circa deũ habuit synceritatem. Post quæ vniuersa. [dixit ad eos.] Ad quos? Ad aduenientes dæmonũ nuncios. Nam mihi quatuor præstolabantur ei, & quatuor miseriarum prædicationes ei afferentes, quatuor lamentabilibus sagitis eum sagitantes nouissima lamentabilior fuit atque animæ contigua, filiorũ perditio. Ad istos ergo quatuor qui pręstolabantur, vt videbãtur lugẽtes atque mœsti simulatione dixit: Quid expectatis ô viri? Quid sustinetis ô homines? Hoccine, vt lugeam vobiscum? hoccine, vt vobiscum lamenter? Nõ lugeo (inquit) rei familiaris direptionem: ablatæ nãque sunt mihi cum peculio pariter etiam molestiæ atque curæ. Non lamentor filiorum decessum, transiuit enim ab oculis meis tristitia & dolor. Si enim pariter mecum aduiuerent super terram, cum dolore eram cogitaturus quales fuissent, quales profecissent, qualem finem expectassent. De istis ergo securus effectus non lamentor, non plango quod vos cupitis, non reprehendo quod vos quæritis, nõ blasphemo quod vos vultis. Non ridebit, inquit, de me diabolus, non gaudebit vt speret super me inimicus, nõ inueniet apud me id quod expectat nequissimus. [Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus ibo sub terram.] Nihil habui cum venissem, nihil requiro cum iero. Nihil attuli natus, nihil hinc auferam sublatus. Nudus exiui de vtero matris meæ, non peculium nec filios habẽs, neque diuitiis vel possibilitatibus indutus, nudus

Iob 1

B & ibo sub terram. Quod enim pariter cum corpore positum fuerit in terra, cum eodem corpore terræ efficitur terra. Merito nudus ibo sub terram. Nudus ibo, nudus, inquit, peculio sed & peccato: nudus diuitiis, sed & impietatibus: nudus substantia, sed & iniustitia. Sicut enim de carnalibus possibilitatibus vniuersis nudus effectus sum, ita, inquit, & ab omnibus illicitis nudus ibo sub terram. Non comitantur (inquit) mecum, neque malignitas, neque iracũdia, neque superbia, neque inuidia, neque zelus, neque cupiditas, neque alienarũ rerum appetentia, neque contumelia, neque calumnia, neq; violentia, neque impudicitia, neque lasciuia, neque vllum ex his quæ deo cõtraria sunt. Istis nanque omnibus nudus, ibo sub terrã. Non enim sum talis quales illi de quibus dicitur: Quia non habuerunt tegumentum, inferno vestiti sunt. Nudus inquam malis omnibus ibo sub terrã, nudus malis, bonis verò omnibus indutus, iustitia vestitus, sanctitate circũdatus, charitate ornatus, misericordia ac bonis operibus coronatus. Beati sunt, & beati erunt ô gloriose Iob omnes qui te imitati fuerint, omnes qui post te potuerint cum fiducia dicere, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & ibo in terram: qui etiam cum Apostolo dicere veraciter possunt. Nihil intulimus in hunc mundum, verumtamen nec auferre aliquid possumus. Væ autem illis qui nudi quidem venerũt, innumeris autem iniustitiis atque impietatibus crudelitate quo

1 Tim. 6

C que atque infidelitate onerati, atque prægrauati ibunt in terram. huiusmodi vestientur calamitate atque miseria, in die iusti atque personam non accipientis iudicij dei. Nudus exiui de vtero matris meæ, sicut & omnes homines, sicut & omnis caro, sicut & omnes corruptibiles, nudus & ibo in terrã. Hoc ipsum nanque expectant omnes, quia idem est introitus omnib[9], & exitus similis, siue rex siue famulus, siue diues, siue egenus, siue magnus, siue pusillus, siue liber, siue seruus, nudus ibit in terrã, nec quicquam valet auferre secum. Nam & hoc ipsum quod cum corpore mittitur, non auferet secum. Non autem secum illud tollet, quia non sentit, quia non intelligit, quia terra efficitur, quia in resurrectione non corporis sepultura, sed animæ fides & pietas, misericordia quoque & synceritas requiritur. [Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & ibo sub terra.] Tanquam si diceret. O viri prudentiæ atque sapientiæ, quod est mortale hoc indumentum, quæ est hæc superuacua gloria, quæ sunt terrenæ hæ atque infidæ diuitiæ, quæ sunt hodie & crastina non sunt, quæ hodie irrident istum, crastina verò die eunt ad alium? Fumus est deficiens, flos est transiens, herba est arescens: & qui habent illas, tanquam non habeant, quia diutius non habent: & qui non habent illas, tanquam nihil amiserint, quia non permanenter relinquũtur. Nudus exiui de vtero matris meæ, corpus habens tantum atque animam, nudus ibo sub terram: Sicut veni, ita & ibo, ita & exeo, aliena cuncta relinquens, cum

D corpore solo ibo, atque anima transibo. Quæ accepi (inquit) habeo, quæ attuli non amisi. Superflua omnia derelinquens [nudus ibo illuc.] Illuc, inquit, quo illuc? Primum quidem illuc ibo quò omnes priores mei ierunt, quò omnes ab initio, illuc in terram matrem omnium, in terrã omnium domum. Terra nãque est domus omnium mortalium. Illuc quò abiit Adam & omnes qui post eum fuerunt. Illuc quò abiit ille ad quem dictum est: Terra es, & in terram ibis. Illò, inquit, ibo, nudus sicut & nudus veni. Aut adhuc illò, inquit, ibo, vbi sunt tabernacula iustorum, vbi sunt sanctorum gloriæ, vbi est fidelium requies, vbi est priorum consolatio, vbi est misericordium hæreditas, vbi est immaculatorũ beatitudo, vbi est veracium lætitia & exultatio. Illuc ibo, vbi est lux & vita, vbi est gloria & iucunditas, vbi est lætitia & exultatio, vel vnde aufugit dolor, tristitia & gemitus, vbi obliuiscẽtur priores tribulationes hæ quæ sunt in corpore super terram. Illuc ibo, vbi est tribulationum depositio, vbi est remuneratio laborum, vbi Abrahæ sinus, vbi Isaac proprietas, vbi Israel familiaris, vbi sanctorum animæ, vbi angelorum chori, vbi archangelorum voces, vbi spiritus sancti illuminatio, vbi Christi regnum, vbi æterni dei patris infecta gloria atque beatus conspectus. Illuc, inquit, ibo, illuc perueniam, non reprehendens, non maledicens, non blasphemans, non criminans, sed gratias agens & confitens, atque cum gratiarum actionibus dicens: [Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est.] Non ero (inquit) ingratus, non ero fædigraphus, sicut tu aduersarie, nõ reddam malum pro bono,

Terra omnium mater & domus. Gen. 3

Abrahæ sinus.

Iob. 1

E sicut tu infelix diabole, sed confiteor quia [dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum.] Lamentabiles, inquit, ad me misisti nuncios ô diabole, & noxios atque immisericordes tuæ nequitiæ legatos, per quos me crudelibus tuæ iniquitatis sagittasti sagittis, quas ego (inquit) omnes identidẽ in te conuertam. crudeliora efficiens tibi in spiritu vulnera. Dominus inquam dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est. Hoc fuit diabolo vulnus, hoc fuit diabolo afflictio & dolor, tribulatio quoque atque angustia: quia cum putat & vult blasphemiam audire à Iob, & reprehensionem ac maledictum in deo, confessionem atque gratiarum actionem audiuit. Hoc factum est illi ignis deuorans, hoc factum est illi incendium perurens, quia hoc audiuit quod non sperabat: Dominus dedit, & dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit domen domini benedictum in secula. Nõ enim tantum tetigerunt Iob lamentabiles istæ diaboli sagittæ, quãtum vulnerauerunt eum synceræ eius gratiarũ actiones: Dominus dedit, & dominus abstulit. Quando voluit, inquit, dedit vt bonus, & quando voluit identidem vt habens potestatem abstulit. Dominus dedit, & dominus abstulit, Dedit inquit, vt innotescat quam fidelis sim, quam pie dispẽsem, quã misericorditer distribuam. Abstulit autem, vt appareat quomodo gratias agam, quomodo confitear, quomodo adorem, plus nunc rebus sublatis, quàm pridem datis. Dominus dedit & dominus abstulit. Dedit sua & iterum abstulit sua: ego, inquit, nihil amisi, nullum passus sum detrimentum. Merito postquam vsus sum reddidi, mutuanti mihi ea gratias agens. Dominus dedit, & dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. Quid dicis ô beate Iob? Dominus vere dedit, sed non dominus vere abstulit, sed abstulit omnium inimicus & nequissimus aduersarius atque inuidus diabolus. Dominus dedit, sed aduersarius abstulit. Dominus dedit, & inimicus refuga abstulit. Porrò si diabolus abstulit, quomodo dicit Iob, quod dominus abstulerit? Ignorans atque per suspicionem dicit. Putabat enim atque arbitrabatur quod quod dominus abstulerit, & nesciebat quod diabolus abstulit concedente domino, atque permittente. Merito ergo dicit Iob: Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est. Hæc nanque fuit illa vere magna Iob constantia, quod nesciens quia diabolus abstulit, putabat quod dominus abstulerit, & hoc putans, domino quasi auferenti gratias agit. Doninus, inquit, dedit & dominus abstulit, sicut domino placuit ita

E

Quomodo dominus dicitur abstulisse quod diabolus abstulit.

G factum est, sit nomen domini benedictum in secula. Si enim scisset Iob quod aduersum diabolum habebat, & quia diabolus cum illo hoc bellum faciebat, & quia malignus inimicus rem familiarem & filios ei abstulerat, profecto omnino ad nihilum ipsas tentationes deduceret, & in derisionem illum habens, euidenter aduersus inimicum resisteret & aperte aduersus apertum hostem staret. Nunc verò inimicus quidem hoc celauit diabolus, cum istos ei inferret labores: clementissimus autem dominus in suspitione erat & incusabatur his omnibus. Nam cum diceret diabolus, ignis cecidit de cœlo, & subito spiritus venit ab eremo. Deum incusabat istis doloribus. Similiter cum audisset Iob, quod ignis cecidit de cœlo & combussit oues, & quia spiritus venit ab eremo & ruina occidit eius filios, quid aliud suspicari poterat nisi quod deus illi ipsos dolores cœlitus immisisset? Ob hoc ergo præsertim magnificatur Iob, quia cum deus suspicatur in istis plagis ac doloribus, suscepit cum constantia, atque gratiarũ actionibus: & non dixit, quid peccaui circa te vt talia patiar ex te? Sed cum ab inimico percuteretur atque doloribus afficeretur, dominum in istis doloribus suspicabatur, & gratias agebat percutienti se, atque doloribus afficienti, dicens. Dominus dedit & dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomẽ domini benedictum in secula. Hæc itaque

H vniuersa, atque pluriora ad præstolantes sibi nequissimi nũcios beatus Iob locutus est, & per illos ad ipsum diabolum qui eos miserat, qui stabant ante eum tristes, ac flentes sicut finxerant; omnémque miseriam ostendentes ac depromentes, vt facile beatum Iob ad blasphemiam prouocarent. ad quos plurima & alia locutus Iob dixit: Cur tristes estis ô homines? Ob quam causam eiulatis ô viri? Ne forte hoc vos contristat, quia ego deo gratias ago? ne forte hoc vobis molestum est, quod ego danti ea confessionem do, & auferenti ea inuocationem emitto? Non me homo mulctauit, sed deus de cœlis qui mihi dedit diuersa, abstulit, sicut & vos dicitis, quod ignis de cœlo ceciderit. Si ergo non homo mihi damnum ingessit, sed deus quando voluit dedit, & item quando voluit abstulit, gratias ei qui dedit, & gratias identidem ei qui abstulit. Sua dedit, & item sua abstulit, & ego, ait, nihil amisi. Nam ex vtero materno nudus veniens, nihil habui. Qui habuit dedit mihi, mutuauit vtenti mihi, abstulit quæ sua sunt, nihil perdidi, sed gratias ago mutuanti, vsus his quæ data sunt mihi, & confiteor largitori, dicens. Dominus dedit & dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est. Placuit antea vt daret, placuit nunc vt rursus auferret. Sicut domino placuit ita factum est. Omne quod deo placuerit bonum est, omne quod domino placuerit iustum est. Placuit illi vt daret, bene placuit. Placuit illi identidem vt auferret, iuste placuit. Sicut domino placuit ita factũ est. Quandiu illi placuit habuimus, quando placuit ei nõ ha-

I bemus. Sicut domino placuit, ita factum est. Quando habuimus, non propterea nostra habuimus, sed domini: & cum perderemus omnia, nõ propria perdidimus, sed abstulit quæ sua erant dominus. Sicut domino placuit, ita factum est, sicut dominus voluit, sicut domino placuit. Omne quod vult dominus vita est, lux est, requies est, æterna beatitudo est, vita enim in voluntate eius est, & ira in indignatione eius. Quodcunque ergo placuit domino, siue percutere, siue mulctare, siue ditare, siue pauperem facere, siue arguere, siue corripere, omnia beatitudo est incorruptibilis atque indefinẽs. Beatus, inquit, homo quem tu erudieris domine. Sicut domino placuit, ita factũ est, sit nomen domini benedictum in secula. Sic oportet omnes Christianos, atque omnes credẽtes dicere & facere & cogitare in omnibus quæ eos circundederint, atque eis occurrerint, siue pecunias perdant, siue filij auferãtur, siue paupertas incumbat, siue infirmitas immittatur. Dicant in his omnibus cum synceritate: sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum in secula. Nomen domini, inquit, propter quod omnia sustineo atque suffero, propter quod omnibus quæ mihi obuenerunt superior existo. Sit nomen domini benedictum in secula. Nomen domini, quod mirabiliter cœlos extendit, quod terram firmiter fundauit, quod abyssos terribiliter signauit. Sit nomen domini benedictum in secula: Quod cum vidissent leones in Daniele, in agnos immutati sunt: quod cum flamma

K ignis agnouisset in Anania & Azaria & Misaele, foras à fornace fugit, atque eos qui extra fornacem erant combussit, vtpote non habentes in se sanctum nomen domini. Illis autem qui intra fornacem erant non appropinquauit, quia terribile nomen domini in illis conspexit. Hoc etiam & cetus cum videret in Iona, obstupuit atque illæsum eum quem de naui susceperat reddidit, intaminatum remisit quem viuum suscepit: Hoc inquam nomen domini sit benedictum in secula. hoc nomen quod pauci ex prioribus agnouerunt, posteriores verò omnes susceperunt. Hoc nomen de quo dicunt sancti ex persona dei. Vobis qui timetis nomen meum cognominabitur nouum nomen quod benedicetur super terram & adhuc. Non est nomen aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc inquam nomẽ domini sit benedictum in secula. quod iram auertit, quod maledictũ abstulit atque remisit, quod dæmones terruit. hoc nomẽ domini sit benedictũ in secula. Sit benedictũ in angelis & in hominibus, in cœlestibus, virtutibus, in spiritibus atque in omnibus iustorũ animabus, in gẽtibus & in omnibus fideliũ congregationibus. Sit nomen domini benedictũ. Quousque, aut quandiu sit benedictum? In secula, inquit, in finem

L præsentis & in initio infiniti illius seculi. Sit, inquit, nomen domini benedictum in animabus castorum, in cordibus piorum, in mentibus religiosorũ, in ecclesia sanctorum, in congregatione verissimorum dei famulorum. Sit nomẽ domini benedictum nõ in tempore dimenso, atque statuto, sed in secula. In secula inquit, siue in præsenti seculo vsque in finem, siue in futuro seculo illo infinito, atq; indeficienti. Sit nomẽ domini benedictum in secula. Circuncisio, inquit, ad tempus fuit, lex vsque ad plenitudinem temporis fuit. Postquam venit plenitudo temporis misit deus filium suum qui legem impleuit, & gratiam demonstrauit, & nomen illud benedictionis impertiens cunctis in perpetuo petentibus tradidit. Sit nomen domini benedictum in secula. Nomen domini ait boni misericordis, patientis, benigni, clementissimi. Sit nomen domini benedictum, qui benedictionen seminauit, produxit atque ostendit. Sit nomen domini benedictum, qui cũcta bene perficit, qui cuncta bona vniuersis prouidet, qui bene, inquit, mihi magnam patientiam atque tolerantiam condonauit, vt tanquam aurum in fornace probatus, perspicuæ fidei, tolerantiæ quoque atque patientiæ formam cunctis subsequenter ostendam, iustus comprobatus, electus demonstratus atque probabilis ostensus, non domino qui est

M præscius, sed hominibus in mundo ignorantibus. Nam præscius dominus etiam ante passionis initium tolerantiæ sciebat exitum. Merito testimonium perhibuit, qui ob hoc ipsam tentationem permisit, vt his qui in mundo sunt comprobaretur iustus. Pro his ergo omnibus sit nomen domini benedictum in secula. Hæc audientes subsequenter etiam sancti prophetæ à beato Iob edocti dixerunt. Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. Sicut enim mirabilis Iob cum dolores sustineret nomẽ domini benedixit, ita & beati prophetæ persecutiones & dolores sustinentes terribiles, nomen domini benedixerunt. Post quæ vniuersa, velut victoriæ titulum, gloriæ, ac laudis atque honoris illi statuens magnus ille Moyses scribit, ac dicit. [In his ergo omnibus quæ ei acciderunt, non peccauit Iob, neque in conspectu domini, neque in labiis suis.] In his omnibus inquit, tam plurimis, tam magnis, tam periculosis, támque terribilibus, ac vehementissimis, in omnibus primis ac nouissimis, maioribus ac minoribus quæ fuerunt ante plagã in omnibus miserabilibus ac lamentabilibus, grauibus quoque & mentem perturbantibus, animam comminuentibus, præcordia perterrentibus. In his omnibus. Nam nisi essent plurima & magna, atque terribilia, non vtique dixisset in his omnibus quæ ei accidẽrũt, tanquã si diceret. Quis regum à seculo talia bella peregit ô viri? Quis ab initio procerum huiusmodi perfecit victoriam ô homines, quemadmodum admirabilis Iob? Quis percussus est & non est interfectus, sagitatus est & non est vulneratus, doloribus est affectus & non est deiectus, suffossus est & non est subuersus, miseriis est afflictus & non est comminutus? Solus super omnes antiquos ac posteros immobilis

Ioan.2.

Act.5.

Psal.94.

Nominis domini vis

Dan.6.

A immobilis gratificentiæ, & tolerantiæ scuto se circundans, solúsque aduersus innumeros stans, insuperabilis perseuerauit, atque solus de multitudine iniquorum victoriam sumpsit. Hoc nimirum scribens, ac proferens Moyses, & tãquam perpetem titulũ in formam tolerantiæ iis qui in mundo sunt statuens, dicit: [In omnibus quæ ei acciderunt nihil peccauit Iob.] Acciderunt ei diuitiæ, & gloria, sed nihil peccauit, non enim est elatus in superbiam. Accidit ei splendor & læticia, sed nec quicquam peccauit. Non enim est oblitus timorem domini, neque dereliquit misericordiam, ac miserationem. Post hæc videlicet accidit ei paupertas ac miseria, sed nihil peccauit Iob, quia non blasphemauit omnium dominantem. Accidit ei dolor, & plaga, & vermes, & putredo: sed nihil peccauit iustus ille. nam cum gratiarum actionibus vehementes illos sustinuit dolores. Veraciter ergo scribit magnus ille Moyses de Iob, & veraciter dicit: [In omnibus quæ ei acciderunt nihil peccauit Iob, neque in conspectu domini neque in labiis suis.] Quid est quod dicis ô magne Moyses? quid est quod loqueris, neque in conspectu domini, neque in labiis suis? Ego, inquit absque mendacio loquor, & iuste loquor. In conspectu enim domini non peccauit, hoc est, in animæ consiliis, neque in cogitationibus, neque in tractationibus cordis. His enim obseruat, & ista respicit facies domini, quæ in corde cogitantur atque tractantur, iuxta hoc quod dictum est: Non sicut videt homo, videt deus. Sed homo videt in facie, & non in corde: Deus autem videt in corde & in facie & in cogitationibus, atque in ipsis cordis consiliis.

In conspectu domini animæ consilia.

1 Reg. 15

B Istas scilicet cordis cogitationes, consilia quoque atque tractatus designans dicit: Neque in conspectu domini. Verba autem & eloquia demonstrans: Neque, inquit, in labiis suis, ac si diceret. Omnia quæ prouenerunt ei ita sustinuit Iob & ita supportauit, vt nec in verbis labiorum blasphemaret Deum, neque in cordis cogitationibus reprehẽderet, neque in animæ consiliis culparet. Quomodo malum cogitaturus erat iob in corde suo aduersus deum, qui pro filiorum cordibus curam gerens, dixit, ne forte filij mei in cordibus suis mali aliquid cogitauerint aduersus deum? Non peccauit inquit, in conspectu domini, corde male cogitando: neque in labiis suis, illicita loquendo. Super hæc omnia, non dedit, inquit, insipientiam deo. Quid est quod dicit, non dedit insipientiam deo? Ac si diceret. Non extitit infidelis deo, non extitit infirmus, neque instabilis, neque perfidus, neque cõmotus. Non dedit insipientiam deo. Non enim fuit quemadmodum domus illa quæ super arenam est fabricata, quæ non habuit fundamentum, hoc est, fidei & pietatis firmamentum, quæ facile ventis & aquis commota cecidit. Sed non fuit talis beatus Iob, sed firmus, stabilis, atque immobilis fuit. Idcirco omnis impetus nequissimi, & omnis inũdatio diaboli subuertere, vel deiicere immobilem illum non potuerunt.

Hoc itaque demonstrans dicit: [Non dedit insipientiã deo.] D Sicut diximus non extitit infidelis deo, neque infidigraphus, neque ingratus. Aut adhuc, inquit, non dedit insipientiã deo. Ac si diceret, non fecit sermones dei neque testimonia eius infidelia, neque superuacua, neque mendacia. Quæ verba dei, vel quæ testimonia? Ea quæ ad diabolum locutus est, testimonium perhibendo Iob, non fecit ea infirma vel superuacua succumbendo atque detrahendo, sed fidelia illa atque firma fecit, cum gratiarum actione sufferendo cuncta sibi accidentia. Merito ergo dicit, non dedit insipientiam deo, non extiterunt testimonia dei de illo infirma, neque mendacia per illum, sed fidelia ac firma, atque vera. Non dedit vllam occasionem, vel suspitionem infidelitatis deo. Non necesse habuit deus cõfundi de iis, per quæ velut fideli testimonium perhibuit illi. Nam cum esset firmus & fidelis, non dedit insipientiam deo, hoc est infidelitatem deo. Quod autem erubescat deus infidelibus, atque infirmis, ipse dominus ostẽdit dicens: Qui erubuerit me, confundet hunc filius hominis cum venerit in maiestate sua. Deus verò attestabatur fidei Iob, diabolus verò attestabatur infidelitati. Deus testificabatur quod non propter pecuniam, sed propter dilectionem coluerit illum Iob: diabolus verò confirmabat quod non propter dilectionem colebat illum Iob, sed propter substantiam. Postquam verò omnia ei abstulit diabolus & rem familiarẽ, & filios, & in eisdem gratiarum actionibus permaneret Iob circa deum, tunc nihilominus apparuit quod non propter pecuniam, sed propter dilectionem seruiebat deo: tunc scilicet testimonium diaboli infirmum ac mẽdax factum est, dei verò testimonium verum ac fidele probatũ est. Hæc sanè vniuersa vno verbo ostendens, atque perstringens, dicit: [In E his omnibus quæ ei acciderunt, nihil peccauit Iob, neque in conspectu domini, neque in labiis suis. & non dedit insipientiam deo.] Studeamus etiam ô viri, studeamus omni virtute nostra ô amici vt non demus infidelitatem deo, vt non existamus ei infideles, neque in fide, neque in verbis neque in factis, neque in cogitationibus neque in consiliis, neque in impietate, neque in tribulationibus, neque in deliciis, neque in gloria, neque in paupertate, sed hæc vniuersa cum patientia transeamus, atque cum gratiarum actionibus sustineamus, vt in omni vita nostra fideles deo, & firmi in fide ac pietate reperiamur ad instar beati Iob qui in omnibus quæ ei acciderunt fidelis permansit coram deo, & fidelia omnia ostendit de se testimonia eius: qui primus hominũ post Abel atque Abraham his qui in mundo sunt bonorum dereliquit formam, qui nominatur atque magnificatur inter homines in perpetuo, qui requiescit cum angelorum choris in gloria incorruptibili in infinita secula. Qua requie etiam nos omnes dignos habeat misericordia domini.

Luc. 9

Adhortatio

C IN IOB PRIMI LIBRI FINIS. F

LIBER SECVNDVS IOB.

SICVT pulcherrimi solis radij delectabiles sunt ad videndum omni homini illibatos oculos habenti, ita & admirabilis Iob passio desiderabilis est, ac delectabilis, atque necessaria ad audiendum omnibus piis, omnibus credentibus, omnibus deum intuentibus, atque deum diligentibus. Nam admirabilis Iob, cum prima congressione victoriam de diabolo perfecisset, atque triumphator de maligno extitisset, quanto magis victoriam de illo sumpsit, tanto amplius illum ad zelum circa se, & ad maius certamen atque bellum cõmouit. Velut enim inextinguibilis ignis flamma succensus nequissimus, tractans apud semetipsum dixit. Nunc mihi est belli tempus, nunc victoriæ spes mihi nusquam est, nunc exurgam ad certamen circa Iob, nunc euidenter cecidi propter tolerantiam eius. Non, inquit, est mihi fugiendum. Non enim permittit superationem virtus ipsa quæ nunc est, sed adhuc est mihi congrediendum. Timeo enim ne rursus terribiliter cadã ante eum. Sed interim fugit cũ non valet & congredi non audet, & concertare metuit. Melius est, inquit, vt congrediar, quàm ante secundã luctationem indeliberanter fugiam, aut ante secundam cõgressionem inutiliter terga vertam. Forsitan, inquit, in secunda congressione victoria ad me reuertetur. Forsitan enim contemnit sua, & filios, seipsum autem non contemnit, suum proprium corpus non spernit, proprios suos dolores nõ despicit. Quæram illũ, ipsum requirã, corpus ipsius percu-

G tiam dolore, liquefaciam vulneribus, consumam vermibus: forsitan his doloribus succumbens maledicet, forsitan hanc pœnam non sufferens blasphemabit. Diuersa enim immutantur tempora, aliquando huc, aliquando autem illuc flectuntur. Merito, inquit, est etiam mihi adhuc spes victoriæ. Hæc itaque, atque his similia cogitans, atque apud semetipsum tractans nequissimus diabolus, rursus impudentia vtitur, rursus importunitatem demonstrat, rursus tanquam canis rabidus in baculum irruit, non considerans propriã deiectionem, non intelligens propriam deformitatem. Rursus ante faciem dei subintroire audet, rursus irreprehensibilem illum Iob reprehendere non metuit, quo magis per omnia confusus atque conuictus existeret. Hæc nanque vniuersa demonstrans, atque commemorans, dicit: [Et factum est quasi dies illa.] Quæ dies? Dies temporis, dies opportunitatis. Et factum est quasi dies illa. Dies tolerantiæ, dies consummationis, dies adimpletionis primæ victoriæ Iob. Et factum est quasi dies illa. Dies in qua diabolus cecidit, Iob verò surrexit: dies in qua diabolus humiliatus est, Iob verò exaltatus est: dies in qua diabolus confusus est, Iob verò coronatus est. Et factum est quasi dies illa. In qua rediuiuum iudicium inter Iob & diabolum est auditum, in qua rediuinæ coronæ Iob ab angelis aptatæ, atque consecratæ sunt. Factum inquam est, quasi dies illa, similis ei de qua superius dictum est, de qua iam superius plurima diximus. [Et factum est quasi H dies illa, & venerunt angeli dei vt starent ante dominum & diabolus venit cum illis vt staret ante dominum.] Venerunt angeli, non de loco in locum translati, non de regione ad regionem transeuntes, non de prouincia ad prouinciam commeantes, sed ante dominum iugiter perseuerantes. Nam si vt iustis lux semper, ita facies dei super iustos semper, ita ante deum iusti semper, multo magis gloriosi atque sancti angeli, qui indesinenter ac perpetue permanent ante Deum in gloria. Venire autem dicuntur vel ire, cum ad ministerium fuerint missi, cum legationes adimpleuerint, cum mandata perfecerint, cum propter eos qui patienter sustinuerint, Deum magnificauerint, cum propter eos qui salutem adipiscuntur deum laudauerint, quando pro perfectis cœlesti domino cõfessi fuerint, quando pro omnimodis dei miraculis æterno regi indesinenter gratias egerint. Et nolite mirari ô amici quòd angeli venire vel ire dicuntur, quia maiora atque mirabilia audituri estis. Nam & ipse deus, qui est angelorum atque omnium spirituum rector & conditor, venire & ire dicitur, descendere & ascendere, sedere & surgere, dormire & à somno surgere, & quod est omnibus stupendũ magis, dicitur tanquam potens crapulatus à vino. Exurge quare obdormis domine? exurge & ne repellas in finem. Et suscitatus est tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et descendit dominus & locutus est cum I Moyse. Et ascendit deus postquam locutus est ad Abraham, & alia innumera his similia de deo in scriptura reperiuntur fuisse dicta. Si ergo immobilis & inexcitabilis & inemigrabilis atque simplex in iisdem semper iugiter permanens deus hæc vniuersa dicitur, & ire & venire, venit, inquit, deus ad Balaam, & sedere & surgere: quid magnũ si angeli eius atque ministeriales spiritus venisse ad deum dicuntur ad increpandũ diabolum, atque omnes qui operantur voluntatẽ illius, & ad testandum sanctis atque synceritatibus eorum, quas habent circa deum? ad magnificandũ deum in misericordiis eius & bonitatibus eius, atque longanimitatibus & inuestigabilibus eius miraculis, quæ indesinenter ostendit circa genus humanum? Sic ergo venerunt, & veniunt angeli ante deum. Prima vice venerunt vt iustificationibus Iob attestarentur & fidei ac pietati eius, sed tunc sanè solis iustificationibus Iob attestati sunt. Nunc verò secunda vice venientes ante deum, non solis iustificationibus eius sunt attestati, sed & tolerantiæ & iustificationibus, patientiæ quoque, ac constantiæ, atque dilectionis quam erga deum habuit plenitudini. Istis nanque omnibus attestantes gloriosi angeli, necnon & diaboli nequitiam accusantes, atque mendacem illum comprobantes, venerunt ante deum, cum quibus & diabolus venit. Venit nihilominus non facie ad faciem, sed consiliis & cogitationibus, sensibus atque tractationibus, desideriis ac deliberationibus sicut superius per plurima demonstratum est. Quas cogitationes cum videret deus, re- K spondit illi, dicens: [Vnde venis tu?] Respondit nihilominus non labiis loquens, nec verba depromens, neque colloquio suo iniustum illum dignum faciens, sed nec omnino in præsentia eum suscipiens. Nam ille quia à sanctis execratur, & odio habetur atque conculcatur, in conspectu dei nunquam veniet. Si enim impij (vt superius dictum est) non resurgent, neque peccatores in concilio iustorum: multo magis omniũ impietatum prouisor, atque totius peccati auctor diabolus in consilium diuinum non veniet, neque deifico colloquio dignus habebitur, iuxta omnia quæ in anterioribus memorauimus. Venit ergo consiliis & cogitationibus atque desideriis, & audiuit non colloquium, sed increpationem atque obiurgationem nequissimarum cogitationum suarum, atque infestorum desideriorum ac deliberationum suarum, quæ demonstrans dicit: [Et respondens dominus ait ad diabolũ. Vnde venis tu?] Interrogat præscius, atque prouidus, qui omnem scientiam cunctis præstat hominibus, interrogat refugam, apostatam, aduersarium, nequissimum, iniustum. Interrogat vt ex ore illius, atque ex responso illius eum arguat & condemnet, atque conuincat, vtpote mendacem & malignitatis zelo, ac liuore repletum. Vnde venis tu deiecte, confuse, humiliate? Vnde tu venis victus, superatus, conculcatus? Vnde tu venis qui de excelsis es expulsus, & super ter- L ram es condemnatus, qui de cœlis es proiectus, inter homines abdicatus? Vnde tu venis, qui post iniquitatem festinas, qui post iniustitiam curris? Tu qui homicidia appetis, tu qui adulterij es cupidus, tu qui sanguine potaris, qui omnium impietatum super terram es prouisor, omnium malorum inter homines inuentor. Vnde tu venis? Tu qui tempus non habes, tu qui quietem non expectas, tu qui resumptionis memor non es, neque requiem speras. Vnde tu venis? Confitere, & noli negare, ostende, & noli celare. Sed non accipiens hæc nequissimus, nec omnino audisse se simulans, pro aliis alia respondit dicens: [Circuiui omnem terram, & peragraui vniuersum orbem qui sub cœlo est.] Subtiliter fingis ô infelicissime diabole, humiliationem tuam tegis, deformitatem tuam reticescis, confusionem tuam minime depromis, quod à luto conculcatus fueris, quod à terra deuictus, quod à puluere fueris superatus. Lutum enim & terra & puluis est Iob propter terrenum corpus, sed interim terrenus ac luteus superauit, inquit, te ô diabole, qui cum sis incorruptibilis spiritus, tanquam fulgur de cœlo cecidisti proiectus. Corpus scilicet luteum superauit fulgorem incorruptum, spiritum immortalem atque incorporeum. Hanc scilicet confusionem tuam reticescens ac prætermittens ô callide diabole, gloriaris ac plaudis quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris. Sed hoc in maximam deformitatem M tuam dicis: nam gloria tua atque elatio referta est omni deiectione. Si enim tantum potuisti vt omnem terram, post hæc omnes terrenos, atque vniuersos qui sub cœlo sunt circuires atque peragrares, hoc est, cõculcares atque sub te subiiceres, quomodo non potuisti vni terreno atque corruptibili Iob præualere? Sed omnis potentia tua, ac virtus, atque prædones exercitus tui & gladius eorum & triplicia equitum tuorum cornua & ignis qui de cœlo cecidit, vt tu dixisti, & venti qui ab eremo venerunt, quod erat tuæ nequitiæ inspiratio, vniuersa, inquit, hæc infirma ac superuacua extiterunt per iusti Iob tolerantiam, atque per gratiam actiones confusa atque auersa. Post quæ vniuersa, non, inquit, te ô diabole interrogo quam terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, de istis nanque interrogare te opus non habeo. Scio enim quòd incessanti nequitia indesinenter cuncta quæ sub cœlo sunt circuis, & peruolas, vtpote aereus spiritus fulguris velocitati consimulatus. Non, inquit, te de hoc interrogo, sed hoc, vnde veneris, vel à quibus veneris. Ab inconfuso confusus, ab exaltato humiliatus, à glorioso spe vacuus. De istis, inquit, interrogo atque de his te admoneo, cum stes velut igneis iaculis stimulatus. Quis enim est maior ignis diabolo quã hic, vt à carnali & terreno superetur atque conculcetur, cum sit spiritus incorporeus? Vnde tu venis seductor, insidiator, humiliatus, deiectus, confusus? Vnde tu venis? Vbi est

Iob.2.

Angeli semper ante deum in gloria.

Deo motus & status differẽtias tribuit scriptura.

Psal.43.

Num.22.

A est arrogantia tua? vbi est elatio? vbi magniloquium tuum? Vbi sunt mendacia tua, quibus dixisti quod me Iob propter pecuniam colleret? Tu facultates ei abstulisti, ego verò gratiarum actiones atque confessionem ab eo suscepi. Nam cum tu, inquit, omnem substantiam eius abstuleris vt non habeat vnde mihi hostias offerat, solita gratiarum actione mihi sacrificia immolat ex mundo corde atque conscientia pura. Vnde venis tu ô diabole? Non à pœnitentia, non à côuersione, neque ab hoc quod deformitatem tuam videns confundaris. Sic itaque interrogo te malignissime vnde venias. Non enim venis sicut pridem ad Adam cum victoria, sed sicut post à Iob cum confusione. Adam enim olim seduxisti, sed Iob post hoc non supplantasti. Adam de paradiso eradicasti, sed Iob à sanctitate non auertisti. Vnde tu venis de excelsis expulsus, & de cœlis deiectus, de angelorũ choris proiectus? Vnde venis tu qui super terram iniustitiam germinasti, qui sub sole impietates disseminasti, qui ea quæ sub cœlo sunt vniuersa malis replesti? Vnde venis tu? Tu qui es mortis auctor, malorúmque inuentor, atque malorum omniũ initium, iniquitatis operator, pater mendacij. Vnde, inquit, tu venis? [Circuiui, inquit, omnem terram, & peragraui vniuersa quæ sub cœlo sunt, & ecce adsum.] Adsum, inquit, qui non succumbo, neque humilior, qui non conuertor neque satisfacio, qui pœnitentiam non ostendo, sed tanquam vitiis B indomitus præsto. Mutaberis, inquit, ô diabole in dilectissimo tuo, hoc est, in temetipso. Nam cum nõ flecteris, neque subiiceris, neque pœnitentiam demonstras, in irremediabilem inferorũ pœnam demergeris, inextinguibili igni gehennæ traderis & tu & omnes qui te ad infidelitatem sequũtur, tu inquam & omnes qui per te ad impietatem persuadentur. Adsum, inquit, is qui non ita est in factura sua factus, sed in operibus ita demonstratus, qui non ita est factus natura, sed exiuit voluntate. Non enim in factura naturæ, sed in voluntatis operatione diabolus est factus. Adsum, inquit, is qui peccatis congaudeo, qui impietatibus lætor, qui iniquitatibus iocundor, qui omni iniustitia & omnibus impudicitiis atque omnibus malis delector. Adsum, inquit, is qui spem non habeo, qui salutem non expecto, qui misericordiam nõ sustineo, qui refrigerij nõ sum memor. [Circuiui, inquit, terram & peragraui eam, & ea quæ sub cœlo sunt, & ecce adsum.] Cui post hæc omnia respondens deus dicit: Non te de hoc interrogo qualiter terram circuieris, hoc est, eos qui terrena sapiũt, neque de hoc quemadmodum ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, hoc est, eos qui cœlestia non desiderant, sicut & tu ipse, qui cœlo reuerti vltra non potes, sed hoc te interrogaui & interrogo. [Animaduertisti ad puerum meum Iob?] Ac si diceret, intellexisti quid sit Iob? Relaxasti sensum C tuum ad eum? cognouistíne illum, vel probasti indeclinabilem fidem eius, & immobilem firmitatem, & inuiolabilem fortitudinem, & inuiolabilem pietatem atque religiositatem illius? Animaduertisti vel intendisti ad puerum meum Iob? ac si diceret. Certus es ô inimice omnium bonorum diabole, vter nostrum veritatem dixerit, ego an tu, vter absque mendacio loquutus fuerit, ego qui in testimonium perhibui, an qui eum accusasti. Dicis quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris, reperisti similem Iob? vidistíne æqualem illi? Ob hoc, inquit, te interrogo vnde veneris, vel vnde veneris, vel vnde venias, vt ostendam Iob sanctitatem ac meritum, patientiam quoque ac victoriam, gloriam nihilominus atque coronã, tuam verò deiectionem, & humiliationem, confusionem quoque atque perditionem. Quãquam enim tu neges, sed ego ostendam. Quamuis tu non confitearis, sed ego non sileo. Terram enim te circuisse dicis, perditionem tuam verò non depromis. Cum abscondis tuam deiectionem, coronas Iob furaris. Respexisti ad puerũ meum Iob, qui caput tuum conculcauit, qui humiliauit altitudinem tuam, qui deiecit elationem tuam? Gloriaris, inquit, nequissime Satana quod terram circuieris, & ea quæ sub cœlo sunt peragraueris: sed mala est hæc gloriatio tua atque inutilis elatio. Ad malum enim circuisti terram, & ad iniustitiam peragras ea quæ sub cœlo sunt. Peruolas enim pelagus & aërem & penetras omnes gentes, prouincias ac regiones, vt plurimos filios gehennæ facias, vt plures tuæ pœnæ efficias par-

Quorsum Satanas circuit terrã

ticipes. Sicut enim canis rabidus vias ac transitus percurrit, D vt omnes quos ante se inuenerit, alios quidem morsibus vulneret, alios nihilominus in stuporem deducat terroris: ita & tu, inquit, nequissime Satana terrã circuis, & ea quæ sub cœlo sunt vniuersa peragras, non vt aliquem componas, sed vt cunctos extermines, quorumdam animam per peccata vulnerans, aliorum nihilominus mentes obtundens atque infatuans. Et cur superius sanè illum diabolũ appellat, nũc verò Satanam? Diabolus enim accusator interpretatur, Satanas verò resistens vel rebellis, aut etiam contumax. Ergo quia superius occulte quidem accusauit Iob ad deum, idcirco superius diabolum illum appellat, vt pote accusatorem: Nunc verò rursus quia ad euidentem contumaciam circa Iob peruenit, meritò Satanam illum dicit: vt pote rebellem. [Respexisti ad puerum meũ Iob ô infelix diabole? Cũ dolore audisti, quod puerum suum nuncupauit deus Iob. Dolor tibi fuit hæc vox amaritudinis, hæc auditio grauis tibi fuit, hic dictus væ tibi fuit pro hoc testimonio quod attestatus est deus Iob, dicẽs: Respexisti ad puerũ meum Iob? Et ante, inquit, puer meus fuit, & nunc puer meus permanet, & tuæ nequitiæ accusatio nihil ei præualebit. [Respexisti ad puerum meum Iob? Superius dixit: Animaduertisti ad puerum meum Iob: nunc verò, respexisti ad puerum meum Iob. Ac si diceret: vidisti, probasti, certus es, quia & antea seruus meus fuerit, & nunc seruus meus permanet, & à mea, inquit, seruitute nunquam fugit, nec fugiet. Et ipse, inquit, testis sum, & angeli mei auditores, qui in conspectu meo venientes, & Iob tolerantiã mi- E rantes dixerunt. Magnum miraculum vidimus inter homines ô terribilis creator omnium, nimio stupore dignum ô æterne rector vniuersorum. Vnus terrenus homo de limo plasmatus nostris immortalibus angelorum choris multo inferior, illum qui ex immortalibus Cherubim officiis cecidit atque proiectus est diabolum, sola tolerantia ac deuotis gratiarum actionibus superauit atque in fugam vertit, & omnes fraudes eius atque iniquitates superuacuas demõstrauit. [Respexisti, inquit, ad puerum meum Iob?] Ad illum obtemperãtem puerum atque verum, qui percussus non discessit, qui cæsus est, & non deliquit, qui tibi est traditus, & non me denegauit, qui à te percussus est, & mihi gratias agit. Istum, inquit puerum respexisti qui aduersum te stetit, & mihi non restitit qui aduersum te dimicauit, & me adorauit, qui te conculcauit, & me non contempsit, qui te odio habuit, & me dilexit? Ad hunc, inquit, puerum meum respexisti? Ad hunc cui similis in tolerantia à temporibus Abel non fuit? Abel enim cum semel sustineret internicionem, transiuit, & requieuit. Iob verò cum plurimo tempore sustineret, diutius morte affectus est, & multipliciter doloribus mulctatus atque afflictus. In quo apparet, inquit, quod non est illi similis homo su- E per terram. Abraham non est, Melchisedech translatus est, Noe requieuit, Enoch eleuatus est, Abel assumptus est. Merito non est illi similis alius homo super terram. Ex his qui modo viuunt, non est illi similis super terram. Intende quia non dicit, non est illi similis super terram ex iis qui fuerunt, vel erunt: nam post hoc fuit Ioannes, quo maior inter natos mulierum non fuit. Merito de iis qui tunc fuerũt, dicit: [Nõ est similis illi alius ex his qui sunt super terram.] Ac si diceret. Ex his qui sunt super terrã in temporibus eius, in diebus eius in vita illius, non est alius similis illi, in iustitia, in fide, in pietate, in tolerantia, in constantia, in gratiarum actionibus, in misericordia atque in omnibus virtutibus, non est alius homo similis illi in terris. Quis alius ante eum, vel post eum talia sustinuit, & sustinens gratiarum actiones recompensauit pro vehementioribus doloribus atque amarissimis pœnis? Quis extitit tolerantię Iob forma? nullus. Abraham enim filium immolare præceptus est, sed protinus identidem viuum illum suscepit, quem mactaturus atque immolaturus fuerat. Iob vero non ita, sed repente, subito, insperate septem filios, & tres filias simul pariter mortuos, & nunquam reuiuiscentes audiuit & vidit: sed fides ex eo mortua non est, neque patientia, neque gratiarum actio, neque dilectio quam erga deum habuit. Sed quemadmodum aurum per ignem transiens splendidius atque gloriosius efficitur: ita & Iob tentationum ignẽ transiens, clarior atq; deo

Satanas quid sonet tamen proprie apud Heb. significat hostẽ

Iohannes bap. maior Iob

Matt. 11.

Gen. 22

G preciosior atque acceptabilior comprobatus est. Merito ergo dicit. [Non est similis illi super terram.] Fulget, inquit, tanquam sol veritate ac patientia, relucet fide & tolerantia velut cœli luminaria. Ob hoc non est similis illi alius super terram, firmus vt lapis, vt fundamentum immobilis, tanquam adamas incõminutus. Nõ est similis illi ex his qui sunt in terris. Sine querela, vtpote nec ab angelis, nec ab hominibus in vllo est reprehensus. Iustus, vtpote iusto dei iudicio iustus comprobatus. Verus, vtpote nec in verbo, nec in facto, neque in magno, neque in minimo falsitati approximãs, neque mendacio communicans. Dei cultor, vtpote non oberranti animi conscientia vnum colens omnipotentem, omnium creatorem, patrem Iesu Christi. Abstinens se ab omnibus operibus malis, & antea & nunc, ab initio & vsque in finem. Non enim, nec antea facultatum abundantia, neque nunc bonorum perditio ad mala eum declinauerunt. Super hæc omnia quidem summo singulari atque mirabili modo perseuerans in simplicitate. Cum tanta, inquit, à te sustinuerit, cum tanta à te passus fuerit, tanta ex tua malitia supportauerit, adhuc perseuerat in simplicitate. Omnes qui in doloribus, & in tormentis atque in passionibus fuerint, ipsis doloribus examaricati atque exaggerati, amariores, & noxiores atque peiores efficiuntur. Sed non ita est, inquit, constan-H tissimus Iob, sed ita non est admirabilis ille vir, sed adhuc perseuerat in simplicitate. Ac si diceret, adhuc innocentior in ipsis doloribus perseuerat, adhuc longuanimior, adhuc modestior, adhuc benignior, adhuc iustior, adhuc syncerior circa deum. Quantum enim, inquit, tu ô diabole augmẽtasti ei mala, tantum Iob adiecit ad innocentiam. Adhuc perseuerans in simplicitate. Adhuc inquit ac si diceret. Super omnia quæ ei fecisti, super omnia quæ ei ostendisti, super omnia quibus eum afflixisti, super omnia hæc videlicet adhuc perseuerat in simplicitate. In præcedentibus laudatur Iob à deo, vtpote iustus ac verax dei cultor: nunc verò adiecit illis deus super hanc laudem dicens: [Perseuerans *Iob.2.* in simplicitate sua.] Bene ac digne. Figura enim fuit eorum, qui in noua gratia omnia in simplicitate transierunt atque sustinuerunt, nulli malum pro malo reddentes, sed præce-*Mat.5.* ptum domini adimplentes, dicentis: Diligite inimicos vestros, & benedicite eis qui maledixerint vobis, & volenti auferre pallium tuum dimitte ei & tunicam. Horum nanque omnium typum gerens beatus Iob. cum hoc quod in simplicitate perseuerauit atque cuncta sustinuit, cum hoc ipso etiam auferenti pallium suum, hoc est omnem substantiam suam diabolo, & tunicam dimisit, conscindens illam atque proiiciens illi, & dicens: Quæ postulasti à deo, accepisti: tolle & hæc quæ non quæsisti, tunicam atque pallium meũ. Perseuerans adhuc in simplicitate. Nam quantum ad tuos sermones ô diabole aduersarij in eum insurrexerunt, inimi-I ci eum deprædati sunt: sed nec istis in aliquo replicauit, sed circa istos omnes simplicitatem ostendit. Merito dicit, perseuerans in simplicitate, typum atque figuram gerens domini dicentis per prophetam de semetipso: Ego autem tanquam agnus immaculatus ductus sum ad sacrificium. Sic itaque admirabilis Iob perseuerat in simplicitate: super hæc vniuersa quæ ingessisti ei perseuerat in simplicitate. Et quis, inquit, post hoc ex his qui audierint, vel agnouerint, non me reprehendat, qui tantum permisi tuæ crudelitati aduersus iustum illum insurgere, & ita immisericorditer innocentem vexare? Post quæ vniuersa perseuerat in simplicitate. Ecce, inquit, antea laudaui testificans tibi quis fuerit Iob, ecce nunc adiicio super laudem eius, dicens: Perseuerat in simplicitate. Perseuerat (ait) id est, expectat. Quid ergo expectat tolerantiæ remunerationem, expectat coronas innocentiæ. Aut adhuc expectat inquit. Quid, inquit, expectat? Te, ait, expectat ô diabole tanquam audax belligerator, tanquam constantissimus prælíator, tanquam admirabilis vir fortis. Sic itaque ait, expectat, non dubitat: non terga dedit, sed adhuc expectat. Adhuc, inquit, expectat vt te superet atque deuincat, cõculcet atq; humiliet, & omnimode deiectũ atque cõfusum demonstret. Cum talem ergo noueris esse Iob, & ita prompte te expectantem ad secũdam congressionem, si audes approxima, incipe, apprehẽde, paratum inuenies te expectantem. Adhuc, inquit, expectat in simplici-K tate: Tu autem terram circuis, & ea quæ sub cœlo sunt peragras, vt idola fundas, vt adulterium germines, vt homicidium multiplices, vt sanguinem effundas, vt artes magicas, & auguria, & diuinationes atque maleficia dissemines, vt infidelitatem doceas, vt dei blasphemia atque omnibus malis, ea quæ sunt sub cœlo repleas, vt castos vel castas polluas, vt pios ad impietatem declines, vt iustis molestias atque tribulationes suscites. *Opera diaboli.* Pro his, inquit, omnibus tu ô diabole terram circuis, & ea quæ sunt sub cœlo peragras. Iob verò non ita, sed expectat adhuc in vno loco tanquam in eadem patientia, & veritate, in eadem fide & pietate atque dei cultura fundatus, stabilitus atque confirmatus, & numquam ab ea declinatus, aut præuaricatus. Sic itaque expectat immobilis, atque innocens. Adhuc expectat in simplicitate. Columba, inquit, est simplex, rationabilis, spiritalis, incorruptione digna, acceptabilis, angelis dei familiaris. Idcirco tanquam columba simplicitatem ostendit. Nam sicut columba de nido effugata sublatis sibi pullis atque ante oculos mactatis, non indignatur, neque terretur, neque nidum deserit, neque ad malitiam immutatur: ita & beatus Iob cum nidus ab eo auferretur, hoc est, diuitiæ atque substantia, & filij eius interficerentur ante oculos eius, non est indignatus, L neque ad malitiam, hoc est, ad blasphemiam, aut ad maledictionem est immutatus, sed cuncta sustinuit cum innocentia atque gratiarum actionibus. Pro his ergo omnibus dicit, perseuerans in innocentia. Tu verò dixisti perdere rem eius dixisti vt perderes: post paululum autem carnes eius dicis vt perdas, vt ista in simplicitate sustinens Iob, augmentum gloriosarum coronarũ accipiat, & tu, inquit, ô versute diabole augmentum confusionis & deiectionis atque ruinæ percipias, vtpote & de cœlo deiectus, & in terris ab Iob prostratus, etiam & in hoc vltimo expectans quando à domino Iob atque omnium rectore deo vnigenito per crucem prosternaris atque in inferos demergaris. Tu inquam dixisti rem eius perdere sine causa, neque vt præcipiens, neque vt imperans. Caruisti enim hoc ô diabole, vt cum potestate dicas iubendo, vel præcipiendo: sed dixisti quærens, postulans, supplicans, petens. Sic inquam dixisti, rem eius perdere sine causa. Age, inquit, quod ille, hoc est, diabolus ita dixerit, ita petierit, ita quæsierit, ita supplicauerit, tu verò cur exaudisti, cur acquieuisti, cur dedisti, cur sine causa rem illius iusti perdere permisisti? Ob hoc, inquit, exaudiui, ob hoc rem atque filios eius perdere permisi, vt appareret Iob iustitia, & diaboli iniustitia, vt appareret mea veritas, & diaboli mendacium, vt clareret meum testimonium, & iniqui illius blasphemia. *Cur deus permiserit Iob ita affligi.* Dixisti, inquit, sed non vt iubens. Nisi, inquit, exaudirem, & acquiescerem atque traderem omnem rem Iob in potestatem diaboli, & perdere omne peculium ac filios iux-M ta voluntatem suam permitterem, nunquam vtique cognosceret diabolus, quia non propter rem coluerit me Iob, sed propter charitatem: nunquam vtique quiesceret blasphemando sanctos ante deum & homines, sed in hoc staret atque omnes homines scandalizaret, quia & deus fauorabiliter colentibus se rem daret, & colentes illum non propter dilectionem, sed propter rei familiaris gratiam ei seruirent. Merito ergo ne posset hæc dicere diabolus dedit illi in potestatem & rem Iob, & filios, & post paululum ipsum corpus eius ad supplicium. Si ergo cum tanta ingessisset Iob, & ille in iisdem gratiarum actionibus atque confessionibus perseueraret adhuc, super hæc omnia eadem vsus est impudentia atque improbitate dicens: [Corium pro corio] quid fa-*Iob.2.* ceret si omnium bonorum Iob potestatem nõ acciperet? Ob hoc, inquit, in potestate eius tradidi, nõ quod diabolo placere voluerim, sed totũ mundũ informare festinãs, quæ sit mea iustitia, & diaboli iniquitas, liuor quoque eius atque inuidia, & quæ sit iustorũ fides & tolerantia, vel dilectio eorũ circa me. Similiter petiit, & petet vsque in finẽ seculi pro omnibus sanctis, vt potestatẽ accipiat vt corpora eorũ affligat, & animas eorum tangat. Sic afflixit martyres per principes huius mundi, igne & gladio consumens carnes eorum. Hæc nãque fuit voluntas & petitio diaboli, vt sanctos tormẽtis afficeret, atque torqueret. Et hæc fuit sanctorum oratio, vt omnia supplicia

A supplicia propter deum sustinentes æternæ gloriæ apud eum in fide efficerentur hæredes. Quod autem hæc petat diabolus ostendit enidenter dominus dicens: Satanas petiit vt vos cribraret tanquam triticum, & cætera. Hæc nanque vniuersa propter improbitatem, atque impudentiam; zelum quoque ac inuidiam maligni quam habet circa sanctos, dicta sunt. Ad quem de istis loquēs deus dicit: [Tu autē petisti rem eius perdere sine causa.] Cuius rem? Iusti ac pij atque credentis Iob. Desiderasti rem eius perdere sine causa, pro tuo, inquit, zelo atque inuidia, pro tua maligna suspitione callidissime diabole. Petisti rem eius perdere sine causa: nihil peragens, vel perficiens nisi solam iniquitatem tuam atque malitiam. Petisti rē eius perdere sine causa. Porrò sine causa periit. Quare periit? Diabolo, inquit, sine causa periit. Nihil enim peregit, neque perfecit, cum rem eius perderet, nisi suam deiectionem atq; humiliationem ostēdit. Iob verò hæc res non sine causa prouenit, sed ad ingentem gloriam & laudem atque honorem huius rei perditio prouenit corā deo & angelis eius: & apud deum gloriæ augmentatio ei prouenit, & super terrā duplex pro remuneratione receptio atque retributio. Sic itaque diabolo quidem sine causa facta est huius rei perditio. Iob verò non est facta sine causa, sed pro æternę beatitudinis remuneratione, & in cœlis coram angelis dei, & in terra in conspectu omnium gentium. Increpans ergo & redarguens atque obiurgans diabolum, dixit. Tu verò petisti rem eius perdere sine causa, tu desiderasti, tu petisti, tu quæsisti, tu rem eius festinasti perdere sine causa, tanquam si diceret, vbi est præsumptio tua ô diabole, quod mox vt rem eius abstulisses continuo eū à pia dei cultura atque eius gratiarum actionibus discedere fecisses? Vbi est, inquit, arrogantia tua bonorum omnium inimice diabole? Vbi tumultuatio tua atque seditio? Vbi labor tuus atque sollicitudo? Vbi contentio tua atque altercatio? Laborasti enim atque certasti bella diuersa conficiendo, & castra statuendo, & equites demonstrando, & igne exurēdo, & ventos admouendo, & fundamenta quatiendo, & domos deiiciendo atque omnem sollicitudinē demonstrādo, vt iusti Iob rem atque filios perderes: sed frustra extitit ingens tuus labor atque sollicitudo. Rem enim Iob perdidisti, sed iustitiā eius non perdidisti, sed fidem eius ac pietatem non dissipasti. Idcirco audi inquit, cū increpatione. Petisti rem eius perdere sine causa: sed olim quidē rē Iob sine causa perdidisti: post hoc autē cum dominus venisset ad terras, illius vnguenti perditionē gratis fieri æstimari, dicens per os Iudæ: Vt quid hæc perditio huius vnguenti facta est? Et vnguentū sanè quod pro bono cum fide effusum est perditionē iudicasti: rem verò Iob quæ cū iniquitate periit, perditionem non æstimasti. Et quod maius est hoc, vnguentū illud quod à Iuda effusū est, hoc est, sanguinē vnigeniti, perditionem reputasti. Nam sicut cum illic vnguentum illud effunderetur, repleta est domus illa vnguenti odore: ita & istic, id est, in passione domini, cum sanguis domini effunderetur, repletus est orbis terræ salutis suauitate. Sed in his omnibus non cessauit nequissimus, & improbus atque impudens diabolus, neque confusum se recognouit: sed tanquam carnis rabidus ad baculum infelix cucurrit, cū priorē suā deformitatē non intelligit, sed sperat quòd per nouissimū bellū priorē ruinā posset resarcire, nesciens miser quod nouissima peiora prioribus ei essent efficienda. Idcirco post hæc vniuersa; respondit diabolus ante deum, & dixit. [Corium pro corio.] O impudentia atque improbitas tua ô diabole: tantam deformitatem atque confusionē tuā non cōsideras. sed inuerecunde atque identidem, hoc est, iterum atque iterum recurris contraria tibimet ipsi loquendo ac dicendo atq; quærēdo, & temetipsum destruēdo. Primū enim dixisti cum ad deum de Iob locutus fuisses, aufer illi rem, priua eum diuitiis, minue eum opulētia, humilia eum de altitudine, denuda illū his quæ dedisti, si non cōtinuo in faciem maledixerit tibi, & detraxerit atque blasphemauerit, quasi magnum fuerit hoc, vt diuitiæ atque res eius familiares auferrentur. Quod ergo tunc magnificasti, vt ei res familiares auferrētur, hoc nunc nimirū minoras. Quod tunc singulare atque indubitabile iudicasti, quod sublatis diuitiis Iob continuo esset blasphematurus, hoc nihilominus nunc ad nihilum redigens dicis, coriū pro corio. Corium diuitiarum pro corio corporis, corium bonorum pro corio ossium. Hæc nanque duo coria D repetit, ac memorat istic diabolus: rē familiarē & diuitias exterius corium: interius verò coriū corpus & ossa. Coriū quod non valde doleat, rem familiarem: corium quod valde doleat, coriū corporis. Hæc scilicet cogitans malignissimus diabolus, à quo nunquā malæ cogitationes deficiunt, hæc ergo nequissimus diabolus nequiter atque callide tractās, dicit ad dominum de Iob: Coriū pro corio, ac si diceret, quid magni passus est Iob? quid graue sustulit hic quem defēdis? [Rem familiarem & filios amisit,] sed sperat quod rursus & rem & filios acquirat, confidit quod & identidē des sicut & ante dedisti. Pro hac ergo spe atque confidentia necdū à te recessit, necdū te reliquit, nec dum te detraxit, necdum te blasphemauit, quia necdum tetigerunt illū dolores corporis, quia necdum apprehendit eum ossium pœna. Coriū pro corio. Exteriore, inquit, corio decoriatus, hoc est rem familiarem ablatam cōtempsit atque ad nihilum reduxit: tāge interius corium eius, hoc est, tormentis affice carnes eius: & contere carnes illius, & apparebit constantia eius, quam nunc habere videtur, Superuacua enim fides eius; quam nunc circa te habere se putat. Coriū pro corio, Ac si diceret, dolorem minorem pro dolore maiore, pœnam moderatiorem pro pœna fortiore. Minorem, inquit, ac leuiorem atque moderatiorem sustinens Iob dolorem videtur adhuc constantiam habere, pro grauioribus leuiora facile sustinens, pro acrioribus mitiora leniter sufferens. Nam omnis pœna, & omnis dolor qui foris fuerit à corpore, leuior videtur esse magis quā illi dolores, qui sunt in corpore. Ideo corium pro corio, hoc est pœna minor pro pœna maiore, dolor leuior pro dolore vehementiore. Nam aliud est rem familiarem amittere, & detrimenta sustinere, aliud sanè est carnibus ipsis putrescere: & vermibus repleri, & in puluerem terræ commassari humore hulcerum, qui ex ipsis liquescētibus carnibus dicitur. Idcirco facile sustinet Iob exterioris corij dolorem pro dolore corij propinquioris, hanc rei familiaris direptionem pro corporis afflictione. Quandiu ergo leuiorem dolorem sustinet, illousque à te non discedit, neque negabit te. Immuta, inquit, coria, hoc est immuta dolores, & cōtinuo immutari eum ad blasphemiam senties. Corium, inquit, pro corio. Huius rei exemplum etiam in nobis videmus. Nam cum percutitur quilibet, vel cæditur, frequēter manum pro toto porrigit corpore, & protegit caput & dorsum manu, & videtur illi, vt in manu magis percutiatur quàm in dorso, vel capite, & dat corium pro corio, corium manus pro corio capitis. Hæc itaque vniuersa designans nequissimus, callide dicit de Iob, corium pro corio. Nam sicut hi qui vapulant, corio manus alterum corporis protegunt corium, ob hoc tantum vt corpus integrum habeant: sic, inquit, & Iob exteriora rei familiaris detrimenta contemnit vniuersa, tantum vt corporis effugiat pœnam. Sic nanque & hi qui in mari nauigant, cum periculum passi fuerint omnia quæ in naui habuerint contemnunt atque in mari proiiciunt ob hoc vt ipsi euadant. Sic & quicunque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam suam libenter offerunt, tantūm vt corporis incolumitatem recipiāt. Sic, inquit, & Iob omnes diuitias, & omnem rem familiarem facile contemnit, tantū vt dolores non cōtingant carnes eius. Quo autē proposito dixerit hæc vniuersa nequissimus dæmō, per hæc quæ sequuntur ostendit, dicens: [Omnia quæcunque habuerit homo, dabit pro anima sua.] Sic, inquit, & Iob omnia quæcunque habuerit contempsit, tantū vt corpus conseruaret illæsum. Sed adhuc, inquit, corium pro corio. Quis dixit hoc? Diabolus. Ad quem dixit? Ad deum. De quo dixit? De Iob. Quo proposito dixit? Superius multipliciter demōstrato. Super hæc autem vniuersa, adhuc audi de his quæ dudum in principio facta sunt. Commonefacit istic nequissimus diabolus: quia pridem quando Iob pater atque patriarcha Adā, meis (ait) seductionibus obediens te contempsit, ob hoc pelliceis tunicis à te creatore indutus est pro vindicta abnegatoris, eo quod te dereliquerit, ad me autē ierit, & ex hoc huius rei mihi debitor extitit, merito nunc, inquit, corium pro corio. Coriū, inquit, Iob, pro corio Adam da mihi. Vexatus erā corium Adā, & nō me permisisti. Da ergo mihi coriū Iob pro corio Adam. Da mihi corium filij pro corio patris. Exigam,

Matth. 26

Iob. 2

G inquit,à filio debitũ genitoris.Persoluat (ait) pellem vel corium nouissimus nunc prioris tunc debiti. Vlciscar peccata prioris patris eius,atque patris omnium.Hæc itaque vniuersa memorans atque de his vniuersis admonens nequissimus,malignissime dicit. Corium pro corio. Corium Iob pro corio Adæ.Corium filij pro corio patris. Corium posterioris pro corio patris.Ita scilicet diuerse demonstratur ac memoratur hoc quod ait pro corio.Et adiecit dicens: [Omnia quæcunq; habuerit homo dabit,& eruet animam suam.] Verum est hoc, quia cum ad periculum,vel discrimen peruenerit homo,omnem rem familiarem contemnit,vniuersam substantiam suam spernit tantum vt animam eruat,vt animam suam incolumen liberet.Et nunc cũ speras ꝙ aduersum Iob loqueris ꝓ Iob loqueris inimice omniũ bonorũ diabole,& nõ intelligis. Euidẽter enim Iob plus quàm cæteri plurimi omnia quæcunq; habuit despexit atque contempsit,& diuitias,& possibilitatem,& filios,& rem familiarem , ob hoc tantum vt animam acquireret atque lucrifaceret, vt animam suam illæsam, & incontaminatam atque illibatam custodiret.Hæc scilicet dicẽdo ô diabole,& teipsum confundis, Iob verò propositum ostendis.Omnia quæcunque habuerit homo, dabit vt eruat animam suam,ob quam rem? quia redemptio viri propria est substantia.Omnia quæcunque habuerit homo dabit vt eruat animam suam.Hoc egit Iob,propterea animam suam inuiolatam conseruauit.Hoc egerunt beati martyres , idcirco postquam omnia corruptibilia atque terrena cõtempserunt, post

H hoc nihilominus proprium corpus in pœnam atque in incendium tradiderunt,ignem atque gladium sustinentes, tantum vt animas suas mundas atque castas deo exhiberẽt. Sed interim videamus adhuc post hæc quæ bene digesta sunt. Nam sæpe etiam à malo aliquid boni proficiscitur,non quod pessimus & malignus ita voluerit , sed quia bonus at benedictus deus maligni malitiam in bonum conuertit timentibus atque diligentibus se,sicut Iob , vel martyribus atque credentibus,qui omni tolerantia superantes nequitiam eius æternæ vitæ atque gloriæ hæreditatem capient apud deum Sic etiam nunc istic sermo qui maligne à diabolo dictus est , [omnia quæcunque habuerit homo dabit vt eruat animam suam,] pro pietatis commemoratione diligentibus deum proficit. Veruntamen vt diximus post hæc vniuersa maligni ipsius diaboli ex ipsis sermonibus eius notam ostẽdamus,cum iniquitatis eius arma in eum conuertimus. Dic ô nequissime diabole aduersum te,ab initio de re familiari atque diuitiis Iob locutus es,nunc verò animam proponis,animam nominas. Ob quam rem,nisi ob hoc , quia iam maligne de anima Iob tractas?quia callide animam eius quęris?Nec dum corij eius potestatem accepisti,necdum pellis eius, hoc est,corporis eius, constantiam approbasti,& iam animæ eius quęris supplantationem, [omnia inquiens quæcunque habuerit homo dabit

I pro anima sua.] Post hæc adiecit,dicẽs:Nõ ergo ita est. Quid dicis ô diabole,non ita est? Vel ob quam rem hoc dicis,non ergo ita est? Ac si diceret non est adhuc definitum , necdum est deliberatum , non est sicut Iob arbitratur , quòd iam vicerit,quod omnia perfecerit atque impleuerit , necdum est in fine doloris,sed in initio. Non ergo ita est sicut dictum est, quod non sit illi similis alius super terram.Quid omnino peregit?quid sustinuit?Quid supportauit? Nec quicquam magnum aduersus futura.Cum sustinuerit nouissima , tunc demum laudabitur,nunc verò non ita est.[Sed porrige manum tuam,& tange carnem eius,& ossa,si non in faciem tibi benedixerit.] Tange,inquit,rem familiarem & filios, tãge diuitias & possibilitatem,tange,inquit,carnem & ossa, si non in faciẽ benedixerit,hoc est,maledixerit.Patiẽtia,inquit,in dolore carnis ostendatur,sufferentia in ossium pœna demõstretur.Porrige manum tuam] identidem ô diabole manum vt porrigat quærere fingis,quemadmodum & superius. Nam vere vt tibi tradatur cupis,vt tibi in potestatem detur vir.[Porrige manum tuam.] Ad quid faciendum porrigam? [tange, inquit, carnem & ossa eius.] Afflige,inquit, comminue,contere,doloribus affice,putrefac carnes eius & ossa, & vniuersas compages neruorum illius,si non in faciem tibi maledixerit atque blasphemauerit. Hoc,inquit,sit indicium patientiæ, & firmitatis atque constantiæ eius, vt ossium tormenta absq; numeratione sufferat, vt dolores corporis absque reprehẽsione sustineat , vt putredinem vermium supportet absque blasphemia.Ob hoc ergo dico non ita est,sed porrige manum tuam,

Benedicere per euphemiam maledicere

K vt sit inchoatio huius belli, certaminis quoque atque disceptationis, vt appareat Iob cõstantia perfecta,aut meus sermo veridicus. Cui digne respondeatur.O inimice omnium bonorum diabole non tibi suffecerunt propria,sed tantum crudelitate atque impietate aduersus iustum hunc vteris, tãtum iniustitiam me perficere cupis , vt iustum Iob tibi iniusto contradam? vt innocentem impio deputem? vt miseriis afficiam eum qui sine peccato est? vt molestiam ingeram deuoto ? vt non discedentem percutiam ? vt flagellem non delinquentẽ? vt tribulem gratias agentem? Quid hoc indecorosius atque illicitius? Quis omnino carnalium hoc faciat? Quis ex terrenis prorsus hoc agat , vt morigerum atque deuotum seruum, iniuste ad supplicium contradat? Sed interim vt tuam iniquitatem redarguam atque iniustitiam obiurgem , ecce trado tibi eum, vt absque contradictione cõuincaris,& absque excusatione condẽneris,atq; in omnibus mẽdax comproberis.Ecce trado tibi illum.Substantiam quæsisti, & accepisti, nunc ipsum quæris,habes. Ecce trado tibi illum . Non contradico maledicte,non tibi denego condemnare, non propter tuam, inquit,malignitatem,sed propter Iob innocentiam,vt iustus appareat, vt sine querela esse comprobetur,vt gloriosus coronetur,vt verax demonstretur. Pro his, inquit, omnibus ecce tibi trado illum. Nudum illum reliquisti,nudum constituisti,

L solum reddidisti,solum illum tibi trado, & accipies illum solum. Animam non quæsiuisti , animam ne tetigeris. Carnem & ossa petisti, animam ne tetigeris. Contere tantum carnem, afflige ossa,animam ne tetigeris. Terram tibi trado, cœlo ne appropinquaueris. Corruptionem habeto,incorruptionem ne tetigeris,hoc est animam. Terrenum vas confringe vt volueris,interiori verò thesauro ne appropíquaueris. Luteæ testæ facito qđ volueris, preciosissimã verò margaritã ne tetigeris. Non maculauit illam iniquitas, non violauit illam pessima cogitatio,nõ peruertit illam dei blasphemia, nõ polluit illã creatoris reprehensio. Idcirco animam eius ne tetigeris. Meum,inquit,plasma est inuiolabile,mea habitatio est incontaminata, mea commoratio est incoinquinata. Ideo animam eius ne tetigeris , quæ ad imaginem dei est creata , quæ incorruptibili sapientia est imbuta,quæ sermone & scientia est coronata,quæ dei cognitione est induta,quæ corruptibili dominatione huius mundi est honorificata , quæ paulò minorem gloriam ab angelis super terram est adepta.Hanc scilicet animam ne tetigeris,neque huic appropinquaueris, neq; communicaueris,neque commisceaueris,neque obtuderis,neque infatuaueris,neque fatigaueris, neque deceperis.Omnibus itaque modis animam eius caue ne tetigeris.Nam tu cum animam eius non tetigeris, neque ei proximaueris, nunquam me innocens eius anima negabit.Pro his ergo omnibus animã

Animæ dignitas.

M eius caue ne tetigeris.Non tetigisti,inquit,animam Ioseph in luxuria,non tetigisti animam Abrahæ in tentatione, non tetigisti animam Noe in medio gigantum , non tetigisti Enoch in medio iniustorum,non tetigisti animam Abel innocente eius internicione.Ergo quia nullius,inquit,illorum animam tetigisti ô diabole,idcirco immaculati omnes atq; beati in conspectu meo consummati sunt. Noli ergo nec Iob animam tangere,& gloriosus etiam hic in conspectu meo consummabitur.Nõ tetigisti,inquit,martyrum,meorum animas, nõ tetigisti mirabiliũ veridicorũ meorũ testiũ animas.Idcirco ij succũbẽtes vniuersi,propter fidẽ contẽpserũt mortẽ, ideo intaminati omnẽ ignis pœnã irriserũt atq; gladij, merito immarcescibilibus coronis coronabuntur in conspectu meo. [Ne tetigeris,inquit,animam Iob.] Conculcabit enim caput tuum,& comminuet virtutem tuam, & conteret fortitudinẽ tuam,& humiliabit altitudinem tuam , & deiiciet elationem tuam , & demonstrabit omni carni fiduciam ad standum aduersum te constanter vsque in secula.Malignus namque es,& inualidus,callidus atque infirmus,astutus ad insidiandum,sed impossibilis ad opprimendum,doctus ad decipiendum, & inualid⁹ ad resistẽdũ. Nã sicut facile seducit instabiles atq; incredulos,cũ sic callidissim⁹,similiter facile resistũt illi oẽs iusti atq; credẽtes,oẽs deũ timẽtes atq; Iob imitẽtes, vtpote inualido.

A lido. In arbitrio ergo hominum est potestas, sanctitas atq; constantia. In arbitrio est hominum potestas fidei ac pietatis. Si enim voluerint declinare à malis, & facere bona, & valent, & possunt, & non præualet illis nequissimus, si fuerit cor eorum secundum deum, si fuerit voluntas eorum in sanctitate, si anima eorum fuerit in veritate, si mens in fide ac pietate, si admonuerint semetipsos in misericordiam, & miserationem, in bona opera atque omnia quę in dei timore perficiuntur, & de omnibus quæ iuxta dei voluntatẽ fiunt. Cũ enim volũtas hominũ consenserit volũtati dei, tunc omnia quæ bona sunt facile perficiũt homines. Cum iis quibus delectatus deus delectati fuerint homines, tunc nihilominus omnia quæcunq; vita digna sunt, præsto sunt hominibus. Nam & Iob homo fuit carnalis, fuit terrenus, corruptibilis, talis quales omnes homines, sed deuotior atque studiosior circa eleemosynas, & bona opera in fide ac dei timore prę omnibus hominibus. Idcirco acceptabilis fuit Iob deo super omnes homines. Idcirco superauit nequissimũ diabolũ, magis quã omnes homines in tempore suo. Sic itaque possunt omnes homines qui voluerint, & deo placere, & diabolo resistere & voluntatẽ dei facere, & in regnum cœlorum introire, & in vitam æternam requiescere. Aut adhuc secundum ipsam historiam. [Animam, inquit, eius ne tetigeris,] hoc est, ne eam ante tempus

B de corpore eiicias. Ac si diceret. Ita demetire ipsum dolorem atque corporis pœnam, vt ipsam animam ante tẽpus de corpore exire non compellas. Noli ergo mortificare corpus, ne ante perfectionem constantiæ, vel consummationem tolerãtiæ discedat anima. Sic itaque omnibus modis tam carnalibus, quàm etiam spiritalibus animam ne tetigeris. Post quæ vniuersa, dicit: [Exiuit diabolus à facie domini.] Quomodo exiuit à facie domini is qui indignus est præsentia domini? Sic exiuit à facie domini, sicut & venit ante conspectum domini. Sic exiuit, quemadmodũ & superius ostensum ac memoratũ est. [Exiuit diabolus à facie domini.] Exiuit, sed non carnalibus vestigiis, neque corruptibilibus gressibus, sed nequissimis cogitationibus, quibus aduersus Iob nequiter meditatus est atque cogitauit æmulando atque inuidendo innocenti illi atque iusto. Sic itaque cogitationibus venit ante deum quęrens ac desiderans, vt Iob acciperet in potestatem. Sic identidem nequissimorum consiliorum accipiens perfectionem, hoc est, Iob potestatem ad affligendum carnem & ossa eius, nã hoc meditatus quæsiuit, [exiuit à facie domini:] hoc est quieuit meditari ac cogitare, quæ pridem meditatus fuerat atque cogitauerat. Nam primũ apud semetipsum nequiter meditãs atque cogitans, dixit, Quis mihi daret, vt possem venire ante deum? & inuenire potestatẽ carnis, ossiũmq; Iob, vt affligens illũ secundũ animũ meũ cogerem eum reprehẽ-

C dere illum quẽ nunc prædicat, & negare illum cui nunc gratias agit? Istis ergo cogitationibus pridem venit ante dominum. Deinde cum accepisset potestatem Iob, ac quiesceret hæc cogitare, postquam quieuit ab istis meditationibus atq; consiliis, exisse dicitur à facie domini. Ergo quia exierunt à facie domini cogitationes eius, merito ipse dicitur exire à facie domini. Sic itaque exiuit diabolus à facie domini, hoc est, tractatus eius, & cogitatio, meditatio quoque maligna, atque iniustum desiderium. [Exiuit à facie domini,] hoc est quieuit atque cessauit meditari, & cogitare postquã id quod quæsiuit accepit. Nam & vere veniunt ante deum, & iustitiæ iustorum, & impietates iniustorum. Sic nãque dicit angelus ad Corneliũ: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderũt in memoriam ante deum. Sic & olim dixit angelus ad Tobiã: Cum orares tu & Sarra filia Raguelis, ego obtuli memoriam orationum vestrarum in conspectu dei. Item verò de impiis dicit dominus: Nunc recordabor iniustitiarum illorum, & vlciscar peccata eorum. Et Hieremias dicit ad impiorum consilium: Nõnne incensorum vestrorum recordatus est dominus de idolatriis, & ascendit in cor eius? Sicut ergo vniuersa hæc veniunt ante deum, ita diabolus venisse dicitur, & exisse à facie domini, non persona veniens, sed cogitationibus atque malignitatis suæ meditationibus, quæ aliquando veniebant cum ille cogitabat, aliquando exibant, cum ille cogitare quiescebant. Hæc itaque demonstrans dicit: [Exiuit diabolus à facie domini.] Exiuit vere, hoc est, discessit, deseruit, oblitus est, vltra non æstimauit, neque curauit, neque recordatus est quòd sit deus. Illo enim vsque ante deum fuisse dicitur, quandiu de deo cogitauit, cum Iob ei accusaret. Postquã verò accepit quod voluit, & quod quæsiuit, continuo relinquens dei memoriam, à facie dei exisse iuste dicitur. Exiuit diabolus à facie domini, totus exiuit, & sensu, & consilio, & meditatione, & tractatu atq; memoria exiuit à facie domini.

Act. 10

Tob. 12

Osee 8.

Iob. 2.

D Sic exiuit olim in principio diaboli discipulus primus aduersarij fruct' Cain, cum iustũ interfecisset Abel. Sic exiuit sicut dicit scriptura: Exiuit Cain à facie dñi. Sic exeũt etiã nũc à facie domini cuncti pertinaces atque impœnitẽtes, qui ad deũ non conuertunt, qui pœnitentiam non cõfitentur, qui faciem dei non requirunt, qui deum iudicij non metuũt, qui pœnam inferorum non contremiscunt, qui condemnatione gehennæ non terrentur. Hoc metuentes omnes iusti deuote deprecati sunt deum dicentes: Ne proiicias me à facie tua. Et alibi: Faciem tuam domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, & alia plurima his similia. Ex istis ergo omnibus exiuit diabolus. Omnes qui ab eo in errorem ducuntur atq; seducuntur, & omnes qui voluntatem eius faciunt, & omnes qui ad pœnitendum corda sua obdurant, isti omnes proiiciũ-

Gen. 4

Quinam exeunt à facie domini.

Psal. 51. 27

E tur à facie dei, isti omnes expelluntur in tenebras exteriores, & ignem inextinguibilem, qui præparatus est diabolo, & angelis eius atque omnibus qui faciunt voluntatem eius. Exiuit diabolus à facie domini deferens Iob vt putabat, interficiens iustum illum vt confidebat. Sic nanque & primus discipulorum eius Cain postquam propter inuidiam (vt dictum est) interfecit Abel, exiuit à facie domini. Sic itaque diabolus pater & origo omnium malorum, existens interfector quantum ad ipsum Iob, exiuit à facie domini. Certum est quod nequiter atque impie apud semetipsum tractans, dixit ad deum: Vlterius non indigeo facie tua, quia accepi potestatem eius quem zelabar vel quærebam. Deus verò sciens firmam consummationem Iob, acquieuit vt per diabolicum ignẽ probatus fuisset, quemadmodum si teneat in manu sua quis adamantem, & alius quilibet dicat ad eum, da mihi hunc adamantem in potestatem, & ego illum comminuam in ignem, conterámque ictibus: ille verò qui eum in manu habet, confidens vere quia adamas est, dicat, Tolle, proba, experire, quia nequaquã huic adamanti præualebis. Sic ergo & omnium cognitor atque præscius deus, velut inuiolabilem adamantem habens Iob, quærenti diabolo dedit eum in potestatem, confidẽs vere quia verus adamas est Iob. Sic nanque & singularis ille, & diuinus, cœlestis quoque atque incorruptibilis adamas vnigenitus deus à patre ad terras missus, de quo dicit deus pater: Ecce ego ponam adamãtem in medio populi mei: quem ne-

Similitudo

F que ignis tentationum in deserto comminuit, quem non plagæ impiorum in cruce contriuerunt, quem neque sepultura sepulchri, neque mortis introitus, vel inferorum violauit, sed omnia superans, diuinum & incorruptibilem se adamantem fuisse demonstrauit. Adamas verò est naturaliter talis lapis, cui neque ignis, neque ferrum, neque aliud quicquam præualet. Ferro enim si percutiatur, demergitur in ferrum tãquam plũbũ missum in ignẽ. Si in ignẽ mittatur, similiter permanet vt missus est, & nõ violatur. Ergo quia nihil ei præualet, ideo Adamas appellatur. Adamas verò interpretatur ex græca lingua, indomabilis, inflexibilis inalterabilis, incomminutus, & vt breuiter dicam, cui nec quicquam præualet, neque percutiendo, neque adurendo. Nam percussus non comminuitur, exustus non conteritur. Merito ergo adamas appellatur, vtpote insuperabilis. Quod si dixerit aliquis vbi est modo, vel vbi conspicitur huiuscemodi lapis adamantinus? Audi, hæc omnia typus fuerunt domini Iesu Christi, quia vsque ad aduentum domini erant, & visa sunt, post aduentum autẽ domini visa non sunt. Vbi videtur nunc phœnix? vbi vrna Adam? Vbi videtur arca testamenti? vbi vrna mannæ? Sic similiter nunc vbi videtur adamas atque ea quæ typum domini gerebant? Ea scilicet vsque ad aduentum domini visa sunt, vtpote figuræ, & inde abscondita sunt domino ipsas figuras adimplente. Idcirco nunc neque arca testamenti, neque vrna mannæ, neque cinnamum, neque adamas, neque phœnix istis nunc hominibus verę videntur, nisi forte quis simile aliquid simulatum conten dat, dicẽs esse quod non est. Cũ ergo

Adamantis vis.

Adamas nusquam hodie.

Exod. 16

G typus esset domini Iesu Christi Iob, tradidit illum deus in probationem tanquam adamante inuiolabilem, cuius potestatem accipiens diabolus exiuit à facie domini. [Exiuit diabolus,] hoc est, deferens. Ad deferendum enim introierat: & quantum iuxta iniquitatem suam in ipsa delatione proficiens ac delati potestatem accipiens, exiuit à facie domini. Exiuit gaudens qui nunquam est gauisus, exiuit lętus ille qui nunquam est lætatus, vt pote habens Iob in potestatem ad puniendum illum secundum suam iniquitatem. Exiuit diabolus à facie domini, exiuit tanquam lupus rabiens, tanquam leo rugiens, tanquam vrsus sanguinem appetens, tanquam malignus serpens, tanquam vipera sæua ac perniciosa. [Exiuit diabolus à facie domini.] Exiuit omni iniquitate, & ira, furore quoque atque indignatione, crudelitate nihilominus atque omni impietate refertus. Exiuit tanquam bestia ferox ac sæua atque immanis. Exiuit cogitans infelix suo amarissimo modo Iob afficere pœnis, quod & fecit statim sine mora: [Percussit Iob plaga sæuissima à pedibus vsque ad caput.] Magnitudinem plagæ atque vulneris admirationem, dolorisque fortitudinem non valens aliter edicere atque ostendere, dixit, percussit Iob plaga sæuissima, non solum plaga, sed & sæuissima plaga. Suffecerat hoc solum vt plaga tantum fuisset, nunc

Diabolus deferentem & accusantem sonat.

H verò etiam plagam sæuissimam esse dixit. [Percussit Iob plaga sæuissima] Considera etiam hoc quod dicit percussit Iob. Percussit, inquit, cum furore, cum ira, cum indignatione, Percussit Iob. Quomodo percussit? sic percussit quomodo parabat, quomodo putabat. Percussit Iob, vt cōminueret spiritum eius, vt contereret animam eius, vt affligeret præcordia eius. Sic percussit sperans quod secunda plaga omnem constantiam, atque fortitudinem Iob debilitaret. Sic ergo percussit Iob plaga sæuissima, lamentabili, vrenti, affligenti, flagrā ti, incendenti, dolenti, omne supplicium in se habēte, & putredinem, & vermes, & ossium diuisionem, & neruorum fatigationem, & membrorum debilitationem, ac totius carnalis compaginis passionem atque dolorem. Nam sicut nullum membrorum corporis prætermisit malignus, neque vllum dereliquit illæsum, sed cuncta vehemēti vulnere repleuit atque omnia sæuissima plaga percussit, sic identidem nullum dereliquit supplicium, neque pœnam, neque dolorem, quod huic plagæ non commiscuisset: sed omnem virtutem atque argumentum nequitiæ suæ in hac sæuissima plaga ostendens

I atque demonstrans, nouissimam victoriam patientiæ hic perficere sperauit. Sic scilicet percussit Iob plaga sæuissima, à pedibus vsque ad caput. Plaga, inquit, sæuissima vtpote vna. Et cur vna plaga memoratur, tanquam vna, & non plagas tanquam plurimas? Propterea vna plaga memoratur, quia totum corpus iusti illius, & omnia eius membra vno contexit vulnere, atque ad vnum conuertit dolorem, vt per totum corpus atque membra beati illius vnus dolor esset atque vulnus. Ob hoc ergo plagam dicit, quia vnum vulnus erat per totum corpus. Quod verò vnus dolor atque passio erat per totum corpus eius, & membra, subsequenter ostēdit dicens, [à pedibus vsque ad caput.] Percussit Iob plaga sæuissima à pedibus vsq; ad caput. Sicut à pedibus vsque ad caput, ita identidem à capite vsque ad pedes, à vertice vsque ad pedum vestigia, à coma capitis vsque ad vngues pollicum, nec quicquam reliquit sanum, neque integrum, aut sine dolore, sed vniuersa vno contexit vulnere atque plaga cooperuit cuncta, & sæuissima. Sæuissima inquam, hoc est lamentabili, insanabili, incurabili, in qua non erat vbi malagma imponeretur, neque medicina, neque adiutorium, neque oleum vllum, neque alligatura. In qua plaga, superflua erat & superuacua omnis medicorum peritia atq; sapientia. Sicut enim dicit quod nullum argumentum illuminare poterat tenebrosam atque lamentabilem Ægyptiorum noctem: ita nulla medicamina curare poterant sæuissimam illam diaboli plagam, donec impleta est tolerantia, & longanimitas Iob. Tolerantia, pro coronarum redhibitione. Dei longanimitas, pro iustitiæ approbatione. Diaboli verò iniquitas, pro correptione nequitiæ eius atque dānatione, quam in illo iusto exercuit viro. [Percussit verò Iob, inquit, plaga sæuissima à pedibus vsq; ad caput.] Tantū enim sæuissima fuit hæc plaga, quantam iniquitatem habuit diabolus. Nā secundum iniquitatem suam mensus est diabolus hanc pla-

Incurabilis plagas Iob.

gam, hoc vulnus. Nihil reliquit tormenti, neque amaritudinis, neque immanitatis, neque ferocitatis, neque crudelitatis, neque impietatis, neque malignitatis, quod nō exereuerit in lamentabilis huius vulneris plaga. Consideremus ergo ô amici vehementiam huius doloris iuxta vehementiam iniquitatis diaboli. Consideremus ô viri diuersa iusti illius tormenta, necnon & hoc, aduersus quantos dolores perstiterit innocēs. Vno dolore confectus erat totus, vna plaga omnis vestitus. Facta nanque est illi hac plaga tanquam vestis amictus, & tanquam indumentum quo erat indutus, & tanquam cingulum quo semper cingebatur, sed non in condemnationem, sicut illi impio Iudæ, sed in coronam glorię, vtpote iusto Iob. Omne ergo corpus, & membra iusti illius vno circundata erant dolore atque vulnere, siue caput siue pedes, siue oculi, siue aures, siue latera, siue scapulæ, vsque ad ipsa pedum vestigia vno vulnere distillabant, vna putredine detentus erat, iisdem vermibus scatebat. Iacere non poterat, sedere non valebat, requiem non habebat, resumptionem non inueniebat, & quod erat omnium maximum, super hæc vniuersa fame & siti necabatur. Nam manibus cibum sibi vel potum ad os porrigere non poterat. Tametsi manibus ad os porrigere valeret, ore ac labiis putredine ac vermibus plenus recipere nō valebat. Attestatur idem ipse dicens paulò post: Scatere video escas meas tanquam odorem leonis. Cum istis nanque

L nefandis doloribus execrabiliter scateret, huius putredinis odorem nequissimus fecit. Hoc nanque deflens dicit: Scatere video escas meas, tanquam odorem leonis. Ob quam rem ô beate Iob? Ob hoc, inquit, quia bullit corpus meum in putredine vermium: ob hoc, quia doloribus macero sulcos terræ ex numerum meorum humore: ob hoc, quia doloribus obuolutus sum, & alia plurima his similia. Cum tam vehementioribus doloribus restitisset atq; repugnasset Iob, constantiæ non renunciauit, patiētiam non abiecit, fidem non deposuit, gratiarum actiones non est oblitus: sed quanto pluriores sustinebat dolores, tanto amplius pluriores adiiciebat æterno regi gratiarum actiones atque confessiones. Sciebat nanque sanctus ille, quia secundum multitudinem dolorum, multitudo ei præparabatur coronarum. O beate Iob quomodo te ad miremur, quomodo te laudemus, vel quomodo magnificemus qui solus ante Euangelium eorum quæ in Euāgelio sunt perfectam passionem sustinuisti, qui solus ante martyres mar-

M tyrum tolerantiam cum gratiarum actionibus perfecisti. Nam sicut omnia tormenta atque flagra per principes huius mundi ingessit diabolus martyribus: sic similiter vniuersa supplicia atque incendia induxit super Iob per semetipsum atque sua iniquitate, hoc ipsum per omnia deprecante Iob, quod etiam martyres fecerunt, vt gloriosum nomen dei blasphemare non cogeretur. Sed incontaminatus permansit magnus ille adamantinus Iob, iuxta dolorum multitudinem atque nimietatem, multiplicans atque adiiciens gratiarum actiones. Hoc nimirum per hæc quæ sequuntur apparet, dicit nanque. [Et accepta Iob testa radebat saniem suam.] Nō accepit molle aliquid, vt abstergeret molliter, leuiter, leniter, artificiose moderando atque releuando: sed accepit testam duram, asperam, vt traderet cum dolore saniem suam, & non extergeret blande atque modeste mitigans atque releuans vehementem illum atque inenarrabilem dolorem. Accepit testam vt raderet saniem. Ad quæ digne dicatur, dic ô beate Iob atque deo dilectè, ob quam rem hoc facis? Cur hunc dolorem exasperas? Cur augmentas? Cur exaggeras testa radendo lamentabile hoc vulnus atque sæuissimam hanc plagam, cum potius debueras obseruare, iuuare, leuare, fouere, vngere, defricare, vt per hæc vniuersa mitiorem atque blandiorem redderes hunc sæuissimum dolorem, plagamque terribilem? Sed respondens iustus Iob, dicit. Ego ô viri non succumbo his doloribus neque istis pœnis deficio, non debilitor, neque delassor. Non enim sunt dolores isti fortiores animæ meæ firmitate, non sunt hæc tormenta duriora cordis mei duritia. Merito, inquit, exaggero atque commoueo ipsos dolores, vt per cuncta ostēdam nequissimo diabolo, quia eius malitiam irrideo, quia iniquitatem eius contemno, quia omnes eius plagas atque vulnera ad nihilum repute. Ob hoc ergo accepit testā, vt raderet saniem suam. Ecce, inquit, ô malignissime diabole sicut tunc

Iob ante martyres martyr.

A tunc cum rem familiarem & filios mihi auferres, tunc denique ego quod super erat vestẽ atque comam capitis cõscindens atque tondens tibi proieci, vestem post rem familiarem, & comam post liberos: sic, inquit, etiam nunc cum me sæuissima plaga percuteres, quod tibi superfuit huius doloris, hoc nimirum ita adiicio, hac testa dolores prouocãdo, & exaggerando atque exasperando: vt per hæc, inquit, vniuersa in formeris de mea constantia, ne vltra putes nequissime diabole, quod ego detraham benignissimo creatori, vel blasphemem sanctum benefactorem meum aliquando. Ob hoc ergo accepit testam vt raderet saniem suam. Aduertite ô viri valde ingentem fidem Iob atque charitatem quam habuit circa deum, tolerantiam quoque atque constantiam. Nam ob hoc rasit Iob vulnera sua testa, non quod non ei valde doluissent, sed ob hoc rasit testa, vt nobis patientiæ atque tolerãtiæ normam daret. Ob hoc rasit testa, vt sanctorum martyrum demõstraret figuram, qui post vniuersas plagas ac dolores, post vniuersa supplicia atque tormenta, rasi atque vngulis confossi sunt pro augmento dolorum omniũ. Sic & beatus Iob post nimios dolores qui in corpore erant extra corpus testa rasit sua vulnera, vt omnibus deum timentibus patientiæ atq; tolerantiæ in perpetuo traderet formam: vt omnes dolores atque plagas siue in corpore, siue extra corpus, siue detrimenti atque languoris cum gratiarum actionibus sustinentes accipiant à deo æternæ gloriæ remunerationem, atque immarcescibilium coronarum expectent retributionem à deo. Quod autem secundum ipsam historiam testis lacerati atque pernecati fuerint sancti martyres, manifestum est atque irrefutabile. Nam post vniuersa tormenta recludentes eos in carceres, & testas pollinas in eis sternentes, & per quatuor partes eos impij ipsi extendentes crudeli morte eos pernecabãt. Ita consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic nãque beatus duodecim diebus supra testas pollinas extensus tertiadecima die est cõsummatus, aliiq; innumeri sancti martyres eodem modo mortẽ transeuntes cõsummati sunt. Horũ nãque omniũ typũ gerens Iob, accepit testã vt raderet saniem vulnerũ suorũ. Ecce, inquit, ô maligne diabole cõculco te, deformo te & humilio, atque omnem malignitatem tuam & malitiam contemptibilem omnibus demonstro. Accepit testã vt raderet saniẽ vulnerũ suorũ. Testa inquiens, testa radendo corruptibile atque carnale hoc corium, terrena atque aspera testa. Accepit testam vt raderet saniem vulnerũ suorũ. Typus, inquit, sum sine peccato hos sustinendo dolores, illius qui in nouissimo tempore descendens de cœlis deus vnigenitus terreni corporis testa ex virgine se induẽs, totius mũdi saniem immunditiam quoque ac putredinem rasit, atque mundauit omnium peccata supportando. Postmodum pro impietatibus eorum in mortem deductus est, cuius liuore omnes sanati atque mundati sunt, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Omnibus itaque modis accepit inquit testam vt raderet saniem suam. [Et ipse sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatem.] Non quod habitationẽ deserere voluerit, sed iis qui in ciuitate erant atque mansionibus, molestiam ingerere nõ est passus. Sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatem, me solum inquiens circundant mala mea, mihi soli molesta sunt mea vulnera. Non efficiar, inquit, etiam aliis execratio, ne sim his qui intra ciuitatẽ sunt abominatio, ne exacerbantur etiam ciues ciuitatis propter meos dolores. Sedebat extra ciuitatem ille, qui ante paululum ciuitatũ atque mansionum fuerat dominus, rector atque gubernator. Sedebat ergo extra ciuitatem. Certum est quod plurima apud semetipsum tractans ac dicens. Cur in ciuitate maneam? cur in domibus sedeam? Cum re ac filiis, & ciuitate, & domibus carui: cum re familiari ac liberis regni corona ablata est mihi, cum re ac natis dedi etiam vestem atque comam capitis. Nunc verò cum regno relinquam etiam ciuitatem ac domum. Sedebat extra ciuitatem solus sustinens dolorem illum sæuissimum, certum est quod memor illius atque imitatus illum qui solus dolorem omniũ extra ciuitatem sustinuit, id est, dei vnigenitus, & de illius futura passione seipsum consolatus est, dicens. Quid magni ego sustineo cum sim homo pro meipso, si dei vnigenitus venturus est ad terras, & cum sit dominus pro omnibus plurima passurus? Breuis, inquit, est hæc mea passio, & temporalis erit hic meus dolor. Aut enim mors eum excludet, aut certe sanitas illũ expellet, siue sic finis appropinquabit. Et ipse sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatem, sedem pro sede immutans, & sessionem pro sessione differens. Nam is qui paulo ante supra regale sedebat soliũ, nunc sedet super stercoris aceruũ: ille qui ante paululum regio diademate atque gloria erat indutus, nunc sedet in abũdantia putredinum: ille qui ante paululum ab innumeris cateruis circundabatur, nunc à multitudine vermium comeditur. Sedebat super aceruum stercoris condignam atque congruam hanc sedem huic indicans plagæ, vermibus stercus, putredini putredinem. Suscipiat inquit, putredo putredinẽ: huius stercoris putredo, corporis huius atque vermium putredinem: [Sedebat super aceruum stercoris.] Stercus supra stercus, putredo supra putredinem. Nam quia omnis homo putredo, & filius hominis vermis, merito is qui in putredinem vermium est conuersus, sedet in putredine stercoris. Quod efficiuntur omnes homines post exitum animæ, putredo & vermes, hæc, inquit, præueniens adhuc anima in corpore posita, ego effectus sum. Idcirco tanquã putredo & stercus effectus, digne sedeo super stercus, omnes homines instruens, quia omnis terrena eorum gloria in putredinem, & stercus atque vermes conuertetur. Sedit super aceruũ stercoris. Intendite, inquiens, omnes filij hominũ ad quantam miseriam terrena gloria deuoluitur, ad quantam humilitatem terrena sublimitas immutatur. Merito præsẽtia nullus aliquid æstimet, sed futura timeat: nullus hæc quæ videntur quærat, sed ea quæ non videntur sustineat. Omnis enim gloria hominis tanquam fœnum, & omnis decor corruptibilium tanquã holera herbarũ, & omnis species terrenorũ tãquã flos decidẽs. Quid pulchrius sole? Et hic decidet. Quid suauius floribus cãpi? Et hi arescent similiter. Quid gloriosius aut decorosius gloria atque forma humana? Et quid abominabilius atque execrabilius, cũ aruerint exeunte anima? Et quid humilius his qui in stercora, & vermes atque putredinẽ immutantur? De me, inquit, ô homines atque de mea immutatione in his omnibus informamini. Qualem me ante paululum vidistis, & qualem me nunc conspicitis? qualem me ante paululũ magnificastis, & qualem me nunc conspicitis? Vbi sunt illi plurimi qui me circundabant? Pro quibus omnibus multitudo, inquit, vermium, & putredo me circundant. Hęc itaq; atque his similia admirabilis Iob ad cunctos sibi approximantes loquens, euidenter omnibus futuram contestabatur immutationem. Et ipse sedebat super aceruum stercoris, plus sibi de ipsis vermibus atque putredine, quam olim de regni gloria atque multitudine circundantium se populorum cõplacens. Nam omniũ illorum finẽ post hæc omnia quæ gloriosa sunt, carnis mors expectat: & post omnẽ putredinẽ atq; vermen, resurrectionem carnis expectat: mortis verò putredinem atque vermium finem resurrectio à mortuis. Pro his ergo omnibus sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatẽ. Ad quem etiam nunc digne dicitur. Dic ô beate Iob, dic ô sancte dei præliator, dic ô admirabilis vir domini constantissime, qui terribilibus atque fortibus maligni plagis in nullo succubuisti, qui amara supplicia atq; fortes dolores absque murmuratione supportasti, cur extra ciuitatem egressus, & super aceruum stercoris atque muranam sedens spectaculũ temet ipsum cunctis transeuntibus præbuisti? Omnes enim qui ingrediuntur, vel egrediuntur, omnes qui transeunt vias, & diriguntur in itineribus suis, omnes qui in te contemplantur istic super aceruum stercoris atque muranam sedentem absentibus enarrant, atque iis qui longe sunt annunciant, ita vt penetret hic rumor tuus in longinquũ de regione in regionẽ. Nã qui te viderint, non videntibus enarrabunt: qui verò audierint, iis qui longe sunt positi istam recognitionem tuam insinuabunt. Sed respondit mirabilis Iob dicens. Ego ô viri cum sim prior atque antiquior illis qui in nouissimo tempore erũt Apostoli, vel euangelistæ, quæ illi verbis dixerunt, quod spectaculum facti sunt & angelis & hominibus, hæc nimirũ ego ipsis operibus anticipãs tanquã in typo adimpleo, spectaculũ

Iob martyrum figura. *S. Lucianus.* *Iob Typus Christi.* *Iob. 25* *Sol etiam decidet.*

G cunctis effectus, & angelis & hominibus: vt penetret hæc relatio mea non solũ in prouincia in prouinciam, sed adhuc longius per omnes gentes & per omnes fines terræ, vsque ad consummationem seculi. Vere enim vere ô amici spectaculum factus est beatus Iob & angelis & hominibus. Nam omnes homines stupentes, atque admirantes duplici in eum modo intendebant, atque geminam de illo opinionem habentes vndique ad eum respiciebant: quidem de peccatis illum accusabant sicut Eliphar, similesque illi: alij nihilominus non pro peccatis illũ reprehendebãt, sed potius iustum illum reputantes, mirabantur in omnibus quæ à domino ei illata fuerant. Similiter & omnium angelorum & spirituum geminæ partes in eum intendebant. Sancti quidem angeli dei cum magna sollicitudine in eum respiciebant, tolerantiæ eius consummationem expectantes, vt de victoria eius deuote cœlestẽ regẽ collaudarent, victoriã iusti Iob, atq; ruinã iniusti diaboli cernẽtes. Post hos omnes nimirũ nequissimi spiritus respiciebant in eum fixis obtutibus eũ considerantes, sollicite sperantes, atque expectantes, quãdo blasphemiæ verbum ab eo audirent, quando maledictionem sermonis ab eo suscipe-rent. Sed infelices à spe sua deciderunt, cum Iob benedictionem cum gratiarum actionibus omni tempore deo referret. Sic itaque ipsis rebus adimpleuit beatus Iob idem quod post hoc à sanctis dictum est: Spectaculum facti sumus, & angelis & hominibus. Ob hoc & super aceruũ stercoris extra ciuitatẽ sedit hic iustus, stercus ac putredinem existimans, atq; demonstrans omnia quę sunt humana, ac corruptibilia atque terrena, sicut & superius demonstratum est. Post quæ vniuersa dicit. [Plurimo autẽ tempore interposito dixit ad eum vxor eius.] Diuersa plurimi de hoc tempore quod istic memoratũ est, & intellexerunt, & loquuti sunt, alij quidẽ breue hoc tẽpus fuisse percipiẽtes, alij nihilominus plurimum astruentes, H quasi tribus annis & dimidio in typum dominicæ prædicaocationis, etiam & huius passionis tempus sicut & in ceteris ostenderet dicentes. Ideoque qui voluerint ex auditoribus, ita percipiant. Nos verò scripturæ consentientes intelligamus, & sicut intelligimus, ita & asseramus, hoc primum dicẽtes & quærentes: Cur benedictus deus diutius esset pernecaturus iustum illum, cum sufficeret breuissimũ tempus ad superandũ malignissimũ diabolum? Non enim hoc delectabatur deus, vt Iob torqueretur: sed hoc potius vt diabolus conuinceretur, & beatus Iob iustus comprobaretur. Nihil ergo aliud expectauit deus, nisi hoc solum quando diabolus vniuersam iniquitatem suam perficeret, & quando Iob vniuersam tolerantiam suam adimpleret, vt inexcusabiliter conuinceretur diabolus, & iustus vere appareret Iob. Hoc nimirũ non diuturno annorum spatio, sed breuissimo mensium tempore irrefutabiliter consummatum est. Huius nanque rei testis comprobatur etiam ipse Iob, dicens: Sustinui menses superuacuos, nõ I annos sed menses. Nam sicut de mensibus non siluit Iob, sic multo amplius de annis non siluisset si annos sustinuisset. Nunc verò quia non annos sustinuit sed menses, merito sanè annos non memorat, menses autem nominat dicens: Sustinui menses superuacuos. Debuerãt ergo hi qui tres annos & dimidium fuisse passionis Iob astruunt, tres menses & dimidiũ dicere, vt certe vel ex parte veritati non resisterent, & dominicum exemplum illud consimilarent. Tribus nanque annis & dimidio prædicauit dominus à baptismo vsq; in passionẽ. Sic & ipsa historia non tres annos significat, sed breue mensium tempus. Primum quidem per hoc quod contigit cum suas plagas ei intulit malignus. Nam semper adhuc primo loquẽte alius superueniebat nuncius. Deinde statim sine mora sæuissima ac terribili illum percussit plaga. Item mox per vxorem seduxit, deinde consequẽter in ordinẽ per amicos reprehẽdit, quæ vniuersa in paucis mẽsibus perfecit. Protinus subsequenter dominus ad eum locutus est, iustum illum omnibus demonstrans, atque sanctum illum cunctis testificans, & illis qui tunc fuerunt, & istis qui erunt vsque in perpetuum. Hæc nanque intra paucos menses perfici potuerunt. Non enim erat iustum, neque amplexa est dei bonitas, vt plurimis annis lamentabilem illam passionem iustus sufferret Iob. Omnibus itaq; modis demonstrari potest, quia non plurimis annis, sed paucis mensibus, hæc vniuersa impleta sunt. Quomodo enim sufferre poterat carnes Iob, vel mẽbra, vt tribus K annis & dimidio à vermibus ac putredine essent comesta? Quomodo poterant sufferre carnes eius ac ossa, vt tribus annis & dimidio amarissimo dolore fuissent vexata? In qua amarissima pœna, omnis furor & indignatio maligni diaboli est demõstrata. Post horũ nanque omniũ approbationem dicit: [Plurimo autẽ tempore interposito.] Et vnus mẽsis tempus est, & duo vel tres menses plurimum tempus est: idcirco non dicit plurimis ante annis, sed plurimo, inquit, tempore. Nã & frequenter proximo aliquo quemlibet mittentes, si tardigradus fuerit is qui missus est, murmurantes soliti sunt dicere, quid fecisti tanto tempore? Si ergo dies tempus dicitur prolixum, multo magis mensium tempus prolixum atque plurimum dici potest. Ob hoc ergo dicit plurimo tẽpore interposito. Plurimũ nanque memoratur hoc tempus, nõ ob hoc solum quod plurimum fuerit longitudine temporis, vel spatij prolixitate, sed maxime propter plurimũ dolorẽ, plurimũ dicitur & æstimatur hoc tẽpus fuisse. Plurimo, inquit, tẽpore interposito, propter plurimã passionẽ, propter acerrimũ dolorẽ, propter vehementissimum vulnus, ptopter amarissimã pœnam. Plurimo autẽ tempore interposito, propter plagarũ nimietatẽ, propter humorem corpus atque mẽbra liquefacientẽ, pro innumeris vermibus neruos atq; ossa deuorãtibus. Pro his omnibus magnis ac plurimis grauibus atque terribilibus existentibus plurimũ fuisse hoc tempus memoratur. Plurimo autẽ tempore interposito cũ Iob non succũberet, neq; debilitaretur, neque delassaretur, neque deficeret, sed in eisdem gratiarum actionibus atque cõfessionibus permaneret. Vnde enim cœpit, illic & perseuerauit, in gratiarũ actionibus atq; L benedictionibus. Sit, inquit, nomẽ domini benedictum in secula. Cum in istis ergo perseueraret Iob, nequissimus diabolus obstupuit, expauit, desperauit, atq; semetipsum consumẽs dixit: Vbi est præsumptio mea? vbi est audacia? vbi est labor meus? omnẽ sollicitudinẽ exercui, & in Iob nihil feci, omnia argumẽta ostendi & fortitudinẽ Iob non deieci, omnes sagittas nequissimæ pharetræ meæ euacuaui, & animã Iob nõ vulneraui. Filios, inquit, eius perdidi & sensum eius à deo nõ præuaricaui. Rẽ familiarẽ eius exterminaui, sed charitatẽ eius quã habet circa dominũ deũ non extinxi. Carnẽ & ossa eius vermibus atq; putredine cõsumpsi, sed fidẽ atq; synceritatẽ animæ eius nõ violaui. Quid igitur faciã illi adhuc quod non feci? Quid in eo exerceã adhuc quod nõ exercui? Ergo quia per vniuersa supplicia atq; tormenta cogere eũ vt deũ relinqueret nõ potui, conferã, inquit, me ad seductionem, conferam ad persuasionẽ. Forsitan enim quod nõ valuit pœnæ coactio, hoc nihilominus efficiet suasionis seductio. Cõfugiam, inquit, ad antiqua mea arma, per quæ Adã seductum supplãtaui. Illic serpentem me videns ad Euam locutus sum, deinde per Euam locutus Adam seduxi. Habet etiam Iob vxorẽ, qua me induens subtiliter per illam eum seducam, atq; fraudulenter persuadeam. Cum hæc apud se cogitaret, atque meditaretur nequissimus, statim vxor os ad persuadendum aperire properauit. Quod demonstrans hæc scriptura dicit: Plurimo autem tempore interposito, dixit ad eum vxor eius. Plurimo M autem tempore interposito, cum Iob perseueraret, & nõ immutaretur, cum Iob in fide firmaretur, & in veritate roboraretur, fundaretur in pietate, atque iniustitia constabiliretur, in charitate instrueretur, & in gratiarum actionibus persisteret deuotus atque sollicitus, cum in huiusmodi consonantia Iob persisteret, dixit ad eũ vxor eius. Et reuera nõ vxor dixit, sed diabolis qui per os eius est loquutus, qui frequenter consueuit loqui ad viros per os mulierum, qui sæpe solitus est subuertere viros per os coniugum, atque ad mala concitare & mala docere, rapinas, calumnias, violẽtiam, cupiditatem, alienorum appetentiam, atque odium circa proximos. Frequẽter enim inuidiam accendunt inter viros, sicut inuicem propter improbitatem suam litigauerunt. Cõtinuo ille in infelices viros, odia atque contẽtiones adinuicem excitare contendunt. Quos cum sint pacifici, atque vnanimes, cum aduersariis suis siue is qui intus sunt, siue qui foris sunt, concordes stare oportuerat & se inuicem defendere, atque inuicẽ adiuuare, isti nimirum compelluntur propter nequitias vxorum aduersum inuicem insurgere & se inuicem odio habere, quo

Mundus Iob geminã habebat opinionem.

1. Cor. 4.

Quam diuturna calamitas Iob.

Iob. 7.

Tribus annis & semis Christus prædicauit à baptismo ad suã passionem.

Tob. 1.

Fœmina antiqua satanæ arma.

A quo possint iniquarum vxorum malitiæ satisfacere. Frequenter enim per coniugium os hæc talia loquitur diabolus ad viros, frequenter dicit ad viros per os coniugum. Existi foras, & nihil intro attulisti. De via venisti, & vacuis manibus domũ introisti. Alij eunt, & reuersi afferunt: alij proficiscuntur & venientes perducuntur. Tu verò deterior cæteris, tu autem debilior viris, inutilior cunctis, aliaque plurima quæ solitæ impiæ mulieres loqui viris suis cogentes eos ad mala, atque animas virorum in modicum quæstum venundantes, vel potius perdentes: quibus curæ non est vnde acquirant viri tam ex rapinis, quàm etiam ex prædis, tam ex violentiis, quàm ex furtis, tantum vt in vnum coarceruantes illis afferant. Istæ veræ sunt subuersiones virorum. Istæ sunt perditiones virorũ, per quarum os ad plurimos loquitur diabolus. Post quarum verba conuersi plurimi, miseri effecti sunt & efficiuntur, & super terram & in cœlo & apud superos & apud inferos. Sic loquuta est Iezabel & Achab perdidit. Sic loquuta est Herodias & Herodem fratrẽ Philippi interfecit. Sic loquutæ sunt plurimæ, quæ multis mala ingesserunt. Sic vtique & ad Iob loqui cœpit vxor eius, & diabolus per illius sicut & per alias ad alios loquutus est & loquitur. Sed nõ audiũt illas rationabiles deũ timentes, qui æterni iudicij metuẽdas pœnas formidant memores, sicut & Iob non audiuit. Cur autẽ reprehendit vxorem Iob tanquam deseruientẽ nequissimo angui diabolo? Reprehensio nanq; est hæc ingens, atq; increpatio. Primum quidem ob hoc eam reprehendit atque obiurgat, vt norint omnes viuentes, quia non est personarũ acceptor deus, & quia non despicit, neque silet pro suorum delictis atque ignorantiis, neq; magnis neque pusillis, neque in verbis, neque in factis. Ob hoc enim & Saram olim ridentem ac promissionem suam aspernantem redarguit. Ob hoc etiam nunc istic vxorem Iob arguit atque reprehendit, vt cunctæ mulieres caueant ne cuiuspiam earum corda diabolus subuertat, ne os earũ Satanas aperiat, ne malignus spiritus per labia earum loquatur, ne deseruiant diabolo pro subuersione animarum virorum suorum. Et ad hoc reprehendit vxorem Iob, quæ diabolo deseruiuit pro subuersione eius, vt nouerimus nos plurimam atque multiplicem diaboli malignitatem & astutiam. Per omnia enim insidiatur, per omnia subuertere conatur, & per amicos, & per sodales, & per vxores: quæ in Iob adimpleta sunt, quem amici reprehenderunt, vxor verò subuertere nisa est. Horum scilicet etiam posteriores prophetæ memores dixerunt. Nolite credere sodalibus, & cum amicis vel fratribus nolite consiliare, à coniuge tua te obserua. Pro his ergo omnibus accusans, atque reprehendens vxorem suã Iob, dixit: Dixit autem vxor eius vecors, vertibilis, instabilis, quam facile diaboli fluctus subuertit, in cuius animam nequissimi illecebra facile irrepsit. Hęc videlicet vxor eius dixit ad eum, quam ideo solam de omnibus nequissimus diabolus superesse voluit, vt hac nouissima vteretur pro Iob seductione, atque animæ eius subuersione. Siue enim deus præcepit hanc reseruari, sicut & præcepit, ob hoc vt eius secundã vxorem iustus ille Iob accipere opus non haberet: siue ille diabolus hanc conseruauit tractans vt hanc ministram iniquitatis suæ haberet, vt hanc haberet pro nouissimo Iob laqueo, vt postquam per omnem rem desperaret, tunc per vxorem iustum perderet, sicut ipse arbitrabatur infelix, æstimabat atque sperabat. De longe enim oculi eius considerant, de longe iniquitas eius prospiciens circumuenit, insidias omnes captat, quemadmodum subintroeat, quomodo deiiciat, quomodo Adæ familiaritate pręuaricaret. Ob hoc ergo reseruauit atque reliquit vxorem Iob, sicut & illos nuncios qui dicebant, ego remansi solus, vt nunciarem tibi. Ob hoc solum illos reseruauit, vt consequenter dolores subenarrarent. Hoc scilicet demonstrans dicit: [Dixit ad eum vxor eius.] Vxorem dixit dixisse, sed vere diabolus dixit. Sic nanque & olim ait, dixit serpens ad mulierem. Serpentem dixit dixisse, sed non serpens dixit, sed diabolus qui per serpentem loquutus est. Sic & nũc istic vxorem dicit dixisse, sed vere non vxor dixit, sed aduersarius qui per vxorem est locutus. [Dixit ad eum vxor eius. Quousq; sustines]? Quid speramus? quid suspicamur? quod æstimamus? Quo aspectu ô viri, vel qua facie loquuta est ad Iob vxor eius? Manifestum est atque euidens omnibus, quod illa non loquuta est hilari vultu, neque lęto aspectu, sed tristi, imbrido, nubilo, flenti, omni nihilominus miseria referto: & ipsa voce lacrymabili cõmixta lamentatione. Sic itaque miserabilem se exhibens iniquus atque callidus diabolus, aperiẽsque os suum, dicit ad Iob. [Quousque sustines?] O nequissime Satana, quomodo subtiliter seducis, quomodo callide loqueris ô callidissime diabole. Quousque, inquiẽs, sustines? Quousque suffers? Quousque proteias? Quousq; constanter perstas? Quandiu, inquit, eris lapidibus robustior & saxis durior, & omni ferro firmior? Ferrum cum in ignem missum fuerit liquescit, tu verò in igne putredinis, atque vermium positus, animo nõ liquescis? [Quousque sustines?] quousque, inquit, non flecteris, quousque non deficis, quousque non debilitaris? Ac si diceret. Ego deficio ô Iob, & tu non deficis. Ego fatigatus sum, & tu non es fatigatus. Defecerunt à me omnia argumenta, à te autẽ non deficit deuotio, atque patiẽtia. [Quousque sustines?] Quãdiu tu flagellaris? Quamdiu à me torqueris & cuncta sustines, & supportas vniuersa, & non solum tormenta atque supplicia, sed & seductiones, ac verborum subtilitates, cuncta sustines, cuncta suffers, sed à nullo flecteris? Quousque, inquit, sustines ô Iob? Qui sustinebat, qui torquebatur, non est debilitatus, neque ad sustinẽdum consternatus: tortor verò eius diabolus delassatus, ac deficiens, dicit, quousq; sustines? Nõ dicit Iob qui torquebatur, quousq; sustineã, quousq; torquear? Diabolus verò qui nõ sustinebat dolores, sed cõfusionẽ, dicebat ad patientẽ atq; sustinentẽ, quousq; sustines? Iob qui sustinebat, non succumbebat: diabolus verò qui non sustinebat, deficiebat. Non enim hoc quod dicit quousque sustines, fortitudinem demonstrat sustinentis, sed defectum ostendit percutientis. Conqueritur qui cædit, & non conqueritur qui vapulat. Quamdiu, inquit sustines? Liquefactæ sunt, inquit, carnes tuæ ô Iob, consumpta sunt ossa tua & nerui, putrefacta est etiam terra ipsa sub te, & adhuc sustines ô Iob? Locutio linguarum, & sermo viatorum, & nuncius transeuntium, & spectaculum his qui longe sunt, & declinatio his qui prope sunt factus es, & adhuc sustines ô Iob? Trãsierunt noctes & dies & menses in doloribus tuis, adhuc sustines? Defeci, inquit, etiam & ego assistens tibi, inuigilans & sperans si quo modo deficiens blasphemares, vel si quo modo succumbens detraheres: & tu non defecisti, neque succubuisti, sed adhuc sustines ô Iob? Defecerũt diuitię, defecerunt filij, cõputruerũt carnes, liquefacti sunt nerui, & ossa in stercora redacta sunt, terra concalescentibus carnibus tuis commixta, & adhuc sustines? Quod efficiũtur mortui in sepulchro post mortem, putredo & vermes atque terræ commixti, hoc videlicet tu effectus adhuc viuens videris, & super hæc omnia adhuc sustines ô Iob, & suffers huiusmodi passionem, qualem non sustinuit prior te alter, neq; sustinebit alius vsque in sempiternum post te? Quousque, inquit, sustines? Deficiens iam requiesce, vt etiam me requiescere facias à bello & certamine, atque colluctatione quam habeo circa te. Sed ad hæc vniuersa vno verbo respondit dicens: Si interrogas me ô inimice quousque sustineam, audi. Quamdiu tu percutis, illousque ego sustineo. Quandiu tu torques, illousque ego suffero. Quamdiu tu flagellas, illousque ego expecto. Quamdiu non defecerit malignitas quam habes circa me, illousq; non deficiet tolerantia quã habeo circa te. Delusisti, inquit, temetipsũ ô diabole, cũ putas quod Adam incaurũ inueneris, & nescisti quod aduersum Iob constantẽ hoc habueris. Sed adhuc ad priorẽ sensum atq; sermonem reuertamur. Quamdiu, inquit, sustines? Deinde tanquã cogitationibus eius atq; spebus cõpendiũ faciẽs atq; respõdens, adiiciẽs dicit: Ecce expecto adhuc paucũ tẽpus, sperans spem salutis meæ. Tanquã si diceret. Quãdiu sustines hoc tractãs & hoc cogitãs, atque istã spẽ habẽs, quod adhuc modicũ tẽpus sustines, salutẽ & liberationẽ, atq; requiẽ expectãs, teipsũm deludis ô Iob. Non enim ita es deprehẽsus, vt modico sustinens tempore euadas. Non talia, inquit, te mala circũdant ô homo, vt cum modicũ temporis hæc supportaueris, salutem sperare possis: sed sustinens, inquit, sustinebis, & patiẽs patieris, & finis passionis atq; doloris tui nõ erit. Quod eñ facturus es in vltimo, cũ plurima passus fueris, ac sustinueris, vt blasphemes, hoc sanè cur nõ facis celeriter, vt saltẽ vel vnũ ex ipsis doloribus effugiẽs requiescas? Hęc

G itaque vniuersa atque his plura nequissimus diabolus licet nõ euidentioribus verbis sermocinatus sit, attamen occultis cogitationibus ad Iob loquutus est subtiliter seducere volens famulum dei inuiolabilem. Super quæ vniuersa adiiciens dicit: [Ecce enim exterminata est memoria tua à tetra.] Quid expectas? quid sustines? quid speras? Quid tempus salutis expectas? Exterminata est memoria tua à terra. Exterminata est enim, sublata, finita. Proiectus esse, inquit, videris, & tanquã non sis ab omnibus reputaris. Deseruerunt nãque te omnes, discesserunt cuncti, obliti sunt vniuersi, desperauerunt te toti, & qui prope, & qui longe sunt, quia deleta est memoria tua à terra. Quanti, inquit, magni fuerunt à seculo, & plerunque eorum memoria omnis subito exterminata est à terra, neque, inquit, verbum post te, neque filius neque filia, neque factum per quæ possit stare præteriens memoria tua. Ergo quia nullum de his post te in memoria remansit, ideo exterminata est memoria tua à terra. Non solum obliterata, sed sublata, sed exterminata, tanquam deleuata atque extersa, tanquam vltra non sit cui digne respondeatur: In memoria æterna erit iustus, & memoria iusti cum laude. Deinde identidem abscondens diabolus, atque tegens iniquitatem suam, conuertit hũc sermonẽ ad vxoris personã: & tãquã ex illius persona loquẽs,

Psal.112. pro itidem.

H dicit: Filij tui quos fidem docuisti, quos pietatẽ induisti, quos charitatem ad inuicem circa omnes habere instruxisti. Filij tui pro quibus corde fuisti sollicitus & animo cogitasti & singularia sacrificia immolasti, de quibus apud temetipsum dixisti, ne forte filij mei in præcordiis mala cogitauerint aduersus deum. Isti ergo filij quos tui heredes forte sperasti, à quibus sepulturam accepturum te expectasti, per quos nomen tuum ac memoriam post te manere credidisti. Isti ergo filij quibus inter homines nihil est dulcius, quibus nihil est inter carnales charius. Isti filij tui quorum visionem non expectabis amplius, quorum faciem non videbis vlterius, quorum reuersionem non speras amplius. Non enim in profectionem terrenam perrexerunt, vt denuo reuersionem speres eorum, neque in nauibus nauigantes ad exteras prouincias transierunt, vt denuo ad tempus remeantes suscipere, atque videre eos possis. Terra illos subito cooperuit, & mors illos cunctos pariter perdidit. Domus ruina commune sepulchrum illis cunctis effecit. Isti, inquit, filij tui & non solum filij sed & filiæ. Si enim solum filij periissent, filiæ verò superessent, diminuta fuisset miseria, diminutúsque nefandus dolor. Filiarum nanque prosperitatem pro hæredibus expectares, filiarum progeniem pro consolatione duceres, restituerunt tibi filiarum nati, filiorum direptionem. Nunc verò & filij tui & filiç omnes pariter perierunt, omnes sub vna hora deleti sunt, omnes vno tempore in morte tanquam

I in pelago demersi sunt: omnes in vna domo tanquam in vna naui à terrę pelago absorpti sunt: & sicut iis qui in pelago demersi fuerint ascensionis vel salutis spes vlterius non est, sic filiorum, inquit, tuorum & filiarum à mortis lamentabili profundo absorptorum reuersionis vel reparationis spes amplius non est, vt diem memoriæ tuæ celebrent, vt tempus recordationis tuæ agant. Sic inquam filij tui & filiæ ante tẽpus perierunt, omnes ante tempus à morte direpti sunt, vt non derelinquerẽt posteritatem, vt cum nepotes non supersunt, aui à nullo nominentur. Sed noli putare ô Iob quod tibi soli filios istos deputem, sed mihi potius deputo, sed mihi magis succenseo, mei, inquit, vteri sunt gemitus & dolores, quos in vacuum portaui, laborum cum gemitu retributionem ab ab illis non accepi, remunerationem ex eis non habeo. Vteri, inquit, mei gemitus & dolores, cum gemitu & dolore à me nutriti miseram atque solitariam reliquerũt me, in doloribus atque gemitibus me dimiserunt. Cum doloribus, inquit, ac gemitu peperi, dolores ac pericula in die natiuitatis eorum sufferendo: cum dolore, ac gemitibus nutriui, compassa infantiæ eorum atque infirmitati, congemiscens languoribus atque gemitibus eorum. Nam cum ingemiscerent simul ingemiscebam cum eis: cum infirmarentur, ego in me suscipiebam infirmitatem atque dolorem illorum. Quis, inquit, ex his qui generant filios, ignorat ô Iob filiorum dolorem? Quis ex his qui natos procreant, amorem atque affectum filiorum nesciat? Quia omnem dolorem atque infirmitatem natorum libenter in se parentes suscipiunt, tãtum ne aliquid

K moleste eis accidat. Hoc & præ omnibus muneribus deuote impendi natis ex me procreatis filiis tuis & filiabus, vteri mei doloribus atque gemitibus. Sed hęc cuncta cum passa fuerim atque sustinuerim, in vacuum vane expectaui, cum sepulturam mundam eis facere minime valui, illis à quibus mihi honorabilẽ sepultutam speraui. Post hæc vniuersa nihil inquit dixissem, nihil conquesta fuissem, si te ô Iob non infirmum viderẽ, si te sanum habuissem: sed leuia mihi fuissent omnia quæ te incolumi sustinuissẽ. Sicut enim rei familiaris iacturæ memor non essem si liberos non amisissem, similiter non essem recordata, nec rei familiaris, nec filiorum, si tibi incolumi gratulata fuissem. Nunc verò & tu ipse Iob sedes in putredine vermium pernoctans & peruigilans, cum vehemẽs dolor tuus, atque miserabilis tua passio auferens à te requiem & vigilias tibi procurans dolores tuos efficit amariores. Tu ipse, inquit, in putredine vermium sedes. Quod enim efficiũtur omnes post mortẽ, hoc nimirum effectus es tu solus ante mortem. Quod enim efficiuntur omnes qui moriuntur in sepulchro, hoc videlicet effectus es tu solus in murana. Quid in multitudine gloriaris iustificationum? Tu autem sedens in putredine vermium pernoctans ac peruigilans plurimos habes qui te excitent vermes. Non enim gallus ille qui post hoc Petrum vocabit, ita excitare illum poterit, sicut te excitant vermes, qui deuorant carnes tuas. Non tantum Ægyptios il-

L læ plurimæ excitauerunt plagæ, sicut te multiplex suscitat putredo. Post quæ vniuersa, & ego, inquit, vt vaga, & habitu ancillæ ambulans de loco in locum & de domo in domum operis causa, expectans quando sol subeat & requiem habeã laborum & gemituum, qui nunc me apprehenderunt. O malignitas aduersarij, ô calliditas diaboli, ô fallacia nequissimi, quàm blande loquitur, quàm callide decipit, quã miserabiliter fatur, vt prouocet sensum, vt atterat mentem, vt exaggeret animum, præcordia, vt immutet conscientiam, vt delassando atque fatigando, & debilem atque desperantem efficiendo, ad blasphemiam eum prouocaret atque converteret. Nam is qui aliquem passus fuerit dolorem, cum consumpserit eius dolorem, verborum magis prouocatur admonitione quàm improperiis: & increpationes minores atque mitiores esse vidẽtur magis quã cũ prouocantur verbis, atque admonetur eloquiis, & subtilitate verborum exulceratur anima patientis. Hoc scilicet sciens nequissimus diabolus, versute ac callide per os vxoris loquens, omnium eum ab initio commonefecit dolorum. Vxoris nomen cum audieris, noli putare quod vxor hæc locuta fuerit, sed ore vxoris deseruiente loquutus est per os eius malignissimus, quid etiã & impias cogitationes seminauit in anima illus. Animaduertite quomodo omnes ipsos enumerat dolores, quomodo de omnibus eum commonefacit. Quousque sustines paupertatẽ, inopiã, nuditatẽ, deformitatẽ, improperia, maledictiones? De

Per mulieres Satanas sæpe loquitur.

M inde filij tui & filiæ perierunt, interierunt, intercepti sunt, deleti sunt. Item verò tu sedes in putredine vermium omnibus execrabilis, omnibus abominabilis, omnibus detestabilis ad videndum & approximandum atque audiendum, & ad ipsam putredinem omnibus odiosam moderandam. Deinde post hæc vniuersa, & ego, inquit, vt vaga & habitu ancillæ circumiens de loco in locum & de domo in domum, & cætera: quibus subtiliora atque callidiora in subuersione loqui non poterat. Post quæ vniuersa pro omnium conclusione, postquam peturbatum & prouocatum, atque circa deum excitatũ putauit esse cor eius, in supplemento omniũ dixit: [Dic aliquod verbũ in dominũ & morere.] Ad hoc enim illũ adducebat atque attrahebat, & ad hoc flagellabat cum hæc vniuersa loqueretur malignissimus diabolus. Nam cum non valeret per dolores, nisus est atque putauit quod per seductionẽ eũ subuerteret. Sed illic vere adimpletũ est quod post hoc dictũ est: Firmum fundamentũ dei stabit. Illic verò adimpleta est parabola illa, quæ à domino dicta est de domo illa firma, quæ super petram fundata atque ædificata est, quam omnes vẽti & aquæ, & omnes impetus diaboli cõmouere nõ potuerunt. Talis verò fuit admirabilis Iob, quem omne supplicium diaboli compulit deum derelinquere: quem omnia argumẽta aduersarij non seduxerũt, vt à creatore discederet.

Sed

A Sed adhuc velut ex persona vxoris huius verbi mentionē faciamus. Et ego, inquit, vt vaga, & habitu ancillæ. Et ego mala tua, inquit, tecum baiulo, tuos dolores tecū sustineo, tuas miserias tecum patior, & ego, inquit, discedere non possum, derelinquere te non tolero. Et ego vt vaga & habitu ancillæ. Vaga velut peregrina, latitans, misera, solitaria, infelix, inops. Et ego vaga, veluti erronea, tanquā viarum & egressuū, atque totius ciuitatis trāsitus ignara. Nā intra palatia nutrita, & in regno viuēs, & in principatu atq; opulentia degens, omnium foris eram ignara. Ob hoc ego, inquit, vt vaga circumeo, atq; erro, vtpote omniū inscia & viarum & itinerū & incessuū & colloquiorū, & non solū vaga, sed habitu ancillæ tanquā mercenaria, atq; aliis indigēs, tanquā infelix & omnimode inops. Habitu ancillæ, vtpote operās ac laborās & mercennū faciēs, & omnibus supplicans, atq; omnibus humilis, vtpote omnib[9] subiecta. sic itaq; vt vaga, inquit, & habitu ancillæ, innumeri serui, atq; innumeræ ancillę olim seruierūt mihi & ministrauerunt & detulerūt & requiē dederunt, & vndique cū reuerentia adorauerunt me: nunc verò ad tantam infelicitatē deuoluta sum, ad tantā miseriam perueni, vt ipsa ego vaga aliis seruiā, omnibus indigens, omnibus subiecta. Ego, inquit, quæ immensum numerū in opum atque pauperum, infeliciū quoque, ac nudorū sitientiumque olim ex tuis & meis laboribus atque facultatibus saturaui, vestiui, benefeci, requieui, refrigeraui, ego, inquit, ad tantos dolores & miserias, atque infelicitatē perueni, vt tanquā vaga circumiens, aliis propter inopiam seruiā, vt tibi, inquit, o Iob quotidianā escam mercenno acquiram, vt tibi quotidianū victum inueniā. Ob hoc (inquit) B vt vaga & habitu ancillæ de loco ad locū circūeo, & de domo in domū, sicubi exposcam, & mendicē, expetam, vel vt etiam mercenno exigā, de loco ad locum, de domo in domum circumeo. Alicubi (inquit) suscipior, alicubi autem non suscipior, alicubi defertur mihi, alicubi autē non defertur. Alicubi honorificor, alicubi nihilominus execror. Nam præter id quod non suscipiūt, insuper execrantur, declināt, abominantur nostrā infelicitatem, vnusquisque sibi metuēs, & tanquā ab augurio meū accessum atque inttoitū prę timore declinat, ne forte cum nostra miseria tangatur. Ob hoc, inquit, ô Iob de loco in locum circumeo, & de domo in domum. Ego (ait) quæ olim foras nunquā exiui, quæ foras nunquā respexi, nūc verò de loco in locum circumiens, & de domo in domum ab omnibus conspicior, ab omnibus contemplor, & à malis & à bonis, & à cognitis & ab incognitis. Nam ij, inquit, qui olim nec viderunt me, nec videre potuerunt, isti nunc vt vagam me circumeuntē cum ignominia vident, atque contēptu contemplantur. Ob hoc, inquit, de loco ad locū circumeo, & de domo in domum, operis gratia, & expectans quando sol subeat, vt requiem habeam laborum, atque gemituum, qui nunc me apprehenderunt, qui nunc occupauerūt tam pro tua passione, quàm etiam pro mea vagatione, tam pro tuis laboribus, C quàm etiam pro meis tribulationibus, expectans quando sol subeat. Ob quam rem? Ob hoc (inquit) vt requiē habeam laborum ac tribulationum mearū. Nam cum sol inquit ceciderit, nox appropinquat, & tenebræ oriūtur, & superuenit somnus, qui omnes dolores mitigat, qui omne vulnus sedat, qui omnē tristitiam sopit. Ob hoc ergo (ait) tanquam requiem & omnium tribulationū depositionem sic expecto quando sol subeat, vt saltem vel breui noctis tempore à tribulationibus, quæ me nunc apprehenderūt requiescam. Sicut enim locus loco me reddit, & domus domui, stipem quęrētem & eleemosynam, atque humanitatem vagam circumeuntem, sic similiter diei me tradit & nox nocti, requiem tribulationum atque dolorum cōsolationem quærentem expectando quando sol subeat, vt requiem habeam tribulationum quæ me nunc apprehēderunt. Nam solis occasus omnibus humanis laboribus ac fatigationibus finem imponit, solis occasus vniuersis humanis naturis requiem prestat, & pauperibus, & non habentibus, & seruis & liberis: & omnes vesperum atque solis occasum, velut libertatem & indulgentiam atque requiem expectant. Cum quibus omnibus, inquit, ego etiam expecto quando sol subeat, vt requiem habeam tribulationum, quæ me nunc apprehenderunt. Voluerunt quidam & aliter hæc dicere, quasi non possit per diem præ verecundia atque confusione per domos ire, & stipem recipere pro cernentibus & D declinantibus propter augurium ne ei occurrerent, vel in domum susciperent, metuentes ne eadem paterentur etiam omnes ad quos accessisset, vel quibus approximasset. Ob hoc ergo dicit, expectans quando sol subeat, vt in tenebris nocturnis requiem inueniam. Sed vere superior expositio vera atque irrefutabilis est. Sed post hæc vniuersa ad illum sermonē conuertamus, cuius etiam hæc verba fuerunt, id est ad diabolum. Nam hic gloriatur quod de loco in locum circumeat & de domo in domum, vt seducat, vt perturbet, vt commisceat, vt decipiat, vt ea quæ contraria sunt cunctos doceat, & expectat quando sol subeat, vt requiem habeat laborum ac tribulationum. Nam vbi sol iustitiæ non subierit, vbi lux veritatis non luxerit, vbi obscuritas infelicitatis & erroris atque impietatis fuerit, illic malignus requiescit, illic omnem iniquus suum laborem deponit. Idcirco de loco in locum circuit, & de domo in domum, vtpote aereus spiritus, cuncta penetrans atque peruolans, & omnia circumspiciens, & vbique omnia inquirens, sicubi suæ malitiæ nequitiam requiescere faciat. Quod autem ita sit, etiam ipse dominus in euangeliis demonstrans dicit: Cum immundus spiritus exierit ab homine circuit quærens requiem. *Mat. 12.* Sic itaque & istic circuit de loco in locum, & de domo in domum, sicubi subeuntem inueniat solem, & tenebras & obscuritatem & noctem, impudicitias, & adulteria & pertinacias, vt illic requiescere perficiat vniuersam suam iniquitatē, atque omnem laborem suum. Sic nanque requiescit caput huiusmodi, vt vltra opus non habeat laborare vt eos seducat. Proprios nanque habet illos, & in illis requiescit. Idem ergo diabolus sanè dixit: Circuiui E omnem terram, & peragraui eā quæ sub cœlo sunt. Idem ipse etiam nunc dixit, quod de loco in locum, & de domo in domum circumierit. Idem ipse etiam adhuc circumiens quærit requiem. Sed cum vniuersam malitiam suam perfecerit diabolus, atque omnem iniquitatem suam demonstrauerit, ostēdit in fine quid cogitauerit, quid quæsierit, quidúe cupierit dicens: [Dic aliquod verbum in dominum, & morere.] O iniquitas & malitia, fallacia quoque ac versutia tua diabole, quantum percurristi, & quantum circuisti, & quantum tuis sermonibus atque callidis locutionibus complexus es, cum commonefacis eum dolorum, plagarum, vermium, putredinum filiorum atque vxoris vagationis. Et postquam per hæc vniuersa raptum illum, atque post se conuersum habere putat, post hæc nihilominus omnia quasi gratiam atque synceritatem illi demonstret, & tanquam sollicite illi consilium præbeat, ait, dic aliquod verbum in dominum & morere. Melior (inquit) est mors ô Iob quàm vita amara, & requies æterna quàm perseuerans infirmitas. Ideo dic aliquod verbum in dominum & morere, vt inanem vitam hanc finias, vt hæc amara tormenta relinquas, vt ab istis vehementioribus doloribus transeas. Ob hoc ergo dic aliquod verbum in dominū & morere. Dic aliquod verbū quod irritet, quod exacerbet quod exasperet. Dic aliquod verbū in dñm. F Accusa de iniustitia, criminare, irride de malitia, reprehēde de impietate. Dic aliquod verbū quod neget illū, & prouidentiā eius atque prouisionem, præscientiam quoque ac virtutem atque magnitudinem illius. Sic ergo dic aliquod verbum in dominum & morere. Si enim aliquid huiusmodi dixeris, continuo morieris, continuo de omnibus præsentibus laboribus securus atque alienus redderis, continuo neque cousu sionem (inquit) sustinebis, neque improperia audies, neque dolorem patieris, neque pœnam sufferes, sed cuncta protinus deponens inter mortuos requiesces. Dic (inquit) aliquod verbum in dominum & morere. Hoc (inquit) expecto, hoc sustineo, hoc desidero, hoc quæro, vt dicas aliquod verbum in dominum & moriaris. Ob hoc, inquit, plurimo tempore ad uigilaui tibi, obseruans atque in speculis sedens quando succūberes, quando flecteres, quando deficeres, quando in his doloribus defatigatus atque in ipsis tormentis delassatus ad reprehensionē creatoris flectereris, atque in factis dei ad blasphemiā te cōuerteres. Cū, ego inquit, hæc vniuersa perfecerim atque peregerim, vnum mihi verbum condona, vnum verbum me exaudi, vnum verbum dicito in dominū, & morere. Quod enim tu dicturus es post paulum ô Iob, Menses

G vacuos & noctes dolorum sustinui: hoc (inquit) ego iam ex hoc sustineo, menses vacuos pertransiens propter immutabilem tuam passionem, & noctes dolorum peragens propter animam tuam in doloribus non succumbentem. Non enim te ita ô Iob isti dolores affligunt, sicut me tua tolerantia pernecat. Pro his ergo omnibus dic aliquod verbum in dominũ & morere. Sed tale verbum dic, vt continuo tibi mortẽ procuret, sed bene dixit postmodũ is qui ait: Aqua multa non extinguet charitatem, & flumina non innundabũt eam. Omnia enim flumina & omnis impetus, & omnis inundatio maligni atque malicia diaboli, extinguere vel inundare puram illius charitatem Iob quam circa dominum deum habuit nõ potuerunt. Indicium huius rei ea quæ iampridem dicta sunt, & ea quæ adhuc subsequenter proferuntur, demonstrant. Nã mox isticin subsequentibus dicit. [Ipse verò respiciens ad eam dicit: Quare vt vna ex insipientibus mulieribus ita locuta es?] Ipse vero respiciens ad eam. Ipse. Quis? Iob ipse respexit eam qui ante ad deum respiciebat, qui primum dominum contẽplabatur, qui dudum ad æternam incorruptionem synceriter intendebat. Ipse ergo respexit. Ipse ille immobilis, indeclinabilis, insubuertibilis, inseducibilis. Ipse qui circumuentus nõ est, qui à deo non est abstractus. Ipse respexit ad eam. Ad quã eam? Ad vxorem, ad insidias, ad muscipulam, ad subuersionẽ, H ad ruinam. Nam illa quam vxorem esse oportebat, & omniũ bonorum consiliatricem atque suffragatricem, effecta est illi insidiæ, retia & fraus ac totius impietatis consiliatrix vel fautrix, quanquam iustus Iob illam non audierit. Sed interim cũ se ista ministram maligno effecit, quantũque ad ipsam circumuenire atque supplantare beatum Iob studuit, merito iustus ille respiciens ad eam, primum ad eum qui in ea loquebatur, id est, ad diabolum, respexit: primum inimicum illum qui per os eius insidiabatur intellexit, atque malitiæ eius occurrens restitit, & per illam quæ ad eum locuta est diaboli iniquitatem redarguit atque deiecit. Quod demõstrans scriptura dicit: Ipse verò respexit ad eam turbido aspectu, immutata facie, frementi locutione, perturbato vultu. Ipse verò respiciens ad eam cum ira ac furore, cum indignatione atque cõtemptu. Cognouit nanque quod maligni erant hæc seminaria, quia maledicti semen hoc fuerat, quia iniusti erat ille fructus, quia nequissimi fuit hæc concitatio. Idcirco respiciens ad eam quidem respexit, sed ad diabolum dixit, ad diabolum locutus est. Cur (inquit) ô diabole, inimice iustitiæ atque omnium bonorum aduersarie, cur superuacue speras? cur stulte cogitas? cur humiliatum temetipsum plus humilias, cum putas quod Adam inueneris, nesciens quod aduersum Iob rem habeas? Neque te hoc reuocauit quod præscius omnium dominus dixit, non est illi quisquam similis super terram? Neq; I hoc te reuocauit, quod vniuersam iniquitatem tuam nunc ostendens, & omnia bella tua & omnia prælia tua aduersum me suscitans, confusus in omnibus reuersus, deformatus in omnibus cõuictus es? Post illa omnia sicut olim etiam ad Adam, ita ad me vxorem meã misisti, sperans infelix, quia quod vel his tormentis non perfecisti, hoc nihilominus verbis seductionis perficeres, teipsum deludens, atque circumueniẽs. Euæ enim exemplar inuenisti, sed ruinam non inuenisti, sed in eum qui in te Adæ fraudem vlciscatur occurristi, sed aduersus eum insurrexisti qui typum gerit illius qui in nouissimo veniens tempore conculcabit caput tuum, comminuet virtutem tuam, confundet fortitudinem tuam, humiliabit altitudinem tuam, & deiiciet elationẽ tuam, vindicabit Adæ priorem supplantationem vitæ illius ruinam excitando, & tuam elationẽ deiiciendo. Hæc itaque vniuersa, atque alia his plura ad personam vxoris, ad diabolum illum locutus est, increpãs illum atque deformans. Nam sicut diabolus per vxorem eum seduxit, ita etiam ipse per eam demum diabolum deformauit atque redarguit. Sed tamen & ad ipsam vxorem dixit: [Quare sicut vna ex insipientibus mulieribus ita locuta es?] Cur (inquit) maximam insipientiam arripuisti atque aggressa es? Cur teipsam vas diaboli effecisti? Cur teipsam habitationem maligni præparasti? Cur diabolus locutus est per os tuum, infatuans primum mentem tuam atque animæ tuæ intellectum? Tanta digna eras ô mulier maledictione ac deuotatione, ira quoque atque indignatione vel deformitate, quantam vt deũ

Can.8

Vxor Iob Euæ exemplar.
Gen.3

Gen.3
Iob.2

blasphemarem ac reprehẽderem, atque criminarer mihi suasisti, & per ipsam blasphemiam mortẽ super me inducere K operam dedisti: quibus nec quicquam est sceleratius ac nequius, illicitius quoque atque imprudentius, id est, dei blasphemia & morte spontanea. Quare vt vna ex insipientibus mulieribus ita locuta es? Quare (inquit) non meministi meæ doctrinæ ô mulier? Quare oblita es mea mandata ô fœmina? Hoccine audisti à me vt creator blasphemetur? Hoccine audisti à me vt deus criminetur? Vocem tuam, inquit, cognosco ô mulier, sicut & olim Isaac Iacob, sed seductionem tuam non cognosco, & doctrinam tuam non suscipio. Agnoui enim quod nequissimi aduersarij letale venenum est. Quare sicut vna ex insipientibus mulieribus ita locuta es? A quo sensum & sapientiam accepisti, hũc criminari non pepercisti. A quo prudentiam & intellectum accepisti, hunc blasphemare non timuisti. Cur tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Plurimæ, inquit, ô mulier à seculo insipientes ostenduntur fœminæ, & innumeræ ab initio irrationabiles demõstrantur mulieres, aliæ minus, aliæ autem plus, quædam carnaliter, quædam autem spiritualiter. Insipiens fuit Rachel quãdo dicit ad Iacob, da mihi filios. Non enim in potestate Iacob erat hoc, sed in dei potestate atque operatione. Sed insipientior fuit hac obscœna illa Ægyptia meretrix, quæ maximam impietatem aggressa, ad castissimum illum atque iustissi L mum Ioseph dicit: Mane mecum. Insipiens fuit vxor Tobiæ, quæ iniuste dicit ad Tobiam: Vbi sunt iustitiæ tuæ & eleemosynæ tuæ? Ecce quæ pateris omnibus cognita sunt. Sed insipientior hac fuit, quia & nequior, execrabilis illa & immunda atque luxuriosa Dalila, quæ clanculo seducens Sampson pure se diligentem, in derisionem atque in mortem imparcẽter tradidit. Aliæ nimirũ innumeræ ex scriptura ostendi possunt insipientes mulieres, quas omnes nunc istic vno verbo perstringẽs Iob dicit: Quare tanquã vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Ex insipientibus, inquit, inutilibus, stultis, imperitis, irrationabilibus, impiis atque iniustis. Cur, inquit, tanquam vna ex insipientibus huiusmodi locuta es? Sed quia non dicit tanquam quædam ex insipientibus mulieribus, sed tanquam vna, propterea quærendum est, quæ vel qualis sit hæc vna insipiens. Oportet enim esse illam singulariter insipientem, & super omnes, atque plus omnibus, vtpote cæteris omnibus mulieribus insipientior hæc sola ostensa atque demonstrata. Quæ est hæc? Eua prima mulier, prima in insipientia, maxima in irrationabilitate, inops sensu atque scientia, exors prudentiæ & intellectus, quæ maximam insipientiam toti mundo inuexit, quæ singularem irrationabilitatem omnium mortalium seculo induxit, tum peccata atque mortes M semper per inobedientiam in mundo produxit. Huius nunc euidenter memor Iob, & de hac vxori commemorans dixit ad eam: Quare tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? & non ita, sed plus ac deterius atque grauius. Nam memorata Eua cum olim, inquit, in principio ad Adam locuta esset, & mandatum dei derelinquere eum doceret atque seduceret, persuasionis causa, ligni speciem & fructus dulcedinem protulit illi atque ostendit. Tu verò ô mulier foris ab omni occasione, detecta impietate, deum sanctum blasphemare & mihi ipsi mortem inferre doces, atque ante omnes merito digne à me audis: Cur tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Tu, inquit, ô mulier facta es deterior Eua in insipientia, sed ego (ait) non effectus sum vt Adam in stultitia. Propterea tuis seductionibus non obedio, propterea non seducor ab eo qui in te loquitur diabolus. Quare tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Fortiori prelio iam confecto, periculosioribus doloribus iam supportatis, amarioribus tormẽtis iam baiulatis, terribili pelago iam superato, vehementioribus periculis iam consummatis, cum iam salutis spes palàm fit, cum iam immarcescibiles coronæ euidenter ostendantur, nunc me compellis ô mulier deum blasphemare & mori: vt post ea omnia amarissima ac miserabilia atque lamentabilia supplicia quæ sustinui, beatissimis remunerationibus post hæc alienus efficiar, & non solum hoc, sed & post mortem terribilium pœnarum apud inferos perpetuo hæres sim, vtpote qui indigne atque iniuste sanctum deum blasphemauerim. Post hæc vniuersa ô mulier

Nihil magis illicitũ quàm Dei blasphemia & mors spontanea.

Insipientes fœminæ innumeræ.

Gen.30

Gen.39
Tob.2
Iudic.16

Eua mulierum insipientissima

A mulier maledicere ac negare atque blasphemare me deum compellis? Ob quam rem? Dicito. Ob hoc, inquit, vt moriaris, vt mala quæ te nunc circundederunt, derelinquas. Bene. Audi iterũ. Porrò si non placuerit deo qui habet vitæ ac mortis potestatem, vt postquam renegauero illum ac maledixero atque blasphemauero continuo moriar, sed etiam hic in istis terrenis doloribus diutius affligat, vtpote suam apostatam & illis æternis pœnis tradat, vtpote se blasphemantem. Si igitur seruiens illi & colens atque gratias agens, tales sustineo dolores, qualia sustineam apud inferos supplicia ô mulier, si discedens ab illo negauero & renuero atque blasphemauero? Nã istorum breuissimorum dolorum quos in corruptione sustineo erit finis, & cum gratiarum actionibus hos vsque in finẽ sustinens æternæ beatitudinis à deo spero mihi remunerationem. Illis autẽ qui deum blasphemauerint diutius viuentibus in corpore, væ erit. Plus autem erit væ illis apud inferos, cũ in perpetuo torquebuntur in flamma ignis inextinguibilis. Quare ergo tanquam vna ex insipientibus mulieribus, locuta es? cum & deum blasphemare suades, & mihi ipsi mortem atq; internicionẽ vt procurem doces quibus nequius atque sceleratius nihil est. Omne enim peccatum per pœnitentiam indulgentiam accipiet, & omnes qui synceriter penitue rint, remissionem & misericordiam à deo consequentur atque inuenient. Hi verò qui semetipsos interfecerint, qui sibimetipsis mortem intulerint, nunquam requiem habebunt, isti in infinita secula nunquam inuenient refrigerium, sed animę eorum mox vt de corpore exierint in tenebras deducentur: vbi cum Iuda & Achitophel perpetuo torquebuntur, qui

Seipsos interficientes rectà ad inferos descẽdunt.

B post alias impietates sibimetipsis manus inferre ausi fuerunt. Nullus ergo ex bene intelligentibus vel deum timentibus hominibus mortis causam sibi debet inuenire, non debet semetipsum interficere, neque omino vllus deum timentium debet sibimetipsi mortem optare. Quod si verbo omnino mors optanda non est, multo magis mortem factis nullus sibi debet inferre. ne cum præfatis æternis apud inferos tradatur tormẽtis. Ob hoc ergo dicit Iob ad diabolum, qui mortis illi blasphemiã suadebat. Quare tanquã vna ex insipiẽtibus mulieribus locuta es? Ac veluti diceret: Quare tanquã vna ex insipientibus animabus fatuis, sceleratis, impiis, deo odibilibus, deo resistẽtibus ita locutus es? Quia nec deum times neque virum vereris, neque teipsam confusione induis, neque vehemẽtioribus, aut meis doloribus compateris. Super hæc autem omnia neque hoc considerasti, ne forte post blasphemiam si sic blasphemauerimus, deteriora pati incipiamus. Quare tanquã vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Ego patior, & tu me blasphemare cõpellis: Ego affligor, & tu vt mortem petam me cogis, Ego tales dolores sustineo, & tu me meũ creatorem blasphemare doces, vt mala malis, atque dolores doloribus meis adiicias ô mulier, vel potius is qui in te, vel per te loquitur inimicus diabolus. Quare ergo tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Sic locuta est post hæc (ait) Iezabel ad Achab, sic locuta est Herodias ad Herodem, cum illa sanè Heliam interficere, ista verò Ioannem occidere suaderet, & cæteras omnes impietates eos docerent. Sic, inquit, & tu ô mulier mortem mihi atque internicionẽ per dei blasphemiam, suades, vt cum hoc quod malè morior, cũ hoc ipso iniuste blasphemem. Sed vigilo, inquit, in prælio quod aduersum te gero ô diabole, sed nõ obdormio in stadio quod circa te habeo ô nequissime aduersarie. Non enim obdormitantem inuenies, quemadmodum iam memoratos, neque dormientem sicut illos in quibus post hoc facile zizania inseminasti. Te, inquit, ô inimice per vxoris personam increpo. Tu enim insipiens es atque totius impietatis auctor & pater, te etiam per hoc sancti velut insipientem arguentes dicent: Dixit insipiens in corde suo, nõ est deus. Tu, inquit, ô diabole in antiquissima illa muliere maximam insipientiam inseminasti, & in ista nunc muliere impiam insipientiam produxisti. Merito dico ad illam, quare tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es? Te recolentes ô mulier post hoc prophetæ, & malum atque insipiens tuum consilium duriter detestantes dixerunt, à coniuge tua te obserua, ne quid dixeris illi. & alia plurima his similia. Post quæ vniuersa adiecit dicẽs: [Si bona suscepimus de manu domini, mala quare nõ tolleremus?] Aduerte, inquit, ô insipiens, cõsidera deposita stultitia ô mulier. Si bona suscepimus de manu domini, mala autẽ quare non toleremus? Gloriæ, diuitiæ, iocunditas, deliciæ, sublimitas, honor, regni sedes, principatus & potestates, natorũ gaudium atque amicorum multitudo, hæc fuerunt bona, quę de manu domini accepimus, quæ de manu domini data sunt nobis. Mala autem fuerunt, rei familiaris perditio, liberorum amissio, putredinis abundantia, vermium multitudo, pœna insupportabilis, intolerabiles dolores, seductio atq; subuersio maligni, insidiæ atq; tentationes inimici. Hæc vniuersa mala videntur & mala dicuntur, atq; mala ab hominibus æstimãtur, non quod mala sint hæc, sed sunt æterna bona procurantia, perpetuæ nihilominus gloriæ in regno hæreditatem prę parantia. Hoc sciebat Iob. & merito cum gratiarũ actionibus ea sustinere operam dabat. Hoc sciẽrũt prophetæ & apostoli atq; cuncti martyres. Propterea amaram vitam in hoc mũdo transegerunt, propterea omnia tormẽta ignis & gladij sustinuerunt. Humana ergo cõsuetudine bona & mala ea appellat, dicẽs: Si bona accepimus de manu domini, mala autẽ quare non toleremus? Cum, inquit, tibi esset honoris sublimitas, cum gloria lætareris, cum in deliciis degeres, cũ multitudo te ante & retro, vtpote de palatio exeuntẽ, & identidem illo reuertentẽ cum honore exaltãs circumdaret, cum filij ante oculos gaudio te replerent, tũc nõ dixisti ô mulier, dic aliquod verbum & morere: tunc mortem omnino nec nominare, nec audire passa es. Nunc autem quia res familiaris interiit, & filij

Mors verbo omnino non optanda.

Psal. 11.

3. Reg. 19. Matth. 14

Mic. 7. Iob. 2.

D

E perierunt, quia gloria fugit, & diuitiæ abierunt, quia mala nos inuenerunt, & dolores apprehẽderũt, deũ nos blasphemare cõpellis, ob hoc nos reprehẽdere doces, propterea nos mortẽ petere cogis, & hoc nõ iuste sed iniuste per dei blasphemiã: & quod est maximũ, nõ tibi amarã mortẽ poscis, sed mihi: vt possis post obitũ in requie viuere; sicut tu speras, nesciẽs neq; credẽs dei bonorũ promissionib⁹ quę delõge videt ei⁹ æternitas. Si bona accepim⁹ de manu dñi, mala aũt quare nõ toleremus? Si bonorũ etiã fastidiũ nũquã cepimus, neq; finẽ eorũ vnquã fieri volum⁹, mala aũt quare nõ toleremus? tribulationes cũ gratiarũ actionibus quare nõ sustineamus? Præsertim cũ nouerimus, quia sicut bonorũ finis erit, ita & malorũ citissime cõsummatio aderit. Et quidẽ bonorũ, hoc est, diuitiarũ atq; opulẽtiæ finis inutilis erit, nisi aliquis propter iustitiã atq; eleemosynã pauperũ iuste eas expẽderit: tribulationũ aũt tolerãtia in fide, atq; dolorũ supportatio cũ gratiarũ actionibus æternę gloriæ hæreditatẽ præparãt in regno cœlorũ. Si bona accepimus de manu dñi, mala autẽ quare nõ toleremus? Nũquid fastidiũ bonorũ passa es ô mulier? Nũquid cõsternãter tulisti requiẽ & gloriã ô fœmina? Quod si illorũ plurimo F tẽpore fastidiũ nõ cepisti, quomodo nũc modicæ tribulationes te deficere fecerũt? quomodo vberes dolores te nũc defatigauerũt, qui me atterũt & nõ te? Me comedũt vermes, & tu delassata es. Meæ carnes putrescũt & tu delibata es. Si bona accepimus de manu dñi, mala aũt quare nõ toleremus? Sic putas, inquit, ô mulier quod non à deo nobis sit hæc pœna, sed ab alio aliquo. Si ergo non est à deo, sed ab alio, quid vlciscar deum vt blasphemẽ illum, cum alius sit qui me tribulauerit? quòd si à deo est certũ, quod forsitã est pro peccatis nostris est. Quid itaq; est melius? orare ac deprecari terribilẽ faciem dei, an blasphemare & criminari ac detrahere, vt vehementiorem iram atque indignationem in nos excitemus? Si igitur ipse est qui hanc pœnam ingessit, satisfaciamus illi tanquam misericordi. Si autem alius aliquis est qui hoc bellum aduersum nos excitauit, sic etiam deprecemur illum auxiliatorem atque propugnatorem, vtpote fortissimum ac potentissimum. Si enim bona accepimus de manu domini, mala autem quare non toleremus? Vbi enim fuerint lætitiæ, illic etiã tribulationis expectatio. Vbi iucunditas, illic etiã miseriæ sperãtur. Nã quid obuenit nobis ô mulier ex his quæ in hoc seculo non fuerint gesta? Nõnne omnis caro aliquãdo quidẽ sana est, aliquãdo ægra, aliquãdo paupertatẽ patitur, aliquãdo autẽ diuitias habet? Quæ igitur sunt apud oẽs homines in mundo, hæc, inquit, etiam apud nos gesta sunt: & non solum in omnibus hominibus, sed & in omnibus huius mũdi elemẽtis fiunt aliquãdo, sic aliquão ver, sic aliquando æstas, aliquãdo hyẽs, aliquãdo frigus, aliquãdo verò ęstus,

Dilemma.

G aliquando viriditas, aliquando verò siccitas. Si ergo ita est apud omnia corruptibilia, quid magnum si & nos qui sicut omnia corruptibilia, floruimus pridem sanè diuitiis & cæteris bonis, nunc verò aruimus inopia atque concaluimus in infirmitate? Sicut ergo in illis delectati sumus, nunc & ista sustineamus. Sicut illa libenter accepimus, ita & ista cum gratiarũ actionibus supportemus. Si bona accepimus de manu domini, mala autẽ quare non toleremus? Nõ quod de manu domini procedant bona & mala, sed omnia bona. Ex bono enim omnia bona procedunt. Nam sicut sol tenebras nunquã profert, sic similiter bonus deus nũquã mala producit, sed omnia bona atque optima. Quanquam enim ab impiis atque indisciplinatis hominibus ea quæ pro vindicta & cõuersione atq; pœnitentiæ cõmemoratione à deo ingeruntur, non bona sed mala existimantur, tamen bona sunt vere, quia cum ad pœnitentiam conuerterint, æterna bona in regno cœlorũ procurare reperiuntur. Sic nempe & omnis doctrina atque disciplina ab irrationabilibus infantibus non in bonum, sed in malum æstimatur vel ducitur: sed reuera cognoscunt in vltimo, quia totius boni, vel gratiæ illis causa extitit disciplina, quæ in primordio fuit execrabilis. Humano itaque more atque cõsuetudine, & humano Iob vsus prouerbio mala & bona memorat dicens: Si bona accepimus de manu domini, mala autẽ quare non toleremus? Post quæ vniuersa præcipuã atque perfectam gloriæ coronam conferens Moses beato Iob, dicit in

An mala procedant à deo.

H subsequentibus. [In illis autẽ omnibus quæ illi acciderunt, nihil peccauit Iob in labiis suis, neque in cõspectu domini.] O laus, ô honor, ô gloria & suffragiũ, ô delectatio atque prælatio beati Iob. Quid primũ magnificetur iusti illius? An iusta ac pia vita eius ab initio, & misericors atque bona? An tolerãtia vehementiũ dolorum cum gratiarum actionibus? Aut etiam hoc quod cum callide seduceretur à diabolo per os vxoris, sapienter restitit, & in his omnibus iustũ ac bonũ deũ existimauit qui hæc ei vniuersa bene ingessit? Hæc itaq; demonstrans dicit: In his omnibus quæ ei acciderunt nihil peccauit Iob in labiis suis, neque in conspectu domini. In his, inquit, omnibus plurimis, magnis ac mirabilibus atque terribilibus, lamentabilibus, quoque ac miserabilibus quibus similia gesta non sunt, in miseriis atque in infelicitatibus, in omnibus quæ à seculo sunt facta, & fient vsque in æternum, quibus similia visa nõ sunt, neque audita sub sole ab initio seculi & vsque in cõsummationem seculorum. In istis ergo omnibus nihil peccauit Iob, neque in verbis labiorum, neque in oris eloquiis, neque in cordis cogitationibus, neque in animi meditationibus. Quod autem ita sit, ostẽdit mox in subsequẽtibus dicẽs: [Neque in labiis suis, neque in conspectu domini, & non suffecerat vt diceret, neque in conspectu domini, sed & hoc dixit, neque in labiis suis. Quid est hoc, neque in labiis suis? vel

I quid hoc est, neque in conspectu domini? Audite ô amici veridicam expositionẽ. Quid dicit in cõspectu domini, hoc est, cordis cogitatione, & animæ profundo tractatu aduersus deũ nihil cogitans in reprehensione & in blasphemia atque criminatione quæ in conspectu dei deprimunt, qui inquirit renes & corda, qui nouit occulta cordis, sicut dicit scriptura. Verba autem labiorum aliquando ex corde dicuntur, aliquãdo autẽ inconsideranter proferuntur ex incautela, & non ex iniquitate, neque ex maleuolentia: sed frequenter ore loquitur homo, quod omnino corde neque cogitauit, nec cogitat. Ergo quia admirabilis ac patientissimus Iob, cum in tãtas tribulationes transiret, & tantos dolores nefandos sustineret,

K tantásque seductiones superaret: neque in corde malum de deo, neque aduersus deum cogitauit, neque in labiis suis per incuriam vllum paruum sermonẽ protulit, propterea magnificans illum & laudãs atque perferens dicit: [In his omnibus iis quæ ei acciderunt non peccauit Iob, neque in labiis suis, neque in conspectu domini.] Ac si diceret: O magna atque vehemens admiratio, ô magna atque ingens patientia viri, vt in omnibus tam validis doloribus atque in omnibus iugibus pœnis, ita se beatus ille obseruaret, vt omnino nec in labiis suis nec in corde suo circa deum delinqueret. Nam sicut cordis sui cogitationes atq; animi sui meditationes castas omnes ac mundas conseruauit, & non praue circa deum cogitauit: ita & verbis labiorum atque oris eloquiis obseruauit, vt nec corde delinqueret, neque in sermone peccaret, sed totũ semetipsum & cordis consilia & sermonis eloquia & verba labiorum cuncta in gratiarum actionem atque confessionẽ dei conuerteret. Euidenter impleuit beatus ille homo quod post hoc ab Apostolo dictum est: Glorificate deũ in corpore vestro & in spiritu vestro. Ergo quia à verbis labiorũ vsque ad cordis cogitationes immaculatum se & inuiolatum atque incontaminatum conseruauit in conspectu domini, tanquam si diceret, neque hoc gessit quod plurimis accidit, vt labascant in verbo & non ex corde. Nõ enim lapsus est in sermone la-

1. Cor. 6.

L biorum, iuxta hoc quod dictum est quodã in loco in scriptura: Est qui labascit in verbo, vel in ore & non ex corde. Ergo quia beatus Iob nullo modo lapsus est, neque in ore, neque in sermone, neque in labiis, neq; in corde, propterea magnificans illum magnus ille homo dei Moses, admirans quoque ac laudans eum dicit: [In his omnibus quæ acciderunt ei non peccauit Iob in labiis suis, neque in conspectu domini.] Sic, inquit, transiuit admirabilis Iob sæuissimum illud dolorum pelagus, sic superauit inexplorabilem suam tentationum multitudinem, vt nihil peccaret, neque in labiis suis, neque in cõspectu domini. Ante tentationes non peccauit, in tentationibus non peccauit. O beate Iob, quis similis tibi gloriabitur propter iustitiam? Mortuus est Abel, sed semel & celeriter est mortuus: admirabilis verò Iob cum mille mortes sustineret, mortem superauit, mortem vicit, in morte victoriã sumpsit. Solus ex omnibus antiquis, cum mortuum semetipsum inspiceret, à morte non trepidauit: nam vidit effici mortuos, cum nimirum vidit semetipsum fieri putredinem & vermes, sed non ideo ante mortem expauit, sed mortem in fugam vertit cum omnibus eius argumentis atque versutiis & cum iniquis eius exercitibus. Nam cum omnem potestatem in eũ acciperet mors (hoc est diabolus) absque anima sola, & vt percuteret & vt exulceraret & vt torqueret & vt seduceret, cum cuncta secundum virtutem suam insatiabilis mors exer-

Gen. 4

M ceret, nequaquam quicquam iustitiæ in illo beato mori potuit. Idcirco mors apud Iob mortua est cum omnibus efficiẽtiis suis: iustitia verò quæ in eo pridem vigebat, magis ac magis in illo diuinis visionibus atque diuino colloquio reuixit. O beate Iob viuens in perpetuum apud deum, & victor permanens in conspectu regis domini, ora pro nobis miseris, vt etiam nos terribilis dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni, & connumeret nos cum iustis, & conscribat nos cum his qui salui faciunt, & requiescere nos faciat cum illis in regno suo, vbi perpetuo cum sanctis magnificemus illum.

Innocatio beati Iob.

LIBER TERTIVS IN IOB.

MAGNOS ac plurimos stupendos quoque ac terribiles Iob dolores in præfatis demonstrauimus, non iuxta meritum iusti illius, sed iuxta virtutem nostræ humanitatis, & secundum donum dei. Quis enim iuxta meritum poterit iustum illum magnificare, quem ipse dominus qui corda cognoscit magnificans dicit: Non est similis illi quisquam super terram? Si igitur ante passionem non fuit illi similis quisquam super terram, si autem nec ante nec postea fuit illi similis quisquam super terram, quis ex his qui sunt super terram, iuxta meritum narrationem vel laudem illi exhibere potest? Non solum enim omnes homines, sed puto quod & audeo dicere, etiam ipsos angelos, atque omnes dæmones perterruit Iob tolerantia & constantia

Angelos terruit Iob constantia.

A constantia atque fides, cum terra & lutum superauit omnem virtutem ac fortitudinem atque omnem versutiam malignissimi diaboli, qui cum acceperit in eum potestatem cuncta hæc in eo exercuit, quæ omnia corda in pauorem deducunt, & omnem animam stupere faciunt. Cuius enim alterius potestatem accepit aliquando diabolus, nisi solius Iob? Si enim alterius cuiuslibet potestatem accepisset diabolus, profecto non lateret, sed ille in eo quod etiam in Iob exercuit perfecisset. Cuius rem familiarem perdidit, cuius natos cōsumpsit, cuius corpus putredine ac vermibus repleuit, cui reliquias pro consolatione non dereliquit, cui spem salutis non dimisit, sed solam vxorem pro supplantatione illi reliquit, per quam nouissimam ac sæuissimam illam sagittam seductionis atque supplantationis in eum dimisit. Sed quemadmodum qui ad petram sagittauerit, petræ, quidē nihil facit, omnes verò sagittas in semetipsum conuertit: ita nequissimus diabolus cum inuiolabilem petram Iob, atque incontaminatum sagittaret adamantem, semetipsum vulnerauerit ac deiecit, Iob verò nihil fecit. Hæc audientes cuncti credentes, obseruent se diligenter à malis colloquiis, quia corrumpunt mores bonos colloquia mala, sicut post hæc dicit Apostolus. Obseruent se caute & ab amicis & sodalibus & à domesticis & à persuasionibus atque concitationibus eorum: quia omnis amicus supplantans supplantat, atque fallaciter incedit. Maxime autem obseruate uos, atque attendite animabus vestris ô viri ab vxoris cōcitationibus atque malis instigationibus. Per hanc enim in vltimo supplantare Iob nisus est diabolus, per hanc superare sperauit illum, quem per plurimos atque ingētes dolores superare non potuit. Per istas etiam nunc plurimos subuertit, per istas etiam nūc plurimos ad mala persuadet, alios ad calūnias, alios ad rapinas, alios ad alias iniquitates, alios nihilominus ad odium aduersus inuicem, ad contentionem quoque & iurgium. Sic enim cum ad inuicem litigauerint, in hoc se defensuræ sunt, vt viros suos aduersus inuicem concitent ad bellum, ad inimicitiam quoque atque iniquitatem. Hoc nimirum operatur per eas malignissimus diabolus, succendens atque inflammans corda eorum zelo & ira: & ita infelices viros suos & circa deum, & circa inuicem odibiles reddunt, vt & dei iram acquirant, & circa inuicem inimici permaneant: & quod est maximum cum debuerant vnanimiter pro inuicem aduersus inimicos suos atque aduersarios stare, siue intus, siue foris, siue in bello, siue in præliis, & sibi inuicem intendere atque inuicem adiuuare, & mutuo amore terga defendere, reperiuntur sibi inuicem inimici ac proditores, atque in propriis ruinis gaudentes. Hæc nimirum vniuersa oriuntur ex malignarum atque contrariarum vxorum instigatione ac persuasione: quas non debent audire illi qui bene intelligunt viri, sicut nec beatus Iob audiuit. Propterea est deo acceptabilis, & ideo inter choros sanctorum magnificatur in perpetuum. [Vt autem audierunt tres amici eius omnia mala quæ ei acciderunt.] Vt audierunt, inquit. A quo audierunt? Primum quidem à transeuntibus. Quis enim erat qui non prædicaret ea quæ Iob acciderunt? Puto quod & ipsum pelagus & aer, ventorum nihilominus spirantium flabra, miserabilem illam famam atque lamentabile illud nūcium, per omnes prouincias ventilauerint. Super hæc autem omnes homines qui viderunt hanc rem & qui audierunt, audientibus hæc diuulgabant, hæc nominabant, de his sciscitabantur, de his interrogabant, & in vicis, & in triuiis & in plateis ciuitatis, & in porticibus domorum, & qui iter agebant, atque omnes qui sibi inuicem vbique occurrebant, hæc ad ad alterutrum loquebantur, de his se inuicem interrogabāt: maxime ij qui de longinquo veniebant & aliquo proficiscebantur, omnes quibus occurrebant, de his interrogabant, dicentes: Si verum est ô viri hoc quod de Iob dicitur, si verum est hoc quod de iusto illo prædicatur, cuius iustitiis cœlum & terra atque omnes homines attestantur, quod tam amare miseriis afflictus sit, quod tam miserabiliter percussus sit? Hæc atque his similia cum loquuntur, veritatem ab eis de iis quæ prouenerant audiunt, quam in longinquo, in omnem regionem ac prouinciam deportauerunt. Quocunque itaque peruenerint, omnes regiones ac prouincias, ciuitates quoque atque castella, miserabili hoc nuncio & lamentabili D fama repleuerunt. Audierūt ergo tres sodales vel amici eius hoc quod iam omnibus erat certum atque cognitum, audierunt etiam isti. Nam nihil est ita prædicabile, sicut magni hominis ruina. Cum enim quilibet ex humilibus ad sublimitatem peruenerit, nō ita vbique eius auditio fit, sicut cum quis ex sublimibus humiliatus fuerit, sicut cum quis magnus interierit, quantocyus ventorum flabris fama eius omnem regionem atque omnem auditum penetrat. Ergo quia ita prouenit de iusto Iob, ideoque cum omnes & qui prope & qui longe erant audissent, audierunt etiam tres amici eius omnia mala quæ ei acciderunt. Voluerunt nonnulli dicere quòd dæmones eis prædicauerint, quod nullus ex sapientibus recipit. Blasphemiæ enim sermo est hic. Nam illi viri dei cultores fuerunt, vtpote Iob sodales atque amici, pij ac deo credentes. Non enim amplexabatur Iob iustus, iniustos vel impios viros amicos ac sodales habere. Idcirco ita percipiamus nos qui deum timemus, quod sancti angeli ad eos venientes, siue in somno, siue in vigiliis, admonuerunt eos vt celeriter venirent, & iustum illum amicum consolarentur. Venientibus autem illis illuc, vt putabant insipienter se pro deo stare, inuenta occasione nequissimus dæmon ad blasphemiam iusti Iob illos conuertit. Nam sicut vxorem eius pridem cum esset religiosa atque omnibus iustitiis ei consentiens, in blasphemiam immutauit, sic & memoratos viros. De quibus dicit istic. [Audientes tres amici eius omnia quæ acciderant ei,] filiorum interitum, rei familiaris perditionem, corporis putredinem, vermium comestionem, liberorum iniquam consumptionem, non mediocriter, sed miserabili atque lamentabili modo, vt superius demonstratum est, condoluerunt. E Hæc itaque vniuersa audientes tres sodales eius, obstupuerunt, & putatisne (inquientes) vnde hæc vniuersa obuenerunt? & vtrum sit nobis grauius ô viri, hoccine quod amicus noster tales pertulerit miserias, an quod domini amicus talia sustineat mala, cuius iustificationibus ac misericordiis cœlum & terra attestantur? Hæc scilicet vniuersa vt audierunt, atque hæc ad inuicem boni illi sodales locuti sunt, venerunt statim simul ad eum vt consolarentur eum & visitarent illum. A prioribus (aiunt) patribus nostris audiuimus ô viri, quod antiquus ille frater aui nostri Esau Iacob duodecim filios habuerit, & filiam vnam: cum vnum ex omnibus vt putabat perdidisset, tantum illum vnum luxit, & omnes filij eius & filiæ proculdubio & multi aliorum amicorum conuenientes propter vnum filium consolati sunt eum: & noluit consolari etiam incolumi re familiari, & cæteris omnibus viuentibus atque sanitate corporis permanente: & cum nulla res esset alia quæ eum contristaret, non potuit exhilarari. Si autem ille Iacob ita grauiter tulit vnius filij desperationem, quomodo sustineat Iob omnium filiorum suorum lamentabilem ac miserabilem perditionem, quæ sub vno ictu omnium facta est pariter? F Quomodo sustineat rei familiaris præcedentem iacturam? Quomodo sustineat terribilem atque sæuissimam corporis plagam? Pro his (inquiunt) omnibus ô viri iustum est consolari consolationem non habentem, nisi solam in deo spem habentem. Hæc itaque vniuersa adinuincem loquentes, siue per nuncios, siue per scripturam boni illi ac religiosi viri venerunt simul ad eum vnusquisque de ciuitate sua, vt consolarentur & visitarent illum. O (inquiunt) ille qui in omnibus iustitiis testimonium habuit, tāquam vnus specialiter ex iniustis punitur. Ille sine querela verus, misericors, tanquam vnus ex impiis percussus affligitur. Ille qui erat dei cultor, atque filiorum suorum sollicitus circa deum sacerdos, tanquam vnus ex iniustis torquetur. Venerunt simul ad eum. Quomodo? statuerunt tempus, dimensi sunt diem. Quomodo simul pariter venerunt, & non vnusquisque à se, neque per seipsum? Dei prouidentia atque dei operatione ita disponente atque prouidente, vt non singuli post tempus venirent ad tempus, sed omnes statim, omnes pariter vno tempore, vno die, vna hora, vtpote vnanimes, vtpote vnum sentientes, vtpote concordes. Sic venerunt ad eum simul subito, tanquam vnum deum colentes, tanquam creatori seruientes, tanquam vnum Iob plenissime diligentes. Sic itaque venerunt pariter ad eum. Vnde autem

Diabolo in solum Iob data tanta potestas.

1.Cor.15.

Amici Iob deum verū colebant.

Iob.2.

G venerunt? Non ex vna ciuitate neque vno loco, neque ex prouincia, vel regione, ex suo nihilominus regno venerunt simul ad eum. Cum omnibus enim miraculis, est etiam hoc ingens miraculum, vt cum ita longe ac late adinuicem morarentur, pariter ad beatum Iob venirent, vnusquisque ex sua ciuitate in qua morabatur, in qua regnabat, in qua dominabatur. Vnusquisque ergo ex sua ciuitate venit, hoc est ex ciuitate regni sui. Et ob quam rem venerunt? Ad consolandum atque visitandum illum. Et vere quia ipsi quidem ob hoc venerunt vt consolarentur ac visitarent illum: sed nequissimus diabolus bonorum ac iustorum inimicus odio habēs omnia quæ diligit dominus, accepta occasione qua deum offenderent atque dei iustitiam, & Iob de iniustitiis & peccatis accusarent, tantum illos immutauit atque peruertit, vt amplius exulceraret cor Iob per hæc locuti sunt, quam per omnes dolores quos pridem exercuit in eum. Nam quid esset castissimæ animæ Iob crudelius quàm vt ab amicis de peccatis fuisset criminatus cum minime deliquisset, & de impietatibus reprehēsus, qui erat ab omnibus impietatibus alienus, & quod pro peccatis sustinuisset omnes dolores, & quod pro iniustitia obuenerint illi hæc vniuersa mala? Quod autem ad tantam blasphemiam aduersus Iob peruenerint isti viri, & non timuerint, diaboli liuore atque zelo succensi, ex propriis eorum sermonibus comprobatur, quemadmodum dicit blasphemantes atque detrahentes illi. Tu qui es? quia dicis non H peccaui factis. Quod si nō peccasti ô Iob, memento quia nemo iustus periit, aut quando dei seruus eradicabitur? hoc est sicut tu. Deinde cum ingenti improperio & increpatione atque cōuitio, quousque loqueris spiritus multiloquax ore tuo? Nunquid deus iniuste iudicat, hoc est sicut te peccantem? Aut is qui omnia creauit, perturbauit iustitiam? hoc est si in te esset iustitia, non vtique perturbaret iustus iudex iudicium atque vitam tuam. Nam spes impij peribit sicut & tua, quia impius es: inhabitabilis autem erit quæ sub cœlo est domus, hoc est sicut & tua, aliáque innumera his grauiora atque amariora blasphemātes de iusto illo locuti sunt. Propter quod & duriter in nouissimo à deo reprehensi sunt, vt pote qui nihil veritatis locuti fuerint de Iob. Sic itaque cum visitare atque consolari eum venissent, ad inimicitiam conuersi sunt, ad criminationem & ad reprehēsionem, ad maledictum quoque atque blasphemiam. Postquam verò omnia tentauit nequissimus aduersarius, etiam ad hoc peruenit, vt amicos in inimicos conuerteret, atque synceros sodales aduersarios efficeret, callide tractans apud semetipsum, ac dicens: si per os vxoris eum seducere non valui, os amicorum ad inimicitiam permutatorum perficiam, irritem, exaggerem, exacerbem, succendam, vt supra modum inflammatus atque exaggeratus ad dei blasphemiam conuertatur. Nouem responsiones blasphemiæ plenas aduersus Iob eos dicere compulit, vnumquenque eorum tres. Sed beatus Iob nullatenus ante eos titubauit, sed totidem responsionibus, quinimmo potius I pluribus ac maioribus omnibus illis respōdens, & dei iustitiā ac bonitatem manifestauit, & eorum iniustam causationem confutauit per alia quidem plurima, necnon & per ea quæ in facie dicit ad eos: Vos estis medici iniusti, & sanatores pessimi cuncti. Quia cum curare dolores eius & cōsolari animam eius venissent, in amaritudinem ac malitiam circa Iob cōuersi sunt. Merito ergo iniustos medicos, iuste eos appellat. Si inquam venerunt ad eum vt consolarentur atque visitarent illū, illi suo proposito ob hoc venerunt, sed nequissimus inimicus malignúsque aduersarius, per cuncta permansit inimicus atque per omnia sua exercuit odia, & per vxorem & per amicos & per sodales. Propterea visitationis atque consolationis aduentus, totius tristitiæ ac mœroris, beatissimo Iob est factus. Post quæ vniuersa dicit: [Videntes autem illum delonge, non agnouerunt.] Sed ante ita per paucos sermones inquiramus. Ob quam rem tam duriter circa Iob, vel potius aduersus Iob insurrexerunt? Audi, Mala opinione succensi & iniuste æmulantes deum, vt ipsi putabant, quod deum æmularentur atque defenderent, obcæcati sunt ab inimico, vt iudicia dei non inquirerent. Hoc scilicet arbitrati sunt & hoc dixerunt illi viri, quia cum sit iustus deus ac bonus, iustis atque innocentibus non ingerit mala. Quod

Nouem responsiones sociorū Iob.

Cur socij aduersum Iob insurrexerint.

si innocentibus mala ingerit, quomodò bonus vel iustus K comprobabitur, cum huiusmodi mala Iob ingesserit iusto? Oportet (inquiunt) aut Iob propter iniustitiam passum fuisse, aut certe deus iniuste mala ei irrogasse reperiatur: aut Iob pro peccatis fuisse passum, aut deum iniuste ei mala ingessisse. Hanc scilicet cogitationem malam atque illicitam in istis viris oriri faciens diabolus, succendit cor eorum ad omnem iram & indignationem aduersum Iob, cum studeret confirmare quod deus iustus fuerit, Iob verò iniustus & impius atque peccator. Aduersus quod fortiter stans Iob non permisit se audire vaniloquos illos à diabolo succensos, sed & bonum deum ostendit, & se absque culpa vniuersa hæc pati demonstrauit. Non enim deus illi hæc mala ingessit, sed diaboli zelus & liuor atque inuidia. Neque Iob pro peccatis sustinuit, omnia quæ sustinuit, sed quia cum esset iustus diabolus illi inuidit, sicut & omnibus iustis inuidet, & tribulationes aduersus eos excitat. Multæ tribulationes non iniustorum, sed iustorum. Testis ergo iustitiæ Iob ipse deus ostenditur, dicens: iustus, verax dei cultor. Quod autem diaboli fuerit hæc inflammatio atque perturbatio, & ex his quæ nunc fiunt apparet. Frequenter namque etiam nunc idem ipse diabolus vnanimes sodales commiscet, atque conturbat per quamlibet modicam rationem, & ad immensam inimicitiam aduersus inuicem immutat, ita vt efficiantur sibi ex amicis inimici, ex synceris crudeles aduersarij. Hæc nanque est operatio maligni. Beati qui declinauerint & restiterint calliditati atque versutiæ eius, ac L maledictis suasionibus eius. Post quæ vniuersa ad propositum reuertamur. [Videntes, inquit, illum delonge.] Qui? *Iob. 2.* Tres sodales eius, necdum adhuc immutati nec præuaricati, sed cum essent puri videntes eum delonge. Delonge enim respexerunt & contemplati sunt atque viderunt eum. Nam mox vt ipsam ciuitatem viderunt, mox nihilominus sicubi ipsum viderent ambierunt. Totum namque cor eorum dolore atque angustia plenum pendebat, vbi nam Iob conquiesceret. Merito delonge viderunt eum, quia delonge cogitabant de eo, atque de longe erant solliciti pro illo. Idcirco delonge conspexerunt eum. Nam amicus amicum suum delonge videt, siue corporis visione siue animæ synceritate, quum memor est eius in donis & muneribus, atque in suæ gratiæ perfectione. Videntes illum delonge. vbi? Super aceruum stercoris, super muranam in via publica. Videntes eum delonge repleti sunt dolore & gemitu & planctu quoque atque lamentatione, sicut inferius demonstrabitur. [Videntes eum delonge non cognouerūt eum.] Nam vere non erat per quod agnosceretur, regale socium nō erat, diadema non erat, gloria neque vestis regia & ministri qui vndique circundarent non fuerunt. Ergo quia nihil illorum in eo viderunt quæ pridem in eo esse sciebant, quæ ante in illo videre soliti fuerant, merito videntes illum non agnouerunt. In quo eum agnoscerent? Coma capitis non erat ei. Nam tondens comam & diabolo eam iactans, terra caput suum repleuit. In quo agnoscerent? In facie atque vultus gloria? M Non erat nec ipsa. Nam putredo faciem exterminauerat & vermes vultum immutauerant. Pro his ergo omnibus videntes illum non agnouerunt. Vultum non agnouerunt, sed conscientiam agnouerunt. Faciem non agnouerunt, sed synceritatem agnouerunt. Nam cum ita miserabilem atque lamentabilem illum viderunt, neque contempserunt neque spreuerunt, sed immensam synceritatem ostenderunt, sicut inferius demonstrabitur. Non enim erant tales beati illi viri, quales nunc profecto sunt homines maleuoli, ingrati: cui cum bene est quilibet, tum illi amici sunt & synceri atque puri esse videntur. Cum cuilibet tribulatio aduenerit, tunc videlicet illi discedūt & despiciunt, obliuiscūtur, derelinquunt, obliuionem atque ingratificationem omnium priorum ostendentes. Sed olim homines non fuerunt tales, sed synceritatem, atque dilectionem custodierunt circa se ac pro se inuicem vsque ad mortem, sicut euidenter ostendit ille qui ait, Sodalis amico cōpatitur vsque ad mortē, & in tēpore belli accipit arma. Tales fuerūt illi beati viri synceri, absque fallacia Iob amici, qui ad inimicitiā circa Iob nūquam sunt immutati, neque ad hoc vt renunciarent illi, vel derelinquerent

A querent eum, nisi pro verborum controuersia, ac eloquiorũ certamine. vt putabant quòd dei iustitiam defenderent. Sed vere diabolus inflãmauerat corda eorũ, quo magis Iob molestiam irrogarent, quo magis multipliciores tentationes iusto illi ingererent. [Videntes, inquit, eum non agnouerunt.] Talem qualis pridem fuerat non agnouerunt: talem verò qualis tunc fuisset, agnouerunt, miserabilem, lamentabilem, infelicem, malis omnibus refertum. Idcirco singuli scindentes vestimenta sua, & spargentes terram super capita sua, assederunt illi septem diebus & septem noctibus. Admirantes viri illi, atque stupentes vehementem ac terribilem atque lamentabilem eius immutationem, vestimenta sua conscidерunt, & terram super capita sua sparserunt. Quæ fecisti (inquiunt) ô Iob facimus, & quæ gessisti gerimus, vestimenta nostra scindimus, & terram super capita nostra spargimus: sic nanque & tu fecisti ante paulum (vt inquiunt) ô Iob: & vtinam cæteros dolores tuos tecum diuidere possimus, tantum vt apprehendentis te pœnæ releuatio fiat. Scindentes vnusquisque vestimenta sua, & spargentes terram super capita sua. Cõsuetudo erat omnibus antiquis vbique vt cum graue aliquid atque lamentabile vel periculosum audissent vel sustinuissent, continuo vestimenta sua scinderent, & cinerem atque terrã capiti suo spargerent, cilicio nihilominus continuo se induentes. Sic scidit olim Iacob vestimenta sua, B & cilicium imposuit corpori suo quando nunciata est ei Ioseph interitio: & vt de quamplurimis sileam, sic scidit Dauid cum Sichelech ab Amalechitis captam inuenit, & iterum quando Saul & Ionathæ mortem audiuit. Sic scidit Ezechias quando minas ac blasphemias Senacherib & Rhapsacis audiuit, sic scidit rex Niniuitarum vestimenta sua, & cilicio se induens in cinere sedit, quando à Iona propheta de Niniues subuersione audiuit. Sic scidit vltimus in lege Iudæorum princeps sacerdotum, cum aduersus dominum blasphemiam quæreret, ex quo Iudæorum sacerdotium, & omnis Iudæorum legis ritus conscissus atque distractus penitus interiit. Iuxta hanc ergo antiquorum consuetudinem etiam viri illi Iob amici cum terribiles Iob conspexissent dolores, scindentes vestimenta sua & spargentes terram super capita sua, assederunt illi septem diebus & septem noctibus. Assederunt illi sicut medici ad infirmum, sed sanitatis medicamina inuenire non potuerunt ægroto. Assederunt illi tanquam consolatores dolentis, sed consolationem inuenire non potuerunt miserabili. Assederunt illi. Et vbi assederunt? Foris in murana atque in aceruo stercoris & in strata? Non, absit. Non enim tanta multitudo dolorum inundauerat Iob, vt ille honorem ad se venientium non intelligeret, vt dignitatem præsentium non consideraret. Quandiu ergo venirent illi viri, illo vsque foris in murana, in strata omnibus euidenter ostendens passionem suam, & quia cum esset iustus vehe- C mentes sustinuerit dolores. Postquam verò memorati viri venerunt, deferens honorem synceritati eorum, & honorificans personas eorum introiuit in ciuitatem, & sedit in domo: & ita venerabiles isti viri sederũt apud eum septem diebus & septem noctibus. Hebdomada dierum ei assederunt, ex qua hebdomada totum hoc consummatur seculum. Assederunt ei septem diebus & septem noctibus, indiuisi, inseparati atque indissociati. Assederunt ei septem diebus & septem noctibus, nusquam discedentes, nusquam recedentes, nusquam deserentes, neque ad escam, neque ad potum, neque ad lectum, neque ad aliud refrigerium. Sed forsitan dicit aliquis: Et quomodo sustinuerunt non manducare, neque bibere septem diebus? Primum quidem diuina erant virtute confortati, tam pro Iob quàm pro sua synceritate. Nam iusti erant viri isti atque religiosi, merito & dei colloquio post hoc digni habiti sunt. Dei itaque virtute atque prouidentia confortati sustinuerunt. Item adhuc etiam isti viri aliter venerunt, & videntes obstupuerunt, & immenso dolore atque tristitia atque gemitu repleti sunt. Assederunt ei septẽ diebus & septem noctibus, ipsa tristitia atque ipsis doloribus saturati, ipsis vocibus satiati, ipsis lacrymis inebriati. Hæc recordantes post hæc sancti, dixerunt ea verbis, quæ illi perfecerunt factis. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, &: Oblitus sum edere panem meum à voce gemituum meorum, &: Potasti nos lacrymis in mensura. Tanta ergo tristitia ac dolore, & gemitibus, suspiriis quoque & lacrymis, atque lamentatione repleti sunt viri illi vt omnium carnalium atque præsentium obliuiscerentur, & alerentur & saturarentur & replerentur ipsa tristitia & luctu. Nam sicut Iob saturabatur vehementioribus doloribus, similiter beati viri illi saturabantur immensa tristitia atque vlulatibus. Sic inquit, assederunt illi septem diebus & septem noctibus, & mortui luctum apud viuentem Iob impleuerunt. Luctus enim fit mortui septem diebus & septem noctibus. O sollicitudinem beatorum illorum atque deuotionem, quam circa Iob habuerunt. O virtus & constantia. O patientia atque animi fortitudo. Commortui sunt iusto illi Iob non manducando, neque bibendo, quæ vniuersa mortem significant. Nam sicut non manducauerunt neque biberunt, sic nec locuti sunt, & sicut non sunt locuti septem diebus, ita nec manducauerunt nec biberunt. Quod autem nõn manducauerunt septem diebus, ostendit in subsequentibus dicens: [Assederunt ei septem diebus & septem noctibus, & nemo illorum locutus est ad eum verbum.] Quare? Quia viderant plagam eius sæuissimam esse, & magnam valde. Septem diebus & septem noctibus non aperire os, non loqui verbum, non proferre sermonem, magni est doloris indicium. Sed interim illud impleuerunt beati illi viri non discedentes, neque auertentes faciem, neque locum deserentes, E sed iugiter permanentes, atque assidentes illi septem diebus & septem noctibus, & nemo illorum locutus est ei verbum. Stupor enim atque pauor occupauerat illos videntes talia pati virum sanctum ac iustum, à deo testimonium consequutum. Certum est quòd non solum pro Iob, sed etiam pro se vnusquisque eorum sollicitus erat, metuens quid etiam de se gereretur, vel quid expectaretur. Nam si iustum talia inuenerunt mala, nos (inquiunt) qui longe sumus ab huius iustificationibus, quid expectabimus, vel quid sustinebimus? Hæc recordantes posteri dixerunt, si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi apparebunt? Immensa ergo tristitia atque dolor cordis, non permisit eos reminisci neque ciborum, neque potuum, neque aliquid humani recordari potuerunt. Propterea ieiuni, & sine potu, & sine sermone assederunt ei septem diebus & septem noctibus. Quomodo omnino reminisci poterant alicuius rei, cum tam sæuam atque terribilem viderent plagam istius iusti? Quomodo videlicet consolari illum poterant, vel quid ad eum dixissent? Hoccine? si rem familiarem amisisti, reparabũt eam tibi filij. An illud? si liberi sublati sunt tibi, transiges de re familiari. Sed non poterant hæc dicere. Omnia enim subito vno tempore interierunt. An hoc dixissent? corporis incolumitas & membrorum fortitudo, atque brachiorum virtus, rependet tibi omnia atque restituet. Sed hoc (inquiunt) præsertim dicere non possumus. Ipsi enim videmus corpus humore F consumptum, & omnia membra comesta à multitudine vermium. Pro istis ergo omnibus quomodo (inquiunt) te consolemur, vel quomodo os aperiamus, vel quid dicamus non inuenimus. An antiquas historias proferemus? Sed à seculo talia non acciderunt, sed ab initio talia non prouenerunt. An antiquorum dolores atque passiones proferẽtes ac commonefacientes illum, consolabimur eum? Ergo quia nec quicquam erat, nec in factis neque in verbis per quod consolari eum possent, idcirco sedebant taciturnitate sua ipsi vehementiæ dolorum eius attestantes. Nam discedere non poterant, præsentes loqui non audebant. Propterea assederunt illi septem diebus, & septem noctibus, inclinatis deorsum ad terram faciebus. Aliquando autem intendentes in illum, & visionem plagæ illius stupentes, continuo identidem deiiciebant facies. Aliquando se genibus imponentes, aliquando autem super manum incumbentes, non in lectulis, neque in grabatis, neque in straminibus requiescentes, sed proculdubio in cinere & cilicio, in terra sedentes, atque in Iob intendentes, quandò sedebat, sedebant, si tamen omnino præ doloribus aliquãdo iacere poterat. Sic nãque in gemitibus, ac suspiriis istos septem dies peragentes assederũt illi, os non aperientes, neque verbum loquentes, nisi tantum grauiter suspirantes, atque ingemiscentes. Veruntamen nec

Marginal notes: Gen. 37. 1. Reg. 30. 2. Reg. 1. 4. Reg. 18. Ione. 3. Mat. 26. Psal. 42. 102. 79. Luctus mortui septẽ & dierũ & noctium. 1. Pet. 4.

G de hoc sileamus, qui fuerunt hi viri, vel quales, vel vnde. Nō fuerunt aliqui minimi, neque contemptibiles, sed egregij fuerunt, & principes regionum, atque prouinciarum suarum domini, ac duces gentis suæ. Et cum ita magni, atque potentes fuissent, tantum se humiliauerunt, atque afflixerunt, vt in cinere & cilicio sederent septem diebus propter synceritatem ac dilectionem quam circa illum habuerunt, quod nemo nunc hominum facit, neque amicus, neque frater, neque filius, vt assideat ieiunus aut sine potu vna die, ne dicam septem diebus, & septem noctibus. Quæ autem fuerunt nomina horum virorum? Heliphaz Themanitarum dux, Baldath Suitarum tyrannus, Sophar Nomadarum rex. Et quæ fuerunt gentes quibus isti regnabant, atque dominabantur? Genus fuerunt Esau filij Isaac fratris Iacob, genus, tribus, progenies, prouinciæ, regiones. Nam sicut Iacob multitudinem genuit gentis Israelitarum & Iudæorum, ita Esau multitudinem genuit gentium qui appellabātur Idumæi. Sed in Israel siue iudex erat vnus, qui totum Israel iudicabat, siue rex vnus erat, qui vniuerso Israel imperabat, quandiu illi secundum consilium dei ambulauerunt. In Idumæis autem (hoc est in genere Esau) secundum consuetudinem omnium gētium per singulas ciuitates & regiones reges fuerūt, atque duces prouinciarum, & singuli in regione sua regnabant, atque imperabant. Ergo quia nunc proxime erat adhuc memoria Abraham, & Isaac iustorum illorum, & quia ipse Esau dei cultor erat: quanquam enim in nonnullis violauerit, attamen eandem dei culturam filiis suis tradidit: merito plerique Idumæorum cultores dei fuerūt, & aliquanti valde religiosi, sicut Iob vel amici eius qui venerunt ad eum. Cognominatæ

Esaū dei cultor, itemque eius posteri.

H nanque sunt quædam Idumæorum regiones Arabia, in cuius Arabiæ finibus manebat Iob. Nam & vxorem de Arabia accepit, vtpote eiusdem generis existentibus Arabitis. Nisi enim vnius generis essent, nunquam Iob ex alienigena gente vxorem se accipere passus fuisset. Nunc sanè periit Idumæorum & nomen & lingua, & omnes Arabi nominantur, atque omnes Syriace loquuntur. Quod autem Iob ex genere fuerit Esau & ex Esau filiis similiter & amici eius qui venerunt ad eum, religiosi dei cultores fuerunt veruntamen omnes fuerunt ex genere Esau, eiusdem generis atque linguæ vt Iob, idcirco illi vnanimes fuerunt ac concordes. Similiter etiam illæ prouinciæ, ac regiones quibus ipsi regnabant, atque imperabant, etiam hæ omnes ex genere fuerunt Esau, & contribulibus suis regnabant, atque imperabant. siue enim Themanitæ, quibus Heliphaz regnabat, siue Suitæ, quibus Baldath principatum gerebat, siue Nomadæ, quibus Sophar imperabat, omnes genus Esau, atque tribus fuerunt. Hoc nimirum ostenditur ex libro Paralipomenon vbi dicit: Venerunt autem cum illis & Nomadæ genus Esau. Cum ita ergo gloriosi essent viri illi reges, ac principes, atque prouinciarum duces, assederunt illi septem diebus & septem noctibus. Sed assederunt tanquam religiosi dei cultores, non quærentes neque maleficia, neque auguria, neque diuinationes, neque phylacteria, neque lamellas, neque incantationes damnabiles. Scire nanque debent religiosi viri, quia hæc omnia diaboli sunt seductiones, dæmonum sunt irrisiones, idolatriæ sunt fæx, animarum infatuatio, atque cordium scandalum:

Idumei sūt Arabes & Syriacè loquuntur.

1 Paral. 1

Maleficia Phylacteria vocat ligaturas maleficorum.

I quæ non intelligentes plerique hoc nunc tēpore, mox vt quidpiam aliquid molestauerit continuo incantationes atque incantatores requirunt, statim phylacteria alligāt, illico maleficiis intendunt, aut in charta scribunt, aut in stanno, aut plumbo, & alligant ei qui aliquem dolorem sustinuerit. Alii autem serpentium incantationes, dæmonum persuasiones, atque dei blasphemias incantant. Item verò alij fascinare dicuntur, siue quod fascinant, siue quod fascinentur, & dæmonis adinuentiones sunt. Cum enim infrunite manducauerint, vel biberint, cum ipsa viscera non sufferentia perturbata fuerint, & in dolorem atque in infirmitatem fuerint conuersa, iuxta hoc quod dictum est, In escis plurimis fit infirmitas: tunc nimirum dicunt insipienter, quod fascinatus sit quilibet. Quando ieiunamus ô viri, abstinemus nos vt non gustemus carnes neque vinum neque superfluas escas, tunc quare non fascinamur? Mox autem vt rursus manducare atque bibere cœperimus, continuo & ventris commotio atque viscerum perturbatio fit, nisi is solus effugerit, qui

Fascinationes.

K valde sibimetipsi intēderit, ne gustet quicquam superfluum? Sic itaque non fascinationes præualent quicquam, sed hominum incontinentia. Est videlicet hoc verum, cum manducamus vel bibimus fidei memores fuerimus, si terribile nomen eius inuocauerimus, si nosmetipsos vel cibum & potum nostrum signo venerabilis crucis Christi signauerimus, si ad cœlum oculos nostros leuātes dicamus. Qui das escam omni carni da etiam nobis cum benedictione hunc cibum sumere: si dixerimus cum synceritate ad dominum nostrum, tu dixisti domine quia si aliquid mortiferum biberimus tuum inuocantes nomen non erit nobis molestum: tu itaque domine virtutis & gloriæ, auerte veneficam & iniquam operationem à nobis & ab omnibus cibis nostris. Nisi enim tua misericordia cōseruauerit, quomodo possumus effugere tāta pericula ciborum sanè ac potuum, quæ frequenter plus repunt ac serpunt, quàm malignæ ac venenosæ bestiæ? Quidam autem sternutamentis adhuc obseruiunt, & inuocationibus atque reuocationibus, & occursibus atque volucrum vocibus, non intelligentes miseri & spe vacui, quia à domino gressus hominis diriguntur, neque valētes dicere ad deum cum sanctis, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Nam is qui cum fide ad dominum hæc dixerit, impleuit illud quod dicendum est, dominus erit in omnibus viis tuis, & gressus tuos in pace deducet. Qui autem ad vna intenderint auguria ac veneficia, diuinationes quoque ac phylacteria atque incantationes, horum gressus conturbabuntur, horum opera impediuntur, ab istis dei visitatio recedit, istos sancti angeli derelinquunt, cum istis diabolus permanet infatuans mentes eorum, obtundens corda illorum, abstrahentes à deo sensus eorum. De huiusce modi digne dicetur. O infelicia hominum consilia, ô vanæ atque superuacuæ terrenorum cogitationes, qui à deo abstra-

Signo crucis sit mensæ benedictio.

Benedictio mensæ origenis.

Cætera omne diuinationum genus.

Psal. 119

L cti, atque præuaricati, de mortuis salutem expectant, ab inanimatis consilium quærunt, & cum idolatriam declinare videantur, idolorum feces atque reliquias adorare noscuntur, auguria & diuinationes, incantationes quoque ac maleficia atque phylacteria: & ab omnipotentis ac viuentis dei misericordia spem suam auertunt, & in mortuis atque inanimatis sperant, in phylacteriis atque cæteris superius recitatis. Mitte ea in ignem si valeant semetipsa adiuuare, si valeant semetipsa de igne eruere. Si autem se adiuuare non possunt, te qualiter adiuuabunt? Quod si se de igne non valent eruere ô homo, qualiter eruent te ab infirmitate? Dic ô homo quod medicamentum est melius pane qui lętificat cor hominis? Sed & panem si collo appenderis & non momorderis, vel manducaueris, nihil tibi prodest, nihil te iuuat. Si ergo panis qui est corporis vita collo appensus nihil adiuuat, quomodo adiuuat, quomodo adiuuent phylacteria vel laminæ inanimatæ atque totius vitæ exortes? Vel qualiter adiuuent incantationes & auguria, diuinationes quoque atque maleficia, occursus nihilominus & vocationes atque reuocationes, quæ sunt dæmonū seruitutes & dæmonū illusiones atque idololatriæ communicatio? Infelix nanque est qui in statua inanimata sperat, infelicior verò qui in phylacteriis mortuis sperat. Nā sicut is qui idolis seruierit interfici præceptus est in lege dei, ita similiter omnis incantator, & augurans, ac diuinans, & ventriloquus atque volucrum voces obseruans, cum omnibus cæteris maleficiis interire atque interfici præceptus est.

Gen. 19

Deu. 13. 18

M Post quæ vniuersa, inferorum ira, atque tormentum gehennæ, supplicia quoque æterni iudicij, atque flammæ ignis inextinguibilis expectant omnes huiusmodi in tempore resurrectionis. Sed interim bonum est interrogare istos qui auguria obseruant, atque occursibus aut vocationibus aut reuocationibus intendunt, quæ augurij meta occurrit Pharaoni, cum filios Israel secutus, demersus est in rubrum mare, vt nec nuncius innumeri exercitus Ægyptiorum superesset? Quis vocauit Sennacherib regem Assyriorum, vel quæ auis cecinit illi, cum à Iudæa profectus omnibus sub vna nocte ad centum octoginta quinque milia exercitum suorum amissis, & confusus ad regionem suam reuersus, gladio in domo dei sui ciciderit, & non potuerint eum adiuuare, neque idola eius, neque incantationes, neque

Exod. 14

4 Reg. 19

veneficia

A veneficia, neque auguria. Similiter nec Pharaonē potuit defēdere multitudo idolorū, atque omnium maleficia, & plurimorum incantationes quæ fuerunt in Ægypto præ cæteris omnibus gentibus, sicut dicitur quodam in loco: Fecerunt autem incantatores Ægyptiorum similiter maleficiis suis. Sed non timuit rubrum mare incantationes atque maleficia eorum, atque accipiens dei mandatum cunctos subito demersit in profundum. Quid profuit Sauli quod exiturus ad prælium primum à deo discedens ad diuinos confugit, & mulierem de euentu loquentem quæsiuit, & cum adhuc spem suam conuerteret, & expectaret, cum multis protinus interiit. Aliique innumeri similiter in incantationibus & auguriis atque maleficiis sperantes, super terrā miseri, ac sine spe facti sunt, & apud inferos perpetuo puniti, miserabiliores in æternum permanebunt. Hæc itaque vniuersa declinemus ô amici, hæc fugiamus tanquam flammam ignis, hæc relinquamus tanquam pœnam gehennæ, hæc execremur vtpote societatem dæmonum. Omnes autem causas nostras siue dolorum, siue languorum, siue pœnarū, siue tribulationum, siue viarum, siue itinerum, siue ingressuū, siue egressuū cūcta deo cōmendemus, cuncta deo cōmittamus, vt dominus custodiat omnes ingressus atque exitus nostros, vt dominus fiat nobis cooperator & comes, atque suffragator in omni tempore, & in omni loco, vt angelis suis mandet de nobis B vt custodiant nos in omnibus viis nostris, vt cum sanctis cōnumerati consequenter etiam cum ipsis dicamus: Siue viuimus, siue morimur domini sumus. Non sumus idolorum, neque incantationum, neque auguriorum, neque diuinationum, neque maleficiorum, neque phylacteriorum, neque vllius horum quæ sunt seruitus dæmonum & diaboli seductiones: sed domini sumus, qui dominatur vitæ & morti, qui habet potestatem carnis & spiritus, in cuius manibus viuorum spiramentum est. Sic nanque & beati illi viri qui venerunt ad Iob, id est, amici eius, cum essent religiosi dei cultores, omnes execrabiles dæmonum seductiones declinantes, assederunt ei septem diebus & septem noctibus. Maleficia & diuinationes non requisierunt, nisi ad solum deum animas suas leuauerunt, pro doloribus Iob gemuerunt atque suspirauerunt. Sederunt apud eum facientes hoc, quod in scriptura post hoc traditum est ante scripturam implentes: Ne denegaueris te flentibus in consolationem, &, Flere cum flentibus, &, Melius est ire in domum luctus quàm in domum epulationis. Sederunt apud eum tacentes super immensa eius patientia ac tolerantia, atque constantia. Nam cum à vermibus carnes suas deuorari videret, gaudens sustinuit hæc apud semetipsum existimans ac dicens: Si celeriter omnes carnes meæ consumptæ fuerint, celeriter in incorruptionem suscipietur spiritus, properabit ad deum anima C mea quantocyus terram terræ relinquens, & corpus hoc ante sepulchrum in escam vermibus tradens. Siue ante mortem, siue post mortem corpus hoc vermibus in comestionem relinquetur sicut dicit post hæc: Cum mortuus fuerit homo capiet hæreditatem bestias & reptilia, & vermes. Cum huiusmodi plurima beatus Iob apud semetipsum loqueretur, septem diebus tacens sustinuit. Eadem videlicet tractantes & amici eius qui ad eum venerunt, tacuerunt etiam ipsi velut in stuporem deducti, os aperire non valentes, neque initium locutionis inuenientes. Sed vltra non sustinuit constantissimus ille Iob ipsam taciturnitatem, sed primus cœpit loqui, vtpote primus in ipsa passione, vtpote solus sustinens ipsa vulnera atque dolores. Dicit enim: [Post hæc aperuit Iob os suum.] Post hæc. Postquàm præcipuam illam passionem transiit, postquam vehementissimum dolorem sustulit, postquam in validis impetuosi nequissimi inundationibus non est submersus, postquàm pro omnibus quæ ei acciderat gratias domino egit, atque nomen domini benedixit. Postquā igitur per cūcta victoriam sumpsit, post hæc nihilominus aperuit os suum cum fiducia, cū patientia. Posthac aperuit os suum, postquā aduersus tantos dæmones cōgressus est solus, quantos sustinebant qui edebant carnes eius. Nā sicut superius in prædones aliquando, quandoque autē in ignem, nonnunquā in ventū vertebant se nequissimi spiritus: sic & nunc istic in multitudinem vermium innumerabilium se vertētes

Exod.7. *1.Reg.28.* *Rom.14.* *Eccle.7.* *Rom.12.* *Iob.3.* *Hic Iob loquitur.*

imparcenter deuorabant carnes Iob. Nam cum animam non D valerent tangere, omnem iniquitatem & omnem iram suam in corpore iusti illius exercebant, tantum eum affligentes, quantum iniquitatis habebāt, atque exercere permissi fuerant. Aduersus ergo tantos dæmones certabat Iob, quantos vermes habebat in corpore suo. Nam dæmones per vermes comedebant atque perforabant carnes eius. De quibus omnibus victoriam per tollerantiam sumens, & de omnibus per suam constantiam triumphator existens, post hæc vniuersa aperuit os suum. Quid dicés? Certum est quia hoc dixit quod post hoc sancti in scriptura posuerunt. Tempus ac tempus omni rei sub sole, tempus loquendi, & tempus tacendi. Tacuimus, inquit, ô viri vsque ad tempus, loquamur nunc in tempore. Hæc itaque dicens aperuit Iob os suum. Persarum, inquiens, ac Medorum atque Chaldæorum regna & gentes, omnes pariter pusilli & magni cum manducauerint non loquuntur, cum biberint non sermocinantur, maximam notam irrationabilitatis hanc esse existimantes, si manducans quis loquatur, vel bibens concionetur. Idcirco in escis ac potibus os non aperiunt ad loquendum, neque qui ministrant, neque quibus ministratur, sed nutibus omnibus ministrantibus præcipiunt, hanc consuetudinem pro mandato à prioribus accipientes, & velut legem hanc cum sollicitudine obseruantes, & qui hanc violauerit tanquam maxima transgrediens iura torquetur. Si Persæ, inquit, ac Medi atque E omnes Chaldæi superuacue istam obseruant taciturnitatem, nos verò ô viri, ait, totam hebdomadam in taciturnitate atque ieiunio peragentes rationabiliter nunc loqui incipiamus. [Aperuit Iob os suum.] Persæ, inquit, atque aliæ quæ cum illis sunt gentes, cum manducauerint non loquuntur, & cum biberint non sermocinantur: ego verò à vermibus comestus atque consumptus, & sanguis meus atque medulla cum ab iisdem vermibus fuerit bibitus, tacui & non sum locutus. Nunc autem saturatis vermibus, atque illis qui me per vermes edunt, id est, dæmonibus, nunc iam loquar nunc iam sermociner. Ob quam rem loqueris, vel sermocinaris? Ob hoc, inquit, quia impletum est tempus silentij ac taciturnitatis. Et adhuc ob quam rem aggrederis loqui ô Iob? Ob hoc, inquit, ne cum iugiter taceo, arbitrentur dæmones qui aduersum me certant, quòd in ipsis vulneribus defecerim, atque in doloribus succubuerim, ne me superatum fuisse putent aut defecisse, aut debilitatum, sed norint quia viriliter sto aduersus nequitiam eorum, & cum fiducia loquens contemno omnes malitias atque versutias illorum. Sed adhuc ob hoc, inquit, vt aduenientibus amicis meis os aperiam, atque loquendi illis tempus ostendam. Nisi enim ego cœpero F loqui, nunquam isti os auderent aperire vehementioribus doloribus perterriti. Pro his ergo omnibus atque pro horum omnium consummatione, aperuit os suum, & maledicebat diem suum. Hæc audientes quidam ex vertibilibus, & insipientibus ac imperitis, accusare atque reprehendere iustum illum Iob ausi sunt, quasi qui Deum blasphemauerit, & diem suum maledixerit. Quibus duriter restitit ipse Deus in finem huius scripturæ, cum veracem astruens Iob dicit ad Eliphaz: Peccasti tu qui de peccato accusasti Iob, Iob verò non peccauit: peccasti tu & duo amici tui. Ob quam rem? Ob hoc, inquit, quia non loquuti estis quicquam veritatis in conspectu meo, sicut famulus meus Iob. Quem ergo ipse deus irreprehensibilem confessus est, famulum suum eum appellando, & hoc in fine totius tolerantiæ, quis sanus criminari audeat? quis sapiens reprehendere aggrediatur? Quis enim accusabit electos dei? Iustum maxime, quem tantum elegit, & se dignum testificatus est, ita vt etiam sacerdotem illum delinquentium amicorum constitueret, & per illum peccata eorum illis promitteret remittere. Iustum ergo qui à deo purgatus est, quis audeat reprehendere vel accusare quasi illicite diem suum maledicentem? Super quæ omnia ô viri si ob hoc reprehenditur Iob, vel accusatur quod diem suum maledixerit, reprehendatur pariter cum illo vel accusetur sanctissimus Hieremias propheta. Nam sicut Iob maledixit diem natiuitatis suæ, ita & Hieremias deuotauit diem natiuitatis suæ, & omnia consequenter similiter vt Iob locutus est de die natiuitatis, atque de cæteris omnibus. Si ergo repre-

Eccle.3. *Tacent inter edendū, & bibendū Persæ, Medi, Chaldæi.* *Iob.42.* *Hier.20.*

G hendit quis, vel accusat, vtrosque reprehendere, vel accusare debet, & Iob & Hieremiam: & si de blasphemia accusat, vtrosque debet accusare, & Iob & Hieremiam. Vterque enim, & Iob & Hieremias, similia dixerūt, similia locuti sunt, eundem diem natiuitatis suę maledixerunt, atque deuotauerunt. Sed & Iob beatus est in conspectu domini, & Hieremias gloriosus est cum sanctis. Vę autem his qui sanctos blasphemauerint, qui amicos dei accusauerint, maxime quos etiam deus post mortem memoria honorificauit, sicut Iob de quo dicit: Si autem steterit Iob & Noe & Daniel in conspectu meo: aut sicut Hieremiam, quem in vita plus omnibus magnificans, dicit. Antequam formarem te in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus posui te. Postquam autem irreprehensibiles fuisse sanctos ostendimus, non nos, sed etiam ipse deus, beati Iob sermonum commemoremur, qui bene à sancto illo sancti dicti sunt, male autem ab impiis in blasphemiam versi sunt. [Aperuit, inquit, Iob os suum, & maledicebat diem natiuitatis suæ.] Primum hoc aduertamus ô viri periti, quod dicitur, Iob suum maledicebat non diem dei, non conditionis neque creaturæ dei, sed diem suum. quem diem suum? Qui non fuit, quem non habuit, quem non possedit. Quem ergo non habuit, neque possedit, neque vidit, neque in eius potestate fuit, hunc cum malediceret nihil maledixit. Maledixit quod non fuit, quod non habuit, quod non vidit. Item adhuc maledicebat, inquit, suum diem. Siue diem suum maledixerit, siue alienum, nihil maledixit, hoc quod non fuit maledixit. Dies enim non est in natura, non

Ezech. 14
Hier. 1
Iob. 3

H est in substātia, neque in propria potestate. Lux videtur, substantia autem non videtur, natura verò non tenetur, neque apprehenditur, quia dies non habet naturam neque substantiam. Nomen habet, naturam verò non habet. Sicut hora nomen habet, substantiam autem non habet, sic & dies nomen habet, sed substantiam vel naturam non habet. Quid ergo est dies? Lucis tempus, lucis transitus & solis ortus ab oriente vsque ad occasum decursus. Solis ergo lux, dies appellatur: solis trāsitus, dies æstimatur. Nā & vere ita est. Solis enim decursus diei tempus dimetitur, diei terminum ponit, siue ad breuiandum diem, siue ad prolongandum. Quod autem ita est, etiam scriptura demonstrat dicens: Omnis lux diei, ex sole. Ac si diceret: Omne tempus à sole. Nam sicut quilibet alicubi in tenebris cum lucerna transierit, vsquequo lucerna adest, illousque & lux est, neque substantiam habens neque naturam, sed splendorem tantum: si ergo quis maledixerit splendorem lucernæ, nihil maledicit, nisi transitum inanem, atque decursum non manentem: ita & Iob, cum luminis atque splendoris transitum malediceret, hoc quod non erat maledixit. Nam dies cum solis decursu transiens transiuit, & vltra idem ipse non reuertetur. Cum identidem ortus fuerit sol, alius orietur dies, eiusdem nominis vt ille, sed non ipse qui ille. Ille ergo dies transiens transiuit, & amplius

Dies quid.

I non veniet, quia vltra non est. Nam sicut homo qui mortuus fuerit, transiuit, & vltra non veniet, neque amplius reuertitur, alius nascitur & eodem nomine appellatur, & cognominalis illi vocitatur, sed non idē ipse est, sed alius: ita & dies eiusdem nominis veniet, idem ipse verò non veniet. Nam sicut spiritus exiens denuo non reuertitur & non reuocatur anima sublata, similiter dies transiens denuo non reuertitur, neque vltra in præsenti hoc seculo reuocatur. Nam sicut omni homini ordinatum est tempus, atque dimensum vitæ spatium vniuscuiusque: similiter singulis diebus tempus ordinatum est, atque dimensus solis transitus, quo transeūte non est dies ille vltra qui transactus est. Et adhuc sicut omnibus hominibus à seculo & vsque in seculum numerus supputatus est coram deo: ita & omnium dierum à seculo & vsque in seculum numerus & computus in conspectu præscientiæ Dei est supputatus, & omnes animæ hominum per singulas gentes & linguas, per generationes ac per omnes tribus terræ, vnaquæque anima de totius vitæ suæ ætate redditura est in iudicio rationem. Sed & quid per vnamquamque diem, vel gesserit, vel locuta fuerit, vel cogitauerit, omnia proponentur in iudicio, omnia deducentur in inquisitionem, non resurgentibus diebus qui neque naturam

Vita cuiusque dies deus habet in numerato.

neque substantiam habent, sed factis omnium hominum

K demonstratis in natura animarum & corporum in incorruptionem resurgentium. Exigetur ergo in die resurrectionis & iudicij ab omni anima Christiana omniū dierum vitæ eius omnis seruitus quam deo erat exhibitura, & omne opus sanctitatis, quod per singulos dies erat perfectura siue in gratiarum actionibus & confessionibus, siue in orationibus ac deprecationibus matutinis & vespertinis, siue in omnibus bonis operibus quæ in nomine domini nostri Iesu Christi perficiuntur. Hoc scilicet ignorant plerique insipientium atque irreligiosorum, qui admonentur festinare ad tēplum dei, qui vocantur ad ecclesiam dei accelerare, & terribilem dei gloriam adorare, & aut pro neglectu habent aut inuacuitatem ducunt, aut alias excusationes inueniunt dicentes, hesterna manducaui, crastina manducem: sed quotidie & omni tempore indifferenter student reperire, & exhibere corpori cuncta quæ consuetudinis sunt: deo autem, vel animæ suæ tempora statuunt ac metiuntur & dies supputant, ignorantes quia irrident semetipsos & animas suas. Nam sicut superius diximus, omnium dierum vitæ suæ rationem reddituri sunt pro operibus sanctitatis per singulos dies ætatis suæ, vel hic super terram, vel in iudicio. Pagani enim, atque omnes infideles in iudicio non venient, sed iam ex hoc damnati sunt, & propter infidelitatem inexcusabiles in pœnas inferorum expellentur: ij verò qui in fide esse videntur, & prauo nomi-

Pagani non venient in iudicium.

L ne censentur, isti, inquam, omnes in terribili illa iudicij inquisitione omnium dierum vitæ suæ vniuscuiusque diei reddēt rationem, quomodo impleuerint dei seruitutem, atque opus sanctitatis per vnumquenque diem. Hæc videlicet vniuersa foris nos deuians hic sermo per occasionem memorati diei dicere admonuit bene ac necessarie, vt pote pro bonorum commemoratione his qui salui fieri desiderant. Sed rursum ad propositum reuertamur. [Maledicebat, inquit, Iob diem suum] non maledicebat deum, non reprehendebat, non blasphemabat, non accusabat, non murmurabat de deo, non ingratus existebat deo, sed diem maledicebat qui nō erat. Nam deo gratias agebat, cōfitebatur, inuocabat, benedicebat. Sit, inquit, nomen domini benedictum in secula. Sic itaque benedicendo, ac gratias agendo deo, diem qui nec visionem, nec naturam, nec substantiam habet, maledicebat, vel potius eum qui non erat, sicut prius ostensum est, & hoc vt tantum loqueretur. Sed fortassis dicit aliquis, cur omnino hoc dicit, vel cur hoc loquutus est? Audi ô homo. Ob hoc locutus hæc dicit, quia validiores dolores eum apprehenderunt magis quàm nunc tu arbitrari possis, quia lamentabiliores sustinebat miserias magis quàm tu cogitare valeas. Nam quæ ille sustinebat si nunc videres, nec ad videndum omnino sufficeres. Et quomodo pati vel sustinere posses ad videndum hominem perforatis ossibus & liquescentibus carnibus ac

M neruis consumptis? Hæc vniuersa sustinebat gratias agens deo, vniuersa hæc supportabat benedicens deum. Loquebatur verò ore ea quæ nec deo, nec angelis eius sanctis, nec cœlo, neque terræ hominibus, neque pelago, neque aëri, neque vllis quæ sunt in natura, ad aliquam contumeliam profecerunt. Loquebatur nimirum quasi miseriam ventilans quasi aërem verberans, quasi dolorem deferens, quasi extædiatus & molestiam passus atque anxius pro vehementioribus passionibus & fortioribus doloribus. Locutus est tanquam quilibet in dolore positus quærens remedium. Tanquam quis in dolore dentium, aut oculorum, aut aurium frequenter parietes vnguibus exarat, frequenter etiam semetipsum vngulis exulcerat præ nimietate doloris quem sustinet, corrasis ossibus & palpebris atque auribus: sic & beatus Iob cum perforarentur ossa eius, & liquefierent carnes eius, locutus est maledicens diem qui non erat. Sic nanque & Hieremias sanctus postquam Iudæorum iniustitia atque impietate vsque ad mortem suggillaretur, similiter maledixit, atque deuotauit diem natiuitatis suæ. Et adhuc his maiora dixit Hieremias. dixit enim de nomine eius: Non nominabo nomen eius amplius, & non loquar vlli hominum in nomine eius. Ob quam rem beate Hieremia? Propter inobedientiam eorum, atque contumaciam illorum, quia factus est illis sermo domini in derisionem, noluntillum, & ego

Diem maledicebat Iob præ dolore nō præ impatientia.

Hier. 20

tota

A tota die peregi subsanatus ab illis. Idcirco enim animi dolore repletus, & diem natiuitatis maledixit, & cętera alia locutus est. Sic nanque & Iob prior illo præuentus nimietate doloris, maledixit diem natiuitatis suę, & respondit dicens: [Maledictus dies ille in quo natus sum.] Super omnia quæ superius memorata sunt, est etiam hoc præcipuum quia maledixit Iob diem natiuitatis: quia nisi ita amare defleret Iob pœnas ipsas atque dolores, non vtique æstimaret homo neque crederet quod ita aspera & amara fuissent ei ipsa supplicia atque tormenta. Nunc verò volens omnibus ostendere beatus Iob immanitatem amarissimarum pœnarum atque dolorum quæ ei diabolus ingessit, deflet, conqueritur, ita & amariter & miserabiliter atque lamentabiliter, vt natiuitatis suæ maledicere diem, dicens: Maledictus dies in quo natus sum. Non maledicatur, inquit, dies mortis, neque dies finis, neque dies exitus de hoc seculo. Est nanque consummatio & requies & dolorum omnium transitus ac depositio. Dies natiuitatis omnium tribulationum & angustiarum, dolorum quoque & miseriarum, omnium nihilominus peccatorum atque impietatum initium est atque introitus, per quem pereunt impiæ atque irreligiosæ animæ, ergo omnium horum quæ memorata sunt initium atque introitus corruptibilis natiuitatis dies est. Merito maledictus dies in quo natus sum, quia melior est dies mortis quàm natiuitatis, sicut dicit Ecclesiastes, & propterea maledictus dies in quo natus sũ. Quare? quia per hunc, inquit, ad omnes hos nefandos perueni dolores, quia per hũc ad omnia hæc amarissima perueni supplicia, quia per hũc ad terrenũ hoc veniẽs seculũ nequissimi aduersarij sustineo zelũ, ac malignissimi diaboli supporto suppliciũ. Pro his ergo omnibus maledictus dies in quo natus sum. Plerisq;, inquit, hominũ sub cœlo carnalẽ hanc solam delectãtes vitã, ac sola terrena quæ sunt in corruptione respiciẽtes, diem natiuitatis suæ delectabiliter celebrare studẽt, honeste in die natiuitatis suæ iocundantes splendide. Nam hanc existimant portionem suam, atque hæreditatem, & per hæc sperant se diutius viuere in corpore, atque augmentari sibi annos & diem natiuitatis suæ. Hoc videlicet faciunt nõ ob hoc quod æterna sperent, vel eam quæ non videtur incorruptionem expectent: qui æternam vitam apud deum in cœlis esse non credunt, merito terrenam hanc atque carnalem vitam solam delectantes celebrant diem natiuitatis suæ: diem verò mortis nec nominari patiuntur. Ego, inquit, ô viri tantum odio habeo carnalem hanc vitam, vt pro celebrare diem natiuitatis, maledicam atque abdicem illum dicens: Maledictus dies in quo natus sum. O quàm profundus est hic sermo valentibus inquirere. Nam primam disputationem facientes etiam nunc huius sensus per pauca necessarie mentionem faciemus. Maledictus, inquit, dies natiuitatis, quia peccatorum ac delictorum est principium. Veruntamen beati ij qui in die natiuitatis, hoc est, in principio vitæ suæ benedicuntur, hoc est ea quæ digna sunt benedictione perficiunt. Beati quoque & ij qui in tempore natiuitatis suæ, hoc est in principio ætatis atque ignorantia iuuentutis suæ, licet maledicantur pro peccatis atque ignorantia iuuentutis, in diem mortis atque in finem ætatis suæ rursus benedicentur, & benedictionem promerebuntur per synceram pœnitudinem, atque dignos pœnitentiæ fructus. Vę autem illis, & animabus eorum, qui & in principio suo, & iuuentute sua maledicentur delinquentes, & in fine suæ ætatis non absoluentur pœnitentes, neque benedicentur per dignos fructus pœnitentiæ ad deum confugientes: quorũ maledictio atque damnatio æterna apud inferos permanet, sicut eorum qui pœnitudinẽ synceriter gesserint, æterna requies in resurrectione erit. Alia quamplurima cũ possimus dicere de hoc sermone, hæc desinẽtes quę sequuntur cõmemoremus. [Pereat inquit dies in quo natus sum.] Hæc nimirũ dicit beatus Iob, vt ostẽderet omnibus quales sustinebat dolores, vel qualia supportabat supplicia. Sic beatus ac sanctissimus Hieremias in sugillatione animæ deuolutus, similia vt Iob locutus est iuxta omnia quæ superius veraciter memorata sunt. Super quæ vniuersa hoc etiam debemus aduertere, quia non defuerunt sanctis dolores ac tribulationes, molestiæ quoque atque passiones, non tantum pro se quantũ pro nobis: vt nouerimus nos atque informemur, quia per tribulationes ac labores, per passiones & miserias, per dolores quoque ac gemitus omnes sancti deo placuerunt, & omnes iusti introierunt in regnum dei atque hæredes effecti sunt apud deum æterni refrigerij, non exultantes in corruptione, non delectati in carne, non securi in terris, sed omnẽ miseriam propter pietatẽ sustinentes, æterna incorruptione digni effecti sunt gloria. Sic etiam gloriatur Paulus in persecutionibus suis atque passionibus. Sic gloriatur & Hieremias quod sederit solus, quia amaritudine fuerit repletus, & quia non habiit in consilio impiorum ludentium. Quid autem miramur, quod Iob ita ingentes sustinens dolores conquestus fuerit, vel alij sancti cum terreni fuissent homines ex corpore & anima vere plasmati, cum & ipse qui omnium sanctorum rector, & conditor cœli ac terræ, & mediator dei & hominum Iesus Christus filius dei viui, cum humano se indueret corpore, cũ corruptibilem sibi circundaret formam, cum iret ad passionem atque ad crucem, quæstus est dicens: Pater si fieri potest transeat à me calix iste, hoc est, hæc passio, & cœpit trepidare, & mœstus esse? Non quia trepidauerit deitas, sed quia carnis infirmitatem ostendit. Sicut ergo ille dominus vt ostenderet quia non erat phantasma, sed corpus vere corruptibile habens, se dolorem atque passionem crucis timere ostendit: sic etiam Iob, & Hieremias atque alij sancti, vt ostenderẽt, quia cum essent carnales cum dolore sustinuerunt ac supportauerunt supplicia atque pœnas quæ eis acciderunt. Merito ergo dicit Iob: [Pereat dies in quo natus sum,] iuxta omnia quæ superius ostensa atque memorata sunt, [& nox illa in qua dictum est, ecce masculus.] Porrò quãdo natus es ô beate Iob? per diem, an per noctem? Si in die natus es, nocti quid irasceris? Sed si in nocte natus es, diem cur maledicis? Sicut autem æstas & hyems idem sunt, sic & nox & dies. quod enim per æstatẽ fit, hoc nihilominus per hyemem cõsumitur: & quod hyeme superfuerit, hoc proculdubio æstate seminatur, æstate laboratur, sicut in die: hyeme requiescitur, sicut in nocte. Et adhuc sicut corpus & anima idem sunt indiscrete atque indiuisiue, & nunc in terris, & in resurrectione in cœlis, quodcũque seminauerit corpus super terram, hoc metet anima in resurrectione, quodcũque operatur corpus in corruptione: hoc enim quod seminat, hoc & metet. Sicut ergo hæc idẽ sũt ita & dies & nox idem sunt. Quod in die fit hoc nocti reputatur, & quod in nocte fit, hoc diei designatur. Sic nãque omnia quæcunque fecerit corpus, siue bonũ, siue malum, animæ reputãtur, & omnia corpori in iudicio atque inquisitione suę censentur. Nam vtriusque vtrique imputatur, vtriusque in vtroque requiritur atque vindicatur. Vtraque enim & corpus & anima cum simul sint, & simul conuersentur, simul adiudicantur pœnæ, aut simul suscipientur in requie. Ergo quia hæc, inquit, ita sunt, merito & ego neque de nocte silui, neq; diem reliqui. Sed [pereat (dixit) dies ille in quo natus sum, & nox in qua dictum est ecce masculus.] A quo dictum est? Ab his, inquit, qui nunciauerunt patri meo Zareb. Plurimi nanque illi prædicauerunt filium natum, alter alterum anticipare properantes, vt per id quod honeste celebrauerunt per singulos annos ab eo accipientes dicerent: Ecce natus est tibi masculus. Sed & puto quòd ipsæ obstetrices matri Iob Bosor renunciauerunt, (Sic nanque vocabant) quia masculum genuerit. Hæc nanque demonstrat dicẽns: [Et nox illa in qua dictum est ecce masculus.] Vbi dies, illic & nox. & quod diei, hoc etiam nocti. Ob hoc ergo quia vnum sunt dies ac nox, cum diei malediceret, nocti non pepercit. Pereat, inquit, dies in quo natus sum, & nox illa in qua dictum est, ecce masculus. Nox illa quæ præteriit, quæ transiit, quæ defecit, quæ non est. Nox illa sicut & dies ille manens in tenebris, ille qui non videtur, qui non inuenietur, qui non reuocatur, qui non ẽst. Sicut ergo nox illa, ita & dies ille pereant tanquam quæ non sunt, deficiant tanquam quæ non videntur, neque demonstrentur. Cum ista ergo quæ non sunt maledixerit Iob, & ea quæ non sunt perire voluerit, irreprehensibilis omnino in omnibus permanebat. Vehementem enim dolorem quam sustinebat deflebat absque vllius molestia. Puto quod forsitam olim in initio iuuentutis, celebrauerit Iob diem natiuitatis suæ, item nunc

Eccles. 6 — *2 Cor. 11* — *Hier. 15* — *Matth. 26* — *Anima & corpus idem indiscrete .i. hypostaticè.*

B C D E F

G ipsum reprobans, quia non celebrandus, sed lamentandus atque plorandus est dies carnalis natiuitatis, vtpote tantarum tentationum atque dolorum introitus: & non solum non celebrauit vlterius, sed maledixit ac perire optauit dicens:[Pereat dies in qua natus sum.] Qui dies? Ille inquit qui olim fuit honestus & hilaris, festiuus & lætus atque splendidus. Hic ergo pereat dies. vnde pereat? Ex solennitate, ex lætitia, ex splendore, ex istis pereat, & nunquam in his inueniatur. Cum hoc autem die, etiam nox illa pereat in qua dictum est, ecce masculus. Hæc audientes nos ô viri non gaudeamus terrenæ natiuitati, sed timeamus à plurimis huius mundi tẽtationibus, sed paueamus à terribili introitu in illud incorruptibile seculum, vbi erit reuelatio & inquisitio omnium operum atque verborum nostrorum. Animaduertamus ô homines quæ immutatio facta est in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant vnam vitã diligentes, & aliam post hanc non sperantes. Nunc verò nos nõ natiuitatis diem celebramus, cum sit dolorum atque tentationum introitus, sed mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depositionem atque omnium tẽtationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi qui mori videntur. Propterea & memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium deuote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuent ij qui moriuntur. Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vna cum clero, inuitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suauitatis in conspectu æterni dei. Hæc videlicet diximus, quia diem natiuitatis propter illos qui sine spe sunt maledixit Iob dicens: [Pereat dies ille in quo natus sum, & nox illa in qua dictum est, ecce masculus.] Paulo post incedens dicit: Et nox illa sit in dolore. Ostendit verò quia nulli maledixit per hoc quod ait, & nox illa sit in dolore. Quis enim dolor erit nocti? Nullus. Nam nox apud semetipsam atque in semetipsa, neque cum dolore, neque sine dolore esse potest. Nam sicut non habet naturam, neque substantiam, ita nec dolorem, neque vulnus, neque passionem habet in semetipsa, neque dies, neque nox. Hæc itaque sciẽs beatus Iob miseriam ventilans, & dolorem deflens, eis quæ non sunt maledixit atque dolorem optauit, dicens: Pereat ille dies in quo natus sum, & nox illa in qua dictum est, ecce masculus. Quare? quia tenebrosorum dolorum mihi auspicium est factus, quia obscurissimorum suppliciorum mihi extitit introitus, quia cum re familiari atque filiorum perditione etiam amicos in inimicos conuertit, & corpus meum vermibus consumpsit, & membrorum meorum neruos humore vulneris liquefecit. Pro his ergo omnibus dies illa sit in tenebris, & tanquam errans circumeat in tenebris, & rursus ad me accessum non inueniat, neque appropinquare valeat, neque vulnera mea identidem renouet, neque maligni diaboli zelum denuo mihi subministret. Ob hoc ergo dies ille sit in tenebris, dies ille qui plurimos deludit, qui plurimos seducit, qui plurimis æternas tenebras procurat. Omnibus illis qui carnalem vitam quæsierunt, spiritalis verò memores non sunt. Omnibus qui delectationem putant carnales delitias, omnibus qui voluptati ac ventri deseruiunt super terram. Omnibus istis obscurus efficiatur, quia in tenebras prodibunt, quia in tenebras ibunt, quia tenebræ contegent nomen eorum. [Dies ille sit in tenebris.] Ille in quo malignus atque tenebrosus diabolus suam perfecit voluntatem. Nam & vere nisi primũ obscurauerit diabolus corda hominum, nisi primum infuscauerit animas eorum, nisi prius obliuionem dederit timoris dei atque terribilium iudiciorũ eius, non vtique valebit vnquam peccatorum semen seminare in cordibus eorum. Postquam verò obscurauerit animam, & à deo auerterit, tunc scilicet ad omnia mala, ad impudicitiam, ad infidelitatem atque ad omnia carnis desideria, tanquam eos qui in tenebris sunt facile conuertit. Istis ergo talibus efficitur dies illa, hoc est, dies natiuitatis, dies tenebrarum. Et

Mortis diẽ celebramus non vitæ.

Memoriæ sanctorum.

H

I

non solum dies natiuitatis tenebræ illis efficiuntur, sed insuper adhuc dies mortis æternarum tenebrarum introitus efficitur illis. Dies enim tenebrosus circũdabit hos tales. Hæc nanque vniuersa significans dicit: [Dies illa sit in tenebris.] Dies impiorum, dies infidelium, lasciuorum, impudicorum, eorum qui neque in die natiuitatis pietatem custodiunt, neque in die mortis pœnitentiam ostendunt. Istis ergo talibus dies ille sit in tenebris, quia in tota vita sua tanquam in tenebris ambulant, qui palpant velut cæcus circa parietem. Iustis autem lux est semper in die natiuitatis, sicut Hieremiæ, & omnibus sanctis. Et in die mortis, sicut Lazaro qui deportatus est ab angelis in sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob, in secula seculorum, Amen. [Dies ille sit in tenebris, & non requirat illum dominus desuper.] Identidem ad priora se conuertit, non inquirat illum dominus, ne inquisitus iterum ad me perueniat, ne inuentus identidem me inueniat. Non inquirat illum dominus desuper, non recordetur, non reputet. Non enim est dignus, neque ipse dies, neque ille qui in ipso die amarissima mihi ingessit tormenta. Diem natiuitatis memorat, & lamentabilium suppliciorum diem significat, quinimmo ipsa supplicia, vel potius diabolum qui ingessit ea, quem de superioribus cadentem non requiret dominus vnquam. [Non requirat eum dominus desuper.] Quid dicis ô beate Iob? Ergo alios dies inquiret, vt de isto solo dicas velut interminans. non inquirat illum dominus desuper? Vtique ait omnes dies seculi inquirentur, omnia tempora, & momenta atque secula requirentur & producentur: nimirum non dies seculi qui naturam non habent neque substantiam, sed verba & facta quæ in illis diebus sunt gesta vel dicta, sed cogitationes & consilia atque tractatus, qui in omni tempore vel momẽto huius seculi tractati sunt atque cogitati. Hæc igitur omnia in omnibus gentibus, & in omni lingua inquisita in iudicio manifestantur in tempore inquisitionis. Non enim mẽtitur is qui ait: Memor sum ea quæ à seculo sunt dinumerare, nõ solum tempora & momenta, & dies, & annos, sed quin potius omnium hominũ cordis occulta, iuxta hoc quod dictum est: Qui fingit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Et adhuc alibi: Ipse autem nouit occulta cordis. Apostolus verò his consonanter dicit: In die qua iudicabit deus occulta hominum. Ille enim dies manifestabit omnia, in igne reuelans cuncta. Scientes itaque nos ô viri, quia aduersum tam terribilem habemus iudicem, sancte cõuersari & in factis & in verbis studeamus, vt non pro condemnatione in iudicio, sed pro requie atque gloria æterna inquiramur. Deinde, [non sit, inquit, in diebus anni, neque numeretur in diebus mensium.] Quis? Maledictus atque perditus ille dies. Iste non sit in diebus anni, neque numeretur in diebus mensium. Nunc ostendisti euidenter ô beate Iob, quia non diem creaturæ maledixisti, quia non diem anni vel mensiũ deuotasti, sed illum qui non est in substantia, neque in numero, neque in cõputo. Omnes enim dies anno & mensibus circundantur vel computantur. Extra annum autem & menses nullus est dies. Ergo si dies qui istic maledictus est ac perditus est, non est in anno, & tu dicis: [Non sit in diebus anni:] non est in mensibus, & dicis: [Non numeretur in diebus mensium] nihil est, nusquam est, hoc quod non est maledicis. maledicis enim qui non est perire volens. Et merito irreprehensibilis in omnibus permanes beatissime dei amice Iob. Aut etiam aliter intelligamus maledictum hunc atque perditum diem de quo dicit: [Dies ille sit in tenebris, & non inquirat illum dominus desuper.] Figurate significat per hæc infœlicem illum Iudam, per ista de longe eum ostendit, qui debuerat esse dies serenus, & splendidus ac perspicuus, & sibi luminosus & aliis lucidus, factus est tenebrosus per semetipsum atque obscurus. Hunc ergo significans dicit: Dies ille sit in tenebris qui lucem dereliquit, qui à luce discessit, qui lucem in mortem tradidit, & non inquirat illum dominus desuper, cum inquisierit Petrum & cæteros apostolos resurgens à mortuis. Non sit in diebus anni, ecclesiæ festiuitatibus atque sanctificationibus, nõ sit in vnitate ecclesiæ, nõ numeretur inter dies mẽsiũ, in numero duodecim apostolorũ, tanquãduodecim mensiũ, sed deleatur de libro viuentium, & cũ iustis nõ scribatur. His

K

Luc. 16.

L

Rom. 2.

M

A His cōsonanter inferius vniuersum populum Iudæorum designans atque increpans, noctémque eum nuncupans dicit: [Obscurentur sidera noctis illius.] Cuius noctis? Illius de qua dicit Apostolus: Nox præcessit. Quæ sidera obscurentur? Sacerdotes, & Scribæ, & Pharisæi: Nam hi qui debuerant in modum stellarum fulgere atque lucere in lege tanquam in nocte, effecti sunt omnes tenebrosi atque obscuri. Sustineat, inquit, nox illa Iudæorum tenebrosus populus, sustineat resurrectionem domini, sed non veniat in lucem vultus eius, neque videat luciferum orientem spiritum sanctum paracletum de excelsis ad apostolos missum. Aliáque plurima demonstrantur ex ipsis beati Iob sermonibus, quæ in resurrectione atque iudicio præuenient impiis atque iniustis tanquam abortiuum exiens de vētre matris suæ. [Illic, inquit impij requieuerunt ab ira indignationis, illic requieuerunt dolentes corpore.] Illic, inquit, in resurrectione, in inquisitione, in iudicio. Illic enim requiescit eatenus indignatio atque furor impiorum, cum digna illis illata fuerit damnatio atque tormentū: tunc erunt tanquam aborsum exiens de vētre matris suæ, sicut infantes qui non viderūt lucem. Nam sicut abortiua de ventre matris suę exeūtia nō viderūt lucē, sed ex tenebris in tenebras eunt, ex tenebris atque angustia vteri materni in tenebras & angustias terræ atque sepulchri: sic impij de tenebris in tenebras eunt, ex angustia in angu-B stiam expellentur, de corpore in sepulchrum, ex sepulchro in angustiam expellentur atque iudicij damnationem, & in tenebras exteriores, vbi non est lux, neque videbunt vitam homines. [Pusillus & magnus, inquit, ibi est:] Non est enim personarū acceptor regni huius rex. Merito ex æquo impertit omnibus & pusillis & magnis, & humilibus & altis regni huius introitum. Illis sanè qui æqualiter illum metuunt, qui æqualiter illum diligunt. Pusillus & magnus. Ibi est Lazarus pusillus, cum Abraham magno, [& seruus non timens dominum suum.] In incorruptione enim non est dominus corruptibilis, neque carnalis, sed cum apparuerit facies cœlestis domini atque iudicis, tunc corruptiles atque carnales domini nusquam apparebunt. Merito illic est seruus non timens dominum suum. Memoratus enim timor iudicij, terror atque formido futurorum, omnem timorem corruptibilem & carnalem in obliuionem deducit atque foras mittit. Non e-D nim serui dominorum timoris recordantur, neque domini seruis imperare occurrunt. Vnus enim timor inquisitionis atque iudicij apprehendet cunctos. Merito illic est seruus non timens dominum suum. Ibi est Abdias nō timens Achab dominum suum. Ibi est Onesimus non timens Philemonem dominum suum. Aliique innumeri reperiuntur & in lege, & in Euangelio his similes, qui cœlesti domino ac deo omnium seruientes, non timuerunt super terram dominos carnales ad obediendum eis in malis, neque in cœlis eos timent in conspectu veri domini venientes. Nam cum seruitutem carnalem pure eis atque deuote exhibuissent, non discesserunt à creatoris seruitute. Hoc nanque oportet reddere seruos carnalibus dominis suis, vt non fraudent, vt non circunueniant, vt non insidientur dominis suis, vt non ad oculum seruiant, vt non in facie fingant, sed foris ab oculis, sed foris à facie omnem gratiam dominis suis ostendant. Huius nanque rei ingentem in cælis accipiet remunerationem à domino omnium atque iudice viuorum & mortuorum. In seruū venundatus est Ioseph, sed in malo atque impio actu non obediuit dominæ suæ. Merito & in terris in Ægypto, & in cœlis in perpetuo dominabitur illi, quæ illicite ad tempus dominari visa est. Hæc scilicet vniuersa pro bonorum commonitione diximus, à beato Iob etiam nos de his ammoniti, dicente eo euidenter: [Pusillus & magnus ibi est, & seruus non timens dominum suum.] Inueniet qui inquirere studuerit, etiam cæ-E tera alia his consonantia, & ea quæ nunc istic per ordinem, & cuncta quæ in priori multipliciter à iusto illo sunt dicta de dei magnitudine, & de sua tolerantia, quæ sustinuit absque culpa innocens in conspectu dei, & coram omnibus hominibus, quæ sustinuit cum gratiarum actionibus atque confessionibus dei, quæ sustinuit piæ tolerantiæ formam præbens in perpetuo cunctis. Beati qui te fuerint imitati beatissime Iob. Beati qui tua vestigia fuerint secuti. Beati qui similiter vt tu in fide, & pietate atque in omnium sibi accidentium tolerantia consummati fuerint. Hi requiescent in perpetuo apud deum patrem, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Rom. 13

3 Reg. 18

Duplex seruitus.

Gen. 39

FINIS LIBRI TERTII IN LIBRVM BEATI IOB.

PROLOGVS RVFINI PRESBYTERI IN EXPLANATIONEM SVPER PSALMOS TRIGESIMVMSEXTVM, TRIGESIMVMSEPTIMVM, & Trigesimumoctauum.

QVONIAM Trigesimisexti, & trigesimiseptimi, & trigesimioctaui psalmi expositio tota moralis est, instituta quædam vitæ emendatioris ostendens, & nunc conuersionis ac pœnitentiæ, nunc purgationis & profectuum semi-C tam docet. Idcirco tibi eam Aproniane fili charissime in nouem oratiunculas, quas Græci Homilias vocant, velut in vno corpore digestam in latinum transtuli, vt intra vnum codicem collectam haberet dictionem, quæ ad emendationem vel profectionem morum tota respiceret. Hoc sanè beneficij præstabit hæc lectio, quòd absque labore lectoris intelligen-E tia eius in propatulo habeatur, quò scilicet vitæ simplicitas, sensu lucido ac simplici sermone doceatur, ex quo prophetia peruenire non solum ad viros, verum etiam ad relelegiosas fœminas possit, & excolere simplices mentes: ne forte religiosa filia mea, soror in Christo tua, ingrata sit operi nostro, si id semper laboriosum intellectui suo pro asperitate sentiat quæstionum: quia nec corpus humanum ex solis potuisset neruis ossibúsque constare, nisi eis diuina prouidentia, vel molliciem carnis intexuisset, vel blandimenta pinguedinis.

EXPLANATIO PSALMI TRIGESIMISEXTI QVI DICITVR: NOLI ÆMVLARI IN MALIGNANTIBVS. HOMILIA I

MVLTIFARIE, multísque modis deus locutus est patribus in prophetis. Aliquando quidem ineffabilia sacramenta nos edocet in his quæ loquitur: aliquando autem de saluatore, & de eius aduentu nos instruit: interdum verò mores nostros corrigit, & emendat. Propter quod nos tentabimus per loca singula scripturæ diuinæ huiuscemodi differentias assignare, & discernere vbi prophetiæ sint, & de futuris dicatur, vbi autem mystica aliqua indicantur, vbi verò moralis est locus. Incipientes igitur explanationem trigesimisexti psalmi, inuenimus quod totus psalmus iste moralis est, & velut cura quædam ac medicina humanæ animæ datus, cum peccata nostra arguit, & edocet nos secundum legem viuere. Sed videamus iam quale nobis principium dat primus versiculus. [Noli, inquit, æmulari inter malignātes, neque æmulatus fueris faciētes iniquitatem:

Heb. 1

Sensuū scripturæ differentiæ.

G quoniam sicut fœnum cito arescent, & sicut holera herbarum cito decident.] Duo sunt quidem quæ nos docet in his verbis facere non debere. Primo quidem ne æmulemur inter malignantes, secundo ne æmulemur eos qui faciunt iniquitatem. quoniam sequitur eum qui inter malignantes æmulatur, vt arescat sicut fœnum, & hoc eum non tarde, sed cito esse passurum. Eum verò qui æmulatur facientes iniquitatem, sequitur, vt sicut holera herbarum cito decidat. Et secundum simplicem quidem literæ intellectum, non æmulari inter malignantes, hoc videtur indicari, ne inter malos & pessimos homines æmulator quis malitiæ, id est dux & auctor existat, & velut formam flagitij cæteris præbens. Æmulari verò eos qui faciunt iniquitatem, illud est, si imitetur quis, & discat agere iniquè. Et hoc est in vtroque quod dicitur, vt neque exemplum malitiæ cæteris præbeas, neque ipse aliorum malorum sequaris exempla. Verum vt plenius quid etiam intrinsecus sermo iste contineat agnoscamus, cõueniens puto adhibere de scripturis diuinis sicubi hunc sermonem inuenimus scriptum, & spiritalibus spiritalia comparare, vt quid per hæc indicetur euidentius pateat. Scriptum est in Deuteronimo: Ipsi in zelum me concitauerunt in non deo, ad iram me concitauerunt in idolis suis, & ego in zelum adducam eos in non gentem. Hic vbi latine dicitur in zelum adduxerunt me, & ego in zelum adducam, in græco idem ipse sermo est, qui & in psalmi initio est dictus, id est, æmulati sunt me, & ego æmulabor eos. Quamuis sermo ipse græcus, id est ἐζήλωσαν significantius in latino exprimi videtur, si dicamus irritauerunt me, idem tamen ipse est sermo. Sed & in Apostolo scriptum est: An æmulamur dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Et vbi habetur æmulamur dominum, in quibusdam exemplaribus irritamus dominum scriptum est. Ex quibus omnibus testimoniis indicatur quod æmulari aliquem irritare eum est, & prouocare. vt verbi causa, si tali vtamur exemplo. Sunt quædam mulieres impudicæ, & nequam, quæ si forte viros in amoris furtiui illecebris ceperint, processu temporis occultis non contentæ flagitiis, volunt etiam pudicis coniugibus innotescere, quòd ab earum viris amentur, vt ex hoc in zelum excitent, & irritent ac perturbent alienas domos. Si intellexisti exempli virtutem, quomodo pellex zelum concitet vxori, & hoc debes aduertere quid sit æmulari inter aliquos, id est, cum eis malitiæ alicuius incitamenta præbentur. Denique quia sermo ille Deuteronomii, in quo ait: Ipsi in zelum adduxerunt me in non deo, id est παρεζήλωσαν hoc significet, ex hoc manifestius claret, quod alibi scriptum est, quia deus noster deus zelans dicitur. Zelans autem maritus dici solet de coniuge sua, cum ei pudicitiam sollicitus & cautius curat, nec pollui patitur coniugis castitatem. Vnde consequenter qui peccat, deum qui zelans dicitur, in zelum incitat, & irritat. Verum hæc omnia abusiue audienda sunt de deo, sicut & ea quæ de furore dei dicuntur, vel de somno, vel de tristitia, per quæ illud intelligitur quid vnusquisque nostrũ pro actibus suis de deo mereatur. Denique sic dixit in Deuteronomio: Quia ipsi in zelum adduxerunt me in non deo, & exacerbauerunt me in idolis suis, id est, colentes idola in zelum concitauerunt me. Sed quid sequitur? Et ego in zelum adducam eos in non gentem, in gentem insipientem irritabo eos. Vnde etiam nunc Iudæi non mouentur aduersus gentiles, aduersum eos qui idola colunt, & deum blasphemant, & illos non oderunt, nec indignantur aduersum eos: aduersum Christianos verò insatiabili odio feruntur, qui vtique relictis idolis ad deum conuersi sunt. Cum ergo videris Iudæos odio habẽtes Christianum & insidiantes ei, intellige quia cõpletur prophetia illa quæ dicit: Et ego concitabo eos in nõ gentem. Nos enim sumus non gens, qui pauci ex ista ciuitate credimus, & alij ex alia, & nusquam gens integra ab initio credulitatis videtur assumpta. Non enim sicut Iudæorum gens erat, vel Ægyptiorum gens, ita etiam Christianorum genus gens est vna, vel integra, sed sparsim ex singulis gentibus congregantur. Dicit ergo, quia ego in zelum eos inducam in non gentem, in gentem insipientem irritabo eos. Et ideo irritantur in nos, & odio nos habent velut gentem insipientem, dicentes se esse sapientes,

Deut.32. — *Verba interpretis.* — H — *1.Cor.10.* — *Varietas exemplariũ Latinorũ.* — *Quæ de deo dicantur abusiuè.* — I — *Pauci Alexandriæ Christiani.*

quoniam quidem primis ipsis commissa sunt eloquia dei, & K meditantes à puero vsque ad senectutem legem dei, in legem dei non peruenerunt: sed ideo quæ stulta sunt elegit deus huius mundi, vt confundat sapientes. & sic impletur quod scriptum est: In gentem insipientem irritabo eos. Sed & quod dicit Apostolus: An æmulamur dominum? nunquid fortiores sumus illo? videamus quid indicet. In eo loco hæc dixit, vbi de sacrificiis, & de his quæ idolis immolantur, disputat. An æmulamur (ait) dominum, hoc est zelo concitamus, edentes ea quæ idolis immolata sunt, sicut Iudæi zelum eius commouerunt in idolis suis. Nunquid etiam nos simili modo facere volumus? Ideo ergo ait: An æmulamur dominum? Nunquid fortiores illo sumus? hoc est quod dicit. Siquidem concitemus zelum alicui qui inferior est viribus nostris, possumus facile contemnere: si verò fortem concitemus in zelum, nunquid non in propriam molimur ista perniciem? Si ergo vescimur idolis immolatis, & aduersum nos zelum domini concitamus, fortiorem iram contra nos, id est ad proprium interitum prouocamus. Si quando ergo videris hominem nequam, obserua, & caue ne zelum eius concites aduersum te, ne quid incaute facias, vnde nequitia concitetur. Verbi causa, vt per exemplum planius fiat quod dicitur, beatus Dauid Saul malignantem concitauit in zelum, quando processit ante exercitum, & occidit Goliam, & processerunt chori puellarum & mulierum dicentes: Percussit Saul in milibus, & Dauid in decem milibus. Quod vtique si studio suo egisset Dauid, æmulatus fuisset in malignitate Saul. Sed nunc non suo studio factum est vt exirent chori puellarum, & huiuscemodi hymnum dicerent, quia Dauid percussit in decem milibus, & Saul in milibus. Hoc est ergo quod nos edocet psalmus, vt quoniam genus hominum procliue est ad zelotypiam, & perfacile ad vitium istud inclinatur, obserua ne id agas, quod malos homines in æmulationem tui irritet, & ad insidiandum tibi concitet, vel ad odium tui excitet. Et est hoc totum quod significatur in his omnibus, vt neque ipse prouoces mali æmulationem aduersum te, neque tu nequitiam æmuleris alienam. Quomodo ergo homo nequitiam æmulatur alterius? Sine dubio cum eadem agit. Quod autem dico, tale est. Si quis sit per iniquitatem diues factus ex paupere, si sit vicinus eius egens, & videat illum qui de terra surrexit, & ad diuitiarum culmen ascendit, & incipiat æmulari vt similiter etiã ipse ex iniquitate ditescat, hoc est æmulari facientes iniquitatem. Sed & si quis eum qui vel furtiuis stupris, vel illicitis conatibus vltra locum & mensurã suã inuadit nuptias, domos, diuitias, æmulari velit, æmulatus est facientes iniquitatem. Iam verò eos qui per diuersa flagitia, vel indignas atque illicitas ambitiones ad immerita bonorum culmina peruenerunt, & iniquis factionibus vel cruentis manibus honores non sibi debitos occuparunt, hos si quis videns ad similem inflammetur insaniã, æmulatus est facientes iniquitatem. Propterea ergo mãdato domini illuminamur, vt cum æmulationis illicitæ cor nostrũ flamma mentemq; pulsauerit, nos verbis edocti dicamus. Si æmulari voluero inter malignãtes, aut æmulatus fuero facientes iniquitatem, vide quid sequatur. [Sicut fœnum, inquit, cito arescẽt, & sicut holera herbarũ cito decident.] Vis etiã alterius prophetæ de talibus monitis auctoritate muniri? Audi quid etiã Esaias de omni gloria carnali pronũciet: Omnis, inquit, caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni. Vis etiam per singula videre quomodo flos fœni sit carnis gloria? Vide quis imperauit ante hos triginta annos, quomodo imperium eius effloruit: continuo autẽ sicut flos fœni emarcuit, tũc deinde alius post ipsum, deinde alius atque alius, qui deinde duces, & principes: & omnis eorum gloria & honor non solum tanquam flos emarcuit, verumetiam tanquam puluis aridus, & à vento dispersus ne vestigium quidem sui reliquit. Alij etiã diuitiis elati, & honoribus tumidi, studentes vel laudabiles haberi per simulatam bonitatem, vel execrabiles per indomitam crudelitatem. Quorum si quis vana studia existimat æmulando, eat nunc ad cadauerũ eorum reliquias, si tamẽ vel ipsæ inueniri queant: aliquãtis enim ne hoc quidem concessum est: & tunc inueniet quomodo omnis caro fœnũ est, & omnis gloria eius vt flos fœni. Exaruit fœnum & flos eius decidit.

1.Reg.18. — L — M — *Esa.40.*

A decidit. Qui autem non diligit flosculos carnis, neque carnaliter viuit, sed diligit verbum dei, & in ipso proficit, audi quid speret: [Verbum, inquit, domini manet in æternum.] Sed & hoc ipsum quod ait, quia sicut fœnum cito arescent, malignãtes scilicet, nõ arbitror otiosum cur fœno eos cõparauerit, cum vtique & alia possit esse materia, cui comparentur hi qui malitiose egerunt. Fœnum mutorum & irrationabilium animalium cibus est. Fortassis ergo pro eo quod omnes stulti, & imperiti, & qui contra rationem & sapientiam dei viuunt, sequuntur eos qui in malitia principes sunt, & ex illorum vita vel actibus vesci dicuntur, quibus & obediunt, id circo eos fœno comparauit. Nemo enim prudens ab illis sumit exemplum. Nam sicut vir prudens qui audit verba domini & facit ea, iste est qui manducat panem illum qui de cœlo descendit, & Iesus est cibus ei pro eo quod ex verbis eius pascitur, & in mandatis eius viuit: similiter & hi qui in malitia eminentes, sicut fœnum efficiuntur iis qui sibi obtemperant, vel æmulationem sui ad nequitiam gerunt. Similia autem etiam de holeribus herbarum intelligenda sunt, quibus comparantur hi qui faciunt iniquitatem, pro eo quod velociter transeant. Inuenimus tamen in scripturis diuinis interdum & laudabilia holera, quæ per præceptum apostoli manducare iubentur infirmi. Alia autem sunt illa, & his contraria, de quibus dicitur quòd flumina Ægypti aqua sit deorsum descendens, & rigans sicut hortum holerum: quo videlicet Ægyptius non arbor dicatur, sed ne vitis quidem nominetur, B sed holera quæ cito deficiunt. Et vis videre quàm cito Ægyptius decidat? Vide quid dicatur de eis in Exodo: Ægyptij autem festinauerunt, inquit, decolligauerunt axes suos, & cito fugerunt sub aqua. Sicut holera ergo herbarum cito decident. Denique & Achab ille iniquus quoniam talia holera parabat plantare in vinea Naboth Iezrahelitę, propter quod Nabutheus magis mori elegit, quàm permitere vt excisa vinea Israelitica holera plantarentur. Fecit ergo hoc tanquam iustus, vt non permitteret excidi vineam iustitiæ, cuius fructus lætificat cor hominis, cum in sapientiæ cratere misceatur, & plantari holera iniquitatis, velociter viridantia, sed velocius arescẽtia. Puto ergo quòd etiam in nostris cordibus qui credimus saluatori, sit aliqua vinea plantata. sicut dixit. Vinea facta est dilecto in cornu, in loco vberi. Sed & ad illos dictum est quibus sermo dei factus est primum, quia ego plantaui te vineam totam feracem. Est ergo nobis vinea quædã ex qua fructum scientiæ qui lætificat cor hominis per donum sapientiæ premimus in torcularibus scripturarum, cum perfectius & latius diuina legis mysteria contuemur. Sed proficientibus nobis in his studiis, & Israelitico oculo ad oculũ spiritalem tendentibus, venit Achab iniquus & impius: Achab inimicus vineæ nostræ, & aduersum optima studia hæc sapientiæ inuidiam concitat, tumultum commouet, dolos & C factiones per Iezabel, hoc est, per carnalem sapiẽtiam instruit & vult excidi vineam istam spiritalis intelligentiæ, & plantari holera, id est, vt quæ legimus, carnaliter intelligamus, sicut holera enim omnis gratia carnis est, vt impleatur in nobis illud quod culpat Apostolus dicens ad Galatas: Sic insensati estis, vt cum spiritu cœperitis nunc carne perficiamini? Quod autem in anima sancta sint vineæ, & agri à domino benedicti, audi etiam Isaac ad filium suum Iacob dicentem: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni quem benedixit dominus. Melius ergo est vineam nos colere in anima nostra, & torcular fodere scripturarum, & vindemiare botros, & premere vinum de vinea Sorec, vt & nos dicamus ad dominum, quia poculum tuum inebriãs quàm præclarum est. Posteaquam dixit sicut holera herbarum cito decidere facientes iniquitatem, & prohibuit æmulari inter malignantes, & imitari facientes iniquitatem, tunc dicit quid facere debeamus. [Spera, inquit, in domino, & fac bonitatem.] Contemptis scilicet illis omnibus quæ superius culpata sunt, honoribus, diuitiis, & omni gloria carnali atque omnibus seculi bonis, in domino, inquit, spera. Sperans autem in domino non sis otiosus: sed bonitatem faciens, spera in eo. Quæ est autem ista bonitas, videamus. Vnus est ex illis fontibus quos sancti spiritus fructus esse enumerat Apostolus. Fructus autem spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patiẽtia, bonitas, & iustitia. Fac ergo bonitatẽ. velut si diceret ad agrũ loquẽs, fac illũ fructum vel illum: ita nũc D tibi auditori diuinarum scripturarũ, tanquam agro, loquitur sermo diuinus. [Fac bonitatẽ, & inhabita terrã, & pasceris in diuitiis eius.] Noli esse sicut fœnũ arescẽs, noli fieri sicut holera herbarum, quæ cito deficient, sed spera in domino, & fac bonitatem, & inhabita terram. Quam terram inhabitare nos iubet si bonitatem fecerimus? Vtique si de ista loquetur terra quam habitamus, & qui faciunt bonitatem, & qui non faciunt, habitant hanc terram. Superfluũ ergo videtur esse mandatum si intelligatur hæc terra. Sed videamus ne forte illam dicat terram de qua scriptum est, quia semen aliud cecidit super terram bonam, quæ attulit fructum, in qua nũc terra cor auditoris significari videtur. Hanc ergo iubemur inhabitare, hoc est, non longius euagari, non vltra citráque discurrere, sed habitare, & consistere intra animæ nostræ terminos, & considerare eam diligentius atque effici eius agricola sicut fuit Noe, & plantare in ea vineam, & excolere terram quæ intra nos est, nostræ animæ innouare noualia, & non seminare super spinas: videlicet cum animam nostram purgamus à vitiis, & incultos atque asperos mores ad mansuetudinem Christi imitationis excolimus, & ita demum ex virtutum diuitiis pascimur. Neque enim putandum est præcipi nobis terrenas diuitias quærere, quas contemnere iubemur & spernere. Ait ergo: [Inhabita terram.] hoc est ergo, animæ tuæ semper assiste, ibi semper permane, & excole terram tuam, vt cum abundare cœperis iustitiæ fructibus, tunc pascaris in diuitiis eius. Quid est autem pasci in diuitiis eius? Quia quodcunque seminauerit homo, hoc & metet: Et qui E seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Si autem habites terram tuam, & ipsam in spiritu & non in carne seminaueris, pásceris in diuitiis eius, sicut oues illæ quæ in loco viridi pasci dicuntur, de quibus dicit sermo diuinus: In loco viridi ibi me collocauit. Vnde constat quod vnusquisque nostrum ipse sibi præparat intra se locum viridem, in quo pascitur à domino, cum agros animæ suæ excolit, & in spiritu seminans semper ad lætitiam spiritalis culturæ adducit. [Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.] Moris est scripturæ diuinæ duos homines introducere ὁμωνυμία, id est similitudine alterius alterum ex altero nominare, hoc est ea quæ exterioris sunt hominis, compellere etiam in interiorem. Quod autem dico tale est. Exterior homo corporalis vescitur cibis corruptibilibus, & sibi aptis. Est autem & cibus quidam interioris hominis, de quo dicitur quia in omni verbo dei viuit homo. Est poculum exterioris hominis, est aliud interioris. Bibimus enim de spiritali sequenti petra, & bibimus aquam, quam dicente Iesu, qui bibit, non sitiet in æternum. Est & indumentum exterioris hominis, est & interioris hominis indumentum. Et si quidem peccator sit, induit se maledictum sicut vestimentum. Si F autem iustus sit, audit: Induite vos dominum Iesum Christum. & : Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam. Et quid necesse est enarrare per singula quomodo interior homo exterioris hominis homonymis appellationibus nominetur? Arma exterior homo & interior habet. Qui secundum interiorem hominem militat, induitur armis dei, vt possit stare aduersus versutias diaboli. Sed post multa exempla, veniamus ad hoc quod propositum est. Videamus quid est quod significatur ex eo quod dictum est: [Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.] Sciendum primum est quia hoc quod dixi in latino delectare in domino, in græco delitiare in domino dicitur. Hoc enim græcus sermo indicat, quod est κατατρύφησον Sicut ergo secũdum exteriorem hominem possibile est non solum cibis vti, verum etiam delitiis perfrui, & maxime qui diuites sunt delitiis vtuntur: ita etiam interior homo potest non solum cibis vti, verum & delitiis perfrui. Quod fieri hoc modo arbitror. Si quis audiat verba ea solummodo, quæ se inuitent ad timorem dei, iste cibum tantummodo capit ex huiuscemodi verbo. Qui verò dederit operam ad intelligendam legem, ad perscrutandos prophetas, ad exsolutiones parabolarum Euãgelij, ad explanationẽ verborum

Marginal notes: Iesa. 13. — Exod. 15 — 3 Reg. 21 — Esa. 5 — Gal. 3 — Gen. 26 — Psal. 36 — Gal. 5 — Gal. 6 — Psal. 23 — Duo homines. — Deut. 8 — 1. Cor. 10 — Psal. 109 — Col. 3. — Hæc de suo inserit interpres.

G apostolicorum, & qui in omnibus intellectui & scientiæ operam dederit, iste delitiis fruitur. Non enim ad hoc solum quod ei ad vitam sufficit, cibo vtitur mandatorum, sed in omni agnitione scientiæ delectatur. Hoc est quod arbitror & in eo indicari, quod dicitur deus ab initio plātasse paradisum delitiarum, sine dubio in quo spiritalibus delitiis frueremur. Sed & alibi: Torrentem(ait) delitiarū potum dabis eis, sanctis scilicet. Sed & hic scio quod in latinis exemplaribus haberi solet torrentem voluptatis tuæ, sed in græco habetur τρυφῆς, quod est delitiarum. Sed & sanctis quibusque corporalium delitiarum contemptus indicitur, & spes delitiarum spiritalium repromittitur. Vis etiā do hoc auctoritatem accipere scripturæ diuinæ? Diues quidā erat, & Lazarus pauper. In delitiis corporalibus erat diues, Lazarus cōficiebatur inedia. Excessit vterque de seculo, & Lazarus quidem ab angelis sublatus est in sinum Abrahæ, vt ibi in delitiis requiesceret: Ille autem qui in delitiis fuerat corporalibus, abiit in gehennam ignis, sicut in Euangelio est, & audit ab Abraham, quia tu consecutus es bona in vita tua, hoc est, delitiis abusus es, & Lazarus mala: nunc autem hic requiescit, tu verò cruciaris. Nemo potest, & in carne, & in spiritu habere delitias. Sed si quis in carne delitiatur, sicut ille diues, carebit gremio Abraham & delitiis. Qui verò in præsenti seculo pane afflictionis vescitur, sicut & ille pauper, cum hinc abscesserit in delitiis erit. [Delitiare ergo in domino, & dabit H tibi petitionem cordis tui.] Quod si adhuc plenius intueri vis quomodo quis delitietur in domino, perspice quod dominus veritas est, & sapientia est, & iustitia est, & sanctificatio est. Si ergo abundaueris in diuitiis veritatis, si abundaueris in intellectu sapientiæ, si copiosus fueris in actibus iustitiæ, tunc plene & integre delitiaris in domino. Quæ vtique cum expleueris, tunc etiam id quod consequitur adipisceris. dabit enim tibi dominus petitiones cordis tui. Necessario tamen addidit petitiones cordis tui, cum potuisset vtique dicere petitiones tuas. ita autem facilius intelligi potest. Quòd si singulorum membrorum propria quædam persona fingatur, verbi causa, si oculus haberet vocem, nunquid non diceret peto lucem, vt videam ea quæ me videre delectant? Refugio enim videre horrorem aliquem, & omne quod cōturbat & contristat aspectum. Similiter & si auditus acciperet vocem, nunquid non diceret peto sonum modulata arte compositum, sonum delectabilem, asperum verò & terribile aliquid audire refugio? Ita si gustui vox daretur, & tactui, & omnes sensus nostri sine dubio hæc peterēt, quæ suo sensui conuenirent. Ab his ergo transeamus ad cor in quo est mens, & principalis intellectus, & videamus quid desideret & quid petat cor, sicut de oculo vel de auribus cæterísque sensibus in superioribus demonstrauimus. Secundum sui naturam cor sine dubio intelligentiam poscit. Sicut oculus vi- I sum, ita cor intellectum requirit. Sicut auris suauem sonum cupit, ita cor sapientibus sensibus delectatur. Sicut gustus dulci sapore, ita cor prudentibus cogitationibus gaudet. Sicut odoratus suauitate fragrantiæ, ita cor rationabilibus studiis lætatur. Sicut tactus lenibus ac mollibus, ita cor vtilibus, & optimis consiliis delectatur. Si ergo delitieris in domino, & sapientiæ & veritatis & iustitiæ copiis atque delitiis perfruaris, dabit tibi dominus petitiones cordis tui aptas delitiis supradictis. Post hæc dicit: [Reuela domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.] Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem vti ne arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Quoniam ergo qui male agit odit lucem, & quantum in ipso occultans mala quæ agit, & timens ne arguatur velat, & contegit viam suam, & tanquam velamento quodam operit actus suos. Verbi gratia, si quis vestrum, licet non optem esse in hoc conuentu talem aliquem, tamen si quis inter vos siue catechumenus, siue etiam vnus aliquis ex pluribus fidelium conscius sibi est quod fornicatus sit, & celat delictum, nunquid non tibi videtur iste occultare, & operire viam suam quam incedit? Qui autem caste agit, & confidit de puritate vitæ suæ, non vult cooperire viam suam, sed vult eam manifestam dico non hominibus, ne forte percipiat mercedem suam ab hominibus, sed deo manifestat. Propterea ergo dicitur, [reuela ad dominum viam tuam.] Sed & si malorum K tibi conscius aliquorum fueris, noli occultare, sed per exomologesim, id est, confessionem reuela ea domino, & spera in eum, & ipse faciet. Hoc est, cum confessus fueris, & reuelaueris ei delicta tua, spera in eum quod possis ab eo veniam promereri, & ipse faciet. Quid faciet? Sine dubio sanum te faciet. Dicet tibi: Ecce iam sanus factus es, vltra noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Hæc faciet, si delicta tua ei reuelaueris. Si verò pura est via tua, & munda consciētia, & hæc ei reuelaueris, spera in eū. Quid faciat, ex consequentibus disce: [Producet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem.] Tuam iustitiam, quam tu egisti in occulto, & reuelasti eam soli deo, hanc producet sicut lumen deus, & ostendet te iustum illuminatum sole iustitiæ, cœlo & terræ, & omnibus qui in cœlo sunt ostendet lumen iustitiæ tuæ, & (si ita dici oportet) iactabit se de te tanquam de filio, tanquam qui acceperis spiritum adoptionis. Producet ergo iustitiam tuam sicut lumen, quia qui secundum mandatum domini iustus est, iustitiam suam ita facit, sicut ipse mandauit dicens: Vos autem cum facitis iustitiam vestram, nesciat sinistra quid faciat dextera tua. Hæc ergo iustitia quæ ita fit, vt non hominibus appareat, nec vt humanam gloriam captet, sed fit in occulto, vt pater qui videt in occulto reddat palàm in tempore suo, producitur à L deo sicut lux, & iudicium tuum sicut meridies. Omnia enim iusti iudicia quæcunque iudicauit, non solum sicut lux erūt, sed sicut meridianum lumen, quod vtique clarissimum & splendidissimū est. Plenitudo enim lucis, in meridiano tempore designatur. Si ergo fueris iustus & bonus, producet deus sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem. Vel certe in iudicio cum causa tua discutitur, iustitiā causæ tuæ tanquam lucem deus faciet manifestam & iudiciū quod & diiudicat, velut meridiem faciet manifestum. Quæ scientes ita futura, deprecemur misericordiam dei, vt concedat nobis tales fieri, qui digni habeamur, quorum deus ipse lucem iustitiæ producat in medium, & iudicium nostrum sicut meridiem clarum & lucidum, habens lucem veram in se, ipsum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Psal. 36.

Et hoc de suo addidit interpres.

Luc. 16.

Ioan. 5.

Mat. 5.

Homilia Secunda de eodem Psalmo, ab illa parte: Subditus esto domino, & ora eum.

PRAECIPIENTE mandato, & dicēte, [Subditus esto domino,] necessarium videtur perscrutari quid sit subditum esse domino, & quid sit nō esse M subditum. Sicut enim non omnis qui dicit domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est: ita non omnis qui dicit se subiectum esse domino, subiectus est ei, sed qui re ipsa subiectus est ei. Quia vere subiectum esse domino, non sermo professionis, sed opus subiectionis ostendit. Plenius autem intelligitur quod dicimus hoc modo. Dominus noster Iesus Christus iustitia est. Nemo ergo iniuste agens subiectus est Christo, qui est iustitia. Christus veritas est. Nemo mendax Christo subiectus est qui est veritas, siue cum in rebus, siue cum in doctrina mendacium loquitur. Dominus Iesus Christus sanctificatio est. Nemo est subiectus sanctificationi, cum pollutus sit & impurus. Dominus Iesus Christus pax est. Nemo litigiosus & turbulentus Christo subiectus est, qui est pax, sed ille subiectus est ei qui dicit: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Vnde & in alio psalmo ad animam suam dicit propheta. Veruntamen deo subdita esto anima mea, quia ab ipso est patientia mea. Sed & Apostolus magna quidem & mystica de subiectione significat dicens: Cum autem subiecta ei fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui sibi subdidit omnia. Audi ergo quid dicit, quia omnia necesse est Christo esse subiecta, & tunc ipsum esse subiectum, subiectione videlicet illa quam de spiritu intelligi dignum est. Interim necesse est omnia Christo esse subiecta, vt tunc demum etiam ipse impletis omnibus &

Psal. 61.

1. Cor. 15.

A & perfectis per subiectionem, tanquam victoriæ suæ hanc referens palmam patri dicatur futurus esse subiectus. Quod nisi mystice intelligatur, impium aliquid sine dubio non aduertentibus indicare creditur. Non enim putãdum est, quod filius dei nunc quidem patri nequaquam subiectus sit, in nouissimis verò temporibus cum sibi fuerint cuncta subiecta, tunc erit & ipse subiectus: sed quia omnia nostra in se recipit; & se esse dicit qui in nobis esuriat, seque qui in nobis sitiat, & nudus sitatque æger, quique hospes & qui retrusus in carcerem, & quicquid vni ex minimis suis factum fuerit, sibi factũ esse testatur: consequenter & merito cum vnusquisque nostrum plene & perfecte subditur deo, ita vt in nullo prorsus inobediens pareat, se esse subditum protestatur. Sed & alio modo planius intelligitur quod dicimus. Si aliquod membrum corporis doleamus, quamuis anima nostra incolumis sit, & reliqua omnia membra nostra sana sint, tamen quia dolore vnius membri totus homo affligitur, non dicimus quia sani sumus, sed quia male habemus. Verbi causa, dicimus ille non est sanus. quare? quia pedes dolet, aut renes, aut stomachum. Et nemo dicit quia sanus est si stomachum dolet, sed non est sanus quia stomachum dolet. Si intellexistis exemplum, redeamus nunc ad id quod propositum est. Apostolus dicit quia corpus Christi sumus, & membra ex parte. Christus ergo cuius omne hominũ genus, imò fortassis totius creaturæ vniuersitas corpus est, & vnusquisque nostrum mẽbra ex parte est, si aliquis ex nobis qui membra eius dicimur ægrotat, & aliquo peccati morbo laborat, id est, si alicuius peccati macula inuritur, & non subiectus deo, rectè ille nondum dicitur esse subiectus, cuius sint membra illi qui nõ sunt subiecti deo. Cum autem omnes eos qui corpus suum dicuntur ac membra, sanos habuerit, vt in nullo inobediẽtię laborauerint morbo, sanis omnibus membris, deóque subiectis, merito se dicit esse subiectum illi, cuius nos membra deo in omnibus obedimus. Quod si teipsum perscrutari vis, & videre si iam subiectus es deo, an adhuc inobediens permanes, hoc modo teipsum discute. Si nihil est contrarium deo in te, subiectus es ei. Cõtrarium autem dicimus hoc modo. Deus charitas est: si odium in te non est, non habes quod contrarium deo est. Deus veritas est: vide ne sit in te mendacium, quod est contrarium veritatis. Si enim est in te mendacium, non deo subiectus es, sed ei qui est mẽdacij pater. Et si iniustitia in te est, patri iniustitiæ subiectus es magis quã deo, qui iustitia est. Si & reliqua in te deprehenderis vitia, scito te tamdiu non deo, sed diabolo esse subiectũ. Certum est nanque quia fornicationis tempore spiritui fornicationis sumus subiecti, aduersantes spiritui castitatis. Et tempore iracũdiæ, vel furoris, spiritui iræ obedimus, spiritui mansuetudinis resistentes. Propterea ergo C videntes quia omnis vita nostra agonem quendam obedientiæ gerit, siue Christo, siue his qui contrarij sunt Christo, conemur per orationis, per eruditionis religiosam institutionẽ hoc agere, ne vnquã diabolo vel malitiæ eius obedire inueniamur, sed omnis actus noster, & omnis sermo atque omnis cogitatio inueniãtur in subiectione Christi. Quod si forte dicis, quid prodest si nũc subiect⁹ sim, cũ iã ante peccauerim & pręuẽtus sim in delictis? sine dubio cũ deliquimus, subiecti non fuimus deo, sed cum desiuimus à delictis, tunc initium subiectionis accepimus. Cum ergo timori dei subiecti peccare cessamus, tunc etiam fiduciam accipimus poscendi pro delictis prioribus veniam. Donec autem permanemus in delictis, frustra veniam poscimus delictorum. Vnde & memini me frequenter dixisse ad vos, quia veniam delictorũ tunc digne poscimus, cum longe positi à peccato, illã vocem possumus dicere, Ne memineris iniquitates nostras antiquas. Non dixit eas quas facimus, sed eas quas aliquãdo fecimus. Subditus ergo esto domino, & subiectus noli peccare. Tunc obsecra eum pro delictis præteritis, & antiquis. [Ne æmulatus fueris eum qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniquitatem.] Describit ea quæ accidunt hominibus. Frequẽter enim si videamus iniquũ in prosperis successibus, & in ea quam ducunt felicitate vitę positum, scãdalizamur, & periculũ fidei incurrimus, atque in corde nostro aduersum diuinam prouidentiã conquerimur, dicentes: Quid prodest iuste agere? Ecce iusti tribulantur, hic iniustus feliciter agit. Iniustus est, & ad summas diuitias peruenit, honorũ ac potestatum excelsum culmẽ ascendit, fortassis melius est iniustum esse quàm iustum. Hæc infirmæ & fragiles animæ etiam si non ore proferunt, in corde suo tamen loquuntur, cũ viderint iniquos prosperis successibus agere in via sua. Et ideo nobis mandati huius medela succurrit, ne cum hæc viderimus, æmulemur, id est ne irritemus dominum aduersum nos loquendo talia in cordibus nostris: sed recogitare debemus, quia præsens seculũ eorum est, qui futuræ beatitudinis non habent spem. Et ideo patienter feramus illos his successibus prosperis agere, percipere bona sua in vita sua, donec veniat & nostrum, ad quod inuitati sumus, & cuius nobis repromissa sunt bona, ad quod respicimus, in quod speramus, cuius bona non sicut in hoc seculo tanquã vmbra prætereunt, sed permanent in æternum. Impossibile autem est, & in præsenti seculo bona consequi, & in futuro. Necesse est enim dici vni, quia consecutus es tu bona in vita tua: & alij, quia consecutus es mala: & alter pro malis bona, & alter pro bonis mala recipiat, sicut exẽplo sunt ille diues, & Lazarus. Ideo ergo [noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniquitatem.] Post hæc commonet vitium quo omnes pene turbamur, & nescio sicubi rarus quis ita perfectus inueniatur, qui careat hoc morbo. [Desine, inquit, ab ira, & derelinque indignationem.] Multa sunt vitia, quæ à multis facile vitãtur. Verbi causa impudicitiæ malum. Si quis operam enixius continentiæ dederit, impudicitiã abiecit. Aliquanti etiam auaritiam subiugarunt, ita vt cum in cęteris non sint perfecti, videantur tamen vitare hoc malum, sed & alia nonnulla. Iracundiæ autem durum, & acutum vitium inflammat, & exagitat etiam eos, qui videntur esse sapientes. Vnde & Salomon in Prouerbiis dicit: Ira perdit etiam prudentes. Idem, noli, inquit, mirari, si insipientem, si malum, si infidelem iracundia inflammat, quia frequenter etiam bonos & prudentes viros ira exagitat. Est ergo hoc peccatum etiam vnum ex illis quod ad ædificium deferet ligna, fœnum & stipulam, & necesse est huiusmodi materias (sicut scriptum est) per ignem probari, ita vt permaneamus tandiu in igne, donec de nobis ligna iracundiæ consumantur, & fœnum indignationis, & stipula verborum, eorũ videlicet quæ huiusmodi vitiis exagitati protulimus. Idcirco ergo [desine ab ira, & relinque indignationem:] id est non satisfacias animis tuis, cum commotus fueris ad iracundiam, sed desine, derelinque, contẽne. Nos verò cum hæc mandata suscipiamus, & econtrario cum cõmoti fuerimus, non ab iracundia, sed à mansuetudine desinimus, non indignationem relinquimus, sed lenitatẽ. Verũ ex hoc saltẽ incipiamus emendare nosmetipsos, & paulatim per continentiã & assiduam meditationẽ lenientes iracundiam, veniamus etiam in hoc vt vltra non irascamur: atque indignationis quæ per furorẽ concitatur impetum retundentes assidue, perueniamus vsque in illud ne vltra indignationis cõmotione turbemur. [Noli æmulari vt nequiter facias.] Noli, inquit, in æmulationem nequitiæ cæteros prouocando, etiam ipse nequã fieri: quia æmulatio mali vincere semper in malitia alium studet: quia [qui nequiter agũt exterminabuntur: qui autem expectant dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram.] Apparet quia nequitia alia quidẽ species mali est, præter cætera peccata. Vnde & hic sermo diuinus alium describit peccatorem, & alium nequam, sicut & ibi simili vtitur distinctione cum dicit: Contere brachium peccatoris & maligni, id est nequam. Sed & dominus in Euãgelio diabolum non dixit peccatorem tãtummodo, sed malignum, vel malum, & cum docet in oratione, vel dicit: Sed libera nos à malo. & alibi: Malus homo fecit, siue malignus. Definiunt quidam πονηρίαν, id est nequitiam spõtaneam vel voluntariam esse malitiam. Aliud est enim per ignorantiam mala agere, & vinci à malo: aliud est voluntate & studio mala facere, & hoc est nequitia. Vnde & merito diabolus hoc nomine πονηρὸς, id est malignus, vel nequam, appellatur. Sed & nobis exprobrans Saluator dicebat: Si ergo & vos cum sitis mali scitis bona data dare filiis vestris. Et nũc ergo ait: [Quoniam qui nequiter agunt exterminabuntur, qui autẽ expectãt dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram.] Est & alia quędam terra, illa de qua scriptura dicit, fluens lac & mel, quam Saluator in Euangeliis repromittit mansuetis, dicens: Beati

Marginalia: Matth.25 — Eph.5 — B — Christus caput omnis creaturæ. — C — Psal.37 — D — In vtroque sæculo bona consequi impoßibile — Luc.16 — E — 1.Cor.3. — F — Diabolus non peccator sed malus. — Matth. 6 — Luc.11 — Exod.13 — Mat.5

G mansueti, quoniam ipsi possidebunt terram. Hęc nostra quam habitamus proprio vocabulo arida appellatur, sicut & cœlũ istud quod intuemur proprie firmamẽtum dicitur. Ex appellatione vero alterius cœli etiam istud firmamentum cœli nomen accepit, sicut edocet scriptura Geneseos. Quid ergo est? In præsenti quidẽ vita vtimur cœlo & terra visibilibus istis, in quibus veri cœli & veræ terræ præter nomina nihil aliud inuenimus: sed idcirco hic ita arbitror appellata, vt cum hæc ita nominantur, illa quę vera & magna sunt, ad desiderium & memoriã cognominantium veniant. Qui sunt autem qui hæreditate possidebũt terrã? [Qui expectant, inquit, dominum.] Expectamus dominũ. quia ipse est expectatio nostra & patiẽtia, sicut scriptum est: Et nunc quæ est expectatio mea? nonne dominus? Sicut ergo Saluator sapiẽtia est & pax & iustitia, ita est & expectatio, vel patientia. Et sicut participatione iustitiæ eius iusti efficimur, & participatione sapiẽtiæ eius sapientes, ita & participatione patientiæ eius patiẽtes efficimur. Est ergo velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus & patientiam, & iustitiam, & sapientiam & omnia quæcunque sunt virtutum bona: si tamen bona, digna & pura vascula nostra deferamus ad fontem. Ait ergo:] Qui autem expectãt dominum, ipsi hæreditabunt.] Post hæc autem sermonem quendam addidit mysticum, qui super auditum meum sit, & supra linguam meam, qui excedat sensum meum. Ait enim, siue de omnibus peccatoribus, siue de vno aliquo peccatore, singulariter enim dicit: [Pusillum adhuc, & non erit peccator.] Pusillum adhuc profecto à præsenti tempore vsque ad consummationem seculi esse dicit, aut fortasse etiam vltra consum-

Genes. 1.

Psal. 38.

Participatione iusti & sapientes, & patientes.

Psal. 37.

H mationẽ seculi, & donec ille ignis vindex consumat aduersarios. Si autem fiat hoc aliquo modo non erit peccator, & qua ratione fieri possit vt peccator nõ sit, discutiat & requirat qui potest. [Veruntamen pusillum adhuc, & non erit peccator, & quæres locũ eius & nõ inuenies.] Non solum autem peccator non erit, sed nec locus peccatoris erit. Quis est autẽ locus peccatoris, nisi ista quæ prætereũt? Cœlũ, inquit, & terra præteribũt. Sine dubio ergo cum ipso peccato quod præterit, etiam locus præteriet peccatoris. Cœlum, inquit, & terra præteribũt, verba aũt mea nõ pręteribũt. Studeamus ergo nos facere verba dei quę nõ prætereũt, ne forte & nos cũ istis quę prætereũt intereamus. Si enim peccatum facimus, quod præterit, sine dubio & nos cũ his quæ prætereũt deputabimur. Si autem facimus iustitiam quæ nõ præterit, neque ipsi præteribimus, sed permanebimus cum permanente iustitia, secundũ illud quod scriptũ est: Nunquid non valet manus mea saluos facere? aut grauaui aurem meã ne exaudiã? Sed peccata vestra separant inter vos, & deum. Sed & ab initio creaturæ non sine aliqua mystica ratione firmamentum factum esse dicitur quod separaret inter aquas & aquas, & diuideret habitaculũ mortaliũ à sedibus & habitaculis angelorũ. Ex eo ergo locus nobis peccatoribus arida hæc, quã etiã terrã cognominauit dñs, deputata est. Sed & alia quędã loca nominantur aquæ, quibus superferri spũs dñi dicitur. Et alia quædã loca a-

Matth. 24.

Esa. 56.

Genes. 1.

I byssus nominãtur, quib⁹ tenebræ superpositæ referũtur. Et de aquis quidem dicitur in alia scriptura, quia viderunt te aquæ deus, viderũt te aquæ, & timuerũt. De abysso autẽ dicit, quia cõturbata est abyssus: sine dubio quia non habet pacẽ, sed habet tenebras superpositas. Sed & dæmones in euangelio rogare dicuntur ne iubeãtur abire in abyssum, velut in locũ quẽdam pœnæ, & se & suis actibus dignũ. Non solũ ergo peccator non erit, sed etiam locus eius, quisquis ille est, quęretur, & non erit. Mansueti autem hæreditabũt terram.] Aduersum Valentinianos & cæteros hereticos, qui putant Saluatorem meũ dicere in euangelio, quæ in antiquis literis nõ sunt, prærẽdus est iste versiculus, sicut & nos didicimus à quodã presbytero proferre hæc ad conuincendos eos. Quod enim dictum est in Euangelio. Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt terram, vide quomodo ante iam dictum est à spiritu sancto per Dauid: imò ipse Christus qui nunc in Euangeliis dicit: Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Addit sanè propheta etiam amplius aliquid quàm in euangelio legimus dicens: [Et delectabuntur in multitudine pacis.] Etiã hic sermone ipso vtitur Græcus, de quo & superius diximus. κατατρυφήσουσι, id est, deliciabũtur magis quàm delectabuntur. Igitur deliciabuntur, siue delectabuntur mansueti in multitudine pacis. Si qui sunt carnales homines, delectantur in cibis qui destruentur cũ ventre suo, sicut & apostolus dicit: Escæ ventri, & venter escis, deus autẽ hunc & illas destruet. Sancti autem istas quoq; delicias contemnunt & despiciunt: habent autem delicias in multitudine pacis. Multitudo autem pacis esse dicitur in diebus Christi. Ita enim scriptum est: Et multitudo pacis erit in diebus eius, vsquequo auferatur luna. Quicunque ergo desinit ab ira, & reliquit indignationem, & neq; animus in iram irritatur, neq; sermone vtitur iracundo, non solum forinsecus, verum & intrinsecus totus in pace est, & neque prouocanti se ad iracundiam cedit, neque ipse alterum ad iracundiam prouocat, sed in semetipso pacem habet, & in aliis, si qui forte dissident, seruat diligere mansuetudinem, quæ pacis custos est fidelissima, quæ cuncta moderatur, iste deliciatur, vel delectatur in multitudine pacis. [Obseruabit peccator iustum, & fremet super eum dentibus suis.] Sicut enim naturaliter contraria sunt lux & tenebræ, ita contrarij sunt sibi peccator & iustus. Et si videris aliquando odio haberi iustum, non dubites dicere de eo qui odit iustum, quia peccator est. Si videris persecutionem pati eum qui bene viuit, non dubites dicere de eo qui persequitur, quia non solum peccator est, sed nequam. Obseruabit ergo peccator iustũ, & obseruans eum fremet super eum dentibus suis. Quod dicit fremet dentibus, nescio si de carnalibus dentibus accipiẽdum sit, licet possibile sit etiã hoc fieri à peccatore aduersus iustũ. Cum comminatur ei, cum furit aduersus eum, cum silet voce, & clamat furore, cum iusto molitur insidias, & omne malum excogitat aduersum eum, tunc etiam corporaliter adimpletur quod dicitur. [Fremet super eum dentibus suis.] Sed cum hęc facit peccator aduersus iustum, [dominus, inquit, irridebit eũ, quoniã prospicit quod veniat dies eius.] Quem diẽ prospicit dominus peccatoris? Illum sine dubio, cũ quærit peccator, & non erit. [Gladium euaginauerũt peccatores, tetenderunt arcũ suum, vt deiiciãt inopem & pauperẽ.] Non quod omni genere peccatores gladiũ habeant corporalem, sed videamus ne forte sicut sunt quædam arma dei, in quibus esse dicitur lorica iustitiæ, & gladius spiritus, & scutũ fidei, ita etiam sint arma diaboli, quibus indutus est homo peccator. A contrariis igitur intelligamus cõtraria, & statuamus duos milites armatos, vnum militẽ dei, alterum militẽ diaboli. Et si quidẽ miles dei habet loricam iustitiæ, sine dubio miles diaboli contrariã huic gerit iniustitię loricam. Et si miles dei in galea salutis coruscat, è contrario peccator qui est miles diaboli, galea perditionis indutus est. Et si parati sunt pedes militis Christi ad Euangelii cursum & prædicationem, è contrario peccatoris pedes velociter currũt ad effundendũ sanguinẽ: & calceamenta eius, hoc est præparatio, concinnatur ad malũ. Habet ergo miles dei scutum quoddam fidei, habet & miles diaboli infidelitatis scutum. Ita ergo est gladius quidã spiritus sancti in his qui militant deo: est autem & gladius maligni in his qui militant peccato, quem gladium euaginare nunc dicuntur peccatores. Quomodo autẽ putãdi sunt peccatores euaginare gladium? Dum iam impudenter, & absque vllo verecundiæ velamento iniquitates suas perpetrant, nec erubescũt, ac reuerẽtur, nec tanquam in vagina nequitiam suam recondunt, & contegunt, sed superbo & elato spiritu velut gladiũ quendam denudant. Similiter etiam illud quod sequitur peragunt, id est intenderunt arcum suũ. Sed & iusti habent arcũ, habent & sagittas. Deniq; & vna sagitta ipsorum est dominus Iesus, ipse enim ait. Et posuit me sicut sagittã electam. Habẽt ergo iusti sagittas, habẽt & peccatores. Sermo sagitta est: & iusti quidem sermo cum arguit, & corrigit peccatorem, velut sagitta compungit & transforat cor eius, vt conuertatur ad pœnitentiam, & saluetur. Sermo autẽ peccatoris est habens venenum & sagittans ac vulnerans eũ, qui non est armis dei munitus. Tunc enim verba iniquorum præualent aduersum nos, cum minus caute scuto fidei communimur. [Tetenderunt ergo arcum suum, vt deiiciant inopem & pauperem.] Sciunt peccatores, quia non possunt deiicere diuitem, propterea neque insidias ei tendunt, sed omnes eorum insidiæ aduersum pauperem dirigũtur, sicut & alibi dicitur, quia insidiatur sicut leo in cubili suo, insidiatur vt rapiat

Psal. 77.

Valentiniani.

Matth. 6.

K

L

Duo milites, dei & diaboli

M

Esa. 49.

A vt rapiat pauperem. Et quia redemptio viri diuitiæ eius sunt, pauper autem sufferre non valet minas, ideo diuites efficiamur in spiritalibus bonis, id est in omni verbo, & in omni scientia, in operibus bonis, abiicientes diuitias peccati, prospicientes non ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur. Quæ enim videntur diuitiæ temporales sunt, quæ autem non videntur æternæ sunt. Et si in talibus diuitiis ditescimus, vulnerari sagittis non possumus peccatorum. Restinguentur enim scuto fidei, per Christum dominum & Saluatorem nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia Tertia de eodem Psalmo, ab illa parte, Gladium euaginauerunt peccatores.

SVPERIORE tractatu dicebamus quædam de gladio & arcu peccatorum, & armis dei, & quia omnes homines armati sunt: & quod diximus omnes homines, nunc adiiciam quod defuit superioribus, id est, hi omnes qui peccare iam possunt, vel abstinere à peccatis. Infantes enim neque dei arma tractare possunt, neque arma diaboli. Si qui autem in verbo & actu & cogitatione possunt iam scire quod rectum est, & vitare quod contrarium est, ipsi sunt qui dicuntur omnes habere arma, & si quidem peccant, diaboli arma habent & iniquitatis: si verò recte agunt, armis dei dicentur induti. Quod ergo dixit. [Gladium euaginauerunt peccatores, tetenderunt arcũ suum,] explanantes dicebamus secundum Apostolum qui dixit à cõtrariis, Et gladium spiritus quod est verbum dei. quia peccatorum gladius esset spiritus qui in ipsis est nequam, qui eos inspirat ad verba blasphemiæ & iniquitatis & turpitudinis. Verbi causa, si videas gentiles aduersum se in disputationibus dimicãtes, & diuersas contra se inuicem impietates dialecticæ artis versutiis astruentes, potes tunc dicere competenter, quia gladium euaginauerunt peccatores. Sed & ego qui dicor fidelis, si forte certamen mihi sit cum aliquo, & ad iracundiam prouocatus, abiecta mansuetudine proferam verba furiosa, & spiritum mendaciis, & tumidis venenatisque sermonibus retegam, merito etiam ego tanquam peccator euaginasse gladium dicor. Bonum igitur primum est ne habere quidem gladiũ peccati: secundum verò est saltem non eum euaginare, sed recondere in vagina sua. Si enim non proferatur gladius de vagina, neque exerceatur, acies eius obtunditur & erugine consumitur, & si semper cesset ab opere exterminabitur. Hoc enim dominus etiam pollicetur, vt exterminet romphæam, id est peccatum, ita vt vltra iam non sit peccator. Sed si quidem verbi dei præuenimus hoc opus, & in hac vita positi faciamus in nobis interire peccatum, vt nunquam omnino à nobis, neque per cogitationem, neque per C opus, neque per verbum peccati gladius proferatur, non indigebimus pœnæ ignis æterni, non tenebris exterioribus cõdemnabimur, neque illis suppliciis quæ peccatoribus imminent subiacebimus. Si verò in hac vita contemnimus commonentis nos diuinæ scripturæ verba, & curari vel emendari eius correptionibus nolum⁹, certum est quia manet nos ignis ille qui præparatus est peccatoribus, & veniemus ad illum ignem in quo vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Et (vt ego arbitror) omnes nos venire necesse est ad illum ignem. Etiam si Paulus sit aliquis vel Petrus, venit tamẽ ad illum ignem. Sed illi tales audiunt: Etiam si per ignem transeas, flamma non aduret te. Si verò aliquis similis mei peccator sit, veniet quidem ad ignem illum sicut Petrus & Paulus, sed non sic transiet sicut Petrus & Paulus. Et quemadmodum ad rubrum mare venerunt Hebræi, venerunt & Ægyptii, sed Hebræi quidem transierunt mare rubrum, Ægyptii autem demersi sunt in ipso: hoc modo etiam nos si quidem Ægyptii sumus, & sequimur Pharaonem diabolum, præceptis eius obedientes, demergemur in illum fluuium siue lacum igneum, cum inuenta fuerint in nobis peccata, quę sine dubio ex præceptis elegimus Pharaonis. Si autem sumus Hebræi, & sanguine agni immaculati sumus redempti, si nõ portamus nobiscum fermentum nequitiæ, ingredimur quidem & nos fluuium ignis. sed sicut Hebræis erat aqua murus dextra læuáque, ita etiam ignis erit murus si nos faciamus quod de illis dictum est, quia crediderunt deo & Moysi famulo eius, id est, legi eius & mandatis, & sic sequamur columnam ignis, & columnam nubis. Hæc monuimus repetentes explanationem, quomodo gladium euaginauerunt peccatores. Sed ne illud quidem otiose transeundum est, quod etiam tetendisse dicuntur arcum suum: quod non iam appositione contrarii sicut in cæteris fecimus, sed ex similibus absoluimus. In decimo psalmo scriptum est quia peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Vnde apparet, quod cor impii repletum est velut pharetra sagittis venenatis. Sunt ergo sagittæ impiorum, consilia & cogitationes pessimæ: os verò ac labia eorum arcus quidam est, quo dilatato atque distento venenati cordis spicula iactantur. Quod autẽ ait in obscuro, competenter dictum est. Non enim isti tales in die, id est in luce Dei incedunt, sed in tenebris ambulant, & in obscuritate malitię atque ignorantiæ delitescunt. Quod autem sagittant rectos corde, id est simplices & ignorantes malitias suas. Sed puto quod hic sermo non tam de hominibus peccatoribus, quàm de contrariis potestatibus dicatur. Illæ sunt enim, quæ in obscuro sagittant rectos corde. Propterea ergo die noctúque vigilent hi qui recto sunt corde, quia illi quidem parauerunt sagittas. Non dixit iaculati sunt, sed parauerunt sagittas: non sagittarunt neque vulnerauerũt, sed parant se vt sagittent. Vides nos antequam vulneremur commoneri, vt nos ab illorum vulneribus defendamus, & omni custodia seruemus cor nostrum. Volo etiam amplius aliquid in his locis positus aperire, ne semper de inferioribus loquar ad vos, sed aliquando quædam etiam superiora pulsemus. Considero ergo, quia sicut saluator sagitta est dei, sicut scriptum est: Posuit me sicut sagittam electam: sine dubio autem simili exemplo etiam Moyses in quo locutus est deus, sagitta dei est: & cæteri prophetæ & apostoli Christi, in quibus Christus ipse loquebatur, certum est quia per sagittam dei vulnerabãt eos & compungebant cor eorum, quibus sermonem dei loquebantur, ita vt hi qui ab ipsis audiebãt sermonem dei dicerẽt, quia vulnerata charitate ego sum: sic rursus econtrario quomodo Christus est electa sagitta dei, sic & Antichristus sagitta diaboli. Et sicut omnes in quibus Christus loquutus est, vel loquitur, secundum hanc similitudinem prophetæ & apostoli etiã ipsi sagittæ erant dei, & quicunque iustus & prędicator loquitur verbum dei ad salutem hominũ consummandam, sagitta dei dici potest: ita & omnes peccatores in quibus diabolus loquitur sagittæ diaboli dici possũt. Si quãdo ergo te videris per os peccatoris sagittis diaboli vulnerari, illius quidem miserere qui se ad hoc opus exhibet diabolo ministrum: tu autẽ memor esto tui, & arripe scutum fidei, vt possis in ipso omnia tela ignita maligni extinguere. Nõ solum autẽ in verbis, sed in factis diriguntur in nos tela diaboli. Si enim videres mulierem insidiantẽ tibi, vt te decipiat, nõne & hæc ignitũ telũ diaboli est, cũ tibi ita loquitur, vt in te ignẽ libidinis concitet? Similiter & si quis te verbis amaris & asperis ad iracundiam concitet, nonne & hic ignitum iaculum est maligni, quo inflammaris & incenderis ad furorem? Sed & si quis in aliud quoque te prouocat & instigat, quod tu impatienter ferens in peccatum decidas, intellige diligentius, & aduerte hos omnes iacula esse maligni ignita, quibus rectos corde inflammet, & vulneret ad peccatum. Sed quod est infelicius, paucas video sagittas dei, pauci sunt qui ita loquũtur, vt inflãment cor auditoris, & abstrahãt eum à peccato, & conuertatur ad pœnitentiã. Pauci ita loquuntur qui auditoris corde percusso eliciãt ex oculo lachrymã pœnitẽtię, qui aperientes futurę spei lumen & magnitudinem futuri seculi, ac regni dei gloriam protestantes suadere possint hominibus, quæ videntur contemnere, & expetere quæ non vidẽtur, spernere quæ temporalia sunt, & quæ æterna sunt quęrere. Perpauci sunt tales & ipsi si qui sunt pauci, per inuidiam & liuorem ita agitur ne omnino vel pauci sint, ne vel prodesse aliquibus possint. Sagittæ autem diaboli omnibus in locis abundant, omnis terra ipsis repleta est. Populi orbis militaris manus maxima ex parte sagittæ sunt maligni, vtinam ibi

Marginalia: *Infantes neque peccare possunt, neque abstinere à peccatis.* B — *Eph. 6* — 1. Cor. 3 — *Ignis purgatorij.* — *Esa. 43* — *Exod. 14* — D — E — *Esa. 49* — *Antichristus sagitta diaboli.* — F

G tantummodo, atque in illis præualeret inimicus, vt illos solos haberet sagittas. Nunc autem vereor etiam eos qui intus sunt, & meipsum vereor, ne forte diabolus adducat me in aliquod scandalum, & vtatur me sagitta aduersus animam hominis: quia qui scandalizauerit aliquem siue in verbo, siue in facto, iste illi animæ quam scandalizauit sagitta extitit & iaculum diaboli. Et vide quid accidit nobis infelicius. Interdum nos putamus dicere aduersus aliquem, & incaute proferimus sermones, dum contentiosius agimus, & quibuslibet verbis vincere studemus, tunc diabolus ore nostro vtitur velut arcu, per quem sagittas dirigat & sagittet rectos corde, eos videlicet qui nos audiunt ea loquentes, in quibus scandalum patiuntur. Et sicut deus posuit arcum in nubibus ne fiat diluuium, & vt tempestas desinat: ita econtrario diabolus ponit arcum non vt cessare faciat, sed vt suscitet tempestates, vt serenitatem conturbet in anima, vt pacem depellat, vt bella cõmoueat, & vt turbines excitet ac procellas. Cum enim videris aliquem vitiis & passionibus agitatum circumire, & perturbare omnia, nolo dubites quod ille sagitta diaboli est, & os eius posuit arcum suum, & tetendit sagittas verba eius vt sagittent rectos corde. Sed qui muniti sunt armis dei, ab his talibus non potuerunt vulnerari. Quod autẽ addidit [vt trucident rectos corde,] cum superius dixisset, [vt deiiciãt inopẽ & pauperẽ] iunxit pauperibus rectos corde. Quos puto quia similiter etiam dominus coniungat in Euangeliis, vbi enim dicit beatos pauperes, ibi etiam beatificat mundos corde, & nihil interesse arbitror inter mundos corde & rectos corde. Trucidantur autem hoc modo. Si quis simplici mente, ac desiderio veniat ad ecclesiam vt proficiat, vt melior se fiat, iste si videat nos qui multo iam tempore in fide stetimus, vel non

Genes. 9.

Matth. 5.

H recte agentes, vel cum offendiculo loquentes, efficimur illi nos lapsus ad peccatum. Cum autem peccauerit, trucidatus est, & sanguis animæ eius profluit, omnis ab eo virtus vitalis abscedit. Et si audis dici in Genesi quia sanguinem animarum vestrarum exquiram ab omni fratre & ab omni bestia, nõ putes quia de hoc sanguine magnopere præcipiat corporali, quantum de interioris hominis sanguine, id est de vita animæ & sanguine spirituali. Scãdalizati enim animæ sanguis effunditur, cum ceciderit in peccatum, & propterea dixit, quia requiritur sanguis eius à fratre. Et quare etiã à bestia. Si fidelis est qui te scandalizauit, frater est, à quo requirendus est sanguis tuus. Frater enim tuus est, qui fudit sanguinem tuum, & ideo dictum est, de manu fratris requiram sanguinem. Cum verò contraria potestas fera & nequam perurget hominẽ, & infidelis est per quem insidiatur, si potuerit fundere sanguinem animæ tuæ, id est, deiicere te in peccatum, bestia est per quam exquirit dominus sanguinem tuum. Sed & Ezechiel propheta cum dicit speculatorem se positum domui Israel, qui si annunciauerit romphæam venientem reus non fiat sanguinis, si non nunciauerit reus sit sanguinis: & in lege cũ dicitur, si hæc & hæc fecerit innocens erit à sanguine: sine dubio

Sanguis spiritualis

Ezech. 3.

I etiam hic animæ sanguinem designat, qui effunditur per peccatum, propterea ergo timeamus omnes, ne forte sanguis alicuius qui scandalizatur, requiratur à nobis, sicut propheta designat. Hæc oportuit nos repetere, vt plenius ostenderemus quomodo gladium euaginauerunt peccatores & tenderunt arcum suum, & quis esset pauper quem deiicerent, & quomodo trucidantur recti corde, vel quis est sanguis eorum qui effunditur. Nunc autem videamus quid sit istis peccatoribus qui hæc faciunt, id est, qui gladio diaboli vtuntur, & iaculis maligni, quid de his rursum dicit sermo diuinus: [Framea, inquit, eorum intret in cor eorum, & arcus eorum conteratur.] Framea genus teli est, hoc nomine nuncupatum. Sermones igitur isti, quos inspirante diabolo iniqui & peccatores proferunt, inquit, aduersus iustum, vt trucident rectos corde, conuertentur aduersum ipsos qui eos proferunt, vt illuc redeant vnde processerant. Sicut enim dicitur ad iustos & sanctos Apostolos à domino: In quãcunque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui: & si fuerit ibi filius pacis, pax vestra veniet super eum: sin minus, pax vestra ad vos reuertetur: sic & hic econtrario gladius impiorum qui euaginatur, vt trucidet rectos corde, reuerti in ipsos

Mat. 10.

dicitur, & demergi in cor eorum, atque arcus eorum confringi, dum dominus de insidiis eorum liberat iustum.] Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.] Secundum literam continuo etiã simplicioribus quibusq; vtilis ammonitio est, de qua & prius dicendũ est, quamuis habeat etiam profundius aliquid; quod si quis capere potuerit, capiat. Quid ergo nos doceat litera, videamus. In hoc mundo communem vitæ sollicitudinem gerunt & iusti & iniusti, vt habeant quæ ad victum necessaria sunt. Sed iusti quidem non tam propensi sunt erga sollicitudinẽ victus, quã enixe gerũt iustitiæ curam, ita vt etiam si eis quærenda sunt quę ad victum necessaria sunt, absque iniustitia quæratur vt ipse quęstus eorum qui quotidiano vsui necessarius est; cum omni iustitia fiat. Iniusti verò nihil curant de iustitia, sed omnem curam in hoc impendunt quomodo acquirant: in hoc eorum omne studium est, quomodocunque & qualiacunque lucra captare: non quærunt si bene acquirant, si cum iustitia: non sunt solliciti vt iudicio Christi inueniantur possessiones eorum cũ iustitia quæsitæ. Quomodo possunt hæc facere, qui agrum ad agrum coniungunt, & villam villæ appropiant, vt aliquid proximo auferant? Cum ergo vnum è duobus fieri necesse sit, id est aut multa acquirere cum iniustitia, aut modicum cum iustitia, [melius est, inquit, modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.] Et vere quasi speciali quodam titulo, multę diuitiæ in iniquitate censentur. Vnde & ego arbitror dominum & Saluatorem nostrum, quasi vere deum & dominum, mammonam iniquitatis pronunciasse cum dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona. Hæc secundum literam. Videamus nunc si quid etiam secreti contineat sermo. Sunt multa & diuersa studia literarum in hoc mundo, vt videas quamplurimos incipientes à grammaticis ediscere carmina poetarum, Comœdiarumque fabulas, Tragœdiarum vel commentitias vel honorificas narrationes, historiarum longa ac diuersa volumina, tum deinde transire ad rhetoricam, atque ibi omnem fucum eloquentiæ quærere, post hæc venire ad philosophiã, perscrutari dialecticam, syllogismorum nexus inquirere, mẽsuras Geometriæ pertentare, astrorum leges ac stellarum cursus perscrutari, omittere quoque nec musicam: & sic per omnes istas eruditi tam diuersas & varias disciplinas, in quibus nihil de dei voluntate cognouerunt, multas quidem sed peccatorum diuitias congregauerunt. Videas autem vnum de ecclesia imperitum quidem in verbo atque eruditione, sed fide ac timore dei repletum, qui propter timorem dei in nullo audet delinquere, sed veretur omnino aperire os suum, ne forte sermo malus procedat de ore eius, & obseruat etiam in minimo delinquere, à quibus obseruare se non potest ille qui diues est in huiusmodi sapientia. Hos igitur sibi conferens sermo diuinus ait: [Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.] Vt sunt diuitiæ peccatorum, sapientia huius mundi, in qua diuites sunt & abundantes in eloquẽtia, nec tamen se per hæc continere præualent à peccato. Modicum autem iusti est, qui habet fidem tanquam granum sinapis modicam, sed viuidam & vehemẽtem, per quam se communit & continet à peccato. Melius est ergo hoc modicum fidei iusto super diuitias peccatorum multas, quas habet in eloquentia ac sapientia huius seculi, quæ destruitur. Tamen si potuerit quis & diuitias habere, & non peccatorum habere diuitias, sed congregare aliqua de thesauris Moysi legislatoris, alia etiam de censu acquirere prophetarum, de Esaia, de Hieremia, de Ezechiele, perscrutari quoque secreta Danielis, cæterorumque prophetarum reconditos & obscuros penetrare thesauros: iste iam non confertur sapientibus huius mũdi, vt melior illis dicatur, sed illis magis exæquatur qui dicebant, quia diuites facti estis in omni verbo & in omni scientia: & qui destruentes huius mundi sapiẽtiam, & velut victores eius effecti dicunt se paratos esse ad captiuandum omnem intellectum extollentem se & erigentem aduersus scientiam Christi. Etsi quidem ille sit quem superius diximus imperitus & idiota, sed fidelis & timens deũ, melius est modicum illud fidei huic iusto super diuitias peccatorum multas, quas ex huius seculi sapientia compararunt. Super ambos autem istos est qui diues est in verbo dei & scientia veritatis, id est,

K

Esa. 5.

Transit ad mysterium

L

Ordo qui in literis seruandus est.

M

A id est qui secundum Paulum diues est in omni verbo & in omni scientia, & nihilominus diues est in operibus bonis. Si autem vis scire quid est diuitem esse in omniverbo, breuiter te docebo. Incipe discutere à primo verbo Geneseos, inde in verbo Exodi, post hæc in verbo Leuitici, in Numeris, in Deuteronomio, ditesce de Iesu Naue. ditesce de omnibus simul Iudicibus, & iam inde per consequentiam de singulis quibusque scripturæ diuinæ libris vsquequo peruenias ad Euangelicas apostolicásque diuitias. Nam verbi causa, si quis vni verbo psalmorum operam dederit, & integrũ psalterium cum voluerit canit, diues est quidã, sed non in omni verbo atque omni scientia, sed est diues in solo verbo psalterij. Vel si quis euangelicæ atque Apostolicę lectioni studium tribuat, & in mandatis noui testamenti semetipsum exerceat, diues est & hic, sed non in omni verbo, nisi euangelico tantũ & apostolico. Si verò potuerit nouum ac vetus testamentum pari studio ediscere, atque ex omni eius eruditione instrui, ita vt paratus sit reddere rationem de singulis quibusque quę scripta sunt, & vitam suam secundum verbum veritatis eius quæ in scripturis continetur aptare: iste verò diues est in omni verbo & in omni opere bono. Et istas puto esse diuitias de quibus dicitur: Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ eius. [Melius est ergo modicum iusto super diuitias peccatorum

1.Cor.1.

B multas, quoniam brachia peccatorum conteretur.] Quomodo potest hoc secundum literam stare, etiam si aliquis vim facere conetur per imperitiam? Sunt multa in scripturis ita posita, quæ etiã eum qui valde brutus est & stertit mouere possunt, imò cogere vt necesse habeat litera derelicta ad intellectum conscendere spiritalem: sicut & nunc faciunt brachia ista peccatoris quibus imminere cõtritionem cõminatur. Sed & in alio loco dicit: Cõtere brachium peccatoris & maligni. Quid ergo? brachium istud corporeum peccatoris & maligni putabimur conterendum? Non facile hoc accidere videmus. Sed si intueamur quomodo cũ elati fuerint in superbiã peccatores, & arcus suos parauerint, & sagittas illas suas, de quibus superius diximus, tetẽderint aduersus iustos: cum hæc omnis eorum intentio domini fuerit virtute destructa, sic merito dicitur brachium peccatoris esse contritũ. Vel alio modo, quoniam manus & brachium operis est indicium. Si ergo videas peccatorem ad opus bonum, ad opus misericordiæ nõ extendentem manum suam, absurdum non erit dicere brachium eius esse contritum. Sed huiusmodi contritionem nõ à deo, sed à diabolo fieri credendum est. Ipse est enim qui cõterit & constringit brachia peccatorum, ne ad misericordiam extendãtur. Fit ergo quædam contritio peccatorum à deo, cum insidiantes eos iusto destruit & deterret: quædam verò

Intellectus spiritualis necessario interdũ amplexandus.

Contritio nunc à deo nunc à diabolo.

C à diabolo, cum boni operis studia velut vinctis & contritis infidelium brachiis impedit. Et est alia contritio, quæ à deo quidẽ cõceditur, impletur autẽ à diabolo, illa de qua dicebat diabolus ad dominũ. Veruntamen immitte manum tuam & tãge omnia quæ habet, nisi in faciem te benedixerit, & tũ accepit eum in potestate. Vnde & ipse Iob ait: Manus enim domini est quæ contigit me. Suffulsit autem iustos dominus. Qui infirmi sunt & fragiles, opus habent suffultore. Vbi ruina imminet & lapsus, ibi quæritur suffultura. Omnis autem homo quantum ad humanam fragilitatem spectat & infirmus est, & promptus ad lapsum. Et in hoc quidem psalmo scriptum est, quia iustos suffulciat dominus, & in alio dicit: Suffulcit dominus omnes qui cadunt, & erigit dominus omnes elisos. Tantum est vt nos expergiscamur aliquando & euigilemus, vt si quando per infirmitatem casus aliquis imminet, deprecemur dominum vt mittat nobis verbum suum & sapientiam suam, quæ suffulciat casuros & erigat. [Cognoscit dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.] Secundum scripturas sicut in multis locis obseruauimus, dominus non omnia cognoscit, sed sola illa quæ bona sunt: mala autem dicitur ignorare, non quod vere aliquid sit quod eius scientiam lateat, sed ea quæ indigna sunt notione eius, dicitur ignorare. Quod ostendimus etiã de scripturis, cum dicit apostolus: Si quis in vobis propheta, vel spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quoniam domini sunt. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Et in euangelio vbi dicit dominus ad peccatores: Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Sicut ergo & alibi dicitur, cognoscit dominus qui sunt eius, sic hic non impiorum, sed immaculatorum dies cognoscere dicitur dominus. Digni enim scientia domini immaculatorum dies. Sed & hoc secũdum literam nescio si possit consequenter exponi. Qui enim possunt esse dies immaculatorum, qui non sint etiam peccatorum? cum huius seculi dies vna eadémque sit omnibus, atque in eadem siue iusti, siue peccatores simul luce versentur: sicut & ipse dominus de patre dicit, quia solem suũ iubet oriri super bonos & malos. Quomodo ergo hic velut exceptum aliquid & segregatum immaculatorum dies cognoscere dicitur dominus? Sed videamus ne forte vnusquisque propriam sibi ipse faciat diem. Et si quando abiicientes mendacium loquimur veritatẽ cũ proximo nostro, in veritatis die & veritatis luce versamur. Similiter & cum retrahimus nos ab iis qui oderunt fratres, & in tenebris ambulãt, & in dilectione fratrum permanemus, dies nobis facimus charitatis. Sed & cum iustitiam custodimus, & cum visitantes viduas atque orphanos in tribulatione sua immaculatos nos custodimus ab hoc seculo, immaculatorũ nobis ipsis facimus dies. Et isti sunt dies quos nosse dicitur, quãdo cognoscit dies immaculatorum. Verum si sacratiorem adhuc sensum in hoc loco volumus perscrutari, possumus dicere quia dies mali sunt huius seculi, secundum quod scriptum est: Quoniam dies mali sunt. Dies autem boni alij sunt, qui

Iob 1.

Iob.19

Psal.145.

Deus mala ignorat.

1.Cor.14

Matth.7

2.Tim.2

Mat.5

E & ipsi immaculatorum sunt, quos dominus cognoscit, in quibus & hæreditas eorum in æternum manet: tunc sine dubio cum iusti hæreditatẽ capient vitæ æternæ, consequentes quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Illi sunt immaculatorum dies, in quibus non iste sol quem occasus excipit, & cuius nox succedens lumẽ interimit, sed sol iustitiæ lucebit, qui noctẽ nesciat, qui lumẽ æternũ sit, sicut scriptũ est: Quia ipse dominus erit eis lux sempiterna. Et non confundentur in tẽpore illo. Soli iusti nõ confundẽtur in tẽpore malo. Tempus autem malũ hic tẽpus iudicij nominat, propter multitudinem peccatorum, & eorum quos sæua tormenta suscipient. Tunc ergo in tempore resurrectionis cum omnes resurrexerint, & alij resurgunt in vitam æternam, alij in confusionem æternã, [tunc inquit, iusti non confundentur,] quia nihil dignum cõfusione in eorum actibus inuenietur. Addit autem: [Et in diebus famis saturabuntur.] Inquirendum primo est qui sint dies famis. Comminatur in quodam loco deus per prophetam, & dicit: Ecce dies veniunt dicit dominus, & immittam famem super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famẽ ad audiendum verbi dei. Et circuibunt ab oriente vsque ad occidentem, vt audiant verbum domini & non inueniẽt. Isti sunt ergo dies, & istud est tempus famis, cum nõ sunt qui verbum dei loquantur, sicut & fames nunc est apud Iudæos.

Esa. 60

Tempus malum, tẽpus iudicij.

Amos 8.

F Nusquam enim prophetæ, nusquam sapiens, nusquam prudens æstimator, nusquam quinquagenarius, nusquam sapiens consiliarius, nusquam intelligens auditor, omnia abstulit deus à Iudæa & Hierusalem. Sed & in nobis metus est ingens, ne forte etiam nobis immineat fames. Sicut enim illi de quibus suprà diximus, legendo legem & non faciendo incurrerunt in hoc vt verbi dei famem paterentur, & auferrentur ab illis omnia dei dona quæ suprà diximus, & mandatum est nubibus (prophetis scilicet) ne pluerent super eos pluuiam verbi dei, verendũ est ne tale etiam aliquod nobis correptionis inducatur genus: sed magis efficiamur non auditores legis tãtum, sed & factores, vt mandet dominus nubibus suis, non vni, neque duabus, sed pluribus, pluere super nos pluuiam, vt in ecclesia prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri examinẽt: & si sedenti reuelatum fuerit, prior taceat, vt plures fiant operarij inconfusibiles recte tractantes verbum veritatis, vt dicat vnusquisque doctorum & prædicantium verbum dei secundum Paulum: Ego plantaui & ille rigauit, sed deus incrementum dedit. Hæc autem fient, si nos qui rigamur à nubibus & audiuimus verbũ dei, afferamus fructus illos quos enumerat Apostolus, id est, fructus spiritus, qui sunt gaudium, charitas, pax, patientia, lõganimitas, & cetera his similia. Quos fructus si moramur afferre, verendum est ne mandetur nubibus obstruere à nobis imbres suos, & incipiat vnusquisque sanctorum facere illud quod scriptum est: Qui autem intelli-

1.Cor.3

Gal.5.

Amos 5.

G git in tempore illo sedebit & tacebit, quia tempus malũ est. Sed meminisse debemus historiæ antiquorum de famis tempore, quomodo iustus in tempore famis saturatur. Conueniens puto fames erat temporibus Heliæ prophetæ, quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex. Et tunc populus quidem periclitabatur famæ, sed Helias non patiebatur famem. Et tunc quidem pascebatur ab angelo, quando & abiit in virtute escæ illius, & permansit quadraginta diebus & quadraginta noctibus: nunc autem coruis ministrantibus pascebatur, cum ei in matutino panes deferrent, ad vesperum carnes, & iterum refertur bibisse aquam de torrente Corath, & venisse in Sarepta Sidoniorum ad mulierem viduam famis tempore, & quia iustus erat, non est passus inediam famis, sed vbique ei abundantia præsto erat: atque vno eodemque tempore erat peccatoribus fames: Helias autem quia iustus erat, nesciebat famem. Sic ergo etiam si fames veniat aliquando, quod dominus non præstet ecclesiæ suæ, si quando tamen accedat, qui habet intellectum & exercitium in meditatione verbi dei, & constituit meditari in lege eius die ac nocte, atque exercere se ad intellectum spiritalem percipiendum, inueniet in illis panem illum qui de cœlo descendit, & fiet ei sermo dei abundans cibus, & profluens potus: & non solum cibus & potus, verum si profundiora sacramenta mysticæ intelligentiæ potuerit perscrutari, erũt ei sermones dei deliciæ. Potest etiam alio modo in hoc loco profundior sensus aperiri. Dominus & saluator ait: Veniet nox quando nemo potest operari. Et hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc seculum, tempore quo vnusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, quum iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis quæ hic positus operatus est. Quum ergo nox fuerit, nemo operatur in illo tempore malo: quum

H peccatores suppliciis affliguntur, erit sine dubio fames his qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur iusti, ex fructibus scilicet iustitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non vnius diei modum, sed quantum sufficeret in crastinum colligebant, & vnusquisque edebat in die sabbati, quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut sexta quædã dies putãda est dñi nostri Iesu Christi aduẽtus, & tempus hoc dispẽsationis eius, quã passione sua hoc in seculo procurauit. Et idcirco dũ in die sexta sumus, colligamus mãna dupliciter, vt sufficere nobis possit dum aduenerit vera sabbati seruatio populi dei. Si enim colligerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti seculo sufficiant & in futuro, in diebus famis non saturabimur. Sic enim cum iusti saturabuntur in diebus famis: [Peccatores, inquit, peribunt: inimici autem domini statim vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes vt fumus deficient.] Docet nos sermo diuinus quales sint honores huius seculi. Cum enim videris illum acceptis illius prouinciæ fascibus tumidum, alium consulatibus elatum, alium diuersis magistratibus eleuatum, cum ergo omnem istã

I videris elationem, considera quia deficientes sicut fumus deficient: recordare etiam quantos in his honoribus videris, & vsque ad te quanta eos fastigia conscendisse memineris, & vide si non omnes bene, posteaquam exaltati sunt, deiecti denuo & prostrati sicut fumus defecerunt. [Inimici autem domini statim vt honorabuntur & exaltabuntur, deficientes vt fumus deficient.] Econtrario verò amici domini statim vt cõtempti fuerint & despecti & ab hominibus humiliati, à deo exaltabuntur & erigentur: quoniam omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Post hæc adduntur quædam quæ non parua indigent expositione, ait enim: [Mutuabitur peccator & non reddet, iustus autem miseretur & commodat.] Etiam hoc si secundum literam accipiamus, non videbitur verum. Multi etenim peccatores mutuo accipiunt pecuniam & reddunt cum fœnore, ita vt & ipsi interdum lucrum ex pecunia quam sumpserant ceperint. Definit autem hic propheta dicens: Mutuabitur peccator & non soluet. Sed si intelligas quis est qui fœnerat, & quis est qui accipit fœnus, & requiras quis est peccator qui non reddit pecuniam quam sumpsit, intelliges consequentiam habere quod scriptum est.

3.Reg.17. *3.Reg.19.* *3.Reg.17.* *Ioan.9.* *Exod.16.* *Christi aduentus velut sexta dies.* *Affectat sensum spiritalem.*

Verbi gratia, cum docet Paulus & assistunt ei auditores, Paulus est qui pecuniam fœnerat dominicam, auditores autem sunt qui ex ore eius pecuniam verbi suscipiunt fœneratam. Et si quidem iustus sit qui suscipiat ab eo pecuniam, reddet integrum fœnus & dicet: Quinque mnas mihi dedisti, ecce acquisiui alias quinque. Si iustus est, dicit: Quinque talenta mihi dedisti, ecce habes decem: vel duo talenta mihi dedisti, ecce habes quatuor. Si verò peccator est, suscepto dei verbo non operatur ex eo opera mandati, & non reddit vsuras, sed consumit omnia quæ accepit in fœnus. Ecce & nunc nos omnes quibus hæc loquor, pecuniam accipitis fœneratam verba mea, hæc pecunia domini est. Aut si dubitas, audi prophetam dicentem, quia eloquia domini eloquia casta, argentum igni probatum terræ purgatum septuplum. Si ergo male doceo, pecunia mea reproba est, secundum illos quibus dictum est, argentum vestrum reprobum. Si autem bene doceo, pecunia vel argentum non est meum, sed domini est, & probatũ est. Licet ergo mihi fœnerare pecuniam domini, meam autem propriam pecuniam non licet, quia verbum domini prohibet humanam pecuniam fœnerari. Quæ est ergo humana, & quæ domini pecunia? Ego puto quod Valentini sermo humana pecunia est & reproba, & Marcionis & Basilidis pecunia humana est & reproba, & omnium hæreticorum sermo non est probata pecunia, nec dominicam integre in se habet figuram, sed adulteram, quæ (vt dicam) extra monetam ita figurata est, quia extra ecclesiam composita est. Si autem videris aliquem non sua propria, sed dei verba proloquentem, qui vere audeat dicere: An probamentum quæritis eius qui in me loquitur Christi, scito quia iste fœnerat quidem, & non suam sed domini pecuniam fœnerat, & facit illud quod scriptum est: [Tota die miseretur & fœnerat,] habens autoritatẽ fœnerandi ab ipso sibi meo deo Iesu Christo datam: Ipse est enim dominus qui in parabola data pecunia dicit ad seruos: Ite negociamini vsquequo redeam. Et ad illum seruum qui

L pecuniam multiplicare contempserat, dicit: Quia oportuit te pecuniam meam dare nummulariis, & ego veniens exegissem eam vtique cum vsuris. Iste est peccator qui mutuatur & non soluet: iustus autem acceptam pecuniam restituet cum vsuris, hoc est acceptum dei verbum cum operibus repræsentat. Audis sermonem de castitate, collaudas doctorem, amplecteris doctrinam, admiraris magisterium, per hæc suscepisti pecuniam castitatis. Et si quidem peccator es, egressus ecclesiam inseris te negotiis secularibus, excipit te lasciuia, subsequitur temulentia, corruptorum hominum malefida colloquia, oblitus continuo omnium quæ à doctore susceperas, quæ laudaueras, quæ admiratus fueras, & ad impudica rursum deuolueris scorta, & effectus es peccator, qui mutuatus es verbum castitatis, & non reddis opera castitatis. Similiter & si audieris verbum iustitiæ in ecclesia, egressus es foras, occurrit tibi vicinus cuius agellum concupieras, & continuo o-

M blitus eorum quæ dicta sunt, vt cupiditati tuæ satisfacias inuadis quæ aliena sunt, & sic mutuatus dei iustitia pecuniæ nõ reddis vsuras, operans gesta iustitiæ. Sic ergo & de singulis quibusque mutuatur peccator & non soluet, [iustus autem miseretur & commodat.] Non solum, inquit, fœnerat iustus, hoc est, non solum prædicat verbum, hoc est, non solum docet imperitos, verumetiam miseratur infirmos. Sequitur enim exemplum domini dicentis: Misericordiam malo quàm sacrificium. [Quia qui benedicunt eum hæreditabunt terram, qui autem maledicunt eum, exterminabuntur.] Qui benedicunt eum, id est, qui benedicunt iustum, hæreditabunt terram. Quã terrã? Terram illam bonam, terram multã hæreditabunt illam fluentem lac & mel, vbi sunt bona illa quæ vere bona sunt, illam possidebunt qui benedicunt iustum, maledicentes verò eum exterminabuntur. Et vobis parum videtur interdum male loqui de sanctis, & perleue est vobis dicere de seruis dei, ille talis & talis est, ille fingit & ille seculum diligit, ille autem impostor est, non audis quia qui maledicunt iustum exterminabuntur? Aut si hoc parum vobis videtur, audite alibi deũ dicentẽ ad iustũ: Inimicus ero inimicis tuis, & aduersabor aduersariis tuis. Videtis quanti periculi sit inimicari iustis, vel male loqui de sanctis. Si enim

Hæretico. pecunia reproba. *2.Cor.13.* *Matth.25.* *Osee.6.*

A ctis. Si enim vere credimus illud quod dixit dominus de vno quoque seruorum suorum, quia esuriui & non dedistis mihi manducare, & ea quæ addit & dicit, quia vni ex minimis meis fecit, mihi fecit, consequens est vt & hoc dicat: Qui maledicebatis mihi, detrahebatis de me, & falsa contra me loquebamini, & accusabatis me. Et si dixerimus: Domine quando tibi maledeximus, aut quando detraximus: aut quando falsa contra te loquuti sumus? tunc dicet ad nos: Amen dico vobis, quia quod fecistis vni ex meis minimis, mihi fecistis. Sicut enim dantes manducare vni ex istis mihi fecistis, & dantes bibere vni ex istis mihi dedistis, & sicut induentes vnum ex istis, me induistis: ita maledicentes vni ex istis mihi maledixistis, & si benedixistis vel honorastis vnum ex his, mihi benedixistis, & me honorastis, sicut & alibi nihilominus dicit: Qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit. Propterea ergo contineamus linguam nostram, & seruos domini admiremur, & benedicamus iustos, & nunquam detrahamus de eis, nec aperiamus os nostrum ad male loquendum, ne forte extermin emur, sed benedicamus, vt & nos benedictionem consequamur per Christum dominum nostrum, cui est gloria & potestas in secula seculorum. Amen.

Matth. 25. *Ibidem.* *Matth. 10.*

Homilia IIII de eodem psalmo, ab illa parte: Apud dominum gressus hominis diriguntur.

B A DOMINO (inquit) gressus hominis diriguntur.] Et alibi in hoc psalmo dicit de gressibus iusti hoc modo: Lex dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Sed & in septuagesimo secundo psalmo dicitur: Paulominus effusi sunt gressus mei. Gressus ergo à gradiendo nominamus, secundum illud quod in Exodo scriptum est, quod Moses vidit flammam ignis & angelum cum rubus arderet quidem, sed non combureretur, & dixit: digrediens siue transiens videbo visionem magnam hanc. Ex hoc ergo loco occasio nobis datur intelligentiæ eorum quæ habemus in manibus. Igitur de his quæ in Exodo scripta memorauimus, id est, digrediens videbo visionem istam magnam, audiui quendam de sapientibus ante nos dicentem, cum explanaret hunc locum, quia non est possibile prius videre visum magnum, id est, intueri atque perspicere magna mysteria stanti in conuersatione & actibus mundi huius: sed transire oportet prius ab his, & transcendere omnia secularia, & sensum nostrum ac mentem liberam fieri, & tunc ad magnarum & spiritalium rerum intuitum peruenire, & ita demum visum magnum videre. Huc C quidem ille explanans locum quæ suprà memorauimus enarrabat. Nos verò quibus studium est secundum scripturæ monita, verba sapientium laudare, & addere ad ea, possumus ad hæc quæ ille dixit tale aliquid addere. Vnusquisque qui iter agit ad virtutem, proficit in ambulando, vt paulatim per multos profectus itineris perueniat ad eam. Iter ergo agens & velut quibusdam passibus gradiens digreditur semper, & transit ea quæ explicuit, ac posteriora omittens ad ea quæ priora sunt se extendit. Digrediens ergo transit primum locum malitiæ, & inde proficiens passibus & ingressibus transit alias peccatorum sudes, tum deinde scrupeas nequitiæ cautes, & lubrica & prærupta vitiorum. Cum verò hæc etiam euaserit, semper ad ea quæ in antea sunt se extendens, minus restat malitiæ, & omne quod proficit viæ: si tamen incedendo cautius gressus suos obseruauerit ne labatur, vt singula quæque digrediens malitiæ loca, ita vt non offendat pedem suum in ea, secundum hoc quod in Exodo scriptum est, videre possit visionem magnam. Nemo enim adhuc qui in malitia est, nec digreditur eam & transit, poterit visionem istam magnam secretorum dei, scientiæ scilicet & sapientiæ, contueri. Magna ergo est visio, cum puro corde deus videtur. Magna est visio cum puro corde verbum dei, & sapientia dei qui est Christus eius agnoscitur. Magna visio est agnoscere & credere in spiritum sanctum. Magna ergo hæc visio scientia trinitatis est. Veruntamen etiam Moyses tunc videbat in Exodo visum magnum, & angelus dicitur qui videbatur in rubo in igne, & magnam eam visionem appellat. Intelligebat enim quis esset in angelo. Continuo denique dicit

Exod. 3. *Origenis studiū laudare maiores.* *Diuinitatis scientia magna visio.*

ad deum: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus D Iacob. Vide ergo quam magna sit visio hæc, quamuis & hoc ipsum sit magnum scire quod deus facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Et nunc quidem Moysi adhuc pascenti pecora Ietro soceri sui, & gradienti vel transeunti ab his, magna est visio hæc, in qua ei angelus dicitur apparere. Si autem etiam mare rubrum transierit, & columna eum nubis obtexerit, & futuri baptismi adorauerit sacramenta, tunc etiam maiorem visionem poterit videre. Ingredietur enim caliginem & turbinem, vbi esse ipse dicitur deus, vbi scriptum est, quia Moyses solus accedebat ad deum, cæteri autem à longe stabant. Et in tantum per istas magnas Moyses proficit visiones, vt diceret ad deum: Si inueni (inquit) gratiam coram te, manifesta mihi teipsum, vt euidenter videam te. Et tunc audit à deo, quia ponam te in foramine petræ, petra autem erat Christus: vt per foramen breuissimum videas posteriora mea; hoc est, vt ea quæ in nouissimis temporibus implebuntur per assumptionem carnis, agnoscas: faciem autem meam videre non poteris. Sed digressi per quamplurimas visiones, redeamus nunc ad hoc quod proposuimus de psalmo, [quia à domino (inquit) gressus hominis diriguntur.] Suprà exposuimus quomodo iter quis E ingreditur ad virtutem: quoniam qui iter agit ad virtutē, multa sunt quæ digredi habet & transire. Ergo & tu qui ad Christum tendis, qui est dei virtus, digredere luxuriā, scorta, adulteria, digredere furta, falsa testimonia, tum deinde digredere & auaritiam, & omnem pecuniæ cæterarumque malarum rerum concupiscentiam, digredere mendacium, digredere tristitiam seculi. Nisi hæc omnia digressus fueris, visionem illam magnam domini videre non poteris. Sunt ergo quidam in nobis gressus & pedes, quibus iter hoc agimus, sunt gressus interioris hominis quibus ambulare possumus per illam viam quæ dicit: Ego sum via veritas & vita. Hoc ergo iter agentibus multis gressibus vtendum est nobis vt illa omnia quæ suprà diximus transeamus, quia gressus hominis à domino diriguntur. Nō sufficit homini volenti istud iter incedere soli propositi sui voluntas, nisi & dominus direxerit gressus eius: quia frequenter accidit iter agentibus vt ambulent, quod iter tamen rectum tenere non possint, sed decedant in aliquos errores: vt illi qui in philosophiæ eruditione versantur, videntur quidem iter virtutis incedere, sed quia à domino non diriguntur gressus eorum, non tenent iter rectum. Sed & hæretici nihilominus ingrediuntur etiam ipsi iter, F sed cum scripturas carnaliter, nō spiritaliter intelligunt, declinant in sinistram. Si verò spiritaliter intelligant, in ipso autem spiritali intellectu apostolicæ non teneant regulam veritatis, decidunt nihilominus & ad dexteram, diabolo (vt ita dixerim) gressus eorum non dirigente, sed detorquente à via recta. Nos ergo neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, ingrediamur mediā viam quæ est Christus dominus, quia in ipso ambulantium gressus dominus dirigit. [A domino ergo gressus hominis dirigentur, & viam eius cupiet,] illam scilicet viam de qua suprà diximus. Cupiet enim qui à deo dirigitur Christū, & desiderabit permanere semper in Christo. [Cum ceciderit, inquit, non conturbabitur. Superius dicens quia à domino diriguntur gressus eius, hic de casu eius loquitur. Vide ergo quia etiam his qui iter hoc incedunt aliquando accidat cadere, etiam his qui à domino diriguntur: sed est multa differentia inter casum iusti & casum iniusti. Iustus, inquit, cum ceciderit non prosternitur: iniustus & qui spem non habet in deo positam, si ceciderit prosternitur & non surgit: id est, si peccauerit, non pœnitet & peccatum suum emendare nescit. Iustus autem si in aliquo offenderit, si in verbo. Apostolus enim est qui dicit: In multis enim offendimus omnes, & si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Offendit ergo & iustus in verbo, fortassis etiam aliquando & in facto, sed scit emēdare, scit corrigere: scit ille qui dixerat nescio hominem, paulò post cum respectus fuisset à domino, flere amarissime: scit & ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, dicere peccaui, quia ti-

Ibidem. *Exod. 13* *Exod. 33.* *Iacob. 3.*

G bi ſoli peccaui & malum coram te feci. Si ergo cum cecide-
rit iuſtus non proſternitur, non permanebit in peccato, ſed
exiliet cito, tanquam damula ex retibus, & tãquam auis de la-
queo. Iniuſtus autem non ſolum permanet, ſed & proſterni-
tur in peccatis. Iuſtus autem quid facit? [Lex dei eius in cor-
de ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.] Ibi dixit quia
dirigũtur greſſus hominis à domino, hic quia non ſupplanta-
buntur greſſus iuſti, [quia dominss, inquit, confirmat manus
eius.] In alio pſalmo, id eſt in ſeptuageſimoſecũdo dicit: Mei
autem pene moti ſunt pedes. Quod idipſum mihi videtur in-
telligendum ſimiliter. Proficientes etenim ad virtutes velut
aſcenſu quodam nitimur, in quo aſcenſu ſi quis labatur & de-
cidat, aſcenſionis ſuæ perdit profectum. Iſtius ergo effuſi ſunt
greſſus. Hoc autem fit, cum quis poſt profectum retrorſum
Gen.19 fuerit conuerſus: ſicut accidit & vxori Loth, quæ ingredieba-
tur bene egrediẽs de Sodomis, & effugiẽs pœnas malorũ in-
grediebatur & aſcẽdebat ad mõtẽ quò angelo duce pergebat:
ſed quoniam contra mandatũ dei fecit, quod iuſſa fuerat non
reſpicere retrorſum neque ſtare in omni regione illa, ſed ad
montem aſcendere, atque ibi ſaluari, cum conuerſa ad poſte-
riora retrorſum reſpexit, ibi effuſi ſunt greſſus eius, & perdi-
dit omne quod fuerat ante digreſſa, permãſit perfecta ſtatuũ
Luc.9 cula ſalis. Hoc eſt quod dominus in euangelio dicit: Nemo
mittens manum ſuam ad aratrum, & retro reſpiciens aptus
H eſt regno dei. Vis tibi oſtendam & alios quorum effuſi ſunt
greſſus? recordare illos qui tranſierunt per mare rubrum tã-
quam per aridam, & peccantes in deſerto ceciderunt, & ibi
effuſi ſunt greſſus eorum. Sed & nunc ſi quando accidat ali-
quem vixiſſe in continentia tribus aut quatuor annis, & eo
amplius, alium in verbi & doctrinæ ſtudio & ſapientiæ labo-
ribus operam dediſſe: tunc deinde ſi victus fuerit hic, vel ad
carnis luxuriam tranſeat, vel ad alia peccata declinet, aut ad
vitam ſe transferat ſeculi, vel ad negotia ac lucrá corruptibi-
lis vitæ conuertat, non dubites de eo dicere quia effuſi ſunt
greſſus eius. Nos ergo deprecemur dominum vt dirigat greſ-
ſus noſtros, & cuſtodiat vias noſtras, vti ne ſupplãtentur greſ
ſus noſtri: vt in via quam incedimus, hoc eſt in Chriſto do-
mino noſtro, quaſi ſupra petram ſtabilem veſtigia noſtra fir-
mentur, ne quoquo modo ſupplantari poſſimus: per illum ſci
licet cuius nos caput obſeruamus, & ille noſtrũ obſeruat cal-
caneum, cui vtique nunquam nos oportet plantã nudã præ-
bere, ſed ſemper debem⁹ eſſe calceati pedes in præparatione
euangelij pacis, vt ſi venerit diabolus ſupplantator, & inuene
rit pedes noſtros munitos, & ſupra petram ſtantes, inde nos
ſupplantare non valeat. Quamuis enim paulo ante dixerimus
poſſe etiam caſum aliquẽ & lapſum accidere his qui virtutis
I viam ſequuntur, tamen obſeruandũ eſt, quia ibi vbi dixit: Cũ
ceciderit non proſternetur, ſuperius non tam de iuſto quàm
de homine puro propoſuerat. Ait enim: A domino greſſus ho
Diuerſi lapſus certãtium certamina ſpiritualia. minis dirigentur, & viã eius cupiet, cum ceciderit non pro-
ſternetur: In quo oſtenditur eſſe aliquos caſus qui tamẽ non
cõtinuo indicẽt eſſe victũ & proſtratũ eum qui ceciderit. Si-
cut enim & in agone fieri ſolet, vt duobus inter ſe luctãtibus
accidat primo quidẽ cadere vnũ, vt cum ceciderit, ſurgat &
vincat: ita etiam in noſtro agone, qui eſt nobis aduerſum
principẽ huius mũdi, ſi forte acciderit aliquẽ de nobis vinci,
& in aliquo peccato cadere, poſſibile eſt vt poſt peccatũ reſi
piſcat aliquis, & exurgat & perhorreſcat malũ qnod admiſit,
& de cætero nõ ſolũ contineat ſe, verumetiã ſatisfaciat deo,
lauans per ſingulas noctes lectum ſuum, & lacrymis rigans
ſtratum ſuum, accipiens verbum propheticæ autoritatis qua
dicitur: Nunquid qui cadit non adiiciet vt reſurgat? aut qui
auerſus eſt, non conuertitur? Væ his qui auerſi ſunt auerſione
impudenti, dicit dominus. Et iſte eſt qui cadere quidem po-
tuit, proſterni verò non potuit. Si autem videris aliquem ce-
cidiſſe in aliquod peccatũ, & poſt caſum deſperantẽ conuer-
ſionẽ & dicẽtẽ, iam quomodo poſſum ego ſaluus fieri qui ce-
cidi? iam nulla ſpes eſt, peccata mea me colligant, quomodo
audere poſſum accedere ad dominũ? Quomodo ad eccleſiã
redire? & ſi hac deſperatione iſte talis recedat etiam à deo, hic
non ſolum cecidit, ſed in caſu ſuo perſtratus atque demerſus
eſt. Et eſt quidem optabile, vt athleta pietatis ac virtutis ma-
neat ſemper immobilis, vt ne vnam quidem luctam (vt ita
dicam) perdat, ne ſemel inclinetur aut ſupplantetur. Quod K
ſi fieri non poteſt, ſed euenerit eum cadere, non iaceat poſt
caſum ne proſternatur, ſed exurgat & emendet culpam, ex-
purget pœnitentiæ ſuæ ſatisfactione commiſſum, ne etiam de
ipſo apoſtolus dicat: Et lugeam multos ex his qui ante pec- *2.Cor.12*
cauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditia &
fornicatione & impudicitia quam geſſerunt. Quare etiam a-
poſtolus exempla palæſtrici agonis aſſumpſit cum dicit: Ne-
mo coronatur niſi qui legitime certauerit, niſi quia nos ſcire *2.Tim.2*
volebat legis certamina & agones? Qui & de ſeipſo ait: Sic
pugno, non quaſi aërem verberans. Et iterum: Certamen bo-
num certaui. Quia ergo certamen nobis eſt & agon propo- *1.Cor.9*
ſitus, etiam legis agonem noſſe debemus. Sunt athletæ qui in *2.Tim.4*
omnibus certaminibus vincunt, & in omnibus coronantur.
Inter pædas vincunt, inter agonios vincunt, inter andras vin- *παῖδες [?] pueri.*
cunt. Alij vincuntur inter andras, ſed coronantur inter ago- *ἀγώνιοι [?] certatores.*
nios, nonnunquam etiam inter andras vincunt. Ergo aliquã- *ἄνδρες viri.*
ti ſemper, aliquanti ſecundo vel tertio coronantur. Certe
miſerum eſt, & vltimæ infelicitatis in omnibus agonibus
tam variis atque diuerſis, ne vnam quidem promereri coro-
nam. Ita ergo & Chriſtianus cui certamen eſt non aduerſus
carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, *Eph.6*
& aduerſus principes huius mundi tenebrarum harum, ad-
uerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, quum tantos habeat
& tales aduerſarios, tanquam agoniſta vigilare debet, ſi fieri L
poteſt: vt ſemper vincat quotieſcunque conflixerit, & pri-
mas inter pædas, id eſt inter pueros, ſtatim capiat coronas.
Vis tibi oſtendam aliquos qui inter pueros, id eſt, in primo *Puerorum corona.*
ſtatim lacte coronati ſunt? Reſpice beatum Danielem, qui à
puero & prophetiæ gratiam meruit, & iniquos arguẽs preſ- *Dan.3*
byteros, puer coronam iuſtitiæ & caſtitatis obtinuit. Vis
tibi & alium proferam inter pueros coronatum? Hieremiam
vide, qui quum ſe propter adoleſcentiam excuſaret à pro-
phetando, audiuit à domino: Noli dicere quia puer ego *Hier.1.*
ſum, quoniam ad omnes quoſcunque mittam te ibis, &
quęcunque dixero tibi loqueris. Sed fortaſſe adultæ tibi
iam iſtæ videantur ætates. Dabo tibi athletam qui ante lu-
ctatus ſit, & vicerit prius quàm inter homines emiſerit va-
gitus. Iacob adhuc intra vterum matris ſuæ luctatus cũ fratre *Gen.25*
Eſau, ſupplantauit eum & vicit, ex quo & ſupplantati & de-
uicti fratris benedictiones primogeniti à parente ſuſcepit.
Nam & illi pueri num tibi videntur in puerili agone coro-
nati, qui apud Bethlehem à bimatu & infrà pro domini nomi- *Matth.2.*
ne palmam cepere martyrij? Vides quanta in pueros coro- *Puerorum certamina & coronæ.*
narum habemus exempla. Hæc de eo quod repetiuimus
expoſitionem verſiculi illius qui dicit: [Quum ceciderit non M
proſternetur.] Et quare non proſternatur, adiecit cauſam di-
cens: [Quia dominus confirmat manum eius.] Et vide quàm
conſequenter de ſingulis dicit: Ne cadat dominus (inquit)
greſſus eius dirigit: ſi autem ceciderit, non proſternitur, do- *Domini auxilio ſemper indigemus, duabus de cauſis.*
minus (inquit) firmat manum eius. Vides ergo quia domi-
ni ſemper auxilio indigemus. Primo ne cadamus: tum deinde
etiam ſi ceciderimus, vt reſurgamus. [Iuuenis fui & ſenui, &
non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.
Tota die miſeretur & fœnerat, & ſemen eius in benedictione
erit.] Qui ſimpliciter dicunt, & ſecundum hiſtoriam acci-
pienda eſſe verba ſcripturæ diuinæ, dicent ſine dubio in hoc
loco confirmare Dauid, quia tranſacta ætate iuuentutis ſuæ
cum iam vſque ad ſenectutis ſuæ tempus veniſſet, in omni
hoc tempore nunquam ſe vidiſſe ita iuſtum derelictum vt pa *Heb.11.*
nibus indigeret. Et quid facimus de Paulo apoſtolo, qui enu-
merans & exponens prophetarum vitas dicit eos indigentes,
tribulatos, in pellibus caprinis oberraſſe per cauernas pe- *2.Cor.11*
trarum, & per ſpeluncas: & de ſeipſo commemorans frequẽ-
ter dicit, in fame & ſiti. Et cum hæc pati iuſtos frequenter
ſcripturarũ hiſtoriis cognoſcamus, quomodo nũc putãdũ eſt *Aetas interior & exterior.*
hoc Dauid dicere ſecundum ſimplicem intellectum? Sed vi-
deamus ne forte ſint aliquæ ætates interioris hominis noſtri,
ad ſimilitudinem exterioris & corporalis ætatis. Vnde & in-
terdum ad viros iam matura ætate dicitur, quia pueri ſunt,
& aliis quia ſenes, & aliis quia iuuenes, & hæc vtique dici
de corporali ætate non conuenit. Denique cum plurimi ante
Abrahã ſexcentos & quingentos, vt minimũ trecẽtos annos
vixiſſent,

vixissent, de nullo illorum dictum est, quia senior & plenius dierum fuerit, nisi Abraham tantummodo. Ex quo intelligendum est, quod non de ætate corporis, sed de maturitate interioris hominis designatum est. Vnde & nos optare debemus non pro ætate corporis, neque pro officio presbyterij appellari presbyteri & seniores, sed pro interioris hominis perfecto sensu & grauitate constantiæ, sicut & Abraham appellatus est presbyter nutritus in senectute bona. Est ergo ætas aliqua secundum interiorem hominem puerilis, est & ætas iuuenilis, est & senilis secundum quod Apostolus dicebat: Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: cum autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Ego hæc ab apostolo non de corporali ætate dici intelligo, sed quoniam cum in initio credidisset, fuit paruulus nuper genitus, rationabile & sine dolo lac concupiscens, tunc intelligebat scripturas vt paruulus, sapiebat de euangelio vt paruulus, cogitabat vt paruulus: sed post hæc proficiens ætate ad similitudinem Christi (de quo scriptum est) quia proficiebat ętate & sapientia & gratia apud deum & apud homines) deponebat quæ erant paruuli: & propterea dixit, cum factus sum vir, quæ paruuli erant deposui. Ita ergo intelligendus est etiam Dauid dicere, [iuuenis fui & senui:] vt si diceret, cum essem paruulus secundum interiorem hominem, nunc iam senui. Nisi enim senuisset, propheta non esset. Namque senum est prophetare. Etiam si videas aliquando iuuenem prophetantem, non dubites dicere de eo, quia secundum interiorem hominem senuit, propterea propheta est: Denique Hieremias cum audisset. Priusquam te plasmarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus feci te, respondit quia iuuenis ego sum, & nescio loqui. Sed ille qui ei donauit gratiam vt non esset puer, sed esset senior secundum interiorem hominem, ait ad eum: Noli dicere quia iuuenis ego sum. Alioquin nisi B hæc ita intelligantur, quid habebit rationis vt dicatur puero, cuius ętas iuuenilis & rudis, noli dicere quia iuuenis ego sum? hoc est dicere, non dicas quod verum est. Iuuenis ergo erat secundum ætatem corporis: sed quoniam dominus dederat verba sua in ore eius, quibus eradicaret & subuerteret & disperderet, & rursum ædificaret & plantaret, quæ virtus verborum animam eius illuminans & sanctificans non eam sinebat esse puerilem, ideo merito ad eum dicitur: Noli dicere quia iuuenis ego sum. Similiter ergo & hoc quod Dauid dicit: [iuuenis fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem,] secundum hoc quod suprà de ætate iuuenili, vel senili interioris hominis diximus sentiendum est, alioquin secundum exteriorem hominem si derelinqui à deo putandus est iustus, cum ægritudo corporis aduenit, cum tribulatio, cum paupertas & singulæ quæque huius vitæ molestiæ generantur: hæc maxime iustis accidere solent, quibus & persecutionem pati pro nomine dei solenne est, sed non derelinquuntur cum patienter hæc omnia & toleranter dicunt: Nemo nos separabit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu, neque tribulatio, neque fames, neque an- C gustia, neq; nuditas, neq; gladius, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; alia creatura. Deniq; prophetæ, qui circuibant in deserto per cauernas petrarum & speluncas, egentes, tribulati, afflicti, licet in desertis oberrarent, & essent ab hominibus derelicti, multitudo tamen eos angelorum circundabat. Sic denique Helisæus cum esset ab hominibus derelictus, cœlesti circundabatur exercitu, secundum quod scriptum est: Aperi oculos pueri huius, vt videat quia plures nobiscum sunt quã cum illis. Et vidit totum montem equitibus & curribus plenum. Nunquam enim solus est iustus, sed ne vnius quidem, aut duorũ, vel trium tantummodo angelorum societate sub nixus est, sed exercitus ei virtutum cœlestium præsto est. Quod si pluribus adhuc testimoniis opus est, suscipe & aliud Iacob quandiu erat in domo parentum & cum fratre Esau, non erat cum exercitu angelorum: cum verò secessisset ad solitudinem deserti, & solus iter ageret ad Mesopotamiam, dormiuit in loco quodam, & exurgens dicit, quia vocatur hic locus παρεμβολὴ, quod est castra, pro eo quod vidit ibi non vnum, sed plura castra dei. Hæc dicimus de eo quod nequaquam iustus dicitur derelinqui, in spiritalibus duntaxat bonis.

Genes.26. 1.Cor.13. Luc.2. Hiere.1. Rom.8. 4.Reg.6. Iustus nũquam solus. Genes.32. Iustus non derelinquitur in spiritalibus bonis.

In corporalibus enim vide quid iustus dicit, in D quibus etiam gloriatur. Vsque ad hanc (inquit) horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & laboramus operantes manibus nostris. Et iterum: Maledicimur & benedicimus, persequutionem patimur & sustinemus, blasphemati deprecamur. Sed quoniam iste talis non relinquebatur spiritu, dicebat: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in iniuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Dupliciter ergo derelinquitur, qui derelinquitur. Corporaliter quidem hoc modo, quo superius diximus pati omnes sanctos, & non lædi. Derelinquuntur verò spiritu illi de quibus dicitur: Quoniam non approbauerunt deum habere in notitia, tradidit eos deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non congruunt, repletos omni iniquitate, nequitia, auaritia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, susurratores, detractores, deo odibiles, cõtumeliosos, superbos, elatos, & cætera huiusmodi mala pro quibus & derelinqui meruerunt. Quæ quoniam aliena sunt à iusto, propterea dicit. quia non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.] Iterum si audis semen eius, ad semẽ corporeum rediturus es? Et quomodo verum inuenies hoc quod semen iusti non quærat panes, cum videas Ismael illum de semine natum Abrahæ, quique cum mater eius fugiens dominam suam Saram portaret eum in deserto, & aquã vtique quærebat & panes? Sed & Esau de via veniens deficiebat inedia, & intantum famis rabie præcipitatus est, vt primatus suos lentis cibo distraxerit. Oportet ergo nos secundum ea quæ suprà diximus, etiam semen iusti intelligere spiritale. Et quid aliud semen iusti dignum est putare, nisi discipulum iusti, qui suscepto ab eo verbi dei semine, ad vitam generatur æternam? Verbi gratia, si orationibus vestris mererer esse iustus, & accipere à domino gratiam in verbo sapientię & sciẽtiæ, ita vt possem secũdum gratiam quam ipse à domino meruissem, nobis quoque ministrare verbum dei, & serere illud in animabus vestris: tum deinde ingressus sermo dei in animas vestras, & hærens in corde vestro formaret mentes vestras secundum speciem verbi ipsius, id est, vt hoc velletis: & hoc ageretis quod verbum dei vult, & per hoc ipse Christus formaretur in vobis: tunc vere efficeremini semen iusti, quod non quærit panem, habentes scilicet in vobis semper panem illum qui de cœlo descendit. Quòd si respondeas mihi, & dicas: quanti audierunt Petrum & Paulum, qui vtique erant iustissimi doctores, & tamẽ peccauerunt, & quomodo ergo semen iusti dicentur? Sed vide ne forte sicut non omnes qui ex Abraham sunt, etiam semen Abraham dicuntur, quibus dicitur: Si filij Abraham essetis, opera vtique Abraham faceretis: ita etiam illi qui audierunt Petrum & Paulum, & non fecerunt quę docuerat Petrus vel Paulus, non erant semen eorũ, quia suscepta ab eis verbi semina, ex anima sua velut aborsione quadam abiecerunt & effuderunt. Denique & in hoc ipso psalmo dicit alio loco: Semen impiorum exterminabitur. Certum est autem quia impiorum semen corporale non exterminabitur. Iob denique semen Esau semen impij erat, & vtique non exterminatur. sed manifestatus est iustus à domino, & propheta esse ostenditur, & à deo suprà omnes iustos collaudari meretur. Sed hoc est quod superius diximus: quia sicut semen iusti sermo & doctrina eius est, qui sermo ita pascit & reficit animas, vt negentur panibus indigere, quia Christus panis eorum est: ita econtrario doctrina impiorum & sermo semen eorum est quod exterminãdum dicitur, quia ex falsitate compositum est, & adueniente luce veritatis, certum est quia mẽdacij tenebræ fugabuntur. [Tota die miseretur & fœnerat.] Iustus tota die miseretur, & tota die dicitur fœnerare: ad nihil aliud vacat nisi vt fœneret de ea pecunia quæ sibi abundat. Nunquid & hic hoc putabitur, quia iustus tota die sedeat ad mensam, & habens pecuniam ante se hanc fœneret necessitatem patientibus? Forsitan hoc putabitur esse quod dictum est per Moysen: Et tu fœnerabis gentibus multis, tu autẽ mutuo non quæres. Sed certum est quia de dominica pecunia dicatur, quæ numulariis præcipitur erogari de thesauris sapientiæ & scientiæ dei prolata, vt faciamus de quinque talentis decem, de duobus quatuor. Quanto autem abundantiorem pecuniam habuerimus in

1.Cor.4. Derelictio duplex. Genes.21. Genes.25. Semen iusti spiritale. E. Semen impiorum corporale non semper exterminatur. F. Dan. 23.

G anima nostra, tanto magis die fœnerabimus. Sed & nunc licet non sim iustus, tamen hoc quod loquor pecuniam vobis dominicam fœnero: sed vos orate vt efficiar iustus, & possim vobis iustitiæ pecuniam fœnerare, vt non solum verbo, verumetiam iustitię exemplo iustitiam doceam. Propterea sicut sunt pecuniæ iniustæ, quæ inique & contra legem congregantur per calumniam & mendacia, & diuersa auaritiæ mala: & rursum sunt pecuniæ quæ iuste & secundum legem congregatæ sunt, id est de propriis & iustis laboribus: ita etiam in verbo & doctrina esse inuenitur. Sunt verba nec bene, nec iuste, nec legitime congregata, vt hæreticorum verba sunt, & doctrina contra legem dei congregata, quæ nos velut iniquam pecuniam & pestiferam, & de malo collectam refugere debemus. Orate ergo vt hæc nostra pecunia quam vobis fœneramus tota inueniatur ex iustis laboribus, tota de dominica moneta procedens vt & vos fœnus integrum consignetis, & nos non audiamus, quia oportuit te pecuniam meã dare numulariis. [Iuuenis ego fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: Tota die miseretur & fœnerat.] In superioribus dicitur, quia mutuatur peccator, & non reddit: hic quia iustus tota die miseretur & fœnerat. Et vide quam in contrariis pares sint. Peccator non solum mutuo accipit, sed & cum acceperit non reddit: iustus autem non solum mutuo non accipit, sed & fœnerat: & non solum semel vel bis, sed tota die fœnerat, hoc est toto vitæ

Pecuniæ iustæ, & iniustæ.

H suæ tempore fœnerans miseretur, vnde & semen eius in benedictione erit. [Declina à malo & fac bonum, & inhabita in seculum seculi.] Hæc, inquit, audiens fac quod bonũ est, habitabis in seculum, hoc est, si ita egeris quemadmodum edoctus es, habitatio tua erit æterna. Si enim respicias non ad ea quæ videntur, sed quæ non videntur, quoniam quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non vidẽtur æterna sunt, habitabis in seculum. [Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos.] Quomodo dominus amat iudicium? Dũ nihil apud eum sine iudicio fit, nihil sine ratione. Ita ergo & tu sciens quoniam dominus amat iudicium, age omnia iusto iudicio & vero, audiens illum qui te admonet dicens: Cũ consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe. [Et non derelinquet dominus sanctos suos, in ęternum conseruabuntur.] Sicut dicit, quia habitabit in seculum, ita & conseruabuntur in æternum. Quod vtrunque ad futurum respicit tempus, vel seculum, cui conseruabuntur sancti, vt deinceps in æternitate perdurent. [Iniusti punientur & semen impiorũ peribit, iusti autem hæreditabunt terram. Diximus iam hinc superius quale impiorum sit semen, cum ad verbum doctrinam quæ retulimus: & quomodo exterminabitur, dum omne mendaciũ à luce veritatis velut tenebræ effugatur. Iusti autem hæreditabunt terram. Et hinc superius iam diximus, quomodo siue iusti siue mansueti hæreditatem terræ bonæ & magnæ illius

I consequantur, & quomodo habitent in ea seculum seculi, nõ solum in seculum, sed in seculum seculi. Vide quàm magna domini retributio. Pro labore triginta aut quadraginta, vt multum certe quinquaginta annorum recipit homo non solum seculi huius retributionem, sed in seculum seculi. Si verò permaneat quis in verbo dei, & sapientiæ eius adhæreat, atq; in lucis æternitate persistat, perueniet etiam in hoc, vt referat deo gloriam in secula seculorum, Amen.

Homilia Quinta de eodem Psalmo, ab ea parte: Os iusti meditabitur sapientiam.

LEx quidem volens non aperire os ad verbũ dei, præcepit dicens: Loqueris, inquit, hæc sedens in domo, & pergens in via, & iacens & surgens. Sed & Salomon in Prouerbiis simile aliquid breui cõmonitione distinguit, dicens: Aperi os tuum verbo dei. Similiter etiam nunc propheta nos docet, cum dicit: [Os iusti meditabitur sapientiam.] Reuera enim nec debet aliud quicquam procedere de ore iusti, nisi sapientia. Vnde & vos imperitiores quique fratres audientes sermonem prophetæ, date studium & meditamini cum iustitiæ operibus etiam de ore vestro proferre sermonem sapientiæ. Quod ne difficile vobis videatur præceptum, breuem vobis sapientiæ insinuabo sermonem. Apostolus ait, quia Christus dei est virtus & dei sapientia. Si igitur Christum semper loquamini, si semper eius verba meditemini, si præcepta eius in ore teneatis, digne os vestrum meditabitur sapientiam. Neque enim hæc sola est sapientiæ meditatio, si quis docere potest, vel latius in ecclesia disputare, contradicẽtes reuincere. Est quidem & hoc opus sapientiæ, sed alius amplius, alius autem minus. In alio hoc ipsum quod credit dei sapientiæ, sapientia reputatur: in alio & hoc quod acquiescit sapientibus & amat dicta sapientium, sapientia dicitur: nonnullis verò etiam interrogãtibus tantummodo de sapientia, sapientia reputatur. Illud solum obseruate fratres, ne quis vestrum inueniatur non solum non loqui nec meditari sapientiam, verum & odisse, atque aduersari iis qui studiũ sapientiæ gerunt. Solent enim imperiti habere etiam istud cum cæteris pessimum vitium, vt inanes & superfluos putent eos qui verbo & doctrinæ operam dederint, & amplectuntur magis imperitiam suam quàm illorum studia ac laborem: mutatisque nominibus exercitia eorum verbositatem, suam verò indocibilitatem vel imperitiam, simplicitatem vocant. Optimus tamen & ille est qui sapientiam probat actibus, & esse sapiens vitæ suæ probitate cognoscitur. Beatus ergo qui os suum aperit verbo dei, & proficiens ætate secundum Christum proficiet & sapientia. Certe si amplius non possumus in sapientia proficere, saltem illud obseruare non pigeat, in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus & in oratione vel honore dei frequentius aperire

Prou.13

K

1.Cor.1.

Imperitorũ vitium.

Col.3

L os nostrum. Est enim & hæc non parua sapientiæ meditatio, vt per hoc inueniatur semper os iusti sapientiam meditari. Non tamen mihi videtur ociosum quia non dixit, os iusti meditatur, quod vtique ad præsens tempus spectare poterat, sed dixit, meditabitur sapientiã: quod sine dubio ad futurũ respicit tẽpus, in quo etiam cæteri interpretes omnes absque vno consentiunt. Ne forte ergo aliquid mysticũ designet hoc tẽpus, quo scilicet indicetur futuræ repromissionis, & gratiæ & hæreditatis spes talis quædam futura, vt os iustorum non cibis & potu, neque delitiis & voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam repleatur. Vltra enim non erit aliquis imperitus in regno dei, nõ indocilis permanebit, nullus erit à rerũ scientia peregrinus: omnes efficiemur, si tamen merebimur, discipuli sapientiæ. Si quis hic positus imbuitur & instruitur in his quæ potuit in carne positus attingere, ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea quæ hic studio ac labore quæsita sunt, ad compendium futuræ inibi institutionis accedent. Qui verò hic nondum deposuit prima rudimenta, sed adhuc vt paruulus loquitur, & vt paruulus sapit, etiam ibi instituitur vt paruulus, quo effectus aliquando vir per profectum sapiẽtiæ quę paruuli sunt deponat. Aut nõ tale aliquid si spiritaliter intelligatur etiam lex designat, cum dicit: Loqueris in eis sedens domi, & pergens in via, & iacẽs,

In futuro sæculo nemo imperitus, sed tamen peritiores qui hic disciplinis imbuti sunt.

M & exurgens? Quod ita possumus intelligere: Sedentes in domo & iacentes, cum in ecclesia quæ est domus dei, loquimur verbum dei, in hoc scilicet corpore positi, pergentes in via, in illa quæ dicit: Ego sum via, loquimur verbũ dei: & exurgentes, cum exurrexerimus è somno mortis in resurrectione, tunc loquimur illa quæ perfecta sunt, exurgentes de somno mortis, sicut & Salomon dicit de eo qui sapientiam sibi amicam & familiarem fecit. Quia si sederis, sine timore eris, & si dormieris libenter somnum capies, & non timebis terrorem superuenientem, neque impetus impiorum irruentes super te. Sufficiant ista de eo quod scriptum est. [Os iusti meditabitur sapientiam] quibus additur: [Et lingua eius loquetur iudicium.] Duplici modo lingua iusti intelligitur loqui iudicium, siue pro eo quod omnia recto iudicio, & cum deliberatione & cum consilio loquitur quæ loquitur, & nihil per iracundiam, nihil vt hominibus placeat, nihil ex tristitia, nihil ex metu, quæ singula solent vtique non integrum hominibus seruare iudicium, vel certe quod semper de futuro iudicio loquitur iustus, vt commonẽs semper vel semetipsum, vel qui se audiunt, de futuri iudicij metu, & de suppliciis quæ præparata sunt peccatoribus, de futura examinatione, sed & de repromissionibus sanctorum quæ præparatæ sunt eis à deo, & semetipsum saluum faciat, & eos qui se audiunt. Et hoc modo complebitur, quia lingua iusti loquetur iudicium. Si verò

Deut.6

Prouer.3

A verò oportet etiam hic declinationem futuri temporis obseruare,quia non dixit loquitur, sed loquetur: possumus etiam in hoc tale aliquid intelligere,quia nunc quantumcunque illud est quod de dei iudicio vel loqui possumus vel sentire, necesse est nos illud scire quod definit Apostolus, dicens: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Si verò peruenire poterimus ad illam perfectionem, de qua dicit:Tunc autem facie ad faciem, id est, quum res ipsæ nobis euidentiores fient, quum cœperimus agnoscere rationem singularum rerum quæ in hoc mundo vel gestę sunt vel geruntur,quali iudicio gestæ sunt, vel quo iudicio deus vtatur in singulis, quibus prouidentiæ suæ dispensationibus: si quis dignus fuerit considerare & perspicere quomodo iudicia dei abyssus multa est: cum plenius recipere poterimus gratiam spiritus illius qui omnia perscrutatur etiam alta dei, tunc vere & integre secundum prophetici verbi distinctionem lingua iusti loquetur iudicia dei. [Lex dei eius in corde ipsius.] Non solum in ore iustus meditabitur sapientiam, & lingua loquetur iudicium, sed & in corde suo legem dei gerit: quia lex velut radix quædam in profundo cordis posita, germinat verba iustitiæ,verba sanctitatis, quæ profert iustus de corde suo,& non solum verbum, verum & actus etiam & gesta.Iudæi penè indesinenter legem dei ore suo & labiis meditantur,sed non habent ea in profundo cordis defixa,& propterea dicitur ad eos:Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Nos ergo si secundum hoc quod legimus ore nostro sapientiam meditemur, & lingua nostra loquamur iudicium,& lex dei sit in cordibus nostris, adipiscemur illud quod sequitur:[Et non supplantabuntur gressus eius.]

Rom.11. *1.Cor.13.* *Lex radix quædam.* *Esa.29.*

B Puto nos meminisse eorum quæ dudum de gressibus disputauimus, & opus est nos in memoriam reuocare quæ dicta sunt,vt videamus quomodo ingredientes quidam supplantantur & effunduntur gressus eorum, quod si seruatis in memoria & diligentius retinetis, scire debetis, quia si sapientiam dei meditemini in ore vestro,& lingua vestra loquatur iudiciũ,& lex dei sit in cordibus vestris,nunquam supplantabuntur gressus vestri.Post hæc ait: [Considerat,inquit, peccator iustum.] Considerat & intuetur peccator iustum,& grauis est ei ad videndum, & ideo considerat vt morti eum tradat:quod fecerunt sine dubio aduersus saluatorem illi qui prophetas occiderunt, & deum crucifixerunt, & nos persecuti sunt etiam nunc, & populum dei qui est Christi,id est, iustitiæ discipulos,considerant & morti tradere cupiunt,& quærunt mortificare eos. Sed quid dicit populus dei iustus & iustitiæ discipulus?Ille vtitur verbo magistri,& dicit:

C Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Potest hoc & in tempore persecutionis gentilium de sanctis martyribus & confessoribus aptari. Considerant enim impij persecutores vnumquenque iustorum,& quærunt mortificare eum.Sed ne securum reddat pacis tempore ista talis expositio, memento quia quotidianum habet iustus persecutorem diabolum, & ille est qui considerat iustum. Insidiatur enim semper, & sicut leo rugiens circuit quærens quem transuoret. Sed si fide plenus es,& confidis in domino,vide quid repromittatur. [Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius,] peccatoris scilicet, [nec damnabit eum cum iudicabitur illi.]Dupliciter intelligit hoc quod ait, iudicabitur illi, id est siue cum iudicatur iustus à deo,siue cum ipse deus iudicatur cum iusto. Frequenter enim diuina scriptura docet hęc fieri dicens: Quia ipse dominus in iudicium veniet.Cum ergo iudicabitur iustus cũ domino,non cōdemnabitur,& ideo dicit:[Expecta dominum.] id est si tribularis,si in angustiis es, si in persecutionibus, expecta dominum, & custodi viam eius, nec declines ad dexteram neque ad sinistram.Si enim indeclinabiliter expectaueris dominũ,adipisceris illud quod sequitur: [Et exaltabit te, inquit,vt hæredites terram.]Frequenter diximus de terra sancta,& de terra quæ in hæreditatem promissionum cœlestium nominatur,cuius naturæ etiam situs paulò euidentius in hoc versiculo designatur.Nam ista terra in qua nunc viuimus deorsum esse dicitur,secundum illud quod scriptum est: Deus autem in cœlo sursum,tu autem in terra deorsum. Illa autem terra quæ in hæreditatem iustis promittitur, non deorsum sed sursum esse promittitur. Propterea ad eum qui expectat dominum & custodit viam eius,ait repromissionis sermo:Exaltabit te vt hæredites terram.] Nisi enim quis exaltetur & ascendat in altum & efficiatur cœlestis,non potest hæreditatem terræ illius consequi.Vnde ego arbitror, quia sicut cœli istius,id est firmamenti, inferius solum arida hæc in qua nos habitamus,terra eius dicitur:ita & illius superioris quod principaliter cœlum dicitur,inferius solum in quo habitatores illi cœlestes conuersantur, & vt ita dicam dorsum ipsum firmamenti huius,merito(vt dixi)terra illius cœli esse dicitur: sed terra bona,terra sancta,terra multa,terra viuorum,terra fluẽs lac & mel:& ideo dicit nunc sermo diuinus: Exaltabit te vt hæredites terram. [Cum perierint peccatores videbis.] Fortassis hoc prius erit,vt peccatores & impios iusti videant condemnatos.Prius enim peccatoribus pœnæ & supplicia decernuntur: quæ cum viderint iusti, & agnouerint quid intersit inter bonam vitam & malam, & cum intellexerint bene viuendo de quantis euaserint malis, ita vt illi qui in pœnis sunt videntes eos in gloria dicant, nos stulti vitam eorum putabamus insaniam:postea ergo quam viderint quomodo pereunt peccatores, tunc ipsi exaltabuntur & afferentur ad cœlum vt hæreditent terram.Nunc iam sermo monet,& solamen adhibet causæ huic, quæ crebro satis cor pene omniũ hominũ pulsat. Nam quia frequenter nos infirmi videntes iniquos quosque,& impios in hac vita cum omni felicitate degentes & prosperis successibus florentes, abundare diuitiis,honoribus,fœcunda & vniuersa prole gaudere,delitiis fluitare,scandalizamur & dicimus in cordibus nostris: Vbi est iustitia dei? Si per prouidentiã diuinam res agerentur, permitteret deus hunc iniquum & impium in tantum felicitatis ascendere? Propterea ergo nunc sermo diuinus ex persona iustorum dicit: [Vidi impium non solum exaltatum, sed superexaltatum & eleuatũ non super arbores qualescũq; sed super cedros Libani:vt & arbor excelsa nimis sit, & locus montis cunctis excelsior, & tamen videns hæc omnia, transiui (inquit)& ecce non erat.Quid putas illud est quod transit iustus, vt ista cesset elatio?Si meministis in superioribus cum diceremus transisse Moysem vt videret visionem magnam,potestis & nunc scire quid est quod transire dicitur iustus. Cum videmus extolli impios,& in nimiam superbiam crescere, transeamus & nos mente & intellectu ab his quæ videntur & temporalia sunt,& transferamus sensum nostrum ad ea quæ non videntur, & æterna sunt. Cogitemus temporalia hæc esse & paucorum dierum quæ videntur elata. Intueamur iudicij diem, & ita sensu nostro cernemus istum qui superexaltatus est,& elatus sicut cedrus Libani, in die iudicij omnino non esse. Qui enim non est particeps illius qui semper est,id est qui dixit:Ego sum qui sum,iste neque esse dicitur. Denique peccatores non computantur esse.Vnde & Apostolus de vocatione gentium dicebat:Elegit deus quæ non sunt,vt ea quæ sunt destruat.Et in libro Hester dicitur: Non tradas domine sceptrum tuum his qui non sunt. Donec ergo quis miratur superbos in elatione sua, donec adulatur quis peccatoribus & superbis, certum est eum non transisse, nec vidisse quæ non sunt, sed permanere in hoc præsenti statu, & idcirco mirari in eis præsentem gloriã.Si autem eo modo transeat quo superius diximus, id est mente & sensu trãscendat à præsentibus & temporalibus ad futura atque perpetua, tunc verò dicit de eo quem viderit elatum sicut cedros Libani, quia transii, & ecce non erat: quoniam & cœlum ipsum & terra transibunt. Apud deum omnia quæ futura sunt iam pro factis habentur. Denique dicebat: Dederunt in escam meam fel. quod sine dubio futurum adhuc erat, & iam factum dicebatur. In siti mea potauerunt me aceto. & non dixit potabunt. Sic ergo apud deum quę futura sunt iam facta dicuntur. Quod si & tu imitator es dei, & imitaris Christum, non expectas quousque iste elatus humilietur & extinguatur, sed apud temetipsum, & in mente atque animo tuo transisse ea iam cernis, si ipse sensu ac mente transeas à pręsentibus ad futura. Accipe & exemplum ad hæc quæ dicemus. Si nauigas,in naui positus vides terras & promontoria & montes transeuntia: non quo illa continuo moueãtur,sed quia tu vento prospero flante transis, illa

Ioan.19. *Confessores erant qui omnia patiebantur propter Christi testimonium præter mortem Vnde eos coniungit cum martyribus* *Eccles.5* *In inferiore cœlo sancti habitāt* *Exod.3.* *1.Cor.1.* *Hester.14.* *Psal.69.*

G se subducere videntur, ac ferri: Ita & in hoc ergo si sancto spiritu tuo mentem tuam perflante & spirante secundo & prospero nauiges cursu, pertransis sensu tuo omnia hæc quæ videntur, quia tēporalia sunt, & intueris illa quæ æterna sunt, sine dubio dicis, quia hæc omnia quæ vidētur iam non sunt, quia nec futura sunt. [Vidi ergo impium superexaltatum & elatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.] Mouet me amplius adhuc aliquid in hoc loco. Video enim & alium impium qui exaltatur super cedros Libani & extollitur. Cum enim hęretici supra conditorem deū sibi fingunt alium quendam deum, & exaltantur atque extollūtur in verbo mēdacij, negātes creatorem omnium deum, deum esse bonum, impiis suis prædicationibus extolluntur supra cedros Libani, aduersariis scilicet potestatibus eminentes, quarum inspiratione huiuscemodi aduersus creatorem omnium deum commenta simularunt, pro eo quod legem secundum literam tātummodo intelligentes, & spiritalem eam esse ignorantes, decepti sunt in cogitationibus suis. Hos ergo ego si videam, & transeam, vltra iam non erunt. Quid transeam? si transeam literam, si transgrediar historiæ superficiem, & perueniam ad sensum spiritalem, quoniam lex spiritalis est, si omnia illa in quibus errant, & decipiuntur spiritaliter explanem, dogmata eorum impia & iniqua iam non erunt. Et ita complebi- H tur, vt exaltatus impius & elatus me transeunte iam non sit. Sed & cum quæritur locus eius non inuenitur. Locus impij dogmatis, litera legis est, quæ litera occidit. Cum ergo nos à litera occidente transimus ad spiritum viuificantem, ne locus quidem impij dogmatis repudiata litera potest inueniri. Quomodo autem quærimus eum? Cum disputamus aduersus eos & cum conquirimus ad inuicem, tunc quærimus locum dogmatis illius in litera legis historiæ, & ostenditur secundū historiam stare non posse: amota litera ac reiecta, nusquam vtique quærentibus nobis, & differentibus locus impij dogmatis inuenitur. [Custodi innocentiam & vide æquitatem.] Custodire innocentiam nos præcepit sermo deī. Intantum corruptela morum profecit in hominibus, vt apud quamplurimos innocentia pro stultitia iudicetur: verū scriptura summæ hoc virtutis iudicat opus, quia innocentiam iudicat illam quæ nemini noceat, neminem lædat. Dum ergo dicit custodi innocentiam, hoc est quod nos seruare præcepit vt neminem lædamus, nemini noceamus. Hoc autem obtinemus, si semper intento animo, & vigilanti videamus ęquitatem. Æquitatem ergo in hoc loco sic accipio, sicut veritatem, sicut iustitiā, sicut vitam, quod Christus est. Hæc enim videndo simul etiā deum videbimus. [Custodi ergo innocentiam & vide æqui- I tatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.] Requiro quę sunt reliquiæ istæ quæ homini pacifico reseruātur? Reliquias dicere solemus cum spiritus separatur à corpore, velut maiore parte hominum in spiritu deputata, quæ superest pars corporis reliquiæ nominantur. Si ergo credimus verbis apostoli dicētis quia seminatur corpus in corruptione mortis scilicet tempore, & surget in incorruptione cū resurrectionis tēpus aduenerit, cū etiā corruptibile hoc induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit immortalitatē, tūc erūt reliquię homini pacifico. Erūt autē ibi pacifici hominis reliquię in pace, & in requie. Dicit enim & domin⁹ de pacificis, quia etiam filij dei vocabūtur. Pater volo vt vbi ego sū, & isti mecū sint. Sunt ergo cum Christo reliquiæ hominis pacifici. [Iniqui autem exterminabuntur simul,] id est omnes pariter exterminabuntur, quia vnus finis erit eorum gehenna. [Reliquiæ impiorum peribunt,] tunc cum corpus & animam perditum dabit in gehennam is qui habet potestatem. [Salus autem iustorum à domino.] Sed melius dicit in græco. Salus autem iustorum apud dominum. Non dixit, in cœlo salus iustorum, & hoc enim præterit: nō apud aliquā creaturā, quia nihil immobile K vel immutabile: sed apud dominū salus est iustorū, qui semper manet, sēper idē est, sēper immobilis est, nec vsquā potest esse tutius salus hominis quā apud dominū. Ille mihi locus, ille mihi domus, ille mihi māsio, ille requies, ille sit habitaculū. Denique annūciatur nobis à sancta scriptura non solū regnū cœlorum, sed regnum dei. Vt & memini me iam sæpe dixisse, regnum cœlorum est eorū qui adhuc in profectionibus sunt: regnum verò dei eorum, qui iam ad perfectum venerunt finem. Vnde & nunc salus iusti apud deum esse dicitur, cum vtique perfectione vitæ vsque ad ipsum dominum meruerit peruenire. [Et protector est in tempore tribulationis.] Quod est tempus tribulationis, nisi hoc in quo sumus cum per arctā & angustam viam incedimus quæ ducit ad vitam? si tamen per angustam incedimus, quæ ducit ad vitam, & non per illā latam & spatiosam quæ diuitiis dilatatur, & luxuria dissoluitur, quæ in carnis voluptatibus emollescit, quæ præsentem gloriam diligit. Horum protector non deus est, sed mammona: eorum autem qui in tribulatione & angustia sunt, protector est deus, quia multæ sunt tribulationes iustorum. Tribulantur enim considerantes tempus iudicij & semetipsos discutientes, ne forte aliquid inueniatur in eis quod vocetur ad culpam. Qui ergo propter hoc tribulantur & solliciti sunt, erit deus protector eorum in tempore tribulationis, in tempore iudicij, cum tradentur impij ad pœnas: tunc L & adiuuabit eos dominus in tempore tribulationis, & eripiet eos, & auferet eos à peccatoribus, non solum ab hominibus peccatoribus, sed etiam à contrariis potestatibus, vel certe eo tempore cum anima separatur à corpore, & occurrunt ei peccatores dæmones, aduersę potestates, spiritus aëris huius qui eam volunt detinere, & reuocare ad se si quid in ea suorum operum gestorúmque cognouerint. Venit enim ad vnamquanque animam de hoc mundo exeūtem princeps huius mundi, & aereæ potestates, & requirunt si inueniant in ea aliquid suum: si auaritiam inuenerint, suæ partis est: si iram, si luxuriam, si inuidiam, & singula quæque eorum similia si inuenerint, suæ partis est, & sibi eam defendunt, & ad se eam trahunt, & ad partem eam peccatorum declinant. Si verò aliquis imitatus est illum qui dixit, ecce venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, si se aliquis ita obseruauit, veniunt quidem isti peccatores, & requirentes in eo quæ sua sunt, & non inuenientes tentabunt nihilominus ad suam partem violenter eum detorquere, sed dominus eripiet eum à peccatoribus. Et forte propterea iubemur cum quodā mysterio etiam in oratione petere, dicentes: Sed libera nos à malo. Sed causam qua eripiat iustos suos dominus à peccatoribus, siue in tempore exitus, siue in tempore iudicij, cum dies ille secundum prophetam necessitatis & angustiæ, dies obscu M ritatis & perditionis, iudicij dies aduenerit: tunc ergo causam qua eripi mereantur subiungit & dicit, [quia sperauerūt in eum.] Sperantes ergo in se eripiet & de tribulatione & de necessitate. Quomodo autē sperare debeat, volo tibi de scripturis sanctis ostendere. Sicut nemo potest duobus dominis seruire, ita nemo potest in duobus dominis sperare. Nemo potest in incerto diuitiarum sperare, & in domino. Nemo potest sperare in principibus, & in deo. Nemo potest sperare in viribus equi, & in deo. Nemo potest sperare in seculo, & in deo. Nisi enim in solo deo speraueris, & videat deus spem tuā in seculum æternum esse conuersam, & quia aliam nullam omnino spem geris nisi in ipso, qui viuificat mortuos, & vocat quæ non sunt tanquam quę sunt, non poteris eripi à peccatoribus. Solus est enim ipse qui saluos facit sperantes in se, per Christum dominum nostrum, cui est gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

Cōtra Marcionem & similes. — *Rom. 7* — *Reliquiæ corpora nostra.* — *Ioan. 17.* — *Regnum cœlorū & regnū D. differentia* — *Ioan. 14* — *Matth. 6*

FINIS HOMILIÆ QVINTÆ SVPER PSALMVM TRIGESIMVMSEXTVM.

HOMILIA

D

A

HOMILIA PRIMA IN PSALMVM TRIGESIMVMSEPTIMVM.

Domine ne in furore tuo.

CReator humanorum corporum deus sciebat quod talis esset fragilitas humani corporis, quæ languores diuersos posset recipere, & vulneribus, aliisque debilitatibus esset obnoxia: & ideo venturis passionibus prouidens, etiam medicamenta procreauit exterra, & medicinæ tradidit disciplinam, vt si accideret ægritudo corpori, non deesset medela. Quo nobis tendit ista præfatio? Ad animam sine dubio reuocatur. Quoniam & ipsam cum creator omnium condidisset, sciebat quòd futura esset vitiorum capax, & ob hoc subdita atque obonerata peccatis. Et ideo sicut corpori medicamenta præparauit ex herbis arte disciplináque compositis, ita etiam animæ medicamenta præparauit in his sermonibus quos per diuinas scripturas seminauit atque dispersit: vt hi qui aliqua ægritudine fuerint oppressi, statim vt vim morbi senserint, atque alicu- B ius vulneris stimulum dolorémque perspexerint, id est, cum viderint animam aliquid præter naturam gerentem, requirant aptam & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ eis ex præceptis dei possit mederi. Nam tradidit & medicinæ artis industriam. Cuius archiatros est saluator dicens de se, quia nō opus habent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Et ille quidem erat archiatros qui posset curare omnem languorem & omnem infirmitatem: Discipuli verò eius Petrus vel Paulus, sed & prophetæ medici sunt, & hi omnes qui post Apostolos in ecclesia positi sunt, quibúsque curandorum vulnerum disciplina commissa est, quos voluit deus in ecclesia sua esse medicos animarum, quia non vult deus noster mortem peccatoris, sed pœnitentiam & orationem eius expectat. Denique & iste psalmus qui nunc lectus est, nobis ostendit, vt si forte aliquando præuenimur in delictis, qualiter nos & cum quo affectu orare oporteat, & medico supplicare pro doloribus vel infirmitatibus nostris. Si quando ergo præoccupauerit nos inimicus & ignitis iaculis suis vulnerauerit animam nostrā, primo hoc nos docet hic psalmus, quod conuenit post peccatum confiteri peccatum, & in memoriam recordari delictum, vt per recordationem culpæ stimulatum cor & concitatum pro delicto suo, interim refrenet ac reuocet, ne quid tale vltra committat: & propterea puto superscriptum esse ipsum psalmum, Psalmus Dauid in recordationem. Quid sit autem in recordationem, C per totum ipsius psalmi corpus enarrat. Videamus ergo nos omnes peccatores, si in aliquo delicto fuerimus inuenti, vel quid dicere, vel quid facere debeamus, vt cum hæc in scriptura sacra didicerimus, etiam medelam vulneris nostri consequi mereamur. Bonum quidem erat semper corpus (vt ita dixerim) animæ nostræ in sanitate durare, & armis dei circundatum ab omnibus telis ignitis diaboli maligni inuulnerabile permanere, nullius lāguoris, nullius ægritudinis quicquam experiri, nihílque interiorem nostrum hominem vitij morbíque suscipere. Quod si per negligentiam sui, atque animi desidiam incurrerit in peccatum, quid ipsum consequatur agnoscat. Argui vel corripi est doloris pœna, cruciatus & ita grauis est, vt etiam hi qui fideles & religiosi videntur, si forte vt homines aliquando in delicto aliquo incurrerint & arguantur, indignentur aduersus eos qui arguunt, & oderint eos. Corripiunt enim vt emendent. Et hoc malum fuit in causa, vt etiam à priori populo in odium haberentur prophetæ, persecutionibus agitarentur. Hoc fuit causæ quod Esaiam secari fecit, quod Zachariam inter templum & altare compulit trucidari. Hieremiam in lacum cœni demergi. Et ad vltimum hæc fuit causa quæ dominum nostrum Iesum Christum egit in crucem. Omnia enim quæ suprà enumerauimus scelera atque flagitia, non alia ex causa commissa sunt, nisi quod dum omnes in medicinali disciplina resecari per correptionem delinquentium nolunt, curæ impatiens populus & medelæ, in perniciem medentis exarsit. Beati ergo sapientes iam ex ipsa scriptura appellantur hi, qui cum deliquerint si arguantur non oderunt arguentes. Ita enim dicit scriptura: Noli arguere malos ne oderint te, argue sapientem & amabit te. Vides quomodo sapientem appellauit scriptura eum qui correptioni obnoxius est, non tamen odit, sed magis diligit arguentem? Tales erant illi qui ab Apostolo arguebantur, & confutati non oderant arguentes. Vnde & ego arbitror illum qui in Corintho grauissime deliquerat, idcirco misericordiam consecutum, quoniam correptus ab apostolo, & ita acerbe correptus, vt à conuentu absciderderetur ecclesiæ, non tamen odio habuit arguentem, sed animaduersionem patienter accepit, & fortiter tulit. Ego arbitror quod etiam maiorem affectum concepit erga Paulum, atque erga omnes qui statutis Pauli in eius animaduersione paruerant. Vnde & Paulus sententiam reuocat, & eiectum reconiungit ecclesiæ, & addit dicens: Confirmate in eum charitatem. E Vidit enim eum post animaduersionem conseruasse charitatem: & ideo dixit vt etiam post peccatum non tam tribueretur ei charitas, inerat enim, sed vt ab omnibus ea quæ inerat firmaretur. Necesse est ergo eum qui peccat argui: sed quoniam grauis nobis infirmioribus, quamuis sit vtilis ista correptio, ferte eam sub omnium præsentia deuitamus. Et quid dico omnium præsentia? Interdum ne duos quidem cum arguimur adesse patimur testes, sed culpamus arguentem, & dicimus: Oportuerat te soli mihi dicere quæ velis, & nō sub multorum præsentia facere mihi ruborem. Dolemus, iactamur, efferuescimus, & in interioribus animæ sensibus cruciamur. Quod si talis correptio est qua ab hominibus vel corā hominibus arguimur, quid faciamus si deus nos arguat, si ipse deus confutet & arguat in furore? nos qui episcopi arguentis iracundiam ferre non possumus, sed indignāter accipimus, illū furorem qui dei esse dicitur, arguentem nos quomodo tolerabimus? Sciés ergo propheta quamplurimas esse differentias arguēdi, & volens quasi homo pro delictis quidē argui, verens autem ne grauiori pondere, id est, ne in furore domini argueretur, ait, sicut iam & in alio psalmo ante dixerat, etiam hic: Domine ne in furore tuo arguas me. Similiter autem dicit & quod sequitur: Neque in ira tua corripias me. Oportet ergo nos aliqua & de correptione dicere, de qua generaliter nos Apostolus docet dicens: Omnis quidem correptio ad præsens non videtur gaudij esse, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum his qui per eam F exercitati sunt reddet iustitiæ. Et videte etiam pueros, quemadmodum cum corripiuntur verberibus à pædagogis, vel doctoribus excitantur, moleste quidem accipiunt, & summum malum iudicant dolorum illum, qui eis causa eruditionis infligitur: & quamuis profectus suos in huiuscemodi eruditionibus, vel correptionibus esse positos non ignorent, tamen moleste atque impatienter ferunt. Quod si eruditio puerorum huiuscemodi est, quid sentire debemus de nobis senibus, qualem nobis vel eruditionem, vel correptionem imminere censemus, quæ nos à dispēsatoribus, neque à pædagogis infertur? Nouit quippe scriptura pædagogum & dispensatorem & procuratorem paruuli. quid inquam existimare, vel sentire debemus, cum ab ipso patrefamilias eruditio nostra facta fuerit, atque correptio? Iterum redeamus ad similitudinem puerorum. Si corripiatur puer à pædagogo, non erit necesse eum correptionem paternæ austeritatis agnoscere, quæ ex grauioribus delictis ac flagitiosioribus prouocatur. Si corripiatur à doctore puer, non ita austerus erit magister sicut pater esse potest, si grauia delicta in filio cognouerit. Si enim corripiat pater pro maioribus grauioribúsque peccatis, & tantum sit commissum filij quod ad ira-

Christus princeps medicorum Apostoli & Prophetæ medici animarum.

Veritas odium prophetis peperit.

Prouer. 9.

1.Cor.5.

2.Cor.2.

Episcopi concionabantur.

Plurimæ arguendi differentiæ

Psal. 6.

Heb.12.

G cundiam cõcitauerit patrem, sine dubio post cruciatus, post supplicia etiam abdicationis pœna metuenda est. Si intellexisti similitudinem, transi mihi ab exemplo ad rem, & intellige de nobis omnibus quæ dicuntur. Omnes episcopi, atque omnes presbyteri, vel diaconi erudiunt nos, & erudientes ad hibent correptiones, & verbis austerioribus increpant. Est autem quando erudimur etiam à procuratoribus, & actoribus, id est, ab his angelis quibus creditæ sunt dispensandæ & regẽdæ animæ nostræ: quemadmodum describitur in quodam loco angelus pœnitentiæ, qui nos suscipit castigandos, sicut Pastor exponit, si cui tamen libellus ille recipiendus videtur. Interim diuersis eruditionibus succumbimus nos homines castigantibus nos & corripientibus: nondum tamen ab ipso patrefamilias castigamur, sed à procuratoribus angelis, qui vniuscuiusque nostri castigandi atque emendandi sortiuntur officium, & est tolerabilius cum ab aliquo horũ corripimur. Sic quoque interdũ etiam pædagogo commissa est nostra correptio. Nam quicunque sub lege erant, quoniam lex pædagogus noster fuit in Christo, delinquentes in lege à pædagogo corripiebantur, cum puniebantur ex lege. Puniebantur enim vel cum lapidabãtur, vel cum aliquid eorum quæ Moses scripserat perferebant. Nullus ergo eorum de quibus superius diximus ab ipso patrefamilias puniebatur. Non enim erat paterfamilias lex, neque angelus pœnitentiæ. Sed sunt alia peccata pro quibus peccantem ipse paterfamilias punit, eum videlicet qui mensuram facinorum supergressus, vltra creaturæ contumeliam sceleris sui impietate tetendit. Nec tamen alius quis nouit præter deum solum, qui vel

Non tãtum episcopi & presbyteri sed & diaconi concionabantur.

Pastor liber Apocriph.

Peccata quæ deus per sese punit.

H quando procuratoribus tradi debeat castigandus, vel qui corripiendus actoribus quando etiam qui subiici debeat pædagogo, cui etiam inferiores sint horum omnium correptiones, si quis scilicet talis est qui ipsam (vt ita dixerim) diuinam manum in suam prouocet vltionem. Si intellexisti quæ dicta sunt, si altiorem secutus es intellectum, intuere nunc qualiter hæc propheta prosequitur, cum dicit: [Etiam si corripis me deus, noli me in ira corripere.] Sed nos nec corrigi volumus, nec pædagogum patimur commonentem, neque procuratorum vel actorum correptiones libenter accipimus & propterea ab ipsa ira dei correptionem nobis induci necesse est. Propheta enim dicit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed qui hoc dicit, debet proferre aliquam rationem, quare nolit vel in furore argui, vel in ira corripi. Et quæ sit ista ratio videamus, vt nos si delinquimus hanc rationem dicentes, & facientes secundum hoc quod docemur, non incurramus in vindictam furore arguentis, vel ira corripientis. [Quoniam, inquit, sagittę tuæ infixę sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.] Sermo domini sagittis est similis. denique & saluator ita dixit: Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me. Qui ergo loquitur sermonem domini, sagittas iaculatur. Et cũ loquitur corripiens & castigãs, correptionis iaculo cor perforat audientis. Qui ergo ita suscipit verba domini, vt ex

Sermo dei sagittæ

Esa. 49

I his quæ audit sermonibus cor suum configatur, & per stimulum eorum quæ dicta sunt ad pœnitẽtiam suscitetur, certum est quoniam in illum in vanum non abiit sermonis dei iaculum, neque transuolauit, sed in ipso omnes illæ sermonum dei defixæ sunt sagittæ. Denique ita & quodam loco ait: Vidisti quomodo compunctus est Achab? Merito ergo & nunc dicit propheta: [Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.] Digna est enim causa quæ subsequitur, quæ ab eo correptionem furoris domini debeat temperare, quoniam sagittę tuæ infixæ sunt mihi. Verbi gratia, & nunc si ex ista omni multitudine auditorum sint aliqui conscij sibi in aliquo peccato, atque vtinam quidem nullus sit, veruntamen necesse est esse aliquos conscios sibi, & hi si his auditis quæ loquimur recte & fideliter audiant & compũgatur cor eorum ex iaculis verborum nostrorum, & transfixi talibus iaculis doleant, & conuersi ad pœnitentiam dicant: [Domine ne in furore &c. quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.] Si verò audiens hæc non compungatur, sed tanquam in corpore iam emortuo ita in anima eius nulla sagitta, nulum iaculum sensum doloris inueniat, nec vllam recordationem suorum capiat peccatorum: iste quippe dignus est

3 Reg. 21

vt stimulis furoris domini corripiatur, atque iræ eius correptionibus arguatur. Non enim potest dicere domino: [Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.] Atque vtinam omnes nos audiant conpuncti & stimulati ex his quæ dicuntur, atque ad pœnitentiam conuersi dicant ad doctorem, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & dum castigas nos verbo dei, dum verberas, dum in interioribus nos conscientiæ percutis: [Confirmasti super me manum tuam.] Confirmat namque manũ supra pueros pædagogus dum verberat & emendat, & confirmat manus cum verbera non negligenter, aut leuiter infliguntur. Ita etiam domino dicere quis potest cum miserit sagittas, sed per quoscunque vult mittere sagittas verborum suorum, quoniam confirmasti super me manum tuã. Cum enim manus domini adsit, qui emittit verborum iacula & infigit sagittas in auditorum animam, merito etiam domino dicit, quoniam confirmasti super me manum tuam: [Nec est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.] Propterea ergo rogo non ipsius iræ tuæ potentiam experiri, quoniam iudicium eius tantummodo accipiens & solam quodammodo faciem eius videns, quæ ex solis verbis diuinæ scripturæ deformatur, iam doleo omne corpus meum, & conturbor: nec est vlla sanitas in carne mea, neque pax ossibus meis, tantum quòd faciem iræ tuæ ex scripturis sanctis non tamen ipsam iram sentire, vel videre visus sum. Et si ex hoc solo talia sunt quæ patior, propter hoc oro vt nõ ipsam iram patiar. Vide ergo si nõ manifeste hæc dicũtur in eo quod ait: [Et confirmasti super me manum tuam: Nec est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.] Potuit dicere, ab ira tua, sed nunc ait à facie iræ tuę. Si enim dixisset ab ira tua, superfluum erat illud sine dubio quod superius dixit: Ne in ira tua corripias me. Nunc autem dixit, non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Quoniam quidem sola facies iræ tuæ, id est, consideratio ipsa indignationis, ita me perterruit & conuertit, vt iræ tuæ iam in me locus esse non debeat. [Nec est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.] De eo qui apud Corinthum peccauerat iudicauit Apostolus, dicens: Tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis. Nunquid putandum est quod iniquum fieri volebat quem dicebat tradi debere Satanæ in interitum carnis? Quin potius apparet, quoniam pro salute eius tradebat carnem eius in interitum. Denique addit dicẽs: Tradidi eiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die domini. ostendens non posse saluari spiritum, nisi caro in interitum traderetur. Quis ergo sit interitus carnis, audi: Quia quod interierit, sine dubio mortuum est. Viuit autem caro in peccatore, mortua est caro in homine iusto. Propter quod & iusti dicunt: Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Et iterum: Mandatum accepimus dicens, mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Et beatus qui mortuus est peccato. secundum quod dictum est: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita viuit propter iustificationem. Tradi ergo in interitum carnis tale est, vt emoriatur sensus carnalis in nobis, & non viuat carnis cupiditas in ea. Ex eo enim quod moritur sensus carnis, vt non secundum carnem sapiamus, spiritus saluus efficitur. Alioquin dum viuit sensus in nobis carnis, & caro viuit, non possumus de spiritalibus sapere. Hoc ergo modo Apostolus tradidit in interitum carnis eum qui secundum carnem vixerat, vt sensu carnis emortuo spiritus in die domini saluaretur. Si intellexisti apostolicum sermonem, ad id quod propositum est reuertamur. Vtinam in corpore meo siquando delinquo, & delictum ex sensu carnis venit, superduceretur interitus carnis, vt spiritus saluaretur. Si enim caro infirmatur, sine dubio proficiens infirmitas etiam ad mortificationem peruenit carnis: & tunc est quod recte dicitur: [Quoniam non est sanitas in carne mea.] Si vero non infirmatur quidem caro, sed redit ad sanitatem suam, idest, vt sapiat quæ sunt carnis, ac desideret malum, tunc sanitas est in carne, quod vtique spiritui non est bonum. Iste ergo qui arguitur, & recusat per furorem domini argui, atque iracundia eius corripi, iustissimas causas huius excusationis ostendit, asserens se sagittis verborum dei esse confixum, & ita

K L *1 Cor. 5* *2 Cor. 4.* *Col. 3.* *Rom. 6* M *Tradi in interitum carnis.*

A & ita turbatum, atque perterritum à sola facie ire domini, vt nulla prorsus in carne eius sanitas, id est, nullum peccandi vltra desiderium manserit. Memini me aliquando de illo capitulo euangelij disputantem, in quo scriptum est: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, tale aliquid sensisse: quod antequam Saluator noster veniret ad crucem, & crucifigeret carnem, atque emori eam faceret, antequã perfecte mortificaretur, prius dixit infirmari carnem suam: & donec infirmabatur quidem caro, spiritum promptum esse dicebat: cum verò cruci eam tradit, & perfecta morte consumat, tunc non iam promptum spiritum, sed in manibus patris positum esse testatur. Hæc autem ille in se describens nostris eruditionibus præbebat exemplum. Propter nos enim & nobis infirmus erat. Ideo consideremus nosmetipsos, si infirma est caro nostra, si non delitiis luxuriáque resoluitur, hæc ei vitiosa sanitas præsto est: Vide si per abstinentiam quotidianam infirma efficitur caro, si per continentiam desideria refrenantur, libido comprimitur, vitia conquiescũt: tunc etiam si nondum emortua est, tamen non est sanitas in carne tua, sed etiam membra tua interim mortificata sunt super terram. Quid est autem quod facit sanitatem in carne non esse? Si sentiamus faciem iræ dei. Dum enim recordamur iram dei, & ante oculos vultum eius adducimus ex ipsa institutione eius, quæ propter hoc facies iræ appellata est, B conturbata & exterrita caro infirmatur atque languescit. [Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.] Etiam hæc debet dicere qui peccauit, & post peccatum peccasse se recordatur, sicut ipse Dauid dicebat in quinquagesimo psalmo: Et peccatum meum coram me est semper. Sunt quidam qui cum peccauerint securi sunt prorsus, nec cogitant de peccato suo, nec venit ad sensum eorum quid male gesserint, sed ita viuunt quasi nihil omnino commiserint: isti ergo non possunt dicere, quia peccatum meum coram me est semper. Cum verò post delictum quis consumitur & affligitur pro delicto suo & conscientiæ stimulis agitatur, mordetur sine intermissione, atque occultis confutationibus impugnatur, iste merito dicit: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Est sanè facies quædam etiam peccatorum, & (vt ita dixerim) color quidam & species, per quam recordari & recognosci solent ea quæ aliquando commissa sunt. Cum verò ante oculos cordis nostri statuerimus peccata nostra, & vnumquodque intuentes, recognoscentes, erubescimus, factíque pœnitemus, tunc conturbati, & exteriti merito dicimus nos non habere pacem in ossibus nostris à facie peccatorum nostrorum. Addat etiam hæc qui pœnitet pro peccatis suis, & dicat: [Quia iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me.] Qui enim nec dolent, nec grauantur pro peccatis suis, sed securi sunt atque in deliciis fluitant, hæc dicere nõ possunt, C nec sentiunt quod iniquitates quidem suæ excrescunt, & vltra capitis sui vadunt proceritatem, ipsi verò decrescũt, & in nihilum rediguntur, & ideo non possunt dicere: Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quomodo enim possunt dicere illi qui in delictis suis non solum delectantur, verumtiam exultantes mala sua præferunt? Quibus profecto peccatum suum, non onus efficitur, sed voluptas. Non est ergo illorum dicere hæc, sed eorum quibus libido iam sorduit, quibus vitia horruerunt, à quibus denique deprehensa est omnis præsentium gratiarum voluptas esse pro nihilo, quia postea omnino nulla futura est. Isti sunt qui possunt etiam dicere hæc quæ sequuntur. [Quoniam fœtuerunt & putrefactæ sunt cicatrices meæ.] Nolite (inquit Saluator) mittere margaritas vestras ante porcos: ibi appellans eos qui peccatorum fœtoribus delectantur sicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem suauissimum expetunt. Considera ergo peccatorem qui peccatis suis delectatur, & lætus est in malis suis: quoniam & ipse in stercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccati stercore redditur, percipit sensum, velut in summis voluptatibus & gratissimis delitiis delectatur. Si verò istum eueniat aliquando porcorum quidem sensum odoratúmque deponere, & sensum verbi dei percipere, ita vt possit sentire fœtorem peccatorum suorum: statim conuersus ad pœnitentiam, & emendationem requirens, impatiens proprij fœtoris efficitur, proclamans ad cœlestem medicum atque ostendens cicatrices putrefactorum suorum vulnerum dicit: Fœtuerunt, & putrefactæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Recte autem hic peccatum insipientiam nominauit. Nemo enim sapiens id aliquando committit. [Miseriis afflictus sum, & curuatus vsque in finem.] Sed videas aliquando eum qui peccauit mœrentem, & contristatum tristitia quæ secundum seculum est: quæ enim secundum deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Iste verò dicit, quoniam miseriis afflictus sum, & curuatus sum vsque in finem. Propterea fortassis ipse sanctus Apostolus dicit sciens se aliquando peccasse: Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Peccauit enim etiam ipse cum persecutus est ecclesiam dei. propter quod dicit: Non sum dignus vocari Apostolus. Miseriis ergo afflictus sum ait. Non dicit affligor adhuc. Si enim transierunt iam peccata mea, afflictus sum miseriis: si autem permanent, & in ipsis conuersor adhuc, affligor miseriis. Miseriis ergo, inquit, afflictus, & curuatus sum vsque in finem. Si videas eum qui peccauit non posse respicere in cœlum, sed curuato corpore demersóque in terram vultu non solum corporis sed & animæ, & contorquentem sicut circulum collum suum, intelligis quomodo quis curuatur vsque in finem. Si verò vis etiam per exempla cognoscere quomodo peccatis suis vnusquisque curuetur, ita vt suspicere non possit, nec in cœlum eleuare oculos suos: E intuere illum publicanum, qui in euangelio ingressus templum, & delonge stans, nec audens leuare oculos suos in cœlum, sed percutiens pectus suum, & confitens peccata sua, dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Huic nimirum conuenit dicere, quia curuatus sum vsque in finem, & tota die contristatus ingrediebar. Hoc autem dicens, velut affectum ipsum & animam pœnitentis exponit dicentis: Ex quo peccaui, nunquam risi, nunquam lætatus sum, nunquam mihi ipsi aliquid iocunditatis indulsi, sed semper in mœrore fui, semper in pœnitentia, semper in luctu. Tale est illud quod in Euangelio præcipitur, dicente domino: Beati qui lugent, & beati qui flent. Econtrario autem si quis peccator sit, & multis malis obnoxius, & hic nullo flagitiorum suorum stimulo pulsatus, insuper etiam & rideat, & lætus sit atque iocundus, nec in aliquo conscientiæ stimulis agitetur, vide si non huic illa conuenit dici quæ scripta sunt: Væ ridentibus nunc, quia lugebitis, & plangetis: [Tota die contristatus ingrediebar, quoniam renes mei completi sunt illusionibus.] In renibus vel in lumbis humanorum seminum receptaculũ esse dicitur: ex quo illud genus indicatur peccati quod per libidinem geritur. Huius nanque opus res est illa quam Apostolus inter prima sacrilegia designauit, dicens: Tollens ergo F membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Cum ergo quis propensius, & incontinentius in huiuscemodi lasciuiam fluxerit, tunc renes eius, vel lumbi repleti esse illusionibus asseruntur. Illusio enim est diaboli illudentis hominem atque huiuscemodi peccati incontinentiam prouocantis. Non ergo mirum est si peccatorum hominum renes illusionibus repleti sunt, cum & Iob de dracone qui diabolus intelligitur, ita dicat: Virtus eius omnis in lumbis est, & potentia eius in vmbiculo ventris eius. Virtus ergo diaboli præcipue circa lumbos hominis est, vnde fornicatio, adulteriáque procedunt, vnde puerorum corruptio, vnde omnis spurcitia generatur. Ita sanè etiam mulierum circa vmbilicum ventris est culpa, quod honestiore voluit indicare sermone, in quibus videlicet vtrisque draconis diaboli virtutem, potentiámque esse designat. [Et non est sanitas in carne mea.] In hoc profectum suum ostendit, & proximum esse ad mortificationem carnis indicat atque interitum eius. Nam ideo hoc & hic secundo repetit, vt adhibitum iam esse remedium tentationum molestiis declararet. [Afflictus sum, & humiliatus sum valde.] Festiuitatibus domini panem nos afflictionis edere iubemur, & in ipsis festiuitatibus dicitur, vt humiliet homo animam suam: & cum festiuitas propitiationis indicitur, dicitur: Humiliate animas vestras. Quoniam ergo qui pœnitet pro delictis suis seipsum affligit, humi-

Mat. 5. | Peccatum insipientia. | Duplex tristitia. | Rom. 7. | 1. Tim. 1. | Mat. 5. | Luc. 6. | In renibus sedes libidinis. | 1. Cor. 6. | Iob. 40. | Potentia diaboli circa lumbos præcipua. | Iudith. 8.

G liat sicut & ille publicanus, de quo superius diximus, propterea & consequenter dicit in eo quod se ex corde pœnitere cognoscit, obsecrans ne in furore domini arguatur, neque ira eius corripiatur, ex hoc quod dicit: Afflictus sum, & humiliatus sum valde. Non enim solum afflictus sum, neque solum humiliatus sum, dicit, sed valde afflictus sum, & valde humiliatus sum. Vt exempli gratia dixerim, si diues aliquis secundum seculum in multa affluentia positus, & hic subito decidat atque in egestatem vltimam redigatur, domo quoque pulsus & patria, insulis ac scopulis relegatus squalentem atque infelicem in solicitudine exigat vitam. tunc deinde recordatus patriæ ac parentum, nobilitatis, familæ, bonorum substantiæ, diuitiarum abundantię ac totius illius vitæ qua in deliciis vixerat, quibus iste planctibus quibus mugitibus recordationem priscæ beatitudinis recolet, vt sit ei maior pœna recordari quæ perdidit, quàm pati quæ perferat? Ad huius exẽpli similitudinẽ intuere mihi etiam eum qui vitam in sobrietate & castitate iustitiáque transegit, qui in actibus bene sibi conscius erat: iste si decidat de patria sua, id est de ecclesia, in insulam quandam, atque in horrentes scopulos quæ peccati sedes est propellatur, & ex facultatibus ac diuitiis suis quæ erant ei in omnibus operibus suis bonis, deuoluatur, & videat se in vltima paupertate positum: omnes enim eius iustitiæ quas fecit non reminiscentur propter pec-H catum: si se ergo in talibus videat, quibus gemitibus, quibúsque rugitibus proclamabit, dicens: [Rugiebam à gemitu cordis mei? Domine in conspectu tuo omne desiderium meum, & gemitus meus:] Omnia ergo ex quo deliqui, siue concupiui concupiscentiam secularem, siue quid aliud commisi, omnia ante te profero, & in orationibus meis in conspectu tuo pono. [Et gemitus meus à te non est absconditus.] Nosti enim quia semper ingemisco. [Cor meum conturbatũ est, & deseruit me virtus mea. [Tu vide domine cor meum, quia conturbatum est pro peccatis meis. Et consequenter exoro ne in furore arguar, neque in ira corripiar. Quod si mea me fortitudo deseruit, sine dubio fui aliquando fortis, & conuersatio mea fuit bona, postea verò cecidit, quia [deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.] Hæc vox illius videtur esse qui post illuminationem, post traditionem doctrinæ, post agnitionem veritatis in tenebris decidit. Ne ergo & nos eadem patiamur, sed potius vt lumen nostrum sit semper in nobis & opera lucis agentes habeamus fiduciam tanquam filij lucis in Christo Iesu, semper oremus, & deum patrem incessabiliter deprecemur, cui est gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

I

Homilia secunda de eodem Psalmo ab illa parte: Amici mei, & proximi mei.

QVI pro peccatis suis confitetur deo, & animo dolet dum pœnitet, sciens post exitum vitæ quæ pœna immineat peccatori, hæc dicit, exponens quanta pati necesse sit eum qui se ad pœnitẽtiam emendationémque conuertit, quomodo derelinquant eum amici & proximi sui, & longe efficiantur pro eo quod ipse se ad exomologesin peccati sui mœrorémque conuertit. Dicit, ergo [amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.] Intellige mihi fidelem quidem hominem, sed tamen infirmum, qui etiam vinci ab aliquo peccato potuit, & propter hoc mugientem pro delictis suis, & omnimodo curam vulneris sui sanitatémque requirentem, licet præuentus sit & lapsus, volentem tamen medelam ac salutẽ reparare. Si ergo huiusmodi homo memor delicti sui confiteatur quæ commisit, & humana confusione paruipendat eos qui exprobrant eum confitentem, & notant vel irrident: ille autem intelligens per hoc veniam sibi dari, & in die resurrectionis pro his quibus nunc confunditur coram hominibus tunc ante angelos dei confusionem atque opprobria euasurum, vt nolit tegere & occultare maculam suam, sed pronunciet delictum suum, nec velit esse sepulchrum dealbatum; quod deforis quidem appareat hominibus spe-K ciosum, id est; vt videntibus se quasi iustus appareat, intus autem sit repletus omni immunditia & ossibus mortuorum. *Matt. 23* Si ergo sit aliquis ita fidelis vt si quid conscius sit sibi, procedat in medium, & ipse sui accusator existat: hi autem qui futurum dei iudicium non metuunt, hæc audientes cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalizantibus nõ vrantur, cum lapsis non iaceant, sed dicant longe te fac à me, neque accedas ad me, quoniam mundus sum: & detestari incipiant eum quem ante admirabantur, & ab amicitiis recedant eius qui delictum suum noluit occultare: super his ergo consequenter dicit qui exomologesin, id est, confessionem, facit. Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt, & proximi mei delonge steterunt. *Exomologesis.* Sed hæc non oportet formidare eum qui post delictum saluari cupit, neque notam eorum pertimescere, qui sua quidem peccata non cogitant, nec memores scripturæ sunt diuinæ dicentis: Noli improperare homini conuertenti se à peccato, sed memor esto quoniam omnes sumus in culpis. *Eccl. 8* Non ergo cogitet de talibus sed cogitet de anima sua, exorans deum, vt ab ipso exaudiatur, & subleuetur post casum suum, vt possit etiam dicere quæ sequuntur: [Quoniam iniquitatem meam ego pronunciabo, & cogitabo pro peccato meo.] Licet amici mei, & proximi mei contrarij sint, & propinqui mei longe se faciant à me, dum ego ipse mei accusator efficior, dum crimina mea nullo me arguente confiteor, L dum nolo imitari eos, qui etiam cum in iudiciis arguantur, & testibus conuincantur, & tortoribus etiam arguantur, tegunt tamen mala sua, & plus apud eos obtinet commissi pudor quàm cruciantis pœna. Ego verò qui scio nihil latere deum, sed nuda esse omnia & manifesta in conspectu eius, quicquid abscondo, occulto quod nouit, cur non potius ipse me arguo, ipse me confuto? quid expecto accusatorem, cum accusator meus conscientia mea mecum sit? Sic forte & ille mihi parcet, si mihi ipse non parcam. Ergo [proximi mei delonge steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui quærebant mala mihi locuti sunt vanitatem.] Hæc iterũ de aliis dicit. Sunt enim quidam qui quærũt mala iusto, & non sic gaudent cum audierint de bonis eius aliquid, sicut gratulantur cum audierint mala, & velut insultant cum in malis aliquibus viderint iustum. Et isti sunt qui cum viderint iustum confitentem peccata sua, velut noxium quoddam euomunt virus propter quod dicit: & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui quærebant mala mihi locuti sunt vanitates. Et vere manifestissime peruidetur, quia non solum ij qui iusto quærunt mala, sed etiam M omnis qui cuicunque mala conatur inferre, loquitur vanitatem. Non enim loquitur ea quæ secundum deum sunt, qui quærit agere mala. Vnde oportet magis quærere bona. Vtinam possemus etiam his qui oderunt nos reddere bona pro malis, & inimicis nostris vel suadere quæ bona sunt, vel optare feroces animos eorum ad concordiam atque pacem reuocare, vt per hoc efficiamur filij patris qui in cœlis est, qui solem suum oriri iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. [Qui ergo quærebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolum tota die meditabantur.] Vide insidiatorem iusti. Iam enim iustum voco eum qui in primis sui ipse accusator efficitur, sicut sermo scripturæ designat. Nam vt illum sapientem dicit scriptura, qui cum arguitur non odit arguentem, sed insuper diligit eum: sic & iustus dicitur qui post delictum non permanet in delictis, *Matt. 5* nec expectat diabolum fieri accusatorem suum, neque vt ille proferat in medium peccata ipsius, sed ipse se arguit, & conuincit, & per confessionem suam liberatur à morte. [Qui enim quærebant mala mihi locuti sunt vanitatem, & dolum tota die meditabantur. Ego autem velut surdus non audiebam:] Nihil hac virtute præclarius, nihil excellentius inueniri potest, vt audiens vnusquisque maledicos atque obtrectatores suos male loqui, carpere, detrahere, incusare, ipse auertat aurem suam quasi non audiens, & declinet oculum suum tanquam non videns, ne iracundia exasperetur, & prosiliat ad vindictam, ne quærat oculum pro oculo, nec verbum pro verbo, nec maledictum

A ledictum pro maledicto, nec mendacium pro mendacio, nec crimen pro crimine. Talis ergo est iustus. iam enim (vt dixi) iustum eum dico qui per confessionem suam peccatorum suorum euomit passiones. [Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens.] Cum maledicerer, cum criminarer, cum omnia probra de me homines proferrent, ego eram sicut surdus, & non audiebam, & sicut mutus non aperui os meum, pro maledictis nulla maledicta reddebam. Sed quid prodest nos hæc exponere? quid prodest hæc nos de scripturis sanctis aperire, si non horum meminerimus in eo ipso tempore quo res expetit, cum maledicimur à fratribus, cum detrahunt de nobis, cum etiam in faciem probris & conuitiis lacessimur, cum omnia fiunt vt exercitetur furor noster, & animus ad iracundiam moueatur? Tunc oportet horum meminisse, tunc recordemur quia scriptum est: [Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationem.] Interdum dicit aliquis aduersum me, & forsitan mentitur, interdum etiam vera sunt quæ dicit, ego tamen possum multa peiora de illo dicere, & vere dicere: & si quidem peccator sum, & nihil horum memini quæ nunc diximus, imitabor illius malitiam, & reddẽdo maledicta pro maledictis efficiar similis illi, sed non similis deo efficior. Si verò iustus sum, sicut surdus non audio, & sicut mutus non habens in ore suo increpationem, nihil respondeo, & habens B in quibus arguam, non arguo. Intelligo enim quia qui recte arguit, impassibiliter debet arguere, vt salutem expetat eius qui arguitur, non vindictam. Cum ergo quis detrahit de me, vel male de me loquitur, si arguam eum, non facio competenter. Ex iracundia enim & indignatione hunc arguo, volens ei inferre tristitiam, non illam quæ secundum deum est, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sed tristitiam quæ lædat animam, non emendet. Si ergo horum meminimus, hæc quidem non faciemus, sed cum tale aliquid acciderit nobis, dicimus quia factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quare autem talis effectus sum? [Quoniam, inquit, in te speraui.] Nisi enim sperassem in te, & credidissem tibi dicenti: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit dominus, meipsum vtique vindicassem: nunc verò memor sum præcepti illius quo iubemur non nos ipsos vindicare, sed dare locum iræ. Et inuenies hæc in scripturis diuinis, & legis. [Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. Quoniã in te domine speraui, tu exaudies me domine deus meus.] Ego sicut surdus non audiebam eos qui me criminabantur, sed tu exaudi ea quæ loquuntur. Si essemus tales quales nos esse vult sermo diuinus, sicut Helias, diceremus vtique deo vt daret pluuiam & plueret: sicut Samuel in diebus messium peteremus vt præstaret de cœlo imbrium copiam, & audire- C mur. Nunc autem quomodo nos audiet deus, cum nos ipsum non audiamus? Quomodo faciet ille quod volumus, cum nos quæ ille vult non faciamus? Vult nos tales esse deus, vt quasi dij cum deo loquamur. Vult nos esse filios dei, vt consortes & cohæredes efficiamur filij dei, & dicamus sicut ipse dixit: Pater, scio quia semper me audis. Scimus quia dixit ad nos deus: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Sed nos pro meritis nostris illud magis, quo digni sumus, & quod sequitur, expectamus: Vos verò sicut homines moriemini, & sicut vnus ex principibus cadetis. Quia dixi, ne forte insultent mihi inimici mei. Cum criminarer, & vicem criminantibus non redderem, hæc dicebam: [Si reddidi retribuentibus mihi mala,] vtique derelinquar à deo, & derelictus cadam necesse est. Cum autem cecidero insultabunt mihi inimici mei. Si verò non reddidero mala pro malis, sed deo dereliquero iudicium, ab ipso adiutus non decidam, sed stabo fortiter, & non insultabunt mihi inimici mei. Dixi etiam hoc: [Dum cõmouerentur pedes mei, in me magna locuti sunt.] Quamdiu stetero intrepidus & immobilis, non loquentur magna contra me inimici mei, non enim habent quod dicant. Statim autem vt trepidauero, non dicam cecidero, statim incipient exprobrare, & dicere. Vides hunc? ecce & ipse quid fecit? & cum hæc doceat, agit alia, contraria enim eorum quæ docet agit. Isti ergo tale dicant necesse est.

Iustus quis · *Deut. 32.* · *3. Reg. 18.* · *1. Reg. 7.* · *Ioan. 11.* · *Psal. 82.*

[Dum cõmouentur pedes mei super me magna locuti sunt.] D Alius autem hoc melior quantum ad personas pertinet quæ inducuntur à prophetis, vel ipse sibi comparantur, illud dicit: [Mei autem paulo minus moti sunt pedes.] Illius quidem moti sunt pedes, mei autem paulo minus moti sunt. Fortassis autem sit alius aliquis, cuius nec parum quidem, nec paulo minus moti sunt pedes, illius opinor qui dicit: Statuit super petram pedes meos. Ille nihil prorsus de commotione pedum suorum, sed de stabilitate testatur. Beati ergo sumus si nulla omnino commotio in nostris pedibus accusatur, sed sunt stantes super petram, id est, super ipsum dominum Iesum Christum. Quod si ita stabiles esse nõ possumus, secundus nos iste saltem & inferior suscipiat gradus, vt vel paulo minus moueantur gressus nostri. [Quoniam ego in flagella paratus sum.] Etiam hæc vox boni, & optimi (vt ita dixerim) peccatoris est, qui deliquerit quidem, expectet tamen delictorum flagella, quibus in præsenti optet emendari, ne puniatur & pereat in futuro. Propone tibi ante oculos peccatorem dicentem ad dominum: ego quoniam peccaui, iam nunc in flagella paratus sum, noli me reseruare igni æterno, noli me reseruare exterioribus tenebris. Dum in hac vita sum, redde mihi peccata mea, quoniam flagellas omnem filium quem recipis. Oro te flagella me quoque, & noli me reseruare cum his qui non flagellentur, qui in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, E id est, qui penitus derelinquuntur à te, quorum emendationem correptionémque non quæris. Sciens ergo quæ sit differentia cum flagellatur peccator ab eo qui flagellant omnem filium quem recipit, & quæ sit differentia eius qui dignus non habetur flagellis, ait ad dominum: Ego in flagella paratus sum, id est, si volueris superducere languores in me, mittere ægritudines, tolerabiliter feram: scio quia dignus sum vt non solum per ægritudines peccata mea soluantur, sed per omnes afflictiones purgari desidero, tantum vt æternis pœnis & cruciatibus non reseruer. Si placet inferre damna, sustineo: si placet omnes facultates perire, depereãt, tantum ne anima pereat apud te. Si per mortem charorum & propinquorum vis me purgari, moriantur etiam ipsi, vt & ipsi ex huiusmodi vinculis liberentur, auferãtur filij, dum adhuc pueri sunt, & in rudibus annis positi nõdum grauioribus peccatorum sordibus maculati sunt. Omnibus igitur F flagellis emendari, verberaríque paratus sum, & nihil horum recuso, tantum vt supplicia æterni ignis effugiam. [Ego ergo in flagella paratus sum, & dolor meus coram me est semper.] Ante oculos meos habeo dolorem meum, vt futuros pœnarum dolores, præsentibus possim doloribus cõpensare. [Quoniam iniquitatem meam pronuncio.] Pronunciationem iniquitatis, id est, confessionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & moleste imminentia, si vomuerint releuantur: etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circunspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuũ. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cũ flente, qui cõdolendi & cõpatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditũ medicum ostenderit & misericordem, si quid consilij dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum qui in conuentu totius ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. [Quoniam iniquitatem meam ego pronũciabo, & cogitabo pro peccato meo:] Quicunque vestrum conscius sibi est in aliquo peccato, & ita securus est quasi nihil mali fecerit, commoueatur ex hoc sermone qui dicit: Cogitabo pro peccato meo. Bonũ est eum qui delinquit nõ esse

Heb. 12. · *Confeßio sacramẽtalis.* · *Qui audit confeßionẽ peccatoris quidam medicus.*

G securum, & velut qui nihil deliquerit, nullā sollicitudinē gerere, nec cogitare quomodo possit suum delere peccatū. Si in corpore tuo macula aliqua vel vulnus oriatur, aut ex collisione aliqua intumescat, sollicitus es & perquiris quid curæ debeat adhiberi, quomodo corpori sanitas antiqua reddatur. Si circa oculos se aliquis acerbus humor infuderit, sollicitus es, & perquiris quomodo succurras, & præuenias cæcitatē. Cum anima tua ægrotet, & peccatorum languoribus vrgeatur, securus es, contemnis gehennam atque ignis æterni supplicia despicis, & irrides? Iudicium dei paruipendis, & commonentem te ecclesiam despicis? Communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam, quasi mundus & purus, quasi nihil in te sit indignum, & in his omnibus putas quod effugias iudicium dei? Non recordaris illud quod scriptum est, quia propterea in vobis infirmi, & ægri, & dormiūt multi? Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos diiudicāt, neque seipsos examinant, nec intelligunt quid est communicare ecclesiæ, vel quid est accedere ad tanta & tam eximia sacramenta, patiuntur hoc quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos præsumunt, sibimetipsis inferentes exitium. Hæc de eo quod dictum est: Cogitabo pro peccato meo. Sequitur: [Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me.] Ad quæ omnia subsonare illud debet: Ego autem cogi-

1. Cor. 11.

H tabo pro peccato meo. Et quamuis videam, frequenter enim nos peccatores si videamus inimicos nostros viuentes ausiores contristamur, & querelas aduersus diuinam prouidētiam fundimus. Qui autem saluari vult, ad hæc omnia semper hoc sibi respondeat, etiam si inimici mei viuunt, & cōfirmati sunt super me, ego tamen cogitabo pro peccato meo. Et quamuis videam me peccatorem esse, considerans tamen etiam cæterorum peccata quæ fortassis grauiora sunt, videns quoque eos pro peccatis suis non esse sollicitos cōparans me illis qui omnino de grauissimis delictis suis nihil cogitant, & cogitās pro peccato meo, spem habeo in te. [Et multiplicati sunt qui oderunt me inique.] Impossibile est in hac vita positum odio non haberi. Christus Iesus odio habitus est. Et quid dico impossibile est in hac vita positum odio non haberi? Deus ipse qui in hanc vitam non venit, odio habetur ab aliquibus. Si enim non haberetur odio, nequaquam diceret propheta. Nonne odientes te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Profecto odio oderam illos. Marcionistæ, & Basilides, & Valentini oderunt deum, & verba eius oderunt.

Deus odio ab aliquibus habetur.
Psal. 139

K Cum ergo deus odio habeatur, & Christus vsque in hodiernum diem à Iudæis anathema fiat, cum spiritus sanctus qui in prophetis locutus est ab hæreticis odio habeatur, tu vis odio non haberi, sed ab omnibus diligi, & benedici? Vide ne te inueniat illa sententia quæ dicit: Væ cum benedixerint vobis omnes homines. Quin potius illud tantūmodo obseruemus, vt & nos dicamus, quoniam multiplicati sunt qui oderunt me inique. Opto cum odio habear, vt sciat cōscientia mea quoniam iniuste odium patior. Odio habiti sunt etiā prophetæ, sed iniuste, odio habitus est Christus, sed gratis. Si autem pro peccato meo odio habeor, non possum dicere, quia multiplicati sunt qui oderunt me iniuste. Iuste enim odio habeor, si perosus fuero propter inhonestos actus meos & turpes. Non possum dicere, quia oderunt me gratis. Atque vtinam tanta confidentia dicere possimus & nos, quia multiplicati sunt qui oderunt me iniuste. Qui retribuunt mihi mala pro bonis. Ego quidem bona cum eis agebam, illi verò obliti bonorum meorum reddebant mala pro bonis, criminabantur me, quoniam sequebar iustitiam. Criminantur me, & exprobrāt inimici mei pro iis si quà mihi aliquando commissa sunt, nec erubescunt me iustitiam subsequentem, nec dant veniam præteritis malis pro præsentibus bonis. Verum tu domine quoniam subsequebar iustitiam, ne derelinquas me domine deus meus. Et hæc vox confitentis est, & misericordiam postulantis: [Ne derelinquas me domine deus meus, ne discesseris à me.] In alio quidem psal-

Luc. 6

L mo dicit: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. In hoc dicit ad ipsum deum: Ne discesseris à me. Ex quo ostenditur à quibusdam meritis suis discedere deum, & apud alios pro suis meritis permanere. Infelix tamen homo ille à quo discesserit deus, beatus autē est ille cum quo permanet deus. [Attende in adiutorium meum domine deus salutis meę.] Et nos ergo oremus, & dicamus: Attende in adiutorium meum, quoniam grandis est pugna, & potentes sunt aduersarij. Infestus est hostis, inuisibilis inimicus per istos visibiles impugnat. Attēde ergo in adiutorium nostrum, & adiuua nos per sanctum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnes nos redemisti, per quem tibi gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

Psal. 50

FINIS HOMILIÆ II IN PSALMVM TRIGESIMVMSEPTIMVM

HOMILIA PRIMA IN PSALMVM TRIGESIMVMOCTAVVM, DIXI CVTTODIAM VIAS MEAS.

I

SICVT vnus homo proficit secundum deum, & studium sibi adhibēs melior seipso efficitur, ita etiam populo vniuerso accidebat. Propter quod & ipso proficiente, etiam legis ei fiebat augmentum. Denique quomodo in lege scriptum est, præcepta quædam sacerdotibus sunt & leuitis de sacrificiis cæterisque solennibus: verum cum proficeret populus eo tempore quo inerat ei virtus adhuc proficiendi, non stetit res in illo primo ordine, sed alligatæ sunt illis eminentiores quædam legislationes secundo & tertio. Et si quis vult scire quę sunt ista quæ de sacerdotibus ac leuitis adiecta sint, legat primum librum Paralipomenon, & patienter inspiciat omnem illum catalogum nominum, & inueniet ibi admirandum quēdam ordinem & distributionem tribuum pro suo quoque nomine & loco pręcipuum quid in solenni ordine esse sortitam. Sed & leuitas & sacerdotes inueniet diuersis officiis atque ordinibus distributos, vt alij quidem sint ad aperiendas ianuas templi præpositi, alij quibus claues creduntur, aliis sacrificiorum & altariū cura committitur. Et multa sunt quæ ex illius libri historia possumus

1 Paral. 9 24. & 25. 26

M dicere de sacerdotibus institutis. Si quis ergo inspicere potest quomodo exemplari, & vmbrę cœlestium deseruiūt Iudæi, ascendat ab inferiori verbi crepidine ad summa eius ac superiora fastigia, & contempletur ex iis futuri sacerdotij statum & electionem illam cœlestem: atque inibi cōtemplabitur qui sunt isti ordines sacerdotales, vel quæ sint officia leuitarum quæ in cœlestibus ministeriis exhibentur, & omnia in cœlis mente coniiciet, quæ deposita vidit in terris. Erit enim & ibi populus, & ex populo dei electi leuitæ & ex his rursum electi & eximij sacerdotes, & sacerdotum nihilominus differentiæ quàm plurimæ: sicut in primo libro Paralipomenon indicatur vigintiquatuor esse ordines sacerdotum, alios quidem sub Eleazaro, alios verò sub principe Ithamar, quorum & ephemeriæ esse dicuntur. Sed dicat aliquis fortassis auditorum: Quid hæc pertinent ad psalmum? Plurimum. Nam superscriptio est huius psalmi. [In finem pro Idithum psalmus Dauid.] Hunc Idithum inuenimus vnum esse ex his quibus hymnorum studium dei ac sollicitudo commissa est. Oportuit ergo nos inuenientes hoc nomen psalmi superscripti, ostendere quis fuerit iste Idithun, & quomodo post primam legem, secunda facta sit de obseruationibus sacerdotalibus ordinatio. Apud Græcos quicunque

Heb. 7
Sacerdotū plurimæ differentiæ.
Ibidem.
Tituli interpretatio.

A cunque carmina, vel sonos musicos conscribebant, quibus eis visum fuisset in agone ea canenda præstabant: & fiebat vt alius quidem coronaretur in agone, alius autem victori conscriberet carmen. In psalmis ergo diuinæ scripturæ quicunque superscripti, secundum septuaginta interpretes, victoriales, vel ad victoriam vel victori attitulantur, pro eo videlicet quod velut victoriæ laus in ipsis inferatur. Fecit ergo Dauid diuino spiritu repletus psalmũ hunc, & dedit Idithun, cui officium canendi deo hymnos fuerat iniunctum, tãquam pollenti in huiusmodi disciplina. Et ideo ergo superscribitur: In finem pro Idithun psalmus Dauid. Sed nunc iam videamus quid vox proferat iusti, & videntes tanquam in speculo nosmetipsos intueamur si possimus tales esse, aut si multum nobis deest, aut certe iam proximi sumus, licet nõdum plene assecuti sumus. Quoniam igitur multorum peccatorũ initium humanus est sermo, & os nostrum multis malis ministrat, & valde difficile est inueniri hominem, qui vna saltem hora os suum & linguam suam obseruet à peccato, ait: [Dixi custodiam vias meas, vt non peccem in lingua mea.] Mihi ipsi dixi, & intra me loquutus sum, & hæc addidi: Sic volo seruare vias meas, vt non peccem, hoc modo seruare possum si custodiam linguam meam. Ex verbis enim, inquit, tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Et iterum: Amen dico vobis, de omni ocioso verbo reddetis rationem in die iudicii. Non solum, inquit, de eo quod male locuti fueritis, sed quod ociose locuti fueritis, quia malus sermo non est ociosus, operatur enim opus malum. Ociosus autem sermo est qui neque boni neque mali aliquid agit. Si ergo in die iudicij rationem reddemus, non solum pro malis verbis, sed etiam pro ociosis, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis confidit dicens mundus sum à peccato? Veruntamen ait iustus: [Dixi custodiam vias meas, vt non peccem in lingua mea. Posui ori meo custodiam.] Alibi quidem scriptum est: Omni custodia serua cor tuum, hic autem: Posui ori meo custodiam. Et iterum alibi scriptum est: Vide circumduc sepem spinarum circa possessionem tuam. Et iterum: Pecuniam tuam & aurum tuum alliga, & ori tuo facito ostium & seram, & verbis tuis iugum & stateram. Ego arbitror quod obseruatio horum mandatorum obseruãtem & mansuetum faciat & beatum, non solum rerum exitus, verumetiam ipsa obseruantia. Dum enim semper obseruat os suum & linguam custodit, ne prius sermonem proferat quàm discutiat, & pertractet apud semetipsum si oporteat dici, si sermo talis est qui debeat proferri, si persona talis est quæ aut debeat, aut possit audire, si tempus opportunum est proferendi sermonis: dum singula ista perpendit, excluditur omnis iracundia & timor & inconsulti furoris impetus mitigatur, atque omnem penitus deliberationem talis abscindit: & ita demum velut ex tranquillitate quadam & conuicti animi per mansuetudinem sermo procedens, proferentibus gratiam præstat & audientibus medicinam. Verum quoniam in illo maxime tempore peccamus, quando peccator consistit aduersum nos, instigans & prouocans vt aliquid tale emittamus ex ore, in quo rei teneamur in futuro iudicio, hoc describens sanctus propheta dicit: [Dum cõstitit peccator aduersum me obmutui, & humiliatus sum & silui à bonis.] Si quando peccator astitit aduersum me & loquebatur de me male, & obtrectabat atque irritabat me vt similia ei redderem, & paria de meo ore proferrem, ego in illo tempore silentium meditabar, vt nihil penitus responderem. Propterea ergo dicit: Dum constitit peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum & silui à bonis. Nos verò aliquando si nolumus humiliari, alia cogitamus & dicimus apud nosmetipsos. Quid hoc est? Iste me contemptui habuit & ausus est talia in os ingerere, & ita aduersum me mouere sermonem: nónne & ego huic similia, aut etiam grauiora inferam, vt & ipse audiat peiora quàm dixit? Sed iustus non ita agit, quin potius humiliat se, etiam si seruus sit ille qui obtrectat, & conuiuia ingerit, aut si humilis & peccator sit & indignus, Ille dicit, dum constitit peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Non dixit & silui tantummodo, sed à bonis silui: in quo ostendit quod cum sint in me bona, & edoctus atque institutus sim bonis dogmatibus atque disciplinis, & possim etiam cæteros docere quæ bona sunt, tamen in eo tempore quo peccator assistit aduersum me & conuitiis lacessit ac iurgiis ego etiam bona verba mea cohibeo & reprimo: ne vel illi ignem suæ perditionis inflammem, dum non potest pariter parere malis, & conspicere bona, vel sermonum meorum faciam detrimentum. Quid ergo? Hoc videbitur perfectum esse quod dicit: Dum constitit peccator aduersum me obmutui, & humiliatus sum & silui à bonis: aut profectus quidem est, nondum tamen perfectio. Tria nanque in hoc loco de scripturis puto posse assignari, in quo dicit stare peccatorem aduersum se, & loqui in auribus suis ea quibus irritari & exacerbari possit ad retribuendum. Et siquidem ego paruus sum, similia, & oculum pro oculo requiro, dentem pro dente, & maledicta pro maledictis repono. Si verò iam aliquantum profeci, nondum tamen perfectus sum, & taceo & fero conuitia patienter, nec quicquam omnino respondeo. Si verò sim perfectus, non taceo, sed cum maledicor, benedico, sicut & Paulus dicebat: Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemati deprecamur. Et quoniam qui hæc agunt, id est, qui pro maledictionibus benedictiones reddunt, qui pro blasphemiis deprecantur, videntur hominibus velut pecudes & purgamenta, tanquam qui sensum iniuriæ non habeant, propterea ergo addidit dicens: Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema. Sed nos nolumus cum Apostolis purgamenta huius mundi fieri, sed volumus non contemni ab hominibus, imò potius & timeri, & satisagimus reddere his qui lædunt, & præuenire vindictam quam sibi dominus reseruauit dicens: mihi vindictam, ego retribuam, dicit dominus. Verum si non possumus in tantum proficere, & ad istud culmen veritatis ascendere, vt dicamus cum Paulo: Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemati depecamur. vel hoc quod adhuc per prophetam docemur, dicamus: Dum constitit peccator aduersum me obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Et quid addidit his? [Et dolor, inquit, meus renouatus est:] Hi qui in agonis certamine mutuis inter se verberibus agunt, in his semper præparare conantur, vt illata sibi ab aduersariis verbera fortiter ferant, nec sensum doloris accipiant, & est eis summa virtus, lacertorum ictus vel calcium absque dolore suscipere. In quibus ille est perfectior, qui ad ictum vulneris, nullum recipit stimulum doloris. Secundus verò est is qui dolet quidem, sed nequaquam doloribus cedit. Tale aliquid intellige etiam in nobis, cum maledicimur, & assistit aduersum nos antagonista, si quidem bene instituti sumus, & animo longa meditatione roborati, in nullo penitus ex illatis maledictis vel conuitiis contristamur, sed sumus pro nimia mentis constantia ac patientia velut sensu doloris carentes, & per multam mansuetudinem (vt audeam ita nominare) velut imitatores efficimur quodammodo dei: Deus enim maledicitur ab hæreticis, blasphematur ab his qui prouidẽtiam eius negant, culpatur ab his qui thesauros sapientiæ eius ignorant: & dic mihi, nunquid potes hoc cogitare, quod pro his omnibus iniuriis doleat quidem deus, sed patiatur sicut nos? an tanquam diuina natura per impassibilitatem, neque sensus doloris vllatenus recipit, neque vllis aut iniuriis, aut conuitiis excitatur? Talis ergo erit, imò imitabitur talem omnis perfectus & iustus, qualis erat ille qui dicebat: Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemati deprecamur. Qui autem nondum est perfectus, proficit tamen, cum maledicitur obmutescit & humiliatur, & silet à bonis. Sed iste qui huiusmodi est dolet, & dicit: [Et dolor meus renouatus est.] Describe mihi vulnus quod curatur, & curam eius proficientem & iam proximam cicatrici: tum deinde in ipso vulnere quod iam cœperat obducere cicatricem, intuere aliud vulnus infigi, & per hoc vulnus recens, illud pristinum renouare. Tale etiam euenit huic qui proficit, sed nondum perfectus est, nec iam ad summam perductus est sanitatem. Si ergo dum adhuc in tenero est cutis, accedant ei maledictorum & conuitio-

Margin notes: Atqui Septuaginta vertunt τέλος, vbi vox hebræa victorem sonat. — Matt. 12 — Ibid. — Ociosum verbum quid. — Prou. 4 — Eccles. 28 — 2. Cor. 4 — Deut. 32 — Antagonista collucta tor. qui nobiscum certat. — 2. Cor. 4.

G rum vulnera, renouatur dolor, & parantur angustiæ, & tunc merito dicit, dum constitit peccator aduersum me obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Vide ergo quomodo is qui in certamine positus est, qui se refrenare cupit ab iracundia vel furore, & dum ipse hæc apud se meditatur, & irritatio ei superuenit peccatoris, quæ eum conturbet quidem & fatiget, non tamen vincat, sed quamuis prouocetur & inflammetur ad respõdendum, remordens tamen dolorem suum cohibeat & reprimat, hic dicit: Dolor meus renouatus est. Pro eo quod scilicet iam proficiebam, & iam me ad sanitatem peruenisse credebam, antequam exacerbarer, & antequam conuitiis lacesserer: sed modo rescinditur vulnus meum, & maledicti mucronibus renouatur, dum iniuriæ dolor patientiam rumpit. In consequentibus adhuc amplius passionem describit eius qui proficit, cum dicit: [Concaluit cor meum intra me.] Cum enim audit quis maleloquentis & detrahentis vocem, non potest sine dolore, sicut ille qui perfectus est, qui iam diuturna constantia beatitudinem meruit: sed iste dolet, & dolens corde concalescente feruet intra se

H ac perturbatur, sed non eo vsque, vt & sermonem proferat corde turbato, verum concalescit quidem in interioribus suis rei indignitate permotus, sed caloris sui flammas per silentium decoquit. Videamus etiam alium sermonem iusti, quem & summo studio debemus æmulari. [Et in meditatione mea exardescet ignis.] Et ego meditor eloquia domini, & frequenter in ipsis me exerceo, sed nescio si talis sum, vt in meditatione mea ex vno quoque sermone dei ignis procedat, & accendat cor meum, & inflammet animam ad ea quæ meditor obseruanda. Et ego nunc loquor sermones dei, sed optarem vt primo in meo corde, secundo quoque in auditorum mentibus exardescerent: sicut erant illi sermones quos loquebatur Iesus, de quibus dicebant illi qui audierant: Nônne cor nostrum erat ardens in nobis cum in via aperiret nobis scripturas? Vtinam & nunc adaperientibus nobis scripturas diuinas concalesceret cor nostrum intra nos, & in meditatione nostra accenderetur ignis, & concitaremur in opus eorum quæ audimus & legimus. Tales denique erant & Hieremiæ sermones, secundum quod scriptum est, cum dicit ad eum dominus: Ecce dedi sermones meos retrorsum in os tuum ignem. Quare ignem? Quia sermones quos loquebatur accendebant auditores, & nihil tepidum in eis neque frigidum permanebat: sed sicut ignis cõsumit ac interimit omnem materiam, nec immundum aliquid in se recipit, aut pollutum: ita & hi quorum cor diuini verbi ignis accenderit, non patientur vltrà materialibus

Luc. 24.

Hier. 5.

I & mundanis sordibus pollui, nihil in se tepidum recipient, & quod euomi dignum sit, nec patientur multiplicata in se iniquitate refrigescere charitatem: sed erunt semper lampades eorum accensæ, & lucernæ ardentes, & ipsi parati tanquam serui expectantes dominum suum de nuptiis redeuntem. Aut non iste erat ignis ille de quo saluator noster dicebat: Ignem veni mittere in terram, & quod volo nisi vt ardeat? Iste proculdubio ignis est qui frigus peccati fugat, & calorem spiritus reuocat. Hoc nimirum est etiam quod in actibus Apostolorum refertur, cum dicit quia visæ sunt eis diuisæ linguæ sicut ignis, & consedisse super apostolos, pro eo scilicet quod euangelij verbum prædicaturi & ignei vigoris deberent gratia roborari, vt auditorum animæ flammam per sermonis traducem sumerent. Sed vnde mihi hoc vt linguæ ignis veniat in cor meum, & de lingua ignea ego quoque proferam sermonem, vt ex me velox sermonibus meis accendatur ignis in cordibus auditorum, & arguat eum qui peccauit, & efficiatur ei sermo meus supplicium, vt adustus & inflammatus sermonibus meis veniat in pœnitentiam, quæ salutem stabilem operatur ex tristitia quæ secundum deum est, quam ex verbi dei increpatione susceperit? Atque vtinam possim ita accendere omnem animam auditorum, vt quicunque sibi conscius est, non ferẽs nostri sermonis incendium, sed omnibus intra se visceribus inflammatus, velocius consumeret latentes intrinsecus vitiorum sordes: vt posteaquàm interemisset omne quicquid carnis & materiæ crassioris proprium est & amicũ, tunc iam

Act. 2.

ignis iste fieret in eo lux & lucerna ardens: quæ non sub modio, sed super candelabrum poni deberet, vt illuminaret omnes qui in domo sunt. Si ergo accedit te sermo auditus, & intellexisti quid dixit apostolus: Et quis est qui me lętificet, nisi qui contristatur ex me? Quoniam verba ipsius erant ignis, & lætabatur apostolus sicubi videbat aliquem audito sermone suo contristatum & compunctum ex his quæ audierat, quodam conscientiæ suæ igne succensum ex recordatione delicti, propterea dicebat: Et quis est qui me lætificet, nisi qui cõtristatur ex me? Ita ergo & nos satis agamus vt in meditationibus nostris accendatur ignis, qui nos primo exurat, & recordatione & conscientia peccatorum, postea verò expurgatos iam vitiis illuminet & illustret. [Locutus sum, inquit, in lingua mea.] Quid locutus sit in lingua sua, consideremus. Videtur enim mihi per hæc mysticũ aliquid indicare. Ait ergo. [Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum qui est, vt sciam quid desit mihi.] Si, inquit, notum feceris finem meum mihi, & quantus sit numerus dierũ meorum notum feceris mihi, potero per hæc etiam illud agnoscere, quid desit mihi. Aut forte per hæc etiam illud videbitur indicari, quia sicut omnis artis est aliquis finis, verbi gratia, structionis finis, domum facere, naupagij, nauem construere quæ possit fluctus maris superare, & ferre impetus ventorum, & vniuscuiusque artis est aliquis talis finis, propter quem ars ipsa videtur reperta: ita fortassis est vitæ nostræ vel totius

Mat. 5.

2. Cor. 2.

Naupagiũ ars construendarum nauium.

L mundi finis quidam, propter quem geruntur omnia quæ geruntur in vita nostra, vel propter quem mundus ipse vel institutus est vel constat. Cuius finis etiam apostolus meminit dicens: Deinde finis cum tradiderit regnum deo & patri. Ad quem finem vtique festinãdum est, vt sit operæprecium hoc ipsum quod à deo creati sumus. Et rursus, sicut corporis nostri compago parua quædam & exigua ab initio natiuitatis, confestim tamen vrget, & tendit ad finem quendam proceritatis suæ per ætatis augmenta, & iterum, sicut anima nostra secundum hoc quod in corpore hoc degit, festinat primo loquelam recipere balbutientem, secundo deinde clariorem, tum demum ad disputationem perfectam atque integram peruenire: hoc modo etiam omnis vita nostra imbuitur quidem nunc velut balbutiens inter homines in terris: consummatur verò, & ad summum peruenit in cœlestibus apud deũ. Cupit ergo Propheta ista de causa agnoscere finem sũu propter quem factus est, vt intuens finem, & dies suos perspiciẽs & considerans perfectionem, videat quantũ sibi deest ad illũ finem quò tendit. Verbi gratia, vt si ponamus aliquem artificio traditum, & hunc dicere ad magistrum suum, volo scire quæ sit artis huius perfectio, & nosse qui sit faber perfectus vel structor: & cum hoc didicerit, requirat quantum sibi deest ab illa perfectione, vel quantum profecerit in artis disciplina, vt cum vtrũque cognouerit, sciat quid habeat, & quid

1. Cor. 15.

M perfectioni desit agnoscat: ita etiam & nunc propheta orat à deo discere vt innotescat sibi finis, & numerus dierum suorum qui sit. In quo non est putãdum quod de corporali tempore & annis huius vitæ loquatur, sed omnẽ numerum dierum scire vult qui fuerit in prima vita, qui fuerit in secundo incolatu, qui in tertio. Multũ enim, inquit, incola fuit anima mea. Velut si dicerent illi qui exierunt ex Ægypto: Notum fac mihi domine finem meũ, quæ est terra bona, & terra sancta, & numerum dierum meorum in quibus ambulo, vt sciã quid desit mihi, quantum restat vsquequo perueniam ad terram sanctam repromissionis: ita & hic vult nosse numerum dierum in quibus iter agit. Habemus enim dies quosdam quidem in hoc mundo, quosdam autem & extra hunc mundum. Alium enim facit diem solis iste cursus nostri huius cœli spatiis terminatus, alium habet diem ille qui ad secundi cœli peruenire meretur ascensum. Multo enim clariorem diem ducit ille qui vsque ad tertium cœlũ vel rapi vel peruenire potuerit, vbi non solum ineffabile lumen inueniet, verũetiam verba quæ homini loqui non liceat, audiet. Noui & alios dies, quorum numerum fortassis propheta merito requirit. Nam sicut in hoc cœlo sol exortus, & vniuersum mundũ illustrans diem facit: ita & in corde iusti, quod pro constãtia & firmitate fidei firmamentũ merito appellatur, si exoriatur sol iustitię Iesus Christus dominus noster, & illuminet eũ lumine

Psal. 119.

A mine ſcientiæ & veritatis, diem facit in corde eius: & quanto frequentius exoritur & illuminat, tanto maiorem ſibi talium dierum computabit. Digne ergo conſcius ſibi propheta de huiuſcemodi illuminatione dicit: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Et addit: [Ecce veteres poſuiſti dies meos.] In græco ſcribitur παλαιὰς, quod ſignificat menſuram quatuor digitorum. Volens ergo docere nos qui iam in hac vita breues & perpaucos ducimus dies, dixit hunc verſiculum de quo ſuprà diximus. Ex quo intelligitur quia poſſit & alius dicere, quia dies meos poſuiſti vnum digitum, velut conſequẽs de temporis breuitate, & alius duos digitos vel tres. Quæro autem ſi poteſt aliquis hominum dicere quia dies mei decem digiti ſunt, aut viginti, aut etiam amplius. Et quia loca difficilia incurrimus, velim requirere ſicubi in ſcripturis tale aliquid inuenimus, ex quo poſſit aperiri planius id quod videtur obſcurum. In Eſaia ſcriptum recordor: Quis metitus eſt (inquit) manu aquam, & cœlum palmo, & omnem terram pugillo? *Eſa. 40* Ex quibus conſideret quiſquis ille eſt prudẽtior auditorum per ſingula loca differentias menſurarum, quomodo eorum quidem qui cœlum merentur appellari, pars vitæ quæ cœleſtis eſt, palmo dei metiri dicitur, quicunque ille eſt dei palmus: & eorum quorum vita adhuc terrena eſt, pugillo dei vita metitur. Sed pugilli diuiſi differentiam nunc requirere, & noſtrum ſermonem & auditum veſtrum fortaſſis excedat. Veruntamen ſicut ibi manu aquam metitus eſt, palmo cœlum, & omnem terram pugillo, & appendit montes in B ſtatera, & colles in iugo: ita etiam hic ſecundũ eandem conſequentiam menſura iſta intelligẽda eſt, quoniam nihil deo ſine menſura eſt, nihil ſine pondere, ſed omnia ei in numero conſtant & menſura. Ita quoque prophetæ vita & numerata & dimetita deo eſt, dum prouidentiæ eius rationibus regitur. Addit etiam in ſequentibus & dicit: [Subſtantia mea tanquam nihilum ante te eſt.] Niſi addidiſſet ante te, valde contriſtabar, pro eo quod humanam ſubſtantiam nihil eſſe dixiſſet. Nunc verò quia dixit ante te velut diceret ad comparationem quidem vel angelorum vel reliquarum creaturarum non eſt abiecta, nec minima ſubſtantia mea. Denique & ſi bene egerimus, & mandata domini ſeruauerimus, ad conſortium inuitamur angelicum. Erunt (inquit) ſicut angeli dei in cœlo. *Matt. 22* Ad comparationem dei vero etiam ſi Petrus ſim, aduerſus quem portæ inferi non præualebunt, ſubſtantia mea ante eum nihil eſt. Et ſatis proprio vocabulo naturæ vſus eſt. Nihil enim eſt omne, quamuis magnum ſit, quicquid ex nihilo eſt. ſolus enim eſt ille qui eſt, & qui ſemper eſt. Noſtra autem ſubſtantia tanquam nihil eſt ante eum: quippe quia ab eo ex nihilo procreata eſt. In ſequentibus verò velut explanans hoc ipſum quod dixit, quia ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te eſt, addit & dicit: [Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens.] Quomodo accipis viuens? ſiquidem veram vitam vanitatem putamus, vt quid laboramus? Sed C vide ne forte hoc quod dicit omnis viuens, de hac præſenti vita accipiendum ſit, ſicut ſcriptum eſt, & teſtimoniis comprobabimus. Omnia enim quæ in hac vita ſunt apud homines, vana ſunt, etiam ſi Moſes in hac vita ſit, & ipſe enim ex parte cognoſcit, & ex parte prophetat, & per ſpeculum & in ænigmate videt, *1.Cor. 13.* & vmbram ſcit, ac figuras docetur, & veritatem nondum videt, & ideo eſt quidem viuens, ſed vanitas eſt vita eius. Et vis videre quia vanitas eſt? Cum venerit quod perfectum eſt, deſtruentur iſta quæ ex parte ſunt. Omne autem quod deſtruitur vanitas eſt. Et ſi quicquid ex parte eſt deſtruitur, ſi prophetæ ex parte cognoſcunt, rectè etiam ipſorũ vita vanitas appellatur. Deſtruũtur autẽ inferiora, cũ venerint ea quę meliora ſunt & perfecta, & per hoc vana eſſe arguũtur, per quod tanquã ex parte & imperfecta deſtruũtur. Vniuerſa ergo vanitas, omnis homo viuens. Quia autem de hac vita accipiatur iſta ſententia, audi Eccleſiaſtẽ pro teſtantem & dicẽtem: Laudaui omnes qui mortui ſunt ſuper omnes qui viuũt, quicunque ipſi viuũt vſque modo, & bonus *Eccleſ. 6* ſuper iſtos duos qui nondum natus eſt. Laudat ergo mortuos pluſquam viuos, quia illi hoc ſaltem lucri habent, quod de vinculis huius corporis liberati ſunt, nec vltra carne ac pellibus induti ſunt, nec oſſibus ac neruis inſerti ſunt, nec vltra D ſubiacent neceſſitati corporis. Si ergo intellexiſti quale ſit viuere in carne etiam ſi Moyſes ſit quis, vel quiſquis ille eſt, moleſta ei eſt iſta vita. Non enim à corruptione reſoluitur, quæ mortali corpore terrenóque circundatur. Vide ergo quia vniuerſa vanitas eſt omnis homo viuens, contemnamus vanam iſtam vitam, & feſtinemus ad ſanctam vitam, & beatam ac veram, & in illam animo & mente tendamus omni vanitate diſcuſſa. Nec dicamus dulcem iſtam lucem, qua nũc vtimur. Hoc enim illi dicunt, qui dulcedinem veræ lucis ignorant, ſed ne auſpicia quidem veri luminis vlla ſenſerunt nec ſciunt angelicam vitam ſperandam eſſe animæ, quum ex vanitate vitæ huius euaſerint. Vnde & nos qui hæc credimus iam mente & fide transferamur ad cœlum, & in terris ambulantes cõuerſationem habeamus in cœlis, vt ibi ſit theſaurus noſter vbi eſt & cor noſtrũ, & vt regnum cœleſte conſequi mereamur, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, cui eſt gloria, & poteſtas & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Homilia ſecunda ſuper, Dixi cuſtodiam vias meas, ab illa parte, Veruntamen in imagine pertranſit homo.

QVANQVAM in imagine ambulet homo imago neceſſario alicuius eſt imago. nã & ſcriptura ſancta cum imaginem nominat, interdum quidem E definit, & dicit cuius ſit imago, interdum autem *Col. 1* abſque vlla definitione ponit imaginem. Denique de ſaluatore cum dicit qui eſt imago, non ſiluit cuius imago eſſet, ſed addidit dicens. Qui eſt imago dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ. Et rurſum cũ docet nos de diuerſis imaginibus, & quia ſinguli quique aliquam imaginem portent, dicit: Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœleſtis. Cum adiectione, vel terreni, vel cœleſtis imaginem nominauit. Alibi autem abſque vlla definitione dicit, ſicut & hoc loco ait: [Quanquam in imagine ambulet homo.] *Imago duplex.* Sed in imagine cuius? Dei, an imagine terreni, an imagine cœleſtis? Quomodo ſciam in hoc quid eſt quod docere nos vult ſcriptura diuina, quæ abſque vlla adiectione ait: Quanquàm in imagine (neſcio cuius) ambulet homo? Et ſi quidem de iuſtis ſolis diceret, ſine dubio dixiſſet, quãquam in imagine cœleſtis ambulet homo. Aut ſi de peccatoribus tantum diceret, dixiſſet certe, in imagine terreni ambulet homo, Verum quoniam generaliter de vniuerſis mortalibus pronunciatur, quorum alij imaginem cœleſtis portant, quicunque ſecundum legem dei viuunt, alij terreni imaginem portant, qui carnaliter viuunt: propterea neceſſario reticuit ſpecialem imaginis deſignationem, & generalem ſententiam de omnibus hominibus protulit, quia omnis homo in imagine ambulet. Tuũ eſt iam diſcutere, & exquirere ex vniuſcuiuſque fide & operibus, ex conuerſatione & actibus, ex F cogitationibus & verbis, & conſiderare vtrum in imagine cœleſtis ambulet, an in imagine terreni. Si miſericors es ſicut pater tuus cœleſtis miſericors eſt, ſine dubio in te patris cœleſtis imago eſt. Si non ſolum amicis tuis benefacis, ſed etiam inimicis reddis bona pro malis, ſicut pater cœleſtis ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, imago in te cœleſtis eſt. Et ſi ſic in omnibus perfectus es, ſicut pater tuus cœleſtis perfectus eſt, imago in te cœleſtis eſt. Et rurſum ſi non es imitator Chriſti nec apoſtoli Pauli, qui dicit: Imitatores mei eſtote ſicut ego Chriſti, ſed imitator es operum diaboli qui homicida fuit ab initio: & ſi terrena ſapias, & terrena loquaris, & theſaurus tuus & cor tuum in terra ſit, terreni imaginem portas. Verum quia in his locis inuenti ſumus, in quibus de imagine ſermo commotus eſt, neceſſariũ videtur etiam pſalmi illius verſiculum in mediũ producere, in quo de peccatoribus ſcriptũ eſt: [Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum redigẽs.] Cõſtat ergo quia peccatorum imaginẽ in ciuitate ſua deus ad nihilum redigit: iuſtorum autem imaginem ſine dubio tuetur & ſeruat. Hæc eſt ergo imago terreni, id eſt, peccatorum, quã ad nihilum rediget deus in ciuitate ſua: id eſt,

G si quis exierit de hoc mundo, & tulerit secum imaginem terreni, propter huiuscemodi imaginem in ciuitate illa dei ad nihilum redigetur, nec consequetur partem inter ciues cœlestis illius ciuitatis, qui cœlestis imaginis non reportat insignia. Sed & aliud sacramentum mihi videtur continere iste versiculus, quòd huius quidem mundi vita & conuersatio imaginaria quædam sit & imago, futura autem non sit imaginaria, sed vera: & hoc est quod dicitur, quia imaginem habet vnusquisque virtutis, non tamen proprie & syncere viuit in ipsa virtute. Tale autem quod dicimus: Sapientia & scientia pars est magna virtutum: sed in præsenti vita si quis putat se cognouisse nondum cognouit sicut oportet scire, qui enim cognoscit, in ænigmate cognoscit. Ergo in imagine scientiæ ambulamus & non in ipsa scientia, per quam facie ad faciem cognoscitur. Ita nihilominus & in ipsa sapientiæ imagine, & nondum in ipsa sapientia ambulamus, quia nondum reuelata facie gloriam domini speculamur. Eadem audeo de iustitia dei dicere, quod in imagine iustitiæ ambulamus, & nondum in illa iustitia quæ est facie ad faciem incedimus. Neque enim capere poterit humana natura pellibus & carne vestita, ossibus & neruis inserta, nudam ipsam iustitiæ synceramque veritatem, ferre & tollerare secundum naturæ suæ potentiam ac virtutem. Si quidem ipse Christus

Imago iustitiæ in rebus nō iustitia ipsa.

H est natura virtutum: ipse enim iustitia, quæ humano generi non in plenitudinem splendoris aduenit, quia Iesus Christus seipsum exinaniuit forma dei vt formam serui acciperet. Et si quidem de solis Iudæis sermo scripturæ loqueretur, dixisset forsitan, quanquam in vmbra ambulet homo: sed quia vt arbitror de melioribus sermo fit quàm erant illi qui secundum vmbram legis viuebant, propterea scriptum est, quanquam in imagine ambulet homo. Quod clarius ad intellectum veniet ex sermonibus apostoli Pauli, qui tres quasdam species proprietatis designat in lege, vmbram dicens & imaginem & veritatem. ait nanque: Vmbram enim habens lex bonorum futurorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos iisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter nunquam potest accedentes facere perfectos. Ergo lex vmbram habet futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, ostendens sine dubio aliam esse imaginem rerum quàm illam quæ legis vmbra designatur. Et si quis potest describere obseruantiam illam Iudaici cultus, consideret templum illud non habuisse imaginem rerum, sed vmbram: videat quoque altare vmbram esse, videat & hircos & vitulos qui adducuntur ad victimam vmbram esse illa omnia, secundum illud quod scriptum est: Vmbra enim est vita nostra super terram. Si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum, & videat aduentum Christi in carne factum, videat eum pontificem, offerentem quidem & nunc

Heb.10.

Vmbra legis.

I patri hostias, & postmodum oblaturum: & intelligat hæc omnia imagines esse spiritalium rerum, & corporalibus officiis cœlestia designari. Imago ergo dicitur hoc quod recipitur ad præsens, & intueri potest humana natura. Si potes mente & animo penetrare cœlos, & sequi Iesum qui penetrauit cœlos, & adsistit nunc vultui dei pro nobis, ibi inuenies illa bona quorum vmbram habuit lex, & imaginem Christus ostendit in carne, quæ præparata sunt beatis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quæ quum videris intelliges quia qui in ipsis ambulat, & in illorum desiderio & cupiditate perdurat, iste non in imagine, sed in ipsa iam ambulat veritate. Veruntamen in imagine ambulat homo. Repetamus ergo sermonem illum quem dixit Apostolus, in quo generales duas imagines designauit, vnam quidem terrenam, aliam verò cœlestem, & comparemus ad hoc, quanquam in imagine ambulat homo: & hoc quod generaliter dictum est, in multas species diuidamus, vt cum diuiditur sermo per singula, atque discutitur, clarescat quod intrinsecus latet. Hoc est autem quod dicimus: Omnis potestas inimica, & vnaquæque virtus diuina quæ auxilium præstat his qui salutem consequi cupiunt: singulæ harum imagines quasdam exprimunt in anima eorum qui se ad receptaculum earum diuersis studiis exhibent, Verbi gratia sicut superius diximus, omnes quidem homines, aut cœlestis, aut terreni imaginem portamus, sed & in his ipsis multa diuersitas. Vtputa omnis peccator portat imaginem terreni, sed non omnis similiter. Non æque imaginem terreni portat homicida & mendax, aut adulter & conuitiosus, aut puerorum corruptor & fur, quamuis omnes isti terreni imaginem portent, sed multa est inter ipsos differentia pro diuersitate peccati. Secundum has ergo diuersitates imaginis terreni, contemplare etiam diuersitatem imaginis cœlestis, & intuere Paulum portantem imaginem cœlestis, & Timotheum. Et quid? putamus quia similiter vt in Paulo, ita & in Timotheo erat imago cœlestis? Nihil amplius, nihil præclarius habebat imago Pauli præter imaginem Timothei? Ego arbitror quia secundum hoc quod præcedebat vitæ merito, verbi potentia, magnanimitate propositi Paulus Timotheum, ita & in illo maior ac splendidior refulgebat imago cœlestis, qualem in illo faciebat imaginem Christus, cum in eo loqueretur: & aliam & longe (vt ego arbitror) inferiorem in illo faciebat imaginem qui dicebat: Et dixit angelus qui loquebatur in me, & sic per singula etiam apud teipsum requirens, diuersitatem inuenies imaginis siue terrenæ in peccatoribus, siue cœlestis in sanctis. Omne ergo quod agitur à nobis per singulas horas vel momenta, imaginem aliquam deformat: & ideo per singula scrutari debemus actus nostros, & nosmetipsos probare in illo opere, & in illo sermone, vtrum

Imago terrena & cœlestis.

K

In peccatoribus est imaginis diuersitas.

In sanctis imaginus differentia. 1.Cor.15.

Zach.1.

L cœlestis an terrena imago in anima nostra depingitur. Sed & illud admonere vos inutile non videbitur, quod multi in hoc mundo propter imagines malorum regum, imo potius tyrannorum perierunt, pro hoc tantummodo quod tyrannicæ apud eos imagines deprehensæ sunt, & hoc solum eis suffecit ad crimen. Perscrutetur ergo nunc se vnusquisque vestrum, & cordis sui arcana recenseat, ac diligenter inquirat quas ibi imagines gerat. Si inuentus fueris habere ibi formas diaboli, & imaginem Satanæ, quod tibi erit vitæ refugium? quis miserebitur tui, cum de intimo conclaui cordis tui tyrannica imago proferetur? Sin autem vis vt per species tibi huiusmodi imagines designem, audi. Ira, imago tyrannica est, auaritia, dolus, superbia, tumor, gloriæ seculares, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia. Quas si non citius abieceris de domo tua, si non detraxeris & abraseris à sensibus tuis omnem fucum pessimæ huius picturæ, & omne figmentum venenati coloris absterseris, ipsæ te imagines perire facient. Hæc de eo quod scriptum est: In imagine ambulat homo. Sequitur: [Thesaurizat & ignorat cui congregat ea.] Oportebat enim requiri quæ sunt quæ thesaurizantur & ignorantur cui congregentur, & quæ sunt quæ congregantur & non ignorantur cui permanent.

M Sequitur: [Et nunc quæ est expectatio mea? nónne dominus?] Sicut sapientia nostra Christus est, & iustitia Christus est, secundum quod scripum est: Qui factus est sapientia nobis à deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio: ita & expectatio, id est, patientia nostra Christus est. Propterea non glorietur sapiens in sapientia, nec fortis in fortitudine sua, quia omnia habemus in Christo. Et nūc ergo quæ est expectatio, id est, patiētia mea? Dominus. [Et substantia mea à te est.] Si habeo substantiam diuitiarum spiritaliū, à deo est. Insufflauit enim deus in faciem hominis spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuam. [Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.] Necessario addidit ab omnibus, quo scilicet nulla nos teneat & cōstringat iniquitas. Sed quomodo deus ab iniquitatibus eripiat, cōsideremus. Si pœnitentes pro malis gestis conuertamur ad deum, suscipiens à nobis deus conuersionem nostram, absolutionem iniquitatum donat secundum mensuram conuersionis. Cui enim plus remittitur, plus diligit: & propterea dicitur quia mulieri illi multa remissa sunt, quia dilexit multum. Pro mensura ergo pœnitentiæ, remissionis quantitas moderatur: ne nosmetipsos seducamus, putantes nullis hæc regulis, nullis dispensari iudiciis. Puto enim quod qui omnes iustitias impleuerit, ille omnes abluat iniquitates, qui verò paucas, vel partem aliquam iustitiæ operatus est, partem aliquam iniquitatū resoluat: qui verò perfectam pro omnibus malis & integram pœnitētiam gesserit

1.Cor.1.

Hier.9.

Gen.2.

Pro mensura pœnitentiæ remissionis peccati quantitas.

A gesserit, ita vt purum cor iam offerat deo, iste simul omnem labem diluit peccatorum: si verò ex parte pœnituit, & ex parte iam meruit absolutionem. Hæc ergo sciens propheta, & quia quosdam quidem eripit deus ab omnibus iniquitatibus suis, quosdam ab aliquibus iniquitatibus liberat, puto quod propterea confidens egisse se ea quibus dignum esset ab omnibus iniquitatibus eripi, dicit audacter ad dominum: [Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.] [Opprobrium in sipienti dedisti me.] Donec habemus peccata necesse est nos exprobrari ab insipiente, & accusatore nostro diabolo: & si inueniantur peccata nostra non esse deleta, sed scripta in nobis stylo diaboli, per hæc ipsa quæ gessimus exprobrabit nos inimicus. Sicut enim bona quæque scripta dicuntur non atramēto, sed spiritu dei viui, ita mala quæque conscribūtur atramento & calamo diaboli. Propter quod dominus & saluator noster deleuit chirographum peccatorum nostrorum, quod erat aduersum nos diabolo adstipulante conscriptum, sicut & ante prædixerat per prophetam dicentem: Ecce deleo sicut nubem iniquitates tuas, & sicut nebulam peccata tua, & vltra non ero memor. Vt ergo non exprobremur ab insipiente, conuertamus nos ab omnibus iniquitatibus nostris, ne reprehendens in nobis maculas peccatorum, id est, suæ voluntatis insignia, exprobret, & dicat: Ecce hic Christianus dicebatur, & signo Christi signabatur in frōte, meas autem voluntates & mea chirographa gerebat in corde. Ecce iste qui mihi & operibus meis renunciauit in baptismo, meis rursum operibus se inseruit, meisque legibus paruit. Liberati ergo ab omnibus iniquitatibus, studeamus ne in die iudicij huiuscemodi opprobriis insipientis diaboli succumbamus.

Esa. 44

B

[Obmutui & non aperui os meum, quia tu es qui fecisti. Iam & hoc superius exposuimus, cum tractaremus illum versiculum qui ait: Dum consistit peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum & silui à bonis. Bonū est enim eo tempore cum aduersum nos, vel derogationum, vel conuitiorum, vel probrorum tela iaciuntur, nos huius versiculi meminisse, qui ait: Obmutui, & non aperui os meum, quia tu es qui fecisti. Hoc sanè requirendum videtur, quid est quod dixit: Tu es qui fecisti, nec tamen adiunxit quid fecerit. Sed ordo ipse nos docet, quoniam quidem velut agonem quendam inter nos, & consistentem aduersum nos peccatorem describit: & quia hoc ipsum indicet fecisse deum, id est, quòd exercitij nostri causa & profectus deus fecerit ista certamina. Ideo ergo memor ero, quia tu fecisti agones istos & tu nobis hæc exercitia patientiæ præparasti. Cum enim ad iracundia prouocaret, cum conuitiis lacesseret, ne patiētiæ lineas excederem, & verbum aliquod quod tibi non placeat proferrem de labiis meis, obmutui, & non aperui os meum.

C Si verò amplius aliquid secundum Pauli statuta valuero profligare, non solum obmutescam, & non aperiam os meum, sed & cum maledicor, benedicam & blasphematus deprecabor. [Amoue à me plagas tuas, à fortitudine manus tuæ ego defeci.] Quod latini interpretes plagas dixerūt, in græcis codicibus flagella scriptum est, vt sit amoue à me flagella tua. Quod videtur vtique dicere positus quasi in correptione flagellorum cum sicut homo pro peccatis corripitur, vel flagellatur vt emendetur. Sicut & illud à quam plurimis intelligitur quod scriptū est: Fili noli tædiare à disciplina dei, neque deficias cum ab eo increparis. Quem enim diligit deus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Si quando ergo quis huiuscemodi correptionibus increpatur, competenter dicere videtur: A moue à me flagella tua. A fortitudine manus tuæ ego defeci. Sed illud competenter videtur aptari quod scriptum est: In increpationibus propter iniquitatē corripuisti vel erudisti hominem. Sed noui ego & alia flagella quibus vehementius cruciamur, illa scilicet quæ per prophetam describit sapiētia (Prophetā etenim eum dico) Quis dabit in cogitatu meo flagella, & in corde meo correptionē sapientiæ, vt ignorationibus meis quæ feci non parcatur, & peccata mea non prætereantur? Vides quomodo orat flagellari cor suū pro peccatis suis, & verberari cogitationes suas? Si quando ergo vides temetipsum post peccatum affligi & cruciari in corde, & à propriis cogitationibus accusari: si quando notari te vides à conscientia tua, & eius verberibus

1. Cor. 4.

Interpres confert Latina cum Græcis.

Heb. 12

Conscientiæ stimulus indicium salutis.

D flagellari, spē tibi emendationis ac salutis præsume. Vicinior nanque tibi conuersionis est via, quàm illis qui nec peccasse se quidem sentiunt, nec in delictis suis contristantur, nec flagella cōscientiæ patiuntur. Tu ergo si videris te flagellari & cruciari in cogitationibus tuis, & spem salutis de proximo attendens, dicito de his qui peccauerunt quidem similiter, tamen similiter non pœnitent pro delictis: Quia in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, propterea tenuit eos superbia. Tu ergo si cruciaris & affligeris in corde tuo, dic ad dominum: [Multa quidem flagella peccatorum, sed sperantes in domino misericordia circundabit.] Ostendimus igitur dupliciter hominibus flagella præparari: siue sensibiliter extrinsecus, quum vel languoribus, vel damnis, vel diuersis afflictionum generibus flagellamur: siue etiam quum ex recordatione delicti perurgētis conscientiæ stimulis terebramur in corde. Ad vtrunque ergo conuenit dici, amoue à me plagas tuas. Sed fortasse aliquis dicit, esto quia pro his cruciatibus qui extrinsecus inferuntur commoda huiuscemodi videatur oratio, quæ cessare supplicat cruciatus, nunquid & cordis stimulum ac mentis respectum videbitur inhibere? Mēsura in omnibus quæritur, multo magis in flagellis mensura percōmoda est, si enim fuerint vltra mensuram, nocebunt tibi etiam ipsa quæ bona sunt, & quid de flagellis dicam? Mel (inquit Salomon) inueniens mādu ca quantum sufficit, ne forte satiatus euomas. Quod si in melle mensura vtilis est, quando rectius requiretur & seruabitur in flagellis? Propter quod & apostolus verēs nimia flagella cordis eius qui deliquerat, & nimium tristabatur, dicebat: Ne forte maiore tristitia absorbeatur qui huiusmodi est.

Psal. 72

Duplicia flagella.

Modus in rebus omnibus.

Prou. 25

E [In increpationibus pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.] Anima quæ peccat crassior efficitur. Talis nanque est natura peccati, propter quod scriptum est: Incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit, ita ecōtrario virtus subtilem animam reddit, & vt extorqueam quodammodo vocabuli nouitatem, omne quod in ea corporeum est, abstergit & perimit, & purius eam incorpoream reddit. Quod autem crassescat, & vt ita dicam carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo quod scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij deus præparet, docet. [In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem & tabescere fecisti sicut arenam animam eius.] Est ergo opus dei vt tabescere faciat, & consumat omne quicquid est crassioris materię quo circundatur anima, vt extenuet & elimet prudentiā carnis, & ita demū animam ad subtilem rerum cœlestiū & inuisibiliū reuocet intellectū. Talia quædā inuenimus sub sacramēto non minimo apud Ezechielē prophetam designari, cum in lebetē, vel cacabum carnes immitti dicuntur & decoqui, & dicitur quia coctæ sunt & detabuerunt, vel decoctę sunt carnes & excoctū est ius. Scripta sunt hæc iisdem ipsis sermonibus, pro eo quod lebetes vel cacabi nos suscipiēt flammis succēsi, in quos iniiciemur nos qui animas nostras incarnauimus, vel incrassauimus, si non prius dum in hoc mundo sumus, peruenerimus per pœnitentiam vt tabescant carnes nostræ, & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc adhuc carnes fuerimus egressi, mittemur in illos cacabos qui succēduntur lignis, vel fœno, vel stipula, id est operibus nostris quæ superposuerimus fundamento Christi, Tale est illud (vt opinor) quod Hieremias dicit: Vidi (inquit) lebetem vel cacabum ardentem, & facies eius à facie aquilonis. Vel iterum cum virgam vidit nuceam. Requiramus ergo de ista sententia, quod propterea simul virgam ostendit, & cacabum igne succensum, vt si quidem disciplinas accipias per virgam & emēderis, cacabo non indigeas succenso: si verò permanes indisciplinatus, & virga non emendaris, id est, verbo correptionis vel confutatus vel pœnitens, & tali virga correptus qualem dicit Paulus: Quid vultis in virga veniam ad vos, aut in charitate spiritus & mansuetudinis? Si ergo tali virga non emendaris, in cacabum mitteris, & cacabus succēdetur. Propterea ergo vidit Hieremias simul vtrumque, &

2. Cor. 2

Es. 6

Carnea quādo efficitur anima.

Gen. 6

Opus dei animæ subtilitas.

Ezech. 11

F

Hier. 1

1. Cor. 4.

virgam, & cacabum ſuccenſum, vt metuentes vtrunque, alterum videamus ex altero. Hæc propter hoc quod ſcriptum eſt: Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. Si ergo ſermonem ad naturam animalis iſtius retorquemus, ex illa parte qua opus ſubtiliſſimum & quod vix oculus comprehendere poteſt expleat, apta videbitur expoſitio iſta, quam ſuperius explanauimus. Si vero quis ad illud referat quod Eſaias in libro ſuo ſcribit, quia telam araneæ texuerunt aliter accipiẽdum eſt: quia omnia quæ texit & agit peccator, tam nihil ſcias eſſe quàm ſunt illa quæ texit aranea, licet varia videantur & compoſita, licet exquiſita quadam arte digeſta. Quanta texuerunt illi diuites qui ante nos fueruut, qui diuitias variis artibus, & callidis adinuentionibus congregabant, qui magiſtratus, qui honores, qui conſulatus diuerſa ambitione quærebant, iſti omnes telas araneæ texuerunt. Tam enim vana, tam friuola quàm eſt araneæ textrina, fuerũt omnia quæ gerebant, & propterea tabefactæ ſunt ſicut araneæ animæ eorum. [Verumtamen vanitas omnis homo.] Iam hoc in ſuperioribus explanauimus. [Exaudi orationem meam deus & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.] Oportet iterum & cum lacrymis offerre orationem deo, & ex intimis penetralibus in precem domini commoueri, vt mens credens, de iudicio futuro, recordationem delictorum ſuorum non abſque lacrymis, & lamentatione recenſeat: quis reſolutus in lacrymas dicit ad dominum: effundo in conſpectu tuo orationem meam. Auribus ergo percipe lacrymas meas, & ne ſileas, inquit, à me, id eſt, me orante ne ſileas. Sed quid? [Adhuc loquente me dic, ecce adſum. Quia incola ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei.] Quia peregrinus ſum, neceſſario etiam & incola ſum, non enim ſum ſicut tu. Tu enim æternus es ſolus, & nos quantum inuenitur habemus initium. Ego autem ſi dignus efficiar eſſe apud te, incola tamen ſum, & peregrinus apud te: quia & omnes patres mei incolæ fuerunt, & peregrini apud te: & Abraham peregrinus eſt apud te, quia non erat ſemper, ſed tunc eſſe cœpit quando tu voluiſti, & Iſaac & Iacob & omnes iuſti. [Remitte mihi vt refrigerem priuſquàm abeam, & amplius non ero, quoniam incola ſum: donec apud te ſum, tandiu ſum: ſi autem à te exiero, perdidi etiam hoc ipſum quod ſum, & ero tanquàm qui non ſum. Denique propterea de peccatoribus dicit: Et erunt tanquam qui non ſunt. Et alibi: Qui vocauit ea quæ non ſunt. Remitte mihi vt refrigerem priuſquàm abeam, & amplius non ero. Sciendum tamen eſt quod in nobis eſt, ſiue vt ſimus, ſiue vt non ſimus. Donec enim adhæremus deo & inhæremus ei qui vere eſt, etiam non ſumus, Sin autem abſceſſerimus ab eo & non adhæſerimus deo, noſtro vitio in contrarium decidimus. Non ergo per hoc ſubſtantialis animæ deſignatur interitus, ſed non eſſe dicitur cum in eo non permanet qui vere & ſemper eſt, ex quo ipſe eſt. Propterea ergo & ſermo nos propheticus adhortatur dicens: Poſt dominum deum noſtrum ibimus, & ipſi adhærebimus. Sed & nos ipſi dicamus: Adhæſit anima mea poſt te, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Eſa. 59. — Iſa. 22.

Finis Homiliæ ſecundæ in pſalmum Trigeſimum octauum.

EPISTOLARIS PROLOGVS BEATI HIERONYMI PRESBYTERI AD DAMASVM PAPAM IN EXPOSITIONEM

Cantici Epithalamij Canticorum ſecundum Origenem, cuius doctrinam & eloquentiam laudibus effert mirum in modum idem Hieronymus.

BEATISSIMO PAPÆ DAMASO HIERONYMVS.

ORIGENES *cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico canticorum ipſe ſe vicit. Nam decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti vſque verſuum millia penè perueniunt: primum ſeptuaginta interpretes, deinde Aquilam & Symmachum & Theodotionem, & ad extremum Quintam editionem quam in Actio littore inueniſſe ſe ſcribit, ita magnifice apertéque diſſeruit, vt inde mihi videatur in eo completum eſſe quod dicitur: Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Itaque illo opere prætermiſſo, quia ingentis eſt ocij, laboris & ſumptuum, tantas res, támque dignum opus in latinum transferre ſermonem, hos duos tractatus quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactentibus compoſuit, fideliter magis quàm ornate interpretatus ſum, guſtum tibi ſenſuum eius non cibum offerens: Tu animaduertas quanti ſint illa æſtimanda quæ magna ſunt, cum ſic poſſint placere quæ parua ſunt.*

ORIGENIS HOMILIAE DVAE IN CANTICVM CANTICORVM,

INTERPRETE DIVO HIERONYMO.

QVOMODO didicimus per Moſen quædam eſſe non ſolum ſancta, ſed & ſancta ſanctorum, & alia non tantum ſabbata, ſed & ſabbata ſabbatorũ: ſic nunc docemur ſcribente Solomone eſſe quædam non ſolum Cantica, ſed & Cantica canticorum. Beatus quidem is qui ingreditur ſancta, ſed beatior qui ingreditur ſancta ſanctorum. Beatus qui ſabbata ſabbatizat, ſed beatior qui ſabbatizat ſabbatorum ſabbata. Beatus ſimiliter & is qui intelligit cantica, & canit ea: nemo quippe niſi in ſolennitatibus canit: ſed multo beatior ille qui canit Cantica canticorum. Et ſicut is qui ingreditur in ſancta, pluribus adhuc indiget, vt valeat introire in ſancta ſanctorum: & qui ſabbatum celebrat quod à domino populo conſtitutum eſt, multa adhuc neceſſaria habet vt agat ſabbata ſabbatorum: eodem modo difficile reperitur, qui omnia quæ in ſcripturis continentur cantica peragrans, valeat aſcendere ad Cantica canticorum. Egredi te oportet ex Ægypto, & egreſſum de terra Ægypti pertranſire mare rubrum, vt poſſis primum canticum canere dicens: Cantemus domino, glorioſe enim magnificatus eſt. Licet autem primum dixeris canticum, adhuc longe es à Cantico canticorum. Perambula terram deſerti ſpiritaliter, donec venias ad puteum quem foderunt reges, vt ibi ſecundum canticum canas: Poſt hæc veni ad vicina ſanctæ terræ, vt ſuper Iordanis ripam conſtitutus cantes canticum Moſi, dicens: Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba oris mei. Rurſum habes

Heb. 9. Leuit. 25. — Exod. 15. Primum canticum. Num. 21. Secundum canticum. Deut. 32. Tertium.

A habes necessarium vt milites, & terram sanctam hæreditate possideas, & apis tibi prophetet, & apis te iudicet: Debbora quippe apis interpretatur: vt possis & illud carmen, quod in libro Iudicum continetur, edicere. Ad Regnorum deinceps volumen ascendens veni ad canticum quando Dauid fugit de manibus omnium inimicorum suorum & de manu Saul, & dixit: Dominus firmamentum meum & fortitudo mea & refugium meum & liberator meus. Perueniendum tibi est ad Esaiam, vt cum illo dicas: Cantabo canticum dilectæ vineæ meæ. Et cum vniuersa transieris, ad altiora conscende, vt possis anima decora cum sponso & hoc canere Canticum canticorum. Sed quot ex personis constet, incertus sum. Orantibus autem vobis, & reuelante domino, quatuor mihi in his videor inuenisse personas, virum & sponsam, cum sponsa adolescentulas, cum sponso sodalium greges. Alia dicuntur à sponsa, alia à sponso, nonnulla à iuuenculis, quædam à sodalibus sponsi. Congruum quippe est vt in nuptiis adolescentularum sit multitudo cum sponsa, iuuenum turba cum spōso. Hæc omnia noli foris quærere, noli extra eos qui prędicatione euangelij saluati sunt. Christum sponsum intellige. Ecclesiam sponsam sine macula & ruga, de qua scriptum est: Vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculā, neque rugam, aut aliquid eorum, sed vt sit sancta & immaculata. Eos verò qui cum sint fideles, nō sunt tamē istiusmodi quales

Iudic. 5 Quantum.

2. Reg. 22

Esa. 5

Quatuor personæ cantici huius.

Eph. 5

B sermo pręfatus est, sed iuxta modū quendam adepti videntur salutem, animaduerte credentium animas & adolescentulas esse cum sponsa: angelos verò & eos qui peruenerunt in virum perfectum, intellige viros esse cum sponso. Inde igitur mihi videntur quatuor ordines vnum & vnam, duos choros inter se concinentes, sponsam canere cum iuuenculis, sponsum canere cum sociis. Et cum hoc intellexeris, audi canticū canticorū, & festina intelligere illud & cum sponsa dicere ea quæ sponsa dicit, vt audias quæ audiuit & sponsa. Si autē non potueris dicere cum sponsa quæ dixit, vt audias ea quæ dicta sunt sponsæ, festina vel cum sponsi sodalibus fieri. Porro si & illis inferior es, esto cum adolescentulis, quæ in sponsę deliciis commorantur. Hæ quippe in hoc libro, fabula pariter, & epithalamio sunt personæ: ex quo & gentiles sibi Epithalamium vindicarunt, & istius generis carmen assumptum est. Epithalamium siquidem canticum canticorū. Primum spōsa orat & statim in mediis precibus auditur: videt præsentem sponsum, videt adolescentulas suo comitatui copulatas. Deinde respondet ei sponsus: & post sponsi eloquia, dum ille pro eius patitur salute, respondent sodales, donec sponsus sit in recubitu, & à passione consurgat, se quædam spōsæ ornamenta facturos. Verum iam ipsa verba ponenda sunt, in quibus prius vox spōsæ deprecātis auditur. [OSCVLETVR me osculo oris sui.] Quorum iste est sensus: Quousque spōsus meus mittit oscula per Mosen, mittit oscula per prophe-

Alludit ad Dramata poëtarum græcorum.

Hic liber fabula simul & Epithalamiū

Cantic. 1

C tas? Iam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur sponsi patrem, & dicit ad eum: Osculetur me osculo oris sui. Et quia talis est vt cōpleatur super eam propheticum illud in quo dicitur: Adhuc te loquente dicam, ecce adsum: sponsam sponsi pater exaudit, mittit filiū suum. Videns illa eum cuius deprecabatur aduentum, orare destitit, & ad eum comminus loquitur: [Quoniam bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.] Sponsus igitur Christus missus à patre venit vnctus ad sponsam, & dicitur ad eum: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Si me tetigerit sponsus, & ego boni odoris ero, & ego liniar vnguentis, & ad me vsque eius vnguenta perueniēt, vt possim cum apostolo dicere: Christi bonus odor sumus in omni loco. Nos autē cum hæc audiuimus, adhuc peccatis vitiisque fœtemus, de quibus propheta pœnitens loquitur: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Peccatum odoris est putidi, virtus spirat vnguenta, quorū typos reperies in Exodo. Inuenies quoque ibi stacten, onycha, galbanem, & reliqua. Hęc quidem ad incensum: deinde ad opus vnguētarij varia sumuntur vnguēta, in quibus est nardus & stacte. Et deus qui fecit cœlum & terram, loquitur ad Mosen, dicēs: Ego impleui eos spiritu sapientiæ & intellectus, vt faciant opera artis vnguentariæ: &

Psal. 44

2. Cor. 2

Exod. 30

Exod. 31

vnguentarios deus docet. Hæc nisi spiritaliter intelligantur, nōnne fabulæ sunt? nisi aliquid habeant secreti, nōnne indigna sunt deo? Necesse est igitur eum qui audire scripturas spiritaliter nouit, aut qui certe non nouit, & desiderat nosse, omni labore contendere, vt non iuxta carnem & sanguinem conuersetur, quo possit dignus fieri spiritalium secretorum, & vt aliquid audētius dicam, spiritali cupidine vel amore accēdatur. Siquidem est & spiritalis amor: & quomodo est quidam carnalis cibus, & alius spiritalis: & alia carnis potio, alia spiritus: sic est quidā amor carnis à Satana veniens, alius amor spiritus à deo exordium habēs: & nemo potest duobus amoribus possideri. Si carnis amator es, amorem spiritus non capis. Si omnia corporalia despexisti, non dico carnem aut sanguinem, sed argentū & possessiones, sed ipsam terram ipsúmque cœlum, hæc quippe pertransibunt: si ista omnia contempsisti, & ad nullū horum anima tua obligata est, neque quoquam vitiorum amore retineris, potes amorem capere spiritalem. Ita locuti sumus quia euenit occasio, vt de amore spiritali aliqua diceremus. Expedit autē nobis Salomonis custodire præceptū, & magis illius qui per Salomonē loquebatur de sapientia, ita dicens: Ama illam, & seruabit te: circunda illā, & exaltabit te: honora illam vt te amplectatur. Est quidam spiritalis amplexus, atque vtinam contingat vt meam sponsā altior sponsi amplexus includat, vt ego quoque possim dicere quod in eodem libro scriptum est: Sinistra eius sub capite

D

Spiritalis amor.

Duo amores.

Prouer. 4

Cantic. 2

E meo, & dextra illius amplexabitur me. [Osculetur me ergo osculo oris sui.] Moris est scripturarum imperatiuum modum pro optatiuo ponere, vt ibi. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, pro vtinam sanctificetur. & nunc in præsenti: Osculetur me osculo oris sui, pro eo quod est, vtinā osculetur. Deinde cōspicit spōsum. Venit delibutus vnguētis: nec aliter ad spōsam poterat venire, nec decebat aliter patrem ad nuptias filium destinare. Variis eum vnxit vnguētis, fecit illum Christum: venit diuersis odoribus spirās, & audit, quia bona vbera tua super vinum. Congrue sermo diuinus vnam eandemque rem pro locorum qualitate diuersis vocabulis nuncupat. Quando hostia offertur in lege, & vult intellectum ostendere, pectusculum separationis affatur. Quando verò recumbit aliquis cum Iesu, & sensuum eius communione perfruitur, non pectusculū vt suprà, sed pectus alloquitur. Porrò cum sponsa loquitur ad sponsum, quia nuptiale carmē inducitur, non pectusculum, vt in sacrificio, non pectus, vt in Ioanne discipulo, sed vbera nominat, dicens: [Quia bona vbera tua super vinum.] Communica vt sponsa cum sensibus sponsi, & scias quia inebriant atque lætificant istiusmodi cogitatus. Quomodo autem calix domini inebrians quàm optimus est, sic vbera sponsi omni meliora sunt vino, quia bona vbera tua super vinum. In mediis precibus ad sponsum verba conuertit. [Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.] Non vno, sed omnibus sponsus venit vnctus vnguē-

Matth. 6

More scripturarum impe. pro optatiuo.

Nuptiale carmen.

F tis. Si autem & ad meam animam factam sponsam suam spōsus venire dignabitur, quàm oportet esse formosam, vt illum de cœlo ad se trahat, vt descendere faciat ad terras, vt veniat ad amatam? Quali pulchritudine decoranda est? quali debet amore feruere, vt ea loquatur ad illam quæ ad perfectam locutus est sponsam? Quia ceruix tua, quia oculi tui, quia genæ tuæ, quia manus tuæ, quia venter tuus, quia humeri tui, quia pedes tui. De quibus si concesserit dominus disputabimus, quomodo sponsæ membra varientur, & singularum partium laus diuersa dicatur, vt post disputationem etiam ad nostram dici animam similiter laboremus. Bona igitur vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Si videris sponsum, tunc intelliges verum esse quod dicitur. Quoniā bona vbera tua super vinū, & odor vnguentorū tuorū super omnia aromata. Multi habuerūt aromata. Regina Austri detulit Aromata Salomoni, & plures alij aromata possederunt: sed habuerit quis quantalibet, non possunt Christi odoribus cōmparari, de quibus nūc sponsa ait: Odor vnguētorum tuorū super omnia aromata. Ego arbitror quia & Moses habuit aromata & Aaron, & singuli prophetarum: verum si videro Christum, & suauitatem vnguentorum eius odorēque percepero, statim sententiam profero dicens: Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. [Oleum effusum

3. Reg. 10

Cant. 1

G nomen tuum.] Propheticum sacramentum est. Tantummodo nomen Iesu venit in mundum, & vnguentum prædicatur effusum. In euangelio quoque mulier accipiens alabastrum vnguenti nardi pisticæ præciosæ, caput Iesu pedesque perfudit. Obserua diligenter quæ de duabus super caput effuderit saluatoris. Si quidem peccatrix super pedes, & ea quæ dicitur non fuisse peccatrix, super caput eius fudisse monstratur. Obserua inquam, & inuenies in euangelica lectione, non fabulas & narrationes ab euangelistis, sed mysteria esse conscripta. Impleta est vtique odore vnguenti domus, si quid peccatrix habuit, ad pedes referendum est: & si quid ea quę non peccatrix, ad caput. Nec mirum domum fuisse odore completam, cum hoc odore mundus completus sit. Scribitur in eodem loco de Simone leproso & domo eius. Ego puto leprosum mundi istius esse principem, & hunc leprosum Simonem nũcupari, cuius domus ad aduentum Christi suaui odore completa sit agente pœnitentiam peccatrice, & sancta caput Iesu vnguenti odoribus perfundente. [Vnguentum effusum nomẽ tuum.] Quomodo vnguentum quod effusione sua odorem longe lateque dispergit, sic Christi nomen effusum est. In vniuersa terra Christus nominatur, in omni mundo prædicatur dominus. Vnguentum enim effusum nomen eius. Nunc Mosi nomen auditur, quod prius Iudææ tantum claudebatur angustiis, neque enim Græcorum quispiam meminit eius, neque in vlla gentilium literarum historia de illo ceu cæteris scriptum aliquid inuenimus. Statim vt Iesus radiauit in mundo, eduxit secum legẽ & prophetas, & vere completum est: Vnguentum effusum nomen tuum. [Propterea iuuenculæ dilexerunt te.] Quia per spiritum sanctum charitas dei diffusa est in corda nostra, congrue nomen effusionis infertur: Vnguentum effusum nomen tuum. Hæc dicens sponsa adolescentulas conspicit. Quando illa sponsi patrem rogabat, & ad ipsum sponsum comminus loquebatur, nec dum adolescẽtulæ aderant: in mediis verò precibus ingreditur iuuencularum chorum chorus, & sponsæ laudatur eloquiis. Propterea
H iuuenculæ dilexerunt te, & attraxerunt te. Adolescentulæq; respondent: [Post te in odore vnguentorum tuorum curremus.] Quàm pulchræ sponsi pedisequę necdum fiduciam habent sponsæ. Sponsa non post tergum sequitur, sed ingreditur iuncta lateri. Apprehendit dexteram sponsi, & manus eius sponsi dextera continetur. Famulæ verò ingrediuntur post eam. Sexaginta sunt reginæ & octoginta concubinæ & iuuẽculę quarum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, vna est ei quæ concepit illã. Post te ergo in odore vnguẽtorum tuorum curremus. Cum omni honestate deambulantibus dictum est. Post te in odore vnguentorum tuorum curremus, secundum illud: Cursum consummaui, & illud: Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus autem accipit brauium. Brauium Christus est. Et hæ quidem adolescentulæ, quas propter amoris exordiũ foris stare cognoscimus, iuxta illud exemplũ: Amicus autẽ sponsi stans & audiẽs eum, gaudio gaudet propter vocẽ sponsi. Tale quidam & adolescentulæ sustinent: introeunte sponso forinsecus remanẽt, sponsa verò speciosa, perfecta, sine macula, sine ruga, in sponsi cubiculum, in regium penetrale ingressa reuertitur ad iuuenculas, & nunciat eis quæ sola conspexerit, dicitque: [Introduxit me rex in cubiculum suũ. Non ait, introdu-
I xit nos plures in cubiculum suum: plures foris remanent, in cubiculum sola ingreditur sponsa, vt videat thesauros absconditos & tenebrosos, renuncietq; iuuenculis. Introduxit me rex in cubiculum suum. Rursus adolescentulæ, id est spõsarum incipientium turba quamplurima, ingressa sponsa cubiculum sponsi, & vidente diuitias viri sui, dũ illius præstolantur aduentum, lætæ concinunt: [Exultabimus, & lætabimur in te.] Pro sponsæ perfectione lætantur. Non est æmulatio in virtutibus. Amor iste mundus, amor iste sine vitio est. Exultabimus & lætabimur in te. Diligemus vbera tua. Illa quę maior est iam tuorum vberum lacte perfruitur, & loquitur exultans: Bona vbera tua super vinum. Istæ verò quæ exultationem & lætitiam deferunt, adolescentulæ quippe sunt, deferunt charitatem & dicunt: Exultabimus & lætabimur in te. Diligemus vbera tua super vinũ. Diligemus inquiũt, nõ

Marc.15 *Luc.7.* *Cant.1* *Mosis nulla mẽtio apud exteros scriptores.* *3.Reg.11.* *1.Cor.9.* *Ioan.3.* *Cant.1.* *Ibidem.*

diligimus. Deinde loquuntur ad sponsam: [Aequitas dilexit
K te.] Laudant sponsam nomen illi æquitatis à propriis virtutibus imponentes. Aequitas dilexit te. Rursum ad adolescentulas sponsa respondet. [Nigra sum, & speciosa filiæ Hierusalem, vt tabernacula Cedar, vt pelles Solomonis. Ne intueamini me, quia ego sum denigrata, quoniam despexit me Sol.] Speciosa quidem est, & possumus inuenire quomodo speciosa sit sponsa, quærimus autem quomodo nigra & sine candore sit pulchra. Pœnitentiam egit à peccatis, speciẽ ei largita est conuersio, & ideo speciosa cantatur. Quia verò necdum omnium peccatorum sorde purgata, necdum lota est in salute, nigra dicitur, sed in atro colore non permanet, itaque candida quando ad maiora consurgit, & cum ab humilibus incipit ad alta conscendere, diciturque de ea: Quæ est ista quæ ascendit dealbata. Et quò manifestius hoc mysteriũ describatur, non ait vt in plerisque codicibus, legitur: Innixa super fratruelem suum, id est, ἐπιστηριζομένη ἐπὶ τὸν ἀδελφιδὸν αὐτῆς, sed ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, id est super pectus eius recumbens. Significanterque de anima sponsæ & sermone dicitur, super pectus illius recumbens, quia principale ibi cordis est nostri. Vnde à carnalibus recedentes spiritalia sentire debemus, & intelligere multo melius esse sic amare, quàm amare desistere. Ascendit igitur recumbens super pectus fratruelis sui: & quæ nunc in exordio cantici nigra ponitur, in Epithalamij fine de ea cantatur: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Intelleximus quomodo & nigra & formosa sit sponsa. Si autem & tu non egeris pœnitentiam, caue ne anima tua nigra dicatur & turpis, & duplici fœditate turperis: nigra propter peccata præterita, turpis propter hoc quia in eisdem vitiis perseueras. Si verò pœnitentiam egeris, nigra erit anima tua propter antiqua delicta, propter pœnitentiam verò habebit aliquid, vt ita dicam, Aethiopici decoris. Et quia semel Aethiopem nominaui, volo testem scripturam super hunc aduocare sermonem. Aaron & Maria murmurãt quia Moyses Aethiopissam habet vxorem, & nunc Moses Aethiopissam ducit vxorẽ. Siquidem lex eius ad hanc nostram Aethiopissam transmigrauit. Murmuret Aaron sacerdotium Iudæorum, murmuret & Maria synagoga eorum, Moyses de murmuratione nõ curat, amat Aethiopissam suam, de qua & alibi dicitur per prophetam: Ab extremis fluminum afferent hostias. Et rursum: Aethiopia præueniet manus eius deo. Pulchræ præueniet, quomodo enim in euangelio mulier illa quæ sanguine fluebat, archisynagogi filiam curatione præuenit, sic Aethiopia Israel ægrotante sanata est. Illorum delicto salus gentibus facta est ad æmulandum eos. Nigra sum, & speciosa filiæ Hierusalem. Et tu ecclesiastica anima ad filias Hierusalẽ conuerte sermonẽ, & dic: Me plus amat sponsus, me magis diligit quã vos, quæ multæ filiæ Hierusalem. Vos foris statis, & sponsam cubiculum videtis intrantem. Nemo dubitet nigram vocatam esse formosam. Qui nos sumus, vt cognoscamus deum, vt cantica cantici prædicemus, vt ab Aethiopæ finibus, vt ab extremo terræ veniremus sapientiam veri audire Solomonis? Et quando Saluatoris vox intonantis auditur: Regina Austri veniet in iudicium, & condemnabit homines generationis huius, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Solomonis, & ecce plus quàm So-
M lomon hic: audi mystica quæ dicantur. Regina Austri venit à finibus terræ ecclesia, & codemnat homines generationis huius, id est Iudæos carni & sanguini deditos. Venit à finibus terræ audire sapientiã Solomonis, non illius qui in testamento veteri prædicatur, sed huius qui in euangelio Solomone maior est.] Nigra sum & speciosa filiæ Hierusalem, nigra velut tabernacula Cedar, speciosa vt pelles Solomonis.] Ipsa quoq; nomina cũ spõsæ decore conueniũt. Aiũt Hebręi, Cedar interpretari tenebras. Nigra sum ergo vt tabernacula Cedar, vt Aethiopes: speciosa vt pelles Solomonis: quas eo tempore in tabernaculi ornamẽto cõposuit, quãdo tẽplũ summo studio & labore fabricatꝰ est. Diues quippe Solomõ, & in omni sapiẽtia illius nemo præcessit illũ. [Nigra sum & speciosa filiæ Hierusalem, vt tabernacula Cedar, vt pelles Solomonis. Ne intueamini me, quia ego sum denigrara.] Satisfecit de nigrore suo, & per pœnitẽtiã ad meliora cõuersa annũciat se filiabus

Num.12. *Seph.3* *Matt.9* *Psal.71.* *Rom.11* *Mat.12*

A filiabus Iſrael nigrã quidẽ eſſe, ſed pulchram, ſecũdũ quod ſuperius expoſuimus, & dicit: [Ne intueamini me, quia ego ſũ denigrata.] Ne, inquit, admiremini coloris eſſe me tetri, ſol deſpexit me. Pleno quippe radio in me luminis ſui fulgor illuxit, vt eius ſim calore fuſcata. Neque enim vt decuerat, vt ſolis dignitas expetebat, illius in me lumen accepi: delicto eorum ſalus gentibus facta eſt, & rurſum incredulitate gentiũ ſcientia Iſrael. Habes vtrunque apud Apoſtolum. [Filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me.] Conſiderandum quomodo ſponſa dicat, filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me: & quando aduerſus eam fratrũ pugna ſurrexit. Vide Paulum eccleſiæ perſecutorem, & intelliges quomodo fili' matris eius pugnauerit aduerſum eam. Perſecutores eccleſiæ egerunt pœnitentiam, & aduerſarij eius rurſum ad ſororis ſigna conuerſi prædicauerunt fidem quam ante deſtruebant. Hoc prophetico ſpiritu ſponſa nunc cantans, ait: [Dimicauerunt in me, poſuerunt me cuſtodem in vineis. Vineam meam non cuſtodiui.] Ego eccleſia, ego ſpõſa, ego ſine macula, plurimarum cuſtos ſum poſita vinearum à filiis matris meæ, qui contra me aliquando pugnauerant. Qua ſollicitudine curáque diſtricta, dum plures cuſtodio vineas, vineam meam non ſeruaui. Intellige hoc de Paulo, & alio quocunque ſanctorũ, qui pro omnium ſit ſalute ſollicitus: & videbis quomodo vineam ſuam nõ cuſtodiens, aliorum vineta cuſtodiat: quomodo etiam vt alios lucrifaciat, ipſe in quibuſdam damna ſuſtineat: etenim cum fuerit liber ex omnibus, ſeipſum ſeruũ fecit, vt omnes lucrifaceret: Factus ſum, inquit, infirmus in infirmis, Iudæis, iudæus, his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege, & cætera: dicátque: [Vineam meam non cuſtodiui.] Deinde cõſpicit ſponſum, qui conſpectus abſceſſit. Et frequenter hoc in toto carmine facit: quod niſi quis ipſe patiatur, non poteſt intelligere. Sæpe Deus teſtis eſt, ſponſum mihi aduentare conſpexi, & mecum eſſe quàm plurimum: quo ſubito recedente, inuenire non potui quod quærebam. Rurſus igitur deſidero eius aduentum, & nonnunquam iterum venit: & cum apparuerit, meiſque manibus fuerit comprehenſus, rurſum elabitur, & cum fuerit elapſus, rurſum à me inquiritur, & hoc crebrò facit, donec illum vere teneam, & aſcendam innixus ſuper fratruelem meum. [An nuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie.] Non quæro alia tempora, quando veſpere, quando diluculo, quando in ſolis paſcis occubitu: Illud tempus inquiro, quãdo in florente die, quando plena luce in maieſtatis tuæ ſplendore verſaris. Annuncia mihi quẽ dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie. Diligenter obſerua vbi meridiẽ legeris. Apud Ioſeph meridie fratres prandium celebrant. Angeli meridie Abrahæ ſuſcipiuntur hoſpitio, & cætera iſtiuſmodi. Quære, & inuenies ſcripturam diuinam non fruſtra ſeu fortuitu vnumquenque vſurpare ſermonem. Quisputas eſt C dignus è nobis vt ad meridiem vſque perueniat, & videat vbi paſcat, vbi cubet ſponſus? Annũcia mihi quẽ dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie. Niſi enim tu mihi annũciaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorũ greges incurro. Et quia aliorum erubeſco aſpectus, faciẽ meã atque ora mox contegere incipio. Sum quippe ſpõſa formoſa, & aliis nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli quẽ iam pridem deoſculata ſum. [Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie, nequando fiam ſicut cooperta ſuper greges ſodalium tuorum.] Vt iſta nõ patiar, vt non fiam cooperta, vt ora non contegam, & ad alios vſque perueniens, incipiam forſitan & eos amare quos neſcio: idcirco annuncia mihi vbi te quæram, & inueniã in meridie, ne forte fiam quaſi cooperta ſuper greges ſodalium tuorum. Poſt hæc verba ſponſus ei comminatur & dicit: Aut cognoſce temetipſam, quoniam regis es ſponſa, & formoſa, & à me facta formoſa. Siquidem ego mihi exhibui glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam. Aut ſcito, quia ſi te non cognoueris, & tuam ſcieris dignitatem, patieris hæc quæ ſequũtur. Quænam iſta ſunt? [Si non cognoueris temetipſam ô pulchra in mulieribus, egredere tu in veſtigiis gregum, & paſce non greges ouium, non agnorum, ſed hœdos tuos.] Statuet quippe oues à dextris, & à ſiniſtris hœdos. Si non cognoueris temetipſam ô pulchra in

Rom. 11

B

1. Cor. 9

Gen. 44. 18.

mulieribus, egredere tu in veſtigiis gregum, & paſce hœdos D tuos in tabernaculis paſtorum. In veſtigiis, inquit, paſtorũ nouiſſima fies, non inter oues, ſed inter hœdos tuos, cum quibus habitans non poteris mecum, id eſt cum bono paſtore eſſe. [Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.] Si vis intelligere ô ſponſa, quomodo ſcire te debeas, cognoſce cui te comparauerim: & tunc videbis talẽ te eſſe quæ turpari non debeas, cum tuam ſpeciem cognoueris. Quid eſt igitur, equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te? Scio equitem ſponſum Propheta dicente: Et equitatio eius ſalus. Aſſimilata es ergo equitatui meo in curribus Pharaonis. Quantum differt equitatus meus qui ſum Dominus, & demergo in fluctibus Pharaonem, & criſtatos eius & aſcenſores eius & equos & currus eius: quantum, inquam, differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es omnibus filiabus tu ſponſa, tu eccleſiaſtica anima, omnibus animabus quæ non ſunt eccleſiaſticæ. Igitur ſi eccleſiaſtica anima es, omnibus animabus es melior: ſi non es melior, non es eccleſiaſtica. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te proxima mea. Deinde pulchritudinem ſpõſæ ſpiritali amore deſcribit. Genæ tuæ vt turturis.] Faciem illius laudat, & genarum rubore perfunditur. Pulchritudo quippe mulierum in genis dicitur eſſe quamplurima. Ita & nos pulchritudinem animæ intelligamus in genis. Labia vero eius, & linguam intelligentiam prædicemus. Collum tuum vt monile. Vt ornamentum quod ſolet virginum collo pendere, & nuncupatur ὁρμίσκος, ita ſine hoc decore & tuum ipſum collum eſt ornamentum. Poſt hæc fit ſponſus E in recubitu. Requieuit vt leo, vt catulus leonis obdormiuit, vt deinceps poſſit audire, Quis ſuſcitabit eum? Quo interim dormiente apparent ſponſæ, ſponſi ſodales angeli, & his eam ſermonibus conſolantur. Nos tibi aurea ornamenta facere non poſſumus: non enim tam diuites ſumus vt ſpõſus tuus, qui aureum tibi monile largiatur. Nos ſimilitudinẽ auri faciemus, non habemus aurum. Et in hoc quoque lætandum eſt, ſi ſimilitudines auri, ſi ſtigmata faciamus argenti. [Similitudines auri faciemus tibi, cum ſtigmatibus argenti,] verum non omni tempore, ſed donec ſponſus tuus ſurgat à cubitu. Cum enim ille ſurrexerit, ipſe tibi aurum, ipſe faciet argentum, ipſe tuam mentem ſenſúmque decorabit, & eris vere diues in ſponſi domo ſponſa formoſa, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Abacuc 3.

Gen. 49

Sponſi ſodales angeli.

Homilia ſecunda ex Origene traducta ab eo loco in quo ſcriptum eſt: [Nardus mea dedit odorem ſuum:] vſque ad eum locum in quo ait: [Quia vox tua ſuauis, & forma tua decora,] & cætera.

F

OMnes animæ motiones vniuerſitatis conditor Deus creauit ad bonum: ſed pro vſu noſtro fit ſæpe vt res quæ bonæ ſunt per naturam, dum male his abutimur, nos ad peccata deducant. Vnus de animæ motibus amor eſt, quo bene vtimur ad amandum, ſi ſapientiam amemus & veritatem. Quando verò amor noſter in peiora corruerit, amamus carnem & ſanguinẽ. Tu igitur vt ſpiritalis, audi ſpiritaliter amatoria verba cantari, & diſce motum animæ tuæ, & naturalis amoris incendium ad meliora transferre, ſecundum illud. Ama illam, & ſeruabit te, circumda illam, & exaltabit te. Viri diligite vxores veſtras, ait Apoſtolus: ſed non ſtetit in eo quod dixerat, viri diligite vxores veſtras: verum ſciens eſſe dilectionem virorum in propriis quoque vxoribus inhoneſtam, ſciens eſſe placentẽ deo, docuit quomodo viri vxores ſuas amare deberent, inferens: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus eccleſiam. Et hæc quidem in procemio eorum quæ poſtea diſſerenda ſunt diximus. Quia amici ſponſi dum rex in cubitu ſuo eſt (requieſcens enim dormiuit vt leo, & vt catulus leonis) ſponſæ promiſerant donec ille conſurgeret ſimilitudines auri & argenti eſſe facturos, non habentes aurum vt ſpõſus, & quodãmodo aliis verbis ſpõſi paſſio prædicata eſt: nõ

Amor animæ motus.

Prou. 4

Eph. 5

Quo amore vxores debeãt diligi.

G irrationabiliter ad hæc sponsa respondet,& ipsa dispensationem quandam passionis intelligens ad id quod audierat. [Similitudines auri faciemus tibi cũ stigmatibus argenti, donec rex in recubitu suo est,]ait:[Nardus mea dedit odorẽ suum.] Fasciculus guttæ fratruelis meus mihi,in medio vberum meorum demorabitur.] Quomodo igitur aptabimus ei id quod præcessit: Donec rex in recubitu suo est,id quod sequitur. Nardus mea dedit odorem suum?Loquitur euangelium quia venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi pistici preciosi, non illa peccatrix, sed sancta,de qua nunc mihi sermo est.Scio quippe Lucam de peccatrice,Matthęũ verò & Ioannem & Marcum non de peccatrice dixisse. Venit ergo non peccatrix illa,sed sancta, cuius nomen quoque Ioannes inseruit. Maria quippe erat habens alabastrum vnguenti nardi pistici preciosi, & effudit super caput Iesu. Deinde super hoc indignantibus non omnibus discipulis, sed Iuda solo dicẽte: Potuit venundari hoc trecentis denariis & dari pauperibus respondit magister,atque Saluator: Semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper. Præueniens quippe hæc in diem sepulturæ meæ fecit. Ideò vbicunque predicatũ fuerit euangelium istud,dicetur & quod fecit hæc in memoriam eius. In figura ergo istius quod nunc loquitur. Nardus mea dedit odorem suum, illa super caput domini fudit vnguentum:& tu quoque assume nardum, vt postquam caput Iesu suaui odore perfuderis,possis audacter effari,Nardus mea dedit odorem suum,& à Iesu reciprocum audire sermonem, quia vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod fecit hæc in memoriam eius. Tu quoque facito,in vniuersis gentibus prædicato. Quando autem hoc facies? Si factus fueris vt Apostolus, & dixeris: Christi bonus odor sumus,in omni loco in his qui saluantur,

Cant.1. *Ioan.12.* *Nardus bona opera.* *2.Cor.2.*

H & in his qui pereunt. Bona opera tua nardus sunt. Si verò peccaueris,peccata tetro odore redolebunt,dicit quippe pœnitens: Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Non de nardo propositum est nunc spiritui sancto dicere,neque de hoc quod oculis intuemur euangelista scribit vnguento, sed de nardo spiritali, de nardo quæ dedit odorem suum.[Fasciculus stactes,]id est guttę, siue stillæ,fratruelis meus mihi.Guttam vnguenti,casiam,galbonum, in Exodo legimus præcepto Domini in thyamiama, id est in sacerdotale chrisma confectum. Si ergo videris Saluatorem meum ad terrena aut humilia descendentem, videbis quomodo virtute magna, & maiestate diuina ad nos modica quædam stilla defluxerit.De hac stilla & propheta eccinit dicens: Et erit de stilla populi huius congregandus congregabitur Iacob.Et sicuti secundum alium sensum, Lapis erat præcisus è monte sine manibus nostri in carne Saluatoris aduentus: neque enim totus mons fuit qui descendit ad terras,nec poterat humana fragilitas totius montis magnitudinẽ capere:sed lapis ex monte,lapis offensionis, & petra scandali descendit in mundum:sic secundum alium intellectum stilla nuncupatur.

Exod.25. *Mich.2.* *Dan.2.*

I Oportebat quippe vt quia omnes gentes in stillam situlæ reputatæ sunt,is qui pro omnium salute factus est omnia,etiam stilla fieret ad eas liberandas.Quia enim pro nostra salute non factus est?Nos inanes, & ille exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Nos populus stultus & non sapiens,& ille factus est stultitia prædicationis, vt fatuũ dei sapientius fieret hominibus. Nos infirmi, infirmum dei fortius hominibus factum est.Quia igitur vniuersæ gentes vt stilla situlæ, & vt momentum stateræ reputatæ sunt, idcirco factus est stilla,vt per eum à vestimentis nostris odor stillæ procederet,iuxta illud: Myrrha & stilla & casia à vestimẽtis tuis,à domibus elephantinis, ex quibus lætificauerunt te filiæ regum in honore tuo. Quæ in xliiij.Psalmo dicuntur ad sponsam.[Fasciculus stillæ fratruelis meus mihi.] Consideremus quid sibi fratruelis nomine velit.Ecclesia quæ hoc loquitur de fratruele, nos sumus ex gentibus congregati. Saluator noster sororis eius est filius. id est Synagogæ, duæ quippe sorores sunt, ecclesia & Synagoga. Saluator ergo (vt diximus) filius Synagogæ sororis,vir ecclesiæ, sponsus ecclesiæ, fratruelis est sponsæ suæ. [Fasciculus stillæ fratruelis meus mihi, in medio vberum meorum commorabitur.] Quis ita beatus vt habeat hospitem in principali corde,

1.Cor.1. *Psal.45.* *Ecclesia & Synagoga duæ sorores*

in medio vberum, in pectore suo, sermonem Dei? Tale est quippe quod canitur:[In medio vberum meorum cõmorabitur.] Si non fuerint fractæ mammæ tuæ, in medio earum habitabit sermo diuinus. Decebat in carmine nuptiali mammas potius appellari quàm pectus. Et perspicuum est cur ad expositionem eius quæ dicit: In medio vberum meorum cõmorabitur,sit assumptum. Si non fuerint fractæ mammæ tuæ in medio vberum tuorum commorabitur sermo diuinus. Vnde dixit:[Si non fuerint fractæ mammæ tuæ?] De Ezechiele.Eo quippe loco vbi Hierusalem dominica corripitur voce, inter cætera dicitur ad eam:In Ægypto fractæ sunt mammæ tuæ.Castarum vbera non franguntur,sed meretricum vbera laxis pellibus irrugantur.Pudicarum erecta sunt vbera, & virginali robore tumentia. [Suscipiunt sermonem sponsi & dicũt:[In medio vberum meorum commorabitur. Botrus Cypri fratruelis meus mihi.]Initium est sermonis in germine & initium Cypri,id est floritionis in verbo, vnde ait.Botrus Cypri,id est,floritionis fratruelis meus mihi. Non omnibus est Botrus Cypri, sed his qui eius flore digni sunt. Aliis vna varia est: huic soli quæ nigra est & formosa, in floris decore se præbet.Botrus Cypri fratruelis meus mihi. Non simpliciter ait:Botrus Cypri fratruelis meus,sed cum additamẽto mihi,vt doceret, non omnibus eum esse Botrum Cypri. Videamus autem in quibus regionibus Botrus iste sit sponsæ. [In vineis Engaddi,]quod interpretatur, oculus tentationis. In vineis igitur oculi tentationis Botrus Cypri fratruelis meus mihi.Tentationis oculus in præsenti est.Siquidem in tentatione moramur in hoc mundo, & tẽtatio est vita humana super terram.Dum in hac luce versamur,in vineis sumus Engaddi. Si autem meruerimus postea transplantari, à nostro agricola transferemur. Nec dubites quin possis de Engaddi vineis ad loca meliora transferri. Agricola noster ad transferendam

Ezech.16.

L vineam crebra meditatione iam calluit. Vineam enim ex Ægypto transtulisti, eiecisti gentes,& plantasti eam. Operuit montes vmbra eius,& arbusta eius cedros Libani.Et hęc quidem quæ exposuimus,locuta sit sponsa de sponso, significãs amorem suum & sponsi venientis hospitium, quomodo in medio vberum & sui cordis arcano sponsus veniẽs commoretur. Rursus sponsi ad eam sermo dirigitur, & dicit: [Ecce speciosa proxima mea, ecce speciosa, oculi tui columbæ.] Illa sic dicit ad sponsum,Ecce speciosus fratruelis meus: non adiungit,& proximus meus. Hic autem quando loquitur ad eam:Ecce speciosa,adiungit,& proxima mea. Quare autem illa non dicit:Ecce speciosus proximus mihi,sed tantum,ecce speciosus?Quare ille non solũ speciosa es dicit, sed speciosa es proxima mea?Sponsa si longe fuerit à sponso,non est speciosa:tunc pulchra fit,quãdo dei verbo coniungitur.Et merito nunc docetur à sponso, vt proxima sit,& à suo latere non recedat. Ecce speciosa proxima mea, ecce speciosa. Incipis quidẽ esse speciosa ex eo,quod proxima mihi es:postquã autẽ esse cœperis speciosa, etiam sine additamento proximæ, absolute es speciosa.Ecce speciosa proxima mea, ecce speciosa.

Psal.80. *Cant.1.*

M Videamus & aliam laudem speciosæ,vt & nos æmulemur sponsæ fieri.[Oculi tui columbæ.] Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,iam mœchatus est eam in corde suo, oculos non habet columbæ, Si quis verò oculos oculos colũbæ non habet,domum fratris sui ingreditur infelix, non seruans illud quod in Prouerbiis est præceptum: In domum fratris tui ne intres infelix. Pro eo quod Septuaginta infelix interpretati sunt, Aquila Hebræam exprimens veritatem ἀγροίκως posuit.Qui autem habet oculos columbæ, videt recta,& misericordiam promeretur.Videns quippe recta misericordiam consequetur.Porro,quis videt recta nisi qui casto conspectu & puris intuetur oculis? Noli igitur mihi de his tantum carnis oculis intelligere quæ dicta sunt, licet & de his intellexisse non inutile sit: sed ingrediens ad interiora cordis tui, & alios oculos mẽte perquirẽs,qui & à dei mandato illuminãtur mandatum quippe dei illuminans oculos,illud entere,labora,contende, vt sancte intelligas vniuersa quæ dicta sunt, & similis spiritui ei qui in specie descendit columbæ audias quia oculi tui columbæ sunt.Si intelligis legem spiritualiter,oculi tui columbæ sunt. Si intelligis Euangelium vt se vult intelligi Euangelium & prædicari,vides Iesum omnem languorẽ & infir-

Matth.5. *Prou.27.* *ἀγροίκως agrestis.* *Matt.4.*

A & infirmitatem non solum eo tempore quo carnaliter facta sunt, fuisse medicatũ, sed hodieq; medicantẽ: & nõ tantũ tũc ad homines descẽdisse, sed hodieq; descendere, & esse præsentẽ. Ecce enim, inquit, vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi. Oculi tui columbæ sunt. Ecce speciosa proxima mea, ecce speciosa, oculi tui colũbæ. Has de se sponsa audiens laudes sponso vicem in laudibus tribuit, non quo ei quod non habet suo præconio largiatur, sed intelligens decorem atque conspiciens ait: [Ecce sponsus fratruelis meus equidem pulcher, lectus noster vmbrosus.] Quæro lectum in quo sponsus cum sponsa requiescat, & ni fallor corpus humanum est. Siquidem ille in Euangelio paralyticus qui iacebat in lecto, & abire in domũ suam sublato grabato voce iussus est Saluatoris, antequam sanaretur super debile membrorum suorum corpus iacebat, quod postea dei virtute solidatũ est. sic ego intelligo, Tolle grabatum tuum, & vade in domũ tuam. Neque enim ad hoc filius dei de cælestibus ad terrena descenderat, vt de lectulis imperaret, & consurgentem ab ægrotatione sua sine lectulo non pateretur ascendere. Tolle inquiens grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et tu igitur à Saluatore sanatus tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, vt cum ad te velut sponsam venerit sponsus, & in eo tecum fuerit reclinatus, dicas: Ecce sponsus fratruelis meus, equidem pulcher, acclinatio nostra vmbrosa. Ecce speciosus fratruelis meus, ipse & speciosus est, & vmbrosus. Per diem quippe sol non vret te, neque luna per noctem. [Trabes domorum nostrarum cedri,] multitudinis verba sunt. Videntur autem mihi viri hæc dicere qui cum sponso sunt, de quibus superius sermo præfatus est. Domos cedrinas trabibus intextas, & cypressis contignatas. Siquidem pro stibe ascendit cypressus, & pro coniza ascendit myrtus. Requirẽs igitur cuius naturæ ista sunt ligna & cedrum imputribilem, & cypressum odoris optimi deprehendens, labora & tu ita contignare domum tuam, vt de te quoque possit dici: [Trabes domum nostrarum cedri, & contignationes nostræ cypressi.] Post hæc sponsus loquitur: [Ego flos campi, & lilium conuallium.] Propter me qui in valle eram, descendit in vallem, & in vallem veniens fit lilium: pro ligno vitæ quod plantatum est in paradiso dei, totius campi, id est, totius mundi, & vniuersæ terræ flos factus est. Quid enim sic potest esse flos mundi, vt vocabulum Christi? Vnguentum effusum nomen eius. Aliter idipsum dicitur. Ego flos campi, & lilium conuallium, & hæc quidem de semetipso. Deinde sponsam laudans ait: [Vt lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.] Sicut lilium non potest spinis comparari, inter quas semper exoritur, eodem modo proxima mea super omnes filias lilium est in medio spinarum. Ista audiens sponsa vicem reddit sponso, & sentiens illius etiam suauitatẽ in vocem laudantis erumpit. Vnguentorum quippe odor licet suauiter spiret, & sensum odore demulceat, non tamen eiusmodi est, vt suaue sit ad edendum. Est autem aliud quod optimi saporis sit & odoris, id est, vt fauces dulcore delectet, & spiritum mulceat odoratu: tale est malum, & istiusmodi est naturæ, vt vtraque in se possideat. Idcirco volens non solum beneuolentiam sermonis, sed & dulcorem eius sponsa laudare, ait: [Vt malum in lignis syluæ, ita fratruelis meus in medio filiorum.] Omnia ligna, omnes syluæ arbores ad comparationem sermonis dei syluæ inferaces existimãtur, ad Christum saltus est omne quod dixeris, & infructuosa sunt omnia. Quæ enim possunt dici ad eum comparata fructifera? Etiam ligna quæ videbantur fructibus incuruari, ad collationem aduentus eius infructuosa monstrata sunt. Ideo vt malum in lignis syluæ, ita fratruelis meus in medio filiorũ. [In vmbra eius concupiui, & sedi.] Quàm pulchre non ait in vmbra illius concupisco, sed in vmbra eius concupiui: & nõ sedeo, sed sedi. Siquidem in principio non possumus cum eo proprium conferre sermonem, verum in principio (vt ita dicam) quadam maiestatis illius vmbra perfruimur, vnde & in Prophetis legitur: Spiritus faciei nostræ Christus dominus, cui diximus: In vmbra eius viuemus in gentibus & ab vmbra ad vmbram aliam transmigramus. Sedentibus enim in regione & vmbra mortis, lux orta est eis. Et transeamus ab vmbra mortis, ad vmbram vitæ. Semper istiusmodi sunt profectus, vt in exordio desideret quispiam saltem in virtutum D vmbra consistere. Ego puto ideo & natiuitatem Iesu ab vmbra cœpisse, & non in vmbra, sed in veritate finitam: Spiritus, inquit, sanctus veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Natiuitas Christi ab vmbra sumpsit exordium: non solum autem in Maria ab vmbra eius natiuitas cœpit, sed & in te si dignatus fuerit nascitur sermo dei. Fac igitur vt possis capere vmbram eius, & cum vmbra fueris dignus effectus, veniat ad te (vt ita dicam) corpus eius, ex quo vmbra nascitur. Nam in modico fidelis, & in maioribus erit fidelis. [In vmbra eius concupiui & sedi.] Vides quia non semper in vmbra stetit, sed inde ad meliora transierit, dicens: [Et fructus eius dulcis in gutture meo.] Ego, inquit, desideraui in vmbra eius requiescere, sed postquam me sua protexit vmbra, etiam fructu illius saturatus sum, & fructus eius dulcis in gutture meo. [Introducite me in domum vini.] Foris stetit sponsus, & ab sponsa susceptus est. In medio quippe vberum illius requieuit. Proximæ iuuenculæ non sunt istiusmodi vt sponsum hospitem habere mereantur. Multitudini foris in parabolis loquitur. Quàm vereor ne multæ adolescentulæ forte nos simus. Introducite me in domum vini.] Cur tamdiu foris maneo? Ecce sto ante ostium & pulso. Si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. [Introducite me.] Et nunc eadem dicit sermo diuinus, ecce Christus loquitur, introducite me. Vobis quoque catechumenis loquitur: Introducite me. Introducite, non simpliciter in domũ, sed in domũ vini, impleatur vino lætitiæ, vino spiritus san E cti anima vestra, & sic introducite in domũ vestrã spõsum, verbũ, sapientiã, veritatẽ. Potest autem & ad eos dici qui nondũ perfecti sunt, Introducite me in domum vini. [Ordinate in me charitatem.] Eleganter loquutus est, ordinate. plurimorũ quippe inordinata est charitas: quando quod in primo loco debent diligere, diligunt in secundo: quod in secundo, diligũt in primo: & quod oportet amare quarto, amant in tertio: & rursus tertium in quarto, & est in plerisque charitatis ordo peruersus. Sanctorum verò charitas ordinata est. Volo ad intelligendum hoc quod dictum est, Ordinate in me charitatẽ aliqua exempla replicare. Te vult diuinus sermo diligere patrem, filium, filiam, vult te sermo diuinus diligere Christum, nec dicit tibi, ne diligas liberos, ne parentibus charitate iungaris. Sed quid dicit tibi? ne ordinatam habeas charitatem, ne primum patrem, aut matrem, deinde me diligas, ne filij & filiæ plusquam mei charitate tenearis. Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus. Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Recole conscientiam tuam de patris, matrisve affectu, & considera qualem circa sermonem dei & Iesu habeas charitatem, statim deprehendes magis te filium aut filiam diligere, quàm verbum, magis te parẽtes amare quàm Christum. Quis putas ita proficit ex nobis, vt præcipuam, & primam inter omnia sermonis Dei habeat F charitatem? qui in secundo loco liberos ponat? Iuxta hunc modum ama vxorem tuam. Nullus quippe aliquando suam carnem odio habuit, sed amat vt carnem: Et erunt, inquit, duo in carne vna, & non in vno spiritu. Ama & deum, sed ama illum non vt carnem, & sanguinem, sed vt spiritum. Qui enim adhæret deo, vnus spiritus est. Igitur ordinata est charitas in perfectis. Vt autem post deum etiam inter nos ordo ponatur, primum mandatum est, vt diligamus parentes, secundum vt filios, tertium vt domesticos nostros. Si autem filius malus est, & domesticus bonus, domesticus in charitate filij collocetur. Et ita fiet vt sanctorum ordinata sit charitas. Magister quoque & dominus noster in Euangelio præcepta de charitate constituens ad vniuscuiusque dilectionem proprium aliquid apposuit, & dedit intelligentiam ordinis his qui possunt audire scripturam dicentem: Ordinate in me charitatem. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Et diliges proximum tuum sicut teipsum. non proximum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute, & ex tota mente. Rursus inquit: Diligite inimicos vestros, & non apposuit, ex toto corde. Non est inordinatus sermo diuinus, nec impossibilia præcipit, nec dicit, diligite inimicos vestros vt vosmetipsos, sed tantum, diligite inimicos ve-

Lectus corpus humanum. Matth. 9 Psal. 121 Cantic. 1 Cant. 2 Cant. 2 Lament. 4 Esa. 9 Luc. 1. Mat. 25 Cant. 2 Cant. 2 Ordo charitatis. Ibid. Matt. 10 Eph. 5 1. Cor. 6 Bonus domesticus plus diligẽdus quàm filius improbus. Deut. 6 Mat. 22 Matth. 5 Quatenus diligendus inimicus.

G stros, sufficit quod eos diligimus, & odio non habemus. Proximū verò vt teipsum. Porrò deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mēte, & ex tota virtute. Si hæc intellexeris, & intellecta cōpleueris, fecisti quod spōsi sermone præcipitur. [Introducite me in domū vini, ordinate in me charitatē.] Quis putas è nobis charitatis est ordinatæ? [Cōfirmate me in vnguētibus,] vnus de interpretibus posuit ἐν ἀνθήσι. Hæc autē sponsa loquitur. [Stipate me in malis.] In quibus malis? Vt malū in lignis syluæ, ita fratruelis meus in medio filiorū. Idcirco [in malis eius stipate me, quia vulneratæ charitatis ego.] Quā pulchrū est, quā decorū à charitate vulnus accipere. Alius iaculū carnei amoris excepit, alius terreno cupidine vulneratus est, tu nuda mēbra tua, & præbe te iaculo formoso, siquidē deus sagittarius est. Audi scripturā de hoc eodē iaculo loquentē, imò vt amplius admireris, audi ipsum iaculūquid loquatur: Posuit me in sagittā electam, & in pharetra sua seruauit me, & dixit mihi. Magnum est tibi hoc vocari puerum meū. Intellige sagittam quid dicat, & quomodo à deo sit electa. Quā beatū est hoc iaculo vulnerari. Hac sagitta vulnerati fuerunt illi qui inter se inuicē conferebant: Nōne cor nostrū ardēs erat in via cū aperiret nobis scripturas? Si quis sermone nostro, si quis scripturæ diuinæ magisterio vulneratur, & potest dicere quia vulneratæ charitatis ego, hunc & illud forsitan sequitur (quid forsitā dico? manifestā promo sententiam) [Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] Habet & in sinistra, & in dextera sermo dei sapientiam, quæ cū pro intellectus varietate sit multiplex, in subiacenti vina est. Ipse Salomō de læua, & dextera sapientiæ docuit, dicēs: Longitudo enim, & anni vitæ in dextera eius: in sinistra H autē ipsius diuitiæ, & gloria. Igitur læua eius sub capite meo, vt faciat requiescere, & brachiū sponsi fiat ceruical meum, & reclinetur anima principale super sermonē dei. [Læua eius sub capite meo.] Non expedit tibi habere ceruicalia quæ lamētatio sequatur. In Ezechiele scriptū est: Væ iis qui consuūt ceruicalia sub omni cubitu manus. Noli consuere ceruicalia, noli capiti aliunde requiem quærere, habe sponsi læuam sub capite tuo. & dic: Læua eius sub capite meo: quamcū habueris, omnia tibi quæ sunt in læua tribuūtur. Dicis quippe: In sinistra eius diuitię, & gloria, [& dextera eius amplexabitur me.] Totum te sponsi dextera cōplectitur. Longitudo quippe & anni vitæ in dextera eius: & ob id longæ vitę, & multorū dierum eris super terram bonā, quam dominus deus tuus dat tibi [Adiuraui vos filiæ Hierusalē in virtutibus, & in viribus agri.] Quid adiurat spōsa filias Hierusalē? Si leuaueritis, & suscitaueritis charitatē. Quandiu charitas dormit in vobis ô filiæ Hierusalē, ô adolescentulæ, quæ in me non dormit, quia vulnerata sum charitate. In vobis autē quæ plures estis, & adolescētulæ, & filiæ Hierusalem, dormit charitas spōsi. Adiuraui ergo vos filiæ Hierusalē, [si leuaueritis, & non solū leua-I ueritis, sed & suscitaueritis, quæ in vobis est charitatē.] Creator vniuersitatis cū vos conderet, inseruit in cordibus vestris semina charitatis. Nunc autē sicut alibi dicitur: Iustitia dormiuit in ea, sic dilectio dormitat in vobis: iuxta quod & alibi dicitur: Spōsus requieuit vt leo, & vt catulus leonis. Adhuc in infidelibus, & in his qui corde sunt dubio dormitat sermo diuinus, vigilat in sanctis: dormitat in his qui tempestatibus fluctuant, suscitatur verò eorum vocibus qui cupiunt vigilante sponso saluari. Statim fit eo vigilāte tranquillitas, statim vndarū moles conquiescunt, spiritibus cōtrariis increpatur, fluctuum rabies silet. illo dormiēte tempestas, mors, & desperatio est. Adiuro ergo vos filiæ Hierusalē in virtutibus, & in viribus agri. Cuius agri? Nēpe illius agri pleni, quem benedixit dominus. [Si leuaueritis, & suscitaueritis charitatē, quoad usque velit vox fratruelis mei. [Ecce hic venit saliens super montes.] Hæc adhuc loquitur ecclesia, exhortās adolescentulas, vt ad spōsi præparentur aduentū. Si tamen venire voluerit, & suū illis præbere colloquium. Adhuc igitur loquēte ea, venit sponsus, quem digito mōstrat, & dicit: [Ecce hic venit saliens super mōtes.] Intellige spōsæ animam beatā atque perfectā, quæ citius videat, citius sermonis cōtempletur aduentum, quæ sibi sapiētiam venisse sentiat, & charitatem, & dicat non vidētibus. [Ecce hic venit.] Orate vt & ego possim dicere, Ecce hic venit. Si enim potuero dei disserere sermones, quodammodo & ego dicam, Ecce hic venit. Quo? Non vtique vbi vallis, non vbi humilia loca. Quo venit? [Saliens super montes, transiliens super colles.] Si fueris mons, salit in te sermo dei. Si non valueris esse mons, sed fueris collis, secundus à monte, transiliet super te. Quàm verò pulchra, & conueniētia rebus vocabula. Salit super montes, quia maiores sunt: trāsilit super colles, quia minores sunt. Non transilit super mōtes. non salit super colles. Ecce hic venit saliens super mōtes, transiliens super colles. [Similis est fratruelis meus capreæ, au hinnulo ceruorum in montibus Bethel.] Hæc duo animalia in scripturis frequentius nominantur: & quo amplius admireris, sæpius iuncta ponuntur. Et hæc sunt ait quæ manducabis post paululum inferens capream, & ceruum. In præsenti quoque libro pariter nominatur ceruus, & caprea. Quodammodo enim cognata sibi sunt, & vicina ista animalia. Caprea, id est, dorcas, acutissime videt. Ceruus interfector serpentum est. Quis putas est dignus è nobis, qui iuxta dignitatem loci atque mysterij, plenam possit explicare rationem? Oremus dominum, vt nobis largiatur sensum ad aperiendas scripturas, & possimus dicere: Quomodo aperuit nobis Iesus scripturas. Quid igitur? dicimus quia dorcas, hoc est, caprea secundum eorum physiologiam qui de naturis omnium animalium disputant, ex insita sibi vi nomen acceperit. Ab eo enim quod acutius videat, id est παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν, dorcas appellata est. Ceruus verò serpētum inimicus ac debellator est, ita vt spiritu narium eos extrahat de cauernis, & superata pernicie veneni eorū pabulo delectetur. Forsitan saluator meus caprea fit iuxta θεωρίαν, ceruus iuxta opera. Quænam ista sunt opera? Interficit ipse serpentes, contrarias fortitudines iugulat, ideo dicam ei: Tu contriuisti capita draconum super aquas, tu contriuisti caput draconis. [Similis est fratruelis meus capreæ, vel hinnulo ceruorum super mōtes domus dei: L Bethel quippe interpretatur domus dei. Non omnes montes domus dei sunt, sed qui montes ecclesiæ sunt. Inueniuntur quippe & alij mōtes erecti, & consurgentes aduersus scientiā dei, montes Ægyptiorum & Allophylorum. Vis scire quia similis est fratruelis meus capreæ, aut hinnulo ceruorum super montes Bethel? Esto mons ecclesiasticus, mons domus dei, & veniet ad te sponsus similis capreæ, vel hinnulo ceruorum super montes Bethel. Cernit sponsum appropinquasse vicinius, qui ante super montes versabatur & colles, assimulat eum transilientem atque salientem. Et post hæc ad se & ad alias adolescentulas aduenisse cognoscens, dicit: [Ecce hic retro post parietem nostrum.] Si ædificaueris parietem, & feceris ædificationem dei, veniet post parietem tuum. [Prospiciens per fenestras.] Vna fenestra vnus est sensus, per hunc prospicit sponsus, alia fenestra, alius est sensus, & per hunc sponsus sollicite contuetur: per quos sensus non prospicit sermo dei? Quid sit autem prospicere per fenestras, & quomodo per eas sponsus aspiciat, sequens docebit exemplum. Vbi M non prospicit sponsus, ibi mors inuenitur ascendens, vt legimus in Hieremia: Ecce mors ascendit per fenestras nostras. Quādo videris mulierem ad concupiscendum eam, iam mors ascendit per fenestras tuas. [Eminēs per retia.] Intellige quia in medio laqueorum ambulas, & subtus machinas transeas imminentes, omnia retibus plena sunt, diabolus laqueo cuncta compleuit. Si autem venerit tibi sermo dei, & cœperit eminere de retibus, dices: Anima nostra erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Benedicti vos à domino qui fecit cœlum & terrā. Eminet igitur sponsus per retia tibi vitam faciens. Iesus descendit ad terras, subiecit se retibus mundi: videns magnū hominum gregem retibus impeditum, nec ea ab alio nisi à se posse conscidi, venit ac retia assumens corpus humanū, quod inimicarum fortitudinum laqueis tenebatur, ea tibi dirupit, & loqueris [Ecce hic retro post parietē nostrum prospiciens per fenestras, eminens per retia.] Cum eminuerit dicit tibi. Respondet fratruelis meus, & dicit: Surge, veni proxima mea, viam tibi feci, conscidi retia, sic veni ad me proxima mea. [Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea.] Curait fuge? cur propera? Ego pro te sustinui rabiem tempestatum, ego fluctus qui tibi debebantur excepi. Tristis est facta anima mea propter te vsque ad mortem. Surrexi à mortuis

Marginal notes: Esa. 49. — Luc. 24. — Cant. 2. — Prou. 3. — Ezech. 13. — Cant. 2. — In vobis ab ortu semina charitatis. — Genes. 49. — Matth. 8. — Genes. 26. — Cant. 2. — Deut. 14. — Luc. 24. — Ceruus serpentibus. — Psal. 73. — Cant. 2. — Hier. 9. — Eccle. 7. — Psal. 123. — Cant. 2. — Matth. 26.

A tuis fractis mortis ianuis, & inferni vinculis dissolutis. Ideo dico tibi. [Surge, veni proxima mea, speciosa mea, colũba mea, quia hyẽs transiuit, pluuia abiit, flores visi sunt in terra.] Ego à mortuis surgens tempestate compressa tranquillitatem reddidi. Et quia secundum dispensationem carnis ex virgine, & voluntate patris creui, & sapientia & ætate profeci. [Flores visi sunt in terra, tempus sectionis adest.] Sectio remissio peccatorum est. Omnem enim ramum (ait) in me manentem, & afferentem fructum pater meus mundat, vt fructus maiores afferat. Habeto fructus, & priora quæ in te infructuosa sunt auferuntur. Tempus quippe sectionis adest, [vox turturis audita est in terra nostra] Non sine causa in sacrificio assumitur par turturum, aut duo pulli columbarum. Nam idem valent, & nunqnam dictum est separatim par tantummodo columbarum, sed par turturum, & duos pullos columbarum. Colũba spiritus sanctus est. Spiritus autem sanctus quando de magnis & occultioribus sacramentis, & quæ multi capere non possunt loquitur, in turturis appellatione signatur, id est eius auis, quæ semper in montium iugis & in arborum verticibus commoratur. In vallibus autem & his quæ ad homines vsque perueniunt, columba assumitur. Denique saluator quia hominem est dignatus assumere, & venit ad terras, multique tunc circa Iordanem peccatores erant, idcirco spiritus sanctus non in turturem vertitur, sed columba fit, inter nos propter hominum multitudinem auis mansuetior conuersatur. Turtur autem videtur (verbi gratia) Moysi & vni cuilibet prophetarum recedentium in montes & deserta, & ibi accipientium sermones dei. Vox ergo turturis audita est in terra B nostra. [Ficus produxit grossos suos.] A ficu dignoscite parabolam: cum ramus eius tener factus fuerit, & folia miserit, scitote quia iuxta est æstas. Vult nobis dei eloquium nunciare, post hyemem, post procellas animarum appropinquasse messem, & ait. Ficus produxit grossos suos, vites florescunt, dederunt odorem: si iam rumpuntur in florem, tempus adueniet, & erunt vuæ. Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea. Hæc quæ superius exposuimus sponsus non audientibus adolescentulis, sed sola sponsa audiente loquitur. Volumus autem & ipsius iam audire sermonem loquẽtis ad sponsam: [Surge, veni proxima mea, colũba mea, & veni colũba mea sub tegmine petræ.] Et Moyses sub tegmine petræ ponitur, vt videat posteriora dei. In tegmine antemuralis. Primum veni ad id quod ante murum est, & postea poteris introire vbi murus est petræ. Ostende mihi faciem tuam. Vsque ad præsentem diem similia dicuntur ad sponsam: necdum enim habebat fiduciam, vt reuelata facie gloriam domini contemplaretur. Quia verò iam ornata est atque composita, dicitur ei: [Ostende mihi faciem tuam.] Nondum erat enim vox eius ita suauis, vt mereretur ei dici: [Audire me fac vocem tuam.] Quando ergo didicit loqui. Tace enim ait, & audi Israel, & scito quid loquar: & suauis facta est vox eius sponso, secundum illud propheticum: Suauis fiat ei postulatio mea: tunc ad eam sponsus effatur: Et audire me fac vocem tuam: quia vox tua suauis est. Si aperueris os tuum verbo dei, dicet tibi sponsus. [Vox tua suauis est, & aspectus tuus speciosus.] Quapropter consurgentes deprecemur dominum, vt digni efficiamur sponsi sermone, sapientia Christo Iesu, cui est gloria & E imperium in secula seculorum, Amen.

Ioan. 15. Leuit. 12. Turtur spiritus sanctus. Luc. 21. Exod. 33. Cant. 2. Ibidem. Psal. 119.

Hic commentarius reperitur inter opera Hieronymi Tomo. 7.

COMMENTARIVS IN CANTICVM CANTICORVM, EODEM D. HIERONYMO Interprete.

PROLOGVS

EPITHALAMIVM libellus, id est nuptiale carmen, in modum mihi videtur dramatis à Solomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis sponsæ, & erga sponsum suum, qui est sermo dei cœlesti amore flagrantis. Adamauit enim eum, siue anima quæ ad imaginẽ eius facta est, siue ecclesia. Sed & C magnificus hic ipse atque perfectus sponsus, quibus verbis vsus sit ad coniunctam sibi animam, vel ecclesiam, hæc ipsa scriptura nos docet. Sodales quoque sponsæ adolescentulæ cum ipsa sponsa positæ quæ dixerunt, quæque etiam amici ac sodales sponsi, ex eodem nihilominus libro, qui Cãticum canticorum intitulatur, cognoscimus. Possibilitas enim data est etiam ipsis amicis sponsi aliqua dicere, ea duntaxat quæ audierant ab ipso sponso lætantes de coniunctione sponsæ. Fit ergo sermo ab ipsa sponsa, non solum ad sponsum, sed etiam ad adolescentulas: & rursum sponsi sermo non tantummodo ad sponsam, sed etiam ad amicos dirigitur sponsi. Et hoc est quod suprà diximus, carmẽ nuptiale in modum dramatis esse conscriptum. Drama enim dicitur multarum personarum cantilena, vt in scenis agi fabula solet, vbi diuersæ personæ introducuntur, & aliis accedentibus, aliis etiam discedentibus, à diuersis, & ad diuersos textus narrationis expletur. Quæ singula suo ordine scriptura hæc continet, totumque corpus eius mysticis formatur eloquiis. Sed primo scire nos oportet, quoniam sicut puerilis ætas nõ mouetur ad amorem possibilium, ita nec ad capiendum quidem verba hæc, paruula & infantilis interioris hominis ætas admittitur, illorum scilicet qui lacte in Christo aluntur, non cibo forti, & qui nunc primum rationabile & sine dolo lac concupiscunt. In verbis enim Cantici canticorum ille cibus est, de quo dicit Apostolus: Perfectorum autem est solidus cibus: & tales requirit auditores, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionem boni & mali. Et quidem paruuli quos diximus, si veniant ad hæc loca potest fieri vt nihil quidem ex hac scriptura proficiant, nec tamen valde lædantur, vel ipsa F quæ scripta sunt legentes, vel quæ ad explanationem eorum dicenda sunt, recensentes. Si verò aliquis accesserit, qui secundum carnem tantummodo vir est, huic tali non parum ex hac scriptura discriminis, periculique nascetur. Audire enim pure & castis auribus amoris nomina nesciens, ab interiori homine ad exteriorem & carnalem virum omnem deflectet auditum, & à spiritu conuertetur ad carnem, nutrietque in semetipso concupiscentias carnales, & occasione diuinæ scripturæ commoueri & incitari videbitur ad libidinem carnis. Ob hoc ergo moneo, & consilium do omni qui nondum carnis & sanguinis molestiis caret, neque ab effectu naturæ materialis abscedit, vt à lectione libelli huius eorumq; quæ in eo dicentur, penitus temperet. Aiunt enim obseruari etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad ætatem perfectam maturamque peruenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. Sed & illud ab eis accepimus custodiri, quandoquidem moris est apud eos omnes scripturas à doctoribus & à sapientibus tradi pueris, simul & eas quas δευτερώσεις appellant, ad vltimum quatuor ista obseruari, id est principium Genesis, in quo mundi creatura describitur, & Ezechielis prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur, & finem in quo templi ædificatio continetur, & hunc Cantici canticorum librum. Igitur necessarium mihi videtur, antequam ad ea quæ in hoc libello scripta sunt, discutienda veniamus, de

Sponsa vel anima vel ecclesia. Heb. 5.

G amore prius ipso qui est scripturæ huius causa, præcipua, pauca differere, & post hæc de ordine librorũ Solomonis, in quibus hic liber tertio loco positus videtur. tũ etiam de attitulatione libelli ipsius, cur Canticũ canticorũ superscriptus sit: atque etiam quomodo dramatis in modũ, & tãquã fabula quæ in scenis personarum immutatione agi solet, videatur esse cõpositus. Apud Græcos quidem plurimi eruditorum virorum volentes inuestigare veritatis indaginem, de amoris natura multa ac diuersa etiam dialogorum stilo scripta protulerũt, conantes ostendere non aliud esse amoris vim, nisi quæ animam de terris ad fastigia cœli celsa perducat, nec ad summã posse beatitudinem perueniri, nisi amoris desiderio prouocãte. Sed & quæstiones de hoc quasi in conuiuiis propositæ referuntur, inter eos puto inter quos non ciborum, sed verborum conuiuium gerebatur. Alij verò etiam artes quasdam quibus amor hic in anima gigni vel augeri posse videatur, cõscriptas reliquerunt. Sed has artes carnales homines ad vitiosa desideria, & culpabilis amoris ministeria traxerunt. Non ergo mirum sit, si & apud nos vbi quanto plures simpliciores, tanto plures & imperitiores videntur, difficilem diximus & periculo proximam de amoris natura disputationem: cum apud Græcos qui eruditi & sapientes videntur, fuerint tamẽ aliqui qui de his non ita acceperint, vt scriptum est, sed occasione eorum quæ de amore dicta sunt, in lapsus carnis & in
H impudicitiæ præcipitia corruerunt, siue ex his quæ scripta erant (vt suprà memorauimus) admonitiones quasdam & incitamenta sumentes, siue incontinentiæ suæ velamen scriptis veterum præferentes. Ne ergo & nos tale aliquid incurramus, ea quæ à veteribus bene & spiritaliter scripta sunt, vitiose & carnaliter aduertentes, tam corporis quàm animæ nostræ palmas protendamus ad deum, vt dominus qui dedit verbum euangelizantibus virtute multa, donet & nobis in virtute sua verbum quo possimus ex his quæ scripta sunt, intellectum sanum, & ad ædificationem pudicitiæ aptum, vel nomini ipsi, vel naturæ amoris ostendere. In principio verborum Moysi, vbi de mundi conditione conscribitur, duos inuenimus homines creatos referri. Primum ad imaginem & similitudinem dei factum, secundum è limo terræ factũ. Hoc Paulus apostolus bene sciens, & ad liquidum in his eruditus, in suis literis apertius & euidentius binos esse & per singulos quosque homines scripsit. Sic enim dixit: Nam si is qui foris est homo noster corrumpitur, sed ille qui intus est, renouatur de die in diem. Et iterum: Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem, & his similia quanta conscribit? Vnde puto neminem iam debere dubitare, quod Moyses de duorum hominum factura vel figmento scripserit in principio Genesis, cum videat Paulum qui melius vtique quã
I nos intelligebat ea quæ à Moyse scripta sunt, duos homines esse per singulos quosque dicentem. Quorum vnum, id est interiorem, renouari per singulos dies memorat: alterũ verò, id est exteriorem, in quibusdam sanctis, & talibus qualis erat Paulus, corrumpi perhibet & infirmari. Quòd si alicui videbitur de hoc adhuc aliquid dubitãdum, in locis propriis melius explanabitur. Nunc autem propter quid memoriam fecerimus interioris & exterioris hominis prosequamur. Ostẽdere enim ex his volumus, quod scripturis diuinis per homonymias, id est per similes appellationes, imò per eadem vocabula, & exterioris hominis membra, & illius interioris hominis partes affectũsque nominantur, eáque non solum vocabulis, sed & rebus ipsis sibi inuicem comparantur. Verbi gratia, vetatur aliquis esse puer secundum interiorem hominẽ, quẽ possibile est crescere, & ad ætatem iuuenis adduci, atque inde succedentibus incrementis peruenire ad virum perfectum, & effici patrem. His autem nominibus vti voluimus, vt consona diuinæ scripturæ, illi scilicet quæ ab Ioanne scripta est, vocabula poneremus. Ait enim ille: Scripsi vobis pueri, quoniam cognouistis patrem: scripsi vobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scripsi vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & per verbum dei quod manet in cœlo, vicistis malignũ. Euidẽs vtique est nec ab vllo arbitror omnino dubitari, quod pueros hic Ioannes vel adolescentes, vel iuuenes, vel etiam patres secundũ animæ, non secundũ corporis appellet ætatem. Sed & Paulus dicit in quodã loco: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquã
K paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. in Christo autem paruuli proculdubio secundum animæ, non secũdum carnis nominantur ætatem. Denique idem Paulus etiam in alio loco ait: Cũ essem paruulus, loquebar sicut paruulus, sicut paruulus sapiebam, sicut paruulus cogitabam: Cum autem factus sum vir, destruxi quæ erant paruuli. Et iterum alibi dicit: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Scit enim occursuros esse omnes qui credunt in virum perfectũ, & in mensurã ætatis plenitudinis Christi. Igitur sicut hæc quæ memorauimus ætatum nomina, eisdem vocabulis & exteriori homini ascribuntur & interiori: ita inuenies etiam membrorum nomina corporalium transferri ad animæ membra, seu potius efficientiæ hæc animæ affectũsque dicendi sunt. Dicitur ergo in Ecclesiaste: Sapientis oculi in capite eius. Item in Euangelio: Qui habet aures audiendi, audiat. In Prophetis quoque: Sermo domini qui factus est in manu prophetæ Hieremiæ, siue alteri[9] cuiuslibet. Simile est etiam illud quod ait ille: Pes autem tuus non offendit. Et iterum: Mei autem paulo minus moti sunt pedes. Euidenter quoque & venter animæ designatur, vbi dicitur: Domine à timore tuo, in vtero concepimus. Nam inde quis dubitet, cum dicitur: Sepulchrum patens est guttur eorum? Et iterum: Præcipita domine, & diuide linguas eorum. Sed & id quod scriptum est: Dentes peccatorum contriuisti. Et iterum: Contere brachium peccatoris & maligni. Et quid opus est me de his plura colligere, cum abundãtissimis testimoniis scripturæ diuinæ repletæ sint? Ex quibus
L euidenter ostenditur membrorum hæc nomina nequaquam corpori visibili aptari posse, sed ad inuisibilis animæ partem virtutésque debere reuocari: quoniam & vocabula quidẽ habent similia, aperte autẽ & sine vlla ambiguitate non exterioris, sed interioris hominis significantias gerunt. Est ergo materialis huius hominis, qui & exterior appellatur, cibus potúsque naturæ suæ cognatus, corporeus iste scilicet, & terrenus. Similiter autẽ & spiritalis hominis ipsius qui & interior dicitur, est proprius cibus, vt panis ille viuus qui de cœlo descendit. Sed & potus ille est ex illa aqua quam promittit Iesus, dicens: Quicunque biberit ex hac aqua quam ego do ei, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quidẽ vocabulorum secundum vtrunque hominem ponitur: rerum verò proprietas vnicuique discreta seruatur, & corruptibilia præbentur, incorruptibili verò incorruptibilia proponuntur. Vnde accidit, vt simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quę sint quę in scripturis diuinis interiori homini, quæ verò exteriori deputanda sint, vocabulorũ similitudinibus falsi ad ineptas quasdã & fabulas figmẽta inania se contulerint: vt etiam post resurrectionem cibis corpora-
M libus vtendum crederent, potúmque sumendum non solum ex illa vite vera, & viuente in secula. verum & ex his vitibus ligni. Sed de his aliàs videbimus. Nunc ergo (vt præcedenti obseruatione distinximus) est quidem secundum interiorem hominem alius sine filiis & sterilis, alius verò abũdans in filiis. Secundum quod & illud aduertimus dictum, Sterilis peperit septem, & fœcunda in filiis infirmata est. Et vt in benedictionibus dicitur: Non erit in vobis sine filiis & sterilis. Igitur si hæc ita se habent, sicut dicitur aliquis carnalis amor, quem & Cupidinem appellauerunt poetę, secundum quem qui amat, in carne seminat: ita est & quidem spiritalis amor, secundum quem ille interior homo amans in spiritu seminat. Et vt euidentius dicam, si quis est qui portat adhuc imaginem terreni, secundum exteriorem hominẽ, agitur cupidine & amore terreno. Qui verò portat imaginẽ cœlestis secundũ interiorem hominem, agitur cupidine & amore cœlesti. Amore autem & cupidine cœlesti agitur anima cum perspecta pulchritudine & decore verbi dei, speciẽ eius adamauerit, & ex ipso telũ quoddam & vulnus amoris acceperit. Est enim verbum hoc imago, & splendor dei inuisibilis primogenitus omnis creaturę, in quo creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, siue visibilia, siue inuisibilia. Igitur si quis potuerit capaci mente conijcere & considerare horum omnium quę in ipso creata sunt decus & speciem, ipsa rerum venustate percussus, & splendoris magnificentia ceu

Gen.1. — 2.Cor.4 — Rom.7 — 1.Ioan.2 — 1.Cor.3. — 1.Cor.13 — Eph.4 — Eccl.2 — Matt.13 — Hier.20 — Psal.93 — Psal.55. — 58. — 9. — Ioan.4 — Hier.15 — Exod.23

A ceu iaculo (vt ait Propheta) electo terebratus, salutare ab ipso vulnus accipiet & beato igne amoris eius ardebit. Oportet etiam nos illud scire, quod illicitus amor, & contra legem, sicut accidere potest homini exteriori, verbi gratia, vt non sponsam vel coniugem amet, sed aut meretricem aut adulteram: ita & interiori homini, hoc est animæ, accidere potest amor, non in legitimum sponsum quem diximus esse verbum dei, sed in adulterum aliquem & corruptorem. Quod sub hac eadem figura euidenter declarat Ezechiel propheta, vbi Oolam & Oolibam introducit sub specie Samariæ & Hierusalem, adulterino amore corruptas, sicut locus ipse scripturæ propheticæ ostendit volentibus plenius scire. Exardescit autem etiam hic spiritalis amor animæ aliquando quidem vt edocuimus erga aliquos spiritus nequitiæ, aliquando erga spiritum sanctum: & verbum dei, qui est sponsus fidelis, & eruditę animæ vir dicitur, & cuius ipsa sponsa in hac præcipue scriptura quæ habetur in manibus nominatur, sicut præstante domino, plenius ostendemus, cum verba ipsius libelli explanare cœperimus. Videtur autem mihi diuina scriptura, volens cauere ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusque eum qui apud sapientes seculi Cupido, seu amor dicitur, honestiori vocabulo charitatem vel dilectionem nominasse. Verbi gratia, vt cum dixit de Isaac: Et accepit Rebeccam, & facta est ei vxor, & dilexit eam. Et iterum de Iacob & Rachel similiter dicit scriptura: Rachel autem erat decora oculis, & pulchra facie, & dilexit Iacob Rachel, & dixit, seruiam tibi septem annis pro Rachel filia tua iuniore. B Euidentius autem immutatus vsus vocabuli huius apparet in Amnon, qui adamauit sororem suam Thamar. Scriptum est enim: Et factum est post hæc, & erat Absalon filio Dauid soror decora facie valde, & nomen ei Thamar, & dilexit eam Amnon filius Dauid: dilexit posuit pro adamauit. Et tribulabatur, inquit, Amnon, ita vt infirmaretur propter Thamar sororem suam: quoniam virgo erat, & graue videbatur in oculis Amnon facere ei aliquid. Et post pauca de violentia quam intulit Amnon Thamar sorori suæ, ita dicit scriptura: Et noluit Amnon audire vocem eius, sed inualuit super eam. & humiliauit eam, & dormiuit cum ea, & odiuit eam odio Amnon magno valde: quoniam maius erat odium quo oderat eam, quàm dilectio qua dilexerat eam. Et in his ergo, & in pluribus aliis locis inuenies scripturam diuinam refugisse amoris vocabulum, & charitatis dilectionisque posuisse. Interdum (licet raro) proprio tamen vocabulo amorem nominat, & inuitat ad eum atque incitat animas, vt cum dicit in Prouerbiis de sapientia: Adama eam, & seruabit te: circumda eam, & exaltabit te: honora eam, & conplectetur te. Sed & in eo libello qui dicitur sapientia Solomonis, ita scriptum est de ipsa sapiẽtia: Amator factus sum decoris eius. Arbitror autem quod vbi nulla lapsus videbatur occasio, ibi tantum nomen amoris inseruit. Quid enim passibile, aut C quid indecorum possit aliquis aduertere in amore sapientiæ, vel in eo qui se amatorem profiteatur esse sapientiæ? Nam si dixisset, quia adamauit vel Isaac Rebeccam, vel Iacob Rachel, passio vtique aliqua indecora per hæc verba erga sanctos dei homines potuisset intelligi, apud eos præcipue qui nesciunt à litera conscendere ad spiritum. Apertissime autem in hoc ipso libello qui habetur in manibus, amoris nomẽ charitatis vocabulo permuratum est, in eo vbi dixit: Adiuraui vos filiæ Hierusalem, si inueneritis fratruelem meum, vt annuncietis ei, quia vulneratæ charitatis ego sum: pro eo vtique vt diceret: Amoris eius telo percussa sum. Nihil ergo interest in scripturis diuinis, vtrum charitas dicatur, an amor, vel dilectio: nisi quod in tantum nomen charitatis extollitur, vt etiã ipse deus charitas appelletur, sicut Ioannes dixit: Charissimi diligamus inuicem, quia charitas ex deo est, & omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum: qui autem non diligit, non cognoscit deum, quia deus charitas est. Et quamuis alterius temporis sit dicere aliquid de his quæ exempli causa ex Ioannis epistola protulimus, tamen breuiter etiam aliqua perstringere, non est visum absurdum. Diligamus, inquit, inuicem, quia charitas ex deo est: & post pauca: Deus charitas est. In quo ostendit & ipsum deum charitatem esse, & iterum eum qui ex deo est, charitatem esse. Quis autem ex deo est, nisi ille qui dicit: Ego ex deo exiui, & veni D in hunc mundum? Quod si deus pater charitas est, & filius charitas est: charitas autem & charitas vnum est, & in nullo differt: consequenter ergo pater & filius vnum bene dicuntur. Et ideo conuenienter Christus sicut sapientia, & virtus, & iustitia, & verbum, & veritas, ita & charitas dicitur. Et ideo dicit scriptura: Quia si charitas manet in vobis, deus in vobis manet. Deus autem, id est, pater & filius, qui & veniunt ad eum qui perfectus in charitate est, secundum verbum domini & saluatoris dicentis: Ego & pater veniemus ad eum, & mansionem faciemus apud eum. Sciendum ergo est, quòd hæc charitas quæ deus est, cum in aliquo fuerit, nihil terrenum, nihil materiale, nihil corruptibile diligit. Contra naturam nanque est ei corruptibile aliquid diligere, cum ipsa sit incorruptionis fons. Ipsa est enim sola quę habet immortalitatem. Siquidem deus charitas est, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem. Quid autem aliud immortalitas nisi vita æterna est, quam daturum se promittit deus credentibus in ipsum solum verum deum, & quem misit Iesum Christum filium eius? Propterea ergo in primis, & ante omnia hoc amabile & placitum dicitur esse deo, vt quis diligat dominum deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis. Et quia deus charitas est, & filius qui ex deo est, charitas est, sui simile aliquid requirit in nobis: vt hanc charitatem quæ est in Christo Iesu, qui est charitas, velut cognata quadam per charitatis nomen affinitate sociemur: sicut & ille qui iam coniunctus ei dicebat: Quis nos separabit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro? Hæc autem charitas omnem hominem proximum diligit. Ob hoc enim arguit Saluator E quendam, qui opinabatur quòd iusta anima erga eam quæ iniquitatibus inuoluta est, propinquitatis iura non seruet: & ista de causa texuit istam parabolam, quæ dicit, quod in latrones incidit quidam, dum descendit ab Hierusalem in Hiericho: & culpat quidem sacerdotem ac leuitam, qui videntes seminecem, præterierunt: amplectitur autem Samaritanum qui misericordiam fecerit, & hunc fuisse ei proximum ipsius qui proposuerat responsione firmauit, & ait ei: Vade, & tu fac similiter. Etenim natura omnes nobis inuicem proximi sumus. Operibus verò charitatis fit proximus ille qui potest benefacere, ei qui non potest. Vnde & Saluator noster factus est proximus nobis, nec pertransiuit nos cum semineces ex latronum vulneribus iaceremus. Igitur sciendum est dei charitatem semper ad deum tendere, à quo originem duxit; & ad proximum respicere, cum quo participium gerit, vtpote similiter creatam in corruptione. Sic ergo quæcunque de charitate scripta sunt, quasi de amore dicta suscipe, nihil de nominibus curans. Eadem nanque in vtroque virtus ostenditur. Quod si quis dicat, quia & pecuniam, meretricem, & alia similiter mala eodem vocabulo quod à charitate duci videtur, diligere appellamur: sciendum est in his non proprie, sed abusiue charitatem nominari. Sicut (verbi gratia) & deus F nomen principaliter in eo est, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia: quod vtique aperte virturem, & naturam trinæ singularitatis denunciat. Secundo verò in loco, & (vt ita dixerim) abusiue deos dicit scriptura etiam illos ad quos sermo dei fit, sicut confirmat Saluator in euangeliis. Sed & cœlestes virtutes sub hoc nomine appellari videntur, dum dicitur: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Tertio verò in loco iam non abusiue, sed falso, dij gentium dæmones appellantur, cum dicit scriptura. Omnes dij gentium dæmonia. Itaque & primum charitatis nomen in deo est, propter quod iubemur diligere deũ ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, & ex totis viribus nostris, vtpote eũ à quo habemus hoc ipsum, vt diligere possim⁹. In ipso iã sine dubio cõtinetur, vt & sapiẽtiã, & iustitiam, & pietatẽ & veritatẽ, omnesque virtutes pariter diligamus. Vnũ enim atq; idem est diligere deum, & diligere bona. Secũdo loco, quasi abusiuo & inde deriuato nomine, etiã proximum diligere iubemur, tanquam nosipsos. Tertium verò est quod falso sub charitatis titulo nominatur, diligere vel pecuniã, vel voluptates, vel omne quicquid ad corruptelã ptinet & errorẽ. Nõ ergo interest vtrũ amari dicatur deus, an diligi.

Ezech. 23. Gen. 24. 29 2 Reg. 13. Prou. 4. Cant. 5. 1. Ioan. 4. Ioan. 16. Ioan. 14. 1. Tim. 6. Rom. 8. Luc. 16. Psal. 28. 2. Cor. 8.

G Nec puto quod culpari possit si quis deum sicut Ioannes charitatem, ita ipse amorem nominet. Denique memini aliquem sanctorum dixisse Ignatium nomine de Christo: Meus autē amor crucifixus est: nec reprehendi eum pro hoc dignum iudico. Sciendum autem quod omnis qui vel pecuniam diligit, vel ea quæ in mundo sunt materiæ corruptibilis, virtutē charitatis quæ ex deo est, ad terrena & ad caduca deducit, & rebus dei abutitur ad ea quæ non vult deus. Non enim deus dilectionem horum, sed vsum hominibus dedit. Hæc autē paulo latius discussimus, volentes de natura charitatis & amoris apertius attentiusque distinguere, ne forte quoniam scriptura dicit, quia deus charitas est, omne quod diligitur etiam si corruptibile sit, ex deo esse, & hoc charitas & dilectio putaretur. Sed ostenditur res quidem dei, & munus eius esse charitas, non tamen semper ab hominibus, ad ea quæ dei sunt, & quæ deus vult, opus eius assumi. Sed & hoc scire oportet, quod impossibile est, vt non semper humana natura aliquid amet. Omnis nanque qui ad id ætatis venerit, quam pubertatem vocant, amat aliquid seu minus recte, cum amat quæ non oportet: seu recte & vtiliter, cum amat quæ oportet. Verum nonnulli hunc amoris affectum, qui animæ rationabili insitus est beneficio conditoris, aut ad amorem pecuniæ trahunt & auaritiæ studium, aut erga gloriam captādam, & fiunt inanis gloriæ cupidi: aut erga scorta H sectanda, & inueniuntur impudicitiæ libidinisque captiui: aut ad alia his similia virtutem tāti boni huius effundunt. Sed & cum erga diuersas artes amor iste ducitur, quæ manu ministrantur, aut per studia præsentis vitæ non solum necessaria, vt (verbi gratia dixerim) erga artem palæstricam, vel cursus exercitia, aut certe etiam erga geometricam, vel musicam, vel arithmeticam confertur, atque ad alias vel huiuscemodi disciplinas, nec sic quidem mihi videtur vsus eius probabiliter sumi. Si enim quod bonum est, hoc & probabile est: bonum autem proprie non erga vsus corporeos, sed in deo primum & animi virtutibus intelligitur: consequēter ille amor probabilis est, qui deo & animi virtutibus coaptatur. Et hoc ita se habere definitione ipsius saluatoris ostenditur, vbi interrogatus à quodam, quod esset mandatum omnium maximum, & primum in lege, respondit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Secundum verò simile est illi: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et adiecit: In his duobus mandatis omnis lex pendet & prophetæ: ostendens per hæc duo iustum amorem legitimumque constare, atque in his vniuersam legē prophetásque pendere. Sed & quod ait: Nō adulterabis: Nō occides: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices, & si quod aliud mandatum, in hoc verbo restauratur, in quo ait: Diliges proximum tuum sicut teipsum, quod hoc modo facilius explanabitur. Ponamus verbi causa, mulierem amo- I re alicuius viri ardentem, cupientémque in consortium eius asciscī, nónne omnia ita aget, & omnes motus suos ita temperabit, vt scit illi placere quem diligit: ne forte si in aliquo cōtra voluntatem illius egerit, consortia vir ille optimus refutet atque spernat? Poterítne hæc mulier quæ erga amorem viri illius toto corde, tota anima, totisque viribus feruet, aut adulterium committere, quæ eum nouerit amare pudicitiam? aut homicidium, quæ eum nouerit mitem? aut furtum, quæ ei sciat liberalitatem placere? aut concupiscet aliena, que omnes suas concupiscentias erga amorem viri illius habeat occupatas? Sic ergo in charitatis perfectione, & omne mandatum restaurari dicitur, & legis virtus prophetarúmque pendere. Propter istud charitatis vel amoris bonum, sancti nec in tribulatione angustiantur, nec aporiati exaporiantur, nec deiecti pereunt, sed quod in presenti est momentaneum, & leue tribulationis eorum supra modum æternum gloriæ pondus operatur illis. Non enim omnibus, sed Paulo, & his qui ei similes sunt, præsens hæc & momentanea ac leuis dicitur tribulatio: quia perfectam charitatem dei in Christo Iesu per spiritum sanctum habent in corde suo diffusam. Sic denique & Iacob patriarcham amor Rachel per septem annos continuos in laboribus positum diurni æstus, & nocturni frigoris vstionem sentire non siuit. Sic ipsum Paulum in amore huius incensum audito dicentem: Charitas omnia patitur, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat, charitas nūquam cadit. Nihil ergo est quod non toleret, qui perfecte diligit. Plura autem quando non toleramus, certum quod ob hoc quia charitatem quæ omnia tolerat, non habemus. Et si non ferimus aliqua patienter, idcirco est quia charitas nobis deest, quæ omnia patitur. In luctamine quoque eo quod est nobis aduersus diabolum, quòd frequēter cadimus, non dubium est quin ob hoc fiat quod non est in nobis charitas illa quæ nunquam cadit. Hunc ergo amorem loquitur præsens scriptura, quo erga verbum dei anima beata vtitur, & inflammatur: & istud Epithalamij carmen per spiritum canit quo ecclesia sponso cœlesti Christo coniungitur ac sociatur, desiderans misceri ei per verbum, vt concipiat ex eo, & saluari possit per hanc castam filiorum generationem, cum permanserint in fide, & sanctitate cum sobrietate: vtpote concepti ex semine quidem verbi dei, editi verò genitíque vel ab immaculata ecclesia, vel ab anima nihil corporeum, nihil materiale requirente, sed solo verbi dei amore flagrante. Hæc interim nobis ad præsens de amore, vel charitate, quæ in Epithalamio hoc Cantici canticorum refertur, occurrere potuerunt. Sed sciendum est tam multa esse quæ dici debeant de charitate hac, quanta & de deo: siquidem ipse est charitas. Scit enim nemo patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Similiter autem etiam ipsum filium, quoniam & ipse charitas est, nemo scit nisi pater. & secundum hoc quod L charitas dicitur. Solus autem spiritus sanctus est, qui ex patre procedit, & ideo scit quæ in deo sunt, sicut spiritus hominis scit quæ in homine sunt. Hic ergo paracletus, spiritus veritatis, qui de patre procedit, circuit quærens si quas inueniat dignas & capaces animas, quibus reuelet magnitudinem charitatis huius quæ ex deo est. Nunc ergo iam ipsum deum patrem, qui charitas est, inuocantes, per eam quæ ex ipso est charitatem, etiam ad reliqua discutienda veniamus. Et tentemus primum de eo requirere quid illud sit, quod cum tria volumina ecclesia dei à Salomone scripta susceperit, primus ex ipsis Prouerbiorum liber positus sit, secundus is qui Ecclesiastes appellatur, tertio verò in loco Cantici canticorum volumen habeatur. Quæ ergo nobis occurrere possint in hoc loco, ista sunt. Generales disciplinæ quibus ad rerum scientiam peruenitur tres sunt, quas Græci Ethicam, Physicam, & Theoricen appellauerūt, nos has dicere possumus moralem, naturalem, & inspectiuam. Nonnulli sanè apud Græcos etiā Logicen, quàm nos rationalem possumus dicere, quarto in numero posuere. Alij non extrinsecus eam, sed per has tres quas suprà memorauimus disciplinas innexam consertámque per omne corpus esse dixerunt. Est enim Logice, & velut nos dicimus rationalis, quæ verborum, dictorúmque videtur continere rationes, proprietatésque, & improprietates, generáque, & species, & figuras singulorum quoque edocere dictorum: quam vtique disciplinā, non tam separari, quā M inseri cæteris conuenit & intexi. Moralis autem dicitur per quā mos viuendi honestus aptatur, & instituta ad virtutē tēdentia præparantur. Naturalis dicitur vbi vniuscuiusque rei natura discutitur, quo nihil contra naturam geratur in vita, sed vnumquodque his vsibus deputetur, in quos à creatore productum est. Inspectiua dicitur, qua supergressi visibilia, de diuinis aliquid & cœlestibus contemplamur, eáque sola mente intuemur, quoniam corporeum supergrediūtur aspectum. Hæc ergo vt mihi videtur sapientes quique Græcorū sumpta à Salomone, vtpote qui ætate & tempore longe ante ipsos prior ea per dei spiritum didicisset, tanquam propria inuenta protulerunt, & institutionum suarum voluminibus comprehensa posteris tradenda reliquere. Sed hæc vt diximus Salomon ante omnes inuenit, & docuit per sapientiam quam accepit à deo, sicut scriptum est. Et dedit deus prudentiam Salomoni, & sapientiam multam valde, & latitudinem cordis sicut arenam quæ est ad oram maris, & multiplicata est in eo sapientia super omnes antiquos filios hominum, & super omnes sapientes Ægypti. Salomon ergo tres istas, quas suprà diximus generales esse disciplinas, id est moralem, & naturalem, & inspectiuam, distinguere ab inuicem ac secernere volens, tribus eas libellis edidit suo quoque ordine singulis consequenter aptatis. Primo ergo in Prouerbiis moralem

Mat.22 — Matt.19 — Gen.29 — 1.Cor.13 — 3.Reg.4

A moralem docuit locum, succinctis (vt decuit) breuibusque sententiis vitæ instituta componens. Secundam verò quæ naturalis appellatur, comprehendit in Ecclesiaste. In quo multa de rebus naturalibus differens, & inania ac vana ab vtilibus necessariisque secernens, relinquendam vanitatem monet, & vtilia rectaque sectanda. Inspectiuum quoque locum in hoc libello tradidit, qui habetur in manibus, id est in Cãtico canticorum, in quo amorem cœlestium, diuinorumque desiderium incutit animæ sub specie sponsæ ac sponsi, charitatis & amoris viis perueniendum docens ad consortium dei. Hoc verò eum veræ philosophiæ fundamentum ponentem, & ordinem disciplinarum, institutionumque cõdentem, quod nõ latuerit, neque ab eo abiectus sit etiam rationalis locus, euidenter ostẽdit in principio statim Prouerbiorũ suorum. Primo omnium per hoc ipsum quod Prouerbia attitulauit libellum suum, quod vtique nomen significat aliud quidem palã dici, aliud verò intrinsecus indicari. Hoc enim & cõmunis vsus prouerbiorum docet, & Ioannes in Euangelio saluatorẽ ita scribit dicentem: Hæc in prouerbiis locutus sum vobis, veniet hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis: sed manifeste de patre annunciem vobis. Hæc interim in ipsa tituli inscriptione. In sequenti verò statim subiungit discretionem sermonis, & distinguit scientiam à sapientia, & à sapientia disciplinam, & intellectum verborum aliud ponit: & prudẽtiam dicit in eo esse, vt excipere quis possit verborum versutiam. Distinguit etiam iustitiam veram à directione iudicij: sed & astutiam nominat quandam his quos imbuit necessariam, illam credo per quam sophismatum intelligi ac declinari possit argutia. Et ideo dicit innocẽtibus per sapientiam dari astutiam, sine dubio ne in verbo dei decipiãtur fraude sophistica.

Ioan.16.

B Sed in hoc mihi videtur rationalis disciplinæ meminisse, per quam doctrina verborum, dictorumque significantiæ discernuntur, & vniuscuiusque sermonis proprietas certa cũ ratione distinguitur. In qua præcipue erudiri conuenit pueros. Hoc enim hortatur, cum dicit: Vt det puero iuniori sensum, & cogitationẽ. Et quia qui in his eruditur, necessario rationabiliter per ea quæ didicit semetipsum gubernat, & vitã suam moderatius librat, propterea dicit: Intelligens autem gubernacula acquiret. Post hæc verò cognoscens in verbis diuinis quibus per prophetas humano generi traditus est ordo viuendi, diuersos esse eloquij tropos, & varias dicendi species: ac sciens haberi in eis aliquam figuram, quæ Parabola appelletur, & aliam quæ obscura dictio vocetur, aliasque quę ænigmata nominetur, & alias quæ dicta sapientum dicantur, scribit: Intelliges quoque parabolam, & obscurum sermonem, dictaque sapientum & ænigmata. Per hæc ergo singula, rationalem locum manifeste & euidenter exponit, ac more veterum succinctis breuibusque sententiis ingentes & perfectos explicat sensus. Quæ si quis est in lege domini meditetur die ac nocte, & si quis est sicut iusti os quod meditatur domini sapientiam, inuestigare diligentius poterit, & inuenire: si tamen recte quis ierit, & quærens pulsauerit ostium sapientiæ, petens à deo vt aperiatur sibi, & mereatur accipere per spiritum sanctum verbum sapientiæ, verbum scientiæ, fierique particeps illius sapientiæ quæ dicebat: Extendebam enim verba mea, & non audiebatis. Et merito extendere se dixit verba in eius corde, cui dederit deus (sicut suprà diximus) latitudinem cordis. Dilatatur namque illius cor qui potest ea quæ breuiter in mysteriis dicta sunt, latiore doctrina sumptis ex voluminibus diuinis assertionibus explanare. Oportet igitur secundum hanc eandem sapientissimi Solomonis doctrinam eum qui sapientiam scire desiderat, incipere ab eruditione morali, & intelligere illud quod scriptum est: Concupisti sapientiam, serua mandata, & dominus dabit eam tibi. Ob hoc magister hic qui primus homines diuinam philosophiam docet, operis sui exordium prouerbiorum posuit libellum, in quo (vt diximus) moralis traditur locus: vt cum intellectu, moribusque quis profecerit, veniat etiam ad naturalis intelligentiæ disciplinam, atque ibi rerum causas naturasque distinguens agnoscat vanitatem relinquendam, ad æterna autem & perpetua properandum: & ideo post Prouerbia, ad Ecclesiasten venitur, qui docet (vt diximus) visibilia omnia & corporea caduca esse & fragilia, quæ vtique cum ita

Dan.13.

C

Prou.1.

Eccle.1.

D esse deprehenderit is qui sapientiæ studet, sine dubio cõtemnet ea ac despiciet, & vniuerso (vt ita dicam) seculo renuncians tendet ad inuisibilia & æterna, quæ spiritalibus quidem sensibus, sed adopertis amorum quibusdam figuris docentur in Canticis canticorum. Ideo enim nouissimum locum tenet hic liber, vt tunc ad eum veniatur, cum & moribus quis fuerit defecatis, & rerum corruptibiliũ atque incorruptibilium scientiam distinctionemque didicerit, per quæ in nullo possit ex his figuris, quibus sponsæ ad sponsum cœlestis, id est animæ perfectę amor ad verbum dei describitur ac formatur, offendere. Præmissis nanque his quibus purificatur anima per actus ac mores, & in rerum discretionem naturalium perducitur, competenter ad domestica venitur, & ad mystica, atq; ad diuinitatis contemplationem syncero & spiritali amore conscenditur. Hanc ergo triplicem diuinæ philosophiæ formam etiam in illis sanctis ac beatis viris arbitror præsignatã, pro quorum sanctissimis institutionibus deus summus dici voluit deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Abraham tanquam moralem declarat philosophiam, per obedientiam. Tanta enim eius fuit obedientia, & obseruatio mandatorum, vt cum audiret. Exi de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui, non sit cunctatus, sed statim fecerit, imò & aliquid amplius fecerit. Audiens enim vt immolaret filium suum, nec inde quidem dubitat, sed obtemperat præcepto: & ad exemplum obedientiæ quæ est moralis philosophiæ, posteris dandum, nec filio suo vnico pepercit. Isaac quoque naturalem philosophiam tenet, cum & puteos fodit, & rerum profunda rimatur. Sed & Iacob inspectiuum tenet locum, quippe qui & Israel ob diuinorum contemplationem nominatus sit, & qui castra cœli viderit, & domum dei, atque angelorum vias, id est scalas à terris in cœlum porrectas prospexit.

Exod.3.

Genes.12. 22 26 28

E Vnde & merito inuenimus tres istos beatos viros altaria fixisse deo, hoc est philosophiæ suæ cõsecrasse profectus, quo scilicet edocerent non hæc ad artes humanas, sed ad Dei gratiam referenda. Sed & in tabernaculis degunt, vt per hæc ostendant, neque in terris habendum esse aliquid proprium huic qui diuinæ philosophiæ studet, sed semper promouendum, non tam de loco ad locum, quàm de scientia inferiorũ, ad scientiam perfectorum. Sed & alia multa in scripturis diuinis inuenies quæ ordinem hunc quem in libellis Solomonis contineri diximus, secundum hanc eandem formam designant: sed ea nunc nobis prosequi aliud in manibus habentibus longum est. Si quis ergo primum locum in emendandis moribus, mandatisque seruandis, qui per prouerbia designatur, impleuit: post hæc autem deprehensa vanitate mundi, & rerum caducarum fragilitate perspecta, venit in hoc vt renunciet mundo, & omnibus quæ in mundo sunt: consequenter veniet etiam ad contemplanda & desiderãda ea quæ non videntur & æterna sunt. Ad quæ tamen vt peruenire possimus, indigemus diuina misericordia, si forte valeamus perspecta pulchritudine verbi dei salutari in eum succendi, vt & ipse dignetur huiusmodi animam diligere, quã desiderium sui habere perspexit.

F Post hæc exigit nos consequentia sermonis dicere etiam de superscriptione ipsa Cantici canticorum. Simile enim est hoc illis quę in tabernaculo testimonij appellãtur sancta sanctorum, & illis quæ in libro Numerorum memorantur opera operum, quæque apud Paulum dicuntur secula seculorum. Sed quomodo differant à sanctis sancta sanctorum in Exodo, & quomodo differant opera ab operibus operum in Numerorum libro, tractantibus prout potuimus, dictũ est à nobis. Sed & de seculo seculorum in locis quibus occurrit nõ omissum est, & ne eadem repetamus illa sufficiãt. Nunc ergo requiramus primo quæ sint cantica, quorum canticorum hoc esse canticum dicitur. Puto ergo quod cantica sint illa quę dudũ per prophetas, vel per angelos canebãtur. Lex enim dicitur per angelos ministrata in manu mediatoris. Illa ergo omnia quæ per illos annunciabãtur, cantica erãt per amicos sponsi præcedẽtia. Istud verò vnum canticum est, quod ipsi iam sponso sponsam suam suscepturo epithalamij specie erat canendum: in quo sponsa non adhuc per amicos sponsi cantari sibi vult, sed ipsius iam sponsi præsentis audire verba desiderat, dicẽs: Osculetur me osculo oris sui: vnde & omnibus cãticis merito præfertur, videtur enim cætera cãtica

Exod.29.

Rom.16.

Gal.3.

Cant.1.

G quæ lex & prophetæ cecinerunt, paruulæ adhuc sponsæ, & quæ nondum vestibula maturæ ætatis ingressa sit decantata: hoc verò canticum adultæ, & iam valde robustæ, & quę capax sit iam virilis potentiæ, perfectíque mysterij, decantari videtur. Secundum quod dicitur de ipsa quia vna sit perfecta columba, quæ si perfecta, ergo & perfecti viri sponsa perfectæ suscepit verba doctrinæ. Primum ergo canticum cecinit deo Moyses & filij Israel quando viderunt Ægyptios mortuos ad littus maris, & quando viderunt manum fortem & brachium excelsum domini, & crediderunt deo & famulo eius Moysi. Tunc cantauerunt dicentes: Cantemus domino, gloriose enim honorificatꝰ est. Ego autem arbitror quòd non possit ad istud perfectum quis & mysticum canticum peruenire, & ad istam perfectionem sponsæ, quæ in hac scriptura continetur, nisi prius ambulet per siccum in medio maris, & fiat ei aqua murus à dextera læuáque; & sic euadat de manibus Ægyptiorum: ita vt videat eos mortuos ad littus maris, atque intuens manum fortem domini, quia interfecit Ægyptios, credat domino & famulo eius Moysi. Moysi autem dico legi atque euangeliis, omnibúsque diuinis scripturis, tunc enim merito cantabit & dicet: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est. Sed istud canticũ canet quis cum primum liberatus fuerit à seruitute Ægyptiorum. Post hæc autem cum transierit per hæc omnia quæ in Exodo, & quæ in Leuitico scripta sunt, & venerit ad hoc vt in diuinos numeros assumatur, tunc iterum secundum canticũ canet, cũ exierit de valle Zareth, quod interpretatur aliena descensio, H & venerit ad puteum de quo scriptum est: Et dixit dominus ad Moysen. Congrega populum, & dabo eis aquam de puteo bibere. Ibi enim cantabit & dicet: Initiate ei puteum. Foderunt illum principes, excuderunt eum reges gentium in regno suo cum dominantur eorum. Sed de his plenius in Numerorum libro, secundum quod dedit nobis dominus, dictũ est. Oportet igitur venire ad puteum, qui à principibus fossus est, & à regibus excusus est, in quo opere nemo plebeus operatur, sed omnes principes, omnes reges, regales scilicet & principales animæ, quæ altitudinem putei aquam viuam continentis inquirunt. Post illud canticum venitur ad Deuteronomij canticum, de quo dicit dominus: Et nunc scribite vobis verba cantici huius, & docete illud filios Israel, & inijcite illud in os eorum, vt fiat mihi canticum istud ad testimonium in filiis Israel. Et vide quantum & quale sit canticum istud cui ad audiendum terra non sufficit, sed conuocatur & cœlum. Ait enim, Attende cœlum quæ loquar, & audiat terra verba ex ore meo. Vide quàm magna sint, quàm ingẽtia quæ dicuntur. Expectetur (ait) sicut pluuia eloquium meũ, & descendat sicut ros super gramen, & sicut nix super fœnũ, quia nomen domini inuocaui. & reliqua. Quartum canticum est in libro Iudicum, de quo scriptum est: Et cantauit Debbora & I Barach filius Abinoem in die illa dicẽtes: Incipiendo principales in Israel in proposito populi benedicite dominũ. Audite reges, auribus percipite satrapæ, & reliqua. Hæc autem quæ canit apis esse debet, cuius opus tale est, vt eo reges & mediocres vtantur ad sanitatem. Debbora nanque apis interpretatur, quæ istud canticum canit, sed & Barach cum ipsa: interpretatur autem Barach coruscatio. Et canitur istud canticum post victoriam, quia nec ante quis potest quæ perfecta sunt canere, nisi vbi aduersarios vicerit. Sic denique & in ipso cantico dicitur: Exurge, exurge Debbora, exuscita milia populi. Exurge, exurge, cane canticum, exurge Barach. Verum & de his plenius in illis oratiunculis quas de libello Iudicum edidimus, diserta reperies. Quintum post hæc canticum est in secundo libro Regnorum, cum locutus est Dauid ad dominum verba cãtici huius in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, & dixit: Dominus mihi petra & munitio mea, liberator dominus. Deus meus custos erit mihi. Si ergo & tu potueris cõsiderare qui sunt inimici Dauid, quos in primo & secundo Regnorum libro superat ac prosternit, & quomodo dignus factus est vt Domini adiutorium mereretur & liberaretur ab huiusmodi inimicis: tunc poteris & tu quintum istud canticum canere. Sextum est canticum in primo Paralipomenon libro, vbi constituit Dauid in principio ad laudandum Dominum Asaph, & fratres eius, & est initium cantici istius tale: Laudate Dominum, & confitemini, & inuocate eum K in nomine eius, notas facite in populis voluntates eius, canite ei, & hymnum dicite, narrate omnes adinuentiones eius quas fecit Dominus, & cætera. Sciendũ tamen est quod canticum quidem quod est in secundo Regnorum libro, valde simile est psalmo xvij. Quod autem est in primo libro Paralipomenon, in initiis quidem vsque ad eum locum vbi dicit: Et in prophetis nolite malignari, simile est ciiij. psal. Posteriora verò ab hoc loco similitudinem gerunt primarũ partium xcv. psal. vbi dicitur: Cantate domino omnis terra, vsque ad eum locum vbi ait: Quia venit iudicare terram. Igitur si in his concludendus est numerus canticorum, septimo in loco ponendus videbitur liber hic Cantici canticorũ. Si quis verò etiam Esaiæ canticum cum cæteris numerandũ putet, licet non valde conuenire videatur, vt præcessisse putetur Esaiæ canticum, quod longe posterioribus temporibus Esaias scripserit: tamen si quis putet quod prophetica dicta non temporibus, sed ratione pensanda sint: adiunget etiam illud canticum: & dicet hoc quod Solomon cecinit, Canticum esse canticorum non tantum eorum quæ prius, sed & eorum quæ postmodum canenda videbantur. Si quis verò putet etiam ex libro psalmorum debere assumi, sicubi in eo vel canticum scribitur, vel canticum psalmi, multitudinẽ congregabit præcedentium canticorum. Iunget enim cæte- L ris etiam xv. simul graduum cantica: & requirens singulorũ virtutes canticorum, atque ex his proficientis animæ gradus colligens, ac spiritalis intelligentiæ ordinem iterum consequentiámque componens, ostendere poterit, quã magnificis gressibus incedens spõsa per hæc omnia perueniat vsque ad thalamũ spõsi, digrediens in locũ tabernaculi admirabilis vsque ad domũ dei in voce exultationis & cõfessionis sonus epulantis: & perueniens vsque ad ipsũ (vt diximus) thalamum spõsi, vt audiat & loquatur cuncta hæc quæ cõtinentur in cãtico canticorũ. Adhuc autẽ possumus & hæc inquirere prius quàm ad ipsum corpus libelli veniamus: cur Solomon qui videtur obtemperare in his tribus libellis voluntati spiritus sancti, in Prouerbiis quidẽ dicatur Solomon filius Dauid qui regnauit in Israel, in secundo verò libello non Solomon scribitur, sed verba, inquit, Ecclesiastæ filij Dauid regis Israel in Hierusalem. & filium quidẽ se esse Dauid, similiter vt in primo, & regem Israel scribit, sed ibi prouerbia, hic verba ponit: & seipsum quem ibi Solomonem, hic Ecclesiasten nominat. Et cum ibi gentem solam in qua regnauerat, posuisset, hic & gentem posuit, & locum regni Hierusalem designat. In Cantico canticorum verò neque gẽtis nomen, neque locũ in quo regnet, neque omnino quod rex sit, neque quod patrem Dauid habeat scribit, sed tantummodo Canticum (ait) canticorũ quod est ipsi Solomoni. Et quãuis difficile mihi videatur, aut perscrutari, aut pertingere posse horũ differentias, aut vtcunque inuestigatas palàm proferre, & chartulis credere: ta- M men inquantũ capere vel sensus noster, vel auditus legentiũ potest, paucis aperire tentabimus. In plurimis Solomonem Christi typum ferre, vel secũdũ hoc quod pacificus dicitur, vel secũdũ hoc quod regina austri venit à finibus terræ audire sapientiã Solomonis, non puto dubitandũ. Hic ergo & secundũ quod filius Dauid dicitur, regnat in Israel, & secundũ quod supra eos reges pro quibus ipse rex regum dicitur, regnat. Et rursus, verus Ecclesiastes ipse est, qui cum in forma dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, vt congregaret ecclesiam, à congregando enim ecclesiam, Ecclesiastes appellatur. Tum verò quis ita Solomon, id est pacificus sicut dominus noster Iesus Christus, qui factus est nobis sapiẽtia à deo & iustitia & pax? Igitur in primo Prouerbiorum libro cum nos moralibus instituit disciplinis, rex esse dicitur in Israel necdum in Hierusalem: quia & si Israel dicamur propter fidẽ, non tamen in hoc peruentum est vt ad Hierusalẽ cœlestẽ peruenisse videamur. Vbi verò profecerimus, & in hoc ventũ fuerit, vt ecclesiæ primitiuorũ quæ in cœlis est sociemur, atque Hierusalem cœlestem discussis diligẽtius priscis & naturalibus causis matrẽ nostrã noscimus cœlestẽ: tũc iam nobis etiã ipse Christus Ecclesiastes efficitur, & non solum in Israel, sed & in Hierusalẽ regnare dicitur. Cũ verò ad per-

Ibid. Exod.15 Num.21 Deut.32 Indic.5 Iud.5 2.Reg.22 1.Paral. Esa.6 Prou.1 Eccl.1 Cant.1 Phil.2 1.Cor.1

A ad perfectionem omnium ventum fuerit, & sponsa ei perfecta omnis duntaxat rationalis creatura iungetur, quia pacificauit per sanguinem suum non solum quæ in terris sunt, sed & quæ in cœlis: tunc Solomon tantummodo dicetur cum tradiderit regnum deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem. Oportet enim eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, & nouissimus inimicus destruatur mors. Et ita pacificatis omnibus patri inimicus destruatur mors. Et ita pacificatis omnibus patrique subiectis, cum erit iam deus omnia in omnibus, Soloque subiectis, cum erit iam deus omnia in omnibus, Solomon tantummodo, id est solus pacificus nominabitur. Competenter ergo in hoc libello qui de amore sponsæ & sponsi erat scribendus, etiam pro hoc neque filius Dauid, neque rex, neque aliud horum quod ad corporeum pertinere possit intellectum scribitur, vt merito de eo perfecta iam sponsa dicat: Quia & si aliquando cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. ne quis putet eam corporeum aliquid amare, aut in carne positum, & macula aliqua amori eius credatur induci. Propterea Canticum canticorum Solomoni tantummodo est, & neque filio Dauid, neque regi Israel, neque aliqua in his prorsus miscetur carnalis nominis intelligẽtia. Et ne mireris quod cũ vnus atque idem sit Dominus atque saluator noster, dicamus eum velut minorem primo in Prouerbiis, & deinde proficientem in

1.Cor.15.

2.Cor.5.

B Ecclesiaste, & post hæc habere perfectionem in Canticõ canticorum, cum hæc etiam in euangeliis videas scripta, vbi propter nos & ipse in nobis dicitur proficere. Sic enim refertur, quia Iesus proficiebat ætate & sapientia apud deum & homines. Puto ergo quòd pro his omnibus, neque filius Dauid, neque rex Israel scribitur: sed & pro eo adhuc, quòd in Cantico canticorum sponsa iam intantum profecerat, vt maius aliquid esset quàm est regnum Hierusalem. Nam Hierusalem cœlestem dicit apostolus esse, atque ad eam memorat credentes accedere. Hunc ergo sponsum ad quem nunc sponsa festinat, idem Paulus: cum eum pontificem maximum dicit, ita de eo scribit, quasi qui non in cœlis sit, sed penetrarit & pertransierit omnes cœlos, & illuc quoque eum hæc sua perfecta sponsa sectetur, immò illuc adhærens ei & coniuncta conscenderit. est enim facta cum eo vnus spiritus. Vnde videtur mihi & ad Petrum, qui non poterat eum primo sequi cum diceret: Quo ego vado, vos non potestis venire modo, dixisse, Sequeris autem postea. Quod autem sit aliquid maius & ab Israel, inde colligimus, quod in Numerorum libro omnis quidem Israel numeratur, & duodecim tribus Israel certo sub numero censetur: Tribus verò leuitica, vtpote cæteris eminentior supra hunc numerum habetur, & nequaquam in Israelitico numero deputatur. Dicit enim ita:

Gal. 4.
Ephes.4.

Ioan.12.

C Hæc est visitatio in qua recensiti sunt filij Israel secundum domus familiarum suarum. Omnis visitatio eorum cum virtute sua sexcenta tria milia quingenti quinquaginta. Leuitæ autem non sunt numerati cum eis, sicut præcepit dominus Moysi. Vides quomodo vt eminentiores à filiis Israel sequestrantur leuitæ, nec in eorum numero sociantur: Et rursum leuitis eminentiores scribuntur sacerdotes. Sic enim in eadem scriptura continentur: Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen, dicens: Accipe summam Leuitarum, & constitues eos in conspectu Aaron sacerdotis, & ministrent ei. Vides & in hoc quomodo superiores Leuitis nominet sacerdotes, & rursus leuitas eminentiores ponit filiis Israel? Hæc autem visi sumus discutere paulo curiosius, volentes etiam per hæc ostendere rationem, quia in ipsis quoque attitulationibus librorum suorum Solomon differentiis vsus est necessariis, & aliud in Prouerbiis, aliud in Ecclesiaste, aliud etiam in Canticorum cantico ex ipsa inscriptione tituli designauit. Et adhuc quod in Cantico canticorum vbi iam perfectio ostenditur, neque filius Dauid, neque rex scribitur, potest etiam hoc dici: quia cum factus fuerit seruus sicut dominus, & discipulus sicut magister, videtur iam neque seruus esse seruus, factus videlicet sicut dominus: neque discipulus esse discipulus, quippe qui sicut magister effectus est:

Num.2.

Num.3.

D sed fuisse quidem aliquando discipulus, nunc verò esse sicut magister: & fuisse quidem seruus aliquando, nunc verò esse sicut dominus. Simili igitur ratione etiam de rege & in his quos regnat aduerti posse videbitur, cum regnum iam tradetur Deo & patri. Sed & hoc non lateat, nonnullos attitulationem libelli huius Cantica canticorum scribere, quod non recte scribitur. Non enim pluraliter, sed singulariter Canticum hic dicitur canticorum. Hæc quasi in præfatione dicta sunt à nobis de superscriptione ipsa, vel attitulatione libelli. Iam nunc domino nostro nos adiuuante ipsius operis adoriamur exordia, & tamen ne illud quidem remaneat in nobis omissum, quod quibusdam requirendum visum est adhuc de ipsa attitulatione, ac superscriptione libri, quæ ita habetur, Canticum canticorum quod est ipsi Solomoni. Sic enim accipiunt, quasi canticum hoc esse dixerit canticorum Solomonis, vt ex plurimis suis canticis hoc vnum esse signauerit. Sed nos quomodo recipiemus huiusmodi intelligentiam, cum neque ecclesia Dei vlla extrinsecus Solomonis cantica legenda susceperit: neque apud Hebræos, à quibus eloquia dei ad nos videntur esse translata, aliquid præter hos tres libellos Solomonis, qui & apud nos sunt, amplius habeatur in canone? Volunt tamen qui hoc asserunt, inde confirmare sententiam, quod in Regnorum tertio libro scri-

3.Reg.10.

E ptum est, multa fuisse Solomonis cantica, vt vnum ex multis esse confirment. Hoc ibi ergo refertur: Et deus dedit prudentiam Solomoni, & sapientiam multam valde, & latitudinem cordis sicut arenam quæ est ad oram maris, & factus est sapiens Solomon valde super sapientiam omnium antiquorum, & super omnes sapientes Ægypti, & super Ethan Ezraiten & Heman & Chalcal & Dorda filios Maol, & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum: & locutus est Solomon tria milia parabolarum, & erant cantica eius quinque milia. Ex his ergo quinque milibus canticis volunt videri hoc vnum esse canticum quod habemus: sed vsquequo vel vbi cantata sint, non solum ad vsum, sed ne ad notitiam quidem peruenit ecclesiarum dei. Operosum est autem & procul ab opere proposito, si velimus nunc inquirere quàm multorum librorum commemoratio fiat in scripturis diuinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita. Sed neque apud Iudæos haberi quidem vsum huiusmodi reperimus lectionum. quæ siue pro eo quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit spirituisancto auferri de medio, siue quod essent de scripturis his quæ appellantur apocryphæ, pro eo quod multa in eis corrupta, & cõtra fidem veram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem, supra nos

Eccle.12.

De scripturis apocryphis.

F est pronunciare de talibus. Illud tamen palàm est, multa vel ab apostolis, vel ab euangelistis exempla esse prolata, & Nouo testamento inserta, quæ in his scripturis quas canonicas habemus, nunquàm legimus, in apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est: non enim transeundi sunt termini quos statuerunt patres nostri. Potuit enim fieri, vt apostoli vel euangelistæ sancto spiritu repleti sciuerint quid assumendum ex illis esset scripturis, quidue refutandum: nobis autem non est absque periculo aliquid tale præsumere, quibus non est tanta spiritus abundantia. Et ideo de præsenti versiculo nos eam tenemus æditionem quam suprà exposuimus, maxime cum euidens in eo habeatur distinctio, vbi ait, Canticum canticorum, quod est ipsi Solomoni. Si enim voluisset intelligi canticorum Solomonis hoc esse canticum, dixisset vtique, canticum canticorum quæ sunt Solomoni, vel canticum ex canticis Solomonis: nunc autem quia dixit, quod est Solomoni, ostenditur istud canticum quod est in manibus, & quod erat ei canendum, esse Solomonis. Et hoc de attitulatione quam proposuit continere. Videamus ergo iam & quæ sequuntur.

Cant. 1

OSCVLETVR me ab osculo oris sui.] Meminisse oportet illud quod in præfatione præmonuimus, quia libellus hic Epithalamij habens speciem dramatis in modum conscribitur. Drama autem esse diximus vbi certæ personæ introducuntur, quæ loquuntur, & aliæ interdũ superueniunt, aliæ recedũt, aut accedunt, & sic totũ in mutationibus agitur personarum. Hæc ergo erit totius libelli species, & secundum hanc pro viribus historica à nobis aptabitur expositio. Spiritalis verò intelligentia secundum hoc nihilominus quod in præfatione signauimus, vel de ecclesia ad Christum, sub sponsæ vel sponsi titulo, vel de animæ cũ verbi dei cõiunctione dirigitur. Introducitur ergo nunc per historiæ speciem sponsa quædam quæ suscepit quædam sponsaliorum & dotis titulo dignissima munera ab sponso nobilissimo. Sed plurimo tempore moram faciẽte sponso, sollicitari eam desiderio amoris sui, & confici iacẽtem domi suæ, & agentem omnia quatenus possit aliquando videre sponsum suum, atque osculis eius frui. Quæ quoniam nec differri amorem suum, nec adipisci se posse quod desiderat videt, conuertat se ad orationem, & supplicet deo, sciens eum patrem esse sponsi sui. Consideremus ergo eam leuantẽ sanctas manus sine ira & disceptatione in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornatam dignissimis ornamentis, quibus ornari decet nobilem sponsam. æstuantem verò desiderio sponsi, & interno vulnere amoris agitatam, orationem (vt diximus) fundere ad deum, & dicere de sponso suo: [Osculetur me ab osculo oris sui.] Hæc sunt quæ dramatis in modum composita historica continet explanatio. Interior verò intellectus videamus si hoc modo poterit competenter aptari. Ecclesia sic desiderans Christo coniungi. Ecclesiam autem cœtum omnium aduerte sanctorum. Hæc ergo ecclesia sit quasi omnium vna persona, quæ loquatur & dicat: Omnia habeo. repleta sum muneribus quæ sponsaliorum vel dotis titulo ante nuptias sumpsi. Dudum enim cum præpararer ad coniugium filij regis & primogeniti omnis creaturę, obsecuti sunt & ministrauerunt mihi angeli sancti eius, deferentes ad me legem sponsalis muneris loco. Lex nanque per angelos disposita dicitur in manu mediatoris. Ministrauerunt mihi etiã prophetæ. Locuti sunt enim omnia & ipsi, per quæ non solum ostenderẽt & indicarent mihi de filio dei, cui me delatis his quæ appellantur arris & muneribus dotalibus spõdere cupiebant: verum vt & in amorem me eius desideriũmque succenderent, pronũciauerunt mihi propheticis vocibus de aduentu eius, & de innumeris virtutibus, operibúsque eius immensis repleti spiritu sancto prædicauerunt. pulchritudinem quoque eius, & speciem, ac mansuetudinem descripserunt, ita vt omnibus his ad amorem eius integraliter inflammarer. Sed quoniam seculum iam pene finitum est, & ipsius quidem præsentia non datur mihi: solos autem ministros eius video ascendentes & descendentes ad me, propter hoc ad te patrem sponsi mei precem fundo & obsecro vt tandem miseratus amorem nostrum mittas eum: vt iam non mihi per ministros suos angelos duntaxat & prophetas loquatur, sed ipse per semetipsum veniat, & osculetur me ab osculo sui, verba scilicet in os meum sui oris infundat, ipsum audiam loquentem, ipsum videam docentem. Hæc enim sunt Christi oscula quę porrexit ecclesiæ, cum in aduentu suo ipse Christus in carne positus euangelizauit ei verba fidei & charitatis & pacis, secundum quod Esaias promiserat, & præmissus ad sponsam dixerat: Non legatus, neque angelus, sed ipse dominus saluabit nos. Tertio verò expositionis loco introducamus animam, cuius omne studium sit cõiungi & consociari verbo dei, & intra mysteria sapientiæ eius ac scientiæ velut spõsi cœlestis thalamos intrare, cuique animæ præsentia eius etiam munera data sunt, dotis scilicet nomine. Sicut enim ecclesiæ dos fuit legis & prophetarũ volumina, ita huic lex naturæ & rationalis sensus ac libertas arbitrij dotalia munera deputentur. Habens autem hæc dotis suæ munera, sit ei primo eruditionis doctrina à monitoribus doctoribúsque descendens. Sed quoniam in his non est ei plana atque perfecta desiderij sui & amoris expletio, deprecetur vt mẽs eius pura virginalis, ipsius verbi dei illuminationibus, & visitationibus illustretur. Cum enim nullo hominis, vel angeli ministerio diuinis sensibus & intellectibus mens impletur, tunc ipsius oscula verbi dei suscipere sese credat. Propter hæc ergo & huiusmodi oscula dicat anima orans ad deum: [Osculetur me ab osculo oris sui.] Dum enim inde capax fuerit, vt ipsius verbi dei caperet veram solidámque doctrinam, necessaria suscepit oscula, id est sensus ab ore doctorum: vbi verò sponte iam cœperit obscura cernere, enodare perplexa, inuoluta dissoluere, parabolas & ænigmata, dictáque sapientum competentibus intelligentiæ lineis explicare, tunc iam oscula ipsius sponsi sui, id est verbi dei, suscepisse se credat. Ideo autem oscula pluraliter posuit, vt intelligamus vniuscuiusque obscuri sensus illuminationem, osculum esse verbi dei ad animã perfectam delatum. Et secundum hoc fortè dicebat prophetica & perfecta mens: Os meum aperui & attraxi spiritũ. Os autem sponsi intelligimus virtutem dei, qua illuminat mentem, & velut sermone quodam amoris ad eam facto, si tamen capere mereatur tantæ virtutis præsentiam, incognita quæque sibi & obscura manifestat, & hoc est verius, propiusque, & sanctius osculum, quod à sponso dei verbo porrigi dicitur spõsæ. puræ scilicet animæ, & perfectæ. Cuius rei imago est illud osculum, quod in ecclesia sub tẽpore mysteriorum nobis inuicem damus. Quoties ergo in corde nostro aliquid quod de diuinis dogmatibus sensibúsque quæritur, absque monitoribus inuenimus, totiens oscula nobis data esse à sponso dei verbo credamus. Vbi verò quærentes aliquid de diuinis sensibus inuenire non possumus, tunc affectu huius orationis assumpto petamus à deo visitationem verbi eius, & dicamus: Osculetur me ab osculo oris sui. Scit autem pater vniuscuiusque animæ capacitatem, & nouit quo tempore, cui animæ, quæ oscula verbi sui porrigere in intellectibus duntaxat & sẽsibus debeat. Quia bona sunt vbera tua super vinũ & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Intellige prius quasi in historiæ dramate sponsam eleuatis ad deũ manibus orationem fudisse ad patrem, & orasse vt iam veniret ad eam sponsus. & ipse ei osculum proprij oris infunderet. Dúmque hæc oraret ad patrem, in ipsa oratione qua dixit: Osculetur me ab osculo oris sui, parat etiam alia orationis verba subiungere, ac dicere: quia in hoc principio sermonis affuisset sponsus, & oranti ei astitisset, ac reuelasset verba sua ipsúmque sponsum vnguẽtis mirificis, & quibus spõsum fragrare decebat, constituisset delibutum. Sponsa verò vbi adesse vidit eum pro quo orabat vt adesset, & adhuc loquenti sibi præstitum quod orabat, ac data sibi ab ipso oscula quæ poposcerat, læta pro hoc reddita, & decore vberum, ac fragrantiæ ipsius odore permota, propositæ orationis sermonem cõuertit ad præsentiam sponsi qui aderat: & cum dixisset: Osculetur me ab osculo oris sui, subiungit post hęc ad præsentem iam sponsum, dicens: [Bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.] Hæc interim secundum historicam intelligentiam, quam dramatis in modum prædiximus textam. Nunc verò quid intellectus interior habeat, requiramus. Diuersis vocabulis principale cordis appellari in scripturis diuinis inuenimus, quæ vocabula pro causis, ac rebus de quibus agitur aptari solent. Interdum enim cor dicitur, vt: Beati mundo corde, &: Corde creditur ad iustitiam. Si verò conuiuij tempus sit pro specie, & ordine discumbentium, vel sinus, vel pectus appellatur: sicut Ioannes in euangelio refert de quodam discipulo quem amabat Iesus, quod in sinu eius vel supra pectus eius recumberet: ille profectò cui innuens Simon Petrus dicebat: Interroga quis hic de quo dicit. Post hæc vero recumbens super pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est? In his enim certum est quod Ioannes in principali cordis Iesu atque

Drama. — *Cant. 1* — *Gal. 3* — *Esa. 33* — *Psal. 118* — *Cant. 1* — *Matt. 5* — *Rom. 10* — *Ioan. 13*

H I L M

A que internis doctrinæ eius sensibus requieuisse dicatur, ibi requirens & perscrutans thesauros sapientiæ & scientiæ qui recõditi erant in Christo Iesu. Sed quod sinus Christi in Ioco dogmatum sanctorum accipiatur, puto indecens non videri. Diuersis ergo modis vt dicere cœperamus principale cordis in scripturis sanctis designatur, sicut & in Leuitico nihilominus, vbi de sacrificiis pectusculum separationis, & brachium sacerdotibus sequestratur: & in hoc sequestratum ac separatum pectusculum & brachium, præcellens, cæteros homines principale cordis, & operum decus vult esse in sacerdotibus. De quo plenius in libro Leuitico prout dominus dare dignatus est, exposuimus. Secundum hæc ergo etiam in præsenti loco, quandoquidem amatorium videtur drama quod agitur, in vberibus principale cordis intelligamur, vt tale videatur esse quod dicitur: Cor tuum ô sponse meus, id est, dogmata quæ intra te sunt, vel doctrinæ gratia, superat omne vinum, quod cor hominis lætificare solet. Sicut enim in his de quibus dicit: Quia deum videbunt, cor competenter dictum esse videtur, & inter discumbentes sinus, ac pectus ponitur, pro habitu sine dubio discumbentium, formáque conuiuij: & rursus vt apud sacerdotes pectusculum & brachium mysticis designatur eloquiis: ita etiam arbitror in præsenti loco, vbi amantium habitus & colloquia describuntur, gratissime

Leuit.7.

B hoc ipsum principale cordis in vberibus appellatum. Bona ergo sunt vbera sponsi, quandoquidem thesauri sunt in eis sapientiæ & scientiæ reconditi. Vbera autem hæc vino comparat sponsa, sed ita comparat vt præferat. Vinum autem illa intelligenda sunt dogmata, & doctrinæ, quæ per legem & prophetas ante aduentum sponsi sumere sponsa consueuerat. Sed nunc considerans hanc doctrinam, quæ ex vberibus profluit sponsi, miratur & stupet, videns eam longe præstantiorem quàm illam ex qua ante aduentum sponsi lætificata fuerat, tanquam ex vino spiritali quod ministrabant sancti patres & prophetæ, qui etiam huius generis plantauerũt vineas, vt Noe primus, & Esaias in cornu in loco vberi, & coluerunt eas. Videns ergo nunc multam esse eminentiam dogmatum & scientiæ apud sponsum, & longe ex eo perfectiorem quàm fuit apud antiquos emanare doctrinam, dicit: Bona sunt vbera tua super vinum: super illam scilicet doctrinam qua lætificabar ab antiquis. De hoc enim antiquorum vino intelligendus est Ecclesiastes dicere, vbi ait: Ego dixi in corde meo: veni, & tentabo te in lætitia, & videbo in bono. Et iterum de eisdem vineis loquens idem Ecclesiastes dicit: Magnificaui mihi opus meum, ædificaui mihi domos, plantaui mihi vineas, feci mihi hortos & paradisos, & reliqua. Sunt autem huius vineæ mystici etiam ministri quidam, qui vini fusores appellantur. Sic enim idem dicit: Et feci mihi cantores & cantatrices in lætitia filiorum hominum, vini fusores, & vini fusitrices. Vide ergo si possi-

Eccle.2. Ibid. Ibid.

C mus tum in cæteris, tum etiam in hoc intelligere saluatorem veteri vino nouella vberum suorum fluenta miscentem, cum Maria & Ioseph quærentes inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum, & audientem atque interrogantem eos, quando & mirabantur omnes super responsis eius. Sed & ibi fortassis species formæ huius expletur, vbi ascendens in montem docebat populos, & dicebat: Dictum est antiquis: Non occides: ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit. Et dictum est antiquis: Non adulterabis: ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: Inquantum ergo doctrina hæc eius præcellit illam antiquam, intantum sponsa intelligit & pronunciat bona esse vbera eius super vinum. Sed & quòd vorax dicitur filius hominis, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & vinum bibens: ad hoc nihilominus respicit: tale & illud vinum fuisse in Cana Galilææ quod bibebatur in conuiuio nuptiali, quo deficiente fecit & aliud vinum cui testimonium reddit architriclinus quod sit valde bonum, & eo vino quod expensum fuerat multo præstantius: cum dicit, omnis homo primo bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint id quod deterius est, tu autem seruasti vinum bonum vsque nunc. Sed & Solomonem qui pro accepta dei

Luc.2. Mat.5. Mat.11. Ioan.2.

D sapientia in admiratione fuit reginæ Sabæ, quæ venerat tentare eum in quæstionibus: in quibus eum eadẽ regina scrutetur & miretur, audi scripturam referentem: Et vidit, inquit, regina Saba omnem sapientiam Solomonis, & domum quam ædificauit, & apparatum conuiuij eius, & sedem puerorum eius, & ordinem ministrorum eius, & vestes eius, & vini fusores eius, & holocausta eius, quæ offerebat in domo dei, & stupefacta est, & reliqua. In his ergo aduerte quomodo hæc quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Solomonis, inter cætera miratur & cibos conuiuij eius, vel vini fusores eius, & super his dicitur obstupuisse. Nescio autem si ita ineptam putemus fuisse reginam, quæ ob hoc venerat à finibus terræ vt audiret sapientiam Solomonis, vt miretur cibos corporales, & vinum istud commune, ac pincernas vini in ministerio regis. Quid enim in his admiratione dignum reginæ videatur, quæ communia penè omnibus sunt hominibus? Sed mihi videtur miratam esse cibos doctrinæ eius & vinum dogmatum, quæ ab eo per diuinam sapientiam prædicabantur. Hoc erat vinum & illud quod per Hieremiam refertur de filiis Ionadab filij Rechab, qui eo tempore quo peccata populi inualuerant, & pro iniquitatibus plebis captiuitas imminebat, conuocati sunt vt biberent vinum, & dixerunt, quia mandauerat eis pater suus Ionadab ne biberent vinum ipsi & filij sui in seculum, neque

3.Reg.10. Hier.35.

E domos ædificarent, neque seminarent semen, neque plantarent vineas, sed in tabernaculis habitarent omnibus diebus vitæ suæ. Et amplectitur eos Deus eò quòd custodierint præceptum patris sui, & noluerint bibere vinum. Pro peccatis enim tunc populi, & iniquitatibus eorum, erat vinea eorum ex vinea Sodomorum, & palmites eorum ex Gomorra, vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis: venenum aspidum, & furor draconum erat vinum eorum. Propter hoc ergo laudabiles habentur filij Ionadab, qui tale vinum, venenata scilicet dogmata, & aliena à fide dei, bibere & suscipere recusarunt. Propter hoc ergo fortassis percussit deus vineas Ægyptiorum, sicut in psalmo scriptum est, ne tale facerent vinum. Igitur si intelleximus vini differentias, eásque pro diuersitate dogmatum constare perspeximus, quod ait hic sponsa: [Quia bona sunt vbera tua super vinum.] super vinum vtique intelligamus bonum, non malum. Bonis enim, non malis comparata dogmatibus sponsi dogmata præferuntur. Bonum enim vinum gustauerat prius in lege & prophetis: ex quo velut præmeditata erat sponsa lætitiam cordis accipere, ac præparare, vt capere posset etiam illam quæ affutura erat per vbera ipsius sponsi, excellentiorem cunctis cernens eorum doctrinam, & ideo dicit: Bona sunt vbera tua super vinum. Et vide si adhuc formæ huic aptare possimus illam euangelij parabolam, quæ dicit: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenerit, abscondit, & præ gaudio eius vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum. Est ergo thesaurus is

Hier.35. Psal.105.

F non in deserto aliquo loco, neque in syluis, sed in agro absconditus. Et possibile vtique est agrum illum habere etiam vineas, quæ afferant vinum, habere etiam thesaurum propter quem distractis omnibus emit agrum illum is qui inuenerat ibi thesaurum. Potest ergo dicere ille qui emit agrum, quia bonus est thesaurus qui est in agro, magis quàm vinum quod est in eo. Ita ergo & bonus est sponsus, atque vbera sponsi, quæ velut thesaurus absconditus est in lege & prophetis, magis quàm vinum quod est in eis, illa scilicet doctrina quæ palàm est, & lætificat audientes. Bona ergo sunt vbera sponsi. Thesauri enim sunt sapientiæ & scientiæ in eo abscõditi: qui cum aperti & reuelati fuerint oculis sponsæ, multò præstantiores ei videbuntur quàm fuit prius istud vinum legis & doctrina prophetica. Sed & si tertiam expositionem de anima perfecta, & verbo Dei sentire debeamus, possumus dicere: quia quis donec paruulus est, & nondum semetipsum ex integro obtulit Deo, bibit vinum quod affert ager ille, qui habet intra se etiam thesaurum absconditum, & bibens lætificatur ex vino. Cum autem obtulerit & deuouerit semetipsum deo, ac Nazaræus fuerit effectus, atque inuenerit thesaurum absconditum, & ad ipsa vbera fontésque peruenerit verbi Dei, vinum & siceram iam non bibet, dicens ad ip-

Mat.13.

sum Dei verbum de his thesauris, qui in ipso scientiæ & sapientiæ reconditi sunt: [Quia bona sunt vbera tua super vinum.] Sunt autem vnguenta quædam sponsi, quorum fragrantia delectata est sponsa, & dicit: Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Aromata species sunt pigmẽtorum. Sponsa autem habuit quendam vsum & notitiam aromatum, hoc est, verborum legis & prophetarum, quibus ante aduentum sponsi mediocriter licet, instrui tamen videbatur, & exerceri ad cultum dei, vtpote paruula adhuc & sub curatoribus & actoribus agens & pædagogis. Lex enim pædagogus noster fuit ad Christum. Hæc autem omnia aromata fuerant, in quibus nutriri visa est, & sponso suo præparari. Sed vbi venit plenitudo temporum, & adoleuit atque vnigenitum suum pater spiritu sancto vnctum misit in hunc mundum, odorata sponsa diuini vnguenti fragrantię, sentiénsque quod illa omnia aromata quibus prius vsa videbatur, longe inferiora sint ad cõparationem suauitatis noui huius & cœlestis vnguenti, ait: Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Et quoniã Christus idem sponsus, atque idem pontifex dicitur: Pontifex quidem secundum hoc quod mediator est dei & hominum omnísque creaturæ, pro qua & propiriatio factus est semetipsum offerens hostiam pro peccato mundi: Sponsus verò secundum hoc quod ecclesiæ iungitur non habenti maculam aut rugã, aut aliquid horum: considera ne forte vnguentum illud pontificale quod in Exodo cõponi iubetur arte pigmentarii, istius vnguenti quod nunc odorata sponsa miratur, teneat rationẽ & videns quod illa quidem aromata quibus compositum vnguentum videbatur, quo Aaron vnctus est, quoniam erant terrena & materiæ corporalis, hoc autem vnguentum, quo nunc vnctum vidit sponsum spiritale est & cœleste, idcirco dicat: Quia odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Videamus ergo quomodo compositum sit illud vnguentum. Et locutus est dominus inquit, ad Mosen dicens: Accipe tibi florem myrrhæ electæ quingentos siclos, & cinamomum suaue ducentos quinquaginta siclos, & calamum suauem ducentos quinquaginta siclos, & casiæ quingentos siclos secundum siclum sanctum, & oleum ex oliuis Hin, & facies illud oleum chrismatis sancti vnguentum arte pigmentarij. Hæc autem in lege quidem referri audierat sponsa, sed rationem eorum veritatémque nunc perspicit. Vide ergo quod istæ quatuor species vnguenti istius, formam tenebant incarnationis verbi Dei, quod ex quatuor elementis compaginatum corpus assumpsit, in quo corpore myrrha illa mortis eius, quam siue vt pontifex pro populo, siue vt sponsus pro sponsa suscepit, seruat indicia. Quod verò non simpliciter myrrha, sed flos myrrhæ, & myrrhæ electæ scriptum est, non solum mortem eius, sed & primogenitum eum futurum ex mortuis indicabat, atque eos qui complantati fuissent similitudine mortis eius, non solum vocatos, sed electos futuros. Cinamomum verò immaculatum dicitur, propter ecclesiam sine dubio, quam purificauit lauacro aquæ, & immacularã fecit non habentem maculã, aut rugã, aut aliquid huiusmodi. Sed & calamus assumitur, qui lingua eius etiã est calamus scribę velociter scribentis, doctrinæ gratiam pigmẽtis designãs, suauitatis. In eis quoque species adhibet calidissimas, vt referatur ad ardentissima: in qua re vel spiritus sancti feruor, vel futuri per ignem iudicij ostẽditur forma. Numerus verò quingentorũ, vel ducentorum quinquaginta siclorum in eo mysterium tenet centupliciter perfectorum, vt remissionem peccatorum per eum datam significet. Quinquagenarius enim iubileus in his est quintupliciter positus. Sed hæc omnia oleo puro colliguntur, per quod ostenditur, vel misericordiæ, vel salutis causa fuisse, quod is qui erat in forma dei formam serui susceperit: vel ea quæ ex materiali substantia in Christo fuerãt assumpta, per spiritum sanctum redacta in vnum fuisse, atque in vnam speciem quæ est persona mediatoris effecta. Illud ergo oleum materiale nullo genere oleum lætitiæ appellari potuit. Istud autem oleum, id est spiritus sancti vnguentum, quo vnctus est Christus, & cuius nunc odorem percipiens sponsa admirata est, oleum lætitiæ, quia fructus spiritus gaudium est, merito appellatur: quo vnxit eum deus, qui dilexit iustitiam & odio habuit iniquitatem. Propterea enim dicitur: Vnxit eum dominus deus suus oleo lætitiæ præ participibus suis. Et ideo odor vnguentorum eius est super omnia aromata. Simili autem expositione vtimur, etiam si ad vnamquanque animam in amore & desiderio verbi dei positam transferatur hic sermo, cui fuerint omnes doctrinæ per ordinem decursæ, in quibus ante agnitionem verbi dei exercitata videtur & erudita, siue ex moralibus descendentes, siue ex naturalibus scholis. Erant enim ei omnia ista aromata quædam pro eo quod in his institutio probabilis, & morum conquiritur emendatio, quod deprehenditur in his vanitas seculi, & caducarũ rerum respuuntur falsa miracula. Erant ergo ei hæc omnia velut aromata & odoramenta quędam animæ pigmenta. Sed vbi cognitionem diuinorum mysteriorum, & diuinorum dogmatum scientiam ventum est, vbi ad ianuas sapientiæ ipsius, & sapientiæ non huius mundi, neque principum huius mũdi qui destruuntur accessum est, sed ad ipsam Dei sapientiam, quæ inter perfectos differitur, & vbi mysterium quod prioribus generationibus nõ fuit notum, filiis hominum reuelatum est: vbi, inquam, anima ad tanti cognitionem ascendit arcani, merito dicit: Odor vnguentorum tuorum, spiritalis scilicet intelligentia & mystica, super omnia aromata moralis naturalísque philosophiæ. Non autem lateat nos quod in quibusdam exemplaribus pro eo quod legimus: [Quia bona sunt vbera tua super vinum.] inuenimus scriptum: Quia bonæ sunt loquelæ tuæ super vinum: quod quamuis videantur significasse euidentius ea ipsa quæ nobis spiritali interpretatione diserta sunt, tamen nos Septuaginta interpretum scripta per omnia custodimus, certi quod spiritus sanctus mysteriorũ formas obtectas inesse voluit in scripturis diuinis, & non palam atque in propatulo haberi. [Vnguentum exinanitum nomen tuum.] Propterea adulescentulæ dilexerunt te, ac traxerunt te post se. In odore vnguentorum tuorum curremus. Historica quidem expositio eadem quę in superioribus, percurrit etiam in præsenti loco donec fiat aliqua mutatio personarũ, ita quippe ordo dramatis qui à nobis in hac expositione receptus est, poscit. Possunt sanè in prophetia quędam videri ex persona sponsæ prolata de Christo, quod futurum esset in aduentu domini & saluatoris nostri, vt nomen eius ita per orbem terrę & per vniuersum mundum diffũderetur, vt fieret odor suauitatis in omni loco, sicut & Apostolus dixit: Quia Christi bonus odor sumus in omni loco: aliis quidem odor ex morte in mortem, aliis autem odor de vita in vitam. Si enim omnibus fuisset odor de vita in vitam, dixisset vtique & hic: [omnes dilexerunt te & traxerunt te.] Sed nunc ait, vbi nomen tuum est factum vnguentum exinanitum dilexerunt te, non illæ vetulæ, ac veterem hominem indutæ animæ, neq; rugas habentes, neque maculas, sed adolescentulæ in augmẽto scilicet ætatis & pulchritudinis positæ animę, quæ semper innouãtur, & de die in diem renouantur, nouum se hominem induentes qui secundum Deum creatus est. Propter istas ergo adolescentulas, & in augmentis vitæ & profectibus positas, exinaniuit se ille qui erat in forma dei, vt fieret vnguentum exinanitum nomen eius: vt non iam inaccessam lucem tantummodo habitaret, & in forma dei permaneret, sed verbum caro fieret, quo possent istæ adolescentulæ & in augmentis profectuum positæ animæ, non solum diligere, sed & trahere eum ad se. Trahit enim vnaquæque anima & assumit ab se verbum dei, pro capacitatis & fidei suæ mensura. Cum autem traxerint ad se animæ verbum dei, & sensibus suis atque intellectibus inseruerint, & dulcedinis eius & odoris senserint suauitatem, vbi vnguentorum eius fragrantiam ceperint, ratione dũtaxat aduentus eius, & redemptionis ac passionis causas, charitatémque agnouerint, qua pro salute omnium vsque ad morrem crucis immortalis accessit, & his omnibus velut diuini cuiusdam & ineffabilis vnguenti odoribus inuitatæ adolescẽtulæ, id est animæ plenæ vigoris atq; alacritatis effectæ, currunt post ipsum, atque ad odorem suauitatis eius non lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu, & tota properatione festinãt, quemadmodum

Cant. 4 — Gal. 3 — Exod. 30 — Ibid. — Psal. 45 — Tertia expositio moralis. — 70 Interpretum auctoritas. — Historica expositio. — Prophetia fuit intellectus inferior. — 2. Cor. 2.

A admodum & ille qui dicebat: Sic curro vt comprehendam. Verùm quod ait: [Vnguẽtum exinanitum nomen tuum, propterea adolescẽtulæ dilexerunt te, & traxerunt te post se: In odorem vnguentorum tuorũ curremus:] trahunt ad se Christum adolescentulæ, si quidem de Ecclesiis intelligatur, quæ vna quidem est cum perfecta est. Multæ verò sunt adolescentulæ, cum adhuc instruuntur & proficiunt. Istæ ergo trahunt ad se Christum per fidem, quia Christus vbi viderit cõgregatos duos, vel três in fide nominis sui, vadit illuc, & est in medio eorum, fide eorum tractus & vnanimitate prouocatus. Si verò tertia expositione de anima verbum dei sequẽte intelligi hæc oportet, quæcunque anima fuerit erudita primo in moralibus, secũdo etiam in naturalibus exercitata, per illa omnia quæ in his disciplinis edoceri suprà ostendimus, ipsa morum emendatio, & eruditio rerum, ac probitas disciplinæ trahit ad se verbum Dei. & libens trahitur: gratissime enim ad eruditas animas venit, & trahi se ab his indulgenter accipit, benignéque concedit. Requiro sanè, si solum nomen eius, quia vnguentum factum est exinanitum, tantum operis egerit, & ita suscitarit adolescentulas, vt primo traherent eũ ad se, & habentes eum apud se, caperent vnguentorum eius odorem, & statim currerent post eum: si hæc inquam omnia solo nomine eius effecta sunt, quid putas faciet ipsa eius substantia? Quid ex illa adolescentulæ istæ virtutis, quid vigoris

Christus per fidem trahitur.

B accipient, si quo pacto potuerint aliquando ad ipsam eius incomprehensibilem atque ineffabilem substantiam peruenire? Ego puto quod si ad hoc aliquando peruenerint, iam nõ ambulent neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis eius astrictæ adhæreant ei, ne vltrà mobilitatis alicuius vllus in eis resideat locus, sed sint cum eo vnus spiritus, & compleatur in eis illud quod scriptum est: Sicut tu pater in me, & ego in te vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Sed nũc interim (vt videtur) sponsa consociatis sibi adolescentulis multis, quantum in posterioribus nullus esse numerus dicitur, ab vno solo sensu, id est, odoratu tãtummodo capta, currere se in odorem vnguentorum sponsi commemorat: siue quod ipsa cursu indigeat adhuc & profectu, siue quod ipsa quidem perfecta sit, pro his autem adolescẽtulis quæ adhuc cursu & profectibus indigent, etiam ipsa se currere fatetur: sicut & ille qui cum ipse sub lege non esset, fit tamen sub lege, vt eos qui sub lege sunt lucrifaciat. Et iterum cũ in lege sit Christi, his tamẽ qui sine lege sunt fit & ipse sine lege, vt eos qui sine lege sunt saluet. Et hoc fit (vt diximus) solo adhuc odoratu eius accepto. Quid putas agent cum & auditum earum & visum & tactum, gustúmque occupauerit verbũ dei, & singulis quibusque sensibus virtutes ex se competentes naturæ earum capacitatíque præbuerit? Ita vt oculis si vide-

Ioan. 17.

C re potuerit gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre, aliud vltra iam videre nolit, neque auditus aliud quàm verbum vitæ & salutis audire. Sed & cuius manus palpauerit de verbo vitæ, nihil vltra materiale, nihil fragile caducúmque palpabit, nec gustus cum gustauerit bonum verbum dei, carnémque eius & panem qui de cœlo descẽdit, aliud quid post hæc gustare patietur. Præ dulcedine nanque ipsius, & suauitate omnis reliquus ei sapor asper videbitur & amarus, & ideo hoc solo vescetur. Omnem nanque suauitatem quancũque cupierit in hoc inueniet, ad omnia nanque aptum se reddit, & habilem. Denique his qui ex incorruptibili semine regenerãtur, rationabile & sine dolo efficitur lac: his verò qui infirmantur in aliquo, olera se præbet ad hospitalitatis amicitiam & gratiam. His verò qui pro possibilitate sumendi, exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, cibum se solidum præbet. Si qui verò sunt qui exierint de Ægypto, & secuti columnam ignis & nubis in eremum venerint, de cœlo ad illos descendit, minutum & subtilem eis præbens cibum angelico similem, ita vt panem angelorum manducet homo. Habet & alias multas in semetipso atque innumeras ciborum differentias, quas interim pelle quis & carne ossibúsque indutus & neruis capere non potest. Qui autem dignus fuerit redire & esse cum Christo, quíque in paruo fidelis inuentus, constituetur super multa, ille gustabit & capiet voluptatem domini, perductus ad locum quendam qui pro huiusmodi ciborum copiis & varietatibus, delitiarum nomi-

D natur locus. Propter quod & in Eden positus dicitur, quod delitias indicat. Ibi enim dicetur ad eum, delitiare in domino. Delitiabitur autem non in vno solo edendi gustandíque sensu, sed & auditu delitiabitur & visu & tactu odoratúque delitiabitur. In odorem nanque vnguenti eius curret. Et ita omnibus sensibus suis delitiabitur in verbo dei is qui ad summam perfectionis ac beatitudinis venerit. Vnde & in his positi locis, deprecamur auditores horum, vt mortificent carnales sensus, ne quid ex iis quæ dicuntur, secundum corporis motus excipiant, sed illos diuiniores interioris hominis ad hæc capienda sensus exhibeant: sicut Solomon edocet nos, dicens: Sensum autem diuinum inuenies. Et vt Paulus quoque ad Hebræos scribit de perfectis (vt suprà memorauimus) qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali: ostendens esse in homine præter hos corporeos sensus, quinque alios nihilominus qui exercitio quæruntur, & exercitati dicuntur, cum scilicet intelligentiam rerum acumine acriore discutiunt. Non enim perfunctorie & vt libet audiẽdum est quod apostolus de perfectis dicit, quia exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali. Quod vt clarius elucescat, sumamus si videtur exemplum ab his corporalibus sensibus, & ita demum statim ad illos diuinos quos scriptura nominat sensus interioris hominis veniemus. Si e-

Heb. 5.

Similitudo à corporeis sensibus.

E nim corporeus oculus exercitium visus habeat, nullo impediente obstaculo, integre & absque vlla falsitate, vel colores corporum, vel magnitudines qualitatésque deprehendet. Nam si aut caligine, aut alia qualibet infirmitate impediatur aspectus, & rubrum pro albo, & viridem pro nigro, aut rectum putat esse aliquid, cum curuum sit & tortuosum, conturbabitur sine dubio iudicium mentis, & aliud pro alio agetur. Ita ergo & interior visus, nisi eruditione & industria fuerit exercitatus, quo per multam peritiam discretionem boni habeat ac mali, sed ignorantia & imperitia tanquam caligo oculis inciderit, aut etiam malitiæ alicuius languor tanquam lippis oculis accesserit, discrimen boni aut mali intueri nullatenus possit: & inde fiet vt mala pro bonis agat, bona verò pro malis spernat. Secundum hanc verò formam quam de visu corporis animǽque tractauimus, consequenter etiam de auditu & gustu & odoratu, tactúque per singulas quasque sui generis virtutes sensuum corporalium referemus ad animæ sensus, quæ in singulis adhibere debeat exercitia, quæque debeat emendatio parari, dilucide recognoscemus. Hæc autem paulo lariori excessu prosecuti sumus, ostendere volentes odoratum sponsæ & adolescentularum, quo odoratæ sunt odorem vnguentorum sponsi, non corporis sensus, sed diuini odoris illius, & interioris qui appellatur hominis, dici: Hic ergo odorationis sensus in quo sanus est & integer, odore Christi accepto ex vita adducit ad vitam. Si verò non sit sanus, hoc odore suscepto de

F morte in mortem deiicit, secundum illum qui dicebat: Quoniam Christi bonus odor sumus, aliis quidem de vita in vitam, aliis autem odor de morte in mortem. Denique & hi quibus intellectus herbarum est pigmentorumque peritia, ferunt quædam esse pigmenta, quorum si odorem ceperint nonnulla animalia continuo intereunt: alia verò eodem odore recreantur, vitámque recipiunt. Et nunc ergo in his ipsis expositionibus & sermonibus quos habemus in manibus, videtur aliis esse vita ex vita, aliis verò mors ex morte. Nã si hæc exponi ita audiat animalis qui dicitur homo, qui nõ potest percipere & intelligere quæ sunt spiritus dei, irridebit sine dubio, atque inepta hæc esse & inania pronunciabit, dicens somnia potius quàm rerum causas & dogmata diuina tractari. His ergo odor hic Cantici canticorum efficitur de morte in mortem, scilicet de morte infidelitatis, in mortem iudicij & condemnationis. Sequentibus verò spiritalem sensum & subtilem, atque intelligentibus maiorem inesse veritatem in his quæ non videntur, quàm in his quæ videntur, & veriora haberi apud deũ inuisibilia & spiritalia magis quàm visibilia & corporalia, amplectenda sine dubio huiusmodi intelligentia videbitur & sequenda. Agnoscunt enim tale esse intelligendæ veritatis iter quo peruenitur ad deum. Sed siquidem alienus à fide sit is, qui hæc stulta iudicat & irridẽda, nihil mirum. Si verò aliquis ex his sit qui vidẽtur credere,

2. Cor. 2.

G & scripturarum auctoritaté recipere, non tamen recipit expositionis huius spiritalis formam, sed irridet & derogat, tentemus ex alijs scripturarum locis instruere eum, ac persuadere. Qui si forte poterit sic resipiscere, & talia quædam dicamus ad eum, scriptum est: Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Dicat ergo nobis, qui sunt oculi qui illuminantur luce præcepti. Et iterum: Qui habet aures audiendi, audiat. Quæ sunt aures istæ, quas qui habuerit, ipse solus verba Christi audire dicatur? Et iterum. Quoniam Christi bonus odor sumus deo, & in aliis: Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Et quid alius ait: Manus nostræ palpauerunt de verbo vitæ. Putásne in his omnibus non mouebitur, vt aduertat hæc vniuersa nō de corporeis sensibus dicta, sed de his quos secundum interiorem hominem inesse vnicuiq; docuimus? nisi si contentionis & iactantiæ vitio agitur qui eiusmodi est. Quibus vitiis quoniam & visus ille interior excæcatur, & odoratus occluditur, & obturatur auditus, merito nec videre quæ spiritualia sunt, nec audire potest, sed nec odorem istum Christi capere, quo nunc recepto adolescentulæ istæ in quibus bene sanus & vigens erat hic sensus, in odorem vnguentorum eius currunt post ipsum, nec deficiunt currentes, aut laborant, quia suauitate odoris ipsius qui est de vita in vitam, refectæ iugiter inualescūt. Potest adhuc

Psal. 19
Matt. 13
Psal. 33
1 Ioan. 1

H & hoc modo accipi quod ait. [Vnguentum exinanitum nomen tuum. Propterea adolescentulæ dilexerunt te.] Vnigetus dei filius cum in forma dei esset, exinaniuit semetipsum, & formam serui accepit. Exinaniuit autem de plenitudine sine dubio in qua erat. Illi ergo qui dicūt quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, ipsi sunt adolescētulæ, quę de ea plenitudine ex qua se ille exinaniuit, & factum est vnguentum exinanitum nomen eius, percipientes dicunt: [Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.] Nisi enim exinanisset vnguētum, hoc est plenitudinem diuini spiritus, & humiliasset se vsque ad formam serui, capere cum nullus in illa diuinitatis plenitudine potuisset, nisi sola fortassis sponsa, pro eo quod videtur indicare, quia vnguentum istud exinanitum non sibi, sed adolescentulis dilectionis dederit causam. Sic enim dicit: [Vnguentum exinanitum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te.] Ac si diceret: Adolescentulæ quidem propterea dilexerunt te, quia exinanisti te de forma dei, & factum est vnguētum exinanitum nomē tuum. Ego autem non pro exinanito vnguento, sed pro ipsa vnguentorum plenitudine dilexi te. Hoc enim indicat in eo loco vbi dicit: Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Quod verò etiam ipsa cum adolescentulis post ipsum se cursuram dicit, hanc aio esse causam, quod perfecti quique omnia omnibus fiant, vt omnes lucrifaciant, sicut iam suprà exposuimus. [Introduxit me rex in cubiculum suum, exultemus & iocundemur in te.] Cum indicasset spōso suo sponsa, quod adolescentulæ odore eius captę currerent post ipsum, cum quibus etiam ipsa cursura esset, vt eis formā præberet in omnibus, nunc quasi laboris sui consecuta iam pal-

Cant. 1
Phil. 2
Ioan. 1
Cant. 4

I mam pro eo quod concurrerit currentibus, introductam se dicit ab sponso rege in cubiculum eius, vt ibi videret cūctas opes regias. In quo vtique merito iocundatur & exultat, vtpote quæ secreta iam regis & arcana prospexerit. Hic est, secundum propositum dramatis ordinem, quasi historicus intellectus. Sed quoniam cuius res agitur, ecclesia est ad Christum veniens, vel anima verbo dei adhærens, quod aliud cubiculum Christi & promptuarium dei credendum est in quo vel ecclesiam, vel animam cohærentem sibi introducat, nisi ipse arcanus sensus eius & reconditus, de quo & Paulus dicebat: Nos autem sensum Christi habemus, vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Hæc illa sunt quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus his qui diligunt eum. Cum igitur Christus animam in intelligentiam sui sensus inducit, in cubiculum regis introducta dicitur, in quo sunt thesauri sapiétiæ ac scientiæ eius absconditi. Non mihi autem vacuum videtur quod cum potuisset dicere: Introduxit me sponsus meus, aut fraternus meus, aut aliquid huiusmodi, vt ei moris est: nunc quia cubiculum dictura erat, regis dixerit cubiculum, & non aliud nomen posuerit, in quo posset fortassis aliquis etiam mediocris intelligi. Sed propterea arbitror in his regem nominatum, vt ostenderetur per hoc nomen præ diues cubiculum, vtpote regium, & multis atque immensis opibus repletum. Prope hunc omnino mihi videtur fuisse & ille qui dixit raptum se esse vsque ad tertium cœlum, & inde in paradisum, & audisse verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Quid enim putas esse illa verba quæ audiuit? nónne à rege audiuit? & in cubiculo, & prope cubiculum positus audiuit? Et erant credo illa verba talia quædam, quæ hortarentur eum ad maiorem profectum, & promitterent ei quod si perseueraret vsque in finem, & ipse posset intrare Regis cubiculum, secundum illud quod per prophetam quoque promittitur: Dabo tibi thesauros obscuros, ocultos, inuisibiles. Aperiam tibi vt cognoscas quia ego sum dominus deus tuus qui vocaui nomen tuum Israel. Currunt ergo adolescentulæ post ipsum, & in odorem eius, vnaquæque tamen pro viribus, alia quidem velocius, alia paulo tardius, alia etiam inferius cæteris & vltimo, alia primo loco. Veruntamen currūt omnes, sed vna est perfecta, quæ currit sic, vt perueniret, & sola acciperet palmam. Sola, enim est quæ dicit: [Introduxit me rex in cubiculum suum.] cum prius non de se sola, sed de pluribus dixisset, quia post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Introducitur ergo in cubiculum Regis, & efficitur regina, & ipsa est de qua dicitur: Regina astitit à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietatibus. De his

2 Cor. 2
Esa. 45
Cant. 1

L autem adolescentulis quæ post ipsa cucurrerant, & procul ab ea in ipsis currendi spatiis remanserant, dicitur: Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adducentur tibi: Adducentur in lætitia & exultatione, inducentur in templū regis. Sed & illud etiam in hoc aduertere debemus, quod sicut rex habet cubiculum quoddam in quod reginā siue sponsam suam introducit: ita habet & sponsa suum cubiculum in quod monetur per verbum dei ingressa claudere ostium, & ita conclusis illis omnibus diuitiis suis intra illud cubiculum orare eum qui videt in abscondito, & perspicit quantas opes animi scilicet virtutes, intra cubiculum suum sponsa condiderit, vt vidēs eius diuitias det ei petitiones suas. Omni enim habenti dabitur. Quod autem ait, [exultemus & iocundemur in te] videtur ex persona adolescentularum dici, vel optantium, & petentium à sponso, vt quemadmodum sponsa consecuta est quæ perfecta sunt, & exultat, ita ipse iam suum implere cursum, & peruenire vsque ad Regis cubiculum mereantur, vt perspectis & intuitis omnibus his de quibus illa gloriatur, etiam ipsæ exultent sicut & illud, & iocundentur in eo. Vel etiam ad sponsam potest dictum videri ab adolescentulis congratulantibus ei & promittentibus petentibúsque, vt participes fiāt exultationis eius & lætitiæ: Diligemus vbera tua super vinum. [Sponsa quidem postquam oscula meruit ab ipso sponsi ore suscipere, & vberibus eius perfrui, ait ad eum: [Bona sunt vbera tua super vinum.] Adolescentulæ verò quæ nondum ad id beatitudinis venerant, neque summam perfectionis acceperāt, neque vsu & operibus fructus

Psal. 45
Cant. 1

M perfectę charitatis expleuerant, vt quasi expertæ pronunciarent vberibus eius, quia bona sunt, videntes tamen sponsam delectari & refici ex vberibus sponsi ex fontibus scilicet sapientiæ & scientiæ quæ de vberibus eius fluūt, & pocula cœlestis doctrinæ sumentes tanquā imitatrices perfectionis eius & desiderantes eisdem vestigiis incedere, promittunt, & dicunt: [Diligemus vbera tua super vinum] id est, nos quidem nondum in id perfectionis ascēdimus, vt iam diligamus vbera tua plus quàm vinum, vel certe vbera tua quæ sunt super vinū: (vtroque enim modo sensus stare videbitur) gerimus tamen spem, vt pote adolescētulæ, in id ætatis proficere, quo possimus non solum pasci & ali ex vberibus verbi dei, sed & diligere alentem. Istæ sunt autem adolescentulæ (vt sæpe iā diximus) animæ, quæ primis & initio valentibus eruditionibus videntur imbutæ, & velut vino quodam lætificatæ, institutione tuorum duntaxat curatorúmque & pædagogi, vtpote paruulæ, & quæ haberent quidem in viribus amare vinum, non tamen haberent in ætate, vt amore vberum sponsi moueri aut excitari possent. Sed vbi aduenit plenitudo temporum, & Christus in eis profecit ætate & sapientia, & iam sentire cœperint quid sint vbera sponsi, quæque in his

A his perfectio verbi dei, & doctrinæ spiritalis plenitudo designetur, etiam promittunt, quia plus quàm vinum quod nunc tanquam paruulæ bibunt, dilecturæ sint vbera sponsi: id est propensiores futuræ erga perfecta, & omni plenitudine decreta dogmata Christi, quam iam antea, siue in communibus studiis, siue in legis & prophetarum visæ sunt institutionibus extitisse. [Æquitas dilexit te.] Etiam hoc mihi videntur adolescentulæ proloqui, velut satisfacientes pro eo quod dilecturas super vinum se promiserunt vbera sponsi, & non iam in præsenti diligant, neque integram vim charitatis ostendant. Est ergo vox ista velut incusantium semetipsas: quasi quæ nondum abiecta omni iniquitate peruenerint ad æquitatem, vt possint iam diligere super vinum vbera sponsi, scientes inconueniens esse, vt aliquid adhuc resideat iniquitatis in eo qui ad perfectionem spiritalis & mysticæ doctrinæ peruenerit. Quia ergo summa perfectionis in charitate consistit, charitas autem nihil iniquitatis admittit, vbi autem nihil iniquitatis est, ibi sine dubio est æquitas, merito ergo æquitas esse dicitur, quæ diligit sponsum. Et vide si non ob hoc etiam videtur illud in Euangelio à saluatore dictum: Si diligitis me, manda mea seruate. Si ergo qui diligit Christum, mandata eius custodit, nulla est in eo iniquitas, sed æquitas in eo permanet: æquitas ergo est, quæ mandata eius custodit, & diligit Christum. Et rursum: Si is qui mandata custodit, ipse diligit Christum, mandata autem in æquitate seruantur, & æquitas est quæ diligit Christum: D qui iniquum aliquid gerit, neque mandata custodit, neque diligit Christum. Erit ergo vt quantum iniquitatis in nobis est, tantum longe simus à dilectione Christi, & tantum mandatorum eius præuaricatio habeatur in nobis. Et ideo regulam quandam directam ponamus esse æquitatem, vt si quid in nobis iniquitatis est, hanc adhibentes & superducentes directoriam mandatorum dei, si quid in nobis curuum, si quid tortuosum est, ab huius regulæ linea resecetur, vt possit & de nobis dici: Æquitas dilexit te. Possumus autem etiam sic accipere, vt videatur simile esse quod dixit: [Æquitas dilexit te,] ac si dixisset: Iustitia dilexit te, & veritas, & sapientia, & pudicitia, & singulæ quæque virtutes. Nec mireris sanè, si dicimus virtutes esse quæ diligũt Christum cum in aliis ipsarum virtutum substantiam Christum soleamus accipere. Quod & frequenter inuenies in scripturis diuinis pro locis & opportunitatibus aptari. Inuenimus nanque ipsum & iustitiam dici, & pacem, & veritatem. Et rursum scriptum est in Psalmis: iustitia & pax osculatæ sunt, & : Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Quæ vtique omnia ipse esse, & rursum ipsum dicuntur amplecti. Sed & sponsus idem dicitur, idem etiam sponsa nominatur, vt in prophetia scriptum est. Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento. E

Cant. 1 — *Ioan. 14* — *Psal. 85*

B

HOMILIA SECVNDA

FVSCA sum & formosa filiæ Hierusalẽ, vt tabernacula Cedar, vt pelles Solomonis.]In aliis exẽplaribus legimus: [Nigra sum & formosa.] Rursus in hoc persona spõsę loquentis introducitur: loquentis autẽ non ad illas adolescentulas, quæ cum ipsa currere solent, sed ad filias Hierusalem, quibus tanquam his quæ derogauerint fœditati eius, respondere videtur, & dicere: Fusca quidem sum, vel nigra, quantũ ad colorem spectat, filiæ Hierusalem: formosa verò si quis interna membrorum lineamenta perspiciat. Nam & tabernacula, inquit, Cedar, quæ est gens magna, nigra sunt, & ipsa gens Cedar nigredo vel obscuritas interpretatur. Sed & pelles Solomonis nigræ sunt, nec tamen ob hoc tanto Regi in omni gloria sua pellium visa est indecora nigredo. Non ergo mihi ô filiæ Hierusalem, exprobretis culpam coloris, cum siue naturalis, siue exercitio quæsita corpori pulchritudo non desit: Hæc continet historicum drama, & propositæ fabulæ species. Sed redeamus ad ordinem mysticum. Hæc sponsa quæ loquitur, ecclesiæ personam tenet ex gentibus congregatæ. Filiæ verò C Hierusalem ad quas ei sermo est, illæ sunt animæ quæ propter electionem patrum charissimæ quidem dicuntur, inimicæ autem propter euangelium. Istæ sunt filiæ Hierusalem ciuitatis terrenæ, quæ videntes ecclesiam ex gentibus, quamuis pro eo ignobilem, quod generositatem sibi Abraham, & Isaac, & Iacob non possit ascribere, obliuiscentem tamen populum suum, & domum patris sui, atque ad Christũ venientem, spernũt eam, & pro ignobilitate generis offuscãt. Quod sponsa sentiens filias prioris populi imputare sibi, & pro hoc etiam nigram se appellari, quasi quæ paternæ eruditionis nõ habeat claritatem, respondens ad hęc, dicit: Nigra sum quidem ô filiæ Hierusalem, pro eo quod nõ descendo de stirpe clarorum virorum, neque illuminationẽ Mosi legis accepi, habeo tamen pulchritudinem meam mecum. Nam & in me illud primũ est, quod ad imaginem dei in me factum est: nũc accedens ad verbum dei, recepi speciem meam. Quamuis enim pro coloris obscuritate comparetis me tabernaculis Cedar, & pellibus Solomonis, tamẽ & Cedar ex Ismaele descendit. Secundo nanque loco ex Ismaele natus est, qui Ismael nõ fuit expers diuinæ benedictionis. Sed & pellibus Solomonis cõparatis me, quæ non alię sunt quàm pelles tabernaculi dei & tamen miror vos ô filiæ Hierusalem, mihi coloris velle exprobrare nigredinem. Quomodo non meministis quod in lege vestra scriptum est, quid passa sit Maria, quæ derogauit Moysi cum Æthiopissam nigram accepisset vxorem? Quomodo ignoratis illius imaginis adumbrationem in me nunc veritate compleri? Ego sum illa Æthiopissa, ego sum nigra quidem pro ignobilitate generis, formosa verò propter pœnitentiam & fidem. Suscepi enim in me filium dei, recepi verbum carnem factum. Accessi ad eum qui est imago dei primogenitus omnis creaturæ, & qui est splendor gloriæ, & & fulgor substantiæ eius, & facta sum formosa. Tu ergo quid improperas conuertenti se à peccato, quod vtique lex fieri vetat? Et quomodo tu gloriaris in lege, præuaricans legem? Verum quoniam in his locis sumus vbi ecclesia quæ ex gentibus venit, nigram se esse dicit & formosam, quamuis longum videatur esse & operosum, colligere ex scripturis diuinis, in quibus vel qualiter sacramenti huius forma præcesserit: tamen non mihi penitus omittendum videtur, sed quàm potuerit breuiter memorandum. Primo ergo in Numerorum libro de Æthiopia ita scriptũ: Et locuta est Maria ad Aaron, & derogauerunt Moysi propter mulierem Æthiopissam quam accepit vxorem, & dixerunt: Nunquid Moysi soli locutus est dominus? Nonne & nobis locutus est? Et iterum in tertio Regnorum libro scriptum est de Regina Saba, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Solomonis hoc modo: Regina Saba audiuit nomen Solomonis, & nomen domini, & venit tentare eum in parabolis, & venit in Hierusalem in virtute magna valde: & cameli portantes odoramenta, & aurum multum valde, & lapidem preciosum, & ingressa ad Solomonem, & locuta est ei omnia verba quæ erant in corde suo, & enunciauit ei Solomon omnia verba eius, & non fuit verbum quod omiserit rex, & non enunciauerit ei rex. Et vidit Regina Saba omnem prudentiam Solomonis, & domum quam ædificauit, & cibos Solomonis, & sedem puerorum eius, & ordinem ministrorum eius, & vestes eius, & vini fusores eius, & holocausta eius quæ offerebat in domo domini, & obstupuit, & dixit ad regem Solomonem: Verus est sermo quem ego audiui in terra mea de verbo tuo, & prudentia tua, & non credidi iis qui loquebantur mihi vsquequo venirem, & viderunt oculi mei, & ecce nec media pars est quæ nunciabantur mihi. Addidisti enim bona super omnem auditionem quam audiui in terra mea. Beatæ mulieres tuæ, beati pueri isti qui assistunt in con-

Cant 1 — *Gen. 16* — *Num. 12* — F — *3 Reg. 10*

G spectu tuo semper, & audiunt omnem prudentiam tuam. Sit dominus deus tuus benedictus, qui tibi dedit sedem Israel. Quoniam dilexit dominus Israel, & voluit eum permanere in æternum, posuit te Regem super eos, vt facias iudicium cum iustitia, & iudices eos. Et dedit Solomoni centum viginti talenta auri, & odoramenta multa valde, & lapidem preciosum. Nunquam talia venerant odoramenta, nec in tanta multitudine quæ dedit Regina Saba regi Solomoni. Hanc autem historiam paulo latius repetere voluimus, & inserere huic expositioni nostræ, scientes intantum conuenire hæc ad personam ecclesiæ quæ ex gentibus venit ad Christum, vt ipse dominus in euangeliis Reginæ huius faceret mentionem, dicens eam venisse à finibus terræ, vt audiret sapientiam Solomonis. Austri autem reginam dicit eam, pro eo quòd Æthiopia in Austri partibus iaceat, & à finibus terræ quasi in vltimo posita. Inuenimus autem huius ipsius reginæ etiam Iosephum in historia sua facere mentionem, addentem etiam hoc, quod postea quam regressa est, inquit, à Solomone, Cambyses rex miratus eius sapientiam, quam sine dubio ex Solomonis sapiētia susceperat, cognominauit inquit, nomen eius Meroen. Refert autem quod non solum Æthiopiæ, sed & Ægypti regnum tenuerit. Addemus autem adhuc & ea quæ in septuagesimoseptimo psalmo de hac eadem forma continentur. Ait ergo ibi: Disperge gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius deo. Est adhuc quarto in loco apud Sophoniam prophetam de hac eadem figura hoc modo scriptum. Propterea sustine me (dicit dominus) in die resurrectionis meæ, in martyrio, hoc est in testimonio, quoniam iudicium meum est ad congregationes gentium, vt suscipiam reges, & effundam super eos omnem iram indignationis meæ. In igne zeli mei consumetur omnis terra. Quoniam tunc conuertam in populis linguam in generationem eius, vt inuocent omnes nomen domini, & seruient ei sub iugo vno. De vltra flumina Æthiopiæ suscipiam eos qui dispersi sunt, & afferent sacrificium mihi. In die illa non confunderis Saba ab omnibus adinuentionibus tuis, in quibus impie egisti in me. Sed & in Hieremia scriptum est, quod principes quidam populi Israel miserint Hieremiam in lacum Melchiæ filij regis, qui erat in domo carceris, & deposuerunt eum cū funibus, & in lacu non erat aqua, sed cœnum, & erat in cœno. Audiens autem Abdimelech, Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quia miserunt Hieremiam in lacum, locutus est regi, & dixit: Domine rex male fecerunt viri isti omnia quæ fecerunt in Hieremiam prophetam, quia miserunt eum in lacum, & morietur ibi à facie famis, quoniam nō sunt iam panes in ciuitate. Et præcepit rex ipsi Abdimelech Æthiopi dicens: Tolle hinc triginta homines, & educ eum de lacu, vt non ibi moriatur. Et quid plura? Abdimelech Æthiops fuit qui Hieremiam eduxit de lacu. Et paulo pòst factus est sermo domini ad Hieremiam dicens: Vade, & dic Abdimelech Æthiopi, dicens: Sic dicit dominus deus Israel: Ecce ego adduco verba mea super ciuitatem istam in mala, & non in bona, & saluabo te in die illa, & non dabo te in manus hominum quos tu times. A facie eorum saluans saluabo te, & in gladio non cades, sed erit anima tua in salutem, quoniam confisus es in me, dicit dominus. Hæc interim ad præsens de scripturis sanctis occurrere potuerunt, quibus mihi videtur propositi de Canticis canticorum versiculi mysterium comprobari, in quo dicit: [Fusca sum, siue nigra, & formosa filiæ Hierusalem, sicut tabernaculum Cedar, & sicut pelles Solomonis.] Inuenitur ergo Moyses in Numeris accipere Æthiopissam vxorem fuscam, vel nigram, pro qua Maria & Aaron derogant ei, & indignantes dicunt: Nunquid Moysi soli dominus locutus est? nonne & nobis locutus est? In quo si diligenter consideres, nec consequentiam sermo inuenitur habere historicus. Quid enim conuenire ad rem videbitur, vt indignantes pro Æthiopissa dicant: Nūquid soli Moysi locutus est dominus? nonne & nobis locutus est? Oportebat enim, si hoc erat in causa, dici ab eis, non oportuit te ô Moyses, vxorem accipere Æthiopissam, & de semine Cham, sed de genere tuo, & de domo Leui. Horum nihil dicunt, sed aiunt: Nunquid Moysi soli locutus est deus? nonne & nobis locutus est? in quo & mihi videtur secundū mysterium magis intellexisse quod gestum est, & vidisse quod iam Moyses, id est, spiritalis lex, in nuptias & coniugium congregatæ ex gentibus migraret ecclesiæ: & Mariam quæ synagogæ derelictæ formam, & Aaron qui sacerdotij carnalis tenebat imaginem, videntes ablatum esse à semetipsis regnum, & datum esse genti facienti fructus eius dicere: Nunquid Moysi soli locutus est deus? Nonne & nobis locutus est? Denique & Moyses ipse cum tāta & tam magnifica eius opera fidei ac patientiæ referantur, nunquam tantis à deo elatus est laudibus, vt nunc cum Æthiopissam duxit vxorem. Nunc de eo dicitur, quia Moyses homo mansuetus valde super omnes homines qui sunt super terram. Nunc & illud de eo dicit dominus, quia si fuerit in vobis propheta, in visionibus loquar ei, aut in somniis, non ita vt famulo meo Moysi, qui in omni domo mea fidelis est. Os ad os loquar ad eum, in specie, & non in ænigmate, gloriam domini vidit. Et cur non timuistis detrahere famulo meo Moysi? Hæc omnia pro coniugio Æthiopissæ Moyses audire meruit à domino. Verum de his plenius in libro Numerorum prosecuti sumus: quæ si quis dignum iudicat noscere, illa perquirat. Nunc autem sufficiat approbare ex his quod ipsa est nigra, & formosa, & Æthiopissa, quam Moyses, id est, lex spiritalis, quæ sine dubio verbum dei & Christus est, in coniugium suum asciscit, licet obtrectent, & derogent filiæ Hierusalem, plebs scilicet ista cum sacerdotibus suis. Videamus autem & ea quæ ex tertio Regnorum libro protulimus de regina Saba, & ipsa nihilominus Æthiopissa, cui testimonium dat dominus in euangeliis, quòd in die iudicij veniat cum viris generationis incredulæ, & condemnet eos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Solomonis, & addit, quia plus Solomone hic, docens per hoc plus esse veritatem, quàm veritatis figuras. Venit ergo & hæc, imò secundum figuram eius ecclesia venit ex gentibus audire sapientiam Solomonis veri, & veri pacifici domini nostri Iesu Christi. Venit & hæc primo quidem tentans eum per ænigmata & quæstiones, quæ ei prius insolubiles videbantur: atque ab ipso de agnitione verbi dei, & de creaturis mundi, vel de immortalitate animæ, & iudicio futuro, quod apud eam & apud doctores eius gentiles duntaxat philosophos incertum semper aut dubium manebat, absoluitur. Venit ergo in Hierusalem, ad visionem scilicet pacis, cum multitudine & virtute multa, non enim cum vna sola gente, vt prius synagoga solos habuit Hebræos, sed cum totius mundi gentibus venit, deferens etiam munera digna Christo odoramentorum siquidem suauitates, opera scilicet bona, quæ ad deum per odorem suauitatis ascendunt. Sed & auro venit repleta, sensibus sine dubio & rationabilibus disciplinis, quas ante fidem adhuc ex communi & scholari eruditione collegerat. Detulit etiam lapidem preciosum, quem ornamenta morum possumus intelligere. Cum hoc ergo apparatu intrat ad pacificum regem Christum, & ipsi aperit cor suum, in confessione & pœnitentia scilicet præcedentium delictorum, & locuta est ei omnia quæ erant in corde suo, propter quod & Christus, qui est pax nostra, enunciauit ei omnia verba eius, & non est verbum quod omiserit rex, & non enunciauerit ei. Denique cum iam tempus passionis appropinquaret, sic loquitur ad eam, id est, ad electos discipulos suos: Iam non dicam vos seruos sed amicos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Ego autem nota feci vobis omnia quæcūque audiui à patre meo. Sic ergo impletur quod dixit, quia non fuerit verbum quod non enūciauerit pacificus dominus reginæ Sabæ, id est, ecclesiæ ex gentibus congregatæ. Quod si intueraris ecclesię statū, & dispensationes eius ordinationesque eius consideres, tunc aduertes quomodo regina mirata sit omnem prudentiam Solomonis. Simul & require, cur nō dixerit omnem sapientiam, sed omnem prudentiam Solomonis: quoniam quidem eruditi viri prudentiam de humanis negotiis, sapientiam de diuinis intelligi volunt. Idcirco fortassis & ecclesia nunc interim Christi prudentiam miratur, dum in terris est, & inter homines conuersatur. Cum autem venerit quod perfectum est, & de terris trāslata fuerit ad cœlum, tunc videbit omnem sapientiam

Marginalia: K; Mat. 12.; Ibid.; Psal. 68.; H; L; Soph. 1.; Regina Saba ecclesia ex gētibus.; Hier. 38.; M; I; Ioan. 15.; Num. 12.

A tiã eius, cum iã non per speciẽ, nõ per ænigmata, sed facie ad faciẽ de singulis quibusque perspiciet. Vidit autem & domũ quam ædificabit sine dubio incarnationis eius mysteria. Ipsa enim domus quã ædificauit sibi sapientia. Vidit & cibos Solomonis. Illos puto de quibus dicebat. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Vidit & sedem puerorum eius. Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in episcopatus vel presbyterij sedibus habetur. Vidit & ordinationes, siue stationes ministrorum eius. Diaconorum (vt mihi videtur) ordinem memorat astãtium diuino ministerio. Sed & vestes eius vidit. Illas credo quibus inquit eos, de quibus dicitur: Quicunque autem in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed & vini fusores eius, arbitror dici doctores, qui verbum dei & doctrinam quasi vinum populis miscent, quod auditorum corda lætificet. Vidit & holocausta eius orationum sine dubio supplicationúmque mysteria. Hæc ergo omnia vbi vidit in domo regis pacifici, imò Christi, nigra hæc & formosa obstupuit, & ait ad eum: Verus est sermo quem audiui in terra mea de verbo tuo, & de prudentia tua. Propter enim verbum tuum quod agnoui verum esse verbum, veni ad te. Omnia etenim verba quæ mihi dicebantur, & quæ audiebam cum essem in terra mea, à doctoribus scilicet seculi & philosophis, non erant vera. Istud est solum verum verbum quod est in te. Sed fortassis quærendum videbitur, B quomodo dicebat Regi Regina hæc quia non credidi his quæ dicebantur mihi de te, cum vtique non venisset ad Christum, nisi credidisset. Sed vide si possumus hoc modo soluere quod ponitur. Non iis, inquit, credidi qui loquebantur mihi. Non enim fidem meam in illos qui locuti sunt de te, sed in te direxi, id est non hominibus, sed tibi credidi deo. Et per illos quidem audiui, ad te autem veni, & tibi credidi. Apud quem multo plura viderunt oculi mei, quam annunciabantur mihi. Reuera enim cum peruenerit nigra hæc & formosa in Hierusalem cœlestem, & ingressa fuerit visionem pacis, multo plura & magnificentiora quam nunc ei sunt annunciata, perspiciet. Nunc enim tanquam in speculo & ænigmate, tunc autem videbit facie ad faciem, cum consequetur ea quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Et tunc videbit quia nec medietas eorũ est, quæ audiuit in hac sua terra posita. Beatæ ergo sunt mulieres Solomonis, animæ sine dubio quę verbi dei & pacis eius participes fiunt. Beati pueri eius qui assistũt in conspectu eius semper: Nõ illi qui aliquãdo assistũt, & aliquãdo nõ assistũt, sed qui semper, & sine intermissione assistũt verbo dei, vere beati sunt. Talis erat & illa Maria quæ sedebat secus pedes Iesu, & audiebat eũ, cui & testimonium reddidit ipse dominus, dicens ad Martham: Maria optimam partem elegit, quæ non offeretur ab ea. Adhuc nigra hæc & formosa dicit: C Benedictus qui voluit dare te super sedem Israel. Vere enim quia dilexit dominus Israel, & voluit vt staret in æternum, posuit te regem super eum. Quem? pacificũ sine dubio. Christus enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem sepis soluit. Et post hæc omnia, dedit, inquit, cxx. talenta auri regi Solomonis regina Saba. Numerus hic cxx. consecratus est vitæ hominum eorum qui fuerunt in diebus Noe, quibus istud conceditur spatium vitæ, quo inuitantur ad pœnitentiam. Ipse autem numerus annorum & Moysi vitæ fuit. Offert ergo Christo ecclesia in auri specie & pondere, non solum multitudinem sensuum suorum & intellectuum, sed legi dei consecratos indicat sensus suos per hunc qui Moysi annos vitæ continet numerum. Offert etiam suauitates odoramentorum, quales & quantæ nunquam venerant. Vel orationes in hoc, vel opera misericordiæ intellige. Nunquam enim vel tam recte orauerat, vt nunc cum accessit ad Christum, vel tam pie operata fuerat, vt cum cognouit iustitiam suam non facere coram hominibus, sed coram patre qui videt in abscondito, & reddet palam. Sed multum est alienis in locis simul vniuersa persequi hæc, quæ nec testimonij gratia videntur assumpta. Sufficiant ista de tertio libro Regnorum, videamus aliqua ex his quæ de lxvij. psalmo protulimus, vbi ait: Æthiopia præueniet manus eius deo. Si enim intuearis quomodo ex delicto Israel sit salus gentibus, & quod illorum lapsus introeundi D viam nationibus dedit, aduertes quomodo præuenit & præcedit Æthiopiæ manus, hoc est gentium populus, illos ad deum, quibus primis data sunt eloquia dei: & in hoc compleri, Æthiopia præueniet manus eius deo: & fit nigra ista formosa, etiam si nolunt, etiam si inuident & obtrectant filiæ Hierusalem. Sed & prophetæ testimonium quod posuimus, vbi suscepit dominus etiam eos qui veniũt de locis quę sunt vltra flumina Æthiopum, & afferunt hostias deo, simili sensu aduertendum puto. Videtur enim mihi, quòd vltra flumina Æthiopiæ esse dicitur ille, qui nimiis & superabundantibus peccatis infuscatus est, & atro malitiæ fuco infectus niger & tenebricosus est redditus: & tamen ne hos quidem repellit dominus, sed omnes qui sacrificia contribulati spiritus, & humiliati cordis offerunt deo, confessionis scilicet ac pœnitentiæ titulo ad eum conuersi, non repelluntur ab eo. Sic enim pacificus dicit dominus noster: Ego venientem ad me non repello. Potest autem & de illis dictum videri, quod vltra flumina Æthiopum positi venient etiam ipsi ad deum hostias deferẽtes, qui posteaquam intrauerit omnis plenitudo gentium, quæ fluminibus Æthiopum comparatur, venient etiam ipsi, & tunc omnis Israel saluabitur: & pro eo vltra flumina Æthiopum dicantur, quasi qui vlteriores & posteriores sint his spatiis, in quibus currit inundátque gentium salus. Et ita forte compleri videtur hoc quod dicit, quia in die illa non confunderis omnis Israel ex omnibus adinuentionibus tuis, quibus impie egisti in me. Superest vt E illud testimonium quod de Hieremia assumpsimus, explicetur, vbi Abdimelech nihilominus Æthiops vir eunuchus, cum audisset quia Hieremias in lacum missus est à principibus populi, educit eum inde. Et puto inconueniens non videri si dicamus, quem principes Israel condemnauerunt, & in lacum mortis miserunt, iste alienigena & obscuræ gentis homo & degeneris, id est populus gentium, educit eum de lacu mortis, resurrectionem scilicet eius à mortuis credens, & fide sua hunc quem illi in mortem tradiderant, iste de infernis reuocat ac reducit. Sed & eunuchus hic Æthiops esse dicitur, credo quod castrauerit semetipsum propter regnum dei, vel etiam quod semen malitiæ in semetipso non habeat. Seruus quoque est regis, quia seruus sapiens imperat stultis dominis. Interpretatur autem Abdimelech, seruus regum. Et ideo dominus relinquens populum Israel pro peccatis suis, ad Æthiopem verba dirigit, & ad ipsum mittit prophetam & ipsi dicit: Ecce ego adduco verba mea super ciuitatem istam in mala, & non in bona: & saluabo te in die illa, & non te dabo in manus hominum, sed saluans saluabo te. Salutis autem causa hæc est ei, quia eduxit prophetam de lacu, id est, quod fide sua qua Christum resurrexisse credat à mortuis, eduxisse eum ex lacu videtur. Habet ergo plurima testimonia fusca hæc, vel nigra, & formosa, in quibus libere agat, F & cum fiducia dicat ad filias Hierusalem, quia fusca sum quidem, vel nigra sicut tabernacula Cedar, formosa autem sicut pelles Solomonis. De pellibus Solomonis scriptum aliquid proprie non memini. Puto autem referri posse ad gloriam eius, de qua dicit Saluator: Quia nec Solomon in omni gloria sua opertus est sicut vnum horum. Nomen tamen ipsum pellium in tabernaculo testimonij inuenimus frequenter referri, sicut cum dicit: Et facies pelles ex caprarum pilis operimentum super tabernaculum testimonij vndecim pelles facies, longitudo pellis vnius triginta cubitorum, latitudo quatuor cubitorum. Eadem mensura erit vndecim pellibus, & coniũges quinque pelles simul, & alias sex simul, & replicabis sextam pellem à fronte tabernaculi: & facies quinquaginta ansulas per oram pellis vnius, & quinquaginta ansulas per oram pellis alterius, per quas coniungantur vna ad alteram: & facies circulos æreos quinquagenos, & coniunges ex ipsis pelles, & erit vnum totum: & replicabis quod superest ex pellibus, medietatem pellis vnius à fronte tabernaculi, & ex alia medietate quod superest, velabis posteriora tabernaculi cubitum hinc, & cubitum inde, ex eo quod abundat in longitudine pellium, & erit adopertum tabernaculum ex lateribus hinc & inde. Puto ergo quòd harũ pel-

Marginalia: Ioan. 4 — Ordo ecclesiasticus. — 3 Reg. 10 — Luc. 10 — 3 Reg. 10 — Gen. 6 — Odoramenta oratio, vel opera misericordiæ. — Soph. 3 — Hier. 38 — Prou. 17 — Cant. 1 — Matt. 6 — Exod. 36

G lium mentio fiat in Cantico canticorum, & istæ dicantur esse Solomonis, qui accipitur in pacificum Christum. Ipsius ergo est tabernaculum, & ea quæ ad tabernaculum pertinent: & præcipue si illud tabernaculum consideremus, quod dicitur tabernaculum verum, quod fixit deus & non homo, & quod ait, non enim in manu facta sancta intrauit Iesus exemplaria verorum. Si ergo pulchritudinem suam sponsa pellibus comparat Solomonis, illarum sine dubio pellium gloriam & pulchritudinem dicit, quæ operiunt illud tabernaculum quod fixit deus & non homo. Si verò nigredinem suam quæ exprobrari à filiabus Hierusalem videbatur, pellibus contulit Solomonis, huius tabernaculi quod exemplar veri tabernaculi vocatur, accipiendæ sunt pelles: quasi quod & ipsæ nigræ sint quidem, vtpote caprarum pilis textæ, & tamen vsum ornatúmque exhibeat diuino tabernaculo. Quod autem videtur esse persona vna quæ loquitur, & pluribus se vel tabernaculis Cedar in nigredine, vel Solomonis pellibus comparauit, ita accipiendum est: quia vna quidem persona videtur ecclesiæ, innumeræ tamen sunt quæ per orbem terræ diffusæ sunt, atque immensæ congregationis ac multitudinis populorum. Sicut & regnum cœlorum vnum quidem dicitur, sed multæ tamen in eo mansiones memorantur esse apud patrem. *Ioan. 14.* Potest autem & de vnaquaque anima quæ post peccata plurima conuertitur ad pœnitentiam dici, quòd nigra sit quidem pro peccatis, formosa propter pœnitentiam & fructus pœnitentiæ. H Denique & de hac ipsa quæ nūc dicit: Nigra sum & formosa, quia non in finem in nigredine ista permansit, post hæc dicunt de ea ipsa filiæ Hierusalem: Quæ est ista quæ ascendit dealbata incumbens super fraternum suum? *Cant. 1.* Ne videatis me, quoniam infuscata sum ego, quia despexit me sol. Infuscata siue denigrata. si competēter nobis videtur aptata expositio quam in superioribus vel de Æthiopissa quæ à Moyse suscepta est in coniugium, vel de regina Saba Æthiopum quæ sapientiam Solomonis venit audire, texuimus: merito nunc hæc quæ fusca vel nigra est & formosa, satisfacere videtur pro nigredine vel fuscatione sua, causásque reddere exprobrantibus, quasi quæ non natura talis, nec ita à conditore creata sit, sed ex accidentibus hoc passa sit. Ex eo (inquit) quia sol despexit me. In quo ostendit non de nigredine corporis fieri sermonem, quòd vtique sol obscurare & denigrare solet, cum respicit magis quàm cum despicit. Ita denique & apud illam omnem gentem Æthiopum ferunt, cui naturalis quædam inest ex seminis carnalis successione nigredo, quòd in illis locis sol radiis acrioribus ferueat, & adusta iam semel atque infuscata corpora genuini vitij successione permaneant. Contrarij verò ordinis est animæ nigredo. Nam neque aspectu, sed despectu solis inuritur, neque nascendo, sed negligendo conquiritur: & ideo sicut ignauia assumitur, ita & industria repellitur & I repulsatur. Denique, vt superius dixi, hæc ipsa quæ nunc nigra dicitur esse, in fine Cantici huius dealbata memoratur ascendere incumbens super fraternum suum. Effecta est ergo nigra, quia descendit: si autem cœperit ascendere & incumbere super fraternum suum, & adhærere ei, nec omnino separari ab eo, erit dealbata & candida: abiectáque omni nigredine, veri luminis luce circumfusa radiabit. Dicit ergo nunc ad filias Hierusalem pro nigredine sua satisfaciens: Nō putetis ô filiæ Hierusalem, quòd naturalis est ista nigredo quam videtis in vultu meo: sed scitote quoniam despectu solis est facta. Sol enim iustitiæ quia me non inuenit recte stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis suæ radios. Ego enim sum populus gentium, qui prius non aspexi ad solem iustitiæ nec steti ante dominum: & ideo nec ille me aspexit, sed despexit, neque astitit mihi, sed præteriit. Hoc autem ita esse etiam tu qui Israel diceris, re ipsa expertus iam iamque cognosces & dices: Sicut enim me aliquando non credente tu assumptus es, & misericordiam consecutus, & te respexit sol iustitiæ, me autem vtpote inobedientem & incredulum despexit, & spreuit: ita & nunc quia tu incredulus & inobediens factus es, ego spero respici à sole iustitiæ & misericordiam consequi. Quod autem mutua nobis sit solis ista despectio, & ego primo pro inobedientia mea despectus sum, tu verò respectus: nunc autem etiam tibi non solum despectus solis, sed & cæcitas quædam licet ex parte contigerit, testem K tibi producam magnificum, & cælestis secreti cōscium Paulum, qui ita dicit: Sicut enim vos (de gentibus sine dubio loquens) aliquando non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter istorum incredulitatem: *Roman.* ita & isti non crediderunt in vestra misericordia, vt ipsi misericordiam consequantur. Et item in aliis dicit: Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Hinc ergo est in me quā exprobras ista nigredo, quia despexit me sol propter incredulitatem & inobedientiam meam. Cum verò recte stetero ante eum, & non fuero obliquus in aliquo, neque declinauero ad dexteram, neque ad sinistram, sed fecero rectas semitas pedibus meis contra solem iustitiæ incedens in omnibus iustificationibus eius sine querela: tunc & ipse rectus me respiciet, & nulla erit obliquitas, nec erit causa vlla despectus, & tunc reddetur mihi lux mea & splendor meus: intantúmque propelletur à me quam nunc exprobratis ista nigredo, vt etiam lux mundi merear appellari. Sic ergo sol iste quidem visibilis ea corpora quibus à summo libramine insederit, infuscat & vrit: ea verò quæ procul sunt & ab ista collibratione longius posita, *Sol visibilis.* conseruat in candore suo, nec omnino vrit ea, sed illuminat. Sol verò spiritalis, qui est sol iustitiæ, in cuius pennis sanitas esse dicitur: econtrario eos quidem quos recti cordis inuenerit, & ad libram sui splendoris consistentes, illuminat, & *Sol spiritalis.* L omni fulgore circundat: eos autem qui obliquè incedunt cum eo, necessario etiam ipse oblique non tam respicit quàm despicit, hoc eis præstante inconstantia sua & instabilitate. Quomodo enim qui peruersi sunt, possunt suscipere quod rectum est? Velut si curuo ligno adhibeas rectissimam regulam, videbitur quidem per regulam argui materiæ prauitas, non tamen regula est quæ ligno causam peruersitatis imposuit. Et ideo festinandum est ad vias rectas, & standum in semitis virtutum, ne forte sol iustitiæ rectus incedens, si nos obliquos stare inueniat & peruersos, despiciat nos & efficiamur denigrati. Inquantum enim incapaces fuerimus lucis eius, intantum tenebris & nigredini dabimus locū. Hic enim est ipse sol qui & lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & qui in hoc mundo erat, & mūdus per ipsum factus est. Non enim per istud visibile lumen mundus factus est, cum & ipsum portio sit mundi, sed per istud verum lumē, à quo lumine si nos peruersi incesserimus, despici dicimur. Et ipsum enim nobis peruerse incedentibus, peruersum quoque incedit, sicut scriptum est in maledictionibus Leuitici: Et si incesseritis (inquit) mecum peruersi, & nolueritis obedire mihi, adiiciam vobis plagas septem. *Leuit. 26.* Et post pauca: Et si (inquit) non fueritis emendati, sed incesseritis mecum peruersi, incedam M & ego vobiscum peruersus. Siue vt in aliis exemplaribus legimus: Si incesseritis mecum obliqui, incedam & vobiscum obliquus. Et post aliquanta iterum dicit ad vltimum: Et quoniam ambulauerunt in conspectu meo obliqui, & ego ambulabo cum eis in furore obliquus. Hæc assumpsimus, ex quibus probaremus qualiter despicere, hoc est oblique aspicere sol dicatur: Et euidenter claruit quòd hos despiciat, & cum his oblique incedat ac peruerse, qui oblique incedunt cum eo. Sed & hoc quod admonuit præsens locus, indiscussum non omittamus, quia sol duplicis videtur esse virtutis, vnius qua illuminat, alterius qua adurit. Sed pro rebus aut materiis subiacentibus, aut illuminat aliquid luce, aut infuscat & obdurat aliquid ardore. Secundum hæc ergo fortassis & indurasse dicitur deus cor *Exod. 9.* Pharaonis, quod talis fuerat materia cordis ipsius, quæ præsentiam solis iustitiæ non ea parte qua illuminat, sed ea qua adurit & indurat, exceperit: propter hoc sine dubio quod & ipse affligebat Hebræorum vitam in operibus duris. & quod luto & latere conficiebat eos. Et erat *Exod. 4.* vtique cor eius secundum ea quæ cogitabat luteum & limosum. Et sicut materiam luti sol iste visibilis stringit & indurat, ita sol iustitiæ his iisdem radiis quibus illuminat populum Israel, Pharaonis cor cui inerant luteæ cogitationes, pro ipsis motuum suorum qualitatibus indurabat. Hæc autē quod ita se habeat, & non communem (vt hominibus videtur) historiam

A riam famulus dei per spiritum sanctum scribat, ostenditur etiam inde, quod vbi refert ingemuisse filios Israel, non dicit à luto, neque à latere, neque à paleis ingemuisse eos, sed ab operibus suis inquit. Et rursum: Et ascendit, inquit, clamor eorum ad deum. Non dixit à luto & latere, sed iterum ab operibus suis. propter quod & subiungit: Quia exaudiuit dominus gemitus ipsorum. cum vtique nō exaudiuit eorum gemitum, qui non ex operibus suis clamant ad dominum. Hæc quamuis per excessum dicta videantur, tamen locorum opportunitate commoniti nequaquam iudicauimus omittēda, maxime cum habeant aliquid similitudinis ad hoc quod dicit hæc quæ infuscata est, quia despexerit eam sol. quod vtique ostenditur ibi accidere, vbi peccatorū causa præcedit: & ibi infuscari vel aduri aliquem sole, vbi peccati materia subsistit. Vbi verò non est peccatum, sol neque adurere dicitur, neque infuscare, sicut de iusto refertur in psalmis: Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. Vides ergo quia sanctos in quibus peccatorum nulla causa est, sol nunquam adurit. Vt enim diximus, duplicis virtutis est sol: iustos quidem illuminat, peccatores verò non illuminat, sed adurit, quoniā & ipsi oderunt lucē, quia male agunt. Denique ob hoc deus noster ignis dicitur esse consumens, & nihilominus lux in quo tenebræ non sunt. lux sine dubio iustis, & ignis efficitur peccatoribus, vt consumat in eis omne quod in anima eorum corruptibilitatis aut fragilitatis inuenerit. Quod autem in multis scripturæ locis, & sol & ignis non iste visibilis, sed ille inuisibilis & spiritalis dicatur, ipse etiam si recēseas, abundanter inuenies. [Filij matris meæ dimicauerunt in me. posuerūt me custodem in vineis, vineam meam nō custodiui.] Adhuc ipsa quæ fusca quidem pro delictis prioribus, formosa verò est pro fide & conuersatione, etiā hæc dicit, asseuerans quod filij matris suæ dimicauerunt non contra eam, sed in ea: & post hoc bellum quod in ea gesserunt, constituerunt eam vinearum custodem, non vnius vineæ, sed multarum. Astruit autem hæc eadem, quod præter illas vineas quas à filiis matris suæ custodire posita est, habuerit aliam propriam vineam quam nō custodierit. Hæc est propositi dramatis fabula. Sed nunc inquiramus quę sit mater sponsæ huius quam hæc allegat, qui sint etiam filij eius qui dimicauerunt in ea, & cōfecto bello tradiderunt ei vineas quas custodiret, quasi quæ non potuisset seruare eas, nisi ab illis dimicatū fuisset. Illam verò suscepta aliarum vinearum custodia propriam vineā noluisse vel non potuisse seruare. Ad Galatas Paulus scribens, ait Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non audistis? Scriptū est enim, quoniam Abraham duos habuit filios, vnum ex ancilla, & vnum de libera. Sed is quidem qui de ancilla secundum carnem natus est: qui verò de libera, secundum repromissionē. quæ sunt allegorica. Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confertur huic quę nunc est, Hierusalem, & seruit cum filiis suis. Quę autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Hanc ergo Hierusalem cœlestem dicit esse Paulus, C & suam & omnium nostrum credentium matrem. Denique addit in posterioribus & dicit: Propter quod fratres non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate liberauit nos Christus. Euidenter ergo Paulus pronunciat, quod omnis qui per fidem à Christo consequitur libertatem filius sit liberæ: & hanc dicit esse sursum Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater omnium nostrum. Huius ergo matris & ipsa hæc spōsa filia esse intelligitur, in his qui dimicauerunt in ea, & constituerunt eam custodem vinearum. Vnde videntur isti qui tantā potestatem habuerint, vt & bellum gererent in ea, & ordinarent eam vinearum custodem, non cuiuscunque humilis, aut contemnendi loci fuisse. Possumus ergo & apostolos Christi accipere filios matris sponsæ, hoc est Hierusalem filios cœlestis, qui pugnauerunt prius in ista quæ ex gentibus congregatur. Pugnauerunt autem vt vincerent in ea illos quos prius habuit infidelitatis & inobedientiæ sensus, & omnem elationem extollentem se aduersus scientiam Christi, sicut Paulus dicit: Cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi. Pugnauerunt ergo non aduersus eam, sed in ea, hoc est in sensibus & corde eius, vt destruerent & depellerent omnem infidelitatem, omne vitium, omnésque doctrinas quæ ei inter gentes positæ falsis sophistarum assertionibus inoleuerant. Fuit ergo apostolis Christi grande bellum, donec ex ea mendacii turres & muros peruersæ doctrinæ subruerent, donec iniquitatis argumenta prosternerent, & operantes hæc atque succendentes in corde eius dæmones debellarent. Vbi ergo effugauerunt ab ea omnes sensus infidelitatis antiquæ, non eam relinquunt ociosam, ne forte per ocium rursus antiqua surrepant, & redeant quæ repulsa sunt: sed dant ei opus quod agat, & consignant ei custodiam vinearum. Vineas accipiamus singula quæcunque volumina legis ac prophetarū. Erat enim vnusquisque eorum sicut ager plenus quem bene dixit dominus. Hæc ergo isti viri fortes post victoriam belli seruanda ei & custodienda consignant. non enim relinquunt eam (vt diximus) ociosam. Sed & euangelistarum scripta, atque ipsorum apostolorum literas possumus similiter vineas accipere, quas huic quæ ex gentibus congregatur, pro qua etiam dimicauerunt, custodiendas colendásque tradiderūt. Quod verò ait, quia suam propriam vineam non custodierit, illam possumus eruditionem dicere, qua vnusquisque exercebatur ante fidem: quam sine dubio credens Christo, relinquit ac deserit, & ea quæ sibi lucra videbantur, ducit propter Christum detrimenta. Sicut & Paulus gloriatur legis obseruantias, & omnem Iudaicæ institutionis gloriā fuisse sibi vt stercora, tantum vt in Christo inueniretur non habens suam iustitiam quæ ex lege est, sed iustitiam quæ ex deo est. Sicut ergo Paulus accepta Christi fide, non custodiuit E vineam suam, Iudaicæ scilicet traditionis obsequia: & idcirco fortasse non custodiuit, quia cum plantata esset à deo vitis vera, conuersa est in amaritudinem vitis alienæ, & erat iam vitis Sodomorum vinea eorum, & palmes eorum ex Gomorra, & botrus amaritudinis in eis, & furor draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis. Ita & apud gentes erāt plurimæ huiusmodi doctrinæ, quas post illa bella quibus pro fide & agnitione Christi à doctoribus dimicatum est, superatas dicit: puto quod omnino criminis loco ducatur, si custodierit aliquis huiusmodi vineas, & agrum colat vltra venenatis & noxiis consitum disciplinis. Nec mireris si his culpis aliquando fuisse videatur obnoxia hæc quæ ex nationum dispersione colligitur, & iam Christo sponsa præparatur. Recordare quomodo prima mulier seducta est, & in præuaricatione facta: quæ non aliter salua fieri dicitur, nisi per filiorum generationem, illorum duntaxat qui permanent in fide & charitate cum sanctitate. Hoc ergo quod de Adam & Eua scribitur, sic asseuerat Apostolus. Mysterium magnum est in Christo & in ecclesia: qui eā ita dilexit, vt semetipsum traderet pro ea, cum esset adhuc impia hæc ipsa, sicut ipse dixit: Cum enim adhuc secundum tempus impij essemus, Christus pro nobis mortuus est. Et iterum: Quia cum adhuc essemus infideles, Christus pro nobis mortuus est. Non ergo mirum est, si hæc quæ seducta, & in præuaricatione facta, quæ impia secundum tempus fuit & pec- F catrix, talem dicatur vineam coluisse eo tempore, cum adhuc impia erat, quam relinquere debuerit, & nequaquam omnino seruare. Quod si etiam tertium explanationis locum placet exequi, referamus hæc ad vnamquanquam animam, quæ conuersa ad deum, & ad fidem veniens, patitur sine dubio cogitationum pugnas, & obluctationes dæmonum reuocare eam nitentium ad prioris vitæ illecebras, vel infidelitatis errorem. Sed ne hoc fiat, néue rursum dæmonibus in eam tantum liceat, prospexit diuina prouidentia vt paruulis quibúsque, & his qui pro semetipsis aduersus astutias diaboli & dæmonum pugnas dimicare non possunt vtpote infantes adhuc & lactentes in Christo, dare angelos propugnatores & defensores: qui velut tutores & procuratores constituti sunt à deo eorum, qui in infirma ætate positi pro semetipsis (vt diximus) pugnare non possunt. Et vt hoc cum maiori fiducia agant, conceditur eis semper videre faciem patris qui in cœlis est: & istos puto esse paruulos quos venire ad se Christus iussit, & non siuit prohiberi, & quos semper dixit videre faciem patris. Nec tibi contrarium videa-

Margin notes: Exod. 2 · Psal. 121 · Deut. 4 · Heb. 12 · Cant. 1 · Gal. 4 · Apostoli filij Ecclesiæ · 2. Cor. 10. · Vineæ libri legis & prophetarum. · Gen. 26 · Phil. 3 · 1 Tim. 3 · Eph. 5 · Rom. 5 · Tertia explanatio. · Matt. 18

G tur, si eos hæc anima quæ ad deum tendit, matris suæ filios appellat. Si enim animarum mater Hierusalem cœlestis est, & angeli nihilominus cœlestes nominantur, nihil dissonans videbitur, si hi qui similiter vt ipsa cœlestes sunt, ab ea filij matris appellantur. Super omnia autem congruum videbitur & conueniens, vt quibus vnus est pater deus, vna sit & Hierusalem mater. Quod verò ait: [Vineam meam nō custodiui,] instituta illa ac mores & propositum in quo exercebatur secundum veterem hominem viuens, indicare videtur laudabiliter à se non esse seruata. Ex quo autem adiutorio angelorum dimicauit, & vicit eam, penitus à se effugauit veterem hominem cum actibus suis, constitutáque est ab eis vinearum custos, sensuum scilicet & dogmatum diuinorum, ex quibus possit vinum bibere, quod lætificet cor eius. [Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie, ne forte efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.] Adhuc sponsa loquitur etiam hæc, sed ad sponsum, & non iam ad filias Hierusalem. Igitur ab initio vbi ait: [Osculetur me,] vsque ad hunc locum: [Super greges sodalium,] cuncta quæ dicta sunt, verba sunt sponsæ. Sed primo sermo eius ad deum factus est, secundo ad sponsum, tertio ad adolescentulas: inter quas & sponsum media quædam, & vt se dramatis huius species habet, quasi mesochorus effecta, nunc ad ipsum, nunc etiam ad

Cant.1. *Historicus intellectus.*

H filias Hierusalem respondens, dirigit verba. Hos ergo nunc vltimos sermones suos ad sponsum facit, requirens ab eo vbi pascat in meridie, & vbi collocet gregem, verens ne dum requirit eum, incurrat in ea loca vbi sodales sponsi locatos per meridiem greges seruant. Ostenditur autem per hæc quia sponsus hic etiam pastor sit. In superioribus autem didiceramus eum esse & regem, pro eo sine dubio quod homines regat: pastorem verò pro eo quod oues pascat: sponsum autem pro eo quod habeat sponsam, quæ cum eo regnet, secundum quod scriptum est, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Hæc interim continet dramatis ipsius qui est quasi historicus ordo. Nunc autem requiramus intelligentiam mysticam: & si oportet præuenire paululum ea quæ in posterioribus præferenda sunt, quo quis effectus sit horum sodalium pateat, memoremus illud quod scriptum est: quia reginæ sunt sexaginta, sed ex his omnibus vna sit columba, & vna perfecta, ac particeps regni. Cæteræ verò iam inferiores sunt, quia octoginta appellantur concubinæ. Adolescentulæ verò quarum numerus nullus est, post ordinem concubinarum ponuntur. Istæ autem omnes animarum earum differentiæ sunt, quæ in Christo credentes, diuersis ei affectibus sociantur: vt verbi gratia dicamus omnem ecclesiam per illam figuram corpus esse Christi, qua Apostolus dicit: in quo corpore diuersa esse

Psal.45. *Intelligētia mystica.* *1.Cor.12.*

I membra pronunciat, & alios esse oculos, & alios manus, alios etiam pedes, & singulos pro operum studiorúmque suorum meritis in membra corporis huius aptari. Secundum hanc ergo speciem & hæc intelligenda sunt: & alias quidem animas putandum est in hoc sponsali dramate quæ magnificentiori affectu sponso atque illustriori sociantur, apud eū reginarum loco & affectu haberi alias quarum inferior sine dubio in profectibus & virtutibus honor est, concubinarum loco duci: & alias adolescentularum quæ videntur extra aulam quidem positæ, non tamen extra vrbem regiam. Posteriores verò & post omnes quæ suprà memoratæ sunt, esse eas quæ oues appellantur. Si verò perspiciamus attentius, adhuc fortassis etiam harum omnium inueniemus inferiores alias, & vltimas omnium: illas scilicet quæ in sodalium eius gregibus numerantur. Et ipsi enim habere greges quosdam dicuntur, in quos non vult sponsa incurrere, & ob hoc petit à sponso vt annunciet sibi vbi pascat, vbi meridiem faciat. [Ne (inquit) efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.] Quæritur ergo sodales isti qui habere quosdam greges dicuntur, vtrum sponso operam dantes, & sub ipso velut pastorum principe agentes hoc faciant, quandoquidem sodales eius nominantur: an proprium aliquid, & sequestratum habentes, & quod non sit cum animo sponsi: quandoquidem refugit sponsa, & veretur ne forte incurrat sodalium greges dum sponsum suum requirit. Sed

Cant.1.

& quod dixit: [Ne forte efficiar non adoperta,] sed sicut adoperta, require ne forte innuat per hoc esse aliquas sodalium quasi sponsas habentes etiam ipsas habitum sponsalem, & esse adopertas, & sicut Apostolus dicit: velamen & potestatem habentes super caput. Et vt manifestior sermonis huius explanatio fiat, iterum quasi dramatis ordine quod dicitur exequamur. Exposcit ab ipso sponso suo sponsa, vt ei locum secreti sui indicet & quietis: quandoquidem amoris impatiens etiam per meridiem cupit audire spōsum, eo præcipue tempore, quo clarior lux, & splendor diei perfectus & purus est, vt assistat ei oues pascenti vel refrigerenti: & studiose vult viam discere, qua ire ad eum debeat, ne forte si non fuerit edocta itineris huius anfractus, incurrat greges sodalium, & videatur similis esse alicui illarum quæ adopertæ veniunt ad sodales eius, nec pudoris curam gerunt, aut verētur passim discutere, & multis apparere. Ego autem quæ à nullo, inquit, alio videri volo nisi à te solo, scire desidero quo ad te itinere veniam, vt secretum sit, vt nemo sit medius, vt nullus arbiter peregrinus & alienus occurrat. Et forte ob hoc requirit ista loca in quibus pascit sponsus oues suas, & ostendit ei verecundiam suam, pro qua non vult incurrere greges sodalium: vt ille segreget oues suas à sodalibus, & seorsum pascat: vt non solum sponsa non videatur ab aliis, sed & arcanis & ineffabilibus mysteriis sponsi secretius perfruatur. Nunc ergo videamus per singula: & primo quidem

K *1.Cor.11.* *Dramatis ordo.*

L vide si possumus dicere, quod dominus cuius portio fuit Iacob, & funiculus hæreditatis eius Israel, intelligendus sit sponsus. Sodales verò eius angeli illi ad quorum numerum cum diuideret excelsus gentes, & dispergeret filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum (vt ait) angelorum dei: & isti sint fortassis greges sodalium sponsi, gentes scilicet cunctæ, quæ velut pecora sub angelis pastoribus cōstitutæ sunt: Grex verò sponsi ille dicatur, de quibus ipsa in euangelio veritas dixit: Oues meæ vocem meam audiunt. Vide enim & obseruanter intende, quoniam dixit oues meæ, quasi sint & aliæ oues quæ non sint eius, sicut & ipse in aliis dixit: Vos enim estis de ouibus meis. Quæ singula huic occulto mysterio conuenienter videbuntur aptari. Quæ si ita se habent, competenter sponsa vniuscuiusque sodalium gregem sponsam eius intelligi voluit, quam adopertam nominauit. Sed quoniam certa erat quod super omnes illas ipsa esset, non vult similis videri alicui illarum, vtpote quæ sciret tantum se debere præcellere illas sodalium sponsas quas sponsa nominat velut adopertas, quantum eminentiæ sponsus suus habebat ad sodales. Sed & pro hoc adhuc videbitur percontandi causas habuisse, quandoquidem boni pastoris scit esse studiū, vt optima ouibus pascua requirat, & vt viridātia atque opaca quæque ad requiem nemora meridiani æstus

Mysticus intelligentia. *Deut.32.* *Ioan.10.*

M inueniat. Quod quidē sodales sponsi facere nesciunt, nec in eligendis pascuis, aut scientiæ tantum, aut solitudinis gerunt: & ob hoc dicit: [Annuncia mihi vbi pascis, vbi cubile habes in meridie:] cupiens tempus scilicet illud quo copiosius mūdo lumen infunditur, quo magis merus est dies & purior & florulentior est lux. [Tunc (inquit) annuncia mihi ô tu quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubile habes in meridie, ne forte efficiar vt adoperta super greges sodalium tuorum.] Nouo nunc nomine sponsa appellauit sponsum. Sciens enim ipsum esse filium charitatis, imò ipsum esse charitatem quæ ex deo est, quasi vocabulum ei istud posuit: [Quem dilexit anima mea.] Et tamen non dixit, quem dilexi, sed quem dilexit anima mea: sciens non qualicunque dilectione, sed ex tota anima, & ex totis viribus, & ex toto corde habendā esse dilectionem sponsi. [Vbi pascis (inquit) & vbi cubile habes.] Puto autem quod & propheta de hoc loco quem nūc sponsa discere ab ipso sponso desiderat, & audire, etiam ipse sub eodem positus pastore dicat: Dominus regit me, siue vt in aliis legimus: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Et quoniā sciebat alios pastores vel ignauia, vel imperitia faciente greges in locis aridioribus collocare, de hoc optimo pastore dominus dixit: In loco viridi ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me. ostendens pastorem hunc non solum abundantes aquas ouibus suis, sed & salubres & puras, & quæ per omnia reficiant prouidere. Sed quoniam ab hoc statu

Col.1. *Psal.23.*

A statu quo vt ouis sub pastore deguerat, conuersus ad rationabilia in excelsiora profecit, idque adeptus est per conuersionem, subiungit & dicit: Animam meam conuertit. Eduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suũ. Hinc verò quandoquidē in hoc profecerat vt iustitiæ incederet vias, iustitia autem habet sine dubio impugnantem se iniustitiam, & necesse est eum qui iustitiæ iter incedit habere pugnas aduersantium, fide conuersus & spe dicit de eis. Nam & si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es. Post hæc verò quasi gratiam referens ei qui se pastoralibus imbuerat disciplinis: Virga inquit tua & baculus tuus quibus institutus videor ad pastoris officium, ipsa me cōsolata sunt. Hinc verò vbi vidit sese à pastoralibus pascuis ad rationabiles cibos & mystica secreta translatum, addit & subdit: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm pręclarus est. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, vt inhabitem in domo domini in longitudinem dierum. Illa ergo prima, id est pastoralis institutio, initio eorũ fuit, vt in loco viridi collocatus, super aquã refectionis educaretur. Hæc verò quæ sequũtur de profectibus ad perfectionē requiruntur. Et quoniam de pascuis & viriditate proposuimus, cōueniens etiam videtur de euangeliis confirmare quæ diximus. Inueni etiã ibi pastorem hũc bonum de pascuis ouiũ differentē, vbi ad hoc quod pastorē B se profitetur, etiam ostiũ se esse cōmemorat, & dicit: Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Hunc etiã nunc sponsa percōtatur, vt ab eo audiat, & discat in quibus pascuis oues agat, vel in quibus amœnitatibus meridianos procuret æstus: meridiē appellans illa scilicet cordis secreta, quibus clariorem scientiæ lucem à verbo dei anima consequitur. Hoc enim tempus est quo sol excelsiorem circuitus sui verticem tenet. Si quando ergo sol iustitiæ Christus ecclesiæ suæ excelsa & ardua virtutum suarum secreta manifestat, amœna enim pascua cubiliáque meridiana videbitur edocere. Nam quum adhuc initia habet discendi, & prima (vt ita dicam) ab eo scientiæ suscipit rudimenta, tunc dicit propheta: Et adiuuabit eam mane diluculo. Nunc ergo quia perfectiora iam quęrit, & excelsiora desiderat, meridianum scientiæ lumen exposcit. Hinc puto & Abrahæ post multas eruditiones quibus apparens ei deus imbuit eum de singulis & docuit, post refertur quia visus sit ei deus ad quercum Mambre sedenti ad ostium tabernaculi sui meridie. Et respiciens (inquit) oculis suis, vidit, & ecce tres viri stabant super eum. Quod si credimus hæc per spiritum sanctum scripta, non puto frustra placuisse diuino spiritui, vt etiam tempus & hora visionis scripturæ paginis mandaretur, nisi & horæ istius, & temporis ratio aliquid cōferret ad scientiam filiis Abrahę, quibus vtique sicut opera Abrahę facienda, ita & visitationes istæ sperandę sunt. Qui C enim potest dicere: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: & quum hęc omnia transierit, supergressus videbitur tempus hoc quod nox pręcessit, & dies appropinquauit, & festinare non ad initium diei, sed ad meridiem, vt & ipse ad gratiam perueniat Abrahę. Si enim lux quę in ipso est mentis, & puritas cordis clara fuerit & splendida, iste meridianum tempus in semetipso habere videbitur: & per hanc puritatem cordis, quasi in meridie positus deum videbit, sedens ad quercum Mambre, quod ad visionem interpretatur. Apud visionem ergo sedet in meridie, qui vacat ad videndum deum. Inde denique non dicitur intra tabernaculum, sed foris ad ostium sedere tabernaculi. Foris etenim est extra corpus posita mens eius qui lōge est à corporalibus cogitationibus, longe à carnalibus desideriis, & ideo ab his omnibus foris positum visitat deus. Eiusdem quoque mysterij est, quod & Ioseph fratres suos cum suscepisset in Ægypto, in meridie eos pascit, & in meridie adorant eum cum muneribus. Propterea denique puto & de his quę Iudei in saluatorem commiserunt, nullum euangelistarum voluisse scribere, quia meridie hæc gesta sunt, cum vtique sexta hora non aliud quã meridianũ tempus ostendat, nullus tamen meridiē nominauit. Sed Matthęus ita dixit: Ab D hora autē sexta tenebrę factæ sunt super omnē terrã vsque in horã nonã. Lucas verò: Erat iam quasi hora sexta, & tenebræ factę sunt super omnem terram vsque in horam nonam deficiente sole. Sed & Marcus: Cùm autem esset facta hora sexta tenebræ factæ sunt super omnē terram vsque in horã nonã. Vnde apparet, quia in visitatione quidem Abrahæ, & in conuiuio patriarcharum apud Ioseph nō indigebat vt tēpus istud sub nomine sexti numeri significaretur, sed vt meridies diceretur. Volebat enim sponsa, quæ iam tunc in illis adumbrabatur, discere vbi pasceret sponsus, & vbi haberet cubile, & ideo meridiem nominat. Euangelistæ verò in his quæ narrabant, non meridianum tempus, sed horæ sextæ numerum requirebant, ad enarrandum scilicet sacrificiũ hostiæ eius, quæ oblata est in die paschæ pro redemptione hominis, qui in die sexta formatus est à deo, posteaquam terram produxit animã viuentem secundum genus, quadrupedia & repentia, & bestias terræ. Ob hoc igitur in præsenti loco illuminari sponsa desiderat pleno scientiæ lumine, ne per imperitiam errans, in aliquo similis efficiatur illis doctorum scholis, quæ non per ipsam dei sapientiam, sed per philosophorum & principum huius mundi exercentur. Hoc enim & apostolus dicere videtur in eo vbi ait: Quia loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius mundi cognouit. Et iterum hæc eadem significat, cum dicit: Non enim spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, E vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Ob hoc ergo requirit sponsa Christi meridiana cubilia, & plenitudinem scientię poscit à deo, ne videatur esse sicut vna ex philosophorũ scholis, quę adoperta nominatur, pro eo quod plenitudo veritatis apud eos tecta est & adoperta. Sponsa autem Christi dicit: Nos autem reuelata facie gloriam dei speculamur. Nisi cognoueris te ô bona, siue pulchra inter mulieres, egredere tu in vestigiis gregum, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum. Vnius Chilonis scilicet ex septem quos apud Græcos singulares fuisse in sapientia fama concelebrat, hæc inter cętera mirabilis fertur esse sententia, qua ait: Scito teipsum, vel cognosce teipsum. Quod tamen Solomon, quem præcessisse omnes hos tempore & sapientia ac rerum scientia in præfatione nostra docuimus, ad animam quasi mulierem sub cōminatione quadam loquens dicit: Nisi cognoueris temetipsam ô pulchra inter mulieres, & agnoueris pulchritudinis tuę causas inde descendere, quod ad imaginem dei facta es, per quod inest tibi plurimum naturalis decoris, & cognoueris quam pulchra eras ex initio: quamuis & nunc iam præcellas cęteras mulieres, & pulchra inter eas sola dicaris, tamē nisi cognoueris teipsam quæ sis, non enim ex comparatione inferiorum volo bonam videri pulchritudinem tuã, sed vt tibiipsi & F decori tuo collata atque exequata respondeas. Quod nisi feceris, iubeo te exire, & in vltimis gregum vestigiis collocari, & iam non oues, neque agnos, sed hœdos pascere, illos scilicet qui pro prauitate & lasciuia à sinistris staturi sunt regis in iudicio præsidentis. Et cum tibi introductę in cubiculum regium ostenderem quæ summa sunt bona, si non cognoueris temetipsam, ostendam tibi etiam quæ sunt vltima mala, vt ex vtroq; proficias, tã malorũ metu quã bonorũ desiderio. Si enim nescieris temetipsã, & in ignorantia tui vixeris, nec scientiæ studiũ gesseris, sine dubio nec tabernaculũ propriũ habebis, sed & per pastorũ tabernacula discurres, & nũc in illius tabernaculis pastoris pasces hœdos inquietũ animal ac vagũ & peccatis deputatũ. Hæc autem patieris, donec rebus ipsis & experimentis intelligas, quantum mali sit animam nescire seipsam, neque pulchritudinem suam, per quam pręcellat cæteras, non virgines sed mulieres, illas scilicet quę corruptionem passæ sunt, nec in virginitatis integritate permanserunt. Hæc sunt quæ spōsus post illa omnia quæ locuta fuerat sponsa, austera quadam comminatione sponsę animos ad agnitionis suæ curam suscitãs, per ordinem propositi dramatis dicit. Sed nunc consequenter, vt cætera, ad Christũ hęc & ad ecclesiam referamus, qui ad sponsam suam, ad animas scilicet credentium loquens, summam salutis & beatitudinis in suimet agnitione cōstituit. Quomodo ergo anima cognoscat semetipsam, nec facile puto, nec breuiter explicari posse:

Psal.23. Ioan.10 Psal.46 Gen.18. Rom.13 Mat.27 Luc.23 Mar.15 *Adumbratio temporis passionis Christi.* 1.Cor.2. 2.Cor.4 *Chilonis sententia, quæ & Apollinis.* *Sententia mystica.*

G tamen pro viribus pauca ex multis aper e tentabimus. Videtur ergo mihi duplici modo agnitionem sui animam capere debere. Quid quidem sit ipsa, & qualiter moueatur, id est quid in substantia, & quid in affectibus habeat: vtputa vt intelligat si boni affectus sit, aut non boni, aut recti propositi, aut non recti: & quidem si recti sit, si erga omnes virtutes eúdem tenorem habeat, tam in intelligendo quàm in agendo, an erga necessaria tantum, & quæ in promptu sunt. Et vtrum in eo sit vt recipiat profectus, vt augeatur in intellectu rerum augmentoque virtutum, an in isto stet & resideat, in quod potuit peruenire: & vtrum erga semetipsam tantummodo vacet excolendam, an aliis prodesse, & conferre aliquid vtilitatis studeat, vel in verbo doctrinæ, vel in exemplis gestorum. Si verò cognoscat semetipsam non esse boni affectus, neque recti propositi, in hoc ipso, vt intelligat vtrum ei satis desit, & procul à via virtutum, an in ipso iam posita sit itinere, & incedere iam conetur, cupiens quæ in ante sunt apprehendere, & quæ retro sunt obliuisci, sed nondum appropinquauerit: aut proxima quidem sit, nondum tamen ad perfectionem venerit. Sed & in eo opus videtur esse animæ cognoscentis semetipsam, scire si hæc ipsa quæ operatur mala, ex affectu & studio operetur, an fragilitate quadam, & (vt ille ait) quod quasi non vult agens, & quæ odit faciens: & rursus ea quæ bona sunt, affectibus & recto proposito gerere videatur. Verbi gratia, si iracundiam apud aliquos quidem cohibet, apud aliquos autem effert, an semper eam cohibet, & apud nullum omnino profert. Similiter & tristitiam, si in aliquibus quidem negotiis reiicit, in aliquibus autem recipit, an in omnibus omnino
H non recipit. Ita & timorem, aliaque similiter quæ virtutibus videntur esse contraria. Adhuc & illud opus est animæ cognoscentis se, si gloriæ multum cupida sit, aut parum, aut omnino nihil. Quod inde colligit, si laudibus multum, aut mediocriter delectetur, aut omnino nihil: & si in opprobriis satis, aut parum, aut omnino nihil contristetur. Sed & in dãdo, & accipiendo cognoscentis animæ semetipsam sunt quędam indicia, si quod tribuit, & præbuit ita communicabili affectu, & quasi cui æquitatem haberi inter homines placeat: an (vt ille ait) ex tristitia, aut necessitate, vel certe gratiam siue ab accipientibus, siue ab audientibus quærens. Sed & in accipiendo anima quæ cognoscit semetipsam obseruabit, vtrum indifferenter habeat ea quæ accipit, an velut super aliquo bono gaudeat. Sed & intellectu pensabit semetipsam huiusmodi anima, vt cognoscat an facile moueatur cuiuscũque verisimilis iudicio, & surrepatur ei arte vel suauitate, vel calliditate sermonum, an raro hoc, an nunquam omnino patiatur. Sed sufficiant hæc in hoc agnitionis genere à nobis dicta. Possibile est enim volenti horum similitudinem, & alia innumera colligere, quibus cognoscere semetipsam anima probetur, & pulchritudinem suam quam ad imaginem dei in conditione suscepit, si reparare ac restituere potuerit, cõtemplari. Hoc igitur est quod præsens sermo sub specie mulieris animam docet, vt agnoscat semetipsam, & ait: Nisi cognoueris temetipsam, hoc est nisi per singula quæ suprà memorauimus du-
I xeris sensus tuos, & discretionem singulorum tenueris, quæ agenda sint, quæ cauenda, quid desit tibi, & quid abundet, quid emendandum sit, quidúe seruandum: sed si volueris indifferẽter agere inter cæteras animas communis vitæ hominum, quas hic mulieres appellat, inter quas tu pulchra es, vtpote quæ iam oscula verbi dei susceperis, & cubiculi eius arcana perspexeris: si inquam non te cognoueris, sed indifferẽter vt commune vulgus agere volueris, exi in vestigiis gregũ, id est, esto in reliquo grege: si nihil egregium post hæc omnia quæ in te collata sunt agis, neque temetipsam cognoscens à conuersatione gregali sequestraueris. Et eris non solum in grege, sed in vestigiis gregum. Vltimus enim fiet & nouissimus, qui primatus suos intellexerit. Et ob hoc vbi scientiam neglexerit, necesse est vt circumferatur omni vento doctrinę ad deceptionem errorum, ita vt modo quidem apud illum pastorem, id est doctorem verbi tabernaculum ponat, nunc verò apud alium: & sic vbique circumferatur, pascens non oues quod est animal simplex, sed hœdos, lasciuos & inquietos sensus, atque ad peccatum deputatos diuersis doctoribus excolens ad hoc ipsum quæsitis: & hæc erit pœ-
K na culpæ illius animæ quæ seipsam non studuerit agnoscere, & illum solum sequi pastorem qui animam suam posuit pro ouibus suis. Hæc est vna species qua intelligere semetipsam anima in affectibus & actibus suis debeat. Illa verò alia pars profundior est & difficilior, qua iubetur anima quæ tamen iam in mulieribus pulchra est, agnoscere semetipsam. Quod si obtinere potuerit, speret sibi bona omnia: si minus, sciat exeundum sibi post vestigia gregum, & pascendum hœdos in tabernaculis pastorum alienorum à se. Videamus ergo & incipiamus pro viribus etiam huius partis agnitionem discutere. Dicit per prophetam sermo diuinus: Illuminate vobis lumen scientiæ. Sed & in donis spiritalibus, vnũ quidem donum maximum est, quod per spiritum sanctum ministratur, sermo scientiæ: cuius scientiæ opus illud principale est, quod in euangelio secundum Matthæum quidem ita dicit: Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. In Luca autem ita ait: Nemo scit quid sit filius nisi pater: & nemo scit quid sit pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Secundum Ioannem verò ita scriptum est: Sicut agnoscit me pater, & ego agnosco patrem. In quadragesimo verò quinto Psalmo dicit: Vacate, & cognoscite, quoniam ego sum deus. Igitur principale munus scientiæ est cognoscere trinitatem. Secundo verò in loco cognoscere creaturam eius, secundum eum qui dicebat: Ipse enim mihi dedit horum quæ sunt scientiam veram, substantiam mundi, & virtutem elementorum, initium & finem
L & medietatem temporum: & reliqua. Inter hæc ergo animæ erit quædam etiam sui agnitio, per quam scire debet quæ sit eius substantia, vtrum corporea, vel incorporea, & vtrum simplex vel ex duobus, aut tribus, an verò ex pluribus composita. Sed & iuxta quorundam quæstiones vtrum facta an omnino à nullo facta: & si facta sit, quomodo sit facta: vtrum vt putant aliqui, in semine corporali etiam ipsius substantia continetur, & origo eius pariter cum origine corporis traducitur: an perfecta extrinsecus veniens, parato iam & formato inter viscera muliebria corpore induitur. Et si ita sit, vtrum nuper creata veniat, & tunc primum facta cum corpus videtur esse formatum, vt causa facturæ eius animandi corporis necessitas extitisse credatur: an prius & olim facta, ob aliquã causam ad corpus sumendum venire existimetur: & si ex causa aliqua in hoc deduci creditur, quæ illa sit causa vt agnosci possit, scientiæ opus est. Sed & illud requiritur, vtrum semel tantum corpore induatur, & id postmodum depositum vltra non quærat, an cum semel susceptum deposuerit, iterum assumat: & si secundo sumptum semper habeat, an aliquando iterum abiiciat. Et siquidem secundum auctoritatem scripturarum consummatio immineat mundi, & corruptibilis status hic in incorruptibilem mutabitur, ambiguum non videri, quod in præsentis vitæ statum secundo aut tertio in corpus venire possit. Nam si recipitur hoc, necessario sequitur vt huiusmodi successionibus consequentibus finem nesciat mun-
M dus. Et adhuc agnitionem sui anima requirat, si est aliquis ordo, aut sunt aliqui spiritus eiusdem substantiæ cum ipsa, alij verò non eiusdem sed diuersi ab ea, id est si sunt & alij spiritus rationabiles vt ipsa est, & alij carentes ratione: & si eadem est ipsius quæ & angelorum substantia, quoniam rationabile à rationabili nequaquam differre creditur. Aut si non est quidem talis per substantiam, sed erit talis per gratiam, si meruerit: an non possit omnino similis effici angelis, nisi hoc naturæ suæ qualitas, aut similitudo receperit. Reddi enim posse videbitur quod amissum est, non tamen conferri id quod ex initio conditor non dederit. Sed & hoc adhuc ad cognoscendam semetipsam anima requirat si virtus animæ eius accedere potest & decedere. An est immutabilis, an acquisita semel vltra non defluit. Et quid opus est plura commemorare, quibus ex causis semetipsam cognoscat anima, ne forte
E si neglexerit perfecte semetipsam cognoscere, exire iubeatur in vestigiis gregum, & pascere hœdos, & hoc non in proprio tabernaculo, sed in tabernaculis pastorum: cum præsto sit volenti hęc persequi largissimas occasiones ex his quę suprà memorauimus sumere, in quibus sese exercere in sermone scientiæ

Altera species cognoscendi seipsum.

Matth. xi.

Luc. x.

Ioan. x.

A tiæ pro viribus possit? Dicantur verò hæc à verbo dei etiam ad animam quæ in profectibus quidem posita est, nondum tamé ad summũ perfectionis ascẽdit. Quæ pro eoquidẽ quod proficit pulchra dicitur: vt autẽ peruenire possit & ad perfectionẽ, fiat ad eam cõminatio necessaria: quod nisi per ista singula quæ suprà diximus semetipsam cognouerit, & vigilanter exercuerit in verbo dei & lege diuina, continget ei de his singulis opiniones colligere diuersorum, & sequi homines nihil egregium, nihil ex spiritu sancto locutos. hoc est enim exire in vestigiis gregum, & eorum doctrinam sectari, qui & si ipsi permanserint peccatores, nullum peccantibus remedium prouidere potuerint. Quos qui sequitur, hœdos vtique qui peccatorum indiciũ tenent, videbitur pascere, circũiens tabernacula pastorum, diuersas scilicet sectas philosophorum. Intuere ergo plenius quàm terribile est quod sub hac adumbratur figura. [Exi (inquit) tu in vestigiis gregum.] quasi ad eam loquitur quæ intus iam sit anima, & intra mysteria collocata: pro eo tamen quod negligat semetipsam cognoscere & requirere quæ sit & quid, vel quomodo agere debeat, quidve non agere, dicitur ei, [exi tu:] quasi quæ ob hanc desidiæ culpam foras mittatur ab eo qui præest. Sic ingens animæ periculum est scientiam sui agnitionemque negligere. Sed fortasse quia duplicem expositionem dedimus agnitionis suæ animæ, videbitur cuipiam secundum eam quidem quę de moribus de actibus suis discutere negligit, & inquirere de profectibus suis, aut perscrutari de vitiis, merito ei B dici: [Exi:] per quod videatur quasi de interioribus foras propelli. Si verò secundum æditionem aliam, qua diximus quòd naturam substantiámque suam agnoscere debeat, & statum vel in quo fuerit, vel in quo erit, graue credetur. Quæ enim facile talis anima inuenietur, ita perfecta, ita præpotens, cui horum omnium ratio & intelligentia pateat? Ad hoc respõdebimus, quoniam sermo qui habetur in manibus non ad omnes animas fit, neque ad adolescẽtulas quibus hic loquitur sponsus, neque ad cæteras mulieres, neque ad octoginta concubinas, aut sexaginta reginas, sed ad illam, quæ inter omnes mulieres sola pulchra dicitur & perfecta. Vnde apparet ad dilectas quasque animas hæc dici, quibus cum gratia multa sentiendi & intelligendi à deo data sit, negligunt tamen scientię partes, & cognoscendi semetipsas nullum adhibent studium. His ergo comminatur sermo diuinus: quia quibus multũ datur, multum ex eis exigitur. Et humilis quidem & venia & misericordia dignus erit, potentes autem potenter cruciabuntur. Si ergo & tu anima quæ pulchrior es, & eminentior inter cæteras verbi gratia doctrinis, negligas temetipsam, & in ignorantia tui maneas, quomodo poterũt vel hi qui ædificari desiderant instrui, vel conuinci & argui contradicentes? Digne ergo cum comminatione quadam ad eam dicitur: [Exi tu in vestigiis gregum, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum.] *Cantic.1* C Potest ad hoc trahi etiam illud quod Moyses scribit: Quod si qua Israelitica mulier adulterauerit, lapidetur. Si verò filia sacerdotis, ignibus exuratur. Sic ergo iusta videbitur esse comminatio in eos qui capaces esse possunt ad agnitionem & scientiam, sed per desidiam negligunt: in quos iustissima indignatio sponsi est, quia scit vnius neglegẽtiam cedere ad damna multorum. *Leuit.19* Similis enim videbitur huiusmodi anima, vel illi qui acceptum denarium abscondit in terram, ne lucri aliquid ex eo pecuniæ dominus acquireret: vel illi quem occidisse dicitur deus, qui malignus erat, Onã vel Her scilicet, qui accepta semina scientiæ naturalis posteritati inuidens profundebat in terra. *Gen.38* Pastores quoque (sicut & ante iam diximus) si quidem ad ecclesiam comminationis hic sermo fit, mundi huius principes accipiendi sunt, vel illi angeli, sub quorum cura reliquæ gentes habentur, siue forte in hoc, siue secretioribus causis quibusdam seductæ. Si verò ad vnãquanque animam comminatio ista referatur, quæ semetipsam negligit agnoscere, sapiẽtes & magistri huius seculi intelligẽdi sunt, docentes sapientiam huius mundi: vt in summa hoc intelligatur, quia necesse est animam eam præcipue quæ bona & pulchra est sensibus, & ingenio vigilans, cognoscere semetipsam, & dare operam ad agnitionem sui per exercitia doctrinæ, & studia diuina, ac per hoc agi spiritu dei & spiritu adoptionis. Aut si talis hæc anima semetipsam neglexerit, & à diuinis studiis declinauerit, necesse est eam operã dare studiis mundanis & sapientiæ seculi, & agi spiritu mundi huius iterũ in timore. D Quod designat apostolus cum dicit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui est ex deo. *1.Cor.2* Et iterum: Non accepistis enim iterum in timore spiritũ seruitutis, sed spiritum accepistis adoptionis, in quo clamamus Abba pater. *Rom.8* Hæc interim nobis de præsenti loco occurrere potuerunt, nunc iam conuertamur ad consequentia. [Equitatui meo in curribus Pharaonis similem te arbitratus sum proxima mea.] Historicus quidem sensus hoc videtur ostendere. *Historicus sensus.* Sicut (inquit) tunc in Ægypto cum Pharao persequens populum Israel processit in curribus & equitatu, & meus hoc est domini mei sponsi equitatus longe præcellebat currus Pharaonis, & præstantior erat, vtpote qui illos superauerit & in mare demerserit: ita & tu proxima mea sponsa præcellis omnes mulieres similis effecta equitatui meo, qui Pharaonis curribus comparatus, potentior vtique est & magnificentior. *Exod.14* Hic interim mihi videtur esse ordo sermonum ipsorum verborúmque directio. Videamus autem ne forte secundum intelligentiam mysticam animas quę sunt sub illo spiritali Pharaone, & sub spiritalibus nequitiis positæ, currus dicat esse Pharaonis & quadrigas eius, quas ipse agit & ducit ad persequendum populum dei, & ad opprimendum Israel. *Intelligẽtia mystica.* Certum enim est quia tentationes & tribulationes quas excitant dæmones sanctis, per animas aliquas excitant ad hoc ipsum aptas & conuenientes. Quibus tanquam curribus ascensis exagitãt E & impugnant, vel ecclesiam dei, vel singulos quosque fidelium. De equitatu verò domini, qui sit eius iste equitatus, in Exodo quidem vbi superantur currus Pharaonis & demergũtur in mare, nihil legimus scriptum, nisi tantum quod dominus currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare rubrum. *Exod.14* Inuenimus tamen in quarto Regnorum libro, quod Helisæus de aduentu hostium qui cum equitatu & curribus venerant, formidanti puero suo dicit: Ne timeas, quoniã plures sunt nobiscum quàm cum illis. Et orauit (inquit) Helisæus, & dicit: Domine aperi oculos pueri huius vt videat. Et aperuit dominus oculos eius & vidit. *4.Reg.6* Et ecce mons plenus equitibus erat, & currus ignei in circuitu Helisæi, qui descenderant ad eum. Sed & in propheta Habacuc manifeste & euidenter legimus de equitatui domini, & quod ascendat equos suos. *Abacuc.3.* Sunt ergo scripturæ verba hæc: Nunquid in fluminibus irasceris domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari rubro impetus tuus? qui ascendens equos tuos, & equitatus tuus salus. Sunt ergo equi domini, quibus ascendit, & equitatus eius. Quos ergo non alios esse puto quàm illas animas quę frenum disciplinæ eius accipiunt, & iugum portant suauitatis eius, & quæ spiritu dei aguntur, & in hoc est eis salus. In reuelatione Ioannis legimus, quod apparuit ei equus, & sedens super eum quidam fidelis & verus, & cum iustitia iudicans, cuius nomẽ est verbum dei. *Apoc.6.* Ait ergo: Et vidit cœlum apertum, F & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verus, & cum iustitia iudicans & pugnans: & oculi eius sicut flamma ignis, & super caput eius diademata multa habentia nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, & adopertus erat vestimento sanguine consperso, & vocabatur nomen eius verbum dei. Et exercitus eius erat in cœlo, & sequebantur eum in equis albis, induti byssino albo puto. Sed opus est gratia dei, quæ horum nobis aperiat intellectũ, quo possimus aduertere quid istæ indicẽt visiones, qui sit equus albus, & qui sit qui sedet super eum, cuius nomen est verbum dei. Et forte quidem dicet aliquis album esse equũ corpus quod assumpsit dominus, & quo ille qui in principio erat apud deũ deus verbum, vel vestitus vel vectus est. Alius autem animam dicet, quã assumpsit primogenitus omnis creaturæ, & de qua dicebat: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. *Ioan.10* Alius verò vtrunque simul, corpus atque animam, quasi vbi peccatum non fuerit, equum dici album putabit. Alius adhuc quarto loco ecclesiam dicet, quæ & corpus eius nominatur, album videri equum, quasi non habentem maculam aut rugam, quam sibi ipse sanctificauit lauacro aquæ. Secundum autem hæc singula etiam illa accipiet quæ sequuntur, militiam cœli, & exercitum verbi dei, & quomodo singuli quique eorum sequẽtes verbum dei equis

G albis sedeant, & byssinis albis induantur & mundis. Huic ergo equo albo quo ipse vehitur qui verbum dei appellatur, vel huic equitatui cœlesti qui eum sequitur in albis nihilominus equis, comparat & similem facit Christus in ecclesiam suam. In curribus autem Pharaonis vel ita possumus accipere, vt quantum hic domini equitatus equitatū & currus Pharaonis euincit & præcellit, tantum tu quæ pulchra es in mulieribus, præcellis & euincis omnes reliquas animas, quæ adhuc iugum Pharaonis portant, & sessores eius patiuntur: vel certe quod equitatus hic meus, qui lauacro aquæ mundatus, purus & cādidus factus est, & verbum dei meruit habere sessorem, ex curribus assumptus est Pharaonis. Inde enim omnes veniunt credentes, quia Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Hoc ergo modo potest explanari versiculi huius sensus, Equitatui meo qui fuit ante in curribus Pharaonis, & nūc sequitur me in equis albis, purificatus in lauacro aquæ, similē te arbitror proxima mea. Beatæ ergo sunt illæ animæ quæ dorsum suum curuauerunt vt suscipiāt sessorem verbum dei super se, & frena eius patiuntur, vt quocunque ipse voluerit flectat eas, & agat habenis præceptorū suorum: quia iam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur & reducuntur voluntate sessoris. Et fortassis videbitur secundum hoc quod ex multis animabus cōgregata est ecclesia, & exēplum vitæ accepit à Christo, quod non tam ab ipsa deitate verbi dei acceperit, quæ vtique supereminet eos actus, vel affectus, qui ad exemplum dari hominibus debeāt: sed illa anima quæ assumpta est ab eo, in qua fuit summa perfectio, illa sit ad exemplum posita, & ipsa dicatur hic, proxima mea: cuius similitudinem habere debeat etiam ecclesia, quæ ex multis congregatur animabus, illis scilicet quæ prius fuerant sub iugo & curribus Pharaonis, & equitatus domini appellantur. Quæ autē ex duabus expositio conuenire magis proposito versiculo videatur, probabis etiam tu qui legis.

H [Quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ tāquam turturis, ceruix tua sicut redimicula.] Ordo dramatis huiusmodi videtur habere consequentiam, quod posteaquā ansteriore vsus est cōminatione sponsus ad spōsam, protestatus ei quod nisi cognosceret semetipsam exitura esset in vestigiis gregum, & pasceret nō oues, sed hœdos, erubuerit super austeritate præcepti, sed & rubor verecundiæ diffusus in vultu speciosas effecerit genas eius, & multo quam fuerant pulchriores: nō solum autem genæ, sed & ceruix eius tam decora sit reddita, quasi monilium redimiculis adornata. Pulchritudo ergo genarum turturibus comparatur, quod per huiusmodi aues simul honestas vultus & alacritas indicetur. Hæc est historici dramatis explanatio. Sed veniamus ad rem. Paulus apostolus scribens ad ecclesiam Corinthiorum ita ait. Corpus autem non est membrum vnum, sed multa. Et si dixerit pes quia non sum manus, non sum de corpore, non propterea non est de corpore. & si dixerit auricula, quia non sum oculus, non sum de corpore, non propterea non est de corpore. Si totum corpus est oculus, vbi est auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autē deus posuit vnum quodque membrū in corpore sicut voluit. Et cum plura de hoc disputasset, ad vltimum dicit: Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte. Et iterum ad Ephesios scribens dicit: Subiecti inuicem

Ordo dramatis. — *1.Cor. 2.* — *Sensus mysticus.* — *Ephe. 5.*

I in timore Christi. Mulieres viris suis subiectæ sint sicut domino: quia vir caput est mulieris, sicut & Christus est caput ecclesiæ, ipse Saluator corporis. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam suam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret lauacro aquæ in verbo, vt ipse sibi præpararet gloriosam ecclesiam non habētem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta & immaculata. Et post pauca: Nemo, inquit, enim aliquando carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, & reliqua. Per hæc ergo edocemur, quomodo sponsa Christi quæ est ecclesia, etiam sit corpus eius & membra. Si ergo audias sponsi membra nominari, ecclesiæ membra dici intellige. In quibus sicut sunt aliqui qui dicuntur oculi, pro intelligentiæ sine dubio ac scientiæ lumine, & alij aures pro audiēdo verbo doctrinæ, alij manus pro bonis operibus religiosisque ministeriis, ita sunt alij & qui genæ eius appellentur. Genæ autem partes vultus dicuntur, in quibus honestas & vere-

K cundia animæ agnoscitur: per quod sine dubio illi in membris ecclesiæ declarantur, qui castitatis & pudicitiæ excolunt honestatem. Pro his ergo ad omne corpus sponsæ dicitur, quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ. Et obserua quia non dixit, quàm speciosæ sunt genæ tuæ: sed [quàm speciosæ factæ sunt:] vt ostendat prius quidem non eas ita fuisse speciosas, sed postea quàm suscepit oscula sponsi, & ipse qui loquebatur per prophetas prius affuit, & mundauit sibi ipsi ecclesiam suam lauacro aquæ, & fecit eam non habere maculam aut rugam, & agnitionem sui præstitit ei, tunc factæ sunt speciosæ genæ eius. Tunc enim castitas & pudicitia & virginitas quę prius non fuerat, per ecclesiæ genas specioso decore diffusa est. Quæ tamen genarum species id est pudicitiæ & castitatis turturibus comparatur. Turturum ferunt huiusmodi naturam esse, vt neque masculus præter vnam fœminam adeat aliam, nec fœmina plus quam vnum patiatur marem: ita vt si accidat altero intercepto super esse alterum, pariter cum coniuge extinctus sit ei concubitus amor. Conuenienter ergo similitudo turturis aptatur ecclesiæ, quod vel alterius viri post Christum coniugium nesciat, vel quod continentiæ & pudicitiæ in ea tanquam turturum volitet multitudo. Secundum hanc intelligentiam etiam ceruicem sponsæ accipiamus. Quæ sine dubio illæ intelligi debent animæ, quæ Christi iugum suscipiūt dicētis: Suscipite super vos iugum meum, quia iugum meum suaue est. Obedientia ergo eius ceruices eius appellantur. Ceruix ergo eius speciosa facta est sicut redimicula, & merito. Quam enim prius præuaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia fidei speciosam fecit & pulchram. Ceruix ergo tua speciosa facta est sicut redimicula. Ad vtrunque enim subauditur, speciosa facta est. Redimicula hic dicit constrictiones vel connexiones monilium quæ in ceruicibus sedere solent, ex quibus deducitur, & descendit per omne collum reliquus ornatus. Ipsi ergo ornamento quod ceruicibus & collo imponi solet, ceruicem sponsæ comparauit. Quod dictum ita aduertimus, Ceruicem diximus subiectionem & obedientiam dici, pro eo quod quasi iugum Christi suscipiat, & fidei eius obedientiam præbeat. Ornamentum ergo ceruicis eius quæ est obedientia, Christus est. Ipse enim prior factus est obediēs vsque ad mortem: & sicut per vnius, Adæ scilicet, inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiā, Christi duntaxat, iusti constituātur multi. Ornamentum ergo & monile ceruicis ecclesiæ, obedientia Christi est. Sed & ceruix ecclesiæ, id est obedientia eius, similis effecta est obedientiæ Christi, quod est monile ceruicis. Magna ergo in hóc laus sponsæ est, magna ecclesiæ gloria, vbi imitatio obedientiæ eius exequatur obedientiæ Christi, quam imitatur ecclesia. Hæc ipsa species monilis etiam in Genesi memoratur à Iuda patriarcha Thamar nurui suæ, quando cum ea quasi cum meretrice concubuit, data. Quod non omnibus patet mysterium. Intelligitur per hoc, quod Christus ecclesiæ, quam ex multorum dogmatum prostitutione collegerat, futuræ perfectionis hæc dedit pignora, & istud obedientiæ monile ceruici eius imposuit. Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex sit in recubitu suo. Suprà diximus quod specie dramatis libellus hic ordinatus personarum immutatione con-

M texitur: & nunc ergo videntur hæc amici vel sodales sponsi ad sponsam locuti, qui secundum intelligentiam mysticam & vt suprà iam diximus, aut angeli, vel etiam prophetæ, aut patriarchæ possunt intelligi. Non enim tunc solum cum post baptismum Ioannis in deserto tentatus est à diabolo dominus, recesserunt angeli & ministrauerunt ei, sed ante aduentum præsentiæ corporalis ministraueunt semper. Nam & lex disposita in manu per angelos dicitur mediatoris. Et ad Hebræos scribens apostolus dicit: Si enim qui per angelos habitus est sermo factus est firmus. Ipsi ergo erant velut actores & procuratores appositi paruulæ sponsæ cum pædagogo lege, donec plenitudo temporum veniret, & mitteret deus filium suū natū ex muliere, factū sub lege, & adduceret eā sub actoribus & procuratoribus & pædagogo lege, vt ipsi verbi dei oscula, doctrinā scilicet verbaq; susciperet. Antequā ergo

Turturum natura. — *Matt.11.* — *Genes.38.* — *Matth.4.* — *Gal.3.* — *Heb.2.*

A ergo tẽpus horũ adesset, in multis angelorũ ministerio excolebatur sposa qui apparebãt tũc hominib⁹ & loquebãtur ea quę res poscebat & tẽpus. Non enim tu mihi ex aduẽtu Saluatoris in carne sponsam dici, aut ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi. *[Initium ecclesiæ ab ipsa constitutione mundi.]* Imò vt Paulo duce altius mysterij huius originem repetam, ante etiam cõstitutionem mundi. Sic enim dicit ipse: Sicut elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati coram ipso in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorum. *[Eph.1]* Sed & in Psalmis scribitur: Memento cõgregationis tuæ domine, quam congregasti ab initio. *[Psal.74]* Prima etenim fundamenta congregationis ecclesiæ statim ab initio sunt posita, vnde & apostolus dicit ædificari ecclesiam non solum super apostolorum fundamentum, sed etiam prophetarum. *[Eph.2]* Inter prophetas autem numeratur & Adam, quia magnum mysterium prophetauit in Christo & in ecclesia, dicens: *[Inter prophetas numeratur Adam.]* Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt ambo in carne vna. *[Gen.2.]* Euidenter enim de his dictis eius dicit Apostolus, quia mysterium hoc magnum sit. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. *[Eph.5.]* Sed & idem Apostolus quum dicit: Si enim ecclesiam dilexit, vt semetipsum traderet pro ea sanctificãs lauacro aquæ: non vtique ostendit eam prius non fuisse, quomodo enim dilexisset eam quæ non erat? sed eam sine dubio dilexit quæ erant. Erat autem in omnibus sanctis qui ab initio seculi fuerũt facti. Diligens igitur eam, venit ad eam. *[Heb.2]* Et sicut pueri sui B communicauerunt carni & sanguini, similiter & ipse particeps factus est eorundem, ac semetipsum pro eis tradidit. Ipsi enim erant ecclesia quam dilexit, vt eam vel numerositate augeret, vel virtutibus excoleret, vel perfectionis charitate de terris transferret ad cœlum. Ministrauerunt ergo & prophetæ ab initio, ministrauerunt & angeli. Quid enim aliud fiebat tunc cum apparuerunt tres viri Abrahæ sedenti ad quercum Mãbre? *[Gen.18]* Licet illa angelorum species plus aliquid quàm angelicum ostenderit ministerium: nam trinitatis ibi mysteriũ prodebatur. Hoc erat & in Exodo, cum angelus domini dicitur in flamma ignis apparuisse Moysi in rubo. *[Exod.3]* Continuo autem in subsequentibus dominus & deus loqui in angelo scribitur, & ipse deus esse Abraham & deus Isaac & deus Iacob designatur. Quod quidam hæreticorum legentes dixerunt: Deũ legis & prophetarũ longe inferiorem esse quàm Iesum Christum & spiritum sanctum: *[Contra veteres hæreticos.]* & eousque impietatem suam protenderunt, vt plenitudinem quidem in Christo ponant & in spiritu sancto, imperfectionẽ verò & infirmitatẽ in deo legis. Sed hæc aliàs. Nunc autem nobis propositum est ostendere, quomodo sancti angeli qui ante aduentum Christi velut paruulæ adhuc sponsæ tutelam procurabant, ipsi sint amici & sodales sponsi, qui ad eam dicere videantur: *[Angeli ab initio tutores Ecclesiæ]* [Faciamus tibi similitudines auri cum distinctionibus argenti, vsquequo rex sit in recubitu suo.] *[Cantic.1]* Indicant ergo quod ipsi faciãt sponsæ nõ aurum (neque enim habebant tale aurum quale dignum erat offerri sponsæ) sed pro auro similitudines auri se facere pro- C mittuntur, & non vnam similitudinem, sed multas. Ita etiã dicunt de argẽto, sed quasi habentes licet paruã argẽti materiã, promittunt se ei facere non similitudines, sed distinctiones argenti: vtpote quibus non tanta abundaret argenti materia, vt connexum aliquid & solidum opus ex eo producere possent, sed distinctiones solas, ac signa quædam parua velut puncta intersererent illi operi, quod ei ex auri similitudine faciebãt. Hæc ergo amici sponsi, illi de quibus suprà diximus, sponsæ faciunt ornamenta. Sed quid in his secreti contineatur, & quid elocutionis nouitas ipsa parturiat, omnipotentis verbi ac sponsi patrem precemur, vt ipse nobis arcani huius claustra patefaciat, quo possimus non solum ad intelligenda hæc illuminari, verum etiam ad proferenda, ac secundum mensuram eorum qui lecturi sunt, moderatione eloquij spiritalis accipere. Auri speciem in multis sæpe ostendimus figuram tenere inuisibilis & incorporeæ naturæ: Argentum verò virtutem verbi ac rationis: secundum quod & dominus dicit per prophetam: *[Osee 2.]* Dedi vobis argentum & aurum: vos autem fecistis argentea & aurea Baalim: ostendens per hæc & dicens, quia dedi vobis sensum & rationem qua me deum & sentire possetis & colere: vos autem & sensum & rationem quæ in vobis est, ad colẽda dęmonia transtulistis. D Sed & eloquia domini, eloquia casta, argentum igne probatum dicitur. *[Psal.11.]* Et item in aliis argentum ignitum iusti lingua memoratur. Cherubim verò aurea dicuntur, *[Exod.37.]* quoniam quidem plenitudo scientiæ dei interpretantur. *[Ibid.]* Sed & candelabrum in tabernaculo testimonij aureum & solidum poni iubebatur: quod mihi videtur formam tenere naturalis legis, in qua lex scientiæ habetur. Sed quid opus est multa congregare testimonia, quum in promptu sit scire volentibus in multis scripturæ locis hoc indicari, quod aurum ad sensum mentémque reuocetur, argentum verò ad verbum atque eloquia referatur? Nunc ergo properemus ad contemplandum quomodo secundum ea quæ præmisimus, amici sponsi dicant se similitudines auri facere sponsæ cum distinctionibus argenti. Videtur ergo mihi quod lex quæ per angelos disposita est in manu mediatoris, quandoquidem vmbram habeat futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, & quęcunque contingebant illis qui in lege referuntur, in figura & non in veritate contingebant, ista omnia similitudines auri fuerunt, non aurum verũ. Quod scilicet aurum verũ in illis quæ incorporea sunt & inuisibilia ac spiritalia intelligatur: similitudo verò auri in quo non est ipsa veritas, sed vmbra veritatis. ista corporea & visibilia accipiantur. Verbi gratia, similitudo auri fuit istud tabernaculũ E manu factum, de quo dicit apostolus: Non enim manu facta ista introiuit Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum. *[Heb.9]* Ergo quæ in cœlis sunt inuisibilia & incorporea, illa sunt vera: ista autem quæ in terris sunt visibilia & corporea, exemplaria verorum dicuntur esse, non vera. Ista ergo sunt quæ similitudines auri appellantur: in quibus est & arca testamenti & propitiatorium, & Cherubim, & altare incensi, & mensa propositionis, & panes, sed & velamen, & columnæ ac seræ, & altare holocaustorum, & ipsum templum, atque omnia quæ in lege scripta sunt. Omnia hæc similitudines erant auri. Sed & ipsum aurum visibile, pro eo quod visibile erat, non erat aurum verum, sed similitudo erat illius veri auri inuisibilis. Istas ergo similitudines auri fecerunt sponsæ ecclesiæ spõsi amici angeli videlicet & prophetæ: qui ministrauerunt in lege cæterisque mysteriis. Hæc (opinor) & Paulus intelligens dicebat: *[Col.2]* In religione angelorum, in his quæ videt frustra inflatus sensu carnis suæ. Omnis ergo iudaicus cultus & religio, similitudines sunt auri. Cum autem conuersus fuerit quis ad dominum, & ablatum fuerit ab eo velamen, tunc videbit aurum verum: cuius auri antequam adesset & cognoscendũ se præberet, similitudines fecerunt sponsæ amici eius, vt ex illis similitudinibus commonita & prouocata, veri auri desiderium caperet. Hoc enim factum indicat Paulus, quum dicit: *[1.Cor.10.]* Hæc autem in figura contingebant illis. Scripta autem sunt propter nos, in quos finis seculorum deuenit. Sed & finem quem dicit Paulus, non intelligas corporalem. Finis enim corporalis multos inueniet pro quibus non sunt scripta hæc: F neque enim huiusmodi de his recipient intellectum. Sed finem seculorum, perfectionem rerum intellige, quæ vtique Paulo & similibus eius aduenisse, & propter ipsos scripta hæc esse dicuntur. Sed hęc in excursu diximus, volentes ostendere quomodo amici sponsi dicant ad sponsam, facere se ei similitudines auri cum distinctionibus argenti, per ea scilicet quæ in lege & prophetis per figuras & imagines & similitudines & parabolas, scripta tradiderunt. Sunt tamen in his & paruæ quædam distinctiones argenti, indicia scilicet sensus spiritalis verbi interpretationis rationabilis, licet & valde rara & exigua. Ante aduentum nanque domini vix sicubi prophetarum aliquis parum quid occulti sermonis aperuit: *[Ante aduentũ Christi exigua notitia mysteriorum.]* verbi gratia, vt Esaias cum dicit: Vinea domini Sabaoth domus Israel est, & domus Iuda nouella dilecta. *[Esa.5]* Et iterum alibi: Aquæ multæ, gentes multæ sunt. Et Ezechiel nominans duas sorores Oollam, & Olibam, aliam Samariam distinguit esse & aliam Iudæam: *[Ezech.23]* & sicubi talia quædam ipsis prophetis interpretantibus aperiantur, istæ distinctiones argenti dicuntur. Vbi verò Saluator & dominus noster Iesus Christus aduenit nota faciens omnia verbo virtutis suæ, in passione eius indicium datum est, quod ea quæ in absconditis tenebantur, & arcana erant, in lucem proferrentur, & ad manifestationẽ venirẽt per hoc quod velum tẽpli quo sancta sancto-

G rum & arcana velabantur, scissum est desursum eius vsque deorsum palam fore, denuncians omnibus, quod intrinsecus videbatur obtectum. Sic ergo illud quod per angelos & prophetas ministratum est, similitudo auri fuit, cum distinctionibus paruis & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipsum dominum nostrum Iesum Christum tradita sunt, in auro verò & argento solido collocata sunt. Hæc enim quæ per amicos sponsi facta est, similitudo auri cum distinctionibus argenti, non in sempiterna mansura promittitur: sed tempus ei statuitur ab illis ipsis dicentibus, vsquequo rex sit in recubitu suo. Num enim recumbens dormierit vt leo, & vt catulus leonis, & post hæc suscitauerit eum pater, & resurrexerit à mortuis, si qui fuerint conformes resurrectionis eius, iam non in similitudine auri, id est non in rerum corporalium cultu manebunt: sed aurum verum ab ipsis percipient, credentes & sperantes non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, nec quæ in terris sunt, sed quæ in cœlis, vbi Christus est in dextera dei sedens, & dicent: Quia & si cognouimus Christum aliquando secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Non ergo iam distinctionibus paruis argenti, sed in latitudinem diffuso vtentur argento. Audient enim quod in illa auri similitudine petra quæ sequi dicitur, & potum populo præbere, Christus est, & mare baptismus est, & nubes spiritus sanctus est, & manna verbum dei est, & agnus paschæ saluator est, & sanguis agni passio Christi est, & velum quod est in sanctis sanctorũ, quo diuina illa, & arcana tegebantur, caro eius est: aliaque innumera ex eius resurrectione patebunt, non iam parua vt prius distinctione, sed altissima expositione patefacta. Adhuc autem vt clarius fiat quod dicit: [Vsquequo rex sit in recubitu suo,] etiam de secunda Balaam prophetia quæ de Christo ita continet, proferemus: Orietur (inquit) stella ex Iacob, & exiet homo de semine eius, & dominabitur gentibus multis. Exaltabitur Gog regnum eius, & crescet regnum eius. Deus educet eum in Ægypto sicut gloria vnicornis, & comedet gentes inimicorum suorum, & crassitudines eorum emedullabit, & iaculis suis sagittabit eos. Recumbens vt leo requiescet, & sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum? Considera ergo & ex his diligentius, & vide quomodo omnis similitudo auri vsque ad extremum tempus, ad recubitum regis scilicet, stare memoratur. Post hæc ergo exaltabitur Gog, id est super tecta, regnum eius, quum videlicet de terris ad cœlestia fuerit tecta translatum. Sed de his plenius prout dominus dedit, in Numerorum libro persecuti sumus. Requiramus sanè si etiam sanctis patribus ipsis & prophetis qui ministrauerunt verbum ante aduentum domini nostri Iesu Christi, perfectionis huius, verique auri gratia data sit: an tantum futura hæc intellexerint, & in spiritu ventura præuiderint: atque ob hoc solum dixerit dominus de Abraham, quia desiderauerit videre diem eius, & viderit, & lætatus sit, quod scilicet in spiritu futura præuiderit. Et magis fortasse hoc ita esse etiam ille sermo confirmet, qui ait: Multi iusti desiderauerũt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quamuis nec illis potuerit defuisse perfectio veniens ex fide. Quæ enim nos facta credimus, hæc illi maiore cum expectatione futura credebant. Sicut ergo ex aduentu Christi credentes præteritorum fides, ita & illos futurorum ad summam perfectionis adduxit. Quod si ad vnãquamque animam referatur expositio, videbitur quod donec paruula est adhuc anima & imperfecta, & sub tutoribus & procuratoribus posita, siue doctoribus ecclesiæ, siue angelis, qui paruulos custodes esse dicuntur, & videre semper faciem patris qui in cœlis est, similitudines auri fiunt ei, quum non solidis & fortibus alitur verbi dei cibis, sed similitudinibus imbuitur, velut si dicamus parabolis & exemplis docetur, pro quibus & ipse Christus dicitur ætate crescere & sapientia & gratia apud deum & homines. In illis ergo similitudinibus imbuitur, & fiunt ei paruulæ distinctiones argenti. Aperiuntur enim interdum & his qui imbuuntur parua aliqua & rara de secretioribus mysteriis, vt desiderium concipiant maiorum. Neque enim desiderari quid potest si penitus ignoretur. Et ideo incipientibus & primis in eruditionibus positis, sicut nõ sunt ad subitum cuncta pandenda, ita neque penitus abscondenda sunt spiritalia mysteria: sed vt ait sermo diuinus, faciẽdæ sunt eis distinctiones argenti & scintillæ quædam spiritalis intelligentiæ animis eorum initiandæ sunt, vt gustum quodammodo desiderandę dulcedinis sumant, ne vt diximus si penitus ignoretur, nec omnino desideretur. Verum quod paruulam nominamus animam, nemo ita accipiat quasi secũdum substantiam paruula dicatur: sed si cui deest eruditio, & in qua est exiguus intellectus ac minima peritia, hanc paruulam dicimus animam. Igitur hæc fieri conuenit [vsquequo rex sit in recubitu suo,] id est vsquequo in id proficiat huiusmodi anima, vt capiat regem, & habeat recumbentem in semetipsa. Sic enim dicit hic rex: Quia habitabo in eis & inambulabo in eis, profecto qui tantam verbo dei cordis sui latitudinem præbent, vt etiam in eis deambulare dicatur, spatiis scilicet amplioribus intelligentiæ, agnitionisque diffusioris. Ita ergo & recubare dicitur in anima illa sine dubio de qua ipse dominus dicit per prophetam. Super quem requiescam, nisi super hmmilem & quietum, & trementem sermones meos? Habet ergo rex iste qui est sermo dei, in illa anima quæ iam adperfectum venerit, recubitum suũ: si tamen non sit in ea aliquod vitiũ, sed plena sit sanctitate, plena pietate, fide, charitate, pace, omnibusq; virtutibus. Tũc enim delectat in ea recubere regẽ, & habere recubitũ. Ad hanc enim animã dominus dicebat: Quia ego & pater meus veniem⁹, & cœnabimus cũ eo, & mansionẽ faciemus apud eũ. Vbi ergo cœnat Christus cum patre, & vbi mansionem facit quidni recũmbit? Beata illius latitudo animæ, beata strata illius mentis, vbi pater & filius (vt non dubito) vna cum spiritu sancto recumbi, cœnat, & mansionem facit. Quibus putas opibus, quibus copiis tales conuiuæ pascuntur? Pax vbi primus cibus est, humilitas simul apponitur ac patientia, mansuetudo quoque & lenitas, & quod summæ ei suauitatis est, puritas cordis. Charitas autem in hoc conuiuio principalem obtinet locum. Tali ergo modo etiam tertia expositione ad vnamquanque animam referri posse videbitur, quod ait: Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex sit in recubitu suo. [Nardus mea dedit odorem suum, siue odorem eius.] In specie dramatis videtur hoc ostendi, quod post hæc verba ingressa sit sponsa ad sponsum, & vnguentis suis vnxerit eũ, ac miro quodam genere, quasi nardus quæ prius odorem nõ dederat quum esset apud sponsam, tunc dederit odorem suum, quum corpus contigit sponsi, vt non tam ille ex nardo odorem quam nardus ex ipso sumpsisse videatur. Si verò secundum hanc differentiam quæ in aliis inuenitur exemplaribus legimus: [Nardus mea dedit odorem eius,] inuenitur adhuc aliquid diuinius: vt videlicet vnguentum hoc nardi quo vnctus est sponsus, non tantum suum qui Nardo inesse naturaliter solet, sed ipsius sponsi odorem ceperit, & ipsius odorem ad sponsum reportauerit Nardus: vt in eo quo vnxit eum, odorem sponsi per ipsius vnguenti munus acceperit, & hoc sit quod dicere videatur: Nardus mea qua vnxi sponsum, regressa ad me odorem mihi detulit sponsi, & velut superato naturali suo odore fragrantia sponsi, ipsius mihi detulit suauitatem. Hæc habet historici dramatis explanatio. Sed veniamus iam nunc ad intelligentiam spiritalem. Ponamus hic sponsam ecclesiam in persona Mariæ quæ decenter vtique dicitur afferre libram vnguenti Nardi pistici preciosi, & vngere pedes Iesu, & detergere capillis suis, & recipere quodammodo ac recuperare per crinem capitis sui ad semet ipsam vnguentum ex qualitate ac virtute corporis eius infectum: & odorem nõ tam Nardi per vnguentum quam ipsius verbi dei ad se trahentem per capillos quibus abstergebat pedes, & imposuit capiti suo, non tam Nardi quam Christi fragrantiam: & dicere, quia Nardus mea missa in corpus Christi, reddit mihi odorem eius. Deniq; vide quomodo hæc ipsa referuntur. Maria (inquit) attulit librã vnguenti Nardi pistici preciosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis capitis sui. Domus autem (inquit) tota repleta est odore vnguenti. Quod vtiq; indicat, qui odor doctrinæ qui procedit de Christo & sancti spiritus fragrãtia: repleuit omnẽ mundi huius domũ ac totius ecclesiæ domũ. Vel certe repleuit omnẽ domũ animæ illius, quæ odoris Christi suscepit participium, offerens primo

2.Cor.5. Cant.1. Num.24. Genes.49 Apoc.20. Ioan.8. Matth.13. Luc.2. H I K Anima parua ... Leuit.26. Esa.66. Ioan.14 L Cant.1. Dramatis ratio. M Ioan.12. Intelligentia spiritualis. Ibid.

G primo fidei suæ munus, velut vnguentum nardi, & recipiens
ex hoc gratiam spiritus sancti & spiritalis doctrinæ fragran-
tiam. Quid ergo interest, vtrum in cantico canticorum spon
sa perungat vnguento sponsum, an in euangelio discipula ma
gistrum & Maria Christum, sperans (vt diximus) redire ad se
ex hoc vnguento odorem verbi & fragrãtiam Christi: vt eo
ipso dicat: Christi bonus odor sumus deo? Et quoniam plenũ
fide fuit istud vnguentum & preciosi effectus, ob hoc &
Iesus testimonium reddidit ei dicens: Bonum opus operata
est in me. Sic ergo rursus in Cantico canticorum post aliquã-
ta amplectitur emissiones sponsæ, sicut hic opus Mariæ, ait e-
nim: Emissiones tuæ paradisus cum fructu pomorum. Cype-
rus cum nardis: Nardus cũ crocis. Amplectitur ergo & in his

Cant. 4.

emissiones ac munera sponsæ: Obseruauimus sane quod in
his quæ nunc memorauimus, pluraliter primo, postmodum
singulariter nardum posuit: quod puto secundum illam ra-
tionem dictum, quia negotiator regni cœlorum plures pri-
mo margaritas negotiatur, vsquequo ad vnam perueniat pre
ciosam. Et forte quod dixit, Emissiones tuæ paradisus cum
fructibus pomorum, illos indicat fructus cum nardis pluri-
mis, quos afferimus ex institutionibus & doctrina pro-
phetica. Ex doctrina verò ipsius domini nostri Iesu Chri-
sti emissiones nostræ & munera non plures habent nar-
dos, sed vnam. Sed nunc redeamus ad quæ eam dicit: [Nar-
dus mea dedit odorem suum: & vide si possumus ad-
huc etiam hoc in loco intelligere præsenti, quod siquan-

Deitas christi.

do valuerimus integre & decenter exponere de deita-
te Christi, virtutémque eius ac maiestatem dignis assertio-
nibus consignare, tunc fortassis merito dicet, vel ecclesia il-
H la, vel anima quæ ita manifeste potuerit gloriam eius expo-
nere: [Nardus mea dedit odorem suum.] Nec mirum videri
debet, si Christus quemadmodum fons est, & flumina aquæ
viuæ de eo procedunt, & quemadmodum panis est, & vitam
dat, ita & nardus est, & odorem reddit, & vnguentum est,

Psal. 105. Heb. 5.

quo qui vncti fuerint, Christi fiant, sicut dicit in psalmo: No-
lite tangere Christos meos. Et fortasse secundum illud quod
dicit apostolus, his qui exercitatos habent sensus ad discre-
tionem boni vel mali, singulis quibusque sensibus animæ sin-
gula quæque Christus efficitur. Idcirco enim & verum lu-
men dicitur vt habeãt oculi animæ quo illuminẽtur: idcirco
& verbum, vt habeant aures quod audiant: idcirco & panis
vitæ, vt habeat gustus animæ quod degustet. Idcirco ergo &
vnguentum vel nardus appellatur, vt habeat odoratus ani-
mæ fragrantiam verbi. Idcirco & palpabilis & manu tractabi
lis, & verbum caro factum dicitur, vt possit interioris animæ
manus contingere de verbo vitę. Hæc autem omnia vnum at
que idẽ est verbum dei, quod per hæc singula affectibus ora

Cant. 1.

tionis commutatum, nullum animæ sensum gratiæ suæ re-
linquat expertem. [Alligamentum guttæ fratruelis meus mi-
hi, in medio vberum meorum manebit, siue commorabitur.]
I Eiusdem adhuc verba sunt sponsæ ad adolescentulas (vt vi-
detur) loquentis. Prius quidem dixerat, quia nardus sua dedis
set odorem sponso, & quia per vnguentum quo vnxerat eũ,
odoris fragrãtiam recepisset: nũc autem ait, Fraternus meus
mihi guttam redolet: & hanc non diffusam neque vt libet
dispersam, sed colligatam & constrictam, quo scilicet odor
ipsius suauitatis densior reddatur & vehementior. Et hic (in-
quit) cum talis sit in medio vberum meorum demoratur &

Fraternus siue fratruelis appellatio, passim hoc lib. spõsus, sed id iuxta interpretationẽ 70. Nam vox Hebræa dilectum sonat.

commanet, & requiem ac mansionem suam facit in loco pe-
ctoris mei. Verum quod nunc primum cognominauit eum
fraternum suum spõsa, & nominis huius appellatione per to
tum penè libelli textum frequenter vtitur, dignum puto vt
prius requiramus appellationis ipsius causam, & quid, vel
vnde fraternus dicitur, exponamus. Fraternus appellatur fra-
tris filius. Requiramus quis sit primo frater sponsæ, cuius hic
filius habeatur. Vide si possumus dicere. sponsam quidem ex
gentibus esse ecclesiam, fratrem verò eius priorem populum
& fratrem, vt res indicat, seniorem. Quia ergo ex illo popu-
lo Christus secundum carnem nascitur, ob hoc ab ecclesia
gentium fratris filius appellatur. Quod ergo ait: Alligamen-
tum guttæ fraternus meus mihi corporeæ natiuitatis eius in-
dicat sacramentum. Videtur enim quodammodo alligamen-

K tum esse & vinculum quoddam animæ corpus, quod alli-
gamentum gutta in Christo diuinæ virtutis ac suauitatis a-
stringitur. Si autem ad vnamquanque animam quæ dicta
sunt, referuntur, alligatura guttæ dogmatum continentiæ
constrictio, ac diuinarum sententiarum nodositas intelligi-

Leuit. 8.

tur. Innexæ enim sibi inuicem sunt fidei rationes, & vinculis
veritatis astrictæ. Denique & lex mundum dicit esse omne
vas quod alligatum est, immundum verò quod solutum fue-
rit, & non ligatum. Cuius rei hæc figura erat, quod Christus
in quo nunquam fuit vlla immunditia peccati, alligamentũ
guttæ dicitur. Et ideo anima non debet contingere aliquid
dissolutum, & quod non sit ratione subnixum, & dogmatum

Leuit. 11.

veritate constrictum, ne immunda fiat. Qui enim immũdum
cõtigerit, immundus erit secundũ legem. Continget nanque
eum sensus irrationabilis, & alienus à sapientia dei, & faciet
eum immundum. Vide autem si forte filium dei in carne gut

Dan. 2.

tam dictum, & quasi breue aliquid & exiguum nominatum
possumus accipere, sicut & Daniel de eo dicit: Lapidem par-
uum de monte excisum sine manibus, & factum post hæc
montem magnum. Vel sicut in libello duodecim propheta-

Malac. 2.

rum nihilominus gutta quidem futura dicitur, quæ con-
greget populum. Est ergo & in prophetis ita scriptum: Et e-
rit ex gutta populi huius congregatus Iacob. Decebat enim
eum qui veniebat congregare non solum Iacob, sed & om-
nes gentes, quæ sicut Propheta dicit, reputatæ sunt tanquam
gutta ex situla, exinanientem se diuinitatis forma, effici ip-
sum vt guttam, & sic venire ad congregandam guttam gen-
tium, & guttam nihilominus reliquiarum Iacob. Sed & in L
quadragesimo quarto psalmo dicitur ad dilectum, cui etiam
ipse psalmus ascribitur: Myrrha & gutta & casia à vestimen-
tis tuis. A vestimentis ergo verbi dei, quę est doctrina sapien-
tiæ, procedit myrrha mortis, duntaxat indicium pro humano
genere susceptæ. Gutta (vt suprà diximus) exinanita diuini-
tatis forma, seruilis formæ suscepta dignatio. Casia quoque,
quoniam id genus herbæ aquis indesinentibus nutriri dici-
tur & coalescere, redemptionem humani generis per a-
quas baptismi indicat datam. Sic ergo alligaturam guttæ
fraternum suum sponsa tanquam nuptiali dramate loquens
inter medium vberum suorum commorantem dicit: Vbera
(vt superius iam diximus) principale cordis aduerte, in
quo ecclesia Christum, vel anima verbum dei desiderij sui
vinculis alligatum tenet & astrictum. Si quis enim verbum
dei toto affectu in corde suo, & toto amore constringit, ipse

Cant. 1.

solus poterit odorem fragrantiæ eius & suauitatis accipere.

Literæ explanatio.

[Botrus cyperi fraternus meus mihi in vineis Engaddi.]
Quantum ad literæ ipsius explanationem, habet aliquid am-
biguum quod ait: Botrus cyperi fratruelis mihi: quia & vua
florens cyperus appellatur, & species quædam extrinsecus
virgulti est, quæ cyperus dicitur, ferens etiam ipsa floridum
quendam fructum in modum florentis vuæ prolatum. Sed M
videtur magis ad fructum vitis respicere sermo, quandoqui-
dem vinearum Engaddi facta est memoria. Engaddum au-
tem ager terræ Iudeæ est, non tantum vineis quantum bal-
samis florens. Hic ergo erit historicus sensus sponsæ loquen-
tis ad adolescentulas, vt intelligatur dicens: Primo qui-
dem: Nardus mea odorem mihi sponsi mei reddit. Secun-
do verò alligamentum guttæ effectus est fraternus meus
mihi demorans inter media vbera mea. Tertio botrus cy-
peri ex vineis Engaddi superans omne quicquid est in odo-
ribus & floribus suauitatis: quo scilicet audientes hæc ado-
lescentulæ magis ac magis ad charitatem sponsi concitentur
& amorem. Idcirco autem singulatim, & per ordinem, pri-
mo nardum suam, deinde guttam, post hæc etiam botrum
cyperi nominat, vt per eos gradus quosdam profectus

Spiritalis intellectus.

doceat charitatis. Sed videamus iam quid spiritalis ha-
beat intellectus. Siquidem hic qui appellatur botrus,
ad fructum vitis referendus est: Verbum dei accipimus
sicut sapientiam & virtutem & thesaurum scientiæ, aliaque
multa, ita & vitem veram dici. Sicut ergo his quibus effici-
tur sapientia & scientia, non ad subitum, sed per profectus
quosdam & gradus, pro studiis & intentione ac fide eo-
rum qui ei vel in sapientia, vel in scientia, vel in virtute parti-

G cipantur, sapientes eos & scientes reddit vigentésque virtutibus: ita & in quibus vitis vera efficitur, non eis ad summum maturos botros producit & dulces, nec repente eis efficitur vinum suaue & lætificans cor hominis, sed primo producit eis suauitatem tantummodo odoris in florem. Botrus hic florens esse memoratur in vineis Engaddi, vt gratia fragrantiæ ipsius imitatur in initiis animæ, vt post hæc pati possit acerbitatem tribulationum & tentationum, quæ propter verbum dei credentibus excitantur: & ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet, vsque dum perducat eos ad torcularia vbi effunditur sanguis vuæ, sanguis noui Testamenti qui bibatur in die festo in superioribus, vbi stratum magnum paratum est. Sic ergo per singulos hos profectus graduum incedere oportet eos, qui per sacramentum vitis, & botrum cyperi initiati, ad perfectionem feruntur, & calicem noui Testamenti ab Iesu susceptum bibere contendunt. Quod si cyperus sui generis arbor accipiendus est, cuius fructus etiā flos non tantum odoris suauitatem, quantum & vim calefaciēdi ac fouendi dicitur possidere: illa sine dubio accipitur sponsi K virtus, qua incalescunt animæ erga fidem eius & charitatem, quæ contingebat eos qui dicebant: Nōne cor nostrum erat ardens intra nos, cum adaperiret nobis scripturas? Vel certe quoniā de vineis Engaddi botrus hic florens nominatur esse: Engaddi autem interpretatur oculus tentationis meæ: si quis est qui intellectum habere potest quomodo tentatio est vita hominis super terram, & intelligit quomodo quis in deo eripitur à tentatione, & qui agnoscit qualitatem tentationis suę, ita vt possit de ipso dici, quia in his omnibus non peccauerit labiis suis coram deo, huic botrus cyperi de vineis Engaddi efficitur verbum dei. Obseruandum tamen est quod verba sponsæ ita referuntur, vt & nardus & alligamentum guttę & botrus cyperi ipsi soli sint, vtpote quæ in hos iam profectus ascenderit. Sola enim perfecta anima est quæ ita habet purū, & purgatum odoramentum sui sensus, vt possit nardi & guttæ, & cyperi ex verbo dei procedentis fragrantiam capere, & gratiam diuini odoris haurire.

Luc. 24

H

HOMILIA TERTIA

L

Cant. 1

ECCE es speciosa proxima mea: ecce es speciosa: oculi tui columbarum.] Secundo iam sponsus cum sponsa in verbo colloquióq; miscetur. Et primo quidem sermone inuitauit eam ad hoc vt cognosceret semetipsam, dicens ei quod bona quidem esset inter mulieres, sed nisi cognosceret semetipsam certa quæque pateretur. Et quasi quæ velociter ad agnitionem sui sensu intellectúque cucurrerit, comparat eam equis suis vel equitatui, quibus obtinuerit currus Pharaonis. Simul & genas eius pro insigni verecundia & conuersationis pernicitate turturibus comparat, ceruicemque eius ornamentorum redimiculis. Nunc autem iam speciosam profitetur eam, & speciosam non sicut prius in mulieribus tantum, sed quasi proximam sibi, & adhuc in maius titulum laudis extollit, & affirmat quòd non tantum cum proxima est ei, speciosa sit, sed & si contingat ei absentem esse, etiam sic speciosa sit. Hoc enim indicatur in eo quod cum dixisset [Ecce es speciosa proxima mea,] addit post hæc absolute, & sine vlla adiū-I ctione: Ecce es speciosa. Sed in superioribus non laudauerat visum eius. credo quia nondum ad intuitum profecerat spiritalis intelligentiæ: nunc ergo ait: [Oculi tui columbarum.] Grandis in hoc profectus eius ostenditur, vt quæ prius tantū speciosa in mulieribus dicta est, nunc vt proxima speciosa dicatur, ex ipso sine dubio sponso splendorem decoris accipiēs: vt semel ab ipso sumpta pulchritudine, etiā si accidat ei paululum sponsi absentiā pati, nihilominus pulchra permaneat. Quod autem oculis eius comparantur columbis, ob hoc profecto contingit, quia diuinas scripturas non iam secundū literam, sed secundum spiritum intelligat, & aspiciat in eis spiritalia mysteria. Columba enim indicium est spiritus sancti. Spiritali ergo sensu intelligere legem & prophetas, hoc est oculos columbæ habere. Et hic quidem columbæ oculi eius appellantur, in psalmis verò huiusmodi anima pēnas sibi dari columbæ desiderat, vt volare possit in intellectū spiritalium mysteriorum, & requiescere in atriis sapientiæ. Sed & si dormire quis possit, hoc est collocari & requiescere in medio sortium, atque intelligere sortiū rationem, & cognoscere diuini iudicij causas, non solum pennæ columbę quib' in spiritalibus intellectibus volet, promittuntur ei, sed deargentatæ pennæ, id est verbi & rationis ornamento decoratæ. Scapulæ quoque eius in specie auri fieri dicuntur, vbi constantia fidei & dogmatum stabilitas indicatur perfectorū. Ergo si caput esse Christus dicitur, nihil puto absurdum videri, si & oculi eorum qui secundum interiorem hominem spiritaliter intelligunt, & spiritaliter diiudicāt, spiritus sanctus esse dicantur. Et ob hoc fortassis in lege sicut agnus positus est, per cuius hostiam populus purificaretur in pascha: ita & columbæ positæ sunt, quibus purificatur homo ingressus hunc mundum. Sed & de eo nunc dicere, & hostiarum qualitates discutere, longior videtur excessus, & proposito operi minime conueniens. Hæc autē memorasse sufficiat, pro eo quod præsens sermo continet: [Oculi tui colūbæ.] quasi diceret, oculi tui spiritales sunt, spiritaliter videntes, spiritaliter intelligentes. Potest adhuc profundiore fortassis sacramento quod dixit: [Ecce es speciosa proxima mea,] intelligi de præsenti seculo dictum: quia speciosa quidem sit & hic ecclesia, cum proxima est Christo, & cum imitatur Christum. Quod verò iterauit, & dixit: [Ecce es speciosa,] potest ad futurum seculum pertinere, vbi iam non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est & speciosa: vt ibi dicat esse oculos eius columbas, vt duorum oculorum columbæ duæ intelligantur esse filius dei & spiritus sanctus. Et ne mireris si columba simul dicatur, cum vterque similiter aduocatus dicatur, sicut Ioannes Euangelista declarat, spiritum quidem sanctum dicens paracletum, quod est aduocatus. Et de Iesu Christo nihilominus in epistola sua dicit, quia ipse sit aduocatus apud patrem pro peccatis nostris. Sed & apud Zachariam prophe-M tam duæ oliuæ ad dexteram & ad sinistram candelabri positæ, vnigenitum nihilominus & spiritum sanctum designare creduntur. Ecce es bonus fraternus meus, & quidem ecce es speciosus, cubile nostrum vmbrosum. Nunc primum videtur attentius inspexisse sponsi sui pulchritudinem sponsa, & cōsiderasse illis oculis qui columbę esse dicti sunt, decus & speciem verbi dei. Quia reuera non potest prius perspici, nec agnosci quanta sit in verbo magnificētia, nisi prius oculos quasi columbæ, id est intelligentiam spiritalem accipiat. Commune autem cubile sibi quod dicit esse cum sponso, corpus hoc mihi videtur indicari animæ, in quo adhuc posita digna habita sit asciscì ad consortium verbi dei. Idque vmbrosum, vtpote non aridum, sed fructuosum memorat, & tanquam densitate boni operis nemorosū. Sed hæc spōsa dicit, anima duntaxat quæ colūbæ iā oculos habet. Hi verò qui tātūmodo credūt spōso, non tamen perspicere potuerūt in verbo dei quāta sit pulchritudo, dicūt: Et vidimus eū, & nō habebat speciē, neque decorē, sed species eius indecora & deficiens præ filiis hominum. Quæ autem bene profecit & supergressa est adolescentularū & octoginta cōcubinarū, & sexaginta reginarū ordinē, ista anima potest dicere: [Ecce es decorus fraternus meus,

Exod. 12

Speciosa ecclesia quando.

Ioan. 14

Zach. 4

Esa. 53

A meus, & quidem speciosus.]Sed & si adhuc in corpore posi-
tus intelligam densitatem spiritalium sensuum, & intelligen-
tiam scripturarum diuinarum tam crebra opacitate contex-
tam, vt rapidior æstus qui multos solet adurere & arefacere
fructus eorum, me tamen tenebrare non possit, nec vlla vis
tentationum fidei in me germen arefacere, tunc possum dice-
re, quia cubile nostrum vmbrosum. Quod autem dicit cubile
nostrum, quasi communem sibi cum sponso corporis sui in-
dicans esse locum, ad illam similitudinem dictum intellige,
qua & Paulus dixit: Quia corpora nostra mēbra Christi sunt.
Cum enim dicit corpora nostra, quasi sponsæ id esse corpus
ostendit. Cum verò membra Christi memorat, eadem corpo
ra etiam sponsi esse corpus indica¬. Hæc ergo corpora si vm-
brosa sunt (vt superius diximus) bonis duntaxat operibus re-
ferta & spiritalium sensuum densitate cumulata, de his tali-
bus dici potest: Per diem sol non vret te, neque luna per no-
ctem. Iustum namque tentationis sol non adurit requiescen
tem sub vmbra verbi dei. Iste enim sol qui adurit iustum,
non est damnabilis: sed ille magis qui se transfigurat in ange
lum lucis, Bonus ergo & decorus dicitur fraternus: & quan-
to magis inspici potuerit oculis spiritalibus, tanto speciosior
inuenitur & pulchrior: quia nō solum illius species & pulchri
tudo mirabilis apparebit, verum & inspicienti atque intuen-
tie m decus ingens & species formæ noua ac mirabilis o-
rietur, secundum illud quod Apostolus verbi dei intuens pul
chritudinem dicit: Nam & si is qui foris est homo noster cor
rumpitur, sed qui intus est renouatur de die in diem. Merito
ergo talis hæc anima commune habet cubile cum verbo cor-
pus suum. Peruenit enim diuina virtus vsque ad corporis gra-
B tiam, quum in eo vel castitatis donum, vel continentiæ, alio-
rumque bonorum operum collocat gratiā. Considera sanè,
ne forte possit etiam illud corpus quod assumpsit Iesus, com-
mune ei cum sponsa cubile nominari, quoniam quidem vi-
detur per ipsum ecclesia Christo esse sociata, & participium
verbi dei capere potuisse, setundum quod mediator dei & ho

Rom. 5.

minum dicitur, & secundum quod Apostolus dicit: Quoniā

Cant. 1.

in ipso habemus accessum per fidem in spe gloriæ dei. [Ti-
gna domorum nostrarum cedri, trabes nostræ cypressi.] Vi-
detur ab sponso responderi ad gratiam eorum quæ dicta fue-
runt prius ab spōsa, quibus edoceat eam cuiusmodi sint tecta
ista communia, & qualis in eis materia contignationis habea-
tur. Hæc habet historica narratio. Videtur autem ecclesia de-
scribi à Christo, quę est domus spiritalis, & domus dei, sicut

1. Tim. 3

docet Paulus dicens: Si autem tardius venero, vt scias quo-
modo te oporteat in domo dei conuersari, quæ est ecclesia
dei viui, columna & firmamentum veritatis. Si ergo ecclesia
domus dei est (quia omnia quæ habet pater, filij sunt) ecclesia
domus filij Dei est. Frequenter autem & plurali numero ap-

1. Cor. 11.

pellantur ecclesiæ, vt vbi ait: Nos talem consuetudinem non

Gal. 1

habemus, nequæ ecclesiæ dei. Et iterum, scribit ecclesiis Ga-

Apoc. 1.

latiæ Paulus, & Ioānes septem ecclesiis. Sunt ergo siue eccle-
sia vel ecclesiæ, domus sponsi & sponsæ, siue animæ verbi do
mus, in quibus tigna sunt cedrina. Legimus etiam quasdam
C cedros dei, super quas vinea quæ translata est de Ægypo, ex-
tendisse dicitur traduces, siue arbusta sua, sicut ait in psalmis:
Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros dei. Eui-
dēter igitur per hæc ecclesia cedri dei nominatur. Cum ergo
dicit sponsus: [Tigna domorum nostrarum cedri,] intelligere
debemus cedros dei esse eos qui ecclesiam contegunt, & esse
aliquos horū validiores qui trabes appellantur. Et puto quod
conuenienter hi qui episcopatum bene ministrant in eccle-
sia, trabes dici possunt, quibus sustentatur & tegitur omne
ædificium, vel ad imbrium labe, vel ardoribus solis. Secundo
autem horum loco tigna presbyteros opinor appellari: & tra
bes quidem dici cypressos, quibus & fortitudo robustior, &
odor suauitatis inest, per quod & in operibus solidum, & in
doctrinę gratia fragrantem designat episcopum. Similiter au-

Cant. 2.

tem & tigna cedros appellauit vt per hoc incorruptionis vir-
tutis & odoris scientiæ Christi plenos designaret debere esse
presbyteros. [Ego flos campi & lilium conuallium: sicut liliū
in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.] Hęc
ille qui spōsus & verbum & sapientia est, de semetipso & de
sponsa ad amicos ac sodales suos loqui videtur. Sed secun-
dū propositæ expositionis ordinem Christus hæc de ecclesia D
loqui intelligendus est, & ipse dicere se florem esse campi &
lilium conuallium. Campus planicies terræ dicitur, cui cultu
ra adhibetur & excolitur ab agricolis. Conualles verò saxo-
sa magis & inculta indicant loca. Possumus autem & campū
illum intelligere populum qui per prophetas colebatur &
legem, conuallem verò saxosum & incultum gentium locū.
Sponsus ergo hic in Iudæorum populos flos fuit: sed quoniā
neminem ad perfectum adduxit lex, idcirco in illo non po-
tuit verbum dei ad florem proficere, & ad perfectionem fru-
ctuū peruenire. In ista tamen conualle gētium effectus est li-
liū cuiusmodi autē liliū? tale sine dubio quale & ipse in euāge
liis dicit quod pater cœlestis vestit. Et, neque Solomōin om-
ni gloria sua indutus est sicut vnū ex iustis. Fit ergo liliū in hac
conualle sponsus, in eo quod vestiuit eū pater cœlestis tali ve
stimento carnis quale nec Solomon in omni gloria sua habe-

Matth. 6.

re potuit. Non enim Solomon habuit absque concupiscentia
viri, & concubitu mulieris immaculatam, & nulli prorsus pec
cato obnoxiam carnem. Sed & causam cur is qui in campo
flos fuerat, voluerit esse in conuallibus lilium, videtur osten-
dere. Cum enim multo tempore flos fuisset in campo, nullū
dicit ex ipso campo florem ad imitationem sui ac similitudi-
nem processisse. Vbi verò factus est in conuallibus lilium, cō-
tinuo etiam efficitur proxima eius imitatione ipsius lilium:
vt operæprecium fuerit, quoniam ipse effectus est lilium, vt e
tiam proxima eius, id est vnaquæque anima quæ ei approxi-
mat, & exemplum eius imitationémque sectatur, lilium fiat. E

Cant. 2.

Quod ergo ait: [Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima
mea in medio filiarum,] accipiemus ecclesiam gentium dici:
quod vel è medio infidelium & non credentium, quasi ex spi
nis emerserit, vel pro hæreticorum circumstrepentium se
morsibus in medio spinarū posita dicatur. Quod & magis vi-
debitur verisimile pro eo quod dicit: ita proxima mea in me-
dio filiarū. Non enim filias appellasset illas animas, quę nun-
quā omnino venerunt ad credendū. Omnes ergo hęretici pri
mo ad credulitatē veniunt, & post hæc ab itinere fidei & dog
matū veritate dei declinant. Sicut & Ioannes apostolus in epi
stola sua dicit: Qui à nobis exierūt, sed non e¬ant ex nobis. Nā
si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Possu-

1. Ioan. 2.

mus autem & ad vnamquamque animam id referentes, huic

Tertia expositio.

quidem animæ quæ pro simplicitate sui & planicie, vel æqui
tate campus dici potest, florem fieri verbum dei, & initia bo-
norum operum docere. His verò qui profundiora iam quæ-
runt, & demersiora scrutantur, quasi in conuallibus vel pro
claritate pudicitiæ, vel pro fulgore sapientiæ efficitur lilium,
vt & ipsi fiant lilia erumpentia de medio spinarum, id est fu-
gientes cogitationes & sollicitudines seculares quæ spinis in
euangelio comparatæ sunt. [Sicut arbor mali inter ligna syl-

Literæ expositio.

uæ, ita fraternus meus inter medium filiorum.] In vmbra eius
concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis.] De-
cuit quidem sponsum & de semetipso dicere, qui esset in cam
po, quid etiam in conuallibus: & de sponsa quæ esset, vel qua F
lis inter cæteras filias haberetur. Sponsam verò ad hæc res-
pondentem non cōueniebat de semetipsa aliquid dicere, sed
affici totam erga admirationē sponsi & ipsius laudibus inhæ-
rere. Comparat ergo eum arbori mali. Sed ne ex similitudine
sermonis simpliciores aliqui arborem mali malam arborem
putent, & à malitia dictam, dicamus nos arborem Meli, græco
quidem nomine vtentes, sed simplicioribus quibusque latino
rum notiore quam mali. Melius est enim vt grāmaticos offen-
damus, quā legentibus scrupulum aliquē in veritatis explana-
tione ponamus. Comparat igitur eum arbori meli, sodales ve
rò eius reliquis arboribus syluæ. Sed sponsum ita arbori huic
meli similem dicit, vt etiam concupisse se dicat sub vmbra
eius sedere, fructúmque eius dulcem sibi effectum in fauci-
bus asseueret. Et hæc ad adolescentulas loqui videtur, sicut &
sponsus locutus est prius ad sodales suos. Sed nunc videamus

Mystius sensus.

secundum mysterium, quos dicat sponsa filios inter quos tan
quam arborem meli præcellere reliqua syluæ ligna asserat
sponsum, & vide si possumus secundum ea quæ in superio-
ribus de filiabus & spinis dupliciter exposuimus, ita hic etiā
filios vel eos qui aliquando fuerunt, & non sunt, vel multi-
tudinem cœlestium ministrorum dictos esse intelligere. Ad

G omnes enim in initio pertinet illud quod scriptum est: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. *Psal.81.* Sed differētia intercessit per hoc quod ait: Vos autem vt homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Sed & illud in hoc respicit, quoniam quis in nubibus æquabitur domino? aut quis assimilabitur ei inter filios dei? Sicut ergo arbor meli inter reliqua ligna syluæ, sic est sponsus inter reliquos filios, habens fructū qui non solum sapore omnes, sed & odore pręcellat, & duos animæ sensus, id est gustum & odoratum reficiat. Diuersis nāque copiis mensam suam nobis præparat sapientia. In qua nō solum panem vitæ apponit, sed immolat carnes verbi: & non solum miscet in cratere suo vinum, sed & mela odorata satis adhibet & dulcia, quæ non tantum in ore & labiis suauitatem reddant, sed & interioribus tradita faucibus dulcedinem seruent. Possumus autem ligna syluæ accipere eos angelos qui vniuscuiusque hæreseos auctores fautorésque visi sunt extitisse. Ita vt videatur ecclesia comparans suauitatem doctrinæ Christi ad asperitatem hæreticorum dogmatum, ac sterilem infructuosámque doctrinam dicere: mela quidem suauia & dulcia esse dogmata ecclesiastica, quæ in Christi ecclesia prædicantur: Ligna verò syluæ esse ea quæ à diuersis hæreticis affirmantur. Et de istis videbitur infructuosis lignis syluæ dici, *Matt.3* quod in euangeliis scriptum est: Ecce iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Fraternus ergo H sponsæ est, vt arbor meli in ecclesia sponsi: cæteri verò hæresiarchæ, tanquam infructuosa ligna syluæ diuino iudicio vt securi excidendi, & in ignem mittendi. Igitur in huius meli vmbra concupiscit spōsa residere, vel ecclesia (vt diximus) in protectione filij dei, vel anima refugiens omnes reliquas doctrinas, & adhærens vni soli verbo dei, cuius etiam dulcē habeat in faucibus fructum, meditando scilicet indesinenter legem dei, & semper eam velut mundum animal ruminando. Verum de appellatione vmbræ istius, sub qua sedere concupisse se dicit ecclesia, non puto absurdum, si ea quæ inuenire possumus in scripturis diuinis, proferamus in mediū vt quæ sit vmbra meli huius dignius & diuinius agnoscatur. *Thren.4* Ait Hieremias in lamentationibus: Spiritus vultus nostri Christus dominus comprehensus est in corruptionibus nostris, cui diximus, in vmbra eius viuemus in gentibus. Vides ergo quomodo spiritu sancto permotus Propheta vitam de vmbra Christi præberi gentibus dicit. Et quomodo non vitam nobis præbeat eius vmbra, quum & in conceptu corporis illius ad Mariam dicatur: *Luc.1.* Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? Si ergo obumbratio fuit altissimi in conceptu corporis eius, merito vmbra eius vitam gentibus dabit. Et merito sponsa eius ecclesia sub meli vmbra sedere concupiscit, sine dubio vt vitæ, quæ est in eius vmbra, particeps fiat. Reliquorum verò lignorum syluæ vmbra talis est, vt qui sederit sub ipsa, sedere videatur in regione vmbræ mortis. Sed adhuc vt magis ac magis planior reddatur locus qui habetur in manibus, requiramus quomodo apostolus dicat: *Heb.10* Legem vmbram habere futurorū I bonorum, & omnia quæ vel de diebus festis, vel sabbatis, vel neomeniis scripta sunt, vmbram esse memoret futurorum bonorum, in his scilicet quæ secundum literam gerebantur: & quomodo omnem veterum culturam exemplar & vmbram pronunciet esse cœlestium. Quod vtique si ita est, ostendūtur sub vmbra legis sedisse omnes quicunque sub lege erant, & vmbram magis veræ legis habebant. Nos autem alieni sumus ab vmbra eorum, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. Sed quāuis nō simus sub vmbra illa quā legis litera faciebat, sumus tamē sub vmbra meliore. In vmbra enim Christi viuimus inter gentes. Et est profectus quidā de vmbra legis venire ad vmbrā Christi: vt quia Christus est vita & veritas & via, efficiamur primo in vmbra viæ, & in vmbra vitæ, & in vmbra veritatis, vt comprehendamus ex parte, & in speculo ac in ænigmate, vt post hæc sic incedamus per hanc viā, quæ est Christus, quo peruenire possimus in hoc, vt facie ad faciem comprehendamus ea quæ prius quasi in vmbra & in ænigmate videramus. Non enim quis poterit ad illa quæ vera sunt & perfecta peruenire, nisi prius desiderauerit & concupierit in hac vmbra residere. *Iob.8* Sed & Iob omnem hominum vitam dicit esse vmbram super terram: credo pro eo quod K anima in hac vita velamento huius crassi corporis obumbratur. Omnes ergo qui in hac vita sunt, necesse est in vmbra quadam esse. Sed alij quidem sunt sedentes in regione vmbræ mortis, hi profecto qui nō credūt Christo. Ecclesia verò cum fiducia dicit: *Cantic.2* [In vmbra sponsi concupiui & sedi:] quāuis certe fuerit tempus quo potuerit quis sub vmbra legis residens defendi à duritia ardoris & æstus. Sed transiit illud tēpus, veniendū est nūc ad arboris meli vmbrā: & quāuis diuersa quis vtatur vmbra, videtur tamē omnis anima donec in pręsenti vita est, vmbram habere necessariam, propter illum credo ardorem solis, qui cum exortus fuerit, continuo semen quod nō alta radice demersum est, arescit & deperit. Sed hūc ardorem tenuiter quidem legis vmbra propellit: Christi verò vmbra in qua nunc in gentibus viuimus, id est incarnationis eius fides, auertet penitus & extinguet. Ille enim qui adurebat ambulantes sub vmbra legis, tempore passionis Christi, sicut fulgur visus est cecidisse de cœlo, quamuis etiam eius vmbræ tempus in fine seculi compleatur, quia (sicut diximus) post consummationem seculi iam non per speculū, nec in ænigmate, sed facie ad faciem videbimus veritatem. *1.Cor.13* Simile esse puto & illud quod scriptum est: Sub vmbra alarum tuarum exultabo. *Psal.16* Sed & in sequentibus huius libelli ita dicit sponsa: [Fraternus meus mihi, & ego illi ipsi, qui pascit L inter lilia donec respiret dies, & amoueantur vmbræ,] edocens per hoc quòd veniet tempus, quum omnes vmbræ remouebuntur, & per misericordiam dei patebit veritas sola. Sed & quod ait: *Cant.2* [Et fructus eius dulcis in faucib' meis,] illius animam hoc credo dicere, quæ nihil emortuum, nihil insensibile habet in faucibus suis, & in nullo prorsus similis est illis de quibus dicitur: Sepulchrum patens est guttur eorum. Quicunque enim verba mortis & interitus de faucibus proferunt, ipsorum fauces sepulchra dicuntur: sicut sunt omnes qui vel contra veram fidem loquuntur, vel contra disciplinā castitatis & iustitiæ & sobrietatis aliquid proferunt. Ipsi ergo sunt quorū fauces sepulchra sunt & loca mortis, vnde mortis verba proferuntur. Iustus autem dicit: *Psal.119* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Et alius qui verba vitæ docebat, ita dicit: *2.Cor.6.* Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatū est. *Psal.119.* Sed & alius qui verbo dei aperuit os suum, inquit: Os meum aperui & attraxi spiritum. *Cant.2* [Introducite me in domum vini.] Sponsæ verba adhuc sunt, sed ad amicos & familiares sponsi (vt arbitror) diriguntur: à quibus videtur exposcere, vt introducant eam in domum lætitiæ, vbi vinum bibitur, & epulæ parantur. Quæ enim iam viderat cubiculum regium, desiderat etiam nunc regale introire conuiuium, & frui vino lætitiæ. *Amici sponsi prophetæ* Suprà iam diximus, amicos sponsi prophetas & omnes qui ministrauerunt verbum dei ab initio seculi intelligēdos, ad quos rectè vel ecclesia Christi, vel anima verbo dei adhærens dicat, vt se introducant in domum vini, id est vbi sapientia miscuit in cratere vinum suum, *Prou.8* & deprecatur per seruos suos omnem insipientem & egentem sensu, di M cens: *Prou.9.* Venite, manducate panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Ista est domus vini, domúsque conuiuij, in quo *Matt.8* conuiuio omnes qui veniunt ab oriente & occidente, recumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno dei. Ad quam domum & ad quod conuiuium prophetæ perducunt animas, quæ tamen eos audiunt & intelligunt. Sed & sancti angeli cœlestésque virtutes quæ in ministerio mittuntur, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. *Vinum bonum.* Istud est vinum cui scribuntur isti psalmi qui pro torcularibus attitulantur. *Ioan.15* Istud est vinum ex illa vite vindemiarum quę dicit: Ego sum vitis vera: quod expressit pater cœlestis agricola. Istud est vinum quod attulerūt illi palmites, qui in Iesu permanserūt nō solum in terris, sed etiam in cœlis. Sic enim audio illud quod dicitur: Quia omnis palmes qui non manet in me, non potest afferre fructum. Nemo enim producit fructum vini huius, nisi qui permanet in verbo, & sapientia, & veritate, & iustitia, & pace, omnibúsque virtutibus. Istud est vinum, quo etiam inebriari iustis, & sanctis quibusque optabile ducitur. *Gen.9.* Hæc puto & in spiritu iam tunc Noe contuens inebriatus esse dicitur: & Dauid admiratus huius conuiuij calicem, dicit: *Psal.22.* Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est. Ad hanc

A hanc ergo domum vini ecclesia, vel anima vnaquæque desiderat quæ perfectę sunt intrare, & dogmatibus sapientiæ mysteriisque scientiæ, epularum velut suauitate, & vini lætitia perfrui. Sciendum sanè est, quia sicut est istud vinum, quod de dogmatibus veritatis pressum commiscetur in cratere sapientiæ: ita est contrarium vinum, cum iniquè inebriatur peccatores, & hi qui falsæ scientiæ dogmata perniciosa suscipiũt. De quibus Solomon in prouerbiis dicit: Hi autem edunt cibos impietatis, vino autem iniquo inebriantur. De hoc eodem vino iniquo etiam in Deuteronomio legimus ita scriptum: Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum ex Gomorra, vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis eis, furor draconum vinum eorum, & furor eorum aspidum insanabilis. Illud autem vinum quod de vite vera procedit, nouum semper est. Semper enim per profectus discentium scientiæ & sapientiæ diuinæ innouatur agnitio. Et ideo dicebat Iesus discipulis suis. Quia nouum bibam illud vobiscum in regno patris mei. Innouatur enim semper agnitio secretorum arcanorumque reuelatio per sapientiam dei, non solum hominibus, sed & angelis cœlestibúsque virtutibus. [Ordinate in me charitatem] Eiusdem sponsæ ad eosdem verba sunt, nisi quòd possunt fortasse etiam apostoli Christi inter eos haberi, ad quos ista memorantur. Quod ergo ait: [Ordinate in me charitatem,] hunc habet sensum. Omnes homines amant sine dubio aliquid, & nullus est qui ad id ætatis venerit vt amare iam possit, & non aliquid amet: sicut etiam in præfatione huius operis sufficienter ostendimus. Sed hic amor, vel hęc charitas in nonnullis quidem suo ordine & conuenienter apta-

Vinum contrarium. *Prou. 4.* *Deut. 32.* *Luc. 22.* *Cant. 2.*

B ta procedit, in plurimis verò contra ordinem. Dicitur autem contra ordinem esse in aliquo charitas, quum aut id diligit quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus iusto diligit, aut minus iusto. In isto ergo inordinata esse charitas dicitur: in illis verò quos valde paucos arbitror esse, qui scilicet per viam vitæ incedunt, & non declinant, neque ad dextram, neque ad sinistram, in ipsis solis ordinata est charitas, & ordinẽ suum tenet. Est autem ordo eius & mensura huiusmodi, verbi gratia, deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi hęc sola, vt ei totum exibeas quantum habes. In Christo enim Iesu diligendus est deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus. In hoc ergo nulla mensura est. Diligere verò proximum, est mensura aliqua. Proximum, inquit, tuum dilige sicut teipsum. Si ergo aut in dei dilectione minus aliquid feceris quàm potes, & quàm in viribus tuis est: aut inter te & proximum tuum non seruaueris æquitatem, sed aliquid differentiæ habueris: non est in te charitas ordinata, nec ordinem suum tenens. Verum quoniam nobis sermo de ordine charitatis est, diligentius per singula requiramus, vel quos diligi, vel quantum diligi oporteat. Nam si (vt dicit Apostolus) membra alterutrum sumus, puto quod hunc affectum erga proximos habere debeamus, vt eos non quasi aliena corpora, sed veluti membra nostra diligamus. Secundum hoc ergo quod membra nostra inuicem sumus, æqualem erga omnes habere dilectionem, similemque conueniet. Secundum hoc verò quod sunt in corpore aliqua membra honorabiliora & honestiora, alia verò inhonestiora & inferiora, puto quod rursum pro membrorum meritis & honore, etiam dilectionis librari debeat modus. Si quis ergo rationabiliter cuncta agere secundum verbum dei, ac suos etiam affectus temperare proponit, puto quod erga hæc singula ordinem charitatis & scire debeat & tenere. Verum vt apertius fiat quod dicimus, paulo euidentioribus vtamur iudiciis Si quis (verbi gratia) laboret in verbo Dei, atque animas nostras instruat & illuminet, viam salutis doceat, viuendique ordinem tradat, non tibi videtur & hic proximus esse quidem, sed multo amplius alio proximo diligendus, qui horum nihil egerit? Nam & si ille quidem diligendus est, pro eo quod membra vnius corporis sumus, vniusque substantiæ: sed hic multo amplius, qui cum ius proximi nobiscum habeat, quod & cæteri homines habent, dat tamẽ hanc maiorem charitatis erga se causam, quod viam dei ostendit, & animæ salutem diuini verbi illuminationibus confert. Quod si aliquis me errãtẽ, & in pręcipitio positũ muliebris peccati, ad lucẽ reuocet pietatis, & de ipso iam interitu eripiat, ac retrahat ad salutẽ, atq; ex ipsis faucibus æternę mortis eripiat nõ tibi videtur quod illa ipsa (si fieri potest) plenitudine charitatis quadeũ diligi nº diligẽdus sit post Deũ. Et ne putes quod nos ita presumamus, audi apostolũ Paulum de his qui in verbo Dei laborant, dicentem: Vt superabundãter habeatis in charitate eos qui huiusmodi sunt, propter opus ipsorum. Videamus & alium adhuc ordinem charitatis, eius duntaxat quæ erga proximos haberi videtur. Si sit non habens quidem docendi vel instruendi gratiam, neque verbum domini prædicandi, sed tamen sanctæ vitæ vir, innocens, immaculatus, & qui in iustificationibus & mandatis Dei ingrediatur sine quærela, videtúrne tibi talis hic vir in eodẽ charitatis ordine habendus, quo ille qui nihil horum agit? quandoquidem vterque proximus dicitur. Nõnne & hic propter opus suum, & vitæ meritum (secundum Apostoli dictũ) similiter vt ille qui in verbo Dei laborat, superabundantius habendus est in charitate propter opus vitæ suæ? Est adhuc alius ordo charitatis. Iubemur enim & inimicos nostros diligere. Sed videamus si etiã in ipsis vnus solus modus erit dilectionis, an ibi habebit locũ sermo iste qui dicit [Ordinate in me charitatẽ.] Puto ergo quod in his sit ordo charitatis, verbi gratia, est aliquis mihi inimicus, in aliis tamen bene agens, pudicus, sobrius, mandata Dei plurima ex parte custodiens, in aliquibus tamen errans, vt homo. Est alius qui inimicus quidem sit & ipse nobis, tamen sit suæ vitæ atque animæ inimicus paratus ad scelera, præceps ad flagitia, nihil sancti, nihil religiosi ducens, non tibi videtur etiam inter ipsos inimicos quædam diuersitas habẽda charitatis? Puto quidem quòd ex his satis patuerit, esse vim quidem charitatis vnam, multas tamen habere causas, & multos ordines diligendi, & propter hoc nunc dicere sponsam: [Ordinate in me charitatem,] hoc est docete me diuersos ordines charitatis. Quod si adhuc ad-

Charitas inordinata quæ. *Matth. 22.* *1. Cor. 8.* *Gradus charitatis.* *1. Cor. 12.* *1. Thess. 5.* *Tertius ordo charitatis de inimicis diligendis.* *Matt. 5.* *Vna quidẽ charitas sed eius multi ordines.*

D

E dendum his aliquid videtur, possumus & illud in medium adducere, quod ait Apostolus: Viri diligite vxores vestras sicut corpora vestra, sicut Christus dilexit ecclesiam. Quid ergo? debent quidem viri vxores suas diligere, alias vero mulieres non debent omnino diligere in omni castitate & sanctitate? An non videbuntur etiam ipsæ esse de proximis? Sed impendenda quidem est dilectio, vel in coniugem, vel in matrem, vel in sororẽ, si tamen fideles sint, & Deo adhærentes: & erga aliam mulierem nullam secundum quod ipsa proxima dicitur, est nobis impendendi dilectio. Quod si hoc absurdum videtur, debet autem secundum mandati ordinem etiam erga eas casta haberi dilectio, prorsus inter ipsas personas fœminarum quibus impendenda dilectio est, habendus profecto est ordo quidem in charitate, conueniensque distinctio. Et maiori quidẽ cũ honorificentia matri deferenda est dilectio, sequenti verò gradu cum quadam nihilominus reuerentia, etiam sororibus. Proprio verò quodam & sequestrato ab his more charitas coniugibus exhibenda. Post has verò personas

Ephe. 5. *Gradus charitatis erga fœminas.*

F pro meritis etiam & causis vnicuique in omni (vt diximus) castitate deferenda dilectio est. Secundum hæc etiam de patre, vel fratre, atque ab iis propinquis obseruabimus. Erga sanctos verò qui nos in Christo genuerunt, sed & pastores, atque episcopos, vel qui verbo Dei præsunt presbyteri, aut qui bene ministrant in ecclesia, vel qui in fide præcellunt cæteros, quo modo non pro vniuscuiusque meritis affectio pensabitur charitatis longe eminẽtior quàm erga eos haberi potest. qui aut nihil horum, aut non integre egerunt? Sed & inter parentes fideles & infideles, & fratres fideles, ac infideles, sororésque potéstne fieri vt non erga hos singulos diuersus ordo habeatur charitatis? Quas diuersitates intuens sponsa, & videns de his omnibus animæ ad perfectionem tendenti necessariam videri scientiam earum rerum, vt vniuscuiusque loci & ordinis mensuras possit tenere charitatis, dicit ad amicos sponsi, eos videlicet qui verbũ Dei ministrant: [Ordinate in me charitatẽ.] hoc est docete me, & tradite mihi quomodo per hæc singula ordinẽ seruare debeã charitatis. Omnes enim homines (sicut iam diximus) secundum hoc quòd similes nobis sunt similiter diligendi sunt: imò omnis rationabilis creatura à nobis, vtpote rationabilibus æqualiter diligẽda est. Adijciẽdũ tamen in charitate est vnicuique ad hoc quomodo est, & ad hoc quod rationabilis est: si verbi gratia, aut in moribº, aut in opere, aut in proposito, aut in sciẽtia, aut in studiis cæteros

G præcellit: & pro his singulis secundum suum cuique meritũ ad generalem dilectionem addendum est etiam specialis aliquid charitatis. Verum vt maior de his habeatur auctoritas, ab ipso Deo capiamus exemplum. Ipse enim amat omnia quę sunt æqualiter, vt nihil oderit eorum quæ fecit: neque enim fecit aliquid quod odio haberet: non tamen ob hoc similiter dilexit Ægyptios vt Hebræos, & Pharaonem vt Moysen & Aaron. Nec rursus reliquos filios Israel similiter dilexit vt Moysen & Aaron & Mariam: nec iterum Aaron & Mariam similiter dilexit vt Moysen, quamuis verum sit vt dicitur ad eum: Parcis autem omnibus, quia omnia tua sunt domine amator animarum. Spiritus enim incorruptionis est in omnibus: tamen ille qui mensura & numero & põdere disposuit omnia, secundum mensuram sine dubio vniuscuiusque meritorum & dilectionis suæ temperat libram. Nunquid non putabimus quia non similiter ab eo dilectus est Paulus, cum persequeretur ecclesiam dei, sicut diligebatur, dum ipse pro ea persecutiones cruciatúsque tolerabat. & dicebat sibi inesse solicitudinem omnium ecclesiarum? Multum est nunc, vt inter istos ordines charitatis etiam de affectu odij qui videtur huic charitatis affectui contrarius inseramus, quia etiã dominus dicit: Inimicus ero inimicis tuis, & aduersabor aduersariis tuis. Et iterum: Si peccatori tu adsistis, & ei quem odit dominus, amicus es. Quæ vtique hanc habent absolutionem, quam & illud quod dictum est: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et iterum. Qui non odit patrem, & reliqua. in quo pro-

Duplex charitas generalis & specialis.

2.Cor.11

Leuit.26
2.Para.19
Exod.20
Luc.14.

H fecto nimietas charitatis in deum his qui aduersantur cõtrarium videtur generare affectum, dum nulla potest esse consonantia luci & tenebris, & Christo cum Belial, nec eadem portio esse fideli cum infideli. His ergo vt potuimus de charitatis ordinibus expositis, patet ad intelligendum quid sit quod poscat sponsa, id est ecclesia, vel anima tendens ad perfectionem, præstari sibi ab amicis sponsi. quoniam introduci se poposcerat in domum vini, vbi sine dubio intellexerat in omnibus his quæ viderat, eminere & præcellere gratiam charitatis, & ipsam didicerat maiorem omnium, solámque esse charitatem quæ nunquam cadet: ideo deposcit vt ordinem eius discat, ne fore aliquid inordinatum faciens vulnus ab ea aliquod accipiat, vt in posterioribus dicitur: [Vulneratæ charitatis ego sum.] Ea autem siue ab angelis dici accipiamus, à quibus se instrui postulat & muniri, nihil absurdum videbitur: secundum hoc quod de populo dicitur: Lætamini gẽtes cum populo eius, & confortent eos omnes angeli Dei. Et vt in aliis dicitur: Circumdat angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et item alibi: Nolite contemnere vnum ex minimis istis qui in ecclesia sunt, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Sed & in Apocalypsi Ioannis angelo Thyatirensi testimonium dat filius dei pro charitate quam ordinauit angelus ipse in ecclesia sibi commissa. Sic enim scriptum est: Scio opera tua & charitatem tuam, & fidem, & ministerium, & patientiam, & opera

Charitatis præstantia.

Deut.32
Psal.33
Matt.18

Apoc.2.

I tua nouissima maiora quam priora. Sed & si ad prophetas hęc referamus, qui ministrauerunt verbum dei ante aduentum sponsi, vt per ipsorum doctrinam videatur ecclesia velle ordinem discere charitatis, id est propheticis instrui voluminibus non videbitur absurdum. Sed & omnes sancti qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud deum, nõ erit inconueniens. Scriptum nanque est in Machabæorum libris ita: Hic est Hieremias propheta Dei, qui semper orat pro populo. Sed & ad apostolos hæc dici (vt suprà iam dixi) non videbitur alienum: per hos enim omnis ecclesia Dei, vel anima quærens Deum, introducitur in domum vini (vt suprà diximus) & aromatibus atque odoribus repletur, & componitur in melius, sicut in posterioribus legimus, & docemur omnẽ ordinẽ rationẽq; charitatis. [Cõfirmate me in vnguẽtis, stipate me in malis, quia vulneratæ charitatis ego sum.] In Græco quidem habetur: Confirmate me in myrrhis. Myrrhin genus quoddam arboris nominans, quod Latini putantes myrra dictum, vnguenta interpretati sunt. Igitur ordo sermonis huiusmodi est: Posteaquam sponsa & verba ex ore ipsius sponsi audiuit, & cubiculum regis ingressa est, & domum vini locúmque conuiuij ac sapientiæ, & in eo victimas & craterem mixtum sacramentis eius aspexit, quasi in horũ omnium admiratione stupens, & saucia postulat ab ipsis nihilominus amicis & sodalibus sponsi vt confirmetur, & quasi deficiens sustentetur, incumbens paulum super arborem μύῤῥιν vel meliam. Amoris enim vulnere percussa arborum solatia, syluarúmque sectatur. Hæc secundum literam. Sed ex

Intercessio Sanctorũ.

2.Mach.15

Literæ sensus.

K his vt exequi possimus intelligentiam spiritalem, indigemus illa gratia quam consequi à deo meruit ipse Solomon, qui omnium quæ sunt radicum & arborum & virgultorum naturas didicit, vt sciremus & nos quæ vis, & quæ natura sit arboris myrrhæ, quo competenter ex hac spiritalis aptari possit expositio. Hoc est autem quod solum peruenire ad nos de huius arboris notitia potuit, quia odorem solum habeat suauem, nullum tamen afferat fructum. Melia verò arbor notum cunctis est, quod non solum ferat fructum, sed & dulcissimum & suauissimum ferat. Omnes igitur homines arbores dicuntur, siue bonæ, siue malæ, & fructuosæ, siue infructuosæ, sicut & dominus in Euangelio dicit: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructũ eius malum. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Tres ergo differentiæ in hominibus videntur esse. Quidam qui omnino nullum fructũ afferunt, & ecce alij qui afferunt. Sed in his qui afferunt, aut mali sunt fructus, aut boni. Hic ergo sponsa (id est ecclesia Christi) confirmari se postulat, & reclinari quidem su-

Intelligẽtia spiritalis.

Mat.12
Matth.3

Tres hominum differentiæ.

L per vnam arborem meliam afferentem fructus bonos: & recte ac competenter. Super his enim confirmatur & stipatur ecclesia, qui in bonis operibus fructificant, & crescunt. Quid autem est quod in myrrhis, infructuosis scilicet arboribus confirmari vult odore solo gaudentibus? Ego puto quod istos qui solo odore gaudent, & necdum fructus fidei afferunt, illos dicat quos Paulus ad Corinthios scribens, dicit: Qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostrum. Pro eo ergo quod inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, habent in semetipsis odoris quandam ex ipsa inuocatione nominis suauitatem. Pro eo verò quod non cum omni fiducia & libertate accedunt ad fidem, nullos fidei afferunt fructus. In loco hoc possumus nos catechumenos ecclesiæ intelligere, super quos ex parte aliqua confirmantur ecclesiæ. Habent enim & in ipsis non parum fiduciæ, & spei plurimum, quod & ipsi fiant aliquando arbores fructiferæ, & plantentur in paradiso Dei ab ipso agricola patre. Ipse enim est qui plantat huiusmodi arbores in ecclesia Christi, quæ est paradisus deliciarum. Sicut & dominus dicit: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Stipatur ergo ecclesia & inter melias, & super ipsas requiescit. Quæ meliæ illæ putãdæ sunt animæ quæ quotidie innouantur ad imaginem eius qui creauit eas.

1.Cor.1

Paradisus deliciarum Ecclesia.

Matt.15

M Quia enim per innouationem sui imaginem reparãt filij dei, merito & ipsæ arbores meliæ appellantur, quia & ipse sponsus earum in superioribus dictus est, sicut arbor melia esse in lignis syluæ. Et ne mireris si idem ipse & arbor vitæ & diuersa alia dicatur, cum idem & panis verus, & vitis vera, & agnus dei, & multa alia nominetur. Omnia nanque hæc verbum dei vnicuique efficitur, prout mensura vel desiderium participãtis exposcit: secundum quod & manna, qui cum esset vnus cibus, vnicuique tamen desiderio sui reddebat saporem. Præbet ergo seipsum non solum esurientibus panem, & sitientibus vinum, sed & deliciari volentibus, semetipsum & fragrãtia exhibet poma. Propterea ergo & sponsa velut refecta iam & bene pasta, fulciri in meliis se poscit, sciens in verbo esse sibi non solum omnem cibum, sed & omnes delicias: & per ea maxime discurrit, dum se vulneratam sentit esse iaculis charitatis. Si quis vsquam est qui fideli hoc amore verbi dei arsit aliquando, si quis est (vt propheta dicit) qui electi iaculi eius dulce vulnus plagámque accepit, si quis est qui scientiæ eius amabili confixus est telo, ita vt diurnis eum desideriis nocturnisq; suspiret, aliud quid loqui non possit, audire aliud nolit, cogitare aliud nesciat, desiderare præter ipsum, aut cupere aliud vel sperare non libeat: ista anima merito dicit: [Vulneratę charitatis ego sum:] & ab illo vulnus accepi, de quo dicit Esaias: Et posuit me sicut iaculũ electũ, & in pharetra sua abscõdit me.

A me. Tali vulnere decet deũ percutere animas, talibus iaculis telisque configere, ac salutaribus eas vulneribus sauciare: vt quia deus charitas est, dicat & ipse: [Quia vulneratæ charitatis ego sum.] Et quidem in hoc quasi amatorio dramate sponsa charitatis se dicit vulnera suscepisse: potest autem similiter feruens anima erga sapientiam dei dicere, quia vulneratæ sapientiæ ego sum: illa scilicet quæ sapientiæ eius pulchritudinem potuit intueri. Potest & alia anima virtutis eius magnificentiam contuens & admirata potentiam verbi dei dicere, quia vulneratæ virtutis ego sum. Talis credo aliqua sicut erat illa quæ dicebat: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Sed & alia anima erga amorem iustitiæ eius feruens, & dispensationum ac prouidentiæ eius iustitiam contuens, dicit sine dubio, vulneratæ iustitiæ ego sum. Et alia bonitatis eius ac pietatis immensitatem respiciẽs, similia loquitur. Sed & horum omnium generale est istud charitatis vulnus, quo se vulneratam prædicat sponsa. Sciendum tamen est, quod sicut sunt ista dei iacula, quæ animæ habenti desiderium bonorum salutis vulnus infligunt: ita sunt & iacula maligni ignita, quibus anima quæ non est scuto fidei protecta, vulneratur in mortem. De ipsis dicit Propheta: Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra sua, vt sagittent in obscuro rectos corde. Hic peccatores de occulto sagittantes dæmones inuisibiles dicit: & ipsi sunt habentes quædam iacula fornicationis, alia

Psal. 27.

Psal. 10.

B cupiditatis & auaritiæ, quibus quamplurimi vulnerantur. Habent etiam spicula iactantiæ vanæ gloriæ: sed ista valde subtilia sunt, ita vt confixam se anima ab eis sauciatámque vix sentiat, nisi si induta est armis dei, & stat vigilans & immobilis erga astutias diaboli, scuto semetipsam fidei per omnia contegens, & nullam prorsus corporis partem fide nudam relinquens. Quantacunque autem dæmones fecerint tela, si inueniant mentem hominis fide munitam, etiam si fuerint ignita, etiam si cupiditatum flammis & incendiis ardeant vitiorum, fides plena cuncta restinguit. [Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplectetur me.] Descriptio est quidem amatorij dramatis sponsæ festinantis ad connubium sponsi, velut tamen paulo apertioribus corporis appellationibus currit. Sed conuerte te velocius ad spiritum viuificantem, & refugiens appellationes corporeas, vere perspice quæ sit verbi dei læua, quæ sit dextra, quod etiam caput sponsæ eius, animæ scilicet perfectæ, vel ecclesiæ, & non te rapiat carnalis & passibilis sensus. Ipsa enim est hic sponsi dextera & læua, quæ in Prouerbiis de sapientia dicitur, vbi ait: Longitudo enim vitæ in dextera eius, in sinistra verò eius diuitiæ & gloria. Et sicut hic sapientiam non ideo aliquam fœminam dici putabis, quia fœmineo nomine appellari videtur: ita ne in hoc quidem quoniam masculino genere sponsus verbum dei dicitur, corporaliter intelligere debes læuam eius, aut dexteram, vel amplexus spõsæ, vel animæ

Cant. 2.

Prouer. 3.

C pro fœminini generis declinatione percipere: sed verbum dei quamuis apud Græcos masculino, apud nos neutro genere proferatur, super masculinum tamen & neutrum ac fœmininum genus, & super omne omnino quod ad hoc respicit, esse cogitanda sunt ista de quibus sermo est: & non solum verbum dei, sed & ecclesia eius, atque anima perfecta, quæ & sponsa nominatur. Sic enim & Apostolus dicit: In Christo enim neque masculus, neque fœmina, sed omnes in ipso vnum sumus. Hæc autem propter homines qui aliter audire non possunt, nisi his verbis quæ in vsu habentur, in scriptura diuina humani more referuntur eloquij: vt verbis quidem notis ea & solitis audiamus, sensu tamen illo quo dignum est de diuinis rebus & incorporeis sentiamus. Nam sicut is qui amatorem dicit se esse pulchritudinis sapientiæ, hoc ostendit quod naturalem qui in se est charitatis affectum ad studia transtulerit sapientiæ: ita & hic sponsa deposcit, vel anima, vel ecclesia, vt sponsus suus qui est verbum dei, læua quidem sua caput eius sustentet, dextera verò eius omne eius reliquum complectatur & constringat corpus. Est autem læua in qua sapientiam diuitias continere & gloriam dicitur. Quas autem habet diuitias ecclesia, & quam gloriam nisi illas quas accepit ab eo, qui cum diues esset, pauper factus est, vt illius paupertate ecclesia fieret diues? Quæ autem est gloria? illa sine dubio de qua dicit: Pater clarifica filium tuum, passionis sine dubio gloriam designans. Fides ergo passionis Christi, gloria & diuitiæ ecclesiæ sunt, quæ in læua eius continentur. Læuam autem puto verbum dei hoc modo debere intelligi: quoniam quidem sunt in eo quædã dispensationes ante incarnationem gestæ, sunt verò aliquæ & per incarnationem. Illa pars verbi dei quæ ante assumptionem carnis in dispensationibus peracta est, dextera potest videri: hæc verò quæ per incarnationem, sinistra appellari. Vnde & sinistra diuitias & gloriam habere dicitur. Per incarnationem nanque diuitias & gloriam quæsiuit, omnium scilicet salutem. In dextera autem longitudo vitæ esse dicitur: per quod sine dubio illa eius pars quæ in principio apud deum deus erat verbum, sempiternitas indicatur. Hanc ergo læuam ecclesia cuius Christus est caput, optat habere sub capite suo, & fide incarnationis eius caput suũ muniri: Dexterà verò eius amplecti, id est, illa agnoscere, & de illis instrui, quæ ante huius quoque per incarnationem gestæ dispensationis tempus in arcanis habentur & reconditis. Dextera nanque ibi putanda sunt esse omnia, vbi nihil de peccatorum miseriis, nihil de fragilitatis lapsu continentur. Hic verò læua, vbi vulnera nostra curauit, & peccata nostra portauit, factus etiam ipse pro nobis peccatum & maledictum. Quæ omnia quamuis caput & fidem sustentent ecclesiæ, merito tamen sinistra verbi dei appellabuntur. In quibus aliqua etiam præter illam naturam quæ tota dextera est, & tota lux ac splendor & gloria, pertulisse memoratur. [Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus & in viribus agri, si eleuaueritis & suscitaueritis charitatem quoadusque velit.] Sponsa adhuc ad adolescentulas loquitur, prouocans eas & exhortans, imò & adiurans per ea quæ eis chara esse nouit & amabilia, vt si forte eleuare cœperint charitatem, iacentem quippe in eis, & excitare eam, vtpote adhuc dormientem apud eas, intantum eleuent eam, & intantum suscitent, inquantum voluerit sponsus, nec minus aliquid in ea agant quàm voluntas ipsius patitur. Hæc est enim amantis sponsæ perfectio, vt à nullo velit contra animum & voluntatem eius fieri quem diligit. Et vt hoc non negligenter aut segniter agant, per virtutes agri, id est, per plantaria & virgulta quæ in agro sunt, & per vires eius, sine dubio per ea quæ in eo sata sunt, adiurantur. Tali ordine, talísque verborum compositione textus historici dramatis dirigitur: nũc iam quid arcani intrinsecus cõtegat: requiramus. Omnis anima præcipue quæ filia est Hierusalem, habet aliquem agrum proprium, qui ei secreta quadam per Iesum meritorum sorte delatus est. Sicut fuit & ille ager Iacob, cuius suauitate permotus Isaac patriarcha, mysticis aiebat eloquiis: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Habet ergo vnaquæque anima (vt diximus) agrum suum. ita nanque & conuersatio eius, ager est eius. In hoc agro anima quæ diligens & studiosa est, satisagit & studet plantare bonos sensus, & omnes excolere animi

Gloria & diuitiæ ecclesiæ.

D

Ioan. 12.

E

Sensus historicus.

Sensus arcanus.

Gen. 26.

F virtutes, non solũ autẽ animi virtutes, sed & vires operũ, qui bus videlicet impleri possũt ministeria mandatorũ. Est ergo (vt diximus) vnicuiq; animus suus ager quem colit & plãtat, & seminat secundum hæc quæ diximus. Est autem & omnium simul filiarum Hierusalem vnus quidam & communis ager, de quo Paulus ait, dei agricultura estis. Quem agrum commune exercitium ecclesiasticæ fidei & conuersationis accipiamus, in quo certum est virtutes inesse cœlestes, & vires spiritalium gratiarum. Vna enim quæque anima quæ nunc filia Hierusalem hic appellatur, sciens quod matrem habeat Hierusalem cœlestem, cõferat aliquid necesse est ad agrum hunc excolendum, & cœlesti eum possessione dignum cupiat effici. In istius ergo agri virtutibus eleuari charitatem Christi, & excitari ab adolescentulis & initia fidei habentibus protestatur ecclesia, & dicit ad eas: [Si leuaueritis & excitaueritis charitatem quoadusque velit:] hoc est, si iam ad hoc veneritis, vt incipiatis agi nõ spiritu timoris, sed adoptionis, & in hoc profeceritis ita vt perfecta in vobis dilectio foras mittat timorem, & vt eleuetis atque exaltetis in vobis charitatem & excitetis eam, tandiu eleuate eam, & tandiu extollite, quandiu ipse velit filius charitatis, imò ipse qui ex deo est charitas: ne forte putantes sufficere humanæ charitatis

Hæc sunt interpretis.

Gal. 3.

1. Cor. 3.

G mensuras, in charitate dei minus aliquid quam deo dignum est, agatis. Mensura enim charitatis hæc sola est, vt tantum quantum ipse vult diligatur: voluntas autem dei semper eadem est, nec vnquam mutatur. Nunquam ergo immutatio aliqua, aut finis vllus in dei charitate recipitur. Notandum sane est, quod non dixit si acceperitis charitatem, sed si leuaueritis: quasi quæ est quidem in vobis, sed iacet & nondum erecta est. Et rursum non dixit, si inueneritis, sed si excitaueritis charitatem: quasi quæ sit intrinsecus quidem, sed iaceat & dormiat in eis, donec inueniat suscitantem. Ipsam credo & Paulus suscitabat tunc adhuc in discipulis dormientem, cum dicebat: Exurge qui dormis, & continges Christum. [Vox fraterni mei.] Frequenter nos admonere conuenit quod libellus hic in modum dramatis texitur. Pręsens enim versiculus quem proposuimus, tale aliquid indicat: quod cum sponsæ sermo esset ad adolescentulas filias Hierusalem, subito quasi eminus vocem sponsi senserit, quasi cum aliquibus loquentis: interruptóque sermone quem faciebat ad adolescentulas, sponsa aurem conuerterit ad auditum qui ad eum peruenerat, & dixerit: [Vox fraterni mei.] Sponsum verò intellige primo quidem antequã appareret oculis sponsæ, voce ei sola agnitum: post hæc verò etiam conspectibus eius apparuisse super montes quosdam vicinos illi loco in quo sponsa morabatur salientem, & magnis quibusdam non tam passibus quam saltibus colles montésque in modũ cerui vel capreæ transcendentem, & ita ad sponsam suam omni cũ

Eph. 4
Cant. 2
Ordo dramatis.

H properatione venientem. Vbi verò ad domum intra quam sponsa commorabatur aduenit, stetisse eum paululum intellige post domum, ita vt sentiretur quidem adesse, nondũ tamen domum palàm vellet & euidẽter intrare, sed prius quasi sub amatoris specie per fenestras aspicere velle sponsam. Intellige autem retia quædam prope domum sponsæ, aut laqueos esse positos, vt si forte ipsa, vel aliqua sodalium eius ex filiabus Hierusalem aliquando exisset, caperetur. Ad ista verò retia venisse sponsum certum est: qui cum capi ab eis non posset, sed fortior eorum effectus, diruperit ipsa retia dirupisque eis super ipsa incedens etiam per ipsa prospexerit: & postquam hoc opus fecerit, dicat ad sponsam. [Exurge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea:] hoc autem dicat vt ipso opere ostendat ei quomodo cum fiducia debeat contemnere iam retia quæ ei tetenderat inimicus, nec timeat laqueos quos ab se iam viderat esse diruptos: & adhuc vt amplius ad se sponsam prouocet festinare, dicat ei: Quia omne tempus quod iam graue videbatur transiuit, & hyems quæ ei causa exorta videbatur, abcessit, pluuiæque inutiles abierunt, & tempus iam floridum venit, nihil moreris iter aggredi veniendi ad me. ecce enim & agricolæ, quia veris iam tempus arrisit, vineas colunt: vox enim tum & aliarum auium, tum etiam sonora & grata turturis vernantis auditur.

Cant. 2

I Sed & ficus de veris certa temperie germen suum produxit: vites verò intantum de temporis tranquillitate non dubitãt, vt flores suos iam audeant odorésque proferre. Hæc quidem de tranquillitate temporis indicat sponsę. vt maiore cum fiducia arripere iter audeat pergendi ad spõsum. Sed & locum describit ei, in quo vult eam secum requiescere: & dicit velamento cuiusdam saxi quod muro ipsi, vel loco pro murali contiguum sit, opacissimum quendam effici locum ad quem venire eam vult, & ablato velamine ibi eius reuelatã faciem contueri, vt facie ad faciem innotescat sponso suo, & non solum faciem eius reuelatam videat sponsus & liberam, sed & vocem eius ibi audiat, certus iam quod & facies eius pulchra sit, & vox eius suauis ac delectabilis. Hæc autem præuenientes coniunximus, ne ordinem dramatis, & historiæ textum videremur interrumpere. Sed præuenientes paululum vsque ad illum locum fabulæ ordinem prosecuti sumus vbi ait: [Quoniam vox tua suauis, facies tua speciosa.] Nunc ergo repetentes videamus primo quid est quod ait: [Vox fraterni mei.] Ex voce sola ab ecclesia sua primo Christus agnoscitur. Primo enim vocem suam præmisit per prophetas, & cum non videretur, audiebatur tamen. Audiebatur autem per ea quæ annunciabantur de eo: & tandiu sponsa, id est ecclesia quæ ab initio seculi congregabatur, solam vocem eius audiuit, vsquequo oculis suis eum videret, & diceret, [ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles.] Saliebat enim super propheticos montes, & sanctos colles, illos scilicet qui in hoc mundo imaginem eius formámque gesserunt. Sed & si in apostolis eum ponas quasi in montibus salientem, & eminentem cunctis, & in collibus nihilominus his duntaxat qui secundo loco electi ab eo & missi sunt, non erit inconueniens. In his enim similis efficitur capreæ, & hinnulo ceruorum. Capreæ, quòd omnem visum visus eius præcellit. Et ceruo, quòd ad interitum serpentis aduenit. Sed & vnaquæque anima (si qua tamen est quæ verbi dei amore constringitur) siquando in disputatione sermonis est posita, vt nouit omnis qui expertus est, quomodo cũ in arctum venitur, & angustiis propositionum quæstionúmque concluditur, siquando eam legis ac prophetarum vel ænigmata vel obscura quęque dicta cõcludunt, si forte adesse eum sentiat anima, & eminus sonitum vocis eius accipiat, subleuatur statim: & vbi magis ac magis propinquare sensibus eius cœperit, & illuminare quæ obscura sunt, tunc eum videt salientem supra montes & colles, altæ scilicet & excelsæ sensus sibi intelligentiæ suggerentem: ita vt merito dicat hæc anima: [Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens super colles.] Hæc autem dicimus non immemores quod iam & in superioribus coram positus præsenti collocutus sit sponsæ: sed quoniam (vt sæpe diximus) dramatis speciem libellus hic continet, nunc in præsenti dicuntur aliqua, nunc etiam in absenti: & sic agitur immutatio personarum, vt vterque ordo competẽter dirigi videatur. Quamuis enim

Sensus spiritualis.

K

Cant. 2

L promittat sponsus, & dicat ad sponsam suam, qui sunt electi discipuli eius: Quia ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: tamen iterum per parabolas dicit, quia paterfamilias vocauit seruos suos, & vnicuique distribuit pecuniam negotiandi gratia, & profectus est. Et iterum dicit: Quia abiit petere sibi regnum. Et iterum quasi de absente sponso dicitur: Quia media nocte clamor factus est dicentium, quia venit sponsus. Sic ergo nunc præsens est sponsus, & docet, nunc absens dicitur, & desideratur: & vtrumque vel ecclesiæ, vel animæ studiosę cõueniet. Cum enim pati persecutiones & tribulationes permittitur ecclesia, absens ei videtur. Et rursum cum in pace proficit, & in fide ac bonis operibus floret, præsens ei esse intelligitur. Sed & anima cum quærit aliquem sensum, & agnoscere obscura quæque & arcana desiderat, donec inuenire nõ potest, absens ei sine dubio est verbum dei. Vbi verò occurrerit, & apparuerit quod requiritur, quis dubitat adesse verbum dei, & illuminare mentem ac scientiæ lumen ei præbere? Et iterum subduci nobis eum atque iterum adesse sentimus per singula quæ aut aperiuntur, aut clauduntur in sensibus nostris. Et hoc eousque patimur, donec tales efficiamur, vt non solum reuisere nos, sed & manere dignetur apud nos secundum quod interrogatus à quodam discipulo dicente: Domine quid est factum quod incipis nobis manifestare temetipsum, & non huic mundo? respondit saluator: Si quis diligit me, verbum meum custodit, & pater meus diliget eum, & ad ipsum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si ergo & nos volumus videre verbũ dei atque animæ sponsum salientem super montes, & exultantem super colles, primo audiamus vocem eius: & cum audierimus eum in omnibus, tunc etiam eum videre poterimus, secundum ea quæ in pręsenti loco vidisse describitur spõsa. Nam & ipsa quamuis & prius eum viderit, non eum tamen ita viderat, vt nunc salientem super montes & exilientem super colles, neque per fenestras suas procumbentem, neque per retia prospicientem, sed magis videtur quod prius hyemis tẽpore eum viderit. Nunc enim primum dicit ei: [Quia hyems transiit.] Igitur, vt res indicat, etiam per hyemem sponsę suę apparet, id est tribulationum & tentationum tempore. Sed & alia est illa visitatio, in qua visitatur paululum, & iterum deseritur, vt probetur ac rursus requiritur, vt caput eius sustentetur, & vt tota complectatur, ne forte aut in fide titubet, aut corpus eius tentationum pondere pręgrauetur. Et ideo videtur mihi hyems fuisse illud tempus, cum caput suum fidei scilicet summitatem læua sponsi contineri poscebat, & dextera eius omne corpus amplecti. Nunc autem ista visio quæ de montibus

Matt. 28

Christus quando absens aut præsens.

Ioan. 14

M

A montibus apparet, & collibus, gratiarum puto spiritalium altitudines, potentiásque designat. Sed & per fenestras quod prospicere dicitur, sensibus mihi lumen videtur præbere. Et retia quæ dirumpit, & conterit, laqueos indicari diabolicos puto, vtpote tentationum tempore tanquam hyeme iam peracta. Ostenduntur etiam signa veris, & estatis, sicut in Psalmis dictum est: Æstatem & ver, tu fecisti ea. Inde denique & flores profectuum protulit ecclesia, tentationibus superatis, & putationis dispensatione transacta, sicut in suis locis cum ad hæc disserenda ventum fuerit ostendetur. [Ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles.] Historicum ordinem iam prosecuti sumus: nunc autem quomodo Christus ad ecclesiam veniens saliat super montes, & exiliat super colles, vidêdum est. Exiliens enim magis quàm transiliens propositi sermonis proprietas habet. Isaac enim ambulans & progrediens maior fiebat, vsque quo fieret magnus valde. Paulus autem non iam ambulando profecit, sed currendo, cum dicit: Cursum consummaui. Saluator autem noster & ecclesiæ sponsus, neque ambulare, neque currere, sed super hæc salire dicitur, & exilire. Si enim consideres quomodo parui temporis spatio occupatum falsis superstitionibus mundum sermo dei percurrit, & ad agnitionem veræ fidei reuocauit, intelliges quomodo saliat super montes, magna videlicet quæque regna saltibus suis superans, & ad recipiendam cognitionem diuinæ religionis inclinans: & B exiliat super colles cum etiam minora regna velociter subiugat atque ad pietatem veri cultus adducit: & sic de loco ad locum, de regno ad regnũ, de prouinciis ad prouincias prædicationis illustratione transiliens per eum qui dicebat: Quia ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum repleuit Euãgelium dei, intelliges quomodo super montes saliens veniat, & exiliens super colles. Sed & alio modo potest intelligi, sicut suprà iam diximus. Quoniam quidem Moyses de ipso scripsit, & prophetæ nihilominus de ipso annunciauerunt. Sed & hæc annunciatio in lectione veteris testamenti velamen habet superpositum: vbi verò sponsæ, ecclesiæ scilicet ad eum conuersæ, ablatum est velamen, subito videt eum in istis montibus, legis duntaxat voluminibus salientem & in collibus scripturæ propheticæ pro euidenti manifestatione non tam apparentem quàm exilientem, verbi gratia, quasi si reuoluens singulas propheticæ lectionis paginas inueniat de ipsis exilientem Chtistum, & per loca singula lectionum ablato nunc demum quo prius tegebatur velamine, ebullire eum cernat, & emergere atque euidenti iam manifestatione prorumpere. Ob hoc credo & ipse Iesus cum ad transformandum se venit, non in aliqua planicie, aut conualle fuit, sed montem conscendit, vbi & transformatus est: vt scias eum semper in montibus, aut in collibus apparere, & vt te doceat ne vsquam eum nisi in legis & prophetarum montibus quæras. Quod autem sancti quique montes appellantur, in multis scripturæ locis inuenies indicari, sicut C ait in Psalmis: Fundamenta eius in montibus sanctis. Et iterum: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium nanque in tribulationibus, ex scripturarum diuinarum sensibus capimus. Possumus adhuc & montes in quibus salire verbum dei dicitur, & quasi liberius efferri, nouum accipere testamentum. Colles verò de quibus quasi diu compressus & occultatus exiliit, veteris testamenti sentire volumina. Sed & apud Hieremiam venatores & piscatores qui mittuntur capere homines ad salutem, in montibus & collibus eos capere dicuntur: Sic enim ait: Ecce mitto multos piscatores, & multos venatores, & capient eos super omnem montem, & super omnem collem. Quod ego magis ad futurum tempus in consummatione seculi implendum puto, vt cum missi fuerint angeli secundum Euangelicam parabolam messis tempore, vt separent frumenta à zizaniis, qui excelsioris vitæ & eminentioris fuerit conuersationis, iste in montibus inueniatur, aut in collibus. Non inuenietur in humilibus & deiectis locis, ne ibi mixtus videatur esse zizaniis: sed in excelsioribus sensibus, & in eminentia fidei positus, salienti in montibus verbo dei, & exilienti in collibus semper adhærens. Quod per aliam nihilominus parabolam, sub eodem tamen intellectu, dicitur in Euangelio: Si quis in tecto est, nõ descendat tollere aliquid de domo. Potest adhuc D & alium nobis sensum prædiues iste præsentis versiculi sermo suggerere. Possibile nanque est omnem qui plena fide credit in deum, vel montem, vel collem appellari, pro qualitate scilicet vitæ & magnitudine intelligentiæ: etiam si fuerit aliquando vallis, proficiente in eo Iesu ætate, & sapientia, gratia, omnis vallis implebitur. Superbi autem quique, & elati vt montes & colles, humiliabuntur: quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. De ipsis enim dicitur: Qui confidunt in domino sicut mons Sion. & Hierusalem dicitur: Montes in circuitu eius. Vnde puto quod merito etiam saluator noster, quoniam & ipse dicitur lapis de monte excisus sine manibus, & factus esse mons magnus, sicut regum, & pontificum pontifex, potest etiam mons mõtium appellari. Verum vt etiam tertia expositio habeat locũ, ad vnamquanque animam sermo dirigatur. Si qui sint capaciores verbi dei, qui ab Iesu aquam sibi datam biberunt, & facta est in eis fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, in his scilicet in quibus verbum dei crebris sensibus & copiosis, velut perennibus ebullit fluentis: in his vitæ ac scientiæ & doctrinæ merito montibus & collibus effectis, dignissime salire verbum dei dicitur & exilire, factus in eis per affluentiam doctrinæ fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. [Similis est fraternus meus capreæ, hinnulóque ceruorum in montibus Bethel.] Caprea vel ceruus quod inter E munda habeantur animalia, manifeste ex his quæ in Deuteronomio scripta sunt indicãtur. est enim hoc modo scriptũ: Hæc enim sunt animalia quæ manducabitis, vitulum, & agnũ ex pecoribus, & hircum ex capris, ceruum, & capream, & bubalum, & tragelaphum, & ibicem, camelum, & pardum: Sed & quod sanctus ceruo comparatur, in multis scripturæ diuinæ locis habetur, vt in psalmo, vbi dicit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Veruntamen in sermonibus quos ex Deuteronomio assumpsimus, etiam hoc non negligenter considerandum videtur, quàm dignum in animalibus mundis enumerandis ordinem tenuerit, vt primo vitulum, secundo agnum, tertio hircum scriberet. In his verò quæ secundum eundem Moysen non offeruntur ad altare, primo ceruum, secundo capream nominat: & ita post hæc reliqua per ordinem describit animantia. Quorum ratio his quibus abundantior gratia spiritalis in dono scientiæ concessa est, per spiritum sanctum manifesta & euidens fiet. Nobis interim quoniã de ceruo & caprea dicere nunc in expositione præsentis versiculi incumbit, conueniẽs videtur ex scripturis diuinis cõgregare pro viribus, quæ de his animalibus referuntur. de quibus idem Moyses cũ de carnibus loqueretur quæ in omni desiderio animæ comederentur nõ oblatæ ad altare: sicut caprea, inquit, & ceruus. Egregium verò quid xxviij psalmus, vbi de virtutibus & efficacia vocis dei per ordinem scribit, de ceruo hoc modo dicit: F Vox domini perficiẽtis ceruos, id est, perfectos facientis ceruos, & reuelabit condensa. Sicut enim vox domini intercidere dicitur flammam ignis, & cõcutere desertũ, ita perficere ceruos ac reuelare condensa memoratur. Sed & in Iob de ceruo ita inuenimus referri, vbi dominus ad Iob per turbinẽ loquens & nubem ait: Aut ergo obseruasti partus ceruorum, aut numerasti menses eorum plenos ad partum, dolores autẽ eorũ soluisti, aut nutristi eorũ natos, aut sine doloribus partus eorum emittes? Abrumpent filij eorum, & multiplicabũtur in natiuitate: exibunt, & non reuertẽtur. His adiungenda sunt etiam illa quæ in Prouerbiis legimus hoc modo: Ceruus amicitiarum, & pullus gratiarum loquitur tibi. Hæc interim ad præsens de ceruo nobis scripta occurrere potuerũt. Quæ ob hoc assumpsimus, vt loquamur non in doctrina humanæ sapientiæ, sed in doctrina spiritus, spiritalia spiritalibus comparantes. Et ideo inuocemus deum patrem verbi, quod nobis verbi sui manifestet arcana, sensumque nostrum remoueat à doctrina humanæ sapientiæ, & exaltet atque eleuet ad doctrinam spiritus, vt non ea quæ sentit carnalis auditus, sed ea quæ continet voluntas spiritus sancti loquamur. Paulus apostolus nos docet quod inuisibilia dei ex visibilibus intelligantur, & ea quæ non videntur, ex eorum quæ videntur ratione & similitudine contemplentur: ostendẽs per hoc quod

Psal. 74. 2. Tim. 4. Rom. 15. Mat. 17. Mõtes sancti. Psal. 86. Psal. 120. Hier. 16. Mat. 13. Luc. 21. Luc. 26. Psal. 125. Dan. 2. Tertia expositio. Deut. 14. Psal. 42. Psal. 28. Iob. 39. Prouer. 5. Rom. 1.

G visibilis hic mūdus de inuisibili doceat, & exēplaria quædam cœlestium contineat positio ista terrena: vt ab his quæ deorsum, ad ea quæ sursum sunt possimus ascendere: atque ex his quæ videmus in terris, sentire & intelligere ea quæ habētur in cælis. Ad quorum similitudinem quandam, quo facilius colligi per hæc ac sentiri possent diuersitates, creaturarum quæ in terris sunt similitudinem conditor dedit. Et fortassis sicut hominem deus ad imaginem & similitudinem suam fecit, ita etiam cæteras creaturas ad alias quasdam cœlestes imagines per similitudinem condidit: & fortasse intantum singula quæque quæ in terris sunt, habent aliquid imaginis & similitudinis in cœlestibus, vt etiam granum sinapis quod minimum est in omnibus seminibus, habeat aliquid imaginis & similitudinis in cœlis: & hoc quod talis ei quædam composita est alternatio naturæ, vt cum minimum sit omnium seminū, maius fiat omnibus oleribus, ita vt possint venire aues cœli, & habitare in ramis eius: similitudinem ferat non solum alicuius cœlestis imaginis, sed & ipsius regni cœlorum. Sic ergo possibile est etiam cætera semina quæ in terris sunt, vt habeant aliquid in cœlestibus similitudinis, & rationis. Quod si semina, sine dubio & virgulta: & si virgulta, sine dubio & animantia, vel alitum, vel repentiū, & quadrupedum. Sed & illud adhuc potest intelligi, quod sicut granum sinapis non vnam similitudinem tenet regni cœlorum, & habitationis scilicet auium in ramis suis: sed habet & aliam similitudinem vel imaginem, perfectionis scilicet fidei, ita vt si quis

Granum sinapis imago regni cœlorum.

B habeat fidē sicut granū sinapis, dicat mōti transfer te, & trāsferret: ita possibile est vt etiam cætera non in vno aliquo, sed in pluribus speciē & imaginē cœlestiū ferant. Et cum plures sint (verbi gratia) in grano sinapis virtutes quæ rerum cœlestium imagines teneant, vltimus & extremus eius vsus est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali. Ita etiam in reliquis, vel seminibus, vel virgultis, vel herbarum radicibus, vel etiam in animantibus intelligi potest: vt vsum quidem & ministerium hominibus præbeant corporale, habeant autem incorporalium rerum formas & imagines, quibus doceri anima possit, & instrui ad contemplanda etiam ea quæ sunt inuisibilia & cœlestia. Et hoc fortassis est quod ille scriptor diuinæ sapientiæ dicit: ipse enim mihi dedit eorum, quæ sunt scientiam veram, vt sciam substantiam mundi, & virtutes elementorum, initium, & finem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & conuersiones temporum, anni circulos, & stellarum positiones, naturas animalium, & iras bestiarum spirituum violentias, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum: sed & quæcunque occulta & manifesta sunt cognoui. Vide ergo si possimus ex his scripturæ sermonibus, ea quæ discutere proposuimus, lucidius euidentiúsque colligere. Etenim scriptor iste sapientiæ diuinæ cum singula quæque enumerasset, ad vltimum dixit, quia occultorum, & manifestorum acceperit scientiam: ostendens sine dubio quòd

Sap. 7

C vnumquodque eorum quæ in manifesto sunt, referatur ad aliquid eorum quæ in occulto sunt: id est singula quæque visibilia habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia. Quia ergo impossibile est homini in carne viuenti agnoscere aliquid de occultis & inuisibilibus, nisi imaginem aliquam & similitudinem conceperit de visibilibus: ob hoc arbitror, quod ille qui omnia in sapientia fecit, ita creauit vnam quanque visibilium speciem in terris, vt in his doctrinam quādam & agnitionem rerum inuisibilium & cœlestium poneret: quo per hæc ascenderet mens humana ad spiritalem intelligentiam, & rerum causas in cœlestibus quæreret, vt posset edocta per sapientiam dei etiam ipsa dicere: Quæ in occulto sunt, & quæ in manifesto cognoui. Secundum hæc quoque agnoscit & substantiam mundi, non solum hanc visibilem corporeámque, quæ palàm est, sed & illam incorpoream inuisibilémque quę in occulto est. Agnoscit etiā elemēta mūdi non solum visibilia, sed inuisibilia, & vtrorūque virtutes. Sed & initiū quod dicit, & finē, & medietatē tēporum, initium ait visibilis quidem mundi, quod ante sex milia non integros annos initium designat Moyses: medietatem quoque secundum temporum rationem, finemque illum qui speratur cū cœlum & terra transibunt. Secundū occultorū verò scientiam, initium illud quod intelligit is quem sapientia dei docuerit, quod nulla possunt tēpora, nulla secula comprehendere. Medietatem verò hæc quæ nunc sunt: Finem

D verò ea quæ futura sunt, id est, perfectionem consummationémque vniuersitatis. quæ tamen ex his visibilibus cōiici possunt, & intelligi. Sed & vicissitudinum permutationes, & temporum conuersiones, anni circulos, ex his quæ videntur refert ad inuisibiles rerum incorporalium permutationes ac vicissitudines. Circulos quoque annorum temporalium, & præsentium refert ad antiquiores aliquos ac sempiternos annos, secundum eum qui dicebat: Et annos æternos in mente habui. Sed & stellarum positiones non dubitauit ab his quæ palàm videntur referre ad illa quę in occultis sunt, qui occultorum manifestorúmque scientiam meruit: & dicit esse aliquod sanctorum genus quod de Abrahæ præcipue stirpe descendit, sicut stellas cœli. Sed & resurrectionis futuræ gloriam stellas esse secundum occultorum scientiā pronunciauit, sequens eum qui dixit: Alia gloria solis, & alia stellarum. Stella enim à stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Nisi secundum hæc intelligeretur illud quod ait, naturas animalium, irásque bestiarum, nunquam dixisset in Euangeliis saluator: Dicite vulpi huic. neque Ioannes de quibusdam dixisset: Serpentes generatio viperarum. sed neque propheta diceret de nonnullis quod equi admissarij facti sunt. Et item alius: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed & ille diligenter agnouit iras bestiarum qui dicebat: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Hæc erit ratio etiam de eo quod ait, spirituum violentias: visibibiliter quidem de ventis, & flatibus aëris, inuisibiliter verò de violentiis immundorum spirituum loquens, quos & Paulus ventos doctrinæ nominauit. Post hæc iam sequitur vt & cogitationes hominum sciat corporaliter quidem quæ de humano corde procedunt, inuisibiliter autem intelligat eos, qui iniiciunt hominibus malas & pessimas cogitationes, sicut in Euangelio scriptum est. Cum diabolus misisset in cor Iudæ Ischariotis vt traderet dominum. Et vt in Prouerbiis dicitur: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne derelinquas, quia sanitas compescit peccata magna. Sed & bonarum cogitationum est aliquis auctor: propter quod & in Psalmis puto scriptum esse: Beatus homo cuius est auxilium abs te domine, ascensiones in corde suo disposuit. Et iterum: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. Ita igitur cuncta secundum ea quæ præfati sumus ex visibilibus referri possunt ad inuisibilia, & à corporalibus ad incorporea, & à manifestis ad occulta, vt ipsa creatura mundi tali quadam dispensatione condita intelligatur per diuinam sapientiam, quę rebus

2. Cor. 15

Luc. 13

Matt. 3

Psal. 49

Eph. 4

Ioan. 13

Eccl. 10

Psal. 84

76

F ipsis & exemplis inuisibilia nos de visibilibus doceat, & à terrenis nos transferat ad cœlestia. Hæ autem rationes non solum in creaturis omnibus habentur, sed & scriptura diuina tali quadam sapientiæ arte conscripta est. Propter quædam nanque occulta, & mystica visibiliter populus educitur de Ægypto ista terrena, & iter agit per desertum, vbi serpens erat mordens, & scorpius, & sitis, vbi non erant aquæ, & cætera quę in his gesta referuntur. Quæ omnia (vt diximus) occultorum quorundam formas & imagines tenent. Et hoc, non in scripturis tantum veterum, sed & in gestis domini, & saluatoris nostri, quæ in Euangeliis referuntur inuenies. Igitur si omnia quę in manifesto sunt, secundum ea quæ superius approbauimus, ad aliqua referuntur quæ in occulto sunt, consequens sine dubio est vt ceruus iste visibilis, vel caprea quæ in Cantico canticorum scribitur, secundum rationem naturę suæ quam corporaliter gerunt, referantur ad aliquas rerum incorporalium causas, vt illis occultis & inuisibilibus ceruis videatur posse conuenire quod dictum est: Vox domini perficientis ceruos. Quæ enim perfectio ex voce domini fit istis visibilibus ceruis? Aut quæ ad eos doctrina vnquam ex domini voce descendit? Si verò spiritales ceruos quęramus, quorum formam & imaginem tenet illud animal corporale, illos inuenias ad summam perfectionis ex voce domini posse perduci. Sed & quorum cervorum

Cant. 2

Psal. 28

A uorum dominum seruare decuerit partus, & velut medendi officia præbentem parturientibus astare conuenerit, donec parerent filios tales, qui aduersarentur, & persequerentur serpentium genus, vt dignum est diuina maiestate, debemus aduertere qualium ceruorum domini decet seruare partus, ne in aborsum decidant: sed & menses eorum numerare plene ad partum, eorúmque labores & dolores custodire, vt nos ad partum, eorúmque labores & dolores custodire, vt generationes eorum non cadant in vanum, sed vt perfecta sit eorum natiuitas, & tandiu parturiant donec formetur Christus in eis. Huiusmodi ceruorum pullos dominus nutrit, eorum duntaxat qui iactant in domino cogitationem suam, vt ipse eos nutriat, & ipse seruet dolores partus eorum, cum ex timore dei & in ventre conceperint, & parturierint, & spiritum salutis pepererint. Huiusmodi partus dolores ipse dominus seruat, & curat. Sed & emittit dolores eorum, vt euntes eant, & fleant portantes semina sua, & sint in doloribus hominum ac flagellentur cum hominibus, ne forte teneat eos superbia. Isti quoque ipsi cerui abrumpunt (vt ait) natos suos. Quos enim genuerint per Euangelium, abrumpunt eos à vinculis peccatorum: & à laqueis diaboli, ne vltra voluntati eorum teneantur obstricti. Isti etiam multiplicabuntur, & (vt ait) non reuertentur. Non enim imitabuntur vxorem Loth, non redibunt retrorsum. Sciunt enim quia qui mittit manum suam ad aratrum, si retrospexerit aptus non erit regno cœlorum: sed semper quæ retro sunt obliuiscuntur, & in ea quæ ante se sunt se extendunt. Tales enim ceruos vox domini facit esse perfectos. Quæ vox domini, nisi illa quæ in lege & in prophetis habetur, & peruenit vsque ad Ioannẽ, qui erat vox clamantis in deserto? Et ipsa enim vox Ioannis, qui dicebat: Parate viam domini, rectas facite semitas dei nostri, perfectos faciebat ceruos, vt essent perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Qui enim talis est, merito dicit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Ceruus quoque amicitiarum quis alius videbitur nisi ille qui peremit serpentem illum qui seduxerat Euam, & eloquij sui flatibus peccati in eã venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio præuaricationis infecerat: & venerat soluere inimicitias in carne sua, quas inter deum & hominem noxius mediator effecerat? Pullus verò gratiarum potest accipi spiritus sanctus, à quo sitientes, & desiderantes deum spiritales gratias, & dona cœlestia consequuntur. Hæc autem omnia à nobis dicta sunt, vt manifestior fieret causa, qua sponsa comparare videtur fraternum suum hinnulo ceruorum. Quod si etiam hoc requirendum est, cur non ceruo (vt in aliis) sed hinnulo ceruorum comparatur, illud aduerte, quod cum in forma dei esset, filius datus est nobis, & puer natus est nobis, cuius potestas super humerum eius. Ideo ergo hinnulus ceruorum, quia paruulus puer natus est. Et forte possunt cerui accipi sancti quique, C vt Abraham, Isaac, & Iacob, & Dauid, & Solomon, & omnes ex quorum semine Christus secundum carnem descendit. Quos ceruos vox domini perfectos facit, & ipsorum est hinnulus iste, qui ex ipsis secundum carnem natus est puer. Mouet me etiam illud quod in centesimo tertio psalmo scriptum est, vbi ait: Montes excelsi ceruis. Et quidem de ceruis iam superius diximus quod sancti quique accipiuntur, qui ob hoc in hunc mundum venerunt, vt serpentis venena perimerent. Qui autem sint montes excelsi videamus, quasi qui solis ceruis sequestrati videntur, & ad quos nisi ceruus sit aliquis non possit ascendere. Ego puto quod personas trinitatis montes excelsos appellauerit, ad cuius capacitatem nullus nisi ceruus efficiatur, ascendit. Sed iidem ipsi qui hic montes excelsi pluraliter appellantur, in aliis mons excelsus singulariter dicitur: sicut Esaias ait: In montem excelsum conscende qui Euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Hierusalem. Idem nanque ipse qui ibi trinitas propter distinctionem personarum, hic vnus deus intelligitur pro vnitate substantiæ. Satis sint ista de hinnulo ceruorum. Nunc videamus quomodo etiam capreæ vel damulæ comparetur fraternus. Hoc animal quantum ad græca vocabula, nomen à videndo atque clarius prospiciendo sortitum est. Et quis est qui ita videat vt videt Christus? Solus nanque est qui videt, id est, agnoscit patrem. Nam etsi

Gen.19. *Luc.9.* *Esa.40.* *Gen.3.* *Personæ Trinitatis.* *Esa.40.* *Capreæ acies.*

D dicantur hi qui mundo sunt corde deum visuri, videbunt ipso sine dubio reuelante: quia & caprea habet in natura sua, vt non solum videat ipsa & perspiciat acerrime, sed & aliis visum præbeat. Asserunt nanque hi quibus medicinæ peritia est, inesse huic animali intra viscera humorem quendam qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosque visus exacuat. Merito ergo capreæ vel damulæ Christus comparatur, quia non solum videt ipse patrem, sed & videri ab aliis facit, quorum visus ipse curauerit. Obserua autem ne audiens patrem videri corporeum aliquid sentias, & deum visibilem putes. Visus quo deus videtur, non est corporis, sed mentis, & spiritus. Quod etiam ipse Saluator in Euangelio vocabulo proprio distinguens dixit: Nemo videt patrem nisi filius. Denique & iis quos facit Deum videre, dat spiritum scientiæ, & spiritum sapientiæ, vt per ipsum spiritum videant deum. Et ideo dicebat ad discipulos: Quia qui me videt, videt & patrem. Et vtique non ita inepti erimus, vt putemus quod qui secundum corpus eum vidit, viderit etiã patrẽ: alioqui inueniuntur & Scribæ, & Pharisæi, & hypocritæ, & Pilatus qui eum flagellis cecidit, & omnis populus qui clamabat: Crucifige crucifige eum, videntes Iesum secundum carnem, etiam deum patrem vidisse. Quod vtique non solum absurdum videtur esse, sed & impium. Sicut enim cum turbæ eum comprimerent euntem cum discipulis, nullus eorum qui premebant & coarctabant eum tetigisse dicitur eum, nisi illa sola quæ profluuium sanguinis passa venit E & tetigit fimbriam vestimenti eius, & ipsi soli testimonium perhibet dicẽs: Quia tetigit me aliquis, ego enim sensi virtutem de me exisse: ita & cum plures essent qui eum videbant, nullus eum vidisse dicitur, nisi qui agnouit quod verbum dei, & filius dei est: in quo vtique simul agnosci & videri dicitur pater. Sed & hoc nos non prætereat, quod prius capreæ, & nunc hinnullo ceruorum comparatur, cum vtique maius animal ceruus quàm caprea videatur. Sed animaduerte ne illa potius in his habenda sit ratio: quia cum dupliciter constet salus credentium, per agnitionem fidei & operum perfectionem, ratio fidei quæ pro intuitu & inspectione contemplationis capreæ (vt diximus) comparatur, primus habeatur salutis gradus: secundo verò in loco operum perfectio quæ cerui formam tenet vincentis & perimentis venena serpentium, id est, artes diabolicas, memoretur. Si ergo sponsa similem dicit esse fraternum suum capreæ, vel hinnulo ceruorum in montibus Bethel, Bethel verò domus dei interpretatur, montes ergo qui in domo dei sunt, possunt legis & prophetarum, sed & euangelica & apostolica accipi volumina, in quibus & fides dei perficitur & contemplatur, & operum perfectio dicitur & adimpletur. [Ecce hic stetit post parietem nostrum incumbens super fenestras, prospiciens per retia.] Respondet fraternus meus, & dicit mihi.] F Cum considero difficultates inuestigandi sensus in his qui propositi sunt scripturæ sermonibus, simile me aliquid pati videor huic, qui ad inuestigandum venationem odoratibus sagacis canis procedit: vbi interdum moris est, vt cum vestigiis intentus proximum se venator latentibus effectum putauerit esse cubilibus, subito vestigiorum deseratur indiciis, & rursum fixius impressis odoratibus easdem quas explicauerat retrorsum redeat vias, donec inueniat locum in quo se altius excutiens venatio latenter ad aliam transtulit viam: quam cum venator inuenerit, alacrior insequitur spe prædæ certior, & vestigij firmitate securior. Ita ergo & nos vbi se propositæ explanationis quodammodo subtraxere vestigia, paululum emensa repentes, & planiorem quam dudum videbatur expositionis ordinem persequentes, speramus quod dominus deus noster tradat in manus nostras venationem, quam præparantes, & secundum scientiam matris Rachel rationalis verbi salibus condientes, benedictiones mereamur consequi à spiritali patre Iacob. Propter quod necessarium videtur (vt diximus) breuiter dicta repetere, explanationémque priorem retexere, vt qui sit lucidior sensus aperiatur. Intelligi ergo mihi videtur ex initio propositi dramatis sponsam foris stare in biuio, & ob amorem sponsi hinc atque inde prospicere si forte veniat, si forte appareat, nec viã ingredi velle aliquã dũ ignorat vnde

Mat.5. *Deus non videtur oculo corporeo.* *Ioan.6.* *Ioan.14.* *Mat.9.* *Dupliciter cõstat salus videntium.* *Sensus literæ.*

G magis veniat, nec domi, sed foris stare, & desiderio eius agitari ac dicere: Osculetur me osculo oris sui: vbi autem venit sponsus, dicat: Bona sunt vbera tua super vinum, & reliqua, vsque ad eum locum vbi ait: Post te curremus. Post hæc dilecta iam & vicem charitatis ab ipso sponso recipiens, introducatur in cubiculum eius, & dicat: Introduxit me rex in cubiculum suum. Sed & cętera quę postea sunt scripta, intus posita loquatur ad sponsum præsentibus & assistētibus sponsæ quidem adolescentulis, sponsi verò sodalibus. Veruntamen intelligatur sponsus vtpote vir, non semper in domo, neque semper assidere sponsę intra domum positæ: sed exeat frequenter, & illa eum quasi amore eius sollicita requirat absentem: sed & ipse interdum redeat ad eam. Propter quod & videatur per totum libellum aliquando quidem velut absens requiri sponsus, aliquādo sicut præsens loqui cum spōsa. Ipsa autem sponsa cum multa & magnifica in sponsi cubiculo peruidisset, petit se etiam in domum vini introduci. Quo cum ingressa perspexisset quod sponsus vtpote vir non resederit in domo, ipsa rursus amore eius exagitata, exierit foras, & circumiens peragret circa domum non ingrediens, & ex omni parte prospiciat quando ad eam redeat sponsus: & ecce subito videat eum vicinorum mōtium iuga immensis saltibus superantem descendere ad domum in qua amore eius sollicita æstuat sponsa. Perueniens verò sponsus ad parietem domus, stet paululum post ipsum, considerans (vt fieri solet) aliquid, & animo retractans. Iam verò etiam ipse sentiens aliquid amoris erga sponsam, vsus altitudine sua, quę

Cant. 1
Retexit totum librū.

H attingit vsque ad domus fenestras, quę fenestræ habeant aliquam partem operis (vt aiunt) reticulati. Et tunc incumbat quidem per fenestras, eminentior autem sic fit fenestris, attingátque vsque ad superiora earum quę reticulato (vt diximus) opere distinctę sunt, indéque prospiciens alloquatur sponsam, & dicat ei. [Exurge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, & reliqua.] Hæc sunt quæ, vt superius designauimus, difficultatem plurimam dirigendi ordinis, & aperiendę intelligentiæ habere nobis visa sunt. Quæ vt puto euidentiora fecerit repetita hæc nunc indago sermonum. Spiritalis autem in his expositio, non ita laboriosa ac difficilis habetur. Sponsa enim verbi anima, quæ in domo regali (hoc est in ecclesia) consistit, docetur à verbo dei, qui est sponsus suus, quæcunque reposita sunt & recondita intra aulam regiam, & cubiculum regis: discit in hac domo, quæ est ecclesia dei viui, cellas etiam vini illius quod de sanctis torcularibus congregatum est: cellas vini non solum noui sed & veteris ac suauis, quæ est doctrina legis & prophetarum: in quibus sufficienter exercitata recipiat in se ipsum qui erat in principio apud deum deus verbum, sed nō semper secum permanentem: non enim possibile est hoc humanæ naturæ: sed interdum quidem visitetur ab eo, interdum verò relinquatur, vt amplius desideret eum. Cum verò visitatur à verbo dei secundum propositi versiculi sensum, per montes saliens venire dicitur ad eam: excelsos scilicet & eleuatos reuelans ei cœlestis scientiæ sensus, ita vt perueniat vsque ad

Cant. 2
Spiritalis intelligētia

I ædificationem ecclesiæ, quæ est domus dei viui, columna, & firmamentum veritatis, & stet iuxta parietem, vel post parietem, vt neque penitus abscondatur, neque omnino in promptu sit. Verbum enim dei, & sermo scientiæ non in publico & palàm positus, neque conculcandus pedibus apparet: sed cum quæsitus fuerit inuenitur, & inuenitur non (vt diximus) in propatulo positus, sed obtectus, & quasi post parietem latens. Anima autem quæ in ecclesia esse dicitur, non intra ædificia parietum collocata intelligitur, sed intra munimenta fidei & ædificia sapientiæ posita, celsísque fastigiis charitatis obtecta. Propositum ergo bonum, & fides rectorum dogmatum animam esse in domo ecclesiæ facit: cuius domus membra quædam sunt, vel cubiculum, vel domus vini, vel alia huiusmodi pro gratiarum scilicet gradibus, & donorum spiritalium diuersitatibus appellantur. Sic ergo & paries nunc pars quædam domus huius est, quæ potest indicare dogmatum firmitatem: sub qua stare dicitur sponsus, & in quibus tam magnus & excelsus est vt emineat omne ædificium, & prospiciat sponsam, id est animam: & nondum quidem apertum se ei, totúmque manifestet, sed quasi per retia prospiciens hortetur eam, & prouocet non sedere intrinsecus segnem, sed exire ad se foras: & conari vt non iam per fenestras & retia, neque per speculum in ænigmate, sed procedens foras facie ad faciem videat eum. Nunc enim quia nondum potest ita eum intueri, propterea non ante, sed retro ei & post parietem stet. Incumbit autem per fenestras, quæ sine dubio patebant ad recipiendum lumen ad illuminandam domum. Per has ergo sermo dei incumbens, & prospiciens prouocat exurgere, & ad se venire animam. Possumus autem sensus corporeos fenestras intelligere, per quas aut mors, aut vita intrat ad animam. sic enim designat Hieremias propheta cum de peccatoribus loquitur, dicens: Ascendit mors per fenestras vestras. Quomodo ascendit mors per fenestras? Si oculi peccatoris videant mulierem, & mœchentur eam in corde suo sic, mors ingressa est ad animam per fenestras oculorum. Sed & cum recipit quis auditum vanum, & pręcipue falsæ scientiæ dogmatum peruersorum: tunc per aurium fenestras mors intrat ad animam. Si verò anima intuens ornamentum mundi & ex pulchritudine creaturarum conditorem omnium intelligat deum, & opera eius miretur, laudétque operum creatorem, ad animam hanc vita ingreditur per fenestras oculorum. Sed & cum auditum inclinat ad verbum dei, & rationibus sapientiæ ac scientię eius delectatur, huic per aurium fenestras ad animam sapientiæ lumen ingreditur. Per has ergo fenestras prospiciens verbum dei, & prospectum suum ad sponsam animam dirigens, assurgere hortatur eam, & venire ad se, id est, corporea & visibilia relinquere, & ad incorporea & inuisibilia ac spiritalia properare. Quoniam quæ videntur temporalia sunt, quę autem non vidētur æterna sunt.

In ecclesia quis.
K
Hier. 9
Matt. 5

L Sic & spiritus dei circumire dicitur, & quærere dignas animas, quæ apte, rectéque fieri possint ad habitaculum sapientiæ. Quod autem per retia fenestrarum prospicere dicitur, illud sine dubio indicat, quod donec in domo huius corporis posita sit anima, non potest nudam & apertam dei sapientiam capere, sed per exempla quædam, & indicia atque imagines rerum visibilium. Illa quæ sunt inuisibilia & incorporea contēplatur: & hoc est prospicere ad eam sponsum per retia fenestrarum. Si verò de Christo hæc & ecclesia exponamus, domus in qua habitabat ecclesia, scripturæ sunt legis & prophetarum. Ibi enim & cubiculum regis est omnibus diuitiis scientiæ ac sapientiæ repletum. Ibi & domus vini, doctrina scilicet vel mystica, vel moralis, quæ lætificat cor hominis. Adueniens ergo Christus stetit paululum post parietem veteris testamenti. Stetit enim post parietem, cum non manifestaretur ad populum: vbi verò affuit tēpus, & cœpit per fenestras legis ac prophetarū per ea scilicet quę de eo prædicata fuerāt, apparere, & ostēdere se ecclesię intra domū, hoc est intra literam legis sedēti, prouocat eā inde exire, & venire foras ad se. Nisi enim exeat, nisi procedat, & progrediatur a litera ad spiritum, non potest sponso suo coniungi, neque Christo sociari. Vocat ergo eam, & inuitat à carnalibus ad spiritalia, à visibilibus ad inuisibilia, à lege venire ad euangelia. Et ideo dicit ei: [Surge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea.] Et vt aliqua etiam de his quæ postmodum dicenda sunt præueniamus, timentes sensum perdere qui occurrit in hoc loco: propterea fortassis & illud dicit ad eam, quia etiam hyems transiit, pluuia abiit simul & passionis suæ tempus indicans, quod transacta hyeme, & deiectis imbribus ipse passus est: simul & illud quoque per spiritalem designans intelligentiam, quod vsque ad illud tempus quo Christus passus est, imbres fuerunt super terram. Mandabat enim adhuc dominus imbribus, scilicet prophetis, vt pluerent verbi pluuiam super terram. Sed quia vsque ad Ioannem Baptistam prophetica finiuntur officia, merito imbres abiisse, & discessisse dicuntur. Cessarunt autem prophetici imbres non ad damnum credentium, sed ad maiora ecclesię lucra. Quid enim imbribus opus est, vbi flumen dei lætificat ciuitatem? vbi in corde vniuscuiusque credentium fons aquæ viuę fit salientis in vitam ęternam? Quid opus imbribus, vbi iam flores apparuerunt in terra nostra. & ex aduentu domini iam non exciditur ficulnea, quæ prius non attulerat fructum? Nunc enim iam produxit grossos

2 Cor. 4
Doctrina moralis vel mystica.
M
Cur cessarunt prophetæ.

sos suos. Sed & vineæ dederunt odorē suum. Vnde & vnus quidam ex ista vinea dicebat: Quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Sed hæc (sicut suprà designauimus) antequam ad ipsa scripturæ loca veniremus præsumpsimus, ne forte fugeret nos sensus, qui occurrisse videbatur in tempore: nunc repetamus quomodo per retia prospicere dicatur. Scriptum est: Nō enim inique tendūtur retia auibus. Et iterum: Iustus si incurrerit in peccatum, effugere iubetur, sicut & damula ex laqueis, & auis ex retibus. Plena est ergo vita mortalium laqueis offensionum, retibus plena deceptionum, quas tendit aduersum genus humanum ille, qui contra dominum gigas venator Nemrod appellatur. Verus etenim gigas quis alius est nisi diabolus, qui etiam aduersus deum rebellat? Laquei ergo tentationum, & decipulæ insidiarum, diaboli retia appellantur. Et quoniam hæc retia vbique tetenderat inimicus, atque in ipsis pene omnes inuoluerat, oportebat esse aliquem qui fortior & eminentior fieret his, & contereret ea, vt sequentibus se viam posset aperire. Idcirco ergo & Saluator prius quàm in coniugium & societatem veniret ecclesiæ, tentatur à diabolo, vt vincens retia tentationum per ipsa prospiceret, & per ipsa vocaret eam ad se, docens sine dubio & ostendens ei, quod non per otium & delicias, sed per multas tribulationes & tentationes veniendum sibi esset ad Christum. Nullus ergo alius fuit, qui retia ista superare potuerit. Omnes enim peccauerunt, sicut scriptum est. Et rursus (vt scriptura dicit) Non est iustus super terram, qui fecerit bonū, & non peccauerit. Et iterū: nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Solus ergo est dominus & Saluator noster Iesus Christus qui peccatū non fecit, sed peccatū eum pater fecit pro nobis, vt in similitudine carnis peccati, de pecato damnaret peccatū. Venit ergo ad ista retia, sed inuolui in eis solus ipse nō potuit: quinimmo diruptis eis, & contritis dat ecclesiæ suæ fiduciam vt audeat iam cassare laqueos, & transire per retia, & cum omni alacritate dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quis autem contriuit laqueos, nisi ille qui solus in eis teneri non potuit? Quamuis & ipse in morte fuerit voluntarie, & non vt nos necessitate peccati. Solus est enim qui fuit inter mortuos liber. Et quia liber inter mortuos fuit, idcirco deuicto eo qui habuit mortis imperiū, abstraxit captiuitatem quæ tenebatur in mortem. Et nō solū semetipsum resuscitauit à mortuis, sed & eos qui tenebantur in morte, simul excitauit, simúlque sedere in cœlestibus fecit. Ascendens enim in altum captiuam duxit captiuitatem, non solum animas educens, sed & corpora eoram resuscitans, sicut testatur Euangelium quod corporea sanctorum resuscitata sunt, & apparuerunt multis, & introierunt in sanctam ciuitatem Dei viuentis Hierusalē. Hęc nobis expositio de retibus secundo in loco assumpta est. Sit sane legentis iudicium, quæ earum mysticis dignius aptari possit eloquiis.

[Margin: 2. Cor. 2 — Prou. 1 — Solus Christus expers peccati. — Rom. 3 — Eccles. 7 — Iob. 25 — Psal. 124 — Christi secū simul corpora sanctorū suscitauit. — Eph. 4]

HOMILIA QVARTA

SVRGE, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hyems trāsiit pluuia abiit & recessit sibi, flores visi sunt in terra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra. [Arbor fici produxit germina sua, vites florētes dederunt odorem suum.] Quid contineat ordo dramatis iam suprà descripsimus, nunc verò quid vel sermo dei ad animam se dignam, sibíque aptam, vel quid Christus ad ecclesiam dicere intelligendus sit, aduertamus. Sed interim primus sermo dei loquatur ad hanc speciosam decóramque animam, cui per sensus corporeos, id est per intuitū lectionis, & per auditum doctrinæ, quasi per fenestras apparuit, proceritatémque suæ magnitudinis demonstrauit, ita vt in superioribus ei loqueretur incumbens, atque inde euocans eam, vt procedat foras, & extra sensus iam corporeos effecta desinat esse in carne, vt merito audiat: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Non enim aliter diceret eam verbum dei proximam sibi, nisi coniungeret se ei, & fieret cum eo vnus spiritus, nec diceret eam speciosam, nisi videret imaginem eius renouari de die in diē: & nisi videret eam capacem spiritus sancti, qui in specie columbæ descendit in Iordane super Iesum, non ei diceret: [Columba mea.] Conceperat enim amorem verbi dei, & cupiebat ad ipsum volatu celeri peruenire, dicens: Quis mihi dabit pennas sicut colūbę, & volabo, & requiescam? Volabo sensibus, volabo intellectibus spiritalibus, & requiescam cum apprehendero sapientiæ & sciētiæ eius thesauros. Puto enim quia sicut qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua super terram, consortes efficiuntur similitudinis mortis eius: ita & hi qui virtutem spiritus sancti recipiunt, & sanctificantur ex eo, & donis eius replentur, quia ipse in specie columbæ apparuit, etiam ipsi colūbæ fiant, vt de terrenis & corporeis locis euolent ad cœlestia pennis sancti spiritus subleuati. Quod sit autē tēpus opportunum quo hæc fieri possint, consequenter inseruit: [Quia ecce hyems, inquit, trāsiit, pluuia abiit.] Non enim ante anima verbo dei iungitur & sociatur, nisi omnis ex ea hyems perturbationum ac vitiorum procella discesserit, & vltra iā non fluctuet, & circūferatur omni vento doctrinæ. Vbi ergo ex anima hæc cuncta discesserint, desideriorúmque ab eadem tempestas effugerit, tunc incipient in ea flores vernare virtutum, tunc eius menti & tempus putationis adueniet, & si quid superfluum & minus vtile fuerit in eius sensibus vel intellectibus resecabitur, & ad gemmas spiritalis intelligentiæ reuocabitur. Tunc etiam vocem turturis audiet, illius sine dubio sapientiæ quam dispensator verbi loquitur inter perfectos, sapientiæ dei altioris quæ abscondita est in mysterio. Hoc nanque indicat appellatio turturis. Hæc nanque auis in secretioribus, & remotis à multitudine locis vitam transigit, aut deserta montium diligens, aut secreta syluarum, procul semper à multitudine posita, & à turbis aliena. Quid autem est aliud quod opportunitati temporis huius, amœnitatíque cōueniat? [Ficus, inquit, produxit germina sua.] Notandum quidem fructus ipsius spiritus, qui sunt gaudium, charitas, pax, & cætera. Sed iam tamen germina eorū proferre incipit spiritus hominis, qui in ipso est singulariter ficulnea nominatus. Sicut enim generaliter in ecclesia diuersæ arbores singulæ quæque animæ credentium intelliguntur, de quibus dicitur: Omnis arbor quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. Et iterum Paulus, qui se dicit adiutorem dei esse in agricultura dei, ait etiam ipse: Ego plantaui, Apollo rigauit. Sed & dominus in Euangeliis, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut arborem malam, & fructum eius malum. Sicut ergo generaliter in ecclesia singuli quique credentium diuersæ arbores intelliguntur: ita & in vnaquaque anima diuersæ virtutes efficacia eius diuersæ arbores intelliguntur: Est ergo & in anima ficus quædam quæ producit germen suum: est & vitis quæ floreat, & reddat odorem suum. Cuius vitis palmites purgat pater cœlestis agricola, vt fructum plurimum afferant. Sed hæc vitis primo per odoris suauitatem quæ ex flore redditur, lætificat odoratum: secundum eum qui dicebat: Qoniam Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Hæc ergo initia virtutum videns sermo dei in anima, vocat eam ad semetipsum, vt festinet, & exeat: & abiiciens cuncta corporea venit ad eum, vt perfectionis eius particeps fiat. Idcirco igitur quasi adhuc iacenti, & in rebus corporeis iucumbenti primo dicit:

[Margin: Sensus mysticus. — Rom. 8 — Psal. 54. — Cant. 2 — Turturis natura. — Ioan. 14 — 1. Cor. 3. — Mat. 12. — 2. Cor. 2]

G [Exurge:] & quasi quæ statim obedierit, & obsecuta sit vocanti, collaudatur ab eo, & audit, [Proxima mea & columba mea.] Et post hæc ne ad tentationum turbines trepidaret, annunciat ei quod hyems discesserit, & pluuia transierit, & abierit sibi. Bene autem vitiorum & peccatorum naturam vno miro sermone prolato significauit, vt huiusmodi diceret hyemem, & pluuiam, quæ ex vitiorum delicto tempestatéque descendat, sibi abiisse indicans, & per hoc nullam esse substantiam peccatorum. Non enim decidentia de homine vitia ad aliquam aliam substantiam peccatorum congregantur, sed sibi abeunt, & in semetipsa resoluta euanescunt, atque in nihilum rediguntur. Et ideo dixit, [quia abiit sibi.] Fit ergo tranquillitas animæ apparente ei verbo dei, & cessante peccato: & ita demum florente vinea incipient virtutes atque arbusta bonorum operum fructum germinare. Sed nunc iterum Christus hæc loquitur ad ecclesiam, & in anni circulum omne præsentis seculi spatium ponit. Et per hyemem quidem illud indicat tempus, in quo vel Ægyptios grādo, & turbines ac reliqua decem plagarum verbera flagellabant: vel cum diuersa bella perferebat Israel: vel etiam cum ipsi Saluatori restitit, & incredulitatis turbine correptus, naufragio fidei submersus est. Vbi ergo illorum delicto salus gentibus facta est, vocat nunc ad se ecclesiam, dicitque ei. [Exurge, & veni ad me,] quia iam hyems quæ submersit incredulos, & vos in ignorantia reprimebat, abscessit. Sed & pluuia pertransiit, id est, iam non mandabo nubibus, prophetis scilicet, vt pluant pluuiam verbi super terras: sed ipsa vox turturis, hoc est ipsa dei sapientia loquetur in terris, & dicet: Ipse qui loquebar adsum. Flores ergo credentium populorum, & orientium ecclesiarum apparuerunt in terra. Sed & putationis tempus per fidem meæ passionis & resurrectionis aduenit. Amputantur enim & execantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donatur remissio peccatorum. Vox quidem turturis (vt diximus) iam non per diuersos prophetas, sed per os ipsius sapientiæ dei auditur in terris. Et ficulnea germinat, quæ potest in fructibus sancti spiritus accipi, qui nunc primum aperiuntur, & demonstrantur ecclesiæ: vel etiam in litera legis quæ ante aduentum Christi clausa erat & constricta, & indumento quodam intelligentiæ carnalis obtecta. Ex præsentia verò eius & aduentu prolatum est ex ea germen spiritalis intelligentiæ, & sensus viridis & vitalis qui in ea tegebatur apparuit: vt ecclesia quæ tegebatur à Christo in ficulnea, id est, in lege, non appareat arida, nec occidentem literam sequi, sed florentem, & viuificantem spiritum. Sed & vites florere dicuntur, & dedisse odorem suum. Possunt quidem & diuersæ ecclesiæ quæ per orbem terræ habentur, vites dici florentes, aut vineæ. Vinea enim domini Sabaoth domus Israel est, & domus Iuda dilecta nouella. Istæ ergo vineæ cum primo accedunt ad fidem, florere dicuntur: Cum verò per religionem operum suorum suauitate adornantur, odorem suum dedisse dicuntur: Et non sine causa puto quod nō dixerit odorem dederunt, sed odorem suum: vt ostenderet inesse vnicuique animæ vim possibilitatis, & arbitrij libertatē, qua possit agere omne quod bonū est. Sed quia hoc naturæ bonum præuaricationis occasione decerptum, vel ad ignominiā, vel lasciuiam fuerat inflexum, vbi per gratiā reparatur, & per doctrinam verbi dei restituitur, odorem reddit sine dubio illum, quem primus conditor deus indiderat, sed peccati culpa subtraxerat. Possunt autē & vites vel vineæ intelligi virtutes cœlestes & angelicæ, quæ hominibus largiūtur odorem suum, id est, doctrinæ & institutionis bonum, quo instruunt & imbuunt animas, donec ad perfectionem veniant, & incipiant capaces fieri dei. Sicut & Apostolus ad Hebræos scribens dicit: Nónne omnes sunt ministeriales spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Et ideo dicuntur ab ipsis quasi primum florem & odorem bonorum operū capere homines: ipsos verò fructus vitis ab eo sperare, qui dixit: Non bibam de generatione vitis huius, donec bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei. Illi ergo perfecti flores & fructibus ab ipso sperandi sūnt: initia verò & (vt ita dicam) proficiendi suauitas potest à cœlestibus virtutibus ministrari, vel certe per eos qui dicebant (vt suprà diximus) quoniam Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Sed & alio modo possumus adhuc intelligere hæc quæ habentur in manibus, vt dicamus veluti prophetiam quandam videri ad ecclesiam factam, per quam vocetur ad repromissiones futuras, vt quasi post consummationem seculi cum tempus resurrectionis aduenerit dicatur ei: [Exurge.] Et quia sermo hic statim opus resurrectionis designat, tanquam ex resurrectione clarior & splendidior effecta, inuitatur ad regnum, & dicitur ei: [Veni proxima mea, speciosa mea, columba mea, quia hyems transiit:] Hyemem sine dubio huius præsentis vitæ procellas & turbines nominans, quibus humana vita tētationum procellis agitatur. Transiit ergo hyems ista cum pluuiis suis; abiit sibi. Sibi enim vnusquisque egit in hac vita omne quod egit. Principium verò repromissionum futurarum flores. Securim ad radicem arboris positam in consummationem seculi; vt excidat omnem arborem non facientem fructum bonū; tempus putationis intellige. Vocem verò turturis quæ in literis repromissionis auditur, quam mansueti in hæreditate suscipient, Christi personam facie ad faciem, & non iam per speculū & in ænigmate docentis aduerte. Ficulnea verò quæ germen suum producit, totius congregationis iustorum fructus habeatur. Istæ verò & sanctæ & beatæ angelicę virtutes, quibus electi quique & beati ex resurrectione sociabuntur, qui erunt sicut angeli dei, ipsæ sunt vites florentes & vineæ, quæ odorem suum vnicuique animæ, & gratiam quam à cōditore suscepit prius, & nunc iterum perditam recuperauit, impertiunt, suauitatéque cœlestis odoris fœtorem tandem abiectæ ab eis mortalitatis corruptionisque depellunt. [Surge, & veni proxima mea, columba mea, in velaminibus petræ iuxta promurale. Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocem tuam, quoniam vox tua suauis est, & facies tua speciosa:] Secundum propositi dramatis ordinem sponsus, qui saliens super montes, & exiliens super colles ad sponsam venerat, prospiciens eam, & intuens per fenestras, secundo iam loco dicit ad eam. [Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea.] Nunc verò addit etiam hoc vt ostēderet ei locum ad quem venire debeat, qui locus sub velamento & tegmine saxi sit positus. Sit autē idem locus non tam iuxta murū, quàm iuxta promurale quoddā. Promurale autem dicitur, cū extra muros qui ambiunt ciuitatē, alius ducitur murus, & est murus ante murū. Tū deinde quasi si reuerētiæ causa ipsa sponsa obtecta sit & velata, petit ipse spōsus, vt veniens ad illū locum quē suprà ostendit, vtpote secretiorem, ibi ei quasi reiecto velamine ostendat faciem suam. Et quia pro multa reuerentia taceret sponsa, desiderat sponsus aliquando etiā vocem eius audire, & delectari in verbis eius, & dicit, vt auditam sibi faciat vocem suam. Videtur tamen quod nō ei penitus incognita sit facies eius, neque vocis eius ignarus sit, sed quia intercesserit aliquid, in quo nec faciem eius viderit, nec vocē audierit. Iste sit propositi dramatis textus. Cui & hoc additur, quod veris tempus agi videatur, cum & flores apparuisse memoratur in terra, & vox turturis personare, & germen arbores produxisse. Propter hoc velut opportuno tempore progredi prouocat sponsam, quæ sine dubio hyemem totam intra domus claustra resederit. Sed hæc nullam mihi videntur (quantum ad historicam narrationem pertinet) vtilitatem conferre legentibus, aut aliquam saltem narrationis ipsius seruare consequentiam, sicut in cæteris scripturę historiis inuenimus. Vnde necesse est cūcta ad spiritalem transferre intelligentiā. Primo ergo intellige mihi animę hyemem, cum adhuc passionum fluctibus iactatur, & vitiorum procellis ac duris malignorum spirituum flatibus verberatur. In his positam non hortatur eam sermo dei foras exire, sed intra semetipsam colligi, & vniri vndique, atque contegi contra perniciosos malignorum spirituum flatus. Nulli tunc in diuinis literis studiorum flores apud eam, nec profundioris sapientiæ secreta, & recondita mysteria quasi per vocem turris resonant. Sed neque odoratus eius gratiæ aliquid quasi ex vineæ floribus recipit, neque visus eius tanquā in ficulneæ germine delectatur, sed sufficit vt in tempestatibus tentationum à lapsu peccati tuta ac munita permaneat. Quod si obtinuerit vt illæsa perduret

Nulla substantia peccati. *Esa.40.* *In baptismo execantur peccata.* *Esa.5.* *arbitrij libertas.* *Heb.1.* *Luc.22.* *Dramatizatio.* *Spiritalis intelligentia.*

A perduret, hyems ei transiit, & venit ei ver. Ver nanque ei est, cum quies animo datur, tranquillitas menti. Tunc ad eã venit verbum dei, tunc eam vocat ad se & hortatur vt exeat, non solum extra domum, sed extra ciuitatem: id est non solum extra carnis vitia efficiatur, sed extra omne quicquid corporeum & visibile continetur in mundo. Nanque figuraliter in lege ciuitatem iam in superioribus euidenter ostendimus. Euocatur ergo anima extra murum, & vsque ad promurale perducitur, cum abiiciens & relinquens ea quæ videntur, & temporalia sunt, contendit ad ea quæ non videntur, & æterna sunt. Ostenditur ergo ei iter istud sub velamine petræ agendum, non sub aëre nudo, neque vt patiatur solis ardores, ne iterum fusca fiat, ne iterum dicat, despexit me sol: propterea sub velamine petræ agit hoc iter. Hoc autem ipsum velamen non vult ex frondibus ei esse aut linteis, aut pellibus, sed petram vult ei esse velamen, id est, firma & solida Christi dogmata. Ipsum nanque esse petram Paulus pronunciat dicens: Petra autem erat Christus. Christi ergo doctrina & fide si obtegatur anima & veletur, tuto potest ad illud peruenire secretum, vbi reuelata facie gloriam domini contempletur. Merito autem velamen istud petræ tutũ creditur, quia & Solomon de ea dicit in Prouerbiis, quod vestigia serpentis non possunt deprehendi super petram. Sic enim ait: Tria sunt quæ impossibile est mihi intelligere, & quartum quod ignoro, vestigia aquilæ volantis, & viam serpentis super petram, & semitas nauis in pelago, & vias viri in iuuentute. Serpentis ergo, id est signa aliqua peccati, in B hac petra quæ est Christus, inueniri non possunt, quia solus est qui peccatum non fecit. Huius ergo petræ vero velamine anima tuto peruenit ad promuralem locum, id est ad contemplãdum incorporalia & æterna. De hac eadem petra alia verbi specie Dauid in xxxix psalmo dicit: Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Nec mireris si apud Dauid petra hæc quasi fundamentũ & crepido est animę, per quam pergit ad deum, & apud Solomonem velamẽ est animæ ad mystica sapientiæ secreta tendentis: cum & ipse Christus nunc via dicatur, per quam credentes incedũt, nunc etiam præcursor, sicut ait Paulus: In quod præcursor introiuit pro nobis Iesus. Simile est & illud quod per Moysen dicitur à deo: Ecce posui te in foramine petræ, & videbis posteriora mea. Igitur petra ista quæ Christus est, non est ex omni parte clausa, sed habet foramen. Foramen verò est petræ, qui reuelat & innotescere facit hominibus deum. Nemo ergo videt patrem, nisi filius: nemo ergo videt postrema dei, id est quę in postremis temporibus fiunt, nisi positus in foraminę petræ, scilicet cum ea Christo reuelante didicerit. Et hic ergo sub velamine petræ animam proximam sibi effectam inuitat sermo dei ad promuralem locum, sicut suprà iam diximus, ad contemplanda ea quæ non videntur, & ęterna sunt, & ibi dicit ad eam: [Ostẽde mihi faciem tuam:] C profecto vt videat, si non aliquid in vultu eius veteris adhuc velaminis habeat, sed possit intrepidis obtutibus gloriam domini speculari, vt hæc ipsa dicat: Et vidimus gloriam eius tanquam vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Sed & cum digna fuerit, vt de ipsa dicatur sicut & de Moyse dictum est, quia Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei, tũc completur in ea quod ait: Auditam fac mihi vocem tuam. Ingens verò laus eius ostenditur in eo quod dicitur: [Vox tua suauis.] Sic enim sapientissimus propheta Dauid dicebat: Suauis sit ei disputatio mea. Suauis autem est vox animę, cum verbum dei quod loquitur, cum fide & dogmatibus veritatis exponit, cum dispensationes dei & iudicia eius explanat. Si verò aut stultiloquium, aut scurrillitas, aut vanitas de ore eius procedunt, aut verbum otiosum, de quo reddẽda sit ratio in die iudicij, insuauis & iniucunda vox ista est. Ab hac voce Christus auertit auditum suum. Et ideo quæque perfecta anima ponit ori suo custodiam, & ostium circunstantię labiis suis, vt talem semper sermonem proferat, qui sale conditus det gratiam audiẽtibus, & dicat de ea verbum dei [quia vox tua suauis. Sed & facies tua (inquit) speciosa.] Si intelligas illam faciem de qua Paulus dicit: Nos autem omnes reuelata facie: & item cum dicit: Tunc autem facie ad faciem: tũc videbis quæ sit animę facies quæ laudetur à verbo dei, & speciosa esse dicatur. Illa sine dubio quę quotidie renouatur ad D imaginem eius qui creauit eam, quæ nõ habet in se maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed est sancta & immaculata: qualem & ipse sibi exhibuit Christus ecclesiam, animas scilicet quæ ad perfectionem venerunt, quæ omnes simul efficiunt corpus ecclesiæ. Quod corpus vtique pulchrum videbitur & decorum, si animæ ex quibus corpus illud efficitur, in omni perfectionis decore permanserint. Sicut enim cum anima in iracundia est, turbatum & ferum reddit corporis vultum: cum verò in mansuetudine & tranquillitate persistit, placidum mitémque reddit aspectum: ita & ecclesiæ facies pro virtutibus & moribus credentium, aut decora pronunciatur, aut turpis. secundum quod & scriptum legimus: Vestigium cordis in bonis, vultus hilaris. Et item alibi: Cordis læti facies florida, in tristitiis autem positi mœstus est vultus. Cor ergo lætum est, cum habet in se spiritum dei: cuius primus fructus charitas est, secundus gaudium est. Ex his puto quosdam sapientes seculi assumpsisse illam sententiam quæ dicit, quia solus sapiens speciosus est, omnis autem nequam turpis est. Superest nobis vt aliquid apertius etiam de nomine promuralis dicamus. Quod (sicut suprà diximus) indicat murum esse ante murum. quod etiam in Esaia hoc modo dicitur: Pone murum & circa murum. Murus munimentum ciuitatis est. Alius verò murus ante murum, vel circa murum, maiora & validiora munimenta designat. Per quod ostenditur, quia euocans sermo dei animam & educẽs eam à corporalibus negotiis & corporeis sensibus, docere eam de futuri seculi mysteriis cupit, & inde ei munimenta conquirere, vt spe futurorum munita & circundata in nullo possit vel illecebris vinci, vel tribulationibus fatigari. Nunc E etiam videamus quomodo hæc à Christo ad ecclesiam dicatur, quæ est proxima ei & speciosa. Speciosa autem nulli alij nisi soli ipsi. Hoc enim significat cum dicit, [speciosa mea.] Hãc ergo exuscitat Christus, & ipsi euangelium resurrectionis annunciat, & ideo dicit: [Exurge, veni proxima mea, speciosa mea.] Quia autem dedit & ei pennas columbæ, posteaquam dormiuit in medio sortium: media autem inter duas vocationes Israelis ecclesia vocata est, quia primo Israel vocatus est, post hæc vbi ipse offendit & cecidit, vocata est ecclesia gentium: cum autem plenitudo gentium introierit, tũ iterum omnis Israel vocatus, saluabitur: in medio ergo harum duarum sortiũ dormit ecclesia. Et propter hoc dedit ei pennas columbæ deargentatas, quod significat rationabiles pennas in sancti spiritus donis. Et posteriora dorsi eius, vel in viriditate auri, vt quidam legunt, vel vt alij scriptum habent, in pallore auri. Quod ostendere potest, quia posterior illa vocatio quam ex Israel futuram dicit Apostolus, non erit in obseruantia legis, sed in preciositate fidei. Auri nanque viriditatis gerit speciem, fides virtutibus florens. Potest autem dici in medio earum sortium dormire, vel quiescere ecclesia, in medio duorum testamentorum: & pennæ eius deargentatæ ex sensibus legis. Aurum in posterioribus dorsi eius, intelligi euangelici muneris donum potest. Ad hanc ergo ecclesiã dicit Christus: [Veni tu columba mea, & veni in operimento petræ:] docens eam vt operta veniat, ne quid patiatur ab incursantibus eam tentationibus, sed sub vmbra petrę incedat obtecta dicens: Spiritus vultus nostri Christus domi- F nus, cui diximus: In vmbra eius viuemus in gentibus. Obtecta autem incedit & adoperta, quia debet potestatem habere super caput, propter angelos. Cum autem venerit ad promuralem locum, id est ad futuri seculi statum, ibi ad eam dicit: [Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocẽ tuam, quia vox tua suauis est.] Auditam vult fieri vocẽ ecclesiæ suæ, quia qui eum cõfessus fuerit coram hominibus, & ipse confitebitur eũ coram patre suo qui in cœlis est. [Quia vox tua suauis est.] Et quis non fatetur suauẽ vocem ecclesiæ catholicæ fidem veram confitentis, insuauem verò & iniucundam esse hæreticorum vocẽ, qui non dogmata veritatis, sed blasphemias in deum, & iniquitatem in excelsum loquuntur? Sic & facies ecclesiæ speciosa est: hæreticorũ verò turpis & fœda: si quis est tamen qui bene nouerit pulchritudinẽ vultus probare, id est, si quis spiritalis est qui scit examinare omnia. Nam apud imperitos & animales homines pulchrio-

Marginalia: Cant. 1 — 1 Cor. 10 — Prou. 30 — Heb. 6 — Exod. 33 — Ioan. 6 — Ioan. 1 — Cant. 2 — Psal. 135 — 2. Cor. 3. — 1. Cor. 13 — Eccl. 1 — Prou. 15 — Esa. 26 — Duæ vocationes Israelis. — Rom. 11 — Psal. 67

G ra videntur mendacij sophismata, quàm dogmata veritatis. Possumus autem adhuc de loco promurali etiam hoc addere quod promurale sinus sinus sit patris, in quo positus vnigenitus filius, enarrat omnia & enunciat ecclesiæ suæ quæcunque in secretis & in absconditis patris sinibus continentur. Vnde & quidam ab eo edoctus dicebat: deũ nemo vidit vnquã. Vnigenitus dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Illuc ergo euocat sponsam suam Christus, vt & de omnibus eam quæ apud patrem habentur, edoceat & dicat: Quia omnia vobis nota feci quæ audiui à patre meo: & vt iterum dicat: Pater volo vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. [Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, & vineæ nostræ florebunt.] Secundum dramatis ordinem mutata est persona. non enim iam ad sponsam, sed ad sodales loquitur sponsus, & ipsis dicit, vt capiant vulpes pusillas quæ insidiantur vineis, vbi primum germen ostenderint, nec sinunt eas peruenire ad florem. Capi ergo eas præcepit, saluti & vtilitati consulens vinearum. Sed hæc, vt cœpimus, spiritali expositione discutienda sunt. Et puto quod si de anima hæc quæ se verbo dei coniungit, aduertas, vulpes contrariæ potestates & nequitiæ dæmonum intelligi debeant, per cogitationes prauas & intelligentiam peruersam exterminantes in anima virtutum florem & fructum fidei perimentes. H Prouisio igitur verbi dei qui est dominus virtutum, mãdat angelis suis qui ad ministerium missi sunt, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt capiant ex vnaquaque anima huiusmodi cogitationes à dæmonibus immissas, vt abiectis eis possint florem virtutis afferre. Capiant autem cogitationes malas in eo, cùm suggerunt menti non esse eas à deo, sed esse à maligno spiritu, & dant animæ discretionem spirituum, vt intelligat quæ sit cogitatio secundum deum, & quæ sit ex diabolo. Vt autem scias esse cogitationes quas immittit diabolus in cor hominum, vide in Euangelio quod scriptum est: Cum autem immisisset, inquit, diabolus in cor Iudæ Ischariotis vt traderet eum. Sunt ergo huiusmodi cogitationes quæ à dæmonibus iniiciuntur in cordibus hominum. Sed quia non deest diuina prouidentia, ne forte per huiusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & non esset iusta causa iudicij, idcirco benignis angelis & amicis potestatibus hominum cura mandatur, vt cum deceptores quasi vulpes incursare cœperint hominem, dextris eũ auxiliis subleuent. Et ideo dicitur, [Capite nobis vulpes pusillas.] Competenter sanè cum adhuc pusillæ sunt, capi eas mandat & comprehendi. Dum enim cogitatio mala in initiis est, facile potest abiici à corde. Nam si frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum: & post consensum intra cor suum confirmatum, I certum est quia ad peccati tendat affectum. Dum ergo in initiis est, & pusilla est, capi debet & abiici, ne si adulta fuerit & inueterata, iam non possit expelli. Denique & Iudas initium mali habuit in amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes pusilla. Sed & ab hac cum videret dominus Iudæ animam quasi florentem vineam lædi, capere eam volens, & abiicere ex eo, commisit ei pecuniæ loculos, vt possidens quod amabat, à cupiditate cessaret. Sed ille vtpote habens sui arbitrij libertatem, non est amplexus medici sapientiam, sed indulsit semetipsum illi magis consilio quo exterminabatur anima sua, quàm quo sanabatur. Si verò hæc de Christo & ecclesia intelligamus, sermo videbitur ad ecclesiæ doctores dirigi, & mandari eis de captione vulpium exterminantium vineas. Vulpes autem peruersos doctores hæreticorum dogmatum possumus intelligere, qui per argumentorum calliditatem seducunt corda innocentium, & vineam domini exterminant ne floreat in fide recta. Datur ergo præceptum doctoribus catholicis, vt dum adhuc pusillæ sunt istæ vulpes, & nondum plures animas deceperunt, sed initium habet praua doctrina, arguere hos & refrenare festinent, & verbo veritatis contradicentes reuincere, & capere hos assertionibus veris. Si enim permanserint in principiis, & indulserint, sermo eorum sicut cancer serpit, & fiet insanabilis: vt multi inueniantur qui decepti ab eis pugnare iam pro ipsis incipiant, & defendere suscepti erroris auctores. Sic ergo pusillas dignum est vulpes capere, & dolosa hæreticorum sophismata in ipsis statim initiis veris assertionibus K confutare. Vt autem vtriusque expositionis nostræ euidentior clarescat assertio, congregemus ex diuinis voluminibus sicubi animalis huius mentio facta est. Inuenimus ergo in sexagesimo secundo psalmo de impiis ita dici: Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erũt. Sed & in Euangelio secundum Matthæum saluator ad scribam qui dicebat ei: Magister, sequar te quocunque ieris, respondit. Vulpes foueas habẽt & volucres cœli nidos vbi requiescãt, filius autẽ hominis nõ habet vbi caput suũ reclinet. Similiter autem & in Euangelio secundum Lucam ad eos qui dixerunt domino: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere, respondit Iesus: Euntes dicite vulpi huic: Ecce ego eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & crastina, & in die tertia consummabor. In libro quoque Iudicum, Sampson cum vxor quæ erat ex genere Phylistinorum, ei fuisset ablata, ait ad patrem eius: Innocens sum ego hac vice ab Allophylis, quia faciam vobiscum mala. Et abiit Sampson, & accepit trecentas vulpes, & accepit lampades, & ligauit caudam ad caudam, & posuit lampadem vnam inter duas caudas vulpium, & accendit ignem in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorum, & incendit omnes messes eorum & stipulas eorum, & vineas eorum, & olіueta eorum. Adhuc L autem in secundo libro Esdræ, vbi Tobias Ammonites impediuit ædificationem eorum qui de captiuitate redierãt, vt ædificarent templum & murum, ait ad Allophylos: Nunquid isti sacrificabunt, aut comedent immolata in hoc loco? Nõnne ascendent vulpes, & destruent murum ipsorum, quem ex lapidibus ædificant? Hæc sunt interim quæ ad præsens nobis ex scripturis diuinis occurrere potuerunt, in quibus animalis huius memoria facta est, vt ex his sapiens quisque lector prudenter possit coniicere, si apta vsi sumus expositione in his quæ proposita sunt nobis, ad explanandum id quod ait: [Capite nobis vulpes pusillas.] Et quanuis operosum sit singula quæ exempli causã assumpsimus explanare, tamen quæ poterimus, breuiter contingemus. Et primo de sexagesimo secundo psalmo videamus, vbi cum iusti animam persequerentur impij, ille psallebat, dicens: Ipsi autem in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. In quo vtique ostenditur quod vanis & inanibus verbis praui doctores decipere volentes animam iusti, introire dicuntur in inferiora terræ, terram vtpote sapientes, & de terra loquentes, atque in inferiora eius, id est, in profundum stultitiæ descendentes. Puto enim quod hi qui carnaliter viuunt, quia sibiipsis tantummodo nocent, terra esse & in terra habitare dicuntur. Hi verò qui terrenis & carnalibus sensibus scripturas intelligunt, & alios ita docendo de- M cipiunt, pro eo ipso quod argutias quasdam & argumenta carnalis & terrenæ sapientiæ confingant, in inferiora terræ dicuntur ingredi: vel certe quia grauius delinquunt qui terrena docent, quàm qui ita viuunt, eis futura pœna etiã grauior imminet: iidémque ipsi in manus gladij tradendi prophetantur, illius fortassis flammei & versatilis. Quomodo autem & partes vulpium fiãt, videamus. Omnis anima aut pars est dei, aut pars est cuiuscunque qui accepit potestatem super homines. Nam cum diuideret altissimus gentes, & dispergeret filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum dei, & facta est portio domini Iacob. Cũ ergo constet vnamquanque animam aut in parte dei, aut in parte esse alterius cuiuslibet, quoniamquidem per arbitrij libertatem possibile est vnumquenque ex parte alterius trãsire, vel ad partem dei si melius ipso iuuante elegerit, vel si nequius ad dæmonum portionem, hinc horum mentio habetur in psalmo: Qui in vanum quæsierunt animam iusti, partes erunt vulpium. veluti si diceret & pessimorum & nequissimorum dæmonum partes erunt: vt vnaquæque maligna virtus & dolosa, per quam deceptiones & fraudes falsæ scientiæ introductæ sunt, figuraliter vulpes appellentur: & hi qui in hunc errorem deducuntur, & nolunt acquiescere sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ quæ secundum pietatem est, sed decipi se patiuntur à talibus

Ioan. 1. — Ioan. 17. — Ordo dramatis. — Spiritalis expositio. — Ioan. 13. — Liberum arbitrium Iudæ. — Mat. 8. — Luc. 13. — Iud. 15. — Deut. 32. — Liberum arbitrium.

A libus, isti talium partes vulpium fient, & introibunt cum eis in inferiora terræ. Ipsi sunt & illi in quibus secundum Euangelium vulpes istæ quas suprà memorauimus, foueas habere dicuntur, in quibus filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Herodem quoque vulpem nominatum pro fallaci calliditate credendum est. Nam de Sampson qui trecẽtas vulpes cepisse, & colligasse per caudas, atque interiecisse lampades ardentes in medio caudarum, atque immisisse per messes Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliuetis vineisque memoratur, valde mihi difficilis formę huius vel figurę videtur explanatio. Tentemus tamen aliqua ex his pulsare pro viribus, & ponamus, sicut expositio nostra in superioribus continet, vulpes esse fallaces, peruersósque doctores. Hos Sampson qui veri & fidelis imaginem tenet doctoris, capiens verbo veritatis, caudam ad caudam colliget, id est, aduersantes sibi, & diuersa à se inuicẽ sentiẽtes docentésque confutet, atque ex ipsorum verbis propositiones collectionésque accipiens, in Allophylorũ segetem ignem conclusionis emittat, & ex propriis eorum argumentis omnes eorum fructus atque vineas & olíueta pessimæ generationis incendat. Sed & ipse numerus trecentarum vulpium quæ à semetipsis diuersæ & dissonantes erant, triplicem formam indicant peccatorum. Omne enim peccatum aut in facto aut in verbo, aut in consensu mentis admittitur. Verum ne illud

Allegoria vulpium Sampsonis.

B quidem quod in secundo libro Esdræ scriptum diximus, penitus omittendum est: vbi cum ædificarentur sancta sanctorum, id est cum fides Christi & sanctorum eius mysteria cõderentur, inimici veritatis, fideíque contrarij, qui sunt sapientes huius seculi, videntes absque arte grammatica & peritia philosophica, consurgere muros Euangelij, velut cum irrisione quadam dicunt perfacile hoc posse destrui calliditate sermonum per astutas fallacias & argumenta dialectica. Hæc interim quantum breuitas potuit pati de assumptis exemplis dicta sufficiant. Nunc iam ad propositum reuertamur. Videtur ergo in Cantico canticorum præceptum dari ab sponso amicis sibi virtutibus, vt capiant & arguant contrarias potestates, quæ insidiãtur animabus hominum, ne exterminent eorum initia fidei, florémque virtutum sub specie

Triplex peccati species

D secretę alicuius & occultæ sapientiæ, quæ quasi vulpes in foueis, ita in his hominibus qui semetipsos ad hæc sectanda præbuerint, delitescunt. Et quo facilius confutari possint & argui, dum paruæ sint vulpes ipsæ, & initia habent pessimæ persuasionis, capi iubentur. Nam si forte creuerint, & maiores fuerint vulpes effectę iam nequeant ab inimicis sponsi, sed ab ipso fortassis sponso solo capi poterunt. Sed & sancti quique doctores & magistri ecclesiæ, sicut acceperunt potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, ita accipiũt potestatem etiam capiendi vulpes. Sic enim data est potestas eis super omnem virtutem inimici. Vna sine dubio ex cæteris inimici virtutibus est vulpes, quæ exterminat vineas florentes, quæque cum adhuc parua est, capi iubetur, sicut & in centesimo trigesimoseptimo psalmo, beatus dicitur qui tenet & allidit paruulos Babylonis ad petram, nec permittit sensum Babylonium crescere in semetipso & augeri, sed cũ est in initiis allidit eum, & tenet ad petram: tunc enim facile perimitur. Sic ergo ordo explanationis percurrat. [Capite vulpes nobis pusillas, quę vulpes exterminant vineas florentes.] Quod autem dicit nobis, hoc est mihi sponso & sponsæ: vel certe mihi & vobis qui estis sodales mei. Potest autem & ita accipi: [Capite nobis vulpes:] & post distinctionem dici, [pusillas exterminantes vineas,] vt pusillas nõ tam ad vulpes quàm ad vineas referamus: vt videantur pusillæ quidem vineæ exterminari posse: id est paruæ quæque animæ, & initia habentes, non firmæ & robustæ lædi posse à

Matt. 14

Cant. 2

E contrariis potestatibus. Sicut in euangelio dicitur: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis. In quo ostenditur, quia scandalizari non potest grandis & perfecta, sed pusilla & rudis anima, sicut in psalmo dicitur: Pax multa diligẽtibus nomen tuum, & non est illis scandalum. Simili ergo exemplo potest videri, quod pusilla quæque vinea, incipiens videlicet anima, possit à vulpibus, id est malignis cogitationibus, vel prauis doctoribus lædi, perfecta verò & valida non possit. Sed si capiantur à bonis doctoribus vulpes istæ, & abiiciantur ex anima, tunc proficiet in virtutibus, & florebit in fide, Amen.

Matt. 18

Psal. 119

ORIGENIS ADAMANTII

HOMILIAE IN VISIONES ESAIAE.

Visio prima. Et factum est in anno quo mortuus est Ozias rex, vidi dominum sedentem super solium excelsum. Cap. VI. Homilia I.

C

QVANDIV Ozias rex vixit, non potuit visionem videre Esaias propheta. Erat enim Ozias peccator, & faciens malignum ante conspectum domini, & agens aduersus voluntatem diuinę legis. Ingressus est templum & sancta sanctorum, & ob hoc lepra perfusus in fronte est, ita vt extra ciuitatem vadens inter immundos computaretur. Talem igitur principem animæ oportet mori, vt visionem dei videre possimus. Neque enim frustra scriptum est: [Et factum est in anno quo mortuus est Ozias rex, vidi dominum.] Vnicuique nostrum viuit Ozias siue Pharao & non suspiramus Ægyptia opera facientes. Si autem moritur, tũc suspiramus, vt in Exodo scriptum est. Si Ozias viuit, non videmus gloriam dei, si autem moritur, tunc videmus statim vt moritur Ozias gloriam dei tantum hoc sit vt regnet in nobis sermo eius qui dixit: Ego autem constitutus sum rex ab eo, & non regnet ira. Est quidem & peccati rex. Apostolus ita sciens, ait: Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore. Miserabilis ille homo cui peccatum regnat, qui tali se tradit regi, despiciẽs regnum dei, & subiiciens se voluptati. Propterea voluptatis amator, non est amator dei. Et secundum Apostolum de quibusdam dicitur: Amantes voluptatem magis quàm deum. Et quidem id ipsum non de his dictum est, qui omnino sunt

Psal. 2

Rom. 6

2 Tim. 3

infideles, sed de his qui intrinsecus commorantur, voluptatem magis quàm deum amantes, qui habent figurationem pietatis, virtutem autem eius negantes. Hæc propter mortem regis Oziæ, post cuius interitum vidisse se ait visionem Propheta. Quæ est autem visio? [Vidi dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum,] &c. Non omnis qui videt deum, videt eum sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Scio alium prophetam vidisse dominum, & vidisse eum super thronum sedentem, sed non excelsum, neque eleuatum. Disserens scripturam Daniel, dicit: Throni positi sunt, & non erat excelsus ille thronus. Et veniam, vt sedeam ad iudicandum populum in valle Iosaphat. Ergo hic in valle sedit, & in valle eum iudicaturus est, quem est condemnaturus. Aliud autem est videre eum sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Et in Michea: Egredere, & descẽdit deus. Et vt videat Sodomam, descendit. Descendẽs ait, videbo si secundũ clamorẽ eorum venientẽ ad me cõsummauerũt. Igitur deus aliquãdo sursum, aliquando deorsũ iuxta dignitatẽ videtur negotiorũ. [Vidi ergo dominũ Esaias ait, sedentẽ super thronũ excelsũ & eleuatũ.] Si video deũ in his qui hic sunt regnantẽ, non eũ video super thronũ excelsum & eleuatum. Si video eum regnantẽ cœlestibus virtutibus, video eum sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Quid est quod dicit cœlestibus virtutibus? Throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes cœlestes

F

Daniel. 7

Mich. 1

Gen. 18

G sunt. Etsi video eũ, quomodo eis regnet in verbo, [vidi dominũ sedentem super thorũ excelsum & eleuatũ. Et plena erat domus gloria eius. Sursum quoque eleuatus est thronus eius plenáque est domus gloria eius. Non arbitror, quia plena est domus gloria eius, hæc quæ in terra est. Domini est terra & plenitudo eius. Plenitudinem autem gloriæ dei non inuenies in præsenti: sed si quis ædificauerit templum deo, videbitur gloria dei, & si seruat hoc quod dictum est, plena domus videtur gloria dei. Nescio autem an sic domus gloria compleatur. Et in Leuitico quantum ad præsens pertinet negotium, deo largiente, legitur in collecta quæ sequitur, quia præcepit dominus quædam fieri vt videatur domini gloria. Nec vnquam apparebit gloria dei, si non hæc fiant. Cognoscimus autem illa cum lecta fuerint. [Et Seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri.] Duo video Seraphim: & vnumquodque eorum in semetipso habens sex alas. Deinde dispositio alarum. Et duabus quidem aliis velabant faciem, non propriam, sed dei: duabus aliis velabant pedes, non proprios, sed dei: duabus autem alis volabant. Iuxta quod scriptum est, contrarium sibi videtur. Si stabant, volare non poterant. scriptum verò est: [Seraphim duo stabant in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri: & duabus quidem velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum.] H Verum hæc Seraphim quæ circa deum sunt, quæ sola cognitione dicunt: [Sanctus, sanctus, sanctus,] propter hoc seruant mysterium trinitatis, quia & ipsa sunt sancta. His enim in omnibus quæ sunt, sanctius nihil est. Et non leuiter dicunt alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus, sed salutarem omnibus confessionem clamore pronunciant. Quæ sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Iesus & spiritus sanctus. Nec putes trinitatis deserere naturam, si nominum seruantur officia. [Operiebant faciem dei.] Exordium enim dei ignotum est. [Sed & pedes.] Nouissimũ enim quod in deo nostro est, non comprehenditur. Sola enim media videntur. Ante ista quæ fuerint, nescio: ex iis quæ sunt, intelligo deum. Post ista quæ futura sunt, iuxta quod futura sunt, nescio. Quis pronunciauit ei? Dixit Ecclesiastes: Annunciate mihi priora & nouissima quæ erunt, & dicam quoniam dij estis. Hinc & Esaias ait: Priora annunciate nobis, & ponemus cor nostrũ, & sciemus, & nouissima eorum quæ ventura sunt, indicate nobis. Quæ ventura sunt, in futurum nunciate, & dicemus quoniam dii estis. Ex quo si quis dixerit præterita, & poterit nouissima dicere: Deus est: quis ergo potest dicere præter Seraphim, Sanctus, sanctus, sanctus? Seraphim autem nudauerunt quandam partem dei, vt ita dicam, medietatem eius, & clamabant aliud ad aliud assistentia deo, atque dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus. Stant igitur & mouentur, stant cum deo, mouentur demonstrãtia deum. Intellige enim quia I velant faciem, velant pedes, non mouentur quæ velata sunt, non velantur quæ volant, & dicunt: Sanctus, sanctus sanctus dominus deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Domini mei Iesu Christi nunciatur aduẽtus, nunc itaque plena est omnis terra gloria eius. Aut certe necdum plena est, sed futurum vt impleatur, cum expleta fuerit oratio, qua patrem nos ipse dominus iussit orare. Cum oraueritis, inquiens, dicite: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnum tuũ. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Adhuc in cœlo voluntas est patris, in terris necdum volũtas eius expleta est, vt ipse Iesus iuxta dispensationem carnis quã induerat, ait: Dedit mihi vniuersam potestatem, vt in cœlo & in terra. Nunquid potestatem non habet in terra is qui habebat in cœlis? & aliquid de mundo acciperet, qui in sua venerat? Sed vt ita crederetur deus in terra, quomodo credebatur in cœlo, ergo accepit potestatem homo Christus, quam ante non habuit: & vsque ad præsens necdum habet in terra omnium potestatem. In his quippe qui peccant, necdum regnat, sed quando ei data est & horum potestas, cum ei subdita fuerint omnia, tunc complebitur potestas, & perambulabit subiiciens sibi omnia. Quidam autem necdum volunt subiici ei, verum adhuc inimicis eius subiiciũtur. Nos porrò dicamus: Nonne deo subiecta erit anima mea? apud eum enim salutare meũ. [Et duabus volabant, & dicebat alterum ad alterũ: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Et eleuatum est superluminare à voce qua clamabant,] voce Iesu Christi & voce spiritus sancti. Si aliquis è nobis clamantium audierit vocem Iesu Christi & spiritus sancti, eleuatur superliminare, & altius fit quàm eo tẽpore cum eleuatum est, quumque dictũ est: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. [Et domus impleta est fumo.] Ex remissione ignis cuncta impleta est domus. Fumus autem vapor ignis est. [Et dixi: O miser ego, quoniam compunctus sum, quia cum sim homo, & immunda labia habeam.] Non possum sentire quare humiliauerit seipsum Esaias. Verum dicit: testimonium enim dat scriptura, quia eius mundantur labia ab vno ex Seraphim qui missus est ad auferanda eius peccata. Vnus autem ex Seraphim dominus meus Iesus Christus est, qui ad auferenda peccata nostra à patre missus est, & dicit: [Ecce abstuli iniquitates tuas, & peccata tua circummundaui.] Nec putes naturæ contumeliam, si filius à patre mittitur. Denique vt vnitatẽ deitatis in trinitate cognoscas, solus Christus in præsenti lectione nunc peccata dimittit, & tamen certum est à trinitate peccata dimitti. Qui enim in vno crediderit, credit in omnibus. [Deferatur ergo mihi de altario cœlesti forceps vt tangãt labia mea.] Forceps domini si tetigit labia mea, mũ-L dat ea. Et si mundauerit ea, & circumciderit à vitiis, vt nuper diximus, aperiam verbo dei os meum, nec vlterius sermo immundus exiet ex ore meo: quia [cum sim homo, & immunda labia habeam, in medio quoque populi immunda labia habentis habito.] Seraphim quod missum fuit, mundauit labia prophetæ, non mundauit autem labia populi. Confessus est enim ipse immunda labia se habere, & in medio populi immunda labia habentis habitare. Sed hoc quod missum est Seraphim, non iudicauit dignos esse de populo, vt & illorum labia emundaret, & idcirco adhuc impie agunt, idcircò adhuc domino meo Iesu Christo repugnant, adhuc ei maledicunt immundis labiis. Ego autem precor, vt veniẽs Seraphim, emundet labia mea. [Et regem dominum sabaoth vidi oculis meis.] Cur non dicamus in præsenti traditionem quandam Iudæorum verisimilem quidem, nec tamen veram, & solutionem eius quare non inueniamus? Aiunt ideo Esaiam esse sectum à populo, quasi legem præuaricantem, & extra scripturas annunciantem. Scriptura enim dicit: Nemo videbit faciem meam, & viuet. Iste verò ait: [Vidi dominum sabaoth.] Moyses (aiunt) non vidit, & tu vidisti. Et propter hoc eum secuerunt, & condemnauerunt eum vt impium. Non enim sciebant quia duabus alis velauerunt faciem dei Seraphim. [Vidi dominum,] sed faciem non vidit Esaias, nec Moyses vidit. Posteriora vidit (vt scriptum est) Moyses. Ve-M runtamen vidit dominum, etsi faciem eius non vidit. Et hic ergo vidit, licet faciem non viderit. male igitur condemnauerunt Prophetam. [Et regem dominum Sabaoth vidi oculis meis, & missus est ad me vnus de Seraphim.] Non est vnus domini mei Iesu Christi aduentus quo descendit ad terras: & ad Esaiam venit, & ad Moysen venit, & ad populũ venit, & ad vnumquẽque prophetarum venit: neque tu timeas, etiam si iam cœlo receptus est, iterum veniet. Quia autem & ante præsentiam carnalem ad homines venerit, ipsum accipe testem denunciantem atque dicentem: Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties volui colligere filios tuos. Quoties volui. Non dicit, non vidi te nisi isto aduentu: sed dicit, quoties volui. Et per singulos prouertens se, Ego, inquit, eram Christus, qui loquebar per prophetas. Dixi, neque tu timeas, & nunc mittitur Iesus Christus. Non mentitur. Vobiscum sum (ait dominus) omnes dies vsque ad consumationem seculi. Non mentitur. Vbi duo vel tres collecti sunt in nomine meo, & ego sum in medio eorum. Quoniam igitur præsto est, & assistit Iesus Christus, & paratus est & præcinctus summus sacerdos offerre patri interpellationes nostras, surgentes per ipsum sacrificia patri offeramus. Ipse enim propitiatio est pro peccatis nostris, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Psal. 24. *Mysterium trinitatis* *Trisagium.* *Esa. 41.* *Mat. 6.* *Mat. 28.* *1. Cor. 15.* *Psal. 24.* *Cuncta personæ diuinæ peccata remittunt.* *Traditio Iudæorum.* *Exod. 33.* *Mat. 23.* *Mat. 28.*

Homilia secunda, de eo quod scriptum est: Ecce virgo in vtero concipiet. & cæt. Cap. VII.

A

QVANTVM ad dictum attinet, verecundè fecit Achaz, cum ei fuisset imperatum, vt peteret signum in profundum aut in excelsum, & rationẽ reddidit cur petere noluerit. Ait quippe: [Non petam, & non tentabo dominum.] Est tamen super hoc verbo culpatus, & dicitur ad eum: [Audite nunc domus Dauid. Nunquid modicum vobis præstare certamen hominibus, & quomodo domino præstatis certamen?] Deinde dicitur hæc repromissio. [Ideo dominus ipse dabit vobis signũ. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel.] Hæc exponantur, & de reliquis videbimus, indigentes & in illis gratia dei vt manifestentur. Iubetur vt petat signum, non simpliciter, sed sibiipsi. Sermo quippe ait: [Pete tibi signum à domino deo tuo in profundum aut in excelsum.] Propositum est signum dominus meus Iesus Christus. Hoc enim est signum quod iubetur vt sibi postulet in profũdum aut in excelsum. In profundum quidem, quia qui descẽdit, ipse est. In excelsum verò, quia qui ascendit super omnes cœlos, ipse est. Mihi autem hoc signum propositum dominus meus Iesus Christus in profundum & in excelsum, nihil prodest, si non mihi fiat mysterium de profundo & excelso eius. Cum enim ego recepero mysterium de Christo Iesu de profundo & excelso, tunc accipiam signum secundum præceptum domini, & dicetur mihi quasi habenti in me metipso profundum & excelsum. Neque dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cœlum? Hoc est Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere. Iuxta est verbum tuum vehemens in ore tuo, & in corde tuo. Præcipitur ergo nobis omnibus, vt petamus nobis hoc signum, vt nobis vtile fiat signum quod dat dominus deus in profundum & in excelsum. Si quis autem est qui sciat, & rationabili contemplatione cognoscat hoc quod dictum est, in profundũ & in excelsum, non disiunctiuè esse dictum, significat enim hoc quod vtrumque possit. [Pete tibi signum à domino in profundum & in excelsum.] Et in promissione autem dixit Apostolus: Vt cognoscamus quid sit profundum, & excelsum, & longitudo, & latitudo. [Et dixit Achaz, non petam.] Incredulus fuit. Dixit enim: Pete tibi ipsi. Populus autem vsque hodie non petit signum, propterea non habet illum, & præbet domino certamen populus qui non recipit dominum meum Iesum Christum. Deinde alia sequitur quæstio. Isto enim dicente: [Non petam, neque tentabo dominum:] & æstimante tentationem esse si peteret signum, ait: [Audite nunc domus Dauid. Nunquid vobis modicum est præstare certamen hominibus, & quomodo domino præstatis certamen? Non præstat autem certamen domino, neque hominibus eum arbitror præstare certamẽ, qui petit signum in profundum aut in excelsum. Certamen quippe dei est, quomodo saluet hominem. Non præstat igitur certamen domino qui confugit ad salutẽ. Qui verò domino certante vt saluet hominem, fugit à salute, & procul recedit à domino, pręstat domino certamẽ. [Ideo dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel. Veritas exemplarium prophetæ huius dicit, vocabis. In Matthæo porrò scimus lectitari, Et vocabitur nomen eius Emmanuel. Non possumus dicere, quia oporteat minus, aliquid facere de Propheta. Quomodo verò euangelium hanc habet scripturam? Vtrum ab aliquo non intelligente, & ad faciliora currente, quomodo & in aliis multis factum est: an sic à principio, vt dicat forsitan aliquis editum esse Euangelium: qui vult deliberet. Propheta quidem manifeste habet, [& vocabis nomen eius Emmanuel.] Noui quendam in exordio scripturarum Euangelii legentem. Et vocabis nomen eius Emmanuel, dixisse intra seipsum: Quid est vocabis? Quis vocabit? Achaz. Et quomodo potuit Achaz de saluatore qui post generationes multas venit, audire. Vocabis nomẽ eius Emmanuel: atque ita pro eo quod est vocabis, scripsisse vocabitur. Sed vide quia non Achaz dicitur: Et vocabis nomen eius Emmanuel, sed domui Dauid vide manifeste dictum: [Audite nunc domus Dauid: Nũquid modicum vobis est præstare certamen hominibus, & quomodo domino præstatis certamen? Ideo dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel.] Sed quando itaque non intelligimus hoc quod dictum est, nihil ex eo minus faciamus, neque ad faciliora curramus, sed expectemus donec gratia dei subiiciat nobis per illuminationem scientiæ illuminationem quæstionis: aut certe rursum gratia dei per quem vult illuminet nos, vt non vltra quæramus, sed quæstio nostra soluatur. Si autem temere ad non intellecta prorumpimus, nos ipsos causabimur. Quę est ergo domus Dauid? Si Dauid Christus est, vt frequenter probaui, domus Dauid nos sumus ecclesia dei: & dicitur nobis qui ecclesia sumus, vt non præstemus certamen deo suprà dictum, sed dante domino signum suscipiamus illud. Nobis, non domui Dauid ista dicuntur. Et prophetatur, quia si quis est domus Dauid, vocabit nomen eius Emmanuel. In aduentu enim Christi sola ecclesia nostra de Christo dicit: [Nobiscum deus.] His vt dedit gratia dei explanatis, alia iam quæramus ænigmata. [Butyrum & mel mãducabit.] Quomodo Christus prophetatur butyrum & mel comesturus? Si hoc fuerit expositum domino tribuente, rursus ea quæ sequuntur, aliam nobis ingerent quæstionem. Vtinámque omnes faceremus illud quod scripum est: Scrutamini scripturas. Plura ex corporalibus cibis nominata sunt in scripturis pro escis spiritalibus. Quasi modo nati paruuli rationabile & sine dolo lac desiderate. Ergo est sine dubio lac rationabile, & oportet nobis istiusmodi lac quærere. Rursum in Prouerbiis de melle scriptũ: Mel inueniens comede quod sufficit, ne forte plenus euomas. Num curauit spiritus sanctus de melle isto quod notum est, ne forte plus comedamus? Sed sciens vtique spiritus sanctus mel spiritale ait: Mel inueniens comede quod sufficit. Quid autem sentiens spiritus sanctus præcepit nobis, vt si inueniremus mel, inuenibile est siquidem mel, comedamus quod sufficit? Vade (ait) ad apem, & disce quomodo operatrix est. Et inueniuntur prophetæ apes esse. Fingunt siquidem ceras, & mella conficiunt, & si audẽti mihi expedit dicere, faui eorum scripturæ sunt quas reliquerunt. Et volens veni ad scripturas, & inueni mel. Sed comede mel. Et in Prouerbiis rursus dicitur: Bonus est enim fauus, vt indulcentur fauces tuæ, Putásne hoc dicit spiritus sanctus, Comede mel quod in vsu est, bonum enim est? Ego nõ audeo dicere quia de melle corporeo mihi præcipiat spiritus sanctus, comede mel. Ecce non habeo, aut certe naturæ huiusmodi sum, vt de melle comedere non possim: qua ratione mihi dicit, comede mel, & noli comedere carnes, sed comede fili mel, bonum est enim. Si videas apes prophetas, & opus eorum mella vel fauos, tunc videbis quomodo pro dignitate sancti spiritus intelligis, comede mel fili, bonum est enim. Si quis meditatur eloquia diuina, & nutritur sermonibus scripturarum, complet mandatum diuinum iubens, comede mel fili: & faciens quod iussum est, potitur sermone qui sequitur, Bonum est enim. Quia bonum est hoc mel, quod in scripturis inuenitur. Quod autem dicitur: Vade ad apem, istiusmodi est. Est quædam (vt ita dicam) apis super apes: & quomodo inter apes rex quidam est qui nominatur esse rex, sic princeps apum dominus est Iesus Christus, ad quem mittit me spiritus sanctus vt comedã mel, bonũ est enim, & fauus eius vt indulcentur fauces meæ. Et forte subtiliores literæ faui erunt, mel verò est qui in his est intellectus. Iste porrò qui est natus ex virgine Emmanuel, butyrum & mel manducat, & quærit ab vnoquoque nostrum butyrum manducare. Quomodo à singulis nostrum butyrum quærit & mel, sermo edocebit. Opera nostra dulcia, sermones nostri suauissimi & vtiles, mella sũt quæ manducat Emmanuel, quæ mãducat iste qui natus est de virgine. Si verò sermones nostri amaritudine pleni sunt, ira, animositate, molestia, turpiloquio, vitiis, contentione, dedit in os meum fel, & non comedit ab his sermonibus saluator. Comedet autẽ saluator de sermonibus qui sunt apud homines, si fuerint sermones eorum mel. Approbemus hoc de scripturis: Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Igitur ipse pollicetur se ex nostris cœnaturum nobiscũ esse,

Esa.7 · *Rom.10* · *Eph.3* · *Matth.1* · B · C · D · *Ecclesia dei domus Dauid.* · E · *Ioan.5* · *Cibi corporales pro spiritalibus* · *Prou.25* · *Prou.6* · *Prou.24* · F · *Apoc.3*

G Certũ est autẽ quia & nos cum illo cœnamus, si cœnemus illũ Comedẽs quippe de nostris bonis sermonib⁹, operibus, & in tellectu, repascit nos suis escis spiritalibus, & diuinis, & melioribus. Propterea quia beatum est suscipere saluatorem, apertis ostiis principalis cordis nostri, præparemus ei mella, & omnem cœnam eius: vt ipse nos ducat ad magnam cœnam patris in regno cœlorum, quæ est in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Homilia Tertia, de septem mulieribus. Cap. XI.

SEPTEM mulieres patiuntur opprobrium, & circumeunt quærentes eum recipere, qui possit auferre opprobrium earum. Ipsæ septem mulieres repromittunt vt suum panem manducent, & vestimentis suis operiantur. Non necesse habẽt panem eius, sed nomen eius qui opprobrium earum possit auferre. Non indigent vestimentis hominis quem assumunt. Meliora habent vestimenta quàm potest eis homo præstare. Lautiores habẽt cibos, quàm conditio potest humana largiri. Cuius ergo sint septem mulieres, & quod sit opprobrium earum, dignum est cõsiderare. Septem mulieres vna sunt. Spiritus enim dei sunt. Et ista vna, septem sunt. *Esa. 11.* Spiritus enim dei est spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & virtutis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris domini. Ista sapientia patitur opprobrium à multis sapientiis insurgentibus in se. Iste verus intellectus sustinet opprobrium ab intellectibus falsis. Istud H magnum consilium opprobratur à multis consiliis non bonis. Ista virtus maledicitur à quadam, quæ cum non sit virtus, repromittit se esse virtutem. Ista scientia patitur opprobriũ à quadam falsi nominis scientia nomen suum surripiente. Ista pietas exprobratur, ab ea, quæ cum se dicat esse pietatem impietas est, & impios instruit. Istę timor patitur opprobriũ ab eo qui putatur esse timor. Multi enim pollicentur diuinum metum, sed non cum sciẽtia metuunt. Quomodo ergo istę septẽ patiantur opprobrium consideremus. Vide sapientiam seculi huius, vide sapientiam principum mundi huius, quomodo exprobrant sapientiam Christi mei, & quomodo exprobrãt sapientiam iudaismi veri, iuxta quem nos circuncidimur spiritaliter, isti verò præciduntur. *Iudaismus verus.* Intellige itaque quomodo sapientia seculi huius & principum mundi istius, maledicunt sapientiæ: & ob hoc quæritur homo qui cum istis septem spiritalibus velut mulieribus sit, vt auferat earum opprobrium. Proprie vnus est homo qui auferat earum opprobriũ. Quis est iste homo? Iesus qui exiuit iuxta carnem de radice Iesse factus ex semine Dauid secũdum carnem, prædestinatus filius dei in virtute iuxta spiritum iustificationis. *Rom. 1.* Exiit quippe de radice Iesse. Virga enim primogenitus omnis creaturæ, virga I non est qui in principio erat apud deum deus verbum, sed virga de radice Iesse, qui iuxta carnem natus est. [Exiit enim virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit. Quis est flos & quę est radix? Ambo enim in vnum idipsum subiacẽt. Differentia autem est negociorum. Nam si peccator es, non est tibi flos, neque videbis florem qui est ex radice Iesse. Veniet enim & ad te virga, quomodo Apostolus virgæ & floris loquitur. De virga quidem dicit: Quid vultis, in virga veniam ad vos? De flore verò: An in charitate dei & spiritu mãsuetudinis? *1. Cor. 4.* Exiit ergo de radice Iesse virga sapiẽtię ei qui suppliciis plectitur, virga ei qui indiget increpatione, virga ei qui necesse habet vt arguatur: Flos verò ei qui iam eruditus est, & non indiget dura correctione, vel certe non indiget pœnis, sed valenti iã florere incipere. & ad perfectum fructũ exire. Primũ enim flos ostenditur, deinde post florem virga fit & ad fructum exit. [Exiit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescent super eum septem mulieres spiritus domini spiritus sapientiæ & intellectus requiescet super eum.] Spiritus enim sapientiæ non requieuit in Moyse, spiritus sapientiæ non requieuit in Iesu Naue, spiritus sapientiæ nõ requieuit in singulis prophetarũ, in Esaia, in Hieremia. Nec verò quasi blasphemantem me lapidetis dum velim glorificare dominum meum Iesum Christum: sed sustinentes considerate quod dicitur, & videbitis quia in nullo eorum requieuerit spiritus, non quod ad nullum eorũ venerit, sed K quod in nullo requieuerit. *In prophetis non requieuit spiritus sanctus vt in Christo.* Venit super Moysem, & non credidit Moyses post spiritum sapientiæ qui venit ad eum. Audite enim, ait, contumaces. Nunquid ex petra ista educam vobis aquam? Venit super omnes iustos, venit & super Esaiã, sed quid ait? Immunda labia habens: & in medio populi immunda labia habentis, ego habito. *Esa. 6.* Venit spiritus sapientiæ post illam forcipem, & ignem, venit ad immunda labia habẽtem, sed non requieuit. Ministro quidem eo vsus est, non autem requieuit. Tribulatur ad quencunque venerit hominem. Peccat enim omnis homo, nec est iustus super terram qui faciat bonum, & non peccet. Nemo mundus à sordibus neque si vna die sit vita eius, numerati autem menses eius. *Iob. 15.* Igitur super nullum requiescit. Possumus & de Euangelio probare, quia venit spiritus super multos, & non mansit in eis. Ante paululum lectum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in ęternũ. *Genes. 6. Nempe cum prophetis se gebatur les?* Non ait, nõ erit, sed nõ permanebit. Vnum vidit Ioannes solum in quo permansit, & signum hoc erat: Super quem videris spiritum descendentem, & manentẽ in eo, iste est filius dei. *Iob 1.* Ministrauit quidem verbo dei spiritu descendente: post modicum peccat, post modicum ociosum verbum loquitur: nescio autem si & sine peccato maneat. Putásne presente spiritu peccare conceditur? Super nullum ergo requieuit spiritus dei secundum quod scriptum est: [Exiit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, & requiescit super eum spiritus dei, spiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus consilij & virtutis.] Propter hoc magni consilij est angelus propter hoc inualuit, & inualescens ascendit, & mirantur eum virtutes ascendentem, & dicunt de eo: Iste est dominus fortis & potens in prælio. Ad hunc ergo dicam in cœlestia ascendentem, vel ad fortitudinem eius. [Et requieuit L super eum spiritus consilij & fortitudinis.] Fortitudo mea, & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Requieuit ergo super eum spiritus dei, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus sapientiæ & pietatis, & impleuit eũ spiritus timoris domini. Mulieres igitur quęrentes quem assumant, apprehendẽt septem vnum hominem. Et hoc ex prioribus pẽdet, & oportet primo cognoscere quãdo recipiant septem mulieres vnum hominem. Cum fortes Hierusalem humiliati fuerint, cum luxerint thecæ eorum ornamenta filiarum Sion, cum derelicta fuerit illa sola, cum elisa fuerit ad terram, [tunc apprehendent septem mulieres vnum hominem dicentes: Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur: veruntamen nomen tuum inuocetur super nos.] Tunc apprehendent & vere tenebũt septem mulieres hominem, vnum Iesum Christum dominũ nostrum iuxta quod intelligitur homo, iuxta quod natus est, iuxta quod corpus assumpsit. Apprehendent septẽ mulieres hominẽ vnum dicentes: Panem nostrum manducabimus. Multi M ambulant homines, & nullum apprehendunt mulieres, nullus ei placet homo. *Varii cibi spirituales.* Non enim propter inopiam hominum vnum hominem apprehendunt, non propter raritatem hominis qualem voluerunt, talem quæsierunt: vnum solum repererunt hominem quem apprehenderunt, vt dicant ei: Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur. *Ioan. 6. Ioan. 4.* Est quidam cibus sapientiæ, est quidam cibus similiter intellectus & reliquorum spirituum. Quis est iste cibus? Non timeo dicere, cibus alius est extra istos: forte vt meus est cibus sermo dei qui ait: Ego sum panis viuens qui de cœlo descendi, & vitam do mundo: sic sapientiæ cibus ipse pater. Propter hoc est: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit, vt consumem opus eius. Nec putandum est aliquo indigere sapientiam & intellectum, cæterosque spiritus, quia aliũ cibum habeant, cum totius dispensationis vnus sit cibus natura dei. [Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur.] Est quidam ornatus sapientiæ quo decoratur. Ornata est sermone sapientia. Singulæ harum mulierum habent ornamenta. Veruntamen [nomen tuum inuocetur super nos, aufer opprobrium nostrũ.] Quod est nomen sapientiæ? Iesus, Quid est. Inuocetur nomen tuum super nos? Ego sum sapientia, volo tuo nomine vocari vt ego sapientia dicar Iesus, vt intellectus & consilium magnum & fortitudo, & scientia, & pietas & timor dei nominentur Iesus, vt omnia in omnibus

A omnibus nomen tuum fiat: Nomen tuum inuocetur super nos, aufer opprobrium nostrum. Reuera abstulit opprobriũ Iesus. Idcirco surgẽtes, oremus deum qui hunc misit hominẽ, vt & nobis vt septem mulierum spiritus in eo requiesceret, vt assu iste homo tribuat communionem harum mulierum: vt assumentes eas fiamus sapientes, intelligentes in deo & hominibus, virtutibus adornantes animam nostram in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia Quarta, de visione dei & Seraphim. Cap. VI.

IMPOSSIBILE est inuenire principiũ dei. Principium ortus dei nusquam comprehendis. Non dico tu, sed neque aliquis, neque aliud quicquam eorum quæ subsistunt. Solus saluator & spiritus sanctus qui semper fuerunt cum deo, vident faciem eius: & forte angeli qui vident iugiter faciem patris qui est in cœlis, vident & principia negociorum. Sic autem & pedes abscondunt ante homines Seraphim. Nouissima enim vt sunt, non valent enarrari. Quis annũciauit de nouissimis? ait scriptura. Quæ videmus (vt tamen concedatur, quia aliqua videmus) B media sunt: quæ ante mundum fuerint, ignoramus. Fuerunt porrò quædam ante mundum. Quæ post mundum secutura sint, ad certum non apprehendimus. Erunt autem alia post mundum. Ea igitur quæ scripta sunt: In principio fecit deus cœlum & terram, terra autem erat inuisibilis, incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus dei ferebatur super aquas, apprehenduntur. Mundæ erant aquæ istæ, in quibus incubabat spiritus dei. Sed & tenebræ quæ super abyssum erant, non sunt ingenitæ. Vtrunque enim ex nihilo creatum est. Audi in Esaia dicentem dominum: Ego deus qui construxi lucem, & feci tenebras: Audi sapientiã in Prouerbiis prædicantem: Ante omnes abyssos nata sum. Non erant ista ingenita, sed quando, vel quomodo sunt nata, nescio. Velantur enim à Seraphim priora operum dei, id est facies dei: similiter autem & pedes. Ea quæ post extremum seculum futura sunt in secula seculorum, quis potest exponere? Garrulorum est hominum horum notitiã polliceri, nescientiũ quia homo ea tantum potest capere quę media sunt, & ea quę post mundum vsque ad consummationẽ in iudicio sunt futura, de pœnis, de retributione. Et horũ quoque multa absconsa sunt nobis, vt propter hoc quidem scriptum sit, [Duabus velabãt faciem.] Non solum autem velabant, sed & contegebant, id est sic velabant, vt nec modicum videretur priorum, dico autem faciei: neque paululum quid agnosceretur nouissimorũ, hoc est pedum eius. [Duabus volabant.] Aperta sunt media ad contemplandum. [Et clamabant alter ad alterũ.] Nõ alter C ad plures, sed alter ad alterũ. Audire enim sanctitudinem dei quæ annunciatur à Saluatore, iuxta dignitatem rei nemo potest nisi spiritus sanctus: quomodo rursum inhabitare sanctimoniã dei quæ annunciatur à spiritu saucto, nemo potest nisi solus Saluator. Ob id alter ad alterum clamabant, & dicebãt. [Sanctus, sanctus, sanctus.] Nõ eis sufficit semel clamare sanctus, neque bis, sed perfectum numerum trinitatis assumunt, vt multitudinẽ sanctitatis manifestent dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas, sanctitas patris, sanctitas vnigeniti filij, & spiritus sancti. Etenim sanctificans & sanctificati ex vno omnes. Qui sanctificat Saluator est, iuxta hoc quod homo est à deo patre accipiẽs sanctitatẽ. Dicũt itaq;, [Sãctus, sanctus, sãctus domin⁹ deus Sabaoth]. Interpretatur Sabaoth (vt Aquila tradidit) dominus militiarũ. [Plena est omnis terra gloria eius.] Olim plena domus erat gloria, nunc verò his qui super terrã sunt, à Seraphim prophetatur, quia futurũ sit vt vniuersam terrã gloria dei mei Christus impleat. In omnibus quippe qui conuersatione sua glorificẽt deum, gloria dei est, atque ita vniuersa terra plena est gloria dei. Olim non omnis terra plena erat gloria dei, sed vnus angulus terræ, quãdo dicebatur. Notus in Iudæa deus, in Israel magnum nomẽ eius. Gloria deo, qui misit filium suum, vt omnis terra plena fieret gloria sua. Sed quid tibi prodest, si terra plena sit propter ecclesias beatorum, qui vbicunque sunt, gloria dei, tu autẽ non sis particeps gloriæ plenitudinis dei? Et tu ergo labora, & in

Gen. 1 · Esa. 45 · Prou. 8 · Esa. 6 · Heb. 2

D cunctis enitere vt sis gloriam dei quærens, vt inhabitet & inueniat locum in te, & fias etiam tu cum omni terra in qua est gloria dei plena, gloria eius. Quomodo fit per singulos nostrum plenitudo gloriæ dei? Si quæ facio quę loquor, in gloriam dei fiant, plenus sermo meus & actus fit gloria dei. Si & processus, & ingressus meus in gloriam dei est, si cibus, si potus meus, si omnia quæ facio in gloriam dei fiant, & ego particeps sum istius dicti. [Plena est terra gloria eius.] Cum ergo omnia ista fecero, eleuatũ est superliminare à voce Seraphim, qua clamabant: Beatum est itaque vnunquenque nostrum ita laborare vt particeps fiat ostij, & superliminaris ostij, quod iuxta intellectum est Christus deus. Neque enim indecens dictu reor ostium carnem, & superliminare verbum nuncupari. [Eleuatum est superliminare à voce qua clamabant, & domus repleta est fumo. [Fumus iste donum est de gloria dei. [Et dixi: O miser ego, quoniam compunctus sum.] Antequã videas visionem, non confiteris te esse miserum ô Esaia? Non ait: quandiu vixit Osias, neque in sensum meum venit quia miser essem. Incipio autem nosse quia miser sum, quando video visionem moriente mihi Osia rege leproso, & dico: [O miser ego.] Nunc incipio & ego confiteri domino, & dicere de memetipso, O miser ego, quomodo Esaias dicit: O miser ego. Proxime autem huic & Apostolus dicit: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Beatum est ergo vt miserum me fatear. Si me humiliauero, & pœnitẽs super peccatis meis fleuero, exaudiet me deus, & dabit mihi liberatorẽ, & dicam gratias deo per Iesum Christum dominum nostrum. Verum ex corde dicamus, Miser ego sum. Vnusquisque recordetur causas miseriarum suarũ, & delicta, & dicamus surgentes ad orationem, memores quidẽ quasi confitentes, obliti autem quasi iam non facientes, & dicamus: [Miser ego, quoniam conpunctus sum.] Non est compunctus antequã videret visionem, antequam Osias moreretur: cum incipit pœnitentiam agere, statim dicit: quoniã compunctus sum.] Si quis sine sensu est iuxta interiorem hominẽ, cum peccator sit, non cõpungitur: sed quasi in exteriora mẽbra licet adhibeas stimulum, non sentit mortuum corpus, eodem modo si adhibeas peccatori verba diuina mortificato per peccatum, & non agenti pœnitentiam, neque mœstus est, neque pœnitet, neque habet tristitiam operantem confessionem, tristitiam quæ secundum deum est. Si quis autem vult saluari, & audierit sermones arguentis se, & corripientis, statim dicit: O miser ego. Nec sufficit dicere, miser ego, apponẽdum est ei, quia compunctus sum. Vtinãque amplius compũgamur. Quanto enim plus compungimur, tanto plus nobis peccatorum vincula laxantur. Propter hoc Achab ille non multum vtilitatis est consequutus, quia non multum cõpunctus est: sed compunctus quidem est semel tãtum. Quamobrem dictum est: Vidisti quomodo compunctus est Achab. F Si verò quis talis fuerit vt non cesset compungi, dicit similiter vt apostolus: Non sum dignus vocari apostolus propter hoc quod persecutus sum ecclesiam dei. &: Mihi minimo omnium sanctorum data est ista gratia. &: Fidelis deus, quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluare, quorum primus ego sum. Vidésne quia multum compunctus est, & non semel, sed semper scribens, & loquens, & agens cõpunctus est? quomodo & Esaias in præsenti, qui dicit: [O miser ego sum, compunctus sum, quia cum sim homo, & immunda labia habeam, & in medio quoque populi immunda labia habentis habitem.] Annotemus & aliud quiddam, quia peccata Esaiæ non in factis, sed tantum in sermonibus erant. Propter quod ait: [Quia cum homo sim, & immunda labia habeam.] Erat autem & populus immunda labia habens. Nõ decuit eum accusare populum, & dicere plura peccata in eo esse quã immundorũ labiorũ. [Et regẽ dominum sabaoth vidi oculis meis.] Si quando de deo cogitauerimus, cum adhuc sumus peccatores, & nos dicamus quæ nunc dicit propheta: [Et missus est ad me vnus de Seraphim.] Quàm bonus deus? Quia, inquit, audio confitentem Esaiam, dixit enim: O miser ego: quoniam audio pœnitentem, ait quippe: Cõpunctus sum quia propria delicta pronunciauit dicens, quia cum sim homo, & immunda labia habeã, & in medio quoque populi immunda labia habentis habitẽ: & ego adhuc loquente eo dico,

E · 2. Para. 26 · Rom. 7 · Cõpunctionis fructus · 3. Reg. 21 · 1. Tim. 1 · Gal. 1. · 1. Cor. 15.

G ecce adsum.[Et missus est ad me vn us de Seraphim, & in manu sua habebat carbonem.]Carbo defert ad prophetam vt per ignis vstionem purgētur labia eius, quæ aliquando peccauerant. Quis est iste vnus de Seraphim? Dominus meus Iesus Christus: iste iuxta dispensationem carnis missus est habens in manu sua carbonem, & dicens: Ignem venit mittere super terram. Et vtinam iam ardeat]Et missus est ad me vnus de Seraphim, & in manus eius habebat carbonem, quem acceperat forcipe de altari.] Non quocumque simpliciter & fortuito propheta igne purgatur, sed qui est de altari dei. Si purgatus non fueris altaris igne, residet tibi ille de quo dictum est: ite à me in ignem æternum, qui præparatus est zabulo & angelis eius. Non est talis ignis de altari. Omnes igni tradendi sunt, sed non omnes vni igni, alios de altari ignis expectat, alios ignis qui præparatus est zabulo & angelis eius. Tangat ergo labia mentis & animæ nostræ sermo corripiens, vt & nos dicamus, & tetigit os meum. Si mundauero os meum, vt nihil ociosum, nihil fatuum, nihil turpe, nihil scurrile (vt omnia semel nominem) nihil eorum quæ interdicta sunt loquar, tunc possumus dicere, tetigit os meum. Porrò quandiu immunda labia habeo, & immundas res gero, propter verba peccati nō tangit os meum ignis de altari, neque mittitur ad me vnus de Seraphim. [Et dixit: Ecce tetigi labia tua, & abstuli iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgaui.]Mordeat nos sermo diuinus, exurat animas nostras: Dicamus audientes: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis? vt auferantur iniquitates nostræ, atque peccata, & mundi effecti mundo ore, mundóque corde, & munda tota conscientia gratias agamus omnipotenti deo, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matt.25.

Luc.24.

H

Homilia Quinta, de eo, quod scriptum est: Quis eleuauit ab oriente iustitiam, & de visione iterum alter. Hæc alloquutio in Græco perperam valde fuit, ideo iuxta sensum & ordinem non etiam iuxta verba translata. Cap. VI.

AIT prophetes esse Christum viuentem iustitiam, & putabamus ab Apostolo solum dictum esse, quia Christus sit iustitia, & sanctificatio, & redemptio, & sapientia. Forte autem & Apostolus instructus à prophetis, nouit anima tam esse iustitiam, & viuentem. Quæ est ista iustitia? vnigenitus dei. Quia autem nō solum ab Apostolo ortum est Christum esse iustitiam, & viuentem, & subsistentem iustitiam, sed inuenies, & à propheticis sermonibus hoc nobis mysterium exhibitum. certum & à capitulo in quo nunc lectio cōquieuit. [Quis enim, inquit surgere fecit ab oriente iustitiam, & vocauit eam ad pedes suos?] Vocauit iustitiam. Manifestum est animatam eam esse si ambulet vocata. Vocauit autem Christum pater, quo ob nostrā salutem ad nos iter faceret, & descenderet de cœlo ad nos: Nemo enim ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit filius hominis. Vocauit eum de oriente: non de isto sensibili, sed de oriente lucis verę. Propter quod scriptum est: [Quis exurgere de oriēte fecit iustitiā, & vocauit eā ad pedes suos?] Pater vocauit filium, imò vt vere dicamus, deus hominē vocauit iustitiam ad pedes suos, id est, incarnationem filij sui. Ideo & adoramus scabellū pedum illius iuxta quod scriptū est, Adorate scabellum pedum eius, quia sanctū est. Caro siquidē domini honorē deitatis assumit. Quia autē principiū lectionis altiori indiget, expositione, oremus summū regē vt sermo qui vocatus abierat, ad nos iterū reuertatur, vt pauca iuxta possibilitatē nostrā edisseram⁹. [Et factū est in anno quo mortuus est rex Osias: vidi dominū sedentem supra thronum excelsum, & plena erat domus gloria eius, & Seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri: Et duabus, quidem velabant faciem eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant, & clamabant alterum ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus sabaoth, plena est terra gloria eius, & reliqua.] Verum vt & nos videamus visionem quam vidit Esaias, vocemus Iesum, qui non videntibus largitus est oculos. Potest enim etiā nunc venire & facere, vt ea quæ in lectione sacramenta dicta sunt, apertis oculis intueamur: repromittamus ei iam nos non vltra facere corpus Christi corpus meretricis, nec facere opera digna luctu. Vnusquisque nostrum hæc corde loquatur ad deum, & precemur vt aduentus eius etiam nunc fiat. Si enim, non aduenerit Iesus, ista videre non possumus. Precor vt mittatur etiā ad me Seraphim, & comprehenso de forcipe carbone purget labia mea. & quid dico labia mea? Esaias sanctus erat, & ideo tantum labia eius purgata sunt, quia labiis tantum, id est, sermone deliquerat. Ego verò non sum talis, vt possim dicere, quod solum immunda labia habeo, sed metuo ne immundū cor habeam, immundos oculos, immundas aures, immundū os. Quamdiu in omnibus istis pecco, totus immundus sum. Si videro mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus sum eam in corde meo. Ecce immundos oculos habeo. Si de pectore meo exeant cogitationes pessimæ, adulteria, fornicationes, falsa testimonia, ecce cor immundum habeo. Quàm formosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Ego verò timeo ne currens ad mala immundos pedes habeā. Extendo ad dominum manus meas. Et forte auertens faciem suam dicit: Si extenderitis manus, auertam faciem meam à vobis. Quis ergo me mundat? Quis lauat pedes meos? Iesu veni, sordidos habeo pedes. propter me fias seruus, mitte aquā tuam in peluim tuam, veni, laua pedes meos. Et scio temerarium esse quod dico, sed timeo comminationem dicentis: Si non lauero pedes tuos, non habebis partem mecum. Ideo laua pedes meos, vt habeam partem tecum. Sed quid aio, laua pedes meos? Petrus hoc potuit dicere: qui non habuit necesse, nisi tantum vt pedes eius lauarentur, totus quippe mundus erat. Ego potius cum semel lotus sum, illo indiseo baptisdegmate, de quo dominus ait: Ego aliud baptisma habeo baptizare. Cur ista diximus? Preparo & me & audiētes ad maiora mysteria. Si tamē veniat si descēdat ad nos sermo dei: timeo enim ne me fugiat, ne benedictionem quoque meā dedignetur. Fugit quondā sermo populū propter Achaz vnum peccatorē, fugit inquā sermo populum propter vnū peccatorem Achaz filium Zambri filij Zara ex tribu Iuda, qui inobediēs fuit deo, & ideo anathematizatus est. Et quia nunc populi multitudo est propter parasceuen, & maxime in dominica die, quæ passionis Christi cōmemoratrix est (Neque enim resurrectio domini semel in anno, & non semper post septem dies celebratur) orate deum omnipotentem, vt veniat ad nos sermo eius. Etiam si peccatores estis, orate dominum. Peccatores exaudit deus. Quod si timetis illud quod in euāgelio dicitur, Scimus quia peccatores non exaudiat deus, nolite pertimescere, nolite credere. Cæcus erat qui hoc dixit. Magis autem credite ei qui dicit, & non mentitur: Et si fuerint peccata vestra vt coccinum, vt lanam dealbabo. Et si volueritis, & audieritis me, bona terræ edetis. Si vultis vel nunc audire, oremus in commune dominum, vt saltem nunc adueniente verbo prophetica verba dicta valeamus aduertere, [Factū est, inquit, in anno quo mortuus est Osias rex, vidi dominū sedentē super thronum excelsum.] Visio ascripta est. Cur regis tempus significatum? Intendite quando oborta sit visio. Cum mortuus est Osias rex, vidit Esaias dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum. Si quis ex nostris nouit qui fuerit Osias, & quæ gesserit, ille potest nosse quid docuerit Propheta per spiritum, quid exhibeat nobis sermo diuinus. Vadam ad vitam Osiæ, & requiram ex Regnorum libris, & ex Paralipomenom historia de Osia: ibique videbo quia necessarium sit, si futurum sit vt videam dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum, mihi mori Osiam regem. Iste Osias ex semine Dauid descendens, & regnās in populo Iuda, quandiu quidem vixit Zacharias qui intelligebat (sic enim scriptum est secundo libro Paralipomenon) fecit rectum in conspectu domini. Nec sufficiens isto, fecit luminaria magna domino, & composuit templum dei & multæ fuerunt in religione eius virtutes. Quando autem mortuus est Zacharias intelligens, tūc fecit malignum. Quis hic qui fecit malignum? Rex erat, nō sacerdos. Alius ordo regius, alius ordo sacerdotalis. Voluit ingredi in templum. & locum agere sacerdotis & facere opus quod non fuerat ei concessum. Introiit præueniens sacerdotes, & assumpsit vas libaminis. Ingressus autem & princeps sacerdotum, qui tēpore illo erat, & octoginta

1.Cor.1

Animata iustitia Christus.

Esa.6.

I

Esa.6.

K

Oratio Origenis.

Ioan.13.

L

Luc.12.

Iosu.7.

Celebritas parasceues.

Ioan.9.

Esa.1.

M

2.Para.26

Regius & sacerdotalis ordines diuersi.

sacerdotes cũ eo, dixit ad eũ princeps sacerdotũ: Nónne tu es Osias, & non sacerdos? Violenter perseuerauit, & lepra ascẽdit in frontem eius. Proiectus est mortuus, egressus est de tẽplo, eduxit eum dominus. Igitur leprosus factus est propter præuaricationem legis. Vnusquisque sub regno est, siue peccati, siue iustitiæ. Si peccatum mihi regnat, vnus sum de regibus Israel, qui templum violenter ingressi sunt. Si iustus sum iuxta mensuram profectus mei, & facio rectum, & perseuero ante conspectum dei, regnat mihi iustitia. Quandiu verò vixit leprosus, Esaias immunda labia habuit. Quamdiu vixit iniquus, non potuit Esaias dominum Sabaoth videre, & immũda labia habuit, sub iniquo quippe rege erat. Quando enim incipit videre visionem dei? Anno quo mortuus est Osias. His similia & de multis scriptis poteris dicere tribuente deo. In Exodo istiusmodi quiddam scriptum est. Et factũ est post dies aliquot, mortuus est rex Ægypti, & suspirauerunt filij Israel, & ascendit clamor eorum ad deum. Quandiu vixit Pharao, non suspirauerunt filij Israel, & in peius positi ne gemendi quidem habuerunt liberam facultatem. Viuebat quippe rex qui imperabat eis & lateres & paleas facere. Quamdiu vixit Pharao non suspirauerunt ad deum: cum mortuus est Pharao, tunc valuerunt madida fletibus ora sustollere. Viuit rex malignus in pectore nostro, quamdiu viuit Pharao Zabulus. Tunc lateres operamur, & paleas, tunc lacrymas intra silentium deuoramus, & iniquitatis opera prima facimus. Cũ autem mortuus fuerit, domino deo nos visitante, tunc suspiramus ad dominum. Idcirco oremus dominum, vt regnum peccati quod est in mortali nostro corpore, moriatur. Peccatum enim (ait) mortuum est, ego autem reuixi. Et rursum: Peccatum reuixit, ego autem mortuus sum. Moriente vno qui potitur regno peccati Osia, moritur & Pharao. Cum moritur rex pessimus, erigo ad cœlum oculos, & exaudit vocem meã deus, quomodo Abraham, & Isaac, & Iacob: & video dominum Sabaoth sedentem & regnãtem super excelsum solium, quem populus non vidit. Nondum enim Osias mortuus fuerat. Volo quiddam simile interponere bonæ rei, quæ huic cõtraria est. Iste ipse Osias quamdiu vixit Zacharias intelligens, non fecit peccatum in conspectu dei: moriente Zacharia declinauit à domino, vbi imperauit populo, & rexit vrbem. Hæc diebus & noctibus legentes & audientes dominum dicentẽ: Oportuit te mittere pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris eam exegissem, non colligamus in sudario mnam creditam, nec pecuniam mittamus in terram, sed fœneremur eam populis. Et cum nos crediderimus dominicam rationem vobis erit videndum quomodo credita cum vsuris exoluatis. Quam & c. Amen.

Homilia sexta. De eo quod scriptum est: Quem mittam, & quis ibit nobis & c. vsque ad eum locum in quo ait: Et conuertantur, & sanem eos. Cap. VI.

VIDENS Esaias dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum & eleuatum, videns autem & Seraphim circumstãtia eum, & remissam peccatorum accipiens per eum ignem, qui allatus de altario, labia eius contactu purgauit, ait se audisse vocem domini non imperantis, sed excitantis atque dicentis: [Quem mittam, & quis ibit ad populum istũ?] Deinde dicit se respondisse domino: [Ecce sum ego, mitte me.] Factus autẽ in hoc loco, & scrutans ea quæ scripta sunt, inuenio aliud fecisse Moysen, aliud Esaiam. Moyses enim electus ad eductionem populi de terra Ægypti, ait: Prouide alium quem mittas. etiam videtur cõtradicere deo. Esaias verò non electus, sed audiens quem mittam, & quis ibit: [Ecce, inquit, ego sum, mitte me.] Dignum est ergo spiritalibus spiritalia comparare, & requirere quis è duobus melius fecerit: Moysésne, qui postquam electus est recusauit: an Esaias qui ne electus quidem ipse se obtulit vt mitteretur ad populum. Nescio enim si potest quis eam contrarietatem negotiorum quæ in vtroque videtur intendens, dicere quia id ipsum fecerit Moyses, quod Esaias. Ego audacter feci comparans duos sanctos & beatos viros, & decernẽs, & dicens verecũdius Moysen fecisse, quàm Esaiam. Moyses quippe magnitudinẽ considerabat, præesse populo ad educendum eum de terra Ægypti, & repugnare Ægyptiorum incantationibus & maleficiis. Propter hoc ait: Prouide alium quem mittas. Iste autẽ non expectás audire quid ei iuberetur vt diceret, ac si electus fuisset: [Ecce, inquit, sum ego, mitte me.] Vnde quia ignorãs quid ei iuberetur vt diceret, ac si electus fuisset: Ecce (ait) ego sum, mitte me: hæc iubetur vt dicat, quæ erant inoptata dicenti. An non erat inoptabile statim iussum prophetizare, à maledictionibus incipere dicentem: [Aure audietis, & non intelligetis, & videntes cernetis, & non videbitis: Incrassatum est enim cor populi huius, & reliqua?] Forte ergo (si tamen audenter expedit dicere) temeritatis & audaciæ mercedem consecutus est, vt ea iubeatur dicere quæ prophetizare nolebat. Quia autem comparauimus Esaiam & Moysen, cõponamus & aliam proximam comparationem Esaiæ & Ionę. Ille mittitur prædicare euersionem Niniuitis post tres dies, & piget eum proficisci nolentem causa malorum ciuitatis. Iste verò non expectans quid ei imperaretur vt diceret, ait: Ecce ego sum, mitte me. Bonum est non prosilire ad eas quæ à deo sunt dignitates & principatus, & mysteria ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo, prouide alium quem mittas. Neque enim ad principatum ecclesiæ venit qui saluari vult, & si præest, sed ad seruitutem ecclesiæ, si oportet dicere & de Euangelio: Principes quidem gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in illis magistratus vocantur. Non sic autem erit in vobis: nec enim dominantur principes in vobis, sed qui vult vestrum esse maior, erit omnium minimus. Qui vult esse primus, erit omnium nouissimus. Qui vocatur ergo ad episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad seruitutem totius ecclesiæ. Si vis credere de scripturis, quia in ecclesia seruus sit omnium qui præest, suadeat tibi ipse saluator & dominus, qui talis tantúsque factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans. Accipiens enim linteum postquam exutus est vestimentis, præcinxit se, & mittens aquam in peluem cœpit lauare pedes discipulorum, & detergere linteo quo erat præcinctus. Et docens quales oporteat esse principes tanquam seruos ait. Vos vocatis me magistrum & dominum, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego dominus & magister vester laui vobis pedes, & vos debetis alterutrum lauare pedes. In seruitutem igitur vocatus ecclesiæ princeps, vt possit ex seruitute ista ire ad solium cœleste, sicut sciptum est: Sedebitis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Audi verò & Paulum tam præclarum virum dicentem, quia seruus fuerit omnium credentium. Ego enim sum (ait) minimus apostolorum, non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Porrò si hoc non videtur approbare seruitutẽ eius, sed tantum humilitatem, audi eum dicẽtem: Facti sumus paruuli in medio vestrum, quasi si nutrix foueat filios suos, cum possẽmus graues esse, vt Christi apostoli. Imitatores ergo nos esse expedit humilium ipsius domini sermonum atque factorum, & apostoli eius, & facere quod factum est à Moyse, vt etiam si vocatur aliquis ad principatum dicat, prouide alium quem mittas. Deo dicit: Non sum dignus ante heri & nudiustertius. Exilis vocis sum, & tardilinguis. Et quia deo dixit humiliter, exilis vocis sum & tardilinguis, audit à deo. Quis dedit os homini, & quis fecit surdum & mutum, videntem & cęcum? Nõne ego dominus deus? Crede deo, cõserua te ei. Licet subtilis vocis sis, tardéq; linguæ, trade te sermoni dei. Dices postea: Os meum aperui & attraxi spiritum. Hæc quidẽ propter hoc quod ait Esaias. [Ecce sum ego, mitte me.] Faciamus autem ex parte & cum eo. Voluit enim cũ accepisset iam gratiam à deo, non in vacuum eam accipere, sed vti ea ad necessaria. Videns Seraphim, videns dominũ sabaoth sedentem super thronum excelsum & eleuatum, dixit: O miser ego, quoniam compunctus sum, quia cũ homo sim, & immunda labia habeam, in medio quoque populi labia immũda habẽtis habitem, regem dominum sabaoth vidi oculis meis. Hoc dicens, & miserum se faciens, meretur auxiliũ, suscipiẽte deo humilitatẽ eius. Quod est istud auxiliũ? [Missus est, ait, ad me me vnus de Seraphim, & habebat in forcipe carbonẽ, quẽ attulerat de altari, & tetigit labia mea, & dixit: Ecce abstuli

G iniquitates tuas, & peccata tua circum purgaui.] Consecutus est beneficium, mundus effectus, & remissionem accipiens peccatorum. Cum audisset: [Quem mittam ad populum, & quis ibit nobis, non propter priorem conscientiam ausus fuit dicere: Ecce ego mitte me,]sed vbi audierat: [Ecce abstuli iniquitates tuas.] Igitur quia sancti compunguntur, & requiritur inter Moysen & Esaiam, satisfaciamus pro Moyse & etiā pro Esaia, dantes & eis de scripturis sortem suam. Moyses nō accepit remissionem peccatorū, vt diceret quasi iam cōscius se mūdatum, mitte me. propter quod ait: Prouide alium quē mittas, habebat enim in conscientia interfectionem Ægyptij: forte autem vt homo sciebat se & quædam alia habere peccata, propterea recusat. Iste autem non quasi natura iustus postulat ministerium, sed quasi gratiam consecutus. Sic & Moyses si similem gratiam percepisset, audissétque, [ecce abstuli iniquitates tuas,] & hoc, [circūmundaui peccata tua,] nunquā forte dixisset: Prouide alium quem mittas. Habet ergo aliquid rationis, & Moyses recusans, & Esaias dicens: Ecce ego sum, mitte me. Sed videamus etiam ea quæ præcipit dominus vt populo diceret: [Vade & dic populo, Aure audietis, & nō intelligetis, & videntes cernetis, & non videbitis. Incrassatū est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserunt: nequando videant oculis & auribus audiant & corde intelligant, & conuertantur, & saluem eos:] bifariam sciens sermonis auditionem, & duplicem noscens constitutionem, hoc est aliud eorum corporale, aliud spi-H ritale, aut ad populum prophetizans de his quæ in aduentu Christi futura erant, quia esset tempus quando audirent, & non intelligerent ea. Siquidem cum audirent dominum meum Iesum Christum, vocem tātum dictorum audiere, non sensum. Et hoc ex eo manifestum est, quia foris ad populum in parabolis loquebatur: discipulis autem secreto dissoluebat eas. Prophetat autem quod euenit: [Aure audietis, & non intelligetis,] Porrò quod de aduētu domini hoc sit populo prophetatum, ipse saluator dicit: Bene prophetizauit de vobis Esaias inquiēs: Aure audietis: & non intelligetis. Concedamus ergo quia sermones domini populus auscultans non potuerit nosse quæ dicta sint. Videamus autem quid sit hoc quod sequitur. [Et videntes videbitis, & nō scietis.]Non si quis vidit ea quæ saluator faciebat, statim videns potuit intelligere cur facta sint. Veluti (exemplū assumamus) lauit pedes discipulorum: & videbant quidem bene quomodo lauabat pedes magister discipulis, videbant autē & alij qui erant præsentes, sed id tantum quod fiebat, non etiam cur fiebat. Similitudo quippe erat lauatio pedum, qua lauit verbum dei pedes discipulorum: Idcirco ait saluator ad recusantem Petrum, & dicētem: Non lauabis pedes meos. Quid ait? Quod ego facio, tu I nescis modo, scies autem postea. Quid autem facis modo? dicit Petrus. Video te lauantem pedes nostros, & peluem positam, linteo te præcinctum, & seruientem nobis, & detergentem pedes nostros. Verum quia non erat hoc negotium corporale, sed spiritale, Saluator nudatus mittit spiritalē aquam in peluem secundum scripturas, & lauat pedes discipulorum suorum, vt cum mundi fuerint, ascendant ad dicentem: Ego sum via: & non pleni puluere, quem excutere voluit super indignos, & non suscipientes pacem, neque dignos eorum quę dicebantur. Et quia hoc erat quod significabatur, ideo ait: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Erat autē hoc quod & reliquis dictum est: Quia vos vocatis me magistrum & dominū, & bene dicitis. Sum etenim. Si igitur ego dominus & magister laui pedes vestros, & vos debetis inuicem lauare. Ergo hoc dicit vt episcopus mittens aquam in peluem, & exutus vestibus suis, & præcinctus linteo me extendente lauet pedes meos? Siquidem vos, inquit, debetis inuicē lauare pedes vestros. Si hoc est quod dicitur, nemo vestrum mandatum seruabit. Nemo enim quibuscunque venientibus assumens linteum diaconus, vel presbyter, siue episcopus lauat pedes. Sed si intelligas ea quæ scripta sunt, qui vere beati sunt episcopi seruientes ecclesiæ, mittūt aquam de scripturis in peluem animæ, quod est secundum scripturas, & tentant pedum discipulorum sordes lauare, & eluere, & proijcere. Et sic custodiunt episcopi mandatum imitantes Iesum, sic & presbyteri. Vtinam & ego accipiam nunc aquam, quæ possit

Matt.13.

Ioan.13.

Spiritalis aqua.

Ioan.14.

Allegoria historiæ de ablutione pedum.

animæ vestræ pedes lauare, vt vnusquisque vestrum dicat cū K fuerit lotus, Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Hoc enim sponsa dicit in Canticis canticorum, non ostendens coporeos pedes lotos, sed pedes non offendentes. De quibus dicit Salomon. Pes autem tuus non offendat. De quibus & in psalmis scriptum est: Mei autem penè moti sunt pedes. Verum & quę constituuntur viduæ in ecclesiis: Si sanctorum inquit, pedes lauit. Si autem vis apertius audire quomodo vidua lauat sanctorum pedes, audi Paulum in alio loco constituentem viduis, & dicentem: Bene docētes vt pudicas efficiāt adolescentulas lauantes sordes pedum iuuencularum. Et istæ viduæ dignæ sunt ecclesiastico honore, quæcunque sanctorum pedes lauant sermone spiritalis doctrinæ, sanctorum verò non masculorum, sed mulierum. Docere enim mulierem non permittit, neque principari viro. Vult esse mulieres bene docentes, vt ad castitatem suadeant non adolescentes, sed adolescentulas: indecens quippe est, vt mulier magistra viri fiat: sed vt castitatem suadeant adolescentulis, & amare viros & liberos suos. Discamus ergo lauare pedes discipulorum. Ista propter hoc dicta sunt: [Vidētes videbitis, & non scietis.] Quoniam si quid fiebat à saluatore, ab his quidem qui non intelligebāt, videbatur iuxta corpus, non videbatur iuxta rationē: ab his verò qui intelligebāt videbatur quidē iuxta oculos, videbatur autē & iuxta intellectū: ita vt non cōpleretur super beate vidētes, hoc quod dictū est: [Videntes videbitis, & non scietis,] sed super peccatores. Sed & cūcta euangeliorū orem[9] L videntes dupliciter videre. quomodo facta sint iuxta corpus, quando saluator noster venit ad terras. Etenim similitudo erat, & typus futurorum vnunquodque quod fiebat in corpore. Veluti nescio quis à natiuitate cæcus visum recuperauit: vere autem cæcus iste à natiuitate erat gentilium populus, cui saluator reddidit visum, saliua sua vngens oculos eius, & mittens ad Siloam, quod interpretatur missus. Mittebat quippe eos quos spiritu vnxit vt crederent, ad Siloam, id est, ad apostolos & magistros, propter quod scriptum est de Siloa, quia interpretatur missus. Et quotiescunque incipimus ab Iesu visitari, vt recipiamus animæ oculos, mittit nos ad Siloam, hoc est missus. Et vnusquisque ergo nostrum quando legit ea quę in euangeliis facta sunt, oret ne etiam in se compleatur: [Vidētes videbitis, & non scietis.] Si autem vt existimant simpliciores, illa quæ facta sunt non propter nos, sed propter se tantum facta sunt, & non erant exempla alterius rei, exponāt quem hoc quod dictum est: Videntes vibebitis & non scietis, habeat sensum. Nam si non ea quæ videbantur habebant aliquem sensum sacratum, vt cum carnalibus oculis etiam spiritaliter inspicerentur, nunquam dixisset: Videntes videbitis, & non scietis. Ad approbationem autem horum & alterius scripti de euangelio testimonium proferemus, quod iuxta eos qui tātum literam sequuntur, mendacium est, Dicit saluator & dominus noster ad discipulos in euangelio secundū Ioannem: Si credideritis, nō solum quæ ego facio facietis, sed M & maiora horū facietis. Videamus ergo si maiora aliqua fecerint discipuli. Quid maius est quām mortuum suscitare? Quis non dico nostrum, sed apostolorum mortuum suscitauit? Refert historia quia Paulus Eutychū resuscitauerit à mortuis, & Petrus Tabitam, quæ interpretatur Dorcas. Ista autem & alia istiusmodi inueniri possunt: vbi sunt maiora? Sed & cęcos saluator fecit rursumvidere, & quod maius est, eos qui sic nati fuerunt. Exhibeant quos cæcos ab vtero manibus apostolorum curatos aspexerint. Et alia infinita, potest de euangeliis inuenire qui quærit, quia neque apostoli his maiora fecerint, neque eorum successores. Verum sermo scripturæ tale quiddam locutus est: His quæ ego feci corporalibus, vos maiora facietis. Ego feci resurgere ex mortuis corporaliter vos resurgere facietis ex mortuis spiritaliter. Ego cæcis sensibile hoc lumē infudi, vos spiritalem lucē non videntibus dabitis. vsque ad hanc autē diem hęc maiora signa à corporalibus quę fecit Iesus ego video fieri per fidelissimos discipulos Iesu. An non cæci nūc vident? & claudi ambulāt? & leprosi mūdantur? & reliqua fiunt? Si is qui heri obcæcatus est accedens ad idolū quasi ad deū, hodie inuocet deum viuū pristina derelinquēs, nōnne videt? An nō qui heri claudus erat propter peccatū nūc propter discipulorum doctrinā iter verum edoctus stabili graditur

Cant. 3.

Psal. 73

I.Tim. 5.

Ioan. 9.

Probat in Euangelijs duplicem esse sensum, literalem & spiritalem.

Ioan.14.

Actor.9.

Matt.9.

A ditut pede? Qui heri aridam habebat manum,& otiosam ad bene faciendum, hodie recipiens manum habet eam viuentem:Si videris aliquem pollutum,& lepram in anima habentem subito pœnitere,ac doctrinæ sermone compúctum, non re pigeat dicere, quia maius sit hunc spiritaliter leprosum, quàm quendam carnaliter fuisse purgatum. Et hæc quidem largius profudit oratio, cupiens ostendere quid sit hoc quod dictum est: [Et videntes videbitis & non intelligetis.] Quæ autem causa est audientem non intelligere, & videntem non videre? [Incrassatum est,inquit,cor populi huius.] Siquidem necessarium est intelligi & hoc vnde sit, non eadem est corporalis & spiritalis pinguedo, neque eadem est corporalis tenuitas,& spiritalis. Etenim quod corporaliter crassum est, in carne fit, & nihil mihi nocet cor carneum si incrassetur, neque prodest à languore, vel à quacunque causa attenuetur. Tale autem existimo fieri cor carneum eorum qui formidine continentur. Quomodo enim toti tabescunt ab ægrogatione, sic aiunt & crassitudinem, & quicquid pingue est circa cor eorum extenuati. Quid ergo mihi nocet si corporale cor meum incrassetur? Esto verò & attenuari cor meum, quid mihi ex isto prodest? Sed cor nuncupatiuo cum corporeo corde vocabulo animæ nostræ principale nominatur, vt manifestum est ex eo quod in euangelio dicitur: Beati mundo corde. Neque enim hi mundo corde sunt, qui sanguinem, vel quodcunque materiæ corporalis intrinsecus non habent. Sed dictú est: Beati mundo corde, pro eo quod est, Beati qui mundum habẽt principale animæ. Principale nominatur pro corde. Quoniã igitur principale animæ nostræ quod esse dicitur in corde corporeo, siue mũdum est cor nostrum, siue immundum, immundum quidem quando cogitationes pessimæ egrediuntur ex eo, homicidia, adulteria, furta, falsum testimonium, blasphemiæ: mundum autem quádo cogitationes sanctæ,& intellectus diuini,& mens pura: propter hoc arbitrandum est attenuatum quidem esse dictum, attenuatum à sancto spiritu eius qui saluatur: incrassatum autem & præfocatum à malitia eius qui peccat. Dicitur enim de sancto spiritu qui est secundum sapientiam, quia sit multifarius, tenuis, mobilis,& quia iustus accipiat húc subtilem spiritum: Differt quippe hic spiritus ab omnibus spiritib⁹ intellectualibus, mundis, subtilibus. Est ergo principale cordis tenue quidem quod spiritale est: pingue autem quod ex corporalis materiæ vitio cóctetum est, plenum cogitationibus corporalibus, quæ sunt in reprehensione. Sic dicitur: [Incrassatum est cor populi huius.] Intellige ex eo incrassatum esse cor, quia nihil sit in eo præter humanas & carnales sollicitudines. Quomodo enim materia corporis pinguis est, eodem modo etiam corporei intellectus & cogitationes. Ex quo cũ duo posita sint, incrassari cor ex secularibus curis,& attenuari ex sollicitudine spiritali, cum quis cogitat ea quæ domini sunt, proiiciens pinguedinem ex corde, & sciens quia si incrassatum fuerit cor eius, neque accipiat sermones dei, neque videat salutis sacramenta: deponamus & nos crassitudinem, & assumamus eam quæ dicta est tenuitatem, vt & nos dicamus quomodo prophetes: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In terra deserta inuia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: Non quasi sanctus fuerim naturaliter, sed si carnis prudentia tabescit,& si prudentia carnis extabuerit, tunc in sancto apparebo ei. Hęc in explanationem eius quod dictum est: [Incrassatum est cor populi huius.] Sequitur autem: [Et auribus suis grauiter audierunt.] Nihil mihi nocet si grauiter audiam corporaliter, neque ista mihi causa fit vt non audiam sermones dei. Quomodo enim nihil mihi nocet cæcitas corporalis, si non fuerit obcæcata anima mea: sic neque leuitas neque grauitudo auditionis corporalis impedit quicquam mihi. Est alia quædam grauitudo auditionis, quæ noceat animæ hominis. Quæ est ista grauitudo, quæ est in auditionem animæ? Peccatum, secundum scripturas, graue est. Propter quod sentiens quis peccata sua, dicit: Quasi onus graue grauatæ sunt super me. Et quia grauis est iniquitas, propter hoc super talentum plumbi sedet, vt in Zacharia scriptum est. Ægyptij autem nõ quoniam grauia habebãt corpora submersi sunt quasi plumbum in aqua vehementi, sed quia animæ eorum ad talentum plumbi, super quod sedebat iniquitas, aggrauatæ erant: propter quod submersi sunt tanquam plumbum in aqua vehementi. Grauitudo ergo aurium à peccato fit,& leuitas à iustitia. Quid est quod faciat auditum non grauiter audire, sed leuiter? Pennæ verbi, pennæ virtutis. Etenim pennæ verbi multum leuitatis afferunt. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& requiescam? Hoc dicit prophetes non orans vt corporalis pennas accipiat columbæ, sed pennas columbæ spiritus sancti. Dicit autem rursus Salomon de diuite. Componet autem sibi pennas quomodo aquila, & cõuertitur in domo eius qui præest illi. Si accipiamus igitur pennas, leuiter audiemus. Si autem peccauerimus,& negligentes fuerimus circa alas,& defluxerint pennæ nostræ, grauabimur,& grauiter audiemus. Auribus ergo suis peccatores grauiter audierunt. Omnes quidem Iudæi, qui tunc audierunt saluatorem, grauiter eum audierunt, ideo non crediderunt. Vsque hodie autem quotquot audientes scripturas, non audiunt sermonem spiritaliter, qui leuis est, sed literam quæ est grauis & occidens, grauiter audiunt. Atque ita dupliciter auditur scriptura. Ab eo qui non intelligit quę dicuntur, grauiter auditur: ab eo verò qui intelligit eam, non solũ auditur nõ grauiter, sed potius acutè. Vnde & qui fit intelligens, fit auditor. Est & aliud autem quod prophetatur de populo Iudæorum, & de omnibus nobis si peccauerimus. [Et oculos suos clauserunt, nequádo videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant.] Eorum qui non vident, quidam cæci sunt, & propter cæcitatem non vident: quidam in tenebris sunt,& propterea non vident. Alij autem neque in tenebris sunt, neque cæci sunt, sed quia claudũt oculos, non vident. Et scit has differentias, quæ principales cordis nostri sunt, scriptura diuina. Dicit enim Saluator his qui sunt in vinculis, exite: & his qui in tenebris, vt eis reueletur: & sedentibus in regione & vmbra mortis, lux orta est eis. Isti non viderunt ideo, quia fuerunt in tenebris, donec oriretur eis lux. Surdi audite,& cæci aspicite. Et ideo isti non viderunt antè, quia naturaliter cæci erant. Qui verò extra ista sunt, quíque ad comparationem cæcorum, & eorum qui in tenebris sunt, multo peiores sunt: ij sunt qui ideo nõ vident, quia oculos sponte clauserant. Hoc autem ita esse vt asseruimus: Saluator mihi testimonio erit, dicens: Si cæci essetis non haberetis peccatum: Nunc autem dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet. Et bene ait, dicitis quia videmus. vere enim dicit quia videant,& habeant possibilitatem vidẽdi, sed claudentes oculos non vident. Et si quando videris ingeniosam ad intelligendum animam & velocem, & alacrem, non meditantem eloquia dei, cognosce quia non propter cæcitatem non videt ea quæ continentur in scripturis, non ob id quia in tenebris sit, sed quia claudit oculos. Si ergo audieris scripturam diuinam dicentem his qui claudunt oculos, aperi oculos tuos,& recta vide, aperi oculos ab eo quod clauseras, tunc poteris videre recta, & considerare lumen veritatis. Et accusat quidem eos de quibus quæritur, cur oculos claudant ne videant. Non autem & hoc dicit, quia non expediat aliquando & claudere animæ oculos. Expedit enim, sicut manifestum fecit Esaias, dicens in his quæ sequuntur: [Quis annunciauit vobis locum æternum?] Qui ambulat in iustitia, & loquitur rectam viam & rectam, obturans aures vt nõ audiat iudicium sanguinis, claudens oculos vt non videat iniquitatem. Si futurum est vt aperiens oculos animæ audiam & sentiam turpiloquia, melius est claudere auditus, quàm audire quæ noceát. Quando ergo claudam? Quando mala dicuntur, vt neque intelligam ea. Quando videnda sunt eloquia Dei? Quando conuertimur, & sanat nos deus, mittens verbum quod sanat eos qui volunt curari in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Matth.5. — B — Sap.7. — C — Psal.62. — Nõ sumus sancti naturaliter. — Psal.38. — Zacha.5. — Exod.15. — D — Psal.54. — Dupliciter auditur scriptura. — E — Ioan.9. — F

Homilia Septima. De eo quod scriptum est: Ecce ego & pueri. &c. Caput. VII.

DA sapienti occasionem, & sapientior erit, dicit sermo diuinus. Occasionem autem acceperunt sacratissimi apostoli ad intellectum propheticorum sermonum. Oremus deum vt accipiamus sapientiam, & possimus fieri sapientiores

Prouer.9.

G per occasionem apostolorũ ad prophetas exponẽdos. Apostolus recordãs huius dicti: Ecce ego & pueri quos deus dedit mihi, deinde infert, & edisserit. Quia ergo pueri communicauerunt sanguini & carni & ipse proxime eos factus qui participantur eorum: vt per mortem destruat eum qui imperium habet mortis, hoc est zabulum, & eruat eos quicunque metu mortis in sempiternam vitam rei erant seruitutis. Igitur quia pueri participes effecti sunt sanguinis & carnis, & saluator noster cõmunicauit carni atque sanguini. Alienum enim erat à natura & diuinitate eius, sanguinem & carnem suscipere: propter nos autem ea quæ sibi erant aliena suscepit, vt domesticos sibi faceret qui fueramus alieni per peccatum. Et quidem Apostolus sic exposuit, dicens: Quia ergo pueri communicauerunt sanguini, & carni, & ipse proxime eos factus est qui participantur eorum. Ego autem dicam, quoniam quomodo & pueri communicauerunt sanguini & carni, & ipse proxime eos factus qui participantur eorum: sic quia pueri non possunt fortiores audire sermones, debent enim vt pueri audire sermones dei, propter hoc factus in sanguine puerorum causa qui communicauerunt carni & sanguini, quasi paruulis loquens loquitur non diuina & ineffabilia, sed quæcunque capere possunt paruuli. Paruuli autem omnes homines sunt, si eos comparas ad perfectionem verbi: licet Moysen nomines, licet vnum dixeris de prophetis, licet Ioannem, quo maior in natis mulierum nemo fuit: licet ad apostolos venias: Petrum, cui portæ inferi nõ inualescent, vel Paulum qui raptus est vsque ad tertium cœlum, & audiuit indicibilia verba, non deponis eorum gloriam, dicens, quia & ipsi in eis quæ intellexerunt comparatione eorum quæ nõ intellexerũt paruulorum disciplinis eruditi sunt, quæ hominibus traduntur. Dicit ergo saluator non de his quos Paulus in Christo paruulos nuncupat, & asserit lacte potandos, & non forti cibo, sed de omnibus simul hominibus: Ecce ego, & paruuli mei quos mihi dedit deus. Verum quomodo in pueris alii sunt aliis acriores, & ea quæ eis sunt tradita velocius consequuntur: sic inquam similem ingeniosis pueris factum Mosen, & prophetas, sed & domini nostri Iesu Christi Apostolus. Propterea sentiẽtes semetipsos qui etiam si profecerint puerorum profecerint profectu, dixerunt: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Nec enim adhuc veritatis negocia, sed vmbras negociorum conspiciebãt, nec plenam lucem, sed obscuram imaginem. Ideóque repetebant, dicentes: Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quis ergo hæc legens & intelligens inflabitur & erigetur super scientiam, seu super quodcunque donorum? Etenim cuncta quæ ad pueros deuenerunt, multo inferiora sunt his quæ reposita sunt viris. Debent I ergo non eleuari, & superbire ij qui videntur inter pueros acrioris ingenii & velocioris. Istos autem pueros homines dicit omnes, quos & saluator demonstrabat: [Ecce inquiens ego, & pueri mei quos mihi dedit deus.] Donum accepit & saluator à deo. Nemo enim venit ad eum, si nõ qui misit eum attraxerit venientem ad saluatorem, sicut in euangelio quod secundum Ioannem est didicimus. Et quoniam accepit donum à patre eos qui credunt, idcirco propheta de eis ait [Ecce ego & pueri quos mihi dedit deus.] Nec putandus est non habuisse qui accepit, cum adhuc habeat ipse qui dederit. Deinde in reliquis prophetat saluator in propheta, dicens futurum esse vt cum acceperit pueros, signa & prodigia fiant in Israel. Habet autem ita: [Et erunt signa & prodigia in Israel à domino sabaoth, qui habitat in monte Sion.] Qui enim habitat in speculatorio, & in omni anima potest conspicere veritatẽ, iste facit signa & prodigia per saluatorẽ, & post saluatorem, per apostolos: & vbicunque inuenitur anima apta ministerio signorum & prodigiorum dei, siue iuxta spiritalem curationem, siue sensibiliter exhortando eos qui veniunt ad fidem, non est ociosus deus, qui tunc fecit signa & prodigia, etiam nunc operari ea. [Et si dixerint ad vos, Quærite ventriloquos, & eos qui de terra clamant, qui inania loquuntur, qui de ventre clamant, non gentes ad deum suum requirunt, qui exquirunt de viuentibus mortuos.] Attendite quoniam obscure dicta sunt, & debet sensus deo ipso largiente & reuelante cohærere superioribus. Docet ergo nos vt non simus aliorum sermonum discipuli, nisi cœlestiũ & bonorum. Sunt K enim quidam loquentium & pollicẽtium doctrinam veram, qui non loquuntur cœlestia, sed terrena. Qui est ex terra, de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est, & quod vidit & audiuit, testificatur. Si quis (ait) pueris qui in me credunt, dixerit: [Quærite ventriloquos, & eos qui de terra clamant, qui inania loquuntur, qui de ventre clamãt] veluti quærite dæmonia: ab vna enim specie dæmonis ventriloqui τροπικῶς omnia dęmonia nuncupauit. Si dixerint vobis, quęrite ventriloquos, hoc est, quærite à dęmonibus siue diuinationẽ, siue veritatem, siue sacratam contemplationem, respondete eis quę dico. Quę sunt quę eos docet? In sequentibus dicit. Et sunt quidam qui mittunt vos, magis autem cathecuminos, quantum in ipsis est ad ventriloquos. Qui enim volunt vos ire ad idola, de quibus scriptum est: Et omnes dij gẽtium dęmonia, volunt vos ire non solum ad ventriloquos, sed ad omnem speciem dęmonum. Veruntamen deus noster qui in cœlo & in terra vniuersa facit, euellat nos à dęmonibus, & familiares sibi faciat per saluatorem nostrum Iesum Christum. Videte ergo nequando decipiatur alicuius ex vobis anima, vt adhuc ambigat & dubitet, cum audierit illum & illum hominem, in illo idolo dęmum curauit illum languorem, illud & illud diuinauit. Ista omnia idola sunt dęmonum, & hominũ non cognoscentium veritatem. Ascendite animo ad deum, qui est omnium creator, & comparate pietatem istam omnium quæ annunciatur esse pietas, nec est pietas, & videte L quia vos beati estis. Quis enim similis tibi popule saluate à domino? Et beata gens cuius dominus deus eius, populus quem elegit in habitationem sibi. Beata quippe gens fuit quondam Iudęorum, sed perdidit beatitudinem, & eiecta est de loco suo, quia eum qui missus est & testimonium habuit patris, non solum per legem & prophetas, verum & in signis & prodigiis, insidians interfecit. Beatitudo ergo transmigrauit ad nos Iesu Christi discipulos, & credimus in eo inconcusse & firme viuentes iuxta hoc quod docti sumus. [Et si dixerint ad vos: Quęrite vẽtriloquos, & eos qui de terra clamãt.] Qui inania loquuntur, vaniloquos nominauit. Omnis sermo qui dicitur aut vacuus est, aut plenus veritate. Vacuus est sermo omnis qui mendax est. Plenus est autem veritate qui habet sciẽtiam dei vniuersorum, & docet vt credamus deo pollicenti regna cœlorum sanctis suis. Vide ergo quid dicant, qui non fuerũt vaniloqui, neque vacui vnquam apparuerunt in conspectu domini. Nos omnes ex plenitudine eius accepimus. Qui vaniloqui sunt, non habent hoc ex plenitudine, sed omnes vacui sunt veritate, vacui sunt virtute, vacui sunt Christo. Si dixerint vobis, quærite eos qui de terra clamant, qui inania loquuntur, qui de ventre clamant. Volo dicere & causam quare hoc potissimum dæmonium vẽtriloquorum nunc assumpserit sermo, vt dicat: Si dixerint ad vos, quęrite ventri- M loquos. Inuenies omnes qui repromittunt, nec habent veritatem, ventri suo seruientes, & quodammodo propter voluptatem eius & abundantiam cuncta facere. Non solum autem gentiles, sed & eos, qui cum repromittant in Christo religionem, hęretici sunt: & nõ tantum illos, sed etiam in nobis qui ecclesiastici sumus, inuenies aliquem pro saturitate ventris cuncta gerere, vt honoretur, & accipiat munera quę in ecclesia deferũtur. Iste talis de ventre loquitur & fons sermonum eius in ventre consistit. Non enim fons sermonum eius de corde bono fluit, non de bonis cogitationibus, non de sancto spiritu. Si quis ergo aliquando se docere promittit, obseruate vtrum sermones eius de ventre habeant principium an non. Propositionem autem quę mihi dici potest, ipse interponam, ne forte quis ex vobis à quoquam eam audiens existimet aut scripturam sibi esse contrariam, aut nos inspexisse quomodo oporteat approbare sermonem in eos accusatorium, qui de vẽtre clamant. Quę est ergo propositio? Si quis, ait, credit, in me, flumina de ventre eius fluent, fons aquę salientis in vitam æternam. Dicat itaque aliquis de his qui proponunt. Si saluator repromittit hunc esse de ventre fontem aquę salientis in vitam æternam, de iusto egreditur, & iustus de ventre clamat. Siquidem fons aquę quem deus repromittit, in ventre eius est. Sed dicendum est ne forte duos habeamus ventres, & alius sit corporalis, alius spiritalis, quomodo reliquæ

Heb.2. Matt.11. 2.Cor.12. Apostoli multa non intellexerunt. 1.Cor.3. 1.Cor.3. 1.Cor.13. Esa.8. Ioan.3. Tropicῶs 1.Cor.8. Psal.144. Ioan.1. Ioan.7. Duo ventres.

A reliquę partes quę videntur in corpore nominari, veluti sunt oculi, verum alij corporis, alij animę. Si enim dicitur de oculis: Mandatum domini lucidum illuminans oculos, non puto hoc referēdum ad oculos corporales. Et si dicitur: Qui habet aures audiendi audiat, non est putādum hoc dici de corporis auribus, sed de animę, quas habent qui mundi sunt in auditu animę. Sed & si dicitur in repromissionem: Pes tuus non offendet, non est arbitrādum de corporis pede. Est enim quidam pes cordis ingrediens ad eum qui dixit: Ego sum via. Sic igitur similis ventri corporali venter est animę, de quo loquitur iustus: A timore tuo domine in ventre concepimus & parturiuimus & peperimus spiritum salutis tuę, quam fecisti super terram. Quicunque autem plenum habent ventrem vanis sermonibus, qui de terra sunt, habent ventrem de terra subsistentem, de quo scriptum est: Deus autem & istam & hęc destruet. Sancti ergo ventrem habēt, in quo à timore domini & conceperunt, & plenus est venter eorum fontibus aquę salientis in vitam æternam. De isto ventre ait ille: Aures & venter meus quasi vter plenus musto ac ligatus. Hęc enim dixit non de corporali ventre: nec enim vēter eius corporalis plenus erat diuinorum & his proximorū vino alligato in ventrem. Ista in solutionē propositionis. Nunc ad hoc quod cœpimus reuertamur. [Si ergo dixerint ad vos, quęrite vētriloquos, & eos qui de terra clamant, non gens ad deum suum, B hęc eis respondete.] Deficienter autē dicitur: Hęc eis respondete, non gens ad deum suum exquiritur. Vnaquęque gens, si quęrit Iouem, ad proprium deum refert quod quęsiuit. Hęc eis respondete. Vos autem Israelitę habentes deum verum qui est super omnia, cum quęritis, nolite ventriloquos quęrere, neque de terra clamātes, neque vaniloquos, sed proprium deum. [Qui quęrunt de viuentibus mortuos.] Mortui enim sunt dęmones priuati vera vita, quę dicit: Ego sum vita. Nolite ergo mortuos sciscitari de viuis negociis. Legem enim suscepistis. O vos quibus persuaderi non potuit, vt quęreretis ista de ventriloquis, & de terra clamantibus vanis sermonibus sermonem veritatis, & legem, suscipientes eam in adiutorium legis vestrę, attēdite. In lege vestra scribitur: Non sequaris idola: iuxta legem facientes non attendatis ventriloquis, neque his qui de terra clamant. Legem enim in adiutorium dedit, vt dicant, non est sicut verbum istud, pro quo non est munera dare. Qui enim assumpsit legem, & nouit quia lex in adiutorium est, & præcipue spiritalis, quæ interdicit à ventriloquis & auguriis quærere: hic cum intellexerit legem, debet admirans eam dicere, nullum verbum ita mūdum apud Græcos & Barbaros, quale est verbum legis. Ab omni enim verbo, ab vniuersa doctrina veritatem pollicente differt lex, quę à deo nobis data est. Legem enim in adiutorium dedit, [vt dicant, non sicut verbum istud.] Quid est quod non est sicut C verbum istud? Multa sunt verba, sed non sicut verbum istud. Nullum enim verbum post verbum Mosi, post verbum prophetarum, multo autem amplius post verbum Iesu Christi, & apostolorum eius. Vide si non clamant sensus dei quod dictum est: Legem enim in adiutorium dedit: vt dicant qui acceperunt legem in adiutorium, non est vt verbum istud quod loquutus est Moyses in lege lata per angelos in manu mediatoris. Multo autem dignius potest hoc ecclesia dicere, non est sicut verbum istud quod caro factum est, quod habitauit in nobis, cuius videmus gloriam, non sicut Moyses velamine obtectam, sed gloriam tanquam vnigeniti à patre, pleni gratiæ & veritatis. Non est sicut verbum istud quod suscepit ecclesia, in quo credit, per quod & saluabitur, verbum quod in principio erat apud deum deus verbum, cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Psal. 18. Matt. 13. Ioan. 14. Esa. 26. 1. Cor. 6. Galat. 3.

Homilia octaua. De eo quod scriptum est: Vlulate sculptilia in Hierusalem, & in Samaria, vsque ad eum locū in quo ait: Et cōmouebo ciuitates quæ habitantur. Cap. XIII.

OLIM quidem quādo peccauit populus prior, excidit à religione, & sculptilia fabricatus est Iudas in Hierusalē, & is qui Israel vocabatur in Samaria. Si autem & nunc aliquis consideret ex multitudine eorum qui colliguntur peccatores, nō pigebit eum dicere, quod vnusquisque deum faciēs quod existimat esse bonum, & seruiens peccato, maledictus D est faciens sculptile, & conflans opus manuum artificis, & ponens illud in abscoso. In abscoso quippe cordis multa facimus idola si peccemus. Vnde sermo nos edocet pœnitentiam agere, & vlulare super sculptilibus, & idolis quę sunt in Hierusalem & Samaria. Et si quidem nos peccemus, qui esse de ecclesia cupimus, in Hierusalem facimus sculptilia. Si verò ij qui extra ecclesiam constituti sunt quomodo hęretici peccauerint, faciunt idola in Samaria. Veruntamen omnes omnipotens deus iuxta suam bonitatem ad pœnitētiam prouocat, dicens: [Vlulate sculptilia in Hierusalem & in Samaria.] Quemadmodum etenim feci Samarię & manu factis eius, ita faciam Hierusalem & idolis eius. Comminatur quęcunque fecit Samaritanis, & his qui de ecclesia sunt. [Cum autem consummauerit deus omnia faciens in monte Sion, & in Hierusalem, inducet super sensum magnum principem Assyriorum, & super altitudinem gloriæ oculorum eius.] Doceмur quid futurum sit inimico nostro & zabulo, quem sensum quendam magnum nunc propheta nuncupauit. Quomodo enim serpens sapientior erat omnibus bestiis quę sunt super terram, & filij seculi huius sapientiores super filios lucis in generatione sua sunt, & dispensator iniquitatis sapienter fecit secundum sapientiam nō bonam: eodem modo iste qui figuraliter princeps Assyriorum dicitur, magnus est sensus, & est mirari magnitudinem sensus eius: in quo abusus est ad instruendos sapientes mundi istius, qui cum omni verisi- E militudine, cunctáque virtute falsitatem sectarum suarum cōponentes exhibent. Cùm ergo omnia fecerit deus in monte Sion, & in Hierusalem, & reddiderit ea quę iustis repromissa sunt, tunc inducet supra sensum magnum principem Assyriorum, & super altitudinem glorię oculorum eius. Alta eum sapientem sermo nouit, & exordium ruinę eius ab inflatione cœpisse. Vnde & si inflati fuerimus, in iudicium incidemus diaboli, in quo incidit ipse Zabulus. Videamus autem & inflationem eius quanta sit, vt eam caueamus, & non permittamus eum super nos vera dicere. Quid igitur dicit? [Viribus faciam, & sapientiam intellectus auferam, fines gentium.] Existimat fortitudine sua quod vult in nobis se posse perficere. Et reuera si vincamur, & post hęc verba peccemus, si post ecclesiam rursum in circum, & ad equorum cursus, & ad conuentus gentilium eamus, quid aliud fit, quàm superatos nos possidet? Et quid dixit Zabulus viribus faciam? consequitur in nobis peccatoribus, quod minatus est. Sed & si fornicemur post castitatem longi temporis, post sanctimoniam multam, quid aliud fit quàm vera locutus probatur super nos, qui dixit viribus faciam? Quid autem & aliud repromittat iste magniloquax intueamur. [Et sapientiam intellectus auferam, fines gentium.] Sapientiam nescio quam pollicetur, de qua & propheta loquitur: Alienigena quędam F sapientia est in eis. Est enim aliqua extranea à veritate sapientia quam disperdet deus. Hanc iste habens existimat se esse sapientem, & dicit: [Sapientiam intellectus auferam, fines gentium, & vires eorum depascar.] Peruenit enim ad omnes gentes operatio eius, sed saluator in omnes gentes mittens sermones suos, eruit eos, qui à Zabulo in cunctis gentibus captiui tenebantur. [Et vires eorum depascar.] Minatur se vires nostras prædatum iri, & tradere aduersus nos militantibus. Et reuera est videre eum quibusdā hoc facientem. Quando enim quis vincitur à Zabulo, & traditur dęmonibus spiritibus pessimis, virtutibus contrariis, quid aliud factum est quàm is dixerat: [Et vires eorum depascar?] Accipiens nostras vires depastus est nos. [Et commouebo ciuitates quæ inhabitātur.] Et hoc Zabulus comminatur, inhabitari cernit ciuitates ecclesias dei in Christo domino constructas, has commoturum esse se personat. Et frequenter quidem concussit ciuitates inhabitatas persecutionibus, frequenter concussit scandalis. Sed nos tentemus fundamentum habentes super petram tales fieri, vt iste qui dicit: [Commouebo ciuitates quæ inhabitantur, nos mouere non valeat per procellas suas, neque per spiritus aduersos. Verum ad omnia quæ acciderint stabiles perseueremus, vtpote habentes ædificium super petram Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Gene. 3. Extranea sapientia.

G *Homilia IX de eo quod scriptum est: Et audiui vocem domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum, & trásgrediens modica peruenit vsque ad locum in quo scribitur. Pete tibi signũ à domino tuo in profundum, aut in excelsum* Cap. VI. & VII.

ET audiui vocem domini dicentis, quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Et dixi, ecce ego sum, mitte me. Et ait: Vade, & dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis, & reliqua.] De eo qui nunc lectus est Esaiæ prophetę sermone, oremus deum, vt nobis gratiam largiatur, vt digna prophetico spiritu valeamus exponere. [Et audiui, inquit, vocem domini dicentis: Quem mittam] Postquam purgatus est labia propheta, paratus suscepit ministerium domini, & dicit: [Ego sum, mitte me.] Sed vt paratior esset ad hoc meminerat vocis Mosei. Nam & ille eadem vtens voce, mitte me, princeps populi, iudéxque factus, & famulus dei nuncupatus est. *Exod 4.* Audiui autem quendam Hebręum exponentem hunc locum, atque dicentem, quia libenter quidem prophetes & paratus prophetiam suscepit ad populum, ignorans quę essent ei dicenda. Porrò audiens tristia quę essent populo nuncianda, hoc est [aure audietis, & non H intelligetis &c.] in sequentibus pigrior fit: dicente ei voce dei: [Clama, respondit ei, & dicit, Quid clamabo?] *Esa.40.* Arbitror autem hæc prophetari de Saluatore, quia futurum erat vt audientes non audirent, & videntes non viderent. Manifestius porrò fiet quod dicitur, si consideremus paululum locum istum: [cernentes aspicietis & non videbitis,] istiusmodi est. Videbant quidem videre tunc cęcos respicientes, rationem autem visionis ignorabant. Audiebant parabolas quas dissoluebat secreto discipulis saluator. Ipsi verò non audiebant, nescientes quę dicebantur, propter hoc testificans eos dixit: Qui habet aures audiendi audiat. Nec enim priuari erant his auribus vt non audirent, sed interiores eorum aures grauatę erant ad audiendum. Propter hoc pręedicat eis, & per prophetam futura pręfatur, dicens: [Aure audietis, & non intelligetis, & cernentes aspicietis & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius.] Quid sit hoc quod dicitur: [Incrassatũ est cor populi huius.] inspiciamus. Omnibus qui in præsentis vitæ curis versantur cor, incrassatum est: haud aliter eis qui in secularibus morantur incrassatum est cor, quàm si à spinis enecentur. Idcirco pinguescit cor, & non potest tenuioris spiritus suscipere notiones. Fugiamus ergo à talibus curis, vt attenuatum cor nostrũ deo acceptabile fiat. Fugiamus terrena negotia. Ista sunt enim quibus I cor incrassatur. Propter hoc sermo subtilis erat, vt in Exodo scribitur de eo quod ait: *Exod.24.* Quicunque fuerint propter tenuitatem cordis eiusmodi, isti deum videbunt. Talibus enim oculis deus videtur. Tria sunt quę dicuntur: [Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus suis grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt.] Possunt autem & aliter manifestius intelligi quę hoc dicũtur in loco. Multi enim hominum putant inspicientes creaturas, & mundum istum contemplantes, videre se ea. K Et quid dico hominum? Ecce volucres & quadrupedia vident solem & lunam, & vniuersum simul cœlum cum stellarum choro, sed rationes eorum non intelligunt. Soli verò iusti & sancti per sapientiæ dei ratioñe comprehédéres inspiciunt ea. Ideo in viij. psal. Dauid dicit: Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti. Quid enim nunc propheta non videt cœlum & lunam? Sed hoc quod ait, videbo, si consideremus poterimus intelligere. [Conuersi sunt ad iniquitates,] quorum? non ait simpliciter patrum, sed cum additamento, [patrum suorum priorum.] Diximus hæc de nobis dici, & iis qui inter nos sunt peccatores. Quomodo igitur qui inter nos sunt peccatores, conuersi sunt non ad iniquitates simpliciter patrum, sed patrum suorum priorum? Duplices habemus patres & vna species est pessimorum patrum. *Duplices patres.* Siquidem antequam crederemus, zabulus pater noster fuit, vt sermo euangelicus ostendit, dicens: Vos de zabulo patre estis. Cum autem credidimus, facti sumus filij Dei. Si ergo post hęc peccauerimus, conuertimur ad iniquitates, non simpliciter patrum, sed patrum priorum. Ad probatioñe autem huius rei, quia duplices habemus patres, vtimur & Dauid testimonio in xliiij. Psalm. dicentis: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Pater dicit, obliuiscere domum patris tui: L quasi pater quippe cœpit, audi filia. Ergo duplices nostri patres sunt. Sed obliuiscere, inquit, domus patris tui prioris. Si igitur oblitus prius domus patris tui prioris, rursum fueris ad peccata cõuersus, incidisti in id quod nunc dicitur peccatum: [Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum.] Dicebamus dudum Zabulum patrem nostrum fuisse antequam deus noster factus sit pater, si tamen & nunc non habemus patrem Zabulũ, quod & de Ioannis epistola apptobabimus, in qua ita scribitur: Omnis qui facit peccatum, ex Zabulo nascitur. Ex Zabulo nãque nascimur, quoties peccamus. Infelix ille qui semper generatur à Zabulo. Rursúmque multum beatus qui ex Deo semper nascitur. Neque enim semel dicã istum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper iustus nascitur ex Deo. *Iustus semper nascitur ex deo.* Hoc autem vt plenius possit probari, & de Saluatoris nostri quotidiana natiuitate dicamus, liquido id in iustis obtinentes, quod in Deo præcesserit. Saluator noster splendor est gloriæ. Splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci: *Hebr.1.* sed quotiescunque ortum fuerit lumen ex quo splendor paritur, toties oritur & splendor gloriæ. Saluator noster sapientia est Dei. Sapientia verò splendor est lucis æternæ. Sic igitur Saluator semper nascitur, & idcirco dicit, M ante omnes colles generat me, non vt quidam malè legunt, genuit. Si semper ex patre nascitur dominus, etiã tu in similitudine eius iam adoptionis habens spiritum, generaris à domino per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen. Finis.

HOMILIA I. ORIGENIS

IN HIEREMIAM CAP. I.

DEVS ad benefaciendum promptus est: ad puniendum auté eos qui pœna digni sunt, dissimulat. Cum possit quippe tacens sine contestatione venturi punire eos quos simul dignos supplicio iudicauit, nunquam hoc facit: sed etiã si condemnauerit, dicit quod sibi semper dicere propositum est, vt liberentur à condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum de scripturis multa possimus accipere, sufficiũt ad præsens incidentia, vt veniamus ad eorum quæ lecta sunt, contemplationem. Niniuitæ peccatores condemnati erant à Deo. Adhuc enim xl. dies, & futurum vt Niniue subuertatur. *Ionæ 3.* Noluit Deus cum silentio punire damnatos: sed dans eis locum pœnitentiæ & conuersionis, misit ad gentes Hebræorum prophetam, vt dicéte illo, Adhuc xl. dies & Niniue subuertetur, qui condemnati fuerant, non perirent, sed agentes pœnitentiam, impetrarent misericordiam Dei. Qui in Sodomis & Gomorris, iam erant exitio destinati, vt manifestum est ex sermonibus Dei quos locutus est ad Abraham: attamé quod erat suum, fecerunt angeli, voléntes eos saluari qui se indignos salute iudicauerunt. hæc dicentes ad Loth: Est tibi hic aliquis gener, aut filij aut filiæ? *Gene.19.* Neque verò ignorabant non esse eos secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter & eius qui eos miserat, benignitatem in homines & amorem. Horũ quiddam simile inuenimus & in Hieremia scriptum esse. Est enim

A enim annotatum tempus prophetiæ eius quando cœpit prophetare,& quousq;.Ergo qui scripturas legit, si lectioni diligenter intẽdat,& requirat eorũ quę scripta sunt voluntatem, discere potest ex historię superscriptione,quo tempore Hieremias exorsus sit,& quo consummauerit prophetiam.Quid igitur ad me tempus historiæ? Legens didici, quia cœperit prophetare in diebus Iosiæ filij Amos regis Iuda, vsque ad annum tertiumdecimũ regni eius: deinde prophetauerit in diebus Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, vsque ad cõsummationem vndecimi anni Sedechiæ filij Iosiæ regis Iuda. Et legens didici, quia per tres reges prophetia eius contexta sit, vsque ad captiuitatem Hierusalem in quinto mense. Quid ergo docemur per hæc,si lectioni simus intenti?Condemnauerat Deus Hierusalem propter peccata quæ fecerat, & hæc erat extrema sententia,vt captiuitati relinqueretur. Veruntamen cum hominum sit amator, nec quenquam velit perire, antequam depopulationis tempus instaret,misit & hũc prophetam, vt per sermones eius ad pœnitentiam cõuerteretur, misit eundem & sub secundo rege post primum, misit quoque sub tertio.Quid plura? iam captiuitas imminebat,& adhuc adhortabatur Deus tribuens (vt ita dicam)& ante vnam diem locum pœnitentiæ:vnde scriptum est, vsque ad captiuitatem Hierusalem, & vsque ad quintum mensem prophetasse Hieremiam. Iam hostium vincula restrinxerant manus, & nihilominus hæc quodammodo dicebat Deus: Ecce captiui facti estis: agite(licet sero) pœnitentiam: rogate me & parcam vobis: possum eruere de captiuitate quĩ tradidi. Habemus itaque quædam necessaria ex superscriptione ista,quæ continet tempora prophetiæ, quia iuxta suam clementiã exhortatur Deus semper homines ad salutem, vt cessante delicto,etiam captiuitas conquiescat. Hæc autem & de nobis possumus intelligere: si peccauerimus, & nos captiui futuri sumus. Etenim tradi peccatorem satanæ, nihil distat ab eo quod Iudæi sunt traditi Nabuchodonosor. Vtique illos deus concessit aduersario propter frequentes impietates, sic nos propter peccata quæ fecimus, tradimur spiritali Nabuchodonosor: & quos tradidi, inquit, satanæ,vt discant non blasphemare, Apostolus de aliis peccatoribus. Putas quantum malum est peccare,vt tradamur satanę captiuanti animas eorum qui relinquuntur à Deo? Nõ sine causa autem,neque sine iudicio Deus relinquit quos deserit. Cum enim miserit pluuiam super vineam,& vinea pro vua attulerit spinas,quid faciet,nisi vt mandet nubibus,ne pluant super eam imbrem? Quapropter in proximo est propter delicta nostra, quorum nobis conscij sumus, & nos captiuari. Futurum est enim vt tradamur si non egerimus pœnitentiam, Nabuchodonosor atque Babyloniis qui nos sensibiliter excruciẽt. Istis iam adiacentibus sermones prophetarum,sermones legis,sermones apostolorum,sermones etiam domini & saluatoris nostri Iesu Christi hortantur ad pœnitentiam,prouocant ad salutem. Si autem audierimus,credimus ei qui dixit: Et ego pœnitentiam agam de omnibus malis quæ loquutus sum facere eis. Et hæc quidem in procemium. Post procemium autem ita scriptum est: [Factus est domini sermo ad eum.] Certum est quia ad Hieremiam quid dicit sermo domini ad eum? Præcipuum ab omnibus quæ prophetis dicta sunt cæteris. Hoc enim ad vllum prophetarũ dictũ inuenimus. Abraham propheta nuncupatus est in eo quod dicitur, propheta est, & orabit pro te: & tamen non dixit ad eum Deus: [Priusquam te plasmarem in vtero noui te, & priusquam exires de vulua, sanctificaui te.] Sed postea in extremo iam tempore sanctificatus est Abraham,quando egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & domo patris sui. Ex repromissione natus est Isaac,& tamen neque ad eum reperimus hunc dictum esse sermonem. Et quid me necesse est per singulos currere? Hieremias præcipuum inter cunctos cõsequutus est donum, dicente domino: [Priusquam te plasmarem in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua sanctificaui te.] Neque verò ignoramus quosdam esse qui ita referant, quasi maior sit Hieremias super Saluatore nostro & domino Iesu Christo. Sciendúmque plurima ex his esse quę possunt Saluatori conuenire, quæ etiam nos interponemus. Pauca autem eorum quæ ad Hieremiam dicta sunt, coarctant intellectum, quasi non possint (vt plures existimant) ad dominum referri. Quæ sunt ergo quæ possunt conuenire domino? [Ad oẽs ad quoscunque mittam te,ibis, & omnia quæ mãdo tibi loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te,dicit dominus.] Necdum ista otiose videntur ad Saluatorem referri: ea verò quæ sequuntur: [Extendit dominus manum suam ad me, & tetigit os meum, & dixit dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te hodie super gentes & regna, eradicare & disperdere:] de Hieremia difficilem faciunt interpretationem. Quas enim gentes eradicauit Hieremias? Quæ regna subuertit, vt merito ei dictum sit: [Ecce constitui te hodie super gentes & super regna eradicare & suffodere?] Quam habuit potestatem ad disperdendum, vt audierit, & disperdere? Quænam verò ædificauit,vt consequenter addatur,ædificare? Hieremias dixit: Non profui, neque profuit mihi aliquis, & quomodo data est ei ædificatio atque plãtatio? Hæc,vt diximus,ad Saluatorem relata non coarctant interpretantem. Hieremias enim in istis Saluatoris figura est.Sed ea quæ sequuntur, & doctissimo homini difficultatẽ expositionis important:quomodo possint congruere domino. [Et dixi: Quis es dominator domine?Ecce nescio loqui.] Qui est sapientia, qui est virtus Dei, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter,quomodo huic aptari potest,nescio loqui?Sed & illud, [quia iuuenis ego sum?] Interdicitur enim quasi non bene responderit.Sic & enim ei dicit dominus:[Noli dicere quia iuuenis sum.]Manifestum est quasi non bene dicẽtem fuisse reprehensum.Hæc sunt quæ Saluatori videntur non conuenire.Superiora autem facili intellectu ad eum referũtur. Dicere verò alia super Hieremia, alia super Saluatore interpretanda esse, non permissum est. Sed qui bene scripturas nosse conatur, vehementer in isto instabit loco, videns sub vno textu sermonis diuini intellectum,& dici hæc quoniam minora sunt,non conueniunt Saluatori, sed Hieremiæ: illa verò quoniam minora sunt non Hieremiæ, sed Christo. Ob id cuncta nos ad Hieremiam referre tentabimus: Hoc est & ea quæ quum maiora sint, videntur conditionem eius excedere.Quicunque à Deo accipit verba, sumens gratiam cœlestis eloquij, idcirco ea accipit vt regna,gentésque eradicet atque subuertat. Sed quum nominentur gentes & regna, omni qui diuina verba suscipit,nolo eum corporaliter intelligere regna & gentes, sed considerans animas hominum regnatas à peccato, iuxta id quod in apostolo scriptum est:Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, videns quoq; multas species delictorum, allegorizet regna & gentes per varia delicta quæ humanas animas possederunt: & hæc erunt quæ euellentur atque suffodientur à sermonibus Dei qui dati sunt siue Hieremiæ, siue cæteris sanctis. Ita fiet vt prima quæ non videbantur congruere Saluatori, ad Hieremiam referantur: & secunda ab eo qui scit figuratè dicta quæ dicta sunt:Hieremiæ deputentur. Dicit mihi aliquis auditorum,etiam alium pande sermonem, & cuncta quæ scripta sunt super Saluatore,quasi de eo sint scripta constitue: de secundis noli esse sollicitus. Apparet enim quia Saluator eradicauerit regna diaboli, & nationes subuerterit,gentilem destruens vitam. In istis quod intellectum difficilem facit, hoc est:quomodo possit Saluator dicere,nescio loqui, quia iuuenis ego sum, & cætera. in hoc sermone interpretantes coangustantur.Iesum Christum scimus deum:quęrimus verba quæ dicta sunt iuxta personæ exponere dignitatem: quapropter necesse est nobis scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri, & enarrationes sine ijs testibus non habent fidem: & hoc quod dictum est, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum,magis conuenit ad interpretantis probationẽ, quàm ad quorũcunque hominum numerum:vt firmem verbum intellectus mei,accipiens duos testes de nouo & veteri Testamento, accipiens tres testes de euangelio, de Propheta, de apostolo.Sic enim stabit omne verbum.Quomodo igitur valebimus ista coniungere Saluatori?Det mihi testimonium vetus Testamentum, quia priusquam agnoscat puer bonum,aut malum,& cætera. Det etiam Esaias:Ecce virgo concipiet in vtero,& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Ibiq; additur, prius-

Marginalia: Hieremias vaticinatur sub tribus regib9. — B — 1.Timo.2. — C — Hier.18. — Hier.1. — Hieremias præcipuũ sanctificationis in vtero donum cõsecutus. — D — E — Rom.6. — F — Matt.18. — Esa.7.

G quam cognoscat puer. Si autem & de euangelio accipere oportet testimoniũ, Iesus nec dum vir, sed adhuc infans, quia se exinaniuit formam serui accipiens, proficiebat. Nemo autem proficit qui est perfectus, sed ille proficit qui indiget profectu. Ergo proficiebat ætate, proficiebat sapientia, proficiebat gratia & apud Deum, & apud homines. Nam si euacuauerat seipsum ad nos descendens, & euacuans seipsum resumpsit iterum ea de quibus se prius euacuauerat, quid indignum est profecisse eum sapientia, profecisse ætate, profecisse gratia apud Deum, & apud homines, & vera de eo esse ista quæ dicta sunt. Priusquam cognoscat puer bonum, aut malum, & ea quæ de eodem interposuimus? Sed dicit mihi aliquis: Etiam si potest de Saluatore intelligi dictũ esse quia nesciat, & cætera huiusmodi quæ maiora sunt, & si puerum eum accipias, nónne offendis ista sentiendo de vnigenito, & primogenito vniuersæ creaturæ, de eo qui antequam conciperetur, annunciatus est loquente Gabriele, Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit te, & audes dicere quia nesciat loqui? Quamobrem videbo si potero aliquid dignum de Saluatore in hoc loco afferre, quod quædam nesciens maior sit si ea ignorauerit quàm si scierit. Vtamur voce eius quomodo sint aliqua quæ nesciat. Respondit eis qui sibi dicebant, nónne in nomine tuo comedimus, & in nomine tuo bibimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Discedite à me, non noui H vos. Putásne hoc quod ait, non noui vos, minorem eius virtutem approbat, an maiorem atque mirabilem, quia malos perituros q; nesciat? Scit enim ab his differentias, scit meliora, scit dominus eos qui eius sunt, & si quis ignorat, ignoratur. Igitur (vt constat) peccator ignoratur à deo. Dicit mihi aliquis de auditoribus: Ostendisti quia nesciat peccatores deus, ostendisti quia ignoret eos qui operantur iniquitatem: neque enim digni sunt agnitione eius: Quomodo approbabis magnum, & gloriosum esse quod ab eo dictum est [nescio loqui,] quod humanum est, & eloquio sæpe vtimur, verbi causa Hebræorum voce, siue Græcorum, siue reliquorum sermone? Ergo si ascenderis ad Saluatorem, & scieris eum in principio apud deum verbum, inspice quia nesciat loqui, quum humanum sit hoc quod dicitur loqui, si ideo nesciat quia sint maiora quæ nouerit. Si autem & angelorum linguas humanis comparaueris linguis, & scieris quia iste maior sit angelis (sicut testatus est de eo apostol⁹ in epistola sua quam scripsit ad Hebræos) intelliges maiorem eum & angelorum linguis fuisse, quando tantum deus verbum erat apud patrẽ. Discit ergo, & quodammodo accipit disciplinam non magnorum, sed inferiorum, ac minorum. Sicut & ego balbutire disco, violentiam mihimetipsi faciens, quando cum paruulis loquor: neque enim scio (vt ita dicam) infantiliter loqui, & infractis verbis iam grandæuus cum pueris sermocinari: eodem modo Saluator in magnificentia gloriæ quidem dei & in patre consistens non loquitur humana, nescit affari eos qui deorsum sunt. Quando autem venit in corpus humanũ, I dicit in exordio, nescio loqui, quia iuuenis ego sum. Iuuenis propter dispensationẽ: Senex iuxta hoc quod primogenitus omnis creaturæ: iuuenis quia in consummatione iam seculorum, & in extremum huius vitę tempus aduenit. Dicit itaque nescio loqui. Scio enim quædam maiora loqui, scio quædam isto sermone mortali vix eloqui terrestrib⁹. Necdum assumpsi humanam fragilitatem, habeo eloquium tuum, verbum sum, tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, iuuenis sum. [Noli dicere iuuenis ego sum, quoniam ad omnia ad quæcunq; mittam te, ibis.] Deinde commouit manum ad tangendum os eius, vt ei det verba quibus eradicet imperia. Neque vero indigebat Saluator verbis vt ea acciperet, quando erat in patre, nullis in cœlo dignis quæ mererẽtur euerti. Sed nunc accipit parua, differens maiora paulisper. Atque ita ex hoc approbatur, sicuti aliquibus gloriose dixerat: Nescio vos, quia operarij estis iniquitatis: & nunc verba gloriose accepisse cum deus sit, & iuxta magnificentiam suæ dixisse gloriæ, nescio loqui, id est humana non noui. Siue autẽ ad Hieremiam, siue ad Saluatorem: [Priusquam te plasmarem, in vtero noui te, legens Genesim, & obseruans ea quæ ibi de conditione mundi scripta sunt, inuenies quia scriptura diuina multum in sermonibus cauta non dixerit, priusquam te K facerem, in vtero noui te. Quando enim iuxta imaginem cõditio est, dicit deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & non dicit plasmemus. Quando autem accepit lutum de terra, nõ est scriptum fecit hominem, sed plasmauit hominem: & posuit in paradiso hominem quem plasmauit, operari & seruare eum. Si potes intellige differentiam facturæ & plasmationis, quur dicẽs siue ad Hieremiam, siue ad Saluatorem, non dixerit priusquam te facerem in vtero. Quod enim fit, non fit in vtero: sed quod creatur de terræ puluere, hoc plasmatur in vtero. [Priusquam te plasmarem in vtero scio te.] Omnes nouit deus: quomodo quasi præcipuo à cæteris Hieremię dicit noui te? An eos tantum scit deus qui scientia eius digni sunt? & cognoscit eos qui eius sunt, indignos verò nescit neque pater, neque filius, dicens non noui vos? Nos cum simus homines, si aliqua fuerimus prædit dignitate, alios nostra notitia dignos, alios iudicamus indignos: & quos scire nolumus, neq; audire volumus, eos nescimus, quid arbitraris de vniuersitatis deo? Vult scire Pharaonem, vult Ægyptios nosse, sed indigni sunt notitia eius, sed ipsi faciunt vt ignorentur. Scit autem Moysen, scit prophetas, & si quis similis eorum est. Multum te oportet laborare, vt nosse incipiaris à domino. Hieremiam quidem priusquam plasmauerit in ventre cognouit: alium verò de prophetis triginta annorum cœpit nosse, aliũ quadraginta. Sermones sunt ineffabiles de Saluatore, & non magnopere L quærendi. De Hieremia verò eorum qui scientiam scripturarum habent, autoritatibus indigemus, quomodo dicatur: [Priusquam te plasmarem in vtero noui te, & priusquam exires de vulua matris tuæ, sanctificaui te.] Deus sibi ipse sanctificat aliquos. Istum non expectat vt sanctificet genitũ, sed prius sanctificat quàm de vulua egrediatur. Si ad Saluatorem (vt dixi) referas, non est malum dicere prius eum sanctificatum esse quàm natum. Sic & de domino intelligas, qui non solum antequam de vulua exierit, sanctificatus est, sed infinito ante tempore semper sanctus fuit: hic verò antequam de vtero exiret, sanctificatus est. [Prophetam in gentibus posui te.] Si de Hieremia quæris quomodo sit propheta in gentibus positus, obserua in consequentibus cum iubetur prophetare ad omnes gentes: nam istiusmodi scriptio est, quòd prophetauit Hieremias super omnes gentes Elam, Damasci, Moab: & habebis quia prophetauerit ad omnes gẽtes, iuxta id quod dictum est, prophetam in gentibus posui te, si tamen volueris hæc de Hieremia dicta sentire. Si autem intelligentiam ad deum transferas, iste verè in vniuersas gentes prædicauit. Est quippe sicut alia multa, sic & propheta. Vt est princeps sacerdotum, vt est Saluator, vt est medicus, similiter & propheta est. Moyses annuncians de eo non solũ prophetam, sed admirabilem inter cunctos nominauit prophetam dicens: Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis, dicit dominus deus noster, quasi me audite eum. Quicunque M non audierit prophetam illum, interibit de populo suo. Iste est prophetes constitutus in gentibus, & accepit gratiam à deo, effusam in labiis suis: vt non solum cum præsens aderat corpore, sed etiam nunc cum adest virtute & spiritu, prophetet ad omnes gentes, & prophetia sua ex toto orbe attrahat homines ad salutem, & dixit: [Quis es dominator domine? Ecce nescio loqui, quia iuuenis ego sum. Et dixit dominus ad eum: Noli dicere quia iuuenis ego sum: Quoniam ad omnes ad quoscunque te mittam, ibis.] Sæpe diximus solere esse aliquem puerum iuxta eum qui intus est hominem, licet etiam senili corporis sit ætate: & econtrario frequenter inueniri paruulum secundum eum hominem qui extrinsecus est etiam, & interius perfectum virum. Talis erat Hieremias habens iam sibi concessam à deo gratiam in ætate corporis adhuc puerili, propter quod ait ei dominus: Noli dicere quia iuuenis sum. Signúmque huius rei, quia non sit iuuenis, sed vir consummatus, ostendit dicens: [Quoniam ad omnes ad quoscunque mittam te, ibis, & iuxta quæcunque mando tibi loqueris. Nec timeas à facie eorum.] Scit enim eos sermo dei qui verbi legatione funguntur, incurrere ab iis periculum qui audire contemnunt. Increpati enim oderunt increpationes, coarguti insequuntur arguentes. Omne quodcunque malum est,

Luc.2. — Luc.1. — An aliqua christus nesciat. — Matt.7. — Heb.1. — Christus iuuenis & senex. — Gen.1. — Differentia facturæ & plasmationis. — Christus propheta. — Deut.18.

A est, semper patiuntur prophetę. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & domo sua. Cuius rei nuper quoque fecimus mentionem. Scit ergo (vt dicere cœpimus) deus mittens prophetam, quanta discrimina perpessurus sit, ideo exhortatur eum dicens: [Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te, dicit dominus] Quæcunque Hieremias passus est, scripta sunt: in lacum missus est luti, mansit ibi comedens panem diei, & aquam tantum bibens, aliáq; multa quæ pertulit in libro eius continentur. Quem autem prophetarum non persequuti sunt patres vestri? dicit dominus ad Iudæos. *Act.7.* Et necesse est eos qui viuere religiosè in Christo cupiunt, omni genere à contrariis virtutibus per ea quæ recipiuntur vasa, persequutionem pati. Qua de causa nihil nouum, aut peregrinum videatur his qui in tribulationibus affliguntur. Omnia quæ præcepta sunt, faciant, tantum orent vt persecutionis causa Christus sit, ne propter iniusticiam, ne propter delicta, ne propter auaritiam deprimantur. Siquando autem propter iustitiam aliquis exagitatur, audiat: Beati estis cum exprobrant vobis, & persequuntur, & dicunt omne malum aduersum vos, mei causa: gaudete & exultate, quia *Matt.5.* merces vestra magna est in cœlis. Sic enim persequuti sunt prophetas qui fuerant ante vos. [Quoniam tecum sum vt eruam te, dicit dominus. Et extendit manum suam ad me dominus, & tetigit os meum, & dixit dominus ad me.] Obserua differentias Hieremiæ & Esaiæ. Esaias ait: Immunda labia habens in medio populi immunda labia habentis *Esa.6.* B ego habito, & regem dominum Sabaoth vidi oculis meis. Et quoniam confessus est non habere facta immunda, sed verba tantum (vsque ad hunc enim finem peccata commiserat) non extendit dominus manum suam, neque vnum ex Seraphim manu sua labia eius tetigit, sed forcipe solum tangens ait: Ecce abstuli iniquitates tuas. Hieremiæ autem quia sanctificatus fuerat in vulua, non forceps mittitur, neq; de altari carbo succensus: nihil quippe habebat igne dignū: sed ipsa manus domini tetigit eum, propter quod dicit: [Extendit dominus manum suam ad me, & tetigit os meum. Et dixit dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te super gentes & regna eradicare.] Qui sic beatus est, vt regna multa quæ Christo diabolus ostendit, regna *Matt.4.* dæmonum, regna peccati eradicet, opus habet iis qui ei dati sunt à deo sermonibus. Scriptum est enim: Ecce dedi sermones meos in os tuum. Ecce constitui te hodie super gentes & regna eradicare. Quomodo autem regna sunt plurima, plures similiter & gentes. Nec potest aliquod regnum dici, nisi quod sub se continet nationes. Verbi gratia dictum sit, regnat fornicatio in homine peccatore, necesse est vt regnum fornicationis habeat gentes suas, & illud ipsum generet delictum auaritiæ & fraudis, quo vix aliquis immunis est. Habet regnum suum, & sub regno vno multas possidet gentes, perplurimas scilicet species auaritiæ, & ob id opus est sermonibus dei, vt istiusmodi regna cum suis gentibus euellantur. C Saluator in Euangelio ostendit dicens: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. *Matt.15.* Sunt quædam intrinsecus in animabus vestris insita, quę non plantauit cœlestis pater. Omnes quippe cogitationes pessimæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, plantationes sunt quas non plantauit cœlestis pater. Si autem vis scire cuius sit plantatio istiusmodi cogitatus, audi quia inimicus homo hoc fecit, qui superseminauit zizania in medio tritici. Instat ecce deus, instat & zabulus habentes semina sua. Si dederimus locum zabulo, inimicus homo superserit plantationem quam non plantauit cœlestis pater, vtique eradicandam. Sin autem repulso zabulo locum dederimus Deo, gaudens deus sub principali cordis nostri sparget semen suum. Nec aliquis existimet triste quiddam Hieremiam recepisse, quia constitutus sit ad eradicationem regnorum & gentium. Bonitatis dei istud est indicium, eradicare vitia per sermones, inimica cœlestis regni regna destruere: & bellantes cum sua gente euertere nationes, eradicare & subuertere. Est quædam ædificatio zabuli, & est quędam ædificatio dei, quod super arenam extruitur, hoc zabuli est, super nullo enim stabilitur, abortumq; non solidatur, *1 Cor.3.* quod autem super petram ædificatur, hoc dei est. Vnde & his qui eius sunt dicitur: Dei agricultura, dei ædificatio estis. D Super gentes eradicare, & subuertere, & disperdere. Si eradicatur aliquid, & eradicatio ipsa nō dispergitur, adhuc permanet quod euulsum est. Si subruitur domus, & lapides in ruina sunt integri, dissipata est domus, non tamen perdita. Opus est igitur benignitate dei, vt eradicatio ipsa & subuersio tota dispereat. Diligentius lege quomodo eradicata perdantur. Paleas (inquit) comburite igni extinguibili, & ligate manipulos zizaniorum, & tradite eos igni. Sic ea quæ sunt eradicata, disperdantur. Si autem vis scire quomodo subuersio redigatur in nihilū, quomodo ædificationis pessima materia in puluerem comminuatur, domus ea quæ propter lepram destrui iubetur, cum fuerit puluis effecta, extra ciuitatem proijcitur, vt ne lapis quidem ex ea residuus sit, iuxta quod scriptum est: Vt lutum plateatum delebo eos. *Psal.17.* Oportet quippe penitus interire malitiam. Subuersum est aliquid, lapides quoque ipsi qui destructi sunt, conterantur, ne ad aliquam ædificationem quam diabolus continuare potest assumi valeant. Eradicatum est quippiam, inuenit aduersarius etiam inter ea quæ eradicata sunt, aliquam sementem quam iterum seminet. Propter quod iubet dominus: Colligite, dicens, zizania, & comburite ea igni scilicet, vt eradicatio quoque zabuli & ipsa subuersio consumatur. Verum non tātum in hoc stat sermo diuinus, vt eradicet & destruat & disperdat. E Esto enim, eradicata sint omnia in me mala, destructa, & dispersa sint pessima: quid mihi prodest si non pro eis quæ eradicata & suffosa sunt, meliora in me plantentur atque ædificentur? Propterea dei verba primum faciunt quod necesse est, eradicant, destruunt, perdunt, & post hæc ædificant atque plantant. Obseruauimus semper in scripturis sanctis, *Mos scripturæ.* primum ea quæ videntur tristia nominari, deinde ea quę hilariora sunt, secundo dici: Ego occidam, & ego viuificabo. Non dixit prius, ego viuificabo, & postea occidam. Impossibile est enim quod semel viuificauit deus, aut ab eo ipso, aut ab alio occidi. Sed ego interficiam, & ego viuificabo, vt fiat Paulus apostolus Christi Iesu. Hæc si intelligerent miserrimi hæretici, nunquam ad nos deferrent crebro ista dicentes: *Cōtra Valetinianos & Martionistas.* vidésne deum legis & prophetarum quomodo ferus est & inhumanus? quomodo dicit, ego occidam, & ego viuificabo? non aduertentes in scripturis annunciationem suscitationis mortuorum, *Psal.32.* non considerantes resurrectionem iam cœpisse per singulos. Consepelimur enim Christo per baptismum, & consurgemus cum eo. *Rom.6.* A tristibus semper, sed necessarijs inchoat deus: veluti, ego occidam, & ego viuificabo: ego percutiam, & ego sanabo. *Heb.12.* Quem enim diligit dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit, & post hæc curat. Ipse dolorem facit, & iterum restituit lætitiam. Similiter & in pręsenti dominus ait: Constitui te hodie F super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere, & ædificare & plantare. Veruntamen primum est, vt mala auferantur à nobis. Non potest in loco ædificationis malæ ædificare deus. Quæ enim participatio iustitiæ & iniquitatis? Aut quæ communicatio luci ad tenebras? Oportet maliciam ex imis sedibus eradicari. Oportet & ædificationem pessimám ab animabus nostris penitus auferri, vt postea sermones ædificent, atque plantent. Possumus siquidem & aliter intelligere quæ scripta sunt: [Ecce dedi sermones meos in os tuum.] Et quid faciant sermones, dicit: [Eradicare & suffodere & disperdere.] Sermones eradicant nationes, sermones regna suffodiunt, sed non regna ista carnis & seculi: digna destruentibus, digna eradicantibus verbis, ea quæ eradicata & subuersa sunt sensi. Putas in his quæ dicimus, est virtus quam dominus tribuit, secundum quod scriptum est: Dominus dabit verba euangelizanti virtute multa, *Psal. 68.* virtus eradicans atque suffodiens? Si qua infidelitas, si quod mendacium, siqua malitia, siqua luxuria, siqua discordia non est suffossa, sicubi idolum in corde constructum est, illo deposito ædificetur templum dei, & inueniatur gloria eius in eo, & fiat non infertilis siue lucus exurgens, sed plantatio paradisi, vbi templum dei sit in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

G *Homilia II. de eo quod scriptum est: Fugite de medio Babylonis. Cap. II.*

QVOMODO corpus nostrum in aliquo terræ loco consistit, eodem modo & anima secundum statum suum in aliquo nuncupatiuo terræ loco est. Quod dico, sic fiet manifestius. Corpus nostrum aut in Ægypto est, aut in Babylone, aut in Palęstina, aut in Syria, aut certe vbicunque. Similiter & anima in aliquo eiusdem terræ nominis loco est, alia in Babylone, alia in Ægypto, alia in Ammanitarum regione: & sic segregatim secundum sententiam scripturarum, pro qualitate vitæ locorum diuersitates distinguũtur. In Babylone est quando confunditur, quando turbatur, quando pace deserta bella sustinet passionum, quando tumultus malitiæ circa eam fremit, tunc vt diximus, in Babylone est. Et ad istam animam prophetalis sermo dirigitur, dicens: [Fugite de medio Babylonis, & resaluate vnusquisque animam suam.] Donec enim quis in Babylone est, saluari non potest. Quod & si recordatus ibi fuerit Hierusalem, ingemiscit & dicit: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Et quia impossibile est in Babylone constitutum deo organis canere, otiosa quippe ibi sunt organa hymnorum Dei, propter ea dicitur per prophetam: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion, in salicibus in medio eius suspẽdimus organa nostra. Suspensa sunt organa nostra quandiu in Babylone sumus, in salicibus fluminum Babylonis. Si autem venerimus in Hierusalem in locum visionis & pacis, organa quæ ante otiosa pendebant, nũc assumuntur in manibus, tunc grauiter citharizamus, & nõ est tempus quando non laudemus deum per organa quæ habemus in manibus. Igitur vt dicere cœperamus, semper anima in aliquo nuncupatiuo terræ loco est: & sicut peccatores in Babylone, sic econtrario iusti in Iudæa. Veruntamen iuxta qualitatem vitæ & fidei & in ipsa Iudæa locis inter se variis separantur. Siue enim in Dan est, quæ extremæ Iudææ partes sunt, siue in superioribus paululum locis, melioribúsque quàm Dan, siue in mediis finibus Iudææ, siue circa Hierusalem: & est omnium beatissima, quæ in media Hierusalẽ vrbe cõsistit. Qui verò peccator est & nimiis sceleribus oppressus, hic in Babylone est: hoc autẽ modico minor, & necdum vsque ad summum peccatorum culmen ascendens, in Ægypto & in partibus Ægypti commoratur. Et sicut qui in Iudæa sunt, non æqualia cuncti possident loca: alius quippe in Hierusalem est, & alius in Dan, alius in Neptalim, alius in finibus Gad: sic omnes qui in Ægypto sunt, non æquales Ægypti partes incolunt. Alius in Taphni, alius in Memphi, alius in Syene, alius in Bubasti habitat. Quæ loca propheta Ezechiel plena mysteriis voce testatur, nomina quoque partium Ægypti exponens: de quibus si quis lector fuerit spiritalis diiudicans omnia, & ipse à nemine dijudicatus non solum maiores regiones allegorizabit, veluti Iudæam & Ægyptum & Babylonem, sed particulas quoque terræ: & quomodo in Iudæa, Hierusalem & Bethlehem, cæteràsque ciuitates ita in Ægypto legens Diospolim, Bubastim, Taphnim, Memphim, Syenen, pro intellectu rerum figurabit. Quis sapiens & intelligit ista? aut quis intelligens & cognoscit ea? Qui saltem in tenuiori sensu constitutus cognoscere poterit voluntatem quam spiritus sanctus habet literæ? Verum nunc aliud propositum est, quid his qui in Babylone sunt, Dei sermone præcipiatur. [Fugite de medio Babylonis.] Non gradatim, non pedetentim, sed cum velocitate, cum cursu fugite, hoc est enim fugere. Fugite de medio Babylonis. Quicunque confusam habetis animam à variorum passione vitiorum, ad vos dirigitur sermo. Et mihi quoque id ipsum iubetur: siquidẽ adhuc sum in confusione inueteratus, & ideo in Babylone sum. Quid ergo pręcipit Deus? Non dicit, exite de medio Babylonis, hoc enim potest fieri & gradatim, sed fugite de medio Babylonis. Ego quidem & in eo quod dicitur de medio, rationem quæro sermonis. Potest quippe euenire vt aliquis in Babylone sit, sed cum in extremis eius finibus commoretur, quodammodo extra Babylonem esse videatur. Aliud autem est in medietate Babylonis consistere, vt ex omni parte æquale sit spatium, & ita in vmbilico eius quasi medio cordis animalis habitet. Sicuti enim animalis medietas cor est, & in euangelio secundum Lucam, cor terræ medietas terræ nominatur: sic mihi videtur & in Ezechiele dictum, in cor maris posita Tyrus: & nunc peccatores de medio Babylonis, hoc est de corde eius fugere debere. Fugite ergo de medio Babylonis, vt medietatem Babylonis deserentes in finibus eius incipiatis esse, non in medio. Quod si cui videtur obscurum, sic fiet manifestius: quia qui valde demersus est in vitiis, hic medius habitator est. Qui verò paulatim relinquens malum, & naturam suam ad meliora conuertens non tam cœperit virtutes possidere quàm cupere, iste licet ex medio fugerit Babylonis, tamen necdum de Babylone discessit. Secundum istiusmodi expositiones decet sacras literas credere nec vnũ quidem apicem habere vacuum sapientia Dei. Qui enim mihi homini præcipit, dicens: Non apparebis ante conspectũ meum vacuus, multo plus hoc ipse agit, ne aliquid vacuum loquatur. Ex plenitudine eius accipientes prophetæ, ea quæ erant de plenitudine sumpta, cecinerunt: & idcirco sacra volumina spiritus plenitudine spirant, nihílque est siue in prophetia, siue in lege, siue in euangelio, siue in Apostolo, quod non à plenitudine diuinæ maiestatis descendat. Quamobrẽ spirant in scripturis sanctis hodieq; plenitudinis verba. Spirant autem his qui habent & oculos ad videnda cœlestia, & aures ad audienda diuina, & nares ad ea quæ sunt plenitudinis sentienda. Hæc dixi, quia non sit simpliciter positum, fugite de Babylone, sed cum additamento necessario: [Fugite de medio Babylonis, & resaluate vnusquisque animam suam.] Primum oportet fugere de medio Babylonis, deinde singulos animas suas resaluare cum fugerint. Neque verò dixit saluare, sed resaluare. Appositio syllabæ significat sacramentum Quia quondam gustantes salutem, & de ea propter peccata postea corruẽtes, venerunt ad Babylonem. Cuius rei causa oportet resaluare animam suam, vt incipiat recuperare quod perdidit, secundum apostolum Petrum dicentem: Ista reportauimus finem fidei salutem, de qua salute exquisierũt & scrutati sunt prophetæ, qui propter nostram prophetauerunt gratiam. Veruntamen in nobis est fugere de Babylone, & in nostra positũ est potestate, si velimus resuscitare quod corruit. Tertium mandatum est: [Et neque proijciamini in iniquitatem eius.] Cum quis fugerit iniustitiam Babylonis, & non egerit pœnitentiam, tunc consequens est vt proiiciatur. Obserua verò scripturã, quomodo licet ex Hebræa lingua in Græcam sit translata, nihilominus quantum recipere potest differentias verborum, significanter expresserit. Dicit quippe in alio loco: Elegi abiectus esse in domo domini, & non ait proiectus. In præsenti autẽ non posuit, & ne abiiciamini in iniustitiam eius sed ne proiiciamini in iniustitiã eius. Aliud est enim proiici, aliud abiici. Quod enim in despectione est & neglectu, hoc nõ proiicitur, sed abiicitur. Quod verò foris est à salute, & à beatitudine alienum, hoc proiicitur. Quod & in alio loco declarat scriptura diuina dicens: Duces populi mei proiicientur ex domicilio rerum suarum propter pessimas voluntates suas. Cleri enim eorũ non proderunt eis. Sed & tu ipse poteris cõgregare sicubi in scripturis proiectionis & abiectionis nomen inueneris, vt ex comparatione verborum magis possis confidens ferre sententiã. Quia dispensatio prouidẽtiæ etiam si non magnopere curauit vt disertitudinẽ, quæ in Græco sermone laudatur, Græcè interpretando sequeretur, curauit tamen ea quę significantia sunt exhibere, & differentiam eorum explanare dilucide his qui scripturas diligentissime perscrutantur. [Ne proiiciamini in iniquitatem Babylonis, quia tẽpus vindictæ eius est à domino.] Miro sensu supplicia dicit irrogari propter eius qui ea patitur vltionem. Quando enim quis non vindicatur & relinquitur impunitus, frequenter me dixisse memini id quod in duodecim prophetis scriptum est. Et nõ visitabo super filias vestras quando fornicantur, & super nurus vestras quando adulterantur. Non ergo vt quidam existimant, Deus peccatores punit iratus, sed si sic expedit loqui, magna ira est à Deo tormenta non perpeti. Qui enim punitur, etiam si ab ea quæ vocatur ira Dei corripitur, ad hoc punitur vt emendetur.

Extra ecclesiã nulla salus. *Psal. 136.* H I K *Luc. 8.* *Ezech.* *Deut. 16.* L *1. Petr. 1.* *Psal. 83.* M *Osee 6.*

A detur. Domine (ait Dauid) ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Sed etiam si argues, argue nos in iudicio, & non in furore, dixit Hieremias. Inuenies autem etiam ex repromissione Dei in quosdam correptionem dari. Ideo cum peccantibus Christi filiis pœna promittitur, misericordia non denegatur, vt scriptum est: Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Ista considerans vide quomodo necdum pœna dignus sit, qui vsque ad præsens tempus committit scelera, nec punitur. Visitatio quippe Dei per visitati tormenta monstratur: qui autem peccans corripitur, nescis quid ei excurrat pro pœna. Hæc propter hoc quod dictum est, quia tempus vindictæ eius à domino est. Sequitur: [Retributionem ipse retribuet ei.] Non per ministros retribuet Babyloni Deus, sed ipse retribuit quod meretur. Volo quiddam dicere in additamento pronominis in eo quod scribitur ipse: ait enim, retributionem ipse retribuet ei. Non omnibus Deus ipse retribuit quæ merétur, sed sunt quidam quibus per alios restituit, siue puniens, siue medicans per dolorem, vt in psalmis continetur: Misit in eos iram indignationis suæ, furorem & iram & angustiam, immissionem per angelos pessimos. His enim

Psal.9. Hiere.2. Psal.89.

B nō ipse restituit, sed ad retributionem illorum ministris vsus est angelis pessimis. Et aliis forsitan non per malos reddit, sed per bonos, vt in eis qui pro sceleribus puniuntur. Multáque similia istiusmodi per scripturas si scruteris, inuenies. Est autem quando ministrorum officium refutatur, retributionem Deus ipse restituit, vt nunc Babyloni. Timeo quiddam obscuri in loco manifesto interponere, quod mihi videtur latére, si taceam. Veruntamen audendum est saltem pauca perstringere. Quando sunt vulnera facilia & prompta curationi, medicus mittit seruum suum, mittit discipulū, vt per eum languentem medicetur: neq; enim magna sunt vulnera. Euenit quoque aliquoties vt sectionis & ferri indigeat qui sanatur: attamen non ipse medicus pergit ad curam, sed eligens vnum ex discipulis qui curare valeat, eo vtitur ministro. Quando verò insanabiles plagæ sunt, vt & emortua carne putredo contabuerit, & intantum mala valetudo est: vt non serui, vel discipuli qui iam prope eum per scientiam artis accessit, sed ipsius magistri manibus indigeat, tunc ipse magnus medicus præcinctus lumbos ad sectionem teterrimi vulneris concitatur. Similiter itaque, quando sunt minora peccata, non restituit Deus ipse peccantibus, sed aliis vtitur ministris. Quando verò per merita sua ingens hominem ægritudo comprehendit, vt nunc Babylonem, quæ grauibus propriæ malitiæ est confusa vulneribus, tunc ad retributionem Deus ipse festinat. Si-

Et per bonos & per malos angelos punit Deus.

C milia quædam huic si requiris, inuenies & de Hierusalē, quæ ei acciderunt post prophetas, ob id quia insidiata sit Christo. Sic finita est primi capituli continentia. Videamus & cætera: [Calix aureus Babylon in manu Dei inebrians omnem terram.] De vino eius biberunt gentes. Propter hoc commotæ sunt gentes, & subito cecidit Babylon, & contrita est. Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili quod parabat potari, sed neque in paulo meliore, & æreo vase, vel stāneo, & quod ista præcellit argenreo: verum eligens vas aureum, in eo poculum temperauit, vt quis videns decorem auri, dum radiantis metalla pulchritudine delectetur, & totus oculis hæret in specie, non cōsideret quid intrinsecus latiter, & accipiens calicem bibat nesciens calicem Nabuchodonosor, intelligens autem calicem aureum in præsenti nominatum. Sed animaduertas pessimorum dogmatum verba mortifera qualem habeant compositionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum diuisionē: cognosces quomodo vnusquisque poetarum qui putantur apud vos disertissimi, calicem aureum temperauit, & in calicem aureum venenum iniecerit idololatriæ, & venenum turpiloquij, venenum eorum quæ animam hominis interimunt dogmatum, venenum, falsi nominis scientiæ. Sed meus Iesus contrà fecit, sciens aureum calicem zabuli, & præcauens ne aliquis ad fidem suam veniens, suspicaretur etiam Christi talem esse calicem, qualem esse requirat, & per similitudinem materiæ formidaret errorē: ideo

Hiere.51.

Poetæ calicem aureū Babylonis temperāt.

D curauit vt haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu, & dogmatum venena considerans deprehendi calicem Babylonis. [Calix aureus Babylon in manu Dei.] Non semper calix aureus Babylon. Cum autem venerit ad vindictam, & in manu Dei posita fuerit, tunc efficitur terra quę quondam tacta est in Iubath. Neque verò iugiter in manu Dei continetur, sed vltionis tantum tempore, cum cœperit dominus ei restituere quod meretur, tunc in manu eius inebriās omnem terram iste calix aureus Babylon inebriabit. Quomodo autem vniuersam terram inebriabit, facile scies, si consideraueris omnes homines ebrios. Inebriamur ira, inebriamur tristitia, inebriamur, mente excedimus amore, concupiscentiis & vana gloria. Quanta pocula temperauerit, quot inebriantes porrexerit calices calix iste, quid necesse est dicere? [Calix aureus Babylon inebrians omnem terram.] Animaduerte omnem terram plenam esse peccatis, & non quæres quomodo Babylon omnem terram inebriauerit. Sed si forte te videris iustum ebrium non esse de calice peccatorum, noli putare scripturam esse mentitam quæ dixerit, inebrians omnem terram, cum iste non inebrietur à Babylone, & tamen consistat in terra. Audi quia iustus non sit terra Omnem ter-

E ram inebriat calix iste aureus. Iustus verò cum sit super terram, conuersationem in cœlis habet. Et propter hoc non cōuenit vlterius iusto dici: Terra es, & in terram ibis. Sed necesse est audenter loqui, dicit iusto Deus adhuc consistenti super terram: Cœlum es, & in cœlum ibis. Portat enim imaginem cœlestis. Igitur vt concludam, calix aureus inebriat omnem terram, id est omnes ab eo inebriamur quandiu terra sumus. [De vino eius biberunt gentes, propter hoc commotæ sunt.] Sicut in his qui bibunt istum qui in vsu est vini liquorem, si super sitim & super mensuram biberint, videmus ebrij corpus motum vacillātes pedes, caput ac tempora prægrauata, os dissolutum, linguam significātem sermones ebrij & hærentibus labiis verba præcisa: similiter est videre eos de calice aureo biberint Babylonis quomodo moueantur, quomodo instabiles gressu sint, quomodo debilitata mente & fluctuante cogitatu nihil firme teneant, sed semper in turbationibus agantur incerti. Quamobrem scriptura diuina de istiusmodi hominibus in alio loco ita ait: Propterea commoti sunt. Interponamus aliquid mysterij, quid de peccatore dicatur Cain. Cum egressus est à facie Dei, habitauit in terra Naid, contra Eden. Naid in Græca lingua interpretatur commotio. Qui enim derelinquit Deum, qui deserit sensum de eo iugiter cogitandi, iste in terra Naid hodiéque habitat, id est in tribulatione mali cordis & mentis commotione con-

Gene.3.

Gene.4.

F sistit. [Biberunt gentes, propterea commotæ sunt, & subito cecidit Babylon, & contrita est.] Quando dicit repente cecidit Babylon, videtur mihi prophetizare consummationem mundi subito futuram. Quomodo enim diebus diluuij comedebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant, donec veniret diluuium, & tulit omnes, & subito venit inundatio, similiter autem & in diebus Loth: sic & consummatio mundi non per partes fiet, sed repēte. Huic conferendum existimato id quod scriptum est in Iesu Naue, quando à voce sola tubæ, Hiericho ciuitas corruens subito disperiit: & iuxta hanc similitudinem Babylonem quoque in consummatione seculi casuram esse, & subito conterendam. Et hæc quidem de consummatione dicta sint. Si verò veneris ad aduentum Domini mei Iesu Christi, & videris eius magnum opus, quomodo subuerterit omnia gentium de idolis dogmata, vt credentes de erroris eximeret iugo, intelliges quia in tempore passionis eius Babylon extemplo corruit, & contrita est. Vnusquisque nostrum consideret se ipsum, & animaduertat Babylonem in suo pectore corruisse. Si autem & in alicuius corde non cecidit ciuitas confusionis, huic Christus necdum aduenit. Veniente quippe eo Babylon ruere consueuit. Propter hoc ad orationum præsidia confugientes, petite vt veniat Iesus in corda vestra, & conterat Babylonem, & faciat ruere omnem malitiam eius, & reædificet pro his quæ subuersa sunt, pro Babylone quæ fuerat ante constructa, in ipso principali cordis vestri, Hie-

Cōsummatio mundi nō per partes sed simul.

G rusalem ciuitatem sanctã Dei. [Plangite eam, & accipite rhesinam correptionis eius, si quo modo sanabitur.] Plangite ait Babylonem. Deinde quia omnis anima recipere potest salutem, & neque vna apud Deum est insanabilis, idcirco cõsilium dat his qui possunt transmigrare in Hierusalem ad testimonium, habere rhesinam ad emplastra facienda, vt assumant medicamina, & quanto valent studio sanitati restituãt Babylonẽ. Hoc experiamur & nos facere, deprecãtes Deum, vt det nobis rhesinam rationabilem, & de rationabili rhesina discamus ei malagma imponere, & oleum & alligaturas, & imponentes alligemus vulnera Babylonis, imitantes Samaritanum, & sanetur misera ciuitas, & curata desinat esse quod fuerat. Istud est quod ait accipere rhesinam correptioni eius, si quomodo sanabitur. Vbi sunt hæretici? vbi sunt qui naturas quasdam introducentes, asserunt esse naturam desperabilem quæ penitus non recipiat salutem? Si est natura quæ pereat, quæ alia talis erit vt Babylon? Attamen neque istam despicit deus. Præcipit enim medicis deus, vt accipiant rhesinam super Babylonem, si quomodo sanetur. Quidam igitur eorum qui mandatum acceperant, accipientes rhesinam correptioni Babylonis si quomodo sanetur, fecerunt quod fuerat imperatum, repererunt rhesinam ad correptionem eius, audientes posse fieri vt Babylon reciperet sanitatem. Et quia quod putauerunt non effecerũt: Babylon quippe in pristina malitia perseuerans, noluit se curari: satisfa-

Videtur perstringere Manem.

Hier. 51.

H ciunt boni medici, & dicunt: [Curauimus Babylonem, & non est sanata.] Relinquamus eam. Vide autem homo, nequando angelis præcipiat deus, vt ad languorem animæ tuæ medicaminũ emplastra conficiant, si quomodo possis ab ægrotatione sanari, & respondeãt angeli: Curauimus Babylonem, istam ostẽdentes à passionibus cõfusam animam tuam, & non est sanata. Non scientiam artis suæ, neque rhesinæ vim criminantur, sed te qui præceptis eorum obsequi noluisti, dicentes: Curauimus Babylonem, & nõ est sanata. Relinquamus eam. Steterunt medici sub magno medico angeli Dei, volentes curare imbecillitates nostras, volentes animam liberare de vitijs, sed nos ipsi repellimus eos dum cõsilijs eorum nõ acquiescimus. Vident se operam perdere, cum loquuntur inuicem, & dicunt: [Relinquamus eam, & abeamus vnusquisq; in terram suam.] hoc est, credita nobis est à Deo medicina, vt animam curaremus humanã: adhibuimus adiutorium, medicinam imposuimus, multũ contumax est, non vult obseruare quod dicimus, studium nostrum non sequitur effectus. Relinquamus eam, & abeamus vnusquisque in terram suam, id est domesticum locum & proprium. Caue homo nequando relinquat te medicus, siue angelus Dei,

Ibid.

I siue quicunq; hominum, cui credita est cura sermonum ad salutis medicinam deferendam. Si enim te dereliquerint & dixerint, [abeamus vnusquisq; in terrã suam, quia appropinquauit in cœlum iudicium eius:] manifestum est quia abscessio eorum condemnatio tua sit, vt irremediabilis, nolentisq; curari. Cum autem te deseruerunt, quid tibi aliud euenturum est, nisi quod solet his accidere, qui à medicis desperantur, vtentes voluntate morbi sui, vt ad peiora demergantur? Sic & his similiter in consuetudine istius vitæ à prudentibus medicis. Accedit aliquis eorum ad languentem, quantum ars patitur, & industria medicamina non cessant: sed si aut ægritudo tanta sit vt repugnet curationi, aut ipse inualidus per impatientiam doloris contra faciat quàm iubetur, relinquit medicus, desperat huiusmodi hominem & recedit, ne inter manus suas expirans causam interitus eius ad se retorqueat. Sic ergo & nos, ne in sanctorum angelorum manibus qui ad nos curandos à domino destinati sunt, moriamur, relinquunt nos desperantes animam nostram, & aiunt: [Non est malagma imponere, neq; oleum, neque alligaturas, quia appropinquauit in cœlum iudicium eius. Et eleuatum est vsque ad astra.] Qui paruum habet peccatum, non vsque ad cœlum & sidera iudicium eius effertur. Pusillum enim & humile est. Qui verò crescit in scelere, crescit & in iudicio. simulq; cum vitijs augetur & pœna: & quia intantum delinquit, vt iudicium eius vsque ad cœlestia subleuetur, & per impietatem suam resistens Deo ad superiora cõscendat, profert Deus iudicium suum in humiliationem eius iudicij quod celatum est à peccatore: & proferens iudicium suum, humiliat quidem peccatorem, retribuit autem iusto digna vitæ K eius, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Homilia tertia. De eo quod scriptum est: Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? Cap. V.

QVOMODO, ait, confractus & contritus est malleus vniuersæ terræ? quomodo facta est in exterminium Babylon?] Quærendum inter hæc quis sit malleus vniuersæ terræ, quæúe eius contritio: vnde ait Propheta, quia ante confractus est quàm contritus, vt congregantes ea quæ alicubi de malleo scripta sunt, cum inuenerimus nomen eius, inuestigemus etiã nominis voluntatem ex his quæ afferimus exemplis. Domus quõdam componebatur Dei, iuxta tertium Regnorum librum, & Salomõ erat construens & ædificans eam. Vbique quasi in laude dicitur de domo Dei, quia malleus & securis non sunt audita in domo Dei. Ergo quomodo malleus non auditur in domo Dei, sic quia domus Dei ecclesia est, malleus in ecclesia non auditur. Quis est iste malleus volens quantum in se est impedire lapides ædificationis templi, vt contriti non conueniant fundamentis eius? vide mihi zabulum si non ipse est malleus vniuersæ terræ. Ego autem pronunciabo confidens, esse aliquem qui non magnopere curet de malleo vniuersæ

3. Reg. 6.

L terræ. Et quoniam exemplum ad sanctum spiritum est de sensibili malleo, quæro materiam malleo fortiorem, quæ nihil ab eo percussa patiatur. Quam quidem quærens repperi in eo quod scriptum est: [Ecce vir stans super murus adamãtinos, & in manu eius adamas.] Refert autem de adamante historia, quia fortior sit omni cædenti se malleo, incontritus & inconuincibilis permanens. Licet suprà stet malleus zabulus, & suppositus sit draco, qui est quasi incus indomabilis, nihil tamen in manu Dei, & in conspectu eius consistens adamas perpetitur. Duo itaq; cõtraria sunt adamãti isti, malleus & incus improducibilis. Iam quoddam est & apud nationes tritum vulgi sermone prouerbium, vt de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, dicant, inter malleum sunt & incudem. Tu autem hoc refers ad zabulum & draconem, qui istiusmodi semper in scripturis pro varietate causarum nominibus insigniuntur: & dicis quia sanctus, qui quasi murus adamantinus, vel in manu domini adamas est, non curet neque de malleo, neque de incude, sed quanto plus cæsus fuerit, tanto plus eius virtutem splendescere. Aiunt eos qui mercimonia lapidum exercent, quum voluerint probare adamantem, ignorantes vtrum sit adamas annon sit, quamdiu malleum & incudem non inuenerint: tunc autem persuaderi esse verissimum adamantem, si indomitus lapis, si inter incudem & malleum perseuerat, si percutiente desuper malleo, & incude supposita durior lapidum natura compingit. Talis vir est: ante tentationes ab his qui probare lapides nesciunt, ignoratur. Certissime autem nouit adamantinorum lapidum naturam solus Deus plurimis ignoratam. Ego ipse adhuc nescio vtrum veniente malleo, & percutiente me confringar & conterar, conuictus quia non sum adamas: an certe verus adamas ostendar, si ingruentibus persecutionibus, periculis, tentationibus, tam contritus fuero ad ictus mallei quàm probatus. Et tu ipse percurre scripturas, & quære si quod potes inuenire vestigiũ bene à Deo promitti, vt malleus percutienda percutiat. Verbi gratia dictum sit. Ad intelligentiam enim obscuriorum sumuntur exempla. Si malleus non esset, nõ esset tuba productilis, quæ iuxta legem ad solennitates Dei excutiat, quæ audientium animos clangore suo accendat ad bellum. Necessarius est malleus, vt tuba productilis fiat. Multa cooperatus est iste malleus tubæ productili Paulo, vt eum per varia tentamenta produceret & approbaret, quia illæsus posset excudi, figuramq; assumere tubæ magnisonæ, non incertam dans vocem in audientes, vt præparentur ad militiæ bellum. Et quoniam malleus inuenitur contraria fortitudo, & draco incus producibilis, istiusmodi semper in scripturis malleo, vel quacunque alia materia compositum nomen assumens, instabo sermone. Cain generauit filios, & de Cain ortus est faber æris & ferri.

Prouerbiũ.

M

Homo probatus adamas.

Gene. 4.

A & ferri. Ergo vt zabulus qui omnium tentationum operator est, malleus dicitur, ita qui ministrat, malleator est filius Cain. Quotiescunque enim in tentatione incideris, scito malleum diabolum esse, & malleatorem eum per quem te zabulus insequitur. Velut in proditione Saluatoris malleus zabulus, malleator Iudas fuit. Et multi erant malleatores in tẽpore illo quo dominus passus est, clamantes, tolle de terra talem, crucifige crucifige eum. Omnia malleatoribus plena sunt. Quotquot enim in actu suo zabulum suscipiunt & ministrant ei ad probandum iustum & iniustum coarguẽdum, omnes malleatores sunt. Idcirco si heri malleator eras, & in manu malleũ continebas, nunc discens quia à Cain fratricida oriuntur malleatores, proijce malleum de manu tua, & transmigra ad malleatorum quæ spiritalis est generationem, sicut Enos, & reliquorum qui scripturarum laudibus efferuntur. Veruntamen finis cõfractio est atque cõtritio. Est sciendum quidem, quoniã prophetarus nunc malleus zabulus sit, malleus non partis alicuius terræ, sed vniuersæ terræ, pro eo quod in omni terra malitia eius dispersa sit, & vbique malleus iste malum operatur. Est autem etiam hoc dicendũ, zabulũ vniuersæ terrę malleũ esse, non cœli malleũ. Neq; enim tenuiori substantię conuenit malleus, sed crassiori. Si portas imaginẽ terreni, malleus te, quia terrenus es, percutit. si peccas, & terra es, & in terrã ibis, experieris malleũ vniuersę terræ & in te operantem. Iuxta istum intellectum, illud quoq; B animaduertendum est: vniuersæ terræ malleum, quia aduersum cuncta terrena potentiam suam exerceat, zabulum esse: posse autem etiam minorem malleum intelligi, qui non vniuersæ terræ sit malleus, sed illius (vt ita dicam) & illius partis terræ. Et si quidem vna aliqua contraria fortitudo mihi repugnat, & colluctatur mecum, non valens cum vniuersis simul hominibus congredi vt zabulus, tunc est quidem malleus in me, sed non vniuersæ terræ malleus, verum (vt ita dicam) meę tantum malleus terræ. Confracto autem & contrito malleo vniuersæ terræ, quid necesse est arbitrari de malleo partium terræ? Simúlque existimo admiratione dignum, quoniam vniuersæ terræ malleus sit comminutus. Quid enim magnum si fractus fuisset & contritus malleus partium terræ? Sed verè nunc admirandum est, quia vniuersæ terræ malleus confractus atque contritus est. Post hæc quæro quis sit iste qui vniuersæ terræ malleum cõfregerit, & contriuerit. & dicam Moysen non potuisse confringere atque conterere malleum vniuersæ terræ, neque ante eum Abraham, neque post eum Iesum Naue, neque alium quenquam prophetarum. Quis ergo potuit talem, tantúmque virũ, & vniuersæ terræ malleum confringere & conterere? Qui est iste? Iesus Christus confregit atque contriuit malleum vniuersæ terræ. Et hoc nunc admirans in spiritu sancto prophetes, ait: [Quomodo confra- C ctus & contritus est malleus vniuersæ terræ?] Primo confractus, & contritus est deinde. Et quoniam repperi saluatorem esse qui confregerit malleum vniuersæ terræ, & contriuerit eum, veniam ad Euangelium, vt videam primam tentationẽ, quando dixit ei zabulus, ista omnia tibi dabo si procidens adoraueris me, & reliqua. & dicam quia in illo tempore non contriuerit Iesus malleum vniuersæ terræ, sed tantum confregit eum. Cum verò recessit ab eo vsque ad tempus, & tempore postea venit instanre, tunc contritus est, non solum cõfractus vt primum malleus vniuersæ terræ. Et quia contritus est qui fuerat ante confractus malleus vniuersæ terræ, idcirco per vnumquenq; nostrum confringitur quidem quando introducimur in ecclesiam, & proficimus ad fidem. Conteritur autem & comminuitur, quando ad profectum venimus. Quòd si dubites conteri zabulum ad profectum venientibus nobis, audi apostolum benedictione quadam benedicentem iustum atque dicentem: Deus autem conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Animalis est iste malleus, forrasse nunc furit aduersum nos, & quærit quia ista de eo pandimus, & conteritur à nobis (neque enim confringitur tantum, & non etiam conteritur per nos) confringere nos econtrario & conterere. Et multos quidem contriuit, eos qui non attendunt sibi, neque custodia seruauerunt cor suum. Verum nos confidentes in deo, credentes in Christum dei, non timeamus zabulum. Timor dei facit nos non timentes zabulum, nihilque ab eo perpeti, sed & dicere non tantum generaliter, D verum & de nobis ipsis: [Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ?] Illo autem confracto & comminuto, Babylon fit in exterminium: nec prius confusionis ciuitas dissipatur, quàm malleus vniuersæ terræ confringatur & conteratur. Vnde & mirabiliter & præclaro ordine propheta vsus est dicens. [Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? Quomodo facta est in exterminium Babylon?] Quod primo factum est, primum enarrauit: quod secundo, consequenter exposuit. Et hoc oportet per singulos scripturarum obseruare sermones. Quando itaque fit in exterminium Babylon? Quando exterminantur omnes confusiones de anima mea, neque vlterius me confundit mors filij, aut obitus vxoris: cum non est qui me irritet, & prouocet ad tristitiam, ad iram, ad concupiscentiam, ad voluptatem, quando maneo inconfusus, assumens rationem quæ me confirmet, & roboret, tunc mihi accidit quod dictum est, Facta est in exterminium Babylon, hoc est vniuersa confusio. Fiunt autem ista, id est confringi, & conteri malleum omnis terræ, & demoliri Babylonem, cum gentes superponuntur malleo, & Babyloni. Scriptum est enim: [In gentibus superponentur tibi.] hoc est, ij qui de gentibus sunt superponentur tibi ô Babylon, superponentur tibi ô mallee, vt confringaris, & conteraris. Quando ista facta sunt? In aduentu domini mei Iesu Christi, cum Euangelium cunctis gentibus prædicatum est, E tunc superpositi sunt pater & filius & spiritus sanctus Babyloni, & malleo vniuersæ terrę, & impletum est hoc quod scriptum est, In gentibus superponentur tibi, & capieris Babylon, & non cognoscis. Vtinam caperetur Babylon & per singulos nostrum. Ex anterioribus autem potest intelligi captiuitas Babylonis, quando capta suffoditur, subuertitur, desolatur, vt nihil in nobis resideat confusionis. [Et capieris Babylon, & non cognoscis: inuenta es, & comprehensa, quia domino restitisti.] Ergóne sola Babylon domino restitit, & non potius omnes gentes, dum creatore deserto idola veneratæ sunt, domino restiterunt? An figulariter dicit omnem animam contrariam Hierusalem, id est visioni pacis, Babylonẽ esse? Vnde & sancti in Hierusalem, peccatores in Babylone erant. Et si peccabant Hierosolymitæ, mittebantur in Babylonem, & sic conuertebantur ad pœnitentiam in Babylone consistentes. Sancti verò regrediebantur in Hierusalem. Capitur ergo Babylon, & non cognoscit. Babylon quippe legi non subiicitur. neque enim potest non inuenta Babylon cõprehensa esse: sed ob id comprehensa est cum inuẽta est, quia domino restitit. Deinde exordium alterius capituli. [Aperuit dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quia opus domino virtutum in terra Chaldæorum. Quoniam venerũt tempora eius, aperire apothecas eius, scrutamini eam quasi speluncam, & disperdite eam ne sint eius reliquiæ. Exiccate F omnes fructus eius, & descendat in occisionem. Væ eis quoniam venit dies eorum, tempus vindictæ eorũ.] Volens intelligere hoc quod dictum est, Aperuit thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quæro de alia scriptura vasa iræ dei, & inuenio ad pleniorem comparationem istius scripturæ scripturam apostolicam, ibíque inuenio apostolum mihi subiicientem quæ sint vasa iræ dei. Ait enim: Si autem volens deus ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, pertulit in multa patientia vasa iræ præparata ad perditionem, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit non solum ex Iudæis, verum etiam ex gentibus. Generaliter apostolus omnes homines diuisit bifariam, dicens quosdam esse vasa misericordiæ, quosdam vasa iræ. Verbi gratia, Pharaonẽ & Ægyptios vasa iræ: rursus se qui primus misericordiam consecutus est, & eos qui in tempore de Iudæis & gentibus crediderunt, vasa misericordiæ nuncupauit. Sunt ergo in thesauro dei vasa iræ. Scriptum est enim. [Aperuit dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ.] Quis est iste thesaurus domini in quo vasa iræ inueniuntur? Aliquis forsan quæret, vtrum in thesauro domini tantum vasa iræ sint, & thesaurus dei qui est thesaurus omnium, non habet vasa misericordiæ: an aliud quid intelligi oporteat de thesauro dei, vnde efferantur vasa iræ eius? Thesaurum domini ego confidens dicam esse eccle-

Rom. 16. — *Non timẽdus diabolus.* — *Hier. 50.* — *Rom. 9.* — *Homines bifariam diuidũtur à Paulo.* — *Thesaurus Dei, ecclesia.*

G siam eius, & in isto thesauro id est ecclesia sæpe homines latitare qui sunt vasa iræ. Veniet igitur tempus quando aperiat dominus thesaurum ecclesiæ: nunc enim clausa est ecclesia, & vasa iræ cum vasis misericordiæ inhabitant, & paleæ cum frumento sunt, & pisces perdendi ac proiiciendi, cum bonis piscibus qui in retia inciderant, continentur. Quam cum aperuerit iudicij tempore, & protulerit exinde vasa iræ suæ, dicet forsitan is qui est vas misericordiæ, de egredientibus vasis iræ suæ. Exierunt ex nobis, non enim erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Sed ideo egressi sunt à nobis, vt ostenderetur quia non erant omnes ex nobis. In aliud quiddã cupit sermo prorumpere: quod autem audemus dicere, istiusmodi est: In thesauro dei vasa iræ sunt: extra thesaurum vasa peccantia non sunt vasa iræ, sed vasis iræ minora sunt. Serui enim sunt ignorantes voluntatẽ dñi sui, & non facientes voluntatem eius. Qui autẽ ingreditur ecclesiã, aut vas iræ est, aut vas misericordię. Qui extra ecclesiam est, neq; vas misericordiæ est, neq; iræ. Aliud quoddam nomen inquiro, qui extra ecclesiam commoratur: & quomodo decerno confidens nõ esse eum vas misericordiæ, sic ecõtrario ex rationis veritate communitus apertè promo sententiam, neque vas iræ posse eum dici, sed vas in aliud quiddam reseruatum. Ergóne potero de scripturis approbare, nec misericordiæ eum esse vas, nec iræ: vt & secunda expositio aliquid nobis vtile in præsenti loco interponat, & sanè rursus audeat in id quod iamdudum conatur sermo prorumpere? Ait apostolus: In domo autem magna non-sunt tantum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, alia quidem in honorem, alia porrò in contumeliam. Si igitur quis mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honorem & sanctificatum vtile domino, ad omne bonum opus præparatum. Putásne magna domus in præsenti est, & in ea sunt vasa in honorem, & alia in contumeliam? An in illa quæ futura est domo, vasa quidem aurea, & argentea quæ sunt in honorem, inuenientur vasa esse misericordiæ: reliqua autem, id est mediocres homines, qui extra thesaurum sunt, ne sint vasa iræ, seu misericordiæ, hi poterunt iuxta dispensationem quandam profundam dei vasa esse in magna domo, quæ mundata non sunt, sed sunt vasa restea in contumeliam, attamen necessaria domui? Vide autem si valuero & hoc ipsum exemplum ex alio scripturæ testimonio comprobare. Inhonoratus est, inquit, Iechonias quasi vas cuius nulla est vtilitas. Non ait, est quidem eius vtilitas, in contumeliam autẽ eius est vtilitas: sed quia erat ex domo Dei & peccauit, in totum non est eius vtilitas. Habeo & aliam scripturam in qua dicitur de alio quodam peccatore. Et erit quasi testa in qua attrahes aquæ pusillum, & in qua carbonem baiulabis. Et rursum affirmat nõ necessarium penitus, & ex omni parte esse vas inutile. Nunquid non igitur nos qui in domo ista dei sumus, quando aperire cœperit dominus thesaurum suum, incipiemus mundari si tantum fuerimus vasa misericordiæ, proiectis vasis à nobis iræ? An certè iam exordium est oportere nos satagere non solum vt non simus vasa iræ, sed vt ij qui sunt proiiciantur à nobis? Tale enim quiddam est hoc quod apostolus Paulus Corinthiis ait: Intantum auditur inter vos fornicatio, quæ nec in gentibus, vt vxorem quidem patris aliquis habeat, & non magis planxistis, vt auferatur de medio vestrum qui hoc opus gessit: quasi diceret, aperto thesauro Dei egrediantur vasa iræ suæ. Aperuit siquidem dominus thesaurum, & protulit vasa iræ suæ. Legi alicubi quasi saluatore dicente, & quæro siue quis personam figurauit saluatoris, siue in memoriam adduxit, an verum sit hoc quod dictum est. Ait autem ipsi saluator: Qui iuxta me est, iuxta ignem est: qui longe est à me, longe est à regno. Vt enim qui iuxta me est, iuxta salutẽ est, ita & iuxta ignem est. Et qui audiens me, & audita præuaricans factus est vas iræ præparatum in perditionem, cum iuxta me est, iuxta ignem est. Si verò quis cauens, quoniam qui iuxta me est, iuxta ignẽ est, longè factus fuerit à me ne iuxta ignẽ sit, talisquidem lõgè futurus est & à regno. Et quomodo athleta qui non est in agone cõscriptus, neque flagella meruit, neque expectat coronam: qui autem semel nomen professus est, si victus fuerit, verberatur atque proijcitur, si verò vicerit coronatur: eodẽ

[Margin: G; 1.Ioan.2.; Qui extra ecclesiã nec vas iræ nec misericordiæ.; H; 2.Timot.2.; Hier.22.; I; 1.Cor.5.; Marc.7.]

modo qui ingressus est ecclesiam, ô catechumene ausculta, qui accessit ad sermonem dei, nihil aliud quàm cõscriptus est in certamine pietatis: & cõscriptus, si non legitimè certauerit, cæditur flagellis, quibus non verberantur ij qui non in principio conscripti sunt. Si autem cõtenderit fortiter ad fugienda verbera & contumelias, non solũ iniuria liberabitur, sed incorruptam gloriæ accipiet coronam. [Opus domino virtutum in terra Chaldæorum.] Iuxta diuersos intellectus terrenus locus multipliciter nominatur, & quomodo differẽti inter se ratione plura saluator habet vocabula, cum vnus in subiacẽti sit, varius autem in virtutibus: sic & propter malitiã generis humani terrena negotia cum vnum sint in subiacenti, intellectus diuersitate sunt plurima. Quod autem dico, sic fiet manifestius, cum exemplum quod à saluatore assumpsi edisserens, ad ea quæ sunt subiecta explananda transcendero. Vnum subiacens est domino meo Iesu saluatori. Hoc vno subiacente, alio intellectu medicus est, iuxta quod scriptum est: Non necesse habẽt sani medicum, sed male habentes. Alio intellectu pastor, secundum quod irrationabilibus præest. Alio intellectu rex, secundum quod rationabilibus principatur. Alio intellectu vitis vera, secundum quod inserti in eam homines vberrimos afferunt fructus, & exculti à patre agricola pinguedinem vitis veræ ex vnius radicis cõsortio assumunt. Iuxta alium intellectum sapientia, iuxta aliũ veritas, iuxta alium iustitia. Veruntamen subiacens vnum est. Quo modo ergo in saluatore vno subiacente plurimi intellectus sunt diuersorum eius nominũ: sic & terrena negotia, iuxta subiacens quidem vnum sunt, iuxta autem intellectum plurima. Frequenter allegorizantes Babylonem diximus negocia esse terrena, quæ semper confusa sunt vitijs. Ægyptum similiter affligẽtia. Chaldæorum verò terram ob id quia plurima quę gerũtur in terris, stellis consectent, & peccatorum nostrorum causas, siue virtutem eorum quæ accidunt nobis, ex earum motibus asserant fieri, eos esse diximus, qui talibus se superstitionibus dedicauerunt. Omnis igitur qui his credit, in terra Chaldæorum est. Si quis vestrum mathematicorum deliramenta sectatur, in terra Chaldæorum est. Si quis natiuitatis diem supputat, & varijs horarum momẽtorumq; rationibus credens hoc dogma suscipit, quia stellæ taliter & taliter figuratæ faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certè quodcunque eorum, iste in terra Chaldæorum est. Iam quidam existimant ex astrorum cursibus Christianos fieri. Quotquot autem ista sapitis, quotquot dictis istis creditis, in terra Chaldęorum estis. Comminans ergo deus his qui in terra Chaldæorum sunt, his spiritaliter comminatur qui seipsos genealogijs & fato consecrauerint, asserentes cuncta quæ inter mortales fiunt, aut ex astrorum motibus, aut ex fati necessitate pendere. Sed deus Abraham promouens ad meliora, dixit ei: Ego sum qui te educo de terra Chaldæorũ. Potens est enim deus qui & nobis tribuat de terra Chaldęorum exire, vt nullum alium absq; eo esse credamus, qui dispẽsans vniuersa, & regens vitam nostram pro qualitatibus meritorum, accidentium diuersa moderetur. Neque enim micans aliquod sidus, vel Phaethontis (vt aiunt) vel corrupti catamiti stella nostrorum causam continet negociorum. Et iuxta vnum quidem argumentum in terra Chaldæorum est qui suprà dictis ratiocinationibus credidit: iuxta aliud verò ascendit quis super tecta, & veneratur militiam cœli. Inuenimus autem in Hieremia multam & his fieri comminationem, qui libant militiæ dei. [Opus ergo domino virtutum in terra Chaldæorum, quia venerunt tempora eius. Aperite apothecas eius.] Manifestum est quia terræ Chaldæorũ. Sunt autem apothecæ Chaldæorum, doctrinæ natiuitatum. [Scrutamini eam quasi speluncam, & disperdite.] Qui respuit supputationem natalium, qui veritatis sermone vtitur aduersum eam, qui ostendit nihil eorum quæ mathematici dicunt verum esse, qui docet inscrutabilia iudicia dei, nec ea posse ab hominibus comprehendi, qui asserit quia sydera non sunt causæ eorum quę fiunt super terram, minus autem eorũ quæ nobis Christianis accidunt, iste exequitur præceptum domini dicentis: [Disperdite eam.] Quid autem sit hoc quod sequitur, [Non fiant ei reliquiæ,] quærendum est. Ne aliqua, inquit, rescindatis Chaldæorum, aliqua reseruetis. Ob id iubet, ne pu-

[Margin: K; Apostrophe ad catechumenos.; Subiacens appellat subiectũ, siue suppositum.; Matth.9.; L; Cõtra Mathematicos iudiciarios.; Porphirius in ea fuit sententia.; M; Gen.11.; Hier.7.& 44.]

A ne pusillum quidem relinquatur in ea. [Exsiccate omnes fructus eius.] Quis ita beat⁹ est vt possit exsiccare omnes fructus eius? [Væ eis, quia venit dies eorum, & est tempus vindictæ eorum.] Post hæc terræ Chaldæorũ, & descendant in occisionem? [Væ eis, quia rursus alterius capituli continentia: [Vox fugientiũ, & resaluatorũ de terra Babylonis, ad annunciãdum domino nostro in Sion vindictã.] De his nunc prophetat, qui mores patrios relinquentes, & leges gentiũ, & incredulitatem veterem, veniunt ad sermonem dei. Tale enim quiddam significatur in eo quod dicit: Vox fugientiũ, & resaluatorũ de terra Babylonis. Vtinam & vestra catechumeni vox fugientium esset de Babylone, fugientium vitia, fugientiũ peccata. Vox enim fugientium, & resaluatorũ. Non sufficit fugere de terra Babylonis, sed & resaluari ex terra Babylonis ad annunciandum in Sion vindictam domino deo nostro, vt fugiẽtes de terra Babylonis veniatis ad Sion speculatorium ecclesiã dei. Ad annunciãdum in Sion, id est ecclesiã vindictam à domino deo nostro. Vindictam populi eius denunciate in Babylone multis, omni intẽdenti arcũ. Significanter positũ est multis: multi enim sunt qui in Babylone sunt, in Hierusalem vero pauci. Non enim idcirco (ait) dilexit vos dominus deus vester quia multi eratis: vos quippe estis pauci ab omnibus. Et bene his qui ex parte dei erant, dictum est, pauci estis ex omnibus gentibus. Intellige porrò & hoc. Pauci sunt qui saluantur. Sed & B illud: Contendite intrare per angustam portã. [In lata autem & patenti annunciate in Babylone multis, omni intendenti arcum. Non sit ex ea qui saluetur. Disperdite, interficite omnia Babylonis.] Nuper diximus de parabolis Babylonis, de vitis Babylonis, de semine Babylonio. Non sit & qui resaluetur de semine Babylonis, retribuite ei iuxta opera eius, secundum omnia quæ fecit & facite ei, quia domino restitit, & aduersum dominum deum sanctum Israël. Quandiu habes in te cogitationes nequam resistentes pietati & fidei veræ, habes in te Babylonios. Sed fac vindictã, & interfice omẽs peccatores terræ quę in te est, id est omnes Babylonios, vt possis mundatus in Hierusalem transgredi ciuitatem dei in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Ad cathecumenos.

Matt.7.

Homilia Quarta. De eo quod scriptum est: Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio, in medio dierum eius derelinquent eum, & in nouißimis suis erit insipiens. Cap. XVII.

THRONVS gloriæ exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra substentatio Israël. Domine omnes qui te dereliquerunt confundantur, discedentes super terram scribantur, quia dereliquerunt fontem vitæ dominum. Sana me C domine & sanabor, saluum me fac & saluus ero, quoniã gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me, vbi est sermo domini? veniat. Ego autem non laboraui subsequens post te, & diem hominis non concupiui, tu scis.] Ad famosam venimus quæstionem inspicere quid sit perdix, de quo scriptura nunc loquitur. [Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio. In dimidio dierum eius derelinquent eum & in nouissimis suis insipiens erit.] Ex natura volucris dignum videtur quandam historiam cõmemorare, vt animal cognoscentes scire possimus vtrum ad bonam an malam partem nunc nominari perdicis intellligentiã referamus. Dicitur autẽ hoc esse animal malignũ, fraudulentum, callidum, multumq; decipiens venatores. Sæpe quippe ante pedes aucupis voluitur, & in medio eius conatu quasi iam apprehendendus elabitur. Prædam sui ex vicinitate promittit, & hoc agit ne ad nidũ fœtuum eius citus venator occurrat. Cumq; iam senserit fugisse pullos suos, tunc & ipse illuso hoste discedit. Sed nequitiam eius vincit impuritas. Ambigendum non est de eo quod dicturi sumus, quod ex ijs qui mansueti in casis nutriuntur veritas approbat, masculus in masculum consurgit, obliuiscitur sexum libido præceps, pugnatur ad coitum, & vna palma victoris est polluisse quem vicerit. Si igitur malignum, si immundum, si dolosum hoc animal est, impium videtur ad meliorẽ partem huius referre nomen, & ad saluatoris nostri Iesu Christi

Perdicis natura.

intelligentiam temperare. Magis autem conuenit mala zabulo adiungere, & super aduersario lectionem intelligere præsentem: si tamen totius capituli nos secuta fuerit interpretatio. Incipiamus ergo ab eo quod scriptum est: [Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit.] Non proprias creaturas congregat zabulus, non ea colligit quæ ipse generauit, sed cum clamauerit alienas congregans creaturas, facit eas suas. Clamauit perdix per Valentinum, clamauit per Basilidem, per Marcionem, per omnes qui alienæ à deo gloriæ cupiditate rapti sunt. Nullus enim eorum sonare poterat vocem domini Iesu, Meæ oues meam vocem audiunt. Sed erat vox Christi in Paulo, erat in Petro. Propter quod Paulus dicebat: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Vox autem congregantis quæ non peperit perdicis in illis est, qui simplices quosque fidelium laqueo hæreticæ factionis impediunt. Clamauit itaque perdix, congregauit quæ non peperit, facere diuitias suas non cum iudicio. [Diues factus est perdix.] Ecce eius quanta sunt milia, ingens turba, multi sunt populi captiuorum, & facit diuitias suas non cogitans iudicium, neque habens in corde iustitiam, sed omnia sine lege gerens, merito arguitur non cum iudicio fecisse diuitias. Meus autem Iesus facit diuitias suas cum iudicio. [Exinanita est & deleta eius opulentia. In medio dierum eius derelinquent eum.] Nos omnes qui quondam fuimus sub clamantis potestate perdicis. Clamauit quippe non solum per E eos quos suprà memorauimus, sed per omnes generaliter, qui quasi ad pietatem & ad religionem vocantes, sub contrario veritati dogmate clamauerunt. Nos inquam vniuersi in dimidio dierum eius dereliquimus eum. Et omnes quidem dies huius seculi: sed quia eruit nos ex instãti seculo nequam dominus Iesus, idcirco in medio dierum eius dereliquimus eum. [Et nouissimum eius erit insipiens.] Quando autem sapiens fuit, vt nouissimum eius merito insipiens fiat? Sed dicamus eum fuisse sapientem. Serpens quippe sapientior erat omnibus bestijs super terram quam fecit dominus deus. Sapiens fuit iuxta id quod scriptum est, Adducam super sensum grandem principem Assyriorum. Dixit autem, violentia mea faciam, & sapientia intellectus auferam fines gentium, & virtutes eorum depascam, & commouebo ciuitates inhabitatas. Si quis potest intelligat quomodo nouissimum eius erit stultum. Iste ab eo quod fuit sapiens male, sapientior erat omnibus bestijs super terram. Fit econtrario, eo quod sapiẽs fuit male, insipiens. Intelliges verò quid sit, nouissimum eius erit insipiens, si scias quomodo etiam tibi per apostolũ præcipiatur, vt pro salute tua insipientiam recipias. Si quis, inquit, videtur sibi sapiens esse in vobis in isto seculo, stult⁹ fiat. Soluit qui ante clamauit, stultus esto & fatuus, vt sapiens fiat. Si itaque est quædam sapientia culpabilis, iuxta quam filij seculi hui⁹ sapiẽtiores sunt filijs lucis in generatione ista, bonus est deus qui cõtrarijs diuersa subuertit, vt faciat compleri id quod dictum est: Nouissimũ eius erit insipiens. Quando nouissimum eius erit insipiẽs? Oportet Christũ regnare vsq; dũ F ponat omnes inimicos eius deus sub pedibus eius. Cũ omnia ei subiecerit, nouissimus inimicus destruetur mors. Cum destructa fuerit mors, tunc extrema perdicis erũt, & nouissimũ eius fiet insipiens. Hæc de perdice. Principium verò capituli secũdi istud lectũ est: [Thronus gloriæ exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustẽtatio Israël. Domine omnes qui te dereliquerunt confundantur, discedentes super terrã scribantur, quia dereliquerunt fontem vitę dominum.] Dixit Esaias beatus propheta videns dominum & regnum eius: Vidi dominum sabaoth sedentem super sedem excelsam, & eleuatam. Vidit & Hieremias quomodo deus regnat, propter quod glorificãs eũ ait: [Thronus glorię, exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra.] Siue de Christo volueris ista intelligere non peccabis: siue de patre, non impie senties. Est enĩ thronus gloriæ excelsus, & à principio saluator est. Thronus gloriæ est propter quod regnum eius & sanctificatio nostra Christus est. Quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex vno omnes sumus. [Sustentatio Israël.] Sicut ipse iustitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter est ipse etiam sustentatio. Et non aliquid iustum sine eo, neq; patiens quod in se non habet Christum. Ipse est enim sustentatio Israël,

Hæretici, contra quos sæpe pugnat Orig.

Ioan. 10.

2 Cor. 13.

Gen. 3.

1 Cor. 3.

1 Cor. 15.

Esa. 6.

I

G Si autem ad patrē & hoc retuleris, non impie intelligis. [Domine omnes qui te derelinquūt confundantur, discedentes.] Vnusquisque nostrum quādo peccat, per ea quæ peccat Christum relinquit. Relinquens autem filium, reliquit & patrem. Iniustus à iustitia longe est, pollutus à sanctimonia, bellator à pace: & sub potestate inimici esse incipit, à redemptione sit alienus: & qui extra sapientiam dei est, sapientiam dei derelinquit. Docens itaque nos propheta quid de omnibus qui dominum deserunt sit futurum, ait: [Vniuersi qui te derelinquunt confundantur, discedentes,] hoc est quantum te deserunt tantum confundantur discedentes. Super terram scribantur. Omnes homines describuntur, sancti in cœlo, peccatores super terram. Dicit ad discipulos Iesus: Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Igitur oportet lætari si talis quis fuerit, vt nomen eius scribatur in cœlis. Et quomodo iustorum nomina in superioribus conscribuntur, sic econtrario eorum qui conuersantur terrenè, qui non pertranseunt terram Edon, sed agros terræ Edon, & vineas possident, scribuntur nomina quasi relinquētium deum super terram. [Confundantur discedentes, super terram scribantur.] Quo enim metro mēsi sunt, remetietur eis ipsis. Sibi vnusquisque causa est vt scribatur super terram, si non cœlestia requirat in terra, si semper anima eius de istius mundi negotijs æstuet, quę videntur seculo bona. Si verò audiēs Iesum loquentem: Nolite vobis thesaurizare thesauros super H terram, vbi tinea & vermes exterminant, & vbi fures effodiunt & furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, qui thesaurizauerit sibi in cœlo, ipse sibi causa est, vt scribatur in cœlis. Hæc propter id quod scriptum est. [Super terram scribātur,] causamq; commemorat. [Quia dereliquerūt fontem vitæ dominū.] Et in principio ipse propheta ex persona domini dicit: Me dereliquerunt fontem vitæ dominum. Dicamus ergo & nos si nolumus derelinquere fontem vitę dominum, voce proximorum Iesu Christi discipulorum qua locuti sunt ad magistrum cum eis diceret, nunquid & vos vultis recedere? Quid igitur dicemus? Domine ad quem ibimus? verba vitæ tu habes. Sic finita est etiam secundi capituli circūscriptio. Sequens oratio est ista continens: [Sana me domine & sanabor, saluū me fac & saluus ero, quoniam gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me, vbi est sermo domini? veniat. Ego autem non laboraui subsequens post te, & diem hominis non cōcupiui, tu scis.] Soli qui propter male habentes venit medico dicent: Non indigent sani medico sed male habentes, dicendum est confidenter ab eo qui ægrotantem suam animam vult saluari, Sana me domine & sanabor. Etenim illa in Euangelio mulier sanguinem fluens omnem substantiam suam expendit in medicis, nec potuit à quoquam eorum sanari. Ad nullum quippe ex eis dignū erat dici: Sana me domine & sanabor, nisi ad solum cui sufficit I vestimenti tantum fimbriam tangere, cui ego vni dicam, Sana me domine, & sanabor. Tunc siquidem medicinam sanitas sequitur, si Christus curare dignetur. [Saluum me fac, & saluus ero.] Falsus equus in salutem. Propterea ei dicam: Saluū me fac, & saluus ero. Et hoc ita gaudebo loqui, si omni renūcians gloriæ seculari potero & reliqua dicere. [Quoniam gloria mea tu es. Aut cum compleuero mandatum in quo præcipitur, non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in virtute sua, neque diues in diuitijs, sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum dominus. Beatus itaq; qui renunciauerit omni gloriæ quę deorsum est, veluti super nobili genere, super pulchritudine & corporalibus bonis, super diuitijs, & iactatione. Beatus qui contempta vana gloria dicit ad dominū, [Quoniā gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me, vbi est sermo domini? veniat. Ego autem non laboraui subsequens post te.] Iesus tibi dicit: Tolle crucem tuam, & veni, sequere me. Et qui non reliquerit patrem aut matrem, & secutus fuerit me, non est dignus meus esse discipulus. Si igitur talis fueris, vt semper Christum sequaris, quanto plus sequutus fueris, tanto minus laborabis. Non enim lassitudo erit in Iacob, neque apparebit dolor in Israël. Propterea dixi, vt non laboremus vlterius laborantes antequam inceperimus eum sequi. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Si laborantes venerimus ad Iesum, & eum fuerimus secuti, tunc dicere poterimus: [Ego autem non laboraui subsequens post te, & K diem hominis non concupiui. Est quædam dies hominis, & quędam dies domini, id est, dies resurrectionis quam omnis sanctus desiderat, non illam de qua scriptum est: Væ eis qui desiderant diem hominis. Nam dies ista est tenebra, & non lux. Quis est qui possit dicere, & diem hominis non concupiui? Explanatio verbi conuincit nos, quia diem concupiscamus hominis. Frequenter quippe ægrotantes cum in phantasmate esse febriū cœperim', & mortis limine vrgeri, ad eos qui nos visitāt fratres lassas manus attollimus orantes eos vt pro nobis dominum deprecentur, atque dicentes: Roga mihi aliquod vitæ spatium, roga vt aliquantisper in hac luce permaneam. Ista memorantes non diem sanctum domini, sed diem hominis desideramus. Quapropter longæ vitæ amore deposito, & desiderio humanæ diei, quæramus illam diem videre in qua participes eius beatitudinis quæ in Christo est efficiamur, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Luc.10. *Matt.6.* *Hier.2.* *Ioan.6.* *Matt.9.* *Matt.16.* *Amos.* *In eos qui diutius viuere expetunt.*

Homilia Quinta de eo quod scriptum est: Qui facit terram in fortitudine sua. *Cap. X.*

TRES quodammodo virtutes assumens propheta, fortitudinem, sapientiam, atque prudentiam, L vnicuique earum propria opera distribuit, fortitudini terram, sapientiæ orbem terrarum, prudētiæ cœlorum. Audi quippe scripturæ ordinem. [Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, & erexit orbem in sapientia sua, & in sua prudentia extendit cœlum.] Et nos igitur in nostra terra (dictum est quippe ad Adam, Terra es) necessariam habemus fortitudinem dei, quia absque ea impossibile nobis est exequi quod carni repugnet. Cum autem mortificata fuerint membra super terram, tunc parent spiritus voluntati. Siquidem iuxta apostolum, spiritu gesta carnis mortificantur. Dominus ergo qui fecit terram in fortitudine sua. Si autem & ad hanc terram venias, & consideres id quod in Iob scriptum est, iuxta emendatissima tamen exemplaria, quomodo statuerit eam super nihilum, inuenies fortitudinem dei in medietate mundi terræ libram sustinere. Veniam verò ad orbem terrarum, qui grece οἰκουμένη nuncupatur, id est, inhabitatus. Scio animam meam inhabitatam, scio animam meam desertam. Si enim non habet deum patrem, si non habet filium dicentem: Ego & pater veniemus ad eam, & mansionem apud eam faciemus, si nō habet spiritum sanctum, anima deserta est. Habitata autem est quando plena est deo, quando habet Christum & spiritum sanctum. Verum hæc & vere in scripturis dicuntur, in anima hominis patrem, M & filium, & spiritum sanctum commorari. Nam & Dauid in Psalmo confessionis tres spiritus postulat, dicēs: Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritum sanctum ne auferas à me. Quid sunt isti tres spiritus? Principalis spiritus pater est. Spiritus rectus, Christus. Spiritus sanctus, spiritus sanctus est. Hæc ad probationem eius rei diximus, quod habitatus est orbis terrarum in sapientia fabricantis eum. Sapientia quippe auxiliabitur iusto super decem potestatem habenti ciuitates. Sapientiam autem & disciplinam qui abijcit infelix est, & vana spes eius, & labores eius insensati, & inutilia opera eius, ait sapientia quæ titulo inscribitur Salomonis. Idcirco quantum possumus laborare nitamur, vt habitata anima nostra à sapientia dei erigatur. Cecidit quippe, & de sublimi corruit venientibus nobis in locum istum miseriarum. Cecidit habitata anima nostra postquam peccauimus, iniquè fecimus, iniustè egimus, impiè gessimus, & post ruinam indiget erectione. Si autem non vis ista sententia communi adduci, totius orbis quæramus ruinam, post casum eius consequenter deus erigens prædicatur. Quicunque est in isto orbe, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, consequenter erigendus fuit. nemo quippe sine casu subleuatur. Si autem erectus est, videamus quæ ruina præcesserit. Omnes corruimus per peccatum in orbe terrarum. Est dominus qui erigit

Gen.3. *Col.3.* *Rom.8.* *Ioan.14.* *Esa.51.* *Tres spiritus.* *Sap.3.*

A erigit elisos, & eleuauit nos iacentes. In Adam omnes mo-
rimur atque ita corruit orbis terrarum, & indiget erectio-
ne, vt in Christo omnes viuificemur. Igitur duplicem in-
tellectum de orbe tradidimus. Vnum, quomodo singulæ
animę, aut habitatæ sint, aut desertę. Alterum, quomodo
vniuersus orbis pariter ceciderit. [Et in sua prudentia exten-
dit cœlum.] Non fortuitu sapientia in cœli ostensione as-
sumpta est: inuenies & in Prouerbijs dictum: Dominus sa-
Prou.8. pientia fundauit terram, præparauit cœlos prudentia. Est er-
go aliqua prudentia dei, quam nolo vt extra Christum re-
quiras. Omnia quippe quæ sunt dei Christus est. Ipse sa-
pientia eius, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse iustitia, ip-
se sanctitas & redemptio, ipse vt in præsenti pro varietate
sensuum diuersis vocabulis nuncupatur. Aliud significat sa-
pientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia, dicitur disci-
plina ista diuinarum rerum humanarúmque institutio. Quã-
do iustitia, distributor & iudex meritorum significatur.
Quando sanctitas, illa virtus describitur quæ credentes deo
efficit sanctos. Ita ergo mihi & prudentia eius intelligitur
doctrina & demonstratio bonarum ac malarum rerum siue
neutrarum, atque in hunc modum extendisse nunc dei cœ-
lum prudentia. [Audi quoniam extendi verba & non inten-
disti.] Asserit quippe extentionem quandam esse verborum
similiter vt nunc dicitur. iuxta illud quoq; quod in alio loco
B scriptum est. Qui extendit cœlum vt pellem. Extenditur au-
tem anima nostra quæ prius fuerat contracta, vt possit capax
esse sapientiæ dei. Verum vt ad propositum reuertamur, di-
ximus quòd prudentia huius seculi in malum sit, & nunc
affirmamus eos qui cœlestem hominem portant, esse cœle-
stes. Si enim ad peccatores dicitur: Terra estis, & in terram
Gen.3. ibitis: quare non dicatur ad iustum cuius est regnum cœlo-
Homo pius cœlum. rum, cœlum es, & in cœlum ibis? Dicitur ei qui portat ima-
ginem choici, id est terreni, terra es, & in terram ibis. Qua-
propter cœlesti & qui imaginem cœlestis portat, nunc con-
uenit dici, cœlum es, & in cœlum ibis. Vnusquisque autem
nostrum, aut cœlestia facta habet, aut terrena. Si terrena fa-
cta sunt, ad cognatam sibi terram deducunt eum qui thesau-
rizat ea in terra, & non in cœlo. Rursumq; hęc quę iuxta vir-
tutem gesta sunt, thesaurizatorem suum ad propinquas sibi
cœlorum regiones subuehunt. Et iunxit: [Educens nubes ab
extremo terræ.] Istiusmodi disputatio & in Psalmo nuper in-
cidit, & dictum est à nobis, quomodo deus eduxerit nubes
ab extremo terrę. Quod quidem nunc rursum cogimur retra-
ctare, vt hi qui audierunt, plenissime quæ sciunt reminiscan-
tur, & hi qui non interfuerunt aut obliti sunt, textum sermo-
nis agnoscant quem tunc prout valuimus exhibuimus. Dixi-
Psal.53. mus autem sanctos esse nubes. Etenim hoc quod scriptum
est, Veritas tua vsque ad nubes, non potest referri ad inani-
C males nubes: sed veritas dei vsq; ad illas nubes est quę audiũt
mandatum domini, & nouerunt quò pluuias differant, & à
Esa.5. quibus eas suspendant. De his nubibus dictum est, Et man-
dabo nubibus meis ne pluant super eam imbrẽ. De his enim
quæ ex denso aëre dicuntur constare, si non fuerit pluuia,
non præcepit deus ne pluant super vineam, aut quamcunque
regionem imbrem, sed omnino non apparẽt, vt in tertio Re-
3 Reg.17. gnorum libro legimus: quando in tempore Helię futurę plu-
uiæ signum in vestigio hominis ostensum est, atque ita post
nubem cõglobatam imber descẽdit ad terras. Istis verò quasi
subsistentibus nubibus iubetur pluuiam continere, cum in-
Sanctus vir nubes. digna fuerit anima imbre cœlesti, & dicitur: Mandabo nubi-
bus ne pluãt super eam imbrem. Ita vnusquisque sanctorum
Deut.32. nubes est. Moyses nubes erat, & quasi nubes loquebatur: At-
tende cœlum & loquar, & audiat terra sermonem ex ore
meo. Expectentur vt pluuia verba mea. Si non fuisset nubes
nunquam dixisset: Expectentur vt pluuia verba mea, & de-
scendant vt ros eloquia mea. Quasi nubes dicebat, vt imbres
super gramen, vt pluuia super fœnum, quia nomẽ domini in-
Esa.1. uocaui. Similiter & Esaias vt nubes loquebatur. Audi cœlum,
& auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est. Et
quia ipse nubes erat, & sciebat alias nubes comprophetantes
sibi, ideo vaticinans aiebat: Mandabo nubibus meis ne pluãt
Mar.9. super eam imbrem. Si autem iam didicimus qui sunt nubes,
videamus quomodo deus educat nubes ab extremo terræ.

Ait Saluator: Qui vult in vobis esse primus, sit omnium no- D
uissimus. Seruauit hoc mandatũ Paulus, & fuit nouissimus in *1 Cor.4.*
hoc mũdo, dicẽs: Puto enĩ deus nos apostolos nouissimos o-
stẽdit quasi mortificatos, quasi spectaculũ facti sumus in hoc
mũdo angelis & hominib⁹. Si quis ergo sanct⁹ custodiẽs præ-
ceptum Saluatoris factus fuerit in hac vita nouissimus, iste sit
nubes. Et educit dñs nubes nõ à primis terræ, nõ à cõsulibus,
nõ à iudicibus, nõ à diuitibus: Beati enĩ pauperes spiritu, quo- *Matt.5.*
niam vestrũ est regnum cœlorum. Vides quomodo ab extre-
mis educat deus has corporeas nebulas? Propterea si volumus
nubes fieri ad quas perueniat veritas dei, nouissimi omnium
fiamus, & tam affectu quàm opere dicamus: Puto enim nos
deus apostolos nouissimos ostendit. Quod si nõ sim aposto-
lus: licet tamen mihi fieri extremũ, vt educens nubes deus ab
extremo terræ educat me [Et fulgura in pluuiam fecit.] Aiũt *Vt generẽtur fulgura.*
naturaliũ causarũ scrutatores, quia fulgura ex nubiũ collisio-
ne generẽtur in morẽ silicum duriorũ, quos cũ cõploseris si-
bi, medius ex his elabitur ignis: atq; ita cum fulgure pariter &
tonitrua mugire, tonitruo scilicet sonitũ indicãte cõcussum,
& fulgure excussi luminis claritatẽ Si intellexisti exemplum,
considera nunc nubes rationales. Moyses nubes erat, Iesus
Naue nubes erat. Isti si secum loquantur ex sermonibus eo-
rum fulgura micant. Hieremias & Baruch nubes erant, ser-
mocinentur inuicem, & videbitis rutilare fulgura. Potes &
tuipse de scripturis sanctis in hunc modum inuenire concur- E
sus, ex quibus ignis emittatur. Vt autem ad nouum testamen-
tum veniamus, Paulus & Syluanus duæ nubes in vnum con-
uenerũt, & ecce totũ mundũ epistolę eorũ fulgore illuminãt.
[Fulgura in pluuiam fecit, & eduxit ventos de thesauris suis.]
Ergóne hi venti qui super terras perfluant in thesauris dei
sunt, & nõ horũ est natura manifesta quomodo & qua ratio-
ne subsistant? Sed sunt quidẽ ventorum thesauri, thesauri spi-
rituum, spiritus sapiẽtię & intellectus, spiritus cõsilij & virtu-
tis, spiritus sciẽtię & pietatis, spiritus timoris dei, fortitudinis,
& dilectionis, & charitatis. Potes & ipse de scripturis hos
ventos congregare, & istorum spirituum inuenire thesauros. *Col.1.*
Vbi sunt isti thesauri? Vtiq; in quo thesauri sunt sciẽtię abscõ-
diti, in Christo sedem habent. Inde oriuntur hi spiritus, vt a-
lius sapiens sit, alius fidelis, alius eruditus, & alius aliud dono-
rum Dei possideat. Alij enim per spiritũ datur sermo sapiẽtię, *1 Cor.12.*
alij sermo scientię iuxta eundem spiritũ, alij fides in eodem
spiritu. Eduxit ergo nubes ab extremo terræ, fulgura in plu-
uiam fecit, eduxit ventos de thesauris suis, & iuxta misericor-
diam Dei ad hos thesauros nos occursuros putamus. Et quia *Resurgentium ordo.*
plures sunt thesauri, forte iuxta ordinem resurgentiũ erit &
requies in thesauris dei. Quod autem dico istiusmodi est. Re- *1 Cor.15.*
surrectio mortuorum in quibusdam ordinibus futura est. Ait
quippe apostolus, Vnusquisq; autem resurget in suo ordine,
& non vt libet miscẽtur ordinęs resurgentiũ. Alius ordo erit F
in illo & in illo thesauro Dei. Isti autẽ omnes thesauri vnum
habẽt thesaurũ in quo sunt thesauri sapientię & scientiæ ab-
sconditi. Et quomodo possideo vnam preciosissimã marga-
ritam per plures alias margaritas, sic venio ad thesaurum the-
saurorũ, & dominũ dominorũ, & regem regum, cum dignus
fuero spiritibus in Dei thesauris cõmorantib⁹ [Eduxit enim *Psal.134.*
ventos de thesauris suis, infatuatus est omnis homo ab scien-
tia:] Si omnis homo infatuatus est ab scientia & Paulus ho-
mo est, Paulus infatuatus est ab scientia. Ex parte cogno-
scimus, & ex parte prophetamus. Infatuatus ab scientia vidẽs
per speculũ, videns in ænigmate, portiũculam quandam vi-
dẽs, & si sic expedit dicere, ipsius quoq; portiũculę partẽ mi-
nimam recognoscens. Econtrario autem intelligis quid sit.
[Infatuatus est omnis homo ab scientia.] Cõparatione pec- *Ezech.16.*
catorũ Hierusalẽ, Sodomorũ peccatũ iustitia est. Iustificata
est enim (ait) Sodoma ex te. Quomodo ergo non habent iu- *Scientia Pauli, inscitia comparatione cœlestis.*
stitiã Sodomorũ peccata per se, sed ad collationem maiorũ
scelerum iustificantur: sic econtrario sciẽtia Pauli ad illã cœ-
lestem sciẽtiã, ad illum cõsummatum lectionis intellectum
stultitia reputatur. Idcirco infatuatus est omnis homo ab
scientia. Tale quidam Ecclesiastes arbitror deprehendẽs ef- *Eccl.7.*
fatus est: Dixi sapiens efficiar, & ipsa elongauit se à me lon-
gius quàm erat. O alta profunditas, quis inueniet eam? Vo-
lumus quiddam (si licet) audiẽter dicere: quoniam hoc quod

G descendit in mundum, euacuauit scipsum, vt euacuatione eius mundus compleretur. Si autem hoc quod descendit in mundum euacuauit se, euacuatio ipsa sapientia est: quoniam quod fatuum est dei, sapientius est hominibus. Si ego dixissem fatuum dei, quomodo aucupes sermonum meorum, & semper dediti ad criminandū venenatas in me linguas vibrarent? Nunc verò Paulus quasi sapiens, & potestatem habens apostolicam, ausus est dicere, omnem sapientiam terrenam quæ in se, quæ in Petro, quæ in cæteris apostolis erat, quæ in istum mundum descenderat, stultitiam esse dei. Ad comparationem quippe illius sapientiæ quam terrenus non capit locus, ad illam sapientiam quę cœlestis est, quæ mundi limitem excedit, hoc quod descendit ad homines fatuum dei est. Verum est, ipsum fatuum dei sapientius est hominibus. Quibus hominibus? Non vtique stultis, sed sapientibus. Dicas licet sapientibus seculi istius siue principibus siue vanis istis sapientibus seculi, hoc quod exposuimus fatuum dei sapientius est hominibus. Mirabile quiddam volumus inserere, quoniam sapiētia mundi stultitia est apud deum, & infatuauit deus sapientiam mundi, nec potest capere sapientiam mundi vt esse stultitia arguatur. Neq; enim dignatur sapientia dei ad mundi sapientiam commiscendam tota descendere, sed potius modicum quod necessarium fuit, quod fatuum dei erat, vt hoc paruo & fatuo dei infatuaretur seculi sapientia, magnitudinem in se venientis sapientiæ impotens sustinere. Verum

1.Cor.1.

H exemplum interponamus vt perspicue possit intelligi quomodo fatuum dei stultam fecerit sapientiam mundi. Fingam paulisper me qui aliquid puto esse, cum insipiente aliquo & inerudito conferre sermonem, qui nihil intelligat, nihil acutæ disputationis interroget. Nunquídnam opus mihi est ad illius stultitiam arguendam dialecticam calliditatem, & profundorum sensuum acumen adhibere? Nónne ad vnius sermunculi iactum vilis & modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum & insipientem esse conuincam? Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam non est opus sapientiam dei descendere, & cum ea colluctari quæ deorsum est sapientia, sed sufficit fatuum dei: quoniam fatuū dei sapiētius est hominibus, & infirmum dei fortius hominibus, & omnia contraria Saluator meus & dominus assumpsit, vt contrariis dissoluat contraria, & nos confirmemur ab infirmitate eius, & sapientes efficiamur à fatuo eius, & in hoc introducti possimus ascendere ad sapientiam & virtutem dei Iesum Christum dominum nostrum, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia Sexta. Sermo qui factus est ad Hieremiam à domino dicens: Audi verba testamenti huius, vsque ad eum locum in quo dicitur: Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum. Cap. XI.

I IVXTA historiæ quidem veritatem non negamus præsentiam domini nostri Iesu Christi corporaliter factam, & toti mundo illuxisse, quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Oportet autem nosse quoniam & antequam corpus assumeret, ad sanctos quoq; descendit: & post hanc præsentiam corporalem ad cœlos victor ascendens, rursus ad nos veniet. Si vis huius rei capere argumentum, ausculta quod dicitur: [Sermo qui factus est super Hieremiam à domino, dicens: Audi & reliqua.] Quis enim est hic sermo qui factus est à domino, siue ad Hieremiam, siue ad Esaiam, siue ad quemlibet Prophetarum? An ille est qui erat in principio apud deum? Ego nescio aliud verbum domini præter ipsum de quo dicit Euangelista: In principio erat verbū, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc autem scire debemus, quia hęc sit vtilitas credentiū, si sermo ad singulos quosque fiat. Quid mihi enim prodest si descendat in mundum, & ego ipsum non habeam? E diuerso autem etiam si ad vniuersum mundum non veniat, & ego fuero similis prophetarum, habeo ipsum. Dicam autem quia & ad Moysen, & ad Hieremiam, & ad Esaiam, & ad singulos quosq; sanctorum idem sermo commeauerit: & illud quod à domino discipulis dictum est, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad

Ioan.1.

Matt.28.

cōsummationem seculi, opere seruatum ante aduētum suum, K quem omnibus manifestauit. Erat quippe cum Moyse, cum Esaia, cum omnibus sanctis. Quomodo enim poterant effari sermonem dei sine ipsius sermonis aduentu? Hæc autem nos qui ecclesiastici sumus magis debemus aduertere, qui volumus eundem deum esse legis, & Euāgelij, ipsum deum & antiquitus, & nunc & in omnia secula seculorum, Amen. Sunt quidam qui opinione sua veterem diuinitatem ab ea quæ in Christo annunciatur diuidant. Nos vnum nouimus deū & in præterito & in præsenti, vnum Christum & nunc & modo, similiter & vnum spiritum sanctum cum patre & filio sempiternum. Hæc propter hoc quod lectum est, [Sermo qui factus est super Hieremiam à domino, dicēs:] Quid ergo dicat & nos audiamus. [Audite verba testamēti huius, & loquimini ad viros Iuda, & inhabitantes Hierusalem.] Viri Iuda nos sumus propter Christum, nec dubium est quod dominus noster ex Iuda ortus sit. Nomen quoq; ipsum Iuda si iuxta scripturas probauero ad Christum referri, Iuda non erunt increduli Christo Iudæi, sed nos qui in Christo credimus. Iuda te collaudant fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. Te laudant. Nō illum Iudam filium Iacob fratris sui laudauerunt, sed hunc Iudam laudant fratres sui. Ait quippe iste Iudas: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo tibi. Dicitur ad illum Iudam, Manus tuę super L dorsum inimicorum tuorum. Vbi reperitur ille Iudas super dorsum inimicorum suorum manus suas posuisse? Historia nihil de eo tale conscripsit. Si autem consideres aduentum domini mei Iesu Christi destruentis Zabulum, expoliantis principatus & potestates, ostentui eos facientis, & triumphantis in ligno, videbis quomodo super istum Iudam completa sit prophetia, dicens: Manus tuę super dorsum inimicorū tuorū. Et nunc cum ad viros Iuda sermo fit, nulli dubium est quin ad Christianos sermo fiat propter Christum qui ex tribu Iuda natus est. Fit quoq; sermo & ad inhabitantes Hierusalē, scilicet ad eos qui in ecclesia habitāt. Hæc est ciuitas magni regis, hæc est visio pacis. Pax quippe in nobis, si tamen filij pacis sumus, multiplicatur & cernitur. [Audite ergo verba testamēti huius, & loquimini ad viros Iuda, & inhabitantes Hierusalē, & dicetis ad eos. Hæc dicit dominus. Maledictus homo qui non audierit verba testamenti huius quod mādauit patribus vestris.] Quis magis audit verba testamenti, quod mandauit deus patribus? Nos qui in Christo credimus, an illi qui nec Moysi crediderunt dum in Christo non credunt? Ad quos Saluator ait: Si crederetis Moysi, crederetis vtiq; & mihi: De me enim ille scripsit. Si autem literis illius non creditis, quomodo verbis meis credituri estis? Itaq; illi Moysi non crediderunt, nos verò credentes in Christo, credimus testamento quod traditū est per Moysen, & ad nos dicitur ne maledicti fiamus: [Maledictus homo qui non audierit verba testamēti M huius quod mandauit patribus vestris.] Ergo illi maledicti sunt. Neque enim audierunt testamentum quod mandauit deus patribus in die qua eduxit eos de terra Ægypti, de fornace ferrea: maxime iuxta intelligentē id quod scriptum est in Ioannis Apocalypsi, quia locus vbi crucifixus est dominus vocetur spiritaliter Sodoma, & Ægyptus. Si enim spiritaliter Ægyptus quippe nominatur, & non est Ægyptus secundum intelligentiā corporalem, haud dubium est quin si intellexeris Ægyptum spiritalem, & exieris de ea, tu sis egrediens ex terra Ægypti de fornace ferrea, & tibi dicitur: [Audite vocem meam, & facite iuxta hęc omnia.] Deinde repromissio dei est ad audiētes si fecerint quæcunq; præceperit dominus, dicēs: [Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in deum.] Non omnis qui se populū dei dicit esse, populus dei est. Iudęorum populus populum se venditans dei, meruit audire, quia non populus meus vos. Et dictum est ad eum, Nō populus meus. Et rursum iste populus vocatus est populus. Ipsi enim æmulati sunt me inquit super non deum. De illis dicit: Irritauerūt me in idolis suis, & ego æmulabor eos super non gentem. In gentem autem insipientem irritabo eos. Nos igitur in populum dei facti sumus, & annūciatur iustitia populo qui nascetur de gentibus. Iste enim populus subito nascitur. Et in Propheta scriptum est: Si nata est gens in semel. Quando Saluator ascendit ad cœlos, & crediderunt vna die quinq; milia, & alia,

Marcionitę perstringit.

Gen.49.

Psa.22.

Viri Iuda Christiani.

Ioan.5.

Deut.4.

Apoc.11.

Osee 2.

Deut.32.

Esa.65.

Act.2.3.

A alia, ad dita sunt tria milia, vere tunc fuit cernere populum in semel natum sermone dei, & repente sterilē parturientem, ad quam dicitur: Lætare sterilis quę non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia plures filij desertę magis quā eius quę haber virū. Deserta ecclesia à lege, deserta à deo erat. Habens autem virum synagoga legem, habebat & deum. Quid ergo pollicetur deus? Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in deū. Non est omnium deus, sed eorū tantum quibus se largitus est, quomodo patriarchę illi ad quem dixit: Ego sum deus tuus. Et rursum alij: Ego deus ero deus tuus. Nec non de aliis: Ero, inquit, deus eorum. Putásne aliquando consequimur id quod per singulos dico, vt deus omniū fiat deus noster? Si aūt vis plenius discere quorū sit deus, & quibus vocabulum sui nominis largiatur: Ego, inquit, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Idq; ipsum exponēs Saluator ait: Deus autem non est mortuorū, sed viuorum. Quis est mortuus? vtiq; peccatot, qui non habet dicentem: Ego sum vita, qui habet mortua opera, qui necdum pœnitentiā egit ab operibus mortuis. De quo Apostolus ait: Nunc rursum fundamentū iacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis. Si ergo deus non est deus mortuorum, sed viuentium, & scimus esse viuentem eum qui conuersatur in Christo vt fiat particeps eius, & si volumus vt & deus noster sit, renunciemus operibus mortuis, vt pollicitationē suam in nobis compleat dicens: [Et ero vobis in deū, B & statuam iuramentum meum quod iuraui patribus vestris, dare illis terrā fluentem lac & mel.] Obserua quid dicat. Statuam iuramentum quod iuraui patribus vestris dare illis terrā fluentem lac & mel. Hæc enim non est terra quam pollicitus est deus, terra fluens lac & mel, sed illa est terra, de qua Saluator docuit dicens: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Deinde ad hæc quæ dixerat deus, propheta respondit, id est ad id quid ait: Maledictus homo qui nō audierit verba testamenti huius: & dicit: [Et respondi, & dixi, fiat domine.] Quid est quod ait fiat domine? vtique id quod pronunciauit deus, Maledictus homo qui non audierit verba testamēti huius. [Et dixit dominus ad me. Lege verba ista in ciuitate Iuda, & extra Hierusalē, & his qui foris sunt.] Audite verba diuina prouocantia nos ad salutem. Legimus verba diuina, prouocātia eos ad salutem. Verba testamenti huius, & facite illa. [Et dixit dominus ad me: Inuenta est colligatio in viris Iuda, & in habitantibus Hierusalem.] Si peccauerimus nos qui propter Christum Christiani vocamur, & inuēti fuerimus in numero peccatorum, & de nobis dicitur: Inuēta est colligatio in viris Iuda, & in habitātibus Hierusalem. Cum in ecclesia dei tales sunt in quibus reperiatur laqueum iniquitatis, & vincula peccati, in tantum vt id quod de peccatore dicitur, eis valeat cōuenire: Vinculis peccatorū suorum vnusquisq; constringitur, C tunc dicit deus: Inuenta est colligatio in viris Iuda. Verū non inuenietur colligatio in nobis. Quomodo autē non inuenietur colligatio in nobis, si vsq; ad hanc horā colligatio in quibusdam est? Sed solue omne vinculum iniquitatis, dissolue obligationes violentarum commutationum, omnem conscriptionem iniquam dissipa. Frange esurientibus panē tuum. Inuenta est ergo colligatio in viris Iuda, in habitantibus Hierusalem. [Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorū.] Diximus hæc de nobis dici, & his qui in nobis sunt peccatores. Quomodo igitur qui inter nos sunt peccatores conuersi sunt ad iniquitates patrum, & patrum suorum priorum? Duplices habemus patres, & vna species est pessimorum patrum. Siquidem antequam crederemus, diabolus pater noster fuit, vt sermo Euangelicus ostendit, dicens: Vos de patre Zabulo nati estis. Cum autem credidimus facti sumus filij dei. Si ergo post hæc peccauerimus, cōuertimur ad iniquitates patrū non simpliciter, sed patrum priorum. Ad probationem autē huius rei quia duplices habemus patres, vtimur & Dauid testimonio in quadragesimo quarto psalmo ita dicentis: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Quasi pater quippe cœpit, audi filia. Ergo duplices nostri patres sunt. Sed obliuiscere, inquit, domū patris tui prioris. Si igitur oblitus domum patris tui prioris rursus fueris ad peccata conuersus, incidisti in id quod nunc dicitur peccatum. [Conuersi sunt ad iniquitates patrū suorum priorum.] Dicebamus dudum Zabulum patrem nostrū fuisse

Esa.54. Leuit.26. Gen.17.28 Exod.3. Matt.22. Ioan.14. Heb.6. Exod.3. Matt.5. Prouer.5. Esa.58. Ioan.8. Hom. vlti. ma in Esaiā supra.

antequam deus factus sit pater: si tamen nunc non habemus D etiam Zabulum patrem. Quod etiam de Ioannis epistola approbamus, in qua ita scribitur: Omnis qui peccatum facit, ex Zabulo natus est. Toties ex Zabulo nascimur quoties peccamus. Infelix ille qui semper generatur à Zabulo. Rursúmque multum beatus qui semper ex deo nascitur. Neq; enim semel dicam iustum ex deo natū, sed per singula virtutis opera semper iustus nascitur ex deo. Hoc autē vt plenius possit probari, etiam de Saluatoris nostri quotidiana natiuitate dicamus, liquido id in iustis obtinētes quod in domino præcesserit. Saluator noster splendor est gloriæ: splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci: quotiescunq; ortum fuerit lumen, ex quo splēdor oritur, toties oritur & splendor glorię. Saluator noster sapientia est dei. Sapientia verò splendor est lucis ęternę. Sic igitur Saluator semper nascitur. Et idcirco dicit: Ante omnes colles generat me, non (vt quidam male legunt) generauit. Si semper ex patre nascitur dominus, etiā tu in similitudinem eius tantum adoptionis spiritum habens semper generaris à deo per singulos intellectus, per singula opera, & efficieris filius dei in Christo Iesu, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

1.Ioan.3. Prou.8.

Homilia septima. De eo quod scriptum est: Exterminata est exterminio omnis terra. Cap. XII. & XIII.

QVIS est iste qui dicit: [Propter me exterminata E est exterminio omnis terra?] Christus hęc loquitur. Nam ante aduētum eius multa quidem peccata fuerunt in populo Israel, sed dominus veniēs prohibuit talia, vt penitus relinquerentur, & in longam traderentur captiuitatem. Quando autē compleuerunt mensuram patrum suorum, & addiderunt ad occisionem Prophetarum, persecutionémq; iustorum, & Saluatoris interfectionē, tunc completū est: Dimittetur vobis domus vestra deserta. Et quia ille ab eis quę in Euangelio scripta sunt passus est, idcirco nūc dicitur: Exterminio exterminata est omnis terra. Quod si subtilius volueris intelligere, Propter me exterminata est exterminio omnis terra: considera eam quæ in te est quomodo exterminata sit terra, & tunc videbis post aduētum Iesu Christi impleta esse quę dicta sunt, mortificatis mēbris nostris super terram, cum iam nō operetur terra opera sua, non fiant apud iustum ea quibus antea caro fouebatur, non fornicatio, non immundicia, non adulterij luxuria, non idolorū seruitus, non veneficia. Dominus loquitur: Quid putatis quia veni pacem mittere super terram? Non veni pacem mittere, sed gladium. Verè antequam descēderet non erat gladius super terrā, neq; caro concupiscebat aduersus spiritum: neq; spiritus aduersus carnē. Quando autē venit, & edocti sumus quæ carnis quæue sint spiritus, & doctrina eius quasi gladius immissus diuisit F carnem, id est terram à spiritu, & exterminauit eam, quia mortificationem Iesu Christi circumferimus in corpore nostro, & non viuimus vltrà iuxta carnem, viuit autem spiritus: & seminamus non in carne, sed in spiritu, vt non metamus corruptionē de carne, sed de spiritu vitam æternam. Dicitur autem peccatoribus: [Seminatis triticū, & spinas metitis.] Qui enim neq; iuxta voluntatē scripturarum, neq; iuxta fidei veritatem profert eloquia dei, seminat triticum, & metit spinas. Hoc hęretici faciunt, qui legunt scripturas, & spinas non de libris sanctis, sed de propriis sensibus metunt. [Cleri eorum non proderunt eis.] Hæc ante me alij exposuerunt: & quia nō improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero, non quasi ipse reppererim, sed reperta iam repetens, vt mihi pariter vobísq; conducat: si tamen quę dicenda sunt, intentus animus excipiat. Nos qui putamur aliquid esse, id est qui in clericatus vobis ordine præsidemus, intantum vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire, nosse debetis non statim in eo esse saluandos, quia clerici sumus: multi enim & presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur: sed si ordinē clericatus & mereamur pariter & habeamus. Quia igitur sunt quidam clerici non ita viuentes, vt & ipsi ex ordine capiant fructum, & ornamento suæ sint dignitati, idcirco aiunt qui exposuerunt Prophetam nunc dicentem: [Cleri eorum non proderunt eis.] Vtilitas quippe clericatus non in

Matt.23. Matt.10. Ante Christum in nobis nulla pugna. Hæreticorū mos. Candor Origenis.

G eo est, si aliquis in agmine sedeat presbyterorum, sed si iuxta locum suũ, & iuxta præcepta domini dignus incedat. Verum charissimi, nolite putare hoc tantum de nobis esse dictum: & nos & vos commonet diuina maiestas, vt iuxta scripturarum præcepta viuamus, & si sic expedit dicere, potentes potenter tormenta patientur. Plus à me exigitur quàm à diacono, plus à diacono quàm à laico. Qui verò totius ecclesiæ arcem obtinet, pro omni ecclesia reddet rationem. Propter hoc apostolus Paulus (videlicet vt is cui fuerãt multa commissa) aiebat: Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores sacramentorum dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Intantum rarum est bonum dispensatorem inuenire, vt Iesus, qui antequam orirentur ea quę erant futura, cognouerat, loqueretur: Quis putas est fidelis dispensator & sapiens, quem constituit dominus super familiã suam dare in tempore cibaria conseruis suis? Et post pusillum causatus de quibusdam dispensatoribus intulit dicens: Si autem incipiat malus seruus dicere: Moratur dominus meus venire, & cœperit cædere seruos & ancillas, & comedere & bibere & inebriari, venit dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidit illum, & partem illius cum infidelibus ponit. Hęc in eo quod scriptum est: Cleri cotũ non proderunt eis. Videamus autem & reliquis necessariam correptionem, quam, vt mihi videtur, in morali loco debemus accipere. [Confundimini à gloriatione vestra, ab opprobrio

Sap. 6. — *1. Cor. 4.* — *Luc. 12.*

H in conspectu domini.] Multa sunt in quibus gloriantes insipientiam nostram ostendimus. Verbi gratia, si qui in multis possessionibus gloriantur, dicitur eis: Confundimini à gloriatione vestra. Si qui gloriantur in generis nobilitate, dicitur ad eos: Confundimini à gloriatione vestra. Si qui iactabundi incedunt super preciosissimis vestibus, super domo multis exornata diuitiis, aliena est quippe à gloriatione sanctorum, dicit ad eos: Confundimini à gloriatione vestra. Verum hoc parum est. Audi quid loquatur in Hieremia sermo diuinus, iubens vt ne in sapientia quidem nostra gloriemur: Ne glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis, sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum dominus. Vis gloriari, & gloriabundus non audire: Cõfundimini à gloriatione vestra? Gloriare vt apostolus Paulus, & dic: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vis gloriari, & non audire, confundimini à gloriatione vestra? Audi Paulum gloriãtem, & disce quid loquitur. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Audi quæ sint gloriæ in quibus se vir efferat. In laboribus abundãter. Quis hoc po-

Hier. 9. — *Gal. 6.* — *2. Cor. 12.* — *2. Cor. 11.*

I test dicere? In carceribus supra modum, in mortibus sæpè, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium passus sum. Discamus differentias gloriarum, & nonnullos esse qui super his glorientur, quæ rubore digna sunt, quorum gloria est in confusione. In his quippe gloriantur, quæ cum faciunt, latebras & secreta perquirunt. Post hæc consideremus quid de cinctorio præceptum sit. [Hęc dicit dominus, vade, & accipe tibi cinctorium lineum, & circumda lumbos tuos, & per aquam non transibis. Et accepi cinctorium secundũ verbum domini ad me dicẽs: Accipe cinctorium quod circa lumbos tuos est, & vade ad Euphratem, & absconde illud in cauerna petrę.] Post dies venit Propheta, & accepit cinctoriũ de loco vbi infoderat illud, & ecce computruerat quod nulli vsui esset. Et ne quis iuxta voluntatem animi sui de hoc loco sibi præsumeret intellectum, dans dominus interpretationi occasionem addidit dicens: [Sicut enim adhæret cinctorium circa lumbos hominis, sic adglutinaui ad me domum Israel, & omnem domum Iuda, vt fierent mihi in populum nominatum, & in exultationem, & gloriam, & non obaudierunt me.] Igitur Propheta in hoc loco pro deo accipiatur, circumdans lumbos suos cinctorium lineum, id est populum deus. [Adglutinaui quippe (ait) ad me domum Israel. Et quodammodo cinctorium dei homo iustus efficitur. Quæres quam ob causam: Lege Ezechielem, & intellige quomodo deus videatur in corpore, & quamobrem à lumbis eius vsque ad pedes ignis appareat, & à lumbis vsque ad caput electrum:

Ezech. 1.

tunc poteris etiam præsentis scripturæ inuenire rationem, K quare inferiores dei partes igneæ sunt. Renes generatione, & lumbi igne censentur. Omnia quippe quę ex coitu & voluptate sunt, indigent purgatione, & ipsa purgatio immixta est supplicio. Ea verò quæ à renibus in superiora consurgunt, & libidinis opera sua virtute transcendunt, quasi quædam materia purior ad electri similitudinẽ referuntur. Dicitur quippe electrum auro esse preciosius. Quid igitur exemplis scriptura vtitur vt ostendat supernum dei corpus esse magnificum, & inferius vilius? Idcirco nunc introduxit dominum ex igne & electro subsistentem. Ex quo vnusquisque nostrum iuxta exordium natiuitatis suæ ad ignem refertur: iuxta studium verò & profectum, Dei corpus efficitur illud superius, illud ex electro, ab igne nobis, à pœnis, à cruciatu abscedentibus. Adiunge ergo circa lumbum tuum cinctorium lineũ. Cur? Vt ostendatur populus regnum esse dei. Aduersum eos quippe qui volunt dei accusare prouidentiam, resistit & protegit dei sui opera, nec sinit aliquid indecens de maiestate eius narrari. Sed cum peccauerimus, vt cinctorium istud Propheta deposuit, & abiecit illud in Euphratem fluuium, vt ibidem cõputresceret: sic & nos abiiciet à lumbis suis deus, & proiectos relinquet ad Euphratem fluuium Mesopotamiæ, vbi Assyrij habitant inimici Israel, vbi Babylonij, & ibi putrescemus. Cur enim tantis in toto orbe fluminibus prætermissis de Iudæa ad Euphraten propheta transmittit, nisi vt sacramentum iuxta vim nominis doceat intellectum? Post L hæc quærimus quare cinctorium lineum dicatur. Linum ex terra nascitur. Nam cum semen eius in humum fuerit abiectum, primum in gramine pullulat, deinde vt infinita prætercam, demessum transfertur domũ, pectitur, lauatur, teritur, tunditur, & ingenti (vt ita dicam) opera excutitur, quo tale fiat ex quo possit cinctorium, aut aliud quid in vsus necessarios operari. Et nos ergo vniuersi qui generationẽ habemus ex terra, aut linũ quod in cinctorium dei pectitur, multa cura indigemus vt pectamur, vt lauemur, vt colorem terræ abiiciamus. Alius quippe color generationis in lino est, alius cum fuerit opera mundatus. Generationis color obscurior est & nigrior, operis autem lucidior. Tale quid in exordio euenit. Nigri enim sumus quando regeneramur, quando credimus, quando in Canticorum cantico dicimus: Nigra sum & speciosa. Æthiopibus similem habemus animam indecorem, abluimur vt fiamus candidi, vt nitorem qui nobis insitus ex natura non fuerat, diligentia consequamur, iuxta illud quod in eodem loco scribitur: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? & efficiamur linum candidum purúmq; aqua. Ita cum digni fuerimus societate dei, in cinctorium eius plicamur, neque ab eo aliquando deponimur: si tamen candorem quem nobis M concesserat, semper habeamus. Cum itaque Iudæi & omnis domus Israel indigni extiterint deo, & proiecti sint ab eo, nobis pro illis accinctus est. Neque enim putandum est cinctorium abiicientem mansisse incinctum: statim vt illos proiecit, alios sibi contexuit. Hoc cinctorium ecclesia est de gentibus congregata, quæ scire debet, quia si prioribus non pepercit deus, nec sibi parcet, si eum dereliquerit, si non fuerit digna lumbo eius, si non adhærens domino vnus spiritus fuerit in Christo Iesu: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Cant. 1. — *Cant. 3.*

Homilia VIII. *De eo quod scriptum est: Notum fac mihi domine, & cognoscam. vsque ad eum locum in quo ait: Ite, congregate omnes bestias agri.* *Cap.* XII.

SI Dei eloquia sunt in lege & prophetis, euãgeliis & apostolis, oportet discipulũ dei diuinorum sermonum magistrũ deum ascribere. Qui enim docet hominem scientiam, secundum Psalmistam, deus est. Saluator quoque perhibet testimonium, nullum debere super terras magistrum nuncupari, dicens: Et vos nolite vocare magistrum super terram. Vnus quippe est magister vester, pater qui in cœlis est. Pater autem qui est in cœlis, erudiet homines siue per se, siue per filium, siue per spiritum sanctum. Et vt ad minora veniamus, erudit per Paulum, per Petrum, per aliũ quẽlibet sanctorum

Psal. 94. — *Matt. 23.*

A sanctorum:tantum dei spiritus & dei sermo descẽdat & doceat. Cur hæc diximus? videlicet quia propheta: [Notum fac mihi, ait, domine, & cognoscam.] Neque enim scire possum, nisi tu mihi reuelaueris. Sin autem demonstrante te potero nosse quod nescio, tunc videbo cogitationes singulorũ, & cognoscam quid vnusquisq; gerat, & cuius sit voluntatis. Hæc Propheta. Deinde videamus qui d Saluator loquitur in Propheta: [Ego vt agnus innocens ductus ad immolãdum, & nesciebam. Aduersum me cogitauerunt consilium dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & conteramus eum à terra viuentium, & nomen eius nõ memorabitur amplius.] Esaias quoque quod Christus vt ouis ad victimã ductus sit, & vt agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum, pronunciat: & ibi quidem ille de Christo, hic verò de se ipse Christus. Ego, inquit, vt agnus innocẽs ductus ad immolandum & nesciebã. Nec addit quæ non cognouerit. Non enim dixit: Non cognoui mala, non cognoui bona, non cognoui peccatum siue iniustitiam, verum simpliciter non cognoui. Tibi igitur dereliquit vt quæras quod nescierit. Lege Apostolum: Qui cum peccatum non cognouisset, pro nobis peccatũ fecit. Peccatum quippe nosse, peccare est: vt iustitiam nosse, iustè est agere. Ex quo manifestum est eũ qui iustitiã prædicat, & non agit iustè, nescire iustitiam. [Aduersum me cogitauerunt consiliũ dicẽtes: Venite, mittamus

Esa.53. *Hier.11.* *Esa.53.*

B lignum in panem eius.] Crucifixum esse à Iudæis dominum nulli dubiũ est. Et cum hoc tota libertate prædicamus, quomodo aptabimus ei quod dicitur: Aduersum me cogitauerunt consiliũ dicentes, hoc quod inferunt: Venite, mittamus lignum in panẽ eius? Nimiæ difficultatis est. Panis Iesu quo nutrimur, sermo eius interpretatur. Quia igitur docente eo voluerunt quidã scandalũ ponere doctrinæ eius, crucifigentes eum dixerunt: Venite, mittamus lignum in panem eius. Cũ enim verbo Iesu & disciplinæ eius coniungitur magistri crucifixio, in panem lignũ mittitur. Et illi quidem insidiãtes dicunt: Venite, mittamus lignum in panẽ eius. Ego vero admirabile quiddã inferam. Lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem. Exemplum accipe de lege Moysi. Sicut lignum quod missum est in amaram aquã, fecit dulcem, sic lignum passionis Christi missum in doctrinã eius fecit panẽ illius dulciorem. Ante enim quàm immitteretur lignũ in panem eius, quando tantũmodo panis erat, & non erat lignũ, in vniuersam terrã non exierat sonus eius. Postea verò quàm assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in vniuersum orbẽ passionis eius disseminatus est sermo. In cuius figura & aqua in veteri Testamento ad tactum ligni dulcis effecta est. Ego quippe aio legem nõ intellectam, amaram aquam esse. Cum autem venerit lignum Iesu Christi, & sermo Saluatoris mei descenderit in eam, tunc dulcoratur, & fit suauissimi saporis,

Exod.15.

C intellecta pariter & lecta lex Moysi. Dicentes igitur: [Venite mittamus lignum in panem eius,] etiam hoc addunt, [& cõteramus eum à terra viuentium, & nomen eius nõ memorabitur amplius.] Sic enim illum interfecerunt, quasi nomen eius penitus eradicarent. Sed Iesus scit quare & quomodo moriatur. Propter quod ait: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, non multũ fructum affert. Ergo mors Iesu Christi spica frumẽti facta est, septulũ & multo amplius restituens quàm fuerat seminatum. Fingamus enim paulisper non fuisse eũ crucifixum, neque post mortem ad inferos descendisse: sequitur vt solum granũ maneat frumenti, & multi nõ nascuntur ex eo. Attende diligenter eloquia diuina, quid in se velint intelligi. Granum frumenti si non cadens in terrã mortuum fuerit, nõ multum fructum affert. Mors Iesu istos omnes fructificauit. Si autem mors tãtas attulit fruges, resurrectio cuius futura est vbertatis? [Domine virtutum iudicãs iusta, probans renes & corda, videã quæ ex te est vindictã de eis.] Propheticè orat, vt videat vindictam de eis apud patrẽ. circũdata est quippe ab exercitu Hierusalẽ, & appropinquauit subuersio eius, & id quod dictũ ad eã fuerat: Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta, completum est. [Videam ergo quæ ex te est vindictam de eis, quia ad te reuelaui iustificationem meam. Propterea hæc dicit dominus in viros qui sunt in Anathoth, qui quærunt animam meam, qui dicunt: Non prophetabis in nomine domini, alioquin morieris in

Ioan.12. *Matth.23.* *Hier.12.*

D manibus nostris. Ecce visitabo ego in eos: iuuenes eorũ gladio cadent, & filij eorum & filiæ morientur in fame, & reliquiæ eorum non erunt. Quoniã inducam mala super inhabitantes in Anathoth, in anno visitationis eorum.] Figuraliter nunc nomen Anathoth assumitur. Totum autem iudaicum sacramentum in eo est. Interpretatur quippe Anathoth obedientia. Quia ergo obediẽtia dei in illo fuit, sicut regnum eius, & factũ est de regno id quod nouimus prædictum: Auferetur à vobis regnũ dei, & dabitur genti facienti fructus eius: nunc quoq; viri qui sunt in Anathoth, hoc est in obedientia, quærunt animam nõ Hieremiæ: neque enim hoc historia vlla commemorat, quia viri Anathoth quæsierunt animã eius. Habemus Regnorũ libros, meminit ibi scriptura Hieremiæ, nihil tale conscribitur. Habemus Paralipomenon & ipsum quod nunc interpretamur volumen Prophetæ, nihil locuti sunt viri ab Anathoth: sed Christi quærunt animam domini mei, qui dicunt, non prophetabis in nomine domini. Legimus & hic à Iudæis prohibitum ne doceret Christus. Alioquin morieris in manibus nostris. [Ecce ego visitabo in eis, iuuenes eorum gladio cadent, & filij eorum & filiæ morientur fame.] Non Hieremiæ temporibus gladio occubuerunt, sed post aduentum domini tunc fames venit in eos, nõ fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei. Iam quippe apud eos vltra non dicitur: Hæc dicit dominus deus omnipotẽs. Ista fames est prophetię cessantis in eis. Sed

Matth.21.

E quid loquar de prophetis? Neque magistri, neq; doctores in Iudæa aliqui remanserunt: & licet sint innumerabiles qui sibi sapientiam vendicent, non est iam sermo dei in eis. Completum est enim illud vaticinium: Auferet dominus à Iudæa & ab Hierusalem validũ & validam, virtutem panis & virtutem aquæ, gigantem fortem & bellatorem & iudicẽ & prophetã & arbitrum & seniorem quinqua genarium, & admirabilem cõsiliatorem & sapientem architectũ, & intelligentẽ auditorem. Iam non est apud eos qui possit dicere: Quasi sapiens architectus fundamentũ posui. Migrauerunt ab eis architecti, venerunt ad ecclesiam, posuerunt fundamentum Iesum Christum. Huic superædificant quicunque post eos crediderũt. In fame ergo ille populus derelictus est. [Adducam quippe mala super inhabitantes Anathoth, in anno visitationis eorum. Iustus es domine, quia excusabo me apud te. Verũtamen iudicia loquar ad te. Quid est quod via peccatorũ prosperatur? Abundauerunt omnes qui spreuerunt contemnentes.] Quæramus an bonus sit deus qui legem prophetásque largitus est, videntes viam impiorum prospetari, & nihil eos ab eo pro merito sustinere. Abundauerunt enim omnes qui spreuerunt contẽnentes, ij qui aduersum conditorem rabidis faucibus latrãt, qui eum blasphemis sermonibus criminantur. [Abundauerunt, plantati sunt, & radicem miserunt, procreauerunt filios, & fecerunt fructus.] Quantos fructus Marcion fecit procreans filios infidelitatis? Quantos Basilides? quãtos Valentinus? De his quippe næ prophetat dicens: Procreauerunt filios, & fecerunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Nominant Iesum, & non habent eum. Neque enim illum cõfitentur vt Christum. [Et tu

Esa.3. *1.Cro.3.* *Marcion, Basilides, Valẽtinus.*

F domine nosti & probasti cor meum in cõspectu tuo. Sanctifica illos in die interfectionis eorum.] Quid faciam vt hoc exponam? Tormenta sanctificationem vocat eorũ qui torquẽtur. Sanctifica quippe eos, ait, in die interfectionis eorũ: id est per hoc quod interficis eos, sanctifica eos. Quem enim diligit dñs, corripit, flagellat autẽ omnem filium quem recipit. [Quousq; lugebit terra, & fœnũ omne agri arescet à malitia habitantiũ in terra?] Quasi animal sit terra, sic nunc loquitur Propheta, dicens lugere eã quando mali sunt habitatores qui in ea cõmorantur. Per vnumquenq; enim nostrum terra, aut lætatur in virtutibus accolarum, aut luget in vitiis. Si autem terra, cõsequenter & elementa cætera, ex quibus & aqua, id est angelus qui super aquã cõstitutus est. Neq; enim aliter possum lugentem terrã exponere, seu lætãtem: nec sensus recipit, vt insensibile corpus sentire credamus: nisi vt intelligamus omnibus rebus angelos præsidere, tam terræ & aquæ, quàm aëri & igni: id est principari elementis, & hoc ordine peruenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoq; astra cœlestia. Alius angelus præpositus est terris: atq;

Hebr.12. *Angeli rebus omnib' præsident.*

A ſanctorum:tantum dei ſpiritus & dei ſermo deſcẽdat & doceat. Cur hæc diximus? videlicet quia propheta: [Notum fac mihi, air,domine,& cognoſcam.] Neque enim ſcire poſſum, niſi tu mihi reuelaueris. Sin autem demonſtrante te potero noſſe quod neſcio,tunc videbo cogitationes ſingulorũ, & cognoſcam quid vnuſquiſq; gerat,& cuius ſit voluntatis. Hæc Propheta. Deinde videamus quid Saluator loquitur in Propheta: *Eſa.53.* [Ego vt agnus innocens ductus ad immolãdum, & neſciebam. Aduerſum me cogitauerunt conſilium dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & conteramus *Hier.11.* eum à terra viuentium,& nomen eius nõ memorabitur amplius.] *Eſa.53.* Eſaias quoque quod Chriſtus vt ouis ad victimã ductus ſit,&vt agnus coram tondente ſe ſine voce ſic non aperuit os ſuum,pronunciat: & ibi quidem ille de Chriſto, hic verò de ſe ipſe Chriſtus.Ego,inquit,vt agnus innocẽs ductus ad immolandum & neſciebã. Nec addit quæ non cognouerit.Non enim dixit:Non cognoui mala, non cognoui bona, non cognoui peccatum ſiue iniuſtitiam, verum ſimpliciter non cognoui. Tibi igitur dereliquit vt quæras quod neſcierit.Lege Apoſtolum: Qui cum peccatum non cognouiſſet, pro nobis peccatũ fecit.Peccatum quippe noſſe,peccare eſt: vt iuſtitiam noſſe, iuſtè eſt agere. Ex quo manifeſtum eſt eũ qui iuſtitiã prædicat,& non agit iuſtè,neſcire iuſtitiam.[Aduerſum me cogitauerunt conſiliũ dicẽtes:Venite, mittamus B lignum in panem eius.] Crucifixum eſſe à Iudæis dominum nulli dubiũ eſt.Et cum hoc tota libertate prædicamus, quomodo aptabimus ei quod dicitur: Aduerſum me cogitauerunt conſiliũ dicentes,hoc quod inferunt: Venite,mittamus lignum in panẽ eius? Nimiæ difficultatis eſt. Panis Ieſu quo nutrimur,ſermo eius interpretatur. Quia igitur docente eo voluerunt quidã ſcandalũ ponere doctrinæ eius, crucifigentes eum dixerunt: Venite, mittamus lignum in panem eius. Cũ enim verbo Ieſu & diſciplinæ eius coniungitur magiſtri crucifixio,in panem lignũ mittitur. Et illi quidem inſidiãtes dicunt:Venite,mittamus lignum in panẽ eius. Ego vero admirabile quiddã inferam.Lignum miſſum in panem eius, panem fecit meliorem. *Exod.15.* Exemplum accipe de lege Moyſi.Sicut lignum quod miſſum eſt in amaram aquã, fecit dulcem, ſic lignum paſſionis Chriſti miſſum in doctrinã eius fecit panẽ illius dulciorem. Ante enim quàm immitteretur lignũ in panem eius, quando tantũmodo panis erat, & non erat lignũ, in vniuerſam terrã non exierat ſonus eius. Poſtea verò quàm aſſumpſit fortitudinem per lignum,tunc in vniuerſum orbẽ paſſionis eius diſſeminatus eſt ſermo. In cuius figura & aqua in veteri Teſtamento ad tactum ligni dulcis effecta eſt. Ego quippe aio legem nõ intellectam, amaram aquam eſſe. Cum autem venerit lignum Ieſu Chriſti, & ſermo Saluatoris mei deſcẽderit in eam,tunc dulcoratur,& fit ſuauiſſimi ſaporis, C intellecta pariter & lecta lex Moyſi. Dicentes igitur: [Venite mittamus lignum in panem eius,]etiam hoc addunt, [& cõteramus eum à terra viuentium, & nomen eius nõ memorabitur amplius.] Sic enim illum interfecerunt, quaſi nomen eius penitus eradicarent. Sed Ieſus ſcit quare & quomodo *Ioan.12.* moriatur.Propter quod ait:Niſi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, non multũ fructum affert. Ergo mors Ieſu Chriſti ſpica frumẽti facta eſt,ſeptuplũ & multo amplius reſtituens quàm fuerat ſeminatum.Fingamus enim pauliſper non fuiſſe eũ crucifixum, neque poſt mortem ad inferos deſcendiſſe:ſequitur vt ſolum granũ maneat frumenti,& multi nõ naſcuntur ex eo.Attende diligenter eloquia diuina, quid in ſe velint intelligi. Granum frumenti ſi non cadens in terrã mortuum fuerit,nõ multum fructum affert. Mors Ieſu iſtos omnes fructificauit.Si autem mors tãtas attulit fruges, reſurrectio cuius futura eſt vbertatis? [Domine virtutum iudicãs iuſta,probans renes & corda, videã quæ ex te eſt vindictã de eis.] Propheticè orat,vt videat vindictam de eis apud patrẽ. *Matth.23.* circũdata eſt quippe ab exercitu Hieruſalẽ,& appropinquauit ſubuerſio eius,& id quod dictũ ad eã fuerat:Ecce dimittetur vobis domus veſtra deſerta,completum eſt. [Videam ergo quæ ex te eſt vindictam de eis, quia ad te reuelaui iuſtificationem meam. Propterea hæc dicit dominus in viros qui *Hier.12.* ſunt in Anathoth, qui quærunt animam meam, qui dicunt: Non prophetabis in nomine domini, alioquin morieris in

manibus noſtris.Ecce viſitabo ego in eos: iuuenes eorũ gladio cadent,& filij eorum & filiæ morientur in fame, & reliquiæ eorum non erunt.Quoniã inducam mala ſuper inhabitantes in Anathoth,in anno viſitationis eorum.] D Figuraliter nunc nomen Anathoth aſſumitur. Totum autem iudaicum ſacramentum in eo eſt.Interpretatur quippe Anathoth obedientia. Quia ergo obediẽtia dei in illo fuit, ſicut regnum eius,& factũ eſt de regno id quod nouimus prædictum: *Matth.21.* Auferetur à vobis regnũ dei,& dabitur genti facienti fructus eius: nunc quoq; viri qui ſunt in Anathoth,hoc eſt in obedientia, quærunt animam nõ Hieremiæ: neque enim hoc hiſtoria illa commemorat, quia viri Anathoth quæſierunt animã eius. Habemus Regnorũ libros,meminit ibi ſcriptura Hieremiæ, nihil tale conſcribitur. Habemus Paralipomenon & ipſum quod nunc interpretamur volumen Prophetæ, nihil locuti ſunt viri ab Anathoth: ſed Chriſti quærunt animam domini mei,qui dicunt, non prophetabis in nomine domini. Legimus & hic à Iudæis prohibitum ne doceret Chriſtus. Alioquin morieris in manibus noſtris. [Ecce ego viſitabo in eis, iuuenes eorum gladio cadent,& filij eorum & filiæ morientur fame.]Non Hieremiæ temporibus gladio occubuerunt, ſed poſt aduentum domini tunc fames venit in eos,nõ fames panis, neque ſitis aquæ, ſed fames audiendi ſermonem Dei. Iam quippe apud eos vltra non dicitur: Hæc dicit dominus deus omnipotẽs.Iſta fames eſt prophetię ceſſantis in eis. E Sed quid loquar de prophetis?Neque magiſtri, neq; doctores in Iudæa aliqui remanſerunt: & licet ſint innumerabiles qui ſibi ſapientiam vendicent,non eſt iam ſermo dei in eis. Completum eſt enim illud vaticinium: *Eſa.3.* Auferet dominus à Iudæa & ab Hieruſalem validũ & validam,virtutem panis & virtutem aquæ,gigantem fortem & bellatorem & iudicẽ & prophetã & arbitrum & ſeniorem quinquagenarium, & admirabilem cõſiliatorem & ſapientem architectũ,& intelligentẽ auditorem.Iam non eſt apud eos qui poſſit dicere: *1.Cor.3.* Quaſi ſapiens architectus fundamentũ poſui. Migrauerunt ab eis architecti,venerunt ad eccleſiam,poſuerunt fundamentum Ieſum Chriſtum.Huic ſuperædificant quicunque poſt eos crediderũt.In fame ergo ille populus derelictus eſt. [Adducam quippe mala ſuper inhabitantes Anathoth, in anno viſitationis eorum.Iuſtus es domine,quia excuſabo me apud te. Verũtamen iudicia loquar ad te. Quid eſt quod via peccatorũ proſperatur? Abundauerunt omnes qui ſpreuerunt contemnentes.] Quæramus an bonus ſit deus qui legem prophetáſque largitus eſt,videntes viam impiorum proſpetari,& nihil eos ab eo pro merito ſuſtinere. Abundauerunt enim omnes qui ſpreuerunt contẽnentes,ij qui aduerſum conditorem rabidis faucibus latrãt, qui eum blaſphemis ſermonibus criminantur. [Abundauerunt, plantati ſunt, & radicem miſerunt, procreauerunt filios, & fecerunt fructus.] Quantos fructus *Marcion, Baſilides, Valẽtinus.* Marcion fecit procreans filios infidelitatis? Quantos Baſilides?quãtos Valentinus?De his quippe nũc prophetat dicens: Procreauerunt filios,& fecerunt fructum.Prope es tu ori eorum,& longe à renibus eorum.Nominant Ieſum, & non habent eum. F Neque enim illum cõfitentur vt Chriſtum.[Et tu domine noſti & probaſti cor meum in cõſpectu tuo.Sanctifica illos in die interfectionis eorum.] Quid faciam vt hoc exponam? Tormenta ſanctificationem vocat eorũ qui torquẽtur.Sanctifica quippe eos,air, in die interfectionis eorũ: id eſt per hoc quod interficis eos,ſanctifica eos. *Hebr.12.* Quem enim diligit dñs,corripit, flagellat autẽ omnem filium quem recipit.[Quouſq; lugebit terra,& fœnũ omne agri areſcet à malitia habitantiũ in terra?] Quaſi animal ſit terra,ſic nunc loquitur Propheta, dicens lugere eã quando mali ſunt habitatores qui in ea cõmorantur. Per vnumquenq; enim noſtrum terra, aut lætatur in virtutibus accolarum,aut luget in vitiis. Si autem terra,cõſequenter & elementa cætera,ex quibus & aqua,id eſt angelus qui ſuper aquã cõſtitutus eſt. *Angeli rebus omnib⁹ præſident.* Neq; enim aliter poſſum lugentem terrã exponere,ſeu lætãtem:nec ſenſus recipit,vt inſenſibile corpus ſentire credamus: niſi vt intelligamus omnibus rebus angelos præſidere,tam terræ & aquæ,quàm aëri & igni:id eſt principari elementis,& hoc ordine peruenire ad omnia animalia, ad omne germen,ad ipſa quoq; aſtra cœleſtia. Alius angelus præpoſitus eſt terris:atq;

G ita omnes ij angeli cũ quibus versamur in terra, gaudent quãdo iustè agimus: quando peccauimus lugent. [Lugebit terra ab omnibus inhitãtibus in ea.] Eodem nomine angelũ terræ appellant, quo ipsa terra nuncupatur. Quomodo enim hoc quod manufactum est cum maledicatur, maledicitur & ipse qui fecit illud, nõ quòd maledictum sit, quod anima ac sensu caret, sed idem dicitur maledictus qui assidet insensibili simulachro eodem vocatus nomine quo vocatur id quod manu factum est: sic & nunc terra appellatur is angelus qui præpositus est terræ. Nec hoc tantum accipias in terra, & aquæ etiã angelus eius vocabulo nuncupatur, iuxta illud quod in alio loco dicitur: Viderunt te aquæ & timuerunt, turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ trãsierunt. [Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.] Vide mihi eum qui in forma Dei consistebat in cœlis. Vide domum eius, thronos & excelsas quásque virtutes. Si autem vis aliquid sublimius intelligere propter hoc quod ait: Ego in patre, & pater in me, vide domum eius patrem Deum. Reliquit patrem suum, & matrem suam cœlestem Hierusalem, venítque in hunc terrenum locum, & ait: [Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.] Illa erit hæreditas eius, possessiones angelicæ & sanctarum ordo virtutum. [Dedi dilectam animam meam in

Ioan.14.

H manus inimicorum meorum.] Tradidit animam suã in manus inimicorum suorum, in manus Iudæorum interficientiũ eum, in manus principum congregatorũ aduersum se, in manus regum, quoniam astiterunt reges terræ, & principes cõuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. [Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in sylua.] Ista quæ super terram erat hæreditas eius quam sibi elegerat in possessionem, quæ pars eius fuerat, efferata est aduersus eum, & facta est hæreditas eius, id est Iudęi, quasi leo in sylua. Nec mirandum est si tam truci beluæ comparata sit: vsque ad præsentem diem leones sunt in sylua, anathematizantes dominũ Iesum, & blasphemantes illum, & insidiãtes credentibus nomini eius. [Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in sylua. Dedit super me vocem suam, ideo odiui eam. Nunquid speluñca est hyenæ hæreditas mea mihi?] De sua hæreditate prenunciat, quòd spelunca hyenæ futura sit, bestiæ rabidæ & ferocis mortuorum cadaueribus viuentis, quæ semper sepulchris & ossibus incubat. [Nunquid spelunca hyenæ hæreditas mea mihi, aut spelunca in circuitu eius?] Quoniam tales sunt, impero vobis angeli vt eatis & congregetis bestias, & tradatis eos ad dilacerandum. [Ite cõgregate omnes bestias agri, veniant & manducent eos.] Venerunt bestiæ agri, deuorauerunt populum Iudæorum. Vide exesa corda omnium à fortitudinibus contrariis. Si illis Deus non pepercit, sed ait:

Psal.2.

I Ite congregate bestias, quanto magis nobis non parcet, si non fecerimus legem eius, si sermonem euangelij neglexerimus? Rursum dicit: [Ite cõgregate bestias, & tradite eos.] Sed nos confidamus in domino, & in oratione dicamus: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Agamus pœnitentiam super peccatis nostris, cõfiteamur delicta quæ fecimus, & bestiis non trademur: quin potius angeli venient, qui nos in sinu suo gestantes de terrenis locis ad cœlestia transferant, & de præsenti seculo in perpetuam collocent æternitatem, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia nona, De eo quod scriptum est: Omnis vter implebitur vino. Cap. XIII.

QVOD à Deo Prophetæ iubetur vt dicat, debet dignũ esse imperio Dei. Sed non videtur dignum si maneamus in litera, & nihil altius requiramus, intantum vt si quis rudis auditor extiterit, dicat ineptum esse scriptutis autem accommodare, & ea cognoscere quæ in eis lectitantur. Hoc est dictum animalis. Animalis quippe homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim ei est. Consideremus ergo Dei sermonem quid iubeat. [Et dices ad populum sermonem istum: Hæc dicit dominus deus Israel.] Quod dicit dominus Deus Israel, dignum quæso sit domino Deo

1.Cor.2.

K Israel. [Omnis vter implebitur vino. Eritq; si dixerint ad te: Nunquid cognoscẽtes & nõ cognoscimus, quia omnis vter implebitur vino?] Hæc respondentes, si tantũ literã sequuntur, & dicunt nosse se quia oĩs vter implebitur vino, falluntur. Nõ enim necessario sequitur vt omnes vtres impleantur vino. Sunt vtres oleo pleni: sunt alij à qualibet liquentis naturæ materia vacui, aut certe non pleni. Dominus autem dicit omnem vtrem implendum vino, & populus respondit: [Nunquid cognoscentes nõ cognoscimus, quia omnis vter implebitur vino?] Quæ quidem iuxta paupertatem ingenij mei sic poterunt interpretari, si prius vini differẽtias prospexerimus, vt tunc cõsequenter tractemus verum esse quod dictũ est, quia omnis vter implebitur vino. Siue enim quis bonus est (vt ita loquar) inter vtres vter, implebitur vino bonitatis suæ: siue malus, iuxta hoc quod malus est malo vino implebitur. Quomodo ergo possumus de scripturis accipere differentias vini? Super malo vino ista conscripta sunt, de vinea Sodomorum & de Gomorra, vuæ eorum vuæ fellis, botrus amaritudinis in eis, venenũ draconum vinum eorũ, & virus aspidum insanabile. De bono hæc dicuntur: Calix tuus inebrians quàm præclarus est. Et sapientia cõuocat ad craterem suum, dicens: Venite mãducate panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Est ergo vinum de Sodomis, & est quod miscuit sapientia. Rursúmq; vinea facta est dilecto in cornu, in loco vberi, plantata à Deo, quæ vocatur vinea Soreth, electa quidem inter oẽs vineas. Mirabilis autem est alia

Vini differentia.

Deut.32.

Psal.23.

Prou.9.

Esa.5.

L vinea Ægyptiorum quã percutit deus, secundũ id quod scriptum est: Percussit in grandine vineas eorũ & ficus eorum in gelu. Cõsideremus ergo omnes homines figuraliter capaces esse vini, nec aliud eis possumus nomen imponere, quàm capaces vini, quàm vtrem, & dicere quia nequã homo plenus sit vino de vinea Sodomorum & Ægyptiorum, plenus sit vino inimicorũ Israel: sanctus verò & is qui in virtutibus proficit, plenus sit de vinea Soreth, vino de quo scriptum est: Calix tuus inebriãs quàm præclarus, vino quod miscuit sapientia. Et hæc quidem intellecta ibi sint secũdum nequitiam atque virtutem. Agnoscamus quomodo omnis vter implebitur vino. Si autem nequitia seu virtutibus impleantur vtres, cõsequens est vt suppliciis impleantur ob nequitiã, benedictionibus ob virtutem. Exhibeant sacræ literæ testimonium quo pacto tormenta seu repromissiones vinum nuncupãtur. [Accipe calicem vini meri istius, & potabis omnes gentes ad quas ego te mitto.] Hieremias autem hæc loquitur. Super quod infert: [Et bibent & venient & insanient & cadent.] Igitur supplicia in præsenti loco vinum meracum nuncupauit. Quidam bibunt meraca vina, id est meracis cruciatibus digni sunt: alij autem bibunt supplicia, vina quidem non penitus meraca, sed ex parte aliqua tẽperata. Calix enim in ma-

M nu domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in illud, veruntamen fex eius non est exinanita, bibent ex eo oẽs peccatores terræ. Si vis ad benedictionis calicem respicere quem bibunt iusti, licet sufficiat sapientiæ testimoniũ, in quo ait: Bibite vinum quod miscui vobis: tamen video saluatorẽ ascendentẽ die pascħę grãde cœnaculum stratum atq; mundatum, & agentem diem festum cum discipulis suis: illúmq; eis calicem propinantem, de quo in euangelio scriptum est, quod miscuerit eum, & ita tradiderit. Iesus enim lætificans discipulos meracum eis poculum propinat, & dicit: Accipite & bibite, hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque bibitis in meam cõmemorationem. Et tamen dico vobis, non bibam illud amodo donec bibam illud vobiscum nouum in regno Dei. Vides calicem noui Testamenti? Vides calicem suppliciorum quem suptà exposuimus, vini meri plenum esse? Est & alius calix, qui pro cõpensatione bonorum actuum, seu malorum tibi miscetur & traditur. Intellige enim mihi eos qui penitus à pietate discedunt, & ex omni parte religioni aduersantur, intantum vt fortuitu & pecudum more viuant, bibentes calicem vini meri quem de Hieremiæ libro protulimus: eos verò qui non penitus recesserunt, sed cum sint peccatores, & indigni iudicentur calice noui Testamenti, & faciant sæpe bona opera, sæpe contraria, bibentes calicẽ mero

Matth.26.

Luc.22.

A mero mixtũ. Inclinauit enim Deus ex hoc in illud. Quid est quod ait ex hoc in illud? duo pocula video. Inclinauit enim ex hoc in illud, verũtamen fex ipsius nõ est exinanita. Amodo aduerte calicem bonorum operum in vna manu domini. Sin autem pareris aliquid me audacius dicere, sit in dextera manu eius calix virtutum, sit in sinistra vitiorum. Cum igitur cœperis propter peccata torqueri, quia & bona opera fecisti, calix in manu domini est, vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in illud: id est de eo qui erat in dextera, in illum qui in sinistra cõtinebatur. Neque enim potes bonorum tantum calicem bibere, quasi bona tantũmodo feceris: neq; rursum peccatorum tantum, quia & bona aliquando gessisti. Idcirco inclinauit ex hoc in illud, vt iuxta cõpensationem operum tuorum misceatur tibi suppliciũ aquatius, seu meracius, & secundum merita tua aut obtundatur iræ diuinæ aculeus, aut exacuatur. Si verò bonus fueris, & Dei mandata seruaueris, attende quid dicas: Calicem salutaris accipiã, & nomen domini inuocabo. Omnis igitur vter, siue bonus, siue malus, impletur vino qualitatis suæ: nec oleum mittitur in eum, aliúdve quid liquens, nisi Sodomorum aut Soreth. Deinde docet interim vt literam sequamur, propter eos qui peccauerunt in Hierusalem, & in Iudæa illo tempore morabátur, quali vino istiusmodi vtres implendi sunt. Sequitur enim: Si dixerint ad te, nunquid cognoscentes non cognoscimus, quia omnis vter implebitur vino? dices ad eos. Hæc dicit dominus: Ecce ego impleo omnes inhabitãtes terram istam, & reges & filios Dauid qui sedent super sedem eius & sacerdotes ebrietate.] Nulli parcit qui puniturus est peccatores. Nõ quia prophetes, non quia sacerdos quis vocatus est, à suppliciis liberabitur. Hæc autem de illis commemorantur, vt ait apostolus: scripta sunt propter nos in quos fines seculorum deuenerunt. Si quis ergò & in his sacerdotibus, in nobis dico presbyteris, siue in his qui circunstant populum leuitis id est diaconis, peccauerit, sustinebit supplicium quod nunc per Prophetam dominus cõminatur: quomodo econtrario quædam sunt sacerdotales benedictiones, de quibus Deo tribuẽte post istius loci expositionem cum ad Numerorum librum vẽtum fuerit, disputabimus. Ibi quippe de sacerdotibus quędam scripta sunt. Et sacerdotes igitur & prophetas & Iudam & omnes habitantes Hierusalem testatur Deus de vino inebriandos & dispergendos virum à fratre suo, & patres à filiis. Quæ quidem (vt mihi videtur) sic sunt intelligenda: Iustos quidem congregat Deus, & peccatores separat. Deniq; idcirco quandiu non sunt commoti ab oriente homines, nõ sunt dispersi. Quando autem sunt moti ab oriente, & ait homo ad proximum suũ: Venite, ædificemus ciuitatem & turrem, cuius caput pertingat vsque ad cœlum, deus locutus est, dicens: Venite descendamus & confundamus ibi linguas eorum: Et post pusillum subinfert: Et dispersit eos Deus inde à facie omnis terræ. Populus quoq; Israel antequàm peccaret, in Iudæa erat, post peccata in vniuersum orbẽ dispersus est. Tale mihi quiddã & de bonis hominibus intellige. Est quædã ecclesia primitiuorum, eorum scilicet qui conscripti sunt in cœlestibus, vbi mõs Sion, & ciuitas viuentis dei Hierusalem cœlestis. Beati qui illuc cõgregabuntur. Peccatores autẽ diuidentur ab inuicem, vt etiam in hoc excruciatione pariter torqueantur. Scio quosdam reges, eos qui imperio suo insidia ti sunt ad desertas insulas deportare solitos, & pro magnis suppliciis hoc iubere ne in vno loco exilij penuriam sustineant, sed in aliam partem orbis vxor, in aliam liberi exterminentur, vt ne in calamitatibus quidem suis perfruantur solatio, aut pater filij, aut mater filiæ, aut frater fratris. Simili modo & peccator per quandam dispensationem dei maiora solitudinis tormenta perpetitur, si solus in exilium relegetur, vt emendatus in statum pristinum redeat. Et quomodo tu propinquos vel liberos tuos non in forti ictu & irrationali coerces ira, sed per verba reducere quæris ab errore in quem incubuerant: sic Deus eos qui non poterant conuerti, doloribus & tormentis ad id retrahit quod ferunt, secundum scripturam dicentem: [Per omnem dolorem & flagellum emendabis Hierusalem.] Vt igitur crescat dolor pœnæ corripientis, ij qui corripiuntur, ab inuicem separantur. Nam quodãmodo leuius fit suppliciũ, si plures in eodem loco constituti, mutuis se consolantur alloquiis. Si autem necesse est aliam quoq; rationem diuisionis malorum introducere, etiã hanc exhibebimus. Mali cũ simul fuerint, ea quę mala sunt, cogitant, & in pristina nequitia perseuerantes, augent peccata peccatis, quomodo ecõtrario boni cum simul fuerint de honestis sermocinantur. Dissoluitur ergo, & ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cum nõ habuerit allocutionem alterius nequioris. Idcirco per dispensationem dei prouidetur pessimos à pessimis separari. Iustum quoq; & cõmodum est, vt à pristinis sceleribus ipsa solitudine & penuria cõsortij aliquando desistant. Hæc de eo quod dictum est: [Et dispergã illos, virum & fratrem eius, & patres eorum, & filios eorum in idipsum, dicit dñs: Non requiram & non parcam & non miserebor ab interitu eorum.] His & istiusmodi sermonibus hæretici assurgunt dicentes: Vidésne qualis sit creator prophetarum, & legis deus quid loquatur? Non parcã & non miserebor ab interitu eorum. Quomodo potest iste bonus esse? Accipiam & medicum, ostendens eum vni membro nõ parcere, vt membris omnibus parcat. Accipiam ergo exemplum iudicis boni pro vtilitate cõmuni quibusdã non miserentis, vt perspicere possimus quomodo multis parcens vni non parcat deus. Verbi gratia dictum sit: Habeat iudex propositum, quietem ciuitati, & pacem genti, cui præsidet prouidere. Huic si offeratur latro honesta forma, ætate satis integer, ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur vt senectutis suæ misereatur, & ex alio vxor ne virũ suum interficiat, lachrymabili voce deploret, circunstent & patuuli liberi cito orbi futuri, quid faciet iudex? Miserebitur latronis, an non? Quid in commune expedit ciuitati? Si misertus fuerit, reuertetur homicida ad pristinum scelus: sin verò in iudiciaria seueritate permanserit, vnus homo interibit, & vniuerso populo prouidebitur. Sic deus si pepercerit peccatori, & miserans eius noluerit eum punire pro scelere, quis non accipiat licentiam? quis malorum qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non inuadet tempus, vt expleat quæcunque voluerit, & præceps feratur in vitia? Hæc autem in ecclesia sæpe accidentia possumus cõsiderare. Peccauit quispiam, & post peccatum postulet communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, & laxatis frenis sceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non vt misericors, nec rursum vt crudelis iudex, sed & quasi vni prouidens, & de omnium salute pertractans considerauerit populi damnum in vnius venia, haud dubium est quin faciat eiici vnum de ecclesia vt multos saluet incolumes. Age nunc, considera mihi & medicum, si cessauerit à sectione eius vulneris quod secandum est, si non vsserit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis consequũtur, quomodo crescat infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet. Si verò (vt ita dicam) temerarius ad vulnus sector accesserit & inusserit plagam, curat eum qui secatur & vritur, quia paululum seueritatis assumpsit, licet visus fuerit ægrotanti ad horam non misereri. Ita & deus nõ vnum hominem, sed vniuersum curat orbem, cœlestia atque terrena, & omnia vbique dispensat. Et cum hoc prouideat quod vni commodum sit, multo magis prouidet quid toti mundo conducat & hominibus vniuersis. Prouidet quidem & ea quæ vni expediũt, verum ira ne vnius vtilitas omnium dãmno sit. Idcirco & ignis æternus preparatus est, & gehenna & tenebræ exteriores: quæ omnia nõ tam ob eum qui puniendus est, quam propter vniuersos homines constituta sunt. Si autem vis huius rei testem accipere scripturam, quod in aliorum eruditionem, licet iam desperabiles sint peccatores, & à curatione penitus alieni, torqueãtur, audi Salomonem in Prouerbiis dicentem: Pestilente flagellato imprudens callidior erit. Non eum qui flagellatur dixit callidiorem futurum & sapientiorem propter castigationem suã, sed insipientem à stultitia ad prudentiã conuerti propter supplicia pestilentis: hoc quippe ex ipso nomine calliditatis significatur: & conuerti eum à calliditate, dum alios cernit propter ea quibus ipse obnoxius est peccata cruciari. Igitur prodest nobis, si tamen digni sumus salute, vt alij in vtilitatem nostrã torqueãtur. Et quomodo vtile fuit peccatũ Israel in salutẽ gẽtiũ, sic vtilis est quorũdã pœna aliorũ saluti. Et ideo bonus &

Marginalia: Duo pocula, siue calices. — Psal.116. — B — 1.Cor.10. — Leuitæ diaconi. — Nume.6. — Gen.11. — C — Regũ perduellionis pœna. — D — In Basilidẽ &c. — E — Venia non danda latronibus. — F — Gehenna non tam ob eum qui puniendus, quàm propter vniuersos. — Prouer.19.

G clemens Deus [nō parcam, inquit, & non miserebor ab interitu eorum.] Circumscripto autem hoc capitulo, videamus subsequens scriptura quid doceat : [Audite & auribus percipite, & nolite extolli, quoniā dominus locutus est. Date domino deo vestro gloriam priusquam obscuret, & priusquam offendent pedes vestri super montes tenebrosos, & sustinebitis lumen, & illic vmbra mortis, & ponentur in tenebras. Si non audieritis occulte plorabit anima vestra à facie contumeliæ, & deducent oculi vestri lachrymas, quia contritus est grex domini.] Eosdem vult audire, & auribus percipere, non contentus neque auditione solummodo, neque aurium perceptione, propter quod ait: Audite, & aurib' percipite, & quod his maius est, nolite extolli, & reliqua quæ sequuntur. Quid est ergo audire, & quid est auribus percipere, ex ipsis sermonibus consideremus. Auribus percipere est (vt mihi quidem videtur) auribus quæ dicuntur audire. Quod autem præcedit audite, si ad distinctionem eius præcepti dicitur, quod postea infertur, auribus percipite, hoc imperat, vt in mentem & sensum ea quæ dicuntur, excipiant. Neque verò hoc solum in loco, sed in omni scriptura sunt quædam & facilia & prompta ad intelligendum, quæ statim vt lecta fuerint, vtilitatem legentibus tribuunt. Sunt alia secretiora & ineffabilia, & vt ita dicam, quibusdam obscuritatibus inuoluta. De his igitur quæ latent, & expositione indigent, arbitror nunc dictum esse: Audite. De his autem quæ sine scrupulo interpretantis auditori commoda sunt: Auribus percipite. Percurramus vniuersas scripturas, & probati nummularij effecti dicamus, hoc audire debemus, hoc auribus percipere. Deniq; cum audierimus, & perceperimus auribus quę dicuntur, non eleuemur. Omnis quippe qui se humiliat, exaltabitur. Et Saluator noster dicens: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, docet nos ne extollamur. Nam cum multis vitiis genus vexetur humanum, hoc peccato vel maxime præmitur. Nec vnus est modus superbiæ. Alius irrationabiliter & stultorum more in iis effertur, quæ magis pudore digna sunt, aut certe modum elationis excedit. Alius quasi veri simulatione seductus super iis eleuatur, quæ sibi digna gloria putat, cum & in talibus periculosum sit gloriari. Exemplum assumā quo fiat manifestius. Sunt quidam in eo se iactantes, quia filij regum sunt, & nobili familia nati. Istiusmodi homines ne vmbram quidē & imaginē elationis suæ, possunt ostendere. Sunt alij qui de eo subleuantur, quia potestatē habēt occidendi homines, & vt ipsi putāt, ea fulti sunt dignitate, vt quorum velint capita secent. Horum gloria in confusione sua est. Alij super diuitiis sibi applaudunt non his veris, sed iis diuitiis quæ deorsum sunt. Alij superbiunt super domo splēdida, super possessionibus multis, in quibus vniuersis non est penitus gloriandum. Quod autem verisimile & dignum iudicatur, vt quidam putant, gloriandum est cum aliquis ob sapientiam suam eleuatur, aut conscius sibi est, quia decem iam annis res venereas nō tetigerit, siue ab infantia integer castúsque permanserit. Rursúmque alius erigitur, quia vincula pro Christo portauerit. Recta quidem videntur hæc omnia, & subiicienda quadam persuasione ad gloriandum, sed ne in his quidem (si tamen sequimur veritatem) rationabiliter quis effertur, quia & in rebus bonis gloriandum est sine discrimine. Paulus habuit materiam elationis, habens in se visiones, reuelationes, signa, virtutes, propter labores quos Christi causa perpessus est, propter ecclesias quas constituit, contendens vbi Christus non erat nominatus, ibi iacere fundamentum. Hæc omnia materiæ erant gloriationum, & si sic expedit dicere, verisimilis causa quæ honestam subiiceret iactationem. Sed quia ne in talibus quidē sine periculo est subleuari, benignus & prouidus pater quomodo ei largitus est reuelationes & gratias differentes, sic ad tuitionem donorum suorum tradidit angelum satanæ, vt eum colaphizet, ne extolleretur. Et propter hoc ter dominum rogauit, scilicet vt ab eo discederet angelus satanæ, qui iuxta dispensationem ei appositus fuerat. Sed respondit ei dominus (dignus quippe erat respōsione Paulus) & dixit ad eum: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur. Super nullo igitur gloriandum est. Sequitur quippe ruina iactantiam, scriptura dicēte: Ante contritionem eleuatur cor viri, & ante gloriam humiliatur. K Et hæc quidem dicta sunt de eo quod ait: [Audite, & auribus percipite, & nolite extolli, quoniam dominus locutus est.] Videamus autem & cætera. Date domino deo nostro gloriam priusquam obscuret, & priusquam offendant pedes vestri super mōtes tenebrosos, & sustinebitis in lumine. Eum qui daturus est gloriam deo, vult dare in lumine, quasi iam non possit gloriā prædicare cum tenebrę ortæ fuerint. Quando tenebrescit, & quando non sunt tenebræ? Operamini donec lumen in vobis est. Lumen in te est, si habes in te dicentem: Ego sum lumen mundi. Quandiu tibi lux ista oritur, clarifica deum sciens quia futuræ sunt tenebræ. Nec tibi expedit vt eas opperiaris, sed antequam fiāt, da gloriam deo. Forsitan intelliges præsens capitulum, si de Euangelio sumpseris exemplum, quod ita cōtexitur: Operamini donec dies est, venit nox quando nullus potest operari. Diem ibi seculum istud nuncupauit, & necessario apposui ibi. Scio quippe in aliis locis dissonantia præsentibus ex diei vocabulo significari. Diem itaque nuncupauit seculum istud, tenebras verò & noctem consummationem mundi, propter supplicia quæ futura sunt. Vt quid enim vobis desiderare diem domini? Et ista est tenebræ, & non lux: Amos inquit prophetes. Si consideres post consummationem mundi, lugubre illud quod passurum est vniuersum penè hominum genus pro his quæ peccauit, videbis quomodo tenebræ occupaturæ sint omnia, & L nullus possit in illo tempore glorificare deum. Siquidem & iustis in Esaia iubetur: Vade populus meus, in promptuaria tua intra, claude ostium tuum, & abscondere pusillum quantulum, donec ira dei transeat. Simul autem & in his qui potest obseruet, quare dixit pusillum quantulum. Quippe hoc quantulum quod pusillum est, non est pusillum hominibus. Et debemus inspicere quomodo singulis aut parum sit aliquid, aut magnum. Ad quod probandum etiam exemplo vtimur. Vnicuiq; animalium pro natura & modo corporis sui, aut paruus est cibus, aut magnus: & quod alij pusillum est, æque id ipsum alij multū est. Quid de animalibus loquar? In ipso quoque hominū differētiæ sunt. Quod viro parū est, hoc infanti superfluit. Atque in hunc modum omne tempus vitæ humanæ, etiam si centenariam excedat ætatem, ad comparationem æternitatis breue est: vnde pusillum dei nobis multum est: & vicissim vniuersa secula ad deum relata breuissima sunt. Sic ergo dicitur: Vade populus meus, intra in promptuaria tua, claude ostium, abscondere pusillum quantulum. Quantulum pusillum illud nō ad illius naturam refertur, qui in promptuaria sua iubetur intrare, sed eius qui iubet, cui pusillum est hoc omne quod grāde est. Si enim donec pertranseat ira dei, oportet quosdam intrare promptuaria sua, sunt autem alij quibus non sunt dimittenda peccata, non solum in præsenti seculo, sed etiam in futuro, manifestum est pusillum M ad ea referendum quæ diximus. [Date itaque domino deo vestro gloriam.] Quomodo damus domino deo nostro gloriam? Non verbis & vocibus tantum glorificandus est dominus. Glorifica eum in castitate & iustitia & beneficentia. Glorifica eum in fortitudine, patientia, pietate, sapientia cæterisque virtutibus. Sic autem est glorificandus deus. Si contraria intulero, nolo me arbitremini blasphemare. Exhibeo quippe scripturam sensus mei testem, quomodo castus glorificet, luxuriosus inhonoret deum. Qui enim templum eius quasi Nabuchodonosor destruit atque corrumpit, & secundum apostolum præuaricatur, & deum inhonorat. Igitur glorificat deum iustus, cōtumeliis afficit quicunque peccator est. Nam & illud quod quidam dubitant, an sit prouidētia dei, nullam aliam ob causam nisi ob vitia nascitur. Aufer ea, abstulisti pariter & causas prouidentiæ destruendæ sursum ac deorsum. Qui aduersum prouidentiam disputant, hæc dicunt: Quare tanti adulteri? quare tanti molles? quare tanti sacrilegi? quare tanti irreligiosi sunt? Atque ita contumelias in prouidētiam, & offensas in deum, & criminationes in creatorem peccatores generant. Ex quibus liquido apparet alios dare deo gloriam, alios cōuitium facere dum passionibus & vitiis seruiūt. [Date gloriam domino deo vestro antequam tenebrescat, & antequam offendant pedes vestri in montes tenebrosos.] Sunt alij montes tenebrosi, alij lucentes. Veruntamen quia vtrique

In scriptura alia prōpta alia abdita.

Luc.18. Matt.11.

multi modi superbiæ.

2.Cor.12.

Prou.16.

Ioan.8.

Ioan.9.

Amos 5.

Esa.26.

Paruum & magnū cōparatè accipiuntur.

Argumenta aduersus prouidentiam.

A vtrique montes sunt magni, montes lucentes sunt angeli dei & prophetæ: Moses famulus eius, apostoli Iesu Christi, de quibus arbitror dici: Fundamenta eius in montibus sanctis. Montes tenebrosi sunt qui eriguntur aduersus scientiam dei. Zabulus mons tenebrosus est. Principes populi huius destruuntur, mõtes sunt tenebrosi. Dæmonium lunatici mons erat & tenebrosus: mons erat de quo Saluator ait: Si dixeris monti huic. De lunatico quippe dæmonio sibi quæstio inciderat: & dicentibus discipulis: Non potuimus eiicere illud, respondit Saluator: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis monti isti de quo quæsistis, de quo proposuistis, dicetis monti huic: Transmigra hinc, & transmigrabit, id est ab homine ad locum definitum sibi. Qui ergo offendunt, non offendunt super montes lucentes, sed super montes tenebrosos, si fuerint cum zabulo & angelis eius montibus tenebrosis. [Et sustinebitis in lumen.] Potest quidẽ aptari huic quod dicitur: Date gloriam domino deo nostro, hoc quod modo infert: Et sustinebitis in lumen. Si dederitis domino deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri super mõtes tenebrosos haud dubium quin etiam si contenebrescat & sustineatis, lumen vos suscipiat. Alius verò dicat, nescio vtrum rectè an perperam, quia & hi qui offendunt super montes tenebrosos expectant aliquando misericordiæ lumen. Hoc enim videtur ostendere: Et sustinebitis in lumen. Si autem quis venerit ad montes tenebrosos, vide quid ibi inueniat. Est illic vmbra mortis, ibi tenebrosi montes, ibi vmbra mortis ex ipsis montibus procreata. [Et ponentur in tenebras. Et nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra à facie contumeliæ.] De his qui audiunt, quidam occulte audiunt: quidam verò cum audiunt, non occulte audiunt. Quid est itaque occulte audire? Nempe illud: Sed loquimur sapientiam dei in mysterio absconsam, quam prædestinauit deus ante secula in gloriam nostram. Et rursum alibi dicitur, quia plura operum dei sunt in absconsis. Si audio legem, aut occulte audio, aut non occulte. Iudæus quia legem non audiuit occulte, in manifesto circũciditur, nesciens eum qui in manifesto circunciditur, Iudæum non esse, neque eam quæ in palam est in carne circuncisionem. Qui auditor est autem circuncisionis occultæ, & in occulto circũciditur. Qui audit legem occulte de mysteriis paschæ, oue vescitur Christo. Pascha quippe nostrum immolatus est Christus. Sciens carnem verbi dei vere cibum esse, vescitur ea. Occulte quippe de pascha audiuit. At verò miserabilis Iudæus, idcirco dominum Iesum interfecit, & vsque in præsentẽ diem reus est mortis eius, quia non audiuit occulte legem & prophetas. Siquando leges de azymis, potes audire occulte, potes audire manifeste. Quicunque de vobis (prope quippe est pascha) azyma celebrauerit, id est azyma hæc corpora, nõ audiuit mandatum dicens: [Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra.] Et de sabbato quædam mulierculæ non audientes Prophetam non audiunt occulte, sed palàm de sabbato, lauantes se, & iterum reuertentes ad egena & infirma elementa, quasi nondum descenderit Christus, & nos baptismo suo lauerit à legalibus initiis in euangelicam perfectionem. Idcirco diligentius attendamus siquando legem legimus & prophetas, ne incidamus in maledictionem quę nunc dicitur: Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra à facie contumeliæ. Quicunque ieiunium Iudæorum quasi ignorantes redemptionis diem post aduentum Iesu Christi obseruatis, non auditis redemptionem occultè, sed tantummodo palàm. Absconsa quippe est propitiationis auditio, scire quomodo posuerit Iesum deus propitiationem pro peccatis nostris, & quia ipse est propitiatio pro peccatis non solum nostris, verumetiam totius mundi. Parabolæ quoque cum leguntur in euangelio, & est auditor extraneus, non potest eas occultas audire. Si verò auditor fuerit Apostolus, & vnus eorum qui ingrediuntur domũ Iesu, accedit eum interrogãs de obscuritate parabolæ, & si interpretatus ei fit quæ audiuit, intelligens euangelium audit ea occulte, vt non ploret anima eius. Eorum quippe qui occulte non audiunt, plorabit anima. Quàm admirandè non ait plorabitis, nisi occulte audieritis, verum plorabit anima vestra. Est quippe solus animæ fletus. Et forsitã iste sit de quo Saluator ait: Ibi erit fletus & stridor dentium. Illa quoque comminatio qua ridentibus luctum lachrymásque denunciat, de hoc fletu est quem cõmemorat Propheta, dicens: Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra à facie contumeliæ.] Cum enim fueritis passi contumeliam, tunc plorabitis, & deducent oculi vestri lachrymas, quia contritus est grex domini.] Si cõsideremus statum, quomodo sit, Iudæorum, & comparemus illum antiquæ felicitati, videbimus quo pacto contritus sit grex domini. Fuit quippe aliquando hic grex domini: & quia indignos se iudicauerunt salute, conuersus est sermo domini ad gentes. Si ergo grex ille contritus est, nos oleaster qui cõtra naturam insiti sumus in bonam oliuam patriarcharum, nónne plus deferri sumus veteri ne & iste grex domini conteratur? Futurum quippe est vt aliquando & iste grex conteratur, iuxta illud quod à Saluatore dictum est: Cum multiplicatæ fuerint iniquitates, tũc refrigescet charitas multorum. De quibus enim hoc dicitur, refrigescet charitas multorum? Nónne de his qui nuncupantur Christiani? De quibus hic sermo est: Veruntamen veniens filius hominis, putas inueniet fidem super terram? nónne de nobis? Idcirco prouideamus attentius, vt per singulos dies iste grex domini melioretur, conualescat, integer perseueret, vt omni contritione ab animabus nostris recedente efficiamur grex domini in Christo Iesu, Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Matth. 17. — Ephes. 1. — Caro verbi dei verè cibus. — Matt. 8.

Homilia X. Ea quæ ad Hierusalem cum ingenti comminatione dicuntur, volumus intelligere & ita se habentia. Cap. XIII. & XIIII.

Qvis parcet super te Hierusalem? aut quis contristabitur super te? Quis conuertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi? Auersata es à me, dicit dominus Retro ambulabis, & extẽdam manum meam super te, & disperdam te, & vltra non sinam te, & dispergam illos in dispersione. Dixi sine filiis effectus sum. Egestas tenuit me.] Exemplum accipiam. Hostis quispiam asperum volens contra imperatorem huius terræ, iudicatus est. Ab hoc omnis misericordia aufertur, scilicet ne dum damnato quis miseretur, incipiat offendere condemnantem. Sunt etiam nonnulli qui adiiciunt ad seueritatem, vt non contristentur quidem super eo, id magnopere deuitantes, ne per mœrorem vultus monstrentur iudicio regis offendi. Si intellexisti, considera mihi propter peccata multa à deo condemnatum peccatorem, & vide quomodo innumerabilibus angelis humano generi præsidentibus, ne ab vno quidem misericordia dignus iudicetur. Singuli quidem angelorum perspiciẽtes, quia deus est qui condemnauit, quia creator est qui aduersatur, & tale esse peccatum vt misericors & clemens quodammodo necessitatem passus sit super eum sententiam promere, non parcunt, non contristantur, neque miserentur, non reuertuntur vt rogent pro eo pacem Hierusalem. Igitur quia ad priora scelera etiam hoc adiecit, vt crucifigeret dominum meum Iesum, & intantum surrexit scelus, vt de ea diceret Saluator: Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos quasi gallina congregans pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta: ideo dimissa est, & vsque ad præsens tempus destituta. Angeli quippe qui semper auxiliabantur ei, per quos etiam lex Mosi tradita est, disposita per angelos in manu mediatoris, deseruerunt eam, & dixerunt: Multis facinoribus oppressa est: Iesum interfecit, & in dominum nostrum misit manus. Quandiu minora peccauit, potuimus rogare pro ea, potuimus obsecrare dominum, potuimus parcere ei: super ista quis parcat? Si peccauerit vir in virum, exorabitur pro eo: si autẽ peccauerit in deum, quis orabit pro eo? [Grande piaculum cõmisit Hierusalem, grande perpetrauit nefas, ideo in commotione facta est, & dicitur ad eam: Nos non contristamur super Hierusalem, & calamitatibus eius, & omnis populi illius] Illorum quippe delicto salus nostra facta est ad æmulandum eos. Et quia sic peccauit vt voce domini diceretur: Quis parcet super Hierusalẽ? ego quoque dico ad interfectricem domini mei: Quis parcet super Hierusalem? & quis contristabitur super te? Transcendam

Matt. 23. — 1. Reg. 2.

ſcendam autem ad ſpiritalem intellectum ab humilitate literæ, viam mihi pandente ratione, vt videam quomodo vnaquæque anima digna pace dei Hieruſalem nuncupetur. Poſt diſciplinam quippe diuinam facta es Hieruſalem, quæ prius fueras Iebus. In hiſtoria refertur, quod nomen loci iſtius fuerit Iebus, & poſtea commutato vocabulo nuncupata ſit Hieruſalem. Iebus autem Hebræorum poſteri tradunt interpretari conculcatam. Iebus autem conculcata à fortitudinibus contrariis anima noſtra tranſmutata eſt, & facta Hieruſalem viſio pacis. Si itaque poſt demutationem à Iebus in Hieruſalem peccaueris, & ſanguinem teſtamenti ſicut quidam, & tu communem exiſtimaueris, dicitur & de te: [Quis parcet ſuper Hieruſalem? & quis contriſtabitur ſuper te?] Quis enim contriſtabitur, ſi talis fueris vt tradas Ieſum? Vnuſquiſque noſtrum quandoque peccat: maximéque cum peccat ingentia, in Ieſum peccat. Si autem & receſſerit à fide, hæc facit ſpiritaliter Chriſto, quæ corporaliter fecit Hieruſalem. Quamobrem quanto plus arbitramini deteriora mereri ſupplicia eum qui filium dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutũ duxerit in quo ſanctificatur, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Si conculcaſti Ieſum filium dei, feciſti cõuitiũ ſpiritui gratię, quis parcet ſuper te? quis cõtriſtabitur ſuper te? quis reuertetur rogare ea quę in pacẽ ſunt tibi? Ipſum Ieſum qui rogabat pariter, & præſtabat ea quæ erãt in pacẽ, perdidit anima peccatrix, quis poteſt vltra rogare cõuerſus ad ea quę ſunt in pacẽ tibi? Sciẽtes ergo quia impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtauerũt etiã donũ cœleſte, & participes ſunt facti ſpiritus ſancti, guſtauerũt nihilominus bonum dei verbum, virtutéſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, renouari rurſus ad pœnitentiam, iterum crucifigentes in ſemetipſis filium dei, & habentes oſtentui, omni labore nitamur ne & de nobis dicatur: [Quis parcet ſuper te Hieruſalem? aut quis contriſtabitur ſuper te? aut quis reuertetur rogare ea quæ in pacem ſunt tibi?] Ad reliquam autem interpretationem, quod ſequitur conuenit: [Tu auerſata es me, dicit dominus, retro ambulabis. Quia auerſata es filium dei, & per hoc etiã à deo patre receſſiſti, retro ambulabis.] Quid autem neceſſe eſt manifeſta replicare? Hieruſalem quæ quondam in Iudæa erat, à qua figuraliter vniuerſi Iudæi intelliguntur, quia auerſata eſt Chriſtum, ideo retro ambulat. Fuit quippe tempus quando non ambulauerunt retro: nunc verò ambulant, & conuerſi ſunt corde in Ægyptum, vt retro ambulent. Quid autem ſit retro ambulare, ſiue extendi in priora, cõſidera. Iuſtus eorum quæ retrò ſunt obliuiſcens, in priora extenditur. Peccator poſteriorum meminit, priora non appetens. Qui autem poſteriorum meminit, præuaricatur in legem Ieſu dicentis, ne conuertatur retrorſum tollere veſtimentum ſuum. Inobediẽs eſt dicto eius: Mementote vxoris Loth cum contemnit imperium Saluatoris dicentis: Nemo mittens manum ſuper aratrum, & reſpiciẽs retrorſum, aptus eſt regno dei. In lege quoque ſcriptum eſſe reperimus angelos ad Loth egredientem de Sodomis dixiſſe: Ne reſpexeris retrò, & ne ſteteris in tota regione: in mõte ſaluum te fac, ne forte comprehendaris. Habes & hunc intellectum dignum ſpiritu dei: Ne, inquit, reſpexeris retro, id eſt in priora extende. Dimiſiſti Sodomam, ne reuertaris in Sodomam. Dimiſiſti vitia atque peccata, ne regrediaris ad ea. Ne ſteteris in tota regione. Etiam ſi præcedens imperium cuſtodieris, de quo dicitur: Ne reſpexeris retrò, non tibi ſufficit ad ſalutẽ, niſi & conſequens obſeruaueris: Ne ſteteris in tota regione. Non enim expedit incipiẽti proficere, vt ſtet in regionibus Sodomorum. Et ſi Sodomam tranſcendiſti, & à ſatanæ regione diſcedens, incipis liber eſſe ſuppliciis, expedit vt ſalueris in monte, ne reſpexeris retro, nec ſteteris in tota regione. In monte ſaluum te fac, ne forte comprehendaris. Si vis à Sodomorum ruina non comprehẽdi, ne conuertaris retro, ne ſteteris in regione eorum, ne ad alia pergas loca, ſed cum inde diſceſſeris, aſcende in montem in quo ſolo ſalus eſt nomen Ieſu Chriſti, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Hieruſalẽ olim Iebus — *Heb. 10.* — *Heb. 6.* — *Luc. 9.* — *Gene. 19.*

Homilia XI. Ab eo loco in quo ſcriptum eſt: Heu mihi ego mater, vſque ad locum in quo ait: Si conuerſus fueris, reſtituam te. Cap. XV.

MEDICI corporum ægrotantibus aſſiſtentes, & iuxta diſciplinam artis ſuæ volentes curare eos qui in infirmitatibus conſtituti ſunt, vident triſtia, iniocunda pertractant, & in alienis calamitatibus mœrore proprio cõficiuntur. Semper enim conuerſatio eorum in gemitu, ſemper in curis eſt, nunquam cum lætis conſortium habẽt. Cum vulneratis, cum his quorum carnes incommodis variis debilitantur, qui febribus æſtuant, qui dolore torquentur, iugi ſeruitio perſeuerant. Et ſi quis eorum vult implere medicinam, non indignatur, non obliuiſcitur propoſiti artis ſuæ, poſtquã cum his fuerit quos ſermo præfatus eſt. Hæc idcirco in prooemio diximus, quia & prophetę medici quodammodo ſunt animarum, & illuc ſemper ire iubentur vbi languentes ſint. Non enim neceſſe habent ſani medicum, ſed ij qui ſe male habent. Quod autem à delitioſis ægrotantibus medici patiuntur, hoc ſuſtinẽt prophetæ ac magiſtri ab his qui curari nolunt. Odio quippe habentur quaſi præcipientes aduerſum deſideria languentium, quia prohibent delitiis & cibis variis vti eos, qui cum ſint infirmi, nolunt eſcis infirmorum veſci. Fugiunt ergo inobedientes atque languentes medicos, & maledictis atque iniuriis repellunt, eáque prorſus iis faciunt quæ faciat quis inimicis & hoſtibus ſuis. Abominantur enim eos quaſi inimicos venire, quaſi id tantummodo deſiderantes, quomodo dolores & victus parſimonia ex eorum diſpoſitione naſcantur, quomodo acutiſſimo ferro corpora ſecent: & execrãtur eos quaſi auctores tantorum cruciatuum, & non ſanitatis quę ex doloribus redditur. Populus igitur ægrotabat variis languoribus, & miſit illis medicos prophetas deus. Vnus ex medicis & Hieremias fuit, corripiens peccatores, & conuertere volens à vitiis ad virtutes. Illi verò cum deberent ea quæ dicebantur audire, econtrario accuſabant prophetam apud iudices ſimiles ſui. Ex quo factum eſt, vt ſemper in calumniis & in triſtitiis fuerit Hieremias, eorum peruerſitati quantum in ſe fuit curam gerens. Iuxta propriam autem incredulitatem adhuc ægrotantibus iſtiuſmodi aliquando loquitur. Et dixi: Non loquor, neque nominabo nomen domini. Et factum eſt vt ignis ardẽs in oſſibus meis, & diſſolutus ſum vndique, & ferre non poſſum. Aliquando autem videns ſe maledictis ſemper clamoribus & iniuriis inſectari: Heu mihi, inquit, mea mater, vt quid me genuiſti virũ qui iudicer & diſcernar omni terræ? Et quia ægrotantes bene conſulentem & iuxta medicinæ diſciplinam audire contempſerunt: Non profui, inquit. Ruſuſque quia illo ſpiritales pecunias commodante auditores accipere noluerunt, vt vtilitatem conſequerentur, & fructũ ex his quæ acceperant redderent, ait: Neque profuit mihi quiſquã. Verum hæc anticipans locutus ſum priuſquam exponerem. [Nõ profui neque profuit mihi quiſquã.] Duplex quippe ſcriptura eſt. Nam in multis exemplaribus continetur, non profui, neque profuit mihi quiſquam. In his verò quæ exemplaria veriora ſunt, & cum Hebræis conſonant, habetur: Non debui, neque debuit mihi quiſquam. Oportet igitur & id quod in vſu eſt atque in eccleſiis legitur, exponere, & hoc quod in Hebræis codicib⁹ inuenitur intactum non præterire. Prædicauit Hieremias mandata diuina, nemo his quæ prædicabãtur attendit. Quamobrẽ quaſi medicus libẽs ac prõptus medicamina languẽtibus tribuit, & illis non ſecundũ artificium curantis, ſed iuxta voluntatem ſuam agentibus dicit: Non profui, neque profuit mihi quiſquam. Quodãmodo enim beneficium conſequitur ipſe qui curat, ſi fructum ſui laboris in ægrotante conſpiciat, & per lætitiam mentis etiam ipſe conſequitur vtilitatem, ſecũdum illud quod dicitur: Beatus qui loquitur in aures audientium. Hanc igitur vtilitatem quam conſequitur magiſter ab auditoribus ſuis ſi proficiant audiendo, dũ fructus ex ſalute eorũ conſequitur quodãmodo: Hieremias videns de Iudæis non habere ſe dicit: Non profuit mihi quiſquã. Si enim debet auditoribus prodeſſe quod loquor, auditores verò quæ dicũtur abiiciunt, & ego dico: Non profui, neque profuit mihi quiſquam: quia hanc vtilitatem non ſum conſecutus, quam conſequitur is qui beatus efficitur dũ in aures loquitur audiẽtiũ. Poteſt autẽ & aliter intelligi. Quicũque diſcipulis præcipit, iſte ſi ingenioſos & audiẽtis naturæ habeat auditores, quãto

plus

Prophetę medici. — *Matth. 9.* — *Hebræi Codices.*

A plus precipit, tanto plus proficit, illis interrogãtibus, & de eo quod dicit sępe querentibus qui sit sensus in dicto, qui ordo, quę scripti voluntas. Vnde econtrario ait: Non profui, neque pfuit mihi quisquã. Quia autẽ & alia nobis expositio residua est, propter exẽplaria certiora, in quibus cõtinetur, nõ debui, neq; debuit mihi quisquã, & hunc locum consideremus. Qui oĩbus omnia restituit, cui vectigal vectigal, cui timorẽ timorem, cui tributũ tributum, cui honorem honorẽ, & vniuersis omnia repręsentat, nulli debẽs aliquod officium, verbi gratia, honorãs parentes vt parentes, fratres vt fratres, filios vt filios, episcopos vt episcopos, presbyteros vt presbyteros, diaconos vt diaconos, fideles vt fideles, catechumenos vt catechumenos: si oĩbus omnia reddat, nulli debet officiũ. Si verò reddere debet, & nõ reddit, nõ potest dicere nõ debui. Cum enim debuerit nõ exoluit. Quod autem sequitur: [Nõ debuit mihi quisquã,] sic intelligendũ est. Ego quidem fœnerari volui, & spiritales pecunias commodare, sed illi auerterunt aures suas ab iis quę dicebãtur, neq; voluerũt præbere se dociles, vt mihi deberent quę audiebãt. Idcirco non debuit mihi quisquã. Si quis eñ voluerit sermones qui dicuntur audire, debitor fit eorum, & quasi debitor etiã vsuras reddere exigitur. Ex quo magis expedit auditoribus accipere disciplinę verba cũ fœnore, & fieri debitores, quàm nõ accipere, nec debere. Accusantur quippe tales dicẽte ppheta: Nec debuit mihi quisquã. Quod ait [Heu mihi mea mater, quare me genuisti virũ qui iudicer & discernar omni terrę,] non sic existimo conuenire aliis prophetis vt Hieremiæ. Multi siquidẽ prophetarũ post

Hebræi codices exemplaria certiora.

Rom. 13.

B aliquod spatium primo mali, & iam post peccata conuersi prophetare cœperunt: Hieremias verò à puero sumpsit vaticinationis exordiũ. Et huius rei possumus de scripturis accipere testimonium. Esaias non audiuit: Antequam te plasmarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gẽribus posui te: neq; ait, nescio loqui, quia iuuenis ego sum: sed visione sibi reuelata, ait: Væ mihi misero, quoniam compunctus sum, quia immunda labia habens in medio populi immunda labia habentis ego habito, & regem dominum sabaoth vidi oculis meis, & missum est ad me vnum de Seraphim, & tetigit labia mea, & dixit: Ecce abstulit iniquitates tuas, & peccata tua purgauit. Pristina igitur peccata purgata sunt, & dignus effectus spiritu sancto Esaias prophetauit. De aliis quoque similia si quæras, reperies. At non talis Hieremias, ab ipsis enim cunabulis spiritu sancto plenus prophetare orsus est. Propter quod ait (Secundum communem quippe sensum primum debemus exponere). Heu mihi mater quare me genuisti virũ qui iudicer & discernar ab omni terra. Quidam autem hunc locum interpretans, ait prophetam non ad matrem corporalẽ hæc locutum fuisse, sed ad eam quę generet prophetas: nec aliã esse matrem prophetarum, nisi sapientiam Dei, ad quam ait: Heu mihi mater mea: quasi dicat, cur me genuisti, ô sapientia?

Hier. 1.

Esa. 6.

Sapientia dei mater prophetarum.

Eccle. 4.

C Filios verò sapientiæ & alibi legimus, scriptura dicente: Amittit sapientia filios suos. Heu mihi (inquit) mater mea sapientia: quasi dicat, cur me genuisti virum qui iudicer? Quis ego sum qui in hoc natus sum vt iudicer atq; discernar propter increpationes? propter correptionem? propter magisterium? dum corrigere nitor habitantes super terram. Si Hieremias dicit cur me genuisti virum qui iudicer, & descernar terræ, non possumus exponere quid sit omni terræ. Neque enim ab omni terra diiudicatur Hieremias, nisi forte violenter scripturam trahẽtes dicamus positum esse omni terrę pro omni Iudæa. Necdum quippe prophetia eius illo tempore in vniuersam terram peruenerat. Nisi forte sicuti & in aliis multis locis ostendimus Hieremiam pro domino nostro Iesu Christo positum, sic & in præsenti loco interpretemur. Annotauimus in principio huius libri dictum, prophetam in gentibus posui te, regna eradicare & subuertere & disperdere & ædificare & plantare. Porrò Hieremias ista non fecit, sed dominus meus Iesus qui eradicauit regna peccati, & ædificatione nequitiæ subuersa, fecit in animabus nostris iustitiã veritatemq; regnare. Quomodo igitur magis illa conueniũt Christo quam Hieremiæ, sic arbitror & alia plura & hæc quæ nunc dicuntur ad dominum sunt referenda. Et primo quidem vidẽdum est an possit id quod incongruum & blasphemum videtur esse si referatur ad dominũ, id est. Heu mihi mater, saluator noster dicere miserans alios. Ad quod probandum exhibenda sunt testimonia quæ manifeste nulli alij apta sint nisi saluatori, quomodo videns Hierusalem fleuerit super eam, quia dixerit: Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, & reliqua. Necnon & illa quæ manifeste à saluatore dicuntur: Heu mihi quoniam factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia, cum non superfit botrus ad manducandum primitiua. Heu mihi anima, quia periit reuertens à terra, & qui corrigat inter homines non est. Omnes in sanguine iudicantur. Venit enim vt meteret fructus, & quasi stipula in segete reperta, propter plurimos peccatores, ait: Heu mihi quoniam factus sum sicut qui colligit stipulam in messe. Venit vindemiare botros vuæ in hominibus, & in messe sceleribus inuentis, dicit: Et sicut racemos in vindemia, cũ non superfit botrus vuæ ad manducandum primitiua. In alio quoque loco similia his ad patrem loquitur, dicens: Quæ vtilitas in sanguine meo dũ descẽdo in corruptionem? Quid tantopere hominibus pro-

Orig. tom. 1.

D

Luc. 19.

Mich. 7.

E fũi, qui nec in sanguine meo quem fudi pro corũ salute, profecerunt? Quę vtilitas in sanguine meo dum descẽdo de cœlis, dum venio in terram, dum contumeliis afficior, dum porto corpus humanum? Quid his omnibus dignum inter homines perpetratũ est? Quę vtilitas in sanguine meo dũ descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? Tale ergo est quod in Hieremia dicitur: [Heu mihi mater mea, quare me genuisti virũ.] Non iuxta quod deus saluator est dicit: Heu mihi mater, sed iuxta id quod homo est, sicut & in alio propheta: Heu mihi inquit anima mea, quia reuertẽs periit à terra. Anima autem hominis est quę cõturbatur, & tristis est vsq; ad mortẽ, non verbũ quod erat à principio apud deum, quod nunquã mœret, nũquam turbatum est, nunquã dixit heu mihi. Neq; enim verbum sustinet mortẽ, sed homo qui istos patitur affectus, vt sæpe exposuimus. Quare me genuisti virum qui iudicer, & discernar omni terræ? Si consideres vbique martyres cõdemnatos, & de singulis ecclesiis exhibitos ad tribunal, videbis quomodo per singulos martyres Iesus condemnetur. Ipse enim est qui in perhibẽtibus diuinitati testimoniũ iudicatur: & hoc fideliter suscipiens, quia non te dixerit esse in carcere cũ fueris in carcere, non te esurire cum esurieris, non te sitire, sed semetipsum. In carcere (inquit) fui & venistis ad me: Esuriui & dedistis mihi mãducare: Sitiui & potastis me. Itaq; si condẽnatur etiam Christianus, non tamẽ pro se, neq; pro sceleribus suis sed pro hoc tantum quod Christianus est, Christus est qui condẽnatur. Ex quo efficitur, vt in omni terra condemnetur Iesus, quotiescũque is addicitur qui pro eo cõdemnatur. Non solum autem apud iudices seculi & tribunalium potestates Christus addicitur, sed etiam si calumniam Christianus ab aliquo patiatur, & prouocetur ad litem, tunc

Christus condemnatur in martyribus.

Matt. 25.

F quoque iustus diiudicatur iniuste. [Quasi quem me genuisti virum qui iudicer & discernar omni terræ.] Possumus & aliter intelligere quomodo Iesus condemnetur & diiudicetur in omni terra. Quis improborum non cõdemnat Christianã religionem? Quis gentilium saltem transitorie non excutit eam? Quis Iudæorum non de Christianis loquitur? Quis de philosophis? Quis de imperitis? Vbique Christus condemnatur atque discernitur. Et ab aliis quidem condemnatur, ab aliis non condemnatur. Si autem non condemnatur, excipietur, aperies ei ostium, & ingredietur ad te: credis in eum, vescetur tecum. Si verò de religione audiẽs Christiana non ceperis eam, nihil aliud facies quàm cõdemnabis Iesum vt mẽdacem, vt seductorem in errorem mundũ trahentem. [Quasi quem me genuisti virũ qui iudicer & discernar omni terræ. Quicunque penitus ei non credunt, condemnant illum. Qui autẽ credunt & adhuc ambigunt, diiudicãt illum. Duo igitur apud homines Christus perpetitur. Ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus discernitur. Si portas imaginem cœlestis deposita imagine terreni, nõ es terra condẽnas eũ, neq; in terra tua iudicatur atque discernitur. [Virtus mea defecit in his qui maledicũt mihi.] Apostolus loquitur de saluatore nostro, quia crucifix⁹ ex infirmitate sit. Cui prophetes similia

Duo patitur Christus ab hominibus.

G testatur dicens: Domine quis credidit auditui nostro? & brachiũ tuum cui reuelatum est? Annunciabitur coram eo sicut infans, sicut homo, sicut radix in terra sitienti. Non est species ei neque gloria, vidimus eum & non habebat speciẽ neque formam, sed species eius inhonorata, & deficiens circa filios hominum. Homo in plaga & dolore sciens ferre infirmitatem, quia auersa est facies eius, deprecatus est, nec computatus. Hic peccata nostra fert, & pro nobis dolet, & nos existimauimus in doloribus eum esse, & in plaga, & in vexatione. Ipse autem vulneratus & infirmatus est propter iniquitates nostras. Doctrina pacis nostrę super eum. Liuore eius sanati sumus. Igitur suscepit infirmitates peccatorũ nostrorum, & portauit eas & venit ad eos qui maledicebant sibi, & virtus defecit ab eis qui maledicebãt è cœlestibus descẽdentem. Simul enim & assumpsit serui formam verbum caro factũ, exinaniuit se, & iuxta apostolum dicentẽ, euacuauit seipsum formam serui accipiẽs, nũc quoq; loquitur: [Virtus mea defecit in iis qui maledicunt mihi.] Videamus autẽ ipso nobis sensum tribuente, si ex hoc sermone possimus & aliud quid manifestiꝰ ab eis quę dicta sunt dicere: Erat lux vera quę illuminat omnẽ hominem veniẽtẽ in hunc mundum. Lux vera filius est dei, quę illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundũ. Quicunq; rationalis est, particeps veræ lucis efficitur. Rationalis autem est omnis homo. Cum igitur om-

Esa.53.

Ioan.1.

H nes homines rationales sint, in quibusdam virtus rationis augetur, in quibusdã minuitur. Si videris animam vitiis plenã, & perturbationibus seruientẽ, videbis quomodo virtus verbi deficiat in ea. Si videris sanctã & iustã, videbis quod per singulos dies virtꝰ dei ꝓficiat & crescat in ea: & hoc quod scribitur de Iesu, aptabis ei. Neque tantũmodo Iesus proficiebat sapiẽtia & ætate & gratia apud deũ & homines, verum & in singulis profectum sapientiæ & ætatis & gratiæ recipiẽtibus proficit Iesus sapientia, ętate & gratia apud deũ & homines. Sermo ergo filius dei qui erat deus verbum, qui habitabat in dicente: Heu mihi mater mea, & reliqua iuxta naturã maiestatis suę loquitur: Virtus mea defecit in maledicẽtibus mihi. Si quis maledixerit verbo, statim recipit vicem, & tormenta perpetitur. Virtus quippe Iesu defecit in eo cum ratio minuitur. Si quis econtrario benedixerit & receperit Iesum, virtus eius diuersa quàm est in maledicẽtibus ei passa perpetitur, vt enim in maledicentibus defecerat, sic in benedicẽtibus crescit. [Fiat domine dirigẽtibus eis, si non astiti tibi in tempore malorũ eorum.] Quid est hoc quod dicitur, fiat domine, qui potest ex ipso sermone consideret. His ipsis domine dirigẽ-

I tibus qui maledicebant mihi, virtusq; deficiebat in eis, fiat in eis, cum ad pœnitentiã cõuersi post maledicta quibꝰ me persequebantur ambulare cœperint rectam viam. Fiat domine dirigẽtibus eis, si non astiti tibi. Reddit rationẽ quare iis qui maledicebant sibi postulat directionem atque virtutẽ, dicẽs: Si non astiti tibi in tempore malorum eorũ. Astitit patri propitiatio pro peccatis nostris, & deprecatus est eum in tẽpore malorum nostrorũ. Neque enĩ astitit post tempus afflictionis nostræ, sed cum adhuc peccatores essemus, Iesus Christus pro nobis mortuus est. [Si non astiti tibi in tẽpore malorũ eorũ, & in tẽpore tribulationis eorũ exurgat inimicus. [Ego astiti tibi pro eis.] Quis autẽ est inimicus noster nisi Zabulus, qui tribulabat nos, & iugo seruitutis ꝑmebat? Aduersum quẽ astitit patri Saluator, & de captiuitate nos liberãs reddidit libertati. Hęc prophetice dominus dixerit. Potest autẽ & propheta eadem dixisse pro populo, & in tẽpore malorum eorum. Super quẽ respondit deus, & loquitur ad populum, qui à Saluatore siue propheta fuerat accusatus, dicens: [Ferrum & opertorium æreum virtus tua dura, indomabilis, quæ molliri non quęrit, quę vix producatur.] Ferrum & opertorium ęreũ virtus tua, id est secans & diuidens, & bene cõposita disturbans, maledicta virtus. [Diuitias tuas & thesauros tuos in deprędationem dabo gratis.] Concedit deus, & dat eos commutationẽ, ꝑpter omnia peccata eorũ. Vtrũ ne hos quos sibi in terra thesaurizauerint? Vnusquisque enim hominũ thesaurizat sibi: si est peccator, in terra: si iustus, in cœlo, vt nos docuit euangelium. Aut quod dicit istiusmodi est? Ecce vnus thesaurus Hieremias, alius thesaurus est Esaias, Thesaurus erat & Moyses & reliqui. Thesauros abstulit deus à populo:

Thesauri prophetæ.

& per Christum qui dixit: Auferetur à vobis regnum Dei: & K dabitur genti faciẽti fructus eius, largitus est nobis. Dabo ergo propter peccata tua thesauros tuos in deprædationẽ. Dedit nobis thesauros illius populi dominus, quia primum illis credita sunt eloquia Dei, & nobis deinceps attributa. Idem quod scriptum est: Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius, asseruimus iam esse completum. Non quod scriptura ab eis ablata sit: habent quippe legem & prophetas, habent volumina diuinarum literarum: sed quod non intelligant ea. Atque ita regnum Dei ablatum est ab eis, dũ scripturæ sensus aufertur. Cessauit apud eos legis & prophetarum interpretatio: legunt omnia, & non intelligũt. Expleta est illa post aduentum domini prophetia: Dic populo huic, auditione audietis & non intelligetis, & cernentes videbitis & non scietis: incrassatum est enim cor populi huius. Necnon & illud in quod ab Esaia dicitur: Auferet dñs à Iudæa & ab Hierusalem validum & validam, gigantem & hominem bellatorem, & iudicem & prophetam, & arbitrum, architectum, & sapiẽtem auditorem. Hæc omnia abstulit ab illis deus, & nobis qui ex gentibus sumus, si tamen accipere voluerimus, tradidit. [Et thesauros tuos in deprędationẽ dabo, commutationem propter omnia peccata tua in omnibus finibus tuis.] Quod dicit tale est. Ista omnia peccata tua quæ in vniuersos fines tuos prouenerunt, tibi reddita sunt. Nullus quippe finis illius est populi qui nõ peccatis eius repletus sit.

Matt.21.

Esa.6.

Esa.6.

L Nec poterat non omnis eius finis peccatis repleri, qui quantum in eo fuit interfecit iustitiam, si est Christus iustitia: interfecit sapientiam, si est Christus sapientia: interfecit veritatem, si est Christus veritas. Vnde propter crudeles contra filium Dei acclamationes hæc omnia perdiderunt. Surgẽs dominus meus Iesus Christus non apparuit vltra interfectoribus suis, sed tantum credentibus sibi ex mortuis victor ostẽsus est. [Et dabo te in seruitutem inimicis tuis in terram quã nesciebas.] Seruiuit populus Iudæorum inimicis suis, & dispersus est in terra quam ignorabat. Quoniam ignis accensus est in ira mea, super vos ardebit. Post ista quæ exposuimus, & comminationis verba ad populum, ille qui superius orauerat cõplet orationem, & prioribus quę sequuntur adiungit. [Tu cognouisti domine, memor esto mei, & visita me, & innocẽtem me fac à persequentibus me non in patientia.] Et prophetes potest hoc dicere, persecutionem passus ab his quos increpabat, qui veritatem audire nolebant, inimicus quippe eis factus est vera dicẽs. Potest autem & saluator hæc dicere vsq; ad crucem persecutionem passus à populo. [Non in patientia.] Quid est hoc quod ait: Non in patientia? Hoc est, in patientia longanimis fuisti semper huic populo delinquenti, sed per hoc etiam aduersum me erexit temeritatẽ suam, noli esse longanimis. Et re vera non fuit impatiens. Si enim consideras tẽpora passionis dominicę, & ruinæ Hierusalem, quando subuersa est, videbis quomodo non in patiẽtia abusus sit

M eis deus. A quintodecimo quippe anno Tiberij Cæsaris vsq; ad subuersionem templi dei (quia oportuerat modicum aliquid interesse temporis) in patientia dereliquit, propter eos qui per signa atque portenta apostolorum credituri erant. [Scito quomodo accepi propter te opprobrium à contemnentibus sermones tuos.] Potest fieri vt prophetes hoc dicat, contemptus à populo peccatore super his quæ prædicabat. Ait quippe & alibi: Cõpleui dies meos irrisione. Opprobriũ ergo patitur ab his qui sermones Dei audire contemnunt, & deprecatur vt Dei habeat auxilium, dicens: Scito quomodo acceperim propter te opprobrium à contemnentibus sermones tuos. Cõsummaui eos.] Prophetes potest hoc dicere, sed magis cõuenit saluatori, cuius post passionem venit consumptio Hierusalem, & interfectio populi Iudæorum. Post hæc quia multa passi sunt prophetæ propter legationem verbi & increpationes Dei, quas ad populum proferebãt, oportet auditores paucis commoneri de vita eorum atque promissis, & nostra voluntate: vt iuxta possibilitatem virium si volumus requiem consequi cum prophetis, etiam opera eorum facere nitamur. Quod autem loquor istiusmodi est. Frequenter in oratione dicimus: Da omnipotens, da nobis partẽ cum prophetis, da cum apostolis Christi tui, tribue vt inueniamur ad vestigia vnigeniti tui. Hæc loquentes non sentimus quæ petimus.

Quæ olim precibus inculcamus.

A petimus. Re eñ hoc dicimus: Fac nos sic odio haberi, vt odio habiti sunt prophetæ, & da nobis verba talia super quæ perfecutionem patiamur. Da in istas incidere calamitates quas apostoli sustinuerunt. Dicere quippe, da mihi partem cũ prophetis, nolentem id pati quod prophetæ, omnium iniustissimum est. Dicere, da mihi partem cum apostolis, nolentem ex affectu Pauli vere loqui, in laboribus plurimum, in plagis abundanter, in carceribus supra modum in mortibus sępe, & reliqua omnia, est iniquissimum. Si itaq; volumus requiescere cum prophetis, consideremus vitas prophetarum, quomodo ex eo quod increpabant & arguebãt delinquẽtes, iudicati condemnatiq; sint, lapidati, secti, in occisione gladij occubuerũt, circũeuntes in melotis & in caprinis pellibus, in egestate, in tribulatione & miseria, in solitudinibus errantes. Eo tempore quo erant synagogæ pluuiæ in Israël, nihilominus illi in desertis & montibus & speluncis & cauernis petrarum latitabant. Quid ergo est? Si quis vult imitari vitas prophetarum, increpet arguatq; peccatores, statim odium merebitur, statim ei detrahetur, statim patietur insidias. Quod etiam nũc in ecclesiis sępe videm⁹ accidere. Peccauerit quodlibet quispiam: his qui præsidet populo & regit ecclesiasticam disciplinam, eiicit eum de congregatione sanctorum illico. Ille circuit ciuitatẽ, lacerat eum qui quantũ in se fuit ecclesiam vindicauit. Verum nos nõ præbeamus his aurem qui propter excommunicationem sui tam prępositos quàm omnẽ ecclesiæ
B conuentum vesano ore dilacerant. Beati verò apostoli omni admiratione digni innumerabilibus propter veritatẽ iniuriis affecti loquebantur: Propterea cõplaceo mihi in infirmitatibus, in cõtumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus & angustiis pro Christo. Hoc tantũ laborare conuenit, vt pro nulla alia re nisi pro Christo sustineamus contumeliam, & necessitatis causa sit Christus. Id optemus, vt maledicta perpessi, pro veritate nos maledici sciamus, qui eam defendimus, & scripturarum voluntate omni cum fiducia eã pręđicamus. Igitur quantum possumus ad vitã prophetarũ & apostolorum cõuersationem imitandã nos extendamus, molestias & pericula non vitantes. Athleta enim si difficultatẽ certaminis fugerit, cum lętitia non coronatur, & laudis gloriã non consequitur. [Et erit sermo tuus mihi in lætitiam.] Non ait est, sed erit. Siquidem in pręsenti tẽpore carceres, exilia, contumelias ac labores mihi tribuit: sed horum omniũ finis erit lætitia. [Et erit sermo tuus mihi in lætitiam & gaudium cordis mei quia inuocatũ est nomen tuũ super me domine pater omnipotens.] Etiam si Christus hoc dicit, non abhorret ab intellectu. Nomen quippe patris inuocatũ est super eum. [Non sedi in concilio ludentium.] Si quando videbat prophetes non sollici-
C totum concilium sed ludentium, fugiebat illud. Vnde oportet nosse differentias conciliorum solliciti atque ludentis. Si hoc concilium nostrorũ sollicitũ est, si omnia cum ecclesiastica diligentia quærit, si sermo cum disciplina, si vita sollicita est, si negocia cum cautela, concilium est non ludentium, sed sollicitorum. Si autem dereliquerit studium religionis, & vacauerit lusibus mundi istius qui veniunt à prauitate, fit concilium ludentium. Ait itaque prophetes: [Non sedi in concilio ludentiũ, sed timebam à facie manus tuæ.] Cum duo mihi essent proposita, sedere in concilio ludentium, & offendere maiestatẽ tuam, aut certe surgere de eo, & ea facere quæ tibi placita erant, magis elegi surgere de cõgregatione ludẽtium, vt amicus tuus essem, quàm cõtraria faciens, inter eos qui hostes sunt, cõputari. Non sedi in cõcilio ludentiũ, sed timebã à facie manus tuæ. Et saluator noster non sedit in cõcilio ludentiũ, sed surrexisse se docens, ait: Dimittetur vobis domus vestra deserta. Reliquit enim sermo Dei diuinus conciliũ Iudæorum, & aliud sibi conciliũ ex gentibus congregauit. [Solus sedebam.] Et ipse tantũ sine expositione sermo ædificat audiẽtes. Quando est multitudo peccantium nec sustinet secum iustum pie viuere, tunc indigens est fugere cõgregationem eorum, & imitari prophetã loquentem: Solus sedebam, imitari Eliam miserabiliter conquerentem: Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderũt, & ego relictus sum solus, & quærũt animam meam accipere illam. Si autem voluerimus sacratius aliquid accipere in eo quod dicitur, solus sedebam, forsitan inueniemus dignam interpretationem spiritu sancto. Quando vitam multitudinis imitamur, nec conuersatio nostra à populo melior, nec contempto iudice deo ab hominum malitiis separatur, nõ possumus dicere solus sedebam. Sedemus quippe cum plurimis Quando autem vita nostra fuerit istiusmodi, vt nullus nobis sensu, sermone, gestis coęquetur, tunc possumus dicere solus sedebam. Licet ei qui non est presbyter, aut episcopus, aut diaconus, aut alia qualibet decoratus ecclesiæ dignitate, bene viuenti dicere, solus sedebã, quia amaritudine plenus sum. Si arcta & angusta est via quę ducit ad vitam, expedit tibi ab omni dulcedine recedenti, vt amaritudine in præsenti seculo cõplearis. An ignoras quoniam solénitas Dei adiunctis amaritudinibus celebratur? Ait quippe sermo diuinus: Cum habueritis diem festum, azyma super amaritudinem mãducabitis. Simul autem considerandum puto quid velit hæc iussio quæ præcepit agẽtem pascha Dei, azyma cum amaritudinibus manducare. Et de azymis quid est mea interpretatio, apostolus Paulus exposuit. De amaritudine verò quod sequitur, necesse est vt aliquid apostolicæ disputationi simile reddatur. De azymis itaq; apostolus ita dicit: Festa celebremus nõ in fermẽto veteri, neq; in fermẽto malitię & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. De amaritudinibus necesse est vt talis ratio reddatur, quæ doceat sic eas celebrandas, quomodo azyma comedantur. Habeto synceritatem & veritatẽ, & amaritudines te se-
E quẽtur, & mãducabis azyma cũ synceritate & veritate. Quia Paulus istiusmodi azyma comedebat, sequebatur eum amaritudo dicentem: Inimicus vobis factus sum vera dicens. Mãducabat amaritudines in dolore, in labore, in vigiliis frequẽter, in fame & siti, extra cætera quę pro totius mundi salute pãdebat, & quæ eum faciebant præsidem veritatis azyma cũ amaritudinibus manducare. Et lex quidem hæc dicit: Azyma cum amaritudinibus comedite & implemini, sicuti & alio loco dicitur de quibusdam: Manducate & implete vos. Prophera verò non ait, amaritudinẽ comedi, sed amaritudine repletus sum. Hoc est in me tantum seculi persecutionum pondus incumbit, vt plenus amaritudine fierem. [Quare qui me contristant, cõfortantur in me?] Multa passus est Hieremias ab his qui veritatẽ audire nolebant, & erãt illo in hoc seculo fortiores, quoniã nõ regnũ dei de seculo isto, sed de alia quadam viuentiũ regione. Et saluator ait: Si esset de hoc mundo regnũ meum, ministri mei laborarẽt vt non traderer Iudæis. Confortãtur ergo aduersus eum in seculo isto. Et quod iust⁹ debilior sit à persequẽtibus se, vide martyrũ passiones. Iudex in altis tribunalibus sedet ad tuctum & ad delicias prominens: Christianus in quo Christus habitat iudicatur plenus amaritudine, & ad mortem vsque subiectus, confortatis inimicis suis aduersum se. [Plaga mea firma est. Qui confortan-
F tur in me, vulnera inferunt mihi, & plaga mea firma est.] Siue de cruce domini prædictum, siue de iustis, siue specialiter de Hieremia volueris accipere, non abhorrebit à sensu: [Plaga mea firma est, vnde sanabor?] Et Saluator potest dicere, vnde sanabor? resurrectionem suam post clauorum annuncians vulnera: & iustus qui post plagas recipit sanitatem. [Facta est mihi (subauditur plaga) sicut aqua mendax non habens fidem. Siquidem plaga mea nõ manet, sed super me transit. Ideo hæc dicit dominus: Si conuersus fueris restituam te.] Ad omnes hæc loquitur deus quos reuerti vult ad salutem. Videtur autem quiddam significare mysterij in eo quod ait, [restituam te.] Nemo quippe restitui potest, nisi in eum locum vnde ante discesserat: vtputa si membrum corporis mei fuerit à compage disiunctum, medicus illud in pristinum locum restituere conatur. Si aliquis separatus è patria in exilium mittitur, & postea per indulgentiam eorum qui possunt exules soluere redditur libertati, redit vnde fuerat expulsus. Miles quoque abiectus ex ordine suo, restituitur ordini si acciperit veniam. Ita & nunc dicitur ad mortale genus (id est ad nos homines qui à deo fueramus auersi) Si conuersi fueritis restituam vos. Finis quippe repromissionis restitutio est, vt in Actibus Apostolorum legimus, vsque ad tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus per os sanctorum prophetarum suorum in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Marginalia: 2 Cor. 11. — Heb. 11. — Excommunicatio. — 2 Cor. 12. — Hier. 15. — Matt. 23. — 3 Reg. 19. — *Ecclesiæ aliqua dignitas propter presbyteratũ, episcopatũ, diaconatum.* — Exod. 12. — 1 Cor. 5. — Ioan. 19.

G *Homilia Duodecima. De eo quod scriptum est: Ecce ego mitto piscatores multos, dicit dominus. Cap. XVI.*

IN Euangelio quod secundum Matthæum est, scribitur Saluator noster venisse circa mare Galilææ, & ibi vidisse Simonem & Andreạm fratrem eius mittentes retia in mare. Erant quippe piscatores. Ibique additur: Videns autem eos Iesus, dixit eis: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Et relinquentes retia sua secuti sunt eum. Et fecit eos Saluator de piscatoribus piscium piscatores hominum. Alios quoque duos fratres inuenit dominus: Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in nauicula cum patre Zebedæo reficientes retia sua. Quos cum similiter ad euangelij ministerium prouocasset, piscatores hominum reddidit. Si quis ergo iuxta hanc historiam consideret discipulos saluatoris, vt habeant non solum gratiã sermonis ita scripturarum ratione, contextam vt retia, quæ possint super humanas animas gyro artificis superfundi, & consideret hoc ipsum cũ summa ratione fidei: videbit quomodo non tunc tantum saluator, sed & vsque ad præsentem diem mittat hominum piscatores, instituens eos animas liberare de mari, & ex acerbissimis fluctibus ad auram producere liberiorem. Verum illi pisces cum sagenis, retibus, atque hamis extracti de aqua fuerint, moriuntur. Apud nos verò cum aliquis fuerit sermonis rete comprehensus, & eductus de mari seculi, moritur quidem & ipse, sed peccato, sed mundo, vt consurgens Christo viuat deo. Si ergo possis ad intelligendum sensum quem conamur exponere, animo inducere pisces de mari extractos aliam rursus vitam assumere, & aliud corpus induere, tunc scies quo nobis profecerit exemplum. Nemo blasphemet, nemo male laceret, non vocetur crimen, quod ab alterius abductum est intelligentia. Et tu igitur cum de seculi istius fluctibus per discipulos domini fueris extractus, muta corporis vitia, muta sensum animæ: non sis ille piscis qui in salsis versabaris vndis, sed de profundo gurgite erutus ad meliora conuertere, secundum illud apostolicum: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini contemplantes in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam quasi ab domini spiritu. Et cum fueris ab apostolis ac discipulis Iesu marinis fluctibus liberatus, noli quærere profundum, sed in montibus sit conuersatio tua: vt iam non habeas opus piscatoribus, qui te rursus de fluctibus extrahant, sed aliis quibusdam quos venatores scriptura nuncupat, qui te postea venentur de monte, de colle, de locis altioribus: ibi sit deambulatio tua, ibi mens, gressus & statio: obliuiscere maris, obliuiscere vallium ac profundorum: veni ad montes prophetas, veni ad colles iustos, in ipsis sit conuersatio tua: vt cum dies mortis aduenerit, mittantur venatores, alij quidam à piscatoribus, qui super assumptionem constituti sunt, & te cum cæteris sanctis de colle, de monte, de altiori loco accipiant. Vide autem si non sacrata voce in eadem sententia propheta consentit dicens: [Ecce ego mitto piscatores multos dicit dominus, & piscabuntur eos. Et post hæc mittam venatores multos, vt capiant eos supra omnem montem, & collem.] Si vis & tu ab his venatoribus capi, caue ne verseris in vallibus, ne in alia humili regione consistas. Quære colles, quære montem, in quem viso populo dominus ascendit, & secuti sunt eum discipuli, ex quo aperiens os suum docuit eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et reliquas septem beatitudines. Neque verò putes licere his venatoribus aliunde homines nisi de montibus ac collibus quærere, & quod sequitur, [de cauernis petrarum.] Vnde possum intelligere petras? vnde cauernas petrarum? Venio ad Exodum, quæro aliquam interpretationis occasionem, ibíque inuenio volentem Moysen videre dominum, & dominum eidem promittentem, atque dicentem. Ecce pono te in cauerna petræ, & conspicies posteriora mea, faciem autem meam non videbis. Si consideres quid ibi petra dicatur, & foramen petræ, intelligis & cæteras petras, & petrarum foramina. Quæ igitur est petra? Dominus Iesus Christus. Bibebant enim de spiritali sequente eos petra: & super petram statuit pedes meos, in trigesimonono Psalmo dicitur. Quod est foramen petræ? Vide eum apud deum patrem verbum deum, videbis integram petram: vide dispensationem assumpti corporis, videbis foramen petræ, quod per posteriora dei iuxta possibilitatem imbecillitatis suæ humanus intuetur aspectus. Hoc enim est quod ait: Videbis posteriora mea. Inueni vnam cauernam vnius petræ, quæro alias petras, & alias cauernas, venio ad chorum propherarum, atque apostolorum, & dico quia omnes imitatores Christi petræ sint, vt petra est ille qui docuit. Et sicut ille habet foramen per quod videntur posteriora dei, eodem modo vnusquisque nostrum qui per sermones suos viam pandit ad intelligendum deum, facit & se foramen petræ. Si autem aliter vis intelligere petram, & petræ foramen, vide per Moysen legem: per Esaiam prophetam, per Hieremiam, alia eloquia diuina. Sin verò angelus fuerit, & loquatur in homine, iuxta illud propheticum: Angelus qui loquebatur in me, esto in angelo, & per foramen eius angelice videto deum. Exemplum habeo necessarium, vt doceam quomodo possit aliquis in angelo consistens videre deum. Scriptum est in Exodo: Apparuit angelus domini in flamma rubi Moysi, & videbat Moyses quia atdebat rubus, & non comburebatur. Et non sicuti cœperat scriptura in eo quod dixerat: Apparuit Angelus domini, sic & in reliquis subsecuta est, vt diceret, ego angelus domini, sed ait: Ego deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Erat ergo ibi deus in angelo visibili, & per foramen eius apparebant posteriora eius. Quia igitur nescis quo tempore mittantur venatores, caue ne aliquando de monte descendas, ne relinquas colles, ne de cauernis petrarum exeas. Si enim foris fueris inuentus, dicetur tibi ea quæ ij qui foris sunt merentur audire: Stulte hac nocte anima tua repente auferetur à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Dicentur autem tibi ista, si dixeris, destruam apothecas, & maiores ædificabo, & dicam animæ meæ: Anima, habes bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, lætare. Animaduertis de montibus & collibus descendentem, animaduertis consistentem extra petræ foramen, quomodo etiam & ea putet bona esse quæ nulla sunt dicens: Dicam animæ meæ, habes multa bona reposita? Frumentum, & vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus regionibus: thesaurizauit sibi in terra, quia in terra esse thesauros arbitratus est. Si quis autem sublata cruce sequitur dominum Iesum, & thesaurizat sibi in cœlo, non dicitur ei: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: sed venientes venatores, & quærentes animalia de montibus, de collibus, de cauernis petrarum, etiam illum cum eis pariter accipient de venatione sublimi, & ad sublimiora beatitudinis regna portabunt. [Quia oculi mei super omnes vias eorum.] Super omnes vias istiusmodi hominum qui in montibus conuersantur, in collibus ambulant, in cauernis habitant petratum, habet oculos deus. [Non se absconderunt à facie mea.] Qui sancti sunt, non se abscondunt à facie dei: qui autem iniusti, absconduntur à facie eius. Adam post transgressionem cœlestis mandati audiuit vocem domini dei deambulantis in paradiso post meridiem, & abscondit se. Sanctus hoc non facit, sed conscientia actuum suorum habet fiduciam ad deum. Si enim conscientia nos non reprehenderit fiduciam habemus ad deum, & quodcunque petierimus accipiemus. Verum Adam quanuis peccauerit, tamen non vsque ad perfectam malitiam mens eius corruit, & ideo absconsus est à facie dei. Cũ autem peccauit impiissimus fratricida, animaduertite quid fecerit: Egressus est à facie dei, & habitauit in terra Naid. Si ad malorum comparationem venias, melius est abscondi à facie dei quàm fugere eum. In alio quippe conscientiæ vulnus inflictum tenebras & secreta perquirens, leuare oculos non patitur ad cœlum. In alio autem desperatione nata contumacia negligit dominum. Non se absconderunt à facie mea, neque absconditæ sunt iniquitates eorum contra oculos meos. Iusti super quas iniustitias non se absconderunt à facie dei? Aliquando fuerunt in peccatis, quando erant in mari, sed à piscatoribus extracti sunt. Ne itaque suspicentur quia non ex misericordia, sed ex proprio merito ad montes venerint, commonens illos sermo diuinus, & in illis nos, & idcirco post prospera atque felicia

tristia

Margin notes (in order): Matt. 4. — Apostoli piscatores. — Apostolorũ retia scripturæ & gratia sermonis. — H — 2. Cor. 3. — I — Matt. 5. — Exod. 33. — Petra Christus. — 1. Cor. 10. — K — Imitatores Christi petra. — Zach. 1. — Exod. 3. — L — Luc. 12. — M — 1. Ioan. 2. — Gen. 4. — Ex misericordia, non ex proprio merito iustificati.

A tristia inferens, dicit: [neque absconditæ sunt iniquitates eorum contra oculos meos.] Quæ sequuntur difficultatem nobis interpretationis obiiciunt. Siue enim intelligamus ea cohærere superioribus, nihilominus de retribuendis suppliciis pertimescimus: siue videntur non hærere cum superioribus, quæ de piscatoribus & venatoribus diximus, & sic non modicum nobis scrupulum generãt. [Et retribuam illis primum duplices iniustitias eorum, & peccata ipsorum in quibus contaminauerunt terram meam, in morticiniis abominationum suarum, & iniquitatibus suis quibus impleuerunt hæreditatem meam.] Quod ait primum, siue non intelligentes quidam quod scriptum est, abstulerunt, siue Septuaginta interpretes sicut & cætera secundum dispensationem suam auferre voluerunt, dominus viderit. Nam istum locum cum cæteris editionibus confetẽtes inuenimus positum. Et retribuam illis primum duplices iniustitias eorum: vt ostendatur quia etsi ex posterioribus factis digni effecti sunt beatitudine dei, attamen quia aliquando peccauerunt, & humanis vitiis non carebant, primum oportet eos recipere sua delicta. Et vide si non vera sit ratio. quis peccata non recipit? Nempe ille qui post credulitatem & baptismum audierit dominum dicentem, dimissa sunt tibi peccata, nec vltra peccauerit. Si autem post lauacrum & veniam post lauacrum & veniam delictorum, rursus ad pristinas sordes fuerimus reuersi, & adhuc imperfecto sensu ab apostolorum vestigiis recedentes, aut iniu-

Septuaginta interpretũ licentia.

B sta gesserimus aliqua, aut certe in ipsa iustitia sint aliqua nata peccata, quid nobis fiat consideremus: vtrúmne egredientes de præsenti seculo si habuerimus vitia, vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, & dimittentur nobis ea quæ scientes peccauimus: an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus. Sed neutrum horum verum est, quia & pro peccatis torquebimur, & pro iustitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Iesu Christi non solum in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem preciosum (si tamẽ habes aliquid auri, vel argenti) superædificaueris, verum & ligna, fœnum & stipulam, quid tibi vis fieri cum anima seiuncta fuerit à corpore? vtrúmnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, & polluas regnum dei? an propter lignum, fœnum, & stipulam foris residere, & pro auro, argẽto, & lapide precioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi vt primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum, lignum, vel stipulam? Deus quippe noster apud eos qui possunt intelligere diuina, ignis dicitur esse consumens. Et cum dicat propheta, Deus noster ignis consumens est, non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim id quod ad ima-

1. Cor. 3.

C ginem & similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas, sed superædificata ligna, fœnum, stipulam. Locus est difficilis, & ad interpretandum nimij sudoris egens, vt cum primis secunda consentiant. Repromissiones legimus, & post prospera repente tristia prædicantur. Et retribuam (inquit) illis primum duplices iniustitias eorũ. Necessario appositum est primum. Primum quippe propter iniustitias tormenta perpetimur, deinde propter iustitiam coronamur. Neque enim econtrario ante tribuenda sunt iusta, & sic reddenda peccata, vt cessantibus bonis viria æterna permaneant: sed ante recipiemus mala, & deinde bona, vt sublatis vitiis virtutes permaneant in ęternum. Obserua omnem thesaurum scripturarum, & inuenies semper deum ea primum comminantem quæ tristia sunt, & ea deinceps inferentem quæ lætitiam præbeant audientibus. Occidit & viuificat, percutit, & sanat, ipse dolorem facit, & rursum restituit. Percussit, & manus eius sanauerunt. Super his ergo qui iustus est intellectu pio considerans quæ dicuntur ingemiscat, & dicat: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur (inquit) sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Nos etiam non his opprobremus qui à peccatis ad pœnitentiam conuertuntur, scriptura dicente: Ne improperes viro conuertenti à peccatis. Opprobrium non accepit ad-

Purgatoriũ in duo primũ propter iniustitias tormenta, & deinde propter iustitiam coronamur.

1. Reg. 2.

Psal. 15.

Eccl. 18.

uersus proximos suos, ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum magnificat. Omnes igitur quicunq; materiam illius ignis habemus in nobis, primum recipiemus nostra delicta. Sed dicit mihi aliquis de audientibus. Expone & id quod sequitur: Duplices iniustitias eorum. Esto quippe recipio mea peccata, vt compleatur id quod ab apostolo dictum est. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ. Cur verò duplicia recipio peccata? Cui respondendum est, quia seruus qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, plagis vapulabit multis: Dignum siquidem est eos qui gentes sunt simplicia recipere peccata, & nos duplicia, dicente apostolo: Voluntarie peccantibus nobis post cognitionem veritatis, iam vltra non remanet pro peccato hostia. Horribilis autem quædam expectatio iudicij, ignis zelus comedere habens aduersarios. Prophetatum est de his qui à piscatoribus & venatoribus de profundo in montibus sunt abstracti, quomodo recipiant primum duplicia peccata sua. Post hæc de vocatione gentium prophetatum est, non eorum qui necdum cognouerunt Christum, sed qui iam vocati sunt, vt sciãt laudes referre pro gratia, & in ecclesia consistentes confiteantur & adorent nomen eius. [Domine fortitudo mea, & adiutorium, & refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent, quoniam falsa possederunt patres nostri simulachra, nec est in illis vtilitas. [Quomodo ab extremo terræ venerunt gentes ad dominum, & dixerunt, quoniam falsa possederunt patres nostri simulachra, nec est in illis vtilitas? Quínam isti qui veniunt ab extremis? Sunt alij primi terræ, sunt alij nouissimi. Qui sunt primi? Sapientes, facundi, nobiles, diuites, optimates. Qui sunt extremi? Stulta mundi elegit deus vt confundat fortia, & ea quæ non erant, vt destruat quæ sunt. [Venient gentes ab extremo terræ.] Quasi dixerit: de his omnibus qui sunt nouissimi super terram, de fatuis, de ignobilibus, de abiectis. [Et dicent, quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est in illis vtilitas.] Non quia & vera sint idola, ad quorum distinctionem nunc falsa dicantur, sed idola quæ falsa sunt per naturã nulla est in eis vtilitas. [Si faciet sibi homo deos, & isti non sunt dij.] Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines deos, sed & de corde confingunt. Qui enim possunt simulate alium creatorem extra vniuersitatis deum, alium spiritum sanctum, alium Christum, alia secula extra hæc quæ cernimus, ij omnes fecerunt sibi deos, & adorauerunt opera manuum suarum. Omnes philosophi qui varia dogmata prodiderunt, omnes hæretici qui autores ad aliter credendum de deo miseris mortalibus extiterunt, fecerunt sibi idola, & animi voluptatem putauerunt deum, & conuersi adorauerunt opus manuum suarum, putantes vera esse quæ finxerant. Omnes igitur tã de visibili materia quàm de falsis dogmatibus fingentes sibi deos corripit nunc sermo diuinus dicens: [Si faciet sibi homo deos, & isti non sunt dij. Propterea manifestabo illis in tempore isto opus manuum mearum, ostendam illis virtutem meam.] In quo tempore, nisi in isto quo saluator noster assumpsit corpus humanum? [Et scient quia ego sum dominus.] Deinde alia sequitur prophetia, quam nescio quare apud septuaginta non inuenientes, in cæteris editionibus quæ cum Hebręo consentiunt sermone, reperimus: quæ plena est necessariis rebus, & tam vtilibus, vt possit si animus fuerit attentus, à vitiis reuocare lectorem. Sic autem sequitur: [Peccatum Iuda conscriptum est in stilo ferreo, in vngue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum.] Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Iudæi qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco pro peccato Iuda peccatum eorum posuerunt. Sed si figuraliter consideres (vt sæpè ostendimus) Iudam Christum nuncupari, forsitan peccatum Iudæ peccatum nostrum est qui credimus in Christum de tribu Iuda, & ex eius secundum carnem stirpe nascentem. Si autẽ volueris sacratius intelligere de proditore Iuda dictum: Peccatum Iudę scriptum est in stilo ferreo, in vngue adamantino sculptũ super pectus cordis eorũ, repugnabit tibi quod sequitur eorum. Igitur (vt suprà diximus) super nos qui peccamus ista cõueniunt, quorum peccata non forinsecus alicubi cõscribuntur, sed in cor-

D *1. Cor. 3.* *Heb. 10.* *E* *1. Cor. 1.* *Idololatræ etiam, qui corde spectra contra veritatem confingũt.* *F* *Iudæi exẽplaria nõnulla falsarunt.*

G dis conſcientia ſtilo exarata ferreo, ſculpta vngue adamātino. Quòd autem peccata noſtra ſcribantur in pectore, ex his quę ſequuntur intellige. Antequam peccatū faciam nulla in corde meo peccati imago verſatur: cum autem conſcientia peccati imaginē ſumpſerit, habeo formam illius, & ſemper ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur. Et ſi quidē eſſet peccatum meum atramento conſcriptum, forſitan delerem illud, nunc autem ſcriptum eſt in ſtilo ferreo, & in vngue adamantino ſculptum eſt ſuper pectus cordis mei, vt mecum ad tribunal veniat, & compleatur illud quod à Chriſto prophetatum eſt: Nihil abſconſum quod non manifeſtabitur, & nihil occultum quod nō palam fiet. Nudabitur pectoris mei conſcientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ in ſtilo ferreo, in vngue adamantino ſculptæ ſunt. Atque ita vniuerſa ſpectantiū multitudo leget in pectore meo ſignatas imagines peccatorum. Nihil enim abſconſum quod non reuelabitur. Et inter ſe inuicem cogitationum accuſantiū ſiue defendentium. Et nolite ante tempus iudicare donec veniat dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cōſilia cordium. Cui manifeſtabit? vtiq; nō ſibi, qui antequam fiant cuncta cognoſcit: ſed his qui cum illo venturi ſunt, & propter puritatem mentis & corporis agnum ſequentur, oſtendet delicta in corde peccatoris expreſſa, vt reſurgant iuſti in gloriam, peccatores verò in opprobrium & confu-H ſionem ęternam. A quibus liberet nos deus reſurgētes cum Chriſto Ieſu, Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt.10. *Rom.2.* *1.Cor.4.*

Homilia Decimatertia. De eo quod ſcriptum eſt: Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ? vſque ad eum locum, in quo ait: Maculata es in conſpectu meo in iniquitatibus tuis, dicit dominus. Cap. II.

DEVS mortem non fecit, neque delectatur in perditione viuentium. Creauit enim vt eſſent omnia, & ſalutares generationes mundi, nec eſt in eis venenum mortis, neq; inferni regnum ſuper terram. Deinde paululum vltra procedens reperio vnde ſit mors. Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Omnia igitur bona in nobis & propter nos condidit deus, ſed noſmetipſi malitiam atque peccata, propria nobis attraximus voluntate. Vnde & in præſenti lectione per prophetam nunc queritur deus, & quodammodo dubius inquirit, quomodo in quibuſdam amara ſit anima, quam dulcem ipſe condiderat. & ait: [Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ?] Quod dicit tale eſt. Ego feci pedes quibus ingrederetur mortale genus, qua cauſa factum eſt vt claudicent plurimi? Ego feci omnia mem-I bra valida, atque integra, quomodo video in multis debilia, atque inutilia? Itaque non ſolum primi hominis anima, ſed & vniuerſorum ad imaginem & ſimilitudinem dei facta eſt, & antiquior eſt hæc imago quæ dei eſt, imagine zabuli quam poſtea nobis induimus ob peccatum. Vnde debemus magnopere laborare, vt quomodo delinquentes portauimus imaginē terreſtris, ita ad pœnitentiam conuerſi portemus imaginem cœleſtis, ad quam & vniuerſa primum condita creatura eſt, ob cuius in malum conuerſionem nunc peccantes ſermo corripiens ait: [Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienę?] Ego autem plantaui eam fructiferam, vniuerſam veram.] Et ante diximus, & nunc eadem plenius vt intelligatis repetimus, quia deus bonam plantauit hominis animam, ſed ipſa vitio ſuo aduerſus conditoris deprauata ſit voluntatem. [Ego autem plantaui te vitem fructiferam, vniuerſam veram.] Non ex parte veram, & mendacem ex parte plantaui, ſed vniuerſam veram. Quomodo contra plantationem meam conuerſa es in amaritudinem, & facta es vitis aliena? Poſt hæc ſequitur. [Si abluta fueris nitro, & multiplicaueris tibi herbam poam, maculata es in conſpectu meo in iniquitatibus tuis, dicit dominus.] Ergo ne hoc arbitrandum eſt, quia anima peccatrix nitro conata ſit purgare maculas ſuas, & aſſumens poam, quæ oritur ex terra, immunditiam delictorum à ſe mundare contenderit? Vnde nunc ad eam loquitur ſermo diuinus: [Si abluta fueris nitro, & multiplicaueris tibi poam, maculata es in conſpectu meo in iniqui-K tatibus tuis, dicit dominus.] An id quidem verius exiſtimandum eſt, quia vt ſacra volumina omni virtute ſunt plena, ita & dei ſermo omni virtute ſit plenus, & habeat iſtiuſmodi fortitudinem, quæ poſſit purgare vitia, & ſordibus defricatis ad colorem priſtinum reuocare? Viuus eſt quippe ſermo dei, & efficax, & acutus ſuper omnem gladium vtrinque acutum, & reliqua. Ex quibus diximus pro paſſionibus animæ remedia habere ſermonem, eſſe in eo nitrum, eſſe poam, quibus ſordes abluantur. Neque verò omne peccatum nitro ſermonis & poa poteſt emundari, ſed ſunt aliqua delicta quæ non indigeant facili curatione, nec ad nitrum & poam tantum abluta diſcedant. Sic nunc dicitur: [Si ablueris te nitro, & multiplicaueris tibi poam, maculata es in conſpectu meo in iniquitatibus tuis, dicit dominus.] Et quomodo ſunt quædam vulnera quæ malagmatibus, & oleo, & alligaturis redduntur priſtinæ ſanitati: alia verò ſunt iſtiuſmodi, de quibus dicatur, non eſt malagma imponere, neque oleum, nec alligaturas, ſed terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ igne exuſtæ: ſic ſunt quædam peccata quæ animam ſordidant, & indigent homine qui habeat poam, nitrique ſermonem: alia verò talia ſunt vt non poſſint ſupradicti ſermonis virtute curari. Neque enim ſordibus comparantur. Idcirco ſciens differentias peccatorum, per Eſaiam dominus dicit: Lauabit dominus ſordes filiorum & filiarum Sion in ſangui-L ne. Emundabit de medio eorum ſpiritu iudicij, & ſpiritu combuſtionis ſordes & ſanguinem. Sordes ſpiritu iudicij, ſanguinem ſpiritu combuſtionis. Si peccaſti, & peccatorum ſorde pollutus es, lauabit dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum. Si autem mortale peccatum eſt, non poſſumus nitro poáque mundari, ſed ſpiritu iudicij, ſpiritu combuſtionis & pœnæ. Forſitan & Ieſus baptizat ſpiritu ſancto, & igne: non quia eundem in ſpiritu ſancto, atque igne baptizet: ſed quo ſanctus baptizetur ſpiritu ſancto, & is qui poſt fidem & magiſtrum dei rurſum ad ſcelera conuerſus eſt, cruciatu purgetur incendij. Beatus qui lauacrum accepit ſpiritus ſancti, & ignis lauacro non indiget. Miſerabilis autem, & omni fletu dignus, qui poſt lauacrum ſpiritus, baptizandus eſt igni. Vtrunque ſiquidem habet baptiſma Ieſu. Exiit nanque virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit. Virga peccatoribus, flos iuſtis. Sic deus & ignis conſumens, & lumen in ſcripturis dicitur. ignis peccatoribus, lumen ſanctis. & beatus qui habet partem in reſurrectione prima. Si quis ſeruauerit lauacrum ſpiritus ſancti, iſte in reſurrectionis primę parte communicat. Si quis verò in ſecunda reſurrectione ſeruatur, iſte peccator eſt, qui ignis indiget baptiſmo, qui combuſtione purgatur, vt quic-M quid habuerit lignorum, fœni, & ſtipulæ, ignis conſumat. Quamobrem cum talia poſt mortem nobis reſidere videamus, ſcripturas diligenter ſimul recitantes reponamus eas in cordibus noſtris, & iuxta earum viuere præcepta nitamur, vt ante exceſſionis diem ſi fieri poteſt peccatorum ſordibus emundati cum ſanctis valeamus aſſumi, in Chriſto Ieſu, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Sap.1. *Duplex imago dei & diaboli.* *Hier.2.* *Hebr.4.* *Differentia peccatorum.* *Eſa.1.* *Eſa.4.* *Matt.3.* *Eſa.11.* *Deut.4.* *Ioan.8.* *Apoc.20.*

Homilia Decimaquarta. De eo quod ſcriptum eſt: Et dixit dominus ad me diebus regis Ioſiæ. vſq; ad eum locum in quo ait. Iuſtificauit animam ſuam Iſrael à peccatrice Iuda. Cap. III.

IPSVM primum lectionis ſermonem, qui perobſcurus eſt, debemus excutere, & poſtea ſi dominus dederit viam intelligendi ad altiorem ſenſum venire. in Regnorum libris infertur hiſtoria, quæ docet poſt Salomonis interitum temporibus Roboam duodecim tribus fuiſſe diuiſas: id eſt in decem tribus regnaſſe Hieroboam, & vocatas eas eſſe Iſrael: duabus verò præfuiſſe Roboam, & vocatas eas eſſe Iudam. Quæ diſcretio populi iuxta fidem libri, vſque ad præſentem diem permanet. Neque enim in aliquibus voluminibus inuenitur vbi Iſrael & Iuda ſub vno rurſus imperio redigantur. Primus itaque peccauit Iſrael ſub Hieroboam, & cæteris ſucceſſoribus eius, & tanta peccauit, vt à deo traderetur captiuitati, & ſeruiret apud Aſſyrios vſque ad præſentem

3.Reg.12.

tem diem. Et Iuda peccauit, traditúsque est Babyloniis non vsque ad hodiernam diem, sed (vt scriptura testatur) septuaginta annis, de quibus Hieremias prophetauit, & Daniel. Si intellexisti historiam quæ in Regnorum libris scripta est, considera verba prophetæ, & videbis eundem exprimi sensum. Accusatur Israel, & dicitur: Audiens congregatio Iuda quod ob peccata sua Israel traditus sit captiuitati, non egit pœnitentiam, nec conuersa est ad me: sed intantum peccata peccatis cumulauit, vt ad comparationem vitiorum eius iustior inueniatur Israel. Deinde propheta prædicare iubetur ad Israel, vt quia Iuda peior illo factus sit, conuertatur ad dominum, & Israel, & Iuda sub vno imperio futuros esse, & ad pristinam redituros concordiam. Quod vt planius fiat, ipsius scripturæ verba ponenda sunt. [Et dixit dominus ad me in diebus regis Iosiæ: Vidisti quid fecit mihi habitatio domus Israel?] Non dixit Iuda, sed prius Israel. [Abiit subtus omnem montem excelsum, & subtus omne lignum nemorosum, & fornicata est illic, & dixi postquam fornicata est hæc omnia: Conuertere ad me, & non est conuersa. Et audiuit præuaricationem eius, id est populi Israel, præuaricatrix Iuda. Et viderunt, id est ij qui erant de Iuda, quoniam de omnibus comprehensa est in quibus mœchabatur habitatio Israel. Dimisi eam, & dedi ei libellum repudij. Dimisi enim populum Israel, & eieci eos in Assyrios: Et dedi ei libellum repudij in manu eius, & non timuit præuaricatrix Iuda.] Post tanta quæ passa est Israel dimissa à Deo accipiens libellum repudij in manus suas, debuerat à vitiis Iuda conuerti, & per aliena peccata correpta sibi similia præcauere: quæ non solum peccare non desiit, sed pristina scelera duplicauit, intantum vt ad comparationem eius congregatio Israel, quæ prius fuerat ipsa damnata, sit iustior. [Et dedi ei libellum repudij in manus eius, & non timuit præuaricatrix Iuda soror eius, sed abiit, & fornicata est & ipsa, & facta est fornicatio eius in nihilum, & mœchabatur in lignum & lapidem: & in his omnibus non est conuersa ad me præuaricatrix Iuda, ex toto corde suo, sed in mẽdacium: nec timuit ex his quæ fecerat Israel, vt toto corde conuerteretur ad me, & deposito mendacio (in quo perseuerabat) verè ageret pœnitentiam. Et dixit dominus ad me: Iustificauit animam suam Israel à præuaricatrice Iuda.] Peccata Israel cum Iudæ vitiis comparata iustificant quodammodo animam eius. [Vade & lege sermones istos ad aquilonem.] Si intellexisti historiam, videamus quid in his sermo mysticus significet. Vocatio gentium, expectatio Israel, habuit exordiũ vt testantur apostoli, post annunciationem quã Iudæorum prædicauerant synagogis: Ad vos (dicentes) erat missus sermo: sed quia indignos vos iudicatis æternę vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Paulus quoque sacra voce loquitur: Illorum peccato salus gentibus facta est ad zelandũ eos. Igitur multa peccata illius populi fecerunt eum à domino derelinqui, & nos ad spem salutis venire, qui alieni eramus testamentorum & repromissionis. Vnde etenim mihi nescio vbi extra sanctam terram nato, nunc de repromissionibus disputare, & credere in Deum patriarcharum Abraham, Isaac & Iacob, & in Iesum Christum qui omnium prophetarum vocibus prædicatus est? Si intellexisti duos populos, Israel & gentium, intellige transmigrationem Israel de populo Iudæorum, & de eo scriptum esse: [Dimisi eam, & dedi ei libellum repudij.] Dimisit enim verè Deus populum Israel, & dedit libellum repudij, vt sequens firmat exemplum. Iubet lex Moysi mulieri displicenti viro suo dari libellum repudij, & dimitti eam, & tunc viro licere vt alteram ducat. Iuxta hunc sensum intellige accipientes Iudæos libellum repudij, & omnino derelictos à domino. Vbi enim iam apud eos prophetæ? Vbi signa virtutum? Vbi manifestatio Dei? Non templum, non victimæ, non alius quilibet cultus voluminibus legis expressus. Eiecti sunt de regionibus suis, atque ita dedit dominus libellum repudij Israel. Post eos nos qui in scripturis Iudæi vocamur, Iudæi autem propter tribum Iuda, ex cuius Saluator stirpe descendit, conuersi sumus ad dominum: & nouissima nostra, quæ vtinam saltem in hoc tempore non complerentur, similia futura sunt peccatis Iuda, imò peiora. Et vt credas in consummatione seculi deteriora nobis euentura quàm euenerunt Iudæis, audi Saluatorem in euangelio prædicantem: Cum multiplicatæ fuerint iniquitates, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et in alio loco: Fient signa & prodigia in cœlo & in terra, ad decipiendos (si fieri posset) etiam electos. Tantáque incredulitas in vniuerso humano genere futura est, vt Saluator noster, qui omnia quæ sunt ventura cognouerat, loqueretur: Putas veniens filius hominis inueniet fidem super terram? Verè quippe, si iudicemus fidem & veritatem, non multitudinem, & respiciamus voluntatem hominum, non congregationem, videmus in tanto numero ecclesiarum fidelem difficilè reperiri. Tunc erant verè fideles quando martyrum victimæ feriebãtur, quãdo cruentas exequias prosecuti tristes ad ecclesiam reuertebantur, & omnis erat multitudo lugentiũ, quando catechumeni in prima statim fide pro ferendo martyrio ducebãtur, quando mulierculæ & infirmus sexus vsque ad mortem manebat intrepidus. Tunc verè signa de cœlo, tunc fiebãt portenta de terra. Tunc erãt pauci quidem, sed verè fideles, angustam & arctam ingredientes viam quæ ducit ad vitam. Nunc verò quãdo facti sumus plures, quia difficile est plures esse bonos, neque enim mentitur Iesus dicens: Multi vocati, pauci autẽ electi, ex tantis Christianã fidem pollicentibus pauci sanè repeRiuntur qui habeant fidem & veritatem, & beatitudine digni sint. Sic itaq; dicit: [Primum propter peccata dimisi Israel, & reliqui eum in commigrationem: Iuda autem audiens ea quæ acciderant Israel, noluit ad me conuerti.] De nostris loquitur peccatis, qui legẽtes ea quæ passus est populus Iudæorum, non timemus, neque dicimus: Si naturalibus ramis non pepercit, quãto magis nec nobis parcet deus? Si illos gloriantes esse se oliuam bonam, & de radice patriarcharum Abraham Isaac & Iacob, Christus clementissimus Deus pro suo merito eradicauit, quanto magis neq; nobis parcet, si similia fecerimus? Vide benignitatem & seueritatem dei. Neq; enim benignus tantum est & non seuerus, neque seuerus tãtum & non etiam benignus. Si benignus esset tantummodo, bonitatem eius contemneremus. Si seuerus tantũ, desperatio nos salutis propter peccata quæ fecimus, præcipitaret in vitia. Nunc verò quasi dãs necessaria, quippe habemus omnes bonitatem eius ob pœnitentiam, & seueritatem ob delicta, & benignus est & seuerus, & loquitur ad nos per Prophetam dicẽs: [Vidisti quid fecit mihi habitatio domus Israel (Israel in præsenti pro Iudæorum populo accipe) Abiit super omnem montem excelsum, & subiit vsque ad omne lignum nemorosum.] Si consideres pharisæum ascendentem templum cum superbia, & nõ percutientem pectus suum, neque mala propria sentientem, quomodo dicat, gratias tibi ago, quia nõ sum vt cæteri homines raptores, iniusti, adulteri, & sicut iste publicanus: ieiuno bis in sabbato, decimas do de substantia mea. Vides quomodo ascendit super omnem montem excelsum, & inflammatus arrogantia ista præsumat. Sunt autem alij qui ascendunt super colles, & fiunt subtus omne lignum non fructiferum, sed nemorosum: siquidem alterius naturæ est lignum quod vbertate fertile est, alterius quod tãtum abundat fronde foliorum. In nemoribus & lucis nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo arbores fertiles, sed oblectationi visus tantum ligna frondentia. Tales sunt hæretici qui orationem suam verborum decore componunt, non vt conuertant audientes à vitiis, sed vt delectent. Igitur qui istiusmodi seductione persuasus est, abiit subtus omne lignũ. Simúlque attende quare non dixerit omne lignum, & tacuerit, neque rursum addiderit omne lignum fructiferum, sed significanter adiecerit, subtus omne lignum frondosum, Quamobrem si intelligas cur præcipiatur in lege: Non plantabis omne lignum iuxta altare domini dei tui, nec facias nemus nominatum: quippe interdicitur ne lucus plantetur in templo: si obseruaueris quare dictum sit: [Fornicata est illic, & dixi postquam fornicata est hæc omnia, ad me conuertere, & non est conuersa, & vidit præuaricationem eius præuaricatrix Iuda:] de nobis dici intellige qui derelinquentes pactum quod cum deo fecimus, non seruamus; neque respicimus priorem populum & testamentum, & repromissiones, & nobilitatem generis per peccatum simile perdidisse. Si es-

Hier.25. Dan.9. Act.13. Rom.11. Deut.24. Christiani Iudæi propter tribũ Iuda. Matth.24. Matth.22. Rom.11. Deus non tãtum benignus sed & seuerus. Hæretici ligna frondosa. Luc.18.

G setis filij Abrahã, opera patris vestri faceretis, dicit eis dominus. Et in alio loco Ioãnes Baptista: Ne incipiatis, inquit, dicere in vobis, quia patrem habemus Abrahã. Dico enim vobis quia potens est dominus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Lapides esse nos significans, quia ad similitudinem lapidum obdurâres corda nostra renuimus veritatem. Et verè omnipotens Deus suscitabit filios Abrahæ de lapidibus, si permaneamus in adoptione eius, & spiritum per quem adoptati sumus, custodiamus in nobis. Vidit ergo præuaricationem Israel præuaricatrix Iuda, quæ non seruauit pactũ quod cum deo fecerat. [Et vidit quoniam de omnibus in quibus mœchabatur, comprehensa est illa generatio.] Omnia quippe quæ passus est Israel, nos qui sumus Iuda legentes in sacris voluminibus, inuenimus quoniam de omnibus mœchabatur habitatio Israel. Dimisit eam deus, & dedit ei libellum repudij. Et cum debemus ex his quæ illi passi sunt, nos ad meliora conuerti, & inspicere quod illi propter peccata ducti sunt captiui, & interfecti ab inimicis, & ciuitates eorum igni exustæ sint: cum itaq; vt diximus, hæc nobiscum debemus reputare, quia si deus naturalibus ramis non pepercit, quanto magis nec nobis parcet: si illos qui de patriarcharum genere descendebant, sic propter peccata dimisit, quid nos necesse sit vocatos ex gentibus pati: nihil horum reputamus: & ideo nos vocatos, vt illi incitentur ad zelum, videntes seruos aliquando liberos, ignobiles aliquando nunc dei filios.

Ioan. 8. Matt. 3.

H Si autem illi tanta passi sunt, quanto magis nos si peccauerimus, peiora patiemur? [In quibus mœchabatur habitatio domus Israel. Dimisi eam, & dedi ei libellum repudij in manus eius, & non timuit præuaricatrix Iuda hæc quæ fecit habitatio Israel, quia dimisi eam, & dedi ei libellum repudij. Nec timuit præuaricatrix Iuda, vt ne ipsa propter peccata sua similia sustineret.] Si quis nuper emptus domum emptoris & domini fuerit ingressus, sciscitatur ab aliquo cõseruo, si quis de prioribus seruis offenderit dominum quid promeruerit: & si voluerit in domo domini perseuerare, cauet ea facere quæ eos fecisse audiuit, qui verberibus & tormentis & relegatione digni extiterunt. Deinde diligentissime inquirens quid fecerunt illi qui libertatem à domino meruerunt, omni labore nititur vt ea faciat quæ eos fecisse cognouit. Et nos itaq; qui non eramus serui domini, sed idolorum & dæmonũ, & postea ex gẽtibus congregati credidimus in Christum, legamus scripturas, videamus quis iustificatus sit, quis offenderit deũ, & cum omni obseruatione nitamur ea facere quæ iustos legimus fecisse, & caueamus in hæc incidere in quæ inciderunt hi qui traditi sunt captiuitati, & eiecti de hæreditate Dei. [Et non timuit præuaricatrix Iuda, sed abiit, & fornicata est & ipsa.] Post fornicationem in qua primus corruit Israel, fornicata est etiam Iuda. [Et facta est fornicatio eius in nihilum, & mœchabatur in ligno & lapide.]

I Quando peccamus duro contra Deum corde, nihil aliud facimus, nisi cum lapide fornicamur. Quando in voluptate peccamus, mœchamur subtus omne lignum nemorosum. [Et in his omnibus non est conuersa ad me præuaricatrix Iuda ex toto corde suo, sed in mendacio.] Et nos conuersi sumus ad dominum, sed quia non ex toto corde conuersi, dicitur: Non est conuersa ad me præuaricatrix Iuda ex toto corde suo. Neque verò ait, non est conuersa ad me præuaricatrix Iuda & tacuit, sed nõ est, inquit, conuersa ad me præuaricatrix Iuda ex toto corde suo, verum in mendacio: vt ostenderet eos qui conuertuntur, si non ex toto corde conuertuntur, in mendacio, non in veritate conuerti. Quapropter legamus veteris Testamenti historias & prophetas, & si quos iustificatos inuenerimus, imitemur ea per quæ illi iustificati sunt. Legamus euangelia, & omne nouum Testamentum. Legamus apostoli Pauli epistolas vniuersas, & scribamus in cordibus nostris, viuentes iuxta præcepta cœlestia, vt non tradatur & nobis libellus repudij: sed cohæredes efficiamur cum Christo Iesu: & videbimus quod plenitudine gentium ecclesiam Dei introeunte in nouissimis saluetur Israel, secundum illud eloquium, Cum autem plenitudo gentium introierit, tũc omnis Israel saluus erit, & fiet vnus grex, & vnus pastor, docẽs in commune populum suum magnificare omnipotẽtem dominum cum Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

K

Rom. 11. Ioan. 10.

PROLOGVS D. HIERONYMI in Ezechielem.

MAGNVM est quidem amice, quod postulas, vt Origenem faciam Latinum, & hominem iuxta Didymi videntis sentẽtiam, alterum post Apostolum ecclesiarum magistrum etiam Romanis auribus donem: sed oculorum, vt ipse nosti, dolore cruciatus, quem nimia impatiens lectione contraxi, & notariorum penuria, quia tenuitas hoc quoque subsidium abstulit: quod rectè cupis, tam ardenter vt cupis, implere non valeo. Itaque post quatuordecim Homilias in Hieremiam, quas iam pridem confuso ordine interpretatus sum, & has quatuordecim in Ezechielem per interualla dictaui, id magnopere curans, vt idioma supradicti viri à simplicitate sermonis, quæ sola ecclesiis prodest, etiam translatio conseruaret, omni rhetoricæ artis splendore contempto: res quippe volumus non verba laudare: & illud breuiter admonens, vt scias Origenis opuscula in omnem scripturam esse triplicia. Primum eius opus excepta, quæ Græcè σχόλια nuncupantur, in quibus ea quæ sibi videbantur obscura, atque habere aliquid difficultatis, summatim breuiterque perstrinxit. Secundum homiliaticum genus, de quo & præsens interpretatio eius est. Tertium quod ipse inscripsit τόμους, nos volumina possumus nuncupare, in quo opere tota ingenij sui vela spirantibus ventis dedit, & recedens à terra in medium pelagus aufugit. Scio te cupere, vt omne genus transferam dictionis: præmisi causam cur facere non possim. Hoc tamen spondeo, quia si orante te Iesus reddiderit sanitatem, non dicam cuncta, quia hoc dixisse temerarium est, sed permulta sum translaturus, ea lege qua tibi sæpe constitui, vt ego vocem præbeam, tu notarium.

L

Sola simplicitas sermonis ecclesiis prodest.

Triplicia opera Origenis.

M

ORIGENIS IN EZECHIELEM

DE PRIMA VISIONE EIVSDEM, Homilia I. CAP. I.

NON omnis qui captiuus est, propter peccata sustinet captiuitatem. Nam cum omnis multitudo Iudæorum causa peccati derelicta fuerit à Deo, & captiuitatem sustinens comprehensa sit à Nabuchodonosor, atque eiecta de terra sancta in Babyloniã vsque perducta sit: pauci tamen iusti qui erant in populo, non ob culpam suam sustinuerũt captiuitatem, sed ob id ne peccatores qui fuerant iugo captiuitatis oppressi, omnino subsidium non haberent. Fingamus quippe peccatoribus in Babyloniam abductis, iustos in antiquis finibus resedisse: fiebat vt nunquam peccatores remedium consequerentur. Disposuit igitur clemẽs & benignus, & hominum amator deus inter supplicia quibus peccatores punit, etiam visitationis suæ miscere pietatem, nec immoderata pœna miseros premere. Sẽper talis est Deus noster, excruciat nocentes, sed quasi pius pater tormentis clementiam sociat. Si autem vis agnoscere vera esse quę dicimus, vide quid acciderit in Ægypto à fame. Si voluisset interficere tãtum Ægyptios, & punire cruciatos in septennali

A in septennali fame, fecisset vtique quod voluerat: & neq; Ioseph in Ægyptum descendisset, nec Pharao vidisset somniũ de his quæ Ægypto fuerant euentura, nec regi fuisset ostensum à principe vinariorum, esse quẽdam qui possit regi somniũ interpretari. Nunc, verò, vt cernis, deus flagellat quasi pater, parcit autem non solũ Israel, verum & Ægyptiis, cũ alieni sint ab eo, propter propriã mansuetudinem. Et manifestũ est, quia boni dei opus super eos exerceatur, dum Ioseph descendit in Ægyptum, dum Pharao somniis admonetur, dum princeps vini interpretem indicat, dũ interpres disserit visa, atq; ita vbertatis tẽpore frugibus congregatis posterioris famis penuria vincitur. E quibus omnibus perspicuum est, non esse immoderatam irã, quæ ab hæreticis in creatore reprehẽditur. Poteramus quidem multas historias retexere ad hæc probanda quę dixi: sed ne videar à proposito recedere, compendium facio sermonis. Propositum quippe mihi est explanare de eo, quod propter peccata sua captiuus abductus sit populus Israel. Et ne fortè aliquis arbitretur peccatores à deo traditos ab eo vlterius non gubernari, & semel in captiuitatem redactos vltrà dispensationem eius & misericordiam non mereri, præsentem locum diligentius cõsideremus. Daniel non peccauit, Ananias, Azarias, Misael à peccato immunes fuerunt, & tamen captiui effecti sunt, vt tibi positi captiuum populum consolarentur, & per exhortationem vocis suæ pœnitentes in Hierusalem restituerent castigatos pro B tempore. Septuaginta quippe annis seruitutis supplicia pependerunt, ac sic deinde in sedes proprias reuersi sunt, quia sanctus prophetarum sermo deiectos animos subleuauerat. Verum non solum ij quatuor in captiuitate prophetæ extiterunt, sed & Ezechiel vnus ex eis fuit, & Zacharias filius Barachiæ captiuitatis tempore sub Dario rege cecinit. Inuenie-mus etiam Aggæum, multósque alios prophetarum iisdem prophetasse temporibus. ex quibus indicatur deum non tantummodo punire peccantes, verum & misericordiam miscere suppliciis. Quod si dubitas, audi voces tormenta patientium, quomodo sacratim & in cruciatibus suis clementiam Dei eloquantur: Cibabis nos pane lachrymarum, & potabis nos in lachrymis & in mensura. Non ait indifferenter in lachrymis: sed in lachymis & in mensura. Misericordia quippe dei in pondere. Si non esset vtile conuersioni peccantium adhibere tormenta peccantibus, nunquam misericors & benignus Deus pœnis scelera puniret: sed quasi indulgentissimus pater ob hoc corripit filium, vt erudiat: quasi prouidentissimus magister ita seueritate frontis lasciuum discipulum castigat, ne amari se sentiens pereat. Vide Salomonem sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur. Fili noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo. Quem enim diligit dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Nullus est enim, inquit Apostolus, filius, qui cum peccauerit, non flagelletur à C patre. Et ad hoc mirabiliter addidit dicens: In disciplina perseuerate. Tãquam filiis vobis offert se deus. Quis enim filius quem nõ corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, adulteri & non filij estis. Sed sit forsitan aliquis, qui ipso nomine irę offensus criminetur eam in deo. Cui respõdebimus, non tã iram esse iram dei quàm necessariam dispensationem. Audi quod sit opus iræ Dei: vt arguat, vt corrigat, vt emendet. Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Qui hæc loquitur, scit furorem Dei non esse inutilem ad sanitatem, sed ad hoc adhiberi, vt curet ægrotãtes, vt emendet eos qui sermonem eius audire contempserunt. Idcirco nec deprecatur ne talibus remediis emenderur, ne cum pœnali medela recipiat pristinam sanitatem: quasi si seruus iam inrer flagella positus, dominum precetur, repromittens ei se imperata facturum, & dicat: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. Omnia quæ dei sunt, bona sunt, & meremur corripi. Ausculta quid dicat: Arguam eos in auditu angustiæ eorũ. Ideo audiuimus ea quæ de tribulatione sunt, vt emendemur. In maledictis quoq; Leuitici scriptum est: Si post ista non obedierint, neq; conuersi fuerint ad me, apponã eis plagas septem super peccata eorum. Si autem post hæc conuersi non fuerint, emendabo eos. Omnia dei quæ videntur amara esse,

Alienis à se parcit deus propter propriam mansuetudinẽ. — *Multi prophetæ in captiuitate Babylonica.* — *Eccl.7.* — *Hebr.12.* — *Necessaria dei ira.* — *Psal.6.* — *Leuit.26.*

ad eruditionem & remedia proficiũt. Medicus est deus, pater D est deus, dominus est: nõ asper, sed lenis est dominus. Si veneris ad eos qui puniti sunt secundũ eloquia scripturarum, compone scripturas scripturis, vt & te Apostolus docet, & videbis ibi dulcissima esse, vbi amarissima existimantur. Scriptum est in Propheta: Nõ vindicat bis in id ipsum in iudicio. Vindicauit semel in iudicio per diluuium, vindicauit semel in iudicio super Sodomã & Gomorram, vindicauit semel in iudicio super Ægyptum, & sexcenta millia Israelitarũ. Noli existimare quod hæc vltio pœna tantum fuerit peccatoribus, quasi post mortẽ & supplicia iterum à supplicio excipiendi sint. Puniti sunt in præsenti, ne in futuro iugiter punirentur. Cerne pauperem in euangelio, squalore & penuria præmitur, & postea in Abrahæ sinu requiescit. Recepit mala sua in vita sua. Vnde scis an receperint qui in diluuio sunt necati, mala sua in vita? Vnde nosti vtrúmne restituta sint Sodomę & Gomorræ mala sua in vita sua? Audi testimonium scripturarum. vis Testamenti veteris testimonium discere? vis noui edoceri? Restituetur Sodoma in antiquum: & adhuc dubitas an bonus sit dominus puniens Sodomitas? Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, dicit dominus miserans Sodomitas. Benignus ergo est deus, clemẽs est deus. Solem suum verè oriri facit super bonos & malos: & pluit verè super iustos & iniustos, non solum hunc quem oculis cernimus solem, sed & illum solem qui oculis mẽtis aspicitur. Ego malus eram, & ortus est mihi sol iustitiæ. Ego malus eram, & venir super me pluuia iustitię. Bonitas dei est etiam in his quę E amara existimantur. Igitur in ciuitate constitutus est Propheta, & cerne quæ videat, ne dolores sentiat captiuitatis. Deorsum videt labores, sed sursum eleuans oculos, apertos suspicit cœlos, cernit sibi reserata cœlestia, videt similitudinem gloriæ Dei, videt quatuor animalia, de quibus multus sermo, & difficilis interpretatio est. Cernit aurigam quatuor animalium. Cernit rotas se inuicem continentes. Auriga quatuor animalium non totus est igneus, sed pubetenus à pedibus, & exinde vsque ad summum electri fulgore rutilat. Non enim solum tormenta habet deus: sunt in eo etiam refrigeria. Punit peccatores, sed per ea ministeria quæ deorsum sunt. Neque enim Propheta ignem vidit in capite, aut in his membris quæ à lumborum confinio ad summa consurgunt. Igneus est dominus, sed à renibus vsque ad pedes, vt demonstret eos qui in generatione versantur igne indigere. Renis quippe coitus significatio est. Adhuc in lumbis Abraham patris erat Leui, quando ei occurrit Melchisedech. Et in psalmo dicitur: De fructu lumbi tui ponam super sedem meam. Igneus est à renibus vsque ad deorsum dominus. Generationis enim & libidinis opera gehennæ suppliciis corripiuntur. Igneus est Deus, sed non totus est igneus. Superiora eius electrum sunt. Electrum nõ solum argento, verum & auro preciosius est. Electrum autem pro exemplo fulgoris scriptura F posuit, non quod deus verè electrũ sit. Et quomodo non est tale electrum Deus quale videbatur: sic non est talis ignis qualis à renibus vsque ad pedum finem apparuit. Ignis iste consumit, & non est appositum quid cõsumat, vt tu quærens reperias quid sit illud quod à Dei igne consumitur. Deus noster ignis consumens est. Quid consumit ignis iste? Non ligna quæ cernimus, non sensibile fœnum, non stipulam quæ videtur, sed si superædificaueris fundamento Iesu Christi opera peccati ligna, opera peccati fœnum, opera peccati inferiora stipulam, venit ignis, & vniuersa ista examinat. Quis est iste ignis quem lex prædicat, & Euangelium non tacet? Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Quis est Apostole ignis iste qui probat opera nostra? Quis est ignis iste sic sapiens, vt custodiat aurum meum, vt argentum meum splendidius ostendat, vt illæsum relinquat eum qui in me est lapidem preciosum, vt mala tantum consumat quæ feci, quæ superædificaui ligna, fœnum stipulam? Quis est iste ignis? Ignem veni mittere super terram, & quàm volo vt accendatur. Iesus Christus dicit, quàm volo vt iam accendatur. Bonus enim est, & nouit quia si ignis iste fuerit accensus, malitia cõsumetur. Scriptũ est in prophetis: Sanctificauit eũ in igni ardenti, & vorauit tanquam fœnum syluam. Et rursum: Emittit dominus Sabaoth in tuum honorem contumeliã, & in tuam

Naum.1. — *Gen.7.19.* — *Exod.14.* — *Luc.16.* — *Marc.6.* — *Matt.5.* — *Ezec.1.* — *Hebr.7.* — *Psal.132.* — *Deut.4.* — *1.Cor.3.* — *Luc.12.* — *Zach.13.*

G gloriam ignis ardēs accenditur, id est, vt tu glorificeris, emittitur ignis in opera peccatorū tuorum. Vis adhuc à Propheta discere, quia tormenta boni dei sint ad vtilitatem eorum qui ea sustinent constituta? Ausculta eundem Prophetam dicentem: Habes carbones ignis, sedebis super eos, ij erunt tibi adiutorio. Hæc oportebat abscondere, & in mediū non proferre, sed hæretici nos impellunt, vt celanda efferamus in publicum: quia tecta sunt vtiliter apud eos, qui adhuc paruuli iuxta animæ ætatem sunt, qui metu indigent magistrorum, minis & terroribus corripiendi sunt, vt possint consequi bonitatem, vt per amara remedia à vulneribus peccatorum aliquando desistant. Semper enim sacramenta dei propter paruulos auditores velaminibus quibusdam operiuntur. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Legis & prophetarum deus abscondit multitudinem bonitatis suæ non diligentibus, sed timentibus se. Paruuli quippe sunt nec possunt cum emolumēto suo discere quod amentur à patre, ne dissoluantur, ne despiciant bonitatem dei. Quapropter cum audieris de populi captiuitate crede quidem vere accidisse eam iuxta historiæ fidem, sed in signum rei alterius præcessisse, & subsequens significasse mysterium. Nam & tu qui vocaris fidelis, qui conspicis pacem, Christus quippe pax nostra est, in Hierusalem commoratis. Si autem peccaueris, derelinquet te visitatio dei, & traderis captiuus Nabuchodonosor, & traditus duceris in Babylonē.

Esa.47.

Hæretici impellunt, vt celanda efferantur in publicū.

H Cum enim confusa fuerit anima tua à vitiis & perturbationibus, abduceris in Babylonem, quoniam Babylon confusio interpretatur. Et si rursum pœnitentiam egeris, & per conuersionem veri cordis misericordiam dei impetraueris, mittitur tibi Esdras qui te reducat, & ædificare faciat Hierusalē. Esdras quippe interpretatur adiutor, & mittitur tibi verbum iuuans, vt reuertaris in patriam tuam. Sacramentum est & id quod in ænigmate & à Daniele dicitur, & ab Apostolo abscondente pariter & reuelāte narratur. In Adam omnes morimur, & in Christo omnes viuificamur. Fuit quippe Adam in paradiso, sed serpens captiuitatis eius causa extitit, & fecit vt eijceretur siue de Hierusalem, siue de paradiso, & veniret in locum hunc lachrymarū. Serpens hostis est contrarius veritati. Contrarius autem non à principio creatus est, neque statim super pectus & ventrem suum ambulauit, neque fuit ab initio maledictus. Sicuti Adam & Eua non statim vt facti sunt, peccauerunt: ita & serpens fuit aliquando non serpens, cum in paradiso delitiatum moraretur. Vnde postea corruēs ob peccata meruit audire: Tu signaculum similitudinis, corona decoris in paradiso dei natus es, donec inuenta est iniquitas in te, ambulasti immaculatus in omnibus viis tuis. De quo etiam Iob memorat, quia in conspectu omnipotentis dei superbierit. Cecidit quippe de cœlo lucifer qui mane oriebatur, contritus est super terram. Vide consonantiam prophetici euangelicique sermonis. Prophetes dicit: Cecidit de cœlo lucifer qui mane oriebatur, contritus est super terram. Iesus loquitur: Videbam satanā quasi fulgur de cœlo cadentem. In quo differt dicere fulgur, aut luciferū de cœlo ruentem? Quod ad rem pertinet, omnis consonantia de cadente

1.Cor.15.

Ezech.28.

Iob 11.

Es.14.

Luc.10.

I est. Deus quippe mortem non fecit, nec malitiam operatus est. Liberum arbitrium & homini, & angelo ad vniuersa permisit. Hic iam intelligēdum est, quomodo per arbitrij libertatem, alij ad bonorum conscenderint summitatem, alij corruerint in malitiæ profundum. Tu verò homo, quare nō vis arbitrio te tuo derelictū? Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera te ipsum causam tuæ fieri salutis? An magis te delectabit dormientem, & in otio constitutum æterna prosperitate requiescere? Pater meus (inquit dominus Iesus Christus) vsque modo operatur, & ego operor, & tibi displicet operari qui ad opera natus es? Non vis opus tuum fieri iustitiam, sapientiam, castitatem? Non vis tuum opus esse fortitudinem, aliásque virtutes? Igitur in captiuitatem ducuntur, qui propter peccata sua seruitutis meruere supplicia. Et venit Iesus Christus prædicare captiuis remissionē, & cæcis visum. Iste clamat eis qui sunt in vinculis, egredimini: & ijs qui versantur in tenebris, videte. Et nos fuimus in vinculis peccatorum, & nos aliquādo versabamur in tenebris, aduersum rectores tenebrarum mundi istius concertantes: venit Iesus omnium prophetarum vocibus prædicatus, dicens ligatis, exite, & constitutis in tenebris, aspicite. Si autem vis audire Ezechielem filium hominis in captiuitate prædicantem, & iste typus erat Christi. [Ideo factū est ait, in trigesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis, & ego eram in medio captiuitatis secus flumen Chobar, & aperti sunt cœli.] Secus fluuium ergo Chobar Ezechiel cum triginta esset annorum apertos vidit cœlos. Et dominus Iesus Christus incipiens erat quasi triginta annorum secus fluuium Iordanem, & aperti sunt cœli. Et per omnem prophetiam Ezechieli dicitur: Fili hominis. Quis autem filius hominis, vt dominus meus Iesus Christus? Respondeant mihi hæretici qui natiuitatem illius vt phantasma eludunt: quare Christus filius hominis appellatur? Ego affirmo filium hominis eum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est vt ante passionem susceperit natiuitatem. Neque enim potuit humanos affectus, verba, consuetudines, crucem, mortem recipere, si non reciperet humanitatis exordium. Et consequens erat natiuitatem eius auferentes, auferre etiam passionem, & simpliciter dicere, non est crucifixus Iesus. Nunc verò crucem confiteris, & non erubescis: Iudæis scādalum prædicas crucifixum, & gentibus stultitiam. & minus scandalum passione vel morte, erubescis natiuitatem eius confiteri. Nimirum minus scandali est Iesum natum fuisse, quàm mortuum, aut si scandalū Christiana fides non veretur, cur times dicere minora, qui maiora ausus es confiteri? Præsertim cum natiuitas illius non ex semine viri & mulieris somno conuenientis esse credatur, sed iuxta prophetæ eloquium dicentis: Ecce virgo in vtero concipiet. & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Hoc quod dicitur Emmanuel, non vnum nomen sonat, sed rem significat. Adueniente quippe Iesu dicimus, nobiscum dominus. Nō frustra ergo in trigesimo anno prophetat Ezechiel. Nam & nomen eius figura Christi est. Interpretatur quippe Ezechiel imperium dei: imperium autem dei nullus est, nisi Christus Iesus. Filius quoque Buzi scribitur, quod interpretatur contemptus. Si venias ad hæreticos, & audias eos spernentes, & pro nihilo ducentes creatorē, & insuper etiam criminantes, videbis iuxta illos contemptissimi creatoris filium dominum nostrum Iesum Christum. Quod si quis reluctatur, & nō vult hæc quæ exposuimus, quasi prophetiam recipere, quætam ab eo cur scriptum est in trigesimo anno vitæ Ezechielis apertos fuisse cœlos, & vidisse eum eas visiones quæ in libro eius continentur. Quid mihi prodest annorum numerus, nisi hoc, vt discam trigesimo anno & Saluatori & prophetæ cœlos fuisse reseratos, & spiritalibus spiritalia comparans, cognoscam vniuersa quæ scripta sunt, eiusdem esse dei sermones? Quippe verba sapientium vt stimuli, & quasi claui in altum confixi, quia compungentibus dati sunt à pastore vno. Ego & hoc quod dicitur [in quarto mense quinta mensis,] iuxta possibilitatem sensus mei inuestigans, precor à deo vt idipsum possim intelligere quod scripturarum eius congruit voluntati. Nouus annus imminet iam Iudæis, & primus mensis apud eos à noui anni numeratur exordio. Agitur autem pascha de numero noui anni. Principium mēsium iste vobis erit in mensibus anni. Ab hoc anno numera mihi

Ezechiel typus Christi.

Ioan.1.

Luc.3.

Cōtra Valētinianos.

1.Cor.1.

K

L

Esa.7.

Eccl.12.

Exod.12.

M quartum mensem, & intellige baptizatum Iesum in quarto mense noui anni. Eo enim mēse qui apud Romanos Ianuarius nuncupatur, baptismum domini factum esse cognoscimus, qui est mēsis quartus ab anno nouo iuxta supputationē Hebræorū. Et quia de quatuor elemētis mundi subsistēs corpus assumpserat, recipiens etiam sensus humanos, ideo forsitan & in quarto mense, & in quinto die mensis est intuitus visionem. [Et ego eram in medio captiuitatis.] Videtur mihi ironicôs dictum: Et ego eram in medio captiuitatis. Et ego. quasi si dicat iuxta historiam quidē Propheta, & ego qui non tenebar in peccatis populi, eram in medio captiuitatis: iuxta allegoriam autem Christus, & ego veni in locum captiuitatis, veni ad eos fines, vbi serui, vbi captiui detinebantur. Habes istiusmodi Saluatoris nostri voces in prophetis, indignātis quia non faciamus homines digna dispensatione eius, & maxime nos qui in eum putamur credere. Dicit quippe ad patrem suum: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit

Ioan.5.

Luc.4.

Psal.29.

A nunciabit veritatem tuam? Inuenio quoq; & aliam istiusmodi vocem, quæ ex Saluatoris nostri persona dicitur per Prophetam, quærentem animas plenas iustitiæ, plenas sensuum diuinorum, plenas sanctorum fructuum, & quærentem veritatis veros botros, sed inuenientem plurimos peccatores & inferaces bonorum, & idcirco dicentem: Heu mihi quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia, ad quam non supersit botrus ad manducādum primitiua. Heu mihi. Quod dicitur heu mihi, non est primogeniti totius creaturæ, non est diuinitatis vox, sed humanæ animę quam suscepit: vnde infert. Heu mihi anima mea, quia periit reuertens à terra, & qui corrigat inter homines nō est. Omnes in sanguine iudicantur, vnusquisq; proximum suum tribulat. Hæc idcirco memorata sunt, quia ait prophetes: [Et ego eram in medio captiuitatis iuxta flumen Chobar] quod interpretatur grauitudo. Grauis autē est huius seculi fluuius, sicut & alibi sacratè dicitur. Et iuxta simplices quosq; historiam explicat: iuxta eos verò qui spiritaliter scripturas audiūt, de anima significat, quæ in vitæ istius inciderit turbines. Super flumina Babylonis ibi sedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion, in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra, quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba canticorum. Ista sunt flumina Babylonis, iuxta quæ sedentes & reminiscentes patriæ cœlestis, lugent atq; deplorant, vbi suspēdunt organa sua, in salicibus legis & mysteriorum dei. Scriptum est in quodam libro, quia salignam omnes credentes accipiant coronā. Et in Esaia dicitur: Orietur quasi in medio aquæ fœnum, & salix super aquam fluentem. Et in solennitate dei, quando tabernacula eius componuntur, salignos ramos in tabernaculorū fixione constituūt.

Mich. 7. — *Chobar significaret grauitatē, si scriberetur per daleth.* — *Psal. 136.* — *Esa. 44.*

B [Secus fluuium Chobar.] Secus flumē istud grauissimum seculi. [Et aperti sunt cœli.] Clausi erant cœli, & ad aduentum Christi aperti sunt, vt reseratis illis veniret super eum spiritus sanctus in specie columbæ. Neq; enim poterat ad nos commeare, nisi primum ad suæ naturæ consortem descendisset. Ascendit Iesus in altum, captiuam duxit captiuitatem, accepit dona in hominibus. Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Et ipse dedit alios apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios pastores & magistros in perfectionem sanctorum. [Aperti sunt cœli.] Non sufficit vnum cœlum aperiri: aperiuntur plurimi, vt descendant nō ab vno, sed ab omnibus cœlis angeli ad eos qui saluandi sunt. Angeli qui ascendebant & descendebāt super filium hominis, & accesserunt ad eum, & ministrabāt ei. Descenderunt autem angeli, quia prior descenderat Christus, metuentes descendere priusquàm dominus virtutum omniū retúmq; pręciperet. Quando autem viderunt principem militiæ cœlestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes dominum suum, & parētes voluntati eius. Qui distribuit eos custodes credētium homini suo. Tu heri sub dæmonio eras, hodie sub angelo. Nolite, inquit dominus, contemnere vnum de minimis istis qui sunt in ecclesia. Amen enim dicō vobis, quia angeli eorū per omnia vident faciem patris qui est in cœlis. Obsequuntur saluti tuæ angeli, concessi sunt ad ministerium filij dei, & dicūt inter se: Si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes angeli descendamus è cœlo. Ideo & multitudo militiæ cœlestis erat laudantium & glorificantium deum, quando natus est Christus. Omnia angelis plena sunt, veni angele suscipe sermone conuersum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: & suscipiēs eum quasi medicus bonus confoue atq; institue: paruulus est, hodie nascitur senex repuerascens: & suscipe tribuens ei baptismum secūdæ regenerationis, & aduoca tibi alios socios ministerij tui, vt cuncti pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. Gaudium enim est maius in cœlis super vnum peccatorem pœnitentiam agētem, quàm supra nonagintanouem iustos, quibus non est opus pœnitentia. Exultat omnis creatura, collætatur & applaudit his qui saluandi sunt. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorū dei expectat. Et licet nolint ij qui scripturas apostolicas interpollauerunt

Ante christum cœli clausi. — *Ephe. 4.* — *Matth. 18.* — *C* — *Apostrophe ad angelū custodem.* — *Luc. 15.* — *Rom. 8.*

istiusmodi sermones inesse libris eorū quibus possit creator Christus approbari, expectat tamen omnis creatura filios dei, quando liberentur à delicto, quando auferantur de zabuli manu, quando regenerentur à Christo. Verum iam tēpus est, vt de præsenti loco aliqua tangamus. Vidit Propheta non visionem, sed visiones dei. Quare nō vidit vnam, sed plurimas visiones? Audi dominum pollicentem atque dicentem: Ego visiones multiplicaui. Quinta mensis. Hic annus quintus captiuitatis regis Ioachim. Trigesimo anno ætatis Ezechielis, & quinto captiuitatis Ioachim, propheta mittitur ad Iudęos. Non despexit clementissimus pater, nec longo tempore incommonitū populum dereliquit. Quintus est annus. Quantum tēporis intercessit? Quinque anni interfluxerunt ex quo captiui seruiunt. Statim descēdit spiritus sanctus, aperuit cœlos, vt hi qui captiuitatis iugo premebantur, viderent ea quæ videbantur à Propheta. Dicēte quippe eo: Et aperti sunt cœli, quodammodo & ipsi intuebantur oculis cordis quæ ille etiam oculis carnis aspexerat. [Et factus est sermo domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem.] Sermo domini qui in principio erat apud deum patrem deus verbum, sermo qui credentes efficit deos. Si enim dixit illos deos ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura, ad quoscunq; sermo dei factus est, facti sunt dij. Ezechiel quoque deus fuit, quia factus est sermo dei ad deum: Ego dixi dij estis, & filij altissimi omnes. Vos verò vt homines moriemini, & quasi vnus ex principibus cadetis. Vbi habetis in nouo Testamento istiusmodi repromissionem? Si oportet instrumenta distinguere, & dicere inter se dissidentes deos, quod quidem nefas est etiam suspicari, sed iuxta abusionē dicimus, audacter profecto dicam, multo maiorem in veteri Testamento ostendi humanitatem quàm in nouo. Ego dixi dij estis, & filij altissimi omnes. Non ait quidam dij estis, & quidam non estis: verum omnes dij estis. Si autem peccaueritis, ausculta quid sequitur: Vos verò vt homines moriemini. Non est hæc culpa vocantis ad salutem, non ipse causa mortis qui inuitat ad diuinitatem, & ad cœlestis naturæ adoptionem, sed in nostro peccato, & in nostro scelere consistit quod dicitur: Vos autē vt homines moriemini, & quasi vnus de principibus cadetis. Multi principes erant, & vnus ex eis corruit, de quo & in Genesi scribitur: Ecce Adam factus est non quasi nos, sed quasi vnus ex nobis. Ergo quando peccauit Adam, tunc factus est quasi vnus. [Et factus est sermo domini ad Ezechielem filiū Buzi.] Etiam si de Saluatore hęc dicta volueris intelligere, ne timeas, habet & sic allegoria intellectum suum: Venit sermo domini ad eum qui de virgine nascebatur, id est hominem, sermo semper in patre manens: vt fierent vtráque vnum, & consociaretur homo, quem ob sacramentum & salutem vniuersæ humanitatis indueret, diuinitati eius & naturæ vnigeniti dei. [Factus est sermo domini ad Ezechielem filiū Buzi, sacerdotem in terra Chaldæorum.] Chaldæi de cœlestibus disputant: Chaldæi natiuitates hominū ratiocinantur. In terra Chaldęorum. Quasi si dicat, eorum qui asserunt fatum, eorum qui causas vniuersitatis astrorum circuitu vendicant. Iste ergo nunc error, & ista mētis peruersitas figuraliter in Chaldæorum terra significatur. [In terra Chaldæorum secus flumen Chobar. Et facta est illic super me manus domini.] Et sermo domini factus est ad Prophetam, & manus, vt & factis ornaretur & verbis. [Et vidi visiones.] Aliqua perstringā, & licet pro angustia temporis ea quæ dixi, possint sufficere, tamen etiam de toto corpore visionis summa quæq; libabo. [Et vidi, & ecce spiritus surgens veniebat ab aquilone.] Diligenter considera rerum numerum quæ dicuntur: Spiritus surgens siue auferens veniebat ab aquilone, ecce vna res. [Et nubes magna erat in eo] ecce duæ. [Et splendor in circuitu eius.] ecce tres. [Et ignis refulgens.] ecce quatuor. [Et in medio eius sicut visio electri in medio ignis.] ecce quinque. [Et lumen in eo.] ecce sex. [Post hæc similitudo quatuor animalium, & visio eorum,] & narratio visionis. ecce septem. [Et in medio animalium quasi carbones ignis] ecce octo. Quis potest ista minutatim exponere? Quis ita est capax spiritus dei, vt hæc sacramenta dilucidet? Oportebat accusatores creatoris & dei prophetarum primum intelligere quæ dicuntur à prophetis, & postea criminari. Qui enim verè accusat, ea de-

D — *Osee. 12.* — *Psal. 82.* — *E* — *Gene. 3.* — *F* — *Chaldei qui.* — *Octo circūstantiæ visionis Ezechielis.*

G bet accusare quæ nouit. Si verò hæretici ne prope quidem sunt intellectui diuino, quomodo rationabiliter accusant quod eos nescire conuincimus? Discant quis in hac visione sit sensus. Primum apparet spiritus auferens. Secundo nubes magna in spiritu auferente. Tertio splendor in circuitu spiritus auferentis. Quarto ignis refulgens. Quinto in medio eius sicut visio electri, haud dubium quin in medio ignis. Sexto splendor in eodem electro. Confiteor libenter à sapiente & fideli viro dictam sentētiam, quam sæpe suscipio: De deo & vere dicere periculum est. Neque enim ea tantum periculosa sunt quæ falsa de eo dicuntur: sed etiam quæ vera sunt, & non opportune proferuntur, dicenti periculum generant. Margarita vera est, sed si peruerse, discrimē eius est quod dicit pedibus eorum. Et vt iuxta nos aliquod ponamus exemplum, collectiones istæ non solum in Aelia, non tantum Romæ, non in Alexandria, sed in omni semel orbe similitudinē referunt sagenæ, quæ ex omni genere piscium capit. Nō possunt vniuersa bona esse quę incidunt in eam. Ait quippe Saluator: Cum extraxerint, & secus litus sederint, eligent bona quidem in vasa sua, mala verò foras proiicient. Oportet ergo in sagena totius ecclesiæ esse & bona & mala. Si iam vniuersa munda sunt, quid derelinquimus iudicio dei? Et iuxta aliā parabolam, & frumentum & paleæ in area continentur, cum frumentum tantum in Christi horrea congregandum sit, & discernantur paleæ ab eo, cuius ventilabrum in manu eius, & mundabit aream suam, & congregabit frumentum in horreum, paleas verò cōsumet igne inextinguibili. Neque enim assero aream totum esse mundum, sed areā intelligo esse cœtum populi Christiani. Quomodo vnaquæque area circumscribitur, & est plena frumento, vel paleis, nec totum frumētum est, nec totum rursum palea: sic in ecclesiis terrestribus alius est frumentum, alius est palea. Verum ibi non sua causa, nec per voluntatem paleæ sunt: neque enim ex proprio ar-

H bitrio frumentum est: hic verò in tua potestate positum est, vt sis palea vel frumentum. Hæc nos docere debent, vt si aliquando aliquis in congregationibus nostris viderit peccatorem, non scandalizetur, neque dicat: Ecce peccator in cœtu sancto est. Si hoc licet, si hoc conceditur, quare & ego non peccem? Dum in pręsenti seculo sumus, id est in area, & in sagena, & boni & mali in ea continentur. Quando autem venerit Christus, fiet discretio, & implebitur illud quod ab Apostolo dicitur: Omnes nos oportet assistere ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis sui quę gessit, siue bona, siue mala. Hæc in procemio de interpretationibus visionum æstuans animus est locutus, & ambigēs quæ sileat, quæ proferat, quæ leuiter tacta dimittat, quæ ex iis manifestius, quæ obscurius exponenda sint, si tamen poterimus implere quod cupimus. Primum ergo videtur spiritus auferens: id quod paulò antè diximus, quia dominus noster ignis consumens sit, etiam nunc repetimus & dicimus huic testimonio congruere. Quomodo ponitur spiritus auferēs? Deus spiritus est, & spiritus auferens cernitur. Quid à me aufert, & ab anima mea, vt merito auferens prædicetur? Vtique mala: & tunc sentio bonitatem eius, si à me pessima quęque sustu-

I lerit. Neque verò putandum est finem esse beatitudinis, si à malis liberemur: initium felicitatis est carere peccato. Et in Hieremia scribitur (Omnia quippe quæ in prophetis scripta sunt, clementissimo deo vendico) Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te super gentes & regna eradicare, & suffodere, & disperdere, & ędificare, & plantare. Benignus est deus dans sermones ad eradicandum. Verū quid est quod eradicari debeat, & subuerti? Siqua plantatio in animo mala est, siqua secta nequam, hanc eradicat, hanc subuertit sermo propheticus. Vtinam autem cōtingat, vt mihi talis sermo donetur, qui eradicet hæreticorum semina, & doctrinam ex zabuli fonte manantem, qui de eius anima qui nunc primum ecclesiam ingreditur, idololatriæ auferat plantationem. Dedi sermones meos in os tuum. Ecce cōstitui te eradicare & suffodere. Scilicet vt si qua ædificatio pessima est, destruatur. Quàm vellem & ego suffodere quicquid Marcion in auribus deceptorum ædificauit, eradicare, & subuertere, & disperdere, vt Iacob disperdidit idola. Vsque ad hodiernum diem est disperdere & ædificare. Hęretici disperdere & subuertere tātum audierunt, in ædificationis autem plantationisque sermone surdas aures auerterunt. Neque enim volunt inspicere, quia tristia quæque prima dicuntur, & secunda quę læta sunt. Quare nunc ista memoramus? Videlicet vt manifestetur dei sermo subuertere mala, & ædificare optima, eradicare vitia, quasi agricola bonus, vt in purgato campo vberrima virtutum messis oriatur. Hæc propter spiritum auferentem. Vidit enim primum spiritum auferentem, deinde nebulam magnā in eo. Quando purgatus fueris ab auferente spiritu, tantum vt auferatur omne malum à te, & omne quod in tua anima nequitiæ versatur, tunc incipies etiam magna nebula frui, quæ in spiritu auferente consistit. Quæ nebula proxima est ei nebulæ quam in euangelio legimus, de qua venit vox: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Spiritus verò auferens, deinde nebula magna in eo, postea splendidissimum lumen in circuitu eius. Ablatum est à te malum. Data est tibi nebula magna, vt pluat imbrem super vineam tuam. Secundum illud quod alibi dicitur: Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem, super pessimam videlicet vineam. Si autem hoc de mala iubetur, haud dubium est quin econtrario si bona vinea fueris, pluat super te nebula. [Et splendor in circuitu eius. Deinde ignis fulgens & in medio eius quasi visio electri.] Dupliciter aufert à nobis mala deus, spiritu & igni. Si boni & intenti ad præcepta dei simus, & sermonibus illius erudiamur, spiritu mala nostra aufert, secundum illud quod scriptum est: Si autem spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Si verò spiritus mala non abstulerit à nobis, purgatione ignis indigemus. Idcirco diligenter obserua coniunctiones singulas. Prima coniunctio est spiritus & nebulæ, secunda ignis & luminis, tertia electri & splendo-

L ris: ac singula quæ quasi tristia videntur, iocundiorum vicinitate pensantur. Siue enim spiritus oritur, statim sequitur nebula: siue ignis apparet, adiunctum est ei lumē: siue electrum præcedit, splendor in circuitu eius est. Oportet quippe nos quasi aurum in fornace & electrū vehementissimo igne conflari. Et in hoc Propheta quem nunc exponimus, habes sedentem dominum in medio Hierusalem, & conflantem eos qui mixti sunt argento, & stanno, & æramento, & plumbo, & querula voce causantem de his qui habent in se commixtionem materiæ vilioris. Argentum, inquit, commixtum facti estis, & tanquam granum de vua reprobum argentum facti estis. Quando enim creaturæ dei, quæ ab initio bona est, superinducimus de malis nostris vitia ac passiones: tunc argento & auro æs stannum plumbúmque miscemus, & necessarius est ignis ad purgandum. Ideóque sollicitè prouidendum est, vt quum venerimus ad ignem istum, securi transeamus per eum, ad instar auri argentíque & lapidis preciosi, quæ sine foco adultera sunt, vel qui sine foco adulteri sunt: non tam vramur incendio, quàm probemur. [Ecce spiritus auferens veniebat ab aquilone.] Et hoc quod ab aquilone veniebat spiritus auferens, & postea redit, habet rationem. Ab aquilone quippe exardescunt mala super habitantes terram. Aquilo violentissimus ventus, quem alio nomine Dextrum vocamus, qui in quatuor cardinibus cœli, de qui-

K bus venti spirare dicuntur, frigidior est atque vehementior. Necnon & illud quod de ordine castrorum apud Israel in Numeris scribitur, huius rei obtinet figuram. Nouissima enim castra ad aquilonem ponuntur Dan. Prima castra Iuda ad orientem, deinde pone eum Ruben, postea secundum mare Effrem, in extremo, vt diximus, ad aquilonem Dan. Et olla quæ succensa describitur, à facie aquilonis accenditur. Aquilo quippe figuraliter dicitur contraria fortitudo, id est zabulus, qui est verè durissimus ventus. Venit enim ab aquilone spiritus auferens, & nubes magna in eo, vitia ab eo esse exposuimus. Et splendor in circuitu eius, & ignis fulgens. Potuit dicere ignis exurens, verum piguit scripturam tristitiam nominare, & opus eius ascribere, ideóque pro pœnali vi splendórem tantum apposuit. [Et in medio eius quasi similitudo quatuor animalium. Ista visio eorum. Similitudo hominis in illis. Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, & crura eorum recta, & pennati pedes eorum.] Vides qualia sint quæ regantur à deo, vt ibi: Qui sedes super Cherubim, appare. Cherubim interpretatur

Marginalia: *De deo etiā vera dicere periculosum.* — *Aelia hierosolyma.* — *Ecclesia capit bonos & malos.* — *Luc. 3.* — *Liberum arbitrium.* — *2. Cor. 4.* — *Ioan. 4.* — *Hiere. 1.* — *Matt. 3.* — *Esa. 5.* — *Rom. 8.* — *Ezech. 16.* — *Num. 2.*

A terpretatur plenitudo scientiæ, & quicunque scientia plenus est, efficitur Cherubim, quem regit Deus. Quid sibi autem volunt quatuor facies? Quæ saluanda sunt genu flectunt domino Iesu, & ab Apostolo tripliciter nominantur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quæ autem genu flectunt domino Iesu, subiecta sunt ei. Et quæ subiecta sunt dicunt: Nónne Deo subiecta est anima mea? Apud ipsum enim salutare meum. Et oportet eũ regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius. Quid est ergo quartum? Cœlestia, terrestria & inferna, tria tãtum sunt. Nempe illud. Laudate dominum cœli cœlorum, & aqua quæ super cœlos est laudet nomen domini. Omnia ista reguntur à Deo, & ducuntur à maiestate eius. [Quocunque spiritus ibat, ibant & animalia.] Hæc ipsa animalia habent similitudinem super se hominis, cum sint quatuor facierum. Nec dictum est in principio, quia facierũ quatuor sint, sed quia inter quatuor facies eminet, & principatum tenet facies humana, describitur & quæ dicitur facies humana, & facies leonis à dextris quatuor partium, & facies vituli à sinistris quatuor, & facies aquilæ à quatuor partibus. Videamus ergo an tripartitam animam significet, de qua etiam aliorum opinionibus disputandum est, vt animæ tripartitæ alia quarta fortitudo præsideat. Quæ est tripartitio animæ? Per hominem rationale eius indicatur, per leonem iracundia, B per vitulum concupiscentia. Spiritus verò qui præsidet ad auxiliandum, non est à dextris, vt homo, vel leo: non est à sinistris, vt vitulus: sed super omnes tres facies consistit. Aquila quippe in alio loco nuncupatur, vt per aquilam spiritum præsidentem animæ significet. Spiritum autem hominis dico qui in eo est. Atque ita omnia ducuntur nutu Dei, cœlestia, terrestria & inferna, & ea quæ super cœlos sunt: & efficimur nos omnes Cherubin, quæ sub pedibus Dei sunt, quibus coniunctæ sunt rotæ, & subsequitur ea. Non sub rota, neque sub seculi ditione rebúsque versamur, cum iam per passionem Christi sumus à mundi negotiis liberati. [Et rota in medio rotæ.] Si consideres quomodo per contrarios euẽtus soluatur vniuersitas rerum, siue in his qui putantur errare, siue in his qui ab errore dicuntur alieni, videbis quomodo rota in medio rotæ sit. Hęc autem regit omnia, & quocunq; vult torquet totius vniuersitatis Deus, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Phil. 2. *Psal. 61.* *1 Cor. 15.* *Psal. 148.* *Tripartita anima.*

Homilia II. De eo quod dicitur: Fili hominis propheta super prophetas Israël, qui prophetant de corde suo. vsque: Extendam manum meam ad prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacia.

Chap. XIII.

C NVLLAM speciem peccatorum scriptura reticet, de qua non doceat legentes. Oportuit enim verbum Dei missum ad sanandos eos qui audiebant, omnem spiritum peccatorum perstringere, & vniuersis hominibus loqui, vt nemo fraudaretur remediis salutaribus, & his medelis quæ vulneribus possint prodesse curandis. Quomodo ergo dicuntur alia de populo, alia de sacerdotibus magnis, & quædã de presbyteris, ac nõnulla de dispẽsatoribus: & quidẽ bonis dispensatoribus: laus, malis verò culpa ascribitur: vt alij exhortationẽ accipiãt ad meliora, alij verò vt in peiora nõ corruant: sic oportet de falsis ac veris prophetis diuinam edoceri disciplinã, vt prophetæ quidem accipiantur in eam demum partem, qui verbis Dei ministrat: per pseudoprophetas verò designentur ecclesiarum magistri, qui non recte seu sermone, seu vita congruunt ei quam prædicant disciplinæ. Læti quapropter simus, si nos scriptura commoneat, docens vt recedamus à vitiis: magis autem si ordinis nostri aliquos Dei sermo perstringat, volentes sanari & conuerti à peccatis nostris. [Factus est sermo domini ad prophetam Ezechielem, dicens ei: Fili hominis propheta mihi super prophetas Israël.] Fuerunt quidem & prophetæ Israël nomine potius quàm veritate. Sũt autem & hodie in vero Israël, id est ecclesia, quidam pseudoprophetę, & falsi magistri, quibus hic sermo pręnunciat. Si me arguat Dei sermo, tentabo conuerti: nec quia aduersum me aliqua dicuntur, qui videor doctor esse ecclesię, debeo tacere: verum mihimetipsi non parcens, cũcta reuelabo quę dicta sunt, vt conuertar à vitijs, vt fiam non ex his quos scriptura nũc corripit, sed ex his qui sermonẽ Dei verissime pręedicantes in ecclesia extiterunt magistri. [Propheta super prophetas Israël qui prophetãt, & dices prophetis.] Quomodo opus prophetarum erat hæc spiritu pręedicere quæ videbantur, sic eodem spiritu opus est ei qui exponere cupit ea quę sunt latenter significata, vt monstret non ad eum fieri prophetiam, qui contra Dei docet voluntatem, qui prophetat de corde suo. Iuxta simplicem quidem intellectum, quidam prophetarum de diuino spiritu loquentes, non de corde suo loquuti sunt, sed de sensu Dei: quidam verò simulãtes se prophetas, atque dicentes: Hæc dicit dominus, domino non loquente in eis, pseudoprophetæ extiterũt. Potest autem & super eos qui docent in ecclesiis, si aliter quàm poscit veritas docent, pręsens sermo congruere. Si quis enim ea quę Iesus Christus dominus loquutus est, ipsa æque doceat, non de corde suo, sed de spiritu sancto loquitur sermones filij Dei Iesu. Si consentit sancti spiritus volũtati, eius qui in apostolis loquutus est, non de corde proprio loquitur, sed de corde spiritus sancti, qui est loquutus in Paulo, qui est loquutus in Petro, & in cęteris apostolis est loquutus. Si quis verò legens euangelium proprium sensum aptat euangelio, non ita intelligẽs vt dominus loquutus est, iste falsus propheta est loquens de corde proprio in euangelio. Et de hæreticis quidem nihil absurdum est hęc dicta intelligere. Differunt quippe quasi de euangeliis, & quasi de apostolis, αἰώνων suorum fabulas proprio corde exponentes, non in corde spiritus sancti. Neque enim possum dicere: Nos autem sensum Christi habeamus, vt videamus ea quæ à Deo donata sunt nobis. Cum autem & super me venerit qui dicor ecclesiasticus, qui accipio librum sanctum, & nitor eum interpretari, hoc quod de hęreticis intelligi potest, quæso audientes vt diligenter attendant, & accipiant gratiam spiritus, de qua dictum est: Discretio spirituum, vt probati trapezitæ facti, diligenter obseruent quando falsus sim magister, quando verò pręedicem quæ sunt pietatis ac veritatis. Si itaque inuenio in Moyse, & in prophetis sensum Christi, non de corde proprio, sed de spiritu sancto loquor. Si autem nihil congruum inueniens, mihimetipsi confingo quę loquar, fluctuans in sermonibus qui sunt alieni à Deo, de meo põti⁹ corde, quàm de Dei sensibus loquor. [Propheta, & dices prophetis qui prophetant de corde suo.] Non ait simpliciter de corde, sed de corde suo. [Et prophetabis, & dices ad eos: Audite verbum domini.] Hęc ad me, hæc ad eum dicuntur, qui doctorem se esse promittit, vt timor Dei maior oriatur in nobis, ne pereclitemur quasi sub commentario scripto non ab hominibus, sed ab angelis Dei, sic proferre sermonem. Noui quippe quia quum in iudicio ille ordo consederit, de quo prophetauit Daniel, & libri fuerint aperti, omnes mei conatus, omẽs meæ expositiones proferentur in medium, siue in iustificationem, siue in condemnationem meam. In iustificationem quidem mihi erunt, quæ benedicta sunt. In condemnationem verò, ea quę secus quàm veritas poscit, explanata: Ex sermonibus, inquit, tuis iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis, quasi habenti non omnes sermones de quibus iustificaretur, neque rursum omnes sermones de quibus condemnaretur. Si aliquis à sermonibus purus est alienis, & eis qui possint reprehendi, ex sermonibus suis iustificabitur, & non condemnabitur. Si autem nunquam recte loquutus est, sed semper protulit praua, ex sermonibus suis condemnabitur, & non iustificabitur. Verũ quia nos qui nõ sum⁹ ex omni parte perfecti, neque sic dicimus vt semper iustificemur, neq; sic econtrario sumus peccatores vt semper condemnemur: & habemus alia verba ex quibus iustificemur, & alia ex quibus condemnemur: Deus super stateram suã vtraque ponens expendit diligẽter, & iudicat in quibus iustus sim, & in quibus sermonibus cõdemnandus. Quod autẽ in sermonibus facit, hoc idem facit & in gestis. Necesse est enim vt sint alia facta in quibus iustificemur, & alia in quibus condemnemur. Neque enim sic perfectus sum, vt omnia facta habeã in quibus iustus

D E F

Contra Valetinianos. *1 Cor. 12.* *Dan. 7.* *Matt. 12.*

G existam: neque sic peccator, vt talia cuncta fecerim, quæ me omni ex parte condemnẽt. Esse autem & alia facta istiusmodi, & alia istiusmodi, ex hoc manifestum est quod dicitur: *Rom.2.* Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem & subsequuntur. Similiter autem & bona facta manifesta sunt, & quæ aliter habentur latere non possunt. Æque de intellectibus. Propter quod & inter se inuicem cogitationum accusantium siue satisfacientium iudicium me expectat de omnibus quæ facio, quæ intelligo, quæ loquor, & incertus opperior quídnam mihi in illo iudicio sit futurum. Quantoq; magis timor Dei mihi incutitur ad recipienda cuncta quæ feci, tanto magis custodire me debeo, vtinam quidem ab omnibus peccatis, sin autem hoc non possum, saltem queam à maximis. Hæc de eo quod proposuimus de prophetis, qui prophetant de corde suo, ad quod dicitur: [Audite sermonem domini, hæc dicit Adonai dominus: væ iis qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritum suum.] Duo peccata sunt, vnũ cordis, aliud spiritus. Primum de meliori parte videamus, vt possimus etiam *Duo genera peccatorum.* ea quæ contraria sunt considerare. Apostolus loquitur: Orabo spiritu, orabo & sensu. Qui sensus in corde habet habitaculum. Psallam spiritu, psallam sensu. Igitur & spiritus est, & *1 Cor.14.* sensus in nobis. Et quomodo sanctus orat spiritu, orat & sensu, psallit spiritu, psallit & sensu: sic iste qui est falsus prophe- H tes, de corde proprio prophetat, & ambulat non post spiritũ Dei, sed post spiritum suum. Est quippe quidam spiritus hominis, qui versatur in eo, post quem procul absit vt ego ambulem, sed intelligens sanctum spiritum Dei post dominum Iesum meum ambulem. Itaque prophetæ qui prophetant de corde & ambulant post spiritum non tam Dei quàm suum, omnino quod Græce dicitur non vident, & est ambigua ex sermone sententia. Siue enim ea quæ sunt generalia id est generalia non vident, licet quadam ex parte conspiciant: siue (quod ego melius reor) omnino non vident, licet sibi ex parte quadam videantur videre. Alij quippe in nobis oculi sunt meliores his quos habemus in corpore. Qui oculi aut Iesum dominum vident, qui eos ad se intuendum creauit, aut certe omnino cęci sunt. Si peccator sum, nihil video, nec possum veritatis lumen aspicere. In iudicium quippe (ait) in mundum istum veni, vt non videntes videant, & *Ioan.9.* videntes cæci fiant. Si autem iustus, accipio gratiam à Deo, & de me quoque dicitur videns. Prophetæ enim vocabantur ante videntes. Et qui vides, ait, vade, descende in terram Iuda, & ibi commorare, & ibi prophetabis. In Bethel au- *Amos 7.* tem iam non adiicies vt prophetes, & rursum alibi: Visio *Esa.1.* quam vidit Esaias filius Amos. Beatus cui reuelabit dominus *Psal.118.* oculos ad videnda mirabilia de lege Dei, iuxta obsecrationem prophetæ dicentis: Reuela oculos meos, & considera- I bo mirabilia de lege tua. Videamus autem & alium sermonem per quem pseudoprophetæ, & falsi magistri corripiuntur: à quo quęso vt orantibus vobis ego purus inueniar. Quæ est ergo igitur correptio? [Sicut vulpes in deserto, prophetæ *Ezech.13.* tui Israël.] Animal vulpes nequam est, versutum, indomabile *Luc.13.* est, ferum est. Dicite (ait Saluator) vulpi isti: Ecce sanationes perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. Has vulpes necessarias habuit aduersum alienigenas Sampson, quarum caudis cum igne vinctis (trecentas enim ceperat) in perditionem eas frugum misit hostilium. Istiusmodi sunt falsi magistri, versuti, maligni, & bestiis similes. Si talis sum, vulpes sum: sed non simpliciter vulpes, verum vulpes in desertis, vulpes in parietinis, vulpes in rupibus. hæc enim in diuersis sensibus continẽtur. Versipelles isti & nequam semper in desertis, semper in solitudinibus morantur. Vbicũque enim anima habitatur à Deo, & spiritu sancto plena est, ibi non potest hæreticorum doctrina penetrare, nec valet eorum sermo perrumpere. Vbi autem solitudo Christi est, vbi desertum iustitiæ, ibi nequissimæ disciplinæ venena versantur. Idcirco [sicut vulpes, ait, in desertis prophetæ tui Israël. Non steterunt in firmamento.] Si considerare volueris magistros, videbis eos infirmos, instabiles, & non valentes dicere: Statuit *Psal.39.* supra petrã pedes meos, & direxit gressus meos. Et quia non sunt tales vt steterint robusta radice fundati, ideo non steterunt in firmamento, sed dilexerunt mouere pedes suos. Est autem & hoc grande peccatum, saltem paululum pedes mo- K uere, vt Dauid psalmista canit: Quam bonus Israël Deus re- *Psal.73.* ctis corde: Mei verò penè moti sunt pedes. Beatus ille multumq; felix, cui robustissime consistenti firmos animę pedes habere concessum est, qui audire à Deo dignus est, Tu verò sta mecum. Verum non tales pseudoprophetæ, non tales falsi magistri: neque enim sic steterunt in firmamento. [Et congregabunt greges super domum Israël.] quos docent, quos instituunt, siue hæretici dogma impium prædicantes, siue falsi magistri decipientes eos quorum aures pruriunt, colligunt greges schismatum aduersum ecclesiam Dei, aduersum domum Israël. [Non surrexerunt qui dicerent:] In die domini falsa videntes hi non surrexerunt. Isti verò surgentes dicunt: Consepulti sumus Christo per baptisma, & consurreximus ei. Habemus quippe vt pignus spiritus sancti, quem accipiemus ad plenum postquam venerit quod perfectum est, sic pignus resurrectionis, quia in resurrectione perfecta nemo adhuc resurrexit de nobis. Verumtamen resurreximus, Paulo *Rom.6.* dicente: Consepulti sumus Christo per baptisma, & consurreximus ei. Non ergo resurrexerunt, hoc est necdum resurrectionis baptisma consecuti sunt falsi prophetę, & falsi magistri, qui dicerent in die domini videntes quæ falsa sunt, neque aliquando possunt conspicere veritatem. Accipe exemplum. Qui scripturam legit, & aliter quàm scripta est accipit, L scripturam mendaciter videt. Qui verò audit scripturam vt se veritatis intellectus habet, & sic eam interpretatur, videt *Num.23.* veritatem. Et sancti quidem non diuinant. Non enim diuinatio in Iacob. Peccatores verò diuinant falsa, dicentes: Hæc dicit dominus, & dominus non misit eos. Audi hæreticos, quomodo traditionem apostolorum habere se dicant. Audi falsos magistros, quomodo affirmant doctrinam suam domini esse doctrinam, sensum suum congruere prophetarum, & dicunt: [Hæc dicit dominus, & dominus non misit eos. Et cœperunt suscitare sermonem. Non visionem falsam vidistis] Et hi enim volunt in defensionem sui quendam pro se suscitare sermonem, sed arguit eos dominus, & dicit: [Non visionem falsam vidistis, & diuinationes vanas locuti estis, & dixistis, dicit dominus, & ego non sum locutus? Propterea dic, Hæc dicit dominus pro eo quod sermones vestri mendaces sunt.] Orate pro nobis vt sermones nostri non sint falsi. Licet quidam homines ignorantia iudicij eos asserant falsos, dominus non dicat, & rectè nobiscum agetur. Si verò mille hominum eos dixerint veros, iudicio porrò Dei fuerint falsi, quid mihi proderit? Dicunt & Marcionitæ magistri sui veros esse sermones, dicunt & Valentini robustissimam sectam, qui fabularum eius commenta suscipiunt. Quæ vtilitas? Quia plurimi ecclesiæ hæretica prauitate decipi in eorum conspirauere sententiam, hoc est quod quæritur, vt dominus sermonum meorum testis assistat, vt ipse comprobet quæ dicuntur sanctarum testimonio scripturarum. Propter M hæc ergo ad nos dicit Adonai dominus, [extendam manum meam ad prophetas qui vident mendacia.] Hæ comminationes sunt aduersum falsos magistros, & eos qui loquuntur mendacia. Videamus autem quid de his comminetur: [In disciplina populi mei non erunt.] Non vno modo à domino peccatores corripiuntur. Aliter arguitur populus domini, *Prou.3.* aliter alienus ab eo: Fili ne neglexeris disciplinam domini, neque fatigeris dum argueris ab eo. Quem enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Argue nos domine, verum in iudicio, & non in furore: ista correptio populi est. Correptio peccatoris & alieni illa est *Psal.6.* quam iustus renuit, dicens: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. De falsis itaque magistris, & de pseudoprophetis dicitur: [In disciplina populi mei nõ erunt, neque in scriptura domus Israël scribentur.] Sicut & alibi. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Et nunc scriptura ait. In domus Israël non scribentur, & in terram Israël non intrabunt. Extra repromissionis terram hęretici morabuntur. quæ est terra valde bona, & in quam vt introducamur oramus, in libro viuentium ante conscripti à Iesu Christo, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia

A *Homilia Tertia. De eo quod scriptum est: Fili hominis obfirma faciem tuam super filias populi tui quæ prophetant de corde suo. vsque Obfirma faciem meam super hominem illum, & ponam illum desertum.*

Cap. XIII.

PRIMVM de eo quod dicitur, [Obfirma faciem tuam,] requirendum. Deinde si dominus dederit, inuestigare debemus filias populi prophetantes de corde suo, & facientes ea, in quibus eas Dei sermo corripiat. Et quòd sit alia facies præter hanc corporis nostri faciem, licet ex multis manifestum sit, attamen & ex his quæ apostolus memorat indicatur. Nos verò omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eãdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, quasi à domini spiritu. Hanc faciem corporalem omnes homines habemus reuelatam, nisi forte calamitatibus, & angustiis premimur. Vultus autem ille de quo sermo apostoli est, in multis tectus est, & in paucis reuelatus. Qui enim fiduciam habet in vita immaculata, in sensu sano, in fide vera, iste tantummodo non habet confessionis, fraudulentiæ, peccatique velamen, sed propter puram conscientiam reuelata facie gloriam domini contemplatur. Procul autem absit à nobis, vt velatam habeamus hanc faciem.

2 Cor. 3.

B Hæc pauca de facie, vt possimus intelligere quid sit quod sequitur, [Obfirma faciem tuam super filias populi tui,] Ista facies, id est principale cordis nostri, nisi obfirmata fuerit super eo quod intelligendum est, vt quomodo videt sic annunciet audientibus, illud quod aspicitur non videtur. Impossibile quippe est vt aliquis sine obfirmatione vultus, vagus, fluctuabundus, circumlatus omni vento doctrinæ, videat quod debet, videat vt debet. Oportet ergo volentem intelligere habere faciem in eo quod intelligere nititur obfirmatam: & ob hanc semper causam prophetaturis primum iubetur vt faciem suam obfirment: vt nostram autem & nos possimus obfirmare faciem in euangelio, in lege, in prophetis, in apostolis, obfirma eam super Christo, & non super seculi negociis. Sed cum in mundialibus curis anima nostra versetur, cum semper ardeat habendi fame, non obfirmamus faciem nostram super ea quæ imperauit Deus, sed super ea quæ Dei sunt aduersa præceptis. Quis putas in nobis mundus est ab obfirmatione faciei super his quæ interdicta sunt? Quis intantum sollicitus & cautus, vt diebus ac noctibus in ea obfirmet cordis sui faciem quæ iubentur? Nunc quoque si intellecturi fuimus præsentem scripturam quomodo prophetæ dicatur, [obfirma faciẽ tuam super filias populi tui,] vt videat ea quæ dicturus est, debemus obfirmare intelligentiam, plenum in intentione cordis habere tractatum quid sit hoc quod significetur, vt tandem ratione superati recedamus à litera.

C Ac secundum communem quidem intellectum videntur quædam filiæ populi prophetantes hoc quod sequitur admisisse peccatum. Assumentes ceruicalia consuebant, consuentes non ponebant ea sub capite, sed sub cubito audientium, & velaminibus quibusdam tegebant capita vniuersæ ætatis. Hæc sunt quæ prophetantibus filiabus populi reputantur quasi magna peccata. Quis autem potest in verbo consistens dicere, quia si quis ceruicalia consuat, & consuta sub cubito ponat alterius, delinquat, & à Deo corripiatur? Quis potest asserere, quia si quis velamina faciat ad tegendum caput vniuersæ ætatis, impie agat? Inuitis nobis ab ipsa scriptura necessitas imponitur, vt ab apicibus literæ recedentes, verbum & sapientiam & voluntatem eius requiramus ad aperienda peccata quæ clausa sunt, ad illuminanda quæ caligant, vt possimus à maledicto extranei fieri, omni cubito manuum, siue manus.] Qui in victu corporis occupati sunt, & ne per somnium quidem spirituales videre delicias, quas nos habere vult sermo diuinus dicens: Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: qui non nouerunt voluntatem beatorum, de qua scribitur: Torrente voluptatis tuæ potabis eos: requirunt quasi amatores luxuriæ & non amatores Dei, semper in corporalibus esse deliciis. Signum autem mihi videtur voluptatis carneæ, sub cubito manuum ceruical assutum. Quia enim in tempore discumbendi ad beneficia corporalia videmur vti consutis quibusdam, & acu pictis sub cubito manuum nostrarum, forsitan sermo diuinus per istiusmodi figuram & argumentum eos culpat magistros, qui per vaniloquentiam & beatas quasque repromissiones multitudinem audientium libidini, vitiis, voluptatíque permittunt.

A litera interdũ discedendum necessario.

Psal. 35.

D Debet enim Dei verbum & Deus homo ea proferre, quæ saluti sunt audienti, quæ illum hortentur ad continentiam, ad conuersationem sanorum actuum, ad cuncta in quæ homo studiosus laborum & non libidinum debet incumbere, vt possit ea consequi quæ à Deo sunt repromissa. Cum ergo aliquis aptus moribus populi, vt placeat eis quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sunt voluptati, talis magister consuit ceruicalia sub omni cubito manus. Sequitur hoc peccatum habentem, vt faciat etiam amictus ad velandum caput omnis ætatis. Cuius autem rei figura sit etiam velamen, cautius consideremus. Qui fiduciam habet, & vere vir est, velamen non habet super caput suum, sed intecto capite orat dominum, intecto capite prophetat, per signum corporalis rei etiam spiritalem latenter ostendens, vt quomodo non habet velamen super caput carnis suæ, ita non habeat velamen super principale cordis sui. Si quis verò confusionis velamen gerit & peccati, iste quasi muliebria velamina habet super caput suum.

E Itaque cum aliquis docuerit ea quæ aurem populi mulceant, & strepitum potius laudatorum, quàm gemitum moueant, si blandus inimicus palpauerit potius quàm secuerit vulneta, talis homo amictus contexit in capite. Cum autem in luxuriosam orationem dicentis se sermo fuderit, & in lasciuum persultauerit eloquium, contexit velamen super caput omnis ætatis, non modo puerorum & iuuenum, verum & senum. Quomodo enim faciet signa & portenta ad decipiendos (si fieri potest) etiam electos falsus Christus, & falsus propheta: similiter & hi qui ad voluptatem meditata deportant, & ista semper inquirunt quæ delectent potius audientes, quàm conuertant à vitiis, faciunt velamina super caput non modo puerorum & iuuenum, sed (si fieri potest) senum quoque & patrum, intantum vt etiam eos decipiant qui iuxta laborem animæ in spiritali ætate & senio processerunt. Et potuit quidem dicere propheta, super filios populi tui qui prophetant: sed quasi omnes qui velamina contexant, & ceruicalia consuant sub omni cubito manus, mulieres sint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait, propheta: In filias populi tui quæ prophetant de corde suo, & ea faciunt quæ sequuntur. Effœminatæ quippe sunt eorum magistrorum & animæ, & voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt: & (vt quod verum est dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est in his, qui iuxta gratiam & voluntatem audientium prædicant:

F idcirco omnes filias potius quàm filios dixit assuentes ceruicalia. Et obserua proprietatem verbi, assuentes ait, non contexentes. An ignoras quod tunica domini tui Iesu nihil in se habeat consutile, sed ex omni parte contexta sit? Istæ ergo consuunt dicta dictis fraudulenter & callide, assuentes potius quàm contexentes: & faciunt ceruicalia non in quibus capita reclinent, sed in quibus cubitum: id est vt manus eorum non sint in labore, non in opere lassescant, sed sint in requie, sint in otio, sint in his gestis quæ voluptatibus seruiunt. Hæc autem quæ dicimus, ita se habere vt à nobis intellecta sunt, sequens sermo Prophetæ lucidius ostendit, dicens: [Hæc dicit Adonai dominus. Ecce ego ad ceruicalia vestra, in quibus vos conuertitis illic animas in dissolutionem.] Aperuit ænigma quod latebat, perspicue ostendens cõsuta ceruicalia in dissolutionem animatũ fieri. Quis autem potest super sermonẽ qui legitur, audiens Deum comminantem, quia ipse disrũpat talẽ sutelã, & talia ceruicalia? Ait enĩ: Ecce ego non iubeo, sed ipse disrumpo ceruicalia consuta sub omni cubito manus. Dei opus est omnem arguere texturam, & dissoluere vniuersam fictionem pessimam, quæ nocet his qui nolunt manibus operari, sed ociosis eis vti. [Et disrumpam ea à brachiis vestris,] id est ceruicalia, ne vlterius ea cubitis vestris subiecta habeatis. Et emittam animas quas vos subuertitis, animas eorum. Quæ ergo subuersio est consuere

G ceruicalia, & subiicere cubitis? Sed vt sermonis sacramentum intelligas, videbis grandem subuersionem esse, delicatum hominem iuxta corpus efficere. Talia autem sunt verba hæreticorum, vbi non est conuersatio rigida. Inuenies discipulos Valentini moribus dissolutos, ad nihil forte, ad nihil virile tendentes: similiter & sectatores Basilidis. Docent insuper & negare inuerecunde quasi præcepto quod de eorum martyrio est. Non id docent quod ostendunt ecclesiastici, parati tollere crucem & sequi saluatorem. Disrumpit ergo qui hæc comminatur sermo filius dei, consutiones nequissimas. Præsta mihi Christe vt disrumpam ceruicalia in animarum consuta luxuriam. Sed quid aliud sequitur? [Et velamina disrumpam.] Quæ se disrupturum esse testatur? non solum ceruicalia, verum velamina. Ideo autem disrupturum, vt caput nudum fiat, vt accepta fiducia, & reuelata non solum facie, sed etiam capite, constanter vir ecclesiasticus possit orare. [Disrumpam velamina vestra, & liberabo populum meum de manu vestra.] Licet vos subuertatis animas per ceruicalia & velamina, ego ista disrumpens liberabo populum meum. Liberat autem populum deus per conuersationem austeram, & à voluptatibus recedentem. Et vltra non erunt in manibus vestris in subuersionem. In manibus vestris qui decipitis audientes, iam non erunt ista ceruicalia. [Et cognoscetis quia ego dominus.] Si non conscissa fuerint ceruicalia, si non velamina disrumpo, non cognoscetis quia H ego dominus. Delitiæ quippe, & ocium, & resolutio non sinunt cognosci eum qui dicit, ego sum dominus. Pro eo quòd euertisti cor iusti inique. Quomodo in loco signorum dictum est, quia decipiant etiam electos dei, sic euenit sæpè vt iustos quoque hæretici supplantent. Amant enim homines voluptatem: quia statim vt apparuerit, tranquilla est, & lasciua, & delectans sensum, & prouocans nos ad vsum sui. Fugimus amara, licet salutaria sint, & nolumus laborare voluptatibus deliniti, nescientes quia impossibile est eundem amatorem esse dei. Propter quod Apostolus ait de pessimis, quia sint amatores voluptatis magis quàm amatores dei. Et ego non auertebam ad cōfortandas manus iniquorum. Ego non auertebam, sed omnia quæ erant ædificationis dispensabam. Istæ verò prophetissæ effœminatæ animæ auertebant ad confortandas manus iniqui, hoc est vt fortior manus iniquitate fieret, ne omnino auerteretur de via sua mala, & viuificaretur, id est nullus penitus conuerteretur à via sua pessima, & viuificaretur. [Propterea falsa non videbitis qui docetis falsa.] Iam vos non faciam vltra conatu prospero pergere, vt possitis insinuare quæ dicitis. [Et diuinationes non diuinabitis amplius: Et liberabo populum meum de manu vestra:] Oramus vt & nos liberet deus de manu talium magistrorum, qui vbicunque fuerint ad voluptates audientium lo- I quentes, scindunt ac diuidunt ecclesiam, quia plures sunt magis amatores voluptatum, quàm amatores dei. [Et scietis quia ego dominus.] Si conuertero diuinationes vestras, si fecero silere mendacia, tunc scietis quia ego dominus. Hæc prior prophetia: sequitur & alia, quæ ita contexitur: [Et venerunt ad me viri seniorum Israel, & sederunt ante faciem meam.] Omnia dei sermo perstringit, & nullam speciem ordinum qui in ecclesia constituti sunt, dimittit intactam, vetum vniuersa percurrens omnes sanare desiderat, veluti nunc quædam ad presbyteros loquitur. Ea enim quæ præcesserunt dicta sunt de magistris. Idcirco consideremus & de presbyteris quid dicatur, excutientes nosmetipsos, ne quis nostrum presbyter talis sit, qualis infrà exponitur. [Et venerunt ad me viri seniorum Israel, & sederunt ante faciē meam. Et factus est sermo domini ad me dicens: Fili hominis.] Videamus accusationem, vt scire possimus vtrúmne eam in nobis deprehendamus. An non viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, & pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam? Nunquid respondens respondebo eis, Beati qui mundo sunt corde? Qui enim mundum habent cor, cogitationes suas non ponunt in cordibus suis, sed magis habent in sermone dei. Qui autem laborant in secularibus curis, & nihil aliud requirunt nisi quomodo præsentem transigant vitam, hi cogitationes suas ponunt in cordibus suis, vtputa si videris hominem nihil aliud cogitantem nisi mundi negocia, lucra corporalia, & ciborum abundantiam: K ex his quæ indiguerit, in quibus sollicitus est, in quibus suspirat, futuram tantum alimoniam cum dolore conquirens, pœnam cogitationum suarum posuit in corde suo. Arguens igitur quosdam presbyteros istiusmodi, ait ad prophetam sermo diuinus: [Viri isti,] id est supradicti presbyteri, [posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, & pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam.] Nemo vestrum existimet cruciatus nobis ab alio quā à nobis irrogari. Deus non facit pœnas, sed ea quæ patimur ipsi nobis præparamus. Itaque testimonio quo frequenter vsi sumus, etiam nunc opportune vtamur. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. Non est ignis alterius nisi vester, qui ligna, qui stipulam, qui materiam futuro incendio coaceruastis. Dicit ergo de presbyteris, procul autem absit à nobis, [Viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, & pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam.] Sed respondens respondebo eis. Nunquídnam dignum est istis me respondere, qui venerunt ad te prophetam volentes discere sermones meos? Propter hoc loquere ad eos, & dic eis: Hæc dicit Adonai dominus. Homo homo ex domo Israel.] Omnes homines nati sumus homines, sed non omnes homines homines sumus, sicut sæpissime notaui: id quod in Leuitico scriptum est: Homo homo filiorum Israel, aut aduenarum qui appositi sunt in nobis. Estote homines, homines scilicet: quia non omnes homines, homines sunt. Ostendamus de scripturis quomodo quidam homines non sint homines. Homo in honore positus non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & assimilatus est eis. Iste non est homo homo, sed homo iumentum. Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Talis non est homo homo: sed serpens homo. Et qui in fœminas insanientes facti sunt, vnusquisque super vxorem proximi sui hinniebat: & iste non est homo homo, sed homo equus. Absit igitur à nobis vt tales simus, qui mereamur audire non esse nos homines homines, sed aliud quid præter homines. Si enim boni & mansueti sumus, duplicamus hominis nomen, vt sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo. Considera an inuenire valeamus, quid sit illud quod nomen hominis duplices. Quando iste homo qui est exterior, homo fuerit, eo qui est interior homo serpente existente, non est in nobis homo homo, sed tantum homo. Quando verò interior homo iuxta imaginem perseuerauerit conditoris, tunc nascitur homo, & fit istiusmodi secundum exteriorem & interiorem hominem, bis homo homo. Porrò si quis in hoc vocatus vt fiat homo homo, posuerit cogitationes suas in corde suo, & pœnam suam ante faciem suam, & venerit ad prophetam: [Ego, inquit dominus, respondebo ei in his, quibus detinetur mens eius.] Docet nos sermo præsens quomodo poterat M singulis respondere, nec importuna admouere medicamina, sed pro qualitate morborum congrua quæque proferre. Animaduerte quod dicimus. Ad medicum decem vadunt decem habentes species infirmitatum. Non omnes eodem modo curat, sed alium isto, & alium illo: vtputa sanat emplastro, alij aliud tribuit medicamentum, nonnullis quod cauterium nuncupatur imponit, alium amara, alium dulci temperat potione, cuiusdam verò vulnera crassiore vnguine delinit. Sic & sermo dei pro qualitatibus hominum loquitur, nec passim sapientię suę ingerit sacramenta. Ait itaque: [Ego respondebo ei in quibus detinetur mens eius:] vt ista videlicet curem, in quibus mens eius detinetur, vt non faciat declinare domum Israel. Quicunque scipsum exemplum non præbet bonæ vitæ, sed peruersus incedit, iste per suam prauitatem, dum ad hæc quæ non debet inclinatur, facit quodammodo etiam dei populum declinare secundum corda eorum quæ abalienata sunt à me. Et qui hoc facit secundum alienatum cor à deo, in cogitationibus suis facit. Propter quod respondetur eis in iis in quibus detinetur cor eorum, & dicitur: [Dic ad domum Israel. Hæc dicit Adonai dominus. Conuertimini, & auertite vos à studiis vestris.] Quia pollicitus est locuturum se eis ea in quibus detinetur cor eorum, ideo nunc quasi peccatoribus loquitur dicens: [Conuertimini & auertite vos à studiis vestris & auertite facies vestras.]

Hæreticorũ conuersatio dissoluta.

2. Timot. 3.

Ezech. 14.

Matt. 5.

Qui non homines.

Psal. 49.

Matt. 3.

A strae.] Nonne tibi videtur hoc facere? Facies vestrae obfirmatae sunt super ea quae non debent, conuertite eas & obfirmate in haec quae vestro sunt emolumento. Propter quod homo homo de domo Israel, & de proselytis qui adueniūt in Israel, quicunque abalienatus fuerit. Potest fieri, & hominem hominem, siue creatum hominem hominem, seu perfectum sui hominem hominem effectum abalienari cōtingit: siquidem & iustus secundum eundem Ezechielem conuetritur aliquando à iustitiis suis, & peccat. Si ergo istiusmodi homo posuerit cogitationes suas in corde suo, & pœnam iniquitatis suae ante faciem suam, & venerit ad prophetam, vt interroget eū in me: [Ego, inquit dominus, respondebo ei in ipso in quo detinetur, & obfirmabo faciem meam in hominem illum.] Considera quomodo in principio spoponderit clementer se responsurum: ac deinde quomodo si rursus venerit, necdum curatus prioribus verbis, obfirmabo dixit faciem meam super hominem illum, & ponam illum in desertum. Si enim non obedierit sermonibus commonitionis, sed in delicto perseuerauerit, ponam eum in desertum, & in exterminium, & tollam eum de medio populi mei. Ne auferas nos deus omnipotens de medio populi tui, verum conserua nos in populo tuo. Iuste autem proiicitur, qui digna facit abiectione, vt auferatur à populo dei, & eradicetur ab eo & traditur Satanę. Et in praesenti quidem potest quis egrediens de populo dei, rursum per pœnitentiam reuerti: si verò eradicatus fuerit illo ex populo, de quo in quadam parabola dicitur, B venisse, & recubuisse, & introisse, quendam qui non habebat vestimentum nuptiale, dicente ad eum patrefamiliâs: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem: atque ita praecipiente ministris, vt vinciētes eum manibus & pedibus mitterēt in tenebras exteriores: difficillime in locum pristinum reuertetur. Sed nos non eradicabimur, verum & in praesenti & in futuro seculo in domino nostro Iesu Christo plantabimur, & in eo fructus vberrimos afferemus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matt.22.

Homilia quarta. De eo quod scriptum est: Terra cum peccauerit mihi vt praeuaricetur praeuaricans, extendens manum meam super eam. vsque ad id quod dicitur: Et si fuerint tres viri in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.

Cap. XIIII.

SERMO domini qui factus est ad prophetam, de peccatrice terra loquitur, quomodo propter delicta sua variis sit excruciata suppliciis, fame, bestiis malis, gladio, morte, morte autem repentina, quae aut ex corrupti aeris vitio sit creata, C aut ex quocunque acciderit euentu, & dicitur: [Quòd si etiam quatuor vltiones meas misero in terram peccatricem, fuerint autem isti tres viri, Noe, Daniel & Iob in terra peccatrice, ipsi soli salui erunt.] In comminatione prima, in qua pœnam famis à pœnis caeteris aperuit, filiorum & filiarum nomina tacuit. In eo verò sermone in quo bestias malas minatus est terrae, ait: [Si filij & filiae eorum salui fient, sed ipsi soli saluabuntur, Terra autem.] & cum paululum reticuisset adiecit: [Et erit in introitu.] Rursum in comminatione gladij, [Non liberabunt, ait, filios aut filias.] Et in morte similiter est locutus. [Non derelinquentur filij aut filiae eorum, sed ipsi soli Noe & Daniel & Iob liberabunt animas suas.] Ingens igitur nobis cura expositionis incumbit, & ob id diligenter debemus attendere, & obsecramus auditores vt quasi ad aliquod grande spectaculum confluentes faciem mentis intendant, ne obscuritas relaxatis sensibus elabatur. Non dixit in praesenti, si peccauerint ciuitatis aut loci alicuius accolae, sed si terra peccauerit. Et scio quia simplicior quisq; cum audierit si terra peccauerit, statim ad procliuem feratur intelligentiam, vt terram dicat nominatam pro his qui morantur in terra: verum sequentia scripturae istam statim eximent expositionem. Cùm enim peccauerit terra, & in sua peccata corruerit, extenditur manus non super habitantes terram, sed super ipsam terram, & prima correptione conteritur, vt auferatur ab ea firmamentum panis videlicet: quasi pœna sit terrę si fames in ea obtineat, vt fruges semini denegentur. Nam quo- D modo homo peccator sine prole & sterilis inter maledictos punitur, iuxta id quod in quodam loco scriptum est, ex cōtrariis enim contraria intelliguntur: & de iusto dicitur, non erit sine prole, neq; sterilis in vobis: & peccatores sine liberis & posteritate sui aeterna infertilitate dānantur, vt in domo Abimelech factum est, & earum quarum conclusit deus vuluam propter peccatum quod in Isaac commissum est: sic & terra quodammodo sine prole & sterilis relinquitur, fame missa in eam. Putas verum est, hoc quod asserere sermo praeludit, non de habitatoribus terrae sed de ipsa terra dicitur? Possum paulisper ad altiora conscēdens scripturarum testimoniis approbare, quomodo peccator terra dicatur. Dicitur enim ad Adā: Terra es, & in terram ibis. Possumus dicere, quia & nunc delinquens terra peccator fit. Sed econtrario latissimam scripturae syluam recensens coactor ad suspicandum, quia animalis sit terra ista quam cernimus. Si enim hoc quod scriptum est, Qui aspicit super terram & facit eam tremere, iuxta id quod scriptum est volumus accipere, intelligimus ad aspectum dei terraemotus concitari, non quos Iudaei suspicantur. Nam illi asserunt tremorem terrae commotionem eius esse, quod longe à veritate diuersum est. Et nos quippe solliciti & trementes propter peccata nostra in terra sumus, nec tamen tremor noster corpus concutit ad tremendum: sicuti & in alio loco dicitur: Super quem respiciam (ait dominus) nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Ex quo ma- E nifestum est mansuete & humiliter Deo seruientem ad sermones eius mente potius tremere quàm corpore. Et hęc quidem in medio dicta sunt satisfactione eius testimonij quod intulimus, Qui aspicit terram, & facit eam tremere. Accipe autem alia dicta de terra. Offenditur terra ab his qui insident in ea. Quomodo offenditur terra, & quando auersatur ab his qui in se commorantur? Quando fuerint peccatores. Accipe aliud exemplum. Complacebit sibi terra in sabbatis suis. Ecōtrario enim quaedam terrae sabbata nuncupantur, in quibus sibi complaceat & laetetur. Necdum dico, Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba oris mei: neq; aliud, Audi cœlum & auribus percipe terra: sed nec Hieremiae prophetiam, Terra, terra audi verbum domini, scribe virum istum abdicatum. Multa nos latent propter paupertatem memorię, propter ingenij tarditatem. Multa sunt quę condidit Deus rationabilia, & sunt capacia, nō solum principatus & potestates, & rectores tenebrarum istarum, verum etiam & in meliore parte thronos, dominationes, & caetera quae in nostro intellectu Apostolus reliquit dicens: Et super omne nomen quod nominatur non solum in seculo isto, verum & in futuro. Aër quoq; animalibus plenus est, secundum eiusdem Apostoli testimonium praedicantis, In quibus aliquando ambulastis se- F cundum seculum mundi huius, secundū principem potestatis & aëris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae. Est ergo terra, & vniuersa animalia, & per partes animalium varietates. Quando enim offenditur terra, & rursum complacet sibi in sabbatis suis, non omnis offenditur, non omnis exultat. Quodammodo enim erudita est cum habitatoribus suis, & didicit sabbata siue in vmbra, siue in veritate iuxta naturae suae agere qualitatem. Vnde sacratiore quadam intelligentia sabbatismus exercetur post septem annos terrę sanctae, donec cōplaceat deo in ea habitare. Si verò peccatores in ea fuerint, iam non vltra per septimanas annorum, sed per septuaginta terra sabbatum gerit. Habemus sermonem de septuaginta annis, tam apud Hieremiam quàm apud Danielem sanctis literis consignatum: & futurum est, vt in die iudicij non solum homo, sed etiam vniuersa conditio iudicetur. Omnis quippe creatura congemiscit & condolet. Si omnis creatura congemiscit & condolet, est autem creaturarū pars terra & cœlum, & caetera quaeq; quae sub cœlo sunt, & quae super cœlos, & liberabitur omnis creatura à seruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum dei, qui scit & de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici dicentis: Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba oris mei: & audi cœlum, & auribus percipe terra: cur non dicamus vt inter homines est homo audiens & faciens

Gen.20. Gene.3. Psal.103. Esa..vlt. Esa.1. Hier.22. Ephe.1. Hier.25. Dan.9. Rom.8.

G verba quæ iussus est facere, & alius est qui audit, & non implet quod præcipitur, sicut & angelus præuaricator: Angelos enim non custodientes principatum suum, sed deserentes proprium habitaculum suum in iudicio magnæ diei vinculis sempiternis sub tenebris seruabit. Quando ergo angeli præuaricantur, & alij sunt qui Dei præcepta custodiunt, & iudicium præstolantur, non solum hominum, verumetiam Dei, vt frequenter diximus tam de his quæ in Apocalypsim conscripta sunt, quàm & ex aliis innumerabilibus, quare inquam non terræ & aëris iudicium sit futurum? Si autem non putas huic disputationi consentiendum per quã asserimus omnem creaturam iudicandam, audi & aliud testimonium de terra. Interrogat Deus Cain, qui occiderit Abel fratrem suum: & post multos sermones quos in Genesi legimus ad extremum de terra dicit: Maledicta terra quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua. Ego nec illud prætereo, Maledicta terra in operibus tuis: & econtrario, siquando benedicitur. Legimus & maledictam & benedictam dei vocibus terram. Vides ergo quia merito dicitur: Congemiscit omnis creatura. Et vt ad præcedens reuertar exẽplum, offenditur terra in insidentibus sibi. Puto quia terra nos vt mater sustinens, & lætetur super bonis filiis, & doleat super peccatoribus. Ita quippe patri filius insipiens dolor est, & ei matri quæ genuit eum. Et non solum huic patri & matri, de H quorum semine orimur, sed & illi matri quæ verè mater nostra est. Accepítque deus humum de terra, & plasmauit hominem. Igitur terra mater nostra est, lætatur quando iustum filium sustinet. Lætabatur terra, ferens Abraham, Isaac & Iacob. Lætabatur terra in aduentu domini nostri Iesu Christi dignam se cernens filij dei sustentatu. Quid necesse est dicere de apostolis, & prophetis, cũ de domini aduentu scriptum sit, Omnis terra clamat cum lætitia? Confitentur & miserabiles Iudæi hæc de Christi pręsentia pędicari, sed stulte ignorant personam, cum videant impleta quæ dicta sunt. Quando enim terra Britanniæ ante aduentum Christi in vnius dei consensit religionem? Quando terra Maurorum? quando totus semel orbis? Nunc verò propter ecclesias, quæ mundi limites tenent, vniuersa terra cum læticia clamat ad dominum Israel, & capax est bonorum secundum fines suos. Statuítque fines gentium iuxta numerum filiorum Israel, & facta est pars domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Capax est inquam vt animal iuxta partium qualitates, & bonorum actuum, & malorum, in quibus aut laudem mereatur, aut pœnam. Cum igitur dicitur: [Terra quæ peccauerit mihi vt delinquat delictum,] mysterium quoddam significatur. Aliter quippe de habitatoribus, aliter de ea dicitur quæ inhabitatur: Cœlum & terra pertransibunt. Cur cœlum prætergreditur, cur terra pertransit, nisi quia transitus sui quædam I digna fecerunt? Et alio loco: Corrupta est, ait, omnis terra. Quando corrupta est? ante diluuium, non quòd per inundationem diluuij sit corrupta. Ait ergo. [Terra quæ peccauerit mihi vt delinquat delictum, extendam manum meam & conteram eius firmamentum panis.] Extendens Deus manum suam super peccatricem terram, famem immittit in eam. Possum & aliter interpretari, quia terra aliquando delinquat. Terra quippe est anima nostra, vt in parabola Euangelij significatur. Anima petra, anima terra bona & fertilis per multam patientiam. Ista igitur terra sæpe peccat, sæpè non peccat. Et siquidem peccauerit, extendit manum super eam, & conterit omne firmamentum panis eius. Ne conteras omnipotens deus firmamentum panis ab ista terra nostra, quin potius largite nobis semen tuum, vt faciat in nobis fructum centuplum. [Et emittam in eam famem, & tollam de ea hominem & pecus,] Quomodo possum tam reconditas res in publicum proferre? vnde mihi vt exponere valeam, cur fames, cur fertilitas, cur abundãtia, cur egestas terræ accidant? O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Vtrum propter homines & animarum malitiam immittatur fames? an propter angelos quibus sunt commissa terrena, si peccauerint accidant ea quæ videmus accidere? Si autem sunt quidam cœlestis dispensationis ministri qui fructibus præsunt, forte & propter illos infertilitas terræ eueniat. Plurima enim operum eius in absconsis sunt. Non possumus magnitudinem sapientiæ effari. Arenam maris & pluuiæ stillas, & dies K seculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum sapientiæ, quis inuestigabit? Varie ergo mittitur fames super peccatricem terrã. [Et auferam, inquit, ex ea hominem & pecus.] Aliud est terra, aliud homo. Nam habitatores terræ (vt quidam putant) nunc pro terra non nominat. Si enim habitatores terrę per terram accipi velit, superfluum fuerat dicere, auferam ex ea hominem & pecus. Gaudet enim terra quando plena est accolis, mœret cum id quod dicitur acciderit. Auferam ab ea hominem & pecus. De quibus si dominus vobis orantibus ministrauerit sensum (si tamen sensus domini capaces fuerimus effecti) volumus pauca disserere. Quomodo pœna matris est in exiliũ destinatæ priuari filiis, aut certè filios suos ad aliam videre prouinciam destinari: sic quodammodo mater nostra terra flagellatur pro peccatis suis à deo, quando aufertur ab ea homo & pecus: lętatur quando homines habet: magis autem quando habet homines optimos, & in Dei studiis viuentes, sicut suprà exposuimus. Dicitur ergo quando terra peccauerit, quasi dicatur, siquãdo peccauerit mater, auferam de domo eius filium, sic & nunc auferam de ea hominem. Lætatur quippe terra non super bestiis & feris rabidis, sed super pecudibus, quia placida & mansueta animalia diligit. Et auferam de ea hominem & pecus. [Et si fuerint isti tres viri in medio eius.] Quo- L modo potest in terra peccatrice trium istorum pariter numerus commorari? quomodo tam diuersis temporibus viuentium potest inter se vita coniungi? In præsenti legimus in peccatrice terra eos pariter consistere, id est Noe qui in diluuio fuit, & Danielem qui in captiuitate Babylonis commoratus est, & Iob qui temporibus patriarcharum & Moysi vixisse perhibetur. hoc enim tempus inuenimus vitę Iob. Quid ergo possumus dicere? Meminisse debemus (vt sæpè iam diximus) quia vt homo hominem generat, & Israel generat Israel. Israel quippe cum esset Iacob, generauit Israel populum. Et inuenimus in scripturis, Israel nomen tam in vno homine, quàm in vniuerso populo dici. Sic non solum Israel Israel, verum & Ruben generat Ruben, & Simeon generat Simeonem, & Leui Leui, & Iudas Iudam, & reliqui omnes qui in tribu Iuda sunt ab illius stirpe venientes Iudas nuncupantur: & teplicatæ sunt scripturæ in tribu Iuda nominibus Iuda. Ea quæ in benedictionibus Iacob, per Moysen de Ruben & Simeon & Leui & Iuda dicuntur & cæteris, non sic conueniunt patriarchis, vt his qui cognomines eorum propter familiæ radicem extiterunt. Benjamin lupus rapax ad matutinum comedit, & ad vesperam dabit escam. Benjamin ille nunquam fuit lupus rapax, Benjamin ille nunquam in vesperam dedit escam: sed is qui natus est ex tribu Benjamin, Hebræus, ex Hebræis iuxta legem Pharisæus, circuncisus octauo die, M Benjamin prædicabatur lupus rapax ad matutinum comedens, quando iuuenis fuit: & in vesperam dans escam, quando credens spiritalem præbuit cibum à se ecclesiis institutis. Igitur Benjamin Benjamin generat. Quomodo ergo homo ex homine, Benjamin ex Benjamin, sic Iuda ex Iuda, Ruben ex Ruben nascitur. Ruben quippe viuat & non moriatur, & sit multus in numero. Intantum non erat de patriarcha sermo sed de populo qui de patriarcha descensurus erat. Cur hæc dicta sunt? videlicet vt præsentem locum exponerem de Noe & Daniele & Iob. Quomodo enim Israel Israel generat, & Iob Iob, & Ruben Ruben, reliqui reliquos, sic Noe Noe. Et dicam quia de filiis Noe, Sem Noe fuerit, Cam verò non fuerit Noe. Neque enim habuit similitudinem patris sui. Et vt non omnes qui ex Abraham, filij Abraham: licet sint de semine eius, non sunt filij ipsius, quoniam peccatores sunt: sic hi qui habent similitudinem factorum Danielis, Daniel sunt: qui imitantur patientiam Iob, Iob fiunt. Noli ergo dicere, beatus Noe quoniam dignus effectus est vt in diluuio solus eligeretur à domino, & cæteris inundatione pereuntibus cum suis seruaretur incolumis: sed considera, quia si & tu feceris ea quæ fecit Noe, eris Noe. Audi saluatorem dicentem: Si essetis filij Abrahę, opera Abrahę faceretis. Igitur si quis filius est Abraham facit gesta Abraham: si quis filius est Noe, facit opus Noe: si quis filius

Marginalia: Iudæ 1. — Caute lege. — Gen. 4. 3. — 2. — Britannia & Mauritania tẽpore Origenis Christianæ — Deut. 32. — Matt. 24. — Gen. 6. — Matt. 13. — Eccl. 1. — Iob quo tempore. — Gen. 49. — Paulus nomine Beniamin intellectus. — Ioan. 8.

A filius est Danielis,facit id quod fecit Daniel. Si quis sequitur
per quod gloriosus effectus est, vtputa omnis qui substantiã
suam perdit, & sustinens patienter tam iacturas rerum fami-
liarium quàm mortes filiorum dicit: Dominus dedit,domi-
nus abstulit, vt domino visum est,ita factum est, sit nomen *Iob.1.*
domini benedictum in secula:qui incendirur corporis malis,
& flagellatur vario malorum suorum dolore, & nihilomi-
nus in ipsis suppliciis glorificat dominum,qui potest respon-
dere diuina, & inter cruciatus propheticã vocem emittere,
qualem emisit Iob:imitator est Iob. Arque ita in hunc modũ
& Noe,& Daniel,& Iob,in eodem possunt tempore reperi-
ri.Quia autem nunc Ezechiel non de his dixerit quos in scri-
pturis lectitamus, videlicet quos aut rranslatio, aut mors de
præsenti vira subtraxerit,de alio quoque loco approbare co-
nabimur. Daniel qui ttaditus est eunuchorum principi cum
Anania, Azaria, Misaele,eunuchus fuit,& est in præsenti di- *Dan.1.*
ctum:Noe,& Daniel,& Iob filios & filias nõ liberabunt, &
reliqua.Fingamus quippe,filios habuerit Noe,quomodo filij
Danielis docebuntur,quem eunuchum fuisse Iudęi tradunt? *Daniel, Eunuchus*
Verum quia fertilis & sancta fuit anima illius,& propheticis
diuinísque sermonibus multos liberos procreauit, idcirco di
citur,si fuerint in tempore illo vel isto vt Noe, & Daniel, &
Iob,& ipsi soli saluabuntur. Et nos ergo possumus fieri Da-
niel:& vt non enumerem omnes sanctos,possum esse Paulus
B si fuero imitator eius dicentis, Imitatores mei estote. si cau-
terium quo signatus est Paulus habuero, si eandem figuram *1.Cor.11.*
qua ille figuratus est in Christo possedero, per quam vt bo- *Gal. 4.*
nus pater aiebat,Filioli mei quos iterũ parturio donec Chri-
stus formetur in vobis. Si verò ex dissimilitudine signaculi
coarguor, quia aliam formã habuerit Paulus quàm ego in a-
nima habeã,me ipsum decipio dicens.Filius meus es tu,semẽ
Pauli.Noli mirari quod filius apostoli fias. Habeto virtutes,
& eris filius Christi.Filioli,inquit, adhuc pusillum vobiscum *Ioan.13.*
sum.Cum autem fueris Christi, eris & omnipotentis patris,
quia vnum sunt vnitęq; naturæ.Ad hoc laborat iustus,in hoc
studium suum omne cõuertit, vt Danielis & Iob & Noe &
Abrahæ filius ostendatur ad adoptionem Dei, & iã non vo-
cetur hominũ nominibus,sed vocabulis filiorum dei.Si ergo
fuerint tres viri isti.Non indiget spiritus sanctus, vt etiã nũc
Noe & Danielem & Iob ostendat. [Tres viri isti in medio
eius.] Dicit mihi eruditus auditor: Tres in præsenti nominã-
tur, sermo verò tuus plurimos affirmat, & Daniel & Iob &
Noe.Cui sic respondebimus.Omnis multitudo similiũ vnus
est,&non plures qui similes sunt.Non plura corpora sed vnũ
corpus omnes sumus,iuxta id quod scriptum est: Vos autem *1.Cor.12.*
estis corpus Christi, & membra ex parte. Et saluator noster
venit quærere & saluare quid perierat, in sacramento nona-
gintanouem ouium non errantium,& vnius perditæ. Venit
quippe filius hominis quęrere& saluare quod perierat.Quo-
C modo enim vnũ corpus plura sunt corpora, & vna ouis plu-
res sunt oues quæ perierãt,hoc pacto omnes Noe, Daniel &
Iob,in vnum Noe & Iob Danielem rediguntur. [Ipsi in iu-
stitia sua saluabuntur,dicit dominus Adonai.] Prius nomen *Nomen dei tetragrammatõ quid propriè significet.*
dei quatuor lirerarũ est,quod inrerpretatur naturaliter deus.
Ergo emittitur propter peccata terræ fames: terra verò secũ-
dum omnes sensus quos suprà diximus,& quoscunque intel-
ligentiæ auditorũ reliquimus,vt ex nostris dictis ipsi sibi alias
intelligentias reperirent. Videamus autem & aliud opus iræ
diuinæ emittentis in terram peccarricem bestias pessimas.
Aiunt etiam Iudæi,siquando lupi homines deuorauerint im-
petum facientes in domos,& cæteræ bestiæ,vt historia refert
leones quondam in humanum genus immissos, & alio tem- *4.Reg.17.*
pore vrsos, istiusmodi deuorationes ex dei indignatione de- *4.Reg.2.*
scendere.Et hunc interim sensum vt sequamur literam ab al-
tiori intellectu recedentes,nunc sequi videmus prophetam.
Qui autem spiritalis est,iudicans omnia,& à nullo diiudica-
tur,confidenter dicit multas esse bestias,quas emirrit deus in
peccatricem terram,si tamen rerra nostra peccauerit: aduer-
sarius noster diabolus vt leo rugiens ambulat quærens quem *1.Pet.5.*
deuoret.Illa quoq; historia quæ scripturas diligenter obser-
uantibus in planum se præbet intellectum,istiusmodi habet,
significationem,quando duo vrsi ad paruulos missi sunt, qui
contumelias faciebant Prophetæ, dicentes: Ascende calue,
ascende calue.Vrsi nanq; illi in signo erãt aliarum bestiarum, D
quæ verè feræ,verè sunt rabidæ, quæ mittuntur in hanc pec-
catricem terram.Procul autem absit à nobis,vt bestiæ ad nos
pro dei vltione mittantur, quin potius in oratione dicamus,
Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi. Ego noui
perseuerantes in fide iustos feris traditos, & laceratos ab eis
consummasse martyrium,nec tamen beatos esse desisse.Non
enim bestiis fuerant traditi spiritalibus & inuisibilibus, quæ
lacerant animas peccatorum & dẽtes suos in impiorum cor-
da defigunt. Quemadmodum enim si pastor ex ore leonum
euellat duo crura ouis, vel extremum auriculæ,ita euellentur
filij Israel. Traditur ergo aliquando terra bestiis ad euersio- *Amos 3.*
nem,vt auferatur ab eo homo & pecus. Et obserua diligen-
ter differentias comminationum. In prima comminatione
famis,ait: [Ipsi soli saluabuntur Noe, Daniel & Iob] In se-
cunda verò vbi bestias immissurum se esse testatur, filij & fi-
liæ nuncupatæ sunt. [Veruntamen ipsi soli salui erunt, dicit
Adonai dominus.] Qui locus dupliciter intelligitur.Ac pri-
mum secundum communem sensum exponamus, ob non-
nullorum insipientiam, qui sensum animi sui, Dei esse asse-
runt veritatem,& frequenter dicunt: Futurum est vt vnus-
quisque nostrum precibus suis eripiat quoscunque voluerit
de gehenna: & iniquitatem introducunt ad dominum, non
videntes quod iustitia iusti super eum erit, & iniquitas iniqui
super eum, & vnusquisque in proprio peccato morietur, & E
in propria iustitia viuet.Nihil mihi conducit martyr pater, si
non bene vixero & ornauero generis mei nobilitatem, hoc
est testimonium eius & confessionem qua illustratus est in
Christo.Nihil prodest Iudæis dicentibus, nos de fornicatio- *Ioan.8.*
ne nati non sumus, vnum patrem habemus dominum. &
post modicum, Abraham pater noster est. Quæcunque di-
xerint, quæcunque sibi assumere voluerint, si non habuerint
fidem Abraham,incassum gloriantur. Neque enim ideo sal-
uabuntur quia sunt filij Abraham. Quoniam ergo quidam
non rectè opinantur,necessario interposuimus etiam sensum
literæ dicentis, [Filios & filias non liberabũt Noe,Daniel &
Iob, sed ipsi soli salui erunt.] Nemo nostrum confidat in iu-
sto patre, in matre sancta, in fratribus castis. Beatus homo
qui spem habet in semetipso, & in via recta. Ad eos autem
qui in sanctis fiduciam habent, non incongrue proferimus
exemplum:Maledictus homo qui spem habet in homine. Et
illud:Nolite confidere in hominibus. Sed & aliud: Bonum *Hier.17.*
est confidere in domino, quàm confidere in principibus. *Psal.145.*
Quod si necesse est in aliquo sperare,omnibus derelictis spe- *118.*
remus in domino,dicentes. Si consisterint aduersum me ca-
stra, nõ timebit cor meum.Cum hæc se ita habeant, etiam a-
lia nobis quæstio oboritur, quam diligenter debemus excu-
tere, vt scripturarum veritas elucescat. Quare cum tanti sint
iusti,nunc tantummodo tres nominantur, Noe, & Daniel,
& Iob? Audiui quondam à quodam Hebræo hunc locum F
exponente atque dicente, ideo hos nominatos, quia vnus- *Origenes Hebræum audit.*
quisque eorum tria tempora viderit, lætum, triste,& rursum
lætum. Vide Noe ante diluuium, considera mundum inte-
grum: & eundem post Noe in totius orbis naufragio solum *Hæc eadẽ habet Hebræi interpretes Selomo & Dauid.*
cum filiis suis & animalibus in arca seruatum: cõsidera quo-
modo post diluuium egressus sit,& plantauerit vineam,quo-
dammodo secundi rursus orbis creator existens. Talis est iu-
stus,vidit mundum ante diluuium, hoc est ante consumma-
tionem:vidit mundum in diluuio,in corruptione & in inte-
ritu peccatorum, quæ in die sunt euentura iudicij:rursum vi-
debit mundum in resurrectione omnium peccatorum. Di-
cit mihi aliquis, Concedo de Noe vt tria tempora viderit,
quid respondebis mihi de Daniele? Et hic ante captiuitatem
in patriæ floruit nobilitate, & deinceps in Babylonem trans-
latus Eunuchus effectus est,vt manifestè ex libro ipsius intel-
ligi potest:vidit & reuersionẽ in Hierusalem. Vt autem pro-
betur quod ante captiuitatem in Hierusalem fuerit, & post
captiuitatem Eunuchus effectus sit, assumamus id quod ad *Esa.39.*
Ezechiam dictum est:Accipient de filiis tuis, & faciant spa-
dones in domo regis. Deinde post septuaginta annos inue-
nitur deprecans Deum, vt completo iam tempore captiui-
tatis rursum ingrediatur Hierusalem. Habemus orationem
eius in volumine proprio conscriptam, nec tamen possumus *Dan.9.*

G inuenire vbi sit mortuus. Vidit ergo tria tempora ante captiuitatem, in captiuitate, & post captiuitatem. Talis iustus est. Videamus autem an & Iob tria tempora habuerit. Fuit quidem locuples: erant quippe ei oues septem milia, cameli tria milia, iuga boum quingenta, & supellex multa valde, filij septem, filiæ tres. Deinde accepit potestatem diabolus aduersus eum. Vide tempora commutata. Diues in liberis pater, repente orbus efficitur: diues in censu dominus, ad vltimam deducitur egestatem. Ecce duo tempora. post hæc apparet ei dominus, & loquitur ei de nube, & ipse Iob ea quæ sunt in libro eius scripta respōdit. Igitur in primo tempore Dei laudibus prædicatur: in secundo tentationi traditur, & sæuissimo hulcere percussus à pedibus vsque ad caput tristia & dura perpetitur. Ad extremum factæ sunt ei oues quatuordecim milia, cameli sex milia, iuga boum mille, asinæ pascentes mille, & nascuntur ei filij septem, & filiæ. Atque ita & in Iob tria tempora deprehendimus, quę in iustis hominibus reperimus. Tria vident iusti tempora, præsens, & commutationis, quando iudicaturus est Deus, & futurum post resurrectionem mortuorum, id est vitæ cælestis perpetuitatem in Christo Iesu, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Iob.1. *Iob.vlt.*

H

Homilia Quinta. De eo quod quatuor vltiones pessimæ, id est gladius, fames, bestiæ malæ & pestilentia inducuntur super terram peccatricem: Et de parabola qua dicitur, Fili hominis quid fiet ligno vitis.

Cap. XIIII. *&* XV.

FAMES quæ propter peccatricē inducitur terram, iuxta possibilitatem nostrarum viriū discussa est, & post famem de bestiis pessimis diximus quas immittet Deus super peccatores. Quatuor enim vltiones in principio proposuimus, è quibus reliquæ duæ sunt de romphæa & de morte. Et in prima quidem filiorū & filiarum nomen tantum est, in secunda verò & tertia quam nunc conamur exponere, filiorū & filiarum nomen annexum est, id est in romphæa, qua corruunt qui cæde eius digna fecerunt. Quis est ergo iste gladius, id est romphæa quam nos formidare debemus ne quando mittatur super terram nostrā, super terram quam figuraliter exposuimus, vt & nobis necesse sit transire per gladium duplex aliquid habentē in pœna? Habitus quippe ipsius gladij diuidit & secat eum in quem infertur: si verò ad acumen aciei eius etiam tactus ipse pœnalis est, dupliciter torquetur qui hoc gladio puniendus est. Scriptū est enim: Statuit igneā romphæam, & Cherubin custodire viam ligni vitæ. Et quomodo si gladius acutus & cādens inferatur in corpus, duplicem tribuit cruciatum, adustionis, & cædis, sic & romphæa I quæ ad custodiā paradisi statuta memoratur, quam nunc ob expositionem gladij præsentis assumpsimus, duplicia infert tormenta, dum adurit & diuidit. Vt autē necessarium aliquid ex quibus deus sensum nostrum illuminat in loco præsenti interponamus, accipe exemplum. Aiunt studiosi medicinalis disciplinæ ad quasdam corporū curationes necessariā esse non solum sectionem ferri, verumetiam adustionem. Nā ad eos qui canceris veterno computrescunt, cādentem siue nouaculæ laminam siue quodcunque acutissimi ferri genus adhibent, vt per ignem radices canceris euellantur, per incisionem autem putrida caro truncetur, & via pateat medicaminibus iniiciendis. Quis putas nostrum canceris (vt ita dicam) habet simile peccatum, vt nō ei sufficiat aut simplex acumen ferri, aut sola ignis adustio, sed vtraque adhibeantur, quo vratur, & secetur? Audi saluatorem rationē ignis & ferri in duobus locis significantem. In alio loco ait: Non veni mittere pacem super terram, sed gladium. In alio verò, Ignem veni mittere super terram, & vtinam iam ardeat. Igitur defert vtrunque Saluator, gladiū & ignem, & baptizat quæ non potuerunt spiritus sancti purificatione purgari. Sacramenta diuina sunt, & ineffabilia, & soli deo cognita, plus tamē in gratiarum donatione, quàm in tormentorum varietatibus constituta. Neque enim medici ex disciplina artis suæ rationabiliter eos quibus medentur secant, vrunt, dántque poculum

Gen.3. *Cācer morbus.* *Matt.10.* *Luc.12.*

amarissimi temperamenti, multáq; alia prout causa postulat K faciunt: Deus autem vniuersitatis dominus sine rationabili quadā sapientia, & sine dispēsatione digna maiestatis suæ pœnas tantum infert peccatoribus. Neq; enim, vt existimant, ad hoc tātum adhibet supplicia vt torqueat, sed quasi pater scit vulnera omnium nostrum, scit qua ex causa quod hulcus natum sit, quæ putredo infelicis animę ex quo ducatur exordio, qualis species doloris ex quo peccato veniat: scit & formas, modos, & numeros peccatorū, qui semel, bis, térq; peccauerit, qui in vna specie delictorū sæpe ruit, qui in diuersis vitiorum speciebus singulis tantum vicibus errauerit. Hæc omnia nos iuxta sapientiā dei quęrere, secundum illud quod scriptū est, Scrutans corda & renes deus, & supplicia quæ ab eo irrogantur sic intelligere, quasi digna deo & conuenientia dispēsationi eius, nos vult, non tātummodo cruciari. Omnia quippe ad hoc condidit vt essent, & salutares fecit generationes mundi, & non est in eis medicamētum perditionis. Sed quia quod ille voluit nos cōtemnendo non fecimus, & ille quod cupierat non exercuit in nobis. Disputatio nos coegit vt aliquid de pœnarum specie diceremus, quæ inferuntur ad terram. Debemus autem nosse, quia non statim vbi fames fuerit, sequatur & mors. Potest quippe fieri vt aliquis famem sustinens perseueret in vita, licet inedia, & squalore, & macie discutiatur. Potest fieri vt immissis bestiis malis statim non omnes pereant, fugæ auxilio reseruati. Potest euenire vt cædente L romphæa, cesset interitus. Modo vulnerantur quidam & secantur, & vt ita dicam, crebris ictibus confunduntur, nec tamen pereunt. Idcirco nunc pœna nouissima in enumeratione pœnarum mortis infertur. Istiusmodi quiddā & sacratissimus Apostolus sentiens, loquebatur: Nouissimus inimicus destruetur mors, Audebo dicere, sed nouissimus inimicus destruetur mors. Fuit quidam ante mortem inimicus, id est rōphæa: fuit quidam ante mortem inimicus bestiæ pessimæ: fuit quidam ante bestias pessimas inimicus, fames. Hæc omnia inimica sunt religionis inimicis. Si enim non vis amicos fieri deo inuitanti te ad reconciliationem, & dicenti per Apostolum: Obsecro vos per Christum reconciliari deo, quid de deo causaris, cum in causis sub inimicorum imperio esse voluisti? An ignotas idcirco deum in Ægypto immisisse furorem, & iram, & angustiam, immissionem per angelos pessimos, quia inimici illius erāt, & ab eius aduersario regebātur? Procul autem absint à nobis quatuor istarū supplicia pœnarum, fames, bestiæ pessimæ, gladius, mors. Quicquid enim horum fuerit illatū, ad eos venit qui inimici dei sunt: amicos eius præterit, neque ausum est eos contingere qui de eius necessitudine gloriantur. Et quomodo de igne bene creditum est scripturis testantibus quia transeant per eum iusti, & non comburantur: vniuscuiusque enim opus quale sit, ignis probabit: sic & in his suppliciis inueniatur aliquis Daniel, Noe, M & Iob, & nihil pœnarum sustinebit. Hæc specialiter per singula supplicia exposuimus, quæ in extrema parte in vnum Propheta consocians, ait. [Hęc dicit Adonai dominus: Si autem quatuor vindictas meas pessimas romphæam, & famem, & bestias pessimas, & mortem immisero.] Quò? Non super terram, sed [super Hierusalem.] Terra enim si puniatur, sufficit ei vna correptio. Si autem corripiatur Hierusalem, super quam inuocatum est nomen dei, quatuor ei cruciatus pariter inferuntur. Multo nobis vtilius fuerat diuino non credidisse sermoni, quàm post credulitatem adhuc rursum ad peccata conuerti quæ antè commisimus. Considera enim quomodo scriptura super terram singillatim supplicia dicat inferri, & non apponat quam terram: quando verò ad Hierusalem veniat: Si autem & quatuor vindictas meas pessimas, romphæam, & famem, & bestias pessimas, & mortem immisero in Hierusalem: nos indicans Hierusalem, qui peccantes quidem nos Hierusalem sumus quæ destruitur, in præceptis verò permanētes, Hierusalem dicimur quæ saluatur. Omnes lamētationes quas legimus in Hierusalem, omnes quærimoniæ quibus eam plangit Deus, ad nos pertinent qui gustauimus sermonem Dei, & postea mandatis eius contraria fecimus. Non plectitur Salomonis iura contemnens, non sic punitur Lycurgi scita destituens. Aliud supplicium est eius qui legem dei per Moysen traditam conculcat & despicit: maxima

1.Cor.15. *2.Cor.5.* *2.Pet.2.*

A ma omnium est eius pœna qui præcepta filij dei pro nihilo duxerit. Irritam enim quis faciens legẽ Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quãto magis putatis deteriora supplicia mereri illum qui filium dei conculcauerit? Hi ergo quos enumerauimus filium dei non conculcauerunt, sed tantum legem dei ingressi sunt, maximéque hi qui ante aduentum domini fuerũt. Sed neque hi qui crucifixerũt Saluatorem meum rei sunt ingentis pœnæ, sicut hi quibus ait Apostolus: Filium dei conculcans, spiritui gratiæ contumeliã faciens: & si quid aliud significat in eo loco in quo eorum peccata replicat, qui post fidem in deum peccauerũt. Hæc propter quatuor vltiones pessimas quæ inducuntur super Hierusalem. Et omnes quidem qui didicimus diuinas scripturas, siue bene, siue male viuamus, Hierusalẽ sumus. Si malè viuimus, illa Hierusalem quæ cruciatibus punitur, & sustinet quatuor vltiones: si bene, illa Hierusalem quæ in dei sinu requiescit. Et est magna distantia vt in reliqua terra sic & in ipsa Hierusalẽ. Omnes enim qui in ecclesia peccatores sunt, qui sermonem dei gustauerunt, & transgrediuntur eum, merentur quidem supplicia, verum pro modo graduũ vnusquisque torquebitur. Maiorem pœnam habet qui ecclesiæ præsidet, & delinquit. An nõ magis misericordiam promeretur ad comparationem fidelis catechumenus? Non magis venia dignus est laicus, si ad diaconum conferatur? Et rursum compa-B ratione presbyteri, diaconus veniã plus meretur? Quæ autem sequantur, me tacente cognoscitis. Idcirco formidans iudicium dei, & ante oculos mihi proponens illum iudicij ordinem qui in scripturis continetur, recordor dicti illius: Põdus vltra te ne leues. Sed & illud: Noli quærere fieri iudex, ne nõ valeas auferre iniquitates. Quid mihi prodest quia prior sedeo in cathedra resupinus, honorẽ maioris accipio, nec possum habere dignitate mea opera condigna. Nónne maiori pœna cruciabor, quia honor iusti mihi ab omnibus defertur, cum peccator sim? Necessarium fuit diligentius retractãtem ea quæ de quatuor terræ vltionibus dicebantur, id addere, quod Hierusalem quippe erat in tribu Beniamin: & sacerdotes tẽpli, & leuitæ qui dei ministeriis seruiebant, & cæteri ordines quos scripturarum sermo cõprehendit, in ea morabantur. Hæc accipit quatuor vltiones pessimas, quæ nõ sunt similes in his qui in ea habitant. Neque enim eodem modo & ad populum, & ad leuitas comminatio dirigitur. Israelites enim peccans in Israeliticum delictum corruit. Qui autẽ maior est ab Israelita, quanto nobilior fuerit in ordine idem leuites & sacerdos, tãto maiora supplicia sustinebit. Si autem princeps sacerdotum peccauerit, dicit ad eum Heli consacerdos suus: Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro eo: si autẽ in dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Hæc in expositionem eius sermonis, quo comminabãtur & singulæ specialiter in peccatricem terram vltionẽs, & pariter cõgregatæ in infelicem Hierusalem. Videamus autem & sequentia scriptu-C ræ. Quæ cum in parabola audierit propheta, nos tãtum sensum debemus exponere, ipsum testimonij ordinem derelinquentes, & auditorem mittentes ad librum. Lignum vitis vt in fructu est honorabilius lignis omnibus, maximè his quæ in saltu fructificant, sic ad cætera opera inutilius omnibus lignis est. Et vascula quædam possunt fieri, & in diuersa opera necessarij vsus ad ministrandum: de palmitibus autem vitis non solum vas aliquod & in opus vtile quid fieri non potest, sed neque paxillus quidem est vtilis. Ait ergo sermo diuinus, quia vt palmes vitis honorabilior fit cæteris lignis si afferat fructus, sic ab omnibus inferior iudicetur, si id non habeat vnde præcellit: atque in hunc modum eos qui imbuti sunt eloquiis Dei honorabiliores esse omnibus, & quocũque modo in vineæ positos dignitate, cum afferant fructus, botros salutis. de qua scriptum est: Ego verò te plantaui vineam fructiferam, totam veram. Et alibi: Vinea domini domus Israel est. Et rursum: Vineam de Ægypto transtulisti, & reliqua. Si autem non attulerint fructus, intantum vt à Deo dici possit, quomodo conuersa es in amaritudinem viris alienæ? tunc multo deteriores inueniri ab his lignis, quæ licet viliora sint, tamen suos afferunt fructus. Quomodo enim pręcellunt ligna syluarum vineas inferaces, eodem modo intra quandam dispensationem sapientiæ diuinæ ex lignis vilioribus a-

Hebr.10. — Ibid. — Pœnæ pro modo graduum. — Eccl.7. — 1.Reg.2. — Ezec.15. — Hier.2. — Esa.5. — Psal.79.

D liqua domui necessaria fabricantur. Neque verò turberis, putans nos extra scriptutas affirmare quod dicimus, futurum esse vt de lignis syluæ aliquid vtile fiat, id est de me ipso si non attulero proprios naturæ meæ fructus. Si quidem & apostolus imaginem quãdam eorum vasorum quæ sunt in humana conuersatione assumit dicens: In magna autem domo non sunt tantum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia (Nota quia vasa lignea nuncupauerit) & alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam. Ista vasa lignea quæ esse in magna domo apostolus prædicat, non sunt facta de vitibus, non de palmitibus vinearum, sed ex aliis lignis, quæ vilioris ordinis in nemoribus fructificauerunt. Quantum ergo malum est & quale discrimen vt ligna quondam vilia inueniantur in magna patrisfamiliâs domo, & palmes vitis meæ inutilis in domo sit, & in ignem proiiciatur? Hoc enim scriptum est, quia annuam putationem eius consumat ignis. Hæc in Ezechielem. Saluator verò huius parabolæ sensum in Euangelio ita perstrinxit, dicens: Ego sum vitis, vos palmites, pater meus agricola. omnem palmitem qui in me manet & fructum affert, pater meus putat, vt fructus maiores afferat: palmitem qui manet in me & fructum non affert, pater meus excidit, & in ignem mittit. Vides vicinitatem vtrorumq; sermonum? Vides quomodo pater excidat, & in ignem iaciat? Nos insensati quasi negligenda quidem scriptura sit, nolentes ea discere quæ nobis incutiat metum, sed ea audire cupiẽtes, quæ prurientibus auribus incutiunt voluptatem, libenter audiuimus quæ nos subuertant, quæ decipiant. E Qui dicit proximo suo ignoscit nobis peccata nostra deus, si quidem & in talibus sacramentis ludimus, vicissim nobis pollicentes, mappam mittet deus. Et quia bonus est, & omnium peccata dissoluit, oportebat nos sedere, & sollicito corde dicere: Si heri peccauimus, hodie pœnitentiam agamus. Verum huic palmiti (animal quippe est) qui dicit: Potẽs est deus & bonus agricola, qui non me excidat, & in ignem mittat, respondebit agricola: Sed si talis est palmes vt frustra sit in vite, nunquid poterit relinqui? Nónne si dimittatur impediet vitem, ne pro sicco palmite virides & fructuum feraces afferat palmites? Quomodo enim boni agricolæ est excidere, & computare quæ sicca sunt, & tradere in escam ignis infructuosos ramos: sic boni dei est de omnibus vitibus infructuosos palmites amputare, & igni tradere in perditionem. Verum nos ipsi nos ludimus, & decepti pariter ac decipientes volumus magis errare cũ plurimis quàm ab errore conuerti: cum magis id quærere debeamus quod ædificet, quod timorem dei augeat, quod ad pœnitentiam reuocet, quod in confessionem sceleris adducat, quod nos faciat diebus ac noctibus cogitare quomodo domino placeamus, vt fiamus in vera vite Christo Iesu fructiferi palmites, & radici eius adhærentes: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

2.Tim.2. — Ioan.15.

F

Homilia Sexta. De eo quod dicitur: Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas. vsque: Effudisti fornicationem tuam in omni transitu.

Cap. XVI.

CONSIDERANTI mihi constantiam prophetarum, miraculum subit, quomodo verè credentes deo magis quàm hominibus cõtempserint mortem, pericula, contumelias, & omnia quæ passi sunt ab eis qui arguebantur, dum voluntati Dei in prophetatione deseruiunt. Admirabar quondam Esaiam antequam compararem Ezechieli, & obstupescebam quomodo diceret: Audite sermonem domini principes Sodomorum, attendite legem Dei populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit dominus? Dicebat enim hæc cum posset dicere, vel tacere. Neque enim (vt quidam suspicantur) mente excidebant prophetæ, & ex necessitate spiritus loquebantur. Si alij (inquit Apostolus) reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Ex quo ostenditur potestatem habere eum qui loquatur, cum velit dicere, & cum velit tacere. Et ad Balaam dicitur: Veruntamen verbum quod immitto in os tuũ, hoc obserua loqui: quasi potestatẽ habente eo, vt accepto verbo dei diceret,

Esa.1. — 1.Cor.14. — Num.22. — *Prophetæ prophetabant sponte & non ex necessitate spiritus.*

G seu taceret. Quid est ergo quod in Ezechiele admiror? Quia cum ei fuisset imperatum vt testaretur, & notas faceret Hierusalem iniquitates eius, non posuit ante oculos eius periculum quod ex prædicatione erat secuturum, sed vt dei tātum præcepta seruaret, loquutus est quæcunque mandauit. Esto, sit mysterium, sit reuelatio sacratæ intelligentiæ de Hierusalem, & his quæcunque super eam dicuntur: attamen prophetans & fornicationis illam arguit, quia diuaricauerit pedes suos omni transeunti, maledica voce testatur, increpat scelerum ciuitatem. Sed quia confidebat dei se facere volūtatem, paratus & mori & viuere, loquebatur intrepidus. Videamus ergo ipsam prophetiam, & primo quidem quomodo in potestate sit positum Prophetæ vtrum dicat an non, consideremus. Factus est sermo domini ad eum, dicens: [Fili hominis testificare Hierusalem iniquitates eius, & dices. Hęc dicit dominus.] Non in necessitate aspirationis, sed in voluntate dicentis, dominus posuit vt testificaretur ad Hierusalem iniquitates eius, & ait: [Dices.] Quid dices? Hæc quæ sequuntur. In Propheta erat audiente Dices, vtrum diceret nec ne, quomodo fuit positum in Iona. In potestate quippe eius erat audiētis: Dic, adhuc tres dies & Niniue subuertetur, si velit dicere vel tacere. Et quia in arbitrio eius positum erat, & noluit dicere, vide quanta eum sunt consequuta postea: periclitata est nauis propter eum, sorte repertus est latens, cetus deuorauit abiectum. Hi ergo prophetæ quicunque post Ionam fuerunt, H considerantes forsitan ea quæ venerunt ei, siue aliis prophetis, videbant quoniam ex omni parte angustiæ eis imminebant: secundum seculum persecutio, si dicerent vera: secundū dominum offensa, si timentes homines proferrent falsa pro veris. Idcirco testificatus est Ezechiel, & notas fecit Hierusalem iniquitates eius, & dixit. [Hæc dicit dominus: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethea.] Quæ ciuitatum sic fuit eleuata, & altum sapuit in mundo vt ciuitas dei? Et tamen hæc ipsa sibi magna promittens, quasi proxima dei, & ciuitas eius, quia peccauit, arguitur à spiritu sancto vt degener & extranea. Pater enim eius Amorræus, iam non deus. Quandiu non peccauit, pater eius erat deus: quando verò peccauit, pater eius Amorræus factus est. Quandiu non peccauit, pater eius spiritus sanctus fuit: quando peccauit, mater eius Cethea facta est. Quandiu non peccauit, radicem habuit Abraham, & Isaac, & Iacob: quando peccauit, radix eius Chananæa facta est. Sæpe miratus sum id quod dictum est à Daniele ad presbyterum peccatorem, cui pro peccato nomen imponens, semen inquit Chanaan, & non Iuda. Magnus quidem Daniel constantissime presbyterum peccatorem semen Chanaan appellans, & non Iuda. Maior verò comparatione eius Ezechiel, non vni I presbytero, neque duobus hominibus natiuitatem obiiciens contumeliosam, sed [radix inquiens tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethea.] Quia Hierusalem multa peccata commisit, ideo increpans illam propheta, non vno, neque duobus, sed tribus nominibus insigniuit. Septem in Genesi gentes enumerantur à deo in vno loco quem tradidit filiis Israel. Septem autem hæ sunt. In terram, inquit: Chananæorum, & Amorræorū, & Cethęorum, & Pheresæorum, & Euæorum, & Gergesæorum, & Iebusæorum. Si possibile fuisset & septem istas congregare, vt per eas ignobilitatem peccatricis Hierusalem exprobrare, fecisset vtique Propheta. Nunc verò quid fecit? Amorręum elegit ex septem, & Chananæum, & ait habere communionem peccatricem Hierusalem, quippe ad Chananæum iuxta radicem & natiuitatem, proprie ad Amorræum secundum patrem, proprie ad Cetheum secundum matrem. Si in Hierusalem tanta dicuntur, de qua tam grandia & tam mira cōscripta sunt, quæ ei sunt repromissa, quid futurum est misero mihi si peccauero? Quis mihi erit pater? aut quę mihi erit mater? Tantę talisque Hierusalem radix & generatio de terra Chananæorum, pater eius Amorræus, & mater Cethea nuncupatur. Ego si peccauero, qui in Christo Iesu credo, & tanto me magistro tradidi, quis mihi futurus est pater? Non vtique Amorræus, sed nequior quidam pater. Quis est iste? Quiuis qui peccatum facit, ex diabolo natus est. Et iterum: Vos ex patre diabolo estis. Si igitur Hierusalem dicitur de radice & natiuitate terræ Chananææ, quid dicetur ad nos? Inueniuntur & nobis patres qui nos generant in peccaris. K Vt enim si bonus fuero, & in optimo actu constitutus, dicit mihi Iesus: Fili dimittuntur tibi peccata tua, dicit mihi Paulus discipulus Iesu: In Christo enim Iesu per euangelium ego vos genui: ita si factus fuero peccator, generans me in peccatis diabolus, & assumens sibi eam vocem qua pater deus ad Saluatorem locutus est, dicit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et alij autem plures patres mei erunt, ad quos iturus sum. Vnusquisque ad suos proficiscitur patres. Si quis est ab Abraham, dicitur ad eum: Tu autem vade ad patres tuos cum pace educatus in senectute bona. Si quis verò egreditur de seculo nō cum pace, sed cum peccatorum bello, & senectute non bona, inueteratus dierum malorum, vtique dicitur ad eum: Tu autem vade ad patres tuos cum bello, nutritus in senectute mala. Docemur à deo sub aliis nominibus quid facere debeamus [In qua die nata es, non alligauerunt manus tuas, siue non est excisus vmbilicus tuus.] In Hebræo quippe sic habetur: Non est excisus vmbilicus tuus. Allegorice inducit Hierusalem quasi puellam ab infantia genitam. Quæ autem de Hierusalem dicuntur, sciamus ad omnes homines qui in ecclesia sunt pertinere. Primum eius tempus tale est, secundū quale describitur: procul autem absit à nobis vt tertium tempus tale habeamus, quale dicitur ad Hierusalē: Omnes enim L qui primum fuimus peccatores, Hierusalem vocamur à deo, & habemus ea quæ prima dicuntur. Secunda autem si post visitationem & notitiam dei perseuerauimus in peccatis, ad nos pertinent. Tertia verò mala quæ penitus detestamur, secundum ordinem prosequemur. Nunc vt ad primum redeā, scriptum est quasi de Hierusalem: [In qua die nata es, non est excisus vmbilicus tuus.] Adiutorio dei indigemus, vt possimus vmbilicum non præcisum peccatricis Hierusalem inuenire, aut certe pręcisum vmbilicum eius qui non peccauit exponere. Siue igitur Hierusalem, siue cuiuscunque alterius de alia scriptura quæro vmbilicum, vt spiritalibus spiritalia cōparans, inueniam quomodo non sit pręcisus vmbilicus Hierusalem. Scriptum est in Iob, de dracone: Virtus eius in vmbilico, & fortitudo eius super vmbilicum ventris. Scio ex his quę mihi gratia diuina largita est, cum pręsentem locum exponerem, me dixisse, quòd draco sit fortitudo contraria. Iste est enim draco, serpens antiquus qui vocatur diabolus, & satanas decipiens orbem terrarum vniuersum. Istius fortitudo in vmbilico est. Nec dubium: Nam principium malorū omnium in lumbo versatur. Et ideo adhuc in lumbo patris constitutus qui nasciturus erat refertur, quia in lumbos semina humana collecta sunt. Fortitudo ergo contraria vbicunque sunt semina, ibi insidiarum suarum vim conatur ostendere. Aduersum masculos virtus eius in lumbis est, aduersum fœ- M minas, virtus eius in vmbilico ventris est. Et vide quomodo honeste viri mulierisque genitalia obtectis nominibus scriptura nūcupauerit, ne per ea vocabula quę in promptu sunt, turpitudinem significaret. Si intellectum est exemplū quod protulimus de Iob, intellige mihi quia vt in viro pręputium circūciditur, sic in fœmina vmbilicus amputatur. Cum enim pudica fuit mulier, & mūdis vsa mutationibus fœminarū, scilicet ne in sordidas res, & in peccatorū turpitudines ruat, tūc vmbilicus eius abscisus est. Si verò peccauerit, nō est vmbilicus eius abscisus. Increpat ergo Hierusalem quasi mulierē, cui non sit præcisus vmbilicus. Septuaginta interpretati sunt in hoc loco: Nō alligauerūt vbera tua, sensum magis eloquij exponentes quàm verbum de verbo exprimētes. Vbera autē in Canticis canticorū assumpta sunt in cogitationū tuarum & mentis loco. Quia bona vbera tua super vinum. Et recubuit super pectus Iesu, vbi vbera tua sunt, is qui communionem intellectuum eius habiturus erat. Quādo ergo sensus est rigidus, & notio obstricta atque solida, nec defluit sermo, manifestum est quia alligata sunt vbera tua. Cum verò ea quę dicuntur, dissoluta sunt, & defluunt, non sunt vbera alligata. [A qua non es lota in salutem.] Videamus ea quę sunt in Hierusalem, ne forte & in nobis reperiātur. Verbi gratia dictum sit: Est quędam mulier nunc lota, verum quęritur an & salutem? vt & nos timeamus propter hoc quod ait in salutem. Non lauantur omnes in salutem. Qui accepimus gratiam

Contra mōtanum, de quo d. Hierony. in propicio in Esaiam.

Ezechiel volens & non coactus vaticinatur.

Ion.3.

Dan.13.

Ioan.8.

Matt.9.

Psal.2.

Gene.15.

Iob.40.

Cant.1.

Ioan.13.

A baptismi in nomine Christi,loti sumus:sed nescio quis lotus sit in salutem. Simon lotus est,& baptisma consequutus perseuerabat in Philippi societate:verum quia non erat lotus in salutem,condemnatus est ab eo qui in spiritu sancto dixit ad eum:Pecunia tua tecū sit in perditionē. Ingentis est difficultatis eum qui lauatur lauari in salutē. Attendite catechumeni audite,& ex his quæ dicūtur,præparate vosmetipsos dū catechumeni estis,dum necdum estis baptizati,& veniatis ad lauacrum,& lauemini in salutem, nec sic lauemini vt quidam qui loti sunt,sed non in salutem:vt qui accipit aquam,& non accipit spiritum sanctum. Qui lauatur in salutem,& aquam accipit & spiritum sanctum. Quia non fuit Simon lotus in salutem,accepit aquam,& nō accepit spiritum sanctum, putans quia possit donum spiritus pecunia comparari, in qua non est lotus in salutem. Ad omnem animam peccatricem quæ videtur credere, ista dicuntur quæ nunc dicta legimus ad Hierusalem,vt non ad maiora conscendam,& ea quęram quæ vltra meas vires sunt & ingenium. [Neque sale salita:] Et hoc crimen est Hierusalem,quia nō fuerat digna sale dei. Ego si credidero domino meo Iesu Christo, ipse me sal faciet, dicétque mihi: Vos estis sal terræ. Si credidero spiritui qui in Apostolo locutus est, sale condior, & possum præceptum custodire, dicens: Sermo vester sit semper in gratia sale conditus. Grande opus est insaliri. Qui sale conditur,gratia plenus est. Nam & in communi prouerbio salsus dicitur gratiosus, & econtratio insulsus qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis à deo venit, & complemur dono eius,sale salimur. Rursum peccatrix Hierusalē non est inuoluta pannis. Obserua quod dicimus: Anima renascens,& primum in lauacro edita,inuoluitur pannis. Ipse

Act.8.

Matth.5.

Coll.4.

Luc.2.

B dominus meus Iesus pannis inuolutus est, vt scriptum refertur in Euangelio secundum Lucam. Oportet ergo eum qui renascitur,vtique in Christo renascentem rationabile & syncerum lac desiderare:& prius quàm rationabile & sine dolo lac desideret,debet sale saliri,& pannorum inuolucris colligari,ne dicatur ad eum,sale non es salitus, & pannis non es inuolutus.Quia autem ista Hierusalem sint crimina,non circuncidi eā vmbilico,& sale non saliri,& pannis non inuolui, & aqua non lauari in salutem:sermo indicat reliquus, qui ita contexitur:[Neque pepercit in te oculus tuus,vt faceret tibi vnum & omnibus istis.] Propterea nihil tibi horum feci, vt pateret aliquid super te,dicit dominus.Exemplum ab hominibus accipiam: deinde si spiritus sanctus dederit, ad Iesum Christum,& ad deum patrem transmigrabo.Quando ad hominem loquor,& deprecor eum pro aliqua re, vt misereatur mei:si sine misericordia est,nihil patitur ex his quæ à me dicūtur:si verò molli est animo,& nihil in eo rigidi cordis obduruit,audit me,& miseretur mei,& molliuntur viscera eius ad meas preces.Tale mihi quiddam intellige super Saluatorem. Descendit in terras miserans humanum genus,passiones perpessus est nostras antequam crucem pateretur,& carnem nostram dignaretur assumere. Si enim non fuisset pas-

C sus,non venisset in conuersationem humanæ vitæ. Primum passus est,deinde descendit,& visus est. Quæ est ista quam pro nobis passus est passio?Charitas est passio. Pater quoque ipse & deus vniuersitatis,longanimis & multum misericors & miserator,nonne quodammodo patitur? An ignoras quia quando humana dispēsat,passionem patitur humanam?Supportauit enim mores tuos dominus deus tuus, quomodo si quis supportet homo filium suum.Igitur mores nostros supportat deus,sicut passiones nostras portat filius dei. Ipse pater non est impassibilis.Si rogetur,miseretur & condolet,patitur aliquid charitatis,& fit in eis in quibus iuxta magnitudinem naturæ suæ non potest esse, & propter nos humanas sustinet passiones.[Non pepercit oculus tuus,inquit,in te,vt faceret tibi vnum ex omnibus istis, vt pateret aliquid super te.]Et quia talis effecta es,proiecta es in faciem campi.Deus ne nos tales esse patiaris, vt proiiciamur à te, & ab ecclesia tua in faciem campi,sed magis vt ab angustiis sensuum egrediamur ad campum.[Et proiecta es in faciem campi.] Quare:[Prauitate animæ tuæ in qua die nata es.]Potéstne aliquis in eadem die qua natus est,habere animæ prauitatem? Describit passiones nostras,& vitia humana, & solitas prauitates. Prauitate enim nostra,si non rectum fuerit cor,proiici-

D mur in campum in die qua nascimur. Si post regenerationē lauacri,si post sermonem dei rursum peccauerimus, in die qua nascimur,proiicimur.Tales sæpissime repetiuntur lauati lauacro secundæ regenerationis,& non facientes dignos fructus pœnitentiæ,neque exhilarantes mysterium baptismi timore maiore ab eo quem dum catechumeni essent, habuerunt,& charitate ampliori ab ea quam exercuerunt dum auditores sermonis essent,& sanctioribus gestis quàm antè gesserunt.Sequitur istiusmodi homines hoc quod dicitur:[Proiecta es in faciem campi prauitate animæ tuę in die qua nata es.]Sed vide misericordiam dei,vide clemētiam singularem. Licet proiecta sit Hierusalem in faciem campi, non ita eam despicit,vt proiecta sit semper,nō ita prauitati suæ relinquit, vt in totum eius obliuiscatur,vt non vltra eleuet iacentem. Attende quid sequitur:[Et trāsiui per te.]Proiecta es, ego tamen rursum veni ad te:visitatio mea non tibi defuit post ruinam.[Et vidi te conspersam in sanguine tuo.]Quasi dicat,vidi te ream homicidiorum,ream sanguinis & mortalium peccatorum.[Et dixi tibi:De sanguine tuo vita adimplere. Suge de sanguine tuo,& adimplere vita. Sicut ortus agri dedi te.] Misertus sum tui postquam proiecta es,vidi te sanguine peccatisque conspersam,effeci te sicut ortus est agri,& multiplicata es.Quia ad te veni,& visitaui te proiectam,causa tibi factus sum vt multiplicareris.[Et multiplicata es,& magnificata.]Dedi te in multitudinem,& magnitudinem,id est crescere te feci & multiplicari. Per id enim quod crescimus, & multiplicamur.[Et intrasti in ciuitates ciuitatū.] Rursum errores exponit Hierusalem introeuntis in ciuitates ciuitatum. Quomodo autem ingressa sit criminose in ciuitates ciuita-

E tum,consideremus.Si per singulas ciuitates in quibus hæreses sunt, & doctrinę alienę à deo,ingrediatur quispiam ecclesiasticus,& particeps fiat talium ciuitatum, audit: [Intrasti in ciuitates ciuitatum. Mammæ tuæ erectæ sunt.Post tanta crimina rursum floruisti,& venit tibi tempus,& tempus diuertētium.]Dicitur mihi:noli allegorizare,noli per figuram exponere.Respondeant quæso:Hierusalem mammas habet,& est quando non colligentur,est quando erigantur: & vmbilicum habet,& quia nō est præcisus arguitur:quomodo possunt ista sine allegorica expositione intelligi? [Mammæ tuæ erectæ sunt,& capillus tuus exortus est.] Cū omni honestate ea quæ solent virginum euenire corporibus describit sermo diuinus.[Et capillus tuus exortus est,tu verò eras nuda,& dehonestata.]Qui non est Iesum Christum indutus, hic nudus est:qui non est indutus viscera miserationis,benignitatis,humilitatis,mansuetudinis,longanimitatis, vt proximum sustineat,iste dehonestatus est.[Tu verò eras nuda & dehonestata & transiui per te.]Secunda vice venit ad eam,vidit eā peccantem,iterum propter peccata discedit:& tamē rursum reuertitur,iterum visitat clemens & benignus deus.[Et veni ad te,& vidi te,& ecce tempus tuum,& tempus diuertentium.]

Contra eos, qui allegorias Origenis improbabant.

F Quid est hoc quod ait tempus tuum?Tempus significat adolescentium,in quo iam per ætatem possunt fornicari.Et rursum:[Et tempus,inquit,diuertentium.]Qui sunt isti diuertētes?Dum sumus paruuli,hi qui diuertere nolūt ad eos qui nituntur euertere,vt sunt Christiani pessimi,dæmonia immunda,angeli diaboli,non habent locum quomodo nos possint diuertere.Cum autem fuerimus ætate maiore, & iam peccare possumus,quęrunt aditum ad nos diuertendi,& hoc tam angeli dei,quàm angeli satanæ.Impossibile autem est vt vtrique ad nos diuertant.Si peccamus, angeli diaboli diuertunt ad nos:si stamus fixo gradu,diuertunt ad nos angeli dei. Venit ergo tempus tuum,& tempus diuertentium. Quia tēpus venerat diuertentium,& dominus noster Iesus Christus deus noster rursum visitat miseram Hierusalem, id est, peccatricē animam nostram. [Expandi alas meas super te.] Consueuit scriptura pennas nuncupare vestium summitates:vt in Ruth, quæ venit abscondite, & discooperto pallio ad pedes Booz, dormiuit sub axilla vestimenti eius.Deus ergo quasi veste loquitur indutus: [Expandi alas meas super te,& operui confusionem tuam.]Beatus cuius alis suis deus protegit confusionem:si tamen perseuerauerit in beatitudine,in qua Hierusalem noluit perseuerare.[Et iuraui tibi in testamentum, &

Ruth.3.

G intraui in testamentũ tecũ.] Post tanta ob quę rursum reuertitur, rursum recedit, post tam frequentẽ visitationem, nunc primum ingreditur cum ea in testamentũ. [Et facta es mihi, & laui te in aqua.] Post hæc omnia assumpsi te, & ipse laui te in salutem, & ablui sanguinem tuum abs te.] Hęc intelligentes, oremus vt veniat misericordia dei super nos, & abluat sanguinem ab animabus nostris. Si quid enim morte dignũ fecimus, istud sanguis est noster. [Ablui sanguinem tuum à te, & vnxi te oleo.] Et Christos nos vult facere deus. [Et indui te versicoloria.] Quãta est benignitas dei in vnamquamque animarum Hierusalem, non vnius coloris tunicam, sed multæ varietatis largitur credentibus sibi. Hãc versicolorem tunicam iam tunc in signum fecit Iacob, induẽs filium suum Ioseph, & vestiuit eum versicoloria. Si consideres intellectus sectas, facta bona, vere videbis variam tunicam, quam visitatio dei largitur his qui vocati sunt in salutem. Legem intelligo, prophetas comprehendo, agnosco euangelia, non me latet apostolus, cautus sum, iustus sum, misericors sum, & adhuc quæris aliam tunicam versicolorem, quam induit dominus Hierusalem, dicens: [Et vestiui te versicoloria, & calceaui te hyacintho?] Vult calceamenta nostra esse florentia, & bene tincta. Quæ sunt calceamenta? Audi Paulum apertius prædicantem: Calceati pedes in præparatione euangelij pacis. [Et præcinxi te bysso.] Manifestius de hoc cinctorio apostolus loquitur: Stantes præcincti lumbos vestros in veritate. Veritas enim pro bysso accipitur. [Et operui te trichapto.] Non inueniens neque intelligens quid esset trichaptum, inueni in alia editione pro trichapto, florens, & in alia indumentum. Igitur induit nos deus post variam vestem, & florenti tunica. [Et ornaui te ornamento, & imposui tibi armillas circa manus tuas.] Cum mihi dederit occasiones bonorum actuum, armillas circumdat manibus meis. [Et catena circa collum tuum.] Si me post gesta iustitiæ intellectu ornauerit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur. [Et dedi inaurem circa narem tuam.] Quando veræ possum suauitatis & boni odoris sacramenta suscipere, tunc mihi ornat deus inauribus narem. [Et rotulas in auriculas tuas.] Vt non solum auriculæ, sed etiam grãdis rota aurea sit circa auditum tuum. Aurea verò rota est quæ intellectibus voluitur sacris. [Et corona glorificationis super caput tuum.] Omnipotens deus & nobis tribue vt digni efficiamur corona glorificationis super caput nostrũ. [Et ornata es auro,] id est diuinis sensibus: [& argento,] id est sermonibus sacris. [Et opertoria tua byssina.] Profunditas sensuum opertorium est byssinũ. [Et florẽtia] pro quo verbo Septuaginta τρίχαπτα posuerunt, subtilem nimis amictum, & quasi ad capillorum similitudinem attenuatam vestem significantes. [Et versicoloria.] Ecce tota est Hierusalem protecta alis, vestita variis, ornata gemmis. Quid post hæc facit magnus & hominum amator deus? Alit eam delicatis cibis. [Similam & mel & oleum manducasti.] Non ait simpliciter farinam, neque hordeaceum panem: hoc quod modo ad vos loquimur, similia est. Sed miserabilis Hierusalem post similam, post mella, post oleum rursum quasi meretrix increpatur. Idcirco caueamus attentius ne forte nos post verba munda similæ, post sermones dulcissimos prophetarum, post oleum quod lætificat faciem, quo voluimus perũgere caput, vt ieiunium nostrum acceptabile fiat, iterum delinquamus. Nõ solum autem perungimur hoc oleo, sed & vescimur. [Et facta es pulchra valde nimis.] Laudat pulchritudinem eius, laudat speciem, prædicat formam, [Et directa es in regnum.] Quantus profectus, vt etiam ad regnum dirigatur? [Et exiit nomen tuum in gentibus.] Hæc apta sunt ei, qui postquam liber esse cœpit à mũdo, in conuersatione proficiens ad beatam vitã, nomen quoque gloriosum in seculo consecutus est. Sed procul absit id quod sequitur: ad hoc enim scriptum est, vt incutiat audientibus metum. Post pulchritudinem, post nomen magnum, Hierusalem misera fornicatur. Ideo ne glorieris in crastinũ: non enim scis quid pariat adueniẽs dies. Et alibi: Fratres, etiã si præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, vos vt spirituales sustinete istiusmodi in spiritu mãsuetudinis, & rursum: Considerans te ipsum, ne & tu tenteris. [Et exiit nomẽ tuum in gentibus in specie tua, quoniam consummatum erat in decore speciei quam constitui in te, dicit Adonai dominus: Et confisa es in decore tuo.] Magna sapuit, & conscientia pulchritudinis suę erecta est speciosa Hierusalem. Et quia alta sapuit, nec se humiliauit, nec glorificauit deum, audi quid dicatur ad eam: [Et fornicata es in nomine tuo, & effudisti fornicationem tuam in omni transitu.] Quid est hoc quod ait: Effudisti fornicationem tuam in omni transitu? Circuit animas nostras fortitudo contraria, & varie perlustrans quęrit locum per quem possit irrũpere. Ira suo nomine vult fornicari mecum: iuxta coniuncta moribus meis suo nomine tristitia, & vult me facere mœrentem: sua parte auaritia infert desideriũ auri & argenti, & quorumcunque similium: si me non custodiero, & clausero ostium meum, sed suscepeto omnem orationem inimici, dicitur mihi: [Effudisti fornicationem tuam in omni transitu. Et accepisti vestes tuas, & fecisti tibi idola sutilia.] De his quibus te ornaui, quibus pulchra facta es, fecisti tibi idola sutilia. Volo adhuc exponere quæ sunt idola sutilia, quæ quidem de vestibus consuerunt. Vestes diuinæ scripturæ sunt, & sensus qui est in eis. Consciderũt has vestes hęretici, & consuerunt dictum dicto, verba verbis iungẽtes, sed non cum opportuna iunctura aptáque, & consuentes impia sibi simulachra fecerunt, quibus illexerunt quosdam credere, & consentire ad cultum eorum, & fictam suscipere disciplinam: Deus verò omnes nos ab his & aliis simulachris liberet, vt magnificemur in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Gene.37.

Ephe.6.

H

Ibid.

I

Gal.6.

M

Homilia Sexta de eo quod dicitur: Sumens de vestimentis meis fecisti, tibi excelsa hinc inde consuta, vsque: Et nec sic satiata es. Cap. XVI.

L

CATALOGVS peccatorum Hierusalem vtcunque fuerit intellectus, ædificat audientem. Quomodo enim si in domo sua quempiam de familia dominus corripiat, & peccata eius exponat, alius qui nuper emptus est seruus videns patris familiæ disciplinam quæ culpet, quæúe collaudet, instruitur ad non faciẽda ea quę priores fecere conserui, & ad hoc omni labore festinat, vt ea faciat per quæ alij honorem & libertatem à domino promeruerunt: ita & nos audientes in quibus culpet deus siue Hierusalem, siue vniuersam Iudęam, siue vnã quamlibet ex tribubus specialiter delinquentem, non parum vtilitatis accipimus, ne & in hæc corruamus in quę cęteri corruerunt. Est autem principium hodiernæ lectionis, quia vestes à deo acceperit Hierusalem, & fecerit ex his sibi sutilia quædã simulachra, & fornicata sit supet eis. De quibus iuxta possibilitatem meã in priori sermone disserui, docens istos qui scripturas lacerant, & à verbis verba disrumpunt consuentes ea, & commentitia dogmata componentes, seruire idolis quæ earum vestibus induerunt. [Non in tabernaculum meum intrabis, foris es, & foris manebis.] Scit scriptura sanctos intus, peccatores foris esse. Igitur Hierusalem quia talia peccata commisit, vt non mereatur intrare repromissiones dei, & dicatur ad eam: [Et non intrabis:] caueamus ne forte & nobis aliquando dicatur, & non intrabis. [Neque fiet.] Non est cõpletum hoc quod dicitur, neque fiet: & ideo subaudiendum extrinsecus, vt sensus possit expleri. Ea quæ tibi repromissa sunt bona, & acceptura eras, non fient. Sequitur aliud delictum. [Et accepisti vasa glorificationis tuæ de argento tuo, & de auro tuo ex quibus dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas.] Secundum communem sensum sic intelligi potest. Vasa glorificationis, de quibus Moyses scripsit in Numeris, thuribula, phialas, candelabrum aureum, arcam ab intus & à foris deauratam, & cætera accepisti, & conflasti ea, & fecisti effigies masculinas, & fornicata est in eis. Secundum allegoriam verò ita explanabitur. Vasa aurea & argentea, id est thuribula, phialas, & cætera istiusmodi habemus in sacris literis: quando ergo torquemus sensus scripturæ in alterum sensum qui est contrarius veritati, verba diuina conflamus, & res dei in alias mutamus effigies. Quæ facientes incidamus in peccatum quod nunc commiserat Hierusalem. Vasa glorificationis nostræ, sunt lex & prophetæ: super his exultamus, in his efferimur. Quos cum aliter exponimus quàm se veritas habet,

K

Num.8.

A habet, conuertimus vasa glorificationis nostræ de argento rationabili, & de auro sensibili quod nobis dedit Deus, & facimus nobis imagines masculinas, & fornicamur in eis. Sequitur: [Accepisti vestimenta varia, & operuisti illa.] Varia vestis est, & hic vnus de scripturis locus, quo induimur assumentes viscera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, longanimitatis ad sufferendum inuicem. Has varias vestes, & pulchros amictus quos nobis largitus est Deus, si laceramus atque conscindimus, & circundamus falsæ doctrinæ ad deceptionem hominum, non dubium est quin variis vestibus operiamus idola. Intelliges autem hoc quod dicitur, si ipsam rem manifestius describamus. Vide mihi aliquem Marcionistam, siue discipulum Valentini, aut certe cuiuslibet hæresis defensorem, & considera quomodo idola sua, id est, figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, vt in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat. Et cum hoc fecerit, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, & conuersationis optimæ, & idolis subiecisse quæ ipse construxit. Ac iuxta mei quidem animi sensum multo nocentior est hereticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet auctoritatis eo, qui doctrinam conuersatione maculat. Qui enim vitæ pessimæ est, non facile homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per vmbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem. Qui verò sermone peruersus est, & disciplinis saluti contrarius, mores autem compositos & ornatos habet, nihil facit aliud nisi accipit indumenta varia instituti boni, & conuersationis quietæ, & circundat ea idolis suis, vt magis decipiat audientes. Idcirco sollicite caueamus hæreticos, qui conuersationis optimæ sunt, quorum forte vitam non tam Deus, quàm diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponūt vt facilius aues capiant per oblectamentum gulæ, sic (vt audacius dicam) est quædam castitas diaboli, id est decipula humanæ animæ, vt per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem, & iustitiam possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire. Diuersis diabolus pugnat insidiis, vt miserum perdat hominem, & bonam malis tribuit vitam ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conscientiam. Mihi ipsi qui in ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, vt totam ecclesiam ex mea conuersatione confundat. Et ideo plus hi qui sunt in medio, oppugnantur ab inimico, vt per ruinam vnius hominis, quæ cælari non potest omnibus scandalum fiat, & impediatur fides per conuersationem pessimam clericorum. Omnia, vt diximus, diabolus operatur, & ea quæ videntur esse bona, nec sunt, & ea quę per naturam suam mala sunt: omnia aduersum humanam commentatur animam. Vnde qui curam habet vitę suæ, neque mansuetudine hęreticorum capitur, ad consentiendum doctrinæ C eorum, neque meis delictis qui videor in ecclesia prædicare, scandalizabitur: sed ipsum dogma considerans, & pertractans ecclesiæ fidem, à me quidem auersabitur, doctrinā vero suscipiet secundum pręceptum domini, qui ait: Super cathedram Moysi sederunt scribę & pharisæi. Omnia quęcunque vobis dicunt, audite, & facite, iuxta opera autem illorum nolite facere: dicunt quippe, & non faciunt. Iste sermo de me est, qui bona doceo, & contraria gero, & sum sedens super cathedram Moysi quasi scriba & pharisæus. Præceptum tibi est ô popule, si non habueris accusationem doctrinę pessimæ, & alienorum ab ecclesia dogmatum, conspexeris verò meā culpabilem vitā, atque peccata, vt non habeas iuxta dicentis vitam tuam instituere, sed ea facere quæ loquor. Nullum imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus. Descripti sunt Actus Apostolorum, & prophetarū gesta de sacris voluminibus agnoscimus: illud exemplar firmum est, illud propositū solidū, quod qui sequi cupit, securus ingreditur. Si verò quærimus nobis culpabiles ad ęmulandum, vt cum dicamus, ille docet, & his quę docet facit ipse cōtraria: aduersum pręceptū domini facimus, qui mandauit doctrinas magistrorum magis considerari debere quàm vitas. Hæc diximus de eo quod scripum est, [Accepisti vestem tuam versicolorē, & operuisti illa,] id est vasa glorificationis, quę in idola com-

Hæreticus bonæ vitæ nocentior.

B

Castitas diaboli.

Matt.23.

Doctrina magistrorū magis consideranda quàm vita.

mutasti. Sequitur: [Et oleum meum, & incensum meum posuisti ante faciem eorum.] Scriptura docente didicimus, quia sanctorum oratio sit incensum. Ait enim: Incensum autem orationes sanctorum sunt. Si ergo instituti ad orationem cū illam Deo debeamus offerre, id est Deo legis & prophetarum, Deo Abraham, Deo Isaac, deo Iacob, & patri Iesu Christi, offerimus quæ ipsi confinximus, intantum vt incensum Dei proponamus idolis: facimus id quod dicitur in pręsenti: [Oleum meum & incensum meum posuisti ante faciem eorum.] Verum iste de incenso sit intellectus. Quid respondebimus de oleo? Oleum est quo vir sanctus vngitur, oleū Christi, oleum sanctæ doctrinæ. Cum ergo accepit aliquis hoc oleum quo vngitur sanctus, id est scripturam sanctam instituentem quomodo oporteat baptizari: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti: & pauca cōmutans vnxerit quempiam, & quodāmodo dixerit, iam non es catechumenus, consecutus es lauacrum secundę generationis: talis homo accipit oleum Dei, & incensum, & ponit illud ante faciem idolorum. [Et panes meos quos dedi tibi, simila, & mille, & oleo cibaui te.] Ecce panes nostri simila mundissima in scripturis, & mella apū prophetarū. Ista omnia dedit nobis Deus, & cibauit nos de panibus prophetarū, & de simila legis, mélle euāgelij, è quibus cibati ponimus eadem ipsa idolis. Cum enim ex dogmatibus falsis volentes assumere defensionem, diximus, scriptum est in propheta, testatur Moses, loquitur Apostolus: quid aliud facimus, quàm accipientes panes veritatis proponimus eos simulacris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, & proposuit ei panes scripturarum: Valētinus. Basilides, cæteriq; hæretici fecerunt similiter. [Et posuisti illa ante faciem eorum in odorem suauitatis.] Naturaliter suauissimi odoris sunt hæc quæ nobis largitus est Deus. Quem odorē suauissimum ante idola ponit, qui aduersum potestatem scripturarum aut gerit, aut intelligit. [Et factum est, dicit Adonai dominus, & accepisti filios tuos, & filias tuas quas genuisti, & immolasti illos in consumptionem.] Cum genuerit peccatrix Hierusalem filios & filias, finis eorum qui nascuntur, occisio est. Neque enim salus finis est pessimorum. Idcirco scriptū est: [Immolasti eos in consumptionē. Quàm modica fornicata est, interfecisti natos meos, & dedisti eos.] Proprie ait: Accepisti filios tuos: significāterq; addidit: Occidisti natos meos. Quicunque enim nascuntur in hæreticorū doctrinis, & ibi fidei suæ principia sumpserūt, hi filij sunt fornicariæ, & peccatricis Hierusalem. Qui autem natus est in ecclesia, & deceptus postea fuerit hæretica falsitate, iste cum filius Dei sit, apprehensus est à peccatrice Hierusalem, & positus victima idolis eius. Hoc supra omnem fornicationem tuam, & abominationes tuas. Filios ecclesię accipere, immolare idolis, hoc supra omne peccatum tuum est. [Et nō fuisti memor diei infantiæ tuæ cum eras nuda, & turpiter agens.] Præfatus est de nuditate & turpitudine Hierusalem. Oportuit ergo in iniquitate meminisse quomodo pēnas meas expanderim super te, & assumpserim te de sanguine tuo, & lauerim te. Tu verò horū omniū oblita fuisti. Hæc quæ condecent nudam, & turpiter agentem, & commixtam in sanguine suo. [Et factum est post omnes malitias tuas: Væ, væ tibi dicit Adonai dominus: & ædificasti tibi domum meretriciam, & fecisti tibi expositionem in omni platea.] Si cō sideres animam expositam amatoribns suis, videbis quomodo faciat domum meretriciam, & suscipiat omnes quos prædiximus amatores. Intellige verò quod dicimus ex sequentibus, id est qui sunt amatores Hierusalem. Anima humana multum speciosa est, & mirabilem habet pulchritudinem. Artifex quippe eius cum eam primum conderet, ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid hac pulchritudine & similitudine pulchrius. Quidam ergo adulteri, & sordidi amatores decore eius illecti desiderant eam corrūpere, & fornicari super eam. Quamobrē sapiēs vir Paulus dicit: Timeo autem ne forte vt serpēs decepit Euam in nequitia sua, sic corrumpantur sensus vestri. Sensus nostri in fornicatione carnali corrumpuntur: in spiritalibus verò stupris sensus corrumpitur, & ipsa anima vulneratur. [Et cōtaminasti speciē tuam.] Etiam si nō homo in peccatis maximis constitutus, tamen quia ingens est animæ pulchritudo, minorum

Apo.8. D

Nihil in Baptismo commutādum.

E

F

Gen.1.

2 Cor.11.

M

G quoque societate turpatur. Respice virtutes animæ quę ei insitæ sint à Deo, vide pulchritudinem eius, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem, cuius sit ingenij, quomodo primum intelligat, inde intellecta diiudicet, vt incitetur ad sensus, vt menti sensa commoder, quos habeat impetus, quos cogitatus de Deo. Hęc possidens magnæ pulchritudinis est, sed hæreticorum sectis, & extranea religionis institutione corrumpitur. [Et transierunt crura tua per omnem transitum, & multiplicasti fornicationem tuam.] Est fornicatio à fornicatione differens: & quomodo in fornicatione carnis est aliquis non nimiæ fornicationis, & tamen fornicatione pollutus, alius verò multiplicans fornicationem suam: sic & in ea fornicatione quæ animam suam sensumq; commaculat, alius multitudine fornicationis obruitur, alius verò non tam à fornicatione est seductus. Idcirco qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. [Et fornicata es in filios Ægypti cõfines tuos.] Filij Ægypti cõtrarię fortitudines sunt. Nec mirũ est, si cõfines nostri Ægyptij dicãtur: cõfines Ægypti, & Hierusalẽ in sua ciuitate sunt positi, qui sunt magnis carnibus. Nõ quia isti Ægyptij ingẽtes carnes habeant (& quidem honeste videtur pudenda eorum immutato vocabulo significasse, id est magnis carnibus) sed quia carnei intellectus magnarũ nos carnium faciant: vt ecõtrario est quædam caro deficiens, de qua dicitur. Quomodo caro mea in terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Fornicatur igitur Hierusalem [super filios Ægy-

Animæ pulchritudo.

H pti, confines suos, & magnarum carnium. Et multipliciter, inquit, fornicata es ad me exasperandum.] Multas species fornicationis commisisti ad me concitandum. [Quod si extendero manum meam in te, & auferam legitima tua, & tradam te in animas eorum qui te oderunt, filios alienigenarum.] Vides quia in animas alienigenarum traditur, quæ indigna sit vsu legis, & sermonum Dei. [Qui te diuerterunt de via tua. Impie egisti & fornicata es super filios Assur.] Primum super filios Ægypti, deinde super filios Assur. Hæc species peccatorũ sunt. Nam & cum captiuos acceperunt Assyrij filios Israël, factum est quidem id quod scriptura refert, scriptum est autem propter frequentem nostram captiuitatem, quæ à spiritalibus Assyriis perpetratur: de quibus apostolus dicit: Non est nobis certamen aduersus carnem & sanguinem, sed aduersum spiritalia nequitiæ. [Et nec sic satiata es, & fornicata es, & non satiaberis.] Quando quis non impletur delinquens: sed semper prioribus peccatis noua peccata coniungit, colligans vt fune longo, & sicut loro iugi vitulę iniquitates, nunquam se ad meliora conuertens, neque pœnitentiam agens super malis suis, dicitur ad eum: Et non satiaberis. [Et multiplicasti testamenta tua ad terram Chanaan.] Quando Deus ad nos facit testamenta, & nos consentimus ei, beati sumus: quando verò fornicamur ad spiritalia nequitiæ, tunc conuertimus Dei testamenta ad terram Chanaan, & pactum statuimus cum ea. Hoc autem mihi intellige & in Chaldæis,

Eph. 6.

I & in cęteris gentibus, quando in quolibet aliquo peccato reprehendimur. [Et testamenta ad Chaldæos, & nec sic satiata es.] Post catalogum peccatorum; ad peccatricem loquitur Hierusalem. [Quid constituam in te, dicit Adonai dominus, cum facias tu hęc omnia opera mulieris fornicariæ procacis?] Ascendamus paulisper eloquio, quia non semper vtile est de fornicationibus loqui, & procul absit vt aliquis in ecclesia sit, qui dehortatoriis à fornicatione indigeat sermonibus. Nam si quis necesse habet audire: Non fornicaberis: seu illud: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: iste similis est his quos apostolus dicit: Iusto lex non est posita, sed iniquis, & non subditis, impiis, & peccatoribus. Quomodo ergo iusto lex non est posita, verum iniquis, & non subditis: sic doctrina ea quæ à fornicatione monet recedendum, casto non est posita, sed iniquis, & fornicatoribus, & inobedientibus. Non habemus itaque necessarium, vt discamus à fornicatione discedere: verum ad perfectiora tendamus à principiis elementorum Christi. Etenim cum deberetis (ait) magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis sermo qui præcepit: Non fornicaberis, non adulterabis, non

Ex. 20.
1 Cor. 3.
Heb. 5.
Rom. 13.

K furaberis, non solida esca est, sed quasi lac præbetur infantibus. Athletarum cibus est de omnipotenti Deo, de mysteriis eius quæ tecta sunt, & latenter in scripturis significata, sentire. Vide quomodo ad Corinthios Paulus loquitur. Lacte vos potaui, non cibo, nec dum enim poteratis, sed neque nunc potestis. Et quia lacte adhuc indigebant, ea discũt quæ discere paruuli solent. Bonum est homini mulierem non tãgere, propter fornicationem autem, & cætera. Rursumq; instituuntur ne immolatitia comedant. Ista omnis doctrina lac paruulorum est, & adhuc infantium in Christo. Quando verò Ephesiis scribitur, solidum illis præbet cibum. Non auditur quippe in Epheso fornicatio, non auditur in Epheso idololatria, & esus immolatitiorum. Ex quibus docemur, quid sit solidus cibus, & quod rationabile & sine dolo lac moralis locus, quod solidus cibus mysticus intellectus. Beatum est igitur vt festinemus ad ea, quę imperfectiora sunt principia transeunres. Et quod moralis locus lac sit, apostolus docet, cum iam aliqua de lacte dixisset addens: Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Tales omnes sunt qui adhuc lacte potantur: perfectus autem aliis indiget disciplinis. Hæc in medio dicta sint, quia sermone conscenderam, ne ab alterius expositione fornicationis statim aliam fornicationem incurrerem, quam nunc explanabo. Dicitur quippe ad Hierusalem: [Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.] Quid est quod ait, quod tripliciter fornicata est in filiabus suis Hierusalem? Dei indigemus auxilio,

Decalogus non solida esca, sed lactea.
1 Cor. 3.
1 Cor. 7.
Solidus cibus mysticus intellectus, lacteus moralis.
Heb. 6.

L vt ipse nobis obscuritatem istius loci edisserat. Et quomodo Moses audiebat Deũ, & deinde ea quæ à Deo audierat, proferebat ad populum: sic nos indigemus spiritu sancto loquẽte in nobis mysteria, vt orationibus nostris scripturam possimus audire, & rursum quod audiuimus, populis intimate. Quid est ergo: Tripliciter fornicata es in filiabus tuis? Si intelligas fornicationem carnis, & animæ, & spiritus, & videas aliquem fornicari in his omnibus, videbis tripliciter fornicantem Hierusalem. Qui verò tripliciter castus est, iste ab apostolo meretur audire: Deus autem pacis sanctificet nos per omnia, vt integer spiritus noster, & anima, & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur, Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

1 The. vlt.

Homilia VIII *de eo quod scriptum est: In quo constituam cor tuum, ait dominus Deus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis, vsque ad illud: Dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis.*

Cap. XVI.

QVAE primum lecta sunt, exposuimus hodie, sumamus exordium ab eo quod scriptum est: [In quo constituam cor tuum, dicit Adonai dominus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis? & fornicata es tripliciter in filiabus tuis.] Hucusque iam diximus. Sequitur: [Quando lupanar tuum ædificasti in capite omnis viæ, & basem tuam fecisti in omni platea,

M & non es facta vt meretrix congregans mercedes. Mulier quæ mœchatur similis tibi, à viro suo accepit mercedes, & tu dedisti mercedes: omnibus amatoribus suis dedit mercedes, & tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis, & honorabas eos vt venirent ad te in circuitu à fornicatione tua.] Et homo hominem constituere potest, malus in malo, bonus in bono. Corrumpunt enim mores bonos confabulationes pessimæ. Nec dubium quin loquentis sermo auditorem ad peiora sollicitet, cum hæreticus loquens constituat auditorem suum in hæretica prauitate. Et vt ad meliora veniamus, si potest prodesse qui loquitur, & vita eius cum sermone consentit, in bonis constituit auditorem suum. Nos qui minimi sumus loci, si audierimus verbum de castitate præcipiens, constitui super eos conamur. Si ipsi loquimur de pudicitia, & nosmetipsi auditores statuimus in pudicitia. Si de iustitia prędicamus, ad iustitiam impellimus. Si de fide, fidem insinuamus, vt digne maiestati diuinæ obediamus in domino. Si ergo nos homines cum simus mali, solemus constituere cor audientis, siue in bonis, si boni sumus: siue in malis, si male agimus, putásne quod Deus nõ habeat potestatem quempiam

Hæretici colloquium periculosum.

A piam in melioribus constituere? aut certe derelinquens eum, fieri ei occasio, vt in pessimis constituatur? Multum vtique iuxta præsens eloquium peccauit misera Hierusalem, quam sæpissime voluit Deus per prophetas suos in melioribus constituere: sed quia noluit consilia audire, noluit Dei recipere præcepta, dubitat Deus, & se dicit nescire quid faciat. [In quo constituam cor tuum, dicit Adonai dominus?] Quid faciam? in quo te cõstituam? Multis peccatorum vinculis stringeris, delicta tua prohibent vitam tuam, vt à meis sermonibus constituaris. Ego ipse frequenter te constituere volui, loquens tibi per sanctos meos, & nõ audisti. Nunc ignoro quid faciam, & dico tibi, in quo constituam cor tuum, dicit Adonai dominus, cum tu facias hæc omnia opera mulieris meretricis procacis? Sæpe diximus quia fortitudines contrariæ amant pulchritudines animæ humanę, & quando suscipit anima humana semina amatorum suorum quodammodo fornicetur cum eis: sed quia & in communi vita sunt aliquæ meretrices, quę fornicantur cum verecundia latere cupientes: aliæ verò quæ non solum pudore delicta non velant, sed cum omni se procacitate prostituunt: ideo assumpsit exemplum animę meretricis in peccatrice ista Hierusalem, & ait eam similem factam mulieris fornicarię procacis in fornicatione sua. Sæpe à nobis talia committuntur. Qui enim à religione non penitus recesserunt, vincuntur verò à peccato, & peccantes latere desiderant, similia faciunt meretrici erubescenti. B Qui verò religionem penitus auersantur, intantum vt non curent de episcopo, de presbyteris, de diaconis, de fratribus, sed cum omni procacitate delinquunt, similes fiunt meretrici cum fiducia prostitutæ. Queritur ergo in pręsenti loco de peccatrice Hierusalem Deus, quia faciat opera mulieris meretricis inuerecundę, & dicit ad eam: [Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.] Exposuimus hoc quando noctis dictũ est: Ædificasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & basem tuam fecisti in omni platea: volumus autem & nunc interpretari quid sit ædificare lupanar, non similiter in omni via, sed in capite omnis viæ, ne suffecisse videatur ędificasse lupanar in capite omnis viæ, sed insuper & basem suam posuisse in omni platea. Duo ergo generalia peccata peccauit, cum ędificauit lupanar suum in capite omnis vię, & cum fecit basem, & constituit eam in omni platea meretrix Hierusalem. Quę sunt ergo istę viæ? State in vitiis, & interrogate semitas domini ęternas, & videte quę sit via bona, & ambulate in ea. Multæ sunt vię sempiternę. Si retinetis eam expositionem quam frequenter exhibui, scitis & Moysen viam esse, & singulos prophetarũ. Et quomodo multę sunt margaritæ, quas necesse est possidere eum qui venturus est ad vnam preciosissimam margaritam, sic oportet ingredi multas vias Mosi & prophetarum omnium eum qui venturus est ad dicẽtem: Ego sum via. Sed dicit mihi aliquis: Quid ad propositũ pertinet quod locutus es? Cui sic respondebo. C [Ædificauit in omni via Hierusalem lupanar suum.] Si consideraueris hæreticos omnes alienos à veritate ædificantes domum ex his sermonibus qui in Mose leguntur, ex his quos in Esaia & Hieremia, & prophetis reliquis inuenerunt, intelligis nouas doctrinas fornicationem esse Hierusalem, que ædificat lupanar suum in omni via, sed in capite omnis viæ. Si enim præuentus quis fuerit post principium Mosi, exordium prophetarum, ad profundum eius & scientiam omnium peruenire, nihil potest facere ista meretrix ædificans lupanar in capite omnis vię: eum quærit qui primum ecclesiam ingreditur, qui fidei elementa suscipit, qui rudis est in sacramentis, eum qui in exordio fidei constitutus est vult introducere in lupanar suum, ædificans meretriciam domum. Et quia frequenter fornicatio in scripturis nominatur, exponere volo sermonis istius causam. Ecclesiastici qui in ecclesia sunt magistri, mores purgant tam suos quàm suorum, & ex hac diligentia ędificauit domum Dei ecclesiam, & opus eorum ædificatio Dei est. Hæretici ędificant lupanar in omni via: vt puta magister de officina Valentini, magister de cœtu Basilidis, magister de tabernaculo Marcionis, & cæterorum hæreticorum ędificant meretrici domum. Congregatio enim omniũ malignorum lupanar est. Sed quid dicit scriptura? Fili ne intendas in malam mulierem, mel enim distillat de labiis mu-

Moses via.

Ioh. 10.

Lupanar cœtus hæreticorum.

Prou. 5.

lieris meretricis. Vnde ei mel distillat? Distillat enim mel de D labiis mulieris meretricis. Ingressa est ad Mosen, ad Esaiam, ad Hieremiam, & de scripturis eorum sibi mella collegit. Vade ad hæreticos loquentes, hęc dicit Moses, hæc Esaias, hæc Hieremias, & videbis quomodo de labiis eorum non fluant mella, sed distillent decerpentium de scripturis verba paucissima. Et ideo mel distillat de labiis mulieris meretricis. In capite ergo omnis viæ ędificat lupanar. Esto, intellectum sit lupanar, interpretemur & basem quam in omnibus plateis posuit meretrix Hierusalẽ. Scriptũ est in alio loco, quomodo in plateis manifeste aduocat prętereuntes meretrix: varie quippe peccatum nos ad se trahere festinat, siue per hæresim, siue per gentilem conuersationem. Et per hæresim quidem, quando ędificat lupanar in capite omnis vię, per gentilẽ autem cõuersationem quãdo basem ponit in omnibus plateis. Lata est enim & patens via quę ducit ad perditionem. Cum ergo quę dicit, & in quibus audientes instruere conatur, de scripturis asserit, ædificat lupanar in capite omnis viæ. Cũ vero moralis locus fuerit dissolutus, & luxuriosa pręcipiẽs lasciuium fecerit auditorẽ, quid aliud fecit quàm basem posuit in omni via? [Non es facta vt meretrix cõgregans mercedes.] Videamus meretricem mercedes congregantem, & aliam rursus non congregantem. De hac enim quæritur quasi de meretrice non congregante mercedes. Cum videro esse E meretricem quæ non congreget mercedes, & legero ad istam dictum, quia facta sit vt meretrix nõ congregans mercedes, dicã congregari mercedes esse peccãdo diuitem fieri, peccando gloriã in secularibus cõparare, peccando feliciter in mũdo agere. Quando per peccatum (vt dixi) ista nascuntur, fornicatur anima & congregat mercedes fornicationis suæ, gloriam, diuitias, & reliqua quæ in perditionem animæ suæ conquisiuit: quando verò fornicatur & non agit prospere in secularibus rebus, sed per hoc quod peccauit etiam infeliciter viuit in seculo, meretrix est non congregans mercedes, sed contraria faciens, id est fornicatiis mercedes vltro tribuens. [Et tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis.] Nonnunquam anima diuites facit amatores suos, lætantes in eo quod acceperint mercedes ab ea. Sed dicit mihi auditor, manifesti⁹ expone quomodo fornicetur anima mercedes tribuens de rebus viri sui. Sic enim ait & in præsenti, & in aliis frequẽter locis sermo diuinus, quia sustulerit ea quę sunt viri, & dederit meretrix Hierusalem amatoribus suis. Quid est hoc quod largit⁹ est ei vir suus, quę postea facta adultera omne quod accepit donat amatorib⁹ suis? Vir animæ sermo Dei est, spõsus amator verus, qui dedit ei castitatẽ, dedit iustitiã, dedit cætera bona. Quãdo ergo voluerit anima sequi fortitudines cõtrarias, id est (vt planius dicam) decem annis pudice viuens ad extremũ fuerit fornicata, accipit bona viri sui, quæ multo tẽpore cũ labore quæsierat, & dat ea amatoribus suis. Qui sanguinarij amatores rapiũt ad se virtutes miserę animę, & incendũt iactabũdi super diuitiis eius & dicunt: Abstuli F ei decẽnalem castitatẽ, eripui ab ea quinquennij iustitiã, vendicaui mihi fortitudines eius: oblitus est omniũ bonorũ eius Deus quę aliquãdo fecit, qm̃ comprehensa est in peccato & oblitus est eius, quia cõfessa est nobis amica nostra secreta quæ audierat, & tradidit omnia bona nobis amatoribus suis. Quæ discentes, omni custodia seruemus cor nostrũ & attendamus nequãdo ea quæ viri sunt tradantur amatoribus suis: quin potius inuitemus sponsum sermonem & veritatem, vt nobis faciat ornamenta aurea variis expressa signis per varia pręcepta, & ornati effecti pręparemur viro nostro Iesu Christo, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Prou. 5.

Matt. 7.

Homilia IX. super Ezechielem, de eo quod dicitur: Mater vestra Cethea, & pater Amorrhæus, vsque: Et manum egeno & pauperi non porrigebat.

Cap. XVII.

QVI legit in principio prophetiæ Hierusalẽm quomodo increpata sit quasi habens radicem & generationem de terra Chanaan, patrem Amorrhæum, matremq́, Cetheam: is si legerit etiã hęc quę nunc interpretari nitimur, putabit eandem repeti, & vnum sermonem dupliciter prædicari. Sed

G qui diligens lector est, & ad curam eius diuinæ scripturæ significantia pertinet, & confert præterita præsentibus & verbum verbo componit, videbit differentiam non fortuitam. Ibi quippe radix, inquit, tua & generatio tua de terra Chanaan: quod in præsenti non dicitur: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea: quod nunc non significatur. Et iterum ibi primum ponitur, pater tuus Amorrhæus: secundum, mater tua Cethea: hic verò: Mater vestra Cethea, & pater vester Amorrhæus. Ibi quasi ad vnam sermo fit, hic quasi ad plurimas. Nec enim (vt superius dixerat) ait, mater tua, sed mater vestra. Quando ergo diffunditur peccatum, & longius malitia procedit, & peccatores sua inter se peccata discerpunt, tunc non peccator vnus, verum in vno sunt plurimi, sicuti in exordio quando erat principium delinquendi, necdum erant tantæ quantæ nunc sunt multitudines. Vnde vtile mihi videtur à præsenti sermone paulolum recedentem naturam considerare peccati atque virtutum. Vbi peccata sunt, ibi est multitudo, ibi schismata, ibi hæreses, ibi dissensiones, vbi autem virtus, ibi singularitas, ibi vnio, ex quo omnium credentium erat cor vnum, & anima vna. Et vt manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo, principium autem bonorũ coangustatio, & à turbis in singularitatem redactio: vtputa nos omnes si saluandi sumus, ad vnionem, vt perfecti efficiamur in eodem sensu, & in eadem sententia, & simus vnum corpus, & vnus spiritus. Si verò tales simus, vt non nos

Peccati & virtutis comparatio.

H vnitas circunscribat, sed & de nobis dici possit, ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, & adhuc à malitia scindimur atque diuidimur, non sumus futuri vbi sunt illi qui rediguntur in vnionem. Nam vt pater & filius vnum sunt, sic qui vnum spiritum habent in vnionem coarctantur. Ait quippe saluator: Ego & pater vnum sumus. Et pater sancte rogo, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Et in Apostolo legitur: Donec occurramus omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis in vnitatem Christi. Et rursum: Donec perueniamus omnes in vnitatem corporis & spiritus Christi. Ex quo significatur, quia virtus ex plurimis vnum faciat, & necesse nobis sit vnum per eam fieri, & fugere multitudinem. Et hæc quidem dicta sunt, quia in præterita lectione conscriptum est, pater tuus, & mater tua, & radix generationis tuæ: in præsenti verò mater vestra & pater vester. Ibi non didicimus licet fuerit sermo de patre Amorrhæo & de matre Cethea, sorores habere Hierusalem. hic verò addidit: [Mater inquiens, vestra Cethea, & pater vester Amorrhæus, & soror vestra senior Samaria, hæc & filiæ eius quæ habitat à sinistris tuis, & soror tua iunior quæ habitat à dextris Sodoma.] Quomodo virtus facit me filium

1.Cor.3. *Vnionis bonum.* *Ioan.17.* *Ephe.4.*

I Abrahæ, si secundum eam vixero: opera quippe Abraham faciens filius est Abraham: sic vitia faciunt me filium diaboli. Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo natus est. Virtus me facit etiam fratrem habere Christum, vt cum bonus ac bene moratus fuero, dicat patri suo: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in media ecclesia cantabo te. Et loquitur ad eam quę nunciare poterat verba eius: Vade & dic fratribus meis. Quomodo autem virtus fratrem mihi facit dominum Iesum, ita malitia plurimos fratres acquirit, & hos peccatores, & hæc ipsa tunc mihi fratres generat cum creuerit. Siquidem quando exordium erat peccatricis Hierusalem, necdum habebat sororem Samariam, necdum ei erat germana Sodoma: cum verò processit in scelere, vt pręteritus sermo monstrauit, effecta est media duarum sororum, senioris Samariæ & iunioris Sodomæ. Quæ sunt istæ duæ sorores peccatricis Hierusalem? Schisma & separatio populi fecerunt Samariam. Siquidem eo tempore cum decem tribus cesserunt, dicentes, non est nobis pars in Dauid, nec sors in filio Iesse, tunc duæ vaccæ aureæ constitutę sunt à Hieroboam, & facta est Samaria scissio: quæ magis post captiuitatem decem tribuum creuit quando custodes ab Assyriis ad Israelis terram missi sunt qui vocantur Samaritani. Somer enim custos interpretatur lingua Hebręorum. Ergo (vt dicere cœperam) necdum soror mea est Samaria quamdiu à peccatis longe sum: quando verò peccauero, crescunt mihi duæ sorores, senior Samaria, & iunior Sodoma. Quæ cuius figuram habeant consideremus. Quicunque promittunt verba diuina, & non sicut pollicentur habent in se prædicationis veritatem, hi in scriptutis figuraliter Samaria nominantur. Væ, inquit, spernētibus Sion, & fidentibus in monte Samariæ, vindemiasti principatus gentium. Quasi dixerit, Væ his qui spernunt ecclesiam, & confidunt super arrogantia, & verbis tumentibus hæreticorum. Hoc enim est spernere Sion & confidere in monte Samariæ. Si ergo peccamus & nos ecclesiastici, non sunt à nobis alieni hęretici in dogmatum prauitate. Male enim credit quicunque peccat. Si conuersationem malam habemus, Sodoma soror nostra est. Gentiles quippe sunt Sodoma. Atque ita fratres sumus hęreticorum atque gentilium quando delinquimus, quia Samaria accipitur in hæresi & Sodoma in gentilitate. Habitat autem à sinistris peccatricis Hierusalem Samaria, à dextris Sodoma. Honorabilius quippe apud eam peccatum est quod facto committitur, & ideo à dextris eius Sodoma est. Rursumq; nec Samaria longe est, quia à sinistris eius commoratur: & increpatur quia ambulauerit cum filiabus & sororibus suis in omnibus iniquitatibus, & intantum ambulauerit, vt comparatio delictorum eius illarum iniquitates fecerit iustitiam. Vnde oportet agnoscere iniquitates Sodomorum, vt edoctus custodiam me ab eis, ne capiat ignoratione, quę sunt iniquitates Sodomorum. [Veruntamen iniquitates Sodomæ sororis tuæ.] Quæ iniquitas? [superbia. In

1.Ioan.3. *Psal.22.* *3.Reg.12.* *Amos.6.* *Male credit quicunque peccat.*

L saturitate panum, & in abundantia affluebant ipsa & filiæ eius, & manum pauperis indigentis non suscipiebant.] Quod inęqualia sint peccata scripturis vtentibus nulli dubium est. Alia quippe magna, alia minora ab his esse dicuntur. Cum autem sunt inęqualia, hoc est parua, vel maxima, forsitan aliquis inquirat, quod inter vniuersa peccata sit maius: & procliue suscipitur, omnium peccatorum esse maius, siue fornicationem, siue immunditiam, siue quodcunque libidinis inquinamentum. Sunt quidem & ista verè abominabilia atque polluta, sed non talia quale hoc quod nunc ab scriptura quasi maius omnium condemnatur, à quo nos obseruare debemus. Quod ergo est peccatum maius omnibus peccatis? vtique illud propter quod & diabolus corruit. Quod est hoc peccatũ in quo tanta sublimitas cecidit, vt elatus in iudicium incidat diaboli? Ait apostolus: Inflatio, superbia, arrogantia peccatum diaboli est: & ob hæc delicta ad terras migrauit de cælo. Vnde deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et quid superbit terra & cinis, vt homo arrogantia subleuetur oblitus quid erit, & quàm fragili vasculo contineatur, & quibus stercoribus immersus sit, & qualia semper purgamēta de sua carne proiiciat? Quid enim ait scriptura? Quid superbit terra & cinis? & in vita eius proiecit interanea eius?

Inæqualia peccata. *Superbia peccatorum maximum.* *1.Tim.3.*

M Superbia peccatis omnibus maior est, & ipsius diaboli principale peccatum. Siquando scriptura diaboli peccata describit, inuenies ea de superbiæ fonte manantia: Ait quippe: Viribus faciam, & sapientia intellectus auferam fines gentium, & fortitudine eorum depascar, & commouebo ciuitates quę inhabitantur, & orbem terrarum vniuersum comprehendam vt nidum, & quasi confracta oua auferam. Vide sermones eius, quomodo superbi sint, quomodo arrogantes, & vniuersa pro nihilo ducat. Tales sunt omnes iactatione & superbia inflati. Materia superbię, diuitię, dignitas, gloria secularis. Frequenter causa superbiæ est ei qui ignorat habere ecclesiasticam dignitatem, sacerdotalis ordo & leuiticus gradus. Quanti presbyteri constituti obliti sunt humilitatis: quasi idcirco fuerint ordinati, vt humiles esse desisterent. Quin potius humilitatem sequi debuerant, quia dignitatem fuerant consequuti, dicente scriptura: Quanto magnus fueris, tanto humilia teipsum. Et dilectum Synagogæ te facit, nobilius summitte caput tuum: ducem te instituerunt, noli eleuari, noli fieri in eis quasi vnus ex ipsis. Oportet humilem, oportet esse deiectum, oportet fugere superbiam malorum omnium caput. Considera Euangelium quali condemnatione Pharisæi superbia & iactatio feriatur. Stabat Pharisæus & talia intra se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum vt cęteri homines, raptores, iniqui, adulteri, & vt iste Publicanus. Ieiuno bis in sabbato. At verò Publicanus humiliter & mansuetè longius stans non erat ausus neque oculos leuare, & dicebat: Propitius esto Deus mihi peccatori. Et descendit in domum suam publicanus iustificatus. Non sim-

Eccl.10. *Esa.10.* *Materia superbiæ diuitiæ &c.* *Luc.18.*

A pliciter iustificatus: sed iustificatus comparatione pharisæi. Obseruandus quippe est diligentissime omnis scripturæ sermo, ordo, iunctura. Aliud est iustificari, aliud ex alio iustificari. Simile est Publicanum à Pharisæo iustificatum fuisse, illi quod Sodoma & Samaria ex comparatione peccatricis Hierusalem iustificatæ sunt. Et necesse est nos id scire, quia vnusquisque nostrum in die iudicij ab alio iustificetur, & ab alio condemnetur. Etiam cum fuerimus iustificati ex alio, iustitia illa non tam laudis quàm criminis loco ponitur. Vtpura si inuentus fuero Sodomitica habere peccata, & alius protrahatur in medium qui duplicia scelera commiserit, iustificator quidem, sed iustificor non vt iustus, verum vt ex comparatione eius qui plura commisit, iudicor iustus, cum à iustitia longe sim. Væ illi homini qui à multis peccatoribus iustificatur: vt econtrario multum beatus qui comparatione iustorum, iustus ostenditur. Inuenimus in scripturæ laudibus positum, bonis esse meliorem: vtputa nullus sic fecit rectum ante faciem domini, vt ille, & ille, nullus sic pascha celebrauit vt Iosias. Ex quo ostenditur comparationem fieri iustorum, & illum verè esse iustum qui sic iustificari mereatur. Vtinam & ego collatus sapientibus sapiens reperiar, & iustis iudicer iustus. Nolo quippe iustificari ab iniquis, quia talis iustitia criminosa est. Hæc anticipans loquutus sum, quia in his quæ lecta sunt dicitur: [Iustificasti sorores tuas in omnibus iniquitatibus tuis quas fecisti.] Iustificatæ sunt enim Samaria & Sodoma ex iniquitatibus Hierusalem. [In B omnibus iniquitatibus tuis quas fecisti, iustificasti illas super te.] Idcirco diligentius attendamus, vt possimus agnoscere, omnes nos in die iudicij à peioribus nostris iustificandos, & rursum à nobis alios iustificari. Vnus solus est qui iustificatur ab omnibus, & ipse nullum iustificat. Vtputa Sodoma iustificatur ab Hierusalem, quia ab se sceleratiora commisit, & forte Hierusalem ab alia aliqua quæ se peior est ciuitate. Sic est quidam iustificandus ab Antichristo, qui ad illum comparatur, & illius iniquitate ac sceleribus minor reperitur. Pessimus verò dæmon est, & (vt aiunt) miser qui ab illo iustificatur: forte & pater illius ab eo non iustificatur, multo illo sceleratior repertus. Dominus verò meus Iesus Christus iustificatur iuxta dispensationem carnis, quam ob nostram salutem circuntulit, ab Abraham, ab Isaac, ab Iacob & à reliquis prophetis. Quando enim omnibus iustis & prophetis, ac beatis quibusque in comparationem missis inuenitur contrarium huic quod dicitur de Sodoma & Hierusalem, magis glorifico saluatorem nostrum. Quod autem dico istiusmodi est, & deo largiente orantibus vobis præbebo de scripturis explanationem. Fecit Sodoma peccatum: Samaria quoque peccauit, iniquitatibus obruta est Hierusalem, sed C minora peccata à maioribus iustificantur, sub exemplo quo Sodoma iustificatur à sorore sua Hierusalem. Quomodo igitur iniquitas iustificat, sic condemnat aliquando iustitia. Verum quæso expecta paulisper, donec docearis quemadmodum dicatur condemnare iustitia. Iniquitas mea iustitia est comparatione maioris iniquitatis. Sic & iustitia mea ex comparatione multiplicis iustitiæ iniquitas reputatur. Propterea non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Fuerit licet iustus Abraham, iustus Moses, iustus vnusquisque illustrium virorum: sed ad comparationem Christi non sunt iusti. Lux eorum cum eius luce composita tenebræ reperiuntur. Et quomodo lumen lucernæ ad Solis radios obscuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebrescit: sic licet fulgeat iustorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Christum. Luceat quippe lumen vestrum, non simpliciter dictum est, sed luceat ante homines. Ante Christum non potest lumen fulgere iustorum. Vt splendor lunæ & micantia cœli sidera, priusquam sol oriatur, in stationibus suis rutilant, orto verò sole absconduntur: sic lumen ecclesiæ vt lumen lunæ, priusquam oriatur lumen illud verum solis iustitiæ resplendet, & clarum est ante homines: cum autem Christus venerit, ante eum contenebrescet. Dicitur & alibi: Lux in tenebris lucet. Quæ est illa lux quæ lucet in tenebris? Iustorum lux in tenebris lucet. In quibus tenebris? vbi est nobis certamen aduersus rectores tenebrarum istarum. Hæc qui diligentius longiúsque discusserit, non pote-

2. Para. 35. — *Quomodo iniquitas iustificet et iustitia cõdemnet.* — *Psal. 142.* — *Matt. 5.* — *Ioan. 1.* — *Ephe. 6.*

rit inflari, videns lumen suum ad comparationem maioris D luminis tenebras reputari. Quid est iustitia mea etiam si Paulus apostolus fiam? quid castitas, etiam si Ioseph? quid fortitudo, etiam si Iudas Macchabæus existam? quid alia virtus sapientiæ, etiam si Salomon appaream, ad comparationem dei & ad eorum qui meliores sunt? Ergo vt dicere cœperamus, iniquitas iustificat, & iustitia aliorum comparatione condemnat. Idcirco: Vt iustificeris sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, dicitur ad Deum. Si me vult saluare Deus non affert in iudicium lumen suum: si vult esse incolumem, non defert lumen Christi sui: alioquin puniet me: defert verò lumen minorum, comparat mihi inferiores quosque. Quanto amplius maiores mihi melioresque contulerit, tanto plus iustus ero, si illi à me reperti fuerint minores. Similiter est illud intelligere, quod ab apostolo dicitur: Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in claritate, sic resurrectio mortuorum: Verbi gratia, fulgens, & illud sidus non in conspectu lucidioris stellæ, sed obscurioris micat. Quis nostrum potest ad instar fulgere lunæ? Quis lucidioris siderum coruscate lumine? Secundum id quod scriptum est in Daniele: Fulgebunt sicut stella in secula. Et hæc quidem necessario disputamus, vt procul à superbia recedamus: Sodomiticum quippe peccatum est superbi iniquitas. Hæc Sodomorum sororis tuæ superbia vnde nascatur, & quas habeat radices adiungit: [In saturitate panum. & in abundantia affluebant.] Si soli literæ attendas, multa abundantia antiquitus in Sodomis fuit. Erat quippe terra eorum vt paradisus dei, & vt terra Ægypti. Si E autem à carnali intellectu ad spiritalem conscenderis, vt videas quomodo superbia Sodomorum in saturitate panum & in abundantia fluxerit, vtilitatem capies & ad vitæ officium, & ad alia quædam maiora maioribus corrigenda. Proponamus primum id quod ante multos dies lectum est, diuitem vestitum bysso & purpura, quotidie delitiis luxuriáq; lætantem, & Lazarum vulnerum tabe, & vermium pedore confectum, quærentem solatium famis suæ micas quæ de mensa eius decidebant. Opportune autem nunc in hunc locum exemplum istud incidit, vt perspicuum fiat, quæ iniquitas diuitis fuerit. Locuples erat, abundabat delitiis. Non enim accusauit eum scriptura, quasi diuitias in iniquitate possederit: non eum criminatus est sermo diuinus, quod meretricibus dedit: non homicidam, aut aliud quodcunque scelerum facientem. Sed si consideres hoc quod in præsenti scriptum est, & illud quod in euangelio dicitur, videbis quia & illius maximum peccatum inter vniuersa peccata superbia fuerit: in saturitate panum, & in abundantia affluens non habuit miserationis affectum ad eum qui ante portas suas cõ- F fectus vlceribus iacebat: sed in tantam superbiam elatus est, despiciens paupertatem, vt non computaret neque inferorum supplicia, neque communia humanitatis iura, quia oporteret hominem humana sapere, & in alienis calamitatibus pro simili conditione sui quodammodo misereri. Est igitur & diues ille Sodomita. Si enim talia erant peccata Sodomę, vt in saturitate panum & in abundantia fuerit, talis autem est & diues qui in Euangelio describitur, nulli dubium quin diues ille Sodomita sit. Quomodo autem Sodoma & filiæ Sodomorum superbæ fuerunt, tales sunt arrogantes animæ & filiæ Sodomorum quæcunque nesciunt dictum: Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Hoc erat ei & filiabus eius. Dehinc sequitur aliud Sodomæ delictum, quod debemus dicere, ne in simili crimine reperiamur. [Et manum pauperis & egentis non suscipiebat.] Considera diligenter enumerationem peccatorum Sodomæ. Ego ipse si iuxta vires meas manum pauperis & egentis non adiuuero, Sodomiticum habeo peccatum. Sequitur alia accusatio. [Et superbe gloriabatur.] Et iactatio gloriæ Sodomiticum crimen est Sunt autem quædam Ægyptia peccata, quædam Sodomitica: sunt alia Babylonica, alia Assyria, alia Moabitica, alia Ammanitica. Quis sapiens & intelliget ista? aut quis intelligens & agnoscet ea? Quotiescunque legimus ea quæ de Sodomorum subuersione conscripta sunt non dicamus miserabiles Sodomitæ, quorum vlterius fructus terra non affert, miserabiles multúmque plangendi, qui tam lugu-

Psa. 51. — *1. Cor. 15.* — *Dan. 12.* — *Gene. 13.* — *Luc. 16.* — *Diuitis Euangelici quæ improbitas.* — *Luc. 18.*

G bria & tam dira perpeſſi ſunt: quin potius conuertamus hunc in corda noſtra ſermonem, ſcrutemur renes & cogitationes noſtras, & tunc videbimus eos quos plangimus, in nobis intrinſecus cõtineri, & quia Sodomitica & Ægyptia & Aſſyria, & alia vniuerſa peccata quę caſtigans ſcriptura enumerat, verſetur nos eſſe in nobis. Polliciti ſuprà ſumus maius aliquid de ſcriptura dicturos. Sodomę in ſaturitate panis & in abundãtia atq; deliciis & iſtiuſmodi peccatis delinquenti lex loquitur: Attende tibi ne comedẽs & bibẽs repletus, & domos bonas ædificans, ouibus tuis & bobus tuis multiplicatis tibi, argento & auro multiplicatus obliuiſcaris dominum Deum. Et in alio loco: Manducauit & bibit & ſaturatus eſt & incraſſatus, recalcitrauit dilectus. Similia his Salomon in Prouerbiis ait: Conſtituite mihi autem neceſſaria & ſufficientia, vt non repletus mendax fiam, & dicam, quis me videt? aut egens furer, & iurabo nomen Dei. Simpliciterque dicendum quia nihil ſic in arrogantiam eleuet, vt diuitiæ & ſaturitas, & cibus opum plurimarum, dignitas quoque & poteſtas. Eſt autem etiam ad altiora tranſgreſſum videre, quia ſuperbiam frequenter nutriam, ſi diuinum ſermonem intellexero, ſi ſapientior cæteris fuero. Scientia quippe inflat, non ego dico, ſed apoſtolus. Et ideo vereor ne & ipſe ſuſtollar. Dantur & chariſmata ad id quod expedit. Si ad hoc dantur quod expedit, quis eſt ille cui non expedit? Et cur non expediat, audi. Inferior ſubiicit inflationem, & quandam placitionem ſui, dum ſe putat inter cæteros eminere. Sæpè igitur ſaturitas panum & abundantia materia eſt arrogantiæ. Sæpè autem & de ſpiritalibus donis ſuperbiæ crimen exoritur, & non eſt vtrobiq; diſcrimen. Tantus vir apoſtolus Paulus neceſſarium habuit colaphum angeli Satanæ, vt eum colaphizaret ne eleuaretur multum: quia orans & deprecans Deum impetrauit pro multis ſæpè quod petiit: cum autem etiam pro hoc petiiſſet, nec eſſet quod petierat conſecutus, dictum eſt ei: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur. Oportet itaque timere eum qui adhuc in genere humano, & in hac præſenti luce verſatur, non ſolum ea quæ bona putantur in ſeculo, ſed etiam quæ verè bona ſunt: quia magna non poſſumus ſuſtinere. Exhibeo ad probationem pręſentis ſententiæ hiſtoriam Dauid, in qua conſcribitur in Vriam eum commiſiſſe peccatum. Ante Vriam nullum delictum reperitur in Dauid: beatus homo erat, & ſine querela in conſpectu Dei. Quia verò conſcius ſibi vitę immaculatæ locutus eſt quod non debuerat dicens: Exaudi domine iuſtitiam meam, intende deprecationi meæ, auribus percipe orationẽ meam non in labiis doloſis, de vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates, probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas: & hæc dixit, quia viſitatio dei propter conſcientiam & vitæ beatitudinem eidem præſentaretur, tentatus eſt, & nudatus auxilio, vt videret quid humana poſſit infirmitas. Recedente quippe præſidio Dei, ille caſtiſſimus, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat: Si mundi ſunt pueri maximè à muliere, & acceperat euchariſtiam quaſi mundus, non potuit perſeuerare, ſed in eo repertus eſt crimine, in quo ſibi quaſi continens applaudebat. Si quis ergo conſcius puritatis ſuæ ſeipſum glorificauerit, non habens memoriam illius dicti: Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? relinquitur, & derelictus diſcit experimento, quia in his bonis quorum ſibi conſcius erat, non tam ipſe ſui extitit cauſa quàm Deus, qui virtutum omnium fons eſt. Ex quibus apparet & ſaturitatem panum, & dona ſpiritalia ei qui ea non poteſt ſuſtinere, generare ſuperbiam. Idcirco fugiamus à Sodoma & peccatis eius, fugiamus à Samaria, & criminibus quibus caſtigatur miſera Hieruſalem, vt in vniuerſis Deo nobis fortitudinem miniſtrante, humilitatem, & iuſtitiam conſequamur in Chriſto Ieſu, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Deut.32. 1.Cor.8. 2.Cor.12. Pſa.16. 1.Reg. 1.Cor.4.

Homilia decima ſuper Ezechielem, de eo quod ſcriptum eſt: Ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, vſq; Et ſuſcitabo ego teſtamentum meum tecum.

Cap. XVI.

PRIMVM quidem eſt, nullum opus facere confuſionis, ſed omnia talia quę poſſunt deum libera fronte reſpicere. Quia verò (vt homines) ſæpè peccamus, ſciendum ſecundum (vt ita dicam) nauem poſt confuſionis opera eſſe erubeſcere, & pro ſceleribus ſuis verecundos oculos deiicere, neque ſic procaci vultu incedere, quaſi nihil omnino peccauerit. Bonum eſt quippe poſt confuſionis opera confundi: quia ſæpè & hoc malitiæ artifex inoperatur, ne peccator ad pœnitentiam redeat, & ſic agat quaſi adhuc in iuſtitia perſeueret. Videre poſſumus, & ex quotidiana vita diſcere, multos hominum poſt peccata ſua non ſolum non lugere quod fecerunt, verumetiam procaci fronte defendere proprias ruinas. Grande itaque beneficium in Hieruſalem conſeruatur, ſi tamen credat dicenti domino: [Et tu confundere.] Neq; putes ad Hieruſalem tantum hæc eſſe dicta, & non ad ſingulos noſtrum, qui delictis tenemur obnoxij. Vnuſquiſque enim ſeipſum conſideret, quid fecerit confuſione dignum, quid turpe locutus ſit, ſuper quo non habeat audaciam quaſi dicto bono, quid cogitarit tale quod rubore dignum videtur ab eo qui cordis & renis occulta conſiderat: & cum diligenter peruiderit cogitationes, facta, ſermones, tunc audierit prophetam dicentem: Et tu confundere. Poſt quod à propheta iungitur: [Et accipe ignominiam tuam in eo quod iuſtificaſti ſorores tuas,] Sequitur confuſionem ignominia, & dat deus ei qui confuſione digna geſſit, etiam ignominiam, dixitque ad eum: Et accipe ignominiam tuam. Poteris autem intelligere quod dicitur, ſi conſideraueris quæ quotidie in ciuitatibus fiant. Inhonoratio ciui eſt de patria ſua exulare, & infamia decurioni eradi de albo curiæ, & cuiuſcunque alterius conditionis homini relinqui quidem in vita, ſed cum ignominia, ſiue in operibus publicis, ſiue in inſula aliqua ſolitudinis viuere. Intellige autem mihi iuſtum iudicem ei qui digna infamia fecerit dicentem: O tu qui pœnæ reus es, noli exilium tuum cum mœrore ſuſcipere: non enim merebe-ris miſericordiam ſi iraſceris ad pœnam: quin potius intellige digne te pati quod pateris: & cum te humiliaueris, atque dixeris iuſtum de te factum eſſe iudicium, forſitan miſericordiam conſequeris ab eo qui poteſt poſt condemnationem ad priſtinum te ſtatum reuocare. Quomodo enim licet magno principi liberare aliquem de inſula, & de exilio, & de publicis vinculis: multo magis licet vniuerſitatis Deo eum qui inhonoratus eſt, in honorem priſtinum reſtituere, ſi tamen ſentiens delictum ſuum confeſſus fuerit digne ſe ſuſtinuiſſe quod paſſus eſt. Dabo & aliud exemplum de eccleſiaſtica conſuetudine. Infamia eſt à populo Dei & eccleſia ſeparari. Dedecus eſt in eccleſia ſurgere de conſeſſu preſbyteri, proiici de diaconatus gradu. Et quidem eorum qui abiiciuntur, alij ſeditiones commouent, alij verò iudicium in ſe factum cum omni humilitate ſuſcipiunt. Quicunque igitur exiguntur, & dolore depoſitionis ſuæ congregant populos ad ſchiſma faciendum, & ſollicitant multitudinem malignorum, non accipiunt inhonorationem ſuam in præſenti, ſed theſaurizant ſibi theſaurum in die iræ. Qui autem cum omni humilitate ſiue digne, ſiue indigne depoſiti ſunt, Deo iudicium derelinquunt, & patienter ſuſtinent quod de ſe iudicatum eſt, iſti & à Deo miſericordiam conſequentur, & frequenter etiam ab hominibus reuocantur in priſtinum gradum, & in gloriam quam amiſerant. Doctrina ergo optima eſt, quomodo hoc quod dicitur: Et tu confundere, ſic & illud quod ſequitur: Et accipe ignominiam tuam. Et hæc dico, vt profundiorem aliquem ſenſum de futura inhonoratione interponam. Et ibi quippe erit aliqua ignominia his qui dignum opus ignominia fecerunt. Siquidem reſurgent alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, & confuſionem æternam. Quid autem eſt hoc aliud niſi pœnam infamiæ ſuſtinere? Dum ergo adhuc licet nobis, debemus minorationem noſtram patienter ferre, vt cum hic triſtitiam fortiter ſuſtinuerimus, in futuro ſeculo moueamus (vt ita dicam) viſcera miſericordiæ dei, & benignitatem eius, vt nos reuocet in priſtinum ſtatum de ignominia & confuſione: quomodo econtrario impoſſibile eſt lapidei cordis aliquẽ & penitus non ſentientem delictũ ſuũ, & ante vultum

Secũdam uis poſt naufragiũ erubeſcere. Dan.12.

A Dei omnipotētis superbiētem, misericordiam consequi. Videmus enim quosdam bonos quidem libenter de se latam ferre sententiam,& ob salutem suam dei iustificare iudicium: malos verò blasphemare aduersus prouidentiam Dei, & dicere, non sum dignè adiudicarus huic infamiæ, iniustè ista perpetior. Si iustificamus prouidentiam, soluimus nostram infamiam. Si verò non recipimus iudicia Dei, multiplicamus infamiam. Quomodo autem infamiam, sic & supplicia, sic & cætera. Quæ sunt enim huic, accidere consueuerunt his qui à Deo pro delictis propriis condemnati sunt. Et tu confundere, & accipe ignominiam tuam in eo quod iustificasti sorores tuas. Plus meremur ignominiam, quando talia facimus, quibus peccatores alij iustificentur: vt comparatione delictorum meorum, malorū scelera antiquitus condemnata misericordia liberet, eo quod ego subsequens peiora commiserim. Dicitur ergo ad peccatricem Hierusalem: Accipe ignominiam tuam in eo quod iustificasti sorores tuas. Deinde si quis compleuit hoc quod scriptum est: Confundere, si quis prosequutus est sententiam Dei sequentem: Accipe ignominiam tuam in eo quod iustificasti sorores tuas vicipe... deat etiam gratiam, quomodo pro confusione vicissitudo clementiæ restituatur, quia non contempserit iudicium dei, sed cū omni humilitate susceperit quod de se fuerat iudicatum. Quid ergo repromittitur? Auertam auersiones eorum auer-
B sione Sodomorū & sororum eius, in eo quod iustificasti sorores tuas Sodomam & Samariam. Sodomam minorem & Samariam seniorem, vt in præteritis diximus. Auertam auersionem eorum, id est trium quarum auerterat auersionem ad meliora conuertit: primo Sodomorum, deinde Samariæ, tertio verò Hierusalem. Cum autem, ait, auertero auersionem Sodomorum & Samariæ & Hierusalem, tunc in antiquum restituentur, primum Sodoma, cuius priores auerterit auersiones: secundo Samaria, quam secundo conuerterit: tertio Hierusalem: cui tertiæ auersiones tribuuntur. Igitur sanitates a peccantibus in auersione Sodomorum & filiarum eius, in auersione ipsius Hierusalem: & tribuūtur his qui magis amantur à deo, tardius. Sodoma quippe iustificata ab Hierusalem, prima consequitur misericordiam, id est gentiles. Samaria verò, hoc est hæretici, in secundo loco accipiunt sanitatem. Tertio verò quasi indigni velocioris medelæ, in pristinum statum restituuntur qui fuerunt de Hierusalem. Ante ergo gentiles, ante hæretici clementiam consequentur quàm nos: si tamen fuerimus impij, si & nos peccata depresserint. Quāto enim propiores fuerimus Deo, & ad beatitudinem viciniores, tanto cum peccauerimus longius fiemus ab ea, proximi terribilium maximarúmque pœnarum. Iustū est quippe iudicium Dei, & potentes potenter tormenta patiuntur. *Sap.6.* Qui autem minimus est, meretur citius misericordiam. Minima est Sodoma: & post eam in comparatione Hierusa-
C lem minima, non tamen sicut Sodoma, Samaria est: & ideo primum illarum auertit auersiones, & postea Hierusalem, dicens: Auertam & auersionem tuam. Tertio enim gradu hoc dicitur ad Hierusalem. Verum quando auertit auersionem meam, si inuentus fuero Hierusalem, & peccator in medio sororum mearum? Cum audiero: Vt feras tormētum tuum. Ideo tertio loco ait, auertam auersionem tuam, & post omnes: Vt feras tormentum tuum, & dehonesteris de omnibus quæ fecisti. Est quædam mensura peccati, quam vnusquisque recipiet pro eo quod peccauit. Si habuero quinquaginta peccata, quinquaginta habebo ignominias: si centum, duplicabitur mihi pœna pro factis, & pro magnitudine delictorum tribuetur mihi ignominia. Maximis peccatis magnus cruciatus adiungitur. Deus autem solus verus iudex magnitudines peccatorum, & ignominiæ qualitates, & peccati numerum potest peruidere. Dicitur itaque ad Hierusalem: Vt feras tormentum tuum, & dehonesteris de omnibus quæ fecisti in exacerbando me. Vide ecōtrario satisfacientem deum, & quodāmodo per hæc verba testantem quod iram ipse non *Rom.2.* habeat, sed peccator sibi ad iram concitat deum. Vnde & Apostolus ait: An diuitias bonitatis & mansuetudinis eius, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas dei ad pœnitentiam te adducat? Iuxta autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi irā. Separauit hic sermo iracundiam à deo. Reuera enim iracūdia aliud quiddam à deo est, D nec ei vt insita copulatur. Vnde & de pecatoribus dicitur: *Psal.77.* Emisisti iram tuam & comedit eos. Nemo quod sibi socium est & cognatum emittere potest, verū emittitur quod aliud est ab eo qui emittit. Sic & nos peccando irritamus deum, vt mittat iram quam ipse non habet. Post hæc, id est post auersionem dicitur: Sodoma soror tua, & filiæ eius restituentur sicut erant ab initio. Venio ad imagines & figuras, & video quāto tempore excruciata Sodoma restituatur in antiquum. Si autem id quod per figuram dictū est ita se habet, quid de eo fiet qui verè Sodoma fuerit? Statim post diluuium decima generatione passa est Sodoma ea quę in Genesi leguntur. *Gen.13.* Erat enim prius quasi paradisus dei, & quasi terra Ægypti: veruntamen factum est Sodomæ id quod etiam nunc vestigiis regionis eius perspici licet. Ecce quanti iam temporum circuli transierunt: ecce tria milia annorum sunt, & Sodoma nondum est restituta: non illa Sodoma quæ in signo & in ænigmate ponitur, sed illa quæ in veritatis ratione perspicitur. Aiunt Hebræi Sodomam in eundem statum restituendam, in quo & antea constitit, vt rursum paradiso dei & terræ Ægypti comparetur. Si hoc se sic habet, & siue futurum est, siue non: quærentur enim istiusmodi res apud eos qui doctissimi sunt: vt autem fiat quod dicitur, complebuntur mihi annorum tria milia, & tunc restituetur excruciata tribus milibus annorum Sodoma, id est anima mea: Sodoma, meis pœna peccatis. Grande interuallum temporis inter restitutionem E & ruinam positum est. Etiam si restituaris ita vt antiquitus eras, vide quanta exhaurias mala, quantis primum calamitatibus opprimaris. Hoc autem quod de Sodoma diximus, & de Samaria quoq; intelligere debemus. Et ipsa quippe necdum est restituta, sed ex eo tēpore quo decem tribus eiectæ sunt de Iudæa & de Samaria, & captiuitatem sustinuit, & nomen accepit, non habens accolas suos. Restituetur autem & illa sicut in principio fuit, cum decem tribus fuerint reuersæ, vt soluatur id quod scriptum est: Captiuus ductus est popu- *4.Reg.17.* lus in Assyrios vsque in hodiernum diem. Si autem tanto post tempore restituetur id quod præcessit in signum, quando tu restitueris, si tamen restitueris Samaritana & hæretica anima, quæ simulacris & feriis non veris, ac figmentis de Hieroboam corde venientibus credidisti? quando restitueris ô anima infelix, cum post tanta secula restituatur exemplum tui? Si autem hoc super Sodoma & Samaria fit, quæ iustificatæ sunt ab Hierusalem, quid dicendum est de ipsa Hierusalem quæ supradictarum scelera iustificauit? Et restituemini sicut ab initio fuistis. Et tu & filiæ tuæ restituemini sicut fuistis in principio. Scit hoc quod dicit: Sicut fuistis in prin- *Esa.1.* cipio, & Esaias dicens: Et constituam iudices tuos vt prius, & consiliarios tuos vt in exordio. Et nisi esset Sodoma soror tua in auditu, in ore tuo, in diebus superbiæ tuæ, queādmodum nunc opprobrium es filiarum Syriæ, & omnibus quæ F sunt in circuitu tuo filiarum alienigenarum quæ circundant te in gyro. Impietates tuas tu porta. O clementissimum deum satisfacientem de restitutione, atque dicentem: Impietates tuas & iniquitates tuas porta. Non frustra dico restitueris: sed cum impietates tuas, & iniquitates tuas exhauseris, tunc in locum pristinum restitueris. Quomodo vulnera quæ in corpore sunt, sæpe paruo tempore accidunt, medelæ verò vulnerum cum tormentis adhibentur ingentibus non iuxta æqualitatem temporis quo illatæ sunt, sed iuxta rationem curationis: verbi gratia, in puncto horæ fractura manus & pedis contritio accidit: hoc quod in modico factum est, mensibus fere tribus, ac longo tempore vix curatur: Sic & voluptas quæ neruos animæ succidit & luxuria, & semel vniuersa peccata, cum in paruo tempore infelicem animam illexerunt, & ad vitia traxerunt, magnū postea tempus in suppliciis & cruciatibus promerentur. Propter quod hoc dicit dominus: Et faciam in te sicut fecisti, sicut spreuisti hæc præuaricando testamentum meum, & memor ero. Primum quomodo fecisti faciam tibi, deinde memor ero testamenti mei quod feci tecum in diebus infantiæ tuæ. Fecit quippe testamentum in diebus infantiæ eius. Diximus autem suprà quomodo cum ea fecerit testamentum. Et suscitabo tibi testamentum in æternū, ego occido, & ego viuificabo, ait. Qui

G quum ista promittit, dolores facit, & rursum restituet. Percussit, & manus eius sanabunt. Dicitur in Michæa: Iram domini sustinebo, quia peccaui ei, donec iustificet ipse causam meam. Quomodo iustificatur causa mea? Quando iram domini sustinuero, qui diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contempsi, & iuxta meam duritiam & impœnitens cor thesaurizaui mihi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Et dehonestaberis in eo quod suscepisti sorores tuas seniores cum adolescentulis, & dabo tibi eas in ædificationem. Suprà vnam dixit sororem Sodomam, & aliam Samariam, nunc repetit & dicit, sorores tuas seniores, quum senior tantum Samaria sit, & adolescentior Sodoma: verum quia filiæ earum eis connumerantur, dicit omnium vnam esse speciem. Quantæ autem filiæ Sodomorum sunt, tantæ & Samariæ. Et dabo tibi eas in ædificationem, & non ex testamēto tuo, & suscitabo ego testamentū meum tecum. Considera finem repromissionis, & cognosces quia ego dominus, vt memineris & confundaris. id est, cum receperis peccata tua, & rememorata fueris, tunc confunderis. Et vltrà non erit tibi os aperire. Cum recepero peccata mea, & restitutus fuero, facto mecum testamento, tunc amplius intelligo mala mea, & confundor, & conscius mihi vltro memet punio. Vide autem quid mihi eueniat, vt vltrà non sit liberum os aperire à facie ignominiæ, & quando eueniat.

Mich. 7.

H In eo quod propitietur tibi. Nec tunc quidem quādo propitiatur mihi multa peccanti, possum os aperire, nec quando ignoscit sceleribus meis alienus sum ab ignominia, sed sentiens scelera mea perpetuo conscientiæ meæ igne discrucior. Idcirco quia ignominia & cōfusio æterna nobis reposita est si peccauerimus, omni corde precemur deum, vt det nobis vsq; ad finem & animi & corporis nisu pro veritate contendere: vt etiam si aliquod tempus institerit quod nostram examinet fidem (nam vt aurum probatur in fornace, sic fides nostra in periculo & persecutionibus examinatur) etiam si persecutio eruperit, inueniat nos præparatos, ne domus nostra in hyeme corruat, ne ædificatio quasi in arena cōstructa tempestatibus dissipetur: vt cum flauerint vēti diaboli, id est spiritus pessimi, opera nostra persistant quæ vsq; ad hāc diem perstiterunt, si tamen non sunt occulte subruta, & in expeditionis accinctu manifestemus charitatem nostram quam habemus ad deum in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia vndecima. De eo quod dictum est: Fili hominis propone ænigma & dic parabolam ad domum Israel, & dices: Aquila magnarum alarum, &c.
Cap. XVII.

I EXERCITATIO corporum, & in totum fortitudinem comparat iis qui exercentur, & per partes vnumquodque membrū sensúsque membrorum vegetiores facit ad sufferendum quid, aut ad sentiendum: vtputa oculorum acies si exercitetur in visu, acutior fit ad videndū: aures si frequentius audiant, melius possunt vocum capere dissonantias. Hoc autem & in cæteris membris licet deprehendere, quod in paucis ostendimus. Verum quid mihi prodest ad beatitudinem & ad vitam sempiternam, si corpus exercitationibus roboretur? Quod mihi est emolumentum, etiam si fortissimo corpore fiam, etiam si omnibus membris vegetus incedam? Econtrario autem si sensus animæ habuero exercitatos ad sentiendum quid, ad discendum dies noctésque contriuero, non solum in hac vita mihi conducit, sed etiam recedentem de corpore prosequetur. Idcirco in parabolis & in ænigmatibus loquutus est deus, vt extenderet se mens nostra, vel potius in vnum colligens dictorum intueatur acumina, & à corporis vitiis recedens, dum intelligit veritatem, vitæ suæ cursum secundū eundem dirigat. Hæc in procœmio diximus, quia sermo Dei factus est ad Ezechielem dicens: Fili hominis narra narrationem, & dic parabolam ad domum Israel. Pro hoc autem quod septuaginta interpretes posuerunt narrationem, alius de interpretibus transtulit, propone problema, alius profer problema, alius significa ænigma. Igitur & problema & ænigma & parabola est quod lectum est. Siquando illuminatione indiguimus scientiæ Dei, nunc vel maxime & necessarie indigemus, vt non tam ego quàm orantibus vobis gratia dei in me edisserat solutionem problematis & ænigmatis, siue parabolæ. Quæ est

K ergo parabola aquilæ quam in præsenti spiritus sanctus ostendit? Quæ non solum aquila, sed etiam comparatione cæterarum aquilarum, magna aquila, & ingentium alarum, & longa extensu, & plena vnguibus, siue (vt quidam interpretatus est) plena plumis scribitur. Non solum his quæ diximus maior est cęteris aquilis, verum in eo vel præcipua est, quod ductum habet intrandi in Libanum. Nam ingrediens illic ab arbore cedri quæ in Libano sita erat electa, teneritudines & summa quæque decerpsit, & attulit in terram Chanaan, in ciuitatem siue negociatorum, siue negociatricem, siue translatorum, siue certe (vt septuaginta interpretati sunt) muratam, & posuit hoc quod de cedro Libani sumpserat, vt plantaretur & cresceret in terra Chanaan. Post hęc eadem aquila de semine terræ vnde sumpserat summitates cedri extrinsecus sibi semen accipit, & plantauit illud in campo frondifero super aquam multam. Hoc autem ipsum quod de terra Chanaan fuerat assumptum ab ea quæ Libani summa quæque decerpserat, id est quod secunda vice acceperat, factum est in vitem non fortem, sed infirmam, verumetiam statura pusillam: & palmites huius vitis infirmæ reclinati sunt, pro eo quod de Libano & cedro fuerat assumptum, intantum vt radices suas sub ipsius trunco consitas haberet. Et quidem facta est vitis, & fecit propagines, & extendit arbusta sua. Et post hæc venit alia aquila, & ipsa magna, magnis alis & copiosis vel plumis siue vnguibus: & ecce ista vitis de qua nunc diximus, veniente secunda aquila declinauit testamentum suum ad eam, spernens id testamētum quod prius cum arbore fecerat, in qua reclinata vitis fuerat effecta, & propaginibus factis arbusta latius fuderat, & complexa est secundam aquilam, & radices suas à priore transtulit ad sequentem. Deinde palmites emisit ad aquilam secundam, vt irrigaret eam cum gleba plantationis eius in campo bono, & aqua multa. Et quidem irrigata est hæc ipsa vitis, & translata ad aquilam secundam, vt faceret incrementa, vt afferret fructum, vt fieret in vitem magnam. Idcirco prophetæ imperatur vt dicat, quia testamentum transgrediens vitis quod fecerat cum aquila priore, & statuens illud cum secunda, non dirigatur, neque radices teneritudinis eius efflorescant: quin potius fructus eius propter transcensionem eius putreant, & arescant omnia quæ de ea oriebātur, & iam vltrà non habeat brachium magnum & populum multum: euellatur autem radicitus. & licet irrigata sit, tamen non perseueret, & non dirigatur in vbertatem: statímque vt contigerit eam ventus vrens, arescat, & cum gleba plantationis suę siccetur. Hoc propositio ipsius historiæ exposcit, vt quæ obscurius dicta sunt, quibusdam adiunctis sermonibus planius enarremus. Et si tantus labor est vt ipsum quod dicitur intelligatur, quid necesse est dicere ipsam quæstionem quantā habeat obscuritatem, quæ sit aquila prior, quid sit Libanus, quæ cedrus, quæ summa cedri, quæ aquila secunda, quæ translatio vitis à priore ad sequentem? Si aliquando Dei indiguimus auxilio, semper autem in intellectu scripturarum spiritu sancto indigemus: nunc profecto tempus est quo nobis præstet auxilium, & pandat ipse quæ dixit. Quomodo Saluator noster in euangeliis quasdam parabolas ipse interpretatur: sic & nunc propheta in secunda prophetia quæ in reliquis lecta est significat, quia aquila prior Nabuchodonosor sit rex Babylonis, qui ingressus est in Libanum, id est Hierusalem: & accepit de summis cedri, id est regem Hierusalem, & principes eius: & attulit ea in terram Chaldæorum, scilicet in Babylonem. Plantauit quippe in captiuitatem accipiens filios Israel, & de regio semine, & de genere principum in eadem terra constituit. Post hoc autem, & post regiam stirpem, alia quoque multitudo capta est ab eo, & vitis effecta est, non tam robusta quàm fuerat cum fuisset in vinea Dei & in terra sancta, vbi sacrificia Dei celebrantur, sed erat in Babylone translata vitis infirma. His ita gestis, inter Pharaonem regem Ægypti, & Nabuchodonosor regem Babylonis, bellum ortum

L

M

A tum est. Igitur populus qui cum regibus suis ac stirpe optimatum ab Assyriis fuerat afflictus, reperta occasione qua iugum Nabuchodonosor abiiceret,& eius imperio liberaretur, intulit se ad secundam aquilam grādem, magnarum alarum, id est Pharaonem. Deinde sic ordine currente rerum, quia Deus non Pharaoni tradiderat, sed Nabuchodonosor, & illi non sustinentes iudicium & imperium eius, excusserant iugum Nabuchodonosor de ceruicibus suis, & ad Pharaonem transgressi fuerant, ira Dei super eos ingruit, & contrà euenit quàm putauerant. Oportet quippe eum qui à Deo damnatur,non fugere sententiam eius,nec voluntatem iudicantis velle mutare,verum patientissime sustinere, donec ipse deus liberet qui damnauit.Igitur quia ad Pharaonem transtulit se populus, relinquitur ab auxilio Dei, & peiora patitur quàm ante perpessus est à Nabuchodonosor. Diximus solutionem parabolæ iuxta literam, & id quod scriptum est: sequitur durior interpretatio, & difficilis ad intelligendū, secundum verum Nabuchodonosor, & verum Pharaonem, & ea verba quæ de aquilis prædicta sunt. Idcirco autem ante interpositionem sequentis lectionis,hanc expositionē summatim strictímque prędiximus,vt & præsens locus facilius intelligatur, B & nihilominus seruetur loco suo plenior expositio, & consequens parabola etiam iuxta allegoriam latissime disseratur. Verum nunc pauca debemus assumere, & quasi quodam armamento futuræ interpretationi viam sternere de his quæ nobis Dei gratia largitur, scientes quid in sequenti plenius exponemus. Ac primum quidem videndum est,quare Nabuchodonosor & Pharao aquilę dicantur.Forsitan quærit quispiam qui nō ociose & transitorie scripturas legit: Nabuchodonosor aquila est magna,& magnarum alarum,& hic Pharao alia aquila magna similiter alatum ingentium, & in lege inter immunda animalia posita est aquila: quare & iustus diues effectus præparat sibi alas aquilæ, vt possit cōuerti in domum principis sui? quare etiam repromissio quædam est apud Esaiam prophetam dicentem: Iusti accipient pennas vt aquilæ,current & nō laborabunt,gradientur & nō esurient? Si enim immunda est aquila, nō oportet nos pennas accipere vt aquilam, cum iusti fuerimus: neque cum diuitiæ nobis creuerint oportet præparare nos nobis pennas aquilæ. Cui primum respondendum est, quædam nomina animalium in scriptura in vtroque genere,id est in malo ac bono posita:vtputa leo & in bonam accipitur & in malam partem. In bonam sic: Catulus leonis Iuda, ex germinatione fili mi ascendisti,accumbens dormisti vt leo,& vt catulus leonis,quis suscitabit eum? In malam verò partem sic. Aduersarius noster C diabolus vt leo rugiens quærens deuorare circuit, cui expedit nos resistere firmos in fide. Sed & malignus supplantare cupiens insidiatur in occulto, vt leo in spelunca sua insidiatur vt rapiat pauperem.Quomodo ergo leo dicitur & in malam partem & in bonam, non est incongruum etiam aquilam in vtranque partem accipi.Et vt ego suspicor,iustus non est aquila,sed quasi aquila,ęmulatur quippe aquilam.Et quomodo serpens æreus typus fuit saluatoris: neque enim serpēs erat verè, sed imitabatur serpentē,dicente domino:Vt Moyses eleuauit serpentem in deserto, sic oportet exaltari filium hominis: eodem modo & iustus non tam aquila est quàm aquilæ similis, quia ei vtile est imaginem aquilæ sectari.Iuxta hunc intellectum,& in alio loco præceptum accipit iustus, vt sit sapiens sicut serpens, non vt fiat serpens, sed ne à veri serpentis capiatur astutia. Si autem sermo dei scripturas diligenter excutiēs, & spiritus de quo scriptum est:Spiritus omnia scrutatur etiam alta dei,in alicuius animam venerit,manifestissime ostēdet de scripturis & aquilam & leonem in parte mundorum animalium posita: Cherubim dei habere faciem hominis & faciem leonis à dextris quatuor partium, & faciem vituli & faciem aquilæ à sinistris quatuor partium: & hæc quæ in Cherubim videntur, id est aquila & leo, munda sunt. Nihil quippe immundum est in curru dei. Et quomodo tu de gentibus credens mūdus effectus es:& quod deus mundauit, tu ne commune dixeris,dicitur de omnibus quæ cœlo pendentia ostensa sunt Petro: sic mundatus est leo & aquila,quæ in Cherubim apparuerunt. Necnon est aliud quod in Christi aduētu futurum prędicatur: nouit mundum leonem, mundam & aquilam, quæ nuncupatur immunda: Lupus e- D nim & agni pascentur simul. Lupus enim qui cum oue innoxius pascitur,non est vltrà obseruandus. Non mihi dicitur de tali lupo: Attendite ab eis qui veniunt ad vos in vestitu ouiū, intus autem sunt lupi rapaces. Signanter loquutus est,dicens: Intus autem sunt lupi rapaces. Sunt quippe alij non rapaces, quando lupi & agni pascentur simul, & vitulus & taurus & leo pariter edent. Cum autem fuerit tam diuersarum inter se naturarum in fide Christi facta sociatio, leo non erit iam immundus,verum feritatis suæ obliuiscetur, & vniuersa animalia quæ in lege Dei dicuntur immunda, conditionis antiquæ recipient puritatem. Hoc autem & ex parte iam factum est, & plenissime in secundo complebitur aduentu. Præuenit igitur sacramentum quod ostensum est in Cherubim, rei veritatem: & intantum leonis & aquilæ facies cum aliis faciebus cognatæ sunt, vt magis nobis videatur vitulo & tauro & leone simul pascentibus, id quod apparuit in Cherubim. Ab Esaia quippe nihil de his quæ prædicta sunt sibi cohærens & inuicem connexum repromittitur. In Cherubim verò vnumquodque animal cum alio cognatum est, facies vituli faciei leonis,& vultus hominis vultui aquilæ. Non igitur magnopere mireris, cum Pharao & præcedens eum Nabuchodonosor aquilæ nuncupantur: iustus verò pennas assumere dicatur vt aquila,& in dei parte diues effectus aquilæ sibi pennas præparet ad volandum. Verum vt ad propo- E situm redeam, specialiter quiddam significatur de Nabuchodonosor, quia magna & magnarum alarum, & sui extensione longissima intantum vt ausus fuerit dicere. Viribus faciam, sapientia intellectus auferam fines gentium & virtutem eorum depascar, & commouebo ciuitates quæ inhabitantur, & orbem terrarum vniuersum comprehendam manu vt nidum, & quasi confracta oua auferam. Ecce ista est extensio alarum eius. Nec hoc ei sufficit, verum vnguibus plenus est, & multis plumis, & habet ductum intrandi in Libanum, vt cedri eius summa decerpat. Quandiu hi qui cōmorabantur in Libano non peccauerunt, id est quandiu in Hierosolymis positi, sunt in sceleribus deprehensi, non accepit potestatem ista magna aquila, vt ingrederetur in Libanum, neque assumpsit sibi electa, & cedri semen regium, & principum stirpem. Ista quippe sunt teneritudinis eius, quæ quodam tempore non fuerunt duro corde: attamen rapuit ea, quia peccauerunt in dominum. Aquila ista grandis &c. totius arboris cacumina in Chanaan transtulit, quia figuraliter Babyloniorum terra maledicti Chanaan dicitur, de quo ait Noe: Maledictus puer Chanaan,famulus erit fratribus suis. In ciuitate quoque negociatorum, siue negociatrice, siue transferentium, aut certè murata, posuit hoc quod de cedro abstulerat, & accepit sibi de semine terræ,iam non de altioribus solum, sed etiam de minoribus, & de populo Iudæorum,& dedit illud in campum frondiferum, super aquam multam respiciendum constituit illud, & exor- F tum est, & factū est in vitem firmam. infirmatus est verè populus Dei in Babylone,& ideo neque canticum domini cantare poterat dicens: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Reuera non poterat infirma non esse, quæ plantata fuerat in Babylone. Quo pacto vires pristinas reseruaret quæ vitis Babylonia esse cœpisset? Quæ quia in sancta terra fructus non fecerat, ideo translata ab aquila,& in terra posita Chanaan, facta est in vitem infirmam & in pusillam statura. Quandiu in terra sancta fuit, ingens vitis erat:quādo verò translata est in fines peccatorum,& infirma & parua effecta est. Et tu igitur vitis quæ me audis, si vis esse magna, noli exire de ecclesiæ finibus, permane in terra sancta Hierusalem. Quod si propter peccata in peiora corrueris, transferis in aliam terram, & eris in vitem pusillam, & palmites tui decident,& radices tuæ siccabuntur, intantum vt postea desideres requiescere super aliam aquilam, vt nunc dicitur, magnarum alarum & plurimorum vnguium. Bonum est condemnatum in condemnationis permanere sententia, quandiu ei libet qui dānauit,non curramus volentes ad Pharaonem. Si enim ad eum currimus, contra deum facimus qui dixit: Ego sum dominus Deus tuus,qui te eduxi de terra Ægypti,de domo seruitutis. Ad Nabuchodonosor enim nō tā

4.Reg.25. Gen.49. Ioan.3. 1.Cor.12. Esa.11. Matt.7. Esa.10. Gen.9. Psal.136.

G sponte properamus quàm condemnati & pertracti ad eum sumus. Sequitur: Et factum est, aquila altera magna, magnis alis & copiosis vnguibus, & ecce vitis ista amplexabitur eã, id est secundam aquilam. Euenit sæpe vt ab vna cõtraria fortitudine ad aliam transferamur. Iusserat enim deus, vt Israelitarum populus sub Nabuchodonosor iugum colla submittaret, vt legimus in Hieremia, in tãtum vt comminaretur ei qui ab eius seruitio declinaret: & eo tempore quo Hieremiam exposuimus, ea quæ nobis gratia dei orantibus vobis largita est, siue certè vtcunque sensimus, exponere conati sumus. Noluit autem id facere quod fuerat imperatum, sed palmites suos extendit ad Pharaonem in gleba plantationis eius: ab eo cõstituta est in campo super aquam multam, vt fructus afferret vberrimos: & deserta Aegypto rursùm Aegyptum concupiuit, putans se vbertatem pristinam consequuturam: hoc in primis cogitans, quod si Nabuchodonosor ad Pharaonem transcenderet, radices firmaret, euelleret staturam, fructus afferret. Sed in contrarium quàm putauit omnia reciderunt. Fructus quippe eius omnis computruit, & pullulationes quę saltem modicæ in Babylonem venerant, mutatione regionis exaruerunt, intantum vt radicitus euulsa sit, ne vltra in brachio magno, aut in populo plurimo conualesceret. Quid in se hæc tanta vel talia continent sacramẽti? quid vnusquisque sermo significat? Possumus, si tamen habeamus auditores, ad aliam quandam Hierusalem conscendere, & ibi demonstrare quomodo aquila magna ductum suum fecerit, & in hanc H quam nunc nos possidemus Babylonem summitates eius detulerit. Possumus secretiora quædam de Pharaone loqui: verum quia tempore coarctamur, & forte audenter promittimus quod non valemus implere, ad minora redeamus, & secundum mensuram intellectus nostri sic potius exponamus. Venit ad istum Libanum, hoc est ecclesiam, vbi hostiæ dei, vbi incensum orationum eius celebratur ista magna & vera aquila Nabuchodonosor, id est diabolus, & rapuit. Absit autem à temporibus nostris, vt de summis cedri, id est de principibus, & de regio semine in Chanaan transferat. Oremus ne fiat quod sæpe factum est. Assumpti enim sunt quidam, & in Babylonem translati, qui in ecclesia principes fuerunt, & propter peccatum suum de Libani summitate sublati. Super his dicendum est, quia aquila magna magnorum vnguium, plumis extensa acceperit de cacuminibus cedri, & detulerit eos de Libano, id est de Hierusalem, & plantauerit in terra Chanaan. Non solum autem aquila ista summa cedri, id est de optimatum genere sibi vendicat, sed & terræ semen rapit, & transfert in terram Chanaan, quando quis de populo peccat, & de dei plebe diaboli laqueis præpeditur. Quapropter diebus & noctibus tam pro nobis quàm pro fratribus nostris dei imploremus auxilium, ne quis de Hierusalem transferatur in Chanaan, ne sententia eius deserta à voluntate illius ad I aliam tendamus aquilam, & veniat super nos ira maior, & putrescat vniuersa plantatio, & fructus pariter cum radicibus arescat. Plantatio quippe Hierusalem non potest in alia terra ferre fructus, non facit palmites in finibus alienis, sed statim cum gleba sua siccatur si non perseuerauerit in voluntate dei, & in ecclesia eius, id est in factis & sermonibus & scientia veritatis Christi Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Homilia XII. de eo quod scriptum est: Fili hominis dic ad domum exasperantem, nescitis quid ista significent. Cap. XVII.

EA quæ iam suprà memoraui de duabus aquilis magnis, & magnarum alarum, & magnorum vnguium, necnon quæ prima & secunda aquila gesserunt, nunc quasi in prophetia scilicet figurata vult ex parte sermo diuinus exponere, nobis ad intelligendum relinquens quæ ipse dimisit intacta. Ac primum quidem licet sæpe iam dixerim, tamen etiam nunc aliquid non nouum inferre conabor quod nostræ animæ tribuat salutem, in eo quod dictum est ad Prophetam: Dic ad domum amaricantem, siue exacerbantem. Non enim addidit ad domum exacerbantem, siue exasperã-tem me. Et si volumus videre cuiusmodi sit peccatum exaspe- K ratio, audiamus quã dulcia ei qui intelligit eloquia dei sunt, dicenti: Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua. Hæc natura- *Psal. 118.* liter dulcia quum assumpserint credentes, aut bene viuũt, aut vere contrarium faciũt. Et si quidem iuxta diuinam regulam ingrediuntur, reseruant eloquia dei in eo dulcore quo nata sunt. Iuxta mei autem animi motum puto, quia conuersationis bonitate & augeant eloquiorum dei suauitatem miscentes dulcedinem vitæ dulcori sermonis. Sin verò quis peccet, & extra præcepta dei peruersus incedat, iste accipiens dulcissima eloquia dei, per naturam amarissimi peccati (amarum quippe peccatum est quod dulcedinẽ sermonis exterminat) in amarum saporem omnem redigit suauitatem. Quod dicimus, plenius animaduertes, accipiens exemplum. Herba quæ absinthium nominatur, naturaliter amara est: hanc si secundũ qualitatem & quantitatem mellis in mel iniicias, amaritudine sua vincit eius suauitatem, & cogit amarũ esse quod dulce est. Huius herbæ vim habet peccatum. Si plura peccauero, plus amaritudinis mitto in dulcedinem sermonum dei. Si grande fuerit quod delinquo, totum dulcorem mellis verto in acerbum saporem. Et idcirco deus qui sermonem suum à peccatoribus conculcatum vlciscitur, vnicuique pro qualitate amaroris vitæ, & pro modo intẽtionis amaritudinem pœnarum suppliciorúmque restituit. Et si quidem nos qui hæc L dicimus, & semel credidimus deo, peccauerimus, exasperate dicimur sermonem eius: qui verò penitus à fide eius recesserunt, neque ingressi sunt ecclesiam, hi non faciunt amara eloquia dei. Quomodo enim possunt suauitatem exasperare sermonum, quibus nondum crediderũt? Ideóque nobis alia seruantur tormenta qui videmur credere, & in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio qui ne initium quidem credulitatis habuerunt. Et ne solummodo putemus verbum nos exasperare domini si peccemus, delictum nostrum vsque ad ipsius dei iniuriam peruenit. Scriptũ est enim, quod qui peccat, per præuaricationem legis deum inhonorat. Parum erat si dixisset, inhonorat angelum: nunc autem, per pręuaricationem, inquit, legis deum inhonorat. Quotiescunque præuaricamur legem dei, toties inhonoramus deum: & quanto maiora delinquimus, tantò maioribus contumeliis afficimus deum, quanto plura peccamus, tanto plus inhonoramus patrem, & Christum eius, sicut scriptum est. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Igitur quicũque peccat, exasperat, & cõtumeliam facit, & inhonorat tam dei eloquia quæ suscepit, quàm eum qui docuit. Dic nunc ad domum exasperantem: Nescitis quid sint ista, id est quæ in parabola dicta sunt aquilarum. Dic: Cum venerit rex Babylonis ad Hierusalem, & acceperit regẽ eius, & principes eius. M Quantum ad historiam pertinet prophetãtis, expositum est, quod Nabuchodonosor venerit in Hierosolymam, & captiuos duxerit Sedechiam regem Iudææ, & principes qui erant *4. Reg. 25.* cum eo, partémque populi Iudæorum: necnõ etiam illud addemus, quomodo plantauerit eos in terra Babylonis. Sed nõ stemus in litera, nec hæreamus in historia, magis autẽ tu qui in scripturis dei profectum habes, & nosti quia ista omnia figuraliter contingebant illis, scripta sunt autem pro nobis, in quos fines seculorum decurrerunt. Instat ecce verus Nabuchodonosor, quærens aliquos capere de nobis. Et primũ quidem cupit (si fieri potest) de principibus ecclesiæ captiuos sibi ducere: verum quandiu Ezechias, Iosias, aut certe quicunque iustus rex regnat in populo, nõ potest iste Nabuchodonosor vinctos abducere, aut principes, aut populũ de Iudæa. Si autem nos qui videmur ecclesiæ pręesse, peccauerimus, locum dantes diabolo aduersum Pauli præceptũ dicentis: Nolite locum date diabolo: quodãmodo per delicta nostra quæ *Eph. 4.* fecimus in Hierusalem, occasionem tribuimus Nabuchodonosor, vt ingrediatur ciuitatem sanctam, & abducat quoscũque voluerit. Qui verò non peccat, excludit Nabuchodonosor, vt nõ possit in terram dei ingredi. Ergo omnibus viribus excludamus Nabuchodonosor, vt ad bearum istius ecclesiæ conuentum non appropinquet. Excludamus autem eum assumentes clauem scientiæ: excludamus eum cõuersatione, & factis

A factis bonis, vt non rapiat regem Hierusalem, & principes eius, vt non abducat eos in Babylonem captiuitatis suæ triũphum. Si verò aliquem ex nobis vincere potuerit sæuus inimicus, ducit eum in Babylonem, non in locum amplum alicuius terræ, sed in Babylonem animæ, id est confusionem. Frequenter diximus Babylonem confusionem interpretari. Quicunque enim ab eo victus abducitur in confusionem mentis suæ, transfertur in Babylonem. Respiciamus ad quotidianam vitam. Siquando viderimus animam à peccatis, à vitiis, à tristitia, ab ira, à desideriis, ab auaritia confundi, sciamus istam esse quam diabolus abducat in Babylonem. Si verò principali cordis tranquillitas, serenitas, pax, fructum fecerit, sciamus quia Hierusalẽ versetur in ea: visio quippe pacis intrinsecus est. Et ducit eos ad se in Babylonem, & sumit de semine regni & disponit ad ipsum testamẽtum. Omnes qui sermonem dei suscepimus, regium semẽ sumus: Etenim genus electum vocamur, & regale sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis. Si quis ergo ex nobis qui in ordine regalis seminis constituti sumus, per peccatum suum captiuus abducitur à diabolo, haud dubium est quin de regio genere sit abductus in Babylonem, & faciat testamentum cũ Nabuchodonosor, quia iam testamentum dei spreuerit. Impossibile quippe est hominem sine testamento esse. Si habes testamentum dei in te, non potest testamentum tecum facere Nabuchodonosor. Porrò si repulisti testamentum dei per præuaricationem mandatorum eius, suscepisti testamentum Nabuchodonosor. Scriptum est enim: Disponit ad eum testamentum suum, & inducit eum in maledictionem. Deus in benedictione nobiscum testamentum facit: Nabuchodonosor verò testamentum suum in maledictione constituit. Non B potest in benedictione esse qui pactum fecerit cum Nabuchodonosor. Sed dicit mihi aliquis qui in scripturis diuinis est eruditus. Inuenio in lege Moysi maledictiones constitutas in peccatorem. Si ergo præcepto dei maledictum constitutum est in peccatores, cur non & econtrario apud diabolum quædam benedictio sit, vt alij apud eum in benedictione fiant, alij in maledictione? Huic ergo acute & acerrime interroganti, sic conabor occurrere, & dicere, quia & quædã sit benedictio à Nabuchodonosor, quam deus procul abiiciat à nobis: & maledictio de qua nunc dicere debemus, quę digne super peccatores venit. Quę est igitur benedictio Nabuchodonosor? Quando aliquis in mundo isto locuples fuerit, & feliciter gesserit, & omnia ei prospero cursu fluxerint, intantum vt illud quod scriptum est, ei possit aptari. Bos eius non faciet abortionem: & si vniuersam seculi habuit prosperitatem, benedictio Nabuchodonosor super eum est. Maledictio verò in eo, quando aliquis recedit à deo, & nihilominus in parte diaboli cõstitutus miseriis suppliciisque torquetur. Vult igitur deus, vt nunc scriptura commemorat, testamẽtum Israeli maledictionem esse apud Nabuchodonosor. Et ideo quia voluit spernere testamentum Nabuchodonosor rex Hierusalem, & mittens angelos suos in Ægyptum te- C stamentum cum Pharaone facere conatus est, ait sermo diuinus: Non dirigetur, non saluabitur. Quapropter oportet nos ferre patienter, cùm à deo tradimur vltioni, Tradidit quendam de cœtu ecclesiæ Apostolus diabolo in interitum carnis interitum, non vt perderet traditum, sed vt spiritum traditi conseruaret. Ex quo scriptura ait: Tradere istiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die iudicij domini Iesu. Traditur autem tormentis peccator, vt recipiat in præsenti supplicia, & pro peccatis suis cruciatus in futuro refrigerium cõsequatur, & dici possit de eo, recepit mala sua in vita sua. Si quis igitur pœnis excruciatus iuxta maledictũ in quo deus posuit peccatores, maluerit fugere supplicia, & mittere ad Ægyptum pro auxiliis comparandis ad Pharaonem, à quo liberauit deus populum suum, non dirigetur, non saluabitur. Si quis autem patienter maledictionem sustinuerit, & supplicia Nabuchodonosor, & tempus peccatorum suorum in cruciatu compleuerit, quomodo ille qui secundũ epistolas Pauli excruciatus est, vt spiritus eius saluus fieret in die iudicij, iste finem optimum consequetur. Inducit ergo eũ in maledictionem, & duces terræ eius accipiet, vt fiant in regnum infirmi, Infirmum efficitur regnũ, quod de sancta terra

1.Pet.2.

1.Cor.5.

in Babylonem transfertur. Nullus quippe fortis in Babylone, id est in confusione mentis suæ. Omnino non potest extolli homo qui confusus est, vt custodiat testamentum meũ, vt statuat illud & discedat ab eo, vt mittat nuncios suos in Ægyptum. Iste qui à Nabuchodonosor propter peccata sua tormenta perpetitur, & mittit nuncios suos in Ægyptum, nõ ferens traditionem qua hosti concessus est à deo, vt det ei equos & populum multum, id poscit quod in alio loco prohibitum est: Non enim multiplicabis tibi equos ait scriptura. Si dirigetur, si saluabitur qui facit aduersa, & præuaricans testamentum. Oportuerat eum qui traditus fuerat testamentum Nabuchodonosor sustinere supplicium: verum non sustinet, & idcirco dicitur de eo, non saluabitur. Viuo ego dicit dominus Adonai, nisi in loco regis qui constituit eum, qui spernit maledictionem meam, & transgressus est testamentũ meum. Est quidam qui inhonorat maledictionem dei, & est alius qui honorat eam. Nec dubium est, quin in præsenti de isto queratur deus, qui maledictionem suam inhonorauerit. Quum enim quis traditus fuerit suppliciis vt castigetur, & non sustinuerit quod præceptum est, inhonorat maledictionem dei. Si verò sustinuerit cum omni mansuetudine & benedictione, & gratiarum actione ad deum, iste honorat maledictionem eius: & cum honorauerit maledictionẽ, necesse est vt etiam benedictionem illius consequatur. Et transgressus est testamentũ meum, cum ipso in medio Babylonis morietur, & non in virtute magna, neque in turba multa faciet Pharao bellum. Non potest ei qui transgressus fuerit, & inhonorauerit maledictionem dei, Pharao tribuere auxilium, verum in medio Babylonis pro sua pręuaricatione morietur. Deinde sequitur, & narrat quid peccatores passuri sunt, & post hæc prosperiora quæque commemorat, dicens: Accipiã ergo de electis cedri, & de vertice cordis eorum auellam, & plantabo ipsum in monte excelso: Post maledictiones quas suprà memorauimus, repromissio beatitudinis & dulcissimæ pollicitationis in fine sermonis profertur: quia iam qui suppliciis indigebant, fuerant pro peccatis suis tormenta perpessi. Intra memetipsum verò considerans, & diligẽter istius loci sensum pertractans, arbitror de apostolis prophetari. Isti quippe sunt de electis cedri, de summitate, de vertice, quos dedit deus in virorem seculi, radens corda eorum, & plantatans eos in monte excelso Iesu Christo domino nostro. Et suspendam ipsum in monte alto Israel, & plãtabo, & producet propaginem, & faciet fructum. Fecerunt isti propagines, attulerunt fructus. Et erit in cedrum magnã. Considera magnitudinem & sublimitatem ecclesiæ Christi, vt intelligas iuxta promissionem dei factum esse quod dicitur: Et erit in cedrum magnam, & requiescet super eo omnis auis, & omne volatile sub vmbra eius requiescet. Assume tibi pennas sermonis dei, & poteris repausare sub hac arbore, quæ plantata est in monte excelso. Et requiescet, & propagines eius restituentur. Vide quomodo in bona parte prophetia finiatur. Sequitur enim: Et cognoscent omnia ligna campi, quod ego dominus qui humilio lignum altum. Lignum altum populus Iudæorũ est, qui nunc humiliatus sceleris sui pœnas luit, quia in deum nostrum Iesum Christum manus ausus est mittere. Et extollo lignum humile. Tu eras lignum humile, lignũ deiectum, lignum terræ hærens, verum sublimauit te deus. Et arefacio lignum viride. Lignum viride circuncisionis est populus, qui quondam pullulans & florens fuit, verum nimia nunc siccitate contabuit. Vbi quippe nunc viuidus sermo apud eos? vbi virtutum chorus? Et reuirescere facio lignũ aridum. Tu fuisti lignum aridum, & fecit te reuirescere Christi aduentus. Ego dominus locutus sum & faciam. Quibus dictis vt & nos reuirescamus, vt fructus valeamus afferre, vt germinans lignum, & nõ siccum efficiamur, vt nunquam ad radices nostras ponatur securis quæ in euangelio prædicatur, attentius Iesum Christum dominum nostrum cum patre suo ptecemur, cui est gloria & imperiũ in secula seculorũ, Amen.

D

Deut.17.

E

F

Homilia XIII. de eo quod dicitur: Fili hominis leua planctum super regem Tyri, & pone faciem tuam contra Sidonem Cap. XXVII.

Præcipitur

G PRÆCIPITVR nobis ab episcopis discutere sermonem principis Tyri, vt laudes eius culpásque dicamus: necnon iussum est, vt de Pharaone rege Ægypti aliqua retractemus. Plangitur itaque princeps Tyri: nec putandum est hunc hominem esse. In medio quippe Cherubim nullus hominum est creatus & in paradiso dei, si simpliciter literam sequimur, hominum nullus est enutritus. Et cum in paradiso delitiarum, sicuti diximus, nemo fuerit, nunc dicitur princeps Tyri in paradiso delitiarum natus atque nutritus. Quis est iste princeps Tyri? Veniamus ad Danielem, & occasionem intelligentię reperientes, dicamus non esse principes corporeos, de quibus nunc quæritur. Post Danielem ab Apostolo petamus exemplum. Deinde rursum prophetarum testimonia vocemus. His omnibus etiam ille copulandus est locus, qui à Moyse in Deuteronomio non tacetur. Age, nunc replicemus exempla, incipientes à Daniele. Princeps ait videtur Michael. Ibiq; rursum princeps Isräel: & in consequenti, Michael adiuuabat principem regni gentium. Ad hæc addat Apostolus: Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Et adiuuare principem Israelitarum, principem regni Gręcorum, fortasse iam factum est. In aduentu quippe domini mei Iesu Christi, princeps Israel adiuuit principem regni Gręcorum, vt gentes consequerentur salutem, & illi credendo saluarentur. Atque ita in hũc H modum dicitur quidam princeps regni Persarũ, sicut dictus est Michael princeps Israelitatum, & alius Græcorum. Non sunt ergo hi homines, nec secundum locorum vocabula in quibus imperant, nominantur. Vnde & Apostolus quasi non de hominibus disputans, ait: Sapiẽtiam enim loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, neque principum seculi istius qui destruuntur, sed loquimur dei sapiẽtiam in mysterio absconsam, quàm prædestinauit deus ante secula in gloriam nostram, quam nullus principum seculi istius cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Et quod istius seculi principes crucifixerũt Saluatorem & dominum, prophetia testis est dicens: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Vnde & alibi in psalmis scribitur: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: vos autem vt homines moriemini, & tanquam vnus de principibus cadetis. Et est ibi sermo de nullo penitus principe corporali. Si igitur est quidam princeps regni Persarum, si est princeps Israelitarum Michael, consequenter & Tyri princeps est: & de his nunc principibus propheticus sermo loquitur. Quoniam autem & de Moyse testimonium polliciti sumus, ausculta quod sequitur: Quando diuidebat altissimus gentes, cum disseminauit filios Adam, statuit fines gentium secundum nu- I merum angelorum dei, siue (vt melius habet) secundum numerum filiorum Israel, & facta est pars domini populus eius Iacob. Alij principi facta est pars Tyrus, alij Babylon, aliis alię nationes: atque ita in hunc modum principes possederunt omnes fines gentium. Si quis autem putat legens in scripturis quasi de hominibus dictum, intelligat altius spiritalis, & à nullo iudicatus. Dignoscuntur enim quædam de Nabuchodonosor rege Assyriorum, quæ non cõueniunt personæ eius. Dixit enim: In fortitudine faciam, & sapientia intellectus auferam fines gentium, & commouebo ciuitates inhabitatas, & orbem terrarum omnem comprehendam, & ascẽdam super sidera cœli, & nubes, & reliqua, & ero similis altissimo. Hæc Nabuchodonosor. Sic & princeps Tyri & Pharao. Neque enim intantũ agitatus est furiis verus & corporeus Pharao, vt diceret, Mea sunt flumina, & ego feci ea. Hoc autem ante lectum est in prophetia quæ est aduersum Pharaonem. Neque vnquam principem illum, id est corporeum Pharaonem draconem nuncupasset dicens: Ecce ego super Pharaonem draconem qui sedet in medio fluminum Ægypti, qui dicit, mea sunt flumina, & ego feci ea. Verum hoc in loco proprio reseruetur, quod nunc idcirco assumpsimus vt per notionem scripturarum manifestius fieret id quod videbatur occultum. Aduersum hos principes est nobis pugna. Et beati apostoli qui missi fuerant ad prædicandum, quando ab his qui fines gentium possederant, homines abducebant, patiebantur insidias. Verbi gratia dictum sit: ingressi sunt apo- M stoli Tyrum, persecutus est eos princeps Tyri: ascenderunt Antiochiam, impugnauit eos princeps regni Syriæ, iste erat qui bellabat aduersus eos, non omnes qui putabantur, vt Iudas proditor. Quomodo enim ille non principaliter putandus est prodidisse Saluatorem, sic etiam apostolis omnibus qui persecutionem passi sunt, alius fuit princeps persecutionis. Scriptum est quippe de Iuda: Et post buccellã introiuit in illum satanas. Nõ est enim nobis pugna aduersus carnem & sanguinem, licet videantur ex carne & sanguine qui nos persequuntur. Non eos oderimus, quin potius diligamus, licet inimici nobis velint permanere, misereamur eorum, dæmonium habent, patiuntur insaniam. Non tam hi sunt aduersum nos, qui nos persequuntur, quàm illi qui corda eorum repleuerunt. Verum domini deprecemur auxilium, vt infirmos habeant conatus tanti aduersarij contra humanam animam dimicantes, & dicamus: Nisi quia dominus erat in nobis, in eo cum exurgerent homines in nos, forsitan viuos deglutissent nos. Igitur est quidam princeps Tyri, & prophetia non de Hyram nos docet, hoc quippe nomen in tertio Regnorum libro scriptum est, non de alio principe Tyri, neque de quoquam homine non nos humana docent eloquia, sed diuina, & quædam ineffabilia, & sacrata sub personis hominum. Pharao homo est: aliud quiddam erudior intelligere Pharaonem. Et Nabal Carmeli homo est, & Hyram homo, sed aliud sub eorum doceor effigie. Quis est tãtus & talis qui à corporalibus conscendat, qui à visibilibus inuisibilia con- L templetur, & possit vnumquodque horum secundum dei intelligere voluntatem? Quis est ergo princeps iste discamus, vt cognoscentes lamentationem, etiam quod nunc super ea dicitur, euitemus. Plangitur princeps Tyri. Quàm bonus deus, qui etiam eos qui se negauerũt, deflet? Et hoc venit etiam ex amoris affectu, Nemo quippe plangit quem odit: & qui plãgitur, plangitur quidem vt mortuus: verum quasi adhuc quęratur, quasi viuis desiderio sit, diligitur. Et Hierusalem quãdo plangitur scriptum est: Et factum est postquam captus est Israel, & desolata est Hierusalem, sedit Hieremias flens & lamentans lamentationem istam super Hierusalẽ, & ait: Quomodo sedet sola ciuitas quæ abundat populis, facta est vt vidua quæ multiplicata erat in nationibus, princeps in regionibus facta est in tributum. Plãgitur & Nabuchodonosor. Vbi sunt hæreses? vbi sunt qui aiunt istos in perditionem creatos esse? Criminantur creatorem, vt se criminibus absoluant. Accipe lamentationem istam super regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit qui repetebat? quomodo quieuit qui exigebat? In regem Babylonis ista dicuntur: Quomodo cecidit lucifer de cœlo, qui mane oriebatur, contritus est in terram? Et ille de cœlo cecidit, & iste signaculum similitudinis, corona decoris, in paradiso deliciatũ nutritus. Ecce omnes de cęlo cecidisse, non descendisse referuntur: Dominus verò meus de cœlo descendit, & qui descendit ipse est filius hominis. At K non sicut satanas. Non enim descendit de cœlo, neq; ei mali quicquam acciderat, si descendisset. Audi Iesum dicentem, videbam satanam quasi fulgur de cœlo cadentem, non descendentem. Verum non solus Saluator è cœlo descendit: quotidie multitudo descendit, & ascẽdit super filium hominis. Videbis enim cœlum apertum & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Et tu expecta ascensionem tuam. Tantum à ruina consurge, & audi: Exurge Hierusalem à ruina tua, spera quia sis ascensurus in cœlum, & caue ne tibi quoque dicatur: Nunquid qui cadit non resurget? aut auersus non conuertetur? Væ qui conuertuntur conuersione pessima, dicit dominus. Et iste itaque de his vnus est qui ruerunt, & plangitur ab homine princeps, cum princeps hominem flere debuerit. Homo est Ezechiel, & filius hominis: qui verò plangitur, Nabuchodonosor est rex Babylonis. Accipe & tu lamentationem tuam super regem Babylonis, & dices: Quomodo quieuit qui repetebat, & reliqua. Considera in quantam spem vocatus sis ô homo, qui carne circundatus dicis: Quasi lac me emulsisti, coagulasti autem me ad similitudinem casei, cute & carnibus me vestisti, ossibus & neruis me contexisti. Tu ergo qui de conditione tua dolebas, ecce plangis, & ille qui carne

Marginal notes: Dan.10. — 1.Cor.2. — Ibid. — Psal.82. — Deut.32. — Es.10. — Ezech.29. — Ioan.13. — 3 Reg.5. — 1 Reg.25. — Thren.1. — Esa.14. — Luc.10. — Ioan.1. — Hiere.8. — Iob.10.

A ne non est circundatus, à te plangitur: vocatus es enim in eam spem de qua ille cecidit. Peccato Israël, salus gentibus subintrauit. Audebo aliquid sacratius dicere, in locum angelorum qui ruerunt, tu ascensurus es, & mysterium quod aliquando illis creditum est, tibi credendum erit, de quo dicitur: Quomodo cecidit lucifer qui mane oriebatur? Tu verò lux factus es mundi, tu pro illo factus es lucifer: vnus de stellis erat lucifer qui de cœlo ruit, & tu si tamen de semine es Abraham, inter stellas cœli computaberis. Eduxit enim Abraham foras, & dixit ei Deus: Respice, sic erit semen tuum. Hoc autem tunc erit, quando stellæ cadent vt folia de cœlo, & erit alia gloria solis, & alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Verum noli gloriari aduersum istiusmodi ramos, qui in infidelitate ceciderunt, & fracti sunt: tu quia in fide stas, fide & ascendes. Et per hoc quod plangis principé Tyri, & ea cum lamentatione deploras quæ superius interposuimus, edocere ne forte in his bonis repertus quæ princeps Tyri habuit, etiam tu incipias ruere, si paululum fueris gloriatus, & non custodieris omni custodia cor tuum. Vide quippe quid dicat ad principem Tyri: Tu signaculum similitudinis. Volo nosse quid fuerit, vt signaculum similitudinis nuncupatus sit. Cum profeceris, accepisti signaculum: quoniam Deus veré huius pater quem signauit, &

Gene.15. Cor.15. Rom.11.

B misit, & ideo semper credentes signátur à domino. Iam autem & commune prouerbiũ venit, vt dicamus ille & ille non accepit signaculum, & ille signaculum habet. Quis habet signaculum? Ille quem signauit Deus. Audebo aliquid dicere, quia signaculo isto ille signatus est, qui baptizat in spiritu sancto & igne, ille qui largitur imaginem cœlestis, qui format te ad superiora, vt vltra non portes imaginem terrestris. Caue homo ne seculum istud egrediens, signaculo diaboli sis impressus. Habet quippe ille signaculum. Sicuti portauimus imaginem terrestris, vnde, vel quando, vel qui significauit, hoc signo portauerimus imaginem terrestris. Circuit diabolus & lustrat omnia, volens & ipse signare subiectos sibi. Signat autem singulorum corda considerās, & imprimit in eis figuram terreni per peccata, per vitia, vt portent imaginé terrestris. Audi Iesum quid respondeat, quando imaginem & inscriptionem Cæsaris postulatur: Qui habet autes audiendi, audiat. Nam quia nõ habebat eam imaginé quam petebatur, neq; ipse, neq; discipulus suus, docet vbi valeat reperiri imago quæ quæritur. Vade (inquit) ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperies os eius: & cum inueneris staterem, tolle illum, & dabis pro me & te. Neque ego habeo hanc imaginem & superscriptionem, neq; tu, si tamen vere discipulus meus es, si portæ inferorũ nõ præualent aduersum te. Ergo Iesus aliter dat pro se imaginem de

Matt.22. Matt.17.

C mari illam accipiens, quæ in pisce fuerat inclusa, similis his piscibus de quibus hodie lectum est, qui adhæret in squamis draconis, qui sedet super flumina Ægypti. Vere quippe istiusmodi pisces ibi adhærent. Quanti & hodie pisces sunt quorum rex est iste qui in aquis multis regnat? Scriptum est quippe de inuisibili dracone, quia ipse rex sit omnium qui sunt in aquis: verum tu non es in aquis, sed in ea terra quæ tibi repromittitur. Et hæc dicta sunt vt diligentius ventilaremus, quod sit signaculum similitudinis. Quàm beatus fuit in illo tempore quo signaculum similitudinis erat. Tibi adhuc deest vt similitudo signaculi fias, & procul es ab eiusmodi munere. Dixit quidem Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: attamen necdum consecutus es similitudinem. Fecit quippe Deus hominé, ad imaginem Dei fecit: vbi Dei est similitudo? Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ego sic accipio & hoc quod dicitur à Propheta, Deus quis similis tibi, quasi illud, Quis putas fidelis & sapiens dispensator: sicut & hoc, Cum enim apparuerit, similes ei erimus. Quis est qui assimiletur ei? Pauci admodum sunt qui receperunt similitudinem vt apostoli. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Iste ergo qui nunc plangitur, signaculum erat, & plenus sapientia, quem & tu planges, si factus fueris Ezechiel. Nescio autem si & tu sapientia plenus fueris: interim iste qui plangitur, plenus erat sapientia,

Gen.1. 1 Ioan.3. Psal.34.

& erat decoris corona. Considera qualis fuerit, qui fuit corona decoris. Non simpliciter decor, nec gloria erat in eo, sed corona gloriæ. Hunc autem decorem noli extra te quærere, sed circa animæ religionem, vbi cogitatorium, vbi intellectuale consistit, vbi vera est pulchritudo. Quod volueris ibi quærere decorem vbi caro est, & sanguis, humor, & venæ, vbi materia corporalis, non poteris inuenire. Siquidem verus decor in Saluatore est, & ita ab illo iuxta largitionem & misericordiam eius in cunctorum diuisus est animas. Accingere gladium tuum circa femur tuum potentissime, specie tua, & decore tuo, & pulchritudine tua. Est igitur aliquis decor in principali cordis nostri, & in anima. Quia autem istiusmodi decor etiam ad animam pertingat humanam, prophetes te doceat, dicens: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi, & domus patris tui, quia concupiuit rex decorem tuum, id est sponsus. Quis ita habet pulchram animam, quis tantum possidet decorem, quis ita est extraneus ab omni fœditate, vt possit ei dici, concupiui rex decorem tuum? Et tu quidem adhuc istum quæris decorem, & niteris ad placendum: iste verò à decore quem habuit, in turpitudinem concidit. Et quomodo in corporibus sæpe videmus accidere, vt mulier speciosa & pulchra facie ab ægrotatione decorem suum perdat, & per senectutem splendorem vultus amittat: eodem modo & anima quæ pulchra erat,

D Psal.44.

E per infirmitatem amittit decorem, & per senectutem deformis efficitur. Cum enim susceperit veterem hominem cum actibus suis, senectute eius pristinum perdit decorem. Venit Iesus vt transferat nos à vetere homine, & senectutis insignibus: ruga quippe senectutis indicium est: vt ait Apostolus, vt exhiberat sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid istiusmodi, verum vt sit sancta & immaculata. Licet igitur à senectute & ruga ad iuuentutem transcendere: & hoc est in hac parte mirabile, quòd corpus ab adolescẽtia pergit ad senium: anima verò si venerit ad perfectum, à senecta in adolescentiam transmittitur. Idcirco etiam si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Oportuit te nosse decorem, quem rex concupiscit, oportuit te scire eum qui aliquando fuit decoris corona: & tu cum fueris consecutus hanc gloriam, caue ne corruas. Siquidem & iste qui corruit, signaculum erat similitudinis, plenus sapientia, & decoris corona. In delitiis paradisi Dei tui inquinatus es. Non ait simpliciter in paradiso, sed in paradiso delitiarum. Quero vtrum sint quędam paradisi differentiæ: & cum quis in paradiso Dei fuerit, tamen non sit in paradiso delitiarum, sicut latro ille prima hora cum Iesu ingressus est paradisum. Si à te rogem, putásne in paradisum introgressus est, an non, nõ dubium quin eum respondeas introgressum. Deinde si rursum à te quęram, quid ergo

Eph.5.

F introgressus paradisum, statimne delitiarum loco exceptus est? dicas forsitan, quia prima hora ingressus sit paradisum, in paradiso delitiarum Dei factus nõ est. Sin autem iam videris eum accipientem de ligno vitæ, & de cunctis arboribus quas non interdixit Deus, ita vt de omni ligno paradisi vescentem: si aspexeris eum & illius ligni, & omnium quæ nũc prohibita non sint, cibum edere: & à te rogem, putásne iste non solum in paradiso factus est, verum etiam in paradiso delitiarum Dei: quid mihi aliud responsurus es, nisi cum in paradisi delitiis constitutum? Ad hanc beatitudinem tu festinas, qui videris plangere. Iste verò qui plangitur, fuit quondam in delitiis Dei: omnem lapidem bonum indutus est, Sardinum & Carbunculum, Sapphirum, & Betillum, & Hyacinthum, & Iaspim, & reliquos duodecim lapides. Difficilis est, & vltra vires nostras naturáq;, huius loci se expositio sustollit. Quis enim potest naturam vniuscuiusque lapidis exponere, & describere, siue colorem, siue vim eius, vt sic valeat repetire quare lapides isti assumpti sint? Attamen licet non simus tales, qui cuncta intelligere possimus, pauca videamus, quomodo duodecim istis lapidibus indutus fuerit. Si cui diuinæ literæ curæ sunt: ad quam rem sæpe exhortamur adolescẽtes, sed vt video, nihil proficimus, tantummodo tempora consumẽtes: non enim potuimus aliquos eorum ad id perducere, vt sacris voluminibus insisterẽt: & duodecim illos lapides, & cętera requirat in scripturis, inueniet & in Apocalypsi eodem

G modo atque ordine nuncupatos. Qui ibi primus, & hic primus, & positus, qui secundus secundus, qui tertius tertius, qui quartus quartus, atque ita vsque ad duodecimum lapidem, ordo seruatus est. Cur ergo & super quo lapides isti in Apocalypsi nuncupati sunt. Vtique super portas Hierusalem cœlestis. Ibiq; dicitur, quia prima porta Topazium sit, secunda Smaragdus, tertia Carbunculus, quarta Sapphirus: atque ita in hunc modum in singulas portas singuli lapides distribuuntur. Si intellexeris portas Hierusalem, & portas filiæ Sion, vbi & oportet te canere deo: Cantabo quippe ait: omnes laudes tuas in portis filiæ Sion: si animaduerteris quomodo indutus sit aliquis duodecim lapidibus, & ingressus Hierusalem, & per alias portas ingressus, conspicies virgines duodecim. In libro Pastoris, in quo angelus pœnitentiã docet, duodecim virgines habent nomina sua, fides, continentia, & cætera. potestis quippe legere si vultis. Deinde quando turris ædificatur, cum assumpseris fortitudines virginum, pariter accipies & id quod de portis dicitur: Ornamentum quippe tibi est vnaquęque virtus: atque ita in hunc modum super ędificãt fundamēto Christi, nō solum aurũ & argentũ, verum & lapides preciosos. Prohibitum est autem ædificare ligna, fœnũ, & stipulã. Intus est igitur iste lapis duodecimus. Et nobis adhuc imperatũ est vt dicamus de Tyro, & Sidone, & Pharaone. Angustia temporis neque superiora quæ cœpimus implere permisit, & hæc quæ volumus enarrare quasi commenti more perstringenda sunt breuiter. Comminatio est in Sidonem, quę interpretatur venatores. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Si Hebraice legis, habes de laqueo Sidoniorum. Igitur Sidonij venatores sunt, & comminatio quæ fit in eos, propter te fit, quoniam volunt te capere, & diligenter obseruant quomodo auditores scripturarum de ecclesia auellant, quomodo de finibus Iudææ ad fines Sidonis transferant: verum tu omni custodia serua cor tuum, & disce quia comminatio in venatores tui causa fit. De Pharaone verò, iam aliqua sermo memorauit, affirmans eum draconem sedentem in medio fluminum, atque dicentem: Mea sunt flumina, & ego feci illa. Noui ego differentias fluminum, & scio flumina in quibus draco sedeat, super quæ flumina hi qui de Israël capti fuerant, sedentes cum carmen Sion canere non possent, flebant, secundum id quod in psalmis scriptum est: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus. Et scio aliud flumen, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, iuxta Psalmistæ vocem dicentis: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Vis audire quis est iste fluuius cuius impetus lætificat ciuitatem Dei? Iesus Christus dominus noster est fluuius cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Iste est qui ait per Esaiam: Ecce ego declino in vos quasi fluuius pacis. Scio ego quosdam esse fluuios repromissos, qui ex hoc fluuio manant. Omnis enim qui biberit ex aqua ista, sitiet rursum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero (ait Iesus) non sitiet in æternum, sed erit fluuius in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, & flumina de ventre eius egredientur. Habes igitur fluuios sanctos à quibus procul est Draco. Quomodo enim tria sunt impossibilia mihi ad intelligendum, via serpentis supra petram, petra autem erat Christus, & non est via serpentis vbi est Iesus: sic non possum in his fluminibus draconis inuenire vestigia. Est autem quidam fluuius quem draco fecit: dicit quippe draco, & comminatur Deus tam draconi quàm fluuiis in quibus est draco: Mea sunt flumina, & ego feci illa. Audi hæreticum cum omni versutia & ingenio prædicantem, necdum venisse Iesum Christum. Ista sunt flumina in quibus versatur draco, & ipse fecit ea, & dicit draco, Mea sunt flumina, & ego feci illa. Idcirco diligenter attende, cum aquã biberis, ne forte de illo fluuio bibas, in quo sedit draco: sed bibe ex aqua viua & de eo fluuio in quo est sermo Dei, in quo dominus noster Iesus Christus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

1 Cor. 3. *Psal. 123.* *Ezech. 29.* *Psal. 136.* *45* *Esa. 66.* *Ioan. 4.* H I

Homilia XIIII. de eo quod dicitur: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia dominus Deus transibit per eam. K

Cap. XLIIII.

ET ait dominus ad eum: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia dominus Deus Israël trãsibit per eam, & egredietur. Et erit clausa] Portas plures templi describit specialiter Ezechiel filius hominis, & quod de singulis descripserit portis, nunc rursus exponit his qui habent aures ad audiendum, de porta sanctorum exteriore quæ respicit contra orientem, & clausa sit semper. [Et ait dominus ad eum, Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia dominus Deus Israël ingredietur per eam, & egredietur, & erit clausa.] Et aliam causam addit, cur clausa sit porta, non solum quia dominus Deus transibit per eam, sed quia & dux sedebit in ea, vt comedat panem coram domino, secundum viam Eloam, quod interpretatur vestibulum portæ. [Et ingredietur secundum viam eius, & egredietur.] Dominus Deus vniuersitatis conditor per aliquam portam quæ ex sensibili materia est, atque clausa semper ingreditur, & egreditur, & eius causa qui cœlum terramq; fundauit, ingrediens & egrediens nusquam porta reserabitur. Verum alia ratio est portæ exterioris, & secundum viam sanctorum. Quæ est ergo illa ratio vt clausa permaneat? Supradictus dux ibi sedet, vt nemo eum videat edentem panem in conspectu domini. Qui hæc obseruatè legit nónne quodammodo scripturam audit loquentem: Surge qui dormis? nónne stimulatur vt exurgat à mortuis, & ea quæ clausa sunt, quærat? Ego audenter dicam, secretiora quæque clausa esse, & manifestiora reserata, & non esse clausa. Aperientes ea quæ clausa sunt, hæc nos dicimus, sed euangelia testantur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, & vobis legis doctoribus væ, quia tulistis clauem scientiæ, & ipsi non intrastis, & ingredientes prohibuistis. Est igitur quædam clauis scientiæ ad ea quæ sunt clausa, reseranda: & sunt plurimi, neque ipsi ingredientes, neque eos permittentes qui ingredi volunt. Et in alio loco sensus scripturarum liber dicitur esse signatus. Et erũt sermones libri istius quasi sermones libri signati: quem si dederint homini literas nescienti, dicentes ei, lege, & dicet, nescio literas: & dabunt eum homini scienti literas, dicẽtes ei, lege, & dicet, non possum legere, signatus est enim. Manifestius autem voluntatem huius exempli, Apocalypsis Ioannis continet, memorans: Circuiuit angelus dicens, quis dignus aperire signacula, & soluere ea, & legere quę scripta sunt? Et nemo inuentus est in cœlo, neque in terra, neque sub terra, qui possit aperire signacula, & legere quæ scripta erant in libro. Sed ego flebam. Et venit quidam ad me, & dixit mihi: Noli flere. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix & genus Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius. Et aperuit qui erat de tribu Iuda, & manifestauit quæ erant scripta. Quamdiu non venit Deus meus, clausa erat lex, clausus sermo propheticus, velata lectio veteris Testamenti, & vsque ad hanc diem quãdo legitur Moyses, velamentũ in corde Iudæorum est positum. Sunt autem quidam qui amant velamentum, & oderunt eos qui de velamine interpretantur: sed nos conuertamur ad dominum, vt ablato velamine dicamus: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam. Verum est quædam porta, & vna, & clausa, per quam nemo transiit. Sunt quippe quædam vniuersæ creaturæ incognita, & vni tantummodo nota. Neque enim quicquid nouit filius, hoc mando aperuit. Non capit creatura, quod capit Deus: & vt ad maiora veniam, non capiunt signa æqualiter cognitionem. Paulus erat in Paulo quàm in Timotheo, cum esset vas electionis. Et vere magnum in domo vas Timotheus, rursum capit quæ ego capere nõ possum. Et est forsitan aliquis qui etiam me minus capiat: sunt quędam quæ solus Christus capit, & idcirco clausa est ianua templi Dei. Quę est enim ista obsecro? Exterior quæ extra mundanas res, & incorporeas, & vt ita dicã, immateriales aperit. Neq; enim frustra positũ est, exteriorẽ ianuam semper

L *Luc. 11.* *Esa. 28.* *Apoc. 5.* M *2 Cor. 3.*

A semper esse clausam. Quę est ista ianua exterior? Sanctorum. Quare clausa? Quia dominus Deus Israël solus ingreditur, & egreditur per eam. Quare ingreditur? vt cognoscatur. A quo? à duce. Quis ad clausam portam dux iste? Saluator est, qui panem comedit, qui portam cum patre claudit, qui spiritali pascitur cibo, Meus cibus est, dicens, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Clausa est itaque ianua, vt nemo videat magnum sacerdotem panem in sanctis sanctorum comedentem. Ad hæc autem probanda quæ dicimus, qui Leuiticum legit, ablato ex corde suo velamine, poterit agnoscere mysterium sacerdotum. ibi quippe de sacrificiis & cibis quos soli sacerdotes comedűt, refertur. Sunt quidam cibi sacerdotales, quos nõ comedit sacerdos in domo sua, non cum filiis, licet sacerdotales sint, non cum vxore, licet legitime ei nupserit, sed in loco sancto comedit eos, & comedit ibi escam in sancta sanctorum. Quomodo sacerdos non comedit escam in domo sua, aut in alio quoquam loco, sed in sanctis sanctorum: sic Saluator meus solus comedit panem, nullo valente comedere cum eo. Est autem quidam locus, in quo comedens, & me secum attrahit D ad vescendum. Ecce enim (inquit) ad ostium sto, & pulso: si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Ex quo apparet, & alium posse cœnare cum eo. Porrò quædam esca est, qua solus tantummodo vescitur. Excellens quippe ab vniuersa conditione natura eius, & ab omnibus segregata, facit eum quotidianum panem de patris natura comedere. Vnusquisque nostrum petit panem quotidianum, & petens quotidianum panem, non eundem nec eiusdem mensuræ eum accipit, verum semper in orationibus puris, & munda conscientia, in factis iustitiæ, quotidianum, comedimus panem. Si quis verò minus purus est, alio modo quotidianum comedit panem. Dominus autem qui omnium iudex est, det nobis panem viuentem, vt cibati eo, & corroborati possimus in cœlum iter facere, glorificantes Deum omnipotentem, per Christum Iesum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ezech. 4. Leuit. 7. Apoc. 3.

E

PROLOGVS RVFINI PRESBYTERI IN LIBRVM PRIMVM PERIARchon Origenis Presbyteri.

B

SCIO quamplurimos fratrum scientiæ scripturarum desiderio prouocatos popescisse ab aliquantis eruditis viris, & Græcarum literarum peritis, vt Origenem Romanum facerent, & latinis auribus condonarent. Inter quos etiam frater Hieronymus scilicet collega noster ab episcopo Damaso deprecatus cum Homilias duas de Cantico canticorum in latinum transtulisset ex Græco, ita in illo opere ornate magnificéque præfatus est, vt cuiuis legendi Origenem, & auidißime perquirendi desiderium commoueret, dicens illius animæ conuenire quod dictum est, Introduxit me rex in cubiculum suum: asserens quod cum in cæteris libris omnes vincat, in Canticis canticorum ipse se vincit. Pollicetur sanè in præfatione se & ipsos in Cantica canticorum libros, & alios quam plurimos Origenis Romanis auribus largiturum. Sed ille vt video in stylo proprio placens, rem maioris gloriæ sequitur, vt pater verbi sit potius quam interpres. Nos ergo rem ab illo quidem cœptam sequimur & probatam, sed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornare possumus dicta: vnde vereor ne vitio meo illud accidat, vt is vir quem ille alterum post apostolos ecclesiæ doctorem scientiæ ac sapientiæ merito comprobauit, inopia sermonis nostri longe esse inferior videatur. Quod ergo sæpius considerans reticebam, & deprecantibus me frequenter in hoc fratribus non annuebam: sed tua vis fidelißime frater Macari tanta est, cui obsistere ne imperitia quidem potest. Propter quod ne te vltra grauem paterer exactorem, etiam citra propositum meum cessi: ea tamen lege atque ordine inquantum fieri potest, interpretando sequor regulam prædecessorum, & eius præcipue viri cuius superius fecimus mentionem: qui cum vltra septuaginta libellos Origenis quos Homiliaticos appellauit, aliquantos etiam de Tomis in Apostolum scriptis transtulisset in latinum: in quibus cum aliquanta offendicula inueniantur in Græco, ita elimauit omnia interpretando, atque purgauit, vt nihil in illis quod à fide nostra discrepet, latinus lector inueniat. Hunc ergo etiam nos licet non eloquentiæ viribus discipulum tamen regulis inquantum possumus sequimur. obseruantes scilicet vt ea quæ in libris Origenis à seipsis discrepantia inueniuntur, proferantur. Cuius diuersitatis causam plenius tibi in Apologetico quem Pāphilus pro libris ipsius Origenis scripsit, edidimus, breuißimo libello superaddito, in quo euidentibus (vt arbitror) probamentis corruptos esse in quamplurimis ab hæreticis & maleuolis libros eius ostendimus, & præcipue istos quos nunc exigis vt interpreter, id est Periarchon, quod vel de principiis, vel de potestatibus dici potest, qui sunt reuera alias & obscuri & difficillimi. De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus philosophi omni ætate sua consumpta inuenire potuerunt nihil. Hic verò noster quantum potuit, id egit, vt creatoris fidem, & creaturarum naturam quam illi ad impietatem traxerant, ad pietatem conuerteret. Sicubi ergo nos in libris eius aliquid circa id inuenimus, quod ab ipso in cæteris locis de pietate, de trinitate fuerat definitum, velut F adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter inuenimus affirmatam. Si qua sanè velut peritis iam & scientibus loquens, dum breuiter transire vult, obscurius protulit: nos vt manifestior fieret locus, ea quæ de ipsa re in aliis eius libris apertius legeramus, adiecimus, explanationi studentes: nihil tamen nostrum diximus, sed licet in aliis locis dicta, tamen C sua sibi reddidimus. Hoc autem idcirco in præfatione commonui, ne forte calumniatores inde se criminandi putent inuenisse materiam. Sed viderint quid peruersi & cõtentiosi homines agant, nobis interim tantus labor (si tamen orantibus vobis Deus annuerit) idcirco susceptus est, nõ vt calũniosis os (quod fieri non potest, licet forte etiam hoc Deus faciet) clauderemus, sed vt proficere ad scientiā rerum volentibus materiam præbemus. Illud sanè omnem qui hos libros descripturus est, vel lecturus, in conspectu Dei patris, & filij, & spiritus sancti contestor, atque conuenio per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, per illum qui præparatus est diabolo & angelis eius æternum ignem: sic non illum locum æterna hæreditate poßideat vbi est fletus & stridor dentium, & vbi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur, ne addat aliquid huic, neu auferat, neinferat, neu immutet: sed conferat cum exemplaribus vnde conscripserat, & emendet ad literam, & distinguat, & inemendatum vel indistinctum codicem non habeat, ne sensuum difficultas si distinctus codex non sit, maiores obscuritates legentibus generet.

Hæc præfatio magnas turbas excitauit iter d. Hieronymum, & Ruffinum.

Hiere. præfatione in Ezechielē.

LIBER PRIMVS PERI ARCHON, OPVS ORIGENIS PRESBYTERI A RVFINO TRANSLATVM.

PROOEMIVM ORIGENIS.

OMNES qui credunt & certi sunt quòd gratia & veritas per Iesum Christum facta sit, & Christum veritatem esse norunt, secundum quod ipse dixit, Ego sum veritas, scientiam quæ prouocat homines ad bene beatéque viuẽdum non aliunde quàm ab ipsis verbis Christi doctrináque suscipiunt. Christi autem verbis dicimus, non his solum quæ homo factus, atque in carne positus docuit: & prius namq; Christus Dei verbum in Moyse atque prophetis erat. Nam sine verbo dei quomodo poterant prophetare de Christo? Ad cuius rei probationem non esset difficile ex diuinis scripturis ostendere, quomodo vel Moyses, vel prophetæ spiritu Christi repleti, vel locuti sunt, vel gesserunt omnia quæ gesserunt, nisi studio nobis esset præsens hoc opus omni qua possumus breuitate succingere. Vnde sufficere existimo vno hoc Pauli testimonio debere nos vti ex epistola quam ad Hebræos scribit, in qua ita ait: Fide magnus factus Moyses negauit se dici filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalem habere peccati iucunditatem, maiores diuitias existimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Sed & post assumptionem eius in cœlos, quod in apostolis suis locutus sit, hoc modo indicat Paulus: An probamentum eius quæritis qui in me loquitur Christus? Quoniam ergo multi ex his qui in Christo credere se profitentur, non solum in paruis & minimis discordant, verumetiam in magnis & maximis: id est de deo vel de domino Iesu Christo, vel de spiritu sancto: non solum autem de his, sed & de aliis creaturis, id est vel de dominationibus, vel de virtutibus sanctis: propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam, manifestámque regulam ponere, tum deinde etiam de cæteris quærere. Sicut enim multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud omnes eam quærere qui eam falsis opinionibus asserebant, postea quam credidimus filiũ Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cum multi sint qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica discordat traditione. Illud tamen scire oportet, quoniam sancti apostoli fidem Christi prædicantes, de quibusdam quidem quæcunque necessaria crediderunt, omnibus credentibus etiam his qui pigriores erga inquisitionem diuinę scientię videbantur, manifestissime tradiderunt, rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui spiritus dona excellentia, & præcipuè sermonis, sapientiæ & scientiæ per ipsum spiritum sanctum percipere merebantur. De aliis verò dixerunt quidem, quia sint: quomodo autem, aut vnde sint, siluerunt, profectò vt studiosiores quoque ex posteris suis amatores sapientiæ & scientiæ exercitium habere possent, in quo ingenij sui fructum ostendere valerent, hi videlicet qui dignos se & capaces sapientiæ præpararent. Species verò eorum quæ per prædicationem apostolicam manifeste traduntur, istæ sunt.

Ioan. 14. — Hebr. 11. — 2. Cor. 3. — Marcionitas, Valentinianos et Basilidianos intelligit. — Ecclesiastica traditio certa linea & manifesta regula veritatis. — τὸ ὅτι διὰ τί καὶ ὅθεν.

Regula fidei.

Primo quòd vnus Deus est qui omnia creauit atque composuit, quique ex nullis fecit esse vniuersa, deus à prima creatura & conditione mundi omniũ iustorum, deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, xij. patriarcharum, Moysi & prophetarum: & quod hic deus in nouissimis diebus, sicut per prophetas suos ante promiserat, misit dominum nostrum Iesum Christum, primo quidem vocaturum Israel, secundo verò etiam gentes post perfidiam populi Israel. Hic deus iustus & bonus pater domini nostri Iesu Christi, legem & prophetas, & euangelia ipse dedit, qui & apostolorum deus est, & veteris & noui Testamenti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cum in omnium conditione patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est: incarnatus est cum Deus esset, & homo mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens quod natum ex virgine de spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Christus natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte, verè mortuus est: verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus cum discipulis suis, assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt spiritum sanctum. In hoc non iam manifeste discernitur, vtrum natus an innatus. Sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sacra scriptura, & sagaci perquisitione inuestiganda. Sanè quod iste spiritus sanctus vnumquenque sanctorum, vel prophetarum, vel apostolorum inspirauit, & non alius spiritus in veteribus, alius verò in his qui in aduentu Christi inspirati sunt, manifestissime in ecclesiis prædicatur. Post hæc iam quod anima substantiam vitámque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabit, siue vitæ æternæ, ac beatitudinis hæreditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint: siue igne æterno ac suppliciis mãcipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. Sed & quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione: & quod seminatur in ignominia, surget in gloria. Est & illud definitum in ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrij & voluntatis: esse quoque ei certamen aduersus diabolum & angelos eius, contrariásque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant, nos verò si rectè consultéque viuamus, ab huiusmodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, vt omni modo etiam si nolimus vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel male: quod fieri arbitrantur qui stellarum cursum & motus causam dicunt humanorum esse gestorum, non eorum quæ extra arbitrij accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate. De anima verò vtrum ex semine traducis ducatur, ita vt ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an verò aliud habeat initium: & hoc ipsum initium si genitum est, an non genitum: vel certè si intrinsecus corpori inditur, nec ne: non satis manifesta prædicatione distinguitur. De diabolo & angelis eius contrariisque virtutibus ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem: sed quid sint, aut quomodo sint, non satis clarè exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus, & apostata effectus quamplurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc vsque angeli ipsius nuncupantur. Est præterea illud ecclesiastica prædicatione definitum, quod mundus iste factus sit, & à certo tempore cœperit, & pro ipsa sui corruptione soluendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. Non enim euidenter de his in ecclesiastica prædicatione sermo profertur. Tum demum quod per spiritum sanctum scripturæ cõscriptæ sint, & sensum habeant, non eũ solum qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quamplurimos. Formæ enim hæc

Christum Deum fatetur. — Spiritus sancti diuinitas. — Quæ tradit ecclesia. — Liberum arbitrium. — Creãdo inseritur, vt est scholasticorum opinio. — soluendus, hoc est immutandus. — Scripturæ autoritas.

G scripta sunt sacramentorum quorundam, & diuinarum rerum imagines sunt. De quo totius ecclesiæ vnus est sensus, esse quidem omné legem spiritalem: non tamen ea quæ spirat lex esse omnibus nota, nisi his solis quibus gratia spiritus sancti in verbo sapientiæ ac sciétiæ condonatur, sat insequitur. Appellatio autem ἀσωμάτου, id est incorporei non solum apud multos alios, verumetiam apud nostras scripturas est inusitata & incognita. Si verò quis velit nobis proferre ex illo libello qui Petri doctrina appellatur, vbi Saluator videtur ad discipulos dicere, Non sum dæmonium incorporeum: primo respondendum est ei, quoniam ille liber inter libros ecclesiasticos non habetur: & ostendendum quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cuiusquam qui spiritu Dei fuerit inspiratus. Quod etiam si ipsum concederetur, non idem sensus ex isto sermone ἀσωμάτου indicatur, qui Græcis vel gentilibus auctoribus ostenditur, quum de incorporea natura à philosophis disputatur. In hoc enim libello incorporeum dæmonium dixit, pro eo quod ipse ille quicunque est habitus, vel circumscriptio dæmonici corporis, non est similis huic nostro crassiori, vel visibili corpori: sed secundum sensum eius qui composuit illam scripturam, intelligendum est quod dixit: id est non esse tale corpus quale habent dæmones, quod est naturaliter subtile, & velut aura tenue, & propter hoc vel imputatur à multis, vel dicitur incorporeum, sed habere se corpus solidum, vel palpabile. In consuetudine verò hominum omne quod tale non fuerit, incorporeum simplicioribus, vel imperitioribus nominatur: vel vt si quis aërem istum quo fruimur incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus vt comprehendi ac teneri possit, vrgentíque resistere. Quæremus tamen si vel alio nomine res ipsa quam Græci philosophi ἀσωμάτον, id est incorpoream dicunt, in scripturis sanctis inuenitur. Deus quoque quomodo intelligi debeat inquirendum est, corporeus, an secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturæ quàm corpora sunt, quod vtique in prædicatione nostra manifeste non designatur. Eadem quoque hæc de Christo, & de spiritu sancto requirenda sunt: sed & de omni anima, atque omni rationabili natura nihilominus requirendum est. Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione, esse angelos dei quosdam, & virtutes bonas quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sunt, & quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur. De sole autem & luna & stellis vtrum animantia sint, an exanima, manifeste non traditur. Oportet igitur velut elementis ac fundamentis huiusmodi vti secundum mandatum quod dicit: Illuminate vobis lumen scientiæ, eum qui cupit seriem assertionibus de singulis quibusque quod sit in vero rimetur, & vnum (vt diximus) corpus efficiat excerptis affirmationibus, vel his quas in sanctis scripturis inuenerit, vel quas ex consequentiæ ipsius indagine ac recti tenore reperetit.

H *Hanc opinioné hausit ex Platone, cui cósentit Augustinus in libello de natura dæmonũ: quãquam alibi variat, & fortasse D. Gregorius qui angelos appellat animalia. in com. in lib. regum. Inter errores Origenis quinta Synod⁹ numerauit stellas esse animatas. Sic Hieron. ad Auitã. to. 2.*

De Deo. Cap. I.

I *Deum esse prorsus incorporeum. Deut. 4. Ioan. 4.*

SCIO quoniam conabuntur quidam & secundum scripturas nostras Deum corpus esse asserere, quoniam inueniunt scriptum esse apud Moysen, quod Deus noster ignis consumens est. In euangelio verò secundum Ioannem deus spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Ignis verò & spiritus non aliud apud eos, quam corpus esse putabitur. Quos interrogare volo quid dicant de eo quod scriptum est, quia deus lux est, sicut Ioannes in epistola sua dixit: Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo. Ista nempe lux est, quæ illuminat omnem sensum eorum, qui possunt capere veritatem, sicut in xxxv. psal. dicitur: In lumine tuo videbimus lumen. Quid enim aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quã quis illuminatus, vel veritatem rerum omnium peruidet, vel ipsum deum cognoscit qui veritas appellatur? Tale est ergo quod dicitur: In lumine tuo videbimus lumen: hoc est in verbo & sapientia tua quæ est filius tuus, in ipso te videbimus patrem. Nunquídnam quia lumen nominatur, simile putabitur solis huius lumini? Et quomodo vel eius aliquis

1. Ioan. 1.

K dabitur intellectus, vt ex isto quis corporali lumine causam scientiæ capiat, & veritatis inueniat intellectum? Si ergo acquiescunt huic assertioni nostræ, quam de natura luminis ipsa demonstrauit ratio, & fatentur non posse corpus intelligi Deum secundum luminis intellectum, similis quoque ratio de igni consumenti dabitur. Quid enim consumet Deus secundum hoc quod ignis est? Nunquídnam putabitur consumere materiam corporalem, vt est lignum, vel fœnum, vel stipula? & quid in hoc dignum Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est huiusmodi materias consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quod exterminat, si consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentium mentibus inserit, & eas animas quæ verbi eius ac sapientiæ efficiuntur capaces, vna cum filio suo inhabitans, secundum quod dictum est: Ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus: & omnibus eorum vitiis passionibúsque consumptis sibi eas sé que dignum efficit templum. Sed & his qui per hoc quod dictum est: Quoniam Deus spiritus est, corpus esse arbitrantur, hoc modo arbitror esse respondendum. Consuetudo est scripturæ sanctæ cum aliquid contrarium corpori huic crassiori & solidiori designare vult, spiritum nominare: sicut dicit: Litera occidit, spiritus autem viuificat. In quo sine dubio per literam corporalia signat, per spiritum intellectualia, quæ & spiritalia dicimus. Apostolus quoque dicit: Vsque in hodiernum cum legitur Moyses velamen est positum super cor eorum: cum autem conuersus fuerit quis ad dominum, auferetur velamen: vbi autem spiritus domini, ibi libertas. Donec enim quis non se conuerterit ad intelligentiam spiritalem, est positum velamen super cor eius, quo velamine, id est intelligentia crassiore, scriptura ipsa velari dicitur vel putatur: & hoc est quod ait superpositum esse velamen vultui Moysi cum loqueretur ad populum, id est, cum lex vulgo recitatetur. Si autem conuertamus nos ad dominum, vbi est & verbum Dei, & vbi spiritus sanctus reuelat scientiam spiritalem, tunc auferetur velamen, & tunc reuelata facie in scripturis sanctis gloriam domini speculabimur. Sed & cum de spiritu sancto multi sancti participant, non vtique corpus aliquod intelligi potest spiritus sanctus, quod diuisum in partes corporales percipiat vnusquisque sanctorum: sed virtus profecto sanctificans est: cuius participium debet habere omnes, qui per eius gratiam sanctificari meruerunt. Et vt facilius quod dicimus possit intelligi, ex rebus quamuis imparibus sumamus exemplum. Multi sunt qui disciplinę siue artis medicinæ participant, & nunquam putandum est omnes eos qui medicinæ participant, corporis alicuius quod medicina dicatur in medio positi sibi auferre particulas, & eius participium sumere. An potius intelligendum est quod quicunque promptis paratísque mentibus intellectum artis ipsius disciplinæque percipiunt, hi medicinæ participare dicuntur? Sed hæc non omni modo similia exempla putanda sunt de medicina sancto spiritui comparata, sed ad hoc tantummodo probandum, quia non continuo corpus putandum est id cuius participatio habetur à plurimis: Spiritus enim sanctus longe differt à medicinæ ratione vel disciplina: pro eo quod spiritus sanctus subsistentia est intellectualis, & propriè subsistit & extat: nihil autem tale est medicina. Sed ad ipsum iam sermonem euangelij transeundum est, vbi scriptum quod Deus spiritus est, & ostendendum est quàm consequenter his quæ prædiximus intelligi debeat. Interrogemus nanque quando ista dixerit saluator noster, vel apud quem cum quid quæreretur. Inuenimus sine dubio quod ad Samaritanam mulierem loquens ista protulerit, ad eam quæ putabat quod in monte Garizim secundum opinionem Samaritanorum adorari oporteret deum dicens: quomodo Deus spiritus est. Quærebat enim ab eo Samaritana mulier putans eum esse vnum ex Iudæis, vtrum in Hierosolymis adorari oporteret Deum, an in hoc monte: & ita dicebat: Patres nostri hoc in monte adorauerunt, & vos dicitis, quia in Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Ad hæc autem quæ opinabatur Samaritana, putans ex locorum corporalium prærogatiua, quòd minus recte, vel recte adoretur Deus, aut à Iudæis in Hierosolymis, aut à Samaritanis in monte Garizim, respondit salua-

Ioan. 14.

Spiritus corpori opponitur. 2. Cor. 3.

L

Exod. 34.

M

Spiritus sanctus persona est & subsistẽtia. Ioan. 4.

G tor esse recedendum à præsumptione corporalium locorum huic qui vult sequi dominum,& ita ait: Venit hora vt veri adoratores,neque in Hierosolymis,neque in monte hoc adorent patrem.Deus spiritus est,& eos qui adorant eum,in spiritu & veritate oportet adorare. Et vide quàm consequenter veritatem spiritui sociauit: vt ad distinctionem quidem corporum nominaret spiritum: ad distinctionem verò vmbræ vel imaginis,veritatem. Qui enim adorabant in Hierosolymis, vmbræ vel imagini cœlestium deseruientes, non veritatem, neque spiritum adorabant deum: similiter autem & ij qui adorabant in monte Garizim. Omni igitur sensu qui corporeum aliquid de deo intelligi suggerit,prout potuimus confutato, dicimus secundum veritatem quidem deum incomprehensibilem, atque inæstimabilem.Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod sensimus necesse est credi.Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut breuissimæ lucernæ lumen aspicere: & eum cuius acies oculorum plus de lumine capere quàm suprà diximus, non valet, si velimus de claritate ac splendore solis edocere: nónne oportebit nos ei dicere,quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter & inæstimabiliter melior ac præstantior est solis splendor? Ita mens nostra cum intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro tali materiæ participatione hebetior, atque obtusior redditur, licet pro compa-

H ratione naturæ corporeæ longe præcellens habeatur, tamen cum ad incorporea nititur atque eorum intentionem rimatur, tunc scintillæ alicuius lucernæ vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, incorporeis, tam præstans omnibus, tam ineffabiliter atque inæstimabiliter præcellens est, quàm Deus? Cuius vtique naturam humanæ mentis intendi atque intueri,quanuis purissima mens ac lympidissima nõ potest.Verum non videtur absurdum,si ad euidentiorem rei manifestationem etiam alia vtamur similitudine. Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt: splendorem verò eius,vel radios fenestris forte & quibuslibet aliis receptaculis breuibus infusos intuentes, considerare possumus fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radij quidam sunt dei naturæ, opera diuinæ prouidentiæ & vniuersitatis huius, ad comparationem substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens nostra ipsum per se Deum sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum, & decore creaturarum, parentem vniuersitatis intelligit.Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est, Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens: vti ne maius aliquid & inferius esse credatur, sed vt sit ex omni parte μονάς, & vt ita dicam totus mens, ac fons ex quo ini-

Res creatæ velut radij dei naturæ.

Deus neq; corpus, neque in corpore.

I tium totius intellectualis naturæ, vel mentis est. Mens verò vt moueatur vel operetur, non indiget loco corporeo,neque sensibili magnitudine,vel corporali habitu,aut colore, neque alio vllo prorsus indiget horum quæ corporis vel propriæ materiæ propria sunt. Propter quod natura illa simplex, & tota mens vt moueatur vel operetur,aliquid dilationis habere potest, ne per huiusmodi adiunctionem circumscribi vel inhabitari aliquatenus videatur diuinæ naturæ simplicitas, vti ne quod principium omnium compositum inueniatur & diuersum, & sit multa non vnum, quod oportet totius corporeæ admixtionis alienum vna sola (vt ita dixerim) deitatis specie constare. Quia ergo mens non indiget loco, vt secundum naturam suam moueatur, certum est nostræ mentis contemplatione.Hæc enim si in sua mensura consistat, nec ex aliqua causa aliquid ei obtusionis eueniat,nihil vnquam ex locorum diuersitate tardabitur, quo minus suis motibus agat: neque rursus ex locorum qualitate augmentum aliquod, vel incrementum mobilitatis acquirit. Quòd si contendat aliquis (verbi gratia) quia nauigantibus fluctibus maris iactatis minus aliquanto mens vigeat quàm vigere in terris solet: non ex loci diuersitate id pati, sed ex corporis commotione vel conturbatione credendum est, cui mens adiuncta vel inserta est. Videtur enim quasi contra naturam in mari degere corpus humanum,& propterea velut quadam sui inæqualitate motus incomposite inordinatéque suscipere, & acuminis

Nautæ stupidi.

eius ictus obtusiori ministerio dispensare, non minus quàm K si qui etiam in terra positi febribus vrgeantur: quorum certum est quòd si minus aliquid per vim febrium mens suum non seruet officium, non loci culpam, sed morbum corporis esse culpandum: propterea quod turbatum atque confusum nequaquam notis ac naturalibus lineis solita menti dependit officia, quandoquidem nos homines animal sumus compositum ex corporis animæque concursu. Hoc enim modo habitare nos super terram possibile fuit. Deum verò qui omnium est principium, compositum esse non est putandum: ne forte priora ipso principio inueniantur elementa esse, ex quibus compositum est omne quicquid illud est quod compositum dicitur. Sed nec magnitudine corporali mens indiget vt agat aliquid, vel moueatur: sicut oculus cum in maiora quidem intuendo diffunditur, ad parua verò & exigua coarctatur, & astringitur ad videndum. Indiget sanè mens magnitudine intelligibili, quia non corporaliter, sed intelligibiliter crescit. Non enim corporalibus incrementis simul cum corpore mens vsque ad vigesimum, vel trigesimum annum ætatis augetur, sed eruditionibus & exercitiis adhibitis acumen quidem elimatur ingenij, quo quæ sunt ei insita ad intelligentiam prouocantur, & capax efficitur maioris intellectus, non corporalibus incrementis aucta, sed eruditionibus & exercitiis elimata. Quæ idcirco non statim à puero vel à natiuitate recipere potest, quia inualida adhuc, & imbecilla membrorum est compago, quibus velut organis ad exercitium

Deus non est compositus.

Mẽs crescit intelligibiliter.

L sui mens vtitur, neque operandi vsum sustentare valet, nec percipiendæ disciplinæ exhibere sufficit facultatem. Si qui autem sunt qui mentem ipsam animámque corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum tam difficilium, támque subtilium rationes assertionésque recipiat. vnde ei virtus memoriæ? & vnde ei rerum inuisibilium contemplatio? vnde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationésque rimatur? Vnde etiam diuina dogmata quæ manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest? Nisi forte aliquis putet quod sicut forma ista corporea, & habitus ipse aurium vel oculorum, confert aliquid ad audiendum, vel ad videndum, vt singula membra quæ à Deo formata sunt habeant aliquid opportunitatis etiam ex ipsa formæ qualitate ad hoc quod agere naturaliter instituta sunt: ita etiam habitum animæ vel mentis intelligi debere arbitrentur, quasi apte accommodéque formatum ad hoc vt de singulis sentiat atque intelligat, atque vt in talibus motibus moueatur. Verum qualem colorem mentis secundum hoc quod mens

Animã nõ esse corpus.

M est, & intelligibiliter mouetur, describere quis posset, aut dicere, non aduerto. Adhuc ad confirmationem atque explanationem eorum quæ de mente vel anima dicimus, eo quod præstantior sit tota natura corporea, etiam hæc addi possunt: vnicuique corporeo sensui substantia quædam sensibilis subiacet propriè, in quam sensus ipse corporalis intenditur. Verbi gratia visui subiacent colores, habitus & magnitudo: auditui voces & sonus: odoratui nidores, boni vel mali odores: gustui,sapores: tactui calida vel frigida, dura vel mollia, aspera vel leuia. His autem sensibus de quibus suprà diximus, quia multò melior sensus sit mentis, omnibus clarum est. Quomodo ergo non videtur absurdum, his quidem quæ inferiora sunt substantias esse subiectas ad intendendum: huic autem virtuti quæ melior est, id est mentis sensui, nihil omnino subiici substantiale, sed esse intellectualis naturæ virtutem corporibus accidentem vel consequentem? Quod qui dicunt, sine dubio in contumeliam eius substantiæ, quæ in ipsis melior est hoc proferunt: imò verò ex hoc etiam ad ipsum Deum refertur iniuria, cum putant eum per naturam corpoream posse intelligi vel sentiri: vt volunt hoc intelligi quod propinquitas quædam sit menti ad deum,cuius & ipsa mens intellectualis imago sit, & per hoc possit aliquid de diuinitatis sentire natura, maximè si expurgatior sit à materia corporali. Verum istę assertiones minus fortassis auctoritatis habere videntur apud eos qui ex sanctis scripturis de rebus diuinis institui volunt, & etiam sibi inde approbari

A approbari quærunt, quomodo natura Dei supereminet corporum naturam. Vide ergo si nō etiam Apostolus hoc idem ait, cum de Christo loquitur, dicens: Qui est imago inuisibilis dei primogenitus omnis creaturæ. *Col. 1.* Non enim (vt quidam putant) natura dei inuisibilis est alicui, & aliis visibilis est: nō enim dixit Apostolus, imago inuisibilis dei hominibus aut inuisibilis peccatoribus, sed valde constanter pronunciat de ipsa natura dei dicens: Imago inuisibilis Dei. Sed & Ioannes in euangelio dicens: *Ioan. 1.* Deum nemo vidit vnquam, manifestè declarat omnibus qui intelligere possunt, quia nulla natura est cui visibilis sit Deus: non quasi qui visibilis quidem sit per naturam, & velut fragilioris creaturæ euadat atque excedat aspectum, sed quoniam naturaliter videri impossibile est. Quod si requiras à me quid etiam de ipso vnigenito sentiam, si ne ipsi quidem visibilem dicam naturam Dei, qui naturaliter inuisibilis est, ne tibi statim vel impium videatur esse, vel absurdum: rationem quippe dabimus consequenter. Aliud est videre, aliud est cognoscere: videri & videre corporum res est, cognosci & cognoscere intellectualis naturæ est. Quicquid ergo proprium corporum est, hoc nec de patre, nec de filio sentiendum. Quod verò ad naturam pertinet deitatis, hoc inter patrem & filium constat. Denique etiam ipse in euangelio non dixit, quia nemo vidit patrem nisi filius, neque filium nisi pater, sed ait: Nemo nouit filium *Matt. 11.* B nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius. Ex quo manifeste indicatur quòd quicquid inter naturas corporeas videri & videre dicitur, hoc inter patrem & filium cognoscere dicitur & cognosci, per virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem. Quia igitur de incorporea natura & inuisibili, nec videre propriè dicitur, nec videri: idcirco neque pater à filio, neque filius à patre videri in euangelio dicitur, sed cognosci. Quod si proponat nobis aliquis, quare dictum est: *Videre in cælo est intelligere & cognoscere.* Beati mundo corde, quoniā ipsi deum videbunt: multo magis etiam ex hoc (vt ego arbitror) assertio nostra firmabitur: Nam quid aliud est corde deū videre, nisi secundū id quod suprà exposuimus mente eum intelligere atque cognoscere? Frequenter enim sensibilium membrorum nomina ad animam referuntur, ita vt oculis cordis videre dicatur, id est cū virtute intelligentiæ aliquid intellectualis conicere. Sic & audire auribus dicitur, cum sensum intelligentiæ profundioris aduertit. Sic & vti eam possedētibus dicimus, cum mandit, & panem comedit vitæ qui de cœlo descendit. Similiter & cæteris vti membrorum officiis dicitur, quæ ex corporali appellatione translata virtutibus animæ coaptantur, sicut & *Duo sensuū genera* Salomon dicit: Sensum diuinum inuenies. Sciebat nanque duo genera esse sensuum, vnum mortale, corruptibile, humanum: aliud genus immortale & intellectuale, quod nunc di- C uinum nominauit. Hoc ergo sensu diuino nō oculorum, sed cordis mundi, quæ est mens, deus videri ab his qui digni sunt potest. *Cor pro mente.* Cor sanè pro mēte, id est pro intellectuali virtute nominari in omnibus scripturis nouis ac veteribus abūdantius inuenies. Hoc igitur modo quamuis longè inferius quàm dignum est, vtpote pro infirmitate humanæ intelligentiæ naturam Dei intelligentes, tunc quid sibi velit nomen Christi videamus.

De Christo. Cap. II.

PRIMO illud nos oportet scire, quod alia est in Christo deitatis eius natura, quæ est vnigenitus filius patris: & alia humana quam in nouissimis temporibus pro dispensatione suscepit. Propter quod videndum primo est, quid *Christi multæ appellationes.* sit vnigenitus filius dei, qui multis quidem & diuersis nominibus pro rebus vel opinionibus appellantium nuncupatur. Sapientia nanque dicitur, sicut & Salomon dixit: *Prouerb. 8. Sapientia. Col. 1.* Dominus creauit me initium viarum suarum, & in opera sua antequam aliquid faceret, ante secula fundauit me. In initio prius quàm terram faceret, priusquam produceret fontes aquarum, antequam firmarentur montes, ante omnes autem colles genuit me. Dicitur autem & primogenitus, sicut dixit Apostolus: Qui est primogenitus omnis creaturæ. Nec tamen alius est *D* primogenitus per naturam quàm sapientia, sed vnus atque idem est. *Primogenitus.* Deniq; & Apostolus Paulus dicit: Christus dei virtus & sapientia. *1. Cor. 1.* Nemo tamen putet aliquid nos insubstantiuum dicere, cum eum dei sapiētiam nominamus: id est (vt exempli causa finxerim) quod eum non velut animal quoddam sapiens, sed rem aliquam quæ sapientes efficiat intelligamus, præbentem se, & mentibus inserentem eorum qui capaces virtutum eius atque intelligentię fuerint. *Sapientia subsistens.* Si ergo semel rectè receptum est vnigenitum filium dei, sapientiam eius esse substantialiter subsistentem, nescio si euagari vltrà sensus noster debeat ad suspicandum, ne fortè ipsa ideæ substantia eius corporeum aliquid habeat, cū omne quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. Et quis vnquam sani sensus habitum, vel colorem, vel mensuræ magnitudinem in sapientia Dei requisiuit per hoc quod sapientia est? Quomodo autem extra huius sapientiæ generationem fuisse aliquando deum patrem, vel ad punctū momenti alicuius quis potest sentire vel credere, qui tamē pium aliquid intelligere nouerit, vel sentire? Aut enim non potuisse deum dicet generare sapientiam antequam generaret, vt eam quæ ante non fuerat postea genuerit vt esset: aut potuisse quidem, & (quod dici de deo nefas est) noluisse generare: quia vtrunque & absurdum esse & impium omnibus patet: id est vt ex eo quod non potuit deus proficeret vt posset, aut cum posset dissimularet ac differret generare sapien- *E* tiam. Propter quod nos semper deum patrem nouimus vnigeniti filij sui, ex ipso quidem nati, & quod est ab ipso trahentis, sine vllo tamen initio, *Natiuitas filij Dei sine initio & temporis & intelligentiæ.* non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui potest, sed sine illo quod sola apud semetipsam mens intueri solet, & nudo (vt ita dixerim) intellectu, atque animo cōspicari. Extra omne ergo quod vel dici, vel intelligi potest initium generatam esse credendum est sapientiam. In hac ipsa ergo sapientiæ subsistentia, quia omnis virtus ac deformatio futuræ inerant creaturæ, vel eorum quæ principaliter existūt, vel eorum quæ accidunt consequenter virtute præscientiæ præformata atque disposita, pro ipsis quæ in ipsa sapientia velut descripta ac præfigurata fuerant creaturis, sed ipsam per Salomonem dicit creatam es- *Eccl. 1.* se sapientiam initium viarum dei, continens scilicet in semetipsa vniuersæ creaturæ, vel initia, vel formas, vel species. *Quo sensu Christus sapientia dicatur creatus.* Quali autem modo intelleximus sapientiam initium viarum dei esse, & quomodo creata esse dicitur, species scilicet in se, & initia totius præformans & continens creaturæ: hoc etiā modo verbum dei esse eam intelligendum est per hoc quod ipsa cæteris omnibus, id est vniuersæ creaturę mysteriorum & arcanorum rationem, quæ vtique intra dei sapientiam continentur, aperiat: & per hoc verbum dicitur, quia sit tanquam arcanorum mentis interpres. Vnde & rectè mihi dictus videtur sermo ille qui in Actibus Pauli scriptus est, quia hic est *Filius verbum.* verbum animal viuens. Ioannes verò excelsius & præclarius *F* in initio euangelij sui dicit, propria definitione Deum esse definiens verbum, dicens: Et deus erat verbum, hoc erat in *Ioan. 1.* initio apud deum. Qui autem initium dat verbo dei, vel sapientię dei, intuere ne magis in ipsum ingenitum patrem impietatem suam iactet, cum eum neget semper patrem fuisse, & genuisse verbum, & habuisse sapientiam in omnibus anterioribus, vel temporibus, vel seculis, vel si quid illud est quod nominari potest. Hic ergo filius etiam omnium quæ sunt veritas est & vita: & rectè. *Veritas, Vita.* Nam quomodo viuent quæ facta sunt, nisi ex vita? vel quomodo veritate constarent ea quæ sunt, nisi ex veritate descenderent? vel quomodo rationabiles possent esse substantiæ, nisi verbum vel ratio præcederet? vel quomodo sapiens, nisi esset sapientia? Verum quomodo futurum erat vt etiam deciderent aliqui à vita, & mortem Christi consciscerent ex eo ipso quod à vita deciderent. Non enim aliud est mors quàm à vita discedere: & vtique non esset consequens, vt ea quæ semel ad videndum fuerant procreata à Deo, penitus deperirent. *Redēptio.* Oportuit autem mortem esse talem virtutem, quæ futuram dissolueret mortem, & esset resurrectio in domino & saluatore nostro, quæ resurrectio in ipsa Dei sapientia, & verbo, ac vita consisteret. Tum deinde quomodo futurum erat vt aliqui ex his qui

G creati sunt, pro eo quod non naturaliter, id est substantialiter inesset eis bonum, sed accidens, non volentes inconuertibiles,& incommutabiles semper permanere, ac semper in eisdem bonis æqua ac moderata libratione durare, sed conuersi atque mutati de statu, via factus est verbum Dei & sapientia. Quæ via idcirco dicitur, quod ad patrem ducat eos qui per eá incedunt. Quæcunque ergo diximus de sapientia Dei hæc conuenienter aptabuntur & intelligentur etiam pro eo quod filius dei vita est, vt pro eo quod verbum est, & pro eo quod veritas est, & pro eo quod resurrectio est: quia hæ omnes appellationes ex operibus eius ac virtutibus nominatæ sunt, in nulla harũ vel leui opinione intelligi corporale aliquid potest, quod vel magnitudiné designare videatur vel habitum, vel calorem: quomodo quidé hi qui vidétur apud nos hominum filij, vel cæterorũ animalium, semini eorum à quibus seminati sunt respondent, vel earum quarũ in vtero formãtur ac nutriũtur, habent ex his quidquã, illud est quod in lucem hác assumunt, ac deferũt processuri. Infandũ autem est, & illicitum deum patrem in generatione vnigeniti filij sui, atque in substantia sua exæquare alicui vel hominũ vel aliorum animantiũ generanti: sed necesse est aliquid exceptum esse, deóq; dignum, cui nulla prorsus cõparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem, vel sensu inueniri potest, vt humana cogitatio possit apprehendere quomodo † vnigenitus deus efficitur vnigeniti filij. Est nanq; ita æterna ac sempiterna generatio, sicut spendor generatur ex luce.

Via.

Forte ingenitus.

H Non enim per adoptionem spiritus filius fit extrinsecus, sed natura filius est. Videamus tamé quomodo hæc quæ dicimus etiam diuinę scripturæ auctoritate muniantur. Ait apostolus vnigenitum filium imaginé esse dei inuisibilis, & primogenitũ eum esse totius creaturæ: ad Hebræos verò scribens dicit de eo quia sit splendor gloriæ, & figura expressa substãtiæ eius. Inuenimus nihilominus etiã in sapientia quæ dicitur Salomonis, descriptionem quandã de dei sapientia hoc modo scriptã: Vapor est enim, inquit, virtutis dei, & aporrhœa gloriæ omnipotentis purissima. Ideo ergo in eam nihil commaculatum incidere potest. Splendor enim est lucis æternæ, & speculum immaculatum operationis dei, & imago bonitatis eius. Sapiétia verò dicimus, sicut superius diximus, subsistentiam habentem non alibi, nisi in eo qui est initium omnium, ex quo & nata est quæq; sapientia, quia ipse est solus natura filius, idcirco & vnigenitus dicitur. Videamus sanè quid intelligi debeat etiam de hoc quod imago inuisibilis dicitur, vt & per hoc aduertamus quomodo deus rectè pater dicitur filij sui: & consideremus primo ex his quæ consuetudine hominum imagines appellari solent. Imago interdũ dicitur ea quæ in materia aliqua, id est ligni vel lapidis depingi, vel exculpi solet. Interdum imago dicitur eius qui genuit is qui natus, cum in nullo similitudinem lineamenta eius qui genuit in eo qui natus est mentiuntur. Puto ergo posse priori quidé exemplo aptari eum qui ad imaginem & similitudinem dei factus est homo, de quo diligentius fauente deo cum locum

Col. 1.
Hebr. 1.
Sap. 7.
Defluxus.
Imago patris.

I ipsum in Genesi exponere cœperimus, videbimus. Secundæ verò comparationi imago filij dei, de qua nunc sermo est, cõparari potest & secundum hoc quod inuisibilis dei imago inuisibilis est, sicut secũdum historiam dicimus similitudinem Adæ filium Seth. ita etiam scriptũ est: Et genuit Adam Seth, secundum imaginem suã, & secundum speciem suam. Quæ imago etiam naturę ac substantiæ patris & filij continet vnitatem. Si enim omnia quæ facit pater hæc & filius facit similiter, in eo quod oĩa ita facit filius sicut pater, imago patris in filio deformatur, qui vtique natus ex eo est velut quædam voluntas eius ex mente procedens. Et ideo ego arbitror quòd sufficere debeat voluntas patris ad subsistendum hoc quod vult pater. Volens enim non alia via vtitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo & filij subsistentia generatur ab eo. Quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est innatum præter solum deum patrem fatẽtur. Obseruandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingũt, vt diuinam naturam in partes vocét, & deum patrem quantũ in se est diuidunt, cùm hoc de incorporea natura vel leuiter suspicari, non solum extremæ impietatis sit, verumetiam vltimæ insipientiæ, nec omnino ad intelligentiam consequens

Gen. 4.
ὁμοίωσιν.
Prolatio.

K vt incorporeæ naturæ substantialis diuisio possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit è mente, & neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur aut diuiditur, tali quadam specie putandus est pater filium genuisse imaginem scilicet suam, vt sicut ipse inuisibilis est per naturam, ita imaginem quoque inuisibilem genuerit. Verbum enim est filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligẽdum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeũ suspicandum est. Lumen est verũ, quod illuminat omné hominem venientem in hunc mũdum, sed nihil habet commune ad solis huius lumen. Imago ergo est inuisibilis Dei patris saluator noster, quantum ad ipsum quidem patrem veritas: quantum autem ad nos quibus reuelat patrem, imago est per quam cognoscimus patrem, quem nemo alius nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelate. Reuelat autem per hoc quod ipse intelligitur. A quo ipse enim fuerit intellectus, consequenter intelligetur & pater, secundum hoc quod ipse dixit: Qui me videt, videt & patrem. Sed quoniam sermonem Pauli inseruimus de Christo dicentis in eo quod ait, quia splendor est gloriæ Dei, & figura expressa substantiæ eius, quid ex hoc sentiendum sit videamus. Deus lux est secundum Ioannem. Splendor ergo huius lucis est vnigenitus filius, ex ipso inseparabiliter, & vt splendor ex luce procedens, & illuminans vniuersam creaturam. Secundum hæc nanque quæ superius exposuimus, quomodo via sit, & ducat ad patrem, quomo-

Pater filiũ genuit inuisibiliter.
Ioan. 4.
Hebr. 1.
1. Ioan. 1.

L do verbum sit arcana sapiétiæ ac scientiæ mysteria interpretans ac proferens rationabili creaturæ, quomodo etiam veritas & vita est & resurrectio, consequenter intelligere debemus etiam splendoris opus: per splendorem nanque etiam quid sit lux ipsa intelligitur & sentitur. Qui splendor fragilibus se & infirmis mortalium oculis placidius ac lenius offerens, & paulatim velut edocens & assuefaciens claritatem luminis pati, cum ab eis dimouerit omne quod visum obducit & impedit, secundum quod dominus dixit, Eiice trabem de oculo tuo: capaces eos efficit ad suscipiendam gloriam lucis, etiam in hoc velut quidam mediator hominum ac lucis effectus. Verum quando non solum splendor gloriæ esse dicitur ab Apostolo, sed & figura expressa substãtiæ, vel subsistentiæ eius, non mihi videtur ociosi esse intellectus aduertere quomodo alia præter ipsam Dei substantiam, quæcunque illa substantia & subsistentia dicitur, figura substantiæ eius esse dicatur. Et vide ne fortè quoniam filius Dei qui verbum eius & sapientia dicitur, & solus nouit patrem, & reuelat quibus vult, id est, qui capaces verbi ipsius & sapientiæ fuerint, secundum hoc ipsum quod intelligi atque agnosci facit deum, figuram substantiæ atque subsistentiæ eius dicatur exprimere: id est, cum semetipsum primum describit sapientia ea quæ reuelare vult cæteris, ex quibus ab illis agnoscitur & intelligitur deus, & hoc dicatur figura expressa substantiæ dei. Vt autem plenius adhuc intelligatur quomo-

Figura substantiæ & personæ patris filius.

M do saluator figura est substantiæ & subsistentiæ eius, vtamur etiam exemplo, quod quamuis rem non planè nec propriè significet de qua agimus, tamen ad hoc solum videatur assumptum, quod exinaniens se filius qui erat in forma Dei, per ipsam sui exinanitionem studet nobis deitatis plenitudinem demonstrare. Verbi causa, si facta esset aliqua statua talis quæ magnitudine sui vniuersum orbem terræ teneret, & pro sui immensitate considerari à nullo posset: fieret autem alia statua membrorum habitu ac vultus lineamentis, specie ac materia per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro eo vt qui illam immensam considerare atque intueri non possunt, hanc vidétes illam vidisse confiderent, pro eo quod omnia membrorum & vultus lineamenta, vel ipsam speciem materiámque similitudine prorsus indiscreta seruaret: tali quadam similitudine exinaniens se filius Dei æqualitate patris, & viam nobis cognitionis ostendens, figura expressa substantiæ eius efficitur: vt qui in magnitudine deitatis suæ posita gloriam miræ lucis non poteramus aspicere, per hoc quod nobis splendor efficitur, intuendæ lucis diuinæ viam per splendoris capiamus aspectum. Comparatio sanè de statuis quasi in rebus materialibus posita, ad nihil aliud recipitur, quàm ad hoc quod filius dei apparens in terris humani

A mani corporis forma ex operum virtute atque similitudine Dei patris in immẽsam ac inuisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat ad discipulos suos: quia qui me videt, videt & patrem: & pater & ego vnum sumus. Quibus etiam illud simile intelligendum est quod ait: quia pater in me est, & ego in patre. Videamus nunc etiam illud qualitet sentiendum est, quod in sapientia Salomonis scriptum legimus, qui ita ait de sapientia: quia vapor est quidam virtutis dei, & aporrhœa omnipotentis gloriæ purissima, & splendor lucis æternæ, & speculum immaculatum inoperationis siue virtutis dei, & imago bonitatis eius. Quæ ergo hic de eo definit, ex singulis quibusque certa quædam inesse sapientiæ designat: virtutem nanque Dei nominat, & gloriam & dei designat: virtutem nanque Dei nominat, & gloriam & lucem æternam, & inoperationem & bonitatem. Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriæ omnipotentis, neque æternæ lucis, verum nec inoperationis patris, nec bonitatis eius: neque enim conueniens erat aliquem horum ascribi vaporem: sed tum cum proprietate ait virtutis dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus dei qua omnia visibilia & inuisibilia, & instituit & continet & gubernat, quæ ad omnia sufficiens est, quorum prouidentiam gerit, quibus velut vnita omnibus adest. Huius ergo totius virtutis tantæ & tam immensæ vapor, & (vt ita dicam) vigor ipse in propria subsistẽtia effectus, quamuis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat, tamen & ipsa voluntas dei nihilominus dei virtus efficitur. Virtus altera ita dictum est sicut in euangelio. Alius est qui testimonium de me reddet pater. Et de spiritu ait: Mittam vobis alium paracletum. Efficitur igitur virtus altera in sua proprietate subsistẽs, vt ait sermo scripturæ, vapor quidam primæ & ingenitæ virtutis Dei. Hoc quidem quod est intra ens, non est ante quando non fuerit. Si enim quis voluerit dicere quasi prius non extiterit, sed postea ad subsistentiam venerit, dicat causam quare qui eam subsistere fecit pater ante hoc non fecerit. Quod si aliquod semel initium dederit, quo initio vapor iste ex Dei virtute processerit, iterum interrogabimus quare non & antè illud quod dixit initium: & ita semper de anterioribus inquirentes, & verbum interrogationis ascendentes, peruenimus in illum intellectum, vt quomodo semper poterat & volebat, nunquam vel decuit, vel causa aliqua existere potuerit, vt nõ hoc quod volebat semper habuerit. Ex quo ostenditur semper fuisse vaporem istum virtutis dei nullum habentem initium nisi ipsum Deum, neque decebat aliud esse initium nisi ipsum vnde & est & nascitur Deum. Secundum Apostolum verò dicentem, quia Christus Dei virtus: iam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. Videamus etiam de eo quod dictum est, quomodo aporrhœa est purissima gloriæ omnipotentis: & prius quidem consideremus quid est gloria omnipotentis Dei, deinde etiam C quid sit eius aporrhœa sentiemus. Quemadmodum pater non potest esse quis si filius non sit, neque dominus quis esse potest sine possessione, ita ne omnipotens quidem Deus dici potest, si non sint in quos exerceat potestatem: & ideo vt omnipotens ostendatur Deus omnia subsistere necesse est. Nam si quis est qui velit vel secula aliqua, vel spacia transisse, vel quodcunque aliud nominare vult, cùm nondum facta essent quæ facta sunt: sine dubio hoc ostendet quod in illis seculis vel spaciis omnipotens non erat Deus, & postmodum omnipotens factus est, ex quo habere cœpit in quos ageret potentatum, & per hoc videbitur perfectionem quãdam accepisse, & ex inferioribus ad meliora venisse. Siquidem melius esse non dubitatur, esse eũ omnipotentem quàm non esse. Et quomodo non videbitur absurdum, vt cùm non haberet aliquid ex his Deus quæ eũ habere dignum erat, postmodum per profectum quendam in hoc venerit vt haberet? Quod si factum nunquam est quando nõ omnipotens fuerit, necessario subsistere oportet etiam ea per quæ omnipotens dicitur, & semper habuit in quibus exerceret potentatum, & quæ fuerint ab ipso vel rege vel principe moderata: de quibus plenius in locis propriis, in quibus de creaturis eius disputandum fuerit, differemus. Sed & nunc strictim licet, tamen admonitionem necessariam puto, quomodo quidem quo nobis de sapientia agitatur, quemadmodum

[Margin: Ioan.10. — Sap.7. — Energiam. — Semper dei splendor. — 1.Cor.1. — Defluxio. — Deus pater omnipotentiam suam ostendit dũ genuit filiũ ac nisi genuisset non fuisset omnipotens. Hæc simpliciter vult Origenes. Alioqui hic cautè legendus.]

D aporrhœa sit sapientia gloriæ omnipotentis purissima, ne videatur alicui interior esse in deo omnipotentis appellatio natiuitate sapientiæ per quam pater vocatur, quomodo dicta est aporrhœa omnipotentis gloriæ purissima sapientia quæ est filius dei. Audiat quid hoc ita vult suspicari, quod manifestissime scriptura pronunciat dicens, quia omnia in sapientia fecisti: & per euangelium docetur, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: & intelligat ex hoc, quia non potest antiquius esse in deo omnipotentis appellatio quàm patris: per filium enim omnipotens est pater. Sed quomodo gloriam dixit esse omnipotẽtis, cuius gloriæ aporrhœa est sapientia? hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentia gloriæ societatem habeat sapientia, per quam Deus omnipotens dicitur. Per sapientiam enim quæ est Christus, tenet deus omnipotentatum non solum dominantis autoritate, verumetiam subiectorum spontaneo famulatu. Vt autem vnam & eandem omnipotentiam patris ac filij esse cognoscas, sicut vnus atque idem est cum patre Deus & dominus, audi hoc modo Ioan. in Apocalypsi dicentem: Hæc dicit dominus deus qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Qui enim venturus est omnipotens quis est alius nisi Christus? Et sicut nemo debet offendi cum deus sit pater, quod etiam saluator est Deus: ita & cũ omnipotens deus pater, etiam nullus debet offendi quod etiam filius omnipotens dicitur. Hoc modo nanque verum erit illud quod ipse dicit ad patrem, quia omnia mea tua sunt, & omnia tua mea, & glorificatus sum in eis. Si verò omnia quæ patris sunt, Christi sunt, inter omnia verò quæ sunt patris est etiam omnipotens, sine dubio etiam vnigenitus filius debet esse omnipotens, vt omnia quæ habet, pater etiã filius habeat. Et glorificatus sum, inquit, in eis. In nomine enim Iesu omne genu flectetur cœlestium terrestrium & infernorũ, & omnis lingua confitebitur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Igitur aporrhœa gloriæ Dei secundum hoc quod omnipotens est, pura ac limpida ipsa sapientia est Dei glorificata tanquam aporrhœa omnipotentiæ vel gloriæ. Vt autem manifestius intelligatur quæ sit gloria omnipotentiæ, etiam hoc addimus. Deus pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est, cœli & terræ, solis & lunæ & stellarum, omniúmque quæ in ipsis sunt. Horum autẽ potentatum gerit per verbum suum, quoniam in nomine Iesu omne genu flectetur & cœlestium & terrestrium & infernorum. Et si omne genu flectitur Iesu, sine dubio Iesus est cui subiecta sunt omnia. Per sapientiã nanq;, id est verbo & ratione, non vi ac necessitate cuncta subiecta sunt. Et ideo in eo ipso quo obtinet omnia, gloria sua est: & hæc est omnipotentię purissima & limpidissima gloria, cùm ratione & sapiẽtia, non vi ac necessitate, cuncta subiecta sunt. Purissima verò ac limpidissima gloria sapientiæ, satis conuenienter dictũ est ad distinctionem eius gloriæ, quæ non purè, nec syncerè gloria dicitur. Omnis verò natura quæ conuertibilis est & commutabilis, etiam si glorificatur, glorificatur in operibus F iustitiæ vel sapientiæ per Iesum ipsum, quod accidentem habet iustitiam, vel sapientiam, & quod accidet etiam decidere potest: gloria tamen eius syncera ac limpidissima decidere non potest. Sapientia verò Dei quæ est vnigenitus filius eius, quoniam in omnibus inconuertibilis est & incommutabilis, & substantiale in eo omne bonum est, quod vtique mutari atque conuerti nunquam potest, idcirco pura eius ac syncera gloria prædicatur. Tertiò deus sapientia est, & splendor lucis æternæ: cuius rei virtutem iam in præcedẽtibus exposuimus, cùm solis similitudinem, & radiorum eius splendorem introduximus, & pro viribus nostris ostendimus quomodo hoc deberet intelligi. Addemus tamen etiam hoc vnum. Sempiternum vel æternum propriè dicitur quod neq; initium vt esset habuit, neque cessare vnquã potest esse. Quid autem hoc sit, designatur apud Ioannem cùm dicit: Quoniam Deus lux est. Splendor autem lucis eius sapientia est, non solum secundum quod lux est, sed & secundum id quod sempiterna lux est, ita vt æternus, & æternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integrè intelligatur, manifestè declarat, quia subsistentia filij ab ipso patre descendit, sed nõ temporaliter, neq; ab vllo alio initio, nisi (vt diximus) ab ipso

[Margin: Colligit è superiorib° per filiũ patrẽ esse omnipotẽtem. — Eadem omnipotentia patris & filij. — Apoc.11. — Ioan.17. — Ioan.17. — Philip.2.]

G deo. Sed & speculum immaculatum ἐνεργείας, id est inoperationis, dei esse sapientia nominatur. Ergo inoperatio virtutis quæ sit, prius intelligenda est, quæ est vigor quidam (vt ita dixerim) per quam inoperatur pater, vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm iudicat, vel cum singula queque in tempore suo disponit atque dispensat. Sicut ergo in speculo omnibus motibus atque omnibus actibus, quibus his qui speculū intuetur, mouetur vel agitur, his & ipsis etiam ea imago quæ per speculum deformatur, actibus & motibus commouetur vel agitur, in nullo protsus declinans: ita etiam sapientia de se vult intelligi, cùm speculum immaculatum æternæ virtutis inoperationísque nominatur: sicut & dominus Iesus Christus qui est sapientia dei, de seipso pronunciat, dicens, quia opera quæ fecit pater, hæc etiam filius facit similiter. Et iterum dicit: quoniam non potest filius à se facere quicquam, nisi viderit patrem facientem. Quoniam ergo in nullo prorsus filius à patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus filij quàm patris, sed vnus atque idem (vt ita dicam) etiã motus in omnibus est, idcirco speculum eum immaculatum nominauit, vt per hoc nulla omnino dissimilitudo filij intelligatur ad patrem. Et sanè quæ secundum similitudinem vel vnitionem discipuli ad magistrum à quibusdam dicta sunt, & quod in materia corporali ea à filio fiant, quæ à patre in substantiis spiritalibus prius fiunt deformata, cõuenire quomodo possunt? cùm in Euangelio filius dicatur non similia facere, sed eadem similiter facere? Superest quid sit imago bonitatis eius inquirere: in quo eadem, vt opinor, intelligi conuenit quæ superius de imagine ea quæ per speculum deformatur, expressimus. Principalis nanque bonitas sine dubio ex qua filius natus, qui per omnia imago est patris, proculdubio etiam bonitatis eius conuenienter imago dicetur. Non enim alia aliqua secunda bonitas existit in filium, præter eam quæ est à patre. Vnde & rectè ipse Saluator in Euangelio dicit, quoniam nemo bonus nisi vnus deus pater: quo scilicet per hoc intelligatur filius non esse alterius bonitatis, sed illius solius quæ in patre est. Cuius rectè imago appellatur, quia neque aliunde est, nisi ex ipsa principali bonitate: ne altera bonitas quàm in patre, esse videatur in filio: neque aliqua dissimilitudo, aut distantia bonitatis in filio est. Propter quod nõ debet velut blasphemiæ aliquod genus putari in eo quod dictum est, Nemo bonus nisi vnus deus pater: vt propterea putetur, vel Christus, vel spiritus sanctus negari quod bonus sit: sed vt superius diximus, principalis bonitas in deo sentienda est patre, ex quo & filius natus, & spiritus sanctus procedens, sine dubio bonitatis eius naturã in se retinent, quæ est in eo fonte de quo vel natus est filius, vel procedens spiritus sanctus. Iam vero siqua alia bona in scripturis dicuntur, vel angelus, vel homo, vel thesaurus, vel cor bonum, vel arbor bona, hæc omnia abusiue dicuntur, accidentalem non subsistẽtialem in se continentia bonitatem. Multum autem est, & alterius vel operis vel temporis, congregare omnes filij dei appellationes: verbi causa quomodo vel lumen verum est, vel ostium est, vel iustitia, vel sanctificatio, vel redemptio, & alia innumera, & quibus causis vnumquodque horum nominetur, exponere. Sed cõtẽti his de quibus superius disseruimus, consequenter reliqua perquiramus.

Ioan. 5. Ibid.

Eadē numero bonitas patris et filij. Matt. 19.

Principalis bonitas in patre. 1. primaria & 4. originaria, siue principalis, vt Lactantius loquitur.

De spiritu sancto. Cap. III.

CONSEQVENS igitur est nunc, vt de spiritu sancto quàm possumus breuiter requiramus. Et omnes quidem qui quoquo modo prouidentiam esse sentiunt, deum esse ingenitum qui vniuersa creauit atque disposuit, confitentur, eúmque potentem vniuersitatis agnoscunt. Huic tamen esse filium non nos soli pronunciamus: quamuis satis hoc & mirum & incredulum videatur iis qui apud Græcos & Barbaros philosophari vidẽtur: tamen à nõnullis etiam ipsorum habita eius videtur opinio, cum verbo dei, vel ratione creata esse omnia cõfitentur. Nos vero secundum fidẽ doctrinæ eius, quam diuinitus aspiratam pro certo habemus, eminentiorem diuiniorémque rationẽ de filio dei, nullius alterius possibilitatis esse credimus exponere, atq; in hominum cognitionem proferre, nisi eius

De verbo dei aliquid Græci, & Barbari, de-

solius scripturæ quæ à spiritu sancto inspirata est, id est, euangelicæ atque apostolicæ, nec non legis ac prophetarum, sicut ipse Christus asseruit. De subsistentia vero spiritus sancti ne suspicionem quidẽ vllam habere quis potuit, præter eos qui in lege & prophetis versati sunt, vel eos qui se Christo credere profitentur. Nam de deo quidem patre quamuis quidem proloqui nemo valeat, tamen possibile est intellectum aliquem capi ex occasione visibilium creaturarum ex his quæ humana mens naturaliter sentit: insuper etiam de scripturis sanctis confirmari possibile est. Sed & de filio dei, quamuis nemo nouerit filium nisi pater, tamen ex diuinis scripturis etiam de ipso qualiter sentiri debeat mens humana formatur, & non solum ex nouo, sed etiam ex veteri testamento, per ea quæ à sanctis gesta ad Christum figuraliter referuntur, ex quibus aduerti vel diuina eius natura, vel humana quæ ab eo assumpta est, potest. De spiritu vero sancto, quod sit, multę nos scripturæ docuerunt, sicut Dauid in 50. Psalmo dicit: Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Et in Daniele dicitur, Spiritus sanctus qui est in te. In nouo vero testamento abũdantius testimoniis edocemur, cũ spiritus sanctus super Christum descendisse describitur, & cum ipse dominus insufflauit in apostolos post resurrectionem, dicens: Accipite spiritũ sanctum. Et ad Mariam ab angelo dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te. Paulus vero dicit, quia nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Et in actibus apostolorum per impositionem manuum apostolicarum spiritus sanctus dabatur in baptismo. Ex quibus omnibus dicimus tantæ esse autoritatis & dignitatis substantiam spiritus sancti, vt salutaris baptismus non aliter nisi excellentissimæ omnitrinitatis autoritate, id est patris, & filij, & spiritus sancti cognominatione compleatur, & ingenito deo patri, & vnigenito eius filio nomen quoque spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat quanta maiestas sit spiritus sancti, cùm eum qui dixerit verbum in filium hominis, audiat sperare veniam posse: eum vero qui in spiritum sanctum blasphemauerit veniam non habere neque in præsenti seculo, neque in futuro?

Spiritu sancto nihil.

Psal. 50. Ioan. 20. Luc. 1. 1. Cor. 12. Act. 8.

Quod autem à deo vniuersa creata sunt, nec sit vlla creatura quæ non ab eo hoc ipsum vt esset acceperit, ex multis scripturæ assertionibus comprobatur, repudiatis atque depulsis his quæ à quibusdam falso perhibentur, vel de materia deo coæterna, vel de ingenitis animabus, quibus tam subsistendi naturam, quàm vitæ qualitatem atque ordinem à deo insitũ volunt. Nam & in eo libello qui Pastoralis dicitur, de angeli poenitentiæ positione, quem Hermes conscripsit, ita refertur. Primo omnium crede, quia vnus est deus qui omnia creauit atque composuit: qui cum nihil esset prius, fecit omnia: qui est omnia capiens, ipse vero à nemine capitur. Sed & in Enoch libro his similia describuntur. Veruntamen vsque ad præsens nullum sermonem in scriptis sanctis inuenire potuimus per quẽ spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur, ne eo quidem modo quo de sapientia referre Salomonem suprà edocuimus, vel quo de vita, vel verbo, aliísque appellationibus filij dei intelligenda esse tractauimus. Spiritus igitur dei qui super aquas ferebatur, sicut scriptum est, in principio facturæ mundi, puto quod non sit alius quàm spiritus sanctus, secundum quod ego intelligere possum, sicut & cum ipsa loca exponerem ostendimus, non tamen secundum historiam, sed secundum intelligentiam spiritalem.

Hyle.

Pastor liber apocryphus, hæc autem reperiuntur mandato primo illius libri.

Gene. 1.

Quidam sanè ex prædecessoribus nostris in nouo Testamento obseruant, quòd sicubi spiritus nominatur sine adiectione ea quæ assignet qualis sit spiritus, de sancto spiritu debet intelligi, vtputa, Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, & pax, & cætera. Item & ibi: Cum cœperitis spiritu, nunc carne perficimini. Nos verò etiam in veteri testamento putamus distinctionem istam posse seruari, sicut cùm dicit, Qui dat spiritum populo qui est super terram, & spiritum his qui calcant eam. Sine dubio enim omnis qui calcat terram, id est terrena & corporalia, particeps est à deo eum accipiẽs. Dicebat autẽ & Hebræus magister, quod duo illa Seraphim quæ in Esaia senis alis describuntur clamantia adinuicem, & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus deus Sabaoth: de vnigenito filio dei, & de spiritu sancto essent intelligenda. Nos verò putamus etiam illud quod in cantico Abacuc

Gal. 5. Esa. 6.

A dictum est:In medio vel duotum animalium,vel duarum vi-
tarum cognosceris,de Chtisto,& de spiritu sancto sentiri de-
bere.Omnis enim sapientia de patre reuelante filio in spititu
sancto cognoscitur,vt ambo quæ secundum hoc vel animá-
tia,vel vitę dicuntur,causa sapientiæ dei pattis existant.Sicut
enim de filio dicitur,quia nemo nouit patrem nisi filius , &
cui voluerit filius reuelare:hæc eadem etiam de spiritu san-
cto dicit Apostolus cum ait,Nobis autem reuelauit deus per
spiritum sanctum:Spiritus enim omnia sctutatur etiam alta
dei.Sed & rursus in euangelio de diuinis ptofundioribus,di-
scipulis commemorans Saluatot quæ nondum capete pote-
rant discipuli sui , ita ait ad discipulos : Adhuc multa habeo
quæ vobis edicam,sed non potestis portare modò:cum auté
venerit paracletus,id est consolator spiritus sanctus, ille vos
docebit omnia,& commonebit omnia quę dixi vobis.Et ita
sciendum est quod sicut filius qui solus cognoscit patrem,re-
uelat cui vult:ita spiritussanctus qui solus scrutatut etiam alta
dei,reuelat cui vult.Spititus enim vbi vult spirat. Neq; enim
putandum est quod etiam spiritus filio reuelante cognoscit.
Si enim reuelante filio cognoscit patrem spiritus sanctus,er-
go ex ignotantia ad scientiam venit:quod vtique & impium
pariter & stultum est,spititum sanctum confiteti , & ignorá-
tiam ei ascribere.Non enim cùm aliud aliquid esset antequá
spiritus sanctus,per profectum venit in hoc vt esset spiritus
sanctus:vt quis audeat dicere,quia tunc quidem cùm nondú
esset sanctus ignotabat patré,postea verò quam recepit scié-
tiam etiam spiritus sanctus effectus est,quod si esset, nunquá
vtique in vnitate trinitatis,id est dei patris inconuertibilis &
filij eius etiam ipse spiritus sanctus haberetut,nisi quia & ipse
semper erat spititus sanctus.Hoc sanè quod dicimus,vel sem-
B per erat,vel si quod aliud tale temporalis significationis no-
men adducimus,simpliciter & cum venia accipiendum est:
quoniam nominum quidem horum significationes tempo-
rales sunt,ea autem de quibus loquimur, tractu quidem ser-
monis tempotaliter nominantur , natura autem sui omnem
intelligentiam sensus temporalis excedunt. Rectum tamen
videtur inquirere quid causæ sit , quod qui regeneratut per
deum in salutem,opus habet & patre & filio & spiritu san-
cto.De quibus discutientes sine dubio necessarium erit vt o-
petationem specialem spititus sancti,& speciale patris ac filij
describamus.Arbitror ergo operationé quidé patris& filij tá
in sanctis, quá in peccatoribus,in hominibus rationalibus &
in mutis animalibus,sed & in his quæ sine anima sunt, & in
omnibus omnino quæ sunt. Operationé verò spiritus sancti
nequaquá protsus incidere vel in ea quæ sine anima sunt,vel
in ea quæ animantia quidem,sed muta sunt:vel in illis quidé
inueniri qui rationabiles quidé sunt,sed in malitia positi,nec
omnino ad meliora conuersi. In illis solis arbitror esse opus
spiritus sancti qui iam se ad meliora conuertunt , & per vias
Christi Iesu incedunt,id est sunt in bonis actibus, & in deo
permanent.Quia quæ opetatio patris,& filij,& in sanctis,&
C in peccatoribus sit , manifestatur ex eo quod tationabiles
omnes qui sunt,verbi dei,id est tationis participes sunt , &
per hoc velut quædam semina insita sibi gerunt sapientiæ &
iustitiæ quod est Christus.Ex eo autem qui verè est,qui dixit
per Moysen:Ego sum qui sum,omnia quæcunque sunt par-
ticipant:Quæ participatio dei patris peruenit in omnes tam
iustos quàm peccatores,& rationabiles atque irrationabiles,
& in omnia omnino quæ sunr. Ostendit sanè & apostolus
Paulus quòd omnes habeant participium Christi,dicens:Ne
dixeris in corde ruo quis ascendit in cœlum? id est Christum
deducere: aut quis descendit in abyssum ? id est Christum
à mortuis reuocare. Sed quid dicir scriptura? Prope est verbú
in ote tuo,& in corde ruo.Ex quo in corde omnium signifi-
cat esse Christum secundum id quod verbum vel tatio est,
cuius parricipatione rationabiles sunt . Sed & illud quod in
euangelio dictum est , Nisi venissem, & locutus fuissem eis,
peccatum non haberent,nunc autem excusationem non ha-
bent de peccato suo:his qui rationem norút, vsque ad quod
tempus peccatum homo non habeat, & ex qua ætate obno-
xius peccato sit,manifestum est & patet quomodo ex parti-
cipatione verbi vel rationis homines peccatú habete dicun-
tur:videlicer ex quo intellectus atque scientiæ capacibus ef-

Abac.3. ex translatione. [illegible] *Causa sapientiæ dei, id est, causa qua dei sapientia & cognitio habetur.* *1. Cor. 2.* *Ioan.16.* *Ioan.14.* *Ioan.3.* *In mysterios. Trinitatis cum venia barbutiendum.* *Huc locum scilicet spiritu s. non operari in anima Theophilus Alexandrin9 lib.1. paschali impugnat.* *Exod.3.* *Rom.10.* *Ioan.15.*

D fectis iam eis boni vel mali discretioné ratio intrinsecus in-
serta suggesserit:& cum scire iam cœperint quid sit malum,si
faciunt illud peccato efficiuntur obnoxij:& hoc est quod di-
cit,qui excusationem non habent de peccato suo,ex quo eis
diuinus sermo vel ratio ostendere cœpit corde discretioncm
boni & mali , & per hanc debeant refugere & cauere quod
malum est:quia scienti bonú & non facienti, peccatú est illi. *Luc.17.*

Item quod omnes homines non sunt extra communio-
nem dei,hoc modo euangeliú docet,dicente Saluatore:Re-
gnum dei cum obseruatione non venit : neque dicent , ecce
hic,aut ibi:sed tegnum dei intra vos est. Sed & illud viden- *Gene.2.*
dum est ne fottè idem significet quod in Genesi scriptum est
cú ait:Et insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus
est homo in animam viuentem . Quod si generaliter est in
omnes homines,habent participium dei. Si verò hoc de spi-
ritu dei dictum intelligendum est , quomodo & Adam pro-
phetasse de nonnullis inuenitut,etgo iam nó genetalitet, sed
sanctis quibusque datum accipi potest . Denique etiá diluuij
tempore cum omnis caro corrupisset viam suam,iam de illis *Gen.6.*
tanquam de indignis & peccatoribus scriptum est dixisse
deum , Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in
æternum,ptopterea quod caro sunt. In quo manifestè osten-
ditut,quod ab indignis quibus aufertur spiritus dei. In Psal- *Psal.103.*
mo quoque scribitur: Auferes spiritum eotum,& deficiét, &
in puluerem suum teuertentur . Emittes spiritum tuum &
creabuntur,& renouabis faciem tertæ. Quod manifestè de
spiritu sancto designatur,qui ablatis atque extinctis peccato-
ribus & indignis,ipse sibi nouum populum creet,& tenouet
faciem terræ , cùm per gratiam spiritus deponentes veterem
hominem cum actibus suis,in nouitate vitæ cœperint ambu- E
lare.Et ideo de eo competentet dicitut , quia non in omni-
bus,neque in his quæ caro sunt , sed quorum tetta renouata
fuerit spiritus sanctus habitabit . Denique idcirco per impo-
sitionem manuum apostolorum post baptismum gratia &
reuelatio sancti spiritus ttadebatur . Sed & Saluator noster
post resurrectionem cùm vetera iam transissent,& facta fuis-
sent omnia noua(nouus ipse homo & primogenitus ex mot- *Ioan.20.*
tuis renouatur quoque per fidem suæ resurrectionis)aposto- *Matt.9.*
lis ait:Accipite spiritum sanctum.Hoc est nimirum quod &
ipse Saluator dominus in Euangelio designabat , cùm nouú,
id est spiritus sancti gtatiæ susciperent nouitatem. Hoc ergo
pacto operatio vittutis dei pattis,& filij indisctetè super om- *1.Cor. 12.*
nem pertenditut creaturam:spiritus sancti verò patticipatio-
nem à sanctis tátummodo haberi inuenimus . Propter quod
dicitut,Nemo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu *Act.1.*
sancto . Et vix aliquando ipsi angeli digni habentur audite:
Accipietis vittutem supetueniétis spiritus sancti in vos. Pro-
pter quod & consequens puto, quia qui peccauetit quidem
in filium hominis venia dignus est:pro eo quod is qui verbi
dei rationis est particeps,si desinat rationabiliter viuere , vi-
detur in ignotantiam & stultitiam decidisse,& propter hoc
veniam ptomereti : Qui autem dignus iam habitus est sancti
spiritus participatione,& retrò fuerit conuersus,hic re ipsa &
opere blasphemasse dicitur in spiritum sanctum . Sanè ne- *Spiritus sanctus æqualis patri & filio*
quis existimet nos ex eo quod diximus spiritum sanctum so-
lis sanctis præstari,patris verò & filij beneficia vel inopera- F
tiones peruenire ad bonos & malos,iustos & iniustos : ptæ-
tulisse per hoc patri & filio spiritum sanctum , vel maiorem
eius per hoc asserete dignitatem:quod vtique valde inconse-
quens est. Proprietatem nanque gtatiæ eius opetisque de-
scripsimus . Porrò autem nihil in rtinitate maius minúsve
dicendum est,quum vnius diuinitatis fons verbo ac ratione
sua teneat vniuersa , spiritu verò oris sui quæ digna sunt san-
ctificatione sanctificet , sicut in psalmo sctiptum est : Vet- *Psal.32.*
bo domini cœli firmati sunt , & spititu oris eius omnis vir-
tus eorum . Est etiam quædam inoperatio dei patris præ-
cipua præter illam quam omnibus vt essent naturaliter præ-
stitit. Est & domini Iesu Chtisti præcipuum quoddam mi-
nisterium in eos quibus natutaliter vt rationabiles sint con-
fert,per quod ad hæc quæ sunt,præstatur eis vt bene sint. Est *Vna eadémq; virtus trinitatis.*
& alia quoque etiam spiritus sancti gratia quæ dignis pręsta-
tur , ministrata quidem per Christum,inoperata autem à pa-
tte secundum meritum eorum qui capaces efficiuntur.Quod

G manifestissimè indicat apostolus Paulus, vnam eandémque virtutem trinitatis exponens in eo cùm dicit: Diuisiones sunt donorum, vel donationum, idem autem spiritus: & diuisiones sunt ministeriorum, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus secundū id quod expedit. Ex quo manifestissimè designatur quod nulla est in trinitate discretio, sed hoc quod donum spiritus dei ministratur per filium, & inoperatur per deum patrem. Omnia autē operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. His igitur de vnitate patris, & filij, & spiritus sancti potestatis, redeamus nunc ad eum ordinem quem disserere cœperamus. Deus pater omnibus præstat vt sint: participatio verò Christi secundum id quod verbum vel ratio est, facit ea esse rationabilia. Ex quo consequens est ea vel laude digna esse, vel culpa, quia virtutis & malitię sunt capacia. Propter hoc consequenter adest etiam gratia spiritus sancti, vt ea quæ substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur. Cùm ergo primò vt sint, habeant ex deo patre, secundò vt rationabilia sint, habeant ex verbo, tertiò vt sint sancta, habeant ex spiritu sancto: rursum Christi, secundū hoc quod iustitia dei est, capacia efficiuntur ea quæ iam sanctificata antè fuerint per spiritum sanctum: & qui in hūc gradum proficere meruerint per sanctificationē spiritus sancti, consequentur nihilominus donum sapientiæ secundū virtutem & inoperationem spiritus dei. Et hoc puto Paulū dicere cùm ait, quibusdam dari sermonē sapientiæ, aliis sermonē scientię secundum eundem spiritum. Et designans vnamquamque discretionem donorū, refert omnia ad vniuersitatis fontem, & dicit: Diuisiones sunt inoperationū, sed vnus deus qui operatur omnia in omnibus. Vnde & inoperatio patris quæ præstat omnibus clarior ac magnificentior inuenitur, cùm vnusquisque per participationem Christi secundum id quod sapientia est, & secundū id quod scientia est, & sanctificatio est, proficit, & in altiores profectuū gradus venit: & per hoc quod participatione sancti spiritus factus est quis purior, atque syncerior, effectus dignos recipit sapientiæ, ac scientiæ gratiam, vt depulsis omnibus, expurgatísque pollutionis atq; ignorantiæ maculis, tantùm profectum synceritatis ac pietatis accipiat: vt hoc quod accepit à deo vt esse, tale sit quale deo dignum est, eo qui vt esset purè pręstiterit ac perfectè, vt tam dignum sit id quod est, quàm est ille qui id esse fecit. Ita nanq; & virtutem semper atque in æternū manere percipere̅t à deo qui talis est, qualem esse voluit ille qui fecit. Quod vt accidat, atque indesinenter atque inseparabiliter adsint, & qui est, & ea quę ab ipso facta sunt, sapere id opus est instruere, atque erudire ea, & ad perfectionem perducere ex spiritus sancti confirmatione, atq; indesinenti sanctificatione per quā solum deum capere possunt. Ita ergo indesinenti erga nos opera patris, & filij, & spiritus sancti per singulos quosq; profectuum gradus instaurato corde vix fortè aliquando intueri possumus sanctam ac beatam vitam: in qua cùm post agones multos in eam peruenire potuerit, ita perdurare debemus vt nulla vtique nos boni illius satietas capiat: sed quanto magis de illa beatitudine percipimus, tanto magis in nobis vel dilatentur eius desideria, vel augeantur, dum semper ardèrius patrem, & filium ac spiritum sanctum, vel capimus, vel tenemus. Si autem aliquando satietas cepit aliquem ex his qui in summo perfectóque constiterint gradu, nō arbitror quòd ad subitum quis euacuetur, ac decidat: sed paulatim, & per partes defluere eum necesse est: ita vt fieri possit interdum, vt si breuis aliquis lapsus acciderit, & citò resipiscat, atq; in se reuertatur, non penitus ruere, sed reuocare pedem, & redire ad statum suum, & rursum statuere possit id quod per negligentiam fuerat lapsum.

1. Cor. 12.

H

Ibid.

I

De diminutione vel lapsu. *Cap.* IIII.

VT autem istam diminutionem, vel lapsum eorum qui se negligentius egerunt ostēdamus, & similitudine alicuius exempli vti non videtur absurdū. Igitur si sit aliquis qui peritia vel arte (verbi gratia) geometriæ, vel medicinæ, paulatim fuerit imbutus vsquequo venerit ad perfectū, multo scilicet tēpore institutionibus atq; exercitiis semetipsum informans vt ad integrū supradictæ artis assumeret disciplinā: huic nunquā profectò accidere poterit, vt cùm peritus dormierit, euigilet imperitus. Nec enim ea quæ per læsionē aliquam vel debilitatē accidunt, in mediū adducere aut cōmemorare nos conuenit. Neq; enim similitudini propositę exemplóq; conueniunt. Secundū ergo id quod proposuimus, geometres ille, vel medicus donec exercet se in meditationibus artis suæ, & rationabilibus institutis, permanet apud eum etiā scientia disciplinæ. Si verò dissimulet ab exercitiis, & negligat ab industria, paulatim primò per negligentiā pauca excidūt, tum deinde etiam plura, & ita permultū abeūt omnia in obliuionē, atque vniuersa ex memoria penitus abolētur. Potest sanè fieri, vt cùm decidere ab initio cœpit, & parua adhuc corrumpi negligētia, si resuscitetur, & citius in semetipsum reuertatur, reperat ea quæ adhuc nuper amissa sunt, & recolat ea quæ ab eo fuerāt tenui abolitione sublata. Trāsferamus nunc hoc ad eos qui se dei scientiæ ac sapientiæ dederunt, cuius conditio atque industria incōparabilibus omnino reliquas disciplinas supereminet modis, secundū propositæ similitudinis formā: vel quæ sit assumptio scientiæ, vel quę sit eius abolitio contēplemur: maximè cùm audiamus ab Apostolo, cùm de perfectis dicitur, quod facie ad faciē gloriam domini ab interioribus reuelationibus speculabuntur. Verùm nos volentes diuina in nos beneficia demonstrare, quę nobis per patrem & filium & spiritum sanctū præbētur, quæ trinitas totius est sanctitatis fons, excessu quodā etiā hoc dicimus, & sermonē de anima qui inciderat, strictim licet cōtingendū putauimus, vicinū vtputa locū de natura rationabili disserentes. Opportunius tamē in eo loco proprio de omni rationabili natura quę in tria genera speciésque distinguitur, deo nobis per Iesum Christum & sanctum spiritum concedente, disputabimus.

M

2. Cor. 3.

L

De rationabilibus naturis. *Cap.* V.

POst eam dissertionem quam de patre, & filio, & spiritu sancto quantū valuimus, breuiter digessimus, cōsequens est etiā de naturis rationabilibus, ac de speciebus earū, & ordinibus, vel officiis tā sanctarum quàm etiā malignarum virtutum, sed & de his qui inter has bonas & malas medij quidā sint, & vt hic in agone atq; in certamine positi, pauca disserere (quāplurima namque in sanctis scripturis inuenimus) ordinū quorundā atque officiorū tam sanctorū quàm etiā contrariorū nomina prius proponentes. Tunc deinde quid sibi velit horū significatio, pro virilibus nostris discutere pertentabimus. Sunt quidam sancti angeli dei, quos Paulus ministeriales spiritus appellat, ad ministeriū destinatos, propter eos qui hæreditatē capiunt in salutē. Apud ipsum quoq; sanctū Paulū inuenimus, nescio vnde sumentē, cognominantē tamen quasdā sedes & dominationes, & principatus, & potestates: & post enumerationem horū, velut alia adhuc quędā rationabilia officia atq; ordines esse sentiens præter eos quos suprà dixerit, ait de Saluatore: Qui est super omnē principatū, & potestatem, & virtutē, & dominationē, & omne nomen quod nominatur non solū in hoc seculo, sed etiam in futuro. Ex quo videlicet ostendit esse quædā præter hæc quæ cōmemorauit, quæ nominantur quidem in hoc seculo, non tamē ab ipso enumerata fuerint, fortè nec ab alio aliquo intellecta: esse verò alia quæ in hoc seculo quidem non nominentur, tamen nominabuntur.

Heb. 1.

Threnos.

K

Esse quosdā Angelorū ordines præter eos (nequem) qui nominantur

Tunc deinde sciendū est, quia omne quod rationabile est, & ratio in terminos statutaque declinat, sine dubio per præuaricationē recti iustique efficitur in peccato. Est ergo omnis creatura rationabilis laudis & culpæ capax. Laudis, si secundū rationē quā in se habet, ad meliora proficiat. Culpę, si rationē, recti tenorémque declinet, propter quod rectè etiā pœnis & suppliciis subiacet. Quod etiam de ipso diabolo, & his qui cum ipso sunt, & dicuntur eius angeli, sciendum est. Exponendæ tamen sunt etiam appellationes eorum vt sciamus quæ sint ista de quibus sermo nobis mouendus est. Diaboli igitur nomen & Satanæ, & maligni in multis scripturæ locis designatur, qui & inimicus Dei esse describitur.

Improbereꝛ Angelorū ordines quidam.

A tur. Necnon & quidam angeli diaboli nominantur, ſed & principes mũdi huius, qui vtrũ ipſe ſit diabolus, an alius quis, nondum manifeſte declaratum eſt. Principes quoque huius mundi quidem dicuntur ſapientiam quandam habentes quæ deſtruetur: ſed vtrum iſti ſunt principes illi qui ſunt principatus aduerſus quos nobis eſt colluctatio, an alij ſunt, nõ facile mihi ab aliquo pronũciandum videtur. Poſt principatus autẽ & poteſtates quędã nominãtur aduerſus quas colluctatio nobis eſt, & agon geritur: ſcilicet aduerſus principes mũdi & rectores tenebrarum harum: quæ etiam ſpiritalia malitiæ in cœleſtibus ab ipſo Paulo nominãtur. Quid autẽ dicendum eſt etiam de ſpiritibus malignis, & dęmonibus immundis qui in euãgeliis nominantur? Tũ deinde, appellãtur quędam enim ſimili nomine cœleſtia. Sed quæ dicuntur genu flectere, vel eſſe flexura in nomine Ieſu, ſed & terreſtria & inferna quæ per ordinem Paulus enumerat, in loco ſanè in quo de rationalibus naturis diſſeremus, reticere non conuenit, cum de nobis quidem hominibus qui vtique rationabile animal eſſe dicimur, pertractabimus. Sed ne illud quidem ocioſe prætereundum eſt, quod etiã de nobis ipſis hominibus diuerſi quidẽ ordines nominãtur, cũ dicitur: Pars domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſraël. Pars autem angelorum dicuntur cæteræ nationes: quoniam quidẽ cum

Phil. 2.

Hominum ordines quidam.

Deut. 32.

B diuideret excelſus gentes, & diſpergeret filios Adam, ſtatuit fines gentium ſecundum numerum angelorum Dei. Et idcirco cum cæteris irrationalibus naturis etiam humanæ animæ ratio prouidenda eſt. Igitur tot & tantis ordinum officiorumq; nominibus cognominatis, quibus certum eſt ſubeſſe ſubſtãtias, requirẽdũ eſt vtrum conditor & creator omnium Deus, quoſdam quidem ex his ita fecerit ſanctos ac beatos, vt nihil poſſint recipere omnino contrariũ: & quoſdam ita fecerit, vt poſſint tam virtutis quam malitiæ eſſe capaces: aut ſi putãdum eſt quod alios ita fecerit, vt omnino incapaces ſint ad virtutem, & alios maliciam quidem nequaquam poſſe recipere, ſolummodo autem poſſe in beatitudine permanere: alios vero tales qui poſſint vtraque recipere. Vt autem ex ipſis nominibus prima nobis inquiſitio moueatur, conſideremus ſi ſancti angeli ex quo ſunt, ſemper ſancti fuerunt, & ſancti ſunt, ſanctiq; erunt, & neque receperunt vnquam, neque recipere potuerunt peccati locum. Tum deinde etiam hi qui ſancti principatus appellantur, conſideremus ſi ſtatim vt creati à Deo ſunt, principatum exercere cœperunt in aliquos qui eis eſſent ſubiecti. Similiter autem & quæ appellantur poteſtates, vtrum tales & in hoc ipſum creaturæ ſunt vt exercerent poteſtatem, an meritũ aliquod iſtud eſt & præmium virtutis, per quod ad poteſtatem iſtam dignitatemq; venerunt. Necnon & hi qui throni dicuntur, vel ſedes: an iſtã beatitudinis ſedem ſtabilitatemq; ſimul cum ſubſtantiæ ſuæ

C prolatione meruerint, an ex voluntate ſola hæc poſſideant creatoris. Vel quæ appellãtur dominationes, hæ ſi quod dominantur, non per facti ſui meritum eis fuerit additũ, ſed de conditionis prærogatiua donatum ſit, & ideo ſit ab eis inſeparabile quodammodo, ac naturale. Quod vtique ſi ita recipiamus, vt putẽtur ſancti angeli, & ſanctæ poteſtates, & beatæ ſedes, glorioſęq; virtutes, & magnificæ dominationes ſubſtãtialiter poteſtates iſtas ac dignitates gloriáſque poſſidere: conſequens ſine dubio videbitur etiam ea quæ in contrariis officiis nominata ſunt, ad hunc modum intelligi debere: vt principatus illi aduerſus quos nobis eſt colluctatio, illud ipſum obluctãs ac reſiſtẽs omni bono propoſitũ nõ poſtmodũ recepiſſe declinantes à bono per arbitrij libertatem, ſed cum ipſis ſimul ſubſtantialiter extitiſſe: ſimiliter etiam poteſtates & virtutes, nec eſſe in eis minorẽ ſubſtãtia ſua malitiã poſteriorem. Illos quoque mundi tenebrarũ rectores, & principes appellauit, eo quod principatus, & qui obtinẽt tenebras, non ex peruerſitate propoſiti, ſed ex cõditionis neceſſitate dicũtur deſcẽdere. Eadem quoque de ſpiritalibus nequitiæ, & de ſpiritibus malignis, & dæmonibus immundis conſequentiæ ipſius ratio coget intelligi. Quod ſi id de malis, contrariiſq; virtutibus intelligi videtur abſurdum, ſicut certe abſurdũ eſt, vt cauſa malitiæ ipſarũ remota ab arbitrij ſui propoſito conditori earum neceſſario aſcribatur: quomodo non etiam de bonis ſanctíſque virtutibus cogimur ſimilia confiteri, id eſt

Abſurdũ malignos ſpirit[us] ſubſtantialiter & ex conditionis neceſſitate eſſe malos.

quia non ſubſtantiale ſit in ipſis bonum, quod vtique in ſolo D Chriſto & in ſpiritu ſancto euidẽter eſſe oſtendimus, ſine dubio vtique & in patre. Non enim trinitatis natura habere aliquid compoſitionis oſtenſa eſt, vt hæc ei conſequenter videantur accidere. Vnde ſupereſt vt omnis creatura ſui operis, ſuorúmque motuum fuerit, quod virtutes iſtæ quæ vel principatum agere in aliis, vel poteſtatem exercere, vel dominationem videantur, ex merito, & non per conditionis prærogatiuam prælatæ ſint & ſuperpoſitæ his quibus præeſſe, vel in quos poteſtatem exercere dicuntur. Sed ne de tantis ac tam difficilibus rebus conſequentiæ ſolius ratione inuitati videamus aſſerere, atque ex coniecturis tantummodo in aſſenſum cogere auditores, videamus ſi quid etiam de ſcripturis ſanctis poſſumus aſſertionis aſſumere, quarum autoritate hæc credibilius aſtruantur. Et primùm quidem de malis virtutibus quid ſancta ſcriptura contineat, proferamus, tum deinde etiam de cæteris inueſtigabimus, ſecundum quod dominus nos fuerit illuminare dignatus, vt in rebus tam difficilibus quid magis veritati ſit proximum, vel quid ſecundum pietatis regulam opinandum ſit, conſequamur. Inuenimus nanque in Ezechiele propheta duas quaſdam prophetias ſcriptas eſſe ad principem Tyri, quarum prima fortaſſe videbitur alicui antequam audiat & ſecundam, dici de homine aliquo qui princeps fuerit Tyriorum. Et ideo nos interim nihil de

Angelorũ dignitas ex merito, non ſubſtantialiter.

Ezech. 26. 27. 28.

E prima illa ſumemus: Secunda verò quoniam euidentiſſimè talis eſt, vt nihil prorſus de homine, ſed de virtute aliqua ſuperiori intelligi debeat, quæ delapſa fuerit à ſuperioribus ad inferiores, & ad deteriora deiecta, ex ipſa deferemus exemplum: ex quo manifeſtiſſimè demonſtretur contrarias iſtas magnáſque virtutes non natura tales eſſe conditas, vel creatas, ſed de melioribus veniſſe in peius, atque in deterius eſſe conuerſas: beatas quoque illas virtutes non eſſe talis naturæ quæ contrarium recipere non poſſit ſi velit, ac negligat, & ſtatus ſui beatitudinem non omni cautela cuſtodiat. Si enim is qui dicitur princeps Tyri, refertur quia inter ſanctos erat, & immaculatus erat, & in paradiſo Dei conſtitutus, corona quoque decoris & plenitudinis exornatus, is qui talis erat quomodo aliquo ſanctorum inferior putandus eſt? Corona enim decoris & pulchritudinis ipſe fuiſſe, & in paradiſo Dei ambulaſſe immaculatus deſcribitur: & quomodo ab aliquo putari ſolet quod iſte talis non vnus fuerit de illis ſanctis beatíſque virtutibus, quas vtique in beatitudine poſitas, non alio quam tali honore præditas eſſe credendum eſt? Sed videamus tandem quid etiam ipſa prophetica verba nos doceant. Et factus eſt, inquit, ſermo domini ad me, dicens: Fili hominis accipe lamentum ſuper principem Tyri, & dic ei, Hæc dicit dominus Deus: Tu ſignaculum ſimilitudinis, & corona decoris in delitiis paradiſi fuiſti: omni lapide vel gẽma bona exornatus es, & indutus Sardio, & Topazio, & iaſpide, argento & auro inſertus, & Achate, amethyſto, & chryſolitho, & beryllo, & onychio, auro quoque repleſti theſauros

Ezech. 28.

F tuos, & promptuaria tua in temetipſo. Ex qua die creatus es, cum Cherubim poſui te, in monte ſancto Dei fuiſti, in medio lapidum igneorum fuiſti immaculatus tu in diebus tuis, ex qua die creatus es tu, donec comminuendæ ſunt iniquitates in te ex multitudine negociationis tuæ. Repleſti iniquitate promptuaria tua, & peccaſti, & vulneratus es, & à monte Dei eieci te Cherub de medio lapidum igneorum: & elatum eſt cor tuũ in decore tuo. corrupta eſt diſciplina tua cum multitudine tua propter multitudinem peccatorũ tuorum, & iniquitatũ tuarum, & negociatione tua polluiſti ſancta tua. Et educam ignem de medio, & comedet te, & dabo te in cinerem ac fauillam ſuper terram in cõſpectu omnium videntiũ te, & omnes qui ſciebãt in gentibus, mœrebunt te. Perditio effectus es, & nõ ſubſiſtes vltra in æternum tempus.

Hæc cùm ita dicta ſint, quis eſt qui audiens, Signaculum ſimilitudinis, & corona decoris in deliciis paradiſi fuiſti: vel audiens quod ex quo creatus es tu cum Cherubim poſui te in monte ſancto Dei: vltra ſenſum ſuum poterit relaxare, vt de aliquo hominũ, vel ſanctorũ, nũ dicam Tyri principe hæc dicta eſſe ſuſpicetur? aut quos lapides igneos putabit, in quorum medio ab eo aliquis conuerſari poterit? Aut quis immaculatus ab ipſa die qua creatus eſt, intelligi poterit, in quo

Q

G postea aliquando iniustitiæ in ipso inuentæ sint, & tunc in terram proiectus esse dicatur? Quod vtique significat, quia de eo dicitur, qui cùm nõ esset in terrã proiectus est: cuius etiam sancta polluta esse dicũtur. Hęc quidem de principe Tyri ex propheta Ezechiele quæ in aduersariam virtutem referuntur ostendimus, per quæ manifestissimè demonstratur quod sancta virtus hæc fuerit & beata, de qua beatitudine ex quo in ea inuenta est iniquitas, ruerit, in terrámque demersa est, & non per naturam conditionemq; talis extiterit.

Arbitrantur ergo dici hoc de Angelo quodam, qui Tyriorum gentis dispensandę sit sortitus officium, qui etiam animę eorũ procurandæ videntur esse cõmissę. Quam sanè Tyrum, vel quas Tyriorũ animas sentire debeamus: vtrum hanc quæ in Phœnices prouinciæ regionibus sita est, an aliam aliquam cuius hæc quam in terris nouimus, forma est: & animas Tyriorũ vtrũ horũ, an eorum qui domestici sunt illius Tyri quæ spiritaliter intelligitur, in hoc loco nõ videtur requirendũ: ne fortè velut in trãsitu de tantis & tam abscõditis rebus videamur inquirere, quod vtiq; propriũ vel opus exigit vel laborẽ.

Esa.14. Rursum tamen etiam de alia virtute contraria ab Esaia propheta talia quædam docemur. Ait enim: Quomodo descendit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? confractus est, & collisus in terram qui immittebat ad omnes gentes? Tu verò dixisti in corde tuo: Ascendam in cœlum, super stellas cœli H ponam meũ thronum, sedebo in monte excelso super omnes excelsos qui sunt in aquilone, ascendam super nubes, ero similis altissimo. Nunc autem in infernum demergeris, & in fundamenta terræ. Qui te viderint admirabuntur super te, & dicent: Hic est homo qui exacerbabat totam terram, qui mouebat reges, qui fecit vniuersum orbem desertum, qui vrbes destruxit, nec eos qui in vinculis sunt, resoluit. Omnes reges gentium dormierunt in honore, vnusquisq; in domo sua: tu verò proiicieris in montibus sicut mortuus & execrabilis cum multis mortuis qui transfossi sunt gladiis, & descenderunt in infernum. Sicut vestimentum sanguine concretum & infectum non erit mundum, ita nec tu quidem eris mundus pro eo quod terram meam perdidisti, & populum meum occidisti, non manebis in ęternum tempus. Semen pessimum præpara filios tuos ad infectionem pro peccatis patris tui, ne resurgant, & terram hæreditate possideant, & repleant terram bellis, & insurgam in eos, dicit dominus Sabaoth, & deperire faciam nomen ipsorum, reliquias, & semen eorum.

Manifestissime ergo per hæc ostenditur cecidisse de cœlo is vtique qui prius erat Lucifer, & qui mane oriebatur. Si enim (vt putant) aliqua natura tenebrarum erat, quomodo antè fuisse lucifer dicitur? vel quomodo poterat oriri mane qui nihil in se habebat ex luce? Sed Saluator docet nos de *Luc.10.* diabolo dicens: Ecce video satanam cecidisse de cœlo sicut I fulgur. Lux enim erat aliquando. Sed & dominus noster qui veritas est gloriosi aduentus potentiam nihilominus fulguri comparauit dicens: Sicut enim fulgur à summo cœlo fulget vsque ad summum eius, ita erit aduentus filij hominis. Et nihilominus hunc fulguri comparat, & dicit eum cecidisse de cœlo: vt ostenderet per hoc fuisse & ipsum aliquando in cœlo & habuisse locum inter sanctos, & participasse de hac luce, de qua omnes sancti participant, ex qua angeli lucis efficiuntur, & Apostoli mundi dicuntur à domino. Hoc ergo modo erat iste lux aliquando antequã præuaricaretur & caderet in hunc locum, & gloria eius conuerteretur in puluerem, quod est propriè impiorum, sicut & Propheta dicit: ex quo & princeps huius mundi, id est terrenæ habitationis appellatus est: principatum nãque egit in eos qui eius malitię obsecuti sunt, quomodo quidem totus hic mũdus (mundum autem nunc terrenum istum appello locum) in maligno positus est, & in hoc apostata. Quod autem apostata sit iste, id est refuga, etiã dominus in Iob ita dicit: Educes autem draconem in hamo apostatam, id est refugã. Certum est autem quia draco ipse diabolus intelligitur. Si ergo cõtrarię virtutes refugæ nominantur, & immaculatæ fuisse aliquando dicuntur, immaculatum autem esse præter patrem & filium & spiritum sanctum nulli substantialiter inest, sed sanctitas in omni creatura accidens res est: quod autem accidit, & decidere potest: & istæ virtutes contrariæ immaculatæ aliquando fuerunt, & inter illas vtique fuerunt quæ adhuc im- K maculatæ permanent. Per hoc ostenditur neque substantialiter, vel naturaliter esse aliquid immaculatum, neque substantialiter pollutum: & per hoc consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, vt vel beati & sancti simus, vel per desidiam & negligentiam à beatitudine in malitiam & perditionem vergamus: intantum vt vnus perfectæ (vt ita dixerim) malitiæ si peccatum suum neglexerit, vsque ad eum statum deueniat, vt ea quæ dicitur, contraria virtus efficiatur.

Diabolus aliquando fuit in cætu & inter sanctos.

1 Ioan.5.

Iob.40.

Solus Deus substantialiter immaculatus, Sanctitas autem in creatura accidens.

De fine vel consummatione. Cap. VI.

FInis vel consummatio rerum perfectarum cõsummatarúmque videtur esse iudiciũ. Quæ res etiam nos in hoc loco cõmonet, quod ad hæc tam ardua & difficilia intelligenda, si quis ille est qui legendi horum & talia cognoscẽdi desiderium cœperit, perfectum & eruditum sensum debet adhibere: ne fortè si aut nullum vsum in huiuscemodi quęstionibus habuerit, vana quædam hæc illi & superflua videatur: aut si iam pręiudicatum & pręuentũ animum gerit, hæretica L hæc & contra fidem catholicam putet, non tam ratione conuincens, quàm animi sui pręiudicio definiens. Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus quàm pro certo ac definito statuentibus. Indicatum nanque à nobis in superioribus est, de quibus manifesto dogmate terminandum sit, quod & pro viribus nos fecisse puto, cùm determinatè loqueremur. Nunc autem disputãdi specie magis quàm definiendi prout possumus, exercemur. Finis ergo mundi & consummatio dabitur, cum vnusquisque pro merito peccatorum etiã pœnis subiicietur: quod tempus Deus solus agnoscit, quando vnusquisque quod meretur, expendet. In vnũ sanè finem putamus quod bonitas Dei per Christum suum vniuersam reuocet creaturã, subactis & subditis etiam inimicis. Sic enim dicit sancta scriptura: Dixit dominus domino meo, sede à *Psal.110.* dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Quod si minus nobis manifestum est, quid in hoc indicet propheticus sermo, ab Apostolo discamus apertius dicente, quod oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis: quod sanè ista quidem Apostoli tam aperta sententia satis nos edocuit. Quid sit inimicos poni sub pedibus, audi adhuc eum in consequentibus. Oportet enim ei omnia esse subiecta. Quæ ergo est subiectio qua Christo debent esse omnia subiecta? Ego arbitror quia hæc ipsa qua nos quoque optamus ei esse subiecti, qua subiecti ei sunt & apostoli, & omnes sancti qui secuti sunt Christum. Subiectionis enim nomen qua Chri- M sto subiicimur, salutem quæ à Christo est, indicat subiectorum: sicut & Dauid dicebat, Nonne Deo subiecta erit *Psal.61.* anima mea? ab ipso enim salutare meum. Talem igitur finem videntes, cùm omnes inimici subiecti erunt Christo, & cùm nouissimus inimicus destruetur mors, & cùm tradetur à Christo cui omnia subiecta sunt, regnum Deo patri, ab isto inquam tali fine rerum contemplemur initia. Semper enim similis est finis initiis: & ideo sicut vnus omnium finis, ita vnum omnium intelligi debet initium: & sicut multorum vnus finis, ita ab vno initio multæ differentiæ ac varietates, quæ rursum per bonitatem Dei & subiectionem Christi, atque vnitatem spiritus sancti in vnum finem qui sit initio similis reuocantur: omnes scilicet hi qui in nomine Iesu genu flectentes, per hoc ipsum subiectionis suæ insigniã declararunt, qui sunt cœlestium, terrestrium & infernorum: in quibus tribus significationibus omnis vniuersitas indicatur: hi videlicet qui ab illo vno initio pro suis vnusquisque motibus variè acti per diuersos ordines pro merito dispensati sunt. Non enim in his bonitas substantialiter inerat, sicut in Deo & Christo eius, & in spiritu sancto.

Non asseuerat.

In hac enim sola trinitate, quæ est autor omnium, bonitas substantialiter inest: cæteri verò accidentem eam ac decidentem habent, & tunc sunt in beatitudine, cum de sanctitate ac sapientia & de ipsa diuinitate participant. Si verò ab

huiusmodi

A huiusmodi participatione negligant atque dissimulent, tunc vitio propriæ desidiæ alius citius, alius tardius, plus alius, alius min⁹, ipse sibi causa sui lapsus vel casus efficitur. Et quomodo vt dicimus, casus iste vel lapsus quo de statu suo quisq; declinat, quàplurimã in se habet diuersitaté pro mẽtis ac propositi motibus, quod alius leuius, alius grauius ad inferiora declinat, in hoc iam iustũ iudicium Dei prouidentiæ, vt vnicuique secundum diuersitaté motuum pro merito sui decessus & commotionis occurrat. Ex his sanè qui in illo initio permanserunt, quod futuro fini simile esse descripsimus, quidam ex ipsis vel ordinatione ac dispensatione mundi, ordiné angelicum sortiũtur, alij virtutum, alij principatuum, alij potestatum, quo in eos videlicet exerceant potestatem, qui habere super caput indigẽt potestatem: alij thronorũ ordinem, id est iudicãdi vel regendi eos qui hoc indigent, habentes officium: alij dominationum, sine dubio super seruos: quæ omnia eis pro merito & profectibus suis quibus in Dei participationem immutationémque proferant, æquo iustóque iudicio diuina contulit prouidentia. Hi verò qui de statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos suprà descripsimus sanctis beatisq; ordinibus B subiecti sunt ad regendum: quorum adiutorio vsi, & institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire ac restitui ad statum beatitudinis possunt. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui vtique in futuro seculo, vel superuenientibus seculis, cùm cœlum nouum & terra noua secundum omnes iam cœperit, restituetur in illam vnitatem quam promittit dominus Iesus dicens ad Deum patrem pro suis discipulis: Non pro istis rogo solum, sed pro omnibus qui crediturí sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut ego in te pater, & tu in me, & isti in nobis vnum sint. Et iterum vbi ait: Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in ipsis, & tu in me, vt sint & ipsi consummati in vno. Et sicut confirmat⁹ nihilominus Paulus apostolus dicẽs: Donec occurram⁹ omnes in vnitate fidei in virum perfectum, & in mensura ætatis plenitudinis Christi. Et sicut idem apostolus iam eos etiã in præsenti vita in ecclesia positos, in qua vtiq; futuri regni est forma, ad hanc eandem vnitatis similitudiné cohortatur dicens: Vt eadem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis auté perfecti in vno eodemq; sensu, atq; in vna eademq; sententia. Sciendum tamen esse quosdam, qui ex vno principio quod suprà diximus, delapsi sunt in tantam indignitatem ac malitiam, vt indigni habiti sint institutione hac, vel eruditione qua per carnem humanum genus adiutorio virtutum cœlestiũ instituitur atq; eruditur, sed ecõtrario etiam aduersarij atque repugnãtes his qui erudiũtur atq; imbuuntur, existunt. Vnde & agones quosdã atq; certamina omnis hęc habet vita mortalium, reluctantibus scilicet & repugnãtibus aduersum nos his sine vllo respectu qui de statu meliori dilapsi sunt, qui appellantur diabolus & angeli eius, cæteriq; ordines malitiæ, quos Apostolus de virtutibus cõtrariis nominauit. Iam vero si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiæ eius obtemperant, poterunt aliquando in futuris seculis conuerti ad bonitatem, C pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrij: an vero permanens & inueterata malitia velut in naturam quandam ex cõsuetudine conuertatur, etiam tu qui legis probato, si omnimode neque in his quę videntur tẽporalibus seculis, neque in his quę non videntur, & ęterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali vnitate, atque conueniẽtia discrepabit. Interim tam in his quæ vidẽtur, & tẽporalibus seculis, quàm in illis quę non videntur & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo & meritorũ dignitatibus dispẽsantur: vt alij in primis, alij in secũdis, nonnulli etiam in vltimis temporibus, & per maiora ac grauiora supplicia, necnon & diuturna, ac multis (vt ita dicam) seculis tolerata asperioribus emẽdationibus reparati & restituti eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam graduũ virtutibus, & sic per singula ad superiora prouecti vsque ad ea quę sunt inuisibilia & æterna perueniãt, singulis videlicet quibusque cœlestiũ virtutum officiis quadam eruditione in specie peragratis. Ex quo, vt opinor, hoc consequẽtia ipsa videtur ostẽdere, vnamquãque rationabilem naturã posse ab vno in alterum ordiné transire, & per singulos in omnes, & D ab omnibus in singulos peruenire, dum accessus profectuum defectuũue varios pro motibus vel conatibus propriis vnusquisque pro liberi arbitrij facultate perpetitur. Quoniam sanè visibilia quędam dicit esse Paulus & temporalia: alia vero præter hęc inuisibilia & ęterna, quęrimus quomodo hæc quæ videntur temporalia sint: vtrũ ne pro eo quod nihil omnino post hæc erunt in omnibus illis futuris spatiis ac seculis, quibus dispersio illa vnius principij, atq; diuisio ad vnũ eundem modũ ac similitudiné reparetur: an pro eo quod habitus quidem eorũ quę vidẽtur transeat, non tamen eorũ qualitas omnimodè corrumpatur. Et Paulus quidem videtur id quod posterius diximus cõfirmare, cum dicit: Transit enim habitus huius mundi. Sed & Dauid cum dicit: Cœli peribũt, tu auté permanes, & omnes sicut vestimẽtum veterascent, & velut amictum mutabis eos, sicut vestimentum mutabuntur: eadem videtur ostendere. Si enim mutabuntur cœli, vtique non perit quod mutatur: & si habitus mundi transit, non omnimode exterminatio, vel perditio substantię materialis ostenditur, sed immutatio quædam fit qualitatis, atque habitus transformatio. Esaias quoque cum prophetiam dicat, quia erit cœlum nouum, & terra noua, similem sine dubio E suggerit intellectum. Innouatio namque cœli & terræ, & transmutatio huius mundi, & immutatio cœlorum, his sine dubio præparabitur, qui per illam viam quam suprà ostendimus, iter agentes, ad illum finẽ beatitudinis tendũt, cui etiam ipsi inimici subiiciendi dicũtur, in quo fine omnia & in omnibus dicitur esse Deus. In hoc fine si quis materialem naturam, id est corporeã, penitus interiturã putet, nullo omnino genere intellectui meo occurrere potest quomodo tot & tantæ substantiæ vitam agere & subsistere sine corporibus possunt, cum solius Dei, id est patris & filij & spiritus sancti naturæ id proprium sit, vt sine materiali substantia, & absque vlla corporeæ adiectionis societate intelligatur subsistere. Alius fortasse dicet, quoniam in illo fine omnis substantia corporalis ita pura erit atque purgata, vt ætheris in modum & cœlestis cuiusdam puritatis atque synceritatis possit intelligi. Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, & si qui eius per Christum & spiritum sanctum amici sunt.

Ab hac opinione non omnino dissentit Ambros⁹, enarrans cap. epist. ad Ephe. 3. nec abhorret Hieronym. exponens psal. 23.

Ioan 17. *Eph. 4.* *1 Cor. 1.* *Cautè.* *Caute lege.* *1 Cor. 7.* *Psal. 102.* *Caute lege.*

De incorporeis & corporeis. Chap. VII.

HÆc quidem quæ superius disseruimus, in generali nobis sermone digesta sunt, per cõsequentiam magis intellecta quàm definito dogmate pertractata atq; discussa de rationabilibus naturis, secundum eum locum quem de patre & filio & spiritu sancto pro nostris viribus exposuimus. Nunc ergo videamus quæ sint de quibus disserere in consequentibus conuenit secundum dogma nostrum, id est secũdum ecclesiæ fidem. Omnes animæ atque omnes rationabiles naturæ factæ sunt: F quoniam quidem omnia à Deo per Christũ facta sunt, sicut generaliter Ioannes docet in euangelio, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Per species autem & numeros ordinemq; describens ea quæ facta sunt, Paulus apostolus disserit hoc modo, quo omnia ostendit facta esse per Christum, dicens: Et omnia in ipso creata quæ in cœlis, & quæ in terra, siue visibilia, siue inuisibilia, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes, & ipse est caput. Manifeste ergo in Christo, & per Christũ facta esse omnia & creata pronunciat, siue visibilia, quæ sunt corporalia, siue inuisibilia, quæ non alia etiam arbitror quàm incorporeas spiritualesq; virtutes. Horum autem quę corporea vel incorporea generaliter dixerat, vt mihi videtur, in sequẽtibus enumerat species, id est sedes, dominationes, principatus, potestates, virtutes. Hęc auté à nobis prædicta sint volentibus per ordinem ad inquisitionem solis & lunæ, vel stellarum per consequentiã peruenire: vtrum inter principatus haberi conueniat pro eo quod dicuntur in principatum diei facta, vel

Non asseuerat. *Ioan. 1.* *Col. 1.*

G noctis: an putanda sint istum solem habere principatum diei, ac lunam noctis, quos illuminando officium gerunt, non tamen sint de illo ordine principatuum principes. Veruntamen cum dicitur, quia omnia per ipsum facta sunt, & in ipso creata sunt omnia, siue quæ in cœlis sunt, siue quę sunt in terra, non potest dubitari quod etiam ea quæ in firmamento sunt, quod cœlum vtiq; appellatur, in quo luminaria ista posita esse dicuntur, inter cœlestia esse numerentur. Cum deinde omnia facta esse, vel creata, & in his quæ facta sunt, nihil esse quod non bonum malúmque recipiat, atque vtriusq; capax sit, sermo disputationis inuenerit: quomodo putabitur consequens quod etiam nostrorum quidam de sole & luna, vel de sideribus opinantur, vt inconuertibiles sint, & contrarij incapaces? Idq; nonnulli etiam de sanctis angelis, hæretici vero etiam de animabus quæ apud illos spiritales naturæ appellantur, existimauerunt. Primò ergo videamus quid ipsa ratio de sole & luna ac stellis inueniat, si rectum est quod quidam putant, inconuertibilitatis eos esse alienos: & quantum fieri potest de sanctis scripturis primum adhibeatur assertio. Iob nanque ita videtur ostendere, quod non solum stellę possunt esse subditę peccatis, verumetiam quod mundę non sint à contagione peccati. Ita namq; scriptum est: Stellæ quoque non sunt mundę in conspectu eius. Quod non vtique de corporis earum splendore sentitur: verbi causa, vt si diceremus, vestimentum non est mundum. quòd si ita intelligatur, ad cõditoris sine dubio reuocatur iniuriam, si quid immundum in splendore earum corporis accusetur. Si enim per industriam suam, neque lucidius sibi corpus assumere, neque minus purum per desidiam poterunt, cur quasi non mundæ stellæ culpabuntur, siue quæ mundæ sunt laudabuntur?

Gen.1. *Inquirit.* *Inquirit.* *Iob.25.*

H Sed vt hæc manifestius intelligi possint, etiam illud primo debemus inquirere, si animantia hęc esse & rationabilia intelligi fas est: tum deinde vtrum animæ ipsarum pariter cum suis corporibus extiterunt, an anteriores suis corporibus videantur: sed & post consummationem seculi si intelligendum est eas relaxandas esse corporibus: & sicut nos cessamus ab hac vita, etiam ipsa & à mundi illuminatione cessabunt. Quamuis hoc inquirere audaciæ cuiusdam videatur, quando tamen captandæ veritatis studio prouocamur, quæ possibilia nobis sunt, secundum gratiam spiritus sancti scrutari, & pertentare non videtur absurdum. Putamus ergo posse ea per hoc animantia designari, quod & mandata dicuntur accipere à deo, quod vtique non nisi rationabilibus animantibus fieri solet. Ait ergo: Mandatum ego omnibus stellis præcepi. Quæ autem sunt ista præcepta? scilicet vt vnum quodque astrum suo ordine suísque cursibus indultæ sibi quantitatis splendorem præbeat mundo. Aliis enim qui vocantur planetæ, mouentur ordinibus, aliis hi quos Aplaneis vocant. In quo id manifestissime ostenditur, quod neque motus illius corporis sine anima effici potest: neque quæ animantia sint,

Inquirit, an stella animata. *Sydera esse animata damnatum 2 sessione quintæ synodi œcumenicæ.*

I possint aliquando esse sine motu. Stellæ vero cum tanto ordine ac tanta ratione moueantur, vt in nulla prorsus cursus earum aliquando visus sit impeditus, quomodo non est vltra omnem stoliditatem tantámque disciplinæ rationis obseruantiam dicere ab irrationabilibus exigi vel expleri? Apud Hieremiam sanè etiam regina cœli luna esse memoratur. Quòd si animatæ sunt stellæ & rationabiles, sine dubio videbitur inter eas & profectus aliquis & decessus. Hoc enim quod ait Iob, Sellæ non sunt mundę in conspectu eius, talem mihi quendam videtur iudicare intellectum. Iam vero ea quæ animantia esse, & rationabilia, consequentia disputationis inuenit, vtrum cum corporibus pariter animata videantur eo tempore, cum dicit scriptura: quia fecit Deus duo luminaria magna, & luminare maius in principatũ diei, & luminare minus in principatum noctis, & stellas: an non cum ipsis corporibus, sed extrinsecus factis iam corporibus inseruit spiritum? Ego quidem suspicor extrinsecus insertum esse spiritum, sed operæprecium videbitur de scripturis hoc ostendere. Nam per coniecturam facilis assertio esse videbitur: scripturarum autem testimonio vti difficilius affirmatur. Nam per coniecturas ita possibile est ostendi. Si hominis anima quę vtique inferior est, dum hominis anima est, non cum corporibus facta, sed extrinsecus propriè probatur

Hier.7. & 44. *Gen. 1.* *Suspicatur.*

inserta, multò magis eorum animantium quæ cœlestia designantur. Nam quantum ad homines spectat, quomodo cum corpore simul facta anima videbitur eius qui in ventre suum fratrem supplantauit, id est Iacob? aut quomodo simul cum corpore facta est anima, vel plasmata eius qui adhuc in ventre matris eius positus, repletus est spiritu sancto? Ioannem dico tripudiantem in vtero matris, & magna exultatione gaudentem, & se iactantem pro eo quod salutationis vox Mariæ ad aures Elizabeth suæ matris aduenerat. Quomodo cum corpore simul facta est & plasmata etiam illius anima, qui antequam in vtero formaretur, notus esse deo dicitur, & antequam de vulua procederet, sanctificatus est ab eo? Ne forte non iudicio, nec pro meritis replere aliquos Deus videatur spiritu sancto, & sanctificare non merito. Et quomodo effugiemus illam vocem quæ ait: Nunquid iniustitia est apud Deum? Absit. Vel illud: Nunquid personarum acceptio est apud Deum? Hoc enim consequitur eam defensionem, qua animas subsistere simul cum corporibus asseueratur.

K *Anima hominis priextrinsecus infunditur.* *Luc.1.* *Hier.1.* *Rom.9.* *Rom.2.*

Quantum ergo ex comparatione humani status coniici potest, consequens puto multò magis hæc de cœlestibus sentienda, quę etiam in hominibus ratio ipsa & scripturæ auctoritas videtur ostendere. Sed videamus si quam propriè etiam de ipsis cœlestibus significantiam iam apud scripturam sanctã possimus inuenire. Paulus apostolus ait ita, Quoniam, inquit, vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in laudem gloriæ filiorum dei. Cui obsecro vanitati creatura subiecta est, vel quæ creatura, vel quomodo non volens, sed sub qua spe? Quo autem modo ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis? Sed & alibi ipse Apostolus ait: Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat. Et iterum alibi ait: Non solum autem nos, sed & ipsa creatura congemiscit, & parturit vsque nunc. Vnde inquirẽdum est quid sit gemitus, vel qui sint dolores eius.

Putat. *Rom.8.* L *Ibid.*

Et primo ergo videamus quæ est vanitas cui creatura subiecta est. Ego quidem arbitror non esse aliam vanitatẽ quam corpora: nam licet æthereum sit corpus astrorum, tamen est materiale. Vnde & Salomon mihi vniuersam corpoream naturam velut onerosam quodammodo & vigorem spirituum retardantem hoc modo videtur appellare, Vanitas vanitatum & omnia vanitas dixit Ecclesiastes. Omnia vanitas: respexi enim, inquit, & vidi vniuersa quę sub cœlo sunt, & ecce omnia vanitas. Huic ergo vanitati creatura subiecta est, illa præcipuè quę vtique maximum in hoc mundo obtinet principatum operis sui: & illa quæ egregia, id est sol & luna & stellæ vanitati subiecta dicuntur corporibus indita, atque ad illuminandi officium humano generi deputata. Et non, inquit, volens creatura hęc vanitati subiecta est. Non enim voluntate exhibendum suscepit ministerium vanitati, sed quomodo volebat ille qui subiiciebat, propter eum qui subiecit, promittens his qui non voluntate subdebantur, quod expleto magnifici operis ministerio liberabuntur ab hac seruitute corruptionis & vanitatis, cum redemptionis glorię filiorum dei tempus aduenerit. Qua spe accepta, & quam promissionem complendam sperans vniuersa creatura congemiscit nunc interim: vtpote etiam affectum habens erga eos quibus ministrat, condolet, per patientiam quę promissa sunt sperans.

Arbitratur Corpus astrorũ æthereũ & materiale. *Eccl.1.* *Rom.8.* M

Intuere etiam illud, si forte aptari potest illa vox Pauli his qui licet non volentes, pro voluntate tamen eius qui subiecit, & pro repromissione spei vanitati subiecti sunt, qua ait: Optarem enim resolui, vel redire, & esse cum Christo: multo enim melius. Et paulo postea quidem dicit, Sed permanere in carne magis necessarium puto propter vos. Sol vero potest dicere. Permanere autem puto in hoc cœlesti & lucido corpore magis necessarium, propter reuelationem filiorum Dei. Eadem sanè etiam de luna & stellis sentienda sunt & dicẽda.

Philip.1.

Videamus nunc quę sit etiam libertas creaturę, vel quę absolutio seruitutis. Cum tradiderit Christus regnum deo & patri, tunc etiam ista animantia cum prius regnum Christi fuerint effecta, simul cum omni regno etiam patri regenda tradentur: vt cum deus erit in omnibus, etiam ista cum sint ex omnibus, sit & in istis Deus in omnibus.

De

De angelis. Cap. VIII.

A

Officia angelorum dispertita.

SIMILI quoque ratione etiam de angelis vtendum puto, nec existimandum quod fortuito accidat, vt illi angelo illud iniungatur officium: verbi gratia, vt Raphaëli, curandi & medendi opus: Gabrieli libellorum prouidentia: Michaeli mortalium preces supplicationésque curare. Hæc enim officia promeruisse eos non aliter putandum est, quàm ex suis quemque meritis & studiis ac virtutibus quæ ante mundi huius compagem gesserint: suscepisse tamen deinde in archangelico ordine illud vel illud officij genus vnicuique deputatum: alios vero in angelorum ordine meruisse describi, & agere sub illo vel illo archangelo, vel illo duce, vel principe ordinis sui. Quæ omnia (vt dixi) non fortuito atque indiscrete, sed aptissimo & iustissimo dei iudicio ordinata sunt, & pro meritis disposita ipso iudicante & probante: vt illi quidem angelo Ephesiorum comiti ecclesia debeat, illi vero alij Smyrnensium, & ille quidem angelus vt sit Petri, alius vero vt sit Pauli: tum demum per singulos minimorum qui sunt in ecclesia, qui vel qui conscribi singulis debeant angeli, qui etiã quotidie videant faciem dei, sed & quis debeat esse angelus qui circundet in circuitu timentium Deum. Quæ vtique omnia non casu, neque fortuito geri, neq; quia naturaliter tales facti sunt, existimandum est, ne etiam in hoc factoris inæqualitas accusetur; sed pro meritis & virtutibus ac præmiis cuiusq; vigore & ingenio deferri à iustissimo moderatore omnium credendum est deo: ne fortè incurramus in illas ineptas atque impias fabulas eorum, qui naturas spiritales diuersas, & ob hoc à diuersis conditoribus institutas, tam in cœlestibus quàm etiam inter animas hominum fingunt: dum & vni eidémq; conditori diuersas naturas rationabilium creaturarum ascribi videtur absurdum, sicut vere absurdum est, & causa tamen eius diuersitatis ignoratur. Aiunt enim consequens non videri vt vnus atq; idem conditor nulla extante causa meritorum, aliis potestatem dominationis iniungat, alios subiiciat dominantibus, aliis tribuat principatum, alios subiectos faciat principibus esse. Quæ vtique omnia (vt ego existimo) consequentia rationis huius quàm suprà exposuimus, redarguit atq; confutat, per quam causa diuersitatis ac varietatis in singulis quibusque creaturis ostenditur ex ipsarum motibus vel ardentioribus, vel pigrioribus, secundũ virtutem, vel secundum malitiam, non ex dispensantis inæqualitate descendere. Sed quo facilius hæc ita esse in cœlestibus agnoscãtur, de his quæ inter homines gesta sunt, vel geruntur, proferamus exempla, vt consequenter ex visibilibus etiam inuisibilia contemplentur. Paulum vel Petrum sine dubio spiritalis naturæ confirmant. Cùm ergo multa contra pietatem Paulus egisse inueniatur, in eo quod persecutus est ecclesiam dei: cúmq; Petrus peccatum graue commiserit, vt ancilla ostiaria interrogante se, cum iuramento affirmarit, nescire se quis sit Christus, quomodo isti qui secundum illos spiritales sunt, in peccata huiusmodi corruerunt: maxime cum soleant frequenrer disserere, & dicere, quoniam non potest arbor bona malos fructus facere? Et si vtique arbor bona non potest fructus malos facere, secundum ipsos vero de radice bonæ arboris erant Petrus & Paulus, quomodo istos fructus tam pessimos attulisse putandi sunt? Quòd si responderint ea quæ comminisci solent, quoniam non Paulus persecutus est, sed alius nescio quis qui erat in Paulo, neque Petrus negauit, in Petro, quare Paulus si nihil peccauerat, dixit: Quia nõ sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei? Cur autem & Petrus alio peccante ipse fleuit amarissimè? Ex quo omnes quidem illorum ineptię arguentur. Secundum nos vero nihil est in omni rationabili creatura, quod nõ tam boni quàm mali sit capax. Sed non continuo, quia diximus nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, idcirco confirmamus omnem naturam recepisse malum, id est malam effectam: sed sicut est dicere quod omnis hominis natura recipit vr possit nauigare, non ramen ex eo & omnis nauigabit: & iterum omni homini possibile est discere artem grammaticam, & medicinam, non tamen idcirco ideo ostenditur omnis homo vel medicus, vel grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, non tamen continuo etiam recepisse malum designatur.

Apoc. 2.

Rectius ministeria angelorum variè pro dei voluntate disposita dicerentur.

B

Cõtra Martionem.

C

Gal. 1.
Matt. 26.
Parum absunt ab hac Martionis opinione qui hodie garriũt electos nõ posse peccare.
Matt. 7.
1. Cor. 15.

D

Diabolus nõ fuit incapax boni.

Secundum nos namque ne diabolus quidem ipse incapax fuit boni: non tamen idcirco qui potuit recipere bonum etiam voluit, vel virtuti operam dedit. Sicut enim per hęc quæ de prophetis exempla protulimus, edocetur, fuit aliquando bonus cum in paradiso dei in medio Cherubim versaretur. Sicut ergo iste habuit quidem in se, vel virtutis recipiendæ, vel maliciæ facultatem, & à virtute declinans, tota se mente conuertit ad malum: ita etiam cęteræ creaturę cum vtriusque habeant facultatem, pro arbitrij libertate fugientes malum, adhærent bono. Nulla igitur natura est quæ non recipiat bonum vel malum, excepta dei natura, quæ bonorum omnium fons est, & Christi sapientia. Sapientiæ enim fons est, & sapientiæ, vtique stultitiam recipere non potest: & iustitia est, quę nunquam profecto in iustitiam capiet: & verbum est, vel ratio, quæ vtique irrationabilis effici non potest. Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebræ non comprehendant. Similiter quoque & natura spiritus sancti quæ sancta est, non recipit pollutionem: naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Siqua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac, vel inspiratione spiritus sancti habet vt sanctificetur, non ex sua natuta hoc possidens, sed accidens, propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & accidentem iustitiam quis habere potest, vnde & decidere potest: vnde & decidere eam possibile est. Sed & sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quanuis in nostra positum sit potestate, studio nostro & vitæ merito si sapientiæ operam damus effici sapientes, & si semper studij curam geramus, semper sapientiæ participes esse, vt ad nos vel plus vel minus accidat, siue pro merito vitæ, siue pro studij quantitate. Benignitas enim dei secundum quod se dignum est, prouocat omnia, & attrahit ad beatum finem illum, vbi perit & aufugit omnis dolor, & tristitiæ gemitus. Puto ergo secundum quod mihi videtur, quod præcedens disputatio sufficienter ostendit, quod non indiscreto, vel fortuito aliquo casu dominationes, vel principatus teneant principatum, sed pro meritis suis gradum dignitatis huius adepti sunt, licet nõ sit nostrum vel scire, vel quærere qui illi actus fuerint per quos in istum ordinem venire meruerunt. Sed hæc tamen scire sufficit ad dei æquitatem & iustitiam demonstrandam, quia secundum sententiam apostoli Pauli, personarum acceptio non est apud deum, qui potius omnia pro meritis singulorum profectibúsque dispensat. Neque ergo angelorum officium nisi ex merito constat, neque potestates nisi ex profectu suo agunt potestatem, neque nominantur sedes, id est iudicandi, vel regendi potestates, nisi id ex meritis administretur, neque dominationes contra meritum dominantur: & est vnus iste summus & excellentissimus ordo in cœlestibus rationabilis creaturæ gloriosa officiorum varietate dispositus. Similiter sane etiam de aduersariis virtutibus sentiendum est, quia se in id loci atque officij præbuerunt, vel hoc quod principatus, vel potestates, vel mundi rectores tenebrarum, vel spiritalia nequitię, vel spiritus maligni, vel dæmonia immunda sunt, non substantialiter id habeant, neque quia tales etiam creati sunt, sed pro motibus suis & profectibus quibus in scelere profecerũt, hos malitiæ sortiti sunt gradus. Et est altissimus iste ordo rationabilis creaturæ, qui se ita præceps nequitiæ dedit, vt reuocari nolit magis quàm nõ possit, dum scelerum rabies iam libido est, & delectat. Tertius verò creaturæ rationabilis ordo earum quæ ad humanum genus replendum aptæ iudicantur à deo, id est animę hominum profectę esse & in illum angelorum ordinem assumptæ: ex quibus quosdam videmus assumi, illos videlicet qui filij dei facti fuerint, vel filij resurrectionis, & hi qui dereliquerint tenebras, & dilexerint lucem, & facti fuerint filij lucis: vel hi qui omnem pugnam superantes, & pacifici effecti, filij pacis & filij Dei fuerint vel qui mortificantes membra sua quæ super terram, & transcendentes non solum corpoream naturam, verumetiam animæ ipsius ambiguos fragilésque motus adiunxerint se domino, facti ex integro spiritus, vt sint cum illo vnus spiritus semper, cum illo singula quæque discernentes in omni sanctitate illuminati sensu per verbum & sapientiam Dei à nul-

E

Iustitia accidens & substantialis.

Coloss. 3.

F

Angelorũ officiũ etiã ex gratia & proposito dei constat. Sed gratia non meminit qua meritũ sufficiebat ad dei iustitiam demõstrandã cõtra Martionem.

G lo penitus possint discerni. Illa sanè nos nequaquam recipienda censemus, quæ & à quibusdam superfluò vel requiri, vel astrui solent, id est quod animæ in tantum sui decessum veniant, vt naturæ rationalis ac dignitatis oblitæ etiam in ordinem irrationabilium animalium, vel bestiarum, vel pecudum deuoluantur. Pro quibus etiam quasdam ex scripturis cõmentitias afferre astructiones solent, id est quod vel pecus cui se mulier contra naturam subiecerit, in reatum pariter cum muliere deuocatur ac lapidari pariter iubeatur, vel quod taurus cornupeta lapidari nihilominus præcipitur: sed & quod Balaam asina os eius Deo aperiente locuta est, & subiugale mutum in hominum voce respondens, arguit Prophetæ inclementiam. Quas nos non solum non suspicimus, sed & omnes has assertiones eorum contra fidem nostram venientes refutamus atque respuimus. Veruntamen suo loco & tempore confutato hoc peruerso dogmate & depulso, ea quæ de sanctis scripturis sunt ab aliis prolata exponemus.

μετεμψύχωσις. ex Platone. K Num.22.

LIBER SECVNDVS

CAPVT PRIMVM.

CONSEQVENS nunc videtur, licet omnia quæ superiori libello disserta sunt, de mundo atque eius ordinatione disserta sint, propriè tamen de ipso mundo pauca repetere, id est de initio eius ac fine, vel his quæ ad terminum ac finem eius per diuinam prouidẽtiam dispensantur, seu de his quæ ante mundum, vel post mundum H putantur. In quo primum euidenter apparet quo ad omnes status eius, quòd est varius ac diuersus ex rationabilibus & diuinioribus naturis, & ex diuersis corporibus constans, scilicet ex mutis animantibus, id est feris, bestiis, pecudibus, & auibus, atque omnibus quæ in aquis viuunt. Tum deinde ex locis, id est cœli, vel cœlorum, & terræ vel aquæ: sed & ex eo qui medius est aëre, vel quem ætherem dicimus, atque ex omnibus quæ procedunt vel nascuntur ex terra. Cum ergo tanta sit mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diuersitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas ac diuersitas putanda est extitisse: quam causam aliam dici oportebat qua mundus extiterit, præcipuè si intueamur illum finem per quem omnia restituenda in statum initij sui libro superiori dissertum est? Quod vtique si consequenter dictum videtur, quam aliam (vt dicimus) causam putabimus tantæ huius mundi diuersitatis, nisi diuersitatem ac varietatem motuum ac prolapsuum eorum qui ab illa initij vnitate atque concordia in qua à Deo primitus procreati sunt, deciderunt, & ab illo bonitatis statu commoti atque distracti, diuersis de hinc animorum motibus ac desideriis agitati, vnum illud & indiscretum naturæ suæ bo-I num pro intentionis suæ diuersitate in varias deduxerunt mentium qualitates? Deus vero per ineffabilem sapientiæ suæ artem omnia quæ quoquo modo fuerint, ad vtile aliquid, & ad communem omnium transformans ac reparans profectum, has ipsas creaturas quæ à semetipsis intantum animorum varietate distabant, in vnum quendam reuocat operis studiíque consensum, vt diuersis licet motibus animorum, vnius tamen mundi plenitudinem perfectionis consummet, atque ad vnum perfectionis finem varietas ipsa mentium tendat. Vna namque virtus est quæ omnem mundi diuersitatem constringit & continet, atque in vnum opus varios agit motus, ne scilicet tam immensum mundi opus dissidiis solueretur animorum. Propter hęc enim opinantur quidam parentem omnium Deum pro salute vniuersarum creaturarum suarum ineffabilem verbi sui ac sapientiæ rationem ita in hæc singula dispensasse, vt singuli quique spiritus, vel animi, vel quomodo appellandæ sunt rationabiles substantiæ, non contra arbitrij libertatem, vel in aliud quàm motus mentis suæ ageret, cogerentur, & per hoc & adimi ab his videretur liberi facultas arbitrij: quod vtique qualitatem iam naturæ ipsius immutabat: & diuersi motus propositi earum ad vnius mundi consonantiam competenter atque vtiliter aptarentur, dum aliæ iuuari indigent, aliæ iuuare possunt, aliæ vero proficientibus certamina atque agones mouent: in quibus eorum probabilior haberetur industria, & certior post victoriam reparari gradus statio teneretur, quæ per difficultates laborantium constitisset.

Quamuis ergo in diuersis sit officiis ordinatus, non tamen dissonans atque à se discrepans mundi totius intelligendus est status: sed sicut corpus nostrum vnum ex multis membris aptum est, & ab vna anima continetur, ita & vniuersum mundum velut animal quoddam immane opinandum puto, quod quasi ab vna anima virtute Dei ac ratione teneatur. Quod etiã à sancta scriptura indicari arbitror per illud quod dictum est per Prophetam: Nónne cœlum & terram ego repleo dicit dominus? & iterum: Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum, Et quod Saluator, cum ait L non iurandum neque per cœlum, quia sedes Dei est: neq; per terram, quia scabellum pedum eius est. Sed & illud quod ait Paulus cum apud Athenienses concionaretur, dicens: Quoniam in ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Quomodo enim in Deo viuimus, & mouemur, & sumus, nisi quod in virtute sua vniuersum constringit & continet mundum? Quomodo autem cœlum sedes Dei est, & terra scabellum pedum eius, sicut & ipse Saluator pronunciat, nisi quia & in cœlo & in terra virtus eius replet vniuersa, sicut & dicit dominus? Quomodo ergo parens omnium Deus vniuersum mundum virtutis plenitudine repleat atque contineat, ex his quæ ostendimus non puto quenquam difficulter annuere. Iam sanè quomodo diuersos motus rationabilium creaturarum, variásque sententias causam dedisse diuersitatis mundo huic sermo superioris disputationis ostendit, videndum ne forte simul cum initio exitus quoque huic mundo conueniat. Dubium enim nõ est quin finis ipsius in diuersitate multa adhuc & varietate reperiendus sit, quæ vtique varietas in huius mundi fine deprehensa rursus diuersitatum alterius mundi post hunc futuri occasiones præstabit, quod scilicet huius mundi finis initium sit futuri. Quòd si hæc ita esse ordo M disputationis inuenit, consequens nunc videtur, quoniã mundi diuersitas sine corporibus subsistere nõ poterit, naturę corporeę discutere rationem. Ex rebus ipsis apparet quod diuersam variámque permutationem accipiat natura corporea, ita vt possit ex omnibus in omnia transformari: sicut (verbi gratia dixerim) lignum in ignem vertitur, & ignis in fumum, & fumus in aërem. Sed & olei liquor in ignem mutatur. Escæ quoque ipsæ vel hominum, vel animalium nónne eandem permutationis causam declarant? Nam quodcunque illud est quod per cibum sumpserimus, in corporis nostri substantiam vertitur. Sed qualiter aqua mutatur in terram, vel in aërem, & aër rursus in ignem, vel ignis in aërem, vel aër in aquam, quamuis non sit difficile exponere, tamen in præsenti loco ea sufficit tantũmodo commemorasse volẽti corporalis materiæ discutere rationem. Materiam ergo intelligimus quæ subiecta est corporibus, id est ex qua inditis atque insertis qualitatibus corpora subsistunt. Qualitates autem quatuor dicimus: calidam, frigidam, aridam, humidam. Quæ quatuor qualitates ὕλῃ, id est materię insertæ, quia materia propria ratione extra has esse inuenitur quas supra diximus qualitates, diuersas corporum species efficiunt. Hæc tamen materia quamuis (vt supra diximus) secundum suam propriam rationem sine qualitatibus sit, nunquã tamen subsistere extra qualitatem inuenitur. Hanc ergo materiam quæ tanta & talis est vt sufficere ad omnia mundi corpora quæ esse Deus voluit, queat,

Anima mundi virtus dei. Esa.vlt. Act.17. Materia. Qualitates 4 primæ.

A queat, & conditori ad quascunque formas velut & species famuletur in omnibus & seruiat, recipiens qualitates quas ipse voluerit imponere: nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam, id est non ab ipso Deo factam conditore omnium putauerunt, sed fortuitam quandam eius naturam virtutémque dixerunt. Et miror quomodo isti culpēt eos, qui vel opificem deum, vel prouidentiam huius vniuersitatis negant, & impiè eos sentire arguunt, quod tantum mundi opus arbitrentur sine opifice vel prouisore constare: cum ipsi quoque similem culpā impietatis incurrant, ingenitam dicentes esse materiam, deóque ingenito coæternam. Secundum hanc ergo rationem si ponamus (verbi gratia) materiam fuisse, non vt isti dicunt, dicentes quia deus non potuerit aliquid facere cum nihil esset, sine dubio futurus erat ociosus materiam non habens ex qua posset operari, quam ei non sua prouisione, sed fortuito sentiunt affuisse: videtúrque eis quod hoc quod fortuito inuentum est, sufficere ei potuerit ad tanti operis molem, & ad suæ virtutis potētiam, quod totius sapientiæ suæ suscipiens rationē distingueretur ac formaretur ad mundum. Quod mihi perabsurdū videtur, & eorum esse hominum, qui virtutem atque intelligentiam ingenitæ naturæ penitus ignorant. Sed vt rationem rerum possimus dilucidius intueri, concedatur paulisper non fuisse materiam: &

Materia nō ingenita.

B deū, cum nihil esset prius, fecisse vt essent ea quæ esse voluit: quid putabimus quia meliorē, aut maiorem, aut alterius generis materiam facturus esset deus, quam ex sua virtute & sapientia proferebat, vt esset quæ ante non fuerat? an inferiorem & deteriorem? an similem atque eādem vt est illa quam isti ingenitam dicunt? Et puto cuiuis facillime pateat intellectus, quod neque melior, neque inferior potuisset mundi formas speciésque suscipere, nisi talis fuisset, qualis ista esset quę suscepit. Et quomodo ergo non videbitur impium id ingenitum dicere, quod si factum à deo credatur, tale sine dubio inuenitur, quale & istud est quod ingenitum dicitur.

Vt autem ex scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi quomodo Macchabæorum libris, vbi mater septem martyrum vnum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei: Rogo te fili, respice cœlum & terram, & ad omnia, quę in eis sunt, & videns hoc scito, quia deus hæc omnia cum non essent fecit. Sed & in libro Pastoris in primo mandato ita ait: primo omnium crede quia vnus est deus qui omnia creauit atque composuit, & fecit ex eo quod nihil erat vt essent vniuersa. Fortassis ad hoc respicit etiā illud quod in Psalmis scriptum est: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Nam quod ait, quia ipse dixit & facta sunt: videtur ostendere substantiam dici eorum quę sunt: quod vero ait, Mandauit & creata sunt: de qualitatibus dictum videtur, quibus substantia ipsa formata est.

1.Mac.6.

Psal.148.

C

De perpetuitate corporeæ naturæ. Cap. II.

Hoc in loco quærere solent quidam, vtrum sicut ingenitum filium generat pater, & spiritum sanctum profert, non quasi qui ante non erat, sed quia origo & fons filij vel spiritus sancti pater est, & nihil in his anterius posterius ve intelligi potest: ita etiam ad materiam corporalem simul quædam societas, vel propinquitas possit intelligi. Quam rem vt plenius atque interius inuestigent, illuc solent initium disputationis inflectere, vt inquirant si hæc ipsa natura corporea quæ spiritalium & rationabilium mentium vitas fert, & continet, motus pari cum ipsis æternitate perferet, an vero absoluta interibit & peribit. Quod vt possit scrupulosius deprehendi, quærendum primo videtur, si possibile est penitus incorporeas remanere rationabiles naturas, cum ad summum sanctitatis ac beatitudinis venerint, quod mihi quidem difficillimum & pene impossibile videtur: an necesse est eas semper coniunctas esse corporibus. Si ergo posset quis ostendere rationem qua possibile esset eas omnimodè carere corporibus, consequens videbitur quod natura corporea ex nihilo per interualla temporum procreata, sicut cum non esset effecta est, ita & esse desineret cum vsus eius ministerij

Filius & spiritus sanctus semper fuerūt, procedētes tamē à patre.

Vbique tribuit angelis corpora.

præteriisset. Si vero impossibile est hoc vllo modo affirmari, D id est quod viuere præter corpus possit vlla alia natura præter patrem & filium & spiritum sanctum, necessitas consequentiæ ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem coarctatas esse rationabiles naturas: materialem vero substantiam opinione quidem & intellectu solum separari ab eis, & pro ipsis vel post ipsas effectam videri, sed nunquam sine ipsa eas vel vixisse vel viuere: solius namque trinitatis incorporea vita existere recte putabitur. Vt ergo superius diximus, materialis substantia huius mundi habens naturam quæ ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidiorémq; formatur, ita vt visibiles istas mundi species variásque distinguat: cum vero perfectioribus ministrat & beatioribus, in fulgore cœlestium corporum micat, & spiritalis corporis indumentis, vel angelos dei, vel filios resurrectionis exornat: ex quibus omnibus diuersus ac varius mundi complectitur status. Verum si plenius hæc discutere libet, oportebit attentius & diligentius cum omni metu & reuerentia perscrutari scripturas diuinas, si quis forte in his talibus arcanis & reconditis sit arcanus sensus, si quid in absconsis & reconditis (sancto spiritu demonstrante his qui digni sunt) poterit inueniri, cum plura testimonia de hac ipsa specie fuerint congregata.

Materia nūc fit crassior, nunc subtilior prout cœlo propior vel remotior.

De initio mundi, & causis eius. Cap. III. E
Quod cautè legendum est.

SVPEREST vt post hæc requiramus, vtrū ante hunc mundum qui nunc est, mundus alius fuerit: & si fuit, vtrum talis fuerit qualis iste qui nunc est, an paulo differentior, vel inferior: aut omnino non fuerit mundus, sed tale aliquid fuerit qualem illum intelligimus post omnium finem futurum, cum tradetur regnum Deo & patri: qui nihilominus alterius mūdi fuerit finis, illius scilicet post quem hic mundus cœpit lapsus: an varius & intellectualium naturarum prouocauerit Deum ad istam variam diuersamque conditionem mundi. Sed & illud similiter requirendum puto: vtrum post hunc mundum curatio aliqua & emendatio erit, asperior quidem & doloris plena erga eos qui verbo Dei obedire noluerunt: per eruditionem vero rationabilémque institutionem, per quam possent ad locupletiorem proficere veritatis intellectum hi qui in præsenti iam vita in hoc esse studio didicerunt, & mentibus purgatiores effecti, capaces iam huius diuinæ sapientiæ effecti sunt: & si post hanc vitam statim finis omnium consequetur, & pro correctione & emendatione eorum qui talibus indigent, alius rursus mundus erit, vel similis isti qui nunc est, vel hoc melior, aut multo deterior: & qualiscunque erit ille post hunc mundum, quandiu erit: aut si omnino non erit, & si erit aliquando cum nullus vnquam sit mundus, aut si fuit aliquādo cum F mundus nō fuerit omnino: aut si fuerint plures vel erunt, aut si accidat aliquando vt alter alteri æqualis & similis per omnia atque indiscretus eueniat. Vt ergo manifestius appareat vtrum materia corporalis per materiā subsistat: & sicut non fuit antequam fieret, iterum resoluatur vt iterum nō sit: videamus primum si fieri potest vt viuat sine corpore. Si enim aliquis potest viuere sine corpore, possunt & omnia esse sine corpore: omnia enim ad vnum finem tendere superior tractatus edocuit. Si autem omnia possunt carere corporibus sine dubio non erit substantia corporalis, cuius vsus nullus existet. Et quomodo sentiemus illud quod dixit Apostolus in his locis in quibus de resurrectione disputat mortuorum, cum ait: Necesse est autem corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Aculeus autem mortis peccatū, virtus autē peccati lex. Talem autem quendam videtur Apostolus suggerere intellectum. Quod enim ait, Corruptibile hoc, & mortale hoc, velut tangentis & ostēdentis affectu, cui

1.Cor.15.

G alij conuenit nisi materiæ primæ? Hæc ergo materia corporis quæ nūc corruptibilis est,induet incorruptioné,cum perfecta anima, & dogmatibus incorruptionis instructa vti eo cœperit. Et nolo mireris si indumentum corporis perfectam animam dicimus, quæ propter verbum dei & sapiētiam eius nunc incorruptio nominatur:cum ipse vtiq; qui est dominus & creator animæ Iesus Christus indumentum sanctis esse dicatur,sicut Apostolus dicit: Induite dominū Iesum Christū. Sicut ergo Christus indumentum est animæ , ita intelligibili quadam ratione etiam anima indumentū dicitur esse corporis. Tale est ergo quod dicitur : Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem: vt si diceret, naturā hanc corruptionem corporis necesse est indumentum accipere incorruptionis, animā habentem in se incorruptionem, pro eo videlicet quod induta est Christum qui est sapiētia & verbum dei. Cum auté vitæ participauerit corpus hoc quod aliquando gloriosius habebimus,tūc id quod immortale est accedet vt etiam incorruptibile fiat.Si quid namque mortale est,hoc continuo & corruptibile est:non tamen si quid corruptibile est,hoc etiā mortale dici potest. Deniq; lapidem vel lignum corruptibilem quidem dicimus:non tamen etiā mortalē con sequenter dicemus.Corpus vero quod vitæ participat, ex eo quod separari ab eo vita potest & separatur , consequenter nominamus , & secundum alium quoque intellectum etiam corruptibile dicimus. Mira ergo ratione sanctus Apostolus ad generalem primam causam recipiens materiæ corporalis,

Anima indumentū corporis, id est, ornamētū & perfectio.

H cuius materiæ animæ vsum semper habent in qualibet qualitate positæ, nunc quidem carnali,postmodum vero subtiliori & puriori , quæ spiritalis appellatur: Necesse est ait corruptibile hoc induere incorruptionem. Secundo vero ad spiritalem corporis respiciēs causam ait, Necesse est mortale hoc induere immortalitatem . Incorruptio autem & immortalitas quid aliud erit nisi sapientia,& verbū, & iustitia dei, quæ formant animam,& induunt,& exornant ? Et ita fit vt dicatur,quia corruptibile incorruptionem induet,& mortale immortalitatem. Nunc etiam si valde proficiamus, tamen quodammodo solum ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, & per speculum in ænigmate videmus ea ipsa quæ videmur intelligere, & nondum corruptum hoc induit incorruptionem , neq; mortale ab immortalitate circundatur : & quodammodo sine dubio in longius protrahetur nostra hæc corruptio : videlicet vsq; quo ipsa corpora nostra quibus circūdati sumus,propter verbum dei & sapientiā ad perfectam iustitiam & corruptioné deuenerint, & mortale hoc induerit immortalitem. Veruntamen hi qui putant id nunquam decere irrationabiles creaturas,possunt in hoc loco talia quędam mouere.Si verū est quod corruptibile hoc induet incor ruptionem,& mortale hoc induet immortalitatem, & quod absorbeatur in victoria mors,nō aliud quàm materialem na-

I turam exterminandam declarat:in qua operati mors aliquid poterat,dum hi qui sunt in corpore per naturā materiæ corporalis,mentis acumini videntur obiiciēdi.Si vero extra corpus sunt, tunc omnem molestiam huiusmodi perturbationis effugient. Sed quomodo non id omne indumentum corporeum effugere poterunt? Prius in subtilioribus ac purioribus immorari corporibus æstimandi sunt, quo vltrà nec à morte vinci,nec aculeo mortis compungi pręualeant:vt ita demum paulatim cessante natura materiali,& absorbeatur mors,& etiam exterminetur in finem , atque omnis aculeus eius penitus retundatur per diuinam gratiam , cum eius capax effecta anima incorruptionem atque immortalitatem meruerit adipisci. Et tunc merito dicetur ab omnibus: Vbi mors victoria tua ? Vbi est mors aculeus tuus ? Aculeus autem mortis peccatum est . Si ergo hoc habere consequentiam videtur , reliquum est vt status noster aliquando incorporeus futurus esse credatur:quod si recipitur, & omnes subiiciendi Christo esse dicuntur, necesse est vt in omnibus & hoc deferatur,in quos peruenit subiectio Christi:quia omnes qui subiecti sunt Christo,in finem quoq; subiecti erunt deo patri , cui regnum traditurus dicitur Christus,&ita videtur vt tunc etiam vsus corporum cesset.Si autem cessat,in nihilū redit sicut& ante non erat. Sed videamus quid eis occurrat qui hoc ita asserunt. Videbitur enim esse necessarium vt si exterminata fuerit natura corporea,secundo iterum reparanda sit & creanda:possibile enim videtur vt rationabiles naturę à quibus nunquam aufertur liberi facultas arbitrij, possint iterum aliquibus motibus subiacere,indulgēte hoc ipsum domino, ne fortè si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei & non sua virtute in illo fine beatitudinis constitisse: Quos motus sine dubio rursum varietas corporum & diuersitas persequitur, ex qua mundus semper adornatur,nec vnquam poterit mundus nisi varietate ac diuersitate constare, quod effici nullo genere possunt extra materiam corporalem. Iam vero qui indissimiles sibi ac per omnia pares aliquando euenire confirmant,nescio quibus id possint asserere documētis. Si enim similis per omnia mundus dicitur , erit vt iterum Adam vel Eua eadem faciant quę fecerunt:idem iterum erit diluuium, atque idem Moyses rursum populum sexcenta fere milia numero educet ex Ægypto:Iudas quoque bis dominum tradet: Paulus secundo lapidantium Stephanum vestimenta seruabit:& omnia quę in hac vita gesta sunt etiam gerenda dicentur. quod non puto ratione aliqua posse firmari , si arbitrij libertate aguntur animæ, vel profectus suos, vel decessus pro voluntatis suæ sustinent potestate.Non enim cursu aliquo in eosdem circulos post multa secula reuolutæ aguntur animæ, vt hoc vel illud vel agant vel cupiant,sed quocunque proprij ingenij libertas intenderit illo gestorum suorum dirigit cursum. Tale enim est quod ab istis dicitur,vt si quis velit asserere, quod frumenti medimnum si profundatur in terram,

1.Cor.15.

K

L potest fieri vt iidem & penitus indiscreti secundo accidant casus granorū , ita vt vnum quodq; granum iuxta profusum iaceat secundo,quo primo aliquādo deiectum est , & eodem ordine , eisdémque dispersum sit signis quibus fuerat primo diffusum:quod innumerabilibus medimni granis impossibile est prorsus accidere , etiam si per diuersa secula indesinenter ac iugiter effundantur . Ita ergo impossibile mihi videtur eodem ordine, eisdémque modis nascentiū,& morientium, & agentium quid secundo posse reparari : sed immutationibus innumeris diuersos posse mundos existere,ita vt pro manifestis quibúsque causis melior status sit alterius mundi , & pro aliis inferior,& pro aliis medius quidam status . Qui autem verissimus modus horū sit,ego me nescire fateor.Si quis autem posset ostendere,libentius discerem. Veruntamen multorum seculorum finis dicitur esse hic mūdus,qui & ipse seculum dicitur.Docet autem sanctus Apostolus quod Christus in eo seculo quod ante hoc fuit non est passus, sed nec in illo quidem quod ante ipsum fuit : & nescio si enumerare sufficiam quanta fuerunt anteriora secula in quibus passus non est. Ex quibus tamen sermonibus Pauli ad occasionem huius intelligentiæ (vt verum profetam) facile deueniemus, ait enim: Nunc vero semel in consummatione seculorum ad refellendum peccatum per hostiam sui manifestatus est. Semel enim ait hostiam effectum , & in consummatione seculorum ad refellendum peccatum esse manifestatum . Quod

Cautè lege.

Hebr.9.

Plura esse secula.

M autem post hoc seculum quod ad cōsummationem aliorum seculorum dicitur factum , erunt alia secula superuenientia , manifeste ab ipso Paulo didicimus dicente: Vt ostenderet in seculis superuenientibus superabundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos.Non dixit in seculo superueniente,neque in duobus seculis superuenientibus : vnde arbitror multa secula iudicio sermonis illius declarari . Si vero aliquid est seculis maius, ita vt in creaturis quidem secula intelligantur, in aliis vero quæ excedunt & supergrediuntur visibiles creaturas(quod erit fortè in restitutione omnium cum ad perfectum finem vniuersa peruenient) id fortasse plus aliquid esse quàm seculum intelligendum est, in quo erit omnium consummatio. Mouet autem in hoc scripturæ sanctæ autoritas quæ dicit in seculum & adhuc . Et adhuc enim quod dicit , plus aliquid sine dubio quàm seculum vult intelligi , & vide ne illud quod dicit Saluator : Quia volo vt vbi ego sum & isti sint mecum:& sicut ego & tu vnum sumus , & isti sint in nobis vnum : ostendere videatur plus aliquid quàm est seculum & secula : forte etiam plus quàm est secula seculorū , id videlicet cum iam non in seculo sunt omnia, sed omnia & in omnibus Deus. His pro nostris viribus de mundi ratione dissertis,non incongruum etiam videtur ipsius mundi ap-

Eph.2.

Ioan.17.

A di appellatio quid sibi velit inquirere: quæ appellatio in scripturis sanctis diuersa significans frequẽter ostenditur. Quod latinè mundum dicimus, græcè κόσμος appellatur: κόσμος autem non solum mundum, sed & ornamentum significat. Denique in Esaia vbi ad principes filias Sion increpationis sermo dirigitur, & dicitur: per ornamentum capitis aurei caluitium, Hebræis propter opera tua ornamentum: ibi eo nomine quo mundum appellauit, idem κόσμος scribit. Dicitur etiam in indumento pontificis mundi ratio contineri: sicut in sapientia Salomonis inuenimus, cum dicit: Quia in vestimento ponderis erat vniuersus mundus. Mundus dicitur etiam noster cum habitatoribus suis orbis terrarum iste: sicut cum scriptura dicit: Omnis mundus in maligno positus est. Meminit sanè Clemens Apostolorũ discipulus etiam eorum quos ἀντίχθονας græci nominant, atque illius partes orbis terræ ad quas neq; nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis qui ibi sunt quisquam transire ad nos, quos & ipsos mundos appellauit cum ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & hi qui trans ipsum sunt mundi, qui his eisdem dominatoris Dei dispositionibus gubernantur. Dicitur etiam mundus ista vniuersitas quæ est ex cœlo & terra, sicut Paulus ait: Transit enim habitus huius mundi. Designat sanè & alium quendam mundum præter hunc visibilem etiam dominus & saluator, quem reuera describere & designare difficile est: ait nanque. Ego non sum de hoc mundo. Tanquam enim ex alio quodam esset mundo ita dicit, quod non sum de hoc mundo. Cuius mundi difficilem nobis esse expositionem idcirco prædiximus, ne fortè præbeatur aliquibus occasio illius intelligẽtiæ, qua putent nos imagines quasdam quas græci nominant ideas, affirmare: quod vtique à nostris alienum est, mundum incorporeum dicere, in sola mentis phantasia vel cogitationum lubrico consistentem: & quomodo Saluatorem inde esse vel sanctos quoque illuc ituros poterunt affirmare non video. Verũtamen præclarius aliquid & splendidius quàm iste qui præsens est mundus, iudicari à saluatore non dubium est, quò etiam credentes in se tendere prouocat, & hortatur. Sed vtrum mundus iste quem sentiri vult, separatus ab hoc sit longéque diuisus, vel loco, vel qualitate, vel gloria: an gloria quidem, quia qualitate præcellat: inter tamen huius mundi circunscriptionẽ cohibeatur, quod & mihi magis verisimile videtur: incertum tamen est vt ego arbitror humanis adhuc cogitationibus, & mentibus inusitatum. Ex his tamen quæ Clemens visus est indicare cum dicit: Oceanus intransmeabilis est hominibus, & hi mundi qui post ipsum sunt: qui post ipsum sunt mundos pluraliter nominans, quos & eadem dei summi prouidentia agi, regíque C significat, semina quædam nobis huiusmodi intelligentiæ videtur aspergere, quo putetur omnis quidem vniuersitas eorũ quæ sunt atque subsistunt cœlestium, & supercœlestium, terrenorum, infernorúmq; vnus & perfectus mundus generaliter dici: intra quem vel à quo cæteri (si qui illi sunt) putandi sunt contineri. Vnde voluit quidẽ globum lunæ vel solis, cæterorúmq; astrorum, quos planetas vocant, per singula mundos nominari. Sed & ipsum supereminentem quem dicunt globum, nihilominus mũdum appellari volunt. Denique etiã Baruch prophetæ librũ in assertionis huius testimonium vocant, quod ibi de vij. mundis vel cœlis euidentius indicatur. Esse tamen super illam sphæram quam dicunt, volunt aliam, quam sicut apud nos cœlum continet omnia quæ sub cœlo sunt, ita illam dicunt immensa quadam sui magnitudine & ineffabili complexu spacia vniuersarum sphærarum ambitu magnificentiore constringere: ita vt omnia intra ipsam ita sint sicut est hæc terra nostra sub cœlo, quę etiam in scripturis sanctis terra bona & terra viuentiũ creditur nominari, habens suum cœlum illud quod superius, in quo cœlo sanctorum nomina scribi, vel scripta esse dicuntur à Saluatore: quo cœlò cohibetur illa terra atq; concluditur, quam Saluator in Euangelio mitibus & mansuetis promittit. Et illius nanque terræ nomine etiam hanc nostrã cui Arida prius nomen fuerat, cognomina tã volunt, sicut & firmamentũ hoc cœlum illius cœli vocabulo nuncuparũ est. Verũ de huiuscemodi opinionibus plenius in illo loco tractauimus, cum requireremus quid esset quod in principio fecit deus cœlũ & terram. Aliud enim cœlũ & alia terra indicatur esse quàm illud firmamentum quod post biduũ factum dicitur, vel arida quæ postmodũ terra nuncupatur. Sanè hoc quod dicunt quidam de hoc mũdo, quomodo corruptibilis quidẽ est ex quo factus est: nec tamen corrũpitur, quia corruptione fortior & validior est voluntas dei, qui fecit eum, & continet illũ ne ei corruptio dominetur: rectius sentiri ista possunt de eo mũdo quem ἀκηράτων sphærã supra diximus, qui ex voluntate dei nequaquam corruptioni subiaceat, pro eo quod nec causam corruptionis accepit. Sanctorũ quippe est, & ad liquidũ perfectorum mundus ille, & non impiorũ sicut iste noster. Videndum autem est ne fortè in hoc respiciẽs Apostolus dixerit, Prospicientibus vobis non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim nõ videntur æterna sunt, quæ autem videntur tẽporalia sunt. Scimus autem quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationẽ habemus à deo domum nõ manu factã ęternam in cœlis, cum alibi dicatur: Quia videbo cœlos tuos opera digitorum tuorũ. Et de omnibus inuisibilibus per prophetã dixit: Quia manus mea fecit hæc omnia. Istam æternã domum quã sanctis promittit in cœlis, manufactã non esse pronunciat, differentiam sine dubio creaturæ in his quæ videntur ostendẽs. Non enim idem intelligitur, ea quæ non videntur, & ea quæ inuisibilia sunt. Ea nanq; quę sunt inuisibilia, non solũ non videntur, sed ne naturã quidẽ habent vt videri possint, quæ græci ἀσώματα, id est incorporea appellarũt. Hæc autẽ de quibus Paulus dixit. Quæ nõ videntur, naturã quidem habent vt videri possint, nondũ tamen videri ab his quibus promittũtur exponit.

His igitur tribus opinionibus de fine omniũ & de summa beatitudine prout sentire potuimus adũbratis, vnusquisq; legentiũ apud semetipsum diligentius & scrupulosius iudicet, si potest aliqua harum probari vel eligi. Dictũ est enim quod vel incorporea vita agi posse putanda sit, posteaquã Christo fuerint subiecta omnia & in omnibus deus, vel cũ nihilominus Christo fuerint vniuersa subiecta, & per Christũ deo, cũ quo & vnus spiritus secundũ hoc quod spiritus sunt naturæ rationabiles fuerint: tunc ipsa quoq; substantia corporalis optimis & purissimis spiritibus sociata pro assumentiũ qualitate vel mentis in æthereum statum trãsmutata, secundũ quod Apostolus dicit, Et nos immutabimur, refulgebit. Aut certè quod eorum quæ videntur habitu prætereunte, omni corruptibilitate decussa atq; purgata, omníq; huius mũdi statu, qui ἀκηράτων dicitur sphæra, supergresso atq; superato, super illã quæ Aplanes dicitur sphærã, piorum atque beatorũ statio collocatur, quasi in terra bona, & terra viuorum quã mansueti & mites hęreditate possideant: cuius est cœlum illud quod ambitu magnificentiori ipsam illã circundat & continet terrã, quod verè cœlum & principaliter appellatur, in quo cœlo vel terra finis omnium atq; perfectio tuta ac fidissima possit F statione consistere: quo scilicet illi qui post correptionem castigationémq; quas pro delictis pertulerãt purgationis obtentu expletis omnibus atq; depensis terræ illius habitaculũ mereãtur: hi vero qui verbo dei obedientes fuerunt ac sapientiæ eius iam hinc capaces se obtẽperantes prębuerunt, cœli illius vel cœlorum regna promereri dicãtur: & ita dignius cõpleatur illud quod dictum est: Beati mansueti quia ipsi hæreditate possidebunt terram: &, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsi hæreditatem capiẽt regnum cœlorum: & quod dicit in Psalmo: Exaltabit te vt hæredites terram. Ad hanc etenim terram descendi dicitur, ad illam autem quæ in alto est exaltari. Hoc ergo modo videtur quasi iter quoddam sanctorum profectibus aperiri ab illa terra ad illos cœlos, vt non tam permanere in illa terra quàm habitare videantur, transituri scilicet cum id quod fecerint, ad hæreditatem regni cœlorum.

Hoc addidit Ruffin. — *Esa.3.* — *Mundi acceptiones.* — *Sap.18.* — *1.Ioan.5.* — *1.Cor.7.* — *Ioan.17.* — *Cautè lege.* — *Idem.* — *Fortè, ἀκηράτων.* — *Fortè, στερέωμα.* — *Matt.5.* — *2.Cor.4.* — *Psal.8.* — *Esa.66.* — *In pauca superiorem disputationem contrahit.* — *Prima opinio de fine omnium et summa beatitudine.* — *Secunda.* — *1.Cor.15.* — *Tertia.* — *Matth.5.* — *Psal.36.*

Quod vnus est Deus legis & prophetarum, & domini Iesu Christi pater. Cap. IIII.

HIs itaque per ordinem prout potuimus breuiter digestis, consequens est secundum quod ex initio proposuimus, confutare etiam eos qui putant alium deum patrẽ esse domini nostri Iesu Christi, præter illũ qui Moysi responsa legis dabat, vel prophetas mittebat, qui est deus patrum

Ireneus contra huius opinionis hæreticos etiam disputauit.

G Abraham, Isaac, & Iacob. Oportet enim primum in hac nos fidei ratione firmari. Considerandum ergo est illud quod frequenter in Euangeliis dicitur, & singulis quibusque domini & Saluatoris nostri gestis adiũgitur, Vt impleatur quod dictum est per prophetam illum vel illum, cum manifestum sit quia prophetæ illius sunt dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur, quoniam qui prophetas misit, de Christo quæ prædicẽda erant ipse prædixit. Et dubium non est, quod hæc non alienus quisquam ab eo, sed pater ipsius prędicebat. Sed & illud quod frequenter exempla de veteri testamento à Saluatore proferuntur, vel ab apostolis eius, non aliud indicat nisi quod autoritas veteribus à Saluatore & ab eius discipulis adhibetur. Sed & illud quod ad benignitatem prouocans discipulos Saluator dicit: Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriti iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: cui etiam exiguę intelligentiæ viro euidentissimũ non suggerit intellectum, quod non alium ad imitandũ proponit deus discipulis suis dominum nisi factorem cœli, & imbrium præbitorem? Quod autem dicit quia orãtes oporteat dicere: Pater noster qui es in cœlis: quid aliud videtur ostendere nisi deum in melioribus mundi, id est creaturę suę partibus requirendum? Sed & de iuramentis optima quędam instituta definiens ait: Nõ oportet iurare, neque per cęlum, quia sedes est dei: neque per terram, quia scabellum est
H pedum eius: nonne apertissime videtur propheticis vocibus consonare, quibus dicitur: Cœlum mihi sedes, terra autẽ scabellum pedum meorum? Sed & è templo eiiciẽs eos qui vẽdebant oues, & boues, & columbas: effundens quoque mẽsas nummulariorum, & dicens: Tollite ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis: patrem sine dubio dominum dicebat eum cuius nouum Salomon magnificum templum extruxerat. Sed & illud quod ait: Nõ legistis quod dictum est à deo ad Moysen: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob: nõ est autem deus mortuorum, sed viuentium: manifestissime nos docet quomodo deum patriarcharum pro eo quod sancti essent & viuerent, deum appellabat viuentium, illum scilicet qui dixerat in prophetis: Ego sum deus, & non est deus præter me. Sciens namque Saluator deum Abraham esse eum qui in lege scriptus est, & ipsum esse qui dicit: Quia ego sum deus, & nõ est deus præter me: si quidem ipsum illum patrem esse fatetur qui ignorat alium super se esse deum, sicut putant hæretici: absurde eum patrem pronunciat qui eminentiorem ignorat deũ. Si vero non quidem ignorat, sed fallit dicens non alium esse deum præter se, multo magis absurdum est si mendacem patrem suum fatetur. Ex quibus omnibus in hanc indaginem sensus adducitur, quia alium nesciat patrem nisi omnium cõditorem & creatorem deum. Congruum erit si ex omnibus Euangeliorum locis testimonia congregemus, quibus vnus atque idem deus legis & Euangeliorum esse doceatur,
I Contingemus breuiter etiam de Actibus Apostolorum, vbi Stephanus & Apostoli preces suas dirigũt ad eum deum qui fecit cœlum & terram, & qui locutus est per os sanctorum prophetarum suorum: ipsum dicentes deum Abraham, Isaac, & Iacob: deum qui eduxit populum suum de terra Ægypti. Quæ sententię sensum nostrum euidentissime sine dubio ad creatoris dirigunt fidem, & affectum eius inserũt his qui hæc piè de eo fideliterque didicerunt: sicut & ipse Saluator cum interrogatus esset quod mandatum esset maximum omnium in lege, respondit, dicens: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et his addidit: quia in istis duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Quomodo ergo ei quem erudiebat atque in disciplinatum producebat, hoc mandatum ante omnia mandata commendat, per quod sine dubio in deum legis eius conciliaretur affectus, eo quod ipsis his hæc fuerant à lege prædicata? Sed concedatur circa has omnes euidentissimas approbationes, quia de alio nescio quo deo dicat Saluator: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo: & reliqua quæ dicta sunt. Et quomodo si lex & prophetæ creatoris sunt sicut dicunt, id est alterius dei præter eum quem aiunt bonum consequentes deinde videbitur id quod addidit, legẽ & prophetas in his duobus pendere mandatis? Quo-K modo enim quod alienum & peregrinum à deo est, pendebit in deo? Paulus autem dicens: Gratias ago deo meo cui seruio in spiritu meo à proauis meis in conscientia pura: dilucide ostendit quia non ad aliquem nouum deum nisi Christũ venerit. Quos enim alios proauos Pauli oportebit intelligi, nisi eos de quibus ipse dicit: Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego. Sed & præfatio ipsa epistolæ eius ad Romanos hæc eadem his qui intelligere Pauli literas norunt diligenter ostendet, quem deũ Paulus prædicat. Ait enim: Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euãgelium dei quod ante promiserat per prophetas in scriptutis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Christi Iesu domini nostri &c. Sed & illud quod ait: Non obturabis os bouis triturantis: nũquid de bobus cura est deo? an propter nos voluit dicere: propter nos enim scriptum est: quia in spe debet qui arat atare, & qui triturat sub spe fructus percipiendi. In quo euidẽter ostendit: quia qui legem dedit deus, propter nos, id est propter apostolos dicit: Non obturabis os bouis triturantis: cui cura erat non boum, sed apostolorũ qui Christi Euangelium prædicabant. In aliis quoque promissionem L legis amplectens Paulus ipse ita ait. Honora patrem tuum, & matrem, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & longæuus super terram sis, terram bonam quam dominus deus tuus dabit tibi. Persæpe sine dubio placere sibi legem, & deum legis atque eius iussa pronunciat. Sed quoniam solent interdum huius hæresis assertores per deceptiosa quædam sophismata simpliciorum quorunque corda surripere, absurdum non puto si etiam ea quæ in assertionibus suis proferre solent proponẽtes, subreptionem eorum ac dementiam confutemus. Aiunt igitur. Scriptum est, Deum nemo vidit vnquam: ille autem deus quem Moyses prędicat, & ab ipso Moyse visus est, & antea à patribus eius: is vero qui à saluatore annunciatur, à nullo penitus visus est. Interrogemus ergo eos & nos: si hunc quem fatentur deum, alium esse deum quàm creatorem deum dicunt, visibilem an inuisibilẽ dicant esse. Et si quidem dixerint quia visibilis est, præter hoc quod contra scripturæ sententiam venire arguantur, quæ dicit de saluatore, quia imago est inuisibilis dei primogenitus omnis creaturæ: incurrent etiam in illud absurdum, quod deum corporeum esse dicant. Nõ enim aliter videri quis potest nisi per habitum, & magnitudinem, & colorem, quę sunt specialia corporum. Et si corpus esse pronuncietur deus, quoniam omne corpus ex materia est, inuenietur & deus esse ex materia: quod si ex materia sit, materia autem sine dubio corruptibilis est, erit ergo iam secũdum illos corruptibilis deus. Rursum quoque interrogabimus eos. Materia facta est an ingenita, id est infecta? Et siquidem dixerint, infecta est, id est M ingenita, requiremus ab eis si materiæ pars aliqua deus, pars autem mundus est. Si vero responderint de materia quia facta est, sine dubio consequitur, vt eum quem deum dicũt, factum esse confiteantur, quod vtique nec ipsorum, nec nostra ratio admittit. Sed dicent, inuisibilis est deus. Et quid agetis? si inuisibilem eum esse dicitis per naturam, neque saluatori debet esse visibilis. Quinimo & videri deus pater Christi dicitur, quoniam qui videt inquit filium, videt & patrem. Quo vtique nos quidam vehementer angustant, à nobis vero rectius non prouidendo, sed pro intelligendo sentitur. Qui enim intellexerit filium, intelliget & patrem. Hoc ergo modo Moyses etiam deum vidisse putandus est, non carnalibus oculis eũ intuens, sed visu cordis ac sensu mentis intelligens, & hoc ex parte aliqua. Manifestum enim est quia faciem, inquit, meam non videbis (scilicet qui Moysi responsa præbebat) sed posteriora mea. Quæ vtique cum eo sunt intelligenda sacramento, quomodo intelligi conuenit dicta diuina, abiectis profecto illis & spretis anilibus fabulis quæ de anterioribus Dei ab imperitis posterioribúsque finguntur. Neque sanè nos impium aliquid sensisse arbitremur, quòd diximus quia nec saluatori visibilis est pater: considerent quali distinctione aduersus hæreticos agentes vtimur. Diximus enim quod

Margin notes (left column): *Matt. 5.* — *Matt. 6.* — *Matt. 5.* — *Esa. vlti.* — *Ioan. 2.* — *Exod. 3.* — *Esa. 45.* — *Act. 7.* — *Matth. 22.*

Margin notes (right column): *2. Tim. 1.* — *1. Cor. 11.* — *Rom. 1.* — *1. Cor. 9.* — *Eph. 6.* — *Ioan. 1.* — *Incipit refellere argumenta hæreticorũ sui tẽporis.* — *Videre pro intelligere.* — *Ioan. 14.* — *Exod. 33.* — *Quo sensu filius patrem esse inuisibilis.*

A quod aliud sit videre, & videri, & aliud nosse & nosci, vel cognoscere atque cognosci. Igitur videre & videri corporum res est: quod vtique nec patri, nec filio, nec spiritui sancto inter se inuicem competēter aptabitur. Natura enim trinitatis modum visionis excedit his qui in corpore sunt. Idem omnibus reliquis creaturis qualitatem inter se inuicem visionis indulgens. Incorporeæ vero naturæ & principaliter intellectuali, nihil aliud conuenit nisi nosse & nosci, sicut & saluator ipse pronunciat dicens, quia nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Manifestum ergo quia nō dixit, nemo vidit patrem nisi filius. Si vero propter illa quæ dicuntur in veteri testamento, quod irascitur deus vel pęnitet, vel siqua alia humani affectus passio designatur, materiam sibi ad confutandos nos præberi putant, affirmantes penitus impossibilem deum, atque his omnibus carentem affectibus sentiendi: ostendendum est eis etiam in euangelicis parabolis haberi similia cum dicit, quia is qui plantauit vineam, & locauit eam colonis, qui coloni missos ad se seruos interemerunt, ad vltimum etiam filium ad se missum occiderunt, iratus dominus dicitur abstulisse vineam ab eis, & malos colonos male perdidisse, & vineam colonis aliis tradidisse qui redderēt ei fructus in tempore suo. Sed & illos ciues qui profecto patrefamilias accipere sibi regnum, legatos miserunt post eū dicentes, Nolumus eū regnare super nos, impetrato regno ingtessus paterfamilias & iratus interfici coram se iubet, & ciuitatem eorum igne consumi. Sed & nos siue in vetere testamēto, siue in nouo cum de ira Dei legimus, non secundum literam quæ dicuntur aduertimus, sed spiritalem intellectum requirimus in talibus, vt ita sentiamus sicut intelligere de deo dignum est. De quibus secundum paruitatem sensus nostri cum secundi Psalmi exponeremus illum versiculum, Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, prout potuimus qualiter hoc intelligi deberet, ostendimus.

Matth. 20. — *Luc. 19.* — B — *Psal. 2.*

De iusto & bono. Cap. V.

Valētinus, Basilides, Martion.

VERUM quoniam mouet etiā illud quosdam quod ptincipes istius hæresis diuisionem quādam fecisse sibi videntur, qua dixerūt aliud esse iustum, aliud bonum, & hac diuisione in diuinitate etiam vsi sunt, affirmātes bonum quidem Deum patrem domini nostri Iesu Christi, & non iustū esse, iustum vero legis & prophetarum Deum, nec tamē bonum: Huic quęstioni respondere quàm potuero breuiter necessarium puto. Existimant igitur bonitatem affectum talem quendam esse, quod bene fieri omnibus debeat etiam si indignus sit is cui benefactum datur, nec bene consequi mereatur: sed vt mihi videtur non rectè vsi sunt tali definitione, putantes non fieri bene huic cui austerum vel triste aliquid infertur. Iustitiam vero putarunt affectum esse talem qui vnicuique prout meretur retribuat. Sed & in hoc rursum definitionis suæ sensum non rectè interpretantur. Putāt enim quia C quod iustū est malis mala faciat, bonis bona, idest, vt secūdū sensum ipsorū iustus malis nō videatur bene velle, sed velut odio quodam ferri aduersus eos: & colligunt sicubi forte in scripturis veteris testamēti inueniunt historiā referentē, verbi gratia de diluuij pœnis, & eorum qui in eo extincti referuntur, vel cum Sodoma & Gomorra ignei sulphureiq; imbris vastatione depopulantur, vel cum in deserto pro peccatis suis mortui decidunt, ita vt nullus ex his qui de Ægypto fuerant profecti, inueniatur terram promissionis intrasse pręter Iesum & Caleph. De nouo autem testamento, misericordiæ ac pietatis congregant verba, quibus à Saluatore discipuli informantur, & quibus pronunciari videtur, quia nemo sit bonus præter vnum Deum patrē: & per hoc ausi sunt bonum quidem nominare patrem Saluatoris Iesu Christi, alium autem esse dicunt mundi deum, quem iustum eis, & nō solum bonum placuit appellare. A quibus primo illud exigendum puto, si secundum suam definitionem iustum possunt ostendere conditorem punientē pro meritis, vel eos qui diluuij tempore perierunt, vel Sodomitas, vel eos qui ex Ægypto profecti fuerant. Sed cum videamus interdum multo nequiora, & scelestiora committi flagitia quàm fuerint illa D pro quibus hi quos supra diximus interempti sunt, & nondū tamen videmus vnumquenque peccantium pœnam luere meritorum, nunquid nam bonum dicunt effectum eum qui aliquando iustus erat? an potius illud putabunt, quod iustus quidem est nunc, sed patienter fert humana delicta, tunc vero nec iustus quidem erat qui innocentes paruulos & lactentes simul cum immanibus & impiis extinguebat? Sed hæc ita sentiunt, quia nihil audire præter literam norunt: alioquin ostendant quomodo iustum est secundum literam, in tertiā & quartam progeniem parentum reddi peccata in sinum filiorum, & in filiorum ipsorum filios post ipsos. A nobis autem talia ista non secundum literam intelliguntur, sed sicut Ezechiel docuit parabolam eam dicens, requirimus quid significet introrsus ipsa parabola. Sed & illud debent ostēdere, quomodo iustus sit, & pro meritis vnicuique retribuēs, qui punit terrenos & diabolum cum nihil dignum pœna cōmiserint. Non enim poterant (si secundum istos naturæ malę & perditæ erant) aliquid boni agerę. Nam & quod iudicem eum dicunt, non tam gestorum, quàm naturarum iudex videtur. Quippe si natura mala benefacere non potest, nec bona male. Tum deinde eum quem bonum dicunt, si ad omnes bonus est, sine dubio & ad eos qui perituri sunt bonus est: & quomodo non eos saluat? Si non vult, iam non erit bonus: si vult & non potest, omnipotens non erit. Quin potius audiāt in Euangeliis patrem Domini nostri Iesu Christi ignem pręparantem diabolo & angelis eius. Et quomodo istud opus tam pœnale, tam triste secūdum sensum eorum boni Dei videbitur? Sed & ipse Saluator boni Dei filius in euangeliis protestatur & dicit, quia si signa & prodigia facta fuissent in Tyro & Sidone, olim in sacco & cinere sedentes pœnitētiam egissent. Et quum proximus vtique ipsis vrbibus accessisset, cur quæso declinat ciuitates istas ingredi, & pręstare eis signorum & prodigiorum copiam, si eas his gestis in sacco & cinere certum erat acturas esse pœnitentiam? Quod vtiq; cum non facit, sine dubio perditioni eas relinquit quas malæ & perditæ vitæ non esse ipse euangelij sermo indicat qui eas potuisse pœnitere designat. Sed & in quadam euangelij nihilominus parabola ingrediens rex videre discumbentes qui fuerant inuitati, vidit quēdam non indutum nuptialibus indumentis, & ait ei. Amice quomodo introisti huc non habēs indumentum nuptiale? Tunc ait ministris. Ligantes ei manus & pedes mittite eū foras in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Dicant nobis quis est iste rex, qui ingressus est videre discumbentes, & inueniens inter eos quendam sordidis indumentis, iubet eum vinctum per ministros suos in exteriores tenebras detrudi. Nūquid non ille est quē iustum dicunt? Et quomodo bonos ac malos inuitare iusserat, nec merita à ministris sciscitari præceperat? Per quod vtique non iusti alicuius (vt isti dicunt) & pro meritis retribuētis, sed erga omnes indiscretę benignitatis indicatur affectus, Si vero necesse est hoc de bono Deo, id est de Christo, vel de patre Christi intelligi, quid illud est quod iusto dei iudicio obiicitur, imò quid tale est quod in Deo legis criminatur, quale est vt eum qui ab his seruis quos miserat vocare bonos & malos fuerat inuitatus iubetet pro sordidioribus indumētis vinctum manibus pedibúsque in exteriores tenebras præcipitari? Et hæc quidem sufficere debent quæ ex auctoritate assumpsimus scripturarum ad refellenda ea quæ hæretici obtendere solent. Non tamen indecēs videbitur, si etiam ex ratione ipsius consequentiæ paucis agamus cum eis. Interrogamus ergo eos si norunt quæ ratio apud homines virtutis ac malitię habeatur: & si videtur consequens esse, vt virtutes dicamus in Deo, vel (vt ipsis videtur) in duobus istis diis. Respondeant hi quoque si videtur eis esse aliqua, quod puto sine dubio fatebuntur, quid etiam dicent de iustitia. Nunquam profecto vt mihi videtur ita desipient, vt iustitiam negent esse virtutem: Ergo si bonum virtus, & iustitia virtus est. Si vero dixerint, non esse bonū iustitiam, superest vt aut malum sit, aut indifferens. Et quidem dicentibus malum esse iustitiam, respondere ineptum puto. Videbor enim vel insanis sermonibus, vel mente motis hominibus respōdere. Malum enim quomodo videbitur id quod bonis bona retribuere

Gen. 7.19. — *Ezech. 18.* — E — *Matth. 11.* — *Matth. 22.* — F

G potest, sicut etiam ipsi fatentur? Si vero indifferens dixerint, consequens est vt cum iustitia indifferens sit, & sobrietas & prudentia, & omnes reliquæ virtutes indifferentes habeátur. Et quid respõdebimus Paulo dicenti, Siqua virtus, siqua laus, hæc cogitate quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Discant ergo perscrutantes scripturas diuinas, quæ sunt singulæ virtutes, & non surripiant in hoc quod dicunt, quia eis Deus qui vnicuique secundum meritum retribuit, malis mala, & non pro eo quod austerioribus curari indigent medicamentis hi qui deliquerunt, & postea his adhibent ea quæ emendationis prospectu ad præsens videntur sensum doloris inferre. Non legunt quid scriptum sit de spe illorum qui in diluuio perempti sunt, de qua Petrus ipse in prima epistola sua ita ait, quia Christus mortuus quidem carne, viuificatus autem spiritu: in quo pergẽs prædicauit his spiritibus qui in carcere tenebantur, qui increduli fuerant aliquando cum expectarent Dei patientiam in diebus Noe cũ fabricaretur arca, in qua pauci id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos simili forma nunc baptisma saluos facit. De Sodoma autem & Gomorra dicant nobis si credunt creatoris dei esse propheticas voces, eius scilicet qui refertur super eos ignis & sulphuris imbrem pluisse: quid dicit de ipsis Ezechiel propheta? Restituetur, inquit, Sodoma in antiquum. Quid autem affligens eos qui pœna digni sunt nõ pro bono affligit? qui etiam ad Chaldæam dicit. Habes carH bones ignis, sede super eos, ipsi erunt tibi adiutorio. Sed & de his qui in deserto ceciderunt audiant quid in LXXVII psalmo qui Asaph superscribitur, referatur: ait enim. Cum occideret eos tunc exquirebant eum. Non dicit, quia aliis interfectis alij requirebant eum, sed ait quia eorum qui occidebantur talis erat interitus, vt mortificati requirerent Deum. Ex quibus omnibus constat vnum eundémque esse iustum & bonum legis & euangeliorum deum, & benefacere eum iustitia & bonitate punire: quia nec bonum sine iusto, nec iustum sine bono dignitatem diuinæ potest indicare naturæ. Addemus adhuc etiam hoc versutiis eorum compellentibus nos. Si aliud iustum quàm bonum quoniam bono malum cõtrarium est, & iusto iniustum, sine dubio & iniustum aliud erit quàm malum: & sicut iustus apud nos non est bonus, ita neque iniustus erit malus: & rursum, sicut bonus non est iustus, ita & malus non erit iniustus. Quomodo autem non erit absurdum, vt Deo quidem bono contrarius sit malus, deo autem iusto quem inferiorem bono dicimus, contrarius nemo sit? Non enim sicut Satanas est qui malus dicitur, ita est alius aliquis qui dicatur iniustus. Quid ergo est? Rescindamus ea quæ defendimus. Non enim poterunt dicere, quia malus non etiam iniustus sit, & iniustus malus.

Philip. 1. *1. Pet. 3.* *Ezech. 16.* *Esa. 47.*

I Quod si in istis contrariis indissociabiliter inhæret vel malo iniustitia, vel iniustitiæ malum, sine dubio & bonus indissociabilis erit iusto, & iustus bono: vt sicut vnam eandémque nequitiam malitiæ & iniustitię dicimus, ita bonitatis ac iustitiæ virtutem vnam eandémque teneamus. Sed iterum ad scripturæ nos reuocant verba proferentes illam famosissimã quæstionem. Aiunt namque, Scriptum est, quia non potest arbor mala fructus bonos facere: ex fructu enim arbor cognoscitur. Quid ergo est aiunt? qualis arbor sit lex, ex fructibus suis, id est ex præceptorum sermonibus declaratur. Si enim bona inueniatur lex, sine dubio & qui dedit eam bonus deus esse creditur. Si vero iusta magis quàm bona, iustus etiã legislator putabitur Deus. Paulus Apostolus nulla circuitione vsus ait: Lex ergo bona est, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Ex quibus est manifestum, quia Paulus nõ istorum literas didicerat, qui iustum à bono separarẽt, sed ab eo Deo fuerat instructus, & eius dei spiritu fuerat illuminatus, qui simul & sanctus & bonus & iustus est: per cuius ille spiritum loquens, dicebat mandatum legis esse sanctum & iustum, & bonum. Et vt euidentius suprà iustitiam & sanctitatem & bonitatem magis inesse ostenderet in mandato, repetito sermone pro his tribus, solam protulit bonitatem dicens: Quod ergo bonum est, mihi mors est? absit. Sciẽs quippe bonitatem genus esse virturum, iustitiam vero vel sanctitatem species generis, ideo cum in superioribus genus simul ac species nominasset, repetens sermonem ad solum genus detorsit. Sed & in consequentibus, Peccatum, inquit, per M bonum mihi operatum est mortem. In quo id per genus cõcludit, quod superius per species exposuerat. Hoc modo nanque intelligendum est etiam illud quod dictũ est. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonũ, & malus de malo profert malum. Genus nanq; assumpsit etiam huic bono vel malo, ostendẽs sine dubio in bono homine esse & iustitiam & sobrietatem & prudentiam & pietatem, & omne quod dici bonum vel intelligi potest. Similiter etiam & malum hominem dixit, qui sine dubio esset iniustus & impurus & impius, & omnia quæ per partes hominem malum deformant. Sicut enim sine his nequitiis nemo aliquis malum hominem putat, nec esse malus potest, ita & sine illis virtutibus certum est quod nemo putabitur esse bonus. Superest eis adhuc etiam illud, quod proprie sibi datum scutum putant, quod dixit dominus in Euangelio: Nemo bonus nisi vnus Deus pater: dicentes hoc esse proprium vocabulum patris Christi, qui tamen alius sit à creatore omnium Deo, cui creatori bonitas nullam dederit appellationẽ. Videamus ergo si in veteri testamento deus prophetarum & mundi creator ac legislator non dicitur bonus. Et quid est quod in Psalmis dicit: Quàm bonus Israel Deus rectis corde: & Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Et in Lamentationibus Hieremię scriptum est: Bonus Dominus his qui sustinent eum, animæ quærenti eum. Sicut ergo bonus in veteri testamento frequenter dicitur Deus, ita etiam iustus in euangeliis appellatur Domini Iesu Christi pater. L

Rom. 7. *Matt. 7.* *Matth. 12.* *Matt. 19.* *Psal. 72.* *Thren. 3.*

Denique in euangelio secundum Ioannem orans ipse dominus noster ad patrem dicit, Pater iuste, & mundus te non cognouit. Ne forte dicant, quia etiam mundi creatorem pro assumptione carnis patrem vocabat, & ipsum iustum nominabat, excluduntur ab eo sermone qui statim sequitur: ait enim. Et mundus te non cognouit. Secundum ipsos enim solum deum bonum mundus ignorat. Nam conditorem suum verissime recognoscit, domino ipso dicente, quia mundus quod suum est diligit. Aperte ergo ille quem putant bonum deum, iustus esse in euangeliis dicitur. Ex ocio sane licebat plura testimonia congregare, sicubi in nouo testamento pater domini nostri Iesu Christi iustus appellatur: etiam in veteri testamento cœli & terræ creator bonus dicitur, vt pluribus testimoniis cõuicti hæretici, aliquando forte erubescant.

Ioan. 17.

De incarnatione Christi. *Cap.* VI.

TEMPVS est his decursius repetere nos de incarnatione Domini & Saluatoris nostri quomodo vel quare homo fuerit factus. Pro viribus igitur nostris perexiguis cõsiderata ex opeK rum suorum magis quàm ex nostri sensus contemplatione, diuina natura, intuitísque nihilominus creaturis eius visibilibus, fide quoque inuisibilibus contemplatis, quia non omnia vel oculis videre potest humana fragilitas, vel ratione complecti, pro eo quod omnium rationabilium infirmius & fragilius animal nos homines sumus: præstantiora enim sunt illa quæ in cœlo, vel super cœlos habentur: Superest vt harum omnium creaturarum & dei medium, id est mediatorem quæramus, quem Paulus apostolus primogenitum omnis creaturæ pronunciat. Videntes quoque nos ea quæ de eius maiestate in scripturis sanctis referuntur, & intuentes quòd imago inuisibilis dei, & primogenitus omnis creaturæ dicatur, & quod in ipso creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum facta sunt, & in ipso: & ipse est ante omnes, & omnia illi constant, qui est caput omnium, cum solus habeat caput deum patrem. Scriptum est enim. Caput autem Christi Deus. Peruidentes etiam quod scriptum est, quomodo nemo nouit patrem nisi filius, neque quis nouit filium nisi pater. Quis enim potest nosse quæ sit sapientia, nisi qui genuit eam? aut quis ad liquidum quæ sit veritas nouit nisi veritatis pater? Quis certe vniuersam verbi sui naturam, atque ipsius Dei quæ ex deo est inuestigare potuit, nisi solus deus apud quem erat verbum? Pro certo habere debemus quod hoc verbum, siue ratio dicenda

Colos. 1. *1. Cor. 11.*

A cenda est, hanc sapientiam, hanc veritatem, nullus alius nisi pater nouit, de quo scriptum est: Ne ipsum quidem mundum capere arbitror libros qui scriberentur: de gloria scilicet & maiestate filij Dei. Impossibile nanque est literis committere ea quæ ad saluatoris gloriam pertinent. His igitur transactis, ac talibus de natura filij Dei consideratis, cum summa admiratione obstupescimus quod eminens omnium ista natura exinaniens se de statu maiestatis suæ homo factus sit, & inter homines conuersatus, sicut gratia labiis eius infusa testatur, & sicut testimonium ei reddit pater cœlestis, & vt signis quoque & prodigiis variis virtutibusq; ab eo gestis confirmatur. Qui etiam ante præsentiã suam hanc quam ostendit in corpore, præcursores suos & nuncios aduentus sui misit prophetas. Post ascensionẽ vero suam in cœlos, sanctos apostolos diuinitatis suæ virtute repletos homines vel ex publicanis, vel ex piscatoribus imperitos & indoctos circuire fecit orbem terrarum, vt ex omni genere atq; ex omnibus populis priorum plebem in se credentium congregarent.

Fol. 21.

Verum ex omnibus de eo miraculis & magnificentiis illud penitus admiratione humanæ mentis excedit, nec inuenit mortalis intelligentiæ fragilitas quomodo sentire vel intelligere possit, quod tanta illa potentia diuinæ maiestatis, ipsum illud verbum patris, atque ipsa sapiẽtia Dei, in qua creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, intra circũscriptionem eius hominis qui apparuit in Iudæa, fuisse credenda sit: sed & ingressa esse Dei sapientia vuluam fœminę & nasci paruulus, & vagitum emittere ad similitudinem plorantium paruulorum, Tum deinde quod in morte conturbatus refertur, vt ipse etiam profitetur dicens, Tristis est anima mea vsque ad mortem: & ad vltimum quod vsque ad eam quæ inter homines indignissima habebatur adductus est mortem, licet tertia die resurrexit. Cum ergo in eo quædam ita videamus humana vt nihil à communi, id est mortalium fragilitate distare videantur, quædam ita diuina, vt nulli alij nisi illi primo & ineffabili in se conueniat deitati habere, humani intellectus angustia tantæ admirationis stupore percussa quò declinet, & quò se conuertat ignorat. Si Deum sentiat, mortalem videt: si hominem putet, deuicto mortis imperio cum spoliis redeuntem à mortuis cernet. Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, vt in vno eodémque ita vtriusque naturæ veritas demonstretur, vt neque aliquid indignum & indecens in diuina illa & ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quæ gesta sunt falsis illusa imaginibus existimẽtur. Quæ quidem in aures humanas proferre, & sermonibus explicare, longe vires vel meriti nostri, vel ingenij ac sermonis excedit. Arbitror autem quia etiam sanctorum apostolorum supergrediatur mensuram: quinimò etiam fortassis totius creaturæ cœlestium virtutum eminentior est sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed quomodo ordo loci deposcit, ea magis quæ fides nostra continet, quam humanæ rationis assertio vindicare solet, quàm paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes. Igitur vnigenitus Dei per quem omnia facta sunt visibilia & inuisibilia (vt in superioribus sermo disputationis edocuit) secundum scripturæ sententiam & fecit omnia, & quæ fecit, diligit. Nam cum inuisibilis Dei ipse sit imago inuisibilis, participationem sui vniuersis rationabilibus creaturis inuisibiliter præbuit, ita vt tantum ex eo vnusquisque participij sumeret, quanto erga eum dilectionis inhæsisset affectu. Verum cum liberi arbitrij facultate varietas vnumquemque ac diuersitas habuisset animorum, vt alius ardentiore, alius tenuiore & exiliore erga autorem suum amore teneretur, illa anima de qua dixit Iesus, quia nemo auferet à me animam meam, ab initio creaturæ & deinceps inseparabiliter ei atque indissociabiliter inhęrens, vtpote sapientiæ & verbo Dei & veritati, ac luci veræ, & tota totum recipiens, atque in eius lucem splendorémque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter vnus spiritus, sicut & Apostolus his qui eam imitari deberent, promittit, quia qui se iungit domino, vnus spiritus est.

B — *Matt.26.* — *Ne apostoli quidem capiunt rationem incarnationis* — *C* — *Ioan.4.* — *Creaturam appellat creationem siue incarnationem.* — *1 Cor.6.*

Hac ergo substantia animæ inter Deum carnemq; mediante: non enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri: nascitur (vt diximus) Deus homo, illa substantia existente, cui vtique contra naturam non erat corpus assumere. Sed neque rursus anima illa, vtpote substantia rationabilis, contra naturam habuit, capere Deum, in quem, vt superius diximus, velut in verbum & sapientiam & veritatem tota iam cesserat. Vnde & merito pro eo vel quod tota esset in filio Dei, vel totum in se capere filium Dei, etiam ipsa cum ea quam assumpserat carne Dei filius, & Dei virtus Christus Dei sapientia appellatur: & rursum Dei filius per quem omnia creata sunt, Iesus Christus & filius hominis nominatur. Nam & filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura quæ mortem vtique recipere poterat: & filius hominis appellatur, qui venturus in Dei patris gloria cum sanctis angelis prædicatur. Et hac de causa per omnem scripturam tam diuina natura humanis vocabulis appellatur, quàm humana natura diuinæ nuncupationis insignibus decoratur. Magis enim de hoc quàm de vllo alio dici potest, quod scriptum est, quia erunt ambo in carne vna, & iam non sunt duo, sed caro vna. Magis enim verbum Dei cum anima in carne vna esse, quàm vir cum vxore, putandum est. Sed & vnus spiritus esse cum Deo, cui magis conuenit, quàm huic animæ quæ se ita Deo per dilectionem iunxit, vt cum eo vnus spiritus merito dicatur. Quod autem dilectionis perfectio, & meriti affectus synceritas, ei hanc inseparabilem cum Deo fecerit vnitatem, ita vt non fortuita fuerit, aut cum personæ acceptione animæ eius assumptio, sed virtutũ suarũ ei merito delata, audi ad eum Prophetã dicentem: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię prę participib⁹ tuis. Dilectionis ergo merito vngitur oleo lætitiæ, id est anima Christi cũ verbo Dei vnum efficitur. Vngi namque oleo lætitiæ, non aliud intelligitur quàm spiritu sancto repleri. Quod autem prę participibus dixit, indicat quia nõ gratia spiritus, sicut prophetis ei data est, sed ipsius verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut & Apostolus dixit. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Denique propter hoc nõ solum dixit, Dilexisti iustitiam, sed addidit, Et odisti iniquitatẽ. Odisse enim iniquitatem illius est, de quo scriptura dicit, Qui peccatũ non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius: & de quo dictũ est. Tentatũ per omnia pro similitudine absq; peccato. Sed & ipse dominus dicit: Quis vestrum arguet me de peccato? Et iterum ipse dicit de se: Ecce venit princeps mũdi huius, & in me non inuenit quicquam. Quæ omnia nullum in eo peccati sensum indicant extitisse. Quod vt Propheta euidentius designaret, quia nunquam in eum iniquitatis sensus intrasset, ait: Priusquam sciret puer patrem aut matrem vocare, auertit se ab iniquitate. Quod si alicui difficile videbitur, pro eo quod rationabilem animam esse in Christo suprà ostendimus, cum vtique animarum naturam boni malíque capacem per omnes disputationes nostras frequenter ostendimus, hoc modo rei huius explanabitur difficultas. Naturam quidem animæ illius hanc fuisse quę est omnium animarum, non potest dubitari: alioquin nec dici anima potuit, si vere non fuit anima. Verum quoniã boni maliq; eligendi facultas pręsto est huic animæ quę Christi est, ita elegit diligere iustitiam, vt pro immensitate & dilectionis ei inconuertibiliter inhęreret, ita vt propositi firmitas, & affectus immensitas, & dilectionis inextinguibilis calor, omnem sensum conuersionis atque immutationis abscinderet, & quod in arbitrio erat positum, longi vsus affectu iam versum sit in naturã: ita vt fuisse quidẽ in Christo humana & rationabilis anima credenda sit, & nullum sensum vel possibilitatem eam putãdum est habuisse peccati. Ad pleniorem tamen rei explanationem non videtur absurdum, si etiam similitudine aliqua vtamur, licet in re tam ardua, tamq; difficili, ne exemplis quidem vti commodis copia est. Tamen vt absq; aliquo preiudicio dicamus, ferri metallum capax est frigoris & caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusq; venis ignem recipiẽs, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc, quæ natura quidem ferri massa est, in igne positã, & indesinenter ardentẽ posse frigus aliquãdo recipere; quinimo (quod verius est) magis eam sicut

D — *1.Cor.1.* — *Communicatio idiomatum.* — *Gen.2.* — *E* — *Psal.44.* — *Colos.2.* — *Psal.44.* — *Heb.4.* — *Ioan.8.* — *Ioan.14.* — *Esa.8.* — *F* — *Nulla possibilitas peccandi in Christo.* — *Pulchra similitudo.*

G in fornacibus ſæpe fieri oculis deprehendimus,totam ignem effectam dicimus , quoniã nec aliud in ea niſi ignis cernitur: ſed & ſi qui contingere atque tractare tentauerit , non ferri, ſed ignis vim ſentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima quæ quaſi ferrum in igne, ſic ſemper in verbo , ſemper in ſapientia , ſemper in Deo poſita eſt , omne quod agit, quod ſentit, quod intelligit, Deus eſt:& ideo nec conuertibilis & mutabilis dici poteſt,quæ inconuertibilitatem ex verbi Dei vnitate indeſignenter ignita poſſedit. Ad omnes denique ſanctos calor aliquis verbi Dei putandus eſt perueniſſe:in hac autem anima ipſe ignis diuinus ſubſtantialiter requieuiſſe credendus eſt,ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. Deniq; quod dixit,quia vnxit te Deus,deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis,oſtẽdit quod aliter iſta anima oleo lætitiæ,id eſt verbo Dei iungitur,& aliter participes eius,id eſt ſancti prophetæ & apoſtoli.Illi enim in odore vnguẽtorum eius cucurriſſe dicuntur:iſta autem anima vaſculum vnguenti ipſius fuit , ex cuius fragrantia participantes digni quique prophetę fiebant & apoſtoli. Sicut ergo aliud eſt vnguenti ſubſtantia,aliud odor eius:ita aliud eſt Chriſtus,& aliud participes ſui. Et ſicut vas ipſum quod ſubſtantiam continet & vnguentum , nullo genere poteſt aliquid recipere fœtoris : hi vero qui ex odore eius participant,ſi ſe paulo longius à fragrantia eius remoue- H rint,poſſibile eſt vt incidentem recipiant fœtorem : ita Chriſtus velut vas ipſum in quo erat vnguenti ſubſtantia,impoſſibile fuit vt contrarium reciperet odorem.Participes vero ſui quam propinqui fuerint vaſculo,tam odoris erunt participes & capaces,

Thren.4. Arbitror ſanè etiam Hieremiam prophetam intelligentem quæ ſit in eo natura Dei ſapientiæ , quæ etiam hæc quam pro ſalute mundi ſuſceperat, dixiſſe : Spiritus vultus noſtri Chriſtus dominus , cui diximus quod in vmbra eius viuemus in gentibus. Pro eo enim quod ſicut vmbra corporis noſtri inſeparabilis eſt à corpore , & indeclinabiliter motus ac geſtus corporis ſuſcipit & gerit , puto eum animæ Chriſti opus ac motum qui ei inſeparabiliter inhærebat, & pro motu eius ac voluntate cuncta perpetrabat , oſtendere volentem vmbram Chriſti domini hanc vocaſſe,in qua vmbra nos viueremus in gentibus . In huius namque aſſumptionis ſacramento gentes viuunt,quæ imitantes eam per fidem veniunt ad ſalutem.

Pſal.88. Sed & Dauid dicens,Memor eſto opprobrij mei domine, quo exprobrauerunt me in commutationem Chriſti tui , ſimilia mihi videtur oſtẽdere. Et Paulus quid aliud ſentit,cum dicit. *Col.3.* Vita noſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in Deo? Et quidem in alio loco dicitur. *1 Cor.13.* Aut documentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus ? Et nunc Chriſtum video dicit abſconditum . Cuius rei intellectus niſi talis aliquis iudicetur, qualem per vmbram Chriſti à Propheta ſignatum eſſe ſupra I diximus,fortaſſis etiam hoc ſenſum humanæ mentis excedit. Sed & quam plurima alia de ſcripturis diuinis de vmbræ ſignificantia videmus inſerta , vt illud in euangelio ſecundum *Luc.1.* Lucam , cum dicit Gabriel ad Mariam : Spiritus domini ſuperueniet in te , & virtus altiſſimi obumbrabit tibi . *Heb.8.* Et Apoſtolus de lege dicit , quia ſimilitudini & vmbræ deſeruiunt cœleſtium hi qui carnalẽ habent circunciſionem. & alibi dicitur , *Iob.8.* Nonne vmbra eſt vita noſtra ſupra terram ? Si ergo & lex quæ ſuper terram eſt,vmbra eſt, & vita omnis noſtra quæ eſt ſuper terram,vmbra eſt,& in vmbra Chriſti viuimus inter gentes : videndum eſt ne harum omnium veritas vmbrarum illa reuelatione noſcatur, cũ iam non per ſpeculũ in ęnigmare,ſed facie ad faciem ſancti quique gloriã Dei & rerum cauſas ac veritatem ſpeculari merebũtur. Cuius veritatis accepto iam pignore per ſpiritum ſanctum,dicebat Apoſtolus: *2 Cor.3.* Etiam ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem aliquando , ſed nunc iam non nouimus. Hæc interim nobis ad præſens de rebus tam difficilibus diſputantibus , id eſt de incarnatione, & de deitate Chriſti occurrere potuerunt . Si quis ſanè melius poterit inuenire , & euidentioribus de ſcripturis ſanctis aſſertionibus confirmare quæ dicit, illa potius quàm hæc recipiantur.

De ſancto ſpiritu. *Cap.* VII.

QVIA ergo poſt primas illas diſſertiones quas K de patre & filio & ſpiritu ſancto in initiis ſecundum quod res popoſcerat,expoſuimus,viſum eſt rurſum repetere nos debere, & oſtendere quod Deus idem eſſe creator & conditor mundi,& pater domini noſtri Ieſu Chriſti, id eſt legis & prophetarum atque euangeliorum vnus atque idem Deus: tum deinde etiam de Chriſto, quod is qui verbũ & ſapientia Dei ſuperius fuerat oſtenſus,etiã qualiter homo factus eſt in conſequentibus debuit demonſtrari:ſupereſt vt etiam de ſpiru ſancto quam poſſumus breuiter repetamus. Tempus eſt ergo nunc de ſpiritu ſancto nos pro viribus pauca diſſerere, quem dominus & Saluator noſter in euangelio ſecundum *Ioan 14.* Ioãnem,paracletum nominauit.Sicut enim idem ipſe Deus, atque idem ipſe Chriſtus , ita idem ſpiritus ſanctus eſt qui in prophetis & in apoſtolis fuit , id eſt, ſiue in illis qui ante aduentum Chriſti Deo crediderunt , ſiue in his qui per Chriſtum confugerũt ad Deum. Et duos quidem deos auſos eſſe hæreticos dicere , & duos Chriſtos audiuimus : duos autem ſpiritus ſanctos nunquam cognouimus ab aliqua prædicari. Quomodo enim hoc de ſcripturis poterunt affirmare , aut quam differentiam dare poterunt inter ſpiritum ſanctum, & ſpiritum ſanctum?ſi tamẽ diffinitio aliqua, aut deſcriptio in- L ueniri poteſt ſpiritus ſancti. Nam vt concedamus Marcioni vel Valentino poſſe differentias deitatis inducere , & aliam boni naturam , aliam vero mali deſcribere,quid excogitabit, atque quid inueniet , vt differentiam ſpiritus ſancti introducat? *Marciõ & Valentinus duos deos introducebant.* Nihil ergo illos poſſe ad indicium qualiſcunque differẽtiæ arbitror inuenire. Nos exiſtimamus quod participationẽ eius ſimiliter vt ſapientiæ Dei & verbi Dei abſque vlla differentia creatura rationabilis omnis affirmat. Video tamen quod præcipuus ſancti ſpiritus aduentus ad homines poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos magis quam ante aduentũ eius declaratur. *Præcipuus ſancti ſpiritus aduẽtus poſt Chriſtum.* Antea namque ſolis prophetis , & paucis ſi quid forte in populo meruiſſent, donum ſpiritus ſancti præbebatur. Poſt aduentum verò Saluatoris ſcriptum eſt adimpletum eſſe illud , quod dictum eſt in propheta Ioele, *Ioel.3.* *Pſal.71.* quia erit in nouiſſimis diebus , & effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem , & prophetabunt. Quod vtique tale eſt ſicut illud quod ait : Omnes gentes ſeruient ei. Per gratiam ergo ſpiritus ſancti cum reliquis quamplurimis etiam illud magnificentiſſimum demonſtratur , quod ea quæ in prophetis ſcripta ſunt , vel in lege Moyſi , pauci tunc iidem ipſi prophetæ, & vix ſicubi vnus ex omni populo ſuperare poterat intellectum corporeum , & maius aliquid , id eſt ſpiritale quid, poterat intelligere in lege & prophetis.Nunc autem innumeræ ſunt multitudines credentium , qui licet non omnes poſſint per ordinem , neque ad liquidum ſpiritalis intelligentiæ explicare conſequentiam : tamen omnes perſuaſum habent , quod neque circumciſio corporaliter intelligi debeat , neque otium ſabbati, vel ſanguinis effuſio pecoris, neque quod de his Moyſi reſponſa darentur à Deo: qui vtique ſenſus dubium non eſt quod ſpiritus ſancti virtu- M te omnibus ſuggeratur. Sicut autem multi ſunt intellectus de Chriſto , qui vtique quamuis ſapientia ſit , non tamen in omnibus ſapientiæ agit aut obtinet vim , niſi in his qui in ipſo ſapientiæ ſtudent : neque cum medicus dicatur, erga omnes quaſi medicus agit , ſed erga illos tantum qui ægritudinis ſuæ intellecto langore confugiunt ad miſericordiam eius , vt poſſint conſequi ſanitatem : ita arbitror etiam de ſpiritu ſancto in quo omnis eſt natura donorum. Aliis nanque præbetur per ſpiritum ſermo ſapientiæ , aliis ſermo ſcientiæ , aliis fides, & ita per ſingulos qui eum capere poſſunt , hoc efficitur, vel hoc intelligitur ipſe ſpiritus , quo indiget ille qui eum participare meruerit. Quas diuiſiones ac differentias non aduertentes hi qui eum Paracletum in Euangelio audiunt nominari , neque conſiderantes ex quo opere vel actu Paracletus nominetur , vilibus eum neſcio quibus ſpiritibus compararunt , & per hoc conturbare conati ſunt eccleſias Chriſti , ita vt diſſenſiones fratribus non modicas generarent. Euangelium verò tantæ eum poteſtatiæ ac maieſtaits oſtendit , vt dicat apoſtolos non poſſe capere adhuc ea quæ volebat docere eos Saluator , niſi cum

A cũ adueniret ſpiritus ſanctus, qui ſe eorũ animabus infundẽs illuminare eos poſſit de ratione ac fide trinitatis. Iſti vero pro imperitia ſui intellectus, quia nõ ſolum ipſi quod rectum eſt, conſequenter non valent exponere, ſed ne his quidem quæ à nobis dicuntur, poſſunt audientiã cõmodare, minota quàm dignũ eſt de eius diuinitate ſentientes, erroribus ſe ac deceptionibus tradiderũt, erratico magis ſpiritu deprauati quam ſancti ſpiritus inſtitutionibus eruditi, ſecundum quod Apoſtolus dixit: Doctrinam ſpirituum dæmoniorum ſequentes prohibentium nubere ad interitum & ruinam multorum, & importune ſe abſtinere à cibis, vt per oſtentationem acrioris obſeruantiæ ſeducant animas innocentum. *1 Tim. 4.*

Oportet ergo nos ſcire quia paracletus eſt ſpiritus ſanctus, docẽs maiora quam voce fieri poſſunt, & vt ita dixerim, quæ ineffabilia ſunt, & quæ non licet hominibus loqui, id eſt quæ indicari humano ſermone non poſſunt. Quod autem ait non licet, pro eo quod non poteſt, dictum ſentimus ab Apoſtolo, ſicut & alibi ait: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Ea enim quorum poteſtas nobis eſt propter quod habere ea poſſimus, licere nobis didicit. Paracletus vero quod dicitur B ſpiritus ſanctus, à cõſolatione dicitur. Paracleſis enim (latine) conſolatio appellatur. Si quis nãq; de ſpiritu ſancto participare meruerit, cognitis ineffabilibus ſacramentis conſolationem ſine dubio & lætitiam cordis aſſumit. Cum enim rationes omnium quæ fiunt, quare vel qualiter fiant ſpiritu indicante cognouerit, in nullo vtique conturbari eius anima poterit, aut vllum ſenſum timoris accipere: nec in aliquo terretur, cum verbo Dei & ſapientiæ eius inhærens, dominum Ieſum dicit in ſpiritu. Verùm quoniam Paracleti fecimus mentionem, & pro viribus noſtris qualiter de eo ſentiri debeat, expoſuimus: dicitur autem etiam Saluator noſter Paracletus in epiſtola Ioannis cum dicit, Si quis noſtrum peccauerit, Paracletum habemus apud patrem noſtrum Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris conſideremus ne forte aliud ſignificet hæc appellatio Paracleti de Saluatore, aliud de ſpiritu ſancto. Videtur enim de Saluatore Paracletus dici deprecator. Vtrunque enim ſignificat in græco Paracle-C tus, & deprecatorem & cõſolatorem. Propter eum ergo qui ſubſequitur ſermonem, quo ait, Et ipſe eſt repropitiatio pro peccatis noſtris, magis in Saluatore nomen Paracleti pro deprecatore intelligẽdum videtur. Deprecatur enim patrẽ pro peccatis noſtris. De ſpiritu ſancto Paracletus debet intelligi pro eo quod conſolationem præſtat animabus, quibus aperit & reuelat ſenſum ſcientiæ ſpiritalis. *1 Cor. 10. 1 Ioan. 2.*

De anima. Cap. VIII.

POſt hoc iam ordo depoſcit nos etiam de anima generaliter inquirere, & ab inferioribus incipientes ad ſuperiora conſcendere. Eſſe nãq; animas in ſingulis quibuſque animalibus etiam in his quæ in aquis degunt, à nullo arbitror dubitari. Nam & communis omnium hoc ſeruat opinio, & confirmatio ſanctæ ſcripturæ auctoritatis accedit, cũ dicitur, quia fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animãtium repentium, quæ produxerunt aquæ ſecundum genus eorũ. Ex communi vero rationis intelligẽtia confirmatur etiam ab his qui definitionem animæ certis determinãt verbis. Definitur namque hoc modo, quia ſit ſubſtantia phantaſtica & hormetica: quod latine licet non tam proprie explanetur, dici tamẽ poteſt ſenſibilis & mobilis. Quod vtique conuenit etiam de omnibus animalibus dici, & in his quæ in aquis degũt: ſed & in volucribus eadem definitio animæ conuenienter oſtenditur. Addidit ſanè ſcriptura etiam alterius ſententiæ auctoritatem, cum dicit: Nõ manducabitis ſanguinem, quia anima totius carnis ſanguis eius eſt, & non mãducabitis animã cum carnibus. In quo euidentiſſime ſanguinem omnium animalium animam eorum eſſe deſignat. Iam vero ſi quis requirat, quomodo animã omnis carnis ſanguinẽ eius eſſe dixit de apibus, veſpis & formicis, & de his quæ in aquis ſunt oſtreis, & cochleis, & quæcunq; ſunt talia quæ carẽt ſanguine, & eſſe animantia manifeſtiſſime demõſtrantur: Reſpondendum eſt *Gen. 1. Anima definitio phãtaſtica dici poteſt imaginatiua, quod eſt intellectus, & hormetica impulſiua, quod ad affectus pertinet.*

quoniam huiuſmodi animantibus quam in cæteris vim habet D rubri ſanguinis vigor: hãc vim obtinet in iſtis humor iſte qui ineſt in eis, licet alterius ſit coloris, nihil enim refert qui ſit color, dummodo ſubſtantia ſit vitalis. Dei iumentis vero, vel pecudibus quod animãtia ſint etiam apud communem opinionem nulla dubitatio eſt. Euidẽs tamen & diuinæ ſcripturę ſententia cum dicit Deus: Producat terra animam viuam ſecundum genus. Iam vero de homine quamuis nulli dubium ſit, nec requirere aliquis poſſit: tamen & ſcriptura diuina deſignat, quod Deus in faciem eius inſpirauerit ſpiramentum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Supereſt de angelico ordine requirere, vtrum & ipſi animas habeant, an animæ ſint, vel de cæteris diuinis cœleſtibúſque virtutibus, ſed & de contrariis poteſtatibus. Auctoritatem quidem diuinæ ſcripturæ vſquam nullam inuenimus, quod vel angeli, vel ſi qui ſunt diuini ſpiritus miniſtri Dei, vel animas habere, vel animæ dicantur: animantia tamen eſſe à quamplurimis ſentiuntur. De Deo autem inuenimus ſcriptum ita: Et ponã animam meam ſuper animam illam quæ manducauerit ſanguinem, & eradicabo eam de populo ſuo, & item alibi: Neomenias veſtras & ſabbata & diem magnum acceptum non habeo. Ieiunia & ferias & dies feſtos veſtros odit anima mea. E Et in xxi. pſalmo de Chriſto (certum eſt enim quia ex perſona ipſius iſte pſalmus aſcribitur, ſicut Euangelium conteſtatur) ita dictum eſt: Tu autem domine ne longe facias auxilium tuum, ad defenſionem meã reſpice: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Quamuis & multa alia ſint teſtimonia de anima Chriſti in carne poſiti. *Leuit. 17. Gene. 2. An angeli animati. Leui. 17. Oſea. 1. Oſea. 2. Pſal. 21.*

Sed de Chriſti quidem anima omnem nobis adimet quæſtionem ratio incarnationis occurrens. Sicut enim vere carnem habuit, ita vere & animam habuit. De eo vero quod dei anima in ſcripturis nominatur, qualiter intelligi debeat, & ſentire & proferre difficile eſt: ſemel enim ſimplicem illam naturam, & abſq; vllius adiectionis permixtione profitemur: tamen quoquo modo ſentiendum eſt, nominari interim Dei anima videtur: de Chriſto vero non dubitatur. Et ideo non videbitur abſurdum etiam de ſanctis angelis cæteriſque cœleſtibus virtutib⁹ tale aliquid vel dicere, vel ſentire. Siquidem definitio illa animæ etiam in ipſos videtur incurrere. Quis enim rationabiliter ſenſibiles eos eſſe, vel mobiles poterit denegare? Quod ſi recta iſta videtur eſſe definitio, quod ſubſtantia rationabiliter ſenſibilis & mobilis anima dicatur, videtur hæc definitio etiam ad angelos pertinere. Quid enim aliud in illis quam ſenſus rationabilis commotus eſt? Quorũ autẽ vna definitionis ratio eſt, horum ſine dubio eadem ſubſtantia eſt. Paulus ſanè eſſe quendam animalem hominem ſignificat, quem negat ea quæ ſunt ſpiritus Dei poſſe recipere: ſed ſtultã dicit ei videri ſpiritus ſancti doctrinã, nec poſſe eũ intelligere quod ſpiritaliter diſcernatur. Sed & alio loco ait ſeminari corpus animale, & ſurgere corpus ſpiritale, oſten-F dens in reſurrectione iuſtorum nil animale futurum. Et ideo requirimus ne forte ſubſtantia aliqua ſit quæ ſecundum hoc quod anima eſt, imperfecta ſit. Verum vtrum propterea imperfecta ſit quod à perfectione decidit, an talis à Deo facta ſit, cum per ordinem ſingula diſcuti cœperint, requiremus. Si enim animalis homo non recipit quæ ſunt ſpiritus Dei: & pro eo quod animalis eſt, melioris naturæ, id eſt diuinæ, intelligentiam recipere non poteſt: hac fortaſſis de cauſa euidentius nos Paulus docere volens quid ſit quod per ea quæ ſunt ſpiritus, id eſt ſpiritalia, intelligere poſſumus, mentem magis quam animam ſpiritui ſancto coniungit & ſociat. Hoc enim eum puto oſtendere cum dicit: Orabo ſpiritu & mente, pſalmum dicam ſpiritu, pſalmum dicam & mente. Et non dicit quia anima orabo, ſed ſpiritu & mente: & non dicit, anima pſallam, ſed ſpiritu pſallam & mente. Sed fortaſſe requiritur: ſi mens eſt quæ cum ſpiritu orat & pſallit, & ipſa eſt quæ & perfectionem percipit & ſalutem: quomodo dicit Petrus, Percipientes finem fidei noſtræ ſalutem animarum noſtrarum. Si anima cum ſpiritu nec orat nec pſallit, quomodo ſperabit ſalutem? An ſi cum ad beatitudinem venerit, iam anima non dicetur? Sed videamus ne forte poteſt hoc modo reſponderi: quia Saluator venit ſaluare quod perierat: & iam cũ ſaluatur, nõ eſt quod prius perditũ dice- *Nõ aſſeuerat. 1 Cor. 2. 1 Cor. 15. 1 Cor. 14. 1 Pet. 1.*

G batur. Ita fortaſſis etiam hoc quod ſaluatur, anima dicit: cum autem iam ſalua facta fuerit, ex perfectioris partis ſuæ vocabulo iam nuncupatur. Sed & illud adiici poſſe videtur quibuſdam: quia ſicut hoc quod perditum erat, ſine dubio antequam periret, cum aliud neſcio quid erat quàm perditum, ſuccurrerit vtique cum iam non eſt perditum: ita etiam anima quæ periſſe dicitur, videbitur fuiſſe quid aliquando cum nondum periſſet, & propter hoc anima dicetur, quæ rurſum ex perditione liberata poteſt iterum illud eſſe quod fuit antequam periret, & anima diceretur. Sed & ex ipſa nominis animæ ſignificatione quam in græco indicat, viſum eſt & nonnullis requirentibus curioſius poſſe viro mediocrem ſuggeri intellectum. Nam ſermo diuinus deum ignem eſſe dixit cum ait: Deus noſter ignis eſt conſumens. Sed & de angelorum ſubſtantia ita ait: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem: & alibi, Apparuit angelus domini in flamma ignis in rubo. Inſuper etiam mandatum accepimus, vt ſimus ſpiritu feruentes: per quod ſine dubio igneum oſtenditur & calidum Dei verbum. Sed & Hieremias propheta audit ab eo qui ſibi reſponſa dabat: Ecce dedi verba mea in os tuum ignem. Sicut ergo Deus ignis eſt, & angeli flamma ignis, & ſancti quique ſpiritu feruent: econtrario hi qui ceciderunt à dilectione dei, ſine dubio refrixiſſe in charitate, ac frigidi facti dicendi ſunt. Ait enim & dominus, quia

H propterea quod multiplicata eſt iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Sed & omnia quæcunque ſunt quæ aduerſæ poteſtati in ſcripturis ſanctis comparantur, frigida ſemper inueniens diabolus dicitur: quo quid frigidius inuenitur? Sed & in mari regnare dicitur draco. Serpentem namque & draconem, quod vtique ad aliquem de malignis ſpiritibus retorquetur, & in mari propheta eſſe deſignat. Et alibi dicit Propheta: Inducam gladium ſanctum ſuper draconem fugientem, ſuper draconem ſerpentem peruerſum, & interficiet eum. & iterum ait: Etiam ſi abſceſſerint ab oculis meis, & deſcenderint in profundum maris: ibi mãdabo draconi & mordebit eos. Sed & in Iob ipſe rex eſſe omnium quæ in aquis ſunt, dicitur. A Borea vero accendi mala ſuper omnes qui habitant terram, Propheta denunciat. Boreas autem ventus in ſcripturis ſanctis frigidus deſignatur: ſicut ſcriptum eſt in Sapienti: Frigidus ventus Boreas. Quod & ipſum ſine dubio ſentiendum eſt de diabolo. Si ergo ea quæ ſancta ſunt, & ignis & lumen & feruentia nominantur: quæ autem contraria, frigida, & charitas peccato dicitur frigeſcere: requirendum eſt ne forte & nomen animę quod græce dicitur ψυχὴ Pſyche, à frigeſcendo de ſtatu diuiniore ac meliore dictum ſit, & tranſlatum inde quod ex calore illo naturali & diuino refrixiſſe videatur: & ideo in hoc quo nunc eſt ſtatu, & vo-

I cabulo ſita ſit. Denique propriè laudabiliter animam poni in ſcripturis ſanctis, require ſi facile inuenias. Culpabiliter autem frequenter occurrit: vt anima male perdat eum qui poſſidet eam: & anima quæ peccat, ipſa morietur. Poſtea enim quàm dictum eſt: Omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris, ita anima filij mea eſt: vtique conſequens videbatur vt diceret: Anima quæ agit iuſtitiam, ipſa ſaluabitur: & anima quæ peccat, ipſa morietur. Sed nunc videmus quoniã quod culpabile quidem eſt, adiunxit ad animam: quod autem laude dignum erat, reticuit. Videndum ergo eſt, ne forte ſicut diximus ex ipſo nomine declarari, ab eo quod refrixerit à feruore iuſtorum & diuini ignis, ψυχὴ Pſyche, anima appellata ſit. Nec tamen amiſit facultatem reſtituendi ſe in illum ſtatum feruoris, in quo ex initio fuit. Vnde & Propheta tale aliquid videtur oſtendere, cum dicit, Reuertere anima mea in requiem tuam. Ex quibus omnibus illud videtur oſtẽdi, quod mens de ſtatu ſuo ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata eſt anima: quæ ſi reparata fuerit & correcta, redit in hoc vt ſit mens. Quòd ſi ita eſt, deceſſus ipſe mentis ac deuolutio videtur mihi quod non æqualis omnium ſentiendus ſit, ſed vel plus vel minus in animam verti, & aliquas quidem mentes ſeruare aliquid etiam prioris vigoris, aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid. Vnde inueniuntur quidam ſtatim ab ineunte ætate ardentioris acuminis, alij verò tardioris, nõnulli autem obtuſiſſimi & penitus indociles naſci. Veruntamen quod diximus, mentem in animam verti, vel ſi qua alia

in hoc videntur aſpicere, & diſcutiat apud ſe qui legit diligentius & pertracter: à nobis tamen non putentur velut dogmata eſſe prolata, ſed tractandi more ac requirendi eſſe diſcuſſa. Addat autem & qui hoc legit ad tractatum, quod etiam de Saluatoris anima ex his quidem quæ in euãgelio ſcripta ſunt, obſeruatur, quod alia ſunt quæ ei ſub animę nomine aſcribuntur, & alia quę ſpiritus nomine deputantur. Nã quum paſſionem aliquam vel perturbationem ſui vult indicare, ſub animæ nomine indicat, vt quum dicit: Nunc anima mea turbata eſt. &, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Sed ego pono eam abs me. In manus autem patris commendat non animam, ſed ſpiritum: & quum carnem dicat infirmam, non animam promptam dicit, ſed ſpiritum: Vnde videtur quaſi medium quoddam eſſe anima inter carnem infirmam & ſpiritum promptum. Sed fortaſſis occurrat nobis aliquis ex his de quibus ipſi in noſtris propoſitionibus admonuimus, & dicat: Quomodo ergo etiã dei anima dicitur? Cui reſpondebimus hoc modo: quia ſicut omnia quæ de deo dicuntur, id eſt vel digiti, vel manus vel brachia vel oculi vel pes vel os, dicimus nõ hæc humana membra, ſed virtutes eius quaſdam in his corporeorum membrorum appellationibus indicari: ita & eſſe aliud putandum eſt, quàm quod appellatione hac quæ anima dei dicitur, indicatur. Et ſi fas eſt audere nos in tali re amplius aliquid dicere, poteſt fortaſſe anima dei intelligi vnigenitus filius eius. Sicut enim anima per omne corpus inſerta

L mouet omnia, & agitat quę operatur vniuerſa: ita & vnigenitus filius dei, qui & verbum & ſapientia eius pertingit & peruenit ad omnem virtutem dei, & inſertus eſt ei. Et fortaſſis ad huius ſacramenti indicium corpus in ſcripturis vel dicitur deus, vel deſcribitur. Conſiderandum ſanè eſt, ne fortè poteſt etiam per hoc anima dei intelligi vnigenitus eius, quoniam venit & ipſe in locum hunc afflictionis, & in conuallem fletus deſcendit, & in locum humiliationis noſtræ: ſicut dicit in pſalmo, Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.

Denique ſcio quoſdam exponentes illud quod in Euangelio de Saluatore dictum eſt: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: interpretatos eſſe de apoſtolis, quos velut meliores à reliquo corpore animam ſuam dixerit. Nam quia multitudo credentium corpus illius dicitur, apoſtolos velut reliquo corpore meliores animam intelligi debere dixerunt. Hæc prout potuimus de rationabili anima diſcutienda magis à legentibus quàm ſtatuta ac definita protulimus. De animabus verò pecudum, cęterorúmq; mutorum, ſufficiant illa quæ abſolutè ſuperius diximus de mundo & motibus rationabilium creaturarum, vel bonarum, vel malarum, & de cauſis earum: ſed nunc ad propoſitæ diſputationis ordinem reuertamur, & intueamur creaturæ initium, quodcunque illud ini-

M tium creantis dei mens potuerit intueri. In illo ergo putandum eſt tantum numerum rationabilium creaturarum, vel intellectualium, vel quomodolibet appellandæ ſunt quas ſuperius diximus, feciſſe deum quantum ſufficere poſſe proſpexit. Certum eſt quippe quod præfinito aliquo apud ſe numero eas fecit: non enim (vt quidam volunt) finem putandum eſt non habere creaturas: quia vbi finis non eſt, nec comprehenſio vlla, nec circumſcriptio eſſe poteſt. Quòd ſi fuerit, vtique nec contineri, vel diſpenſari à deo quæ facta ſunt, poterunt. Naturaliter nempe ſi quicquã infinitum fuerit, & incomprehenſibile erit. Porrò autem ſicut ſcriptura dicit, in numero & menſura vniuerſa condidit deus. Et idcirco numerus quidem rectè aptabitur rationabilibus creaturis, vel mentibus, vt tantæ ſint quantæ à prouidentia dei diſpenſari, regi & contineri poſſint. Menſura verò materiæ corporali conuenienter aptabitur: quam vtique tantam à deo eſſe creatam credẽdum eſt, quantam ſibi ſciret ad ornamentum mundi poſſe ſufficere. Hæc ergo ſunt quæ in initio, id eſt ante omnia à deo creata eſſe exiſtimandum eſt. Quod quidẽ etiam in illo initio quod Moyſes latentius introduxit, indicari putamus cùm dicit. In principio fecit deus cœlum & terram. Certum eſt enim quia non de firmamento, neque arida, ſed de illo cœlo ac terra dicatur, quorum cœlorum hoc & terra quàm videmus vocabula poſtea mutuata ſunt. Verum quoniam rationabiles iſtæ naturæ quas in initio factas ſuprà diximus, factæ ſunt cum antè non eſſent: hoc ipſo quia non erant, & eſſe cœperunt, neceſſariò

Marginalia (left): ψυχὴ. — Deut. 4. — Hebr. 1. — Exod 3. — Hier. 1. — Matt. 24. — Ezech. 32. — Eſa. 27. — Iob. 41. — Hier. 1. — Ezec. 18. — Pſal. 114.

Marginalia (right): Ioan. 12. — Matt. 26. — Ioan. 10. — Anima medium quoddã inter carnem & ſpiritũ. — Matt. 26. — De angelis loquitur. — Angeli ante omnia creati. — Gen. 1.

A necessariò conuertibiles substiterunt: quoniam quæcunque inerat substantiæ earum virtus, non naturaliter inerat, sed beneficio conditoris effecta. Quod ergo sunt, non est proprium, nec sempiternum, sed à deo datum. Non enim semper fuit: & omne quod datum est, etiam auferri & recedere potest. Recedendi autem causa in eo erit, si non rectè probabiliter dirigitur motus animorum. Voluntarios enim & liberos motus à se conditis mentibus creator indulsit, quo scilicet bonum in eis propositum fieret, cum id voluntate propria seruaretur: sed desidia & laboris tædium in seruando bono, & auersio ac negligentia meliorum, initium dedit recedendi à bono. Recedere autem à bono, non aliud est quàm effici in malo. Certum namque est malum esse bono carere. Ex quo accidit, vt in quanta mensura quis deuolueretur à bono, in tantam mensuram malitiæ deueniret. In quo vtique pro motibus suis vnaquæque mens vel amplius bonum negligens, in contrarium boni quod sine dubio malum est, trahebatur. Ex quo videtur semina quædam & causas varietatis ac diuersitatis ille omnium conditor accepisse: vt pro diuersitate mentium, id est, rationabilium creaturarum, quam diuersitatem ex ea causa quam superius diximus, putandæ sunt concepisse, varium ac diuersum mundum crearet. Quod autem varium ac diuersum dicimus, hoc est quod volumus indicare.

De Mundo. *Cap.* IX.

B MVNDVM nunc dicimus, omne quod est super cœlos, & in cœlis, vel supra terram, vel in his quæ inferi appellantur, vel quæcunque vsquam prorsus loca sunt, & hi qui in ipsis degere nominantur. Totum ergo hoc mundus vocatur. In quo mundo quædam dicuntur esse supercœlestia, in habitationibus beatioribus posita, & corporibus cœlestibus ac splendentioribus inclyta. Et in his ipsis multæ differentiæ ostenduntur: sicut (verbi causa) etiam Apostolus dicit, quòd alia sit gloria solis, alia lunæ, alia stellarum: stella enim à stella differt in claritate. *1.Cor.15.* Quædam vero terrena dicuntur, & inter ipsa non parua est differentia sicut inter homines: alij nanque eorum barbari, alij Græci: & Barbarorũ quidam immanes & feri, alij mitiores. Et quidam quidẽ legibus probatissimis vtuntur, alij vilioribus vel asperioribus, alij quoque inhumanis & ferinis magis moribus quàm legibus vtuntur. Et quidam quidem ab initio natiuitatis suæ humiliantur, & subiecti sunt, ac seruiliter educantur, vel sub dominis, vel sub principibus positi, vel tyrannis: alij vero liberius & rationabilius educantur, alij sanis corporibus, nonnulli ægris statim à prima ætate: alij C visu, alij auditu, & voce decepti, nonnulli ita nati, alij statim post natiuitatem huiuscemodi sensibus defraudati, vel certè iam adulta ętate tale aliquid passi. Et quid refert euoluere me omnes atque enumerare humanarum clades miseriarum, à quibus alij liberi, alij inuoluti sunt, cum possit vnusquisque etiam apud semetipsum considerare de his singulis atq; perpendere? Sunt & quędam inuisibiles virtutes, quibus quæ super terram sunt, sunt dispensanda commissa: & non parua etiam in ipsis differentia credenda est: sicut & in hominibus inuenitur. Sanè apostolus Paulus esse quædam & inferna designat, & in ipsis simili modo sine dubio varietatis causa requirenda est. De mutis vero animalibus & volucribus, atque de his quæ in aquis habitant, requirere superfluum videtur: cum hæc non principalia, sed consequentia accipi debere certum sit. Quomodo ergo omnia quæ facta sunt, per Christum & in Christo facta esse videntur? Sicut apostolus Paulus manifestissime designat dicens: *Rom.11.* Quoniam in ipso, & per ipsum creata sunt omnia: siue quæ in cœlo sunt, siue quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue potestates, siue principatus, siue dominationes: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Sed & in euangelio Ioannes nihilominus eadem ostendit, dicens: *Ioan.1.* Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed & in psalmo scriptum est: *Psa.103.* Quia omnia in sapientia fecisti. Quia ergo Christus sicut verbum & sapientia est, ita etiam iustitia est, consequens sine dubio erit, vt ea quæ in verbo & sapientia facta sunt, etiam ea iustitia quæ est, in Christo facta esse dicantur: quod scilicet in his quæ facta

sunt nihil iniustum, nihil fortuitũ videatur, sed omnia ita esse D vt æquitatis ac iustitiæ regula expetit, doceantur. Quomodo ergo tanta ista rerum varietas, tantáq; diuersitas iustissima & æquissima possit intelligi, certus sum humano ingenio vel sermone explicari non posse: nisi ipsum verbum ac sapiẽtiam, & iustitiam qui est vnigenitus filius dei, prostrati ac supplices deprecemur, qui per gratiam suam sensibus se nostris infundens, obscura illuminare, clausa patefacere, panderéque dignetur arcana: si tamen inueniamur eam digne vel petere, vel quærere, vel pulsare, vt vel petentes accipere mereamur, vel quærentes inuenire, vel pulsantibus iubeatur aperiri. Non ergo freti nostro ingenio, sed ipsius sapientiæ auxilio quæ fecit vniuersa, & iustitiæ eius quam inesse creaturis omnibus credimus: interim etiã si asserere non valemus, ipsius tamen confisi misericordia inquirere perscrutaríque tentabimus: quomodo ista tanta varietas mundi atque diuersitas omnium, iustitię ratione constare videatur. Rationem autem dico duntaxat generalem. Nam specialem singulorum, & quærere rationem imperitiæ est, & reddere velle dementis est. Dicentibus igitur nobis mũdum istum in hac varietate positum, qua suprà exposuimus à deo factum: quem deum & bonum & iustum atque ęquissimum dicimus: obiicere hoc plurimi solent, & hi maxime qui ex schola Marcionis, & Valentini, & Basilidæ venientes asserunt diuersas esse naturas animarum: quomodo iustitiæ dei conueniat mundum facientis, vt habitaculum aliis quidem in cœlis præbeat: & non solum his habitaculum melius, verumetiam gradum aliquem celsiorem, spe- E ctaculúmque concedat, principatum aliis indulgeat, aliis potestates, dominationes quoque aliis tribuat, aliis amplissimas sedes cœlestium tribunalium præstet, & luceat: aliis rutilantiam, & coruscent fulgore sidereo: alia sit gloria solis, alia lunę, alia stellarum. Stella à stella in gloria differat: *1.Cor.15.* & vt simul ac breuiter totum dicam, si creatori deo nec voluntas summi boníque operis, nec perficiendi facultas deest, quid causę existere potuit, vt naturas rationabiles creans, id est quibus vt essent ipse extitit causa, celsiores vt alios faceret, alios secundo, aut tertio, & multis inferiores gradibus deterioréſque procrearet? Tum deinde obiiciũt etiam de his quæ in terris sunt, quod aliis nascendi sors felicior euenerit, vt quis (verbi gratia) ex Abraham generetur, & ex repromissione nascatur: alius quoque ex Isaac & Rebecca, quíque adhuc in ventre positus supplantat fratrem suum, & antequam nascatur, diligi dicitur à Deo. *Gen.25.* Vel quid hoc sit omnino, quod in Hebræis quis nascitur, apud quos eruditionem diuinæ legis inueniat: alius verò apud Græcos & ipsos sapientes, & non paruæ eruditionis homines: iam verò alius apud Æthiopes, quibus humanis carnibus vsus est: aut apud Scythas apud quos parricidium quasi ex lege geritur: vel apud Tauros, vbi hospites im- F molantur. Aiunt ergo nobis: Si hæc tanta rerum diuersitas, nascendíque conditio tam varia, támque diuersa, in qua causa vtique facultas liberi arbitrij locum non habet: non enim quis ipse sibi eligit, vbi vel apud quos, vel qua conditione nascatur. Si ergo, inquiunt, hoc non facit naturæ diuersitas, vt mala natura animæ ad gentem malam destinetur, bona autem ad bonos: quid aliud superest, nisi vt fortuitu ista agi putentur & casu? Quod vtiq; si recipiatur, iam nec à deo factus esse mundus, nec à prouidentia eius regi credetur, & consequenter nec dei iudicium de vniuscuiusque gestis videbitur expectandum. In qua re quæ sit quidem ad liquidum veritas rerũ, illius est nosse solius qui scrutatur omnia, etiam alta dei. Nos verò quasi homines (ne hæreticorum insolentiam reticendo nutriamus) quæ pro viribus nostris occurrere nobis possunt, ad ea quæ obtenderunt, hoc modo respondebimus. Bonum esse & iustum, & omnipotentem deum creatorem vniuersorum, quibus valuimus ex diuinis scripturis assertionibus in superioribus frequenter ostendimus. Hic cùm in principio crearet ea quæ creare voluit, id est rationabiles naturas, nullam habuit creandi causam præter seipsum, id est bonitatem suam. *Creandi causa dei bonitas.* Quia ergo eorum quæ creanda erant, ipse extitit causa: in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impossibilitas inerat, æquales creauit: quippe cum nulla ei causa varietatis ac diuersitatis existeret. Verum quoniam rationabiles ipsæ creaturæ, sicut frequenter ostendimus, & in

G loco suo nihilominus ostendemus, arbitrij facultate donatæ sunt: libertas vnum quodq; voluntatis suæ vel ad profectum per imitationem dei prouocauit, vel ad defectum per negligentiá traxit. Et hoc extitit causa (sicut & antea iam diximus) diuersitatis inter rationabiles creaturas: non ex creatoris voluntate, vel iudicio originem trahens, sed propriæ libertatis arbitrio. Deus verò cui iam creaturam suam pro merito dispensare iustum videbatur, diuersitates mentiũ in vnius mundi consonantiam traxit, velut vnam domum in qua esse deberent non solum vasa aurea & argẽtea, sed & lignea & fictilia, & alia quædam ad honorem, alia autem ad contumeliam, vt ex istis diuersis vasis, vel animis, vel mentibus ornaret. Et has causas (vt ego arbitror) mundus iste suæ diuersitatis accepit, dum vnumquodq; pro varietate motuum suorũ, vel animorum propositiq; dispensat. Quá ratione neq; creator iniustus videbitur, sed secundũ pręcedẽtes causas pro merito vnicuiq; distribuit: neq; fortuita vniuscuiusq; nascendi vel felicitas vel infelicitas putabitur, vel qualiscunq; acciderit, illa conditione qua diuersi creatores & diuersæ creaturę creduntur animarũ.

Verùm ne scriptura quidem sancta videtur mihi penitus arcanam huius tacuisse rationem: sicut cùm apostolus Paulus de Iacob & Esau disputans: Cùm enim nondum nati fuissent, neque egissent aliquid boni vel mali: vt propositum quod secundum electionem dei factum est, permaneret, non ex operibus, sed ex eo qui vocauit, dictum est quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et post sibi ipse respondet & dicit, Quid ergo dicemus? nunquid iniustitia est apud Deum? Et vt occasionem pręstaret inquirendi de his, & perscrutandi quomodo hæc non extra rationem fiant, respondet sibiipsi, & ait: Eadem nanq; vt mihi videtur quæ de Iacob & Esau quæstio proponitur, haberi etiam de cœlestibus omnibus & terrestribus creaturis & formis potest. Et similiter mihi videtur sicut tibi ait: Cùm enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent boni vel mali, vt secundum electionem propositũ dei maneat: sic vt putant quidam, sancta sunt illa quidem cœlestia: hæc autẽ terrestria, & infernalia, non ex operibus (vt putant illi) sed ex eo qui vocauit. Quid ergo dicemus, si hæc ita sunt? Ergo iniustitia est apud Deum. Absit. Igitur sicut de Esau & Iacob diligentius perscrutatis scripturis inuenitur, quia non est iniustitia apud Deum, vt antequam nascerentur, vel agerent aliquid in vita hac, diceretur quia maior seruiet minori: & vt inuenitur non esse iniustitia, quod & in ventre fratrem suum supplantauit Iacob, sed ex præcedentis videlicet vitæ meritis dignè eum electum esse sentiamus à deo, ita vt fratri præponi mereretur: ita etiã de cœlestibus creaturis, si aduertamus quia ista diuersitas non creaturæ principium, sed ex præcedentibus causis pro meriti dignitate diuersum singulis à conditore ministerij paratur officium, ex eo profectò quod vnusquisq; vel mens à Deo creatus est, vel rationabilis spiritus pro motibus mentis & sensibus animorum, vel plus vel minus sibi meriti parauerit, vel amabilis Deo, vel etiam odibilis extiterit. Eum tamen aliquis ex his qui melioribus meritis sunt ad exornandũ mundi statum compar reliquis, & officium præbere inferioribus opinentur, quo per hoc & ipsi participes existant patientiæ creatoris: secũdum quod Apostolus ipse dicit: Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecerit in spem. Obseruantes igitur istam sententiam quam Apostolus de natiuitate Esau & Iacob exponẽs dixit: Nũquid iniustitia est apud Deum? Absit: etiam in omnibus creaturis rectum arbitror hanc eandem debere sententiam custodiri: quoniá sicut superius diximus, iustitia debet creatoris in omnibus apparere. Quæ vt mihi videtur, ita demum lucidius ostendetur: si causas diuersitatis vnusquisque vel cœlestium vel terrestrium vel infernorum in semetipso præcedentes natiuitatem corpoream habere dicatur. Verbo enim Dei & sapientia creata sunt vniuersa, & per ipsius ordinata sunt iustitiá. Per gratiam verò misericordię suę omnibus prouidet, atq; omnes quibuscunq; curari possunt, remediis hortatur, quia prouocat ad salutem. Sicut ergo dubium non est in die iudicij futurum quod separentur boni à malis, & iusti ab iniustis, & singuli quiq; pro merito per ea loca quibus digni sunt, distribuantur iudicio dei, sicut deo volente, in cõsequentibus ostendemus, tale aliquid opinor etiam iam factum. Omnia enim Deus & K semper iudicio agere ac dispensare credendus est. Illud quoque quod Apostolus docet, dicens: In domo magna non sunt tantummodo vasa aurea & argẽtea: sed & lignea & fictilia, & alia quidẽ ad honorem, alia autem ad cõtumeliã: & quod addit dicens: Quia si quis expurgauerit, erit vas sanctificatũ, domino vtile ad omne opus bonũ: sine dubio illud ostẽdit, quia qui se expurgauerit, in hac vita positus, ad omne bonum opus erit paratus in futuro: qui autem non se purgauerit, secũdum quantitatem immunditię suę, erit vas ad contumeliam, id est indignũ. Ita ergo possibile est intelligi etiam antea fuisse vasa rationabilia & purgata, vel minus purgata: id est quę seipsa vel purgauerint, vel non purgauerint: & ex hoc vnumquodq; vas secundum naturam puritatis aut impuritatis suæ locum vel regionem, vel conditionem nascendi vel explendi aliquid in hoc mundo accepisse, quod omnia Deus vsque ad numerum virtute sapientiæ suæ prouidens atque dignoscens, moderamine iudicij sui æquissima retributione vniuersa disponit, quatenus vnicuique pro merito vel succurri vel consuli deberet. In quo profectò omnis ratio æquitatis ostenditur, dum inęqualitas rerum retributionis seruat æquitatem. Quorum meritorum rationes per singulos quosque secundum veritatem ad liquidum solus ipse cum vnigenito verbo de sapientia sua & spiritu sancto recognoscit.

Rom.9. · *Matt.1.* · *Origenes hic platonizat & falso cogitat animas creatas ante corpora bene vel male aliquid egisse.* · *Rom.8.* · *Rom.9.* · *Relabitur in eundem Platonis lapidem.* · *2.Timot.2.*

De resurrectione & iudicio. Cap. x.

SED quoniam nos sermo commonuit de iudicio futuro, & de retributione ac suppliciis peccatorum, secundum quod comminantur sanctę scripturæ, & ecclesiastica prædicatio continet, eo quod iudicij tempore ignis ęternus & tenebræ exteriores & carcer & caminus, & alia his similia peccatoribus præparata sint: videamus quid etiam de his sentire oporteat. Sed vt ad hoc competenti ordine veniatur, prius mihi videtur de resurrectione sermo mouendus, vt sciamus quid est illud quod vel ad supplicium, vel requiem, vel beatitudinem veniet: de quo in aliis quidem libris quos de resurrectione scripsimus, plenius disputauimus, & quid nobis de hoc videretur, ostendimus. Sed & nunc propter consequentiam tractatus pauca inde repetere non videtur absurdum: maximè propter hoc quod ostenduntur quidam in ecclesiastica fide, quasi velut stultè & penitus insipienter de resurrectione credamus, præcipuè hæretici. Quibus hoc modo arbitror respondendum. Si confitentur etiam ipsi quia resurrectio sit mortuorum, respondeant nobis quid est quod mortuum est. Nonne corpus? Corporis ergo resurrectio fiet. Tum deinde si vtendum nobis putatur esse corporibus an non? arbitror apostolo Paulo dicẽte, Quia seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: istos negare non posse quod corpus resurgat, vel quia in resurrectione corporibus vtamur. Quia ergo si certum est quod corporibus nobis vtendũ sit, & corpora quę ceciderunt, resurgere pędicantur: nõ enim propriè resurgere dicitur, nisi id quod antè ceciderit: nulli dubiũ est idcirco ea resurgere, vt his iterum ex resurrectione induamur. Alterum ergo hæret ex altero. Nam etiam si resurgant corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt: & si necesse est nos esse in corporibus non in aliis quá in nostris corporibus esse debemus. Quòd si verũ est quòd resurgunt, & spiritalia resurgunt, dubiũ non est quin abiecta corruptione, & deposita mortalitate, resurgere dicantur à mortuis: alioquin vanum videbitur & superfluum resurgere quenquam à mortuis, vt iterum moriatur. Quod ita demum intelligi euidentius potest, si quid diligenter aduertant quæ sit animalis corporis qualitas, quæ in terram seminata spiritalis corporis reparet qualitatem. Ex animali nanq; corpore virtus resurrectionis & gratia spiritale corpus educit, cùm id ab indignitate transmutat ad gloriam. Quoniam ego hæretici eruditissimi sibi videntur & sapientissimi, interrogabimus eos si omne corpus schema aliquod habet, id est habitu deformetur. Et si quidem dixerint etiam corpus quod non aliquo habitu deformetur, imperitissimi omnium atque insipientissimi videbuntur. Nullus enim hoc negabit, nisi sit ab omni eruditione penitus alienus. Si verò secundum id quod consequens

2.Cor.15.

A quens est, dixerint quia omne corpus certo habitu deformarur: requiremus ab eis si possunt nobis spiritalis corporis habitum demonstrare atque describere: quod vtique nullo modo facere poterunt. Sed & differentias eorum qui resurgunt, inquiremus ab eis quomodo ostenderent verum esse illud quod dictum est: quia alia caro volucrum, alia piscium, & corpora cœlestia & corpora terrestria, sed alia quidem cœlestium gloria, alia verò terrestrium, alia gloria solis, alia lunæ, alia stellarum: stella à stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Secundum istam ergo consequentiam cœlestium corporum ostendant nobis differentias eorum qui resurgunt: & si vllo genere conati fuerint secundum cœlestium corporum differentias aliquam excogitare rationem, quæramus ab eis etiam terrenorum corporum comparationum differentias assignent. Nos verò ita intelligimus, quod volens Apostolus describere quanta esset differentia eorum qui resurgunt in gloria, id est sanctorum, comparationem cœlestium corporum sumpsit dicens: Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Et iterum volens differentias eorum ostendere qui in hac vita non expurgati ad resurrectionem venirent, id est peccatores: de terrenis sumit exemplum, dicens: Alia corpora volucrum, alia piscium. Dignè etenim sanctis cœlestia, terrena peccatoribus comparantur. Hæc quidem dicta sint aduersus

Ibid.

B eos qui resurrectionem mortuorum, id est, resurrectionem corporum negant. Nunc verò sermonem conuertimus ad nonnullos nostrorum, qui vel pro intellectus exiguitate, vel explanationis inopia, valde vilem & abiectum sensum de resurrectione corporis introducunt. Quos interrogamus, quomodo intelligant animale corpus gratia resurrectionis immutandum, & spiritale futurum: & quomodo quod in infirmitate seminatur, resurrecturum sentiant in virtute: quod in ignobilitate, quomodo resurget in gloria: & quod in corruptione, quomodo ad incorruptionem transferatur. Quod vtique si credunt Apostolo quia corpus in gloria & virtute & incorruptibilitate resurgens spiritale est effectum, absurdum videtur & contra sensum Apostoli dicere id rursum carnis & sanguinis passionibus implicari, cùm manifestè dicat Apostolus: Quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Sed illud quomodo accipiunt: Sed non omnes immutabimur? Quæ immutatio secundum illum ordinem quem superius docuimus, expectanda est: in qua sine dubio dignum aliquid ex diuina gratia sperantes, non conuenit quod futurum credimus hoc ordine quo nudum granum frumenti aut alicuius cæterorum in terra seminatum describit Apostolus, cui Deus dat prout vult, cùm primum granum ipsum frumenti mortuum fuerit. Ita namque etiam nostra corpora velut granum cadere in terram putanda sunt: quibus insita ratione ea quæ substātiam cōtinet corporalem, quam-

1.Cor.15.

C uis emortua fuerint corpora, & corrupta atque dispersa, verbo tamen Dei ratio illa ipsa quę semper in substantia corporis salua est, erigat ea de terra, & restituat ac reparet: sicut ea virtus quæ est in grano frumenti, post corruptionem eius & mortem reparat ac restituit viuum corpus & spicæ. Et ita his quidem qui regni cœlorum hæreditatem consequi merebuntur, ratio illa reparandi corporis quam suprà diximus, Dei iussu ex terreno & animali corpore corpus reparat spiritale, quod habitare possit in cœlis. His verò qui inferioris meriti fuerint, vel abiectiores, vel etiam vltimi & abstrusi, pro vniuscuiusque vitæ atque animæ dignitate, etiam gloria corporis & dignitas datur: Ita tamen vt eorum qui etiam ad ignem æternum, vel ad supplicia destinandi sunt, per ipsam resurrectionis permutationem ita corpus incorruptum sit, vt resurgat, vt ne suppliciis quidem corrumpi valeat & dissolui. Si ergo ita se habet qualitas eius corporis quod resurget à mortuis, videamus nunc quid sibi velit ignis æterni comminatio.

De igne inferni & pœnis eiusdem.
Cap. XI.

INVENIMVS namque in Esaia propheta designari vniuscuiusq; proprium esse ignem quo punitur: Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quam accendistis. Per quos sermones hoc videtur indicari, peccator vt flāmam sibi ipse proprij ignis accendat, & non in aliquem ignem qui antea fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur. Cuius ignis materia atque esca nostra sunt peccata, quæ ab Apostolo Paulo ligna & fœnum & stipula nominantur. Et arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia & qualitas & quantitas cibi febres generant, & febres diuersi modi vel temporis secundum eam mensuram qua intemperies collectam materiam suggesserit ac fomitem febrium: quę materiæ qualitas ex diuersa intemperie congregata causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit: Ita anima cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregauerit peccatorum: competenti tempore omnis illa malorum congregatio efferuescit, atque supplicium inflāmatur ad pœnas: cùm mens ipsa, vel conscientia per diuinam virtutē omnia in memoriam recipiens, quorum in semetipsa signa quædam & formas cùm peccaret, expresserat, & singulorum quæ vel fœdè ac turpiter gesserat, vel etiam impiè commiserat, historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam: tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atq; cōpungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Quod

D

Esa.50.

1.Cor.3.

Vermis cōscientiæ.

Rom.2.

E ita sensisse puto etiam Paulum apostolum cùm dicit: Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiā defendentibus in die qua iudicabit Deus occulta hominum, secundū Euangelium meum per Iesum Christum. Ex quo intelligitur quod circa ipsam animæ substantiā tormenta quædam ex ipsis peccatorum noxiis affectibus generātur. Et ne satis tibi huius rei intellectus difficilis appareat, considerari possibile est ex his passionum vitiis, quæ animabus accidere solent: id est cum flāmis exuritur anima, vel zeli vel liuoris ignibus macetatur: aut cum irę agitatur insania, vel tristitiæ immensitate cōsumitur: quoniam horum malorum duritias aliquanti intolerabiliter ferētes, mori quàm huiuscemodi cruciatus perpeti, tolerabilius habuere. Requiris sanè si his qui vitiorū malis istis quæ suprà diximus, irretiti sunt, nec emendationis aliquid in hac vita adhuc positi cōparare sibimet potuerūt, & ita ex hoc mundo abscesserant: sufficiat illis ad pœnam quod illis ipsis perdurantibus in se noxiis affectibus cruciātur: id est vel iræ, vel furoris, vel insaniæ, vel mœroris, quorum vtiq; mortiferū virus nullo in hac vita emendationis medicamento mitigatum est. An his affectibus immutatis generalis pœnæ stimulis vexabuntur. Sed & aliorum suppliciorum speciem intelligi arbitror posse: quia sicut sentimus soluta corporis membra, atque suis inuicem auulsa compagibus immensi doloris generare cruciatum: ita anima cùm extra ordinem atque com-

F pagem, vel eam harmoniā ad quam ad bene agendum & vtiliter sentiendum à deo creata est, fuerit inuenta, nec sibimetipsi rationabilium motuum compagine consonare pœnam cruciatúmque putanda sit suimetipsius ferre dissidij & incōstātiæ suæ atque inordinationis sentire supplicium. Quæ animæ dissolutio atque diuulsio, cum adhibiti ignis ratione fuerit explorata, sine dubio ad firmiorem sui cōpagem in restaurationémq; solidatur. Multa sunt etiam alia quæ nos latent, quæ illi soli cognita sunt, qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatē pro his vitiis quę per escam potúmq; collegimus, necessariam habemus interdū austerioris ac moderatioris medicamenti curam: nonnunquam verò si id vitij qualitas depoposcerit, rigore ferri & sectionis asperitate indigemus: quod si etiam hoc supergressus fuerit morbi modus, ad vltimum conceptum vitium etiam magis ignis exurit: quanto magis intelligēdum est & hunc medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerū diuersitate collegerant, vti huiuscemodi pœnalibus curis? insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animæ perdiderūt? Cuius rei imagines etiam in scripturis sanctis referuntur. Denique in Deuteronomio sermo diuinus peccatoribus comminatur, quod febribus & frigoribus & aurigine punientur, & oculorum vacillationibus, & mentis alienatione, & paraplexia,

Deut.28.

Morbi ex peccato.

G & cæcitate, ac debilitate renum cruciandi sint. Si quis igitur ex otio de omni scriptura congreget oēs lāguorum commemorationes quæ de peccatoribus velut corporearum ægritudinum appellationibus memorantur, inueniet quod animarum vel vitia, vel supplicia per hoc figuraliter indicentur. Vt autem intelligamus quia ea ratione qua medici adiutoria lāguentibus adhibent, vt per curas reparent sanitatem, etiam deus agit circa eos qui lapsi sunt, & deciderunt in iudicio, est & illud, quod per Hieremiam prophetam iubetur calix Dei propinari omnibus gentibus vt bibant, & insaniant, & euomant. In quo comminatur dicens, quia si quis noluerit bibere, non mundabitur. Ex quo vtique intelligitur quod furor vindictæ Dei ad purgationem proficiet animarum. Quomodo autem & ea pœna quæ per ignem inferri dicitur, pro adiutorio intelligitur adhiberi, Esaias docet, qui de Israel quidem sic dicit: Habes carbones ignis, sede super eos, hi erunt tibi in adiutorio. Et in aliis dicit, Sanctificabit dominus in igne ardenti. Et in Malachia propheta dicit: Sedens conflabit & purgabit, & fundet purgatos filios Iuda. Sed & illud quod de dispensatoribus non bonis in Euangelio dictum est, qui diuidendi dicuntur, & pars eorum

Hier. 25.

Esa. 47.

Malach. 3.

H rum cum infidelibus terræ poni, tanquam ea quæ ipsorum propria non sit, cum aliorum partibus sit mittenda, sine dubio genus aliquod indicat pœnæ eorum, quorum (vt mihi videtur) separandus ab anima spiritus indicatur. Qui spiritus si quidem diuinæ naturæ, id est spiritus sanctus intelligendus est, sentiemus hoc dictum de dono spiritus sancti: quod siue per baptismum, siue per gratiam spiritus cum alicui sermo sapientiæ, & sermo scientiæ, vel alicuius alterius datus est doni & non rectè administratus, id est aut ad terram defossus est, aut in sudario colligatus, auferatur ab anima donum spiritus: & pars reliqua quæ superest, id est animæ substantia, cum infidelibus ponatur, diuisa ac separata ab eo spiritu cum quo adiungens se domino vnus spiritus esse debuerat. Si verò hoc non de Dei spiritu, sed de animæ eius natura intelligendum est, pars melior illa dicetur quæ ad imaginem Dei & similitudinem facta est. Alia autem pars, ea quæ postmodum per liberi arbitrij lapsum contra naturam primæ conditionis & puritatis assumpta est, quæ vtique pars vtpote amica & chara materiæ cum infidelium sorte mulctatur. Potest autem & tertio sensu illud intelligi de diuisione ista, vt quoniam vnicuique fidelium etiam si minimus sit, in ecclesia adesse angelus dicitur, qui etiam semper videre faciem Dei patris à saluatore perhibetur: & hic qui vtique vnum erat cum eo cui præerat, si is per inobedientiam efficiatur indignus, auferri ab eo angelus dicitur: & tunc pars eius, id est humanæ naturæ pars a-

Matt. 18.

I uulsa à Dei parte cum infidelibus deputatur, quoniam commonitio appositi sibi à Deo angeli non fideliter eum custodiuit. Sed & exteriores tenebras (vt ego opinor) non tam aërem aliquem obscurum, & sine lumine intelligendum puto, quàm de his qui profundæ ignorantiæ tenebris immersi extra diuinæ intelligentiæ lumen effecti sunt. Videndum quoque est, ne fortè etiam illud iste sermo significet, quod sicut sancti corpora sua, in quibus sanctè & purè in huius vitæ habitationibus vixerunt, lucida & gloriosa ex resurrectione suscipient: ita & impij quique qui in hac vita errorum tenebras & ignorātiæ dilexerunt, obscuris & tetris post resurrectionem corporibus induantur, vt ea ipsa calîgo ignorantiæ quæ in hoc mundo interiora eorum mentis obsederat, in futuro per exterius corporis appareat indumentum. Similiter quoque & de carcere sentiendum est. Sed sufficiant ista in præsenti loco, quæ interim nunc vt dicendi ordo seruaretur, quàm paucissimis dicta sunt.

Tenebræ exteriores.

Obscura & tetra corpora dānatorum.

De repromißionibus. *Cap.* XII.

VIDEAMVS nunc breuiter quid & de repromissionibus sentiendum sit. Certum est quia nullum animal omni modo ociosum atque immobile esse potest, sed omni genere moueri & agere semper & velle aliquid gestit: & hanc inesse naturam omnibus animantibus, manifestum puto. Multo magis ergo rationale animal, id est, hominis na-

K turam necesse est semper aliquid mouere vel agere. Et si quidem immemor sui sit, & quid se deceat ignoret, circa vsus corporales omnis sua mouetur intentio, & per omnes motus suos erga voluptates suas ac libidines corporis occupatur: Si verò talis qui in commune aliquid curare vel prouidere studeat, aut reip. consulens, aut magistratibus parens, aut quicquid illud est quod in commune prodesse videatur exercet. Iam verò si quis talis sit vt aliquid melius quàm hæc quæ corpore videntur intelligat, & sapientiæ & scientiæ operam habet, sine dubio erga huiuscemodi studia omnem declinabit industriam, quo possit inquisita veritate rerum causas cognoscere. Sicut ergo in hac vita alius quidem summū bonum corporis iudicat voluptatem: alius verò in commune consulere, alius studiis & intelligentiæ operam dare; ita requiramus in illa vita quæ vera est, quę abscondita esse dicitur cum Christo in Deo, id est in illa æterna vita, si aliquis talis erit nobis viuendi ordo vel status. Quidam ergo laborem quodammodo intelligentiæ recusantes, & superficiem quandam legis literæ consectantes, & magis delectationi suæ quodammodo ac libidini indulgentes, solius literæ discipuli, arbitrantur futuras voluptates, & luxurias corporis expectandas: & propterea præcipuè carnes iterum desiderant post resurrectionem, tales quibus manducandi, & bibendi, & omnia quæ carnis & sanguinis sunt, agendi nunquam desit facultas, Apostoli

Col. 3.

Cherintiani.

L Pauli de resurrectione spiritalis corporis sententiam non sequentes. Quibus consequenter addunt & nuptiarum conuentiones, & filiorum procreationes etiam post resurrectionem futuras, fingentes sibimetipsis Hierusalem terrenam vrbem ædificandam lapidibus preciosis, eos in fundamenta eius iacientis, & lapide iaspide muros eius erigendos, & propugnacula ex lapide crystallo: peribolum quoque habituram ex lapidibus electis & variis, id est iaspide & sapphiro & chalcedonio & smaragdo & onychino & chrysolitho & chrysopasso & hyacintho & amethysto. Quinetiam ministros deliciarum suarum dandos sibi alienigenas putant, quos vel aratores habeant, vel structores parietum, à quibus diruta ipsorum & collapsa ciuitas extruatur: & arbitrantur quod facultates eorum accipiant ad edendum, & in diuitiis eorum dominentur, vt veniant, & afferant eis aurum, & thus & lapides preciosos. Et hæc conantur autoritate prophetica confirmare ex his quæ de Hierusalē repromissionibus scripta sunt: vbi etiā dicitur quia qui seruient domino, manducabunt & bibent, peccatores autem esurient, & sitient: & quod lætitiā agent iusti, impios verò mœror possidebit. Et de nouo quoque testamento vocem proferunt Saluatoris, qua discipulis promittit de vini lætitia dicens, Quia non bibam ex

1. Cor. 15.

M hoc iam, vsque bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei. Addūt quoque illud, quod Saluator beatos dicit eos qui nunc esuriunt & sitiunt, pollicens, quia saturabuntur: & multa alia ex scripturis exempla proferunt, quorum vim figuraliter intelligi debere non sentiunt. Tum verò secūdum formam quæ in hac vita est, & secundum mundi huius dispositiones dignitatum, vel ordinum, vel eminentias potestatū reges se fore & principes arbitrantur, sicut sunt isti terreni, propter illud videlicet quo in Euāgelio dictum est: Habens potestatem super quinque ciuitates. Et vt breuiter dicam, secundum vitæ huius cōuersationem per omnia similia volunt esse omnia quæ de repromissionibus expectāt, id est vt iterum sit quod est. Hoc ita sentiunt qui Christo quidem credentes, Iudaico autem quodam sensu scripturas intelligentes, nihil ex his dignum diuinis pollicitationibus præsumpserunt. Hi verò qui secundum Apostolorum sensum theoriam scripturarum recipiunt, sperant quidem manducaturos esse sanctos, sed panem vitæ qui veritatis & sapientiæ cibis nutriat animā, & illuminet mentem, & potet eā diuinæ sapientiæ poculis, sicut dicit scriptura: Quia sapientia pręparauit mensam suam, miscuit in cratere vinum suum, & summa voce clamat, Diuertite ad me, manducate panes quos præparaui vobis, & bibite vinum quod miscui vobis. Quibus sapientiæ escis nutrita mens ad integrum & perfectum, sicut in initio factus est homo, ad imaginem & similitudinem dei reparetur: vt etiam si quis ex hoc minus eruditus abierit, probabilia tamen opera detu-

Luc. 6.

Matt. 6.

Luc. 19.

Theoria scripturarum.

Prouer. 9.

A ra detulerit, instrui poterit in illa Hierusalem sanctorum ciuitate, doceri & informari, & effici lapis viuus, lapis preciosus & electus, pro eo quod fortiter & constanter pertulerit agones vitæ, & certamina pietatis: ibique hoc quod iam hic prædictum est, vetius manifestiúsque cognoscet, quod non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sed & principes & rectores intelligendi sunt hi qui inferiores & rēgunt & erudiunt & docent atq; instruunt ad diuina. Verum si minus videntur hæc sperantibus ea dignum mentibus incutere desiderium, paululum repetentes, quanquam naturalis sit & insita animæ rei ipsius cupiditas, inquitamus, vt ita deinde velut species ipsas panis vitæ & qualitatem vini eius ac proprietatem principatuum, per theoriæ consequentiam describamus. Igitur sicut in artibus quæ manu adimpleri solent, ratio quidem quid vel qualiter, vel ad quos vsus fiat, versatur in sensu, efficacia verò operis manuum ministerio explicatur: ita in operibus dei quæ ab ipso facta sunt, sentiendum est, quòd eorum quæ videmus ab eo facta, ratio & intelligentia manet in occulto. Et sicut quæ ab artifice facta sunt, cum oculus noster viderit, si quid præcipuè fabre factum prospexerit, cōtinuo qualiter vel quomodo, vel ad quos vsus factum sit ardet animus sciscitari: multo amplius & super omnem comparationem, eorum quæ à Deo facta peruidemus, ineffabili desiderio ardet animus agnoscere rationem. B Quod desiderium, quem amorem sine dubio à deo nobis insitum credimus: & sicut oculus naturaliter lucem requirit ad visum, & corpus nostrum escā & potum desiderat per naturam: ita mens nostra sciendæ veritatis dei, & rerum causas noscendi proprium ac naturale desiderium gerit. Accipimus autem à Deo istud desiderium, non ad hoc vt nec debeat vnquam, nec possit expleri: alioquin à conditore nostro frustrà videbitur amor veritatis insertus, si nunquam desiderij compos efficitur. Vnde & in hac vita qui summo labore piis studiis ac religioni operam dederint, quanquam parua quædam ex multis & immensis diuinæ scientiæ capiant thesauris, tamen hoc ipsum quod animos suos mentémque erga hoc occupant, atque in hac semetipsos cupiditate præueniunt, multum vtilitatis accipiunt, & ex hoc ipso quod animos suos ad inquirendæ veritatis studium, amorémque conuertunt, & paratiores se faciunt ad eruditionis futuræ capacitatē: sicut cùm aliquis vult ad imaginem pingere, si ante formæ lineamenta tenui styli adumbratione designet, & superponendis vultibus capaces præparet notas, sine dubio per adumbrationem imposita præformatio ad suscipiendos veros illos colores iam paratior inuenitur, sic vt modo adumbratio ipsa deformata stylo domini nostri Iesu Christi in cordis nostri tabulis perscribatur. Et idC circo fortasse dicitur, quia omni habenti dabitur & adiicietur. Vnde constat habentibus deformationem quandam in hac vita veritatis & scientiæ, addendam etiam esse pulchritudinē perfectæ imaginis in futuro. Tale opinor indicabat desiderium suum ille qui dicebat: Coarctor autē ex duobus, desideriū habens dissolui & cū Christo esse, multo enim melius: sciens quod tunc cùm regressus esset ad Christū, omniū quæ gerūtur in terris manifestius agnosceret rationes, vel de homine vel de anima hominis, vel de mēte, vel ex quibuscūq; illis qui sint spiritus, qui operentur, qui sint, quíve vitales, vel quæ sit gratia quæ datur fidelibus spiritus sancti. Tunc quoque intelliget qui sibi videatur Israel, vel quæ diuersitas gentium, quid etiam sibi velint Israel duodecim tribus, & quid singuli populi per singulas tribus. Tunc intelliget etiam de sacerdoribus & leuitis, & de diuersis sacerdotalibus ordinibus rationem, & cuius formæ erant: imò sentiet nihilominus quæ sit veritas Iobileorum & septimanarum annorum: sed & festorum dierum & feriarum rationes videbit: & omniū sacrificiorum & purificationū intuebitur causas: quæ sit quoque ratio lepræ purgationis, & quæ lepræ diuersæ, & quę purgatio sit eorum qui seminis profluuium patiuntur aduertet: & agnoscet quoq; quales virtutes sint bonæ, quæque nihilominus cōtrariæ, & qui vel illis affectus sit hominibus vel istis contentiosa æmulatio. Intuebitur quoq; quæ sit ratio animarum, quæúe diuersitas animalium vel eorum quæ in aquis viuunt, vel auium, vel ferarum, quídve sit quod in tam multas species singula genera deducuntur, qui creatoris prospectus, D vel quis per hæc singula sapientiæ eius tegitur sensus. Sed & agnoscet qua ratione radicibus quibusdam vel herbis associantur quædam virtutes, & aliis econtrario herbis vel radicibus depelluntur: quę ratio apostatarum angelorū, quęúe causa quod iis qui eos non tanta fide contempserint, vel adulari in aliquibus possent, vel erroris causa ac deceptionis existere. Sed & de singulis diuinæ prouidentiæ iudicium discet, de his quæ accidunt hominibus, quod non fortuitò vel casu accidunt, sed ratione quadam tam examinata, tam ardua, vt eam non solum sanctorum, sed fortassis omnium hominum, ne numerus quidem prætereat capillorum, cuius prouidentiæ ratio perducatur vsque ad duos passeres qui denario subtrahuntur, siue spiritaliter, siue iam secundum literam passeribus intellectis. Quod enim nunc interim quæritur, tunc autē ibi iam manifestum videbitur. Ex quibus omnibus putandum est, quod interim non parū temporis transeat vsq; quo eorum tantúmodo quæ super terram sunt ratio post vitæ abscessum dignis & benemeritis ostendatur, vt per eorum omnium agnitionem, & plenæ sciētiæ gratiā, lætitia inenarrabili perfruantur. Tunc deinde si aër iste qui inter cœlum & terrā est, nō est vacuus ab animātibus, & animātibus rationabilib⁹, sicut & Apostolus dixit: In quibus aliquando ambulastis secundum seculū mundi huius, spiritus qui nūc operatur in filiis diffidentiæ. Et iterū ait: Rapiemur in nubibus obuiā Christo in aëra, & ita semper cū domino erimus. Putandū est igitur quod tādiu sancti ibi permaneant, vsquequo vtriusq; modi rationē dispensationis eorū quæ in aëre geruntur agnoscant. E Quod autē dixi vtriusq; modi, hoc est: verbi gratia, cum in terris essemus, vidimus vel animalia, vel arbores, & differentias eorum prospeximus, sed & diuersitatem quamplurimam inter homines: verùm videntes hęc rationem eorū non intelleximus, sed hoc nobis tantum ex ipsa quam vidimus diuersitate suggestum est, vt inquiramus & perscrutemur qua ratione ista omnia vel diuersa fuerint creata, vel variè dispensentur, & cōcepto in terris huiuscemodi vel studio, vel amore, dabitur nobis post exitum etiam cognitio eius & intelligentia: si tamen res procedat ex voto. Cum ergo cōprehenderimus integrè eius rationem, tunc vtroq; modo comprehendemus ea quæ vidimus super terrā. Tale ergo aliquid etiā de aërea sede dicendum est. Puto enim quod sancti quique discedentes de hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & (vt ita dixerim) auditorio vel schola animarū, in quo de omnibus his quæ in terris viderāt, doceātur, iudicia quoque quædā accipiant etiam de consequentibus & futuris, sicut in hac quoque vita positi iudicia quædā futurorum, licet per speculum in ænigmate, tamen ex aliqua parte conceperant, quæ manifestius & lucidius sanctis in suis & locis & temporibus reuelantur. Si quis sanè mundus corde, & purior mente, & exercitatior sensu fuerit, velocius proficiens, citò ad aëris locum ascendet, & ad cœlorum regna perueniet per locorum singulorum (vt ita dixerim) mansiones: quas Græci quidem sphæras, id est globos appellauerunt, scriptura verò diuina cœlos nominat. In quibus singulis primo quidem perspiciet ea quæ ibi geruntur, secundò verò rationem quare gerantur agnoscet: & ita per ordinem aggreditur singula, sequens eum qui transgressus est cœlos Iesum filium dei dicentem, Volo vt vbi sum ego, & isti sint mecum. F

Sed & de his locorum diuersitatibus indicat cum dicit, Multæ mansiones sunt apud patrem meum. Ipse tamen vbique est, & vniuersa percurrit. Vel vltra intelligamus eum non in ea exiguitate in qua nobis propter nos effectus est: id est non illa circunscriptione quam in nostro corpore in terris positus inter homines habuit, quomodo velut in vno aliquo circunseptus loco putetur. Cùm ergo (verbi gratia) ad cœlestia loca peruenerint sancti, tūc iam rationem astrorum per singula peruidebunt, & siue animantia sunt, siue quicquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum dei quas eis ipse reuelabit, intelligent. Iam enim tanquam filiis rerum causas, & virtutem suæ conditionis ostendet: & docebit eos quare illa stella cœli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spacio separatur. Verbi gratia,

Deut. 8.

Philip. 1.

In futuro æuo omniū rerum naturalium cognoscuntur rationes.

Legis quoque & scripturæ sacramēta.

In futuro sæculo agnoscuntur diuinæ prouidentiæ iudicia.

1. Thess. 4.

Græci veteres de conceptaculis animarum post mortē vsque ad diem iudicij sic philosophabantur.

Vide d. Athanasiũ quæstionib. ad Antiochum principem.

G si propinquior fuisset, quid ex hoc esset futurum: si verò longius, quid accideret: aut si maior fuisset illa stella quàm illa, quomodo similis non seruaretur diuersitas, sed in aliã quandam formam cuncta formarentur. Si decursis omnibus quæ in astrorũ ratione & in his conuersionibus quæ in cœlo sunt continentur, venient etiam ad ea quæ non videntur, vel ad ea quorum sola nomina nunc audiuimus, & ad inuisibilia: quæ multa quidem esse Paulus apostolus docuit, quæ autem sint, vel quam habeant differentiam, ne exiguo quidem aliquo intellectu coniicere possumus. Et ita crescens per singula rationabilis natura, non sicut in carne vel corpore & anima in hac vita crescebat, sed mente ac sensu aucta ad perfectam scientiam mẽs iam perfecta perducitur, nequaquam iam vltra istis carnalibus sensibus impedita, sed intellectualibus, incrementis aucta, semper ad purum, & (vt ita dixerim) facie ad faciem rerum causas inspiciens: potitúrque perfectione primo illa qua in id ascendit, secundò qua permanet, cibos quibus vescatur habens theoremata & intellectus rerum rationésque causarum. K Sicut enim in hac vita corpora nostra primo in hoc ipsum quod sumus corporaliter crescunt, in prima ætate ciborum sufficientia nobis incrementum præstante: postea verò quàm crescendi ad mensuram sui fuerit expleta proceritas, vtimur cibis iã non vt crescamus, sed vt viuamus & conseruemur in vita per escas: Ita arbitror & mẽtem etiam cum venerit ad perfectum, vesci tamen & vti propriis & competentibus cibis in ea mensura, cui neque deesse aliquid debeat, neque abundare. In omnibus autem cibus hic intelligendus est theoria & intellectus dei, habens mensuras proprias & competentes huic naturæ quæ facta est & creata. Quas mensuras singulos quosque incipientium videre deum, id est intelligere per puritatem cordis competit obseruare.

Ephe. I.

Cibus futuri sæculi theoria & intellectus Dei.

LIBER TERTIVS

PRÆFATIO RVFFINI.

H QVI legis, memor esto mei in tuis sanctis orationibus, vt & nos effici mereamur æmulatores spiritus. Superiores duos Peri archon libellos te non solum insistente, verum etiã cogente, diebus quadragesimæ interpretatus sum. Sed quoniam illis diebus etiam tu religiose frater Macari, & vicinius monebas, & amplius vacabas, etiam ego amplius operabar: hos verò posteriores duos tardius explicuimus, dum ad nos ab extrema & vltima parte orbis ratior exactor accedis. Verum si meministi quod in præfatiuncula priore commonui, quia indignaturi essent quidam si nos audissent nõn aliquid mali loqui, continuo id arbitror persecutum probasti. Quod si in illo opere ira inflãmati sunt hi qui hominum linguas ad male loquendum excitant dæmones, in quo nõdum eorum secreta ad plenum nudauerat: quid in hoc futurum putas, in quo omnes eorum cęcas & occultas vias quibus humanis cordibus irrepunt, & I animas infirmas ac fragiles decipiunt, reuelabit? Videbis illico perturbari omnia, seditiones moueri, clamores tota vrbe diffundi, ad damnationem vocari eum qui euangelicæ lucernæ lumine diabolicæ ignorantiæ tenebras fugare conatus est. Verum hæc paruipendat qui cupit salua fidei catholicæ regula in diuinis eruditionibus exerceri: illud autem necessario commoneo, quod sicut in prioribus libris fecimus, etiam in istis obseruauimus ne ea quæ reliquis eius sentẽtiis, & nostræ fidei contraria videbantur, interpretarer, sed velut inserta ea ab aliis & adulterata pręterirem. De creaturis vero rationabilibus si quid noui dixisse visus est, quia non in hoc est summa fidei, scientiæ gratia & exercitij cum forte nobis aduersum nonnullas hæreses tali ordine necessario respondendum est, neque in his libellis, neque in superioribus prætermisi, nisi si qua forte iam in superioribus dicta repetere etiam in his posterioribus voluit, & breuitatis gratia aliqua ex his resecare commodum duxi. Si quis tamen proficiendi & non obtrectandi studio hæc leget, rectius faciet si exponi sibi hæc à peritioribus velit. Absurdum nanque est poetarum ficta carmina, & Comœdiarum ridiculas fabulas à grammaticis exponi: & ea quæ de deo, vel cœlestibus virtutibus, ac de omni vniuersitate dicuntur, in quibus omnibus vel paganorũ philosophorum, vel hęreticorum prauus error arguitur, sine magistro & explanatione aliquem posse discere: & ita fit vt res difficiles & obscuras malint homines per temeritatem & inscitiam cõdemnare, quàm per diligentiã & studium discere.

De libertate arbitrij. Cap. I.

L TALIA quædam de repromissionibus diuinis credimus sentienda, cum intelligentiam nostram ad contemplationem æterni illius, & nullo fine claudendi seculi iaculamur, atque ineffabilem eius lætitiam, ac beatitudinẽ contemplamur. Verum quoniam in ecclesiastica prædicatione inest etiam de futuro dei iusto iudicio fides, quæ iudicij credulitas prouocat homines, & suadet ad bene præclaréque viuendum, & omni genere fugere peccatum: & sine dubio ad assentiendum inducit quod in nostra sint potestate quæ & laude & vituperio digna sunt: propterea necessarium reor pauca etiam de arbitrij libertate differere, eo quod non ignobiliter hæc quoque quæstio à quàm plurimis agitetur. Vt autem facilius quid sit libertas arbitrij cognoscamus, notio & intelligentia ipsius explicanda est: Omnium quæ mouentur, alia in semetipsis causas motuum gerunt, alia extrinsecus accipiunt: vtputa extrinsecus tantummodo mouentur omnia quæ loco mutantur, vt lapides, & ligna, & quæcunque materia est quæ sola habitudine cõtinetur. Omittenda sane nũc est illa quæstio quæ etiam illum motum putat esse, cum per fluxum corpora dissoluuntur: nihil enim nũc ad propositum conducit. Alia vero in seipsis habent mouẽdi causam, vt animalia, M vel plantæ & omnia quæ per naturam, vel per animam constant: inter quæ etiam metalla esse aiunt. Sed & ignis per se mobilis est, fortassis autem etiam & fontes aquarum. Hæc autem quæ in semetipsis causam suorum motuum habent, quædam dicuntur ex se, quædam à se moueri: & ita diuiduntur quod ex se quidem moueantur inanima: à se autem animantia, dum phantasia ipsis insita appetitum prouocat. Quin etiam in quibusdam animalibus inest talis phantasia, quæ ea naturali quodam instinctu prouocet & concitet ad ordinatos & compositos motus: sicut videmus araneas facere, quæ phantasia, ad opus texendi ordinatissimè concitantur, sine dubio naturali quodam motu intentionem huiuscemodi operis prouocante: nec tamen vltra alium sensum aliquem quàm texẽdi naturale studiũ habere ipsum animal inuenitur, sicut & apes fingendi fauos ac mella (vt aiunt) auaricia cõgregãdi. Rationabile vero animal quũ habeat in se & hos naturales motus, habet tamen amplius cæteris animalibus etiam rationis vim, qua iudicare & discernere has imaginationes possit, & alias reprobare & abiicere, alias vero probare atque suscipere, cuius rationis iudicio dirigi & gubernari hominis motus ad vitam probabilem possint. Vnde consequens est, vt quoniam natura rationis huius quæ est in homine, habet in se vim dinoscendi boni vel mali, idque cùm discernit, inest ei facultas etiam eligendi quod probauerit: in eligendo quidem quod bonum est, laudabilis: in sequendo verò quod turpe vel malum est, iure culpabilis iudicetur. Illud sanè nequaquam latere nos debet, quod in nonnullis

Ex se & à se.

A mutis animalibus ordinatior quidem motus cæteris animalibus inuenitur, vt in sagacibus canibus, vel bellatoribus equis, ita vt prope accedat vt sic dicam, ad ipsam rationis participationem. Sed id non tam ratione quàm incentiuo quodam, & naturali motu pro huiusmodi vsu largius indulto fieri credendum est. Verum vt dicere cœperamus, cùm ita se habeat irrationabile animal, nobis hominibus incidunt quędam extrinsecus & mouent variè phantasiam ex iis quæ extrinsecus occurrunt quæ certè, non est in nostra positum potestate ne incidant vel occurrant. Iudicare verò & probare qualiter vti debeamus his quæ incidunt, nullius alterius res est vel opus, nisi rationis eius quæ est in nobis. Cuius rationis iudicio incidentibus extrinsecus concitamentis abutimur ad id quodcunque ipsa ratio probauerit, naturalibus motibus nostris nutu eius, vel ad bona vel ad mala gubernatis. Si verò quis dicat ea quę extrinsecus accidunt motus nostros prouocantia, talia esse vt possibile non sit aduersari eis siue ad bonum siue ad malum nos concitantibus, in seipsum paulisper qui hoc existimat conuertat animum, & proprios diligentius inspiciat motus, nisi inuenerit cum alicuius desiderij pulsat illecebra, nihil prius geri quàm animi accommodetur assensus, vt suggestioni prauæ nutus mentis indulgeat: ita vt etiam verisimilibus quibusdam causis intra cordis nostri tribunalia velut iudici existenti ab vtraque parte adhiberi videatur assensio, vt causis prius expositis gerendi sententia de rationis iudicio proferatur. Non enim (vt verbi gratia dixerim) huic B qui statuit continenter & castè viuere, atque ab omni se muliebri contagio continere, si fortè apparuerit mulier prouocans eum, & alliciens aliquid contra propositum gerere, causa ei perfecta & absoluta vel necessitas præuaricandi mulier extitit: cum possit vtique statuti sui memor libidinis incitamenta refrænare & irritantis illecebræ delectamenta austerioribus virtutis increpationibus coercete: vt omni luxuriæ sensu fugatò, propositi firmitas & constantiæ perseuetet. Denique si eruditioribus quibusque viris, & in diuinis institutionibus roboratis huiuscemodi irritamenta prouenerint, memores continuo sui ea quæ dudum meditati sunt, & quibus eruditi sunt in memoriam reuocantes, & sanctioris se doctrinæ adminiculis munientes, respuunt ac refellunt omnem incitamenti illecebram, atque aduersas concupiscentias insitæ sibi rationis obiectione depellunt. Cùm ergo hæc ita esse naturalibus quodammodo testimoniis comprobentur, quomodo nō superfluum est gestorum nostrorum causas ad ea quæ extrinsecus sunt retorqueri, & à nobis culpam, in quibus omnis causa est, remoueri? Hoc est dicere, similes nos esse lignis vel lapidibus quæ intra se nullum habent motum, causas autem motus sui extrinsecus patiuntur. Quod vtique nec vere dicitur, nec decenter, sed ad hoc solum fingitur vt libertas arbitrij deradatur: nisi putemus ita demū posse constare arbitrij libertatem, si nihil sit quod nos extrinsecus incidens ad bona prouocet aut ad mala. Verum qui ad naturalem corporis intemperiem culparum refert causas, contra rationem id esse totius conditionis ostenditur. Quoniam e- C nim videmus in quam plurimis, cùm prius incontinenter intemperatéque vixissent, ac luxuriæ fuissent libidinísque captiui, si fortè verbo doctrinæ atque eruditionibus in melius prouocati sunt tantam extitisse commutationem, vt ex luxuriosis & turpibus sobrij & castissimi ac mansuetissimi redderentur: & rursum videmus in aliis quietis & honestis, qui se forte inquietis hominibus associarint, corrumpi mores bonos colloquio, & effici eos tales quales sunt illi quibus nihil ad turpitudinem deest: & hoc interdum venit matura iam ætate viris, ita vt continētiores in iuuētute vixerint, quàm cùm prouectior ætas facultatem vitæ liberioris indulsit: Consequentia ergo rationis ostendit, quod ea quidem quæ extrinsecus incidunt in nostra potestate non sunt: bene verò vel malè vti his quæ incidunt, ea ratione quę intra nos est discernente ac diiudicante quomodo his vti oporteat, nostræ est potestatis. Vt autem ea quæ ratio consequenter ostendit, etiam scripturarum autoritate firmemus, id est quod nostræ opis est rectè, vel minus rectè viuere, & non vel ex his quæ extrinsecus incidunt, vel (vt quidam putant) fatis vrgentibus cogimur, testimonium dabit Michæas propheta his verbis, *Mich. 6.* dicens: Si annūciatum est ô homo quid est bonum, aut quid D dominus requirit à te, nisi vt facias iudicium, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum domino deo tuo? Et Moysi *Deut. 30.* dicit: Posui ante faciem tuam viam vitæ & viam mortis, elige *Esa. 1.* quod bonum est, & incede cum eo. Et Esaias ita ait: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis. Si vero nolueritis, neque audieritis me, gladius vos consumet: Os enim domini loquutum est hoc. Et in Psalmis ita scriptum est: *Psal. 80.* Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, in nihilū vtique inimicos eius humiliassem. Per quod ostendit quod erat in populi potestate audire & incedere in viis dei. Sed & Saluator dicens, Ego autē dico vobis, nō resistere *Matt. 5.* malo: & quicunque iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio: & quicunque inspexerit mulierem ad concupiscendum eā, męchatus est iam in corde suo: & quum dat cætera quæque mādata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra potestate est observare posse quæ mandantur? Et propter hoc rectè rei efficimur iudicio, si præuaricemur ea quæ vtique seruare poteramus. *Matt. 7.* Vnde & ipse ait, quia omnis qui audit verba mea & facit ea, ostendam vobis cui similis est: similis est viro prudēti qui ędificauit domum suam super petram, &c. Et quod ait, Qui autem audit hæc & non facit, similis est viro stulto qui ædificauit domum super arenā, & reliqua. Sed & illud quod *Matth. 25.* dicit his qui à dextris eius sunt, Venite ad me omnes benedicti patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: euidenter ostendit quia in ipsis fuit vt vel laudabiles isti essent, facientes quæ mandata sunt, E & percipientes quæ promissa sunt: vel hi culpabiles, qui contraria vel audire vel percipere meruerunt, quibus dicitur, Ite maledicti in ignem æternum. Videamus quomodo etiam Paulus apostolus velut potestatem arbitrij habentibus nobis *Rom. 2.* loquitur, & tanquam in nobis ipsis vel salutis vel perditionis habentibus causas, ait: Aut diuitias bonitatis ac patientiæ ac longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impęnitens thesaurizas tibi iram in die iudicij, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secūdum opus eius: his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloria & incorruptio qui quærunt vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non credunt quidem veritati, credunt autem iniquitati, ira, indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæo primum & Greco. Similiter autem & honoratio & pax omni operanti bonum, Iudęo primum & Gręco. Multa quidem alia & innumera in sanctis scripturis inuenies, quę euidenter ostendēt habere nos arbitrij liberi potestatem. Verum quoniam inueniuntur in ipsis diuinis scripturis quędam verba ita posita, vt contrarium ex his aliquid videatur intelligi posse, proferentes ea in medium, & secundum pietatis regulam differentes, adhibeamus eorum absolutiones, quo ex his paucis quæ exposuimus, etiam cęterorum quę similiter dicta sunt, quibus arbitrij potestas videtur excludi, absolutio euidēs fiat. Igitur F quamplurimos mouēt ea quæ de Pharaone à deo dicta sunt, *Exod. 3.* dicente frequentius, Ego indurabo cor Pharaonis. Si enim à deo induratur, & per hoc quod induratur delinquit, non sibi ipse extitit causa delicti. Quod si ita est, non videbitur Pharao habere arbitrij libertatem, & iam consequenter afferetur quod hoc exemplo nec cæteri quidem qui pereunt, ex arbitrij sui libertate causam perditionis accipiunt. *Ezech. 11.* Sed & illud quod in Ezechiele scriptum est, quum dicit, Auferam eorum lapidea corda, & immittam eis carnea, vt in præceptis meis incedant, & iustitias meas custodiant: mouere possit aliquem pro eo quod à deo dari videtur, vel incedere in mādatis eius, vel iustificationes eius custodire: quippe si ipse id quod obstar ad custodienda mandata lapideum cor auferens, cor melius & sensibilius quod nunc carneum nominatur immittit & inserit. Vide autem etiam illud quod in euangelio dominus & saluator respondit ad eos, qui quęrebant de ipso qua- *Esa. 6.* re ad turbas in parabolis loqueretur, quale sit, ait enim: Vt videntes non videant, & audientes non audiant & intelligant, ne forte conuertantur & remittatur eis. Sed & illud quon- *Rom. 9.* dam à Paulo apostolo dictum est, quia non volentis, neque *Philip. 2.* currentis, sed miserentis est dei. Et in alio loco: Et velle & *Rom. 9.*

G perficere ex deo eſt. Et iterum in alio loco: Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Dices itaque mihi, Quid ergo adhuc culpamur? voluntati enim eius quis reſiſtet? O homo tu quis es qui contra reſpondeas deo? Nunquid dicit figmētum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere vas aliud quidē ad honorem, aliud autem ad contumeliam? Hæc & his ſimilia non parum videntur deterrere poſſe quamplurimos, ne putetur vnuſquiſque habere ſui arbitrij libertatem, ſed quod ex dei voluntate vel ſaluari aliquis vel perire videatur. Incipiamus igitur ab his quę ad Pharaonē dicta ſunt, quia à deo dicitur induratus ne dimitteret populum: cum quo pariter etiam apoſtoli ille ſermo tractabitur, quo ait: Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat. His enim pręcipue nituntur *Rom. 9.* hęretici dicentes non eſſe in noſtra poteſtate vt ſaluemur, ſed naturas eſſe animarum tales quę in omni genere vel pereant vel ſaluentur: nec vllo modo poſſit anima quę mala facta eſt, bona fieri: aut quę bona fuerit, mala effici. Vnde aiunt & Pharaonem, quoniam naturę erat perditę, propterea indurari à deo, qui indurat eos qui terrenæ naturæ ſunt, miſeretur autem eorum qui ſpiritalis naturę ſunt. Videamus ergo quale H eſt iſtud quod aſſerunt, & interrogemus eos primo, vt reſpōdeant nobis, ſi terrenæ naturæ quam perditam dicunt, aſſerūt fuiſſe Pharaonem. Reſpondebunt ſine dubio terrenæ. Si ergo terrenæ naturæ erat, credere deo vel obedire ei reſiſtente natura omnino nō potuit. Quod ſi hoc ei erat per naturam, quid ad hoc opus ei erat indurari cor eius, & hoc non ſemel, ſed frequenter, niſi quod vtique poſſibile erat eum ſuaderi? Nec indurari ab alio diceretur, niſi is qui ante non erat durus. Quod ſi ex ſe non erat durus, conſequens eſt vt nec fuerit terrenæ naturæ, ſed talis qui poſſet obſtupefactus ſignis & virtutibus cedere. Neceſſarium erat deo vt pro ſalute multorum in ipſo oſtēderet virtutem ſuam, dum reſiſtit plurimum, & obluctatur voluntati dei, & per hoc cor eius dicitur indurari. Hæc autem dicta ſint primo aduerſus illos, per quæ illa eorum ſubruatur aſſertio qua putāt naturaliter perditum fuiſſe Pharaonem. Sed & de his quæ ab apoſtolo Paulo dicta ſunt, ſimiliter aduerſus eos agamus. Quos enim indurat deus ſecundum opinionem veſtram? Nempe eos quos naturæ perditæ dicitis, quid aliud credo facturos ſi non fuiſſent indurati? Si vero ex induratione ad perditionem veniūt, iam non naturaliter, ſed ex accidentibus pereunt. Tunc deinde dicite nobis, quorum miſeretur deus? Nempe eorum qui ſal- *Baſilidiani* uandi ſunt. Et in quo iſti ſecunda miſericordia indigent, qui ſemel ſaluandi ſunt per naturam, & ad beatitudinem veniunt naturaliter, niſi quia etiam ex his oſtenditur quod quia perire eos poſſibile erat, idcirco miſericordiam conſequuntur, vt per hoc non pereant, ſed veniāt ad ſalutem, & piorum regna I poſſideant? Et hæc quidem dicta ſint aduerſus eos qui naturas bonas vel malas, id eſt terrenas, vel ſpiritales commotiones fabulis introducunt, ex quibus fieri dicunt, vt vel ſal- *Marcionitæ* uetur vnuſquiſque vel pereat. Nunc vero reſpondendum eſt etiam his qui deum legis iuſtum tantummodo volunt, non etiam bonum, quomodo putent à deo indurari cor Pharaonis quid faciente vel quid proſpiciente? Obſeruandus eſt enim proſpectus & intuitus dei, ſecundum nos quidem iuſti & boni, ſecundum ipſos vero iuſti tantummodo. Et oſtendant nobis quomodo deus quem vtique & ipſi iuſtum fatentur, iuſte faciat cor hominis indurari, vt ex ipſa induratione peccet & pereat: & quomodo in hoc dei iuſtitia defendetur, ſi ipſe iis cauſa perditionis exiſtit, quos pro eo quod duritie increduli extiterint, ipſe poſtmodum iudicis autori- *Exo. 12.* tate damnauit. Quid etiam culpat eum dicens, Tu autē quoniam non vis dimittere populum, ecce percutiam omnia primitiua in Ægypto, etiam primitiuum tuum, & quæcunque alia ſcripta ſunt per Moyſen dicta eſſe à deo ad Pharaonem? Neceſſe eſt enim omnem qui vera aſſerit ea quæ in ſcripturis referuntur, & oſtendere vult iuſtum eſſe deum legis & prophetarum, pro his omnibus reddere rationem, quomodo per hoc nihil prorſus dei iuſtitiæ derogetur: quoniam licet bonum eum neget, iuſtum tamen & iudicem & mundi creatorem fatentur. Alius enim reſponſionis ordo eſt aduerſus eos qui malignum, id eſt diabolū mundi huius aſſerunt creatorem. Nos vero quoniam nō ſolū iuſtum, ſed & bonum deū M fatemur, qui per Moyſen locutus eſt, reſpiciamus diligentius quomodo iuſto bonoque conueniat quod cor indurare dicitur Pharaonis. Et videamus ſi forte poſſumus ſequentes apoſtolum Paulum difficultatem rei exemplis quibuſdam ac ſimilitudinibus ſoluere, ſi oſtendimus quoniam vno eodémq; tempore deus alterius quidem miſeretur, & alium indurat, non agens neque volēs vt induretur ille qui induratur: ſed dū *Quo modo deus indurat vt dicitur.* ipſe benignitate ſua & patientia vtitur: his quidē qui eius benignitatem & patientiam ad contemptum atq; inſolentiam ducunt, induratur cor dum ad terminum pœna differtur: hi vero qui benignitatem & patientiam eius ad occaſionē pœnitentiæ & emendationis accipiunt, miſericordiam conſequuntur. Vt autem euidentius quod dicimus demōſtremus, *Heb. 6.* vtamur exēplo quo in epiſtola ad Hebræos vſus eſt apoſtolus Paulus dicens: Terra enim quæ bibit frequenter ſuper ſe venientem imbrem, & germinat herbā optimam his quibus colitur, percipiet benedictionē à deo: quę autē profert ſpinas & tribulos, reproba eſt & maledicto proxima, cuius finis ad exuſtionē. Igitur ex his quos aſſumpſimus Pauli ſermonibus euidenter oſtēditur, quod vno eodēq; opere dei quo imbrem terræ largitur: alia quidē terra diligenter exculta fructus afferat bonos: alia vero quæ neglígenter inculta eſt, ſpinas & tri- L bulos proferat. Et ſi quis quaſi ex perſona impiorū loquēs di- *Similitudo pluuiæ.* cat, ergo imber fecit fructus bonos, & ſpinas ac tribulos ego feci: quamuis durè dici videatur, vere tamē dicitur. Niſi enim imber fuerit, nec ſpinæ nec tribuli naſcerentur: ſuperueniēte vero pluuia vtrūq; terra produxit. Sed quāuis pluuiæ beneficio, terra germē vtrūq; produxerit, nō tamen imbribus merito diuerſitas germinis aſcribetur: ſed ad illos iure culpa ſeminis reflectetur, qui cū poſſent frequenti aratro terrā ſcindere, & raſtris grauibus torpēres glebas vertere, & omnes inutiles radices noxij germinis amputare atq; ſuccidere, cūctiſq; quibus cultus ille depoſcit laboribus ac ſtudiis purgata excultáq; noualia vēturis imbribus pręparare, hoc quidē facere neglexerūt. deſidiæ autē aptiſſimos fructus ſpinas ac tribulos metēt: ita vt bonitas & æquitas imbriū ſuper omnē terrā æqualiter veniat, ſed vno eodémq; opere pluuię, ea quidē terra quę culta eſt diligētibus cultoribus cum benedictione vtiles fructus proferat: ea vero quæ cultorū deſidia obduruit, ſpinas ac tribulos germinet. Sic ergò accipiamus quod ea ſigna & virtutes quę à deo fiebāt, imbres quidē erant, & à deo deſuper miniſtrati: propoſitū vero hominū & volūtates terra accipiēda eſt culta vel inculta: vnius quidem naturę, vtpote omnis terra cū terra, non tamen vnius eiuſdémque culturæ. Ex quo fit vt vniuſcuiuſq; propoſitū vel induretur virtutibus & mirabilibus dei, ſi incultū & ferū eſt & barbarum, & ſemetipſo ſuperbius ac ſpinoſius fiat: & miteſcat amplius, ac tota mente ſe in K obedientiā tradat, ſi purgatū à vitiis fuerit & excultum. Vnde *Alia ſimilitudo.* ad euidentiorē rei probationē ſuperfluū non erit vti etiā alia ſimilitudine: verbi gratia, ſi quis diceret quia ſol eſt qui reſtringit & qui reſoluit, cū cōtrarium ſit & reſolutio & cōſtrictio. Sed nō erit falſum quod dicitur, dū vna eadémq; caloris virtute ſol quidē cerā ſoluit, limū vero arefacit & ſtringit: nō quod virtus eius aliter in limo, & aliter operetur in cera, ſed quod limi alia, alia quoq; ceræ ſit qualitas, cū vtiq; ſecundum naturā vnū ſit, quia vtrūq; de terra eſt. Ita ergo vna eadémq; operatio dei quę per Moyſen in ſignis ac virtutibus gerebatur, Pharaonis quidē duritiā arguebar, quā malitiæ ſuę intentione cōceperat: reliquorū vero Ægyptiorū qui Iſraelitis admiſcebātur obedientiā declarabat, qui etiā cū Hebręis pariter exceſſiſſe Ægypto referuntur. Quod vero ſcriptum eſt, quia *Exod. 8.* paulatim edomaretur domus Pharaonis, vt aliquādo diceret, Nō longe abeatis, iter tridui abibitis, ſed vxores veſtras relinquite, & infantes veſtros & pecora veſtra: ſed & ſi qua alia ſcripta ſunt, per quæ paulatim videtur acquieſcere ſignis & virtutibus quid aliud ex his indicatur, niſi quod agebat quidē in eo aliquid ſignorū & mirabiliū virtus, nō tamē tantū quātū deberet operabatur? Si enim talis erat induratio qualem plurimi putāt, nō vtiq; inueniretur vel in paucis acquieſcere. Tropū vero vel figurā ſermonis eius qui ſcriptus eſt de induratione, etiā ex cōmuni cōſuetudine exponere puto quod nō videatur abſurdū. Frequēter enim benigniores quiq; domini ad

A ad eos seruos quia per multam patientiã & mansuetudinem dominorum insolentiores improbioresq; fiunt, dicere solẽt: Ego te talem feci, ego te perdidi, mea patientia te pessimum fecit, ego tibi causa huius tam duræ & pessimæ insolentiæ existo, qui te non statim per singulas culpas punio pro merito delictorum. Necesse est enim nos tropum vel figurã sermonem aduertere, & ita demum virtutẽ Dei intelligere, nec inferre calumnias verbo, cuius interiorem sensum diligẽtius exploremus. Denique apostolus Paulus euidẽter de talibus tradens, ait ad eum qui permanebat in peccatis, An diuitias bonitatis eius ac patientiæ & longanimitatis contẽnis, ignorans quia benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secũdum duritiam autem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die iudicij Dei. Hæc dicit apostolus ad eũ qui in peccatis est: conuertamus hæc ipsa nos ad Pharaonẽ dici, & vide si non ea etiam de ipso consonanter inuenies, quia secũdum duritiam eius & cor impœnitens thesaurizauit & recondidit sibiipsi iram in die irę, pro eo quod nunquam duritia eius ita argui & in manifestum venire potuisset, nisi signa & prodigia fuissent tam multa tamq; magnifica prosecuta. Quod si minus plenę videntur esse probationes quas diximus, & apostolicæ similitudinis parum munimenti habere adhuc videatur assertio: adhibeamus etiam propheticæ autoritatis assensum, & videamus quid etiam prophetæ pronuncient de his

Rom. 2.

B qui primo quidem recte viuentes, benignitatis Dei habere quamplurima experimenta metuerunt, postea vero homines deliquerũt: cum quibus se quoque vnũ faciens propheta ait: Vt quid domine errare nos fecisti à via tua? & quare indurasti cor nostrum vti non timeremus nomen tuũ? Conuertere propter seruos tuos, propter tribus hæreditatis capiamus de monte sancto tuo. Sed & Hieremias similiter dicit: Seduxisti nos domine, & seducti sumus: tenuisti, & potuisti. Quod ergo ait, Ad quid domine indurasti cor nostrum vti ne timeamus nomen tuum, dictũ ab his qui misericordiã precabãtur, morali vtique tropo accipiendũ est: velut quis dicat, vt quid intantũ pepercisti nobis, nec requisisti nos cum peccaremus, sed reliquisti nos vt per hoc incresceret malũ, & propagaretur peccãdi licẽtia animaduersione cessante? Sic equus si non assidui sessoris patitur calcem, & frenis ora ferratis obteritur, indurescit. Sic puerilitas si nulla plagæ assiduitate curuetur, insolẽtem simul & ad vitia pręcipitem iuuenẽ reddet. Relinquit ergo Deus, & negligit eos quos correptione iudicarit indignos. Quem enim diligit dominus corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Ex quo arbitrandũ est filiorum & in ordinẽ & affectũ recipi eos quia flagellari à domino meruerint & corripi, quo scilicet & per tentationum & tribulationũ patientiam possint etiã ipsi dicere: Quis nos separabit à charitate Dei quæ est in Christo Iesu? Tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculum? an gladius? Per hęc omnia manifestatur, & proditum vniuscuiusque propositum, &

Esa. 63.

Hier. 20.

Rom. 8.

C perseuerãtiæ firmitas indicatur, non tam deo quã nouit omnia antequam fiãt, quàm rationabilibus virtutibus, quæ vtiq; procuratione salutis humanę velut quædã adiutrices Dei ministręq; sortitę sunt. Hi vero qui nundũ se tanta cõstantia, neque tãto affectu offerũt Deo, neque parati sunt accedẽtes ad seruitutẽ Dei pręparare animas suas ad tentationẽ, derelinqui dicũtur à Deo, id est nõ erudiri, pro eo quod ad erudiendum parati nõ sunt, in posterũ sine dubio tẽpus eorũ dispẽsatione vel curatione dilata. Qui vtiq; quid à Deo consequẽtur ignorant, nisi prius ad beneficia consequenda per desideriũ venerint. Quod ita demũ fiet, si quis ante semetipsum cognoscat, & sentiat quid sibi desit: & quod sibi deest, à quo quęrere vel debeat vel possit intelligat. Qui enim non intellexerit prius infirmitatẽ vel ęgritudinẽ suam, medicum quærere nescit: vel certe cum receperit sanitatem nõ egerit gratias medico, quoniam nõ prius periculum sui languoris cognouit. Ita & si qui non prius animę suę vitia & peccatorum suorum cognouerit mala, ac proprij oris confessione prouiderit, purgari is absoluiq; nõ poterit, ne ignoret sibi per gratiam confessum fuisse quod possidet, & diuinã liberalitatẽ propriũ bonũ putet: quę res sine dubio arrogãtiam generet & elationem, & denuo ei causa sit ruinæ. Quod etiam de diabolo sentiendum est, qui primitus honores suos proprios & non à Deo datos esse credidit, quos habebat tũc cum immaculatus erat, & impleta est

D in eo illa sentẽtia quæ dicit, quod omnis qui se exaltat humiliabitur. Vnde mihi videtur quod ideo occultata sint prudẽtioribus & sapiẽtioribus diuina mysteria, queãdmodum scriptura dicit, vti ne glorietur omnis caro in conspectu Dei: & reuelata sint paruulis, his videlicet qui postea quàm infantes facti fuerint & paruuli, id est ad humilitatem se & simplicitatem reuocauerint paruulorũ, tunc proficiũt: & cum ad perfectionem venerint, meminerint vtique quod non iam suis virtutibus, sed gratia & misericordia Dei beatitudinẽ consecuti sunt. Igitur Dei iudicio derelinquitur is qui derelinqui debet: & patientiã habet Deus super nõnullis peccantibus, non tamẽ sine certa ratione. Sed & hoc ipsum quod patiẽs est, ad vtilitatem ipsorum facit, quoniam quidẽ immortalis est anima cuius curam & prouidentiam gerit. Et vtique quod immortale & ęternũ est, etiam si nõ cito curetur, nõ tamẽ excluditur à salute, quæ in tẽpora opportuniora differtur. Nam & fortassis expedit tardius cõsequi his qui venenis malitiæ profundioris infecti sunt. Sicut enim medici interdũ cũ possint celerius obducere vulnerum cicatrices, præsentem dissimulãt & differunt sanitatẽ melioris sanitatis firmiorisq; prospectu, dum melius esse norunt moram facere in tumoribus vulnerum, & maligni humoris fluentes paulisper sinere meatus, quàm festinare ad superficiẽ sanitatis, & obtrusis in venis fomitem venenati humoris includere: qui vtique exclusus à salutis meatibus serpet sine dubio in interiora membrorũ atq; ipsa vitalia viscerum penetrabit, non iam morbum corpori, sed vitæ illaturus exitium: Hoc ergo modo & Deus qui nouit occulta cordis, & prænoscit futura, per multã patientiam indiget fieri quædam quæ extrinsecus incidentia hominibus prouocẽt proferri, & in lucẽ procedere passiones & vitia quę celantur intrinsecus: vt per hæc expurgari & curari possint hi qui per multam negligentiam & incuriam peccatorum in se radices ac semina receperunt, vt eiecta foras atq; ad superficiem prouocata, euomi quodammodo possint & digeri: vt etiam si videatur quis in grauioribus affici malis dum membrorum omnium sustinet conuulsiones, possit tamen cessare aliquando & desinere, & satietatem capere malorum, & sic ad statum suum post multas molestias reparari. Deus enim dispensat animos non ad istud solum vitæ nostræ breue tempus, quod intra sexaginta fere, aut si quid amplius annos concluditur, sed perpetuum & æternum tempus, tanquam æternus ipse & immortalis, immortalium quoque animarum prouidentiam tenens. Incorruptibilem nanque fecit esse rationabilem naturam, quam ad imaginem suam ac similitudinem condidit: & ideo non excluditur breuitate tẽporis huius vitæ nostræ à curis & remediis diuinis anima quæ immortalis est. Sed assumamus etiam de euangeliis horum

Similitudo.

E

F quæ diximus similitudines, vbi refertur esse quædam petra habens paruam & exiguam terram, in quam si ceciderit semẽ cito memoratur exoriri, sed cum exortum fuerit, quoniã radicem non dedit in profundum, ascendente sole æstuari dicitur & arescere quod exortum est. Quæ vtique petra sine dubio pro anima posita est humana, pro sui negligentia indurata, & propter malitiam saxea effecta. Nulli enim à Deo cor lapideũ creatum est, sed per malitiã vnicuique, & inobedientiam cor lapideum fieri dicitur. Sic ergo si quis increpet agricolam quare non citius semina super terram petrosam iecerit, pro eo quod viderat ad eam terram petrosam accepta semina velociter germinasse: vtique respondebit agricola & dicet, quia idcirco tardius semino terram istã, vt possit semina quę susceperit retinere. Expedit enim huic tali terrę vt posterius seminetur, ne forte citius germinante segete, summa tenus soli fronte ea procedens solis æstibus obuiare non possit. Nõnne rationi & peritię aquiescet agricolæ, & quod prius sibi videbatur inconsequens, rationabiliter factum probabitur? Ita ergo Deus vniuersæ creaturæ suæ peritissimus agricola dissimulat & differt in aliud sine dubio tempus hæc quæ nobis videntur citius debuisse consequi sanitatem, vti ne superficies eorum magis quàm interna curentur.

Si vero quis nobis ad hoc obiiciat: quare ergo quædam semina cadunt etiam super terram petrosam, id est duram aliquam & saxeam animã: dicẽdum ad hoc quia ne hoc quidem

G absque diuinæ dispensationis fieri prouidentia potest: quia nisi per hoc cognosceretur quid condemnationis haberet temeritas auditus, & persecutionis improbitas, non vtique cognosceretur quid esset vtilitatis erudiri per ordinem. Et inde fit vt cognoscat anima vitium suum, seq; ipsam reprehendat, ac consequenter se culturæ reseruet ac tradat, id est vt videat sibi prius vitia resecanda, tum deinde ad instructionem scientię veniendum. Quia ergo sicut innumerabiles sunt animæ, ita & mores earum atque proposita, diuersiq; singularũ motus, & appetentiæ & incitamenta, quarum varietatem humana mens considerare nullatenus potest: ideo soli Deo ars & scientia & potentia dispensationis huiuscemodi relinquenda est, qui solus nosse potest & remedia singularum, & curationum tempus metiri. Ipse ergo qui solus (vt diximus) agnoscit singulorum mortalium vias, qua via etiam Pharaonẽ adducere deberet, vt per ipsum nomen suum nominaretur in vniuersa terra, pluribus plagis antea castigatum, & vsque ad Moysen maris adductum. In qua submersione non vtique putandũ est finitam esse erga Pharaonem prouidentiam Dei: non enim quia demersus est, continuo etiam substantialiter interisse putandus est. In manu enim Dei & nos & sermones nostri & omnis prudentia atque operum disciplina est, sicut scriptura dicit. Verum hæc pro viribus nostris desseruimus capitulum scripturę discutientes, in quo dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, & pro eo quod dictum est: Cui ergo vult miseretur, & quem vult indurat. Nunc videamus etiam de his quæ Ezechiel dicit quum ait: Auferam cor lapideum ab eis, & immitttam eis cor carneũ, vt in iustificationibus meis incedant, & præcepta mea custodiant. Si enim quum vult Deus aufert lapideum cor, & carneũ dat, vt pręcepta sua seruentur, & mandata custodiantur, neque malitiam auferre in nostra videbitur esse potestate. Auferri enim cor lapideum non aliud videtur esse, quàm malitiam qua quis obduratur abscindi à quo Deus vult. Neque quod mittitur cor carneum vt in præceptis ambuletur Dei, & seruentur mandata Dei, aliud est nisi obedientem fieri, & non resistentem contra veritatem, & hoc promittit Deus se facturum. Et si antequam auferatur cor lapideum deponere illud à nobis non possumus, consequens est vt in nostra potestate non sit abiicere malitiam, sed in Deo. Et iterum, si non in nostro actu est, vt fiat in nobis cor carneum, sed solius Dei opus est, non erit nostrum opus secundum virtutem viuere, sed in omnibus gratiæ opus videbitur. Hæc quidem dicunt hi qui volunt ex auctoritate diuinæ scripturæ differere nihil esse positum in nostra potestate. Quibus respondebimus hoc non taliter intelligi oportere, sed sicut si sit aliquis imperitus & indoctus, is quidem sentiens imperitiæ suę notam siue adhortatione cuiusquam, siue prudentium quorúmque æmulatione pulsatus, tradat se alicui à quo confidat posse se diligenter imbui, & competenter erudiri. Is ergo qui iam prius obdurauerat in imperitia, si se (vt diximus) cum omni animi intentione dat magistro, atque obtemperaturum se in omnibus repromittit, propositi eius intentione perspecta competenter etiam magister pollicebitur ablaturum se ab eo omnem imperitiam, & inserturum peritiã: nõ quo abnuenti discipulo, vel retinenti hoc se promittat esse facturũ, sed offerenti se atque in omnẽ obedientiam mancipanti. Ita & diuinus sermo promittit his qui accedunt ad se, ablaturum se esse cor lapideum: non vtique ab his qui se non audiũt, sed ab his qui doctrinæ suę pręcepta suscipiunt: sicut in euangeliis inuenimus ęgrotantes accedere ad saluatorẽ, rogantes vt percipiant sanitatẽ, & ita demũ curari. Et est quidẽ (verbi gratia) vt curentur cæci & videant, in eo quidem quod precati sunt saluatorem, & crediderunt ei posse ab eo curari, opus ipsorũ qui curati sunt: in eo vero quod eis redditur visus, opus est saluatoris. Ita etiam in hoc diuinus sermo promittit daturum se esse eruditionem auferendo cor lapideum, id est abstergẽdo malitiam, vt possint per hoc in diuinis ambulare præceptis, & legis mandata seruare. Post hoc propositum nobis est etiam illud de euangelio, quod Saluator dixerat, Propterea his qui foris sunt in Parabolis loquor, vt videntes videãt, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant, ne forte cõuertantur & remittatur eis. In quo dicet qui è diuerso respondet: si omni modo hi qui manifestius audient corrigentur & conuertentur, & ita conuertentur vt & digni sint percipere remissionem peccatorum: non est autẽ in ipsorum potestate vt audiant manifestum sermonem, sed in eius vtiq; potestate qui docet, vt apertius & manifestius doceat: is vero qui docet propterea se dicit manifeste eis non prædicare verbum ne forte audiant & intelligant & conuertantur & saluentur: non erit vtique in ipsis vt salui fiant. Quod si est, liberi arbitrij non erimus, vel ad salutẽ vel ad perditionem. Et siquidẽ nõ esset adiectũ quod dixit, Ne forte conuertantur & remittatur eis, posset pronior esse responsio: qua diceremus, quoniam nolebat eos quos Saluator præsciebat non esse futuros bonos, intelligere mysteria regni cœlorũ, & propterea loquebatur eis in Parabolis. Nunc autem cum adiectum sit, Ne forte conuertãtur & remittatur eis, difficilior efficitur expositio. Et primo quidem obseruandum nobis est, quid habeat munimenti locus iste etiam aduersus hæreticos, qui aucupari verba de veteri testamento solent, siqua forte videntur eis (vt ipsi intelligunt) de Deo creatore graue & inhumanum aliquid designare, vel cum iudicantis designatur vel punientis affectus, vel quomodo certe ipsi hæc nominare solent, ex quibus videlicet bonitatem denegent esse in creatore: quoniam non eadem mente, nec eodem sensu etiam de Euangeliis indicant, nec obseruãt siqua talia etiam in euangeliis posita sunt, qualia iudicant vel arguunt in veteri testamento. Euidenter enim in hoc capitulo Saluator ostẽditur (sicut ipsi dicunt) manifeste non loqui vt in eo conuertantur homines, & vt remissionem non accipiant peccatorũ. Quod vtique si secundum solam literam intelligatur, nihil omnino minus habebit ab eis quę in Testamento veteri criminãtur. Si vero etiam ipsius videntur hæc expositione indigere, siqua in nouo testamento ita posita inueniuntur: consequens & necessariũ erit, vt etiam ea quę in veteri testamento criminantur, simili expositione purgẽtur, vt per hæc vnius eiusdemq; probentur esse quæ in vtroque scripta sunt. Sed ad propositam quæstionem, prout possumus conuertamur.

Dicebamus prius de Pharaone disputantes quod interdũ curari citius non cedit in bonum, maxime si internis visceribus validius morbus grassatur inclusus. Vnde Deus qui occultorum cognitor est, & nouit vniuersa antequam fiant, pro multa benignitate sua differt horum talium curas, & medicinam protelat in longius, atque vt ita dixerim, curat eos dum non curat, ne eos prospera sanitas insanabiles reddat. Possibile ergo est vt apud eos quibus foris positis domini & saluatoris nostri sermo fiebat, pro eo quod scrutans corda & renes, præuidebat nondum aptos manifestioris eloquij recipere doctrinam, profundioris sacramenti fidem velato sermone contegeret: ne forte velociter conuersi ac sanati, id est peccatorum suorum remissione celeriter accepta, versa facie iterum in eundem reciderent morbum, quem senserant sine aliqua difficultate curatum. Quod vtiq; si fiat, nulli dubiũ est duplicari pœnam, & in alia augmẽta cumulari, dum non solum peccata quæ remitti visa fuerint repetuntur, verumetiam virtutis aula polluitur, si eam dolosæ & contaminatæ mentes plenæ intrinsecus malitiæ latentis inculcent, & quod nunquam in talibus remedium erit, qui post malitiæ impuros ac sordidos cibos degustata virtutis suauitate, dulcedine eius suis faucibus recepta, rursus se ad virulentos & mortiferos cibos nequitiæ conuerterunt? Et quis dubitat melius esse differri, & interim relinqui, vt si forte satietatem malitię aliquando ceperint, & horrescere potuerint sordes in quibus nunc interim delectantur, tunc demum competenter eis sermo Dei manifestetur, & non sanctum canibus mittatur, nec margaritæ iactentur ante porcos, qui conculcent eas pedibus, & insuper conuersi rumpant, impugnent eos qui sibi prædicauerunt verbum Dei? Ergo sunt qui foris esse dicuntur, sine dubio ad eorũ comparationem qui intus esse & manifestius audire verbum Dei referuntur. Audiunt tamen & isti qui foris sunt verbum, licet parabolis obtectum. Sunt autem alij pręter eos qui foris sunt, qui Tyrij appellantur, qui omnino non audiunt, & quidem prædicãte de eis Saluatore, quod olim in sacco & cinere iacentes, pœnitentiam egissent, si factæ fuissent apud eos virtutes quę apud alios factæ sunt, & tamen

Marginalia: Rom. 9. — Ezech. 11. — Ioh. 5. — Mt. 13. — Section letters: G, H, I, K, L, M

A & tamen non audiunt, ne ea quidem quę hi qui foris sunt, audiunt: credo pro eo quod longe horum inferior & nequior ordo esset in malitia, quàm eorum qui foris esse dicuntur, id est non longe ab his qui intus sunt & audire verbum licet in parabolis, merebantur: & quod fortassis dispensatio manet in illud tépus, quo tolerabilius erit in eis in die iudicij, quàm illis apud quos factæ sunt virtutes quæ scriptæ sunt: vt ita demum releuari tunc pondere suorum peccatorum facilius & tolerabilius per vitam salutis incedant. Verum illud est quod admonitos illos esse qui hæc legunt, volo, huiusmodi difficillimis & obscurissimis locis summo studio niti, non tam vt quæstionum absolutiones ad liquidū dispiciamus: hoc enim faciet vnusquisque prout spiritus dabit eloqui ei: sed vt pietatis regulā cautissima assertione teneamus, in eo quod prouidentiam Dei iuste omnia moderantem, & æquissimis dispensationibus pro singulorum meritis & causis regere immortales animas studemus ostendere: dum non intra huius seculi vitam dispensatio humana concluditur, sed futuri status causam præstat semper anterior meritorum status, & sic immortali & æterno æquitatis moderamine diuinæ prouidentiæ immortalis anima ad summā perfectionis adducitur.

Si quis tamen occurrat nobis pro eo quod diximus à deterioribus quibusq; & nequioribus consulto differri verbum prædicationis, cur his quibus collati Tyrij qui semper despe-B cti sunt, preferuntur, predicatus sit sermo: in quo vtique auctum est eis malum, & grauior eorum effecta est condemnatio, vt audirent verbum qui non erant credituri: hoc modo respondendum videtur. Deus qui vniuersarum mentium cōditor est, aduersus prouidentiam suam querelas prenoscens, præcipue eorum qui dicunt, quomodo credere poteramus, cùm neque viderimus ea quæ aliis prædicata sunt? intantum extra nos est culpa, vt hi quibus annunciatus est sermo, & signa monstrata sunt, nihilo omnino distulerint, sed obstupefacti ipsa prodigiorum virtute crediderint: volens arguere occasiones huiuscemodi querelarum, & ostendere quia non dissimulatio diuinæ prouidentiæ, sed humanę mentis arbitrium causa sibi perditionis existit: contulit etiam indignis & incredulis gratiam benefactorum suorū, vt vere omne os obstruatur, totumq; à se & nihil à Deo esse sibi mens humana cognoscat. Simul & quia grauius condemnatur is qui diuina beneficia sibi collata contempsit, quàm ille qui consequi ea vel audire non meruit, intelligat & agnoscat nunc esse diuinæ & ęquissimæ suæ dispensationis etiam hoc ipsum quod interdum dissimulat aliquibus præstare, vt vel videant vel audiant virtutis diuinæ mysteria, ne signorum virtutibus visis, & sapientię eius mysteriis agnitis & auditis, si contempserint grauiori impietatis animaduersione mulctentur. Videamus nunc & de eo quod dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Aiunt enim

Rom.9.

C hi qui è diuerso sunt: si non est volētis neque currentis, sed cui Deus miseretur, is saluatur, non est in nobis vt saluemur. Aut enim natura nostra talis est vt vel saluari possimus, vel nō saluari: aut certe in voluntate sola est eius, qui si vult, miseretur & saluat. A quibus primo quęritur hoc: velle bona, aut bonū est aut malū: & currētem festinare vt perueniat ad fidē boni, an laudabile est? Si quidē dixerint quod culpabile sit, aperte insanient. Omnes enim sancti & volunt bona, & currunt ad bona, & vtique culpabiles non sunt. Quomodo ergo si non saluatur, malę naturę est, vult bona, & currit ad bona, sed nō inuenit bona? aiunt enim quia arbor bona fructus malos non affert: bonus etenim fructus est velle bona. Et quomodo malæ arboris fructus est bonus? Quod si dixerint quia medium est velle bona, & currere ad bona, id est neque bonum neque malum, dicemus ad eos: Si medium est velle bonum, & currere ad bona, ergo & id quod his contrarium est, medium erit, id est velle mala, & currere ad mala. Sed certum est quia non sit medium velle mala, & currere ad mala, sed aperte malum est. Constat ergo quia non est medium velle bona, sed bonum. His ergo tali responsione depulsis, ad expositionem iam quæstionis ipsius properemus, in qua ait: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

In libro psalmorum, in Canticis graduum, qui Salomonis esse referuntur, hoc modo scriptum est, Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ędificant eam, Nisi

Psal.127.

D dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiūt eam. Per quæ verba non vtiq; indicat vt cessare debeamus ab ędificando, & à custodia ciuitatis eius quę intra nos est: sed hoc est quod ostēdit, quia quęcunque sine Deo ędificātur, & quęcunque sine eo custodiuntur, vane ędificant, & sine causa seruantur. In omnibus enim quę bene ędificātur, & bene saluātur, dominus vel ędificationis, vel tutelę auctor ascribitur. Vt verbi causa, si videamus aliquod magnificum opus & preclari ædificij moles decora constructione sublatas, nonne iure & merito dicemus, non hæc humanis viribus, sed diuina ope atque virtute constructa? nec tamen ex hoc cessasse humani studij labor atque industria designabitur. Vel iterum si videamus vrbem aliquam graui hostium obsidione circundatam, minaces inferri machinas muris, vallo, telis, ignibus, cunctisq; bellorum instrumentis quibus excidia parantur, vrgeri, si repelli hostis potuit & fugari, digne meritoq; liberatæ salutem à Deo prestitam dicimus, nec tamē per hoc defuisse vigilum excubias vrbi, procinctum iuuenū, & custodiētium vigiliam designamus. Ita & Apostolum dixisse intelligēdum est, cum ait: Non sufficit ad perficiendam salutem sola volū-

E tas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia, & ad capiēdam palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, prōptumq; propositum, & quęcunque illa in nobis esse potest industria, diuino vel iuuetur vel muniatur auxilio. Et ideo valde conuenienter dicit Apostolus, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quemadmodum ac si dicamus de agricultura illud quod scriptum est: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Sine Dei auxilio nulla salus.

1 Cor.3.

Sicut ergo cum bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo pie & conuenienter dicet quia fructus istos agricola fecit, sed à Deo fatebitur prestitos: ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus & otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo qui est prima & præcipua causa operis ascribetur. Sic cum nauis superauerit marina discrimina, quamuis multo labore nautarum, & omni nauticæ artis opere impenso, & gubernatoris studio atque industria adhibita res agatur, ventorū quoque aspirantibus flatibus & astrorum signis diligenter notatis: si tamen nauis vndis & fluctibus fatigata ad portum salua peruenit, nemo sani sensus nisi misericordię Dei salutē nauis ascribet. Sed ne ipse quidem nauta vel gubernator audet dicere, Ego saluaui nauē: sed totū ad Dei misericordiā refert: nō quod sentiat se nihil ad saluandum nauem vel artis adhibuisse vel laboris, sed quoniā sentit à se quidē laborem, salutem vero à Deo prestitā naui. Ita etiam in nostræ vitę cursu à no-

Deus prima & precipua causa bonorū operum.

F bis quidem dependendus est labor, & studium atque industria adhibenda: laboris nostri vero fructus à Deo speranda est salus. Alioquin si nihil nostri operis exposcit, superflua vtique videbuntur esse mandata frustra: etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse à veritate, & collaudat alios stantes in fide præcepta quędam & instituta ex superfluo tradit ecclesiis: frustra etiam nos ipsi vel volumus, vel currimus ad bona. Sed certum est quod hæc frustra nō fiunt, & certum est quod nec apostoli frustra præcipiūt: nec dominus sine causa dat leges. Superest ergo vt pronunciemus, vt magis bonis dictis hęretici calumniam faciant. Post hæc insequebatur illa quæstio, quoniam & velle & perficere esset ex Deo, & aiunt: Si ex Deo velle est, & ex Deo est perficere, siue bene siue male agamus vel volumus, ex Deo est. Quod si est, liberi arbitrij nō sumus. Ad quod respondendū est, quia sermo Apostoli nō dicit, quia velle mala ex Deo est neq; perficere bona, aut mala ex Deo est: sed generaliter ait, quia velle & perficere à Deo est. Sicut eñ à Deo habem⁹ hoc ipsum quod homines sumus, quod spiramus, quod mouemur, ita & quod volumus ex Deo habemus: vt sicut dicamus, quod mouemur ex Deo est, vel quòd singula quęque mēbra officio suo deseruiunt & mouētur, ex Deo est. Ex quo vtique non illud intelligitur, quia quod mouetur manus (verbi causa) ad verberandum iniuste, vel ad furādum, ex Deo est: sed hoc ipsum quod mouetur ex Deo est, nostrum vero est motus istos quibus

Absurda quæ sequūtur ex remotione liberi arbitrij.

Aliud argumentum hæreticorū.

G motum ex Deo habemus, vel ad bona vel ad mala conuertere. Ita ergo est quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis vel in malis desideriis. Similiter quoque & de effectibus sentiendum est. Sed de eo quod dixit Apostolus, Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat: dicet ergo mihi, quid quæritur, voluntati enim eius quis resistet? Enimuero homo tu quis es, qui contra respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam? Dicet fortassis aliquis: Sicut figulus ex eadem massa facit alia quidem vasa ad honorem, alia autem ad contumeliam, ita Deus alios ad perditionem, alios ad salutem facit. Non est ergo in nobis vel saluos fieri, vel perire: per quod non videmur nostri esse arbitrij. Respondendum est ergo his qui hæc ita intelligunt: si potest fieri vt possit Apostolus sibiipsi contraria proloqui? Quòd si hoc sentiri non potest de Apostolo, quomodo videbitur secundum eos iuste culpare eos qui in Corintho fornicati sunt, vel eos qui deliquerunt, & pœnitentiam non egerunt, in impudicitia & fornicatione & immunditia quam gesserunt? Quomodo etiam collaudat eos qui recte egerunt, sicut Onesiphori domum, dicens: Det autem dominus salutem Onesiphori domui, quia frequenter me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset, sollicite requisiuit me, & inuenit, det illi dominus inuenire misericordiam apud dominum in illo die? Non ergo est apostolicæ grauitatis culpare quidem eum qui culpa dignus est, id est qui peccauit, & collaudare eum qui laude dignus est, pro opere bono, & rursum (cum in nullius sit potestate agere aliquid boni vel mali) dicere creatoris esse opus, vt vnusquisque vel bene agat, vel male, cum aliud ad honorem vas faciat, aliud ad contumeliam? Quomodo autem illud quoq; addit, Quia omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque nostrum in corpore suo prout gessit, siue bonum siue malum? Quæ enim boni retributio ei qui malum facere non potuit, ad hoc ipsum à creatore formatus? vel quæ pœna digne irrogabitur ei qui bonum facere ex ipsa conditoris sui creatione non potuit? Tunc deinde quomodo non contrarium est huic assertioni illud quod alibi dicit, In domo autem magna non sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliã? Si ergo quis emundauerit semetipsum ab his, erit vas ad honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum paratum. Ergo qui se emundauerit, efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias purgare contempserit, efficitur vas ad contumeliam. Ex quibus sententiis nullatenus (vt opinor) causa gestorum ad creatorem referri potest. Nam facit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vasa ad contumeliam: sed illud vas quod se purgauit ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem: quod vero vitiorum sordibus se maculauerit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc, quia prius gestorum vniuscuiusque causa præcedit, & pro meritis suis vnusquisq; à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ. Vnde vnumquodque igitur vas vt vel ad honorem à creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit conditori. Quòd si iusta hęc videtur assertio, sicut est certe iusta, & cum omni pietate concordans, vti ex præcedentibus causis vnumquodque vas vel ad honorem Deo vel ad contumeliam præparetur: non videtur absurdum eodem ordine atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores causas eadem etiam de animarum ratione sentire, & hoc esse in causa quòd Iacob dilectus est etiam dum adhuc in ventre matris haberetur. Sed & illud quod dictum est, quòd ex eadem massa & honoris & contumeliæ vas fiat, non nos poterit coarctare: vnam etenim naturam omnium esse dicimus rationabilium animatum, sicut vna luti massa subiacere figulo designatur. Cùm ergo vna omnium sit natura rationabilium creaturarum, ex ipsa Deus secundum pręcedentes meritorum causas, sicut ex vna massa figulus, creauit & plasmauit alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam. Quod vero velut increpantis est Apostoli sermo, quando dicit, O homo tu quis es, qui contrà respondeas Deo? puto illud esse K quod ostendit ex hoc, quoniam ad fidelem quenque recte & iuste viuentem & habentem fiduciam apud Deum, talis increpatio non refertur. Talis erat Moyses ille de quo dicit scriptura, quia Moyses loquebatur, Deus autem respondebat ei cum voce: & sicut respondebat Moysi, ita respondet & sanctus quisq; deo. Qui vero infidelis est, & perdit apud Deum fiduciam respondendi vitæ suæ & conuersationis indignitare, quíque de his non ideo quærit vt discat & proficiat, sed vt contendat & resistat: & vt manifestius dicam, qui talis est qui hæc possit dicere quæ significat Apostolus dicens, Quid ergo adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis resistet? ad hunc recte increpatio ista dirigatur quam dicit Apostolus, O homo tu quis es qui contra respondeas Deo? Est ergo increpatio hæc non ad fideles, sed ad impios. His vero qui diuersas animarum introducunt naturas, & sermonem hunc apostolicum ad assertionem dogmatis sui trahunt, hoc modo respondendum est. Sed constat etiam apud ipsos hoc, quod ex vna massa fieri dicit Apostolus, & eos qui ad honorem, & eos qui ad contumeliam fiunt, quos ipsi saluandæ & perditæ naturæ vocant, sed vna omnium. Et si acquiescunt quod vnus atque idem figulus vnum sine dubio creatorem designet, diuersi non erunt creatores, vel eorum qui saluantur, vel eorum qui pereunt. Iam sanè eligant, vtrum de bono velint intelligi qui creat malos & perditos: an de bono qui creat bonos, & ad honorem paratos. Vnum enim è duobus necessitas ab eis L responsionis extorquet. Secundum nostram vero assertioné, qua ex præcedentibus causis Deum dicimus vel ad honorem vasa, vel ad contumeliam facere, in nullo approbatio Dei iustitiæ coarctatur. Possibile namq; est vt vas hoc quod ex prioribus causis in hoc mundo ad honorem factum est, si negligentius egerit, pro conuersationis suæ meritis in alio seculo efficiatur vas ad contumeliam: & quod vas ad contumeliam à creatore formatum est, vt emendauerit se, atque ab omnibus sordibus vitiísque purgauerit, illo nouo seculo potest effici vas ad honorem sanctificatum, & vtile ad omne opus bonum paratum. Deniq; qui in hoc seculo vt Israelitæ essent à Deo formati sunt, & indignam vitam generis sui nobilitate gesserunt, atque ab omni familiæ suę generositate deciderũt, isti quodammodo ex vasis honoris pro incredulitate sua in seculo venturo in vasa contumeliæ conuertentur: & multi rursum qui in hac vita inter Ægyptia vel Idumæa deputati sunt vasa, Israëlitarum fide ac conuersatione suscepta, cum opera Israëlitarum fecerint, ecclesiam domini ingressi in reuelatione filiorum Dei vasa honoris existent. Ex quo magis conuenit regulæ pietatis, vt credamus vnumquenque rationabilium secundum propositum & conuersationem suã aliquando ex malis ad bonum conuerti, aliquando à bonis ad mala M decidere: nõnullos manere in bonis, alios vero etiam ad meliora proficere, & semper ad superiora conscendere, vsquequo ad summum omnium peruenient gradum: alios vero manere in malis, vel si diffundere se vltra in eis malitia cœperit, proficere in pœnis, & vsque ad vltimum profundum malitiæ demergi. Vnde & arbitrandum est possibile esse aliquos qui primo quidem à paruis peccatis cœperint, in tantam malitiam diffundi, & in tantum malorum venire profectum, vt nequitiæ modo & aduersariis potestatibus exæquentur: & rursum si per multas pœnarum graues animaduersiones resipiscere aliquando potuerint, & paulatim medelam vulneribus suis requirere tentauerint, cessante malitia repatari posse ad bonum: Ex quo opinamur quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima, & æterna, quod in multis & sine fine spatiis per immensa & diuersa secula possibile est vt à summo bono ad infima mala descendat, & ab vltimis malis ad summa bona reparetur. Verum quoniam Apostoli in his quidem quæ de vasis honoris, vel contumeliæ dicit, quia si quis seipsum mundauerit, erit vas ad honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum semper paratum, nihil videtur in Deo posuisse, sed totum in nobis: in his vero in quibus ait, Potestatem habet figulus luti de eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deũ retulisse: non est accipiendum sibi esse contraria, sed vterque sensus ad vnum vocandus

Rom. 9. — *Aliud hæreticorũ argumentũ.* — *2. Tim. 1.* — *2. Cor. 4.* — *2. Tim. 2.* — *Redit ad suũ errorẽ de antiquitate animorum.* — *Rom. 9.* — *Cautela* — *Errat* μετεμ... χώσ... — *2. Tim.*

A vocandus, & è duobus vnus effici debet intellectus: id est, vt neque quæ in nostro arbitrio sunt, putemus sine adiutorio Dei effici posse: neque ea quæ in manu Dei sunt, putemus absque nostris actibus, & studiis, & proposito consummari: scilicet quo neque nos velle aliquid vel efficere ex nostro iam habeamus arbitrio, vt nõ scire debeamus hoc ipsum quod possumus velle vel efficere, à Deo nobis datum esse secundum eam distinctionem quam supra diximus. Vel rursum cum Deus fingit vasa, alia quidem ad honorem, alia vero ad contumeliam, putandum est quod non honoris vel contumeliæ causas tanquam materiam quandam nostras vel voluntates, vel proposita, vel merita habeat, ex quibus vas singulorum nostrorum, vel ad honorem, vel ad contumeliam fingat, dum motus ipse animæ vel propositum mentis de seipso suggerat illi quem non latet cor & cogitatio animi, vtrum ad honorem fingi vas eius, an ad contumeliam debeat. Sed ista sufficiant, prout potuimus de liberi arbitrij quęstione agitata.

Arbitriũ non sine dei adiutorio, nec contra.

De contrariis potestatibus. Cap. II.

DE contrariis potestatibus videndum nunc est secundum scripturas, quomodo contrariæ virtutes, vel ipse diabolus reluctantur humano generi prouocantes & instigantes ad peccatum. Et primo quidem in Genesi serpens Euam B seduxisse describitur: de quo in ascensione Moysi (cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas) Michaël archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait diabolo, inspiratum serpentem causam extitisse præuaricationis Adæ & Euæ. Sed & illud requiritur à quibusdam: quis est angelus qui de cœlo loquitur ad Abraham dicens, Nunc cognoui quoniam tu times Deum, non pepercisti filio tuo dilecto quem dilexisti pro me? Manifeste enim angelus fuisse describitur, qui dicit cognouisse se tunc quia timeret Deum Abraham, & non pepercisti filio tuo sicut scriptura dicit: sed non declarauit quia pro Deo, sed pro se, hoc est pro eo qui hoc dicebat. Requirendum est etiam illud de quo in Exodo dicitur, quia voluerint interficere Moysen pro eo quod abibat in Ægyptum. Sed & postea qui est qui exterminator angelus dicitur: nec non & ille qui sit qui in Leuitico scriptus est Apopompæus, id est transmissor, de quo ait ita scriptura: Sors vna domino, & sors vna Apopompæo, id est transmissori. Sed & in primo libro Regnorum, spiritus pessimus Saulem dicitur effocare. In tertio vero libro Michæas propheta dicit, Vidi dominum sedentem super thronum suum, & omnis militia cœli stabat circa eum à dextris eius, & à si- C nistris eius. Et dixit dominus, Quis seducet Achab regem Israël, vt ascendat & cadat in Camoth Galaad? Et dixit iste sic, & ille dixit sic. Exiit spiritus, & stetit in conspectu domini, & dixit, Ego seducam eum. Et dixit dominus ad eum: In quo? Et dixit, Exeam, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ipsius. & dixit: Seduces, & quidem poteris. Exi ergo, & fac cito sic. Et nunc dedit dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum: Dominus locutus est super te mala. Manifeste enim per hoc ostẽditur quod voluntariè & proposito suo elegit spiritus quidem vt seduceret, & mendacium operaretur quo abutitur Deus ad necem Achab, qui hoc pati dignus erat. In primo quoque libro Paralipomenon, suscitauit, inquit, diabolus Satan in Israël, & concitauit Dauid vt numeraret populum. In psalmis vero, angelus malus atterere dicitur quosdam. In Ecclesiaste quoque Salomon ait: Si spiritus potestatem habentis, ascenderit super te, locum tuum ne dimittas, quoniam sanitas compescet peccata multa. In Zacharia verò legimus diabolum stantem à dextris Iesu, & resistentem ei. Esaias vero air gladium domini exurgere super draconem serpentem peruersum. Quid autem dicam de Ezechiel in secunda visione ad principem Tyri manifestissime de virtute contraria prophetante? Qui etiam in fluminibus Ægypti draconem dicit habitare. Totus autem liber qui scriptus est de Iob, quid aliud quam de diabolo continet, petente potestatem sibi dari omnium quæ habet Iob, & filiorum eius, insuper corporis eius? Qui tamen per eius patientiam vincitur. In quo libro multa responsis suis edocuit dominus de aduersante no- D bis virtute draconis istius. Hæc interim ex veteri Testamento, quantum ad præsens memoriæ succurrere potuerunt, dicta sint de eo quod contrariæ virtutes vel nominantur in scripturis, vel humano generi dicuntur aduersari postmodum puniendæ. Videamus autem & in nouo Testamento, vbi Satanas ad Saluatorem accedit, tentans eum. Spiritus verò maligni, & dæmonia immunda quæ aliquantos obsederant, fugara sunt à Saluatore de corporibus patientium, qui & liberati ab eo dicuntur. Sed & Iudas cum iam diabolus misisset in cor eius vt traderet Christum, postea etiam totum Satanam suscepit in sese. Scriptum est enim quia post buccellam introiuit in illum Satanas. Paulus vero apostolus docet nos non debere dare locum diabolo, sed induite, inquit, arma Dei, vt possitis resistere aduersus astutias diaboli: designans luctamen esse sanctis non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Sed & Saluatorem crucifixum esse dicit à principibus huius mundi qui destruentur, quorum etiam sapientiam dicit se non loqui. Per hæc igitur omnia docet nos scriptura diuina esse quosdam inuisibiles hostes dimicantes aduersus nos, & præcipit armari nos debere contra eos. Vnde & simpliciores quique domino Christo credentium existimant, quòd omnia peccata quæcunque E commiserint homines ex istis contrariis virtutibus mentem delinquentium perurgentibus fiant, pro eo quod in certamine isto inuisibili superiores inueniantur potestates. Quòd si, verbi causa, diabolus non esset, nemo hominum omnino delinqueret. Nos vero rationem dilucidius intuentes, hæc ita esse non arbitramur, considerantes ea quæ manifeste ex corporali necessitate descendunt. An verò putandum est quod diabolus esuriendi causa nobis existat? Neminem esse puto qui hoc audeat affirmare. Si ergo esuriendi & sitiendi non nobis ipse sit causa, quid aliud cum vniuscuiusq; ætas ad virilitatis tempus aduenerit, & naturalis caloris incentiua suggesserit? Consequẽs est sine dubio, vt sicut esuriendi & sitiendi diabolus causa non est, ita nec eius quidẽ motus qui adultę ætati naturaliter suggeritur, id est appetendi coitus desiderium. Quam causam non vtique semper à diabolo moueri certum est, ita vt putandum sit quia si diabolus non esset, huiuscemodi admixtionis desiderium corpora non haberent.

Tum deinde consideremus si (vt superius ostendimus) cibus hominibus non ex diabolo, sed naturali quodam appetitur instinctu, vtrum posset fieri vt si diabolus non esset, humana experientia tanta in percipiendo cibo disciplina vtere- F tur, vt nunquam penitus excederet modum, id est, vt vel aliter quam res posceret, vel amplius quàm ratio indulgeret, accipere, & nunquam eueniret hominibus in seruando tibi modo mensuráque delinquere. Ego quidem non arbitror hoc ab hominibus potuisse seruari, etiam si nulla diaboli prouocasset instinctio, vt percipiendi cibi modum disciplinámque nullus excederet, priusquam id longo vsu experientiáque didicissent. Quid igitur est? In escis quidem & potu possibile erat delinquere nos, & sine diabolicis incitamentis, si forte minus continentes, vel minus industrij fuissemus inuenti: in appetendo vero coitu, vel naturalibus desideriis tentandis, putandum est quod non simile aliquid pateremur? Arbitror autem quod eadem rationis consequentia etiam in cæteris naturalibus motibus possit intelligi, cupiditatis, vel iræ, vel tristitiæ, vel in omnibus omnino quæ per intemperantiæ vitium, modum mensuræ naturalis excedunt. Euidens igitur ratio est, quia sicut in rebus humanum propositum solum per seipsum imperfectum est ad cõsummationem boni, adiutorio namque diuino ad perfecta queque perducitur: ita etiam in contrariis initia quædam, & velut quædam semina peccatorum ab his rebus quæ in vsu naturaliter habentur, accipimus. Cùm verò indulserimus vltra quam satis est, & non substiterimus aduersus primos intemperantię motus, tunc primi huius delicti accipiens locum, virtus inimica instigat, & perurget omnibus modis, studens profusius dilatare peccata, & quidem nobis hominibus occasiones & initia præbentibus peccatorum, inimicis autem potestatibus la-

Gen. 3. Iudæ. 1. Gen. 22. Exod. 2. Leui. 16. 1. Reg. 18. 3. Reg. 22. 1. Para. 21. Eccl. 10. Zach. 3. Esa. 27. Ezec. 27. Iob. 1. Matt. 4. Ioan. 13. Ephe. 6. 1. Cor. 2. Nõ omnia peccata è diaboli instinctu.

G tius ea & longius ſi fieri poteſt, abſque vllo fine propagantibus. Ita denique in auaritiam lapſus efficitur, cum primo homines parum quid pecuniæ deſiderant, augeſcente vitio cupiditas increſcit. Poſt hoc iam cum etiam cæcitas mentis ex paſſione ſucceſſerit, inimicis ſuggerentibus ac perurgentibus, pecunia iam non deſideratur, ſed rapitur, & vi, aut etiam ſanguinis humani profuſione conquiritur. Ad certiorem denique rei fidem, quod immenſitates iſtæ vitiorum à dæmonibus veniant, contemplari etiam ex eo facile poteſt, quod nihil minus his qui corporaliter vexantur à dæmonibus, etiam illi patiuntur, qui vel immoderatis amoribus, vel iræ intemperantia, vel nimietate triſtitiæ perurgentur. Nam & in nonnullis hiſtoriis refertur, quod in inſaniam quidam ex amore deciderunt, alij ex iracundia, nonnulli ex triſtitia vel nimio gaudio: quod arbitror ex eo accidere, quia contrariæ iſtæ virtutes, id eſt dæmones, loco ſibi in eorum mentibus dato per intemperantiam prius, ſenſum eorum penitus poſſederint, maxime cum nulla eos ad reſiſtendum virtutis gloria concitarit. Quod autem ſint quædam peccata quæ non à contrariis virtutibus veniant, ſed ex naturalibus corporis motibus initium ſumant, manifeſtiſſime declarat apoſtolus Paulus in eo dum dicit: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc ſunt quæ ſibi inuicem reſiſtunt, vt non quæ vultis illa faciatis. *Gal. 5.* Si ergo caro H concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, eſt nobis aliquando colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, id eſt cum homines & ſecundum carnem ambulemus, & cum non poſſimus tentari in maioribus tentationibus quàm humanis, cum dicitur de nobis: Tentatio vos non comprehendat niſi humana. *1. Cor. 10.* Fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Sicut enim hi qui agonibus præſunt, eos qui ad certamen veniunt, non vtcunque, neque fortuitu inter ſe ſinunt inire certamina, ſed diligenti examinatione prout corpora viderint, vel ætates, æquiſſima comparatione iungentes illum cum illo: verbi gratia, pueros cum pueris, viros cum viris, qui ſibi vel æui vel roboris propinquitate conueniant: Ita intelligendum eſt etiam de diuina prouidentia, quod omnes qui in hos humanę vitæ deſcenderint agones, iuſtiſſima moderatione diſpenſet ſecundum rationem vniuſcuiuſque virtutis, quàm ipſe ſolus qui ſolus corda hominum intuetur, agnoſcit: vt alius quidem pugnet, aduerſus carnem talem, & alius quidem in tantum tempus, alius vero in tantum, & vt alter inſtiget carnem in hoc vel illud, alius vero in aliud: tum vero vt alius reſiſtat aduerſus inimicam poteſtatem illam vel illam, alius vero aduerſus duas I vel tres ſimul, aut nunc quidem aduerſus aliam, nunc iterum aduerſus aliam, & certo tempore quo aduerſus illam, & certo quo aduerſus aliam, vel poſt quæ geſta aduerſus quas pugnet, poſt quæ vero aduerſus malitias. Intuere enim, ne forte tale aliquid indicetur per hoc quod dicit Apoſtolus. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, id eſt pro eo quod ſinguli pro virtutis ſuæ quantitate, vel poſſibilitate tentatur. Nec tamen quoniam diximus iuſto iudicio vnumquenque pro virtutis ſuæ quantitate tentari, idcirco putādum eſt, quia omni genere debeat vincere qui tentatur: ſicut ille quidem qui in agone contendit, quamuis æqua moderatione comparatus ſit aduerſario, non tamen omni genere vincere poterit. Verum niſi æqualis fuerit certantium virtus, non erit iuſta palma vincentis, nec iuſtè culpabitur victus, propterea quod permittit quidem nos tentari, non tamen ſupra id quod poſſumus: pro viribus enim noſtris tentamur: nec tamen ſcriptum eſt, quia faciet in tentatione etiam exitum vt ſuſtinere poſſimus. Vt vero hoc quo poſſe nobis ipſe dedit vel ſtrenue, vel ſegniter impleamus, in nobis eſt. Dubium enim non eſt quod in omni tentatione adeſt nobis tolerandi virtus, ſi tamen nos competenter vtamur virtute conceſſa. Non enim idem eſt habere vincendi virtutem & vincere, ſicut ipſe Apoſtolus cautiſſimo ſermone ſignauit, dicens quia dabit Deus exitum vt ſuſtinere poſſitis, non vt ſuſtineatis. Multi enim ſuſtinent, ſed in tentatione vincuntur. A deo autem datur, non vt ſuſtineamus: alioquin nullum iam videretur eſſe certamen: ſed vt ſuſtinere poſſimus. Ea autem virtute quæ nobis data eſt vt vincere poſſimus ſecundum liberi arbitrij facultatem, aut induſtriè K vtimur & vincimus, aut ſegniter & ſuperamur. Si enim totum nobis hoc detur, vt omni genere ſuperemus, & nullo modo vincamur, quæ iam ſupereſt cauſa certandi ei qui vinci non poteſt? Aut quod palmæ meritum, vbi repugnandi adimitur vincendíque facultas? Si vero æquè quidem omnibus nobis vincendi poſſibilitas præbeatur, in noſtra autem poſitum ſit poteſtate, quomodo hac poſſibilitate vti debeamus, id eſt vel induſtriè, vel ſegniter, iuſta erit vel victi culpa, vel palma victoris. Igitur ex his quæ pro viribus noſtris diſputata ſunt, arbitror quod euidenter apparuit eſſe quædam delicta quæ nequaquam malignis virtutibus perurgentibus committamus, alia vero eſſe quibus inſtinctu earum ad nimietatem quandam immoderationémque prouocemur. Vnde conſequens eſt nunc inquirere quomodo ipſæ contrariæ virtutes hæc ipſa incitamenta operentur in nobis. Cogitationes quæ de corde noſtro procedunt, vel memoria quorumcunque geſtorum, vel quarumlibet rerum cauſarúmque contemplatio, inuenimus quod aliquoties ex nobis ipſis procedant, aliquoties ex contrariis virtutibus fieri ſoleant. Quod Salomon in Eccleſiaſte teſtatur hoc modo: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimittas, quoniam ſanitas compeſcit peccata multa. *Eccl. 10.* Et Paulus apoſtolus de iiſdem teſtimonium dabit, dicens: Cogitationes deſtruentes, & omnem elationem quæ ſe extol- L lit aduerſus ſcientiam Chriſti. *2. Cor. 10.* Ex Deo autem quod fiat, Dauid nihilominus teſtatur in pſalmis dicens: Beatus vir cuius eſt ſuſceptio apud te domine, aſcenſus in corde eius. *Pſal. 84.* Et Apoſtolus dicit: Quoniam Deus dedit in corde Titi.

Quod verò etiam per angelos vel bonos, vel malos aliqua humanis cordibus ſuggerantur, vel qui Tobiam angelus comitatur, vel Prophetæ ſermo dicentis, Et reſpondit angelus loquebatur in me: *Zach. 1.* ſed & de Paſtoribus liber hæc eadem declarat, dicens quod bini angeli ſingulos quoſque hominum comitentur: & ſi quando bonæ cogitationes cor noſtrum aſcenderint, à bono angelo ſuggeri dicit: ſi vero contrariæ, mali angeli dicit eſſe inſtinctum. *Paſtor Herma hæc habet mandato ſexto.* Eadem quoque Barnabas in epiſtola ſua declarat, cum duas vias eſſe dicit, vnam lucis, alteram tenebrarum, quibus & præeſſe certos quoſque angelos dicit: viæ quidem lucis angelos Dei: tenebrarum autem viæ, angelos Satanæ. *Barnabæ epiſtola apocrypha.* Nihil tamen aliud putandum eſt accidere nobis ex ipſis quæ cordi noſtro ſuggeruntur bonis vel malis, niſi commotionem ſolam & incitamentum prouocans nos ad bona vel ad mala. Poſſibile autem nobis eſt cum maligna virtus nos cœperit ad malum incitare, abiicere à nobis prauas ſuggeſtiones, & reſiſtere ſuaſio- M nibus peſſimis, & nihil prorſus culpabilitet gerere. Et rurſum poſſibile eſt vt cum nos diuina virtus ad meliora prouocauerit, non ſequamur, liberi arbitrij poteſtate in vtraque nobis ſeruata. Dicebamus ſanè in ſuperioribus, quod etiam memoriæ nobis quædam vel bonorum vel malorum ſuggerantur, ſiue per diuinam prouidentiam, ſiue per virtutes contrarias: *Memoria vnde.* ſicut oſtenditur in libro Heſter, cum beneficia iuſtiſſimi Mardochei Artaxerxes non meminiſſet, & nocturnis vigiliis fatigatus à Deo in memoriam recepiſſet rerum geſtarum monimenta chartis mandata requirere: *Eſther. 8.* in quibus de beneficiis Mardochei admonitus inimicum quidem eius Aman ſuſpendi iuberet, ipſi vero honores magnificos, vniuerſæ autem ſanctorum genti ſalutem, periculo iam imminente conferret. Per contrariam vero diaboli virtutem memoriæ pontificum & ſcribarum putandum eſt ſuggeſtum illud, quod venientes ad Pilatum dixerunt, Domine recordati ſumus, quomodo ſeductor ille dixit, dum adhuc viueret, quia poſt tertiam diem reſurgam. *Matt. 27.* Sed & Iudas quod de proditione domini Saluatoris cogitauit, non fuit à ſola mentis eius malitia veniens. *Cogitatio non à ſola cogitantis malitia.* Teſtata eſt enim ſcriptura, quia diabolus iam miſiſſet in cor eius vt traderet. *Ioan. 13.* Propter quod & Salomon recte præcepit, dicens: Cum diligentia ſerua tuum cor. *Prouer. 4.* Et Paulus apoſtolus ait: Amplius debemus intendere his quæ audiuimus, ne forte effluamus. *Hebr. 2.* & cum dicit, Nolite locum dare diabolo. oſtendens per hoc quia certo opere, vel certa quadam deſidia animi locus diabolo datur, vt ſi ſemel ingreſſus fuerit cor noſtrum, aut obtineat nos, aut certe vel

polluat

polluat animam, si non penitus obtinere potuerit, cum ignita sua iacula iactat in nos: quibus aliquando quidem in altum descendente vulnere sauciamur, aliquãdo vero tantummodo inflammamur. Raro certè & paucis quibusdam hæc eius ignita iacula restinguuntur, ita vt locum vulneris non inueniant, id est, cum quis munitissimo & validissimo scuto fidei fuerit obtectus. Quod vero dictum est in epistola ad Ephesios: Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus: *Eph.6.* ita oportebit intelligi quod dixit, mihi Paulo & Ephesiis, quibus certamen adhuc aduersus carnem & sanguinem erat, quos tentatio non apprehenderat nisi humana. *1.Cor.10.* Nec tamen putandum est quòd singuli quique aduersus omnia hæc decertent. Impossibile enim id esse arbitror vlli hominum (quamuis ille sit sanctus) vt aduersus omnia hæc simul possit habere certamen. Quod si vllo modo id accidat (quod certè fieri non potest) impossibile est vt id prorsus ferre possit humana natura sine maxima subuersione sui: sed sicut, verbi gratia, quinquaginta aliqui milites si dicant sibi imminere certamen aduersus alios quinquaginta, non ita intelligendum est, quòd vnus ex illis aduersus quinquaginta dimicaturus sit, sed rectè dicit vnusquisque illorũ, quia certamen nobis aduersum quinquaginta, omnibus tamen aduersum omnes: ita etiam hoc audiendum est quod Apostolus dicit, quod vniuersis athletis & militibus Christi colluctatio & certamen est aduersus omnia ista quæ enumerata sunt, omnibus: singulis tamen vel cum singulis futuro certamine, vel certè prout probatũ fuerit ab agonis ipsius iusto præside Deo. Arbitror namque quia certa mensura sit humanæ naturæ: & si Paulus ille sit de quo dicitur, Vas electionis est mihi iste, *Act.9.* aut Petrus aduersus quem portæ inferi non præualent, aut si Moyses ille sit amicus Dei, quorum nullus prorsus omnem simul aduersariarũ virtutum cateruam posset sine sui aliqua pernicie tolerare, nisi forte illius solius virtus operetur in eo qui dixit, Confidite, ego vici mundum. *Posse auxiliante Deo omnia sustineri.* *Ioan.15.* Propter quem confidenter etiam Paulus dicebat: Omnia possum in eo qui me confortauit Christus. *Philip.4.* Amplius autem quàm omnes illi laboraui, non autem ego, sed gratia dei mecum. Propter hanc ergo virtutem quæ vtique humana non est operantem & loquentem in se, Paulus dicebat: *Rom.8.* Certus sum autem quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque virtus, neque alia vlla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Sola enim per se humana natura non arbitror quia possit aduersus angelos, & excelsa & profunda, & aliam creaturam habere certamen: *Homo per se nõ potest certare cũ spirituali essentia.* sed cum senserit præsentem in se dominum & inhabitantem, confidentia diuini adiutorij dicet: Dominus illuminatio mea & salutator meus, quem timebo? *Psal.17.* Dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Vnde ego arbitror quòd nunquam homo fortassis per seipsum virtutem contrariam vincere potest, nisi vsus fuerit adiutorio diuino. Vnde & angelus luctatus dicitur cum Iacob. Quod nos quidem ita intelligimus, quia non idem sit luctatum esse cum Iacob angelũ, quod est aduersum Iacob: sed is quidem qui ei salutis ipsius causa aderat, qui & cognitis profectibus eius, etiam nomen ei Israel dedit, iste cum ipso luctatur: id est, cum ipso est in agone, & iuuat eum in certamine: cum sine dubio alius esset aduersus quem dimicaret, & aduersus quem ei certamen ageretur. *Eph.6.* *Gen.32.* Denique Paulus non dixit nobis esse luctamen cum principibus, vel cum potestatibus, sed aduersus principatus & potestates. vnde & si Iacob luctatus est sine dubio aduersus aliquam harum virtutum luctatus est, quas humano generi, & sanctis præcipuè aduersari, & mouere certamina, Paulus enunciat. Ideo denique dicit de eo scriptura, quia luctatus est cum angelo, & inualuit ad Deum: vt sit agonis quidem certamen angeli adiutorio sustentatum, perfectionis vero palma vincẽtem perducat ad Deum. Nec sanè arbitrandum est quia huiusmodi certamina corporum robore & palestricæ virtutis peragãtur, sed spiritus aduersus spiritum pugna est, similiter vt Paulus designat aduersus principatus, & potestates, & mundi huius rectores tenebrarum nobis imminere certamen. *Certamina cum angelis spiritu fiunt nõ corpore, & quomodo.* Ipsa vero certaminum species ita intelligenda est, cum damna, cum pericula, cum opprobria, cum criminationes excitantur aduersum nos, non id agentibus aduersis potestatibus vt hoc tantummodo patiamur, sed vt per hoc vel ad iram multam, vel ad tristitiam nimiam, vel ad desperationem vltimam prouocemur: vel certè quod est grauius, conqueri aduersus Deum fatigati & victi tædiis compellamur, tanquam humanam vitam non æque iustéque moderantem: vt per hoc infirmemur in fide, vel decidamus ab spe, vel transferri cogamur à veritate dogmatum, & impium aliquid de Deo sentire persuadeamur. Talia namque quædam scripta sunt de Iob, cum diabolus dari sibi facultatem bonorum eius poposcisset à Deo. Per quod etiam illud edocemur, quod non fortuitis aliquibus incursionibus impugnemur, siquando nos talia aliqua facultatum damna percusserint, neque quod fortuito nostrorum aliquis captiuus abducitur, vel domus in quibus chari quique opprimantur, ruetint: In quibus omnibus vnusquisque fidelium dicere debet, quia nõ haberes aduersum me potestatem, nisi esset data tibi desuper. *Ioan.19.* Vidi enim quia nõ cecidisset domus Iob supra filios eius, nisi prius aduersus eos diabolus accepisset potestatem: *Iob.1.* neque equites ternis ordinibus irruissent, vt caperent camelos eius, vel boues, cæteráque animalia, nisi instincti ab eo spiritu cui se ministros ex propositi sui obedientia mancipauerant. Sed nec ille quidem qui videbatur ignis, vel quod putatum est fulmen, cecidisset super oues Iob, antequam diabolus diceret ad Deum, Nónne tu communisti omnia quæ foris sunt, & quæ intus sunt, & eius reliqua? Sed nunc immitte manum tuam, & continge omnia quæ habet, nisi in faciem benedixerit tibi. Ex quibus omnibus illud ostenditur, quod omnia hæc quæ fiunt in hoc mũdo, quæ media existimãtur, siue illa tristia sint, siue commoda sint, non quidem à Deo fiunt, nec tamẽ tamen sine Deo: *Vt nihil fiat sine deo quædam non fiũt à deo.* dum malignas & contrarias virtutes talia volentes operari non solum non prohibet Deus, sed & permittit facere hæc, sed certis quibusque temporibus & personis: sicut & in ipso Iob dicitur quia ad certũ tempus paratus est cadere sub aliis, & domus ipsius deprædari ab iniquis. Propterea docet nos scriptura diuina omnia, quæ accidunt nobis tanquam illa mala suscipere, scientes quòd sine Deo nihil fit. Quod autem hæc ita sint, id est, quòd sine Deo nihil fiat, quomodo possumus dubitare, domino & Saluatore pronunciante, & dicente: *Nihil fit sine deo vel agente vel permittẽte.* Nónne duo passeres asse væneunt, & vnus ex ipsis non cadet super terrã sine patre vestro quis in cœlis est? *Matth.10.* Sed necessitas nos traxit paulo amplius euagari de colluctatione aduersarum virtutum, quam aduersus homines gerunt disputantes, & de his quæ humano generi accidunt tristioribus, id est tentationibus vitæ huius, sicut ait Iob, Nónne tentatio est omnis vita hominis super terram? *Iob.7.* vt manifestius quomodo hæc accidant, & quàm pie de his sentiri debeat, panderetur. Nunc videamus quomodo homines etiam in peccatum falsæ scientiæ dilabuntur, vel quo prospectu virtutes contrariæ etiam de his pugnas aduersum nos soleant commouere.

De triplici sapientia. Cap. III.

DOCERI nos monet sanctus apostolus magnum aliquid & reconditum de scientia & sapiẽtia in prima ad Corinthios epistola cum ait: *1.Cor.2.* Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius mundi, neque principum huius mundi qui destruũtur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius mundi cognouit: Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. In quo ostendere volens sapientiarum differentias, describit esse quandam huius mundi sapientiam, & esse quãdam sapientiam principum huius mun-

G di, aliam vero etiam Dei sapientiam. Sed & hoc cum dicit, Sapientiam principum huius mundi, non arbitror eum vnā aliquam omnium principum huius mundi sapientiam dicere, sed singulorum principum propriam quandam mihi videtur indicare sapientiam. Et rursum cum dicit, Sed loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit deus ante secula in gloriam nostram, requirendum est si eandem dicit dei sapientiam hanc quæ abscondita est à temporibus aliis & generationibus, & non innotuit filiis hominum, sicut nunc reuelata est sanctis apostolis eius & prophetis, quæ erat & illa ante aduentum Saluatoris sapientia dei, ex qua sapiens erat Salomon, quo Salomone plus etiam dicitur quod docet Saluator, quod & ipsius Saluatoris sermo pronunciat, cum dicit, Et ecce plus Salomone hic. In quo ostenditur quia hi qui docebantur à Saluatore, plus aliquid docebantur quàm sciuerat Salomon. Si enim quis dicat quia sciebat quidem Saluator amplius, non tamen etiam aliis plura tradebat quàm Salomon, quomodo conueniet, & conuenienter dictum putabitur etiam quod in subsequētibus ait? Regina austri surget in iudicio, & condemnabit homines generationis huius, propterea quòd venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus Salomone hic. Est igitur sapientia mundi huius, est & sapientia per singulos fortasse principes mundi huius. De ipsa vero vnius dei sapientia, illud sentimus indicari, quod minus quidem in antiquioribus & veteribus operata sit, amplius vero & manifestius reuelata per Christū est. Verum de sapientia Dei in locis propriis requiremus. Nunc vero quoniam quidem in manibus est tractatus de virtutibus contrariis, qualiter moueant etiam ea certamina quibus falsa scientia etiam humanis mentibus inseritur, & seducuntur animæ dum se putant inuenisse sapientiam, necessarium puto dicere: atque distinguere quæ sit sapientia mundi huius, & quæ principum mundi huius, & per hoc qui sunt etiam patres huius sapientiæ, per quos veram differentiam sapientiarum harum possimus aduertere. Arbitror igitur, sicut suprà diximus, sapientiam esse huius mundi aliam quandam præter illas sapientias quæ sunt principum huius mundi, per quam sapientiam intelligi videntur ea & comprehendi quæ huius mūndi sunt. Quæ tamen in se nihil habet vt possit aliud vel de diuinitate, vel de mundi ratione, vel de quibuscunque excelsioribus rebus, vel de bonæ ac beatæ vitæ institutione sentire, sed est talis (verbi causa) vt est omnis ars poëtica, vel grammatica, vel rhetorica, vel geometria, vel musica, cum quibus adnumeranda est fortassis etiam medicina. In his omnibus sapientiam mundi inesse sentiendum est. Sapientiam vero principum huius mundi intelligimus, vt est Ægyptiorum secreta quam dicunt, & occulta philosophia, & Chaldæorum astrologia & Iudæorum de sciētia excelsi pollicentium, sed & Græcorum multiplex variáque de diuinitate sententia. Igitur in scripturis sanctis inuenimus principes esse per singulas gentes, sicut in Daniele legimus, principem esse quendam regni Persarum, & alium principem regni Græcorum, quos non homines esse, sed virtutes quasdam euidenter ex consequentia ipsius lectionis ostenditur. Sed & in Ezechiele propheta princeps Tyri virtus esse quædam spiritalis manifestissime designatur. Ij ergo & huiusmodi, id est, habentes singuli sapientias suas, & astruentes dogmata sua, variásque sententias, vt viderunt dominum & saluatorem nostrum pollicentem, & prædicantem sed ob hoc venisse in hunc mundum, vt destrueret omnia illa quæcunque essent falsi nominis dogmata, quæ obtegerentur intrinsecus, continuo ei insidiati sunt, & astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Quibus eorum insidiis cognitis, & his quæ aduersus filium Dei moliti sunt intellectis, cum gloriæ dominum crucifixerunt, ait Apostolus, Quia sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, neque principum huius seculi qui destruuntur, sed quam nemo principum huius mundi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Matth. 12.

H *Sapientia dei amplius reuelata in Euangelio quā in lege.*

Quæ sapiētia huius mundi.

Quæ sapiētia, principum huius mundi.

I *Occulta philosophia*

Dan. 10.

Ezech. 26.

Psal. 2.

Quærendum sanè est vtrum istæ sapientiæ principum huius mundi quibus homines imbuere nituntur, insidiandi & lædendi studio ingeruntur hominibus ab aduersariis virtutibus, aut tantummodo erroris causa adhibentur: id est, non lædendi hominis prospectu, sed quia hæc vera esse illi mundi principes arbitrantur, ideo etiam cæteros docere cupiunt ea quæ ipsi vera esse opinantur: quod & magis arbitror. Sicut enim, verbi causa, Græcorum auctores, vel vniuscuiusque hæresis principes cum prius errorem falsæ doctrinæ pro veritate susceperint, & hanc esse veritatem apud semetipsos iudicauerint, tunc demum & cæteris hæc persuadere conantur, quæ apud semetipsos vera esse censuerint: ita putandum est facere & principes huius mundi, in quo mundo certæ quæque spiritales virtutes cæterarum gentium sortitæ sunt principatum, & propter hoc principes huius mundi appellati sunt. Sunt præterea etiam aliæ præter hos principes spiritales quædam mundi huius energiæ, id est, virtutes spiritales aliquæ, certa quædam operantes quæ ipsæ sibi pro arbitrij sui libertate vt agerent elegerunt, ex quibus sunt isti principes qui operantur sapientiam huius mundi: verbi causa, vt sit propria quædam energia ac virtus quæ inspiret poëticam, alia quæ geometriam, & ita quasque singulas huiuscemodi artes disciplinásque commoneant. Denique quamplurimi Græcorum opinati sunt artem poëticam sine insania non posse cōstare: vnde & in historiis eorum refertur aliquoties eos quos vates appellant, subito insaniæ cuiusdam spiritu esse repletos. Quid autem dicendum est de his etiam quos diuinos appellant, à quibus per incorporationem dæmonum eorum qui eis præsunt, versibus arte modulatis responsa proferuntur? Sed & hi quos magos vel maleficos dicunt, aliquoties dæmonibus inuocatis supra pueros adhuc paruæ ætatis, versu eos dicere poëmata admiranda omnibus & stupenda fecerunt. Quæ hoc modo geri arbitranda sunt, quod sicut sanctæ & immaculatæ animæ si cum omni affectu omnique puritate se vouerint Deo, & alienas se ab omni dæmonum contagione seruauerint, & per multam abstinentiam purificauerint se, & piis sacræ religionis imbutæ fuerint disciplinis, participium per hoc diuinitatis assumunt, & prophetiæ ac cæterorum diuinorum donorum gratiam merentur: Ita putandum est etiam eos qui se opportunos contrariis virtutibus exhibent, id est, industria, vita, vel studio & amicitia illis accepta, recipere eorum inspirationem, & sapientiæ eorum ac doctrinæ participes effici. Ex quo fit vt eorum inopetationibus repleantur, quorum se prius famulatui subiugarunt. De his sanè qui de Christo aliter docent quàm scripturarum regula patitur, non ociosum est intueri, vtrum insidioso proposito aduersum Christi fidem nitentes contrariæ virtutes fabulosa quædam simul & ipsæ dogmata cōmentæ sint: an vero etiam ipsæ audito verbo Christi, & neque euomere id valentes ex arcanis conscientiæ suæ, neque purè sanctéque retinere, peruersa dogmata sibi & per (vt ita dicam) prophetas suos diuersos errores contra regulam Christianæ veritatis induxerint. Et magis putādum est quod apostatæ & refugæ virtutes quæ à Deo recesserint, ex ipsa mentis suæ propositique nequitia vel inuidia eorum quibus veritate ad illum gradum vnde ipsæ delapsæ sunt, præparatur ascensus, ad impediendum huiuscemodi profectus errores hos falsæ doctrinæ deceptionésque componunt. Manifeste ergo ex multis indiciis monstratur, quòd humana anima dum in hoc est corpore, recipere potest diuersas energias, id est, operationes spirituum diuersorum malorum ac bonorum. Et malorum quidem duplici specie, id est, vel tunc cum penitus ex integro eorum possederint mentem, ita vt nihil omnino eos quos obsederint intelligere vel sentire permittant, sicut exemplo sunt hi quos vulgo Energumenos vocant, quos amentes & insanos videmus, quales illi erant qui in Euangelio à Saluatore curati esse referuntur. Vel cum sentientem quidem & intelligentem animum cogitationibus variis, & sinistris persuasionibus inimica suggestione deprauant: vt exemplo est Iudas ad proditionis facinus diaboli immissione prouocatus, sicut scriptura declarat, dicens: Cum autem iam diabolus misisset in cor Iudæ Scariotis vt traderet eum. Boni vero spiritus recipit energiam, id est inoperationem, cum & prouocatur ad bona,

K

Quæque habet [suas] sapientias.

Ars poëtica non sine insania.

L *Diuini.*

M

Dæmoniaci siue Energumeni qui.

Secunda species, eorum in quibus operatur satanas.

Ioan. 13.

Energia bonorum spirituum.

A bona, & inspiratur ad cœlestia vel diuina: sicut sancti ange-
li & ipse Deus operatus est in prophetis, suggestionibus san-
ctis & meliora prouocans & cohortans: ita sanè vt mane-
ret in arbitrio hominis ac iudicio, si sequi velit aut nolit ad
cœlestia & diuina prouocantem. Vnde & ex hac manifesta
discretione dinoscitur quomodo anima melioris spiritus
præsentia moueatur, id est, si nullam prorsus ex imminenti
aspiratione obturbationem vel alienationem mentis incur-
rat, nec perdat arbitrij sui iudicium liberum: sicut exemplo
sunt omnes vel prophetæ, vel apostoli, qui diuinis respon-
sis sine vlla mentis obturbatione ministrabant. Boni ergo
spiritus suggestionibus humanam memoriam ad recordatio-
nem meliorum prouocari exemplis iam in superioribus edo-
cuimus, cum Mardochæi & Artaxerxis fecimus mentio-
nem. Illud quoque consequenter requirendum puto, ex
quibus causis humana anima nunc quidem à bonis, nunc
autem moueatur à malis. Cuius rei causas suspicor esse quas-
dam antiquiores etiam hac natiuitate corporea, sicut desi-
gnat Ioannes in matris ventre tripudians & exultans, cum
vox salutationis Mariæ ad aures Elizabeth matris eius allata
est: & vt declarat Hieremias propheta, qui antequam plas-
maretur in vtero matris, cognitus erat à Deo, & antequam
à vulua procederet sanctificatus ab eo est, & puer adhuc pro-
B phetiæ gratiam accepit. Ex responsis econtrario ostenditur
ab aduersariis spiritibus quosdam à prima statim ætate posses-
sos, id est nonnullos ab ipso dæmone possessos esse natos,
alios vero à puero diuinasse historiarum fides declarat. Alij
à prima ætate dæmonem quem Pythonem nominant, id est,
ventricosum passi sunt. Pro quibus omnibus ab his Dei pro-
uidentia regi omnia quæ in mundo sunt (vt sanctæ scriptu-
ræ asserunt, nostra quoque continet fides) vt mihi videtur
non aliter poterit responderi, ita vt absque omni iniustitiæ
culpa prouidentia demonstretur: nisi priores quædam fuis-
se eis causæ dicantur, quibus antequam in corpore nasceren-
tur animæ, aliquid contraxerint culpæ in sensibus vel moti-
bus suis, pro quibus hoc merito pati à diuina prouidentia
iudicatæ sunt. Liberi namque arbitrij semper est anima,
etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est: & li-
bertas arbitrij vel ad bona, vel ad mala mouetur: nec vn-
quam rationabilis sensus, id est mens vel anima, sine motu
aliquo vel bono vel malo esse potest. Quos motus causas
præstare meritorum verisimile est etiam prius quàm in hoc
mundo aliquid agant: vt pro his meritis vel causis per diui-
nam prouidentiam statim à prima natiuitate, immo & an-
te natiuitatem, vt ita dicam, vel boni aliquid, vel mali per-
peti dispensentur. Et hæc quidem dicta sint de his quæ vi-
dentur hominibus, vel à prima natiuitate statim, vel etiam
antequam in hanc lucem prorumpant, euenire. De his
vero quæ à diuersis spiritibus animæ, id est humanæ cogita-
C tioni suggeruntur, quæ vel ad bona, vel ad contraria pro-
uocent, interdum etiam in hoc existere quædam anterioris
natiuitatis corporeæ causæ putandæ sunt. Interdum vero
vigilans mens, & abiiciens à se quæ mala sunt, bonorum ad
se adiutorium prouocat: vel econtrario negligens & igna-
ua, dum minus cauta est, locum dat his spiritibus qui ve-
lut latrones ex occulto insidiantes, irruere humanas men-
tes cum locum sibi datum per segnitiem viderint, moliun-
tur, sicut ait Petrus apostolus: quia aduersarius noster dia-
bolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuo-
ret. Propter quod die noctúque cor nostrum omni cu-
stodia seruandum est, & locus non est dandus diabolo, sed
omnia agenda sunt quibus ministri Dei, hi videlicet spiri-
tus qui ad ministerium missi sunt eorum qui ad hæredita-
tem salutis vocati sunt, inueniant in nobis locum, & dele-
ctentur ingredi hospitium animæ nostræ, & habitantes a-
pud nos consiliis nos regant: si tamen habitaculum cordis
nostri virtutis & sanctitatis cultu inuenerint exornatum.

Luc. 1. — *Hier. 1.* — *Quidā nascuntur dæmoniaci, quidam fatidici.* — *Errat in animarum ante corpus Origine.* — *Caue.* — *1. Pet. 5.* — *Hebr. 1.*

De humanis tentationibus.
Cap. IIII.

VERVM sufficiant ista pro viribus nostris di-
serta à nobis de his virtutibus quæ humano ge-
neri aduersantur. Nunc ne de humanis qui-
dem tentationibus silendum puto, quæ nas-
cuntur interdum ex carne & sanguine, vt ex
prudentia carnis & sanguinis quæ Deo dicitur esse inimica.
Et vtrum verum sit quod quidam dicunt quasi binas animas
esse per substantiam, posteaquam de his tentationibus expo-
suerimus, quæ plus quàm humanæ dicuntur, id est quas ad-
uersum principatus, & potestates, & aduersum mundi hu-
ius rectores tenebrarum harum, & aduersus spiritalia nequi-
tię in cœlestibus gerimus, vel quę nobis aduersus spiritus ma-
lignos & immundos dæmones peraguntur, dicemus. In qua
re consequenter arbitror requirendum, si in nobis homini-
bus qui ex anima constamus & corpore ac spiritu vitali, est
etiam aliud aliquod incitamentum, quod motum habeat
proprium, & commotionem ad malum prouocantem: sicut
haberi à quibusdam quæstio solet huiusmodi, vtrum duę ani-
mæ in nobis dicēdæ sint, vna quędam diuinior & cœlestis, &
alia inferior: an vero ex hoc ipso quod corporibus inhære-
mus (quæ corpora secundum propriam quidem naturā mor-
tua sunt & penitus exanima, quia ex nobis, id est, ex anima-
bus corpus materiale viuificatur, quod vtique contrarium est
& inimicum spiritui) trahimur & prouocamur ad hæc ma-
la quæ corpori contraria sunt: an vero tertiū, quod quidam E
Græcorum arbitrati sunt, quia anima nostra cum vna sit per
substantiam, ex pluribus tamen cōstet, & vna pars eius ratio-
nabilis dicatur, & ea quidem pars verò alia irrationabilis,
pars quā irrationabilem dicūt in duos rursum diuidatur affe-
ctus, cupiditatis & iracundię. Has ergo quas produximus tres
de anima opiniones à nōnullis haberi inuenimus. Ex quibus
illud interim quod quibusdā Græcorum philosophis visum
dicimus, quia tripertita sit anima, nō valde confirmari ex di-
uinæ scripturæ autoritate peruideo: ad alia vero quæ reliqua
sunt inueniri possunt aliquanta quæ ex diuinis literis aptari
posse videatur. Ex quibus primo illud discutiamus quod a-
struere solent quidā, quia vna sit bona in nobis anima & cœ-
lestis, alia vero inferior & terrestris: & quod ea quidem quæ
melior est cœlitus inferatur, qualis est illa quæ & Iacob ad-
uersus Esau adhuc in vtero posito palmā victorię supplantati
præstitit fratris & quæ in Hieremia sanctificatur ex vulua, &
spiritu sancto sanctificatur ex vtero in Ioanne. Illā vero infe-
riorē, quam ex corporali semine simul asserunt cum corpore
seminari, vnde & præter corpus viuere eam vel subsistere ne-
gant posse, propter quod & carnē eam frequenter appellari
dicunt. Quod enim scriptum est: Caro concupiscit aduersus
spiritum, non hoc de carne dictum accipiunt, sed de hac ani-
ma quæ proprie carnis est anima. Sed & ex his student ni-
hilominus confirmare hæc quæ in Leuitico ita scripta sunt:
Anima omnis carnis sanguis ipsius. Ex eo enim quod per F
totam carnem sanguis diffusus vitam præstat carni, in san-
guine inesse aiunt hanc animam quæ dicitur totius carnis es-
se anima. Hoc autem ipsum quod dictum est carnem repu-
gnare aduersus spiritum, spiritum autem aduersus carnem,
& quod dictum est: Anima omnis carnis sanguis ipsius: a-
lio nomine iidem vocari dicunt sapientiam carnis, quod est
spiritus quidam materialis qui legi Dei subiectus non est,
sed nec potest esse subiectus, quia voluntates habet terre-
nas, & desideria corporalia. De hoc putant etiam apo-
stolum dixisse illud quod ait: Video autem aliam legem in
membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum
me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Si
vero quis obiiciat eis, hoc dici de natura corporis, quod
verè secundum proprietatem quidem naturæ suæ mortuum
est, habere autem dicitur sensus vel sapientiam quæ inimi-
ca est Deo, vel quæ repugnat aduersus spiritum, pro eo ve-
luti si quis dicat quodammodo carnis ipsius esse vocem cla-
met non esuriendum, non sitiendum, non algendum, ne-
que velle prorsus in aliquo molestiam pati siue ex abun-
dantia, siue ex penuria: hoc illis resoluere atque impugna-
re conabimur, ostendentes alias esse passiones animæ quæ
in nullo prorsus à carne originem trahant, & tamen his spi-
ritus aduersetur, sicut est ambitio, auaritia, æmulatio, inuidia,

Tetationes plusquam humanæ. — *Vtrū duæ animæ in nobis.* — *Anima vna per substantiā, multa partibus .i. facultatibus.* — *Anima cœlestis & terrestris sed caue.* — *Gen. 25.* — *Hier. 1.* — *Gal. 5.* — *Leuit. 17.* — *Rom. 7.*

G superbia & his similia: cum quibus pugnam quandam esse humanæ menti, vel spiritui videntes, ideo causam omniũ horum malorum non ponunt aliud quid nisi hanc de qua superius diximus, velut corporalem & ex seminis traduce generatam. Adhibere quoque ad sermonem horum etiam illud testimonium apostoli solét, quod ait: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitiæ, idololatria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: dicentes non hæc omnia de vsu, vel delectatione carnis originem trahere, ita vt putentur eius substantiæ quæ animam non habet, id est carnis, hi omnes motus existere. Sed & illud quod ait: Videte fratres vocationem vestram, quoniam non multi inter vos sapientes secundum carnem: ad hoc videbitur inclinandum, vt propria quædam videretur esse carnalis ac materialis sapientia: alia vero sit sapientia secundum spiritũ, quæ vtique non potest dici sapientia, nisi sit anima carnis, quæ sapiat hoc quod carnis sapientia nominatur. Ad hoc aiunt etiam illud: Si caro repugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vti non quæ volumus illa faciamus, quæ sunt de quibus dicit vt non quę volumus faciamus? Certum est, aiunt, de spiritu sancto non dicit: non enim volũtas spiritus prohibetur. Sed neque de carne: quia si non habet animam propriam, sine dubio nec voluntatem habebit. Superest ergo vt de huius animæ voluntate dicatur, quę vtique aduersatur voluntati spiritus. Et si nulla est, constat quod huius animæ voluntas quædam media est inter carnem & spiritũ, vni sine dubio à duobus seruiens, & obtemperans, cuicunque obtemperare delegerit. Quæ cũ se delectationibus carnis subdiderit, carnales homines facit: cum se spiritui iunxerit, in spiritu esse homines facit, & propter hoc spiritales nominari. Quid ergo designare apostolus videtur cum dicit: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu? Requirendum ergo est quæ sit omnino hæc ipsa voluntas inter carnem & spiritum, præter eam voluntatem quæ carnis esse, vel spiritus dicitur. Pro certo nanque habetur quod omnia quæcunque spiritus esse dicuntur, voluntas sit spiritus: & quæcunque opera carnis esse dicuntur, voluntas sit carnis. Quæ ergo ista est præter hæc voluntas animæ quæ extrinsecus nominatur, quam voluntatem nolens nos facere apostolus dicit: Vt non quæcunque vultis illa faciatis? In quo hoc videtur designari, quod neutro ex his duobus, id est neque carni, neque spiritui debeat adhærere. Sed dicet quis: quia sicut melius quidem est si propriam faciat voluntatem, quàm vt voluntatem faciat carnis: sic iterum melius est facere voluntatem spiritus magis quam propriam voluntatem. Quomodo ergo apostolus ait, vt non quæ vultis illa faciatis? quomodo ea pugna quæ inter carnem & spiritum geritur non omnino spiritus certa victoria est? Manifestum est enim obedire in quamplurimis carni. Verum quoniam in disputationem incidimus profundam, in quam necesse est colligere ex singulis quibusque partibus quæ possunt mores discutere: videamus ne forte in hoc loco tale aliquid tractari potest: quia sicut melius est animæ sequi spiritum, tunc cum spiritus carnem vicerit, ita etiam videtur ei esse deterius sequi carnẽ repugnantem aduersus spiritum, & ad se reuocare animam volentem, cum forte vtilius videatur obedire animam carni quàm residere in propriis voluntatibus. Nanque quoniam nec calida dicitur esse, nec frigida, sed in medio quodam tepore perdurans, tardam & satis difficilem conuersionem poterit inuenire. Si vero carni adhæreat, ex his ipsis interdum malis quæ ex carnis viciis patitur, satiata aliquando & repleta, velut grauissimis oneribus luxuriæ ac libidinis fatigata, facilius & velocius conuerti à materialibus sordibus ad cœlestium desiderium & spiritualem gratiam potest. Et hoc arbitrandum est dixisse apostolum, idcirco pugnare spiritum aduersus carnem, & carnem aduersus spiritum, vt non quæcunque volumus illa faciamus, sine dubio ea quæ extra voluntatem spiritus, & extra voluntatem carnis designata sunt: vt si aliis nominibus diceremus, quia melius est hominem aut in virtute esse, aut in malicia, quàm in nullo horum: anima vero postquam se conuertat ad spiritum & vnum efficiatur cum eo, dum adhæret corpori, & de carnalibus cogitat, neque in

Paßiones quædam animæ in nullo prorsus à carne originẽ trahunt.

Gal. 5.

Quidã posuerũt duas in nobis animas, quarũ vna sit corporalis et è traduce.

1. Cor. 1.

H

Rom. 8.

I

bono statu videtur esse, neque manifeste in malo, sed animali K (vt ita dixerim) similis. Melius autem est vt si fieri potest adhærens spiritui efficiatur spiritalis. Si vero fieri non potest, magis expedit eam vel carnis maliciã sequi quàm in suis positam voluntatibus, animalis irrationabilis statum tenere. Hæc autem tractauimus volentes singularum assertionum differere opiniones ampliori quàm voluimus vsi excessu, vti ne latere nos putarentur ea quæ moueri solẽt ab his qui quærunt, vtrum sit alia anima in nobis præter hanc cœlestem & rationabilem, quæ huic naturaliter aduersetur, & vocetur vel caro, vel sapientia carnis, vel anima carnis. Nunc videamus quæ etiam ad hoc responderi soleant ab his qui defendunt vnum esse in nobis motum, & vnam animam vnius eiusdémque animæ, cuius siue salus, siue perditio secũdum actus suos ipsi proprie ascribatur. Et primo videamus cuiusmodi sint passiones animi quas patimur cum sentimus intra nosmetipsos velut in partes nos rapi per singula: cum pugna quædam sit cogitationum in cordibus nostris, & quædam nobis verisimilitudines suggeruntur, quibus nunc in hoc, nunc in aliud inclinamur, quibúsque nunc quidem arguimur, nunc vero nosmetipsos amplectimur. Nihil autem magnum est si mala ingenia dicamus quia varium ac sibiipsi repugnans iudicium habeant, & à semetipso discordans: cum etiam in L omnibus hominibus ita inueniatur, siquando deliberatio incertæ rei ad consilium venerit, vel prospicitur, vel consulitur quid rectius vel vtilius eligatur. Nihil ergo mirum si duæ verisimilitudines sibi inuicem occurrentes, contraria suggerentes, in diuersas partes animum rapiunt. Verbi causa, si cogitatio inuitet aliquem ad fidem, & timorem dei, tunc nõ potest dici quia caro aduersum spiritum pugnet: sed dum incertum est quod verum & vtile est, animus in diuersa rapitur. Ita & cum putatur caro ad libidinem prouocare, cõsilium vero melius huiuscemodi incitamentis resistit, nõ putanda est vita esse alia animæ quæ aduersus aliam resistat, sed natura corporis quæ repleta satiui humoris loca euacuare gestit atque replere: sicut nec contraria aliqua virtus, nec vita alterius animæ putanda est quæ nobis excitat sitim & prouocat ad bibendum, vel quæ esurire facit, & irritat ad cibum. Sed sicut hæc naturalibus motibus corporis vel appetuntur, vel euacuantur, ita & naturalis seminis congregatus per tempus in suis locis humor expelli gestit, & abiici: quod intantũ nequaquam impulsu alterius cuiusquam prouocationis efficitur, vt etiam sponte interdum soleat egeri. Cum ergo dicitur, quia caro pugnat aduersus spiritum, ita intelligunt isti, quia vsus vel necessitas, vel delectamentum carnis prouocans M hominem extrahit & abducit à diuinis, & spiritalibus rebus. Pro necessitate etenim corporis abstracti, diuinis & in æternum profuturis rebus vacare non sinimur. Sic rursus diuinis & spiritualibus anima vacans, & spiritui cõiuncta, impugnare dicitur carnem dum resolui eam deliciis non sinit, & voluptatibus fluitare, quibus naturaliter delectatur. Hoc modo etiam illud asserunt quod dictum est: Sapientia carnis inimica est deo, non quod vere animam habeat caro, vel sapientiã propriam, sed sicut abusiuè dicere solemus, & sitire terram, & velle eam bibere aquam: hoc vtique quod dicimus velle, nõ proprie sed abusiuè proferimus, velut si dicamus quia iterum domus recomponi vult, & alia multa his similia: ita & sapientia carnis accipienda est, vel quod dictum est, Concupiscit aduersus spiritum. Adiicere solent etiam illud quod dictum est, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quod enim clamat ad dominum, non est proprie sanguis ille qui effusus est, sed abusiuè sanguis clamare dicitur, dũ eius qui sanguinem effudit vindicta deposcitur. Sed & illud quod Apostolus ait: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ita intelligunt tanquam si dixisset, quod is qui verbo dei vacare vult, pro necessitatibus & vsibus corporalibus quæ velut lex corporum est, distrahitur atque diuellitur, atque impeditur ne sapientiæ vacans contẽtus possit diuina contueri mysteria. Quod vero inter carnis opera descriptæ essent hæreses, & inuidiæ & contẽtiones, vel cætera, ita accipiunt, quod anima cum crassioris sensus fuerit effecta, ex eo quod corporis sese passionibus subdit, oppressa vitiorum molibus, & nihil subtile ac spiritale sentiens, caro dicitur

Rom. 8.

Gen. 4.

Rom. 7.

A dicitur effecta; & inde nomen trahit, in quo plus studij vel
propositi gerit. Addunt etiam requirentes: quis inuenie-
tur, vel quis dicetur conditor mali huius sensus qui dicitur
carnis? Quia alium nullum creatorem animæ & carnis quàm
deum esse defendunt. Et si dicamus quia bonus deus in ipsa
conditione sua aliquid sibi creauit inimicum, vtique absurdũ
videbitur. Si ergo scriptum est, quia sapientia carnis inimica
est deo, & hoc factum ex conditione dicetur, videbitur ipse
deus naturam aliquam fecisse inimicam, quæ ei nõ potest es-
se subiecta nec legi eius: quippe si animale esse putabitur, de

Calamitæ hodie hanc impietatẽ sequuntur.

quo hæc dicentur. Quod si ita recipiatur, quid iam differre
videbitur ab his qui diuersas naturas animarum dicunt esse
creatas, quæ naturaliter vel perituræ sint, vel saluandæ? Quod
vtique solis hæreticis placer, qui dum iustitiam dei pia ratio-
tione asseuerare non possunt huiuscemodi impietatibus fig-
menta componunt. Et nos quidem prout potuimus ex sin-
gulorum personis quæ dici possunt disputationis causa de
singulis dogmatibus in medium protulimus: qui autem legit;
eligat ex his quæ magis amplectenda sit ratio.

Quòd mundus ex tempore cœperit. *Cap.* V.

POST hęc iam quoniam quidem de ecclesiasti-
cis definitionibus vnum habetur præcipuæ se-
cundum historiæ nostræ fidem, quod mundus
factus sit. & ex certo tempore cœpit, & secun-
dum promulgatam omnibus consummationẽ
B seculi, pro sui corruptione soluendus sit, etiam de hoc pauca
repetere non videtur absurdum. Et quãtum quidem ad scri-
pturatum fidem pertinet, perfacilis videtur de hoc assertio.
Denique hæretici cum in alia distracti sint, in hoc tamẽ scri-
pturæ auctotitati cedentes, nisi sunt consonare. De conditio-
ne ergo mundi quæ alia nos scriptura magis poterit edocere
quàm ea quæ à Moyse de origine eius scripta est. Quæ licet

In Mose præter veritatẽ historiæ spiritalis intellectus.

maiora intra se contineat quàm historiæ narratio videtur o-
stendere, & spiritalem in quàm maximis contineat intelle-
ctum, atque in rebus mysticis & profundis velamine quodã
literæ vtatur: tamen nihilominus indicat hoc sermo narran-
tis, quod ex certo tempore creata sunt omnia quæ videntur.
De consummatione vero mundi, primo Iacob indicat cum

Gene. 49.

ad filios testatur dicens. Conuenite ad me filij Iacob vt an-
nunciem vobis quid erit in nouissimis diebus, vel post nouis-
simos dies. Si ergo sunt nouissimi dies, vel post nouissimos

Psal. 102.

dies, cessare dies necesse est qui cœpetunt. Dauid quoque ita
ait: Cœli peribunt, tu autem permanebis, & omnes sicut ve-
stimentum veterascent: & sicut opertorium mutabis eos, &
mutabuntut, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Matth. 19. 24 Rom. 4.

Dominus vero & Saluator noster cum dicit, Qui creauit
ab initio masculum & fœminam fecit eos: factum etiam esse
mundum ipse testatur: Et tursum dicens, Quia cœlum & ter-
ra transient, verba autem mea non transibunt, corruptibilem
eum finiendúmque designat. Sed & Paulus dicens: Vanitati
C enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui
subiecit in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute
corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei: manifeste fi-
nem mundi declarat. Et cum rursum dicit, Transiet habitus

1. Cor. 7.

huius mundi. Verum in eo ipso quo dixit quia vanitati crea-
tura subiecta est etiam in spem aliquam, ex causa vtique sub-
iecta est: & quod ex causa est, necesse est vt cœperit: nõ enim
poterat sine vllo initio crearura esse subiecta, & sperare li-
berari à seruitute corruptionis quæ seruire non cœperat. Sed
& quamplurima alia in scripturis diuinis huiusmodi dicta re-
petier si quis requirat ex ocio, quibus & initium habere mũ-
dus, & finem sperare dicatur. Si quis ergo est qui aduersetur
in hac parte vel auctoritati nostræ vel fidei, inquiremus ab eo
vtrum dicat deum comprehendere posse omnia, an non pos-
se? Et dicere quidem non posse, manifeste impium est. Si ve-
ro (quod necesse est) dixerit quia omnia comprehendit, su-
perest vt eo ipso quo comprehendi possunr, & initium habe-
re inrelligantur & finem. Nam quod penitus sine initio est,
comprehendi omnino non potest. In quantumcunque enim
se inrellectus extenderit, intantum comprehendendi facultas
sine fine subducitur & differtur, vbi initium non habetur.

Sed solent nobis obiicere dicentes. Si cępit mundus ex tem- D

Ociosa quæstio.

pore, quid anre faciebat deus antequam mũdus fieret? Ocio-
sam enim dicere naruram dei, ociosum est simul & absurdũ,
vel putare quod boniras aliquando non fecerit, & omnipo-
tentia aliquando non egerit potentatum. Hoc nobis obiice-
re solent dicentibus mundum hunc ex certo tempore cœpis-
se, & secundum scripturæ fidem annos quoque ætatis ipsius

Caue & caute lege.

numerantibus. Ad quas propositiones non arbittor ali-
quem hæreticorum secundum rarionem dogmatis sui posse
facile respondere. Nos vero consequenter respondebimus
obseruantes regulam pietatis, & dicentes, quoniam non tunc
primum cum visibilem istum mundum fecit deus cœperit o-
perari, sed sicut post corruptionem huius erit alius mundus;
ita & antequam hic esset fuisse alios credimus. Quod vtrun-
que diuinæ scripturæ auctoritate firmabitur. Nam quod erit

Esa. 65.

post hunc alius mundus Esaias docet, dicens: Erit cœlum
nouum & terra noua, quæ ego faciam permanere in conspe-
ctu meo, dicit dominus. Quod autem ante hunc mundũ fue-

Eccle. 1.

rint etiam alij, Ecclesiastes ostendit dicens. Quid est quod fa-
ctum est? id ipsum quod futurum est. Et quid est quod creatũ
est? hoc ipsum quod creandum, & nihil est omnino recẽs sub
sole. Sed quis loquetur, & dicet, ecce hoc nouum est? iam fuit
id in seculis quæ fuerunt ante nos. Quibus testimoniis vtrun-
que, quod & ante fuerunt secula, & futura sint postmodum.
Non tamen putandum est plures mũdos simul esse, sed post
hunc interim alios futuros: de quibus nunc non est necessa-
rium per singula repetere, cum iam id in superioribus feceri- E

Hæc adiecit Ruffinus de suo.

mus. Illud sanè ociose prætereundum non arbitror, quòd
scripturæ sanctæ conditionem mundi nouo quodam & pro-

Matth. 24

prio nomine nuncupauerunt, dicentes, καταβολὼ mundi,
quod latini satis improprie translatum constitutionem mun-
di interpretati sunt, sicut in euangelio secundum Ioannem
cum dicit Saluator: Et erit tribulatio in illis diebus qualis nõ
fuit à constitutione mundi, hic constitutio καταβολὴ dicta
est: quod ita intelligendum est sicut superius exposuimus.

Eph. 1.

Sed & Apostolus in epistola ad Ephesios eodem sermone
vsus est cum ait: Qui elegit nos ante mundi constitutionem,
& hic constitutionem mundi καταβολὼ dixit, eodem sen-
su quo superius interpretati sumus intelligendam. Dignum
igitur videtur inquirere quid est quod hoc nomine indice-
tur: & arbitror, quoniam quidem finis & consummatio san-
ctorum erit in his quæ non videntur & æterna sunt: & ipsius
finis contemplatio est, sicut in superioribus frequenter ostẽ-
dimus. Simile & initium irrationabiles creaturas habuisse cẽ-
sendum est. Et si tale initium habuerint qualem finẽ sperant;
fuerunt sine dubio iam ab initio in his quæ non videntur &
æterna sunt. Quod si est, de supetiotibus ad inferiora descen-
sum est non ab his animalibus quæ id motuũ suotũ varietate
meruerunt, vetum & ab his quæ ad totius mundi ministeriũ
ex illis superioribus & inuisibilibus ad hæc inferiora & visi-
bilia deducta sunt, licet non volentia: vanitati quippe creatu-
ra subiecta est non volens, sed propter eum qni subiecit in
spe, qua vel sol, vel luna, vel stellæ, vel angeli explerent obse-
quiũ mundo, & his animabus quæ ob nimios defectus men- F
tis crassioribus & solidioribus indiguere corporibus, & pro-
pter eos quibus hoc erat necessarium, mundus iste etiam vi-
sibilis institutus est. Ex hoc ergo communiter omnium per
hanc significantiam, id est per καταβολὼ à superioribus ad
inferiora videtur indicari deductio. Spem sanè libertatis
vniuersa creatura gerit vt à seruitutis corruptione liberetur,
cum filij dei qui vel prolapsi, vel dispersi sunt, in vnũ fuerint
congregati, vel cum cæteta officia expleuerint in hoc mũdo;
quæ solus cognoscit omnium artifex deus. Talem vere, ac
tantum putandum est factum esse mundum, qui vel omnes
eas animas quæ in hoc mundo statutæ sunt exerceri, caperet,
vel omnes eas virtutes quæ adesse eis, & dispensare eas, ac iu-

Omnes animæ vnius sunt naturæ.

uare paratæ sunt. Vnius nanque naturę esse omnes rationa-
biles creaturas, ex multis assertionibus cõprobarur: per quod
solum dei iustitia in omnibus eorum dispẽsationibus defen-
di potest, dum vnaquæque in semetipsa habet causas quod
in illo, vel in illo vitæ ordine posita sit. Hanc disposirionem
dei quam postea ordinauit, iam tũc ab origine mundi ratio-
nibus causisque perspectis eorum, qui vel pro defectu men-

G tis venire in corpora merebantur, vel eorum qui visibilium cupiditate raptabantur, sed & illorum qui vel noletes vel inuiti præstare officia quædam his qui in hunc statum deciderant compellebantur ab eo qui in spe subiiciebat, non intelligentes quidā: nec aduertentes quod ex precedentibus liberi arbitrij causis instituta fuisset à deo dispositionis ista varietas: arbitrati sunt vel fortuitis motibus vel fatali necessitate agi omnia quæ in hoc mundo sunt, nec esse aliquid in nostro arbitrio. Vnde nec dei prouidentiam inculpabilem assignare potuerunt. Sicut autem audiuimus, quia multis, vel ministris, vel rectoribus, vel auxiliatoribus eguerunt animæ omnes quæ in hoc mundo versatę sunt: ita in nouissimis temporibus cum iam finis mundo proximus immineret, & in vltimam perditionem omne humanum vergeret genus, infirmatis non solum his qui regebantur, verum etiam illis quibus regendi fuerat sollicitudo commissa, non iam tali auxilio, nec similibus suis indiguit defensoribus: sed auctoris ipsius & creatoris sui opem depoposcit, qui & his obediendi, & illis regendi corruptam prophanámque restitueret disciplinam.

Phil.2. Vnde vnigenitus filius dei qui erat verbum & sapientia pa- H tris, cum esset in ea gloria apud patré quam habuit ante quā *Ioh.17.* mundus esset, exinaniuit semetipsum, & formam serui accipiens efficitur obediens vsque ad mortem, vt obedientiā doceret eos qui non aliter nisi per obedientiam salutem consequi poterant: regendi quoque regnandíque corruptas restituit leges, dum omnes inimicos subiecit sub pedibus suis, vt per hoc quòd necesse est eum regnare donec ponat inimicos *1.Cor.15.* suos sub pedibus, & nouissimum inimicum destruat morté, rectores ipsos regendi doceat moderamina. Quia ergo non solum regendi, vel docendi, verumetiam obediendi venerat reparare disciplinā (vt diximus) in semetipso prius complens quod in aliis volebat impleri, idcirco nō solum vsq; ad mortē crucis patri obediens factus est, verum etiam in consummatione seculi in semetipso complectens omnes quos subiecit patri, & qui per eum venerunt ad salutem, cum ipsis, & in ipsis ipse quoque subiectus dicitur patri: dum omnia constāt, & ipse est caput, etiam ipse est salus salutem consequētium plenitudo. Hoc ergo est quod de eo dicit Apostolus. Cum autē ei subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei *1.Cor.15.* qui sibi subdidit omnia, vt sit deus omnia in omnibus. Verū nescio quo pacto hæretici intelligentes apostoli sensum qui his verbis continetur, subiectionis in filio nomen infamant: cuius appellationis si improprietas requiritur, ex cōtrariis facile poterit inueniri. Nam si subiectum esse non est bonum: restat vt illud quod contrarium est, bonum sit, id est non esse subiectum esse non est bonum: restat vt illud quod contrariū est, bonum sit, id est non esse subiectum. Sermo nāq; apostoli secundum quod isti dicunt, hoc videtur ostendere, cum di- *Ibid.* cit: Cum autem ei subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui sibi subdidit omnia: vt quasi is qui nunc I patri non sit subiectus, futurus sit tunc, cum pater ei vniuersa subiecerit. Sed miror quomodo intelligi possit, vt is qui nondū sibi subiectis omnibus non est ipse subiectus, tunc cū subiecta fuerint sibi omnia, cū rex omnium fuerit, & potestatē tenuerit vniuersorum, tunc eum subiiciendum putent cum subiectus ante non fuerit: non intelligentes quòd subiectio *Subiectio christi qualis.* Christi ad patrē beatitudinē nostræ perfectionis ostendit, & suscepti ab eo operis palmā declarat cum non solū regēdi ac regnandi summā quam vniuersa emendauerit creatura, verū etiam obedientiæ & correctionis correcta paratáq; humani generis patri offerat instituta. Si ergo bona & salutaris accipitur ista subiectio qua subiectus esse dicitur filius patri, valde consequens & cohærens est vt inimicorū quę dicitur filio dei esse subiectio, salutaris quædā intelligatur & vtilis: vt sicut cum dicitur filius patri subiectus, perfecta vniuersæ creaturæ restitutio declaratur, ita cū filio dei inimici dicuntur esse subiecti, subiectorū salus in eo intelligatur, & reparatio perditorū. Verū certis quibusq; & modis, & disciplinis, & tēporibus subiectio ista cōplebitur: non necessitate aliqua ad subiectionē cogente, ne per vim subditus fiat omnis mundus deo, sed verbo, ratione, doctrina prouocatione meliorū, institutionibus optimis, cōminationibus quoq; dignis & competētibus, quæ iuste immineant his qui salutis & vtilitatis suæ curā sanitatémq; contēnant. Deniq; & nos homines cū vel seruos, vel K filios erudimus, dū adhuc veritatis per ætatē rationis incapaces sunt, minis eos & metu coercemus: cū vero boni, vtilis & honesti intelligentiā ceperint, tū iā cessante verberum metu, verbo ac ratione sua ad omnia quæ bona sunt acquiescunt. Quomodo autem seruata in omnibus rationabilibus creaturis arbitrij libertate vnusquisq; debeat dispensari, id est quos velut iā paratos & capaces sermo dei & inueniat, & instituat, quos autē interim differat, à quibus vero penitus occultetur, & lōge eorū à se fieri dispenset auditū, quósq; rursum contēnentes indicatū sibi & prædicatū verbū dei correptionibus quibusdam & castigationibus illatis perurgeat ad salutē, conuersionémq, eorū quodāmodo exigat & extorqueat: quibusnā vero etiā occasiones præstet salutis, ita vt interdum etiam & respōsione sola fide probata indubitatā quis ceperit salutē: quibus hęc ex causis vel quibus occasionibus fiant, quidve in his intro inspiciens diuina sapiētia, vel quos motus propositi eorū videns hæc vniuersa dispenset, soli deo cognitū est, & vnigenito eius, per quē creata ac reparata sunt vniuersa, & spiritui sancto per quem cuncta sanctificantur, qui ab ipso patre procedit, Cui est gloria æterna in secula. Amen.

L

De consummatione Mundi. Cap. VI.

DE fine vero mundi, & cōsummatione omnium iam quidē & in superioribus pro viribus nostris disseruimus, secundū quod diuinę scripturæ indulsit auctoritas, quę sufficere ad instructionem putamus, paucis etiam nunc admonitis, quoniā ad hunc nos locum quæstionis ordo perduxit. Igitur summū bonū ad quod natura rationabilis vniuersa festinat, quę etiā finis omnium dicitur, à quamplurimis etiam philosophorum *Summum bonū similé esse deo.* hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri deo. Sed hoc non tam ipsorum inuētum, quàm ex diuinis libris ab eis sumptum puto. Hoc nanque indicat Moyses ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat dicens. Et dixit deus: Faciamus hominem *Gen.1.* ad imaginem & similitudinem nostram. Tunc deinde addit: Et fecit deus hominem, ad dei imaginem fecit eum, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos. Hoc ergo quod dixit, ad imaginem dei fecit eum, & de similitudine siluit, non aliud indicat nisi quod imaginis dignitatem in prima conditione perceperit, similitudinis vero perfectio in consummatione seruata est: scilicet vt ipse sibi eam propriæ industriæ studiis ex dei imitatione conscisceret, cum possibilitatem sibi perfectionis diuinitus datam per imaginis dignitatem, in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret. Sed apertius hæc & *1.Ioan.3.* euidentius in se habere Ioannes apostolus definit, hoc modo pronuncians: Filioli nondum scimus quid futuri sumus: si vero reuelatum nobis fuerit de Saluatore, sine dubio dicetis, si- M miles ei erimus. Per quod certissime indicat & finem omnium, quem adhuc sibi dicit ignotum, & similitudinem dei sperandam, quæ pro meritorum perfectione præstabitur. Ipse quoque dominus in euangelio non solum futura, verum etiam sui intercessione futura denunciat ipse, dū hoc à patre *Ioan.17.* discipulis suis impetrare dignatur, dicens: Pater volo vt vbi ego sum & isti sint mecū: & sicut ego & tu vnū sumus, ita & isti in nobis vnum sint. In quo iam videbitur ipsa similitudo (si dici potest) proficere, & ex simili vnum iam fieri, pro eo sine dubio quod in consummatione vel in fine omnia & in omnibus deus est. In quo requiritur à nonnullis, si ratio naturæ corporeæ quamuis expurgatæ ad liquidum & penitus spiritalis affectæ, non videatur obsistere vel ad similitudinis dignitatem, vel ad vnitatis proprietatem: quod naturæ diuinæ quæ vtique incorporea est, nec similis videatur dici corporea natura posse, nec vnū cum ea vere ac merito designare: maxime cum id quod vnum est filius cum patre, ad naturæ proprietatem referendum fidei veritas doceat. Cùm ergo in fine Deus esse omnia & in omnibus promittatur, sicut cōueniens est, non est putandum venire ad illum finem animalia, vel pecora, vel bestias, ne etiam in animalibus, aut pecoribus, vel bestiis deus inesse designetur: sed nec ligna, vel lapides,

A pides, vt in his quoque esse dicatur Deus. Ita nec vllam quidem malitiam ad illum finem putandum est peruenire: ne dum in omnibus Deus esse dicitur, etiam in aliquo vasculo esse dicatur. Nam etsi nunc quoque vbique, & in omnibus dicimus esse Deum, pro eo quod nihil potest esse vacuũ Deo, non tamen esse dicimus vt omnia sit nunc in quibus est. Vnde diligentius intuendum est quale est hoc quod perfectionem beatitudinis rerumq; finem significat. Quæ sint ergo ista omnia quæ Deus futurus sit in omnibus, requiramus. Et ego quidem arbitror, quia quod in omnibus omnia dicitur esse Deus, significet etiam in singulis eum omnia esse. Per singulos autem omnia erit hoc modo, vt quicquid rationabilis mens expurgata omnium vitiorum fece, atque omni penitus abstersa nube malitiæ, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia Deus sit, nec vltra iam aliud aliquid nisi Deum videat, Deum teneat, omnis motus sui Deus modus & mensura sit, & ita erit omnia Deus: non enim vltra boni maliq; discretio, quia nusquam malum: omnia enim ei Deus, cui iam non adiacet malum: nec vltra ex arbore sciendi bonum & malum manducare concupiscet, qui semper in bono est, & cui omnia Deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, & rerum exitus collatus initiis, restituet illum statum quem tunc habuit natura rationabilis cum de ligno sciendi bonum & malum comedere non egebat, vt amoto B omni malitiæ sensu, & ad syncerum purúmque deterso, solus qui est vnus bonus Deus hic ei fiat omnia: cùm nusquã mors, nusquam aculeus mortis, nusquam omnino malum, tunc verè Deus omnia in omnibus erit. Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabilium creaturarum, vel naturarum, ita demum quidam permanere in eodem statu quo suprà diximus putant, id est vt Deum omnia habeant, & Deus eis sit omnia, si nullatenus eas societas naturæ corporali admoueat. Alioquin existimant gloriam summæ beatitudinis impediri, si materialis substantię interseratur admixtio. De qua re plenius à nobis quæ in superioribus occurrere potuerunt pertractata atque digesta sunt. Nunc verò quoniam apostolũ Paulum mentionem spiritalis fecisse inuenimus, qualiter etiam mihi sentiri debeat de hoc tantummodo prout possumus requiramus. Quantum ergo sensus noster capere potest, qualitatem spiritalis corporis, talem quidem esse sentimus, in qua inhabitare deceat non solum sanctas quasque perfectásque animas, verum etiam illam creaturam quæ liberabitur à seruitute corruptionis. De quo corpore etiam Paulus apostolus dixit: Domum habemus non manu factam ęternam in cœlis, id est in mansionibus beatorum. Ex hoc ergo & sensuram capere possumus, quantę puritatis, quantę subtilitatis, quantęq; gloriæ sit qualitas corporis illius, si comparationem faciamus eius ad ea quæ nunc licet cœlestia & splendidissima corpora, manu facta tamen sunt & visibilia. De illo autem dicitur domus esse non manu facta, sed æterna in cœlis. Quia ergo C quę videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur ęterna sunt, omnibus his corporibus, quę siue in terris, siue in cœlis videmus, & quæ videri possunt, & manu facta sunt, & æterna non sunt, multa longè prælatione præcellit illud quod & visibile non est, nec manu factum est, sed æternum est. Ex qua comparatione conuinci potest quantus decor, quantus splendor, quantus fulgor sit corporis spiritalis: & verum esse illud quod dictum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus illum. Non autem dubitandum est naturam corporis huius nostri voluntate Dei qui talem fecit eam, vsque ad illam qualitatẽ subtilissimi & purissimi ac splendidissimi corporis posse à creatore perduci, prout rerum status vocauerit, & meritum rationabilis naturę poposcerit. Deniq; cum varietate & diuersitate mundus indiguit, per diuersas rerum facies speciésque omni famulatu præbuit se materia conditori, vtpote domino & creatori suo, quo diuersas cœlestium terrenorúmque ex eo duceret formas. Cùm verò res ad illud cœperint festinare vt sint omnes vnum, sicut est pater cum filio vnum, consequenter intelligi datur, quod vbi omnes vnum sunt, iam diuersitas non erit. Propterea etiam nouissimus inimicus, id est diabolus qui mors appellatur, destrui dicitur, vt neque vltra triste sit aliquid vbi mors non est, neq; aduersum sit vbi non est inimicus. Destrui sanè nouissimus D inimicus ita intelligendus est, non vt substantia eius quæ à Deo facta est pereat, sed vt propositum & voluntas inimica, quæ non à Deo sed ab ipso processit, intereat. Destruetur ergo non vt non sit, sed vt inimicus non sit & mors. Nihil enim omnipotenti impossibile est, nec insanabile est aliquid factori suo: propterea enim fecit omnia vt essent, & quæ facta sunt vt essent, non esse non possunt. Propterea mutationem quidem varietatemq; recipient, ita vt pro meritis, vel in meliori vel in deteriori habeantur statu. Substantialem verò interitum ea quæ à Deo facta sunt vt essent & permanerent, recipere non possunt. Non enim quæ opinione vulgi interire dicuntur, continuo etiam vel fidei vel veritatis ratio ea interire consenserit. Denique caro nostra ab imperitis & infidelibus ita post mortem deperire existimatur, vt nihil prorsus reliquum substantiæ suæ habere credatur. Nos verò qui resurrectionem eius credimus, immutationem eius tantum modo per mortem factam intelligimus, substantiam verò eius certum est permanere, & voluntate creatoris sui certoq; tempore rursus reparari ad vitam, atque iterũ permutationem eius fieri, vt quæ primo fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, & iterum facta cinis ac terra, quoniam terra es inquit & in terram ibis, rursum resuscitetur è terra: & post hoc iam velut meritum inhabitantis animæ poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritalis.

E In hunc ergo statum omnem hanc nostram substantiã corporalem putandum est producendam, tunc cùm omnia restituentur vt vnum sint, & cùm Deus fuerit omnia in omnibus. Quod tamen non ad subitum fieri, sed paulatim & per partes intelligendum est, infinitis & immensis habentibus seculis, cum sensim & per singulos emendatio fuerit & correctio prosecuta, pręcurrentibus aliis & velociori cursu ad summa tendentibus, aliis verò proximo spatio insequentibus tum deinde aliis longè posterius: & sic per multos & innumeros ordines proficientium ac Deo se ex inimicis reconciliantium peruenitur ad nouissimum inimicum qui dicitur mors, vt etiam ipse destruatur ne vltrà sit inimicus. Cùm ergo restitutæ fuerint omnes rationabiles animæ in huiuscemodi statum, tunc natura etiam huius corporis in gloriam perducetur. Sic enim de rationabilibus videmus naturis, non alias esse quę pro peccatis in indignitate vixerint, & alias quæ pro meritis ad beatitudinem inuitatæ sint, sed has easdẽ quę antè fuerant peccatrices, conuersas postmodum & Deo reconciliatas videmus ad beatitudinem reuocari: Ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est quo nunc in ignobilitate & in corruptione & infirmitate vtimur: & aliud erit illud quo in incorruptione, & in virtute, & in gloria vtemur: sed hoc idem abiectis infirmitatibus in quibus nunc est, in gloriam transmutabitur spiritale effectũ, vt quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum fiat vas honoris, & beatitudinis habitaculum. In quo statu etiam permanere semper & immutabiliter creatoris voluntate est cre- F dendum, fidem rei faciente sententia Apostoli dicentis, Domum habemus non manu factam in cœlis. Non enim secundum Græcorum philosophos præter hoc corpus quod ex quatuor elementis est, aliud quintum corpus quod per omnia aliud sit & diuersum ab hoc nostro corpore, fides necessariò recipit: quoniam neque ex scripturis sanctis vel suspicionem aliquam proferre de his potest, neque ipsa rerum cõsequentia hæc recipi patitur, maximè cùm manifestè definiat sanctus Apostolus, quia non noua aliquia corpora resurgentibus à mortuis dentur, sed hæc ipsa quæ viuentes habuerant, ex deterioribus in melius transformata recipiant. Ait enim: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale: seminatur in corruptione, resurget in incorruptione: seminatur in infirmitate, resurget in virtute: seminatur in ignobilitate, resurget in gloria. Sicut ergo profectus est homini quidem, vt cùm sit prius animalis homo, nec intelligat quæ sunt spiritus Dei, veniat in hoc per eruditionem vt efficiatur spiritalis, & diiudicet omnia, ipse verò à nemine diiudicetur: ita etiam de corporis statu sentiendum est, quod ipsum idẽ corpus quod nunc pro mysterio animę nuncupatũ est animale, per profectũ quendã cum anima Deo vnus cũ eo

Marginalia: 2. Cor. 15. — 2 Cor. 4. — Corpora beatorũ cœlestibus excellentiora. — Caut. — Gen. 3. — Circuli Platonici. — Corpus idẽ numero resurget. — 2 Cor. 5. — Corpus quintum. — 1 Cor. 15.

G spiritus fuerit effecta, iam tunc corpus quasi spiritui ministrans in statum qualitatemq; proficiat spiritalem, maximè cùm sicut sæpè ostendimus, talis à conditore facta sit natura corporea, vt in quamcunque voluerit, vel res poposcerit qualitatem, facile subsequatur. Omnis igitur hęc ratio hoc continet, quòd duas generales naturas condiderit Deus: naturã visibilem, id est corpoream, & naturam inuisibilem, quæ est incorporea. Istæ verò duæ naturæ diuersas sui recipiunt permutationes. Illa quidem inuisibilis quæ rationabilis est, animo propositóque mutatur pro eo quod arbitrij sui libertate donata est, & per hoc aliquando in bonis, aliquando in contrariis inuenitur. Hæc verò natura corporea substantialem recipit permutationem: vnde & ad omne quod moliri, vel fabricare, vel retractare voluerit artifex omnium Deus materiæ huius habet in omnibus famulatum, vt in quascunque vult formas, vel species prout rerum merita deposcunt, naturam corpoream transmutet & transferat. Quod euidenter propheta designans ait: Deus qui facit omnia, & transmutat.

Duas naturas generales condidit Deus.

Iam sanè illud quærendum est, si tunc cùm erit Deus omnia in omnibus, in consummatione omnium vniuersa corporis natura vna specie constabit, & omnis qualitas corporis illa sola erit quæ in illa inenarrabili gloria fulgebit, quæ spiritalis corporis futura sentienda est. Si enim rectè accepimus, id in initio libri sui Moyses scribit dicens: In principio H fecit Deus cœlum & terram. Hoc enim ptincipium totius creaturæ, ad hoc principium finem omnium consummationemq; conuenit reuocare: id est vt illud cœlum, & illa terra, habitatio & requies sit piorum: ita vt prius terræ illius sancti quique & mansuetudine hæreditatem capiant, quandoquidem hoc etiam lex & prophetæ, & Euangelium docent. In qua terra puto esse veras illas & viuas formas illius obseruantiæ quam Moyses per legis vmbram tradebat. De K quibus dictum est, quia exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium: his scilicet, qui seruiebant in lege. Sed ad ipsum Moysen dictum est: Vide vt facias secundum formam & similitudinem quæ tibi ostensa est in monte. Vnde mihi videtur quod sicut in hac terra lex pædagogus quidam fuit eorũ qui ad Christum ab ipso perduci deberent, eruditi ab ea & instituti vt facilius possent post institutionem legis perfectiora quæque instituta Christi suscipere: ita etiam alia terra sanctos suscipiens veræ & æternæ legis institutionibus eos prius imbuat & informet, quo facilius etiam illis cœli perfectis, & quibus addi iam nihil potest institutis, potiantur: in quo erit illud quod æternum dicitur euangelium & testamentum semper nouum quod nunquam veterascet.

Gene.1.

Heb.8. *Exod.25.*

Hoc itaque modo in consummatione ac restitutione omnium fieri putandum est, vt paulatim proficientes, & ascendentes modo & ordine perueniant primò ad terram illam, & eruditionem quæ in ea est, in qua ad meliora, & illa quibus iam addi nihil potest instituta præparentur. Post actores enim & procuratores Christus dominus qui est rex omnium regnum ipsum suscipiet: id est post eruditiones sanctarum virtutum eos qui eum capere possunt secundum quod sapientia est, ipse instruet, regnans in eis tamdiu vsquequo eos etiam patri subiiciat qui sibi subdidit omnia, id est L vt cùm capaces Dei effecti fuerint, sit eis Deus omnia in omnibus. Tunc consequenter etiam natura corporea illum summum, & cui addi iam nihil possit, recipiet statum. Hactenus nobis etiam corporeæ naturæ vel spiritalis corporis ratione discussa, arbitrio legentis relinquimus, ex vtroque quod melius iudicauerit eligendum. Nos verò in his finem libri tertij faciamus.

Æternum euãgelium.

LIBER QVARTVS,

QVOD SCRIPTVRÆ DIVINITVS INSPIRATAE SINT, CAP. I.

VERVM quoniam de tantis & talibus rebus differentibus non sufficit humanis sensibus, & communi intellectui summam rei cõmittere, & (vt ita dixerim) visibiliter de inuisibilibus pronunciare, assumenda nobis sunt ad probationẽ horum quę dicimus, etiam diuinarum scripturarũ testimonia. Quæ testimonia vt certam & indubitatam fidem pręstent, siue in his quæ dicenda nobis, siue quæ iam dicta sunt, necessarium videtur ostendere quòd ipsæ diuinæ scripturæ sint Dei spiritu inspiratæ. Igitur quàm poterimus breuiter, etiam de hoc assignabimus ex ipsis diuinis scripturis, quę nos competenter mouerint, proferẽtes aliqua de Moyse primo legislatore gentis Hebrææ, & aliqua ex verbis Iesu Christi autoris & principis Christianorum religionis & dogmatis. Cùm permulti legislatores extiterint apud Gręcos & Barbaros, inuenti quoque sint doctores vel philosophi veritatem se pollicentes asserere, nullum meminimus legislatorem affectum quendam & studium etiam exterarum gentium animis iniicere potuisse, vt leges suas vel susciperent libenter, vel etiam omni animi intentione defenderent. Nemo ergo eam quæ sibi visa est veritatem non solum pluribus aliis exteris nationibus, sed nè vni quidem genti insinuate, ita atque inolescere potuit, vt ad omnes eius scientia vel credulitas perueniret. Et quidem dubitari non potest, quòd legislatores optauerint obseruari ab omnibus si fieri posset hominibus leges suas, & magistri omnibus innotescete super eam quæ sibi visa fuerat veritatem. Sed scientes quia id omnino non possent, vt virtus in eis aliqua tanta subsisteret quæ etiam cæteras nationes ad legum suarum vel assertionum obseruantiam prouocaret, nec conari quidem hoc aut incipere omnino ausi sunt, ne impudentes eos etiam hoc inefficax & inexplebile notaret inceptum. At verò in omni orbe terrarum, in omni Græcia, atque vniuersis cęteris nationibus innumeri sunt & immensi, qui relictis patriis legibus & his quos putabant Deos, ad obseruantiam Moysęę legis & disciplinarum se Christi cultumq; tradiderunt, & hoc non sine ingenti odio aduersum se commoto eorum qui simulacra venerabantur, ita vt ab his frequenter & cruciatibus affligerentur, nonnumquam etiam agerẽtur in mortem: amplectuntur tamen, & cum omni affectu custodiũt doctrinæ Christi sermonem. Et est videre quomodo breui tempore ipsa religio creuit pœnis multorũ mortibúsque proficiens, M sed & bonorum direptionibus atque ab his omni genere suppliciorum tolerato: & eo maximè mirum est, quod ne doctores quidem ipsi vel satis idonei sunt, vel satis plures: prædicatur tamen sermo iste in toto orbe terrarum, ita vt Græci ac Barbari, sapientes & insipientes religionem Christianæ doctrinæ suscipiant. Ex quo dubium non est hoc humanis viribus aut opibus non agi, vt cum omni incredulitate & potestate sermo Christi Iesu apud omnium mentes atq; animos conualescat. Nam & prædicta ab eo hæc ipsa, & diuinis ab eo responsis confirmata, manifestum est cùm dicit, quia apud præsides & iudices ducemini propter me in testimoniũ ipsis & gentibus. Et rursum: Prædicabitur hoc euangelium in omnibus gentibus. Et iterum: Multi mihi dicent in illo die: Domine, domine, nonne in nomine tuó manducauimus & bibimus? & in tuo nomine dæmonia eiecimus? & dicam eis: Discedite à me operarij iniquitatis, nunquam cognoui vos. Quæ si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec tamen ad fidem ea quæ dicta sunt peruenissent, fortasse minus esse viderẽtur, nec habere aliquid autoritatis. Nunc verò cùm in effectum ea quæ fuerant ab eo dicta perueniant, cum tanta autem potestate atque autoritate prædicta sint, manifestissimè declaratur vera esse, quia homo factus salutaria præcepta hominibus tradidit. Quid verò inde dicendum est quod prophetæ de ipso antè prædixerant, non cessaturos principes ex Iuda, neq; duces de femoribus eius vsquequo veniat ille cui repositum est,

Christiani mi amplitudo. I

Matt.10. *Matt.7.* *Gen.49.*

A est, regnum scilicet, & vsquequo veniat expectatio gentium. Manifestissimè enim ex ipsa historia apparet ex his quæ hodie peruidentur, quia ex temporibus Christi vltra reges apud Iudæos non extiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Iudaicæ in quibus se iactabant quamplurimi, & in quibus exultabant, vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atq; omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentísque pontificũ, simul destructa sunt. Cõpleta est enim prophetia quę dixerat: Per dies multos sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa. His ergo testimoniis vtimur aduersus eos qui videntur asserere de his quæ in Genesi ab Iacob dicta sunt, quod de Iuda dicta sint: & dicunt permanere adhuc principem ex genere Iudæ, istum videlicet qui est gentis eorum princeps quem nominant Patriarcham, nec deficere posse de semine eius qui permaneat vsque ad aduentum eius Christi quem sibiipsi describunt. Sed si verum est quod ait Propheta, quia dies multos sedebũt filij Israël sine rege, sine principe, nec erit hostia, nec altare, nec sacerdotium: & vtique ex quo subuersum est templum, nec hostiæ offeruntur, nec altare inuenitur, nec sacerdotiũ: constat & certissimum est defecisse principes ex Iuda, sicut scriptum est, & ducem ex femoribus eius vsquequo veniet ille cui repositum est. Constat ergo quia venit ille cui repositum est, in quo expectatio gentium est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorũ qui per Christum Deo ex diuersis gentibus crediderunt. Sed & in Deuteronomij Cãtico per prophetiam designatur, pro peccatis prioris populi futura esse insensatæ gentis electio, non alia vtique quàm hęc quę per Christum facta est. sic enim ait: Exacerbauerunt me in simulacris suis, & ego in zelo concitabo eos, in gente insipiente irritabo eos. Est ergo satis euidenter agnoscere, quemadmodum Hebręi qui Deum exacerbare dicũtur in his qui non sunt dij, & irritasse eum in simulacris suis irritati sint & ipsi zelotypia per gentem insipientem, quã Deus elegit per aduentum Iesu Christi & discipulos eius. Sic enim dicit Apostolus: Videte enim vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes inter vos secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta mundi sunt elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ erant prius, destrueret. Non ergo glorietur carnalis Israël: ita nanque ab Apostolo vocatur: non inquam glorietur caro in conspectu Dei. Sed & de his quę in Psalmis prophetantur, quid dicendum est? In eo maximè qui scribitur Canticum pro delicto, vbi refertur quia lingua eius calamus scribæ velociter scribẽtis, decorus super filios hominum, quoniam effusa est gratia in labiis eius. Indicium autem effusæ gratię in labiis eius hoc est, quod breui tempore transacto: anno enim & aliquot mẽsibus docuit: vniuersus tamen orbis, doctrina & fide pietatis eius impletus est. Orta est ergo in diebus eius iustitia, & abũdantia pacis permanens vsque ad finem, qui finis ablatio lunę appellatus est. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad fines terræ. Datum est autem & signum domui Dauid: Virgo enim in vtero cõcepit, & peperit Emmanuel, quod est interpretatũ nobiscum Deus. Scitote gentes & vincimini. victi enim sumus, & superati qui ex gentibus sumus, & velut exuuiæ quædam victoriæ eius existimus, qui eius gratiæ colla nostra subiecimus. Sed & locus natiuitatis eius prædictus est in Michæa propheta dicente, Et tu Bethleem Iuda nequaquam minima es in ducibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël. Sed & septimanę annorum impletę sunt vsque ad ducem Christum quas prædixerat Daniel propheta. Adest nihilominus & is qui in Iob dictus est beluam ingentem consumpturus, qui & dedit potestatem familiaribus discipulis suis calcare super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici nihil ab eo nocẽdis. Sed & si quis consideret apostolorum Christi per singula loca discursus, in quibus ab eo missi euãgelium prędicarunt, inueniet quæ & quot ausi sunt aggredi quæ supra hominem sunt: & quod explere potuerunt, ex Deo est. Si consideremus quomodo homines nouam doctrinam ab eis audientes inferri, suscipere eos potuerunt, vel potius quod sæpe eis volentes inferre perniciem diuina quidem quæ eis aderat virtute repressi sunt, inueniemus nihil in hac causa

Esa.3.

Istos hodie Iudæi appellant in suis chronicis Roshè baggaluth, principes exulum & eorum in Babylonia successionẽ ab ipso Zorobabele annumerant, sed paulo fabulosius.

Deut.32.

1 Cor.1.

Carnalis Israëlita.

Psal.45.

Sententia tamẽ veteris ecclesiæ Christum predicasse tribus annis & semis, vt etiã sensit ipse Origen. li.2 in Iob supr.

Psal.72.

Esa.7.

Mich.5.

Dan.9.

Luc.10.

D humanis viribus, sed totum diuina virtute ac prouidẽtia procuratum, euidentibus proculdubio signis & virtutibus testimonium reddentibus verbo & doctrinæ eorum.

His autẽ breuiter demonstratis, id est de deitate Iesu Christi & de omnibus his quæ de ipso prophetata fuerant expletis, simul illud etiam arbitror approbatum, quod & scripturæ ipsæ quę de eo prophetauerant, diuinitus inspiratæ sint, quæ vel de aduentu eius, vel de potestate doctrinæ, vel de omni gentium assumptione prædixerant. Quibus etiam illud addendum, quod siue prophetarum vaticinia, siue Moysi lex diuina etiam & diuinitus inspirata ex eo maximè illuminata est, & probata, ex quo in hunc mundum Christus aduenit. Ante enim quàm complerentur ea quę ab illis fuerant prędicta, quamuis vera essent, & à Deo inspirata, tamen ostẽdi vera esse non poterant pro eo quod nondum probarentur impleta. Aduẽtus verò Christi vera esse & diuinitus inspirata quæ dixerant declarauit, cùm vtique prius haberetur incertum si eorum quæ prędicta fuerant, exitus esset implendus. Sed & si qui cum omni studio & reuerentia qua dignum est prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est quod aliquo diuiniore spiramine mentem sensumq; pulsatus agnoscet non humanitus esse E prolatos eos quos legis, sed Dei esse sermones: & ex semetipso sentiet non humana arte, nec mortali eloquio, sed diuino (vt ita dixerim) cothurno libros esse conscriptos. Legem ergo Moysis splendor aduentus Christi per fulgorem illuminans, id quod superpositum erat literæ eius velamen abstraxit, & omnia quę coopertura verbi bona tegebantur, vniuersis in se credentibus reserauit. Verùm satis operosa res est enumerare singula quæ à prophetis olim prędicta sunt, qualiter & quando completa sint, vt ex his videamus eos qui dubitant confirmare: quum possibile sit vnicuique volenti de his diligentius noscere, ex ipsis libris veritatis probamenta abundantius congregare. Si verò his qui minus in diuinis eruditi disciplinis, non statim in prima fronte literæ sensus qui supra hominem est videtur occurrere, nihil mirum est, quæ diuina sunt ad homines paulò latentius deferuntur, & eò magis latent, quo quis vel incredulus, vel indignus. Nam cùm certum sit omnia quę in mundo sunt, vel geruntur, Dei prouidentia dispensari, quędam quidem satis euidẽter apparẽt, quòd prouidẽtię gubernatione digesta sint: alia verò tam occultè ramq; incomprehensibiliter occultantur, vt penitus in his lateat diuinæ ratio prouidẽtiæ, ita vt interdũ à nonnullis nec crederentur quidẽ ad prouidentiã pertinere, quoniam ratio ab eis latet per quam ineffabili quadam arte opera diuinæ prouidentię dispensantur. Quæ tamen ratio non ęqualiter omnibus occultata est. Nam & inter ipsos homines ab alio minus, ab alio amplius consideratur. Plus verò ab omni homine qui in terris est, quisquis ille est cœli habitator agnoscit. Et aliter claret corporũ ratio, aliter arborũ, aliter animaliũ: aliter verò tegitur animorum & diuersarum rationabilium mentiũ motus, qualiter per diuinã prouidentiã dispensantur: plus quidem homines, non parum etiam (vt ego arbitror) angelos latet. Sed sicut non idcirco refellitur diuina prouidẽtia ab his maximè qui eam esse certi sunt, quia opera eius vel dispensationes humanis ingeniis comprehẽdere non possunt: ita ne scripturę quidem sanctæ diuina esse inspiratio, quę per corpus eius extenditur, propterea non putabitur quod infirmitas intelligẽtię nostrę non valet per singula verba occultas & latentes inuestigare sententias, dum in vilioribus & incomptis verborum vasculis diuinę sapientię thesaurus absconditur, sicut & Apostolus designat dicens, Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus vt eo magis diuinæ potentiæ virtus effulgeat, dum nullus humanæ intelligentiæ fucus in dogmatum veritate miscetur. Si enim vel arte Rhetorica, vel philosophica calliditate conscripti libri nostri ad credendum illicerent homines, sine dubio fides nostra putaretur in verborũ arte consistere atque in sapientia humana, & nõ in virtute Dei. Nunc verò omnibus notũ est, quod prędicationis huius verbũ ita à quãplurimis in omni penè orbe susceptum est, vt non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus & virtutis etiam intelligerẽt quę credebant. Propter quod cœlesti virtute, imò etiã plus quam

Diuinus cothurnus.

Ob latẽtem causam multa tribuũtur fortunæ non prouidẽtiæ.

F

Multa latent angelos ad diuinam prouidentiã pertinentia.

2 Cor.4.

G cœlesti ad finem credulitatémque putent se perduci, pro eo scilicet vt solum omnium creatorem Deum nostrum colamus. Tentemus & nos niti magnopere, quo derelinquentes initiorum Christi sermonem quę sunt prima initia sapientiæ, ad perfectionem feramur, vt illa sapientia quæ perfectis traditur, etiam nobis tradatur. Ita nanq; pollicetur ille cui commissa est huius sapientiæ prædicatio dicens: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi, neque principum huius mundi qui dissoluuntur. Ex quo ostendit quia nihil commune habeat hæc nostra sapientia, quantum ad sermonis decorem pertinet, cum huius mundi sapientia. Hæc igitur sapientia clarius & perfectius describitur in cordibus nostris si nobis patefacta fuerit secundum reuelationem mysterij quod temporibus æternis absconditum est, nunc autem manifestum est per scripturas propheticas, & per aduentum domini & Saluatoris nostri Iesu Christi: cui est gloria in æterna secula. Amen.

1.Cor.2.

Quod multi spiritaliter non intelligentes scripturas, & malè intelligentes, in hæreses declinarunt. Cap. 11.

H His igitur breuiter assignatis de eo quod per spiritum sanctum scripturæ diuinæ inspiratæ sunt, necessarium videtur etiam illud explicare, quo pacto non rectè quidam legentes erroribus se quam plurimis tradiderunt, pro eo quod qua via ad intelligentiam diuinarum literatum debet incedi, à quamplurimis ignoretur. Denique Iudæi per duritiam cordis sui, & dum sibimetipsis volunt videri sapientes, domino & Saluatori nostro non crediderunt, ea quæ de ipso prolata sunt secundum literam debere intelligi existimantes, id est quod sensibiliter ac visibiliter debuerit prædicare captiuis remissionem, & quod debuit prius ædificare ciuitatem Dei, simul & exterminare currus Effraim, & equum de Hierusalem. sed & butyrum & mel manducare, vt priusquam cognosceret proferre malum, eligeret bonum. Sed & lupum animal istud quadrupes existimant prophetatum quia debet in aduẽtu Christi pasci cum agnis, & pardus requiescere cum hœdis, vitulus autem & taurus simul cum leonibus pasci, & à paruulo puero duci ad pascua, bouem verò & vrsum simul in pastibus recubare, eorúmque fœtus pariter enutriri, leones quoque vnà cum bobus astare præsepibus & vesci paleis. Horum igitur omnium quæ de eo prophetata sunt nihil gestum esse secundum historiam peruidentes, in quibus præcipuè signa aduentus Christi obseruanda esse credebant, suscipere præsentiam domini nostri Iesu Christi nolebant: quinimò & velut contrariam falsóque, id est contra prophetiæ fidem, I assumentem Chtisti nomen, cruci illum affixerunt. Tum verò hæretici legentes quod scriptum est, Ignis accensus est ex furore meo: & Ego dominus zelans, & reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam progeniem, qui vnxi Saul in regem: & Ego dominus qui facio pacem, & creo mala: & iterum: Non est malitia in ciuitate quam dominus non fecerit: & Descenderunt mala à domino super portas Hierusalem: & quod spiritus malignus à Deo suffocabat Saul, & multa alia his similia quæ scripta sunt legentes, dicere quidem eas non esse Dei scripturas non ausi sunt asserere, sed eas conditoris Dei illius quem Iudæi colebant, putarunt, quem iustum tantummodo, non etiam bonum credi debere existimauerunt: Saluatorem verò aduenisse, vt perfectiorem nobis annunciaret Deum, quem negant esse conditorem mundi, diuersis etiam de hoc ipso opinionibus dissidentes: quoniam quidem semel recedentes à fide creatoris Dei, qui est omnium Deus, figmentis se vanis ac fabulis tradiderunt, cōmentantes quædam, & dicentes alia esse visibilia & ab alio facta, alia verò quædam inuisibilia & ab alio condita, prout eis animæ suæ phantasia vanitásque suggesserit. Sed & nonnulli ex simplicioribus quibusque eorum qui intra ecclesię fidem contineri videntur, maiorem quidem creatore nullum opinantur, rectam in hoc tenentes sanámque sententiam, verum talia de eo sentiunt, quæ nec de aliquo iniustissimo & immitissimo homine sentienda sunt. Horum autem omnium falsæ intelligentiæ causa his quibus suprà diximus, non alia extitit, nisi quod sancta scriptura ab his non secundum spiritalem sensum, sed secundum literæ sonum intelligitur. K

Quid fallat Iudæos.

Hier.15. Exod 20. Esa.45. Amos 3. Mich.1.

Cur hæretici errarũt.

Propter quod conabimur pro mediocritate sensus nostri his qui credunt scripturas non humana verba aliqua esse composita, sed sancti spiritus inspiratione conscripta, & voluntate Dei patris per vnigenitum filium suum Iesum Christum nobis quoque esse tradita & commissa, quæ nobis videntur recta via intelligentiæ, obseruantibus demonstrare illam regulam & disciplinam quam ab Iesu Christo traditam sibi apostoli, per successionem posteris quoque suis sanctam ecclesiam docentibus, tradiderunt. Et quidem quod dispensationes quædam mysticæ iudicentur per scripturas, omnes (vt arbitror) etiam simpliciores quique confitentur. Quæ tamen istæ, vel cuiusmodi sint, si quis rectæ mentis est, nec iactantiæ vitio fatigatur, religiosius se fatebitur ignorate. Nam si quis (verbi gratia) proponat nobis de filiabus Lot, quod patri cōtra fas videntur admixtæ, vel de duabus vxoribus Abraham, siue de duabus sororibus quæ nuptæ sunt Iacob, siue de duabus ancillis numerositatem ei augentibus filiorum, quid aliud responderi potest quàm etiam hęc sacramenta quędam & formas spiritalium rerum, à nobis tamen ignorari cuiusmodi sint? Sed & constructioné tabernaculi cùm legimus, certum quidem habemus, quod hæc quæ scripta sunt, figuræ occultarum quarundam rerum sunt: aptare ea tamen suis L modis, & per singula perire atque differere, perdifficile, non dicam impossibile, puto. Esse tamen (vt dixi) descriptionem illam plenam mysteriorum, etiam communem non refugit intellectum. Sed & omnis illa narratio quæ vel de nuptiis, vel filiis procreatis videtur esse conscripta, vel de diuersis præliis, vel de quibuslibet aliis historiis, quid aliud quàm formæ ac figuræ credendæ latentium sacrarúmque rerum? Verum pro eo quod parum studij ad exercendum ingeniũ homines adhibent, vel quod antequam discant, scire se putant, inde fit vt nunquam scire incipiant: aut si certè nec studium defuerit, nec magister, si tanquam diuina quærantur, id est religiose & piè, & quæ Deo reuelante à quamplurimis sperentur aperiri, quoniam quidem humanis sensibus valde & difficilia & obscura sunt, tamen demum fortassis qui ita quęsierit quæ inuenire fas est, inueniet. Sed ne fortassis tantummodo in propheticis hæc difficultas putetur inesse sermonibus: quandoquidem certum est quod omnes cernunt stylum propheticum figuris & ænigmatibus confertum: qui cùm ad Euangelia venimus? Nunquid ibi etiam sensus interior, vtpote sensus diuinus, latet? Qui per illam tantummodo gratiam reuelatur, quam acceperat ille qui dicebat, Nos autem M sensum Christi habemus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non indoctis humanę sapientię verbis, sed in doctrina spiritus. Iam verò illa quæ Ioanni reuelata sunt, si quis legat, quomodo non obstupescet tantam inesse occultationem ineffabilium sacramentorum? In quibus manifestè ab eis etiam qui intelligere non possunt quid in his lateat, intelligitur tamen quod lateat quid. At verò epistolæ apostolorum qui videntur aliquibus esse planiores, nónne tam profundis replete sunt sensibus, vt per eas his qui possunt intelligere diuinæ sapientiæ sensum, quasi per breue quoddam receptaculum immensæ lucis claritas videatur infundi? Vnde quoniam hæc ita se habent, & multi sunt qui in hac vita errant, non arbitror esse sine periculo facile pronunciare, quenquam nosse vel intelligere ea, quæ vt aperiri possint scientiæ claui opus est: quam clauem dicebat Saluator esse apud legisperitos. In hoc loco licet per excessum quendam, inquirendum ab his tamen puto, qui dicunt quod ante aduentum Saluatoris non erat veritas apud eos qui in lege versabantur, quomodo à domino nostro Iesu Christo dicatur, quia claues scientiæ apud illos sint qui libros prophetarum & legis habebant in manibus. Ita enim dixit: Væ vobis legis doctoribus qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & volentes intrare prohibuistis. Verum (vt dicere cœperamus) viam quæ nobis videtur recta esse ad intelligendas scripturas, & sensum earum requirendum, huiusmodi arbitramur, sicut ab ipsa nihilominus scriptura qualiter de ea sentiri deceat, docemur. Apud Salomonem inuenimus in Prouerbiis tale aliquid de diuinę scripturę obseruãtia pręcipi. Et tu, inquit,

Gen.19.30.

Perire pro perwadere & progredi.

Prophetiæ sermo figuris & ænigmatibus abundat.

1.Cor.2.

Apocalypsis plena sacramentis.

Apostolorum epistolæ difficiles.

Luc.11.

Prou.22.

A inquit, describe tibi hæc tripliciter in consilio & scientia, & vt respondeas verba veritatis his qui proposuerunt tibi. Tripliciter ergo describere oportet vnumquenq; intelligentiam diuinarum literarum, id est vt simpliciores quique ædificentur ab ipso (vt ita dixerim) corpore scripturarum. sic enim appellamus communem istum, & historialem intellectum. Si qui verò aliquantum iam proficere cœperunt, & possunt amplius aliquid intueri, ab ipsa scripturę anima ędificentur. Qui verò perfecti sunt, & similes his de quibus Apostolus dicit, Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiā autem non huius mundi, neque principū huius seculi qui dissoluuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante secula in gloria nostra: hi tales ab ipsa spiritali lege quæ vmbram habet futurorū bonorum, tanquam à spiritu ædificantur. Sicut ergo homo constare dicitur ex corpore, & anima, & spiritu, ita etiam sancta scriptura quæ ad hominum salutem diuina largitione concessa est.

Triplex scripturæ sensus. — Anima scripturæ. 1.Cor.2. — Spiritus scripturæ.

Quod nos etiam in libello Pastoris, qui à nonnullis contemni videtur, designatum videmus, cùm iubetur. Hermes duos libellos scribere, & postea denunciate presbyteris ecclesiæ quę à spiritu didicit. Quod his verbis scriptum est. Et scribes, inquit, duos libellos, & dabis vnum Clementi, & vnum Graptę. Et Grapte quidem commoneat viduas & orphanos, Clemens verò mittat per omnes ciuitates quæ foris sunt, tu verò annunciabis presbyteris ecclesię. Est ergo Grapte quę orphanos & viduas videtur commonere, purus ipsius literæ intellectus: per quem commonentur animæ pueriles quæ nondum Deum patrem habere meruerunt, & propterea orphanæ appellantur. Sed viduæ sunt quę ab illo quidem iniquo viro cui contra legem iunctæ fuerant, recesserunt, viduæ verò permanent ex eo quod nondū profecerunt in hoc, vt cœlesti sponso iungerentur. Clemens verò his qui iam recedunt à litera in eas quæ foris sunt, ciuitates mittere iubetur quę dicta sunt, velut si diceret ad eas animas quæ per hoc ædificatæ extra corporis curam, & extra desideria carnalia esse cœperunt. Ipse verò qui à spiritu sancto didicerat, non per literas, neque per libellum, sed viuenti voce iubetur annunciare presbyteris ecclesiæ Christi, id est qui maturum prudentiæ sensum pro capacitate doctrinæ spiritalis gerunt.

Hæc reperiuntur primo lib. Hermæ discipuli Pauli ca. fine visione secunda.

B Illud sanè non ignorandum, esse quædam in scripturis in quibus hoc quod diximus corpus, id est conuenientia historialis intelligentiæ non semper inuenitur, sicut in consequentibus demonstrabimus: & est vbi ea quam diximus anima, vel spiritus, solummodo intelligenda sunt. Quod etiā in Euangeliis designari puto, cùm dicuntur pro purificatione Iudæorum sed hydriæ positæ capientes metretas bīnas, vel ternas. in quo, vt dixi, hoc videtur sermo Euangelicus indicare, de his qui dicuntur in occulto C ab Apostolo Iudæi, quod hi purificentur per verbum scripturæ, capientes interdum quidem duas metretas, id est animæ vel spiritus secundum quod suprà diximus, intellectum recipientes: interdum autem tres, cùm etiam corporalem intelligentiam quæ est historiæ, seruare lectio ad ædificationem potest. Sex verò hydriæ conuenienter dictę sunt de his qui in mundo positi purificantur. In sex enim diebus (qui perfectus est numerus) mundum hunc & omnia quæ in eo sunt legimus consummata.

Conuenientia sensus literalis nō vbique inuenitur. Ioan.2

Quanta igitur sit vtilitas in hoc primo quē diximus historiali intellectu, testimonio est omnium credentium multitudo, quę & satis fideliter & simpliciter credit, nec multa assertione indiget quod palam omnibus patet. Eius verò intelligentię quam velut animam esse scripturę suprà diximus, exempla nobis quamplurima dedit Apostolus Paulus, sicut est in prima epist. ad Corinth. Scriptum est enim, non infrenabis bouem triturantem. Tunc deinde explanans qualiter pręceptum istud deberet intelligi, addit dicēs: Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique dicit? Propter nos enim scriptum est, quia debet qui arat in spe arare, & qui triturat in spe percipiendi. Sed & alia huiusmodi quamplurima quę hoc modo sunt interpretata de lege, instructionem quamplurimam audientibus conferunt.

Vtilitas historialis sensus. — 1.Cor.6. — Anima scripturæ pertinet ad mores & instructionē.

Spiritalis autem explanatio est talis: si quis potest ostendere quorum cœlestium exemplaribus & vmbrę deseruiunt hi qui secundum carnem Iudæi sunt, & quorum futurorum vmbram lex habet, & quæ huiusmodi in scripturis sanctis inueniuntur: vel cùm requiritur quæ sit illa sapientia in mysterio abscondita D quam prędestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: vel illud quod dicit ipse Apostolus, cum exemplis quibusdam vtitur de Exodo, vel Numeris, & ait quia hæc in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos in quos fines seculorum deuenerunt: & occasionem nobis pręstat intelligentiæ, vt possimus aduertere quorum figurę erant ista quæ illis accidebant, cùm dixit, Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Sed & de tabernaculo in alia epistola meminit illius dicti, quod Moysi fuerat præceptum: Facies, inquit, secundum formam, quę tibi est in monte ostensa. Ad Galatas verò scribens, & verbis exprobrans quosdam qui videbantur sibi legere legem, & non intelligere, pro eo quod allegoriam esse in his quę scripta sunt, ignorabant, ita cum increpatione quadam ad eos dicit: Dicite vos mihi qui sub lege vultis esse, legē non audistis? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla natus est, secundum carnem natus est: qui autem de libera, secundum repromissionem, quę sunt allegotica: Hęc enim sunt duo testamenta. In quo & hoc quoque considerandum est, quod cautè Apostolus dixerit, cùm ait, Legem non audistis? Audistis, hoc est intelligitis & cognoscitis. Sed & in epistola ad Colossenses breuiter sensum totius legis amplectens & constringens: Nemo ergo, inquit, vos iudicet in esca, vel in potu, aut in solennibus diebus, vel neomenia, vel sabbato, quę sunt vmbra futurorum. E Ad Hebręos quoque scribens, & de his qui ex circuncisione sunt, disserens, ait: Hi qui exemplari & vmbrę deseruiunt cœlestium. Sed fortassis per quinque libros Moysi hoc non videbitur dubitandum ab his qui Apostoli scripta velut diuinitus dicta suscipiunt.

Spiritus ad mysteria. — 1.Cor.10. — Heb.8. — Exod.25. — Gal.4. — Col.2. — Heb.8.

De reliqua verò historia si requirant, etiam illa quę ibi inseruntur, in figura illis de quibus scribuntur, dicenda sunt contigisse: obseruauimus nos etiam hoc dictum esse in epistola ad Romanos, vbi de Regnorum libro iij. ponit Apostolus exemplum dicens: Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal. Quod Paulus accepit velut figuraliter dictum de his qui secundum electionem Israelitę vocati sunt, vt ostenderet non solum nunc in gentibus profuisse aduentum Christi, sed quamplurimos etiam Israelitici generis ad salutem vocatos.

Non tantū in Mose sed & in reliquis libris inueniri allegoriā. — 3.Reg.19. — Rom.11.

Quæ cùm ita sint, qualiter nobis de his singulis intelligenda sit scriptura diuina, velut exempli & formę gratia, quę nobis occurrere poterunt, adumbrabimus, illud primò repetentes & ostendentes: quomodo spiritus sanctus prouidentia & voluntate Dei per virtutem vnigeniti verbi eius qui erat in principio apud Deum: Deus, ministros veritatis F prophetas & apostolos illuminabat ad cognoscenda mysteria earum rerum vel causarum quę inter homines, vel de hominibus geruntur. Homines autem nunc dico animas in corporibus positas, quę illa mysteria cognita sibi & reuelata per Christum velut humana quędam gesta narrantes, vel legales quasdam obseruantias, pręceptáque tradentes figuraliter describebant: vt non qui velit hęc velut conculcanda ante pedes haberet posita, sed qui se huiusmodi studiis cum omni castimonia & sobrietate, & vigiliis dedisset, vt per hoc fortè in profundo latentem sensum spiritus Dei, & sermonis vsitata narratione aliorum prospiciens contectum, inuestigare posset, atque ita socius scientię spiritus, & diuini consilij particeps fieret: quia nec aliter potest anima ad scientię perfectionem venire, nisi diuinę sapientię fuerit inspirata veritate. Igitur de Deo, id est de patre & filio & spiritu sancto ab his viris diuino spiritu repletis, principaliter designatur: tum verò de sacramentis filij Dei, quomodo verbum caro factum sit, & qua de causa vsque ad formam serui percipiendam venerit (vt diximus) repleti diuino spiritu protulerunt. Necessariò etiam deinde creaturis rationabilibus, tam cœlestibus quam terrenis beatioribus consequens erat eas mortalium genus diuinis sermonibus edocere: sed & differentiam animarum, & vnde istę differentię ortę sint: tum deinde quid sit hic mundus, & quare factus: sed & vnde malitia tanta ac talis est super terras: quę vtrum in terris sit tantummodo, an & in aliis aliquibus locis, ex diuinis sermonibus discere ne-

Quæ tegantur veteris testamenti cortice & quanta.

G ceſſarium fuit. Cùm ergo de his talibus & horum ſimilibus ſpiritui ſancto eſſet intentio illuminare ſanctas animas quæ ſe myſterio dederant veritatis, ſecundo loco habetur ille proſpectus: vt propter eos qui vel non poſſent, vel nollent huic ſe labori atque induſtrię tradere, quo hæc tanta ac talia doceri vel agnoſcere mererentur (ſicut ſuperius diximus) inuolueret & occultaret ſermonibus vſitatis ſub prætextu hiſtoriæ cuiuſdam & narrationis rerum viſibilium, arcana myſteria. Inducitur ergo viſibilis creaturæ narratio, & primi hominis conditio atque figmentum, tum deinde ex illo per ſucceſſionem ſecuta progenies, nonnulla quoque rerum geſtarũ quæ à iuſtis quibuſque geſta ſunt, referuntur: etiam interdum delicta quædam eorum commemorantur tanquam hominum. Tum deinde & impiorum ſcribuntur aliquanta, vel impudicè, vel nequiter geſta. Miro autem modo & præliorum digeſta narratio eſt, & nunc vincentium, nunc victorum deſcripta diuerſitas, per quæ ineffabilia quædam his qui huiuſmodi dicta perſcrutari norunt, ſacramenta declarantur. Sed & ſcripturæ legali per admirandam ſapientię diſciplinam lex veritatis inſeritur, & prophetarum, quæ ſingula diuina quadam arte ſapientiæ velut indumentum, quoddam & velamen ſpiritalium ſenſuum tecta ſunt: & hoc eſt quod diximus ſcripturę corpus, vt etiam per hoc quod diximus literę indumentum, ſapientiæ arte contextum, poſſent complures ædificare

Cur conſequentia & ordo ſenſus hiſtorialis non ſemper ſit perpetuꝰ

H & proficere, qui literaliter non poſſent. Sed quoniam ſi omnibus indumenti huius, id eſt hiſtorię legis fuiſſet conſequentia cuſtodita, & ordo ſeruatus, habentes continuatum intelligentię curſum, non vtique crederemus eſſe aliquid in ſcripturis ſanctis intrinſecus, præter hoc quod prima fronte indicabatur, incluſum: iſta de cauſa procurauit diuina ſapientia offendicula quædam, vel intercapedines intelligentiæ fieri hiſtorialis, impoſſibilia quędam & inconuenientia per medium inſerendo: vt interruptio ipſa narrationis velut obiicibus quibuſdam legenti reſiſtat obiectis, quibus intelligentiæ huius vulgaris iter ac tranſitum neget, & extruſos nos ac excluſos reuocet ad alterius initium viæ, vt ita celſioris cuiuſdam & eminentioris tramitis per anguſti callis ingreſſum immenſam diuinæ ſcientiæ latitudinem pandat. Oportet autem etiam illud nos ſcire, quia cùm principaliter proſpectus ſit ſpiritui ſancto intelligentiæ ſpiritalis conſequentiam cuſtodire, de his quæ geri debent, vel quæ iam tranſacta ſunt: ſicubi quidem conuenerunt ea quæ ſecundum hiſtoriam geſta ſunt, vno narrationis ſermone compoſuit, altius ſemper arcanum ſenſum recondens: vbi autem ſpiritali conſequentiæ rerum geſtarum hiſtoria conuenire non poterat, interdum interſeruit quædam, vel minus geſta, vel quæ omnino geri non poſſent, interdum etiam quæ poſſent quidem geri, nec tamen geſta ſunt: & nonnunquam paucis ſermonibus qui

I ſecundum corporalem intelligentiam non videntur ſeruare poſſe veritatem, interdum multis inſertis hoc facit. quod pręcipuè in legiſlatione frequentari inuenitur: vbi multa quidem ſunt quæ in ipſis corporalibus pręceptis vtilia eſſe manifeſtum eſt, aliquanta tamen ſunt in quibus nulla prorſus ratio vtilitatis oſtenditur: interdum verò & impoſſibilia decernuntur. Quæ omnia, vt diximus, idcirco procurauit ſpiritus ſanctus, vt ex his dum ea quæ in prima fronte ſunt, vera vel vtilia eſſe non poſſunt, ad inquiſitionem veritatis altius repetendam reuocemur, & dignum Deo ſenſum in ſcripturis quas à Deo inſpiratas credimus, perquiramus. Non ſolum autem de his quæ vſque ad aduentum Chriſti ſunt, hæc ſpiritus ſanctus procurauit, ſed vtpote vnus atque idem ſpiritus, & ab vno Deo procedens, eadem ſimul etiam in euangeliſtis & apoſtolis fecit. Nam ne illas quidem narrationes quas per eos inſpirauit, abſque huiuſcemodi quam ſuprà expoſuimus, ſapientia ſiue arte contexuit. Vnde etiam non parua permiſcuit, quibus hiſtorialis narrandi ordo interpolatus, vel interciſus per impoſſibilitatem ſui reflecteret atque reuocaret intentionem legentis ad intelligentię interioris examen. Sed vt rebus ipſis quod dicimus, agnoſcatur, ipſa iam ſcripturæ loca pulſemus. Cuinam quæſo ſenſum habenti conuenienter videbitur dictum, quod dies prima & ſecunda & tertia, in quibus & veſpera nominatur & mane, fuerint ſine ſole, & ſine luna, & ſine ſtellis: prima autem dies ſine cœlo? Quis

Euangelia ſuos diuerſos etiã habent ſenſus mira ſpiritus ſancti arte.

verò ita idiotes inuenitur, vt putet velut hominem quendam

K agricolam Deum plantaſſe arbores in paradiſo, in Eden contra orientem, & arborem vitæ plantaſſe in eo, id eſt lignum viſibile & palpabile, ita vt corporalibus dentibus manducãs, quis ex ea arbore, vitam percipiat? & rurſus ex alia manducans arbore, boni & mali ſcientiam capiat? Sed & illud quod Deus poſt meridiẽ deambulare dicitur in paradiſo, & Adam latere ſub arbore, equidem nullum arbitror dubitare quod figurali tropo hæc à ſcriptura proferantur, quo per hæc quædam myſtica indicentur. Cain verò exiens à facie Dei, manifeſtè monet lectorem, vt requirat quæ facies Dei ſit, & quomodo quis exire poſſit ab ea. Verum ne nos opus quod habemus in manibus iuſto amplius dilatemus, perfacile omni eſt volenti congregare de ſcripturis ſanctis quę ſcripta ſunt quidem tanquam facta, nõ tamen ſecundum hiſtoriam competenter & rationabiliter fieri potuiſſe credenda ſunt. Hæc verò ſcripturæ ſpecies etiam in Euangelicis libris affatim abundéque ſignatur, cùm in excelſum montem Ieſum impoſuiſſe diabolus dicitur, vt inde ei vniuerſa mundi regna monſtraret, & gloriam eorum. Quod ſecundum literam quomodo fieri potuiſſe videbitur, vt vel in excelſum montem educeretur à diabolo, vel etiam carnalibus oculis eius tanquam ſubiecta, & adiacentia vni monti omnia mundi oſtenderet regna, id eſt, Perſarum regnum, & Scytharum, & Indorum, vel quomodo etiam reges ipſorum glorificantur ab homini-

Gen. 2.

Gen. 4.

Matt. 4.

L bus? Sed & alia quamplurima his ſimilia in euangeliis inueniet quicunque attentius legerit: ex quo aduertet his narrationibus quæ ſecundum literam prolatæ videntur, inſerta eſſe ſimúlque contexta ea quæ hiſtoria quidem non recipiat, ſpiritalis autem teneat intellectus. Sed & in pręceptorum locis ſimilia quędam inueniuntur. In lege quidem Moyſi pręcipitur exterminari quidem omne maſculinum quod non fuerit octaua die circunciſum: quod valde inconueniens eſt: cùm oporteret ſi lex ſecundum hiſtoriam ſeruanda tradebatur, iuberi vt parentes punirentur, qui filios ſuos non circunciderunt, vt & hi qui nutriunt paruulos. Nunc autem dicit ſcriptura, incircunciſus, id eſt qui non fuerit circunciſus, exterminabitur de genere ſuo. Si verò etiam de impoſſibilibus legibus inquirendum eſt, inuenimus Tragelaphum dici animal quod ſubſiſtere omnino non poteſt, quod inter munda animalia etiam coli iubet Moyſes: & Gryphum, quem nullus vnquam meminit, vel audiuit humanis manibus ſuccumbere, manducari prohibet legiſlator. Sed & de ſabbato opinatiſſima obſeruatione ita dicit: Sedebitis vnuſquiſq; in domibus veſtris, nullus mouebitur de loco ſuo in die ſabbathorum. Quod vtique impoſſibile eſt obſeruare ſecundum literam. Nullus enim hominum poteſt tota die ita ſedere

Gen. 17.

Tragelaph'

Gryphus.

M vt non moueatur de loco in quo ſederit. De quibus ſingulis hi quidem qui ex circunciſione ſunt, & quicunque in ſcripturis nihil amplius intelligi volunt præterquam indicatur ex litera, hæc ne requirenda quidem arbitrantur de Tragelapho, & Grypho, & vulture: fabulas autem quaſdam inanes & friuolas commentantur, ex neſcio quibus traditionibus proferens de ſabbatho, dicentes vnicuique locum ſuum reputari intra duo millia vlnarum. Alij verò, ex quibus eſt Doſitheus Samaritanus, notant quidem huiuſcemodi expoſitiones, ipſi autem ridiculoſius aliquid ſtatuunt, quia vnuſquiſque quo habitu, quo loco, qua poſitione in die ſabbati fuerit inuentus, ita vſque ad veſperam debeat permanere, id eſt, vel ſi ſedens, vt ſedeat tota die: vel ſi iacens, vt tota die iacebat. Sed & quod ait, non leuare onus in die ſabbati, impoſſibile mihi videtur. Ex his enim ad fabulas infinitas ſicut ſanctus Apoſtolus dicit, Iudæorum doctores deuoluti ſunt, dicentes non reputari onus ſi calceamenta quis habeat ſine clauis, onus verò eſſe ſi caligulas quis cum clauis habuerit. Et ſi quidem ſupra vnum humerum aliquid portauerit, onus iudicant: ſi verò ſupra vtrunq;, negabunt eſſe onus. Iam verò ſi etiam de euãgeliis ſimilia requiramus, quomodo non videbitur abſurdum, ſi ſecundum literã ſentiatur quod dicitur, Neminem in via ſalutaueritis? Hoc enim putant ſimpliciores quiq; Saluatorem noſtrum apoſtolis pręcepiſſe. Sed & illud quomodo poſſibile videbitur obſeruari, in his pręcipuè locis vbi acerrima hyems gelu & pruinis, vt neq; duas

Doſitheus Samaritanus.

Hier. 17.

In euangelio multa figurata.

Matt. 10.

tunicas,

A tunicas, neque calceamenta quis habere debeat? Sed & illud quod in dexteram quis maxillam percussus præbere etiam sinistram iubetur, cùm omnis qui percutit dextra manu, sinistram percutiat maxillam? Sed & illud de impossibilibus habendum est, quod in euāgelio scriptum est, vt si oculus dexter scandalizauerit te, eruatur: quia etiam si ponamus quod de oculis carnalibus dictum est, quomodo consequens videbitur vt oculo vtroque cernente, ad vnum scandali culpa, & hoc ad dextrum referatur? Aut quis extra maximum crimen habebitur ipse sibi inferens manus? Sed fortassis extra hęc videbuntur esse literæ Pauli apostoli. Et quid est quod dicit? Circuncisus aliquis vocatus est, non adducat prępuriū. Quod primo quidem si quis diligentius consideret, non videtur ad ea dictum quæ ei proposita in manibus habebantur: Sermo nanque ei erat de nuptiis, & castitate præcipiens, & videbantur vtique hæc in tali causa superfluò memorata. Secūdo verò quid obesset, si obscœnitatis vitandæ causa eius quæ ex circuncisione est, posset aliquis reuocare præputium? tertiò, quod certè fieri id omni genere impossibile est. Hæc autem omnia à nobis dicta sunt, vt ostēdamus quia hic prospectus est spiritus sancti, qui nobis scripturas diuinas donare dignatus est, non vt ex sola litera, vel in omnibus ex ea ædificari possimus, quam frequenter impossibilem, nec sufficientem sibi adesse comprehendimus: id est, per quam interdum non solum irrationabilia, verumetiam impossibilia B designentur: sed vt intelligamus contexta esse quædam huic visibili historiæ, quæ interius considerata & intellecta, vtilē hominibus & Deo dignā proferunt legem. Ne quis autem suspicetur nos hoc docere, quia nullam historiam scripturæ factam esse sentiamus, quoniam aliqua ex his nō facta esse suspicamur: vel nulla præcepta legis secundū literam stare, quoniam quædam secundum eam dicimus seruari non posse, in quibus vel ratio, vel rei possibilitas non admittit: vel ea quæ de Saluatore scripta sunt, nō putare etiam sensibiliter impleta, vel præcepta eius secundum literam non debere seruari. Respondendum ergo est, quoniam à nobis euidenter decernitur, in quamplurimis seruari & posse & oportere historiæ veritatem. Quis enim negare quidem potest, quod Abraham in duplici spelunca sepultus est in Ebron? Sed & Isaac & Iacob, & singuli eorum? Vel quis dubitat quod Sichima in portionem data est Ioseph? Vel quod Hierusalem Metropolis est Iudæe, in qua constructum est templum Dei à Salomone? & alia innumerabilia. Multò enim plura sunt quæ secundum historiam constant, quàm ea quæ nudum sensum continent spiritalem. Tum deinde quis non affirmet mandatum hoc quod præcipit, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene sit tibi, etiam sine vlla spiritali interpretatione sufficere, & esse obseruantibus necessarium? maximè cùm & Paulus eisdem verbis repetens, confirmauerit ipsum mandatum. Quid verò oportet dicere de eo quod dictum est, Non C adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, & cætera huiusmodi? Iam verò de his quæ in Euangelio mandata sunt, ne dubitari quidem potest, quin secundum literam quamplurima obseruanda sint, sicut cùm dicit: Ego autem dico vobis, non iurare omnino: & cùm ait: Qui autem inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Sed & apud Paulum apostolum quæ præcipiuntur: Commonete inquietos, consolamini pusillanimes, sustinere infirmos, patientes estote ad omnes. & alia quamplurima. Verumtamen si quis attentius legat, non dubito quod in quamplurimis dubitabit vtrum illa vel illa historia putetur vera esse secundum literam, an minus vera: & illud vel illud præceptum, vtrum secundum literam obseruandum sit, nécne. Propter quod multo studio ac labore nitendum est, quatenus vnusquisque legentium cum omni reuerentia intelligat se diuina, non humana verba tractare quæ sanctis libris inserta sunt. Nos ergo quam videmus in scripturis sanctis dignè & conuenienter obseruari debere intelligentiam, huiusmodi esse arbitramur. Gentem quādam prædicant super terras diuinæ literæ effectam esse à Deo, quā plurimis nominibus appellauerunt: interdum enim vniuersa hæc gens Israel dicitur, interdum Iacob: & maximè diuisa gēs ipsa Hieroboam filio Nabad in duas partes est: & decem

Matt.5. — *1.Cor.7.* — *Respondet calumniantibus se destruere literam.* — *Multò plura secundū historiam cōstant quā secundum spiritum.* — *Exod.20.* — *Ephes.6.* — *Matth.5.* — *1 Thes.5.* — *Gens electa multis nominibus appellatur.*

tribus quæ sub eo factæ sunt, appellatæ sunt Israel: aliæ verò D duæ, cum quibus erat etiam Leuitica tribus, & ea quæ ex Dauid regio genere descendebat, Iudas nominata est: vniuersa autē loca quæ habebat gens ista, quæ à Deo acceperat, Iudæa dicebātur, in qua Metropolis quasi plurimarum vrbium mater quædam dicitur. Quarum vrbium nomina in aliis quidē libris sparsim frequenter inuenies nominata: simul autem in vnum contexta, continentur in libro Iesu Naue. Cùm ergo hæc ita se habeant, eleuare quodammodo ex terra, & erigere intelligentiam nostram sanctus Apostolus volens ait in quodam loco: Videte Israel secundū carnem. Per quod significat vtique quod alius Israel sit qui nō sit secundum carnem, sed secundum spiritū. Et iterum in alio loco dicit: Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi Israelitæ. Edocti igitur ab eo quia sit alius secundum carnem Israel, & alius secūdum spiritum, cùm dicit Saluator, Quia non sum missus nisi ad oues domus Israel quæ perierunt, non ita accipimus sicut hi qui terrena sapiunt, id est, Ebionitæ, qui etiam ipso nomine pauperes appellantur: sed intelligimus genus esse animarum quæ Israel appellantur, secundum quod & nominis ipsius designat interpretatio. Israel namque mens videns Deum, vel homo videns Deum interpretatur. Rursus Apostolus de Hierusalem talia quidem reuelat, quia quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Et in illa epistola sua dicit: Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multitudinem angelorum collaudantium, E & ecclesiam primitiuorum quæ scripta est in cœlis. Si ergo sunt quædam animæ in hoc mundo quæ Israel appellantur, & in cœlo ciuitas aliqua quæ Hierusalem nominatur, cōsequens est vt hæ ciuitates quæ gentis Israeliticæ dicuntur, Metropolim habeant Hierusalem cœlestem. Et secundum hæc de omni Iuda intelligimus, de qua putamus etiam prophetas mysticis quibusdam narrationibus locutos, cùm aliqua vel de Iuda, vel de Hierusalem prophetarunt, vel si quæ sanctæ historiæ illa vel illa occursionum genera Iudææ vel Hierusalem prædicant accidisse. Quæcunq; ergo vel narrantur, vel prophetantur de Hierusalem, si Pauli verba quasi Christi in eo loquentis audiuimus, secūdum sententiā ipsius, vtique de illa ciuitate quam dicit Hierusalem cœlestem, & de omnibus locis, vel vrbibus quæ terræ sanctæ vrbes esse dicuntur, quarum Hierusalem Metropolis est, dicta esse intelligere debemus. Ex ipsis namque ciuitatibus etiam Saluatorem putandum est volentem nos ad altiorem prouocare intellectum, promittere his qui bene commissam sibi pecuniam dispensarunt, potestatem habere supra decem ciuitates, vel supra quinque ciuitates. Si ergo prophetiæ quæ de Iudæa & Hierusalem, & de Iuda & Israel, & Iacob prophetatæ sunt, dum non à nobis carnaliter intelliguntur, mysteria quædam diuina significant: consequens vtique est etiam illas prophetias quæ vel de Ægypto vel de Ægyptiis vel de Babylonia vel F de Babyloniis, & Sidone ac Sidoniis prolatæ sunt, non de Ægypto ista quæ in terris posita, vel Babylone, vel Tyro vel de Sidone intelligi prophetatas. Neque enim ea quæ Ezechiel prophetauit, conuenire alicui hominum possunt qui regnasse videatur in Ægypto, sicut manifeste exitus ipse indicat lectionis. Similiter & ea quæ de principe Tyri dicuntur, & maxime in Esaia, quomodo possibile est nos dicta de homine suscipere? Neque enim homo est qui dicitur cecidisse de cœlo, vel qui lucifer fuit, vel qui mane oriebatur. Sed illa nihilominus quæ in Ezechiele dicta sunt de Ægypto, velut in quadraginta annis exterminanda, ita vt pes hominis non inueniatur in ea, & intantum, expugnanda, vt per omnem terram eius humanus sanguis vsque ad genua exaltetur, nescio si quis intellectum habens hoc de Ægypto ista terrena quæ Æthiopiæ adiacet, possit aduertere. Sed videndum est ne fortè ita dignè possit intelligi, quod sicut cœlestis est Hierusalem & Iudæa, & gens sine dubio quæ habitat in ea, quæ dicitur Israel, ita possibile est etiam vicina his loca esse quædam, quæ vel Ægyptus vel Babylon, vel Tyrus, vel Sidon appellari videantur: eorúmque locorum principes, atque animæ si quæ in illis habitant locis, Ægyptij, Babylonij, Tyrij ac Sidonij appellantur. Ex quibus etiam secundum illam conuersationem quam ibi habent, captiuitas quædam vi-

1.Cor.10. — *Matth.15.* — *Ebionitæ.* — *Ebion Hebraicè pauperē sonat.* — *Gen.32.* — *Gal.4.* — *Heb.13.* — *Ezech.29. & seq.* — *Ezech.26. & seq.* — *Esa.14.*

G deatur effecta, per quam de Iudæa in Babylonem, vel Ægyptum à melioribus & superioribus locis descêdisse dicantur, vel in alias quasque gentes esse dispersæ. Fortassis enim sicut hi qui de hoc mundo secundum communem mortem istâ recedentes pro actibus suis & meritis dispensantur prout digni fuerint iudicati, alij quidem in locum qui dicitur infernus, alij in sinum Abrahæ, & per diuersa quæque vel loca, vel mansiones: ita etiam ex illis locis velut illic (si dici potest) morientes, à superis in hunc locum descendunt. Nam illis infernæ hic morientium animæ dicuntur. Credo ob hanc distinctionem infernus inferior à scriptura nominatur in psalmis: Quia liberasti animam meã ex inferno inferiori. Vnusquisque ergo descendentium in terram pro meritis, vel loco suo quem inhabitauerat, dispensatur in hoc mundo in diuersis locis vel gentibus, vel conuersationibus, vel infirmitatibus nasci, vel à religiosis, aut certè minus piis parentibus generari, ita vt aliquando contingat Israelitam in Scythas descendere, & Ægyptium pauperem deduci ad Iudæã. Veruntamen Saluator noster congregare venit oues quæ perierant domus Israel: & cum plurimi ex Israelitis non acquieuissent doctrinæ eius, hi qui ex gentibus erant, vocati sunt. Vnde consequens videbitur etiam prophetias quæ singulis gentibus proferuntur, reuocari magis ad animas debere, & diuersas mansiones earum cœlestes. Sed & historias rerum gestarum, quæ

Relabitur ad suam Platonicã μετεμψύχωσιν.

H dicuntur vel genti Israel, vel Hierusalem, vel Iudeæ accidisse, illis vel illis gentibus impugnantibus, perscrutandum est & perquirendum, quoniam in quamplurimis corporaliter gesta non constant, quomodo magis ista cõueniebant illis generibus animarum, quæ in cœlo isto quod transire dicitur, habitant, vel etiam nunc habitare putandæ sunt. Si quis vero euidentiores rationes eorum de scripturis sanctis exposcat à nobis, respondendum est quia occultare magis hæc spiritui sancto in his quæ videntur esse historiæ rerum gestarum, & altius tegere consilium fuit, in quibus descendere dicuntur in Ægyptum, vel captiuati in Babyloniam, vel in ipsis regionibus quidam quidem humiliari nimis, & sub seruitio effici dominorum, alij vero in ipsis captiuitatis locis clari ac magnifici habiti sunt, ita vt potestates & principatus tenuerint: quæ omnia (vt diximus) abscondita & celata in scripturę sanctæ historiis conteguntur, quia & regnum cœlorum simile est thesauro abscondito in agro, quem cum inuenerit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & omnia quæ habet, vendit, & emit agrum illum. In quo dilucidius considera, si non dicatur quod solum ipsum & superficies (vt ita dixerim) scripturæ, id est quod secundum literam legitur, ager est repletus, & florens omnium generum plantariis: ille vero altior & profundus spiritalis intelle-

Superficies scripturæ.

I ctus, ipsi sunt thesauri sapientiæ & scientię absconditi, quos spiritus sanctus per Esaiam obscuros & inuisibiles & absconditos thesauros vocat: qui vt inueniri possint, Dei adiutorio opus est, qui solus potest portas æreas quibus clausi sunt & absconditi confringere, & seras ferreas vectésque comminuere, quibus prohibetur ingressus perueniendi ad ea omnia quæ in Genesi de diuersis animarum generibus scripta sunt & obtecta, & de his seminibus ac generationibus quæ vel ad propinquitatem pertinent Israel, vel quæ ab eius progenie longius segregantur: sed & quæ sit illa descensio in Ægyptum septuaginta animarum, quæ septuaginta animæ fiant in Ægypto sicut sidera cœli in multitudine. Sed quia non omnes qui ex ipsis erant, lumen sunt huius mundi: non enim omnes qui ex Israel, hi Israelitæ sunt: ex ipsis septuaginta animabus fiunt aliqui etiam sicut arena quæ est ad oram maris innumerabiles. Quæ descensio sanctorum patrum in Ægyptum, in hunc mundum videri poterit ad illuminationem cæterorum, atq; humani generis instructionem à prouidentia dei esse concessa, vt per eos cæteræ animæ illuminatæ iuuarentur. Ipsis enim primis concessa sunt eloquia dei, quoniam solum istud est genus quod videre dicitur Deum. hoc enim Israelis nomen significat interpretatum. Iam vero consequens est vt secundum hęc aptari debeat, & interpretari illud quod decem plagis Ægyptus verberatur vt Dei populum permittat exire, vel ea quæ in deserto cum populo geruntur, vel quod ex collatione omnis populi tabernacu-

Esa.45.

Gen.7.

Israel Origeni sonat videntem Deum, Hebræis prævalentem Deo.

lum construitur, vel indumentum sacerdotale contexitur, & vel de vasis ministerij quæcunque dicuntur, quia verè (sicut scriptum est) vmbram in se formámque cœlestium continent. Manifeste enim Paulus ait de illis, quia vmbræ & exemplari deseruiunt cœlestium. In hac eadem lege etiam nihilominus continetur, quibus legibus, quibúsque institutionibus in terra sancta videndum sit. Sed & comminationes positæ sunt his qui præuaricati fuerint legem: necnon & his qui purificatione indigebant, diuersa purificationum genera, velut qui frequentius essent polluendi, traduntur, vt per hęc tandem ad illam vnam purificationem veniant, postquam pollui vltra non licet. Sed & ad numerum populus ipse deducitur, licet non omnes: pueriles namque animæ nondum tempus habent ex diuino præcepto numerari: sed ne illæ quidem animæ quæ non possunt fieri alterius caput, sed ipsæ subditæ sunt aliis velut capiti, quas mulieres nominauit, quæ vtique non adduntur in numerum illum qui à Deo præcipitur: sed illi soli numerantur qui viri appellantur, quo scilicet ostenderetur non eas posse extrinsecus numerari, sed in his qui viri appellantur, etiam eas comprehendi. Præcipuè tamen ad sanctum numerum veniunt hi qui parati sunt ad Israelitica bella procedere, qui possunt aduersus illos hostes inimicósque bellare, quos sedẽti à dextris suis filio subiicit pater, vt destruat omnem principatum ac potestatem: vt per hos militum suorum numeros qui deo militantes non se implicant negotiis secularibus, aduersarij regna subuertat, à quibus scuta fidei circunferantur, & sapientiæ tela vibrentur, etiam in quibus & salutis galea coruscet, ac lorica charitatis Deo plenum muniat pectus. Tales mihi videntur quidem milites indicari, & ad huiuscemodi bella præparari, hi qui in diuinis libris per Dei præceptum numerari iubentur. Horum vero multo clariores perfectiorésque designantur illi quorum etiam capilli capitis numerari dicuntur. Illi sanè qui puniti sunt pro peccatis, quorum corpora ceciderunt in deserto, similitudinem videntur habere eorum qui profecerant quidem non parum, sed ad finem perfectionis peruenire minimè potuerunt diuersis ex causis, quod vel murmurasse, vel idola coluisse, vel fornicati esse dicuntur, vel tale aliquid quale vtique non liceret mente concipere. Sed ne illud quidem sacramento aliquo vacuum puto, quod quidam pecora & multa alia possidentes præueniunt & præripiunt locum aptum partubus & nutrimentis pecorum, quem primum omnium Israelitici belli dextra defenderat. Quem locum à Moyse deposcentes, vltra Iordanis fluenta separantur, atque à terræ sanctæ possessione secernuntur. Qui Iordanis videri potest secundum cœlestium formam rigare & inundare animas sitientes, & sensus adiacentes sibi. Vbi ne illud quidem otiosum videatur, quod Moyses quidem audit à Deo quæ in Leuitici lege descripta sunt: populus vero in Deuteronomio auditor Moysis efficitur, & ab illo discit eam quam à Deo audire non potuit legem. Propterea enim velut secunda lex Deuteronomium dicitur, quod nonnullis significare videatur hoc ipsum, quod cessante lege prima quæ per Moysen data est, videatur secunda legislatio deformari, quæ specialiter à Moyse traditur Iesu successori eius: qui vtique formam seruare creditur Saluatoris nostri, cuius secunda lege, id est præceptis euangelicis ad perfectum omnia perducuntur.

Hebr.8.

Bella spiritalia.

L

M

Deuteronomiũ velut secunda lex.

Sed videndum est ne forte magis illud indicare videatur, quod sicut in Deuteronomio euidentior & manifestior legislatio declaratur, quàm in his quæ scripta sunt: ita & ab eo aduentu Saluatoris quem in humilitate compleuit, cum formam serui suscepit, clarior ille & gloriosior secundus in gloria patris eius indicetur aduentus, & in illo forma Deuteronomij compleatur, cum in regno cœlorum sancti omnes æterni illius Euangelij viuant. Et sicut nunc adueniens legem repleuit eam quæ vmbram habet futurorum bonorum, ita & per illum gloriosum implebitur, & ad perfectum adducetur, huius aduentus vmbra. Ita enim dixit Propheta de eo: Spiritus vultus nostri Christus dominus, cui diximus, quia in vmbra eius viuemus in gentibus, cum scilicet ab euangelio temporali dignos omnes sanctos ad euangelium æternum transferet, secundum quod Ioannes in Apocalypsi de æterno euan-

Tren.4.

Apoc.14.

A no euangelio designauit. Verum in his omnibus sufficiat nobis sensum nostrum regulæ pietatis aptare, & ita sentire de sancti spiritus verbis, quod non secundum humanæ fragilitatis eloquium niter sermo compositus, sed sicut scriptum est, omnis gloria regis intrinsecus est, & diuinorum sensuum thesaurus intra fragile vasculum vilis literæ continetur inclusus. Porrò aurem si quis cutiosus explanationem singulorum requirat, veniat, & nobiscum pariter audiat quomodo Paulus apostolus per spiritum sanctum qui perscrutatur etiam profunda, altitudinem diuinæ sapientiæ ac scientiæ scrutans, nec tamen ad finem & (vt ita dixerim) ad intimam cognitionem præualens peruenire, desperatione rei, & stupore clamat & dicit: O altitudo diuitiarum sapiētiæ & scientię dei. Et quod desperatione perfectæ comprehensionis hoc proclamauerit, audi ipsum dicentem: Quàm inscrutabilia sunt iudicia dei, & quàm inuestigabiles viæ eius. Non enim dixit, difficile posse scrutari iudicia dei, sed omnino non posse: nec dixit difficile inuestigari vias eius, sed non posse inuestigari. Quantumcunque enim quis in scrutando promoueat, & studio intentiore proficiat, gratia quoque dei adiutus, sensúque illuminatus, ad perfectum finem eorum quæ requiruntur, peruenire non poterit, nec omnis mens quę creata est possibile habet vllo genere comprehendere, sed vt inuenerit quædam ex his quæ quæruntur, iterum videt alia quæ quærenda sunt. Quod & si ad ipsa peruenerit, multo iterum plura ex illis

Psal.44. *Rom.11.* *Iudicia dei simpliciter non posse comprehēdi.*

B quæ requiri debeant, peruidebit. Propter quod & sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam intuens, ait: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa sapientia longè facta est à me, longè plus quàm erat. & altitudinem profundam quis inueniet? Sed & Esaias sciens rerum initia à natura mortali inueniti non posse, sed ne his quidem naturis quæ quamuis diuiniores sint quàm humana est, factæ tamen & ipsæ vel creatæ: sciens ergo quod à nulla harum neque initium, neque finis inueniri potest, ait: priora quæ fuerint dicite, & scimus quia dij estis: vel nouissima quæ sunt annunciate, & tunc videbimus quia dij estis. Nam & Hebræus doctor ita tradebat: pro eo quod initium omnium vel finis non possit ab vllo comprehendi, nisi tantūmodo à domino Iesu Christo, & à spiritu sancto, aiebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos Seraphim solos, qui duabus quidem alis operiunt faciem Dei, duabus vero pedes, & duabus volant, clamantes ad inuicem sibi & dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth, plena est vniuersa terra gloria tua. Quod ergo sola vtrasque alas suas habent in faciem Dei, & sub pedibus eius, audendum est pronunciate quod neque exercitus sanctorum angelorum, neque sedes sanctæ, neque dominationes, neque principatus, neq; potestates scire possunt integrè initium omnium & fines vniuersitatis. Sed intelligendum est sanctos istos qui annumerantut spiritus & vir-

Eccl.7. *Esa.44.* *Esa.6.*

C tutes proximas quidem esse ipsis initiis, & attingere tantum quantum consequi non valent reliqui: verūtamen quodcunque illud quod reuelante filio Dei & spiritu sancto didicerunt istæ virtutes, quamplurima quidem assequi potuerunt, & multo plura priores inferioribus, omnia tamen comprehendere impossibile eis est: quia scriptum est: quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt. Vnde & optabile est vt pro viribus se vnusquisque semper extēdat ad ea quæ priora sunt, ea quæ retrorsum sunt obliuiscens, tā ad opera meliora, quàm etiam ad sensum intellectúmque puriorem per Iesum Christum saluatorem nostrum, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Omnis ergo cui veritatis cura est, parum de omnibus nominibus & sermonibus curent, quia per singulas gentes diuersæ verborum consuetudines habentur: & hic magis quod significatur, quàm qualibus verbis significetur, intendat: præcipuè in tam magnis & tam difficilibus rebus: sicut cum quæritur (verbi causa) si sit aliqua substantia in qua neque color neque habitus neque tactus neque magnitudo intelligenda sit, mente sola conspicabilis, quam prout vult quis ita & nominat: nam Græci ἀσώματον eam, id est incorpoream, dixerunt diuinæ vero scripturę inuisibilem esse pronunciant: imaginē enim inuisibilis Dei dicunt esse Christum. Sed & rursum per Christum creata dixit omnia visibilia & inuisibilia. Per quod declaratur esse etiam in creaturis quasdā inuisibiles secundum proprietatem suam substantias:

Col.1.

D sed hæ quamuis ipsæ non sint corporeæ, vtuntur tamen corporibus, licet ipsæ sint corporea substantia meliores. Illa vero substantia trinitatis quæ principium est & causa omnium, ex qua omnia, & per quam omnia, & in qua omnia, neque corpus, neque in corpore esse credēda est, sed ex toto incorporea. Verum hæc per excessum quendam, rei tamen ipsius consequentia commonitos breuiter dixisse sufficiat ad ostēdendum id, quòd sunt quædā quorum significationem proprie nullus omnino potest humanæ linguæ sermonibus explicare, sed simpliciore magis intellectu, quàm vllis verborū proprietatibus declarantur. Ad quam regulam etiam diuinarum literarum intelligentia retinenda est, quo scilicet ea quæ dicuntur, non pro vilitate sermonis, sed pro diuinitate sancti spiritus qui eas conscribi inspitauit, censeantur.

Trinitas penitus incorporea. *Regula diuinarū scripturarum.*

Anacephalæosis de patre & filio & spiritu sancto, & cæteris quæ superius dicta sunt.

TEMPVS autem est iam decursis his prout potuimus, quæ suprà dicta sunt, nūc commonitionis gratia eorum quæ sparsim diximus, recapitulare singula, & primo omnium de patre & filio & spiritu sancto repetere. Deus pater cum sit inuisibilis & inseparabilis à filio, nō per prolationem ab eo (vt quidam putant) generatus est filius. Si enim prolatio est filius patris, prolatio vero dicitur quę talē significat generationem qualis animalium vel hominum solet esse progenies, habebit necessario corpus & is qui protulit, & is qui prolatus est. Non enim dicimus sicut hæretici putant, patris aliquam substantiā dei in filium versam, aut ex nullis substentibus filium procreatum à patre, id est extra substātiam suam, vt fuerit aliquando quādo non fuerit, sed abscisso omni sensu corporeo ex inuisibili & incorporeo verbum & sapiētiam genitam dicimus absque vlla corporali passione, velur si voluntas procedat è mente. Nec absurdum videbitur, cum dicatur filius charitatis, si hoc modo etiam volūtatis putetur. Sed & Ioannes indicat quia deus lux est, & Paulus designat quia filius splēdor lucis æternæ sit. Sicut ergo lux nunquam sine splendore esse potuit, ita nec filius quidem sine patre intelligi potest, qui & figura expressa substantiæ eius, & verbum & sapiētia dicitur. Quomodo ergo potest dici, quia fuit aliquando quando non fuit filius? Nihil enim aliud est id dicere, nisi quia fuit aliquando quando veritas non fuerat, quando sapientia non erat, quando vita non fuerat, cum in his omnibus perfecte dei patris substantia censeatur: Non enim ab eo dirimi hæc, vel ab eius possunt vnquam substantia separari. Quæ quidem quamuis intellectu multa esse dicantur, re tamen & substantia vnum sunt, in quibus plenitudo

Generatio filij dei non est prolatio. *Hic quædā videntur à Ruffino amplificata cōtra Arianos.* *Col.1.* *1.Ioan.1.* *Hebr.1.*

F est diuinitatis. Hoc autem ipsum quod dicimus, quia nūquam fuit quando non fuit, cum venia audiendum est. Nam & hæc ipsa nomina temporalis vocabuli significantiam gerunt, id est quando vel nunquam. Supra omne autem tempus, & supra omnia secula, & supra omnem æternitatem intelligenda sunt ea quæ de patre & filio & spiritu sancto dicuntur. Hæc enim sola trinitas est quæ omnem sensum intelligentiæ non solum temporalis, verum etiam æternalis excedit. Cætera vero quæ sunt extra trinitatem, in seculis & in temporibus metienda sunt. Hunc igitur filium dei secūdum quod verbū est deus quod in principio apud deū, nemo conuenienter putabit in loco aliquo contineri, neque secundum quod sapientia est, neque secundum quod veritas est, neque secundum quod vita est, vel iustitia, vel sanctificatio, vel redemptio. Hæc enim omnia non indigent loco, vt agere quid vel operari possint, sed pro his qui virtutis eius inoperationísq; participant, hæc singula intelligenda sunt. Si vero quis dicet per eos qui participes sunt verbi dei, vel sapientiæ eius, vel veritatis, vel vitæ, etiam ipsum verbum & sapientiam videri in loco esse: respondendum est ei, quia dubium non est quod Christus secundum quod verbum & sapientia est, vel cætera omnia, erat in Paulo: proprer quod dicebat, Aut experimentū quęritis eius qui in me loquitur Christus. Et iterū:

Balbutimus de deo, non loquimur. *Verbū Dei non est in loco.*

G Viuo autem iam non ego, viuit vero Christus in me. Tunc
ergo cum esset in Paulo, quis dubitabit quod similiter erat in
Petro, & in Ioanne, & in singulis quibusque sanctorum? &
non solum in his qui in terris sunt, verum & in his qui in cœ-
lis sunt? Absurdum namque est dicere, quia in Petro quidem
& in Paulo erat Christus, & in Michaele archangelo, & in
Gabriele non erat. Ex quo manifeste deprehenditur, quia
diuinitas filij dei non in loco aliquo cōcludebatur: alioquin
in ipso tantum fuisset, & in alio non fuisset: sed secundum in-
corporeæ naturę maiestatem cum à nullo loco concludatur,
in nullo rursum deesse intelligitur. Verum illa sola differen-
tia intelligēda est, quòd etiam si sit in diuersis, sicut diximus,
in Petro vel Paulo, vel Michaele, vel Gabriele, non tamen si-
militer est in vniuersis. Plenius enim & clarius, & (vt ita di-
xerim) apertius, in archāgelis est quàm in sanctis viris. Quod
ex eo manifestum est, quia cum ad summam perfectionem
venerint sancti quique, dicuntur similes angelis effici, vel æ-
quales, secundum doctrinam euangelicam. Vnde constat in
singulis quibusque tantum effici Christum, quātum ratio in-
dulserit meritorum. His igitur nobis de æternitatis ratione
breuiter repetitis, consequens est illud etiam breuiter admo-
nere, quod per filium creata dicuntur omnia quæ in cœlis
sunt, & quæ in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue
H dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ip-
sum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia il-
li constant qui est caput. Quibus consona etiam Ioannes in
euangelio dicit, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso
factum est nihil. Dauid vero totius trinitatis mysterium vni-
uersorum conditiones significās ait: Verbo domini cæli fir-
mati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Post hæc
vero consequenter admonebimus de aduentu corporali &
incarnatione vnigeniti filij dei: In quo non ita sentiēdum est,
quod omnis diuinitatis eius maiestas ita breuissimi corporis
claustro clausa est, vt omne verbum dei & sapientia eius, ac
substātialis veritas ac vita, vel à patre diuulsa sit, vel intra cor-
dis eius coercita & conscripta breuitatem, nec vsquam præ-
terea putetur operata: sed inter vtrunque vna pietatis debet
esse confessio, vt neque aliquid diuinitatis in Christo fuisse
credatur, & nulla penitus à paterna substantia, quæ vbiq; est,
facta putetur esse diuisio. Tale namque aliquid etiam Bapti-
sta Ioannes indicat, cum corporaliter absente Iesu diceret ad
turbas: Medius vestrum stat quem vos nescitis, qui post me
venit, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.
Quod vtique dici non poterat de eo qui absens erat, quantū
ad corporalem præsentiam pertinet, quia medius staret eorū
I inter quos non aderat corporaliter filius dei. Neque tamen
per hoc illum affirmare credendum est, quod pars aliqua dei-
tatis filij dei fuerit in Christo, reliqua vero pars alibi vel vbi-
que: quod illi sentire possunt qui naturam substantiæ incor-
poreæ atque inuisibilis ignorant. Impossibile namque est ab
incorporeo partem dici, aut diuisionem aliquam, sed in om-
nibus, & per omnia, & super omnia est, eo modo quo supe-
rius diximus, & quo vel sapientia, vel verbum, vita vel veritas
intelligitur: per quem intellectum omnis sine dubio conclu-
sio localis excluditur. Volens igitur filius dei pro salute
generis humani apparere hominibus, & inter homines con-
uersari, suscepit non solum corpus humanum, vt quidam pu-
tant, sed & animam nostram, nostrarum quidem animarum
similem per naturam, proposito vero & virtute similem sibi,
& talem quali omnes voluntates, & dispensationes verbi, ac
sapiētiæ indeclinabilis possint impleri. Quod autem habue-
rit, manifestissimè in euangeliis designat ipse Saluator, dicēs:
Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam abs me.
Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum pote-
statem habeo assumendi eam. Et rursum: Tristis est anima
mea vsque ad mortem. Et iterum: Nunc anima mea turbata
est. Neque enim tristis & turbata anima verbum dei intelli-
gendum est, quod ex auctoritate diuinitatis dicit, Potestatem
habeo ponendi animam meam. Nec tamen ita dicimus fuis-
se filium dei & in illa anima, sicut fuerit in anima Pauli, vel
Petri, cæterorúmque sanctorum, in quibus Christus similiter
vt in Paulo loqui creditur. Sed de illis omnibus sciendum est
quod scriptura dicit: Quia nemo mūdus à sorde, nec si vnius

2. Cor. 13. Gal. 2.
Diuinitas loco non cōcluditur.
Matt. 22. Luc. 20.
Colos. 1.
Ioan. 1.
De incarnatione filij Dei.
Ioh. 1.
In incorporea nulla pars aut diuisio.
Ioan. 10. Matth. 26. Ioan. 12.
Iob. 15.

dici fuerit vita eius. Hæc vero anima quæ fuit in Iesu, priusquàm sciret malum, elegit bonum: & quia dilexit iustitiam,
& odit iniquitatem, propterea vnxit eam deus oleo lætitiæ
præ participibus suis. Oleo ergo lætitiæ vngitur, cū verbo dei
immaculata fœderatione coniuncta, & per hoc sola omnium
animarum peccari incapax fuit, quia filij dei bene & plene
capax fuit: ideóq; & vnum cum ipso est, atque eius vocabu-
lis nuncupatur, & Iesus Christus appellatur, per quem omnia
facta esse dicuntur. De qua anima, quoniam totam in se sa-
pientiam dei & veritatem, vitámque receperat, etiam illud
arbitror dixisse Apostolum, qui ait: Quoniam vita nostra ab-
scondita est cum Christo in deo: cum autem Christus appa-
ruerit vita nostra, tūc & vos cum Christo apparebitis in glo-
ria. Quis enim alius intelligendus est Christus, qui in eo ab-
sconditus dicitur, & postea apparituruss, nisi ille qui oleo læ-
titiæ vnctus refertur, id est, substantialiter deo repletus, in
quo nunc absconditus dicitur? Propterea enim & omnibus
credentibus Christus exemplum ponitur, quia sicut ille sem-
per & antequam sciret omnino malum, elegit bonum, & di-
lexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, & propterea vn-
xit eum deus oleo lætitiæ: ita & vnusquisque post lapsum, vel
post errorem expurget se maculis, exemplo proposito, & ha-
bens itineris ducem aridam viam virtutis incedat: vt sic forte
L per hoc inquantum fieri potest per imitationem eius partici-
pes efficiamur diuinæ naturæ, sicut scriptum est, quia qui di-
cit se Christo credere, debet sicut ille ambulauit, & ipse am-
bulare. Hoc ergo Verbum, & hæc sapientia per cuius imita-
tionem vel sapientes, vel rationabiles dicuntur, omnibus fit
omnia, vt omnes lucrifaciat: & fit infirmus infirmis, vt infir-
mos lucrifaciat: & quia infirmus efficitur, propter hoc dicitur
de eo: Etiam si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtu-
te dei. Denique Corinthiis qui infirmi erant, Paulus nihil se
indicat scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.

Quidam autem volunt de ipsa anima dei videri, cum pri-
mum de Maria corpus assumpsit, etiam illud quod aposto-
lus dicit: Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitra-
tus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, for-
mam serui accipiēs: cum eam sine dubio in formam dei me-
lioribus exemplis & institutionibus repararet, atque in eam
plenitudinem vnde se exinaniuit, reuocaret. Sicut autem par-
ticipatione filij dei, quis in filio adoptatur, & participa-
tione sapientiæ in deo sapiens efficitur, ita & participatio-
ne spiritus sancti, sanctus & spiritalis efficitur. Vnum enim
atque idem est spiritus sancti participium sumere, quod est
patris & filij: quippe cum vna & incorporea natura sit trini-
tatis. Verum quæ de participatione animæ diximus, simili ra-
M tione vt de animabus, ita & de angelis & cœlestibus sunt in-
telligenda virtutibus: quoniam omnis rationabilis creatura
participio indiget trinitatis. Sed & mundi huius visibilis ra-
tio, quoniam vel maxima etiam de his haberi quæstio solet,
qualiter se habeat, prout potuimus in superioribus diximus,
pro iis qui in fide nostra etiam credendi rationem perquire-
re solent, & pro iis qui hæretica aduersum nos certamina cō-
mouent, & materiæ nomen quod ne ipsi quidem quale sit,
adhuc intelligere potuerunt, solent frequentius ventilare, de
quo necessarium puto etiam nunc breuiter commonere.

Et primo quidem sciendum est quod nomen ipsum ma-
teriæ pro ea substantia quæ subesse corporalibus dicitur, po-
situm in scripturis canonicis nusquam vsque ad præsens in-
uenimus. Illud enim quod dicit Esaias: Et comedet sicut fœ-
num hylem, id est materiam: dicens de eis qui in suppliciis
constituti sunt, materiam posuit pro peccatis. Sed & sicubi in
alio loco scriptum forte materiæ nomen est, nusquàm vt ego
arbitror hoc de quo nunc quærimus, signare inuenietur, nisi
tantummodo in Sapientia quæ dicitur Salomonis, qui vtiq;
liber non ab omnibus in auctoritate habetur. Ibi tamen scri-
ptum inuenimus hoc modo. Non enim deerat omnipotenti
manui tuæ quæ creauerat mundum ex informi materia, im-
mittere eis similitudinem vrsorum, vel feroces leones. Quā
plurimi sanè putant rerum ipsarum materiam significari in
eo quod in principio Genesis scriptum est à Moyse. In prin-
cipio fecit deus cœlum & terram, terra autem erat inuisibi-
lis & incomposita. Inuisibilem namque & incompositā ter-
ram

Esa. 7. Psal. 45.
Federata nō immaculata.
Coloss. 3.
2. Petr.
1. Cor. 2. Phil. 2.
De participatione animæ.
De materia contra veteres hæreticos.
Sapientia Salomonis nō ab omnibus recipiebatur.
Gen. 1.

A ram non aliud esse Moyses quàm informem materiam visus est indicare. Quod si vere hæc est materia, constat exinde inconuertibilia non esse initia corporum. Nam hi qui atomos, vel ea quæ in partes venire non possunt, vel ea quæ in æquales partes veniunt, vel vnum ad elementum rerum corporalium principia posuerunt, nomen materiæ, id est quod principaliter materiam significat, inter principia statuere nõ potuerunt. Neque enim cum materiam subiiciunt omni corpori per omnia conuertibilem, vel mutabilem substantiam, extra qualitates eam secundum proprietatem subiicient. Quibus etiam nos acquiescimus, qui omni genere abnuimus ingenitam vel infectam dici materiam debere. Secundum hæc enim in prioribus prout potuimus ostendimus, cum etiam ex aqua, vel terra, vel aere, vel calore, per diuersa arborum genera diuersos ostendimus proferri fructus: vel cum ignem, aërem, aquam, terrámque mutari in semetipsa inuicem ac resolui aliud in aliud elementum mutua quadam consanguinitate docuimus: sed & cum de escis vel hominum vel animalium probauimus substantiam carnis existere, vel humorem seminis naturalis in carnem solidam ossáque conuerti. Quæ omnia documento sunt quòd substantia corporalis permutabilis sit, & ex omni in omnem deueniat qualitatem.

B Veruntamen illud scire oportet, quod nunquam substãtia sine qualitate subsistit, sed intellectu solo discernitur hoc quod subiacet corporibus, & quod capax est qualitatis est materia. Quidam altius ergo de his volentes inquirere, ausi sunt dicere, nihil aliud esse materiam corpoream quàm qualitates. Si enim duritia & mollities, calidum & frigidum, humidum & aridum qualitas est, his autem vel cæteris huiusmodi amputatis nihil aliud intelligitur subiacere, videbuntur qualitates esse omnia. Vnde & hi qui hæc asserunt, asseuerare conati sunt, vt quoniam omnes qui materiam infectam dicunt, qualitates à deo factas esse confitentur, inueniatur per hoc etiam secundum ipsos nec materia esse infecta: siquidem qualitates sint omnia, quæ vtique sine contradictione ab omnibus à deo factæ esse pronunciantur. Hi vero qui subiacenti cuidam materiæ additas extrinsecus qualitates volunt ostendere, huiuscemodi vtuntur exemplis, verbi gratia: Paulus sine dubio aut tacet aut loquitur, aut vigilat, aut dormit, vel certo quodam corporis habitu consistit: aut enim sedet, aut stat, aut iacet. Hæc enim sunt hominibus accidentia, sine quibus, nunquam fere inueniuntur. Nec tamen sensus noster manifeste de eo aliquid horum definit, sed ita eum per hæc intelligimus vel consideramus, vt non omnino rationem status eius comprehendamus, vel in eo qui vigilat, vel in eo qui dormit, aut in eo qui loquitur, vel tacet, & si qua alia sunt quæ accidere necesse est hominibus. Si ergo quis Paulum sine his omnibus esse consideret quæ possunt accidere, ita & id quod subiacet quis intelligere sine qualitatibus

Materia solo intellectu percipitur.

C poterit. Cum ergo sensus noster omni qualitate ab intellectu suo remota ipsum subiacentiæ solũs (vt ita dixerim) pũctum contuetur, & ipsi inhæret, nequaquam respiciens ad mollitiẽ, vel duritiem, vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel aridum substantiæ, tunc simulata quodammodo cogitatione, his omnibus qualitatibus nudam videbitur intueri materiã.

Sed fortasse requirer aliquis, possumus etiam de scripturis occasionem aliquam intelligentię huius accipere. Videtur mihi tale aliquid significari in Psalmis, cum dicitur à propheta: Imperfectum meum viderunt oculi tui. In quo videtur mens prophetæ rerum initia intuitu perspicaciori discutiẽs, & materiam sensu solo, ac ratione à quantitatibus diuidens, imperfectum id sensisse, quod vtiq; adiectis qualitatibus intelligitur consummatum. Sed & in libro suo Enoch ita ait: Ambulaui vsque ad imperfectum, quod ipsum puto posse similiter intelligi, quod scilicet ambulauerit mens prophetæ perscrutans & differens singula vsque quo ad principium veniret illud in quo imperfectam materiam absque qualitatibus peruidet: scriptum namque est in eodem libello, dicente Enoch, Vniuersas materias perspexi. Quod vtique ita sentitur, quasi omnes materiæ diuisiones peruidi, quæ ab vna in singulas quasque diruptæ sunt species, id est, hominum vel animalium, vel cœli, vel solis, vel omnium quæ in hoc mundo sunt. Post hæc iam omnia quæ sunt à deo facta esse, & nihil esse quod factum non sit præter naturam patris & filij &

Psal. 139.

Citat librũ Enoch.

Omnia facta præter patrẽ filiũ. & spiritũ.

D spiritus sancti, prout potuimus in superioribus demonstrauimus: & quod volens deus qui natura est, habere quibus bene faceret, & qui adeptis beneficiis suis lætatentur, fecisset dignas creaturas, id est qui eum digne capere possent, quos & genuisse filios dicit. Fecit autem omnia in numero & mensura. Nihil enim deo vel sine fine, vel sine mensura. Virtute enim sua omnia comprehendit, & ipse nullius creaturæ sensu comprehensus est. Illa enim natura soli sibi cognita est. Solus enim pater nouit filium, & solus filius nouit patrem, & solus spiritus sanctus perscrutatur etiam alta dei. Omnis igitur creatura intra certum apud eum numerum mensurámque distinguitur, id est vel rationabilium numerus, vel mensura materiæ corporalis: vt quoniam necesse erat vti corporibus intellectualem naturam, quæ & commutabilis & conuertibilis deprehenditur ea ipsa conditione qua facta est (quod enim non fuit, & esse cœpit, etiam hoc ipso naturæ mutabilis designatur) ideo nec substantialem habeat vel virtutem, vel malitiam, sed accidentem. Quoniam ergo (vt diximus) mutabilis & conuertibilis erat natura rationalis, ita vt pro meritis etiam corporis vteretur indumento diuerso illius vel illius qualitatis, necessarium fuit vt sicut diuersitates prænoscebat deus futuras vel animarum vel virtutum spiritalium, ita etiã naturam corpoream faceret, quæ permutatione qualitatum

E in omnia quæ res posceret conditoris arbitrio mutaretur. Quam tandiu necesse est permanere, quandiu permanent ea quæ indigent eius indumento. Semper autem erunt rationabiles naturæ, quæ indigent indumento corporeo: semper ergo erit natura corporea cuius indumentis vti necesse est rationabiles creaturas: nisi quis putet posse vel assertionibus ostendere quod possit natura rationabilis absque vllo corpore vitam degere. Sed quàm difficile sit, & quàm penè impossibile intellectui nostro, in superioribus singula differentes ostendimus. Puto sane operi huic nostro contrarium non videri si etiam de immortalitate rationabilium naturarum quàm possumus breuiter repetamus. Omnis qui participat alicuius, cum eo qui eiusdem rei particeps est, sine dubio vnius substantiæ est, vniúsque naturę. Vtputa omnes oculi qui lucis participant, vnius naturæ sunt. Sed licet omnis de luce participet oculus, tamen quoniam alius acutius, alius obtusius videt, non omnis oculus æqualiter de luce participat. Et rursum. Omnis auditus vocem vel sonũ recipit, & ideo omnis auditus vnius naturæ est; Verum pro qualitate puri & synceri auditus vnusquisque velocius audit, vel tardius. Trãseamus ergo ab his sensibilibus exemplis ad intellectualium contemplationem. Omnis mens quæ de intellectuali luce participat, cum omni mente quæ simili modo de intellectuali luce participat, eiusdem sine dubio debet esse naturæ. Si ergo cœlestes virtutes intellectualis lucis, id est diuinæ naturæ per hoc quod de ipsa sanctificatione participant participium sumpserũt, & ita sunt vnius naturæ adinuicem vniúsque substantiæ, incorruptæ autem sunt & immortales cœlestes virtutes, immortalis sine dubio & incorrupta erit etiam animæ humanæ substantia. Non autem sicut ipsa patris & filij & spiritus sancti natura, cuius solius intellectualis lucis vniuersa creatura participium trahit, quæ incorrupta est & æterna. Vnde valde conueniens & necessarium est etiam omnem substantiam quæ æternæ illius naturæ participium trahit, perdurare etiam semper, & incorruptibilem esse & æternam, vt diuinæ bonitatis æternitas etiam in ea intelligatur, dum & æterni sunt hi qui eius beneficia consequuntur. Sed sicut percipiendæ lucis diuersitas seruata est in exemplis, cum vel obtusior vel acutior obtutus designatus est intuentis: ita etiam de patris & filij & sancti spiritus participatione seruãda est pro intentione sensus, vel mentis capacitate diuersitas. Alioquin consideremus, si non etiam impiũ videtur vt mens quæ dei capax est, substantialem recipiat interitum: tanquam hoc ipsum quod intelligere deum potest & sentire, nõ ei sufficere possit ad perpetuitatem, maxime cum etiam si per negligentiam decidat mens ne pure & integre in se recipiat deum, semper tamen habeat in se velut semina quędam reparandi ac renouandi melioris intellectus, cum ad imaginem etiam & similitudinem dei qui creauit eum, interior homo

Errat circa corporationem omniũ creaturarũ rationaliũ. Nã Angeli sunt incorporei, & sancti in cælo vitam degũt absque vllo corpore.

F

Animorũ immortalitas.

G qui & rationalis dicitur renouatur. Propter quod & propheta dicit. Reminiſcentur & conuertētur ad dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius familiæ omnes gentium. Si quis vero audet ſubſtantialem corruptionem dare ei qui ſecundum imaginem & ſimilitudinem dei factus eſt, vt ego puto, etiam in ipſum filium dei cauſam impietatis extendit. Imago nanque etiam ipſe appellatus eſt in ſcripturis. Aut certe accuſet qui hęc ita vult, ſcripturę auctoritatem quę dicit hominem ad imaginem dei factum: in quo & manifeſte diuinę imaginis cognoſcuntur indicia, non per effigiem corporis quę corrumpitur, ſed per animi prudētiam, per iuſtitiam, per moderationem, per virtutem, per ſapientiā, per diſciplinam, per omnem denique virtutum chorum, quę cum deo inſint per ſubſtantiam, in homine poſſunt eſſe per induſtriam, & per imitationē dei, ſicut & dominus deſignat in euangelio, dicens: Eſtote ergo miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt, & eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt. Vnde euidenter oſtenditur quod in deo quidē hæ omnes virtutes ſemper ſunt, nec vnquam accedere poſſunt aut reddere, ab hominibus vero paulatim & ſingulæ queque conquiruntur. Vnde etiam conſanguinitatem quandam per hæc habere videntur ad deum: & cum deus omnia H nouerit, & nihil eum rerum intellectualium ex ſe lateat (ſolus enim deus pater & filius & ſpiritus ſanctus nō ſolum eorum quæ creauit, verumetiam ſui ſcientiam tenet) poteſt tamen & rationabilis mens proficiens à paruis ad maiora, & à viſibilibus ad inuiſibilia, peruenire ad intellectum perfectiorem. Eſt enim in corpore poſita, & ex ipſis ſenſibilibus quæ ſunt corporea ad intellectualia proficit. Verum ne cui videatur dictum inſenſibilia eſſe quæ intellectualia ſunt, vtatur exemplo ſententiæ Salomonis dicentis: Senſum quoque diuinum inuenies. In quo oſtendit non corporali ſenſu, ſed alio quodam quem diuinum nominat, ea quæ intellectualia ſunt requirenda. Hoc autem ſenſu nobis intuendum eſt etiam de his ſingulis quas ſupra diximus rationibus, & hoc ſenſu audienda ſunt iſta quę loquimur, & conſideranda quę ſcribimus. Nam diuina natura etiā tacite quicquid inter nos voluamus agnoſcit. De his autem quæ diximus, vel de reliquis quę conuenientia ſunt, ſecundum hanc formam quam ſupra expoſuimus, ſentiendum eſt.

Pſal.22.

Imago dei non in effigie corporis ſed animi qualitatibus.

LAMENTVM QVOD CIRCVMfertur nomine Origenis.

IN afflictione & dolore animi incipio loqui ad eos qui legunt me extra afferentem ordinem efferata mente ſedere ſuper tribunal Chriſti cum ſanctis. Et quomodo loquar frenis liga- I tus, & labiis non audentibus moueri? Nec lingua reddit obſequium ſuum: guttur vero concluſum, & omnia organa maculata iniquitate. Sed agam: Incipiam me genibus proſternere, & deprecari vniuerſos ſanctos, vt mihi non audenti petere deum propter nimietatem peccati, ſuccurrant. O ſancti dei vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis miſericordiis eius pro me miſero. Heu mihi dolor cordis mei. Heu mihi afflictio animæ meæ. Heu mihi quia circundatus ſum vndique, & concluſus iniquitatibus meis, & non eſt in me ſanitas. Heu mihi mater quæ peperiſti me quaſi virum legiſperitum in iniquitate proiectum, virum religioſum in impietate delapſum. Heu mater quæ peperiſti me quaſi virum iuſtum in iniuſtitia verſatum, virum filium regni dei, & nunc filium regni nequam, perfectum virum, ſacerdotem in iniquitate inuentum, virum decoratum honore, inhoneſtatem conſecutum, virum multis malis circundatum, virum maculatis actibus ſuffocatum. Heu mihi mater quæ quaſi peperiſti turrim altam & elatam, & ſubito vſque ad pauimentum proſtratam: ſicut arborem fructiferam, & ſubito marcidam: ſicut lampadem luciferam, & ſubito extinctam: ſicut fontem abundantem aquis, & nunc ſubito exiccatum. Heu mihi qui omnibus bonis ornatus eram, & nunc ab omnibus deſertus apparui. Sed quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lachrymarum, vt plangā me ipſum in contritione mea? Heu mihi ſacerdotium quomodo te plangam? Heu mihi K presbyterium quomodo te lugebo? Miſeremini omnes amici, miſeremini mei, quia peſſime vulneratus ſum. Miſeremini omnes amici: male enim deſertus ſum factus. Miſeremini omnes amici: ægre enim diſſipatus ſum. Miſeremini amici, quia ſignum proieci, & malo commixtus ſum. Miſeremini amici, quia à deo proiectus ſum, propter actus meos maculatus ſum. Plangite me quem planxerunt angeli. Plangite me quem planxerūt ſancti. Plangite me quem planxit omnis homo. Plangite me vniuerſi, quia lapſus ſum à gloria mea. Sicut enim vineam fructiferam plantauit me dominus, & pro botryonibus florui ſpinas. Plangite vtique me, quia ex vineis attulit tribulos. Sed moueantur fontes lachrymarum, & irrigentur maxillæ meæ, fluant ſuper terram & humectent eam, quia humectatus in iniquitatibus, & natus ſum in peccatis meis. Cerno enim ſacerdotium flens ſuper me, & cunctam læticiam dolentem ſuper me: & ſuper thronum meum araneam telantem. Sic cerno & contemplor me mœrore repletum, & omnis creatura contriſtatur mihi, quoniam pro omnibus laudes aliquādo cantabam. Heu mihi quid paſſus ſum? quomodo cecidi? Heu mihi quomodo diſſipatus ſum? Non eſt dolor ſicut dolor meus, & non eſt afflictio ſupra afflictionem meam, non eſt amaritudo ſupra amaritudinem meam, nec gemitus ſupra gemitum meum, vtique nec peccatum ſupra peccatum meum, & non eſt mihi ſanitas. Vbi eſt ille bonus animarum paſtor? Vbi eſt ille qui ab Hieruſalem in Hiericho deſcendentem & à latronibus vulneratum curauit atque ſanauit? Require me domine, qui de ſuperiori Hieruſalem cecidi, qui baptiſmum violaui, ſignum corrupi, quia nomen tuum iniuriis verberaui. Heu mihi doctor, nec diſcipuli locum teneo. Tu noſti domine quia inuitus cecidi: volens alios illuminare me ipſum obſcuraui: nitens alios de morte ad vitam reducere, me ipſum ad mortem perduxi: volens alios repræſentare deo, me ipſum à deo ſeparaui: volens pro pietate inueniri, contra pietatem inuentus ſum. Procedens enim contra iniquorum congregationes, & arguēs, ibi diaboli peſſimum errorem inueni. Neſciens certantium varias inſidias, ad dei eos cognitionem prouocabā: Igitur poſt multas ſcrutationes promiſerunt mihi aſtutias infelici. Poſtquam vero profectus ſum ab eis, diabolus eadem nocte transformatus in angelum lucis afferebat mihi: diluculo exurgens perge, & perſuade eos, & adduc eos deo, ſi tibi verbum propoſituri ſunt. Quod ſi aſſenſerint, ſine vlla intermiſſione facito, nihil dubitans propter multorum ſalutem. Et rurſus diabolus antecedens acuit contra me miſerum conſilia maligna, vel hypocriſes, vel dolos ſpargit in eis. Ego vero infelix ante diluculum de ſtratu exiliens, nec orationem quidem conſuetam implere potui, ſed deſiderans omnes homines ſaluos fieri, & in cognitionem veritatis venire, me ipſum in diaboli laqueis implicaui. Abij igitur ad iniquos, & petens ab eis promiſſiones heſternas, neſciens & ad baptiſma peruenimus. O cor obcæcatum quomodo non recordabaris? O ſtulta mens, quomodo non recogitaſti? O indiſtincta diſcretio, quomodo nō intelligebas? O ſenſus intelligentiæ, vbi dormiebas? Sed ad ſomnum te diabolus prouocauit, & infelicem animam mortificauit. Ligauit fortes meos, & abſtulit ſcientiam meam. Ligauit fortes meos, & vulnerauit me. Voce reſpondi, & maculatus ſum. Sine malo ſic allocutus, & maligne perpeſſus ſum. Conſilium circa me erexit diabolus, & iniquam vocem contra me dimiſit. Origenes, inquit, ſanctificauit. O diabole quid feciſti mihi? O diabole quomodo vulneraſti me? Flebam enim aliquando ſuper Sampſonem, ſed peiora perpeſſus ſum. Flebam ſuper Salomonem, & deterius cecidi. Flebam ego ſuper omnes qui peccauerunt, & in omnibus eis apparui. Sampſoni coma capitis deeſt, meo vero de capite corona gloriæ cecidit. Sampſonis oculi carnales obcæcati ſunt, mei vero perforati & ſpiritales ſunt. Sed illum mulier ad inſidias perduxit, mea autem lingua ad ruinam peccati me traxit. Et quomodo eguit dum perdidit ſuam poſſeſſionem, ita & mea lingua iniqua locuta egere me fecit in ſpiritalibus, qui aliquando exultabam in diuinis diuitiis. Et ſicut ille ab Iſraeliticis ſeparatus eſt, & allophylis adhærens perpeſſus eſt iſta, ita & ego iniquis volens ſalutem adquire-re

Hiere.9.

Iob.3.

Luc.10.

A re me ipsum captiuantibus perdidi, & captus sum à peccato. Hei mihi, ecclesia viuit, & ego sum viduus. Hei mihi, viuis filiis ego sum sterilis. Hei mihi, omnis exultat creatura, & ego desertus apparui. Hei mihi ecclesia in qua gloriabar. Hei mihi sedes in qua exultabam, Hei mihi spiritus qui aliquando in me descendebas, quare me dereliquisti? Desertus sum vtique propter putredinem meæ iniquitatis. Plangite desolatum ab omnibus bonis. Plãgite me populi sancti repulsum à Deo. Plangite desolatum à spiritu sancto. Plangite me expulsum à thalamo Christi. Plangite me aliquando dignũ regno, nunc autem indignum. Plangite me odibilem ab angelis factum, & separatum à sanctis. Plangite me, quia æternis pœnis condemnatus sum. Plangite me quia in terra sum, & à conscientia iam torqueor. Timeo mortem, quia maligna est. Vereor diem iudicij, quia in pœna æterna damnatus sum. Timeo pœnã, quia æterna est. Timeo angelos qui supra pœnam sunt, quia misericordia in eis non est. Vereor nimis omnia tormenta, & quid faciam vndique circumfusus, ignoro. Si quis potest orationibus aut lachrymis adiuuet me. Etenim ego multis in peccatis cadentibus lachrymis collaborare debeo. Quis scit si miserebitur mihi Deus, & respiciet ruinam meam, & miserebitur mei, & respiciet desolationem, & misericordiam præstabit mihi? respiciet humilitatem meam, & viscera sua super me mouebit? Sed cadam ante limina portarum, vt deprecer omnem populum pusillum & magnum dicamq; eis. Conculcate me sal stultum, sal insipidum, conculcate me quia indignus sum à Deo, conculcate me quia suasus sum. Nunc lugeant seniores confracto baculo. Nunc lugeant iuuenes, quia pædagogus cecidit. Nunc lugeant virgines laudatore corrupto. Nunc lugeant sacerdotes, quia ruit eorum essertor. Nunc lugeat omnis clerus, quia sacerdos illorum lapsus est. Hei mihi, quia male cecidi. Hei mihi, quia pessime lapsus sum, & non possum resurgere. Porrige mihi manum sancte spiritus ad pœnitentiam, aperiantur mihi fontes lachrymarum, siquidem merear digne iusteq; pœnitere, & delere quæ contra me est accusationem. Sed non attendas domine labiis maculatis, & linguæ iniquè locutę, sed pœnitentiæ & afflictioni & lachrymis amaris, & dolori cordis & animæ, & miserere mihi, ac resuscita me de luto putredinis, quia eius putredo suffocauit me. Hei mihi quia margarita in aurea corona ornatus, nunc in luto proiectus sum. Hei mihi, quia diuinum sal in stercore iacet. Sed quãta flumina lachrymarum delebunt corda humilitatis meæ? Iam incipiam loqui ad Deum. Quare eleuans allisisti me? Sicut enim exaltasti me à sapientiæ tuæ verbo doctrinæ, sic profundo quod feci existimo me hærere. Non enim inique egissem, nisi abstulisses à me manum tuam. Sed tu domine bonus, omnia benigne vis agi, ego vero insipiens insipienter cecidi. Sed quare domine per sanctum Dauid conclusisti os meum? Nunquid ego primus peccaui? aut ego primus cecidi? quia sic repulisti me desolatum & desertum, & expoliasti me sanctis tuis, & confusus es me narrare iustitias tuas? Quis enim natus non peccauit? aut quis super terram conuersatus non inique egit, quoniam sic me repulisti? Prior ipse Dauid qui conclusit os meũ, nimium peccauit in cõspectu tuo: post quàm vero pœnituit, receptibilis factus est tibi. Necnon & sanctus Petrus columna veritatis dum cecidisset, eandem passionem amarissimis diluit, interficiens peccatum & serpentis venenum depurgauit, & non remansit in eo. Sed illi quidem secundum dispensationem meruerunt, hæc vero vt compleantur prędictũ est. Væ autem mihi, quia pessime rui. Væ mihi, quia in his male incidi. Sed nunc deprecor te domine, quia peiora perpessus sum. Reuoca me domine, quia in ruina sum pessima. Da mihi bonum doctorem spiritum sanctum, vt non factus ericius habitatio dæmoniaca efficiar, sed conculcem qui me cõculcauit diabolum, & superatis eius artibus restituar rursum ad salutem antiquam. Ne memor sis malorum deprecatoris, qui aliquãdo tibi sacerdotium ministraui. Ne memineris malorũ qui iniqua respondi. Nunc vos vniuersi qui videtis vulnus meum, timete & euigilate ne obdormiatis, & in talia incidatis, sed venite in id ipsum qui eundem modum habetis pietatis, & congregemur, & conscindamus corda nostra, & prouocemus flumina lachrymarum: Siquidem his fluentibus super terram remissio peccatorum erit, & pœna effugatur, & tormenta. Doleo in anima mea, ô amici mei, quia de summo cecidi. Cecidi & confractus sum, & non est in me sanitas. Doleant super me angeli, quia pessime rui. Doleant super me coronę sanctorum, quia separatus sum à bona congregatione eorum. Sanctus Aaron doleat super me sacerdotium suum. Doleat sancta ecclesia, quia male corrui. Doleat super me omnis homo, quia pessime vulneratus sum. Video enim super me nubem obumbrantem, & solem abscondentẽ radios suos. Sed nunc cognouistis omnes, maceriam posuit ori meo sanctus Dauid. Coactus sum à sanctis episcopis in doctrinæ verba prorumpere, & accepto codice Psalmorum orans aperui, & ascendit mihi eloquium illud quod confundor dicere, eloqui compellor: Peccatori autẽ dixit Deus, Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? Sed plangite me, & vulnerate amaro fletu. Plangite me mortuum. Plangite me qui Iudæis assimilatus sum. Quæ enim illis per Prophetam dicebantur, recte iam mihi similiter sonuerunt. Quid igitur faciam multis circundatus malis? Hei mihi mors quare tardas? scilicet vt maligneris mihi. O diabole quid fecisti mihi? Quomodo vulnerasti me? Putas ne profuit tibi ruina mea? An putas quod tu requiescas, dum ego punior tormentis? Quis annunciabit mihi si deletum est peccatum meum? si fugi pœnas quas timui? Quis annunciabit mihi si cum sanctis iterum adhærebo? Vos ô sancti, quoniam non mereor horum nuncij vocem audire, sed ausus pessima peiores minas Euangeliorum percepi. Hei mihi sinus Abrahæ quo carui. Hei mihi quia communicaui condemnationi diuitis in loco pessimo, & siti in loco amaro & pleno doloris. Hei mihi pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis alliener, quos valde cupiui, nec condigne quidem, propter ingens peccatum meum. Sed domine procido tibi miserere mihi nimium vlulanti, qui multum pœnitui, qui multas lachrymas super terrã effudi, super quem luxit omnis creatura. Vt quid destruxi maceriam meam, & exterminauit me aper de sylua, & singularis ferus depascitur me? Libera me à leone rugiente. Deprecatur te plebs vniuersa sanctorũ propter inutilem. Obsecrat te domine omnis angelorum chorus propter me qui pessima consummaui, vt miserearis super ouem quæ errauit, & lupi rapina facta est mihi. Domine protege me de ore ipsius, ne facias me fieri sacrificium peccati, sed supermitte spiritum tuum sanctũ, vt igneo respectu repellat à me diabolum spinosum, & reducat ad tuam sapientiam, & deleatur quæ contra me est cautio peccati, vt demoretur ad vesperum plãctus meus, & vesperam in matutinum recipiam. Conscindatur saccus meus, & veniat mihi lætitia, & meæ exultationes, & recipiar rursus in gaudium Dei mei, & merear regnum eius orationibus sanctorum, & petitione condolentis mihi ecclesiæ: quia tibi est gloria cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Ex. facta videtur ab inimicis Origenis.

Matt. 26.

IN APOLOGETICVM SANCTI PAMPHILI MARTYris pro Origene, Rufini Præfatio ad Macarium.

endæ veritatis amore permotus ô vir desideriorum Macari, iniungis mihi rem quæ tibi agnitæ veritatis gratiam con- K
mihi tamen non dubito quin offensam maximam comparet eorum, qui se læsos putant ab eo qui de Origene non aliquid
nserit. Et quamuis non meam de eo sententiam, sed sancti martyris Pamphili sciscitatus sis, & librum eius quem
gene in Græco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in latinum: tamen non dubito futuros qui & in eo læsos se pu-
i nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen & ipsos deprecamur, nihil præsumpto vel præiudicato a-
am ad iudicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est: ne forte ignorantes delinquant, consideran-
ationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est. Et ideo non accommodent criminato-
ec ab alio discant alterius fidem, maxime cum coram experiri sit copia, & oris sui confeßio quid vel qualiter vnus-
it: Sic enim scriptum est, quia corde creditur ad iustitiam, oris autem confeßio fit ad salutem. Et ex verbis suis vnus-
& ex verbis suis condemnabitur. Qualiter ergo sentiat Origenes de singulis, tenor libelli huius edoceat. De his au-
ntraria sibi inueniuntur, quid causæ sit, in vltimo breui addita assertione docuimus. Nos autem sicut traditum est no-
, retinemus quod sancta trinitas coæterna sit, & vnius naturæ vniusque virtutis atque substantiæ: & quod filius
pore homo factus est, & pro peccatis nostris passus est, & in ea ipsa carne in qua passus est resurrexit à mortuis,
rectionis spem humano generi tribuit. Carnis verò resurrectionem non per aliquas præstigias sicut nonnulli calumnian-
ipsam carnem in qua nunc vidimus resurrecturam credimus, non aliam pro alia, nec corpus aliud quàm huius car-
corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum dicimus, hoc enim nomine vsus est ille: siue carnem dicimus,
Symboli confitemur. Stulta enim adinuentio calumniæ est, corpus humanum aliud putare esse quàm carnem. Siue er-
munem fidem, siue corpus secundum apostolum dicitur quod resurget, ita credendum est sicut apostolus definiuit, quia
te, resurget & in gloria, & incorruptibile resurget & spiritale corpus, quia corruptione incorruptionem non poßide-
erogatiuis futuri corporis vel carnis, resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, vt & natura carnis eadem
ac spiritalis corporis status & gloria non infringatur. Sic enim scriptum est. Hæc in Hierosolymis in ecclesia Dei *à san-*
e prædicantur, hæc nos cum ipso & dicimus, & tenemus. Si quis præter hæc vel credit, vel docet, vel à nobis aliter
s putat, anathema sit. Nostræ ergo fidei documentum si quis habere vult habeat ex his. Siquidem aut legimus, aut L
nus rationem, secundum apostolum probantes omnia, quod bonum est tenentes, ab omni specie mala nos abstinentes: &
quuntur, pax super illos & super Israël Dei. Amen.

OLOGETICVS PAMPHILI

ARTYRIS PRO ORIGENE, INTERPRETE RVFINO.

IHIL mirum fratres videmini esse perpessi, quòd ita vos Origenis subterfugit intellectus, vt vos quoque existimetis de illo quod & alij nonnulli: qui siue per imperitiam sui quia non valent sensus eius altitudinem contueri, siue prauitate mentis qua studium gerũt non solum dicta eius incursare, verum etiam aduersus eos qui hæc legunt sumere, tam pertinaciter id agẽtes, vt nul- dignos haberi putent, ne ea quidem quæ bi gratia) his qui Græcorum secularium uam etiam hæreticorum percontandi at- udio decutrunt: sibi solis scilicet concedi bandi sermonis putant, vt si quid ab ali- nere sciant, ab omni specie mala abstine- is verò qui Origenis libros legunt, istud tant esse mandatum, quo probabiles iu- tæ, scientes quod bonum est retinere, ab e mala abstinere: sed tantummodo si le- s fuerit, statim ab his hæreticorum per- enique cum multis huius vitæ & religio- n quibus nihil prorsus culpæ inueniunt, hoc solum habent si eorum studia cir- ros propensius esse perspexerint, inui- gentes, quod ab his in loco sanctorum phetarum tam ipse quàm dicta eius ha-

rit, suspicari magis se de quamplurimis dicens, nec tamen certum esse quia in omnibus quod perfectũ est & integrum assecutus sit. Sed & nonnunquam inuenimus eum de multis hæresibus proficientem, in quibus ea quidem quæ in quæstionem veniunt mouet, nec tamen eorum absolutiones adiungit, sed cum omni humilitate, & veritatem non erubescit fateri sibi non liquere. Audiuimus etiam illud ab eo frequenter intexi, quod hodie ne isti quidem imperitissimi omnium obtrectatores eius dicere dedignantur, vt si quis melius de his locis quæ ille disseruit, dixerit, vel exposuerit, illi potius qui rectius dixerit quam sibi esse auscultandum. Præterea comprehendimus eum nonnunquam diuersas expositiones eisdem capitulis facere: & cum omni reuerentia, quasi qui sciat se de sanctis scripturis dicere, cùm multa quæ sibi occurrerunt exposuerit, præcipit his qui legunt probare de singulis quæ dixerit, & quod rectius prudens lector iudicauerit, obtinere: profectò quia nec ipsum latebat quod nõ omnia quæ mouerat, vel discusserat, probabilia vel fixa haberi deberent, pro eo quod multa mystica in scripturis sanctis, & in secreto recondita esse credãtur. Illud denique eius si intentius aduertamus, quam integrè & catholicè de omnibus tractatibus suis in præfatione ipsorum librorum quos in Genesim scribit, protestatus est, omnem eius sensum ex hoc facilè cognoscemus. ORIGENES. Nisi omni modo pigri essemus, ac desides ne ad inquirendum quidem accedere domino & Saluatore nostro ad hoc nos prouocante, profectò reuocassemus pedem, considerantes quod longè simus ab ea magnitudine spiritalis intelligentiæ, quæ

Humilitas Origenis.

M

A quod mediocriter licet, credimus tamen domino Iesu Christo, & eius gloriamur esse discipuli, nec tamen audemus dicere quod facie ad faciem ab ipso traditam susceperimus intelligentiam eorum quę in diuinis libris referuntur: quę quidem certus sum quod ne ipse quidem mundus pro virtute ac maiestate sensuum capere potest. Propter quod pronunciare quidem de his quæ dicimus, sicut apostoli potuerunt non audemus: in eo autem gratias agimus, quod cùm multi imperitiam suam nesciant, & motus suos incompositos & inordinatos, interdum etiam & ineptos ac fabulosos, cum omni intétione sicut sibi videtur quasi verissima assertione annuncient, nos de rebus magnis & his quæ supra nos sunt, ignorantiam nostram non ignoramus. PAMPHILVS. Cùm ergo hęc eum de se dicere audiamus, & huiusmodi mente ac voto quę dicit asserere, miramur in tãtum temeritatis aliquos esse prouectos, vt qui se ita humiliat & iudicat, astruant quod ab aliis dicta eius vel libri pro sermonibus apostolicis vel dictis propheticis habeantur, aut quod ille ipse vel prophetis vel apostolis ab aliquo comparetur. Et quidem quod & honore presbyterij in ecclesia præditus fuerit, & vitam abstinentissimã egerit & valde philosophicam, quósque puræ religionis obseruauerit disciplinam, & præ cæteris verbo Dei & doctrinæ operam dederit, dubium non est & ex his quæ ad nos labo-

Vita Origenis.

B ris & studij eius certissima designantur indicia: præcipuè verò per eos tractatus, quos penè quotidie in ecclesia habebat ex tempore, quos & describentes notarij ad monimentum posteritatis tradebant. Consequens igitur erat, ex his omnibus laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum: & neque defensionis studio plus dare ei meriti quam mensura deposcit: neque rursus obtrectandi vitio facilè condemnare, & alienum ab ecclesiastica doctrina temerè pronunciare: cùm vtrunque istud præcipitium prouidens antè diuinus sermo prohibuerit dicens: Non sit in te mensura maior, neque mensura minor. Abominabile est enim in cóspectu domini vtrumque. Vnicuique enim prout dignum est retribuere, iustitiæ proprium est. Propter quod & mensura integra, & pondus æquale acceptabile est apud Deum, non hoc quod mentitur veritatem, per quod vel plus donatur rebus quam merita deposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur. Quanto rectius agerent obtrectatores isti, si absq; nulla animi præuentione cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate iubemur expendere, intelligerent & ipsum vnum de proximis esse quibus charitatem ex mandato debemus, & assumptos libros eius legerent cum ea venia quam ipse in præfationibus suis deposcit, sicubi venia dignum aliquid inuenirét. Nunc verò econtrario videar eos maledictis quidem probrísque non parcere: eos verò qui scripturarum intelligendarum secundum

Origenes pene quotidie concionabatur.

C mandatum domini & saluatoris nostri studium gerunt, à lectione librorum eius deterrere quælibet alia etiam inepta nihil profutura potius quàm illius commentarios legi debere affirmantes. In quibus sæpe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam vt eorum contentiosa præsumptio, vel vt verius dicam præiudicatrix væsania facilius declaretur, accidere solet vel casu, vel interdum studio, vt nomine in codice non prætitulato legatur aliquid ipsius in auribus obtrectatorum quasi alterius tractatoris. Quod tamdiu placet & laudatur, atque omni admiratione habetur, quandiu nomen non fuerit indicatum. At vbi Origenis cognita fuerint esse quę placebant, statim displicent, statim hæretica esse dicuntur: & ea quæ paulo antè ad cœlum vsque ferebantur, iisdem vocibus e-

Inimicorũ tractatus ... subscripto titulo innotescit.

tem alios dicentes. Ex quo cuiuis p
rum videbitur, cùm de his iudicant
nec discere quidem prius, aut noss
noni furoris morbus & inauditæ
ram multa eius volumina referta
ctionis habeantur, & satis rara & p
quibus vel imperitiores quiq;, vel (
se sibi videantur offendi: omnia qu
& ad ædificationem animæ, atque
etiam ipsi apta fatentur, omittunt
inde vnde possunt & debent, pro
la quæ ad calumniam proficiunt,
vt qui boni nihil vnquam fortè did
esse bona dicunt apprimè memor
dent: quo videlicet promptius ea
valeant concinnare calumnias. Ali
minum fœdum sanè & turpe quant
tinet morum, sed ad calũmniandun
ad incusandum, quos Græci Phago
summum quidem studium, sed &
bris eius dederunt, ita vt & magistro
& se eis tanquam speciales discipul
id loci ventũ est, vt iam se magistros
nominari, vbi auditoris plausus sec
tè aliquis audientium quæ laudant
murauerit, ne vel laude cedant ma
alienum esse Origenem cõtinuò pr
illius doctrina commune esse confi
que dicere eum non dubitant impr
non parcunt: ne illum quidem ap
rentes quo designat, quia maledici
debunt. In tantum autem horum
gressa malitia est, vt quidam etiam
ausi sint, & libellis editis derogare
magister ecclesiæ fuit, qui in ecc
sus eas hæreses quæ illo tempore
ita constanter, ita fortiter dimicau
bolicæ machinationis fundamenta
rum laborem, non continentiæ, no
militatis quæ supra cæteras omnes
gratiam continet, non illud certè
byterij dignitate in ecclesia honor
ad reuocandam linguam, compri
sufficere non possunt, illud saltem
quantam irridendi materiam genti
cis tribuant, cùm eos quos asserto
& defensores putabant, confutari
li à propriis, & velut ciuili bello
quem ipsi hostiliter impugnare non
go quamplurimi ex simplicioribus
prà dictis læduntur, non solum vt d
etiam de his qui studio scientiæ & i
rarum, inter cæteros etiam libros ip
ita vt vos quoque ipsi in dubium ve
rudini vel autoritati calumniatoru
ri de his quæ passim & sine respec
nobis est, primò quidem curare susp
etiam per occasionem vestri omniu
futare calumnias. Quod ita nobis
est, vt non nostris verbis & assertio

G incipientes igitur indiciis scriptorum suorum ostendere quid de singulis senserit, ex his præcipuè libris testimonia congregabimus quos accusatores eius quàm maximè criminantur, id est, quos per spacium & quietem in secreto conscripsit: hos enim asserunt maximè à prędicatione ecclesiastica discrepare: ex his præcipuè libris, quos Peri archon attitulauit, in quibus quamplurima à calumniatoribus incusantur. In his ergo ipsis, inter principia quali expositione fidei vsus sit, proferemus: tum inde & ex his quæ sparsim vel per ipsos libros vel cæteros sensit, assignabimus eum prædicationem apostolicam custodisse. Est ergo lectio ex primo Peri archon quam promisimus hæc.

ORIGENES.

SICVT enim multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem desueuimus apud omnes eam quærere qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus filiū esse Dei Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cùm multi sint qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesiis permanens, H illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. Illud tamen scire oportet, quoniam sancti apostoli fidem Christi prædicantes, de quibusdam quidem quæcunque necessaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionem diuinæ scientię videbantur, manifestissimè tradiderunt, rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam qui spiritus dona excellentia, & præcipuè sermonis sapientiæ & scientiæ per ipsum spiritum sanctum perçipere merebantur: De aliis verò dixerunt quidem quia sint, quomodo autem & vnde sint siluerunt: profectò vt studiosiores quiq; ex posteris suis amatores sapientiæ & scientiæ exercitium habere possent, in quo ingenij sui fructum ostendere valerent, hi videlicet qui dignos se & capaces sapientiæ præpararent. Species verò eorum quæ per prædicationem apostolicam manifestè traduntur, istæ sunt. Primò quod vnus est Deus qui omnia creauit, atque composuit, quíque ex nihilo esse fecit vniuersa, Deus à prima creatura & conditione mundi omniū iustorum, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim patriarcharum, Moysi & prophetarum: & quod hic Deus in nouissimis diebus sicut per prophetas suos antè promiserat, misit dominum Iesum Christum, I primò quidem vocaturum Israel, secundò verò etiam gentes post perfidiam populi Israel. Hic Deus iustus & bonus pater domini nostri Iesu Christi legem & prophetas & euangelia ipse dedit, qui & apostolorum Deus est, & veteris ac noui Testamenti. Tum deinde quod Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cùm in omnium cōditione patri ministrasset, per ipsum nanq; omnia facta sunt, nouissimis temporibus se ipsum exinaniens homo factus est, incarnatus est cum Deus esset, & homo factus mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens quod natum ex virgine, & spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Christus natus & passus est in vnitate, & non per imaginem communi hac morte verè mortuus: verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus est cum discipulis suis & assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non iam manifestè discernitur vtrum natus sit an innatus.

Origenes apostolicā prædicationem custodiuit.

PAMPHILVS.

QVI de nato vel innato requirit, sine dubio creaturæ in eo nullam habet opinionem, alioquin & hoc adduxisset ad inquisitionem. Et adiungit Origenes: vel filius etiam ipse Dei habendus sit, néc ne. ORIGENES. Sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sancta scriptura, & sagaci perquisitione inuestiganda. Sanè quod iste spiritus sanctus vnumquenque sanctorum vel prophetarum, vel K apostolorum inspirauit, & non alius spiritus in veteribus, alius verò in his qui in aduentu Christi inspirati sunt fuerit, manifestissimè in ecclesiis prædicatur. Post hæc iam quod anima substantiam vitámque habens propriam cùm ex hoc mūdo discesserit, & pro suis meritis dispensabitur siue æternæ vitæ ac beatitudinis hæreditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint: siue æterno igni ac suppliciis mancipanda, si in hæc eam scelerum culpa detorserit. Sed & quia erit tempus resurrectionis mortuorum cùm corpus hoc quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione: & quod seminatur in ignominia, surget in gloria: Est & illud definitum in ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationabilem, liberi arbitrij & voluntatis, esse quoque certamen aduersus diabolum & angelos eius contrariásque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant. Nos verò si rectè consultéque viuamus ab huiuscemodi onere exuere nos conemur. Vnde & consequens est intelligere non nos necessitati esse subiectos, vt omni modo etiam si nolimus vel bona vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, impugnare fortasse nos possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem, non tamen necessitate cogimur vel rectè agere vel malè. Quod fieri arbitrantur qui stellarum cursus & motus causam dicunt humanorum esse gestorum, nō eorum L quæ extra arbitrij libertatem accidunt, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate. De animo verò vtrum ex semine traducis ducatur, ita vt ratio ipsius vel substantia inserta ipsis corporibus seminibus habeatur: an verò aliud initium habeat, & hoc ipsum initium si genitum est, an non genitum, vel certè si extrinsecus corpori inditur, néc ne: non satis manifesta prædicatione distinguitur. De diabolo & angelis eius contrariísque virtutibus ecclesiastica prædicatio docuit quoniam sint quidem hæc: quæ autem sint, vel quomodo sint, non satis clarè exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quòd angelus fuerit iste diabolus, & apostata effectus quamplurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc vsque angeli ipsius nuncupentur. Est præterea & illud in ecclesiastica prędicatione, quod mundus iste sit factus, & à certo tempore cœperit, & sit pro ipsa sui corruptione soluendus: quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post hunc mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. Non enim euidenter de his in ecclesiastica prędicatione sermo profertur. Tum deinde quod per spiritum Dei scripturę conscriptę sint, & sensum habeant non eum solum qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quamplurimos. Formę enim sunt hęc quę scripta sunt sacramento- M rum quorundam, & diuinarum rerum imagines: de quo totius ecclesię vnus est sensus, esse quidem omnem legem spiritalem, non tamen ea quę spirat lex esse omnibus nota, nisi his solis quibus gratia sancti spiritus in verbo sapientię ac scientię condonatur. PAMPHILVS. Et post pauca addit.

ORIGENES.

EST etiam illud in ecclesiastica prędicatione, esse angelos Dei quosdam & virtutes bonas qui ei ministrarent ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sint, aut quomodo, non satis in manifesto distinguitur. De sole autem & luna & stellis, vtrum animantia sint, an exanima, manifestè non traditur. Oportet igitur velut elementis & fundamentis huiusmodi vti, secundum mandatum quod dicit, Illuminate vobis lumen scientię, eum qui cupit seriem quandam & corpus ex horum omnium ratione conficere, vt manifestis & necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, & vnum vt diximus corpus efficiat exemplis & affirmationibus vel his quas in sanctis scripturis inuenerit, vel quas ex consequentię ipsius indagine, ac recti tenore repererit.

PAMPHILVS.

Hęc

A HÆC quidem in principio primi lib. Peri archon disseruit, vt ostenderet quæ sint illa quæ manifestè in ecclesiastica prædicatione tradita sunt, & quæ sint quæ non apertè definiuntur. De quibus singulis secundum eam diuisionem quam suprà ostendit, sparsim disputat. In reliquo verò corpore librorum ea quidem quæ ex definito prædicari ab ecclesia suprà docuit, omnibus adhibitis probamentis, ex scripturis sanctis manifestius & constantius asserit. De his verò de quibus ostendit non manifestè, neque ex definito in ecclesia prædicari, opinionibus magis & his sensibus qui disputanti & tractanti de talibus occurrere potuerunt, quàm certis aliquibus ac definitis assertionibus vtitur, id est discutiens & pertractans potius quàm affirmans. In omnibus tamen locis sermonis sui meminit eius quem suprà exposuimus, cùm ait illam solam recipiendam & credendam esse veritatem, quæ in nullo apostolicis & ecclesiasticis dogmatibus aduersatur: & non solum in his libris quorum suprà fecimus mētionem, sed & in omnibus quæ de scripturis exponit, hac sententia vti solet, & in his pręcipuè in quibus plures vnius capituli interpretationes exponit, hoc asserens, se quidem ne quid quod dici possit omitteret, plura vel diuersa prout sentire potuit protulisse, illud autem debere teneri quod apostolicus & ecclesiasticus lector probaret. Hoc idem facit etiam cum hæreticorum discutit sectas: quibus omnibus confutatis atque victis vnam solam eam quam suprà exposuit catholicæ veritatis sententiam tenet. De quibus singulis qualiter responderit B hæreticis, & quomodo vniuersa eorum dogmata destruens, ipse semper apostolicam confirmauerit fidem, si velimus omnes sententias eius congregare, & longum satis est, & erit tam nobis qui scribimus onerosum, quàm legentibus tædiosum: sed sufficit pauca proferre, in quibus omnium profectò facilè cognoscentur indicia. Neque enim contra domini sententiam sentiendum est, vt qui in paucis inuenitur fidelis, non etiam in multis & haberi debeat fidelis & credi. Primum ergo ex eius libris ponemus exemplum quod illi superiori conueniat, ex eo libro quem in epistolam Pauli apostoli ad Titum scripsit, de eo capitulo in quo dicit Apostolus. Hæreticum hominem post trinam correptionem deuita, sciens quia peruersus est, & peccat, qui est à semetipso damnatus. De quo dicit qualis sit qui hæreticus, & qualis sit qui catholicus est & ecclesiasticus.

[Margin: ... libris ... archō.]

[Margin: Veritas quæ ... sola recipienda.]

[Margin: Tit. 3.]

ORIGENES.

C NOMEN hæresis quantum ego deprehendere potui etiam in epistola Pauli apostoli ad Corinth. designatur hoc modo. Oportet enim & hæreses esse vt probati manifesti fiant, inter vos. Et iterum ad Galatas, inter opera carnis hæreseos quoque nomen ascribitur, vt ait: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, discordiæ, hæreses, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ & prædixi vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Per quæ cognoscimus, quoniam sicut hi qui fornicationibus & immundiciis, atque impudicitiis, & idolorum cultibus maculati sunt, regnum Dei non possidebunt, ita & hi qui in hæresim declinauerint. Neque enim putandum est tanti Apostoli tam absolutam sententiam posse vllo genere vacillare. Apostolus enim est omnium ecclesiarum Christi, non ab homine, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrē electus. Propterea ergo secundum autoritatem sententiæ ipsius oportet nos sicut reliqua mala quæ numerauerat, ita nomen hæresis deuitare, neque cum talibus orationis societate misceri.

PAMPHILVS. Et post hæc paucis quibusdam per medium insertis adiecit. ORIGENES. Quid verò sit hæreticus homo, pro viribus nostris secundum quod sentire possimus, describamus. Omnis qui se Christo credere profitetur, & tamen alium Deum legis & prophetarum, alium euangeliorum Deum dicit, & patrem domini nostri Iesu Christi, non eum dicit esse qui à lege & prophetis prædicatur, sed alium nescio quem ignotum omnibus atque omnibus inauditum, huiusmodi homines hæreticos designamus, quamlibet variis ac diuersis & fabulosis concinnent ista figmentis, sicut sectatores Marcionis & Valentini & Basilidis, & hi qui se Eutychianos appellant. Sed & Appelles licet non omnibus modis Dei esse deneget legem & prophetas, tamen & ipse hæreticus designatur, quoniam Deum qui hunc mundum condidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum construxisse pronunciat: illum autem ingenitum Deum in consummatione seculi misisse Iesum Christum ad emendationem mundi, rogatum ab eo Deo qui eum fecerat, vt mitteret filium suum ad mundi sui correptionem. Et si quidem hic solummodo qui de Deo patre aliter sensit quàm regula pietatis exposcit, hæreticus habendus esset, sufficeret vtique quod superius dictum est. Sed nunc vnum atque idem credendum est etiam de eo qui de domino nostro Iesu Christo falsi aliquid senserit, siue secundum eos qui dicunt eum ex Ioseph & Maria natum, sicut sunt Ebionitæ & Valentiniani; siue secundum eos qui primogenitum eum negant, & totius creaturæ Deum & verbum & sapientiam, quæ est initium viarum Dei, antequam aliquid fieret, ante secula fundatam, atque ante omnes colles generatam, sed hominem eum solum dicentes: vel secundum eos qui Deum quidem eum fatentur, non tamen assumpsisse hominem, id est animam corpúsque terrenum: qui sub specie quasi amplioris gloriæ Iesu E domino deferendæ, omnia quæ ab eo gesta sunt, phantasticè magis quàm verè gesta esse testantur: quíque neque de virgine natum testantur, sed triginta annorum virum eum apparuisse in Iudæa. Alij verò ex virgine quidem eum credunt esse primogenitum, sed putasse se magis virginem peperisse, non tamen verè peperisse confirmant. Latuisse quippe etiam virginem putatiuæ generationis asserunt sacramentum. Qui quomodo non ab ecclesia longè ponendi sunt, cum philargyriæ morbo languentes dogmata statuerunt, quibus ad suum nomen discipulos declinarent? Sed & eos qui hominem dicunt dominum Iesum præcognitum & prædestinatum, qui ante aduentum carnalem substantialiter & propriē non extiterit, sed quod homo natus patris solam in se habuerit diuinitatem, ne ipsos quidem sine periculo ecclesiæ numero sociari: sicut & illos superstitiose magis quam religiose, qui ne videantur deos dicere, neque rursum negare Saluatoris diuinitatem, vnam eandémque substantiam patris ac filij asseuerant, id est duo quidem nomina secundum diuersitatem causarum recipientem, vnam tamen ὑπόςασιν subsistere, id est, vnam personam duobus nominibus subiacentem, qui latinè Patripassiani appellantur. Sed & sunt qui spiritum sanctum alium quidem dicant esse, qui fuit in prophetis, alium autem qui fuit in apostolis domini nostri Iesu Christi: vnum atque idem delictum impietatis admittunt, quod illi qui quantum in se est natu- F ram deitatis secant & scindunt, dicentes vnum legis, & alterum euangeliorum Deum. Sed & illi qui non omnes humanas animas vnius eiusdémque dicunt esse substantiæ, sed diuersas naturas animarum, inter eos hæreticos numerādi sunt, qui iniquitatem in excelsum loquuntur, atque iniustitiam iniquitatémque eius accusant. Nécnon & illi qui liberi arbitrij potestatem ex animabus auferre nituntur, velut perniciioso dogmate communi humanæ vitæ & virtuti continentiæ labem quandam inferre iudicandi sunt, ne humani propositi reputetur bonum quid vel facere, vel dicere, vel sentire, ex quo ad contemptum aut negligentiam diuini iudicij mens humana formabitur. Sit autem in ecclesiastico ordine etiam de peccatorum suppliciis fides, & de his qui præmia bonæ conuersationis & vitę in regno domini iusto eius iudicio recepturi sunt. Si quis ergo horum aliquid quæ suprà exposuimus, commutare vel subuertere conatur, velut peruersus, & à seipso damnatus secundum sententiam Apostoli, etiam à nobis præcepto obsequentibus eius, similiter habendus est. Designat autem ecclesiasticum virum cum his omnibus quæ suprà exposuimus, etiam de mortuorum resurrectione fides, de qua sanctus apostolus Paulus ita pronunciat, quia si quis negat resurrectionem mortuorum, consequens est vt Christi resurrectionem neget. Habentur nihilominus in ec-

[Margin: Hæretici descriptio.]

[Margin: Substantiā more græcorū accipit pro substātia, nō essentia. sic loquitur & D.Hilari⁹: Patri passiani.]

[Margin: Hæretici sunt qui tollunt liberū arbitrium.]

G clesiastico ordine etiam de diabolo rationes, & de omni eius exercitu, quod agones quosdam & certamina aduersus omnes homines, præcipuè tamen aduersus eos qui credunt in dominum nostrum Iesum Christum, mouent: & quod necessitatem quidem imponere peccandi per agones & certamina non valent, persuadere tamen & decipere ad subuersionem possunt eos qui non omni custodia sua corda præmuniunt. Habendum est autem in ecclesiasticis obseruationibus, quod neque hominum quis à Deo in perditionem traditus est, sed vnusquisque pereuntium sua negligentia pereat & culpa, qui habens arbitrij libertatem, eligere quod bonum est & potuit & debuit. Quod etiam de ipso diabolo sentiendum est, qui in conspectu domini omnipotentis describitur restitisse, & deseruisse statum suum in quo fuerat immaculatus: qui vtique potuisset in hoc statu in quo ab initio fuit, vsque in finem perseuerare si voluisset. Designatus vt arbitror, nobis est prout potuimus, & descriptus quis & qualis esset hæreticus, & quæ vel in quibus eorum dogmata, falsæque opiniones habeantur, & quæ sit ecclesiasticæ obseruantiæ puritas. PAMPHILVS. Et post pauca addidit hæc. ORIGENES. Requisierunt sanè quidam vtrum hæresim, an schismata oporteat vocari eos qui Cataphrygæ nominantur, obseruantes falsos prophetas, & dicentes: Non accedas ad me, quoniam mundus sum: non enim accipio vxorem, nec est sepulchrum patens guttur meum, sed sum H Nazaræus Dei, non bibens vinum sicut illi.

Notent calumniani qui multos ad perditionẽ tatũ natos blasphemãt

An cataphrygæ hæretici vel schismatici

PAMPHILVS. Istæ voces sunt eius qui velut hæreticus accusatur, & corruptio & perditio animarum, ab his qui nequaquam ostium ori suo & claustra labiis suis imponere à Propheta didicerunt. Quæ quidem non in publico dicta sunt ab eo, id est in communi ecclesiæ auditorio, ne fortè putetur propter audientes fauorabilem aptasse sermonem: sed ex illis hæc libris protulimus, quos in secreto apud semetipsum nullo arbitrio intercedente dictabat. In quo attentius vos illud volo considerare quod dixit, quia si quis horum aliquid commutauerit, hæreticus est, & peccat in subuersione positus, & à semetipso damnatus, secundum Apostoli sententiam: Cuius & nos autoritati obsequentes eadem sentire debemus. Cùm ergo hæc ita se habeant, conueniens arbitror interrogare istos ipsos accusatores eius, si ipsi aliter ea quàm eius designatum vocibus est, vel de hæretico sentiunt, vel de catholico. Dicant ipsi quæ alia sunt ecclesiastica dogmata, si hæc non sunt quæ superius ab illo digesta sunt. Et quidem generaliter hæc de omnibus ecclesiasticis dogmatibus ab illo dicta sunt: pergamus autem & quæ specialiter de singulis, & maximè de principalibus rebus, de sancta ac beata trinitate, id est de patre & filio & spiritu sancto senserit, indicantes & proferentes in medium ea quæ in diuersis suis operis voluminibus inserta mandauit, & vt ipsius sententia de maximis & diuinis rebus quæ fuerit ostendatur, & duobus vel I tribus vocum suarum testibus fiat omne verbum defensionis eius. Indicat ergo quid de Deo patre omnipotente senserit in his ipsis libris, qui quammaximè ab accusatoribus celebrantur, id est Peri archon, scribens hæc.

ORIGENES. *De Deo patre omnipotenti.*

OMNI igitur sensu qui corporale aliquid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus confutato, dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem esse, atque inæstimabilem. Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus, multis longè modis eum meliorem esse ab eo quod sensimus, necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis aut breuissimæ lucernæ lumen aspicere, & eum cuius acies oculorum plus luminis capere quàm suprà diximus, non valet, si velimus de claritate & splendore solis edocere, nónne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter & inæstimabiliter melior & præstantior solis est splendor? Ita mens nostra cùm intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro talis materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, licet pro comparatione naturæ corporeæ longè pręcellens habeatur, tamen cùm ad incorporea nititur, atque eorum intuitionem rimatur, tunc scintillæ K alicuius lucernæ vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, in corporeis tam præstans omnibus, tam ineffabiliter atque inæstimabiliter præcellens est quàm Deus? Cuius vtique natura acie humanæ mentis intendi atque intueri, quamuis sit purissima mens ac limpidissima, non potest. Verum non videtur absurdum, si ad euidentiorem rei manifestationem etiam alia vtamur similitudine. Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt: splendorem verò eius, vel radios fenestris fortè, vel quibuslibet luminum breuibus receptaculis infusos intuentes, considerare possumus, fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radij quidam sunt Dei naturæ, opera diuinæ prouidentiæ, & ars vniuersitatis huius ad comparationem substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens nostra ipsum per se Deum sicut est, non potest intueri, ex pulchritudine operum & decore creaturarum parentem vniuersitatis intelligit. Non ergo corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens, vti ne maius aliquid, & inferius in se habere credatur, sed vt sit ex omni parte μονάς, & vt ita dicam, ἑνάς, & mens & fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. Mens verò vt moueatur vel operetur, non indiget loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu, aut colore, neque L alio vllo prorsus indiget horum quæ corporis vel propriæ materiæ propria sunt. Propter quod natura illa simplex, & tota mens, vt moueatur vel operetur aliquid, dilationis aut cunctationis habere potest nihil, ne per huiusmodi adiunctionem circumscribi vel inhiberi aliquatenus videatur diuinæ naturæ simplicitas, vti ne quod est principium omnium compositum inueniatur & diuersum, & sit multa nõ vnum, quod oportet totius corporeæ admixtionis vna sola (vt ita dixerim) diuinitatis specie constare. PAMPHILVS. Hæc in primo libro Peri archon scribit de diuina natura. In secundo verò, quia idem Deus veteris & noui Testamenti sit, hoc modo refert.

Deus neque corpus, nec in corpore.

ORIGENES.

HIS per ordinem prout potuimus, breuiter digestis, consequens est secundum id quod ex initio propositum est, confutare etiam eos qui putant alium Deum esse patrem domini nostri Iesu Christi, præter illum qui vel Moysi responsa legis dabat, vel prophetas mittebat, qui est Deus patrum, Abraham, Isaac & Iacob. Oportet enim primò in hac nos fidei ratione firmari. Considerandum ergo est illud quod M frequenter in Euangeliis dicitur, & singulis quibusque domini & saluatoris nostri gestis adiungitur, vt impleatur quod dictum est per Prophetam illum & illum: cùm manifestum sit prophetas esse illius Dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur, quoniam qui prophetas misit, quę de Christo credenda erant, ipse pręscripsit: & dubium non est quod hęc non alienus quis ab eo, sed pater ipsius prędicebat. Sed & illud quod frequenter exempla de veteri Testamento à Saluatore proferuntur, vel ab apostolis eius, non aliud indicat, nisi quod autoritas veteribus à Saluatore & ab eius discipulis adhibetur. Sed & illud quod ad benignitatem prouocans discipulos suos Saluator ait: Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: cui etiam exiguæ intelligentiæ viro euidentissimum non suggerit intellectum, quod non alium ad imitandum proponit discipulis suis Deum, nisi factorem solis & imbrium præbitorem? PAMPHILVS. Post hæc in consequentibus multis argumentis atque exemplis scripturarum affirmans, ostendit quoniam vnus & idem deus legis est & Euangeliorũ, & prophetarum, & apostolorum, iustus & bonus, visibilium & inuisibilium, ac totius vniuersitatis dominus. Quomodo ergo senserit de Deo patre, ex his eius scriptis quæ suprà exposuimus, claruit. Videamus nunc qualiter & de Dei filio differat.

Matt. 5.

Origenes.

ORIGENES. *De deitate filij Dei.*

A PRo viribus igitur nostris perexiguis considerata ex operum suorum magis quàm ex nostri sensus cõtemplatione diuina natura, intuitisque nihilominus creaturis eius visibilibus, fide quoque inuisibilibus contemplatis, quia non omnia vel oculis videre potest humana fragilitas, vel ratione complecti, eo quod omnium rationabilium infirmius & fragilius animal sumus homines: præstantiora enim sunt ea quæ vel in cœlo, vel super cœlos habentur: superest vt omnium harum creaturarum & Dei medium, id est mediatorem quæramus, quem Paulus apostolus primogenitum omnis creaturæ pronunciat. Videntes enim ea quæ de eius maiestate in scripturis sanctis referuntur, & intuentes quod imago inuisibilis Dei, & primogenitus omnis creaturę dicatur, & quod in ipso creata sint omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terra sunt visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia illi constant, qui est caput omnium, solum habens caput Deum patrem, sicut scriptum est, Caput autem Christi Deus: peruidentes etiam quod scriptum est, quoniam nemo nouit patrem nisi filius, neque filium quis nouit nisi pater: Quis enim posset nosse quæ sit sapientia nisi qui genuit eam? aut quis ad liquidum quæ sit veritas nouit, nisi veritatis pater? Quis certè vniuersam verbi sui naturam, atque ipsius Dei, quæ ex Deo est, inuestigare potuit nisi solus Deus, apud quem erat verbũ? pro certo habere debemus, quod hoc verbum, siue ratio dicenda est, hanc sapientiam, hanc veritatem nullus alius nisi pater nouit: de quo sicut scriptum est, ne ipsum quidem mũdum capere arbitror libros qui scriberentur de maiestate & gloria filij Dei. Impossibile nanque est literis cõmittere quæ ad Saluatoris gloriam pertinent. PAMPHILVS. Vnum istud testimoniũ de deitate filij Dei ex illis libris protulimus, qui maximè ab accusatoribus arguuntur: dubium autem non est, quod eodem sensu etiam in cęteris sentiat, nec sit sibi ipse contrarius.

[margin: Media dei & creaturarum. — 1.Cor.7. — Ioan.21.]

ORIGENES. *De eo quod non sit pater antequam filius, sed coæternus sit filius patri. In lib. I. de Gen.*

NOn enim Deus quum prius nõ esset pater, postea pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus ex causis, quibus homines mortales impediri solẽt, vt non statim ex quo sunt, & patres esse possint. Si enim semper perfectus est Deus, nec deest ei virtus quia pater sit, & bonum est esse eum patrem talis filij, quid differt, aut quid hoc bono fraudat se, & non statim (si ita dici potest) ex quo potest esse pater efficitur pater? Idipsum autem C etiam de Spiritu sancto dicendum est. Aliud quoque testimonium de eadem re ex libris epistolæ ad Hebræos. Lux autem æterna quid aliud est sentiendum, quàm Deus pater, qui nunquam fuit quando lux quidem esset, splendor verò ei non adesset? Neque enim lux sine splendore suo vnquam intelligi potest. Quod si verum est, nunquam est quando filius non fuit. Erat autem nõ sicut de æterna luce diximus, ne duo principia lucis videamur inducere, sed sicut ingenitæ lucis splendor, ipsam illam lucem initium habens ac fontem, natus quidem ex ipsa, sed non erat quando non erat. Aliud testimonium de eadem re de libris epistolæ ad Romanos. Quod promiserat, inquit, per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est secundum carnẽ ex semine Dauid: factus est quod antè non erat. Manifestum enim est quia secundum carnem non erat prius: secundum spiritum verò erat antè, & non erat quando non erat.

Item in primo libro Peri Archon.

Quod extra vllum initium est generatio filij Dei.

D SI ergo semel rectè receptum est, vnigenitum filium Dei sapientiam eius esse substãtialiter subsistentem, nescio si iam vltra euagari sensus noster debeat ad suspicandum, ne fortè ipsa substãtia eius corporeum aliquid habeat, cùm omne quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. Et quis vnquam sani sensus habitum vel colorem, aut mensurę magnitudinem in sapientia requisiuit per quod sapientia est? Quomodo autẽ extra huius sapientiæ generationẽ fuisse aliquando deum patrẽ, vel ad punctum momenti alicuius potest quis sentire vel credere, qui tamen piũ aliquid de deo intelligere nouerit, vel sentire? Aut enim nõ potuisse deum dicet generare sapientiã antequam generaret, vt eam quæ non erat, postea genuerit vt esset: aut potuisse quidem, sed (quod ne dici quidem de Deo fas est) noluisse generare: quod vtrunque & absurdum esse, & impium omnibus patet, id est non ex eo quod non potuit Deus perficere vt posset, & ex eo cùm posset, dissimularet generare sapientiam. Propter quod nos semper nouimus Deum patrem vnigeniti filij sui, ex ipso quidem nati, & quod est ab ipso trahentis, sine vllo tamen initio, non solum eo quod aliquibus temporum spaciis distingui potest, sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam mens intueri solet, & nudo (vt ita dixerim) intellectu atque animo cõspicari. Extra omne ergo quod vel dici, vel intelligi potest initium, generatam esse credendum E est sapientiam. Aliud testimonium eiusdem. Qui autem initium dat verbo Dei, vel sapientiæ Dei, intuere ne magis in ipsum ingenitum patrem impietatẽ suam iactet, cùm eum neget semper patrem fuisse, & genuisse verbum, & habuisse sapientiam anterioribus vel temporibus vel seculis, vel siquid aliud est quod nominari potest. Item aliud testimonium de eisdem. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, vt ait sermo scripturæ, vapor quidam primæ & ingenitæ virtutis Dei, hoc quidem quod est, inde trahens, nõ est autem quando non fuerit. Si eum quis voluerit dicere quasi prius non extiterit, sed postea ad subsistentiam venerit, dicat causam quare qui eam substituit pater, antè hoc non fecerit. Quod si aliquod semel initium dederit quo vapor iste ex Dei virtute processerit, iterum interrogabimus quare non & antè illud quod dixit initium: & ita semper de anterioribus inquirentes, & verbo interrogationis ascendentes, perueniemus ad illum intellectum, vt quoniam semper & poterat Deus & volebat, nunquam vel decuit, vel causa aliqua existere potuit, vt non bonum hoc quod volebat, semper habuerit. Ex quo ostẽditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei nullum habentem initium nisi ipsum Deum. Neque enim decebat aliud ei esse initium nisi ipsum vnde est, & nascitur Deum. Secundum Apostolum verò dicentem, quia Christus Dei virtus est, iam non solum vapor vitutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. Item aliud testimonium de F eisdem. Sempiternum, vel ęternum propriè dicitur, quod neque initium vt esset habuit, neque cessare vnquam potest esse quod est. Hoc autem designatur apud Ioannem, cùm dixit, quoniam Deus lux est. Splendor autem lucis eius sapientia sua est, non solum secundum quod lux est, ita vt æternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integrè intelligatur, manifestè declarat, quia subsistentia filij ab ipso patre descendit, sed non temporaliter, neque ab vllo alio initio, nisi (vt diximus) ab ipso Deo.

[margin: I.Cor.I.]

Item aliud testimonium de libro primo.

De coæternitate filij Dei, & inseparabilitate eius à patre.

INFANDVM autem est & illicitũ, Deum patrem generationem filij sui vnigeniti, atque substantiæ eius exæquare alicui vel hominum, vel aliorum animantium generationi: sed necesse est exceptum aliquid esse & Deo dignũ, cuius nulla prorsus comparatio non in rebus solum, sed nec in cogitatione quidem vel sensu inueniri potest, vt humana cogitatio possit apprehendere, quomodo ingenitus Deus efficitur pater vnigeniti filij. Est namque ita æterna & sempi-

G terna generatio, sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem spiritus filius fit extrinsecus, sed natura filius est.

Filius non est extrinsecus sed natura filius.

Item de eodem aliud testimonium.

VIDEAMVS ergo quid sit Saluator noster. Splendor dicitur etiam gloriæ, id est splendor luminis æterni: & certum est quod splendor ex lumine inseparabiliter generatur: & donec permanet lux, permanet semper & splendor. Saluator ergo noster qui est sapientia: sapientia autem Dei ipsa est splendor æternę lucis: inseparabiliter & indesinenter generatur ex patre. sic enim & ipsa de se sapientia per Salomonem dicit: Ante omnes colles generat me. Non enim dixit, ante omnes colles genuit me, sed generat me. In quo significantia sempiternitatis est.

Proue. 8.

Ex libro secundo de Spiritu sancto.

TEMPVS est nunc nos pro viribus nostris de spiritu sancto pauca disserere, quem dominus & Saluator noster in euangelio secundum Ioannem. Paracletum nominauit. Sicut enim idem ipse Deus, atque idem ipse Christus, ita idem ipse & spiritus sanctus est, qui & in prophetis, & in apostolis fuit, id est siue in illis qui ante aduentum Christi Deo crediderunt, siue H in his qui per Christum cõfugerunt ad eum. Et duos quidem deos audiuimus ausos esse hęreticos dicere, & duos Christos: duos autem spiritus sanctos nunquam audiuimus ab aliquo prædicati.

Quod eadem sit inconuertibilitas spiritus sancti, quæ patris & filij. De lib. I. Peri Archon.

NVLLA ergo natura est secundum quod nos sentimus, quæ non possit recipere malum: idcirco non confirmamus omnem naturam recepisse malum, id est malam effectam: sed sicut est dicere, quia omnis hominis natura recipit vt possit nauigare, non tamen ex eo etiam omnis homo nauigauit: & iterum omni homini possibile est discere artem grammaticam, vel medicinam, non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, non tamen continuo etiam recepisse malum designatur. Et rursum, nulla natura est quæ non recipiat bonum: nec tamen idcirco omnis natura probatur recepisse quod bonum est. PAMPHILVS. Et post pauca addidit. ORIGENES. Nulla ergo natura est quæ non recipiat malum, excepta natura Dei, quæ fons omnium est. Et Christus sapientia est, & sapiẽtia vtiq; stultitiam recipere non potest. Et iustitia est, iustitia autem nunquam profectò iniustitiã capiet. Et verbum est, vel ratio, quæ vtiq; I irrationabilis effici non potest. Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebræ non comprehendunt. Similiter autem & natura spiritus sancti, quæ sancta est, non recipit pollutionem. Naturaliter enim vel substãtialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac, vel inspiratione spiritus sancti habet vt sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidẽs, propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & iustitiam accidentem quis habere potest, vnde & decidere eam possibile est. Sed & sapiẽtiam quid accidentem nihilominus habet, quamuis in nostra potestate positum sit, & studio nostro & vitæ merito, si sapientiæ operam demus, effici sapiẽtes, & si semper id studij geramus, semper sapientiæ participemus: & id nobis vel plus, vel minus accidat, vel pro vitæ merito, vel pro studij quantitate.

Spirit9 sanctus, natura sanctus.

Quod coæqualis sit trinitas, & quod spiritus sanctus non sit creatura. De lib. I. Peri Archon.

DE spiritu sancto quia est, multę nos scripturæ docuerunt, sicut Dauid in quinquagesimo psalmo dicit: Et spiritum sanctum tuũ ne auferas à me. Et in Daniele dicitur: Spiritus sanctus qui in te est. In nouo verò Testamento, abundãtibus testimoniis edocemur, cùm spiritus sanctus descendisse super Christum per- K scribitur, & cùm ipse dominus insufflauit in apostolos post resurrectionem dicens, Accipite spiritũ sanctum. Et ad Mariã dicitur ab angelo: Spiritus sanctus superueniet in te. Paulus verò docet, quia nemo potest dicere dominũ Iesum, nisi in spiritu sancto. Et in Actibus apostolorum per impositionem manuum apostolicarum spiritus sanctus dabatur in baptismo. Ex quibus omnibus dicimus tantæ & autoritatis & dignitatis substantiam sancti spiritus, vt salutare baptismum non aliter nisi excellẽtissimæ omni trinitatis autoritate, id est patris, & filij, & spiritus sancti cognominatione compleatur, & innato deo patri, & vnigenito eius filio, nomen quoq; spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat quanta maiestas sit spiritus sancti, cùm eum qui dixerit verbum in filium hominis, audiat sperare veniam posse: eum verò qui in spiritum blasphemauerit, veniam non habere neq; in præsenti seculo, neque in alio futuro? PAMPHILVS. Et post pauca adiecit. ORIGENES. Verumtamen vsq; ad præsens nullum sermonẽ in scripturis sanctis inuenire potuimus, per quem spiritus sanctus factura vel creatura esse diceretur.

Daniel. 13. *Luc.* *Act.*

PAMPHILVS. Et insertis quampluribus testimoniis de virtute spiritus sancti, aliquanto post etiam hæc adiecit.

ORIGENES. Si reuelãte filio cognoscit patrem spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod vtiq; & impium pariter, & stultum est, spiritum sanctum confiteri, & L ignorantiam ei ascribere. Non enim cùm aliud aliquid esset antea quàm spiritus sanctus, per profectũ venit in hoc vt esset spiritus sanctus: vt quis audeat dicere, quia tũc quidẽ cùm nondum esset spiritus sanctus, ignorabat patrem: postea verò quàm recepit scientiã, etiã spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam vtiq; in vnitate trinitatis, id est, Dei patris incõuertibilis, & filij eius, etiã ipse spiritus sanctus haberetur, nisi quia & ipse semper erat spirit9 sanctus. PAMPHILVS. Et post pauca adiecit. ORIGENES. Rectè tamen videtur inquirere quid causæ sit quod qui regeneratur per deũ in salutem, opus habet & patre, & filio, & spiritu sancto, non percepturus salutem, nisi sit integra trinitas: nec possibile est participem fieri patris & filij, sine spiritu sancto. De quibus discutiẽtes, sine dubio necessarium erit vt operationem specialem spiritus sancti, specialem patris ac filij describamus. Arbitror ergo operationem quidem esse patris, & filij, tam in sanctis, quàm in peccatoribus irrationabilibus hominibus, & in mutis animalibus, sed & in his quę exanima sunt, & in omnibus omnino quę sunt: operationem verò spiritus sancti nequaquam prorsus incidere, vel in ea quæ exanima sunt, vel in ea quæ animantia quidem, sed muta sunt: sed ne in illis quidem inueniri qui rationabiles quidem sunt, sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conuersi. In illis autẽ solis arbitror opus spiritus sancti, qui iam se ad meliora conuertunt, & per vias Iesu Christi incedunt, id est, qui sunt in nouis actibus, & in deo permanẽt. M Quoniam autem operatio patris & filij est & in sanctis, & in peccatoribus, manifestatur ex eo quòd omnes rationabiles verbi Dei, id est, rationis participes sunt, & per hoc velut semina quędam insita sibi gerũt sapientiæ & iustitiæ, quod est Christus. Sed & hoc ipsum quod est, & permanet omnis creatura, operatio est dei patris qui dicit, Ego sum qui sum: quæ peruenit super omnes. Ipse est enim qui solem suum oriri iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. PAMPHILVS. Et post multã de patre & filio per scripturarum exempla assertionem, addidit hanc. ORIGENES. Spiritus verò sancti participationem à sanctis tantummodo haberi inuenimus, propter quod dicitur: Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Et vix aliquando ipsi apostoli digni habẽtur audire, Accipietis virtutẽ superuenientis spiritus sancti in vos. Propter quod consequens esse puto, quia qui peccauerit in filium hominis, venia dignus est, pro eo quòd is qui verbi vel rationis est particeps, si desinat rationabiliter viuere, videtur in ignorãtiam, vel stultitiam decidisse, & propter hoc veniam promereri: qui autem iam dignus habitus est sancti spiritus participatione, & retrò fuerit conuersus, hic re ipsa & opere blasphemasse dicitur in spiritum sanctum.

Exod. 3.

Quod

A *Quod si pater nouit initia omnium quæ sunt, & fines, sic & filius, sic & spiritus sanctus sciat id quod impossibile est omni creaturæ cognoscere.*

PAVLVS apostolus per spiritum sanctum qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinē diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei scrutans, nec tamen ad finem, & (vt ita dixerim) ad intimam cognitionem præualens peruenire, desperatione rei & stupore proclamat, & dicit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Et quòd desperatione perfectæ comprehensionis hæc exclamauerit, audi ipsum dicētem: Quàm inscrutabilia sunt iudicia Dei, & quàm inuestigabiles viæ eius. Nō enim dixit difficile posse scrutari, sed omnino non posse iudicia Dei: nec difficile inuestigari posse vias eius, sed nō posse inuestigari. Quantumcunque enim quis scrutando promoueat, & studio interiori proficiat, gratia quoque dei adiutus, sensúque illuminatus, ad perfectum finem eorum quæ requirentur, peruenire non poterit, nec omnis mens, quę creata est possibile habet vllo genere comprehendere: sed cum inuenerit aliquantulum ex his quæ quæruntur, iterum videt alia quę quærenda sunt. Quod si & ad ipsa peruenerit, multo iterum plura ex illis quæ quæri debeant, peruidebit. Propter quod & sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam contuens ait: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa sapientia longè facta est à me, lōgè plus quàm erat. Et altitudinem profundam quis inueniet? Sed & Esaias sciens rerum initia à natura mortali inueniri non posse, sed ne ab his quidem naturis quæ quamuis diuiniores sint quàm humana est, factæ tamen & ipsæ sunt vel creatæ: Scient ergo quòd à nullo harū neque initium, neque finis inueniri potest, ait: Priora quæ fuerunt dicite, & sciemus quia dij estis: vel nouissima quæ sunt, annunciate, & tunc videbimus quia dij estis. Nam & Hebræus doctor tradebat, pro eo quod initium omnium vel finis nō posset ab vllo comprehendi, nisi tantummodo à domino Iesu Christo & à spiritu sancto, idcirco aiebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos Seraphim solos esse, qui duabus quidem alis operiunt faciem dei, duabus vero pedes, & duabus volare eos, & clamantes sibi inuicem dicere, Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabaoth, plena est vniuersa terra gloria tua. Quod ergo sola Seraphim vtrasque alas suas habent in faciem Dei & in pedibus eius, audendum est pronunciare, quòd neque exercitus sanctorum angelorum, neque sanctæ sedes, neque dominationes, neque principatus, neque potestates scire possunt integre initium omnium, & finem vniuersitatis. Sed intelligendum est sanctos istos quos numerauimus spiritus & virtutes proximas quidem esse ipsis initiis, & attingere tantum quantum consequi non valent reliqui. Veruntamen quantumcunque illud est quod reuelante filio dei ac spiritu sancto didicerint istæ virtutes, quāplurima quidem assequi poterunt, & multo plura priores inferioribus, omnia tamen comprehendere impossibile est eis, quia scriptum est, Quamplurima ex operibus dei in secretis sunt. Vnde & optabile est vt pro viribus se vnusquisque extēdat semper ad ea quæ priora sunt, ea quæ retro sunt obliuiscens, tam ad opera meliora, quàm etiam ad sensum intellectúmque puriorem, per Iesum Christum saluatorem nostrum, Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Sap.7. — Esa.6.

De incarnatione verbi Dei. ORIGENES.

Ibidem lib. 4. de Principiis.

IN omni orbe terrarum, in omni Græcia, atque exteris nationibus innumeri sunt & immensi, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant deos vel obseruantia Moysi legis, in discipulatum se Christi, cultúmque tradiderunt, & hoc non sine ingenti odio eorum qui simulachra venerantur, ita vt ab his frequenter & cruciatibus affligantur, nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen, & cum omni affectu custodiunt doctrinæ Christi sermonem. Et est videre quomodo breui tempore ipsa religio creuerit pœnis multorum mortibúsq; proficiēs, sed & bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictionū genere tolerato. Et eo maximè mirum est, quòd ne doctores quidem ipsi, vel satis idonei sunt, vel satis plures. Prædicatur tamen sermo iste in omni orbe terrarum, ita vt Græci ac Barbari, sapiētes religionem Christi, siue Christi doctrinam suscipiant. Ex quo dubium non est, non hoc humanis viribus atque opibus agi, vt cum omni potestate & persuasione sermo Iesu Christi apud omnium mentes atq; animos inualescat. Nā & prædicta esse ab eo hæc ipsa, & diuinis ab eo responsis confirmata, manifestum est cū dicit: Quia ante præsides & iudices adducemini propter nomen meum in testimoniū illis & gentibus. Et iterum: Multi mihi dicēt in illa die: Domine, domine, nōne in nomine tuo manducauimus & bibimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & dicā illis, Discedite à me operarij iniquitatis, nunquam cognoui vos. Quæ si ita quidem ab eo dicta fuissent, nec ad finem tamen ea quæ prædicta sunt, peruenissent, fortassis minus esse vera viderentur, nec habere aliquid auctoritatis: nunc vero cum iam in effectū res quæ fuerant ab eo prædictæ, perueniant, cū tanta autem potestate atque auctoritate prædicta sint, manifestissime declaratur deū verè esse, qui homo factus salutaria præcepta humilibus tradidit. Quid vero inde dicendum est, quòd prophetæ de ipso ante prædixerunt, nō cessaturos principes ex Iuda, neq; duces de femoribus eius vsque quo veniat ille cui repositum est, regnum scilicet, & vsquequo veniat expectatio gētium? Manifestissimum enim ex ipsa historia, & ex his quæ hodie peruidentur, quia ex temporibus Christi vltra reges apud Iudæos non extiterunt: sed & omnes ambitiones illæ Iudaicæ in quibus iactantiæ quāplurimum gerebant, & in quibus gloriabātur, id est vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentísque pontificum, simul vniuersa destructa sunt. Cōpleta est enim prophetia quæ dixerat: Per dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, nec est sacrificiū, neque altare, neq; sacerdotium. Ex quo vtiq; subuersum est tēplum, nec hostiæ offeruntur, nec altare inuenitur, nec sacerdotiū constat, certissimum est defecisse principes ex Iuda, sicut scriptum est, & ducem ex femoribus eius, vsquequo veniat ille cui repromissum est, Constat ergo quia venit ille cui repositum est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorū qui per Christum deo ex diuersis gentibus crediderunt. Sed & in Deuteronomij cantico per prophetiam designatur pro peccatis prioris populi futura esse electio insensatæ gentis: non alia vtique quàm hæc quæ per Christum facta est. Sic enim ait: Exacerbauerunt me in simulacris suis, & ego in zelo concitabo eos. Est ergo satis euidenter ostendere quemadmodum Hebræi qui deum exacerbasse dicuntur in his qui non sunt dij, & irritasse eum in simulacris suis, irritati sunt & ipsi in zelotypiam per gentem insipientem quam deus elegit per aduentum Iesu Christi & discipulos eius. Sic enim dicit Apostolus, Videte enim vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ erant, prius destrueret. Non ergo glorietur omnis caro in conspectu Dei. Sed & de his quæ in psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est? de eo maxime qui superscribitur Canticum pro dilecto? vbi refertur, quia lingua eius calamus scribæ velociter scribentis, decorus specie super filios hominum, quoniam diffusa est gratia in labiis eius. Hoc est, quòd breui tempore transacto doctrina eius diffusa est. Anno enim & aliquot mensibus docuit, vniuersus tamen orbis prædicatoine ac fide pietatis eius impletus est. Orta est ergo in diebus eius iustitia, & multitudo permanens vsque ad finem, qui finis ablatio lunæ appellata est, & dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Datum est autem & signū domui Dauid. Virgo enim in ventre concepit, & peperit Emmanuel, quod interpretatur nobiscū Deus: & impletum est quod ait ipse Propheta: Nobiscum deus, scitore gentes & vincimini. Victi enim nos sumus, & superati ex gentibus, & velut exuuiæ eius existimus qui eius gratiæ nostra colla subiecimus. Sed & locus natiuitatis eius prædictus est in Michæa propheta dicente: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam exigua es in ducibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populū meum Israel. Sed & septimanæ annorū impletæ sunt vsq; ad Christum ducē, quas prædixerat

Matt.7. — Gen.49. — Osee.3. — Deut.32. — 1.Cor.1. — Matt.1. — Mich.5.

G Daniel propheta. Adest nihilominus & is qui per Iob prædictus est beluam ingentem consumpturus, qui & dedit potestatem familiaribus suis discipulis calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, nihil ab eo nocendis.

Dan. 9. Iob. 41. Luc. 10.

PAMPHILVS.

Hæc de summis rebus, id est de sancta trinitate, Origenis fides quam ex paucissimis testimoniis de compluribus eius voluminibus assumptam edocuimus. Et quid tam rectum? quid tam verũ? quid tam catholicum? quid certe ad instructionem omnium magis vtile? vel apud istos certe ipsos qui inimica aduersus eum mente desæuiunt, quid tam irreprehensibile? Et quidem in summa hæc posuisse de fidei eius documento ac probatione sufficeret, nisi etiam ad reliqua quorum eum criminantur, respondere necessarium videretur. Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes quæ à maleuolis intenduntur. Prima illa est, quod dicunt eum innatum dicere filium dei. Secunda, quod dicunt eum per prolationem secundum Valentini fabulas in substantiam venisse filium dei dicere. Tertia, quæ his omnibus valde contraria est, quod dicunt eum secũdum H Artemam vel Paulum Samosateum purum hominem, id est non etiam deum dicere Christum filiũ dei. Quarta post istas est, quæ istis omnibus aduersatur, (cæca enim est malitia) quòd dicunt eum dicere δοκήσει, id est putatiuè tantum, & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ iuxta historiam referũtur, gesta esse omnia quæ à Saluatore gesta sunt. Quinta illa quoque criminatio est, qua asserunt eum duos Christos prædicare. Sexta. Addunt illud quoque quòd historias corporales quæ per omnem sanctam scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus deneget. Septima. Sed & de resurrectione mortuorum, & de impiorum pœnis non leui impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia. Octaua. Quidam vero disputationes eius, vel opiniones quas de animæ statu vel dispensatione disseruit, culpant. Nona & vltima vero in eum est criminatio illa, quę cum omni infamatione dispergitut, μετενσωματώσεως, id est quòd humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutati post mortem, & quòd etiam ipsæ mutorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco nouissimam posuimus, vt plura de libris eius coaceruantes exempla, euidentius eius falsitas nosceretur. Si ergo bene meminimus, ordines criminationum quas suprà conscripsimus, incipiamus à prima.

Non quæ-nã impingerentur Origeni.

Quod ex deo patre natus est filius, & vnius est cum patre substantiæ: alienus vero à substantiis creaturarum. Ex I primo libro epistolæ ad Romanos.

ORIGENES.

Qværat fortassis aliquis, si filius charitas est, pręcipue propter hoc quod Ioannes ad deum patrem retulit hanc vocem dicens, Quia deus charitas est. Sed rursum ex ipsa eius epistola proferemus & illud quod ait: Charissimi diligamus inuicem, quoniã charitas ex deo est. Qui ergo dixit, quia deus charitas est, ipse iterum charitatem docet esse ex deo: quam charitatem non credo esse alium nisi vnigenitum filium eius, sicut deum ex deo, ita charitatem ex charitate progenitam.

De eisdem in quinto libro de Euangelio secundum Ioannem. Item in psal.

Vnigenitus filius saluator noster, qui solus ex patre natus est, solus natura, non adoptione filius est. Vnus ergo verus deus solus habet immortalitatẽ, lucem habitat inaccessibilem. Vnus, ait, verus deus, ne scilicet multis veri dei nomẽ conuenire credamus. Ita ergo & hi qui accipiunt spiritum adoptionis filiorum in quo clamant Abba pater, filij quidem dei sunt, sed non sicut vnigenitus filius. Vnigenitus enim natura filius, & semper & inseparabiliter filius est: cæteri vero pro eo quod susceperunt in se filium dei, potestatem habent K filij dei fieri. Qui licet non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt, nõ tamen ea natiuitate sunt nati qua natus est vnigenitus filius. Propter quod quantam differẽtiam verus deus habet ad eos quibus dicitur, Ego dixi, dij estis: tantam differentiam habet verus filius ad eos qui audiunt, Filij excelsi omnes.

Ioan.

De libris epistolæ ad Hebræos, quod homousios est cum patre filius, id est vnius cum patre substantiæ, alienus à substantiis creaturæ.

Interrogamus igitur eos quos piget confiteri deum esse filium dei, quomodo poterat sola humana natura nihil in se habens eximium, neque aliquid diuinæ substantiæ, hæreditatem capere omnem principatum, & omnem potestatem, & virtutem, & his omnibus præferri ac præponi à patre. Vnde rectum videtur quod præstantior esse debeat is qui hæreditatem capit, & genere vtique, & specie & substantia, & subsistentia vel natura, atque omnibus quibuscunque modis debet esse præstantior.

Et post pauca in eodem libro.

Cum autem discutitur hoc quod dictum est de filio dei, quòd sit splendor gloriæ, necessario videtur simul differendum & illud quod dictum est, non solum quod splendor est lucis æternæ, sed & quod huic simile in sapientia Salomonis refertur, in qua seipsam sapiẽtia describit, dicens: Vapor enim L est virtutis Dei, & apporrhœa omnipotẽtis Dei glorię purissima. Et post aliquãta: Oportet autẽ scire nos quia per ineffabilia quędam & secreta, ac recõdita quodam modo vim sibi faciens scriptura sancta conatur hominibus indicare & intellectũ suggerere subtilem vaporis nomẽ inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumpsit, vt vel ex parte aliqua possimus intelligere quomodo Christus qui est sapientia, secundũ similitudinem eius vaporis qui de substantia aliqua corporali procedit, sic etiam ipse vt quidam vapor exoritur de virtute ipsius dei: sic & sapientia ex eo procedens, ex ipsa substantia dei generatur. Sic nihilominus & secũdum similitudinem corporalis aporrhœæ, esse dicitur aporrhœa gloriæ omnipotentis pura quædam & syncera. Quæ vtræque similitudines manifestissime ostendunt communionem substantię esse filio cum patre. Aporrhœa enim ὁμούσιος videtur, id est vnius substantiæ cum illo corpore ex quo est vel aporrhœa, vel vapor. PAMPHILVS. Satis manifeste, vt opinor, & valde euidenter ostensum est, quod filium dei de ipsa dei substantia natum dixerit, id est homoúsion, quod est eiusdẽ cũ patre substantię, & non esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura filium verum, & ex ipso patre generatũ. Superest vt & secundę criminationi illatę sibi ab accusatoribus per nos quidem prolatis, sed suis verbis ipse respondeat, duobus M vel tribus testimoniis adhibitis, quibus ęquum est secundum legem nostram omne verbum stare.

Sap. 7. Apporrhœa defluxus. Communis substantia.

Quod non per prolationem notum dicat esse filium dei secundum Valentini impietatem.

ORIGENES.

Ego arbitror quòd sufficere debeat voluntas patris ad subsistendum hoc quod vult pater. Volens enim non alia via vtitur, nisi quę consilio voluntatis profertur. Ita ergo & ab eo filij subsistentia generatur: quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est innatum pręter solum deum patrem fatentur. Obseruandum nanque est ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum qui prolationes quasdam sibiipsis depingunt, vt diuinam naturam in partes vocent, & deum patrem quantum in se est diuidant, cum hęc de incorporea natura vel leuiter suspicari nõ solum extremę impietatis sit, verum etiam vltimę insipientię, nec omnino vel ad intelligentiam consequens, vt incorporeæ naturę substantialis diuisio possit intelligi. Magis autem sicut voluntas procedit è mente, & neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur aut diuiditur, tali quadam specie putandus est pater filium genuisse, imaginem scilicet suam: vt sicut ipse

Lib. de principiis.

A ... est inuisibilis per naturam, ita imaginem quoque inuisibilem genuerit. Verbum enim est filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed nihil habet commune ad solis huius lumen.

De his ipsis ex IIII. lib. Peri archon.

Tempus est, decursis his quæ de patre & filio & spiritu sancto disseruimus, de illis quoq; quę à nobis relicta fuerunt, pauca repetere. Deus pater cum & inuisibilis sit, & inseparabilis a filio, non per prolationem ab eo (vt quidam putant) generatus est. Si enim prolatio est filius patris, prolatio vero dicitur quæ talem significat generationem, qualis animalium vel hominum solet esse progenies, necessario corpus est & is qui protulit, & is qui prolatus est. PAMPHILVS. Tum deinde in consequentibus vehementius aduersum Valentini hæresim talia scribentem inuectus longe his contrarium suã sententiam secundum catholicæ fidei protulit veritatem.

Ex II. libro secundum Ioannem.

Vnigenitus ergo deus saluator noster solus à patre generatus, natura & non adoptione filius est, natus autem ex ipsa patris mente, sicut voluntas ex mente. Non enim diuisibilis est diuina natura, id est ingeniti patris, vt putemus vel diuisione, vel imminutione substantiæ eius filium esse progenitum. Sed mens, siue cor, siue sensus de deo dicẽdus, indiscussus permanens, germen proferens voluntatis, factus est verbi pater, quod verbum in sinu patris requiescẽs, annunciat deũ quem nemo vidit vnquam, & reuelat patrem quem nemo cognouit nisi ipse solus, his quos ad eum pater cęlestis attraxerit. PAMPHILVS. Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi, nunc consequenter respondebimus etiam his qui purum hominem, id est sine deo, ab eo dici asserunt Christum.

Quod non purus homo, sed diuinæ naturæ sit Christus, de libro primo Peri archon,

ORIGENES.

EX eo quod dicit apostolus Paulus, Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, manifeste datur intelligi quia non erat homo Christus Iesus, sed erat diuina natura. Non enim si homo esset, dixisset Paulus hoc quod ait: Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem. Si enim homo fuit Iesus, & per ipsum assumptus est in apostolatum Paulus, vtique per hominem factus erat apostolus. Si autem per hominem factus erat apostolus, nunquam dixisset, quia neque per hominem: sed manifeste separat ab humana natura Iesum Paulus per hæc verba. Non enim sufficit ei dixisse, neque per hominẽ, sed adiecit dicens: Sed per Iesum Christum. Quem vtique quia sciebat excellentioris esse naturæ, propterea se dixit non assumptum esse per hominem. Hæc in initio epistolæ dicens, in sequentibus libris similia adiecit, exponens illud capitulum in quo scriptũ est: Notum autem vobis facio fratres euangelium quod prędico vobis, quoniam non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi. Aduerte ergo quid scribit, Quia conuenienter quis & hæc adiungens prioribus ostendere poterit his qui negant deitatem Iesu Christi, sed hominem eum solum pronũciant, quod non est homo, sed deus, filius dei Iesus Christus. Sic enim dicit apostolus, quia euangelium quod euangelizaui vobis non est secundum hominem, sed secundum Iesum Christum. Euidenter ergo ostendit quia Christus Iesus non est homo: si autem non est homo, sine dubio deus est, imò non aliud erit nisi homo, & deus. Et iterum. Si verum est quod dicit Paulus, quia non ab homine accepi illud euangelium, sed per reuelationem Iesu Christi, certum est quia Iesus Christus qui reuelauit non est homo. Alienum est ab homine reuelare quæ ei occulta sunt, & velata sunt: quod & si aliquando per hominem fiat, nõ tamen ab homine fit, sed ab eo qui in homine loquitur Christus. PAMPHILVS. Tempus est his ita euidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem breuitatis studio paucorum testimoniorum probatione contentos, aduersus eos qui dicunt eum per allegorias adimere omnia quæ de Saluatore scripta sunt corporaliter facta. ORIGENES. Adiungendum est etiam illud his quæ supra diximus, quoniam corpus Christi non erat alienum à terrena substantia secundum hoc quod filius est Dauid, & filius Abraham, sicut scribit Matthæus: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: Et sicut Paulus dicit, Christum esse ex semine Abrahæ, & ex semine Dauid secundum carnem. Quod ergo dictum est, quia consummatis quadraginta diebus ieiunii, & xl. noctibus postea esuriit, sine dubio hoc indicat, quod euacuari, & repleri similiter vt nostra corpora solent, etiam illius poterat corpus. Si vero quis obiiciat nobis huius miraculi rationem de xl. dierum ieiunio, facile solui potest cum adhibetur etiam illud exemplum de Moyse, & Helia, qui similiter pertulisse ieiunium referuntur. Sed & illud, quod itineris labore & æstu fatigatus sedens super puteum requiescit, & sitit, quid aliud indicat nisi neruorum fatigationem, & solis ardore nimio elementum corporei humoris absumptum? Quod vero in melioribus occupatus hoc quod bibere voluerat distulit nec bibit, non propterea dicendum est quia nec passus est sitim. Sed & illud quod frequenter per cœnas vocatur, & in conspectu omnium manducat, & bibit, non decipiens, vel fallens oculos vidẽtium facit, neque putatiuè (vt quidam arbitrantur) hæc gerit, maxime cum ita sumeret cibum ac potum, vt à quibusdã etiam quasi pro sumptione nimia culparetur, velut cibum ac potum auidius ac propensius appetens. Si autem quis violentius velit affirmare, ideo hęc ita esse quia per phantasiam mãducabat, & illi quomodo id fieret nesciebant, respondendum est ad ea ex his quæ ipse dominus dixit. Venit Ioannes Baptista, neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo deuorator & vinum bibens. Ipso enim Saluatore dicente quia venit filius hominis manducans & bibens, quomodo ausus est aliquis dicere, neque manducasse eum neque bibisse? Quæ vtique manifesta incredulitas est doctrinæ eius. Si autem manducabat, & bibebat, & substantia vini atque escæ in carnem eius efficiebatur, sine dubio per omnes corporis eius compages membrorum diffundebatur. Spiritalem enim naturam (sicut quidã de eius corpore sentiunt, quod imperite satis & absurde faciunt) impossibile est vini atque escæ recipere substantiam. Si vero quis indignans obscœnas ad hæc proferat inquisitiones, requirens si etiam digestiones in corpore fiebant, nihil absurdum videtur fateri secundum consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis à nobis hoc exigant affirmari, ostendendum est illos satis hæc insipiẽter inquirere. Vbi enim ista de apostolis, vel cæteris sanctis facta referũtur, vel etiam de impiis & peccatoribus? Sed & circumcisionis eius ratio nobis quidem non generabit maiorem angustiam, dicentibus eum consequenter humano corpore & circumcisum esse, & præputium eius terræ mandatum fortassis vsque ad tẽpus: aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen eius circuncisio satis coangustabit eos qui ex diuerso sunt. Spiritale enim corpus quomodo poterat circuncidi ferro terreno? Propter quod non erubuerũt quidam ex ipsis de præputio circumcisionis eius etiam libros edere, quibus ostẽdere conarentur quod in substantiam cesserit spiritalem. Nõ minus autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt esse corpus Christi. Sed & de sanguine eius & aqua quæ processit de latere eius hasta compuncto à milite, eadem sentienda sunt. Sed his qui sciũt quid audiatur per hoc quod dicitur, quia fixuræ clauorum erant in eius corpore, manifeste declaratur quia caro erat terrena, id est humanæ naturæ: quæ vtique non erat talis, vt recipiendorum vulnerum subterfugeret qualitatem, quasi non etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset. Anima perturbatur, & tristis est pro ea vsque ad mortem. Quæ omnia euidenter ostendũt quod non falso, sed quasi homo dixerit, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Eadem nihilominus ostẽdit etiam somni ratio cum dicitur. Qui erat in puppi super ceruical dormiens, sicut Marcus refert, & ab homine suscita-

Matt. 1. *1. Ioan. 4.* *Matth. 11.* *Digerebat Christus more reliquorũ hominum.* *Marci. 4.*

G tur è somno. Hęc enim licet habeant spiritalem intellectum, tamen manente prius historiæ veritate, etiam spiritalis recipiendus est sensus. Licet enim cæcos semper curet secundum spiritalem intelligentiam, cum ignorantia excæcatas illuminat mentes: tamen & corporaliter tunc cæcum sanauit: & mortuos semper suscitat, fecit tamen & tunc huiuscemodi mirabilia, sicut filiam principis synagogæ, & filium viduæ, & Lazarum suscitando. Et quamuis semper cum excitatur à discipulis compescat ecclesiæ turbines, vel procellas, tamē certum est etiam tunc gesta esse ea quæ per historiam referūtur. Sic ergo sanum est sensum scripturæ recipere, nec oportet inclinare aurem his qui dicunt per Mariam, & non ex Maria eum natum: quod apostolus præsciens ita prædixit: Cum autem venit plenitudo temporum misit deus filium suum factū ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Vides quia non dixit factum per mulierem, sed factum ex muliere. PAMPHILVS. Quid tam euidenter aut integre quàm ex his omnibus quæ scripsit confirmatur ab eo & dominicorum gestorum veritas, & historiæ scripturarum fides? Sed persequamur consequenter etiam reliqua, in quibus accusatur quasi duos Christos dixerit, vnum dei verbum, & alium Iesum Christum qui ex Maria natus est.

Gal. 4.

H

Quod vnus sit Christus filius dei, ex primo libro super Esaiam.

ORIGENES.

SICVT dicit apostolus, Quoniam æmulatores estis spirituum: sicut cum vnus sit spiritus sanctus, tanti per singulos dicuntur spiritus sancti, quanti sunt hi qui habent in se spiritum sanctū: ita & de Christo dicendum est. Ab vno enim Christo multi fiunt Christi, de quibus scriptura dicit: Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Sic & ab vno deo multi dij dicuntur, omnes scilicet hi in quibus habitat deus: sed nobis vnus est deus pater ex quo omnia, vnus est ergo verus deus qui (vt ita dixerim) præstator est deitatis, & vnus Christus factor Christorum, & vnus spiritus sanctus qui per singulas animas sanctorum facit spiritum sanctū: Christus vero sicut per hoc quod Christus est facit Christos, ita & per hoc quod filius dei & filius proprius & vnigenitus, omnes eos qui percipiunt ab eo spiritum adoptionis, filios dei facit. PAMPHILVS. Vnum hoc testimonium est quod Christus verus vnus sit, qui participatione sui multos faciat Christos. Adhibeamus tamen & aliud ex primo libro de euangelio secundum Matthæum in quo hoc modo dicit.

Phil. 2.

ORIGENES. Si Christus Iesus cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & in similitudinem hominum factus, habitu repertus vt homo est, humilians se-I ipsum, factus obediēs vsque mortem, mortem autem crucis: dubium non est quod natiuitas eius non est talis, vt quasi qui ante non fuerit, esse cœperit, sicut de natiuitate hominū putatur: sed qui prius erat, & erat in forma dei venit vt etiā formam serui susciperet. Denique quod natum est ex carne, caro est, inquit: id est quod natum est ex ea quæ dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum: hæc est forma serui, quæ vtique caro est. PAMPHILVS.

Luc. 1.

Et in tertio libro epistolæ ad Colossenses de eisdem ita scribit. ORIGENES. Data est autem lex Moysi per angelos in manu mediatoris Christi & virtute, qui cum esset in principio verbum, & apud deum esset, & deus esset verbum, patri in omnibus ministrauit. Omnia enim per ipsum facta sunt, id est, non solum creaturæ, sed & lex & prophetæ: & ipsemet est mediator dei & hominum. Quod verbum quidem in fine seculorum homo factus est Iesus Christus, sed ante hunc manifestum in carne aduentum mediator quidem erat hominum, sed nondum erat homo. Erat tamen & tunc mediator dei & hominum: vnde & data lex per angelos, in ipsius mediatoris manibus data esse dicitur, vt esset lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, & omnia hæc sanctificarentur à Christo. PAMPHILVS. Sufficere etiam opinor de his tribus testimoniis confutatam esse calumniam. Si quis sane offenditur quod dixit saluatorem etiam animam suscepisse, nihil de hoc amplius respondendum puto, nisi quod huius sententiæ non Origenes auctor est, sed ipsa sacra scriptura testatur, ipso domino & saluatore dicente: Nemo tollit animam meam à me. Et, Tristis est anima mea vsque ad mortem. &, Nunc anima mea turbata est, & multa his similia in sanctis scripturis inuenies. Superest respondere ad illam accusationem quæ calumniatur eum omnem scriptutam in allegoriam vertere, ex ipsis libris quos vel maxime obtrectatores eius incusant, id est de quarto Peri archon libro proferamus, quia non negat ea quæ in scripturis referuntur, etiam secundum literam gesta.

Gal. 3. *Ioan. 1.* *1. Tim. 2.* *K* *Ioan.* *Mat.* *Ioan.*

ORIGENES.

NE quis autem suspicetur nos hoc dicere, quia nullam historiam scripturæ factam esse sentiamus, quoniam ex his aliquam non esse factam suspicamur: vel nulla præcepta legis secundum literam stare, quoniam quædam secundum literam dicimus obseruari non posse, in quibus vel ratio, vel rei impossibilitas non admittit: vel ea quæ de Saluatore scripta sunt non putare etiam sensibiliter impleta, vel præcepta eius secundum literam non debere seruari. Respondendum ergo est quoniam à nobis euidenter decernitur, in quamplurimis seruari oportere historiæ veritatem. Quis enim negare possit L quod Abraham in duplici spelunca sepultus est in Ebron? sed & Isaac, & Iacob, & singulæ eorum vxores? Vel quis dubitet quod Sichima in portionem data est Ioseph? Vel quod Hierusalem metropolis est Iudęæ, in qua constructum est tēplum deo à Salomone? & alia innumerabilia. Multo enim plura sunt quæ secundum historiam vera sunt, quàm ea quæ nudum sensum continent spiritalem. Tum deinde quis non affirmet mandatum hoc quod præcepit, Honora patrem tuū & matrem tuam, vt bene sit tibi, sine vlla spiritali interpretatione sufficere, & esse obseruantibus necessarium? maxime cū & Paulus eisdem verbis repetens confirmauerit ipsum mandatum. Quid vero oportet dicere de eo quod dictum est: Nō adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, & cætera huiusmodi? Iam vero his quæ in euangelio mandata sunt, ne dubitari quidem potest quin secundum literam obseruentur, sicut cum dicit: Ego autē dico vobis non iurare omnino, & cum ait. Qui autem inspexerit mulierē ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, & apud Paulum apostolum quæ pręcipiūtur. Cōmonete, inquit, eos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes, & alia quamplurima. Sed & de singulis sanctorum qui in scriptura sancta conscripti sunt, quósque iustos, & electos dei esse scriptura testatur, debet esse quædam fides ab his qui saluari cupiunt. Non enim potest esse perfecta in deum fides, nisi quis habeat & hanc fidē, qua M de sanctis quod sancti sunt creditur. Quod autē dicimus tale est. Qui crediderit in deum, & dogmata eius vera esse susceperit, credit & hoc, quod Adam quidē primus homo formatus est: credit & de Eua, quòd vnam è costis Adam sumens deus ædificauerit eam vt esset eius mulier: credit & quod Enoch, qui in annis ccc. placuerit deo, posteaquā Mathusalem genuit translatus est: & de Noë quia respōsa accepit vt fabricaret arcā, & solus saluatus est ex diluuio, cum his tantūmodo qui cum eo fuerant arcā ingressi: similiter & Abraham quod meruerit testimonium dei, & quod susceperit hospitio cum esset sub ilice Mābre tres viros ex quibus vnus erat dominus: credit & de Isaac vel quomodo natus est, vel quomodo oblatus est à patre, vel quomodo responsa dei audire meruerit. Sed & de Iacob, quod mutato nomine Israel à deo cognominatus est, de Moyse quod per signa & virtutes ministrauerit deo. Credit & quod Iesus Naue exauditus à deo stare fecerit solem super Gabaon, & lunam super vallem Aialon. Quid autem dicendum est de fidelibus iudicibus, & de his quæ per eos gesta referuntur? & in Regnorum libris de Samuele, quod messium tēpore pluuias à deo poposcerit, & acceperit? & de Dauid quem assumpsit dominus ab ouibus, vt regeret Iacob puerum suum, & Israel hæreditatem suam? & de Nathan quod prophetauerit: nec non & Gad: sed & de Salomone

Exod. *Matt. 5.* *Gen. 5. 8. 18.*

A Salomone quod apparuerit in viſu dominus:& de Elia quod aſſumptus eſt per aſcenſionẽ in cœlum, effectis illis omnibus quæ ſcripta ſunt ſignis & prodigiis : ſed & de Heliſæo quoniam non ſolũ reſuſcitauit filium Sunamitis,ſed & mortuum ſuper oſſa ſua proiectum:oportet ergo vnumquenque fidelium credere & omnibus quæ ſcripta ſunt de Ezechia, quod in diebus eius retrorſum repedauerit vmbra ſolis. Eſt ergo fides noſtra primo quidem omnium in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, conſequenter vero etiam in omnes ſanctos patriarchas, vel prophetas, vel apoſtolos Chriſti, eo ordine quo ſuperius diximus. PAMPHILVS. Sufficienter iſta ad probationẽ catholicæ fidei eius,& qualiter etiam de ipſa ſcripturarum hiſtoria ſenſerit,dicta ſint. Et quoniam inter cæteras criminationes quas ei inferunt eſt etiam quam maximam ponũt,quod reſurrectionẽ ſcilicet mortuorum deneget,quæ vtique futura manifeſte in eccleſiis prædicatur, conſequens etiã eſt has ex ipſius nos verbis calumnias oſtendere,& mendaces euidenter arguere eos qui etiã ſcripta de hoc edere aduerſus eũ non pepercerunt. Tam ex ipſis ergo libris quos de reſurrectione ſcripſit,quàm ex cęteris eius diuerſis voluminibus approbabimus etiã in hac parte quàm catholicè ſenſerit.

B

Origenes quomodo ſentiebat de Reſurrectione. ex primo libro de Reſurrectione.

QVOMODO enim non videtur abſurdum, vt hoc corpus,quod pro Chriſto pertulit cicatrices, & pariter cum anima perfectionum tolerauit ſæua tormenta, carcerum quoque ac vinculorum & verberum ſupplicia pertulit, igne etiam cruciatum,ferro cæſum eſt,inſuper & beſtiarum cruẽtos morſus,crucis patibula, ac diuerſa pœnarum genera perpeſſum eſt,tantorũ certaminũ præmiis defraudetur? Quippe ſi ſola anima quæ non ſola certauerat coronetur, & corporis ſui vaſculũ quod ei cum magno labore ſeruiuit, nulla agonis & victoriæ præmia cõſequatur,quomodo non cõtra omnem rationem eſſe videatur,vt naturalibus vitiis atque ingenitæ libidini propter Chriſtum caro reſiſtens,& virginitatem obtinens cum ingenti labore,qui cõtinentię labor vtique aut maior corporis quàm animæ eſt, aut certe vtriuſque æqualis eſt, pręmiorum tempore altera velut indigna reiiciatur,altera veniat ad coronam? PAMPHILVS. His aſſertionibus incipiens vti de reſurrectione mortuorum,per totũ voluminis ſui ſeriem euidentiſſimis approbationibus vſus eſt. In ſecũdo vero libro eiuſdem materiæ, cum prædixiſſet quaſi ad gentiles loqueretur,huiuſcemodi ſuam ſententiam declarauit. ORIGENES. Nos vero poſt corruptionem mundi eoſdem ipſos C futuros eſſe homines dicimus,licet non eodem ſtatu, neq; in iiſdem paſſionibus. Non enim iterum ex conuentione viri & mulieris erunt, ſed verbi gratia,ea ratio quæ continet Pauli ſubſtantiam. Pauli autem nunc dico corporalis quæ ſalua permanet: & cum voluerit Deus ſecundum ea quæ dicta ſunt, ſacramẽtum tubarum in nouiſſima tuba facere vt mortui reſurgant,per illam ipſam ſubſtantiæ rationẽ quæ ſalua permanet, vt de terræ puluere reſuſcitentur à mortuis ex omnibus locis in quibus ratio illa ſubſtantiæ corporalis in ipſis corporibus permanebat,quæ in terram prolapſa Dei voluntate iterum reſuſcitantur. Ex hoc arbitror aſſerere volentem dixiſſe apoſtolum in prima epiſtola ad Corinthios:poſt aſſertionem enim reſurrectionis mortuorũ cum propoſuiſſet ſibi ea quæ poſſent ab aliis obiici de reſurrectione mortuorũ, ſic ait. Sed dicit aliquis. Quomodo reſurgunt mortui? Quo autem corpore venient? Sulte, tu quod ſeminas nõ viuificatur niſi prius moriatur,& quid ſeminas? non quod futurum eſt corpus ſeminas,ſed nudum granum,vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus prout vult. Cum enim maniſeſtiſſime oſtẽdiſſet quia mortui reſurgunt,& certum eſſet quia Saluator noſter cum ipſo corpore reſurrexiſſet quod ſuſceperat ex Maria,non autem ſatis clarum eſſet quomodo reſurrecturi eſſent cæteri, vel quale corpus habituri: comparat reſurrectionem ſeminibus quæ ſeminantur in terra, vtputa grano frumenti,quod cum ceciderit in terram corrumpitur: ſed rationis illius virtus eſt inſita in interioribus eius medullis:ipſa rationis virtus aſſumpta adiacentem ſibi terram, vel D aquæ humorem,ſed aëris circunſtantem temperiem, caloris quoquẽ ſufficientem recipiens fomitem per diuinam potentiam cooperantẽ culmi vel ſpicæ conſurgunt: & hoc eſt quod dicit: Tu quod ſeminas non viuificatur niſi prius moriatur: & quid ſeminas? non corpus quod futurum eſt ſeminas. Ergo hoc quod cadit in terram corpus noſtrum, comparatum eſt grano frumenti. PAMPHILVS. Et aſſertis his per huiuſmodi conſequentiam, poſt pauca addidit etiam hæc. ORIGENES. Quod autem omnis illa repromiſſio reſurrectionis mortuorum de hoc corpore ſit quod mortuum relinquitur, ſanctæ ſcripturæ multis modis hoc oſtendunt: ſed & ipſa hoc domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectio declarat, qui primogenitus ex mortuis dicitur. PAMPHILVS. Poſt hæc quibuſdam per medium latius diſputatis adiecit etiam iſta. ORIGENES. Sicut enim plus habet omnis rationabilis anima his quæ vel creſcendi,vel nutriendi,vel motus ſolius officium exhibere dicuntur: ſic ea ratio quæ in humano corpore eſt,multo amplius habet, quàm quæ in reliquis eſt corporibus,ex eo quod etiam ſi corruptum fuerit genus humanum, ſubſiſtere rurſum poteſt Dei virtute conſeruatum & cuſtoditum vſque ad reſurrectionis ſuæ tempus. Quod autem vbicunque fuerit reſtituatur, id eſt ab omni loco in quocunque fuerit,ita ait Ioannes in reuelatione ſua: Et E reddidit mare mortuos quos habebat in ſe, & mors & infernus reddiderunt mortuos ſuos qui erant in eis. Forte enim vt ego puto mare hic pro humido omni appellatum eſt elemẽto,infernus autem pro aëre,mors vero pro terra, quaſi quandam cogitationem his inter ſe inuicem habentibus. Corpus enim puluerem mortis vocat ſcriptura, vel terram vel corpus mortis. Sane qualis fuerit vniuſcuiuſque præparatio in hac vita, talis erit & reſurrectio eius. Qui beatus hic vixerit, corpus eius in reſurrectione diuiniore ſplendore fulgebit, & apta ei mãſio beatorũ tribuetur locorũ. Huic vero qui in malitia conſumpſerit tempus ſibi vitæ præſentis indultum, tale dabitur corpus quod ſufficere & perdurare poſſit in pœnis. Et arbitror quod hanc differentiam volens oſtendere Paulus apoſtolus dicit. Alia caro animalium,alia volucrum, alia piſcium,& cætera quæ enumerauit apoſtolus. Sed ſicut non eſt putandum, quod animalium corpus accepturus ſit peccator, aut volucrũ,aut piſcium,ſic neque ſolis,aut lunæ, aut ſtellarũ formam ſperandũ eſt accipere eos qui reſurgent in gloria: ſed exempli cauſa dicta hæc ab apoſtolo ſentiendum eſt, vt deſignetur per hæc quod alij pro meritis ſuis honorabiliores & clariores erunt beatiora quoque habitacula ſortituri: aliorum vero indigniſſimus & abiectiſſimus pro geſtorum ſcelere erit F ſtatus, qui etiam mutis animalibus dignus ſit comparari. PAMPHILVS. Pauca hæc ad teſtimonium traximus ex multis & innumeris quæ per huiuſmodi ſenſum in ipſis libris quos de reſurrectione ſcribit expoſuit. Non autẽ videtur abſurdum ad maiorẽ ſatisfactionem etiam de reliquis eius libris cõſonas his vel paucas adhibere ſentẽtias. In 28. igitur libro de Eſaia propheta,de illo capitulo ſcribẽs,in quo dicitur: Reſuſcitabuntur mortui, & reſurgent hi qui in ſepulchris ſunt, ita ait Origenes. ORIGENES. Melius ergo eſt dicere quod omnes quidem reſurgemus,vt & impij veniãt in illum locum vbi fletus & ſtridor dentium, & iuſti vbi recipiant vnuſquiſque in ſuo ordine ſecundum meritum bonorum geſtorum ſuorũ,cum transformabitur corpus humilitatis eorũ, vt ſit cõforme corporis gloriæ Chriſti: quod ſeminatũ quidẽ eſt in corruptione,ſurget vero in incorruptione : quod ſeminatum eſt in ignominia,ſurget in gloria: quod ſeminatum eſt in infirmitate,ſurget in virtute,reſurrectionis ſcilicet tẽpore: & quod ſeminatum eſt corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Licet ergo omnes reſurgant,& vnuſquiſque in ſuo ordine reſurgat,conſiderãdum eſt tamen propter illum ſermonẽ Ioannis,quẽ in reuelatione ſua dicit: Beatus qui habet partẽ in reſurrectione prima,in hoc ſecunda mors non habet poteſtatẽ: ne forte diuidi omnis reſurrectionis ratio in duas partes poſſit: id eſt in eos qui ſaluandi ſunt iuſtos, & in eos qui cruciandi ſunt peccatores: vt ſit vna quidem bonorum, quæ dicitur prima: illa vero quæ eſt miſerorum,ſecũda dicatur: & illam quidẽ in omnibus purã,hilarẽ,totius plenã lętitię: illam

[left margin:] ...tio ſub- ...tantiæ cor- ...poralis quã ...holaſtici ...pellant ...ntiam ...calem. 1Cor.15.

[right margin:] Ratio ſubſtantiæ corporalis comparata eſt à D. Paulo grano frumenti.

[right margin:] Apoc.20.

G vero alteram totam tristé, totam mœroris plenam, & actibus ac vitæ eorum dignã qui in præsenti vita Dei mandata contépserunt, & iudicij eius timore neglecto, semetipsos tradiderunt in operationé totius immunditię & auaritiæ, nec se pręparare conati sunt, vt resistere aduersario possent aduersus cõtrarias atq; inimicas humano generi potestates. Sepulchra auté mortuorum in hoc loco similiter & in multis aliis secũdũ certioré scripturæ sensum accipiẽda sunt, non solũ ea quæ ad depositioné humanorum corporũ videntur esse cõstructa, vel in saxis excisa, aut in terra defossa, sed omnis locus in quocunque vel integrũ humanum corpus, vel ex parte aliqua iacet, etiã si accidat vt vnũ corpus per loca multa dispersum sit, absurdũ non erit omnia ea loca in quibus pars aliqua corporis iacet, sepulchra corporis eius dici. Si enim non ita accipiamus resurgere de sepulchris suis mortuos diuina virtute, qui nequaquam sunt sepulturæ mandati, neque in sepulchris depositi, sed siue naufragiis, siue in desertis aliquibus defuncti sunt locis, ita vt sepulturæ mandari nõ potuerint, nõ videbũtur annumerari inter eos qui de sepulchris resuscitãdi dicuntur. Quod vtiq; valde absurdũ est. PAMPHILVS. Nihilominus in eo ipso libro interiectis quibusdam dicit. ORIG. Cum ergo Paulus scribit, quod sicut stella à stella differt in gloria, ita erit & resurrectio mortuorũ: & quod dicit, Seminatur in corruptione, surget in ĩcorruptione, & cętera huiusmodi: manifeste hæc de solo corpore scribit. Nõ enim anima seminata est in corruptione, aut ĩ infirmitate, aut ĩ ignominia. Denique euidéter adiungit his omnibus, & dicit: Seminatur corpus animale: vt ne quis putaret animam esse quæ seminatur in corruptione, vel in ignominia, vel in infirmitate. PAMPHILVS. Hęc quidem ex his libris quos in Esaiã scribit: non præteribimus vero neq; illum qué de primo psalmo disseruit, in quo etiam de resurrectione ita scribit. ORIGENES. Sicut enim in nobis eadé species permanet ab infantia vsque ad senectutem, licet characteres multam videãtur immutationé recipere: ita intelligẽdum est hãc specié quę nunc inest nobis, ipsam permansuram etiam in futuro, plurima tamé immutatione melius & gloriosius facta. Necesse est enim animam in locis corporeis habitantem vti corporibus talibus quæ apta sunt his locis in quibus degit. Et sicut, verbi causa, si in aquis maris nos habitare, vel degere posceret, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videtur habere talé corporis statũ, & cõpositionem, qualem habét illa animalia quæ in aquis viuunt: ita nunc cum cœlorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriã consequens est aptandas esse etiam corporum qualitates. Nec ideo tamé prior hæc species exterminabitur, licet gloriosior eius effecta sit permutatio. Sicut enim ipsius domini Iesu, vel Moysi, vel Eliæ species non I erat alia in transformatione quam fuerat ante trãsformationem, ita non erit alia sanctorũ species etiam si multo gloriosior fiat. PAMPHILVS. Sed & in XV. Psalmo exponés illum versiculũ: Insuper & caro mea requiescet in spe: de carne domini ait hæc. ORIGENES. Dominus Iesus Christus hæc dicit, cuius primo caro requieuit in spe. Crucifixus enim primogenitus ex mortuis factus, & post resurrectioné assumptus in cœlum, secum terrenum corpus euexit, ita vt terrerétur & obstupescerent virtutes cœlestes videntes carné ascendisse in cœlum. De Elia enim scriptum est, quia quasi in cœlum assumptus est: & de Enoch, quia translatus est: non tamé dictum est quia ascendit in cœlum. Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem cum omni fiducia asseuero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carné euexit ad cœlũ. Denique nouitate ipsa perterrentur cœlestes virtutes, quia quod nunquam viderant ante, nunc tandem videbant carné ascendisse in cœlum: & propterea dicunt. Quis est iste qui venit de Edom, id est à terrigenis? Rubor vestimentorum eius ex Bosor. Videbant enim vestigia vulnerum in corpore eius, ex Bosor, id est in carne suscepta. PAMPHILVS. Et post pauca. ORIGENES. Hæc propter illud quod dictum est, quoniam caro mea requiescet in spe. In qua spe? Non solum quia ex mortuis resurgit: parũ enim hoc est: sed in ea spe requiescit, quod assumpta est in cœlum. PAMPHILVS. Quid hoc euidentius & clarius ab aliquo dici potest de resurrectione carnis, quam assignauit nõ solum

1 Cor. 15. — *2 Reg. 2.* — *Gene. 5.* — *Esa. 63.*

resurrecturam à mortuis, verumetiã in cœlos, si qua tamen id K meruerit, assumendã, secururã scilicet eũ qui primogenitus ex mortuis factus, primus in cœlũ naturam carnis inuexit? Quid tamé in XVIII. psalmo exponens illũ versum, In sole posuit tabernaculũ suum, senserit, audiamus. ORIGENES. Quid est quod dixit: In sole posuit tabernaculũ suum? Quidam quidem dicebãt quod Saluator noster ascendens è terris ad cœlum, & corpus suum assumés, peruenit vsque ad eũ circulum qui solis zona nominatur, & ibi (aiunt) posuit tabernaculum corporis sui: nõ enim vltra erat possibile id progredi. Sed hęc illi ita sentiũt pro eo quod allegoriã nolunt in scriptura diuina recipere: & ideo puræ historiæ deseruiétes, huiusmodi fabulas & figméta componũt. Nos vero deprecamur omnipotétiam Dei, vt nos dignetur audire, & secreta nobis spiritalis intelligétiæ dignetur aperire. Quod ergo à nobis in hoc loco sentitur, hoc est. In sole posuit tabernaculũ suũ. Quæro quid sit tabernaculum Christi, & quæ sit habitatio in qua tabernaculũ Christi collocatur. Habitatio tabernaculi Christi sol esse dicitur: Tabernaculum vero Christi ecclesiã intelligo. Solem autem quem alium sentire debeo, nisi illud lumen verũ quod illuminat omnem hominé veniétem in hunc mundũ: Ipsum video solem, de quo dictum est, Quia timentibus nomé meũ orietur sol iustitiæ, & sanitas in alis eius. In sole ergo posuit L tabernaculũ suum, id est in sole iustitiæ ecclesiam suã collocauit. In illo enim sol iustitiæ ecclesia collocata est qui diem æternum facit, sicut dictum est. Erit tibi dominus lux æterna, & Deus gloria tua. PAMPHILVS. Erubescant etiam illi qui & hoc de ipso nõ dubitauerũt concinnare figmétũ, quod dixerit corpus vel carnem Christi vsque ad solé vectam, & ibi esse derelictã. Hoc enim ille ab aliis dictum non recte dictũ esse confutat. Sed ostenderunt se ne hæc quidem intelligere posse obtrectatores eius quę ille ab aliis non recte dicta coarguit, & quæ sunt quæ ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam retundant, qui dicunt eum, corpus quidé resurgere confiteri, carnem vero negare. Desinant aliquando à maledictis, videntes eum carnem verbi Dei cum ipso verbo Deo in cœlum quo verbum Dei ascédit, imponere. His coniungit de suppliciis peccatorum, quæ nos quoque consequéter ad ea quæ supra dicta sunt coniungemus, quoniam in ordine criminationum iste fuerat ordo digestus.

Psal. 18. — *Malach. 4.*

ORIGENES. *De pœnis peccatorum.*

EGo arbitror quod sicut in corpore escę abundantia, & qualitas vel quantitas cibi contraria, febres generat, & febres diuersi vel modi, vel M temporis secundum eam mensuram qua intéperies collecta materiem suggerit ac fomitem febrium: quę materiæ qualitas ex diuersa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit: ita anima cum multitudinem malorũ operum & abundantiã in se cõgregauerit peccatorũ, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas: cum mens ipsa vel conscientia per diuinam virtutem omnia in memoriã recipiens, quorũ in se signa quędam ac formas cum peccaret expresserat, & singulorũ gestorum suorum quę vel fœdè ac turpiter gesserat, vel etiã impie cõmiserat, historiã quandã scelerũ suorũ ante oculos suos videbit expositam. Tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atque cõpungitur, & sui ipsius efficitur accusatrix, & testis. Quod ita sensisse etiam apostolũ Paulũ puto cũ dicit: Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiã defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum secũdum euangeliũ meũ per Iesum Christum. PAMPHILVS. Sed & in sequentibus rursum de peccatorũ pœnis hoc modo scribit. ORIGENES. Multa sunt enim quæ nos latét quæ illi soli cognita sunt qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatem pro his vitiis quæ per escam potumq; colligimus, necessariam habemus interdum austerioris ac mordacioris medicamenti curam: nonnunquam vero si id vitij qualitas depoposcerit, rigore ferri & sectionis asperitate indigemus: quod si & hæc supergressus fuerit modus morbi; ad vltimum conceptũ vitiũ ignis exurit: quanto magis intelligendum

Rom. 2.

A intelligendum est, medicum nostrum Deum volentē diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerū diuersitate collegerāt, vti huiusmodi pœnalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animę perdiderunt? PAMPHILVS. Et post pauca addidit etiam hoc. ORIGENES. Quomodo autē pernecessaria pœna est ea quā per ignē infert Deus, Esaias docens de Israël quidē dicit: Abluet dominus sordes filiorum ac filiarū Sion, & sanguinē expurgabit è medio ipsorum spiritu iudicij & spiritu adustionis. De Chaldæis autē sic dicit: Habes carbones ignis, sedebis super eos: hi erūt tibi adiutorio. Et aliis dicit: Sanctificabit eos dominus in igne ardēti. Et in Malachia propheta dicit: Sedēs dominus conflabit sicut aurū & sicut argētum populū suum, conflabit & purgabit eos, & fundet purgatos filios Iuda. PAMPHILVS. Hęc quidem ex libris Peri archon: innumerabilia vero dispersa sunt per omnes libros eius assertionis huius testimonia, quę nos studio breuitatis omittimus, cōmemorantes de his solūmodo, quę in sexto psalmo de hoc ipso pœnarū genere disputauit. ORIGENES. Possibile est cōsiderare ex his maxime doloribus quos in hoc corpore positi sentimus, qui quāuis magni sint, breuis certe sunt tēporis, pro eo quod si paulo vehemētiores extiterint, continuo etiā vitæ celerem inferunt finem. Denique multi si res poposcerit pro pietatis confessione in ipsis tormentis animā reddunt: alij vero in ipso iam coronę aditu positi denegāt fidem, quā vsque B ad mortē proposuerant confiteri. Et hoc non vtique diminutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia & insuperabili superati. Si ergo in hac præsenti vita tam intolerabiles sunt pœnarū dolores, cum iam crassiori anima vtitur indumento: quid putādum est cum id spiritale effectum ex resurrectione recipiet, & eo vehementius vtique quo subtilius sentiet vim doloris? Puto enim quod quanta differentia est in pręsenti seculo nudum verberati quàm vestitū, ad persentiendū scilicet cruciatum, eo quod vehemētius nudum corpus cruciēt verbera quàm vestitum: tantam puto futurā differentiā doloris cum corpus humanū crassitudinis huius indumēto deposito, velut nudum corpus cœperit sentire tormenta.

Esa. 4.
Malach. 3.
Tormenta futuri seculi acerbiora.

PAMPHILVS.

SVFFICERE arbitror etiam ad huius criminationis propulsandā, pauca hęc de eius libris testimonia protulisse, quæ innumera passim per libros eius manifestum est contineri. Nunc autem ad ea etiā per nos ipsos respōdebimus, quę ei de anima obiiciunt, id est quod ante corpus eam factā dicat existere. Sciens nanque etiā istud dogma de anima non aperte neq; manifeste haberi in ecclesiastica prædicatione, sicubi occasionem aliquam, vel suspitionem potius disputādi ei scripturę sermo suggessit, discutiens & pertractās ea quæ sensui eius occurrerunt, discernenda hęc legentibus exposuit & probanda, non manifesto dogmate, vel abruptæ sententiæ auctoritate definiens, frequēter & illud addens. Si tamen habere videtur aut C probatur aliquid consequentiæ sermo is quem de anima tractauimus. Deniq; in tam multis & tā diuersis eius libris nusquam omnino inuenitur vnus ab eo liber proprie de anima cōscriptus, sicut habet vel de martyrio, vel de oratione, vel de resurrectione. Nusquàm prorsus librū proprie de anima scriptum edidit, sed in diuersis locis (sicut superius diximus) incurrentes sibi opiniones ex scripturæ occasione disserebat: quod potius maximi signi reuerentiæ eius ac timoris in diuinis dogmatibus esse deberet, quod tanti sensus vir & tantæ prudētię, cum vtique magister esset ecclesię, & tanta ab eo dicta scriberentur, non ausus sit id sibi auctoritatis assumere, vt proprie de anima librum ederet scriptum. Proculdubio hæc obseruatio eius illud indicat, quod nihil audebat de hac re manifesto dogmate confirmare. Deniq; in eo libro quem in epistolam ad Titum scribit, hæreticū describens, & animæ faciēs mentionem, hęc dicit. ORIGENES. Sunt vero & alia quędā dogmata quę in apostolicis traditionib⁹ nō habētur de quibus requires si oportet eos qui quomodo libet de his sentiunt vel pertractār, hæreticos putādos: vt puta, verbi causa dixerim, si quis rationē humanę animæ inquirat, cū de ea neque

Quæstio de animæ origine & tempore Origenis mundum decisa.
Origenes libri de martyrio, de oratione, de resurrect.
Origenes magister ecclesiæ.

quod ex semine traducis ducatur, neque quod honorabilior D & antiquo corporū cōpage sit, tradiderit ecclesiastica regula. Propter quod multi nec comprehendere potuerunt qualiter sentiri oporteret de animæ ratione: sed & qui aliquid sentire vel disserere nisi sunt, à nōnullis in suspitione habentur velut noui aliquid introducentes. PAMPHILVS. Deinde post pauca ait. ORIGENES. Sed & tu ipse apud temetipsum discutiens considera si oportet eū qui quolibet modo de his opinatur, vel hęreticū, vel ecclesiasticū temere definiri, aut si nō est periculosum de eo pronūciare, quoniā & ipse peruersus sit & peccet, & sit à semetipso damnatus, quod hæreticus dicitur, si quis forte ex his quę supra dixim⁹ quālibet opinionem, licet nonnunquā plurimis peregrinā, videatur inducere. PAMPHILVS. Hæc quidē ipse in eo libro quem superius diximus scribit: nos vero bis adiūgimus etiam ista quæ nobis ipsa æquitas videtur exposcere. Si manifeste ecclesia traderet vel prędicaret cōtraria his quæ ille sensit, sine dubio velut cōtrarius, & resistens ecclesiasticis statutis merito culparetur. Nūc vero cum diuersitas sit apud omnes ecclesiasticos, & alij alia de anima sentiant, & omnes diuersa, quomodo hic magis quā cæteri incusandus est? maxime cū ea quæ à reliquis affirmātur, multo magis sint & absurda & sibiipsis cōtraria? Qui- E dam eñ opinantur pręparatis iam in vētre mulierū deformatisq; corporibus tunc ad pręsens creari animas, & inseri iam deformato corpori. Hęc vero sentiētes, pręter hoc quod manifestas probationes ex sanctis scripturis adhibere non possunt, insuper etiā iniustitiā quodāmodo conditoris accusant, quod non æqualiter, id est æquas vitæ conuersationes tribuat omnibus. Statim eñ vt creata fuerit anima, cū nihil vtiq; adhuc in se culpæ cōmiserit, inseritur interdū si ita acciderit cæco corpori, vel alias debili, aliæ vero sanis corporibus & aliæ infirmioribus: & aliis quidē multum vitæ tempus tribuitur, aliis vero breuissimū, ita vt interdū simul vt natæ fuerint exturbētur è corpore: & aliæ quidem cōuersationem agrestem quandā & barbarā, & vbi nihil humani aut honesti est, & super omnia vbi paternæ institutionis impietas obtinet, dirigūtur: aliæ vero ad viros honestos, sobrios, humanos, vbi & humanarū legū obseruatio viget: interdum etiam ad parētes religiosos, vbi educatio nobilis & honesta, vbi etiam eruditio rationabilis, transmittūtur. Quomodo igitur assertiones eorū in talibus diuinā prouidentiā recte omnia dispensantem & æqua lance moderantem tanquam bonam & iusti Dei poterunt assignare? Iam vero illi qui ex traduce animas venire affirmant, & simul cum corporali eas semine seminari: siquidē (vt quidē ipsorū affirmare solēt) non aliud dicunt animā esse quam insufflationem spiritus Dei, illam scilicet quam in initio facturę mundi Deus dicitur insufflasse in Adā, de ipsa Dei esse eam substantia profitentes: quomodo non & isti videbūtur quodammodo hoc præter scripturæ regulam, & rationē F pietatis asserere, quod substantia Dei est quæ peccat, si anima quæ de substantia Dei est, peccat? Insuper etiam quod & pœnis subdēda sit pro peccato? Sed & illud quod sequitur, quod perabsurdum est incurrere, non præuident, quia necesse est eam simul cum corpore mori, & esse mortalem si simul cum corpore vel seminata vel formata vel nata est. Tum deinde illi qui vnam quidem ex nullis subsistentibus à Deo factam esse dicunt, animam, id est illam quæ prima facta est in Adam, & ex ea iam omnium hominum animas existere, & secūdum corporalem sine dubio successionem traducem quoque fieri animarum, etiam ipsi quid aliud ostendunt nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cętera ex solo semine oriuntur, ita etiam de hominibus sentiamus, vt cum corpore simul in eodem semine etiam anima diffundatur, quid dicemus de his qui imperfecti adhuc & de ventre aborsi sunt: & qui nōnunquam antequam vasculorum naturalium receptaculis semina sint suscepta, depereunt? in quibus sine dubio inuenitur, quod simul illæ etiam quæ naturali ratione seminibus insertæ erant animæ, extinctæ sint pariter & corruptæ. Siue ergo ex insufflatione Dei sint, siue ab vna illa quæ prima facta est, necessario simul cum corporibus corrumpentur, si eandem cum corporibus etiam originem sumunt secundum ipsorum rationē. Aut enim nihil omnino ex rationabili atque immortali anima participabit id quod adhuc in vētre receptū

Ecclesiastica regula.
At qui hæc sententia hodie est ecclesiæ. Vnde & argumenta quę hic tanguntur, soluuntur à scholasticis lib. 2. sent.
Animas non esse ex traduce.

A est:& repulsa est illa ratio quæ affirmat eam in seminis traduce simul cum corporibus seminatam: Aut si participat, necessitas imminet confiteri mortalem esse animam, quod fides nostra vtique non recipit. Veruntamen quid est quod ex his omnibus ostendi volumus? illud profecto, quod sicut eos qui vnamquálibet de his quas supra exposuimus opinionem veram putant, non recta ratione hæreticos quis appellat, pro eo quod neque ex diuinis scripturis certi aliquid de his vel manifeste dictum esse videatur, neque in prædicatione ecclesiastica cōtineri: ita neque hunc virum culpari iustum est, disserentem quod sibi visum est, maxime cum illud præcipuè seruauerit quod in ecclesia de animæ confessione seruari omnimodè debet, id est ne diuersas naturas esse diceret animarum: quinimmo & dicētes redarguit, & vehementi assertione conuincit. Ipse autem fatetur vnius substantiæ omnes animas & immortales ac rationabiles, liberi arbitrij ac voluntatis, iudicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt, esse tamen eas factas à deo qui vniuersa condidit & creauit. Quando autem factæ sint, olim simul, an nunc per singulos nascentium, quid periculi est alterum è duobus opinari? Sed respondere possibile est, vt omnis penitus culpādi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cœli diuersa singuli etiam ipsi qui sunt in ecclesiis sentiunt: aliis quidem opinantibus esse animantia, & rationabilium animantium: aliis vero putantibus quod irrationabilia sint, imò vero quod non solum vera anima, sed & omni sensu penitus careant, & sola sine spiritu & sensu sint corpora: nemo tamen merito alterum eorum qui

Non est hæreticus qui aliquid dicit neque contra scripturā neq; cōtra prædicationē ecclesiasticā.

Ea tēpestate nondum definitū an corpora cœlestia animata.

B hęc ita diuerse sentiunt, hæreticorū dixerit, propter hoc quod non ita apertè de his traditum est in apostolica prædicatione: Ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio eius vel origine diuersa opinantur, non est rectum hæreticos pronunciare, maxime cum in reliquis ecclesiasticæ doctrinæ regulis quod rectum est & catholicam teneant.

NOVISSIMA criminatio est μετενσωματώσεως, hoc est transformationis animarum. Ad quod sicut in cæteris fecimus, ipsius qui accusatur respondebimus verbis: illud primo pernecessario commonentes, quia accusatores eius non intelligentes qualiter ab eo de ista quæstione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, vt non semper velut ex vna persona pronunciati videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ contrario dici potuerunt, disputentur: & hanc esse artem disputandi non aduertentes, obiiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex aduersantis persona disseruit: Deniq; quod discutiendi hæc & non confirmandi dixerit causa, ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adiecit, ostendit: hoc modo dicens. ORIGENES. Sed hæc quantum ad nos pertinet non sunt dogmata, sed discussionis gratia dicta sint & abiiciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur quæstio mota, non esse discussa.

C PAMPHILVS. Sed hoc in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat, non de transmutatione animarum.

In VII. libro in euangelium secundum Matthæum ita scribit de animarum transmutatione.

Matt.11. ORIGENES. Quidam quidem opinantur ex eo quod dictum est: Ipse est Helias qui venturus est: animam Heliæ eandem esse quæ Ioannis. Quod enim dixit: Ipse est Helias: non ad aliud, sed ad animam referendum putauerunt, & ex hoc penè solo sermone dogma introduxerunt μετενσωματώσεως, id est transmutationis animarum, quasi etiam ipso hoc Iesu confirmante. Sed oportuerat intueri, quia si hoc verum esset, in multis vtique prophetarum vel euangeliorum scriptis simile aliquid inueniri deberet. Tum deinde etiam ille sermo qui huic adiungitur, ostendit secretiorem quendam & arcanum sensum in his quæ dicta sunt, requirendum magis quàm quod illi secundum literæ solius intelligentiam susceperunt, cum dicit: Qui habet aures audiēdi audiat. Addendum autem & illud est: quia si pro peccatis secundum, quod

Matt.13.

ipsi sentiunt transmutatio fiat animarum, propter quæ peccata Heliæ anima transmutata est in Ioannē, qui ab ipso angelo nasciturus prænunciatur, à quo & Iesus saluator noster? Quomodo ergo non euidentissimum mendacium est hoc, vt ille qui tam perfectus fuit, vt nec communem quidem istā mortem gustaret, veniret ad transmutationem animæ, quę secundum illorum assertionem non potest accidere nisi ex peccatis? Deniq; quomodo hoc exponēr quod dictum est ad Ioannem: Tu Helias es: & dicit non sum? Sed vt ostendatur conuenire hoc etiam illi verbo quod dixit dominus: Si vultis suscipere, ipse est Helias qui venturus est: hoc quod dixit, Helias ipse est, referendum est ad spiritum & virtutem ipsius Heliæ. Ioannes enim pręcessit in spiritu & virtute Heliæ conuertere corda patrum ad filios.

D *Ioan.1.* *Luc.1.*

De eo ipso ex vndecimo libro de euangelio secundum Matthæum.

Quidam qui alieni sunt à catholica fide, transferri animas ex humanis corporibus in corpora animalium putant secundum differentiam peccatorum: nos vero qui id nusquā cautum inuenimus in diuina scriptura, dicimus quia per multam vitæ negligentiam humana prudentia cum fuerit inculta atq; neglecta, efficitur velut irrationabile pecus per imperitiā vel negligentiam, non per naturam. Similiter autem & hi qui tales fuerint effecti ex propositi sui negligentia qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atq; exercitio rationabili tradant, rationabiles efficiuntur atque prudentes: sicut scriptum est de illis euangelicis canibus qui manducabant de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: ex quibus cōuersa Chananæa facta est dei filia: secundum quod dicit ad eā Saluator: O filia, magna est fides tua. Sicut enim virtus animi cōfert vnicuiq; vt sit filius dei: ita malitia mentis & verborum insania atq; impudentia facit vnumquenque secundum autoritatem scripturæ appellari canem. Similiter autem intelligendū est etiam de cæterorum animalium mutorum appellationibus.

Hæc iam repetuntur 15 cap. Matthæi. *Matt.15.* E

De eodem ex libro decimotertio de euangelio secundū Matthæum.

In his Helias non anima Heliæ mihi videtur, vti ne incurramus in dogma alienum ab ecclesia Dei de transmutatione animarum, quod nec ab apostolis traditum est, nec vsquā in scripturis cautum est. Contrarium enim est his quę dicta sunt ab Apostolo, Quoniam quæ videntur temporalia sunt. Et vbi sunt quæ omnes scripturę confirmant, quod præsens seculum finiendum est? Sed nec illud poterit stare, quod dictum est: Cœlum & terra transibunt, neq; illud quod dicit Apostolus: Transibit enim habitus huius mūdi: & illud, Cœli peribunt, & ea quæ sequuntur. Si enim (vt aiunt autores huius dogmatis) nemo potest in id initium restitui, quod primo fuit ab initio mundi vsq; ad finem, qua ex causa immutari vel transferri animam secundo vel tertio opus est vel frequētet? Hoc enim modo reddi delicta vniuscuiusque personę perhibent, & pœnas lui, si in diuersa corpora frequentius transmutētur. Quod vtique superfluo fiet, si finis ei nullus emendationis occurrat, nec erit vnquam quando non anima trāsferatur. Et si semper pro delictis animabus ad corpora diuersa reddēdum est, quis vnquam mundo dabitur finis, vt impleatur quod dictum est: Cœlū & terra transibunt? Quod & si concedatur (verbi gratia) vt aliquis sit sine peccato, quem iam nō sit necesse reuolui in corpus, per quot tempora putabimus inueniri vnā fortasse vix animam quę penitus pura sit, nec permutatione corporis indigeat? Quod & ipsum si cōcedatur, rursum suo dogmati contrarium efficitur. Si enim demus paucas quasq; animas per singulas ad perfectionē posse restitui, vt vltra in corpora venire non indigeant, necesse est (licet per infinita secula & immensa tempora) singulis quibusque animabus ad perfectionem restitutis cessare iam vsum corporum, & per hoc finem mundum recipere ac resolui. Non tamen videtur ita sanctæ scripturæ, quæ dicit multitudinem peccantium relinquendam esse in fine seculi. Quod ex eo manifestissime indicatur, quod in euangelio scriptum est. Veruntamen putas filius hominis veniens inueniet fidem super terram? sicut enim in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. PAMPHILVS. Et posteaquam de scripturis multa disseruit, ipse iam suam sententiam hoc modo declarat. ORIGENES. Erit autem his qui tunc erunt vindicta, non transmutatio animarum: non enim iam ad peccandum locus erit: sed alia genera erunt pœnæ. Transmutatio nanque corporum pœnam non faciet peccatorum, ita vt nulla extrinsecus putentur inferri supplicia: quin potius est peccatoribus pœnarum modus, id est vt pro his quæ in hoc corpore gesserunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est quod istæ singulæ rationes

Matt.24. *1.Cor.7.* *Psal.101.* F *Luc.18.*

nes his qui possunt rei consequentiam diligenter aduertere, contrariæ sunt huic dogmati quo perhibentur animæ transmutari. Quòd si gentilium autores sequi volunt qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes cum hæc fiant sine dubio, nunquam mundum istum posse finiri: consequens est eos qui hęc volunt scripturę nostræ non credere, quæ manifestissime pronunciat finem mundi futurum, & non exquirere in ipsis scripturis expositiones, siue assertiones ineptas & inconsequentes, ex quibus nullo genere ostendi potest quod secundum scripturas nostras nunquam finis seculi futurus sit.

De eadem re ex libro de Prouerbiis Salomonis.

VIDETUR autem mihi & illa assertio quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseuerat, peruenisse etiam in aliquos eorum qui Christo credere videntur, ex quibusdam scripturæ sanctæ occasionibus, non intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. Non enim animaduertunt quomodo homo efficiatur aut pullus, aut equus, aut mulus, & putauerunt transmutari humanam animam in pecudum corpora, vt æstimarent quod aliquando serpentis suscipit corpus vel viperę aliquando equi vel reliquorum animalium. Iam ergo consequens est & hoc illos dicere debere, quod diabolus qui leo in scripturis dicitur, corpore leonis vtatur, aut draconis carnibus cum draco nominatur. Ita erit vt secundum illos transmutatio ista animarum perueniat & in dæmonum naturam, vt sit aliquando vel leo vel draco anima habens diabolum. PAMPHILVS. Et paulo post. ORIGENES. Sed superfluæ sunt omnes istæ adinuentiones. Manifestum est enim quod vna pœna tam dęmonum naturæ quàm humano generi peccatorum à domino præfinita sit illa quam dominus sua sententia designauit dicens: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: ostendens quia eadem species pœnarum peccatoribus hominibus & diabolo & angelis eius præparata sit, licet in eadem pœna diuersa sit quantitas pœnæ. Alius enim grauius ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum: alius autem remissius, cuius leuiora & faciliora peccata sunt.

DE ADVLTERATIONE

LIBRORVM ORIGENIS LIBER, QVI EST RVFFINI.

IN HIS quæ in superiori libro secundum Apologeticum sancti martyris Pamphili, quem pro Origene græco sermone edidit, prout potuimus, vel res poposcit, latino sermone digessimus, illud est quod te desideriorum vir Macari admonitum esse volo, vt scias hanc fidei quidem regulam quam de libris eius suprà exposuimus, esse, quæ & amplectenda sit & retinenda. In omnibus enim his catholicum inesse sensum euidenter probatur: inueniri tamen in eius libris quædam ab his nõ solum diuersa, sed nonnunquam etiam contraria, & ea quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque nec recipimus, nec probamus. Sed hoc vndè acciderit opinionem quæ ad nos vsque peruenit, ne à te quidé, vel ab his qui quod verum est, scire cupiunt, celari volo: si qui tamen sunt qui audientes id quod verum est, & quod ipsa ratio indicat, acquiescant, & obtrectandi studio non quiduis malint esse verum quam id quod eis obtrectandi materiam petimat. Dubitari non puto quod hoc nullo genere fieri potuit, vt vir tam eruditus, tam prudens, certe quod indulgere etiam accusatores eius possunt, vir qui neque stultus, neque insanus fuerit, ipse sibi contraria & repugnantia in suis sententiis scriberet. Aut etiam si vllo genere concedamus hoc accidere potuisse: fortassis enim dicet aliquis, quia ea quæ in prima ætate conscripsit, potest fieri vt obliuisceretur in ætate vergenti, & aliter quàm aliquando senserat, post proferret: quid faciemus quod interdũ in eisdem locis atque (vt ita dixerim) in consequenti pene capite sententiæ contrarij sensus inueniuntur inserti? Nunquid in eodem opere eiusdem libri interdum (vt diximus) statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit? verbi causa, vt qui superius dixerat, nusquã inueniri in omni scriptura, vbi spiritus sanctus factus vel creatus esse diceretur, continuo subiiceret inter cæteras creaturas factum esse spiritum sanctum: aut iterum qui patrem & filium vnius substantię, quod græce ὁμοούσιον dicitur, designauit, in consequentibus statim capitulis alterius substantiæ, & creatum, poterat dicere eum quem paulo ante de ipsa natura Dei patris pronunciauerat natum? Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam euidenter pronunciauit naturam carnis in cœlum ascendisse cum verbo Dei, atque inibi cœlestibus apparuisse virtutibus nouum & admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat vt hanc iterum non esse saluandam diceret? Quia ergo hæc incidere ne in eum quidem poterat, qui vel mente motus, vel cerebro esset insanus, quid sit in causa, quàm possum breuiter edocebo. Quanta sit hæreticorum temeritas, quàm nihil his sancti, nihil pensi sit, facile intelligi datur ex his quæ frequenter & ausi sunt & conuicti. Nam sicut ipsorum patri diabolo ab initio falsare verba Dei, atque inflectere à suo ordine, & sui veneni interserere virus studium fuit: ita & istis successoribus suis hanc suæ artis hæreditatem reliquit. Denique cum dixisset Deus ad Adam: Ex omni ligno paradisi manducabitis: ille cum vellet Euam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, vna tantummodo interiecta syllaba, in quantas coarctauit angustias? Ait enim: Quid est quod dixit Deus, vt ex omni ligno paradisi non manducetis? Quo scilicet per hoc graue esse præceptum Dei apud hominem conquerens, præuaricationem præcepti facilius persuaderet. Hęc exempla patris sui, atque hanc artem magistri sui secuti hæretici, quoscunque veterum nobilium tractatorum inuenerunt de his quæ ad gloriam Dei pertinent, plene & fideliter disputasse, ita vt ex lectione eorum vnusquisque fidelium proficere possit & instrui: non pepercerunt scriptis eorum venenatum virus infundere, siue interpolando quæ dixerant, siue quæ non dixerant, inserendo, quo facilius videlicet sub nomine doctissimi cuiusque & nobilis inter scriptores ecclesiasticos viri hæresis suæ astrueretur assertio, ex eo quod ita sensisse etiam aliqui de claris viris & catholicis viderentur. Et horum manifestissimas inter Græcos scriptores ecclesiasticos probationes tenemus. Et quamuis quamplurimi sint ex veteribus in quorum libris huiuscemodi deprehenditur adulterium, paucorum tamen sufficit adhibere testimonia, ex quibus facilius quid etiã Origenis libris acciderit, agnoscatur.

Gen. 2.

CLEMENS apostolorum discipulus, qui Romanæ ecclesiæ post apostolos & episcopus & martyr præfuit, libros edidit, qui græce appellantur ἀναγνωρισμός, id est recognitio: in quibus cum ex persona Petri apostoli doctrina quasi vere apostolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma scribitur, vt nihil aliud quàm ipse Eunomius disputare credatur, filium Dei creatum ex nullis extantibus asseuerans. Tum deinde etiam illud adulterij inseritur genus, vt naturam diaboli cæterorúmque dæmonum non propositi voluntatísque malitia, sed excepta ac separata creaturæ, produxerit qualitas, qui vtique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat, liberi arbitrij facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris eius inserta, quæ ecclesiastica regula omnino non recipit. Quid quæso de his sentiendum est, quod apostolicus vir, imò pene Apostolus, non ea scribit quæ apostoli dicunt? cui Paulus apostolus testimonium dedit, dicens: Cum Clemente & adiutoribus meis cæteris, quorum

G nominatſunt in libro vitæ:& ſcribat hoc quod libris vitæ contrarium eſt? An id potius credendum eſt quod ſuprà diximus, quod peruerſi homines ad aſſertionem dogmatum ſuorum ſub virorum ſanctorum nomine tanquam facilius credenda, inſeruerunt ea quæ illi nec ſenſiſſe nec ſcripſiſſe credendi ſunt.

CLEMENS quoque Alexandrinus presbyter & magiſter illius eccleſiæ, in omnibus pene libris ſuis Trinitatis gloriam atq; æternitatem vnam eandémq; deſignat,& interdum inuenimus aliqua in libris eius capitula,in quibus filium Dei creaturam dicit: Nunquid credibile eſt de tanto viro,tam in omnibus catholico,tam erudito,vt vel ſibi contraria ſenſerit, vel ea quę de Deo non dicam credere,ſed vel audire quidem impium eſt, ſcripta reliquerit:

DIONYSIVS quoque Alexandrinus epiſcopus, eruditiſſimus aſſertor eccleſiaſticæ fidei, cum in quamplurimis in tantum vnitatem atque æqualitatem trinitatis defendat,vt imperitioribus quibuſque etiam ſecundum Sabellium ſenſiſſe videatur: in his tamen libris ſuis quos aduerſum Sabellij hæreſim ſcribit, talia inueniuntur inſerta, vt frequenter Ariani autoritate ipſius ſe defendere conentur. Propter quod & ſanctus epiſcopus Athanaſius compulſus eſt Apologeticũ pro libris eius ſcribere,pro eo quod certus erat non illum diuerſe potuiſſe ſentire, ſibíq; ipſi contraria ſcribere, ſed quod H inſerta hæc à maleuolis noſſet. Et hæc quidem nos ducti rei ipſius conſequentia de ſanctiſſimis viris & eccleſiæ doctoribus ſenſimus,quo ſcilicet non putemus eos qui rectam eccleſiaſticam fidem in quamplurimis aſtruxerunt,in aliquibus ſibimetipſis aduerſa ſenſiſſe. De Origene vero in quo ſimiliter vt in his quos ſuprà diximus,aliqua diuerſitas inuenitur iſtud non ſufficit ſentire,quod de prçiudicatis iam catholicis ſentitur vel intelligitur viris,nec ſimilibus cauſæ ſimilis ſufficit excuſatio,niſi & ipſius hęc conquerentis & deplorantis ſcriptis atque vocibus probemus. Quid enim ipſe dum adhuc eſſet in carne viuens,ſentiens vidénſq; perpeſſus ſit de librorũ ſuorũ, vel ſermonum corruptionibus,vel adulterinis editionibus,ex ipſius epiſtola quam ſcribit ad quoſdam charos ſuos Alexandriæ euidẽter docetur:& per hęc quę ſit cauſa quod in ipſius ſcriptis quædam ſibi contraria inueniantur, agnoſces.

De adulteratione vel corruptione librorum ſuorum ex libro epiſtolarum Origenis IIII.*epiſtolæ ſcriptæ ad quoſdam charos ſuos Alexandriæ.*

Verba Origenis ex epiſtola ipſius quam ad quoſdam charos ſuos in Alexandria ſcripſit, contra eos qui libros eius adhuc eo viuente adulterauerunt.

QVIDAM eorum qui libenter habent criminari proximos ſuos, aſcribunt nobis & doctrinæ noſtræ crimen blaſphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt: de quo ipſi viderint, nolentes obſeruare mandatum illud quod dicit, quia I maledici regnum Dei non poſſidebunt,dicentes patrem malitiæ ac perditionis, & eorum qui de regno Dei eiiciuntur,id eſt diabolum me dicere eſſe ſaluandum, quod ne aliquis quidem mente motus,& manifeſte inſaniens dicere poteſt. Sed nihil mirum mihi videtur,ſi adulteretur doctrina mea ab inimicis meis,& tali adulterio corrumpatur,quali adulterio corrupta eſt epiſtola Pauli apoſtoli. Quidam enim ſub nomine Pauli apoſtoli falſam epiſtolam ſcripſerunt, vt conturbarent Theſſalonicenſes, quaſi inſtaret dies domini, & ſeducerent eos. Propter hanc epiſtolam in ſecunda epiſtola quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit,hæc dixit: Rogamus autem vos fratres per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti,& per veſtram congregationem in ipſum, vt non moueamini cito à ſenſu veſtro,neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per verbum, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini: nemo vos ſeducat vllo modo. Talia ergo quædam video etiam nobis accidere. Nam quidã auctor hæreſeos cum ſub præſentia multorum habita inter nos fuiſſet diſputatio, & deſcriptum accipiens ab his qui deſcripſerant codicem, quæ voluit addidit,& quæ noluit abſtulit, & quod ei viſum eſt permutauit, circumferens tanquam ex nomine noſtro inſultans,& oſtendens ea quæ ipſe cõſcripſit. Pro quibus indignantes fratres qui in Paleſtina ſunt, miſerunt ad me

2.Theſ.2.

Athenas hominem qui acciperet à me ipſum authenticum K exemplar,quod ne relectum quidem vel recenſitum à me antea fuerat,ſed ita neglectum iacebat, vt vix inueniri potuerit. Miſi tamen,& ſub deo reſte loquor: quoniam cum conueniſſem illum ipſum qui adulterauerat librum,quare hoc feciſſet, velut ſatisfaciens mihi reſpondit. Quoniã magis ornare volui diſputationẽ illam atq; purgare. Videte quali purgatione diſputationẽ noſtrã purgauit: tali nempe quali purgatione Marcion euãgelia purgauit vel apoſtolum,vel quali ſucceſſor eius poſt ipſum Apelles. nam ſicut illi ſubuerterunt ſcripturarũ veritatem: ſic & iſte ſublatis quę vere dicta ſunt,ob noſtri criminationem inſeruit quæ falſa ſunt. Sed licet homines hæretici & impij ſint qui hæc facere auſi ſunt, tamen habebunt & illi iudicem deum,qui talibus aduerſum nos criminationibus accommodant fidem. Fecerunt autem hoc & alij nonnulli conturbare volentes eccleſias. Deniq; in Epheſo cum vidiſſet me quidam hæreticus, & congredi noluiſſet, neque omnino os ſuum aperuiſſet apud me,ſed neſcio qua ex cauſa id facere vitaſſet, poſtea ex nomine meo & ſuo conſcripſit qualem voluit diſputationem,& miſit ad diſcipulos ſuos,vt ego quidem cognoui ad eos qui Romæ erant: ſed non dubito quin & ad alios qui per diuerſa ſunt. Inſultabat autem & apud Antiochiam priuſquam ego illuc venirem: ita vt & ad quamplurimos noſtrorum perueniret ipſa diſputatio quam parauerat. Sed vbi affui,multis eum præſentibus argui. Cúmq; iam ſine vllo pudore pertenderet impudenter aſſerere falſitatem, popoſci vt liber deferretur in medium,vt ſcelus meum agnoſceretur à fratribus,qui vtique cognoſcerent,quæ ſoleo diſputare,vel quali ſoleo vti doctrina. Qui cum auſus non eſſet proferre librum,conuictus ab omnibus & confutatus eſt falſitatis, & ita perſuaſum eſt fratribus ne aurem criminationibus præberent. Si quis ergo credere vult mihi in conſpectu Dei loquenti, etiam de his quæ in epiſtola mea conficta ſunt & inſerta credat: ſin autem quis non credit,ſed vult de me male loqui,mihi quidem nihil damni confert: erit autem ipſe falſus teſtis apud Deum, aduerſus proximum ſuũ teſtimonium falſum vel dicens,vel dicentibus credens. L

HÆC ipſe adhuc ſuperſtes conqueritur,quæ ſcilicet per ſemetipſum deprehendere potuit adulterata eſſe in libris ſuis atque falſata. Meminimus ſanè etiam in alia eius epiſtola ſimilem nos de librorum ſuorum falſitate legiſſe querimoniam: cuius epiſtolę exemplar in prçſenti non habui,vt etiam ipſius teſtimonium his pro fide veritatis adiungerem. Sed ſufficere arbitror ad ſatisfaciendum his qui non contentionis atq; obtrectationis ſtudio,ſed amore veri audiunt quæ dicuntur. Nã quod in veteribus ſanctis ac prçiudicatis catholicis viris,quorum ſuperius fecimus mentionem, ſolo argumento ex rerum conſequentia, ac recti tenore præſumpto oſtenditur & probatur, quòd ſi quid in libris eorum contra eccleſiaſticam fidem inuenitur, id inſertum ab hæreticis potius quam ab his ſcriptum putetur: hoc in Origene non argumento ſolo ſimili vt illis,ſed teſtimonio querimoniarum ſuarum ex ſuis ſcriptis prolato, abſurdum non puto ſi credatur, ne velut ſtultus aliquis aut inſanus contraria ſibi ſcripſiſſe videatur. M

DE hæreticorum vero temeritate, vt credi iſtud ſcelus facile poſſit, illa res maximum credulitatis præſtat exẽplum, quod abſtinere impias manus ne à ſacroſanctis quidem euangelij vocibus potuerunt. Apoſtolorum vero vel actus, vel epiſtolas qualiter polluerint, qualiter corroſerint, qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia, vel auferendo quæ pia ſunt,ſi quis vult plenius ſcire,ex his libris Tertulliani,quos aduerſus Marcionem ſcripſit, pleniſſime recognoſcet. Quid ergo iam erit magnum ſi Origenis ſcripta temerarunt, hi qui ſaluatoris Dei noſtri dicta auſi ſunt temerare? Nec ſanè diuerſitas dogmatum alicui aſſertionis noſtræ deneget fidem, quod alterius hæreſis fuerint illi qui euangelia deprauarunt, ad alteram vero hæreſim reſpiciant iſta quæ diximus, Origenis libris inſerta: cognoſcat qui de his dubitat, quod ſicut in omnibus ſanctis eſt ſpiritus Dei, ſicut & Apoſtolus dicit, quia ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt: qui & iterum ait,quod omnes vnum ſpiritum portauimus ita & in hæreticis vnus eſt diaboli ſpiritus,qui eos eandem ac ſimilem ſemper malitiam docet.

Verum

A VERVM ne cui fortè minus ad credendũ videantur idonea ea quæ ex libris Græcorum scriptorum exempla protulimus, quamuis Græcus scriptor sit pro quo satisfacere videmur, tamen quia quodammodo in latinam linguam sermo deuolutus est, & satisfieri etiam latinis hominibus pro his qui ex calumniosis interpretationibus vulnerantur magnopere poposcisti, non pigebit etiam latinis scriptoribus talia quædam accidisse monstrare, & calumnias immensas ex adulteratione librorum suorum sanctis & probatissimis viris esse commotas. Et ne quid perfectæ credulitati desit, res quæ sunt adhuc memoriæ nostræ retexam, quo testimonij veritas neminem lateat.

HILARIVS Pictauiensis episcopus confessor fidei catholicæ fuit: hic cum ad emendationem eorum qui Ariminensi perfidiæ subscripserãt, libellum in instructionis plenissimæ conscripsisset, cúmque libellus ipse in manus inimicorum & maleuolorum (vt quidam dicebant) corrupto notario, alij vero alia occasione narrabant, quid interest? tamen cum in manus inimicorum ipso ignorante venisset, ita ab eis corruptus est, illo sancto viro nihil penitus sentiente, vt postea cum ad concilium episcopotum secundum ea quæ se in libello ipsius nouerant corrupisse, hæreticum eum inimici arguere cœpissent, & ipse libelli sui fidem pro sui defensione flagitaret, de domo sua prolatus libellus talis inuẽtus sit, B quem ipse non agnosceret: Fecere tamen eum excommunicatum de concilij cõuentione discedete. Verum quia viuenti, & adhuc in corpore posito, res quamuis scelerata & inaudita contigerat, dolo cognito factio deprehensa, retecta scelerum machina potuit emendari. Adhibita enim curatio est assertionibus, satisfactionibus, & omnibus quæ viuentes pro se facere possunt. Nam mortui pati nihil refutant.

Tertulliani liber de Trinitate reprehensibiliter scriptus.

SANCTI Cypriani mattyris solet omne epistolarum corpus in vno codice scribi: huic corpori hæretici quidam qui in spiritum sanctum blasphemant, Tertulliani libellum de Trinitate reprehensibilitet (quantum ad vetitatem fidei nostræ pertinet) scriptum inserentes, & quamplutimos codices de talibus conscribentes, per totam Constantinopolim vrbem maximam disttahi precio viliori fecerunt, vt exiguitate precij homines illecti ignotos & latentes dolos facilius compararent, quo pet hoc commẽtum hætetici perfidiæ suæ fidem tanti viri auctoritate conquirerent. Accidit tamen vt recenti adhuc facto quidam ex nostris frattibus catholicis inuenti, admissi sceleris commissa retegerent, & ex parte aliqua si quos possent ab erroris huius laqueis reuocarent. Quãplurimis tamen in illis partibus sanctum martyrem Cyprianum huius fidei quæ à Tertulliano non recte scripta est, fuisse persuasum est.

Adiiciam adhuc vnius facti talis exemplum, quod memoriæ quidem recentioris est: commissæ autem nequitiæ antiquum satis, & quod omnes veterum fabulas vincat.

C

D. Hieronymum videtur intelligere.

DAMASVS episcopus cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni si ecclesiæ iungi velint subscribete deberent, conscribendam mandauit cuidam amico suo presbytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est dictanti in ipsa editione de incarnatione domini, hominem dominicum dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ, nouitatem sermonis incursare cœperunt: adesse sibi cœpit qui dictauerat, & ex auctoritate vera scriptorum catholicorum confutare eos qui impugnabãt. Accidit, vt & vni ex ipsis qui nouitatem sermonis causabantur, ostenderet in libello Athanasij episcopi scriptum esse sermonem de quo quæstio habebatur: quasi suasus iam ille cui probatum fuerat, rogauit dari sibi codicem, quo & aliis ignorantibus & contradicentibus satisfaceret. Accepto codice, inauditum excogitauit adulterationis genus. Locum ipsum in quo sermo iste scriptus erat, rasit, & ipsum sermonem rursum rescripsit quem raserat. Codex redditus simpliciter receptus est. Mouetur iterum pro eodem sermone quæstio: ad probationem codex profertur, inuenitur sermo de quo erat quæstio, ex litura in codice positus, fides proferẽti talem codicem derogatur, eo quod litura illa corruptionis & falsitatis videretur indicium. Sed quoniam (vt iterum eadem dicam) viuenti hæc facta sunt à viuente, cõtinuo egit D omnia vt fraus commissi sceleris nudaretur, ac nequitiæ macula non innocenti viro qui nihil tale gesserat adhæreret, sed in auctorem facti, atque in vberiorem eius infamiam redundaret.

Homo dominicus.

Locũ Athanasij ex quo corruptiones adscriptos citat Theodoritus lib. 3. Polymorphi. O hæretica impudentiam.

SI ERGO & Origenes talia ab hæreticis, & maleuolis se esse perpessum in epistola sua propria voce conqueritur, & multis aliis viris catholicis tam viuis quàm mortuis eadem acciderunt, similésque fraudes scriptis eorum probantur illatæ, quæ tandem animorum obstinatio est, in æquali causa non æquali vti venia? sed ex iisdem accidentibus aliis excusationis reuerentiam, aliis criminationis infamiam intẽdere? Quin potius aperienda est hoc in loco veritas latens: non enim possibile est tam iniquo iudicio vtique quenquam hominum, vt de causa æquali non ęqualiter sentiat. Sed quod auctores obtrectatorum eius ij sunt qui vel in ecclesia disputare latius solent, vel etiam libros scribere qui totum de Origene vel loquuntur vel scribunt, ne ergo plura eorum furta cognoscantur: qui vtique si ingrati in magistrum non essent, nequaquam criminosi viderentur, neque simpliciores quosque ab eius lectione deterrerent.

Hic notatur d. Hieronymus.

DENIQVE quidam ex ipsis qui se velut euangelizandi necessitatem per omnes gentes & per omnes linguas habere putat, de Origene male loquens, sex millia librorum eius se legisse, quamplurima fratrum multitudine audiente, E cõfessus est. Qui si vtique vt ipse dicere solet, pto cognoscendis malis eius ipsos legebat, sufficere poterant ei decem libti ad cognoscendum, aut viginti certè, vel vt plurimum triginta. Sex milia autem librorum legere, iam nõ velle cognoscere est, sed totam penè vitam suam disciplinis eius & studiis dedere. Quomodo ergo merito iste audiendus est, cum eos culpat qui instructionis suę causa perpauca eius salua fidei regula, atque integra pietate legetunt?

Vt se gerẽdum in lectione Origenis.

SVFFICERE hæc ad ostendendum qualitet de Origenis libris sentiendum sit, puto: quod omnis qui non contentionis sed veritatis studiũ gerit, facilè his tam euidentibus assertionibus acquiescat. Quod si quis in contentione sua petmaneat, nos talem consuetudinem non habemus. Definitum enim est apud nos siquando eum legimus secundum sancti Apostoli commonitionem tenere quæ bona sunt: si quid autem inuentum fuetit in his quod cum fide catholica non consonat, hoc & ab hæreticis suspicamur insertum, & tam ab illius sensu, quàm à nostra fide ducimus alienum. In quo etiam si fallimur, nihil (vt opinor) periculi huiusmodi errore incurrimus. Nam & ipsi, Deo iuuante, permanemus illæsi, vitando ea quæ suspecta habemus, & imptobamus, & accusatores fratrum non inueniemur ad Deum, quia diaboli proprium esse hoc opus dicitur accusandi fratres: vnde & diabolus à criminãdo nomen accepit: simul & maledicorum sententiam quæ à tegno Dei separat eos qui tales sunt, de- F clinamus.

Diabolus à criminãdo sic dicitur.

DIALOGVS ADAMANTII, QVI ET ORIGENES DICTVS EST, DE recta in Deum fide, quo multi hæretici, qui diuersas hæreses ac sectas habuerant, rectè in Christi fidem crediderunt, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno, Regio interprete.

Dialogi argumentum, incerti auctoris.

CVM Origenes præceptor Alexandriæ, id quod solitus erat, faceret, id est, in diuinis rebus occupatus esset, nonnunquam multi philosophi, qui à nostra disciplina abhorrebant, interdum hæretici ad eum disputaturi veniebant: cúmq; frequens instituta esset disputatio, multos Gentiles, quibus vt idolorum insanum cultum detestarentur, persuasisset, ita cõparauit, vt martyrij coronam sint adepti. In iis etiã fuit Ambrosius, qui Origenis æmulus factus, & ab eo nostris decretis institutus, se à Valentini Marcionísque hæresi secreuit & remouit. Quod cùm hæretici quidam tum intellexissent, ma-

G io animo consilióque impulsi disputandi causa venerunt ad Adamátium: delectoq; sermonis sui iudice Philosopho quodam, Eutropio nomine, qui à religione Christianorum abshorrebat, initium fecerunt disputandi. Ad extremum pene vniuersam catholicámq; Ecclesiam fuit victoria: quo factum est, vt multi & Gentiles & hæretici vnà cum Eutropio iudice religionem nostram approbarent, & crederent. Nec verò de rebus tritis & vulgaribus instituta disputatio: Res enim quædam sapiens & elegans in ea continetur. Nam & multas in ea physicorum quæstiones inuenies, & philosophorum qui à nostris institutis abhorruerunt, sententias, pluresq; ex diuinis sacrísque scriptis prolatas, cuius verba & dicta multa, quomodo intelligenda explanandáque sint, multæque propositiones & sententiæ per quæstiones inueniet, qui in ea legenda operam studiúmque positurus est. Nam nec timidè atque ignauè † in eximum egregiúmque virum hæreticorum tela iaciebantur: & vt natura inuictus adamas fortiter veræ fidei opem ferebat, omniáque in se missa tela, veritate ipsa retundebat atque frangebat.

† κτ' τῦ ἐλλογίμου, ad rem ipsam quæ tractatur, referri potest.

Hæretici quidem sunt, Megethius, Marcus, Droserius, Valens, & Marinus: quorum vnoquoque suam sectam disciplinámque defendente, capita hæc proponuntur in ipsa disputatione.

H

TRIA esse principia, Deum bonum, opificem, & malum: ac vnumquodque habere quibus imperet: eáque nihil inter se rei habere, nihil commercij. 1

Principium bonum præesse Christianis, opificem Iudæis, malum Gentibus. 2

Opificem condidisse mundum, qui idem trium vnus sit, & Iudæorum principem. 3

Principium bonum cæteris esse valentius. 4

Ficta & falsa esse Euangelia. 5

Dissidere inter se Euangelia. 6

Alias leges opificem tulisse, alias Christum. 7

Christum non esse opificis filium. 8

Christum eas quæ opificis erant, sustulisse & abrogasse. 9

Manuum Christi porrectionem, Mosis porrectioni esse contrariam. 10

Præceptum illud, Diligite inimicos vestros, cōtrarium esse opificis voluntati. 11

Verbum illud Pauli, Sol non occidat super iracundiam vestram, contrarium esse opificis voluntati & sententiæ. 12

Euangelium legi esse contrarium. 13

Illud Christi, Si quis te percusserit in maxilla, præbe illi & alteram, contrarium esse legi. 14

Illud eiusdem, Sinite paruulos venire ad me, legi aduersari. 15

Illud quod ab opifice dictum est, Adam vbi es? eius cōdēmnare ignorationem, propterea quòd Christus hominum cogitationes nouerit. 16

I

Illud, Ei qui tollit tunicam tuam præbe & pallium, huic loco, Tunicam pro tunica, & esse contrarium. 17

Illud, Induite vos armaturā Dei, vt possitis dissipare maligni tela, opificis verbo & dicto esse contrarium. 18

Christum cæcis aspectū restituisse, opifici videri contrariū, quòd Isaac cæcutienti aspectum non restituerit.

Ex eo quòd sæpe nos exagitemur, atque, vt ita dicam, persequutionē patiamur, & in odium aliorum incurramus, perspicuum esse, nos alterius Dei esse. 19

Nemini veterum planè satis fuisse consilij inopiam. 20

Christi patrem alium esse, alium opificem. 21

Christum non esse iusti filium: & Christum legis nōdum venisse. 22

Si Christus venisset, non futurum esse regnum aliud in terra, Danielis sententia. 23

Christum alienum fuisse, & à lege, & à prophetis, propterea quòd eum Ioannes non agnouerit. 24

Nos alienos fuisse à Christo, qui apparuit, & Christum, qui apparuit, à Deo qui fecit. 25

K

Duo esse principia, non tria, bonum principium & malum: infinitáque esse hæc duo principia, ac non copulata & coniuncta. 26

Cùm tria sint principia, bonum, medium & malum, medium principium posteaquàm paruit bono relaxationem tribuere, malo autem negotium facessere. 27

Medium seorsum homines fecisse, & cum sententiam mutasset, condemnasse. 28

Bonum cum mali homines redemisset, fecisse etiam bonos eos, qui in ipsum credidissent. 29

Animum esse opificis, vt ita dicam, spiraculum, quem non credentem abiecerit. Deinde malum cum eum reduxisset, misericordia permotum eum reuocasse. 30

Nec corpus, nec animum salutem consequi, sed spiritum, qui boni est. Neque enim opificem homines quos finxisset, potuisse absoluere: bonum autem cum spiritum suum misisset, eos viuos edidisse. 31

Bonum, qui misertus esset condemnati animi, eius seruandi causa venisse: eundémque insidiis opificis actum esse in crucem. 32

Christum qui venerit, opificis non esse, sed boni. Eum enim opificis legem abrogasse. 33

Iudæos variasse ac mutasse verbum illud, Non veni soluere legem, sed adimplere. Christū enim dixisse, Non veni adimplere, sed soluere. 34

Non scriptum esse ab Apostolo, Hæc in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram. Eum autem dicere de iis, in quibus Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio. 35

L

Diabolum non esse creatum à Deo: Christúmque ex muliere natum non esse: & corpus non excitari ac resurgere: duas esse radices, bonā & malam, quæ semper in sua proprietate maneant. 36

Deum causam esse hominum salutis, diabolum autem exitij: Deúmq; & diabolum, & angelos, & homines iudicare. 37

Materiam eiusdem esse, cuius Deus est, temporis & æternitatis. 38

Cum materia non fuisse qualitates. 39

Materiam qualitates habere, quæ principio careant 40

Deum materiam fecisse, quæ mutationem quandam qualitatum reciperet. 41

Qualitates sine ortu in materiam venire. 42

Cur materia ordine, & forma careret, habērétque in se, & bona & mala: Deum meliora quidem mutasse, mala autem reliquisse. 43

Christum non humanam carnem assumpsisse, sed cœlestem. 44

Christum opinione & specie, id est, vt ita dicam, phantasticè passum esse. 45

Christum natum esse per Mariam, non ex Maria. 46

Carnem non resurgere. 47

Opificem malum esse, & ea quæ condidit. 48

Alium Deum esse mundi. 49

M

ALIVD ARGVMENTVM IN DIALOGVM *Origenis de recta in Deum fide, incerti auctoris, eodem interprete.*

DISPVTATIO est, siue sermo, quē Adamantius, qui & Origenes dicitur, habuit cum Megethio, Marco, Droserio, Valente, & Marino hæreticis: quorum quidem vnusquisque princeps erat sectæ suæ, sed omnes de vera religione disputandi causa cum Origene vno consensu conuenerāt. Delegerant autem philosophum à nostra religione abhorrentem Eutropium nomine, qui vniuscuiusque sermonis ac disputationis iudex esset, & quasi arbiter. In his Eutropius ipse, exquisita consideratáque vera religione, veritati assensus est, effectúsque Christianus, & plerique cum eo tum Gentiles, tum hæretici. Erant enim vnà, qui eos disputantes audiebant. Victoria autem penes catholicam Ecclesiam fuit: dissipatáque est & dispersa, vt puluis à vento solet, hæreticorum sententia.

ADAMANTII,

A D

ADAMANTII, QVI ET ORIGENIS, DE RECTA IN DEVM FIDE CVM MARCIONIANIS HABITVS SERMO, SIVE DIALOgus Eutropio iudice, à Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno Henrici Gallorum Regis interprete, conuersus.

DIALOGI PERSONÆ.

Adamantius, Megethius, Eutropius, Marcus, Marinus, Droserius, Valens.

E

B

QVI veritatis studiosos humanósque mores persequuntur, atque mundi huius cursum rectè in vita conficere instituunt: ij quoniā fidem in Deū, & amore, & admiratione dignam intuentur, sibiq; proponunt, prǣstantiorem perfectissimámque gloriam consequuntur. Contrà, ij qui instabili sententia, curiosáque cognitione, ac consilio à mente rationéque auerso: ignominiam & dedecus pro gloria, quoniam Deum negligunt, sibi pariunt. Itaque non paruum mihi periculum esse videtur minus tutæ, prauæque in Deum fidei. Fundamentum enim firmamentúmque virtutum omnium, Deo dignam & gloriam & fidem esse arbitror. Quocirca, si tibi videtur, ordiamur disputationem. MEGETHIVS. Occupans Adamantius, pro me verba fecit. Nos enim etiam scimus, fidem cæteris virtutibus antecellere, rectámque de Deo opinionem & sententiam. Iudex igitur sit oportet, qui cum vtrunque nostrûm audierit, exquirat & ponderet, in vtro vera & iusta sit fides. Vos enim magis C Deum contumeliis vexare docebo, quàm gloria afficere: ac veri quidem Dei qui bonus est, notitiam habere non vultis, alij autem pro eo qui bonus est, gloriam & honorem tribuere vultis, cum Christus dicat, Nemo bonus, nisi vnus pater. EVTROPIVS. Mé ne vterque vestrûm iudicem deligit? ADAMANT. Vterque. EVTR. Statís ne meo iudicio? MEGETH. Sto, sequórque tua decreta. ADA. Clari celebrésque auditores adsunt, non vulgares. Si eis iudicium quod rectè interpones, placebit, stabo etiam iis quæ à te verè pronunciabuntur. MEG. Vin tu me primū ex scripturis disputare? ADA. Statuat primum Megethius, quoquo modo sentiat, vt ita demum disputatio atque demonstratio eorum quę constituta fuerint, ex scripturis petatur. MEGET. Definiat prior Adamantius. Is enim etiam prior disputationem instituit. EVTR. Consentaneum & æquum est eum qui initium sermonis fecit, etiam definire. ADA. Deum vnum, eúmq; conditorem & effectorem rerū omnium esse credidi: Deúmque Verbum qui ex eo natus est, eiusdémque est cuius ille essentiæ, ac extremis temporibus hominē ex Maria assumpsit, qui cruci suffixus est, qui excitatus est à mortuis. Credo etiā spiritu sancto, qui semper est. Hic autē etiam definiat. MEG. Tria principia esse dico, Deum Christi patrem bonum, & alterum opificem, tertium malum. Bonus enim neque est opifex malorum, neque ex muliere natus est, neque mundus hic effectus est ab ipso: sed alienus est ab omni malicia, omníque effectione. atque hæc ita se habere docebo. ADA. Principia tria esse posuisti. Quod pollicitus es, exoluas necesse est. Principium enim mihi dici videtur, quòd alicui præsit: quemadmodum etiam dominus dicitur ex eo, quòd aliquibus dominetur. Doce igitur, cui tandem tria principia imperent. MEG. Principium id quod bonum est, Christianis imperat: quod autem efficit, Iudæis: quod verò malum est, Ethnicis. ADA. Súntne hi tres eiusdem voluntatis ac sententiæ, an nihil inter se commune habent? MEG. Nihil est eis inter ipsos commune. ADA. Tres hi, num cum eundem in locū venissent, finxerunt, aut effecerunt homines, an sibi quisque hominem cōdidit, cui etiam imperat? MEG. Non tres condiderunt homines, sed vnus. ADA. Quísnam trium? MEG. Is qui est Iudæorum. ADA. Cum Iudæorū Deus homines effecerit, quomodo aut cur bonus & malus hominibus præsunt? Opifex enim vtrinque bonus esse ostenditur. Si vltro ac sponte eis permisit, non suis ac propriis præesse, opifex necessariò bonus erit, qui sua alienis concessit. Si propter opificis imbecillitatem, bonus & malus arripuerunt, ipsi mali erunt, qui aliena cōcupiscant. EVTR. Eúmne bonum esse dicis, qui ea quæ opificis erāt, rapuit, alieníque imperat? Qui bonus esse potest is, qui rapit aliena? MEG. Nō F rapuit, sed misericordia permotus, filium vt bonū misit, nósque eripuit. ADA. Misereri alicuius, communis est quædam affectio, quæ ad proprium atque accommodatum sibi refertur. Communem illum sensum doloris vtrorū tandem causa suscepit bonus, suorúmne, an alienorum? MEG. Alienorum. ADA. Vtrum misertus est, vt bonorum, an vt malorum? MEG. Vt peccatorum. ADA. Antè quàm peccarēt homines, boníne ab opifice effecti sunt, an mali? Vt ergo bonos expetiuit, aut vt malos. Si tanquam malos, mala appetet. Atqui bonus mala non appetit. Si vt bonos, erit opifex effector bonorum. Bonus igitur. Ex iis enim quæ quisque gerit, nominatur: misericors ex miserendo, aliáque eodem modo. MEG. Nec vt bonos appetiuit, nec vt malos, sed intimis visceribus permotus, misertus est. EVTR. Hoc vult Megethius, neque diem esse, neque noctē, sed medium quiddam his interiectum. Interpretare igitur eius sententiam, si nec bonos, nec malos homines conditos esse cōfirmat. Quid ergo inter bonum & malum interiectum est? MEG. Sunt ista sophismata. Ego enim ex scripturis doceo tria principia esse. ADA. Paríne potestate prædita sunt tria principia, an vnum ab altero differt? MEG. Deus ista prohibeat. Non sunt paria. ADA. Quodnam præstat? MEG. Boni prin-

G cipiū potestate præstat. Ada. Subiecta nec ne sunt imbecilliora principia ei quod est potentissimum? M. Subiecta sunt. A. Omnia igitur pro arbitratu superioris, inferiora principia faciunt. M. Non ex eius voluntate, hi mala agunt, sed omnino eis potentia præstat. Etenim Christus aduentu suo & diabolum vicit, & opificis decreta sustulit. A. Sunt ne hi opificis voluntate? M. Non sunt. A. Eos ergo esse nescit. M. Nō ignorat. Evtr. Dixisti valentiorem esse bonum, atque eos illo alioqui inuito esse: qui hoc fieri potest? Si enim ipse est valentior, neque eos esse vult, & sunt tua ratione ac sententia: profecto vel eos vult esse, vel eosdē tollere de medio nō potest, vel, certe eos esse ignorat. M. Ego Euangelia falsa esse docere possum. A. Quibus rationibus ista docere potes? M. Ex ipsis Euangeliis ea falsa esse doceo. A. Credes ne mihi Euangelia non esse ficta ex eis docenti? M. Credo, si doceas. Dic primùm nomina eorum qui Euangelia scripserunt. A. Christi discipuli scripserunt, Ioannes, Matthæus, Marcus, & Lucas. M. Marcum & Lucam discipulos Christus non habuit: ex quibus conuincimini mendacij. Cur enim discipuli quorum nomina in Euangelio scripta sunt, non scripserunt, sed ij qui non sunt discipuli? Quis ergo est Lucas, aut Marcus? hoc ipso conuicti estis quòd profertis nomina quæ in Euangelio scripta sunt. E. Christus cum discipulos haberet, non magis eis H scribendi Euangelij munus commisit, quàm iis qui discipuli non erant. Quòd quidem mihi non præclarum videtur esse. Discipulis enim ipsis potius onus illud imponi debebat. A. Hi quoque sunt Christi discipuli. M. Fac recitetur Euangelium: túmque inuenies hæc scripta non esse nomina. E. Recitetur. A. Duodecim Apostolorum nomina recitata sunt, non etiam septuaginta. E. Quot Christus habuit Apostolos? A. Primos misit duodecim, deinde septuaginta, qui Euāgelium nunciarēt. Marcus ergo & Lucas cum ex septuaginta essent, Paulo Apostolo Euangelium exposuerunt. M. Fieri non potest, vt isti vnquam Paulum viderint. A. Doceo Apostolum ipsum Marco atque Lucæ testimonium dicere. M. Falsis scriptis Apostolicis fidem non habeo. A. Profer Apostolicum tuum, túmque docebo Marcum & Lucam, Paulo operam dedisse. E. Doce. A. Lego in Pauli Epistola extrema ad Colossenses, Salutat vos, inquit, Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ: de quo accepistis mandata, vt veniat ad nos: suscipite ergo eum, & Iesus qui dicitur iustus, qui sunt ex circuncisione. Hi soli mei sunt adiutores in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio: & quæ sequuntur, Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Demonstrationes rationésque ex epistola protuli. Vides etiam Apostolum ipsum testimonium illis dare. E. Perspicua est conclusio quæ ex his sumpta est. M. Ego alia ratione Euangelia falsa esse demonstro. Ait enim Apostolus Euangelium vnum: vos I autem quatuor dicitis. A. Euangelistæ quidem quatuor sunt, sed Euangeliū vnū. Vnū enim Christum nunciauerunt, idémque dixerunt. Ac si vnusquisque eorum alium atque alium Christum prędicauit, aut nunciauit, vera est tua oratio: sin autem quatuor de vno Christo loquuntur, non iam quatuor sunt, sed vnum. M. Apostolus non dixit, Secundum Euangelia mea, sed, Secundum Euangelium meum. Ecce vt ait vnum esse. Ait etiam, Si quis vobis euāgelizauerit pręterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Cum ille vnum esse dicat, quo ore vos quatuor dicitis? A. Euangelium etiam nos vnum dicimus. Euangelistæ autem sunt quatuor. M. Nec quatuor sunt Euangelistæ, nec vnus. Scribit enim idem his fere verbis, Quod non est aliud præter Euangelium meum, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere in aliud Euangelium Christi. A. Cum Paulus plures Euangelistas esse dicat, cur vnum ais esse? M. Non dixit multos esse Euangelistas. A. Habeo in manibus Apostolum, eúmque dicere ostendo in Epistola ad Galatas, Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquam quod euangelizauimus. Euangelizauimus dixit. Si enim vnus fuisset, dixisset, præterquam quod euangelizaui. Illud autem verbum numeri pluralis, euāgelizauimus, multos significat. E. Verbum hoc, euangelizauimus, multorum est, non vnius. M. Non hos dicit, sed Syluanum & Timotheum. E. Cum prius dixeris Paulum solum esse Euangelistam, nunc etiam alios esse concessisti. Ex quibus illud sequitur, licuisse etiam cæteris discipulis K Euangelium prædicare. Si enim Syluanus & Timothæus, ac Paulus Euangelium nunciauerunt, Paulus autem ait, Secundum Euangelium meum: par est, cum multa Euangelia sint, vnum Euangelium dici. M. Discrepant dissidéntque inter se Euangelia, aliáque alia dicunt: ex quo falsa illa & commentitia esse constat. A. Aliúmne atque alium Christum prædicāt? vnum in hoc ea discrepare existimas? M. Non, sed sunt contraria. A. Statue quod voles, num spiritales, an nudas scripturas esse velis: ac si placet, pronūcia, vt ita instituatur disputatio. M. Nudas, & quemadmodum scriptum est, sic habet, & aliud nihil. A. Christus quidem ait, Filius hominis sum. Est ne ipse hominis filius tua ratione & sententia, ac non Dei? M. Christus Dei est filius. E. Dicebas ea quæ literis mādata sunt, ita habere. Quomodo igitur Dei est filius, cum filium hominis se esse dicat? M. Parabola, cum hominis filium se esse dicebat, vsus est. E. Parabola mentē ne an sensu intelligunt? M. Mente. E. Quomodo igitur dicebas, nudas esse scripturas? Spiritales igitur sunt, atque nudæ: & in quo verbis discrepare videntur, intelligentia eadem inuenitur. M. Partim ex sentētia, partim ex verbis spectantur. A. Docésne de filio hominis parabolam esse scriptam? Recognosce non esse scriptam parabolam. Quibus tandem locis doces, illum esse Dei filium? L Alterutrum enim necessariò concedes. Tua enim ratione & sententia aut mendax Christus inuenitur, quòd cùm homo non esset, tamen se filium hominis esse professus sit: aut spiritales sunt scripturę omnes, etiam si non ascripta sit parabola. Itaque omnem diuinitus inspiratam Paulus esse dicit: atque in intelligentia & spiritu, omnis earum inuenitur consensio: aut spiritales sunt scripturæ omnes, nec iam ea quę nudè scripta sunt, vera sunt atque aperta. M. Vnum esse Euangelium docebo. A. Quisnam Euangelium scripsit, quod vnum esse dixisti? M. Christus. A. Num Dominus ipse ita scripsit, Crucifixus sum, & resurrexi tertia die? Itáne scribit? M. Apostolus Paulus addidit. A. Aderát ne Paulus tum, cum Christus in crucem actus est? M. Ipse simpliciter ac planè Euangelium scripsit. A. Si eum non interfuisse docuero, sed eos etiam qui Ecclesiæ erant persequutum esse & exagitasse, efficieris Christianus? M. An non Christianus sum? A. Quomodo es Christianus, qui ne nomen quidem Christiani ferre æquum censuisti? Neque enim Christianus nominaris, sed Marcionianus. M. Vos quoque Catholicæ Ecclesiæ dicimini: ne vos quidem igitur Christiani estis. A. Si hominis cognomen habuissemus, rectè dixisses. Sin ex eo, quòd totius mūdi sumus, dicimur, quid in hoc est mali? M. Doce igitur an non liceat hominis nomine nuncupari. A. Doceo etiam non solum episcopi, sed ne Apostoli quidem licere appellari nomine. Vter M præstantior maiórque fuit, Paulús ne, an Marcion? M. Paulus. A. Audi ergo, si libet, Paulum qui præstantior est, præcipientem: Significatum est enim, inquit, mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. Diuisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? M. Tu mihi nomen imponis, ego Christianus appellor. Etenim sic Socratici quidam dicuntur. A. Ego Socratis nomen nego, cum qui sit ignorem. E. Si alter alteri nomina imponitis, vterque neget necesse est. A. Quis Socrates sit, nescio, negat etiam hic Marcionem? M. Marcion meus erat episcopus. A. Ex quo Marcion migrauit à vita, tam multorum episcoporum, aut potiùs falsorum episcoporum apud vos successiones fuerūt: cur non successorum nomine appellamini, sed Marcionis qui sectam inuexit? E. Quoniam Apostolus Paulus accusabat Corinthios, quòd nonnulli ipsius, aut Apollo, aut Cephæ nomine appellarentur: ex eo perspicuum est, non esse vtendum episcopi nomine: ad nomen enim quod præstantius est, magis quàm ad id quod inferius, veniendum est. M. Si mihi per vos liceat, docebo tria esse principia, aliúmque esse legis Deum, alium malum Deum: atque ita esse ex nostris scripturis planum faciam. E. Primum doce sint ne tria principia, trésque naturæ: ac tum denique vniuscuiusque administratio videbitur. A. Demonstra tria principia esse: túmque doce

quod

quod voles. M. Doceo alias leges tulisse opificem, alias Christum, quæ sint huius contrariæ. A. Quòd diuersas contrariásque leges esse suspicaris, ex eóne alium aliúmque Deum esse existimas? M. Nemo vnquam ita secū discordat aut pugnat, vt Euangelium legi aduersatur. A. Opificem Iudæorum Deū esse dixisti. Solús ne est & vnus, an multi? M. Vnus est Iudæorum. A. Nullum paruum exemplum par est tractare & proferre, vt id quod dico facilius intelligatur. Vt mulier cùm puerum peperit, non principio perfectum ei cibum adhibet, sed ei lac præbet: deinde maioribus firmioribúsque alimentis vtitur. Didicit enim etiā Apostolus Paulus, pro legis progressu hominibus cibum adhibere, cum ait, Lac vobis potum dedi, non escam, Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.) Sic etiam Deus. Leges enim hominibus pro accessione & incremento dedit, alias Adę, vt puero, alias Noë, alias Abrahę: alias per Mosem, aliásque per Euangelium, ex progressu profectúque mundi incipientis, crescentis, atque perfecti, cum id quod perfectum est, perfecto reseruasset. Ne igitur orationem me, quæ sibi nō constet, habere putes, rationes afferam, quibus docebo, eundem Deum vtrasque leges dedisse. Præcipit enim Abrahæ, vt filium suum interficiat. Deinceps lege sancit per Mosem, cædem non esse faciendam, sed qui parricidium fecerit, vicissim interimendum esse. Quoniam igitur idem ius esse vult, occidere, ac non occidere, túnc duos esse Deos dices, eósque inter se contrarios? E. Idémne præcipit, vt cædes fiat, ac nō fiat? A. Idem, neque in hoc tantum ita esse inuenitur, sed plerunque in multis: estque cum lege sancit, hostias & holocaustomata sibi offerri, & rursus non offerri. Respondeat igitur, sit ne alius is qui Isaac immolari interficíque iubet, alius is qui præcipit, ne fiat parricidium: qui hostias immolari iubet, & qui non immolari. E. Sic est in scriptura: nonnunquam permittit sacrificium offerri, aliquando non vult. Quid ais Megethi? Idem est Deus qui leges mutat, aut duo sunt, quorum vnum opificem esse statuisti, nec iam tria principia sunt, sed quatuor, nec decretum vestrum insistit. M. Iudæorum Deus, idem est opifex: noster autem non est eius filius. A. Qua ratione Christum non esse filiū opificis, doces? M. Quia Christus ea quæ erant opificis, euertit, eúmque illa euertisse doceo. A. Doce eum euertisse. M. Deus qui omnia condidit, præcepit Mosi ex Aegypto decedenti, Parati estote pręcincti lumbis, calceati pedibus, virgas in manibus vestris, & sacculos habentes: aurum & argentum, aliáque omnia auferte ab Aegyptiis. Dominus autem noster bonus, discipulos suos in orbem mittens, ait, Neque calceamenta in pedibus vestris, neque peram, neque duas tunicas, neque æs in zonis vestris. Vide vt perspicuè illius decretis aduersetur. E. Hoc mihi idē videtur, quod occidere, & non occidere: quod offerre sacrificia, & non offerre. Idem est igitur etiam sumere argentum ac peram, & non sumere. Itaque hoc quæro, cū opifex Abrahæ præceperit, vt filium interficeret, num alius sit is qui vetuit parricidium, alius is qui Abrahæ præcepit, vt occideret. A. Quòd si vnus est, qui hæc quę contraria sunt, præcepit, quę ipse præclara esse probauit, etiam si nobis contraria videantur: cur duos esse Deos dicis, quòd quædam in Euangelio cū legis præceptis pugnare videantur, cum minime docueris, quomodo idem legis Deus, qui vnus est, iusserit ac vetuerit parricidium? Si vero ei vt Deo pro varietate temporum, id quod vult licet, aut potius quod vtile probat, lege sancire: idē ostenditur esse qui præcepit, vt viaticum sumatur, & non sumatur. Causa autem quæ sit horum, ego non possum dicere: sed tamen res sunt pares ac similes. E. Quid ais, Megethi? Idémne Deus vnus est, an duo ij qui in lege contraria præcipiunt? M. Hic quidem vnus est: Christus autem non est eius filius. E. Si quòd leges contrariæ videntur, Christum alterius filium esse ais, falleris Megethi. Planum enim factum est, eundem sua sustulisse, id quod etiam tu confessus es. A. Si erat caput quod proponebat, vnius eiusdémque Dei esse docebatur: verum hoc doceo non esse contrarium, sed rerum differentias & dissimilitudines. Qui enim Hierosolymis à Christo mittebantur, mittebantur vt pacem nunciarent: qui autē ex Aegypto, bello à suis opprimebantur. Cham enim filius seruus erit fratribus suis, inquit scriptura de Noë filiis, Sem, Cham, Iapheth. Cham puer seruus erit fratri suo. Oportuit ergo seruos, qui bellum suscepissent, bello deleri & confici. Euangelium vero scit malos vlcisci & occidere. Sic enim ait, Veniet Dominus mali serui in die qua nescit, & in hora qua non expectat, & separabit eum, & ponet partem eius cum infidelibus. Aequum est igitur eos qui iniuria bellum gerunt, iure bello vicissim opprimere. Sic ergo æquū est eos qui pacem nuncient, sine armis nunciare, cum alioqui Esaias propheta dicat, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. Erat autem apud prophetam probatum tempus, cum arma conflari oportebat, cum dixerit, Ex Sion exibit lex, & verbū Domini ex Hierusalem, & iudicabit inter gentes, & arguet populum multum, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non sumet gens aduersus gentem gladium, & non vltra exercebuntur ad prælium. E. Hæc non est discrepantia, cum planum factum sit, Christum etiam de malis supplicium sumere, cum ait, separari seruum malum. M. Propheta Dei qui effecit omnia, cum bellum conflatum esset in populum, superato montis cacumine, manus suas in cœlum ad Deum tetendit, vt multos bello deleret. At Dominus noster, qui sanctus sit, manus suas porrexit, non vt homines de medio tolleret, sed seruaret. Quid ergo est simile? Ille manuum porrectione interficit, hic autem seruat, & liberat. A. Manuum vtriusque porrectiones accuratè ac diligenter considerandæ sunt Mosis atque Christi: ac si pares similésq; sint, præclare se res habebit: sin contrariæ sint inter se, hoc etiam probandum erit. Etenim manuum quidem Mosis porrectio, populum qui Deo fidelis erat, conseruauit: hostes verò afflixit & perdidit. Christi etiam manuum porrectio eodem modo fecit. Si eius manuum porrectio seruauit omnes, & fideles, & infideles, & parricidas, & constupratores, videris aliquid dicere: sin autem ij qui ei crediderunt, seruati sunt, qui autem ei non crediderunt, sicuti Amalec, perierunt: aliquid quod secum pugnat. Manuum enim Christi porrectionem consequuta est eorum qui ei non crediderunt & templi & vrbis euersio, populíque & dispersio & interitus. Similis est igitur vtriusque manuum proiectio: atque illa Mosis Christi figura fuit: vterque enim & fideles seruauit, & infideles perdidit. M. Non est par ac simile. E. Videtis mihi ea quæ afferuntur, non intelligere. Tum enim dissimilitudo esse videtur, cum vnus fideles seruat, alter autem perfidos. Vterque autem idem facere reperiuntur. Nihil ergo contrarium incidit. Cedo si quid aliud habeas. M. Dominus legis ait, Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. At Dominus noster qui bonus est: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. A. Si in solo Euangelio hoc positum esset, recte dixisses. Si verò etiam in lege inuenimus distinctū: Si videris, inquit, bouem errantem inimici tui, nō sines eum perire, sed reductum ei reddes bouem suum. Et rursus ait, Si videris asinum inimici tui cadentem in via, non præteribis eum, quoad cum onere asinum subleuaueris. Quin etiam cū populus Mosen interficere voluit, Dominíque gloria apparuit, atque fas erat eos qui impetum fecissent, hostium loco interimi, & cecidit, vt scriptum est, confractio, periturúsque erat populus, nisi Moses neglectis inimicitiis pro inimicis suis Deum rogasset, cum dixit Aaroni, Occurre exterminatori sumpto in manum thuribulo: quę cum audisset Aaron, occurrit, & cessauit quassatio. Dauid quoque cum eū Saul persequeretur, is nactus locum illius interficiendi, tamen non interemit, sed contrà pro eo precatur. Hieremias etiam coniectus in lacum ab inimicis, non est recordatus iniurias, contráque ipse etiam pro eis rogabat. Dicit autem in litera Euangelij, Discedite à me qui operamini iniquitatem. Vides Euangelium legi consonare? M. In quo consonat? E. Quidni eadē sunt? Quæ Christus præscripsit facienda, ea in lege facta sunt: inimicos iussit diligi, & lex non vlcisci inimicos iubet: quin ne bouem quidem aut asinum iubet negligi. Quid est autem quamobrem nō etiam Christus inimicos qui improbè viuūt oderit, cum dicat, Discedite à me? Hoc non est charitatis, inimicos repellere. M. Propheta Dei qui omnia effecit, quo plures bello interficeret, cohibuit solē, ne occideret, quoad plane deleret eos qui cum populo bellum gerebant. Dominus autem qui bonus est, ait: Sol non occidat super iracundiam

G vestram. A. Hoc iam demonstratum est, fas esse atque pium interfici eos, qui iniustum bellum in dominos conflauerint: ex quibus etiam Christus, eum qui flagitiose defecit, iubet in tenebras exteriores coniici, vbi sit clamor stridórque dentiũ. Quod autem ad illud attinet, Sol non occidat super iracundiam vestram, hoc declaratur non solum præcepto in lege, se re etiam effectum esse, vt scriptũ est, Exacerbauerunt Moysen in operibus suis Aaron & Maria soror eius: sed cum ita vsu venisset, vt Maria in lepram incideret propter iracundiã, non tamen Moses expectauit ab Aarone, dum sol occideret, sed contrà, Deum, vt sororem suam curaret, rogauit. Vide igitur in lege etiam hęc facta esse, vt ne sol in iracundia occidat. Atque etiam propheta apertè ac disertè prædicat, Nolite recordari mala vnusquisque contra proximum suum in cordibus vestris. Ex quo perspicitur, & in lege, & in Euangelio illud inueniri, Sol non occidat super iracundiam vestram. M. Non est scriptum in lege, ne sol occidat. Cur alia aliter profers? E. Vis tantum contendere iniuria Megethi, inuẽtum est factum esse in lege & re & præcepto. Quod enim propheta iubet, non esse mala memoria tenenda, an non tibi videtur esse certius? Christus quidem etiam diei vnus præfinitionem iracundiæ dedit: propheta autem nullo modo malorum & iniuriarum recordationem præscripsit. M. Non es iudex, vt H apparet, sed aduersarius. A. Non Eutropius est aduersarius tuus, sed veritas: ea enim iis qui falsa prędicant, aduersari solet. Inuicta enim & immortalis est veritas, cum sit germẽ boni Dei. E. Ij qui audiunt dicant, num præter æquum pronunciauerim. Nam cum Ethnicus sim, volo esse Christianus. Itaque id quod melius est, sequi debeo. M. Docebo Euangelium legi esse contrarium. E. Contrarium esse, non iam duos Deos esse demonstrat. A te enim concessum est, vnum fuisse qui dicebat, Occide, &, Non occides. M. Hoc ipso non bonus esse opifex docetur, quòd à se ipse discrepat. A. Si quòd contrarias leges tulit, eum bonum esse negas: audi etiam Christũ nulla in re secum pugnare, & tamen cum par esset opifici, diuersas dissimilésque leges tulit. Ait enim, Diligite inimicos vestros: & deinceps dicit fidei hostibus, Ite in tenebras exteriores. Quomodo inimicos diligit, quos in tenebras exteriores coniicit? in hoc quæ inest charitas? M. In lege ait, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Dominus autem qui bonus est, ait in Euangelio, Si quis te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram. A. Præclarissimè & aptè posita sunt legis nomina. Prius enim in lege. Oculũ pro oculo, cum metu temperatum est, vt ne quis audeat alterum oculum effodere, atque à mutua malorum recordatione abhorreant. Vt igitur in lege metus pugnam impediuit: sic etiam in Euangelio eodem modo cautum est, vt non propter leuissimum colaphum cõtradicamus, & mala recordemur, sed cedamus atque pareamus. I Hęc igitur sunt metus & bonitas, quorum vtrunque cõfirmandæ faciendæque pacis vim obtinet. Atque hic quidem metu prohibitus, pugnandi finem fecit: ille autẽ propter bonitatem & æquitatem pacem sequutus est. Quòd si solum in lege talionis leges latas esse contendis, audi Euangeliũ, quod hæc ait, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Cognoscite ex Euangelio ipso planius, vnumquenque pro meritis esse laturum: quemadmodum oculum pro oculo, cum dixit, Qui me negauerit coram hominibus, negabo etiam ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Demonstratum est igitur & ex lege & ex Euangelio, vnumquenque quicquid fratri suo fecerit, id recepturum esse. M. Eliseus, Dei qui omnia effecit propheta, Vrsæ imperauit, vt ex nemore egressa, pueros qui ipsi obuiam prodierant, deuoraret. At bonus Dominus, Sinite, inquit, paruulos venire ad me: Talium enim est regnum cœlorum. A. Vterque puerorũ aduentus cognoscẽdus est: ac si pares sunt ac similes, præclare se res habeat: Omnis enim causa est adeuntibus Qui ad Christum accesserunt, benedictionis causa accesserunt: Qui autem propter risum & contumeliam ad prophetam venerunt, secum traxerunt interitum feræ. Demonstratum est enim, recipere quod quisque egerit. Aequum ergo erat, & eos qui benedictionis accipiẽdæ causa venerant, quod volebant, consequi: & eos qui Dei prophetam contumeliis affecerant, contrà à fera deuorari. Quo etiam modo Iudas, qui multa impiè in Dominum fecit, supplicio affectus est. Christus enim ipse pronũciauit his verK bis, Væ homini illi, per quem filius hominis traditur. Melius enim erat, si natus non fuisset, aut natus mola asinaria suspensa in profundum maris submersus esset. Inuenies autem etiã prophetas sæpe misertos esse multorum, imò verò etiã mortuos excitasse. Quinetiam Somanitis cum prophetam rogasset, filium suum qui mortuus erat, recepit. Planum ergo factũ est, & prophetas vnius Dei esse, & Christum. Vnus enim est, quem tu quasi sciens & prudens, bonum solum esse dicebas, non etiam iustum. Christus qua ratione iubet Iudam, qui iniuria scelestus fuit, iure in mare proiici? In ea enim sententia sum, vt putem, in eos qui peccent, animaduertere iusti esse, non boni. Tua enim ratione & sententia, qui est bonus tantum, non etiam iustus, supplicio afficere neminẽ debet: quòd si puniat, erit etiam iustus. Hoc ergo etiam dicendum est. Perspicuum est enim, opifici qui iustus esset, nullam causam fuisse, cur Iudam puniret, si ab eo nullam accepisset iniuriã. Quin ne diabolus quidem Iudam supplicio affecisset, cũ nulla ab eo iniuria læsus, contráque potius auxilio & re adiutus esset. Quem enim metuebat, clamans, Quid mihi & tibi? venisti ante tempus torquere me? eum à Iuda morti obiectum videbat. Verisimile est igitur ne à Christo quidem qui bonus est, Iudam puniri. Bonus enim punit vnquam neminem. Quẽ L ergo trium in Iudam animaduertisse dicis? Demonstratum est enim iustum qui nec iniuriam accepisset ipse, nec læsus esset, non affecisse supplicio. Qui si puniuit, is quasi vindex necesse est cõstitutus sit ab eo qui accepit iniuriam. Si vero diabolus Iudam puniuit, iustus erit, non malus. Qui enim condemnauit eum qui iniuria traditus est, is est iustus. Ita iustus, non improbus erit. Quòd si Christus supplicium de eo sumpsit, erit contra sententiam tuam. Bonus enim nunquam punit. Si vero puniuit iure, non bene, iustus erit. Audi ergo Apostolum dicentem, Vnusquisque à Christo recipit siue bonum, siue malum. M. Quid est simile? Propheta occidit, seruauit Christus. A. Contrà perfidos perdidit. Vnicuique enim dicebat, Fides tua te saluum fecit. Si ergo vniuscuiusque fides, quę à iudicio voluntatéque proficiscitur, seruare solet, cõtrà perfidia perdidit. E. Ij qui ad prophetam accesserunt, eóne venerunt, vt benedictionem acciperent? A. Minime, sed irrisionis contumeliæque causa, scilicet, eum caluum appellabant. E. Aequum erat pro aduentus studio & iudicio ita eos recipere, præsertim cum Apostolus dicat, à Christo bona & mala receptum iri. M. Opifex nesciebat vbi Adam esset, cum quæreret, Vbi es? Christus autem hominum etiam cogitationes nouerat. A. Cur ergo Christus etiam de Lazaro dicit, Vbi posuistis eum? Vbi esset, fortassis ignorabat? M. Non est hoc scriptum in Euangelio nostro. A. Scis te pollicitum esse ex EuãM gelio nostro esse doctutum. Quoniam igitur hoc tibi placet, cedo cur Deus à principe dæmoniorum quærit, Quod est tibi nomen? Is autem respondit, Legio. Tua ergo ratione & sententia fortasse ignorabat, ob eámq; causam interrogauit. M. Non est simile. E. Vtrunque mihi ignorationis videtur esse, &, Vbi es? &, Quod tibi nomen est? quærere. A. Non quærẽdi studio Deus Adæ dixit, Vbi es? sed suggerere ei atque in memoriam redigere volebat. Ei enim qui prius in beatitudine viuebat, & paulò pòst præceptum violauerat nudúsque erat, cum ab eo quærit, Vbi es? commemorat, & in memoriam redigit, Vide in quibus eras, & in quibus nunc es, cum paradisi voluptatem amiseris. M. Cur ergo in lege ait, Tunicam pro tunica: bonus autem Dominus dicit, Si quis tunicam tuam tollat, præbe illi & pallium? A. Hoc quidem caput simile est illius, Dentem pro dente: sed ne putet nos negligenter iis quæ ponuntur occurrere, etsi maximè iudicis locum tuo aduentu ponendis ex scripturis quæstionibus, occupasti: (qui enim ponit, maior est eo qui explicat) hoc quidem, Si quis tollat tunicam tuam, scriptum est in Euangelio, à patriarchis autem re præstitum est. Ioseph, cùm ei à fratribus tunica detracta esset, non solum pallium præterea dedit, quemadmodum præscribit Euangelium, sed etiam annonam, & in fame ea quæ ad victum pertinebant, ac quàm plurimum pecuniæ. Quinetiam in lege hoc ipsum in præceptis relictum est, Si acceperit frater tuus argentum,

A argentum, aut tunicam, septimo mense & vsuram & sortem ei remittes, & pallium. M. Propheta Dei qui effecit omnia, dicit, Arcus mei intenti sunt, & sagittæ meæ acutæ: Apostolus autem ait, Induite vos armaturam Dei, vt possitis tela maligni ignea extinguere. A. Bonum bono non est contrarium, nec malum malo, nec lumen lumini, nec candor candori: sed nigror candori. Quomodo igitur hæc prophetæ Apostolíque verba putas esse contraria? an ignoras, arcus, gladium, galeam, tela, armáque omnia ad bellum pertinere? E. Propheta vtrius erat, iustíne an mali? M. Iusti. A. Cur ergo malum dicit eum qui iustus est, Apostolus, cum ait, Tela maligni? E. Non idem est. M. Deus originis non fecit vt cæcutiens Isaac rursus despiceret: Dominus autem noster, qui bonus est, multorum cæcorum oculos aperuit. A. Ignoras dispensationem Dei. Qui Abrahæ contra spem & expectationem in senectute liberos dederat, & Tobiæ aspectum concesserat, ne magna opera percurrentes orationem protrahamus, Isaac ne cæcutiret prohibere poterat: sed quoniam Isaac Esau bene precaturus erat, dictum autem Rebeccæ fuerat, Maior seruiet minori, propter duorum populorum mysterium, cæcutiuit, vt inuitus Iacob minori natu bene precaretur, id est, Catholicæ vniuersæq; Ecclesiæ populo, qui Iudæis est posterior. E. Quoniam nos sæpe exa-B gitamur, & in odium incurrimus, non constat, nos esse alterius Dei, & ab eo alieni, qui effecit omnia. Ait enim, Cor regis in manu Dei. Perspicuum est igitur, ipsum originis Deum nos esse persequutum, propterea quòd regum corda habeat in sua potestate. A. Hæc quidem si ante hæc tempora astutè excogitauisses, quoquo modo ratione nixum esset: verùm facilem etiam habuisset explicationem. Quanquam hoc te caput arbitror nō accommodatè, nec aptè ad tempus protulisse. Nunc vero cum rex Deum colat, quid ais de altero, qui in iis qui hunc antecesserunt, illorum corda tenebat, & persequebatur, ac de altero Deo, qui huius cor tenet? Melius enim, & contra ac reges illi ipse imperium administrat. Quæ enim illi euerterunt, ea ipse restituit: & quos illi oderant, ij huic chari sunt: quæ illi templa ac simulachra in honore habebant, & precio, ea idem euertit atque deiecit. Tua ergo ratione & sententia, alius Deus in illis, alius in hoc erat, magnáque in hoc amentia. Neque nos soli exagitati sumus, sed multi etiam prophetæ testimonium dederunt. Quinetiā ante hunc tres pueri. Atque hoc ait propheta, Propter te mortificamur tota die. Hinc etiam Paulus iisdē prophetæ verbis vsus dicebat, Propter te mortificamur tota die. Itémq; Christi discipuli in prophetarū vestigiis insistētes eodem modo exagitabantur. Abhorreas necesse est à regula institutóque prophetarum, apostolorum, atque discipulorum, qui Christi cau-C sa & nomine exagitati sunt. E. Quomodo prophetis abusus est? Si enim prophetæ dicunt, atque ipse eodem modo, perspicuum est eum non inuenisse, sed vsum esse vt præclaris ac legitimis. M. Veterum apertè abusus est nemine? A. Doceo in multis apostolum dicere ac sancire, non repudiare. Scribit enim in priore ad Corinthios epistola, Vt non glorietur omnis caro corā ipso: ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapiētia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redēptio, vt quemadmodum scriptū est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Accuratius autem in eadem epistola exprimit his verbis, Quis pascit gregem, & de lacte grégis non edit? Nunquid secundum hominem hæc dico? nónne etiam lex hæc dicit? In lege enim Mosi scriptū est, Non alligabis os bouis triturātis. Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos planè dicit? Propter nos enim scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat, arare. M. Vides eum Moysis legē dixisse, non Dei. E. Scio eum Mosis legem nuncupasse: sed confirmauit, cum dixit, Nunquid de bobus inquit, est cura Deo? an propter nos hæc dicit? Propter nos enim scripta sunt. Vides eum sancire legē, eáque vsum esse, vt præclarè lata. Nemo enim improba lege, quatenus improba est, ad demonstrandū aliquid vtitur, sed bona atque perfecta. Vt enim tu, qui ea quę à te dicuntur, confirmare volebas, Paulo teste vsus es, vt firma esset oratio tua: sic lege teste vsus est apostolus. M. Ego ex scripturis alium esse Christi patrem, alium opificem docebo. Opifex enim Adæ cognitus fuit, iisque qui pro tempore

fuerunt, quemadmodum ex scripturis perspicuum est: Christi D autem pater, ignotus est, vt Christus ipse enunciauit, cum de eo dixit, Nemo nouit patrem, nisi filius: neque filium quis nouit, nisi pater. A. Magna est in te scripturarū ignoratio. Hęc enim solum à Seruatore dicta esse existimas. Audi Esaiam, qui ait, Cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui. Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Hieremias quoque de eo tanquam rursus non cognito hæc scribit, Omnes me cognoscent à minimo vsque ad maximum eorum. M. Quomodo igitur apud Ezechielem ait, Agnitus sum patribus vestris in deserto? A. Non iam propterea quod Ezechiel dixit, Cognitus sum patribus eorū, ipsi etiam cognouerūt eum. Etenim Dominus noster Iesus Christus, cum tādiu cum discipulis versaretur, dicebat, Nemo nouit filium, nisi pater: & tamen videbatur ab omnibus, sed non agnoscebatur, cum diceret, Discedite à me qui operamini iniquitatem, qui nunquam vos noui. an non is qui corda nouit, non nouit ipsos? Verum non eo modo viuebant, quo volebat. Intelligere enim cognoscere dicitur. Quemadmodū etiam Dauid scribit his verbis, Patres vestri non intellexerunt mirabilia mea in terra Chanaam. Atqui viderunt. Neque enim ex eo quòd quis videt, iam etiam intelligit. Perspicuè inueniris non solum à prophetis discrepare, sed etiam Euangelio: Cum enim Christus ab omnibus plane videatur, & E dicat, Nemo nouit filium: vos prophetas ei aduersari putatis. Apertè igitur & Christus, & prophetæ Dei cognitionem & ignorationem indicauerunt. E. Perspicuum est in scripturis intelligere positum esse pro cognoscere. Cum enim propheta dicat, Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit: tamen Christus versans cum discipulis, dicebat: Nemo nouit filium, nisi pater. Quinetiam cum intelligeret, tamen eis dicebat, Nunquam noui vos. E. Euidentior mihi est demonstratio illa, Christum non esse iusti filium. Legis enim Deus nondum venit. Si enim venisset, exitum haberent ea quæ de eo à Dauide prædicta sunt his verbis: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et rursus, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & quæ sequuntur: Reges eos in virga ferrea. Ex quibus hoc intelligitur, Christum qui venit, alium esse, quòd ne reges nec principes contra eum fuerint: neque gentes rectæ gubernatæque sint virga ferrea. A. Ij qui regia potestate præesse videbantur Israëli, & principatum obtinere, habebántque ius & necis & salutis, omnes Christum oppugnarunt: easque virga ferrea rectas gubernatásque esse docendum est Danielis prophetia, cuius hæc verba sunt: Post aureum, argenteum, & F æneum, suscitabitur regnum ferreum, quod Romanorum esse demonstratum est, quo gubernati sunt ij qui Christum oppugnauerunt. Gentes enim ei hæreditario iure datæ erant, de qua hæreditate Dauid hæc scribit, Domine memento nostri in beneplacito populi tui: visita nos in salutari gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua: perspicuum est igitur, hanc esse gentium hæreditatem, quam postulauerit. E. Si regum & principum potestas non præsto erat, quî fieri potest, vt Christus sublatus sit in crucem? M. Daniel ita scribit, Vidi, & ecce lapis excisus est ex monte sine manibus, & percussit simulachrum, & fecit illud quasi puluerem, & exuflatus est à vento. Lapis erat regnum ex Deo, in gloria apparens: & simulachrum, regnum quod est in terra constitutum. Perspicuum est igitur, Christū, quem lex ac prophetæ promittunt, nondum venisse. Si enim venisset, in terra regnum alterum non esset, quemadmodum Daniel indicauit. Ex eo autem quòd regna omnia constituta sunt, Christus qui à lege & prophetis prædicitur, nondum venisse ostenditur. A. Quæ rectè in scripturis dicta sunt, ea vis perperam intelligere. Prophetæ enim atque Euangelium duos Christi aduentus exponunt, vnum humilem, clarum alterum. Ac de priore quidem Esaias hæc dixit, Vidimus eum, & non habebat speciem, nec pulchritudinem: sed species eius in gloria, deficiens supra omnes filios hominum. Et rursus, Ecce puer quem elegi, dilectus in quo complacuit anima mea, non contendet, nec clamabit in plateis: calamum con-

G tritum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Rursus etiam, Gaude filia Hierusalem vehementer, prædica filia Sion: Ecce rex tuus venit mansuetus, sedens super asinum. Quemadmodum in Euangelio explicatum est, eum in asina sedẽtem Hierosolyma venisse. Perspicuũ est ergo, eum aliàs clarum venisse, aliàs mansuetum. Intellexit autem etiam Paulus Apostolus clarum eius aduentũ, cum ait, In iussu Dei, in voce archangeli, in nouissima tuba descendet Dominus de cœlo, & mortui resurgent primi: deinde etiam nos qui relinquimur simul cum ipsis, rapiemur in nubibus obuiam ei. Sicuti etiam Daniel ait, Vidi quasi filium hominis per nubes venientem. Ait autem etiam in Euangelio, Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet vsque ad occasum: ita erit aduẽtus filij hominis. Clarissime apertissiméque ostẽsus est prior eius aduentus humilis fuisse, posterior autem qui futurus est, clarus. Cum ergo in terra esset, aliúmque aduentum denunciaret, eum qui cum gloria coniunctus esse debet: vos fortasse vtrique eius aduentui repugnatis. Nam nec priorem eius aduentũ agnouistis, nec alterũ expectatis, cum ea quæ diuinitus præcepta sunt, non intelligatis. M. Certa tibi ratione demõstrabo, alienum fuisse legis prophetarúmque Christum. Ioannes enim eum nõ agnouit: id quod fieri non poterat, eum qui H à primo ortu propheta fuit, ignorasse Christum suum. Cum enim in vinculis Christi facinora factáque auditione accepisset, suos ad eum discipulos misit, qui hoc ab eo quærerent, Tú ne es qui venturus est, an alium expectamus? A. Si de Christo Ioannes interrogasset, dixisset, Tú ne es Christus? Ait enim, Tu es qui venturus est an alium expectamus? Nunc vero non est prudentiæ eorum qui adsunt, exquirere, Tu es, qui dicebas, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. non ignorabat eum esse: sed quoniam præcursor fuit apud etiam inferos, interrogabat eum qui iam dicebat, Vado, & mitto paracletum, id est, Spiritum sanctum. Aliter autem etiam id quod verius est disce. Quoniã eius discipuli, Christi quidẽ aduentus duos legebãt, sed ignorabant, num ipse esset is, qui ex mundo egressurus esset, Ioãnes qui Domino discipulos tradidisset (fas enim erat eos qui ab Ioanne docti erãt, postea Christo tradi) Ioannes inquã, discipulos misit, vt eum esse discerent, ne post ipsius mortem versarentur in errore. Abite ergo vos ipsi: audite, inquit, vnum ipse sit. Videte etiam, quid Christus respõderit. Cum discipulos accepisset, vellétque opera ostendere, proposuit hæc verba, Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Ipse igitur eos cum recepisset, operibus factisq; monebat vt se veritatem omnem esse crederent. M. Sic alieni eramus & abhorrentes à Christo qui apparuit, & Christus qui apparuit, à Deo, vt Paulus nos à Christo emptos esse dicat. Perspicuum est igitur nos alienos fuisse. Nemo enim vnquam suos emit. Emit enim alienos, non suos & proprios. A. Nimium ab eo quod cõsentaneum est, abestis. Quod enim I cogitasti, si docuisses, rectè se res haberet. Si vero ratione venaris quę non explicatur, non piè sentis. Ementem Christum esse dicebas, quod vendidit, quid est? Non nosti simplicem fabulam illam, Qui vendit, & qui emit, fratres sunt? Si Diabolus qui malus est, bonos vendidit, nõ est malus, sed bonus. Qui enim ab initio homini inuidit, nõ iam nunc inuidia fertur, cum bono pabulum tradiderit. Erit igitur iustus, qui inuidiam malúmque omne deseruerit: Deus ergo ipse vendidisse inuenitur, aut potius homines qui peccauerunt, peccatis suis semetipsos abalienauerunt: ac rursus pro eius misericordia redẽpti sunt. Hoc enim scribit propheta, Peccatis vestris venditi estis, & iniquitatibus. emisi matrem vestram. Et alius rursum, Gratis venditi estis, & non argento redimemini. Illud, Non cum argento, non est dubium, quin Christi sanguine. Hoc enim propheta ait, Ipse vulneratus est propter peccata nostra: liuore eius sanati sumus. Verisimile est autem, eum emisse tua ratione & sententia, profuso sanguine. Quomodo igitur etiam à mortuis excitatus est? Qui enim accepit hominum precium, sanguinẽ reddidit, non iam emit. Si non reddidit, quomodo Christus excitatus est? Non igitur iam illud stat, Potestatem habeo ponere, & potestatem habeo sumere. Diabolus enim Christi sanguinem pro hominum precio habet. Amentia ista magnam habet contumeliam. O mala. mortuus est, excitatus est pro sua potestate: posuit, quod K accepit. Hæc quæ venditio est? cum propheta dicat, Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Vbi resurrectio est, ibi est mors. E. Non ab alio emisse mihi videtur. Doce quis vnquã sua emat. A. Christus ipse consentiens cum prophetis dicebat, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. M. A peccato emit. E. Perspicuum est, eum peccatum Dominum appellasse, & redemit impropriè emisse dixit. M. Non dixit, peccatum Dominum esse. E. Magna ignoratio est, dicere, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: non planè demonstrauit. A. Apertius docet oratione apostolus his verbis, Cum essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quomodo enim dicatur Dominus, non extante eo cui imperet? E. Hoc planè demonstratum est. M. Christus plane dicit, Nemo potest duobus dominis seruire. Cur alia pro aliis inducitis? A. Quot eum dominos inuenisse existimas. M. Quemadmodum in Euangelio scriptum est, Non potest arbor mala fructus bonos ferre: neque arbor bona ferre fructus malos. Duo domini ostensi sunt. Vides naturas duas, duos dominos? A. Cur non omnia quæ consequuntur his in verbis, non protulisti, sed delectis iis quæ tecum facere putas, ea sola dixisti? Dicam igitur, vt scriptum est: Nemo, inquit, L potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. E. Mammona quæ vult dicere? A. Pecunias & argentum. Tibi autem hoc persuadebit verbum illud extra petitum, Vnusquisque à quo victus est, ab eo etiam oppressus est seruitute. Vetat igitur Christus ne pecuniis addicti simus: nec mammonæ seruiamus, sed vt Deo vni adhærescamus præcipit. Omnis, inquit, qui facit peccatum, seruus est peccati. E. Si mammona propriam naturam esse vult, propriúmque principium, id est, pecunias: non iam vnum aut duo erunt principia, sed quàm plurima. Erit enim sol, qui naturam suam habet ac principium: erit etiam luna eodem modo, & stellæ atque aër & aqua. Quomodo igitur ais pecunias proprium principiũ, propriámque naturam habere? M. Non ego dico, sed Christus dixit his verbis, Non potest arbor mala fructus bonos facere, neque arbor bona fructus malos facere. A. Caput hoc non naturæ causa dicitur, sed hominũ: ac si de naturis dixisset, fructus non nominasset. Fieri enim non potest, inquit, vt mutẽtur. Ex Euangelio etiam doceo, eum de hominibus qui sunt suæ potestatis, non de principiis dicere. Sic enim ait, Veniunt ad vos in vestimentis ouium: intus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Rursum etiam ait, Bonus homo ex bono thesauro profert bona: & malus homo ex M malo thesauro profert mala. Ex abundantia cordis os loquitur. Ex corde enim exeunt cogitationes malæ. Vide seruatorẽ ex vna natura & bonum & malum proferri dicere. M. Non de hominibus hoc dicit. E. Hoc quam rationem demõstrationémq; euidentiorẽ quęris? A. Immutabiles tu naturas esse dicis. In Euangelio autem dicit. Ex lapidibus suscitari Abrahæ filios. Hoc etiam ait Paulus Apostolus, Qui prius fui blasphemus, & persequutor, & contumeliosus. Vtra arbor erat, boná ne an mala, responde. M. Non de Paulo quæro. A. Persequutor erat prius: pòst factus est Apostolus. Quomodo igitur arbor mala, arbor bona effectus est, si non potest arbor mala fructus bonos ferre? Iudas quoque vtra arbor erat prius?

Prima catholicæ Ecclesiæ victoria.

MARCVS MARCIONISTA. Ego statuo, non tria esse principia, sed duo malum & bonum principium. A. Súnt ne per se & à se nata principia ista duo ac sine principio: an vnum habuit sui status principium, alterum non habuit, sed principio carent? MARC. Per se extiterũt, ac principio carent. A. Infinitá ne sunt principia duo, an finita? MARC. Infinita. A. In omnem igitur partem & malus pertinet, & bonus. Quod enim infinitum & interminatum est vbiq; videtur esse. MARC. Vbique est & bonum & malũ. A. Copulata ergo sunt, alterúmque ab altero contingitur. M. Nec connexa sunt, nec alterum ab altero tangitur. A. Quod igitur ab aliquo disiungitur & abest, id vrique non est. Quì ergo possunt res duæ ex infinitis partibus constare, quæ inter se sint

A se sint separatæ? Quæ enim alia ab aliis secreta disiunctáque sunt, ea necessario in fine reperiuntur. Quod autem finem habet, principium etiam habebit. Quod porro principium habet, terminum quoque habet. Neque ergo principio, neque termino carere existimabitur. Necesse est vero locum qui continet, maiorem esse iis quæ continentur. E. Si disiuncta sunt inter se duo principia, necesse est Deum in parte esse dicere. Ex partibus autem Deum constare, atque terminum habere, nemo qui quidem mentis sit suæ, opinabitur. Quòd si duo principia per se alterum per alterum progredi velint, quorum vnum, bonum sit, alterum, malum: necessario & bonus mali, & malus boni erit particeps. MARC. Suam quisque vim habet. A. Etsi vnusquisque vim suam obtinet, tamen par est vnumquemque sui creationem habere. Vtrius ergo ais esse homines, boni ne an mali? E. Quomodo bonus ea quæ mali sunt, complexus est, cum principia duo pares vires habeant? MARC. Videns bonus fore vt homines condemnarentur à malo, cũ venisset, à condemnatione liberauit: ingrati autem animi vitium remissionémque peccatorum condonauit. E. Vti tandem homines peccauerant? M. Malo. E. Quisnam aniles sermones tuos feret? Qui suo Domino peccauerunt, ii ne ab alio peccatorum veniam consequi possunt? A. Cur eorum vnum malum, alterum bonum dicitis? verbis ne solis contenti, an re ipsa, vnus, bonus, alter, malus videtur? M. B Rebus ipsis sunt malus & bonus. A. Quomodo? M. Quia bonus salutem dat: malus condemnat. A. Ex eóne quod salutem det, bonus dicitur? M. Certe. Boni enim est seruare. A. Causa igitur huius bonitatis erit malus. M. Quonam modo? A. Quia nisi opificis homines peccassent, eius nunquam bonitas perspecta esset: vt si nemo esset peccator, Deus nunquam bonus appellatus fuisset: causáque eius bonitatis peccatorum extitit condemnatio. Alio autem etiam modo non fuisse ab initio bonus intelligitur, si eum bonum dicis ex eo quòd seruet. M. Semper est bonus. A. Quando salutis hominum causa descendit? M. Quemadmodum scriptum est in Euangelio, Tiberio imperante, cum Pilatus prætor esset. A. Posteaquam hominem opifex finxisset, sexies millesimo anno descendit? Qui ergo tandiu neminẽ seruauit, quomodo bonus erat? M. Semper bonus fuit. E. Dixisti ex eo bonum illum dici, quòd det salutem: à te autem concessum est, eum descendisse imperatore Tiberio Cæsare. Perspicuum est igitur eum, ex quo tempore salutem dedit, ex eo etiam cœpisse bonum dici. A. Si ex eo quòd seruat, bonus dicitur, necessario etiam opifex bonus intelligendus est. Seruat enim multos etiam ille, vt lex promittit & prophetæ. Seruat igitur vterque eodem modo: sed vnus malus, alter bonus vobis videtur. MARC. Bonus, bonus est in omnia. C Opifex autem eos qui ipsi obediant, seruaturum se esse pollicetur. A. Bonus omnés ne seruat & parricidas, & adulteros, an eos modò qui ipsi credunt? M. Eos seruat, qui ad ipsum cõfugiunt. E. Si vterque eos qui ipsis obtemperant, seruat eos autem qui non credunt, repudiat, quænam boni est dissimilitudo & differẽtia? Inuenitur enim vtriusq; par & similis voluntas. M. Bonus eos qui ipsi crediderint conseruat, non tamen condemnat eos qui sibi non crediderunt. Opifex autem cum eos qui ipsi crediderunt seruet, peccatores & iudicat & punit. A. Bonus ergo, vt ais, iudicat neminem. M. Non. A. Si bonum iudicare docuero, credis ne vnum Deum esse, non alium esse? M. Non doces. A. Apostolò ne credis? M. Apostolico meo fidem habeo. A. Habeo Apostolicum tuum, ac recito, quod tale est, Iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum. M. Cum iudicij nomen dixit, bonorum atque malorum declarat, & mercedem quæ eis tribuitur pro dignitate: cum autem cõdemnationem, malorum scilicet ac impiorum intelligit: iudiciúmque id, quod ex Euangelio per Iesum Christum fit, quo etiam occulta hominum redarguentur, pro dignitate, & iustitiæ & iniustitiæ remunerationem tribuet. A. Audi eundem Apostolum, qui hæc scribit, Ego enim vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu cũ virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi Satanæ in interitum. Er rursus ait, Qui cõturbat vos, portabit iudiciũ. A quo D is qui perturbat Ecclesiam, portabit iudiciũ, respõde, à bono, an à malo feret iudicium? Si à malo, Christus mali esse ostenditur, & Apostolus. Sin à bono, perspicuũ est bonum esse iudicem. Vbi ergo ponimus scripturam, quæ ait, Quæ enim seminauerit homo, hęc & metet? Et rursus, Vnus quidẽ iudicat diẽ inter diem: alius autem omnẽ diẽ. Vbi etiam vox illa seruatoris, Qua mẽsura mẽsi fueritis, remetietur vobis? Et, Quicunque negauerit me corã hominibus, negabo eum corã patre meo qui est in cœlis. Et illud, Nõ veni, inquit, mittere pacem, sed ignẽ. Et illud, Vę vobis Scribę. Et rursum Apostolus, Siquidẽ, inquit, iustum est apud Dominũ reddere iis qui tribulant vos, tribulationem, & vobis qui tribulamini, remissionẽ. Quis igitur sit, qui, vt ita dicam, tribulationẽ reddat, responde. M. Malus. E. Malus si reddit tribulationem, perspicuum est etiam eum remissionem ante tribulationẽ. Cum ergo à Deo tribulationem & remissionem accipiamus, quid alio Deo opus est nobis? Planè demõstratum est, Deum esse iudicem, atque vnum esse: superuacaneæque sunt fabulæ ac minus necessariæ. MEG. Primus ego hoc verbum Apostoli planius docebo, Siquidem, inquit, iustum est apud Deũ reddere iis qui tribulãt vos, tribulationem, & vobis qui tribulamini, remissionẽ. Meminisse enim debes, me tria prĩcipia posuisse, bonum, medium, & malum. Medium quidem cũ bono obtemperauit, dat remissionem: cum autem malo morẽ gessit, tribulationem affert. A. Minister igitur est medius mali E & boni, neque vllam in se libertatem potestatémque habet, cum sit vtrique subiectus. Verisimile est autẽ, nihil agere pro sua affectione, sed omnia quæ bonus ac malus velit. Cedo cuius voluntate medius homines effecerit. MEG. Hic sua voluntate homines finxit. Pœnitet, inquit, me, quòd feci hominem. Eum igitur pœnituit fecisse improbos, eósque & condemnare voluit, & perdere. Bonus igitur passus non est, sed generis hominũ misertus est. E. Non est boni, nõ sinere mala tolli. Ea autẽ cum opifex de medio tolleret instrueret, bonus eorũ quæ mala sunt, misertus est. Multo eñ melior est is qui mala esse non vult, eo qui eadẽ vult & conseruare & seruare. Marc. Bonus cum homines qui mali erãt, improbo eripuisset, mutauit, fecítque bonos eos, qui ipsi credũt. A. Quoniã dixisti, bonũ cũ eripuisset, mutasse homines in bonitatẽ, dic cur bonus animo & corpori salutẽ datũ venerit, aut animo soli. MEG. Animo soli. A. Animus boni ne est, an opificis? MEG. Animus est opificis flatus. Cũ igitur animum effecisset, eũ malũ & rebellẽ vidit, eúmq; abiecit. Malus autẽ, qui abiectũ animaduertisset, ad se reuocauit. Bonúsq; pro sua misericordia eum malo eripuit. A. Bonus cum animũ improbo ademisset, eúm ne opifici dedit, an sibi retinuit? E. O magnam bonitatem, aut potius impietatem. Accepit, inquit, à malo, vt opificem suo flatu priuaret. A. Doceat, quomodo proiecerit, condemnarítque animum opifex. MEG. Cum F comedit ex ligno quo ne vesceretur, vetuerat: tum denique in condemnationem, & interitum incidit. A. Recita, quî animum condemnauerit. MEG. Recita ea, quæ in Genesi scripta sunt. A. Recito opificis sententiã quo loco demonstrabitur, vtrum condemnatum sit, corpús ne, an animus. Dicit enim hoc modo, Quia audisti vxorem tuam, & comedisti ex ligno, ex quo solo præcepi ne comederes, maledicta terra in operibus tuis: in laboribus comedes eã omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos proferet tibi, & comedes fœnum agri: in sudore vultus tui vescẽris pane tuo, donec reuertaris in terram ex qua sumptus es, quoniam terra es, & in terram ibis. Hæc vtrum condemnationis animi est sententia, an corporis? E. Sententia, corporis condemnatione, non animi, declarat. Ait enim, Donec reuertaris in terram, ex qua sumptus es, quoniam terra es, & in terram ibis. A. Quod opifex condemnauit, id, inquit bonus seruauit. MEG. Ei male precatus est. quid est igitur, quamobrem non condemnauerit? A. Non homini male precatus est, sed terræ. Ait eñ hoc modo, Maledicta terra in operibus tuis. MEG. Homo igitur non est ex terra. E. Paulò antè dicebas, animum partem & flatum opificis esse. Nunc quasi oblitus, ex terra eum sumptum esse dicis. A. Num igitur bonus animi qui condemnatus non erat, seruandi causa venit? E. Si corpus

G condemnatum est, neque id, eorum ratione & sententia, est, quod seruatur, sed flatus eius qui condemnauit, id est, vt aiunt, animus: perspicuum est, Deum seruasse id quod erat, & illius pars erat, ei autem qui condemnatus est, & ex terra constabat, non profuisse. MARC. Hæc contra Megethium præclare dicta videntur, sed contra decretum nostrum ratio nihil concludit. Nos enim nec corpus, nec animum dicimus, sed spiritum, quemadmodum ait apostolus, Tradidi huiusmodi in interitum carnis, vt spiritus saluetur. A. Est ne opificis spiritus quem homo habuit, an boni? MARG. Boni. A. Bonus ergo & opifex communi consilio & consensu, hominem effecerunt. MARC. Quomodo? A. Dixisti ne animum opificis esse & corpus, spiritum autem boni, an non? MARC. Opifex cum hominem effecit, & ei inspirauit, eum absoluere non potuit. Cum autem bonus è cœlo vidisset versari id quod fictum erat, & † ex spiritu suo misit, hominémque protulit. Hunc igitur spiritum nos seruare dicimus. A. Omnés ne homines ex hoc spiritu habent, an ij qui boni auctoritatem sequuti sunt? MARC. In gratiarum actione venit. A. Cur ergo eum dicebas salutis hominis causa descendisse? non iam igitur seruatum hominem venit, sed spiritum suum. Salutem ergo boni spiritus desyderat. O insi-H gnem impudentiã. Boni spiritus cum homine ab opifice condẽnatus est. MEG. Non. A. Quod ergo condẽnatum non est, eius seruandi causa venit. E. Aut enim vnà cum homine condemnatus est boni spiritus, qui missus est, meliúsque est opifici qui potentior sit, parere (qui enim potuit boni spiritum condemnare, quid est quamobrem non is maiore ratione condemnatutus sit homines, qui effecti sunt ab eo, quod non ipsius dicto audientes fuerint?) aut non condemnatus est spiritus, & superuacaneum est eum salutis hominum causa venisse dicere. MEG. Bonus cum animum condemnatum animaduertisset, pro sua misericordia venit. Opifex autem ei insidias voluit facere. Itaque eum in crucem tollendum censuit. A. Morí ne ipse salutis hominum causa voluit, an ab alio coactus est? MEG. Opifex cum bonum legem suam abrogare cerneret, ei insidias fecit, quòd minimè intelligeret, boni mortem saluti hominum fuisse. A. Morí ne salutis hominum causa ipse voluit, an ab alio ei imposita est necessitas? MEG. Voluit ipse. Non enim ei à morte facta est iniuria. A. Non igitur iam ei opifex insidias fecit. E. Quis adeò stultè dicet insidias ei factas esse iis in rebus, quas ipse ferre voluit? Si enim ipse mortem elegit, superuacaneum est insidias dicere. Si verò opifex eum coëgit, ipse salutis hominum auctor est, non bonus. MARC. Nos scripturis docemus, Christum qui venit, opificis non esse, sed boni. Etenim legem opificis sustulit atque dissoluit. A. Quibus scripturis I hæc doctorum te esse profiteris? MARC. Euangelij apostolíque testimoniis. Neque enim Iudaicis verbis fidem habeo, propterea quod alterius Dei sunt. A. Si Euangelij apostoliq; testimoniis docuero, desinés ne maledicere? MARC. Neque enim legi pareo, neque prophetis. A. Vtrum Euangelio, nécne? MARC. Ei credo. A. Profero atque doceo eum qui legem & prophetas non probet, ne Euangelium quidem approbare. Ait autem Christus hoc modo, Homo quidam erat diues: & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: mendicus autem quidam Lazarus nomine iacebat ad ianuam vlceribus plenus, & cupiebat saturari iis quæ cadebant de mensa diuitis: sed & canes venientes lingebant vlcera eius. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Attollens igitur oculos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit, Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Abraham autem dixit. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt ij qui volunt, ad vos transire non possint, nec inde huc transmeare. Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei (habeo enim quinque fratres meos) vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Dicit ei, Habent K Mosem & prophetas: audiant illos. Ille autem dixit, Non pater mi: sed si quis ad eos ex mortuis ierit, credent. Ille autem dixit, Si Mosem & prophetas non audiant, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei. Quis ergo excitatus à mortuis, ea quæ euenient in iudicio docuit, nisi solus Christus? Omnes igitur, qui Mosem aut prophetas non approbauerant, ne eum quidem approbauerunt, qui à mortuis excitatus est. MARC. Apud inferos Abraham esse dixit, non in regno cœlorum. A. Recita, vt intelligas eum non apud inferos Abraham esse dicere. MARC. Ex eorum colloquio & sermone, simul eos esse intelligimus. A. Colloquium commune audisti, chaos autem magnum quod dicebatur, non audisti? Quod enim interiectum est inter cœlum & terram, chaos appellat. MARC. Fieri ne potest, vt aliquis à terra cœlum intueatur? Fieri non potest. Erectis oculis videre ex terra potest: aut potius ab inferis in cœlum respicere: nisi fortè perspicuum est vallem inter ipsos interiectam fuisse. A. Corporei oculi ea solum quæ in proximo sunt, solent cernere: animi autem oculi procul aciem suam intendunt. atque perspicuum est, eos qui corpore hinc disiuncti sunt, se inter se animi oculis videre. Attende enim quomodo dicat Euangelium, Eleuans oculos suos in cœlum, L quòd naturæ vi possit tollere, non in terram. E. Christus, vt mihi videtur, iustorum iniustorúmque dissimilitudinem ac differentiam docens, hoc loco proponit pauperem & diuitem. Quid enim erit aliud regnum cœlorum, nisi videlicet, bonum? aut quid aliud gehenna erit atque condemnatio, nisi malum? quemadmodum in Euangelio recitatum est, Fili, inquit, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris. Planè autem eos etiam, qui Mosi & prophetis non credunt, ne sibi quidem qui à mortuis excitatus est, credere pronunciauit. MARC. Nos legem & prophetas non recipimus. Neque enim sunt nostri Dei. Euangelium autem & apostolum recipimus & approbamus. A. Quemnam apostolum? Multos enim apostolos Christus habuit. MARC. Paulum. A. Vnde nosti Paulum esse apostolum? Si enim in Euangelio eius nomen scriptum habes, doce. Si nullo in loco illud scriptum habes, vnde eum apostolum esse didicisti? MARC. Ipse de se scribit his verbis, Paulus apostolus Iesu Christi. A. Nemo sibi testimonium dicens, dignus est cui credatur. Paulus enim ipse ait, eum qui se commendet, probatum non esse. Nec quisquam alius sibi testimonium dedit, nec Euangelium. Vnde igitur hic apostolus? MARC. Vos vnde eum nostis apostolum? Neque enim in Euangeliis scriptum est. A. Iube recitari Acta apostolorum, & epistolas: túmque inuenies de eo testimonium: alicubi quidem vt vas electionis M Christus eum esse professus est: alibi autem Petrus eum apostolum scripsit: Secundum sapientiam, inquit, datam fratri meo Paulo. E. Approbatis, Marce, Acta apostolorum & discipulorum qui dicantur, vt vera, néc ne? MARC. Nos præter euangelium & apostolum nihil recipimus. E. Acta & epistolæ quorum sunt apostolorum? Memoria enim teneo in euangelio duodecim esse ac duos & septuaginta. A. Quorum in euangelio scripta sunt nomina, eorum etiam & Acta sunt & epistolæ & Euangelia. Ac si placet, recito quemadmodum euangelij nunciandi causa missi sint. E. Recita. A. Recito ex euangelio: Conuocatis autem duodecim, dedit eis virtutem & potestatem, super omnia dæmonia, & vt morbos curarent: & misit eos prædicare regnum Dei, & curare. Et paulò pòst subiiciens ait, Egressi autem ambulabant per ciuitates & vicos, euangelizantes & curantes vbique. E. Quomodo, Marce, eos qui à Christo euangelij nunciandi prædicandíque causa missi sunt, non recipitis? cuius autem rationes non profertis, recipitis? ac Matthæum quidem & Ioannem, quorũ nomina literis mandata sunt, contemnitis, quos etiam Christus prædicandi nunciandiq; euangelij causa misit: Paulum autem, cuius demõstrationem probationémque nullam habetis, probatis? Quidni etiam ridiculum sit? Hoc mihi velim respondeas, vtrum prædicauerint, euangeliúmque nunciauerint, néc ne. MARC. Prædicauerunt. E. Prædicauerúnt ne ita, vt aliquid scriptum reliquerint, an nihil?

Marc.

A MARC. Nihil. E. Valde stultum est. eos qui prædicatum, Euangeliúmque nunciatum missi sunt, prædicasse dicis: Paulum autem qui non est missus, scripto docuisse dicis. Versimile est ergo eos illis qui tum solum audiebant, salutem nunciasse: iis autem qui illos consequuti sunt, nullam intelligentiam suppeditauisse. Quæ enim sine scripto dicuntur, paulò post desinunt, quòd probationem non habent. A. Sed quomodo Christum Dei filium esse sciant, respondeant. Si enim & legem, & prophetas qui antea prædicabant, recipiunt, bene se res habeat: illi enim prædicebant, fore, vt verbum Dei homo fieret, atque in crucem tolleretur, generique hominum salutem daret. Sin autem eos qui prædicebant & informabant, non probant, vnde scire possunt Christum Iesum esse Dei filium? E. Vnde eum Dei filium esse cognouistis? MARC. Ex Euangelio & Apostolo. A. Atqui in euangelio non Dei filium, sed hominis filium esse profitetur. MARC. In Euangelio ait Christus, Quem dicunt homines esse filium hominis? Dicunt discipuli, Ioannem Baptistam: alij Eliam, alij autem quòd propheta aliquis veterum surrexit. Dixit autem eis, Vos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Petrus dixit, Christum. A. Petrus qui Iudæus esset, legémque didicisset, cum Christum qui à lege atque prophetis prædicebatur, expectaret, eum Christum, quem antea audiuerat, esse dixit. E. Petrus non vt imponens ei nomen hoc, neque vt peB regrinum, sed vt id quod iam antea audiuerat, eum Christum esse profitetur. Hoc autem ex te volo quærere, Petrús ne Euangelium scripserit? Quomodo igitur eos sine scripto docuisse dixisti? MARC. Non Petrus scripsit Euangelium, sed Christus. E. Falsum est ergo id quod in Euangelio recitatur, illum duodecim Euangelium nunciatum misisse. Aliter autem nec probationem rationémque habuisti, qua doceres Paulum fuisse Apostolum, aut Christum Dei filium esse dico. Quid est enim, quamobrem verba quę Adamantius fecit, non vera sint? Ea enim, quæ olim promissa erãt, & antequam fierent, prædicabantur ac credebantur, erant in expectatione. A. Ait peregrinum esse Christum, neque eum vnquam à quoquam esse cognitum. At Christus non ita est. Non is est, inquit, qui à prophetis prædictus est, sed qui incognitus est omnibus. Necesse est igitur, primum diligenter accuratéque consyderare, cui credere, atque ita probare ea quæ ab eo proposita sunt, debeamus. Nam neque, vt aiunt, à quoquam qui perfecte eos docuerit, ea quæ illius sunt, testimonium dicitur: neque ipse de se dicens cum ignotus sit, dignus erat cui crederetur: quemadmodum idem ait, Si ego de meipso testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum. Non enim temere cuiquam de se prædicanti, omnino credendum est: quandoquidem cuiuis idem facienti licebit credere. EC uangelium autem existimetur verbum ignotum, quod nunquam expectatum sit, eorum ratione & sententia nunciare: quomodo ait à Christo scriptum esse Euangelium? Neque enim quasi de se, qui Euangelium scripsit, significaret, significat Iesum Christum quem prædicat: neque is scripsit de se cum didicerit, hunc prædicat, qui eorum ratione peregrinus est. Nullo enim in loco eorum hoc inueniri potest, seruatorem docuisse quempiam, Christum se non esse nisi peregrinum. MARC. Christus & Paulus si ab opifice missi essent, nunquam legem & prophetas abrogassent. A. Doceat Christum atque Apostolum legem dissoluere. Tollit supplicium, euertit dissoluítque iudicium. Si ergo nemo iam iudicandus est, quid necesse est opificem effugere? cum nemo sit qui iudicet, nemo qui pœnam minetur. Quibus sublatis, quis iam locus huic sententiæ, Væ illi, per quem scandalum venit, relinquitur? aut illi, Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunque sit ille. MARC. Res eius euertit. A. Perspicuum est igitur, eum contraria iis velle, quæ fieri iussa sunt. Atqui contrarium est huic, Non mœchaberis, mœchari: &, Non occides, occidere: eodémque modo furari & non furari sunt contraria. Verisimile est igitur, eum etiam reliqua præcepta sustulisse. Quonam ergo pacto Christus legem sustulerit, doceat. In lege enim scriptum est, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, & quæ sequuntur. Doceat igitur quodnam horum sustulerit. Quem tandem mœchari iussit, qui quidem etiam solum aspectum qui ad libidinem referatur, vt stuprum vetuerit? Cui vt cædem faceret imperauit, qui D dixit nefario sceleftóq; homini non esse resistendum? Quem furari docuit Seruator, vt contrà atque is qui legem tulit faceret? Hæc enim Seruatoris præcepta non peregrina sunt, sed legis ac prophetarum. Ait enim Seruator. Ego autem dico vobis, non resistere aduersario, cum vetus scriptura dicat, Dicite iis qui vos oderunt & detestantur, Fratres nostri estis. Cum rursum lex dicat, Non furtum facias, Seruator dicebat: Vende tua bona, & da pauperibus. Dare autem pauperibus, non est nouum & peregrinum institutum, sed quod vetus testamentũ pręscripsit: Ne desistas, inquit, benefacere pauperi, quando manus tua prodesse potest. Et illud, Diligite inimicos vestros, quod à Seruatore dictum est, non est peregrinum & nouum, sed à prophetis in præceptis relictum. Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Sed quid attinet sermonem protrahere? Cum igitur perspicuum sit Seruatorem legis perficiendæ causa venisse, eum isti abrogasse dicunt. M. Hoc Iudaïstę scripserũt, Non veni soluere legem, sed adimplere: non autem ita Christus dixit: Ait enim, Non veni adimplere legem, sed soluere. A. Est etiam hoc vestræ audaciæ, vt cætera, hoc quoque mutare. Sed enim Apostolus aduentu suo & auctoritate ineptias vestras refellat. MARC. Aperte planéque ait Seruator, Mandatum nouum do vobis: nouum veteri non est par ac simile. Ait enim rursum Seruator, Mittunt vinum nouum in vtres nouos, & vtrunque seruatur. Nouum non est E veteris expletio. Rursum enim Seruator ait, Nemo immittit immissutam panni rudis vestimento veteri. Non est legis expletio nec Christus, nec Apostolus. A. Vide optime Eutropi iudex, vt ea quæ rectè distincta sunt, male verba obseruans proferat. Iube recitari Euangelium: túmque quod præceptum nouum Seruator præscribat, intelligitur. E. Recitetur. A. Recitabo: Mandatum nouum, inquit, do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. E. Non est dubium quin charitatem nouum præceptum esse statuerit. A. Nouum, non etiam peregrinum est veteris quod antea extabat. MARC. Vetus lex est opificis: noua autem boni. Nemo enim, inquit, immittit à panno rudi vestimento nouo. A. Quomodo nouus erit pannus à veteri veste peregrinus, cum ex vna eadémq; essentia ouium natura deinceps lanas texant? quinetiam ars quæ lanas conficit, vna atque eadem veteres nouásque conficiat? Vinum etiam ex eadem vite & vetus & nouum profertur. Sed vt planius doceam, nihil peregrinum & alienum præcepisse Seruatorem, cum ait, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, recito ea quę in lege distincta sunt: Diliges, inquit, Dominum Deum ex tota mente tua: & secundò, Proximum tuum, sicut teipsum. MARC. Quomodo igitur ait apostolus, Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. A. Doce quam crea- F turam nouam effecerit, aut quodnã cœlum nouum, aut quam terram nouam, vel quem nouum hominem. An non intelligis, eadem essentia extante, vetera quæ renouata sint, appellari noua? E. Noua à veteribus non peregrina sunt materia, neque aliena: vt si quis velit vas quod vetustate attritum sit refingere, ac rursus adhibita arte, restituere, nouúmque facere argentum, is peregrinum alienúmque nouum materia à veteri esse non dicet. Et quam visus es alienam nouámque rationem afferre, ea scripta in lege reperietur. Stultúmque est, peregrinum Deum dicere, & qui peregrina instituta decernat. A. Planius te Paulus docebit, plenitudinem legis esse in charitate. Ac si vis, recito eius circumscriptionem & sententiam, qui ita scribit: Illud enim, Non occides, Non mœchaberis, inquit, Non furaberis, & si quod aliud mandatum, instauratur in hoc verbo, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. MARC. Instaurari declarat superioris abrogationem. E. Audiui apostolum, qui ait legis expletionem. Si enim id quod deest, expletur, non iam id quod accedit, alienum est & abhorrens ab eo quod expletur: quinetiam si cõparetur etiam id quod instauratur, non erit à priore alienum. A. Planius hoc tibi Seruator persuadebit in Euangelio: Cum ad eum quidam adiisset, atque ab eo quæsiuisset, Magister bone, quid faciens vitam ęternã possidebo? Respondit ipse, Quid me bonum dicis? Nemo est bonus, nisi vnus

G Deus. Ille autem dixit, Præcepta nosti: Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et dixit, Hæc omnia seruaui à iuuentute. Cum hæc audisset Iesus, dixit ei, Vnum tibi deest: Omnia quæcunq; habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. E. Vides, Marce, omnes auditores in admirabilibus renunciationibus expressos. Is qui, vt dixisti, legis abrogandæ causa venit, peregrináque instituta inducebat, dixisset, Adhuc tibi deest, vt in cœlo thesaurum feras. Itaque illud quod dixit vnum, planè cæterorum expletionem cumulúmque esse pronunciauit. Valde enim etiam apostolus huic verbo consonat, cùm vnum multorum cumulum exposuit charitatem. A. Legem apostolus primam euangelij figuram & exemplar fatetur, cum ait, Hæc autem in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram. De illis autem ita loquitur, in quibus deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio. Vide vt malum dicat Deum huius seculi, eum qui non faciat, vt lumen luceat. A. Quando occupatus animus à malis obtinetur, vix renouari vult. Quæ enim apud apostolum recte posita sunt, ea malè intelligere conātur. Non enim apostolus hæc ait, quòd velit alium Deum ostendere, sed de perfidis. Verba autem illa per hyperbaton posita, nostra intelligentia ita se habere intelligitur. Si autem veritati vis attendere, audi: Sic enim apostolus intelligitur dicere, In quibus, inquit, Deus infidelium seculi huius excæcauit mentes, siue sensa. Homines enim qui Deo non credunt, occæcantur, vt ne etiam intelligentes contemnant, Seruus enim, inquit, qui scit, & non fecerit, vapulabit multis: Qui autem non nouit, fecit autem digna plagis, vapulabit paucis. Patiens igitur Deus cęcam reddit mentem perfidorum: atque vt bonus hoc etiam ait, Nisi credideritis, non intelligetis. Quòd si studio vincēdi disputas, audi hoc etiam à Christo factum esse. MAR. Est ne boni Dei occæcare? A. Opifex quidem eos, qui ad ipsum sine fide accedunt, excæcat. Christus autem, quem opifice meliorem esse dicis, audi quemadmodū eos qui ipsi non credunt, deiici iubet in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium: Quemadmodum etiam apostolus, qui est boni Dei, tradit homines Satanæ, dicens, Tradidi huiusmodi Satanæ in interitum. Quid ergo melius est, excæcari eos qui Deo non credunt, an in tenebras detrudi, an tradi Satanæ? E. Is qui cæcus efficitur, vnius tantum membri breue malum & morbum perfert, cùm reliqua salua & integra maneant. Qui autem detruditur in tenebras exteriores, vbi fletus est stridórque dentium, & qui Satanæ traditur, omnium simul membrorum iacturam faciunt: præstat igitur vnius tantum membri iacturam facere, quàm totum corpus pœnis dedi. A. Audi Seruatorem in euangelio dicentem, Si dexter oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Bonum enim I est tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis.

Eutropius surgens vt iudex, omnibus qui audiebant dixit.

Megethium quidem & Marcum, eósque qui idem quod illi sentiūt, stultos esse statuo: multò enim verisimiliores sunt Græcorum de harum rerum argumēto & materia tragœdiæ. Megethius enim qui tria principia esse statuit, bonū, iustum, malum, nominibus tantum vsus errauit. Rerum enim quæ quæruntur, malus quem dicebat, iusto iustior fuisse inuentus est: quémque iustum dicebat, pronunciatus est bono esse præstantior. Marcus autem, qui duo principia posuit, bonum principium, & malum, cum ratio exquireretur, malum principium, bono melius locupletiúsque esse censuit. Ac mihi videtur rectè pronunciatus esse is, qui ab Adamantio expositus est, vnus Deus, creator & opifex rerum omnium, qui verbum habet operans, sanctúmque spiritum, qui omnia tenet, cui nihil resistit, cuius voluntati nihil resistit, cui iure Catholica ecclesia adiungitur, quæ recti decreti & instituti partes, tuetur: cuius vtinam gregi annumerer, ita existimans ac sentiens. MARINVS BARDIANISTANVS. Me qui paucis exerceri cupio, rectíque decreti defensor sum, æquis animis audite. EVTROP. Dic ergo. MAR. Sæpe rudiores, & qui scripturas non intelligunt, alioqui ea quæ scripta sunt, volunt intelligere: id quod non est consentaneum. Itaque K institui, Eutropio iudice, vtrum nos an vos, rectè scripturas intelligamus docere. A. Statue primùm, quodnam decretum defendas: fidémque expone, quomodocunque sentias, vt ita demum instituatur disputatio. Si quis enim velit veritatis, non contentionis studio disputare de diuinis decretis, planissimam facilimámque veritatem inueniet. Quod verò decretum est, quod te verissimum statuere dicis, expone, vt probatus ab vtrísque sermo, pulchrior existat, quemadmodum aurum ab igne comprobatum & elaboratum. MAR. Absurdum statuo esse, id quod vos dicitis, malum à Deo factum esse (Deus enim causa non est malorum) & Dei verbum carnem hominis assumpsisse: atque eam carnem, qua colligati sumus, esse excitatam. Iure enim ac meritò corpus, onus, sepulchrum, atque vinculum appellatum est, quòd propter peccatum animus in huius corporis custodia conclusus sit, quemadmodum Christi apostolus Paulus clamat, rogátque vt à corpore liberetur, his verbis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hæc sunt tria, quæ quæro. E. Primùm expone quid de fide in Deum sentias: deinde hæc quærentur. MAR. Deum ego quoque vnum esse, vt etiam tu, sentio: fideíque prima rudimenta puto, vnum Deum esse sentire. Tria autem sunt, in quibus non idem sentimus, quod Catholica ecclesia. E. Quænam ea sunt. MAR. Diabolum à Deo creatum esse non dicimus: Christúmque ex muliere natum esse negamus, & corpus excitari. A. Necesse est ex quo L initium fecisti, ex eo ordiri. Afferre rationem nobis vis, quasi dicamus malum creatum esse à Deo? Hoc enim vnum malum esse statuimus, bonis priuari & carere. M. Quid est, quamobrem non sit malum in rerum natura, cum & serpentem ab initio scriptura proposuisse ac suggessisse dicat, & diabolus semper in scripturis dictus sit & Satanas, & malus, & mali effector? Cur ergo malum nihilum esse dicis? A. Cedo quid sit malum. M. Cædes, tibi ne malum videtur esse? A. Tua definitio quàm optimam cędem esse declarat. M. Quomodo? A. Dixisti corpus animi esse vinculum & carcerem, eiúsque rei testem Paulum protulisti, qui ait, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Atqui cædes, quem malum esse dicebas, discessus est animi à corpore. Perspicuum est igitur cædem bonum esse, quæ à custodia corporis animum liberet: atque tua ratione & sententia bona est cædes, quæ animum vinctum ab hoste liberet. M. Ego de iis quæro, quæ definiui & statui. A. Noli ea quæ quæruntur, confundere. Qua de quæstione vis primum disputari? M. De diabolo. E. Vterque vestrum primum definiat & statuat. A. Ego nihil ingenitum aliud dico nisi solum Deum: cætera autem omnia quæ sunt, genita & creata. MAR. Ego diabolum per se ortum existimo esse, ac per se genitum: duásque stirpes scio esse, malam & bonam. E. Duo igitur non ge- M nerata dicis esse, malum ac bonum. MAR. Duas stirpes ac radices esse dico. A. Stirpes duas esse dixisti, quæ ortum non habent. Expone mutabiles ne sint, an immutabiles. MAR. Quomodo? A. Potest ne mutari mala radix, & bona fieri? M. Minime. Sic enim natura rerum tulit. E. Perspicuum est igitur, ne bonam quidem verti posse, ac fieri malam. M. Non. Duæ enim sunt, bona & mala. A. Quoniam igitur duas stirpes immutabiles esse posuisti, expone vniuscuiusque essentiæ & qualitatem & actionem. MAR. Boni qualitas & actio lux est. Bonum est, dextrum, quod ad misericordiam propensum est, quod pium, quod iustum, & si quid aliud dignum est. Mali autem qualitas atque actio, sunt tenebræ malæ, sinistrum, quod misericordia vacat, quod impium est, quod iniustum, & si quid aliud est sinistrum. A. Sub mentém ne cadunt quæ ais, án ne sub sensum? M. Interim nobis propositum est de iis quæ sub sensum cadunt, dicere. A. Lucem boni, & tenebras mali vtrum sensu percipi, an animo cerni ais? M. Interim de iis quæ videntur. E. Ex iis quæ apparent, sunt tenebræ & lux, dies & nox. A. Simul orti vno consensu bonus & malus, lucém ne ac tenebras effecerunt? MAR. Non. Ait enim apostolus, Nullus consensus luci ad tenebras, nec Christi ad Beliar. A. Quomodo igitur inter lucem & tenebras conuenit? MARC. Nulla de re inter illa conuenit, neque eis quicquam est inter ipsa commune.

A mune. A. Circunscriptásne ac definitas horas habent
lux & tenebræ? M. Duodecim horis constat dies, totidém-
que nox. A. Si vnius non sunt lux & tenebræ,alterum alte-
ri non potest succedere.Aut enim consensu opificum succe-
dunt luci tenebræ,& lux tenebris. Sed fieri nō potest,vt non
idem sentientibus opificibus, horum alterum alteri pareat.
Quò autem illum ad absurdiores dubitationes compellam,
te æquissime iudex, planius docebo. Neq; enim tenebræ ip-
sæ patientur eos opifices duos inducere. E. Quo tandē mo-
do? A. Si eorum ratione & sententia duodecim horas lux
complecteretur, duodecímque tenebræ, vnius & eiusdem
Dei esse demōstrarentur. Nunc non ita est. In brumali enim
conuersione, tenebræ protrahuntur, cum maior horarum sit
numerus:cōtrà in æstiua,lux crescit,tenebras superans. M. A-
liud est lux,aliud tenebræ. E. Nisi vnius eiusdémque opifi-
cis lux & tenebræ sint, quî fieri poterat,vt & lux tenebris, &
tenebræ luci cederent? Si enim malum bono contrarium est,
& bonum malo: in his autem, id est, in luce atque tenebris,
discrepantia nulla reperitur: perspicuum est, vnius esse opi-
ficis lucem & tenebras. A. Dixisti boni essentiam esse lu-
cem,qualitatem autem boni dextrum.Huic vero,ingenitúm-
ne esse, & non interire acciderint, & bonúmne malo con-
trarium sit, respondeat. M. Omni ex parte bonum malo est
contrarium. A. Perspicuum est contraria esse & essentia &
B qualitate & per accidens. Essentia quidem tenebræ luci con-
trariæ sunt, qualitate autem bono malum. Si verò per acci-
dens contraria sunt, erit id quod ortum est, ei quod ortum
non habuit contrarium, atque id quod interire potest, ei
quod non potest. M. Quonam modo? E. Posuisti ortum
non habere naturas & essentias duas. Simul autem cum eo
quod ortum non habuit, id quod immortale est, natum est:
ac necesse est, si ortum non habuerunt essentiæ duæ, eas esse
immortales, quòd ortum non habuisse dicantur.Præterea sic
considera, Si malum ortum non habuit, bonum non erit si-
ne origine, quandoquidem non est malum. eadémque ra-
tione dicimus,si malum ortum habuit natura,bonum est,nō
malum id quod ortu caret. A. Essentiæ duæ interiréne pos-
sunt,an non interire? an vna non interire, altera interire po-
test? Meg. Interire non possunt naturę duæ. A. Audiens
tu quidem quiescere ac tacere debebas,cum antea iam dispu-
tatæ tractatæque sint superiores quæstiones. Meg. In hoc
idem quod Marinus, sentio. E. Conceditis ortum non ha-
buisse,nec interire posse naturas duas.Necesse est etiam eius-
dem essentiæ esse easdem ac similes: quod fieri non potest.
A. Súntne duæ naturæ pari potestate ac robore præditæ?
Meg. Non sunt eiusdem virtutis & potestatis.Deus prohi-
beat, Ait enim Christus in Euangelio, Nemo potest in do-
mum mali ingredi,eiúsque arma diripere, nisi prius fortiorē
vinxerit.Declarat igitur se qui fortis esset,vinxisse diabolum,
eiúsque arma sumpsisse: quibus quidem verbis planè demō-
C strauit Christus, nos à se ex diaboli potestate esse liberatos.
A. Si tantum dixisset,mali,non arma mali, potuisset aliquid
dicere. Nunc ait,arma mali, docens eum illis vsum esse, non
illius ea fuisse,nec effectione, nec creatione: sed vsurpatione
vim alieno attulisse. Horum porrò testis est Paulus, qui ait,
Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniqui-
tatem: sic exhibete membra vestra Deo seruire iustitiæ. Di-
xisti autem interire non posse, nec ortum habuisse malam es-
sentiam. Si interire non potest mali natura & essentia, fru-
stra Christus suscipit laborem, dum mala conatur euertere,
quæ euerti delerique non possunt. Cur ergo mortem pertu-
lit, vt mortem, quæ non deletur,tolleret? Vtrumque enim &
ortum non habuisse,& nō interire dixisti. Nō igitur alter al-
teri euersionis causa concedet. Quamobrem enim cum ma-
lus iste tot támq; grauia mala efficeret,bonus non prohibuit?
Neque enim malus sua deleri permittebat,cū presertim vter-
que tua ratione & sententia, ortum non habuerit, neque in-
tereat. E. Si enim vnum principium ortum non habuisset,
& habuisset alterum: rectè id quod ortum fuisset,ei quod or-
tum nō habuit,subiecisset ac diceret, alterum quidem valen-
tius esse necessario,quòd & ortum non haberet,& non inte-
riret: alterum autem,imbecillius esse,propterea quòd ortum
esset, cum id quod ortum non habuisset, esset valentius.

E. Magnam impudentiam ad disputationem affertis. Res- D
pondeat,num misceantur,alteráque in alteram veniant natu-
ræ duæ. Meg. Non miscentur, Deus isthæc prohibeat.
A. Quo igitur modo bonus in res mali inuasit? aut quomo-
do, si naturæ ipsæ mixtæ confusǽque non erāt, facta est per-
mixtio? quanquam erant contraria. Si enim mundus non est
Iesu,sed mali: quomodo Iesus qui non erat Valentior,potuit
venire? Qui enim pari sunt potestate ac robore præditi, ij ne
alter quidem in alterum inuadere possunt, quòd vterque or-
tum non habuit, nec interit. Mar. Ego Deum solum in-
terire non posse censeo. A. Diabolus ergo interire potest.
E. Si est quod ortum habuit, & quod non habuit, potest id
quod ortum non est, non interire, & quod ortum est, inte-
rire. Mar. Age mihi etiam interroganti responde. A. In-
terroga. Mar. Est ne bonum? A. Etiam est. Mar. Est
ne malum? A. Bonum dico esse essentia: Malum autem ad-
uentitium est. Bonum, incorporeum est: malum autem sensu
percipitur. Non igitur in bonum malum cadit, sed ei quod
bonū est positione, propter liberū arbitrium. Mar. Quid
sit natura & impositione,cupio cognoscere. A. Etsi maximè
dissimulanter quæstionem visus es ponere, tamen audi. Na-
tura bonus est Deus,in quem malum nullum cadit. Adiun-
ctione autem homo bonus dicitur: quemadmodum verbum
etiam Dei natura filium esse dicimus, homines autem ado-
ptione, & adiunctione filios scriptura ambiguitate vsa, no- E
minat. Itaque in id quod natura est bonum,malum non ca-
dit, sed in id quod est ex adiunctione, ex libero arbitrio.
Mar. Suæ etiam potestatis est diabolus tua ratione & sen-
tentia. Quod autem est suæ potestatis suíque iudicij,id & per
se natum est,atq; à se ortum. A. Ignorare videris distinctio-
nem eius quod omnia potest,& eius quod est suæ potestatis:
Deum enim rerum omnium præpotentem esse dico: Deser-
torem autem atque trāsfugam angelum,qui Satanas dicitur,
suæ potestatis esse dico,hominémque eodem modo. Mar.
Suæ potestatis, liberíque arbitrij esse, & diabolum & homi-
nem dicis. A. Angelos & homines suæ potestatis factos esse
à Deo dico, non rerum omnium præpotentes. Mar. Di-
xisti liberum arbitrium à Deo datum esse: malum autem pro-
fectum esse à libero arbitrio. Mala igitur à Deo profecta esse
demonstrantur. Hoc autem expone,an nō intelligeret Deus,
qui liberum arbitrium dedit,in peius versum iri & diabolum
& hominem. A. Age prudentia maior quàm Dei, homines
atque angelos pares ac similes Dei, immutabilésque esse cu-
piebat. Mar. Quomodo immutabiles & similes Deo? A.
Quia Deus est immutabilis, homo, autem mutabilis: Deus
immortalis: homo mortalis. Deo igitur vertis crimini, quòd
alium vt seipsum non fecerit. Mar. Quo tandem modo?
A. Si homo non est ita suæ potestatis,vt sit immutabilis: qui
autem est immutabilis, immortalis est: immortalis verò,
Deus. Non enim satis erat diuinæ bonitati creari angelos &
homines, sed etiam immutabiles esse, similes Deo: aliter e- F
tiam à Deo amputata fuissent ęgregia excellentiáque om-
nia. Mar. Quo tandem modo? A. Enumera Dei actio-
nes. Mar. Bonum, iustum, ad misericordiam propensum,
pium, sanctum: hæc sunt. A. Nisi esset liberum arbitrium, à
Deo circuncisa essent hæc omnia. Mar. Quomodo? A. Si
immutabiles sunt homines, quomodo Deus bonus declara-
retur, non extantibus qui eius bonitatē desiderarent? Mar.
Dic planius. A. Actiones proprietatésq; Dei quas exposui-
sti, vtrum nominibus tantum sunt, ān ne rebus? Mar. Re
operatur, non verbo. A. In quibus agit & operatur? Mar.
In hominibus. E. Si immutabiles fuissent homines, super-
uacaneę hæ actiones fuissent. Quorum enim misertus fuit,
non extantibus qui peccarent? In quosnam bonus fuisset, si
non fuissent, qui eius bonitatem requirerent? A. Quid ita
vnam malam stirpem & radicem dicis, alteram bonam?
Mar. Quia bona conseruat, mala perdit. A. Quænam sa-
lutis hominum causa est, quæ exitij? Mar. Salutis hominū
causa est Deus, exitij diabolus. A. Quomodo igitur Deum
iustum esse dixisti? Mar. Nunc etiam Deum iustum esse
dico. A. Est ne iudex iustus Deus, an non? Mar. Iustus
est iudex Deus. A. Quæ iudicat? Mar. Iudicat diabo-
lum, eiúsque angelos, & homines qui ad ipsum confugiunt.

G A. Diabolum qua de causa iudicat? MAR. Quia homines decipit. E. Hoc iudicium est iniquissimum. Si enim suæ potestatis, suíque iudicij est diabolus, potéstque euadere bonus, & rursum malus effici, iure iudicatur, quòd cum posset bonus euadere, non euaserit. Sin bonus fieri nõ potest, quòd natura non sinat, cum sit malæ essentiæ, æquum est non pati diabolum contra naturam crescere ac nasci, aut eum cum coaluerit, haud æquum est iudicari. MAR. Iudicatur, propterea quòd est improbus. E. Hoc etiam iniquum est iudicium, MAR. Quonam modo? E. Num potest bonum mutari, malúmque effici? MAR. Non potest. EVTR. Quid ita? MAR. Quia ita eius natura fert. E. Ne malũ quidem verti in bonum potest. Cum ergo sint naturæ duæ immutabiles, iniuria altera ab altera iudicabitur: aut si iure malus iudicatur, iure etiam bonus iudicabitur. MAR. Bonus iudicat. E. Modo planè demonstratum est, vnum esse quod ortum non habuit, alterum quod ortum est: vnum quod interire nõ potest, alterum quod potest: & vnũ quod immutabile est, alterum quod mutabile: ac iure vnum iudicare, alterum iudicari. A. Dixit, iure homines iudicari à Deo: exponat igitur, nisi sint suæ potestatis, liberíque arbitrij, quonam pacto iure iudicentur. MAR. Iure iudicantur à Deo, propterea quòd malo obediunt. E. Modo plane cõfessus es, hominem suæ esse potestatis. Obedire enim malo, aut bono H liberi arbitrij est, non necessitatis. A. Responde ad pauca, quæ ex te quæram. MAR. Quære. A. Deum rerum omnium præpotentem néc ne esse censes? MAR. Rerum omnium præpotẽtem eum dico. A. Continétne omnia, an continetur? MAR. Non est dubium, quin contineat, non contineatur. A. Qua vi comprehenditur & continetur cœlum, aut terra, vel mare, vel vniuersus orbis terræ: à quo comprehenditur & continetur? MAR. Non est dubium, quin à Deo. E. A Deo, bono, an malo? MAR. Ego Deum vnum scio, atque eum bonum. EVT. Malum ergo vbi esse censes? MAR. In terra. Sic enim ait Christus, Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Verisimile est igitur. Satanam etiam in terra teneri ab eo, qui etiam terram complectitur, neque euasurum esse. Accusandus est ergo bonus, qui malum continet, vnum trium, aut quòd cõcedat ei statum, aut quòd non possit eum delere, aut quòd quid sit ignoret. A. Quoniam mentionem fecisti Euangelij, atque Satanæ qui cecidit, causa est, cur pauca de his disputem, vt diuini decreti & dogmatis veritatem intelligere possis. Seruator enim cum docere vellet, primò angelum à Deo effectum esse, qui lucis particeps erat, deinde suo arbitratu in peius versum esse, ac cadere à statu (neque enim quisquam à casu & ruina potest cadere, sed à statu) ait, sicut fulgur, planè declarans eum lucis participem fuisse, antè quàm mutaretur & caderet. Fulgur enim luminis est receptaculum. E. Duo quæ ortum non habuerint, esse nõ possunt. MAR. Causa ergo mali est bonus.

I A. Nullum exemplum à rebus huius mundi deest, quo tractato magis id quod dicitur, intelligatur. Quando statuarius aliquis statua perfecta, argentum quod natura pulchrum est, luce allata tradiderit, si eius qui nactus est, negligentia venenum ei acciderit, statuarius tua ratione & sententia causa & auctor existimandus est. MAR. Quomodo? E. Quia venenum naturale non est, sed aduentitium possessoris negligentia. Sic ergo etiam Deus extra culpam est, qui nitidam & pulchram, liberam rationem angelis hominibúsque tradidit. Is quidem non est in culpa, sed ij qui nacti sunt. Non enim natura malum, sed casu & euentu esse ostenditur. DROSERIVS audito diu Marino eiúsque comitibus, cum eos imperitiæ condemnasset, Aliquãdiu volo inquit, me exercere cum Adamantio filio meo. A. Debes primũ constituere atque exponere, quodnam decretũ velis defendere, ac tum denique venire ad disputandum. DROS. Defendo Valentini decretum, qui rectam viam sequutus est, nobísq; verè persuadere poterat, vnde diabolus, & vnde mala orta essent. Ac si placet, Valentini definitionem ac decretum quod habeo, recito. E. Si ex cõtrario refellatur Valentini decretum, tu responderis ad ea quæ cõcluduntur. D. Existimo equidem decretum quod recitatum est, & à Valentino explanatum, non habiturum esse reprehensionem. Qui enim explanauit, non paruus vir fuit. Si quis autem contra disputare velit, ego res- K pondebo. E. Decretum Valentini recitet. † Cùm ita me bene cõstitutum & affectum existimarem, domum me recipiebam. Postero autem die, id est, hodierno, cum venissem, videbam duos quosdam eiusdem generis homines, qui disceptabant inter se, mutuáque conuicia & maledicta iaciebant: alterum rursus, qui proximo sanguinem effundere conabatur. Iam vero quidam etiam grauiora audere incipiebant. Quidã enim mortuum trahebat & lacerabat, corpúsque quod iam terra opertum erat, iterum soli ostendebat, atque ita similem imaginem contumelia vexabat, cũ mortuum canibus deuorandum reliquisset. Alter autẽ gladium distringebat, & in similem hominem faciebat impetum. Atque hic quidem fuga sibi salutem quærere volebat: ille autem persequendi finem minimè faciebat, neque iram volebat continere. Quid plura? Idem illum, impetu facto, statim gladio petiuit. Ille verò supplex manus supplices tendebat, vestémque dare volebat, petebátque hoc vnum, vt vita sibi salua & integra maneret. Hic autem iram non cohibebat, neque hominis, quem sui generis esse sciebat, miserebatur: nec se ipsum per illius imaginem volebat cernere: sed feræ bestiæ ritu initium prædandi deuorandíque faciebat. Corpus etiam corpori simili admouebat. Tanta enim erat incitatus iracundia. Licebátque videre illum quidem, cui iniuria facta erat, hunc autem qui eam inferebat, nec corpus terra tegebat. Vestẽ enim detrahebat. Alius præ- L tereà accedebat qui proximi mulierem volebat violare, alienas nuptias diripiens, atque ad cubile contra leges peruenire, impellens eum qui vxorem duxerat, germanus pater fieret. Ego qui hinc tragœdias nollem credere, veniebam. Atque hoc ipsum est, cur mihi vere videbar factus esse. Credo etiam Oenomai insanam cupiditatem: nec mihi fratrum per gladii contentionem est incredibilis cupiditas. Tam grauium taliúmque rerum ego cum spectator fuissem, hæc cœperam quærere, quodnam eorum dissensionis esset principium, & quisnam tam magnas grauésque res in homines excogitasset, atque eorum vnde traheretur inuentio, & quis eorũdem magister esset. Nec fas erat Deum eorum effectorem audere dicere: quin ne à se quidem ortum habere & constare, nec status compositionem. Quomodo enim fas esset hæc de Deo cogitare? Bonus enim, etiam meliorum effector est: malum autem nullum in eo inest, nec talibus rebus delectari solet: cum & eorum originẽ vetet, & eos quidem, qui eis gaudent abiiciat, eos autem qui eadem fugiant, admittat. Quid est autem, quamobrem non absurdum sit, Deum horum esse opificem dicere, qui eadem respuat? Neque enim vellet ea nõ esse, si ipse primus eorum auctor esset: præsertim cum eos qui ad ipsum accedunt, sui velit esse imitatores. Itaque mihi non M consentaneum visum est hæc ei non affingere, aut quòd ab eo facta sint: aut si maximè patiatur fieri posse, vt ex iis quæ non sunt, aliquid fiat, quòd ipse mala effecerit. Qui enim ex nihilo ea fecit, nunquam rursus eadem ad nihilum redigeret: aut si hoc iterum necessario dicendum est, tanquam tempus aliquando esset, cum Deus malis gauderet. Nunc verò mihi videtur fieri non posse, vt dicatur de Deo, id quod eius natura indignum est. Quocirca mihi visum est simul cum ipso esse id, cui nomen est materia, ex qua effecit quæ sunt omnia, cùm sapienti arte ea secreuisset: rectéque ornasset. Ex qua etiam mala videntur esse. Cum enim facta non esset, figuráque careret, & immoderatè prætereà ferretur, ac Dei artem desyderaret: non ei ita inuidisset, vt semper sic ferri eam sineret, sed efficere cœpisset, atq; ex iis eius quæ deterrima essent, optima voluisset secernere. Sic ergo effecit. Quæ autem illius fœculenta erant, ea cum ad artificium minus apta essent, vt erant, quòd nihil ipso digna essent reliquit. Ex quibus mihi nunc ad homines mala influere videtur. Sic mihi visum est se habere, admodum, vt mihi videtur, verũ decretum constánsque sententiã, quæ à sapiente Valentino exposita est. Quod si quis velit contrà disputare, veniat, quoniã paratus sum omnibus respondere. A. Tu anticipata opinione deposita, clementer ac placidè ad singula quæ rogo responde. DROS. Mihi propositum est benigne & constanter disputare. Neque enim vincere male studeo, sed verè quærere ac disputare. A. Probo voluntatem tuam studiúmque in disputando.

† Hic locus mutatis personis, et aliquid deesse videtur.

do. Quod autem de iis quæ sunt, ita sentis, quasi ea Deus ex subiecta substratáque aliqua materia effecerit, in hoc falleris, Droseri. Etenim verè malorum disputatio, facit, vt ita plurimi affecti sint, in eáque sint sententia. Multi enim ita vt tu, affecti sunt. Alij autem rursum Deum horum opificem censuerunt esse, quòd vereantur, ne dent id quod substratum subiectúmque sit, eiusdem esse cuius illa, diuturnitatis. Alij verò, quòd metuant, ne concedant Deum malorum esse auctorem & effectorem, visi sunt materiam eiusdem cuius illa sit, durationis concedere. Ac vsuuenit vtrisq;, vt quòd Deum veri scientia metuerent, non rectè dixerint. Ego vero studio tuo adductus, disputationem de eo quod quæritur, me conferam: tantum clementer ac placidè ad singula quæ rogo, responde. Sic enim fiet, vt & tu verum cognoscas, & ego nō frustra tecum disputem. Dros. Paratus sum sententiam decretúmque Valentini defendere. A. Quibus rationibus docere potes, materiam eiusdem esse, cuius Deus, æternitatis? Dros. An non in Genesi scribit Moses, Terra autem erat inuisibilis, & incomposita? E. Scriptúmne ita est, Terra erat, nec à Deo facta est? D. Si vis, recito. A. Multi homines cum dormiunt, somniant se multas res, quæ magni precij sint, nactos esse: at cum excitati sunt, nihil in manibus tenent, ex eóque inanes spes somniorum suorum esse comperiunt. Eodem etiam modo Droserius. Iube igitur recitari mundi molitionis scripturam: túmque cognosces, vtra, terráne an materia, sit antiquior. E. Recitetur. In principio fecit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita. A. Vides sanctissime iudex, iniquas Droserij insidias, cùm scriptura dicat, Deum prius effecisse cœlum & terram, ac tum fuisse. Non enim ait, In principio erat terra: sed, In principio fecit Deus cœlum & terram: & subiiciens ait, Terra autem erat inuisibilis. E. Scriptura planè docet, terram ac cœlum opus Dei esse. Apertè enim præposita effectione, verbum hoc, erat, subiecit. Necesse est enim, id quod factum est, postquam factum est, esse. A. Reuertamur ad propositum. Materiámne vult Valentinus dicere vnà cum Deo esse, vt Deum malorū causam non esse demonstraret? Dros. Certe vult. A. Deús ne erat ab hac materia seiunctus, an coniunctus cum ea? D. Separatus. A. Quid ergo erat interiectum inter Deum & materiam, quod eos separabat? D. Nihil. Cohærebat igitur, quòd nulla causa erat, quæ secerneret. Aliter etiam ais in parte deum esse, neque in omnem partem pertinere posse. E. Fieri non potest, vt aliqua res ab alia disiuncta sit, non extante quod eas separet. Sit enim necesse est id quod separat, valentius eo, quod separatur: quinetiam tertiam partem Deus tenebit. Quid ergo ais Droseri? éstne in parte Deus, non vbique? D. Non dico in parte Deum esse, sed non esse causam malorum. A. Verbo eum causam non esse vis dicere: te autem effectorem ac receptaculum malorū esse probatis tu atque Valentinus. D. Quo tandem modo? A. Progressu disputationis decretum docebitur. Fieri quidē non posse, vt duo quæ ortum non habuerint, sint simul, ne te quidem ignorare existimo: etiam si hoc occupans disputationi maximè addidisse videare. Omnino enim alterutrum necessario concedendum est, aut Deum à materia separatum esse, aut cōtrà ab eadem non esse disiunctum. Ac si quis eum cum illa cohærere velit, vnum quod ortum non est, ponet. Vnumquodq; enim horum pars erit proximi. Atqui ea quæ sunt alia aliorum partes, nō erunt duo sine origine, sed vnum, quod ex diuersis dissimilibúsque constat. Sin autem separatos esse quis omnia dicet, necesse est aliquid esse quod inter vtrunque sit interiectum: quod quidem etiam separationem ipsam declarat. Si quis verò dicat nec separatū esse à materia Deum, nec rursus cum ea cohærere, sed Deum esse quasi in materiæ loco, & materiam esse in deo id quod continet. is intelligat, si materiam Dei locum esse dicamus, eum etiam necessario dicendum esse separabilem, & circunscribi à materia: quin etiam eodem modo eum, quo materiā, ferri oportet: ac prætereà deteriore conditione aliquando fuisse Deum, quàm materiam necessario dicendum est. Si enim terra aliquando ornatu carebat, eam autem ornauit, quòd eam vertere in melius institueret: profectò fuit cùm ornamentis Deus careret. Rectè autem hoc etiā quæram, vtrum materiā expleuerit Deus, an in parte quadā esset. Si quis enim velit Deum in parte quadam materiæ meliore esse dicere: multo minorem eum materia dicit, quòd Deum totum partem ab ea separauit. Si verò in omni parte eundē esse dicat, & à tota materia separatum esse: quomodo eā effecerit, exponat. Is enim Dei contractionem aliquam dicat necesse est, qua facta, illud, à quo secessit, effecerit: aut etiam se ipsum vnà cum materia fecerit, cum locum quò secederet non haberet. Si quis autem materiam in Deo esse dicet, eodem modo quærendum est vtrum quasi ipse à se diremptus, distractúsque sit, & quemadmodum in aëre animalia insunt, diuiso eo in receptaculum eorum, quæ in ipso gignuntur: an vt in loco, id est, eo modo quo aqua est in terra Si quis enim dicat, esse eū vt in aëre, necesse erit Deum diuiduum esse dicere. Si vero, vt est aqua in terra: erat autem sine ornamentis materia, & sine ordine, & mala habebat: Deum horū locum esse & inornatorū & malorum necesse erit confiteri. Quod quidem nō gloriosum esse videtur, sed periculosum potius. D. Valentinus vt Deum malorum causam non esse doceat, materiæ mala accommodauit & affinxit, atque vt Deus quidem non sit causa, materia autem causa sit. A. Materiam simul esse cum Deo vis, ne Deum malorum auctorem esse dicas: quod cùm vitare institutas, verbo tantum fugere videris, re autē vera, si res consyderetur, receptaculum Deum effectorémque malorum pronuncias. Quoniam materiam quidem ex iis qui ex ea constiterunt atque orti sunt, intelligere vis, eandem etiam ortam non esse inducis. Quoniam autem malorum ortus & originis Deum causam dicis esse, ad ea exquirenda veniendū esse existimo. Cum enim planū factum fuerit, quomodo sint mala, neque hoc dici posse, Deum malorum auctorem esse, ex eo quòd illa ei se substernant, hanc opinionem & sententiam refellere mihi videtur. Dixisti quidē materiam quæ qualitatis sit expers, simul esse cum Deo, ex qua mundi ortum effecerit. Dros. Ita sentio. A. Necesse est etiam confiteri eum separabilem esse, atque constare ex partibus, & à materia circunscribi ac determinari: quinetiam eundem eodem modo quo materiam immoderatè ferri, nec insistere ipsum à se, nec manere. Si ergo materia sine qualitate erat, & mundus à Deo effectus est, atque in mundo sunt qualitates: certè qualitatum effector & auctor fuit Deus: quoniam paulò antè recitantem te audiebam, ex iis quæ nō sunt, quicquam non posse fieri: responde ad responsum meum. Videntúrne tibi mundi qualitates ortæ esse, non ex subiectis qualitatibus? D. Videntur. A. Diuersæ ne esse ab ipsis naturis & essentiis? D. Diuersæ ab ipsis essentiis. Si igitur neque ex subiectis qualitatibus Deus qualitates effecit, neque sunt ex essentiis, quòd nec ipsæ essentiæ sint: ex iis quæ nulla sunt, eas à Deo factas esse necesse est confiteri. Ex quo sequitur, te frustra videri dicere, fieri non posse, vt à Deo ex nihilo factæ esse existimentur. Valens. Quid hoc loco dixit? ineptè Droserius cōposuit, posita materia sine qualitatibus. A. Cur igitur ais simul esse cum materia qualitates? Val. Mihi materia qualitates habere, quæ principio careant, videtur. Sic enim etiam mala ex eius fluxione esse dico, vt Deus quidem non sit auctor malorum, materia autem eorum omnium causa sit. A. Ne sui quidem præceptoris Valentini authoritatem Valens sequitur, cum decretum eius tollat. V. Quî sustuli aut refelli? A. Valētinus Deum materiæ effectorem esse censuit: tu verò ais materiam essentiarum qualitates quæ principio carent, habere. Cuius tandem rei effector & opifex erit Deus? Val. Deus mundi est opifex. E. Valens verbo tātum Deum opificem vult dicere. V. Quonam modo? E. Ais materiam simul cum Deo esse, ac simul etiam esse qualitates. Si prius erat materia, simul autem qualitates etiam erant, superuacaneum est Deum opificem dicere: inuenietúrque Valentinus malè statuisse, aut Valens, aut potius vterque. A. Ad pauca rogata Valens respondeat. V. Pone quæstionem. A. Quomodo & quatenus Deum opificē esse dicis? Vtrum quòd res mutauit, vt iam non sint, quod erāt aliquando, sed aliæ sint factæ atque erant, an quòd res illas quidem seruauit, quæ erant, sed earum mutauit qualitates? Val. Mihi mutasse illas vlla ex parte non videtur: mutationem autem qualitatum factam esse dico: qua ex parte Deum

G opificem esse censeo. Atque vt si domus ex lapidibus construatur, de iis vere dici non potest, lapides non iam manere, qui re & essentia effecti sint: sic mihi Deus fecisse videtur, manente essentia & materia, eius qualitatem mutationem, ex qua mundi huius ortum à Deo procuratum esse dico. A. Quoniam qualitates à Deo quodammodo mutatas esse fateris, mihi velim pauca quærere volenti respondeas. V. Dic igitur. A. Malæ qualitatés, ne tibi essentiarum videtur esse, an essentiæ? V. Essentiarum qualitates. A. Erant ne antea qualitates hæ in materia, an principium status habuerunt? V. Simul esse cum materia sine origine has qualitates esse dico. A. An non Deum ais quodammodo mutasse qualitates? V. Hoc dico. A. Vtrum in melius eas vertit, an in peius? V. Non est dubium, quin in melius. A. Si materiæ qualitates sunt malæ, eius autem qualitates Deus in melius vertit: vnde mala orta sint necessario quærendum est. Neque enim remánserunt qualitates, qualescunque natura fuerant. Si prius non erant malæ qualitates, ex eo autem quòd primæ à Deo mutatæ sunt, tales factæ sunt in materia, non est dubium quin malæ. V. Quasi immemor sis decreti Valentini, ita affectus es. Dixit enim materiam inordinatam esse, atque informem & inchoatam. Ex hac meliora mutauit: quæ autem fœculenta erant nec apta ad opus, H ea reliquit, quod nulla ex parte ipso digna erant. Hinc mala serere mihi videtur. A. Bona materiæ, vt dixisti, sola mutauit: mala autem reliquit. V. Sic est. E. Admodum inepta & stulta est, quæ est à Valentino posita, sententia. Quærendum est enim, vtrum Deus cùm posset mala tollere, noluerit, an cùm posset, nō habuerit. Si enim eum potuisse dicetis, sed noluisse: necesse erit eum malorum auctorem dicere, quòd cum facere posset, vt mala non essent, ea tamen vt erant, esse passus sit, maximéque cum materiam efficere cœpit. Si enim nullo modo ei materia curæ fuisset, non esset auctor, si permisisset manere. Quoniam autem partem eius ita reliquit, cū in melius posset vertere: auctor est malorum, parte materiæ improba relicta ad eius partis quam effecit exitiū. Quinetiam maximam mihi iniuriam ab hac parte accepisse videtur pars ea quam effecit, cum mala sentiat. Si quis enim accuratè res cōsyderet, nunc deteriore materiam in conditione esse inueniet, quàm esset antea, cùm ornamētis omnibus careret. Ante enim quàm ea secreta & distincta esset, mala non sentire ei licebat. Nunc verò vnaquæque pars eius sensum malorum accipit. At hòc quod à Deo in beneficij parte in materiam extitisse ais, ei ad maleficium potius cedere reperietur. Si verò ex eo quod non possit Deus mala tollere ac delere, eum imbecillum esse confirmas: imbecillum autem est, aut quod natura est infirmum, aut quod quia vincitur metu, seruitute premitur ab aliquo superiore: aliter etiam superiora Deo mala esse fateberis, quæ eius volūtatis & instituti impetum vincāt: id quod absurdum dictu de Deo mihi videtur. Cur enim I non magis hæc Dei erunt, Valentini ratione & sententia, cū Deum superare possint? Siquidem Deum illum esse dicimus, qui omnium habet potestatem. DROS. Tutius quæri debet, vnde mala nata sint. Si enim materiam simul cum Deo fuisse ex omni æternitate dixerimus, multa incommoda veritatem sequētur. Quocirca si nec ex materia, nec à Deo auctore sunt mala, vnde sint, quærendum est. A. Mala nec natura sunt, nec in rebus singulis, sed modo mala fiūt à libero arbitrio. DROS. Ego vero essentia, & hypostasi mala esse dico. Modus enim aduētitium est quiddam. A. Explana quæ ais & hypostasi esse, & essentia. D. Omnia quæ lex vetuit, mala dico, vt cædem, vt stuprum, vt furtum, vt adulterium, eáque omnia quæ lex vetat. A. Aduentitia sunt & accidentia hæc omnia. Neque enim cædes est essentia, neque rursus adulterium, nec vllum malum eiusdem generis: sed quemadmodum à grammatica quæ non est rhetorica, sed ab iis quæ ei accidunt, nomen accipit, à quibus ita nominari videtur, cū neutrum eorum sit: ita mihi etiam videtur ab iis, quæ videtur esse mala essentia, nomen habere, cùm ipsa neutrum sit eorum. Malus autem dicitur is, qui mala committit. Atqui ea, quæ quis facit, non sunt ille ipse, sed eius actiones: à quibus nomen, vt malus dicatur, accipit. Si enim illum ea esse dicamus, quæ facit: facit autem cædes, adulteria, furta, quæque sunt generis eiusdem: hæc erit ipse. Quòd si hæc ipse est: hæc autem cum fiunt: extant cū fiunt, etiā esse desinunt, & ab omnibus hæc fiunt erūt K homines & effectores sui, & causa cur iam nulli sint. Si verò hæc eius actiones esse ais: certè ex iis quæ agit, vt sit malus, habet, non ab iis quæ est essentia. Malum autem diximus appellari ab iis quæ in essentiam cadunt, velut à fabrica faber dicitur. Quòd si ex iis quæ facit, malus dicitur: quæ autem facit, principium status accipiunt: & ille malus esse cœpit: hæc quoque mala cœperunt. Si ita est, non est sine principio malus, nec mala ortum non habent, quòd ab eis ortum habere doceantur. D. Dixisti modo & ratione esse mala, non essentia. Perspicuum est autem mala ab essentia fieri. Planius ergo doce ea esse non essentia, sed modo atque ratione. A. Ego primum natura nullum malum esse statuo: sed naturæ modo malum esse dicitur. Adulterij enim nomen, viri & mulieris congressum declarat: sed si quis cōcumbat cum muliere procreationis liberorum propagandíque generis causa: bonus & honestus congressus efficitur. Si quis autem legitimo cōgressu relicto, petulantem se præstet in alieno coniugio, rem admodum malam & flagitiosam facit. Ac congressus quidem idem est: vsus autem ratio non est similis. Eadémque stupri ratio est. Congressus ergo sine vsus modo & ratione consideratus, non est malum: Tum verò denique malum est, cum modus est apertus. Cædem etiam ita se habere dico. Si quis enim eum qui in adulterio deprehensus est, interficere velit, L pœnas eorum quæ ausus est, expetens: malum non facit. Si quis autem eum qui nihil eorum quæ vetita sunt, fecit, interficiat, nullius alterius causæ ac rationis gratia, neque propinquorum & necessariorum detractionis, siue, vt ita dicā, ablationis causa, id est, vel pecuniarum, vel possessionum: malum operatur. Atque opus quidem in vtroque idem est: modus autem ratióque operis dissimilitudinem facit & affert. Præterea si quis accipiat etiam pecunias alicuius, modo accipiendi, malum fit. Si quis enim det ea quæ habet, communia faciens, is qui accipit, nihil mali aut sceleris admittit. Sin autem ei inuito eripiat, aut clam auferat: opus quoddam malū committit. Et alienum quidem accipit vterque: accipiendi autem modus & ratio facit, vt hoc malum esse dicatur. Simili autem etiam ratione, Deum colere modo fit malum. Si quis enim verum Deum colit, is opus bonum facit. Si verò hoc relicto & repudiato, eum qui verus Deus non est, colit, vúltque melioris honorem lignis aut lapidibus tribuere: ita demum malum operatur. Ac religionis quidem nomē est idem: vsus autem modus, est id quod vicissim ac variè fit. DROS. Quoniā de malis verba fecisti ac disseruisti, quòd docere velles mala esse, hominésq; eorum esse auctores: pauca rursus volo quęrere, vtrum homines causam à se accipientes habeant, id est, vsus huiusmodi sint ipsi inuentores, an tales facti sint à Deo: an rursus aliquis alius sit, qui homines ad res eiusmodi impellat. A. A Deo quidem homines eiusmodi effectos esse, nō dico: hominem autem suæ potestatis esse, súique iudicij dico, ídque maximum munus illi à Deo concessum esse confirmo, M quòd cætera omnia necessitate diuino imperio præceptóque seruiunt. Siue enim cœlum dixeris, stat fértque dominum, sine definiti constitutíque loci mutatione: siue de sole loquare, perficit constitutum præscriptúmque motum, non detrectans cursum, sed necessitate quadam domino seruiens. Terram etiam vides eodem modo fixam, iubentísque imperium ferentem. Itémque cætera necessitate effectori parent & seruiūt, nec quicquam eorum aliud efficere, præter id cuius causa effecta sunt, potest. Itaque hæc minimè laudamus, quòd ita domino obediant: neque eis vlla melioris conditionis spes relicta est, quòd vltro ac sponte imperata fecerunt. At vero homo menti parere vult, accepítque se in seruitutem redigēdi potestatem, non quòd naturę necessitate vincatur, nec potestate careat: quod quidem meliorum causa liberum arbitrium esse dico, sed vt plura à superiore consequatur, id quod illi ex eo quòd obtemperat, euenit, atque vt debitori ab eo qui effecit. Neque enim nocendi malique causa hominem ita factum esse dico, sed causa meliorum bonorum. Nam si vt vnum elementorum factus esset, similium Deo seruiendi necessitas, non iam mercedem voluntate sua iudicióque dignam accipit: sed quasi instrumētum erit homo auctoris sui, atque horum causa erat is qui vtebatur. Sed ne melius quidē atque

A aliud quicquam homo sciebat, nisi id cuius causa natus est. Itaque cum hominē ita honorare vellet, melioremque scientem esse, ei faciendi quæ velit dedit potestatem. E. Non stultro solùm persuadere, sed etiam amentem ad pristinum mentis statum reducere possunt verba veri dogmatis atq; decreti. Absurdum enim esse arbitror, eos qui cum eiusmodi disputant, protrahere sermonem, cùm satis multis nobis oratio demonstrauerit. Ac mihi videtur ad hoc demonstrandum id quod propositum est, exempli causa sumere. Exprimit enim veritatem, & catholicæ Ecclesiæ dogma, atque eum qui eam defendit, quasi fontem quendam qui est perennis, quique leratur & crescit, cum, vt ita dicam, irrigator factus est. Quóque magis Droserius ex eo haurit, quòd eum exhaustum iri sperauerit: eò maiorem vim aquę fundit. Itaque mihi rectum videtur, Droserium atque Valentem ab iniqua pugna verborum secedere. Marinus autem, si ei videtur, duo capita quæ restant, proponat. Deesse enim decreto quod exposuit videtur. MAR. De Christo volo quære. Si quemadmodum vos defenditis, carnem ipse assumpsit, ex nostra hypostasi, hoc absurdissimum esse duco essentiæ puræ & incorruptæ attribuere: præsertim cum scripturæ eum corpus cœleste assumpsisse asserant. A. Scis eum qui id quod quęritur sapientia verè ad finem perduci velit, abiecto more studio concertandi, atque ex opinione anticipata disputandi, placidè inuēturum B esse veritatem. Iraque primum expone decretum, de quo instituis disputare. M. De Christo quæstio est. Ego statuo illum cœleste corpus assumpsisse. Tu quid statuas, explica. A. Dico ego ex hypostasi illa Adami qui primus fictus est, ex qua etiam nos. M. Christianorum decretum in fide scripturisque consistit. Itaque oportet ex scripturis probare, vel credere. A. Doce ex scripturis. M. Primum hoc quæratur sit ne deforme, dicere ipsum Dei Verbum carnem assumpsisse ex muliere. A. Si quid in Verbū Dei cadat, pudore Deus afficitur. M. Quonam pacto? E. Quoniam dixisti turpe esse fateri Verbum assumpsisse carnem. Deus autem pudore non afficitur, nō gloriæ cupiditate ducitur, non concupiscit: hæc enim sunt perturbationes. Atqui perturbationes in Deum atque numem non cadunt. A. Pauca de te volo quærere. M. Dic. A. Hominem quis effecit? M. Deus. A. Pater ne Verbi: id est, Christi? M. Pater cum Verbo. A. Quomodo eum effecit? M. Sicut scriptura dicit, Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et sumpsit Deus limum terræ, & fecit hominem. A. Deus cum accepit puluerem, vtrū in melius vertit, an in peius? M. Certè in melius. A. Si cum puluerem sumpsit Deus, fingens ex re deteriore hominem, non erubuit: puduít ne eum hominem assumere? M. Istud quonam pacto ais? E. Dixisti ne ex limo hominem effectum esse, an non ita? M. Certè dixi. E. Vter igitur præstantior est ac nobilior, puluís ne, an homo? M. Homo. E. Amentia est ergo fateri ex deteriore Deum pudore non affici, ex meliore autem affici. Si enim Deum non puduit puluerem sumere: quomodo effecto homine similitudinem sui eum pudebat sumere? C A. Ipsa ne natura non arguit, Verbum Dei ad hodiernum diē homines fingere: an sine Deo in aluo hominem fingi censes? M. Ego vim Dei hominem generare dico. A. Audi Apostolum, qui ait, Christus Dei virtus, & Dei sapientia. Audi Ioannem Euangelistam, qui ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Quinetiam Hieremias prophera Deum hominis effectorem esse declarat, hæc dicentem, Prius quàm te formarem in vtero, noui te. Dauid etiam his verbis, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. In Genesi quoque, Sumpsit, inquit, Deus limum, & formauit hominem. Et Apostolus, Cum autem, inquit, placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ. Quòd si scripturis docetur Verbum Dei hominem fingere: quî potest Deus ea quidem, quæ pudore digna sunt, accipere, siquidem pudore eum affici dicitis, ea autem quæ meliora sunt & nobiliora repudiare? M. Quid ad explanationem scripturarum, quòd aiūt eum cœleste corpus assumpsisse? quemadmodum Ioannes Euangelista, Et Verbum caro, inquit, factum est, & habitauit in nobis. A. Euangelista rectè admodum Verbum explanauit, cum Verbum in nobis, id est, in carne nostra habitasse docuit. M. At Verbum caro factum est. A. Si dixisset, Verbum carnem fuisse, aliquid posses dicere. Illud autē vocabulū, D factū est, planè declarauit accessisse aduenisseque id quod non erat, & quod nōdū erat ipsum esse factū. Neq, enim id quod factū est, esse dicetur, sed quod factum est, cum hoc nō esset, antè quàm factum esset. Caro igitur factum est, cum Verbum antea esset. Quod enim factum est, posterius est eo quod est. M. Verbum ipsum caro factum est, nulla re extrinsecus assumpta. A. Est ne mutabile Dei Verbum, an immutabile? M. Immutabile. E. Cum docere velles, Deum Verbi, non assumpsisse carnem, grauissimo atque impio maledicto eum confixisti. M. Quonam? E. Vno quidem, quòd Verbum hoc non currit, ne locum habet stante decreto tuo: altero, quòd mutabile inuenietur Verbum, si caro factum est, tua ratione & sententia. Quod enim mutatur ab eo quod fert natura, non iam erit, quod erat, sed quod factū est. Superuacaneum est igitur dicere Verbum Dei esse Christum. Neque enim Verbum est, sed caro, tua sententia. Superuacaneum est etiam, ipsum corpus cœleste habuisse censere. A. Si Verbum ait carnem factū esse, nec assumpsisse corpus hominis, dicat quidnam in cruce passum sit. M. Opinione &, vt ita dicam, phantasia passum est. E. Opinione, id est, phantasia passum est, non verè? A. Si opinione, non reuera passum est: opinione etiam Herodes ius dicit: opinione Pilatus manus abluit: opinione Iudas quoque prodidit: opinione Caiphas, opinione ipsum Iudæi comprehenderunt: opinione etiam Apostoli: opinione sanguis eius E profusus est: opinione Euangelistæ Euangelium narrauerūt: opinione è cœlo venit, atque in cœlum rediit opinione: opinione hominum salus, non reuera procurata est. Quomodo igitur Christus ait, Ego sum veritas? E. Marinus hoc confirmat, Verbo quidem ait Christus, Ego sum veritas: re autem, nihil verum ac reuera facit. M. Ego ex scripturis, ipsum cum cœlesti corpore venisse doceo. A. Est ne in cœlo essentia, vel hypostasis quæ ex carne constat? Esse enim in cœlo essentiam quæ carnem habeat, quæ ossa & sanguinem, docere debes: túmque ad probationes venire. M. De corpore doceo. Ait enim Apostolus: corpora cœlestia & corpora terrestria. A. Corpus appellat Apostolus cœlū, solē, lunā. Sic enim ait, Corpora cœlestia, & corpora terrestria. Alia est gloria stellarum. Stella à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorū. Doce igitur, nū caro, & ossa, atque sanguis in cœlo hypostasin habeant. M. Corpus & caro idē sunt. E. Corpora Apostolus, non est dubium, quin cœlum, solem, lunam declaret. A. Non est idem. Cœlum carnem appellare non possumus: corpus autem appellamus. Doce igitur primum carnem, ossa, & sanguinem esse in cœlo: ac tum denique rationes afferes. E. Contra omnes Adamantius ipsum terrenam carnem assumpsisse ait, id est, ex nostra: Marinus autem cœlestem cōfirmat. Demonstrandum est igitur, sit ne caro in cœlo, túmque ad probationes veniendum, vtrum ex terrena, an ex cœlesti assumpserit. A. Quoniam perspicuum est, hypostasin esse, quæ ex carne constat, proferam etiam probationes & rationes: ex F scripturis, quibus Verbum cœleste carnem, sanguinem & ossa assumpsisse monstrabo: ac primùm ex Euangelio. Nam postea quàm à mortuis excitatus esset, non credenti ipsi Thomæ, hæc dixit, Mitte digitum tuum in loca clauorum, & manum tuam in latus, & noli esse incredulus, sed fidelis: & illud, Spiritus enim carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. E. Christus planè ostendit se carnem & ossa habuisse. Docēdum est ergo primùm, essentiam esse in cœlo, quæ carnem & ossa habeat: ac tum id quod tutius est reperieris. M. Docui esse corpora cœlestia. E. Hoc ergo docetur, ipsum stellarum carnem assumpsisse, ossáque & sanguinem: quod fieri non potest. A. Planius te cohibebit Paulus, qui corporis & carnis distinctionem differentiámque explicat. Sic etiam vos aliquando eratis, inquit, inimici & hospites promissionis testamentorum. Nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ: quo loco declarauit ipsum assumpsisse & corpus & sanguinem. E. Doceat, sit ne in cœlo essentia, quæ ex carne, sanguine, & ossibus constet. M. Cœleste habuit, illúdque cœleste fuisse planum facimus. A. A qua essentia? num ab Angelica? an à potestate, an à dominatione? vnde assumpserit, doce. E. Cum essentiam non docueritis, ipsum carnem cœlestem assumpsisse dicitis. Necesse est igitur, ipsum ex iis quæ non

sunt, assumpsisse dicere. M. Opinione &, vt ita dicam, apparẽtia ipsum assumpsisse dicimus. Vt etiam angeli Abrahę apparuerunt, & comederunt, biberúntq; cum eo: sic Verbum ipsum. A. Cur ergo ad nos docendæ veritatis gratia venit, vt per eam salutem consequi possemus? an vestra ratione & sententia salutẽ nobis mẽtiens pollicitus est? Si mẽdacio nos ad vitam vocat, non vera erat salutis promissio: sin autem veritatis doctor erat, perspicuum est, ipsum primùm veritatem pronunciasse. Patrem enim suum profitetur Christus, eũ qui se misit. Nam pater nõ rectè pater intelligitur, nisi sit aliquis natus ex eo. Christum autem isti non genitum esse dicunt. Eligant ergo vtrum Verbum falsum esse velint, suúm ne an Christi. Quòd si ortũ per carnem negent, dispensationémq; Christi: quomodo intelligunt & accipiũt eum, cum se filium hominis appellat? Si enim opinione figura hominis apparuit, quid necesse erat ipsum se filium hominis dicere? Oportebat enim eum omnino dicere, Oportet hominem multa pati. Hi autem in falsa forma aiunt natum esse Dominum, nec verè, sicuti erat, esse cognitum. Si enim veritatem hominibus volebat tradere, cur non hominem, sed filiũ hominis se esse dicebat, ementiens id quod non erat? Atqui verè & planè, id quod erat, de se prædicabat. Neque enim clariorẽ se ipse reddebat, cum pro Deo se hominem haberi volebat: neque magis ei credidissent, cum eum hominem, quàm cum Deum esse existimassent. Ac si quòd veritate quæ ipsum attingebat, cognosci vellet, in mundũ venit: profectò nec in figuram nouã mutari, vt ne id quod erat, appareret, sed ignorari debuit, neque cum tacuisset id quod verè erat, hominem se pro Deo vocare. Atque hoc quidem diceremus, si omnino ac sine adiunctione hominẽ se nominaret. Nunc verò cum filium hominis se appellet: quomodo isti fraude agentes falsum esse volunt & prætexunt, quòd contrariũ figuræ videatur, intelligi planè eum hominis esse filium? Sed quid dico de sola figura, cũ non solum figura appareant homines, sed essentia quoque natura homines sint? Nam & Adamus & Eua, filij hominũ neque erant, neque nuncupabantur. Si enim nomen filij essentiam hominũ declararet, & Adamum & Euam, qui homines sunt, filios hominũ appellari oporteret: atq; sancti angeli, qui sæpe specie ac similitudine hominum apparuerunt, isto modo filij hominũ vocari appellaríq; deberent. E. Non essentiam hominum declarat nomen filij, sed ex hominibus ortum & natiuitatem. M. Ego sic censeo, quemadmodũ angeli Abrahæ visi sunt, & cum eo ederunt, biberunt, atq; locuti sunt, sic etiam Christum. A. Ante Christi aduentum figuræ fiebant: cum autem venit veritas, figuræ desierunt, Apostoli sententia, Lex enim vmbra futurorum bonorũ. Si ergo Christus etiam vmbræ ritu, & prophetice vt angeli, per alium venit: nunc eum tua sententia verè expectare debemus, & filiũ hominis futurum, & verè moriturum, & sepeliendum, & excitandum à mortuis, & hominibus daturum veram salutem. M. Si figuræ erant Christi angeli, quomodo cum Abraham ederunt, ac biberunt? Sed biberũt néc ne reuera? A. Angeli qui figuræ veritatis facti sunt, id est, Christi Seruatoris, ederunt quidem reuera, sed ad eorũ corpora nulla fiebat ex cibis accessio. Vt enim ignis omnia quæ adhibentur, conficit & consumit: sic etiam angeli cum Abraham, quemadmodum Apostolus scribit. Hæc quidem in figura contingebãt illis: scripta sunt autem ad correptionem nostrã, in quos fines seculorum deuenerunt. E. Apostolus, vt mihi quidem videtur, vmbrã & figuram declarat futuræ veritatis, cuius etiam figuræ fuerunt angeli. Rectè igitur quidem ac præclare sequetur Apostoli scriptũ angelorum imago, & iste. Sin autẽ, vt angeli, sic Christus visus est præ se ferre imaginem atque figuram veritatis: alter Christus quæratur necesse est, cuius imaginem ac speciẽ & angeli, & Christus præferant. Ac superuacaneum est, Christũ illud dicere, Ego sum veritas. A. Planius cognoscere volo, quid imago sit, quid figura, quid veritas. Nam figura quidem angelorum teneri tractaríque non poterat: veritas autem, id est, Christus, & comprehensus, & perpessus est, habuítque & carnem, & sanguinem, & ossa, excitatúsque est à mortuis. Atque angeli quidem homines se esse professi non sunt: quemadmodum Christus ait, Quis me tetigit? Sensi enim virtutem ex me exiisse. Thomas enim etiam vulnerum cicatrices tractasse ostensus est. Vtrum ergo studio ei fuit decipere eos qui audiebant, maximéque discipulos suos veros & germanos? an tum cum eos ea quę vera erant docebat, voluit ipsos se tractabilem esse intelligere, atque ita ex carne, sanguine, ossibúsque constare? Si verò, vt isti aiunt, carne & sanguine carebat: cuius tandem carnis, aut cuius corporis, aut cuius sanguinis imagines ac figuras cum dedit & panem & poculum, iubebat discipulis per hæc sui memoriam coli? In his etiam est Apostolus, qui horum testis ait, & panem & calicem benedictionis, sanguinis & carnis esse communionem. Quòd si, vt istis videtur, opinione, non reuera in Domino fuerunt omnia, quæ homo perfectus habet, principium intelligendi, sanguinem, & carnem: certè neque à Paulo verum prædicabatur, & frustra horum ratione & sententia, studemus verum cognoscere, quod nec per se, nec per Apostolum plane enunciare Dominus voluerit: & prætereà dare operam contrà volumus, vt id sciamus quod ille non vult intelligi. Si verò verax est Christus, qui & ipsa veritas est, & perpessus est: verus etiam erit Paulus, qui missus ab illo, hæc ait, An experimentum quęritis eius qui in me loquitur Christus? credendúmque est vt Christi verbis, sic etiam scriptis Apostoli, ex quibus intelligimus Christum & carnẽ, & corpus habuisse, ac pro nobis reuera mortem pertulisse, suáque morte ac sanguine nos liberasse: quæ perpessus esse credi non potest Christus qui è cœlo descendit, nisi carnem assumpserit. Atque vt mortẽ quidem pertulisse eum, sanguinémque habuisse Paulum libere prædicare intelligatis, eius verba recitabo. Scribit enim his verbis, Notum enim vobis facio Euangelium, quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione euangelizaui vobis, si tenetis, nisi fortè frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die. Si quis ergo non frustra credidit, sed id quod Apostolus tradidit, tenet: is & Euangelium quo salus nobis datur, cognoscit, & illud habet. E. Rectè Apostolus docet, cum ait, pro peccatis nostris mortuum esse Christum, sepultum esse, tertióque die excitatum. Hac quidẽ hypothesi falsa erunt quæ dicuntur, si Christus carnem non habuit, sed solum erat spiritus, solam habens hominis speciem. Neque enim tradi poterat spiritus, qui teneri comprehendíque non potest, neque mori qui mortalis naturæ nõ erat. Sepeliri autem spiritus non potest. Quid plura etiam attinet dicere? Quin ne sanguinem quidem habet natura spiritus: præsertim cum scripturæ Christi & morte & sanguine hominũ salutem nuncient & prædicent. Isti autem eum carnem & sanguinem habuisse negant. Ita nec mortuus est ille reuera, nec sepultus: (neque enim sanguinem habuit) sed hæc omnia in illo opinione atque specie fuisse dicuntur. Neque nos igitur verè ac reuera seruati sumus, sed specie & opinione, vt in aliorum aduentu qui apparebat, mundus conseruari non potuit, angelorum dico Abrahæ temporibus, & si quis aduentus alius literis mandatus est. Itaque in fide errauimus, quòd spem & salutem opinione ac specie sumus consequuti. A. Patere paulisper, & audi maiores Apostoli rationes atq; probationes: Si vero Christus nõ resurrexit à mortuis, inquit, inanis est & prędicatio nostra, inanis & fides vestra. Si ergo specie & opinione, vt istis videtur, passus est, nõ reuera: perspicuum est eũdẽ ne reuera quidẽ à mortuis excitatũ esse: eritq; verè inanis prędicatio, inanis & fides nostra. Deinde subiicit, Nũc vero Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormiẽtiũ, quoniã quidẽ per hominẽ mors, & per hominẽ resurrectio dormiẽtiũ. Sicut enim in Adã omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabũtur. Primitiæ Christus. MARIN. Ei quidẽ credo: sed attẽde, quid idem Apostolus dicat, Qui descẽdit, ipse est qui & ascẽdit. Et in Euãgelio ait, Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo filius hominis. Vides eũ planè se è cœlo venisse dicere. A. Rationes hæ decretũ vestrũ nõ cõfirmãt. M. Quomodo? A. Euãgeliũ quidẽ apertè perspicuéq; docet, nisi verbũ è cœlo descẽdisset, hominẽ in cœlũ ascensurũ nõ fuisse. Nemo, inquit, ascendit in cœlũ, nisi qui descendit de cęlo. Verbũ enim hoc, ascendit, præteritũ tẽpus declarat. Neque enim dixit, Nemo ascẽdet, sed, Nemo ascendit. Planè ergo ostẽdit, ante Christũ ascẽdisse neminẽ, quẽadmodũ etiã Apostolus,

A stolus, Primogenitus, inquit: & rursum, Primitię dormientiū: & rursus ait, Primitię Christus, deinde ij qui sunt Christi. Nemo igitur ascenderat antè quàm descēdisset, hominémq; ex vtero assumpsisset Dei Verbū. Postea verò quàm ascēdit, tum etiā ij qui eius sunt. Sic enim ait, Primitiæ Christ⁹, deinde qui sunt Christi. Illud autem, Qui descendit, ipse est qui & ascendit, dixit Apostolus, quòd verbum impatibile & immutabile esse demonstrare vellet. Verè enim quod descendit, idem est etiam quod ascendit, cum non aliud factum sit, quā quod erat Deus. E. Verba hæc cum Adamantij decreto congruūt: sed tamen vtrosque volo de hoc statuere. A. Dei Verbum cum descendisset, hominem assumpsit à Maria inuiolata virgine in vtero, generatúrque Christus sine viri congressu. Atque hic qui à Maria virgine ex spiritu sancto, humana omnia mala pertulit, vt homini salutem daret. M. Rectè. Cum ergo patiebatur homo, vtrum vnà Verbum aderat, néc ne? E. Expone primò decretum. A. Patere eum primum responsum dare, quod debet: deinde ita demum decretum exponere. Erat quidem Verbum Dei vna cum homine, sed ei nulla fiebat iniuria: quemadmodum adamas cum à ferro percutitur, saluus manet, contráque ferro quod nocendi causa adhibetur, nocet: quin etiam cum igni integer incorruptúsque adhibetur, integer atque inuiolatus sine vllo damno permanet. B Quin ne ignis quidem ab ense sectus, diuiditur. Ignis enim densitas quæ ad se reuocatur, manet indiuidua. Quòd si materiæ aduersus alias res vim suam declarant, quòd consumi non possunt: quid est quamobrem non magis Dei Verbum, cum impatibili immutabilíque natura præditū sit, impatibile maneat ita, vt affectiones consumat? Si placet, recito Euangelium, ex quo Christum ex Maria natum esse intelligere debeamus. M. Nos quoque fatemur eum natum esse per Mariam, sed non ex Maria. Vt enim aqua per tubū transit, nec quicquam assumit: sic Verbum per Mariam natum est, non ex Maria. A. Iube recitari Euangelium. E. Recitetur. A. Recito id quod angelus Mariæ dixit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei. E. Forsitan angeli etiam vocem specie & opinione missam esse dices. Quid enim hoc erit verius, cum angelus dixerit, Ideóque quod ex te nascetur sanctum? Non enim dixit, Quod nascetur per te, sed, ex te. Quid est autem cur non illud etiam amētia sit dicere, vt per tubum? atque illud quidem, per Mariam transisse Verbum, fateri: aliquid autem illud ex eadem assumpsisse, negare? ac si pudore quidem, negare, si modo diuinum numen indiget. Et quod pudore quidem dignum est, fateris, Marine, quod autem magnificentius est, maiorísque dispensationis, id negas. Si enim per Mariam transire Verbum de- C forme non duxit, ne deforme quidem aliquid ex ea sumere existimauit. Quid enim necesse erat transire, nisi aliquid assumeret? A. Si hominem ex Maria non assumpsit, quomodo verba Apostoli constabūt? quomodo vero primogenitus erit ex mortuis, primitiæque dormientium, doceant. Si enim figura solum aiunt ipsum vt etiam angelos apparuisse, nec primogenitus, nec primitiæ esse vllo modo potest. M. Quónam modo? E. Vtrum angeli ante Christum apparuerunt, an Christus ante angelos? M. Multo antè tempore Abrahæ angeli apparuerunt. E. Si & angeli, & Christus specie atque opinione apparuerūt: Christus angelorum primigenius esse non potest, cum primi tua confessione apparuerint. Necesse est enim primos illos primogenios dicere. A. Quomodo autem primitiæ erit dormientium Christus, cum ante illum multo tempore & Sunamitidis filius excitatus sit, & Saraphthinæ mulieris filius, & Lazarus? Si ergo non reuerà mortuus est, & quæ facta sunt, non specie & opinione, sed re & veritate euenerunt, sicuti ait Ioannes Euāgelista, Lex per Moysem data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est: doceat Christum esse primitias dormientium. M. Tu doce. A. Doceo & primigenium mortuorum, & primitias dormientium esse Christum re ac veritate. Qui enim ante Christum excitati sunt à mortuis, iterum mortui sunt: Christus autem postea quàm excitatus est, non iam moritur. Vt enim Adamus primigenius mortuus est: sic primus excitatus est Christus. Ipsa Apostoli verba proferam: Sicut enim, inquit, in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. D Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi. Quid aliud inueniemus, quod ita planè vtrunque nos docet, & Christum mortuū esse, & hominem esse, id quod est mortuum? Si enim primitiæ est dormientium Christus, qui excitatus est à mortuis, vt sit per hominem mortuorum resurrectio, quæ ita intelligitur, vt etiam mors quæ ab homine procurata est: duo hi sunt homines, vnus quidem Adam, per quem mors: alter autem Christus, per quem resurrectio. Alterutrum ergo necesse est, aut Verbum, quod è cœlo descēderit, mortuum esse, aut hominem, quem assumpserit: aut certe id quod necessario sequitur intelligendum esse fatebuntur, Verbum quidem quod è cœlo descenderit, fuisse Deum: sed vt nos liberaret, assumpsisse carnem quę pro nobis mori posset, per quā simus liberati, fueritque primitiæ resurrectionis, quòd prima ipsa à mortuis sit excitata. Sic enim demū cum verè Deum per spiritum, veréque hominem per carnem Christum professi erimus: non specie & opinione, sed veram atque firmam & stabilem fidem habebimus. Quod quidem Apostolus tradidit, secundum carnem Christum, & mortuum esse, & resurrexisse à mortuis, & primitias resurrectionis mortuorū. M. Multos ante Christum excitatos esse dixisti. Quomodo igitur est primitiæ? A. Ij qui ante Christum excitati sunt, rursus mortui sunt: Christus autem resurgens ex mortuis, iam non moritur: E mors illi vltra nō dominabitur. Quod enim mortuū est peccato, mortuum est semel: quod autē viuit, viuit Deo. Cui ergo mors dominata est? Quod enim dixit, Non iam dominabitur, ex eo docuit prius esse dominatam. E. Perspicuum est, nisi mors in carnem quam Verbum assumpserit, imperiū habuit dominatáque est, necessariò dicendum esse mortem dominatam esse Verbo, si non re & veritate carnem Verbum assumpsit. Verbo autem Dei mortem dominatam esse, non rectè dici posse arbitror. A. Audi ergo Apostolū, qui mortem non opinione, sed reuera mortuam: sanguinémque illius nostræ salutis causa profusum esse dicit. Ait autem hoc modo, Commēdat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: Multo ergo magis iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira. Et rursum, Si enim crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Et iterū, An ignoratis quia quotquot baptizati estis in Christo Iesu, in morte eius baptizati estis? Qui si mortuus nō est, quis dubitat nō esse baptismū? Et rursum, Donauit nobis in dilecto filio suo, in quo habemus redēptionem per sanguinē ipsius. Et rursus, Quia hæc passi estis à contribulibus vestris, sicut & nos à Iudæis, qui etiā interfecerūt Iesum, & prophetas. Non dixit, Et angelos qui specie apparuerūt, quibus Christū similē facitis: sed, Et prophetas, qui F vera carne, nō specie, cum essent homines vestra sentētia, vni caro secta est, alius lapidibus obrutus est: cæteri in occisione gladij mortui sunt. Seruatoris quoque ipsius verba proferam, quæ eius passionē ante denunciant, cum ita ait, Oportet filiū hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum & scribis, & crucifigi, & post tres dies resurgere. Et iterum cum excitatus à mortuis, quosdam argueret, dicebat: O stulti & tardi corde ad credendum omnia quæ loquutus sum vobis, quòd oportebat hæc pati Christū. Quinetiam Euangelista nō speciem mortis, sed veram mortem inducens, ait, Et clamans voce magna Iesus, dixit, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: & emisit spiritum. Et, Ecce vir nomine Ioseph cum petiisset corpus, inuoluit illud sindone, & posuit in nouo monumento. Quis ergo hic esset, audacter dicant. Non enim quidem certè spiritus expirauit, cum æternus sit, & interire non possit: sed planè aliquis erat, qui spiritum habebat, qui verè expirauit, id est, spiritum edidit: qui etiam efflans animam patri tradidit, commendauítque spiritum: quem inuoluit Ioseph sindone. Neque enim profectò vmbram inuoluit atque sepeliuit, sed eum qui ligno suffixus fuerat. Sic etiam post resurrectionem discipulis qui eum spectrum esse putabant, dicebat, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Videte manus meas & pedes meos: quia spiritus carnem & ossa habet, sicut me videtis habere. Sed quid tandiu commorans in refutatione, sermonem protraho? Satis enim erat,

G se filium hominis profiteri. M. Cuius hominis est filius? A. Ex semine Dauidis carne est, queâdmodum etiam Euangeliũ dicit. M. In Euangelio, cum Iudæi Christum filium Dauidis dicerent, ipse eos refellit: ac si vis, recito. E. Recita. M. Dixit Iesus, Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicũt ei, Dauid. Dicit eis Iesus, Quomodo ergo Dauid in spiritu Dominũ eum vocat, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? Si ergo Dauid in spiritu Dominum eum vocat, quomodo eius est filius? Vidistin vt eos improbet & dãnet, qui Christum Dauidis filium esse dicebant, cum id negaret ipse? A. Illud, Quomodo, non negationis est sed interrogationis: neque semel, sed sæpenumero in scripturis non habet vim negãdi, sed in interrogatione ponitur. Quomodo enim, inquit, fugabit vnus decẽ milia? &, Quomodo fornicatrix facta est ciuitas fidelis Sion? &, Quomodo cecidit de cœlo Lucifer, qui manè oriebatur? Neque enim negans Christus dicebat, Quomodo, sed interrogans. M. Dominũ eum Dauid fatetur, non filium. A. Dauid eum non, vt ita dicam, secundum carnem Dominum fatetur, sed secundum spiritum: id est, Verbum Dei nõ solum Dauidis Dominus est, sed omnis etiã principatus, potestatis, dominationis, nominis, quod nominatur non solùm in hoc seculo, cum prænosceret, verùm etiam in futuro. Sciebat autem Iudæos non credere id H quod spiritus erat, & interrogabat eos his verbis. Si ergo Dauid in spiritu Dominum eum dicit, quomodo filius eius est? Non enim dixit Christus, Si ergo Dauid in carne Dominum eum vocat, sed in spiritu, eum spiritalem Dominum profitẽs, carne autem filium. Docebo autẽ planius ex Euangelio, quẽadmodum Christus ipse approbat, & assentitur hanc esse fidem & salutarem & stabilem: ac si vis recito. E. Recita. A. Quoniam adest Megethius, is qui Marcionis decretum defendit, ex eorum Euangelio recitabo, Factum est autem cum appropinquaret Hiericho, & quidam cæcus mendicans sedebat iuxta viam. Audiens autem turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Renunciatum est ei, quòd Iesus præteriret. & clamauit dicens, Iesu, fili Dauid miserere mei. Stans autem, iussit eum adduci. Cum accessisset, eum interrogauit, Quid tibi vis faciam? Ille autem dixit, Domine, vt videam. Et respondens dixit Iesus, Respice: fides tua te saluum fecit: & repente vidit. E. Cæcus mihi videtur, cum recte credidisset, iure vidisse, videlicet Megethij ac Valentis, Droseriique & Marini fide liberatus. Ac ille quidem cum recte credidisset, iterum vidit: hi autem imperitia impulsi, mente & animo cæci sunt. Cum ita planè Christus cæci fidem laudaret ac diceret, Respice: fides tua te saluum fecit: cæcus ipse aduentum eius & corporeũ & spitalẽ profitetur, vtrũque credẽs, Deum in homine esse. Ac primùm quidẽ agnito homine, statim etiam Dominũ cognoscit. Et de homine quidem ait, Fili Dauid, miserere mei: de Deo autem, Domine, vt videã. Marini ergo sentẽtia, si non est Dauidis filius, sibi Christus aduer- I satur, dum iussit alibi cæcũ despicere, quòd omnino planéq; credidisset: alibi interrogãs Iudæos, se filium Dauidis esse negat. Quî autem à se ipse non discrepet Christus vestra ratione & sententia? Hęc porro euenit iis qui sectam sibi nõ constantem sequuntur. Cùm minus consentaneis fabulis student vti, eos eiusmodi incõmoda necessario sequũtur. Sequi ergo decretum debemus, quo etiam cæcus saluos oculos recepit: cuius rectæ fidei Christus testimoniũ dedit. Itaque rectum esse videtur, Marini fidem & repudiare & abiicere, cum procul à veritate remota sit, nec vlla ex parte ad diuinitatem pertineat. Quoniã enim fabulis, speciei rerũ atque opinioni fidẽ habẽt, fabula, specie, & opinione salutem cum decreto suo consequentur. Quare mihi videtur Marino ab ista sententia cõcertationis plena desistendũ esse, & veniendũ placido animo ad tertium decretum, id est, ad disputationem de resurrectione.

DE RESVRRECTIONE.

MAR. Si pro veritate disputare vis, paratus sum de hac re accuratè disserere. E. Adsunt non vulgares viri: ipsi dicant, num ab æquitare aberrauerim. Quòd si tu victus es, aut seruitute oppressus, occupatione impulsus, in me culpa non est conferenda. M. Si placet cum omni veritate disputari repudiatis iis quæ à philosophis afferuntur, solas scripturas credite. A. Credamus scripturas. E. Perspicua claráque est vtrumque assensio. M. Vos hanc quæstionem non rectè ponere existimo. A. Disputatio progressu suo eum qui quæstionem hanc non rectè inferat, arguet. M. Statuat Adamãtius quodnam corpus excitetur, id ne quo circundati sumus, & in quo vincti sumus, an aliud spiritale. A. Hoc ipsum quo amicti sumus, dico excitari. M. Hic præsto est reprehensio aperta, eius iniquas * nationes refellit. Hominis enim corpus non à puero vsque ad senectutem idem manet, cùm natura sua fluat. Quod ergo corpus censes excitari, vtrum puerile, an mediæ ætatis, an senile? A. Qui in parietibus res delineant, cum nauium fabros, gubernatores, ac nautas pingant, naues ædificare, ac gubernare nesciunt. Eodem modo Marinus sermonem pręmisit, cuius periculum & demonstrationem non habet. E. Planius intelligere volo, cur non sit idem corpus à pueritia vsque ad senectutem. M. Quoniam corpus natura fluit atque labitur, sensim defluit id quod ex alimento accedit: itaq; morbis consumitur vel quod puerile est, vel quod senile: & quanquam maximè fluit & labitur, atque interit, tamen rursus alia fit accessio. Quod igitur corpus excitari dicis, id ne quod morbis consumptum est, an puerile, an senile? L A. Quãquam cum maximè ex scripturis pollicitus sis te persuasurum auditoribus, te ad medicinam contulisti, atque ita decretum oblitus es: tamen ego quoque minime dubitabo, etiam si in medicina non sum versatus, iniqua animi tui sensa refellere. Si enim natura labile corpus aliud pro alio fieret: membra quæ amputantur & præciduntur, id est, auriculam, aut dignum, aut nares, rursum alimento expleri oporteret: cicatrices etiam vulnerum, sensim tua sententia fluentibus corporibus, non remanere deberent vsque ad senectutem. Quin ne ea quidem corpora quæ in morbis sunt, alia iterum facta, fluunt: sed cum animus non recipit ea quæ concupiuit, contractione corpus, * quemadmodum iis qui incedit, humentia cõprimit. Cum autem fruitur iis quæ appetit, rursum percussa & pressa intumescunt. Neque enim cum facilimè ex morbo corpus conualuit, ita breui tempore ea quę tanto crescunt, restituuntur. E. Si labile corpus esset ita vt aliud pro alio fieret, * corpus quod non constaret, non posset inueniri. M. Quo tandem modo? E. In homine exemplum sume. Vt si qui velit ex cera viri simulachrum fingere, ac primum cum breui figura expresserit, rursus aliam ceram infundere velit in excelsitatem atque magnitudinem: hoc fingere non potest. Sic enim quod efficitur, ad finem perduci poterit, quòd prima ex cera figura fluat, alteráque fiat, neque simulachri hominis effector opus absoluet. Homo autem qui puerilem corporis staturam habet, crescit puerili essentia manente. Hinc M etiam vulnerum cicatrices vsque ad senectutem remanent, membrorúmque præcisiones: superuacaneúmque est labile corpus esse dicere. M. Si corpus quod à prima ætate ad senectutem manet excitatur, respondeat, quisnam sanguis vnà cum homine excitetur, is ne qui in venarũ præcisionibus elicitur, an is qui in sanguinis eruptionibus. Nõnulli autem homines vnoquoque anno præcisa vena excernunt. Dicat igitur mihi, quisnam sanguis cum homine excitetur. A. Non eum sanguinem qui naturalis est maximè ac proprius, excernunt ij quibus venæ præciduntur, sed malum, & qui ex saporibus ac succis accedit. Itaque in sanguinis eruptionibus exilit, cum non sit naturalis nec proprius: ob eámque causam ij qui medicina præditi sunt, quòd norunt eũ qui ex succis assumitur, rubrum atque eiusdem coloris esse factum cuius sanguis est, non tamen naturalem, in venarum præcisionibus petunt, cum elicitur malus omnis, qui niger dicitur. Cum autem flauus & naturalis erupit, tum sistunt & comprimunt, ne forte vitalis cum fluxerit, animal interimat. E. Imperita propositio, falsa & quæ ex alimẽto inducuntur, ea vera & vitalia existimate. Cum enim alimẽtum intromittitur, & liquescit, partim in sanguinem, partim in pituitam, partim in saliuam excernitur. Iis ergo quæ minus propria sunt prætermissis, ad ea quæ magis propria sunt, venite. M. Homo ex terra, aqua, igne, & aëre constat. Cum ergo moritur & dissoluitur, vnaquæque pars in suum ac propriũ recidit, veluti pars ignis in ignem, aquæ in aquam, aëris in aëra, terræ in terram. Quo igitur modo in resurrectione homo, cuius partes cõfusę sunt, excitari

Marginal notes: K; * ἐθνικὰς / Imperite. * αὐτόματον. * χαλαστὸν.

A excitari potest: Vt si quis ex profundo maris effundés aquam, rursus eam reportare confirmetur, cum res ipsa fieri nequeat. Necessario igitur alius pro alio homine excitatur. A. Multo valentiores homines Deo tua ratione & sententia esse declarantur: superuacaneúmque est, seruatoré dicere, ea quę homines præstare non possunt, Deum efficere posse. M. Quomodo sunt homines Deo potétiores? A. Nam homines quidem vinum aqua dilutum separant, arte & scientia adhibita, & argentum ab ære, plurimásque res sciunt discernere. Deus autem qui est immensa vi prædítus artifex effectórque omnium, cui subiectus est ignis, aër, aqua, & terra, quæ metu seruiunt, atque suam cuique partem seruant: quid est quamobré non in resurrectione suum cuique corpus attribuat? Nam & ignis qui Deo subiectus est, nutuíq; ac imperio paret, tribus fratribus, qui in fornacem ignis coniecti sunt, non nocuit: sed saluos Domino tradidit, & aqua cum Ionã recepisset in profundo, tribus diebus ac noctibus integrum restituit: & aër Eliam in cœlum recepit: & terra Lazarum quatriduanũ reddidit. Quin etiam dulces aquæ cum influunt, miscentúrque in mari, rursus dulces à nubibus redduntur, separantúrque à salsis: quemadmodum etiam propheta ait, Qui vocat aquam maris, & infundit eam in faciem terræ. E. Cùm scripturis se probaturum pollicitus sit, tamen ad physicas medicinæque

B propias quęstiones conuersus, homines Deo potétiores esse docuit. M. Mihi facile est id scripturis docere, si etiam placidè Adamantius se gerat. E. Non Adamantius digressionis causa est, sed sententia tua vincendi studio excitata. A. Permittendum ei est, quæ volet, sentire, cum paratus sim omnia refellere, quòd à me stet veritas. M. Quibus scripturis credis, vt eis doceam, carnem non excitari? Omnes credo quæ in testamétis continentur. M. Recito negationem Dei, qui in priore testamento ita censuit, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro & sanguis. A. Si ergo dixit, Non permanebit spiritus meus in istis, perspicuum est eum permansisse in aliis. Illud enim, Istis, priuata est causa, non contra omnes pronunciatum. M. Docebo scripturis, nec prophetas, nec Apostolos mentionem fecisse carnis aut sanguinis, sed tantum animi, quem seruari optabant. Ac primum quidem Dauid, Quia, inquit, eruisti animã meam ex morte. Et rursus idem, Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Et rursus, in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo. Et rursum, Non relinques animam meam in inferno. Vides eos precatos esse, vt animus solus seruaretur, non caro & sanguis. A. Definiat & statuat, vtrum animus mortalis sit, an immortalis. M. Non est dubium, quin immortalis. A. Quomodo igitur ait, Non tradas bestiis animam confitentem tibi? Num bestiæ animum qui immorta-

C lis est, labefactare possunt? E. Bestiæ non animum discerpunt, sed corpus. Nam cum ait, Non tradas bestiis animam confitentem tibi: scilicet totum hominem animum nominat. A. Planius te docebit scriptura, hominé qui ex animo & corpore constat, animam vocari. Et facti sunt, inquit, filij & filiæ Iacob animæ triginta duæ. Et rursus ait, Et descendit Iacob in Ægyptum cum septuaginta animabus. E. Fortassis Marini sententia incorporei Iacob liberi descenderunt in Ægyptum. Demonstratum est autem, totum hominem animum à scriptura nuncupari, neque de hac re ambigendum est. M. Apostolum veriorem prophetis testem produco, qui corpus animi carcerem esse dicit, idémque causam malorum omnium, his verbis, Quis me liberabit de corpore mortis huius? A. Quomodo est carcer animi corpus? M. Cum præceptum Dei violauit, animus qui peccauit: tum fecit Deus, inquit, tunicas pelliceas, & induit eos, id est, corpus: vt etiam Hieremias propheta vinctos nos appellat, quòd Deus animum in corpore vinxerit. Quòd igitur corpus malorum omniũ causa peccauit, excitatum illud iri dicis, vt semper in vinculis animus exerceatur. A. Dixisti peccasse animum, & vinctum esse in corpore: deinde paulò pòst causam omnium malorum animo corpus fuisse ais, eúmq; peccasse antè quàm in corpore vinceretur. Si animus sine corpore peccare potest, quam causam peccãdi animo dat corpus? E. Si animũ dicis peccasse antè quã vinctus esset: superuacaneũ est corpus causam malorũ dicere. Si eñ ante corpus peccauit, nunc etiam liberatus

& eductus ex corpore, rursus peccabit, propterea quòd etiã D ante illud peccauit, nec causa est corpus, sed animus. A. Si corpus animi carcerem esse posuit: carcer auté eum qui peccauit retinere solet, & à delictis coërcere: non carcer est animi corpus, sed eum adiuuat. M. Quomodo? E. Carcer non adiuuat eum qui vinctus est ad peccatum, sed cohibet, arcens eum qui vinctus est. Corpus autem adiuuat animum in cædibus & stupris. Perspicuum est igitur Deum non carcerem animo corpus dedisse, sed adiutorem. M. Respondeat Adamantius, num Apostolo fidem habeat. A. Omni ex parte Paulo, qui à Christo & spiritu afflat[9] fuit, credo. M. Si ei credis, eum audi pronunciantem atque dicenté, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem. Quid hoc apertius? quid hoc clarius? Sic ergo reprehensioné ex contrario profiteor: nemo cõtradicere quasi apertæ atque verę potest. A. Qui verba Apostoli, quæ spiritali sensu proferuntur, non intelligũt, ij solis literis atque scriptis addicti aberrant à veritate. Apostolus enim carné & sanguinem turpes improbissimásque actiones nuncupat, eos qui res ad corpus pertinentes spectant carnales vocans: eos auté, qui res ad animum spiritũq; pertinentes gerunt, spiritales. Age verò Apostolum ipsum tibi producam apertè appellãtem carnales eos, qui non conuenienter fidei viuunt: sed superbiã actionésque carnis proprias sequuntur. Scribit autem his verbis, Vt iustificatio legis impleatur in nobis, qui non secũdum E carnem ambulamus, sed secundũ spiritum. Qui enim secundum carnem ambulãt, quæ carnis sunt sapiunt: qui autem secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus. Prudẽtia enim carnis, inimica est Deo. Prudẽtia autem spiritus, vita & pax. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Respondeat num ij, quibus hæc scripsit, sine carne essent. Et rursus, Lac enim, inquit, vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius auté, Ego Apollo: nonne carnales estis? Et rursum, Cum enim essetis in carne, passiones peccatorum quæ secundum carnem sunt, operabantur in vobis. Nunc autem non estis in carne, sed in spiritu. Atqui non exuerant carnem. Hæc enim omnia declarant eum dicere carné vitam carni consentaneã & improbã, vt etiam hominé. Quis enim ignorat, si se dicebant, vnus esse Pauli, alius Apollo, non minus tamen eos hominum filios essentia fuisse? aut eos, quibus scribit hæc, Cum essetis in carne, etiam tum quod ad essentiam attinet, non fuisse carnis expertes? quę etiam dicebam, carnem vitæ genus quod & carni cõsentaneum sit, & deprauatum, quod ille merito à spe abducit & deturbat, vt quod Dei regnum possidere nõ possit. Quod si datis corporis carnem, vt fieri potest, non posse spem obtinere: quid opus est baptismo & lauatione? Sic enim ait Apostolus, Sed hæc, inquit, fuistis: sed abluti estis: sed sanctificati estis. Quid sit quod abluatur, & sanctum efficiatur, respon- F deant. Sed quoniã Megethius etiam audit, ex eodem Apostolo proferre cogor, instituta cum vtroque disputatione. Paulus enim Galatis scribés, hæc ait, Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me. Et rursum, Cæterorũ auté nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto. Age ergo, quid declarent hæc verba, videamus. Quod viuo, inquit, in carne, in fide viuo. Perspicuum est ergo, fidei vitam esse in carne, stigmata Christi, per quæ nobis est salus, corpus portare. Quomodo igitur id quod stigmata salutis ferat, fideíque vitam habeat, non salutem consequitur eorum sententia? Aut enim nihil adiuuatur id quod fidei vitam & Iesu stigmata habet: aut si in hoc sita est salus, caro est quæ salutem adipiscitur. Atque hæc esse confitetur. Corinthiis autem scribens, ait hoc modo, Nescitis quoniã corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Si enim Christi membra sunt corpora, aut pereunt Christi membra, aut caro salutem adipiscitur. M. Corpus, non carnem dicit. A. Perspicuum est ex iis quę subiiciuntur, An nescitis, inquit, quòd qui adhęret meretrici, vnũ corpus est. Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Et rursus ait, Vir enim non debet velare caput, quoniam imago & gloria Dei est. Si id quod occultatur, est

G corpus quod apparet, id est, caro : hoc autem est Dei & gloria & imago, salutem etiam consequi potest. Si enim salutem non accipit, nec Dei quidem potest esse gloria & imago. Atqui est, vt scriptum est, imago & gloria Dei caro. Perspicuum est igitur, eam vt hęc recipit, sic etiam salutem posse consequi. Quo autem apertius doceam, iube eum verba apostoli recitare. E. Recitentur. A. Lego in priore ad Corinthios epistola hoc modo, Quid facient ij qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor. Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vtputa, tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrium, alia piscium. Et corpora H cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia clatitas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum. Et paulò pòst subiicit, Ecce mysterium vobis dico, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resutgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. M. Non corpus hoc dicit excitari, sed aliud, ex eo quod ait, Deus autem dat illi corpus, sicut vult. A. Triticum terra obrutum, rursum idem oritur: & homo terræ mandatus, homo excitatur, non alius fit, ex Pauli verbis, qui ait, Vnicuique autem seminum dat proprium corpus. E. Ne interpretationis quidem hæc indigent, quæ adeo planè ac sine ambiguitate ab Apostolo dicta sunt. Neque enim animus in terra sepeliri potest, cum & sit & concessus sit immortalis esse. A. Caro igitur, quæ vt triticum seritur. Videmus enim corpus, tritici instar seri. Tu enim, inquit, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Quid igitur est, quod seritur, & iacitur in terram? non est dubium, quin sit caro. M. At vides eum dicere, Non, corpus quod generandum est, seminas, sed, nudum granum tritici. A. Vt triticum quod nudum seritur Dei voluntate, cum oritur, asciscit sibi herbam, I amictúmque est, & caulibus præditum, nec aliud est, quàm natura eius fetat: sic homo mandatus terræ, ac statim Dei impetio excitatus, adipiscitur & induit immortalitatē, quemadmodum Apostolus commemorauit his verbis, Oportet autem mortale hoc induere immortalitatem: & corruptibile hoc induere incotruptionem. MEG. In nostro codice Apostolus non ita loquitur. A. Quo igitur modo? MEG. Non ait, Deus dat ei corpus sicut vult: sed, Deus dat ei spiritum, sicut vult. Seminatur corpus animale: resurget corpus spirituale. Seminatur in corruptione: resurget in incorruptione. A. Tua ergo ratione & sententia, dat ei Deus corpus spiritale. Quod igitur datur à Deo, spiritale est. Quod ergo accipit, quid est? MARC. Animus est id quod accipit. A. Animus ergo sepelitur. E. Cum animum immortalem esse statuerit, non solùm mortalem, vetum etiam in terra sepeliri nobis suadere cogitur: cum sit res perspicua, corpus esse id quod sepeliatur. Absurdúmque esse duco, cum in eis commorati simus, de iisdem quærere, præsertim cum satis nos docuerit oratio. A. Non videbitur fortasse his satis accuratè demonstrata resurrectio. Itaque aliquandiu patere, audíque Apostolum, qui planius loquitur, Estis epistola Christi, ministrata à nobis, scripta non atramento, sed in spiritu Dei viui: sed in tabulis cordis carnalibus. Si, vt est istorum amentia, caro non excitatur, nihil adiuuat Christi epistola, quæ in tabulis cordis carnalibus scripta est, Dei viui spiritu. At non frustra scripta est epistola Christi Dei viui spiritu, sed vt detur K vita iis, in quibus scripta est: id quod deinceps Apostolus docet his verbis, Si enim quod euacuatur, per gloriam est: quanto magis id quod manet, in gloria est, & non euacuatur? Quòd si Christi epistola in cordibus carnis scripta est, perspicuum est corda etiam quæ ex carne constant, manere, in quibus id quod scriptum est, nec deletur, manet. Et rursus, Habemus ergo thesaurum istum in vasis fictilibus, vt excellentia sit virtutis Dei, & non ex nobis. Accipiant ergo, & eligant erroris oratores, quomodo velint sententiam hanc intelligi, in quo velint esse scriptum omnino hunc thesaurum. In interiore homine vt ponunt? Si interior homo est fictilis, animus erit vas fictile eorum sententia, quod est, vt volunt, homo exterior. In carne igitur erat thesaurus. Atque alterutrum necesse est, aut perire eum qui thesaurum hunc habeat, aut citra controuersiam caro in qua est thesaurus, salutem adipiscitur. Et rursus, Etenim nos qui viuimus, in mortem tradimur, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ne interpretationem quidem desyderat, cum dicat Iesu vitam in carne perspici. Et rursum, Cum absorbebitur mortale hoc ab immortalitate: quid aliud intelligi potest, nisi quòd progreditur ad vitam hoc mortale corpus? Et iterum, Ergo mente quidem seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est, iis qui sunt in Christo Iesu. Lex enim L spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit nos à lege peccati & mortis. Si mens Dei legi seruit, & caro legi peccati: nos autem in Christo Iesu spiritus vitę lex à peccati mortísque lege liberauit: non est dubium, quin id quod peccati legi paret, à peccato liberauerit. Atqui legi peccati parebat non mens, sed caro: Est igitur caro à morte soluta & libera. Quomodo igitur salutem consequatur id, quod lege spiritus vitæ, Christi benignitate, à morte liberatū est, ipse dicat. Me enim pudet pluribus istorum coarguere imperitiam. E. Omnium malorum causa est ignoratio, cui addicti sunt & assueti, Megethius, Droserius, Marcus, Valens, & Marinus, quòd de recta via veráque sententia deflexerunt. Quæ enim consentanea ratio in hoc sermone conseruari potest? Cum enim figura antecedit, necessario ij qui vident corriguntur: Correctio autem non satis verbis expressa, nunquam recipiatur. A. Si placet solertiæ tuæ paulisper manere, audi Apostolum, qui ab eis ante prolatus est, vt illorum amentiam intelligas. Nam & Schetæus Marcion cum non bona fide in scriptis Apostoli se gessisset, non omnia reliquit: & isti adhuc detrahunt omnia, quæ eorum sententiæ non consonant. Quæ ergo non intellecta reliquerunt, cum ipsis pugnantia, ea quasi paruas vuas electa ex Apostoli prophetarúmque scriptis, planè sapientiæ tuæ ostendam. Apostolus autem scribit his verbis, Mulieres in Ecclesia taceāt. Non enim permissum est eis loqui, sed subiectas M esse, sicut & lex dicit. Et rursus ait, Hoc tertio venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Itémque hoc loco citra controuersiam legem sequi constat Apostolum, cum ait, Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Vbi mors, victoria tua? Dicat vbi eis verba hæc scripta sunt, nisi in lege & prophetis. Quasi ergo sublata lege, ait futurum sermonem qui illic scriptus est, aut certe completa. † Ea enim si non eueniant & contingant, licet & legi aduersari, & legem profiteri, & ea quæ in ea scripta sunt, fore dicere. Ephesiis autem scribens, ait, Memores estote, quòd aliquando vos qui eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manufacta, qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis propè in sanguine Christi. Cuius nā promissionis hoc loco mentionem facit, à qua abhorrent sine Christo, nisi quam Deus, qui eorum ratione peregrinus & ignotus erat, fecit? Quando etiam pollicitus est ipse, qui nunquam apparuit & extitit ante Tiberij Cæsaris tempora? † an quomodo eis ignotus erat & incognitus, is qui prius loquebatur & promittebat, plane docet alienatos à testamento Israëlis, cum eos sine Deo esse dicit. Et rursus ait, Quotquot enim promissiones Dei sunt: in illo est. Si enim hospes, ac primùm nō visus, neq; cognitus est cuiquam

ἀποθνήσκοντες.

σχεταῖος

τῶν μὴ ἐκδεχομένων.

A cuiquam antea, neque promisit: perspicuum est eum qui pollicitus sit, non esse vllum alium, nisi opificem. Planius autem docere volo, Christum à lege patefactum esse & prophetis, sicuti Seruator ipse de Ioanne loquitur hoc modo: Hic est, de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te. Hoc igitur per prophetas facto promisso, fore vt præcursor Domini mitteretur ante eum, qui Dei viam pararet, Ioannem habent ostendere alium esse quendam, atque is esset, ante cuius faciem ille missus est. Si enim ante Christum alius venit, qui ab opifice missus sit, doceant. Sin autem nemo alius extitit, nisi solus Dominus noster Iesus Christus, & ante eius faciem præsto est Ioannes: perspicuum est tum factum esse promissum, quod aliquando exolutum est: nec vllius Dei est Christus, nisi opificis Dei, cuius & lex erat & prophetæ. Apostolus autem nõne planè & apertè ex lege Christum prædicat, cum hæc Corinthiis scribit, Patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spirituale manducauerunt: & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Quis non admiretur istorum amentiam, qui hæc legunt illi quidem, sed non intelligunt? Quod si quis his verbis illa addiderit, Pascha nostrum immolatus est Christus: quod pascha ab opifice lege sancitum est. MARCVS. B Hæc quidem Apostoli verba intellexisti: illa autem non intellexisti, Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Dominus in spiritum viuificantem. Primus homo de terra terrenus: secundus Dominus de cœlo. A. Planè docuit Apostolus & priorem Adamum, & posteriorem Dominum, eiusdem Dei, non alicuius alterius esse. Si enim hoc modo scriptum est, Primus ex terra terrenus homo Adam, & secundus ex cœlo Dominus: superuacanea est fabulæ fictio. Etenim quod scriptum est, non alibi nisi in lege scriptum repetietur. Atque etiam cœlum, ex quo venit Dominus, non alterius Dei esse declaratur, nisi opificis. E. Cœlós ne possedit bonus? MARC. Non eos qui sunt opificis. E. Domicilium ergo habet opifici propinquum. MARC. Suos ac proprios cœlos habet bonus: planum igitur factum est, bonum etiam cœlorum opificem esse. MARC. Cœli boni non sunt opere manuum effecti, sed ortum non habent. A. Si ortum non habuerunt, nomine etiam carent. Quod enim ortum non est, caret etiam nomine. Quinetiam casum & temeritatem inducunt Epicuri sententia. MARC. Quo tandem modo? E. Apostolus ait, Secundus de cœlo Dominus, vt vultis. Cuius quidem cœli sit, necessario quærendum est. Nam si cœli est opificis, perspicuum est Christum etiam C opificis esse. Si alterius cœli, vt ais, quætendum est, differré ne id quod ortum non est, ab eo quod ortum habet, possit. A. Eorum forsitan sententia hoc fieri nõ potest. Si vero etiam cœlis opifex non satis fuit, at certè nominibus. Vnde enim cœli nomen illi habuerunt, nisi vt perspicuum est, à lege? Sic enim dicit, Vocauit Deus firmamentum cœlum. Vide etiam hanc impiam audaciam, vt scripturam corruperint. Cum enim Christi per carnem ortum tollere vellent, hoc mutarunt, Secundus homo, & fecerunt, Secundus Dominus, quòd non intelligerent sibi necesse esse spiritalis etiam Christi ex carne generationem profiteri, aut eum Adamo posteriorem esse. Cum enim illud audimus, Factus est primus, & secundus, quid aliud intelligimus, nisi, Si ille quidem primus factus est, Dominus autem secundus, consentaneum esse Dominum Adamo posteriorem intelligere? Rursus enim Apostolus Corinthiis scribens ait, Quoniam Deus qui dixit ex tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi. Quis igitur Deus sit qui dixit lucem de tenebris splendescere, & cui dixerit, & quando, si accuratè exquisierimus, reperiemus: quémque Deum Apostolus prędicet, atque vnde sit lux quę à Christi facie nobis data est. Si enim Deus qui ab eis fingitur bonus, hoc alicui aut aliquibus dixit, incognitus esse inuenitur: atque docendum est, quando & quid, ac quibus dixerit. Ac si dixit, falsò dicitur esse incognitus nec vnquam apparuisse, neque eundem in cuiusquam cogitationem & notitiam venisse. Si enim etiam antea loquebatur ac promittebat, nec ignotus erat, neque tum primùm, vt aiunt, Imperatore Tiberio cum descendisset in Capharnaum apparuit. Si vero non is erat, qui lucem pollicitus est, sed opifex: non est id quidem dubium, quin illius etiam nos simus, qui sumus illustrati. Christus igitur etiam in facie lucem effundit, quæ ab opifice proficiscitur. Bonus enim, inquit, ignotus erat. Ephesiis autem scribens Apostolus, Et veniens, inquit, euangelizauit pacem vobis qui longe fuistis, & iis qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. A quo nos quidem procul remoti eramus: Iudæi autem ei proximi erant? an illorum ratione & sententia à peregino & ignoto Deo procul aberamus: Iudæi autem eidem erant proximi? At quomodo Iudæi ei proximi erant, quem æquè ac nos ignorabant? cui nec obedierunt vnquam, aut addicti fuerunt, cum alij Deo seruirent, qui vt isti fatentur, boni Dei voluntati obsisteret? Ait enim, Per ipsum habemus accessum ambo ad patrem. Ad quem patrem? an perspicuum est ad eum qui nos creauit. Prætereà sine controuersia ex eodem Apostolo probabimus vnum esse rerum omnium Deum effectorémque, & vt ita dicam, creatorem nostri, omnisq; creatæ naturæ, solum bonum Deum, cuius & mundus est, & omnia. Ait enim Paulus, Vnus Deus pater omnium, & in omnibus nobis pater, qui in omnibus est Deus: Quis ergo bonus est, eorum ratione & sententia? Is qui nec quenquam nostrûm creauit, nec cuiusquam omnino effector est aut opifex. Aut quorum erit pater? Neque enim illius filij esse possumus, à quo ne generati quidem sumus. Ait autem etiam propheta, Nonne Deus creauit nos, & pater omnium nostrûm est? MARC. Eorum qui credunt, pater est bonus. Ait enim Paulus, In adoptionem filiorum accepti sumus. E. Vidés ne Marce, eos qui audiunt imperitum, tuum vincendi studium ridere? Neque enim ait Apostolus, Vnus pater fidelium, sed omnium, & per omnia, & in omnibus nobis. MARC. Sed ait, In adoptionem filiorum accepti sumus. Quis vnquam suos filios facit & adoptat? A. Erit ergo improbus is qui ab inuito aliena sumpsit: bonus autem is, qui permisit. Paulum autem opificem prædicare Deum facile intelligi potest, cum ipse dicat, Deus, inquit, temperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem dans honorem. Accipe ergo clarius apertiúsque verbum. Igitur, inquit, nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue instantia, siue futura. Omnia vestra sunt, vos verò Christi: Christus autem Dei. Hæc est enim orationis Apostoli sententia. Eos cogit etiam inuitos verum dicere Cuiús nam Dei Christum esse velint, explicent. MARC. Boni. A. Boni ergo etiam nos, qui Christi sumus: & nostra, id est, mundus, vita, mors, instantia & futura. MARC. Mundus est improbi & mali. E. Et Christus, & Paulus, & Cephas, & vita tua ratione & sententia mali erunt. Perspicuè enim ad impietatem vincendi studium compellit. A. Non dubitabo etiam aliud dictum Apostoli proferre, qui scribit his verbis, Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. A quo igitur omnia habemus, perspicuum est ex eo esse etiam bonum Christi odorem ad vitam iis qui salutem consequuntur: odorem autem qui mortem inferat, ad mortem iis qui pereunt. Hæc igitur cum legunt ij, qui tanta amentia præditi sunt, quàm sunt improbi, cum dicere conentur alium esse & bonum & patrem Christi qui dat salutem, & alium qui iudicat, éstque mundi & Dominus & creator? Si enim ex vno sunt omnia: & nos sumus, & mundus, & mors, & vita, & alia omnia. Cum autem Christus odor est vitæ quidem nonnullis, aliis autem mortis: superuacanea erit alterius Dei inuentio. Quomodo autem eos non pudet, cum Paulus dicat, Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio mysterij absconditi à seculis in Deo qui omnia creauit. Si hæc erat dispensatio à seculis inuestigabilium diuitiarum Christi, quæ in Deo recon-

εἰ ὁ Ὀριγένης (margin)

dita erat: atque hoc est mysterium, quod enunciat gentibus Paulus câsque illustrat: perspicuum est Apostolum esse eius qui creauit omnia, qui dispensationem, quæ in ipso abstrusa erat, enuncians, & Christi diuitias quæ inuestigari non possunt, non alterius, sed eius qui omnia creauit, dicens. Verum apertè ac sine controuersia legem agnoscens, eius etiam præcepta, dicit: Igitur lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Et rursum, Peccatū, vt appareat peccatum, per bonum mihi operatū est mortem. Cum ergo bonum sit pręceptum, quod legi est consentaneū, vt scriptum est: non est id quidem dubium, quin eum quoque qui illud dedit, necesse sit bonum confiteri. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Et rursus, Circuncisio quidem prodest, si legem obserues. Si enim prodest circuncisio iis qui legi parent: perspicuum est eam illis bono esse inueniri. Quis enim adeo amés est, vt ea quæ prosunt, non bona esse fateatur? Petra etiam quæ per Mosem data est, erat Christus, vt Paulus docuit. Si ergo censebunt non bonum esse Christum, aut eum qui petram dedit, bonum fatebuntur. Calicem autem benedictionis, & panem quem frangimus, cum ait, sanguinis & corporis Domini esse communionem: nonne plane etiam bona vult simul intelligi? Quòd si non cum improbis erit sanguinis & corporis Christi Iesu communio: frustra etiam dicetur, Quæ societas luci ad tenebras? Si verò id etiam, quod est in Euangelio scriptum, legent, Dominus aspiciens in cœlum, gratias agit: an non creatori agit gratias? Accepto igitur pane & calice, cum benedixisset, alium laudat quàm opificis creaturas, an eum quia eas effecit atque præstat? MARC. Nos & ab Apostolo, & ab Euangelio didicimus & opificem malum esse, & quæ creauit. A. Quæ Christus bona fatetur: tú ne mala dicis? MARC. Non ait bonum esse mundum, neque eas naturas quas creauit. Ait enim, Si essetis ex hoc mundo, mundus quod suum esset, diligeret. A. Seruatoris ipsius tibi verba profero ex Euangelio, Si quem, inquit, ex vobis petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi? aut si petierit piscem, nunquid serpētem porriget illi? aut si etiam petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris, & quæ sequuntur. Bona igitur munera cum & panem, & ouum, & piscem esse confessus sit, quæ sunt opificis creaturæ: quid est quamobrem non ex ipsis etiam eorum effectorem bonum intelligi velit? Siquidem arbor ex suo fructu cognoscitur. Cum autem ait Seruator, simile esse regnum cœlorum grano sinapis, aut fermento, aut sagenæ, aut alicui rei eiusdem generis: ij qui res creatas ab opifice Deo, quibus similem esse dicit Dominus Dei regnum, malas appellant: quid de Dei regno sentiant, cogitent. Si enim granum sinapis malum est, vt quod res sit à malo, vt volunt, Deo creata, & cætera: non est dubium, quin regnum etiam cœlorum, quod eis comparat, Quid ergo eo nobis opus est, cum sit in malis? Si verò in bonis est regnum cœlorum: necessario etiam in bonis est & granum sinapis, & cætera omnia, quibus simile est regnum cœlorum, quod est in bonis. MARC. Verba Apostoli profero, quæ planè docent, alium mundi Deum esse, In quibus, inquit, Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium. E. Vos qui Ecclesiæ esse optatis, inuestigantes scripturarum verba, & irretitis ad vestram ipsorum & mentem & notionem, in barathrum spinosaque diuerticula trahitis, viam quæ rectà fert in regnum cœlorum: cuius tu defensor es. Hæc autem in iis quæ dicta sunt, habent explicationem. Tu vero, quasi immemor, contradicendi finem non facis. Æquum est igitur, meo iudicio, (siquidem tu quoque in iis quæ à me dicta sunt, acquiescis, proptereà quòd vterque vestrum me iudicem delegit,) credere ea quæ ab Adamantio de Dei religione definita & statuta sunt, & Catholicæ Ecclesiæ adiungi, cuius cum sim ab ea alienus, opto esse filius. Vide autem, omnes etiam fratres qui audiunt, huic piæ sanctæque sententiæ testimonium dare. Quapropter quoniam satis multis disputatæ sunt omnes fallaces conclusiones, quæ callidè & impiè compositæ sunt: tempus est vt disputatio finem habeat & terminum, quę etiam vobis demonstrauit ęquabilem & lenem ac veram fidem, ex qua expulsa eiectáque est falsitas, expulsa etiam omnis species rerum: quæ vnum ac solum Deum in sancta & eiusdem essentiæ Trinitate demonstrat, non falsum, non aduentitium, non peregrinum, non inopem, & aduenam, alienique appetitorem, sed suarum possessionum opificem: vt impij hæretici docent, & censent cui subiecta sunt omnia: cum quo non materia in solio sedet, non quicquam aliud eorum, quæ hæretici calumniantur, præter filium, sanctúmque spiritum. Eiusdem enim essentiæ est, inseparabilisque beata Trinitas: qui ex nihilo ea quæ sunt pro bonitate sua condidit: cuius Verbum hominem iustámque dispensationem verè assumpsisse visum est, nec ipsum puduit quod effecerat, nostræ salutis causa assumere: quòd veniens euangelizaui pacem iis qui procul erant, & iis qui prope. venítque vt te etiam Deo & patri sanguinis sui redemptione reconciliaret, quem pro vniuerso mundo profudit: nósque omnes perficiet & confirmabit, vt quietam ac tranquillam vitam in omni pietate & honestate agentes, in hoc mundo relinquamur laborum præmia apud ipsum habentes. Abscondita est enim vita nostra cum Christo in Deo. Cum autem apparuerit Christus vita nostra, cum Christo apud Deum apparebimus in gloria: qui etiam piè sanctéque hominem se excitaturum esse promisit cum corpore, ita vt immortalitatis fiat particeps, interitúsque priuationis munere perfruatur: qui etiam propter liberum arbitrium iure ac merito se ad iudicium omnes conuocaturum esse demonstrauit: cui nihil potest resistere: cui omnis potestas subiecta est: cui iure vniuersus orbis seruit, pontificúmque ordo, & præterea horum officina & schola: cum quibus qui piè parent & reges & principes omnes congregantur, si eiusdem quidem veræ sententiæ socij sint, tollere autem falsum, & excludere conentur. Ipsa enim Catholica Ecclesia sola & iustè & piè & sanctè viuit, à qua qui deflexerunt & aberrarunt, ij procul absunt à veritate: iique verbo quidem sibi veritatem cognitam esse profitentur, sed re procul ab ea distant. Quare æquum esse arbitror Marinum sententiam cohortationémque meam non repudiare, abducíque & abhorrere ab infirmo maléque cohærente periculosóque decreto: abiectóque pudore se ad veram rectámque fidem recipere, vt ipse ac sodales eius vnà nobiscum salutem adipiscantur, fiántque doctores diuinarum disciplinarum.

FINIS.

ADAMANTII ORIGENIS IN LIBRVM IOB PRÆFATIO, ET ARGVMENTVM, à Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno, Henrici Gallorum Regis interprete, conuersa.

SIGNIFICAT beati Iob liber, Dei in Iudæos officium & solicitudinem: indicat eum qui scripsit etiam vtilitas quæ ex libro percipitur: ostendit Dei in omnes prouidentiam: narrat autem ab Abraham quintum fuisse eum, de quo disserit. Nam & Israël ab Abraham originem duxit, & Esau eodem modo: vterque autem Isaac fuit filius. Idem igitur Deus per Mosem hunc ex Ægypto declarabat, illum autem ex Arabia prædicabat: atque Mosis quidem profectionem ex Ægypto exponebat: Iob autem certamen, quod ei cum diabolo fuit, & victorias, quas aduersus eum obtinuit, coronásque, quibus religionis pietatísque ergo donatus est: Moses verò mandat literis huius virtutem, ducens populum ad religionem. Quòd si quis contradicendi studio librum hunc à Mose scriptum esse non credit, proptereà quòd non eodem tempore Iob & Moses extiterint, ei ex eo debet probari, quòd Geneseos librum ipse conscripsit, non quòd adesset tum cum gesta sunt omnia (trium enim milium annorum res gestas scripsit) sed Dei concessu & munere, quo propheta non solum rerum præteritarum, sed etiam futurarum, atque interpres diuinorum mysteriorum, Deíque operum, & consentaneæ vnicuique eorum prouidentiæ sapientissimus præco declaratus est. Nemo enim alius ante eum dignus habitus est, qui mundi molitionem memoriæ proderet, quomodo, & à quo, quámque ob causam is effectus sit, traderétque omnibus hominibus eundem nec principio carere, nec procuratione, nec casu constitisse, neque

A neque temerè & casu ferri atque abduci: sed à Deo effectum esse initio, non quòd ei fuerit aduentitius, nec sine principio cum eodem fuerit: sed quòd cum non esset, sit effectus, non necessitate, sed pro bonitate eius qui illum condidit, quemadmodum ex hoc loco intelligitur, Omnia fecit Deus propter seipsum. Atque alij quidem prophetæ ea quæ ipsos secuta sunt prædixerunt: hic autem atque Salomon & ea quæ eorum tempora antecesserunt, significauerunt, & enunciauerunt quæ eorum ætatem sequuta sunt. Verum Moses & Iob nō multis temporibus disiuncti sunt inter se. Moses enim ab Abraham sextus est: Iob autem quintus: vt Abraham, Isaac, Iacob, Leui, Caath, Amram, Moses: rursus Abraham, Isaac, Esau, Raguel, Zareth, Iob. Quòd si quis dicat, librum Iob nō esse Mosis, sed ipsius Iob: is ex nobis intelligat, eum non fuisse ostentatorem, neque laudatorē sui. Neque enim in eum, cuius vita iure reprehendi non potest, sibi placentis vitium & perturbatio cadit. Laudet enim te, inquit, proximus, non os tuum. Qui enim de se dicit, reprehensione non caret. Qui autem ab alio laudatur, is verè beatus est: quandoquidem iustorum bonorúmque laudator, non ad voluntatem affectionémque laudat, sed falso quæ in sancto viro insunt, enunciat. Necessario igitur Moses Iob virtutem mandat literis. Institutio enim erat Israëlis, de illo suscepta narratio. Quoniam enim elato erat animo populus ob generis propinquitatem, & miracula, quæ eis consulendi causa perfecta erant B (elementa enim, vt ita dicat aliquis, cum eis pugnabant, propter promissa quæ eorum patribus facta fuerant, diuisum mare, Nilus cruore tinctus & infectus, tenebræ impiis hominibus offusæ, mors primigeniorum fructuum Ægyptiorum cōficiēs, propter decretum cædis puerorum, cæterarúmque cladium enumeratio, quæ omnia Iudæis animos tollebant, ita, vt diuinam virtutem negligerent, & præterea hominum iustitia elati, religionem cōtemnerent, & quasi debitum à Deo promissa quæ Abrahæ, Isaac & Iacob fecisset, reposceret.) Hac igitur eorum opinione adductus Deus, æquum putauit per Mosem, Viri huius virtutem illustrare, populi corrigen- D di atque adeò generis hominum docendi gratia. Docebatur enim non elato animo esse ob maiores, sed suis sudoribus ac laboribus iustitiam quærere. Si enim is qui ex Esau, quem Deus odit, genus duxit, eiusmodi pro sua in Deum charitate declaratus est: quanto magis populus qui à Iacob, qui Deo charus fuit, ortus est, in gloria erit, si suam in Deum retinuerit charitatem? Quoniam enim videbatur hic aliquid pati generi Esau, maximo ei dedecori fuisset, si Iob qui ab Esau ortus erat, suo in Deum studio se cū Abrahæ cognatione ac genere coniunxisset: ipse autem sua maleuolentia, cum generis Iacob esset, à suo genere esset alienatus. Docebantur ergo existimare nullum impedimentum virtutis esse iis, qui virtutem sequantur, non generis splendorem, non gentis scelus, non nobilitatem, aut cognationem, sed solam maleuolētiam. Non enim genus quenquam Deo coniungit, sed charitas & beneuolentia, quæ in eum habetur, & vita quæ charitati respondeat. Hæc est enim charitatis significatio, Dominum Deum, & proximum æquè ac seipsum amare. Beatus ergo Iob, cum ad Esau genus referret, se virtute sua sanctis viris bonísque coniunxit. Noë enim, inquit, & Iacob, & Daniel, si steterint coram me, ait Dominus per Ezechielem prophetam. Si ergo his annumeratus est: perspicuū est eum etiam cum Abraham cōiunctum fuisse propter religionem ac pietatem, eiusdémque generis & ordinis esse, & Isaac & Iacob fuerunt. Vt igitur omnis etiam homo cum Deo discumbit: sic non omnis qui à Iacob ortus est, his annumeratus est, qui mala & peruersa voluntate se à suo genere abalienarunt. Quapropter exemplum nobis propositum, beati Iob virtutem, habemus, E cuius similitudine studium nostrum animíque contentionem explicemus. Qui enim eiusmodi vitæ cursum confecerunt, similique studio pietatem virtutémque adepti sunt: exempla fiunt posteris, ad pietatem sanctimoniámque adipiscendam. Quod igitur exemplum & imago libri sit, videamus.

In Græco origene, Amrami Moses pater fuit, vt scriptum est Exod. 6. c.

Est scriptū in exēplari, Iacob, sed Iob legendū esse, Origenis verba declarant.

ADAMANTII ORIGENIS

IN LIBRVM BEATI IOB COMMENTARIVS,

A IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO *Cormœriaceno, Henrici Gallorum Regis interprete, conuersus.*

C VIR quidam erat in terra Hus nomine Iob.) Homo Dei Moses à spiritu sancto illustratus in animo, accepta à Deo eorum quę sunt cognitione & scientia, res gestas etiā Iob scribens, non à laude initium fecit, neq; materiæ aliquid ad gratiam dedit, sed ab eo quod nudū est & simplex, sine artificio narrādi exordium ducit, cum ait, Vir quidam erat, quòd nihil amplius ad cæterorum hominum effectionem haberet. Vna enim est humana natura, vnúsque eius effector. Facit etiam mentionem eius patriæ, cum ait, In terra Hus, vitium incolarum indicans. Erant enim Arabes. Sed nulla ex parte eorum vitia viri, cui deus charus erat, mutauerunt animum & sententiam. Necessario autem etiam nominis mentionem fecit, ne, si hominem omnino diceret, argumentum aliquod fingere existimaretur, sed quòd ipsum qui ortus esset, & quomodo vixisset, instituteret exponere. Nam si hominem quidem dixisset, naturam significauisset, facta cicuris animalis mētione. Sin autem Hussitanum, vnde prodiisset, narraret: si vero Iob, epitheton impositum ab iis qui procrearunt. Nomen declarauit, sed non à laudibus orsus est, vt neque aliquid ad gratiam facere videatur, neque virtutis signa decurret: quippe cum laudem omnem, viri virtus suis laboribus, nō alienis laudibus, vincat & superet. Vir quidam erat.) Vnus ex multis ex eo quod apparebat, nō tamen omnium similis in Deum studio & voluntate, sed multis par- F tibus per multos superauerat. Atque hoc commemorat, ne quis habita certaminum ratione, illū aliquid amplius quàm cæteros homines, quatenus homo factus esset, habuisse suspicaretur. Itaque ei contigit ea etiam, quæ horum sunt vincere. Si enim hic habuisset, non eius qui perfecisset, laus fuisset, sed maius naturæ adiumentum & præsidium. Incipit ergo à veritate & simplicitate res gestas narrare: ita tamen, vt commune quidem hominis nomen posuerit, sed viri virtutē propriam. Et erat vir ille simplex & rectus, verax ac timens Deum, & recedens à malo.) Ac verax quidem esse declaratur ex eo, quòd nihil ferarum proprium habuit, sed custodiuit eam partem animi quæ est rationis particeps & homini data est, ex Dei conditoris sententia ac volūtate. Facultates enim quæ animo datæ sunt, seruauit integras. Itaq; simplex, & incul patus fuisse pro testimonio dictus est, quòd nulla in re se ipse deteriorit, nec quicquā in virtutibus imminuerit. Et rectus, æquabilitatem consilio & ordini tribuens, vnumquodque re perficiens, nō verbo: id quod iustum & rectum est, iustè persequetur. Hæc autem eius erant, quòd verè timeret ac coleret Deum. Dei enim volūtatem spectans, perficiebat omnia. Subiicit autem, Et recedens ab omni malo. Quod quidem verbum est totius repetitio atque summa. Verax enim homo facultates ac vires, quæ animo datæ sunt, ex æquo depromit & explicat iis in rebus omnibus, quas gerit. Etenim charitate

G quam adeptus est, pro eo ac debet, vtitur: vt exempli causa, Diligit Deum, sed vt Deum, nulla facta cõparatione. Quantum enim præstat, tantum etiam eius amor omni aliarum rerum amori est anteponendus. Chari quidẽ sunt alicui parentes, liberi, vxor, chara etiam possessio, chari famuli, chara iumenta: sed seruat & tribuit vnicuique pro dignitate. Est enim hoc iusti viri, recti, & veracis documentum ac signum, ratione & consilio singula faciendo dirigere ad finem eius qui rationem dedit. Qui autem veritatem in se adulterauit & corrupit, is contrà corrumpit quidem ipse se, sed corrumpuntur etiam ea, quæ ab eo sine ratione fiunt. Neque enim viribus animi vt decet vtitur, sed sumptis ferarum moribus comedit & deuoratur, partim quidem dum sine iudicio irascitur, partim dum intabescit non sapienter: interdum rapiens vt lupus, aut ad fœminam insaniens vt equus: rursus assentans vt vulpes, aut serpentis mores sumens: quandoquidem naturam referre non potuit. ex quibus enim quantum potuit mutatus est, aut potuerat, eorum ne naturam quidem neglexit ad deterioris imitationem. Veracem porro virum corrupit is, in quem Deus exprobrando per prophetam inuehitur his verbis, Homo cum in honore esset, non intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Itaque monet his verbis, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus nõ est intellectus. Alio etiam loco improborum mores crimi-H nans, iis quæ rationis expertia sunt, comparat his verbis, Principes tui vt lupi Arabiæ: & Prophetæ tui, vt vulpes deserti: equi insanientes ad fœminas facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et rursus, Et erat Ephraim, vt columba amens, non habens cor. Et alio loco, Serpentes generatio viperarum. Quinetiã aquila appellatus est rex quidam elato animo: is autẽ erat Tyri: canes autẽ alij propter impudentiam, Omnes enim canes sunt in te, non valentes latrare. Draco etiam quidã princeps Ægypti appellatus est: & scorpij Iudæorum multitudo, Cognosce enim, inquit, fili hominis, quòd in medio scorpionum habitas. Sed ab his omnibus amicus Dei Iob liber fuit, cum id quod in homine verum est, integrum incorruptúmque seruasset, rationéque ageret omnia, & ex Dei voluntate viueret. Hæc autem dico, non quòd innatis perturbationibus non sit vsus, sed quòd cum iudicio & consyderatè. Nam & indignabatur ac succensebat improbis, sed non iis, qui iniuriam non inferebant: & irascebatur, sed cum ratione. Bestiarum enim proprium est, irasci iis qui nullum scelus admittunt: & amabat, sed non sine ratione: & aliis vsus est, vt res ac necessitas ferebat, & Dei volũtas declarauit. Deus enim qui animum procreauit, ei facultates dedit aptas & accommodatas, præcepítque vt eis vtatur vt decet. Qui ergo Dei præcepto paret, custodit, tuetúrq; eas ad finem eius qui potestatem dedit. Qui autem eas negligit, vitam ferarum sequutus, eísque similis moribus effectus, & in hoc statu rerum supplicium perfert, honore qui ei tribu-I tus est affecto contumelia, & hinc cum migrauerit, pœnas luet, quòd etiam Deum qui ipsum effecit, contempserit. Sis ergo etiam tu verax, qualis ante te beatus Iob fuit. Simplex, ac timens & colens Deum, & recedens à malo, & adhærens omni bono.) Neque enim à malis abesse & abstinere se, satis magnam vim habet ad salutem, sed omni bono esse præditũ. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. Neque enim in malorum declinatione est perfectio, sed in bonorum præscriptæ religionis ac pietatis perfectione. Testimoniũ enim dicit iustò Iob scriptura, & malorum declinationis, & bonorum custodiæ. Videamus etiam quid deinceps dicat. Naríque sunt ei septem filij, & tres filiæ.) Liberorum autem multitudinem exponit, declarans Dei quæ in viro inerat, charitatem. Neque enim ratio, qua cum filiis collatus est, neque alia abundantia eum adduxit, vt sanctè saperet: neque ab eis quæ rectè decreta & statuta erant, abduxit,: sed potius hæc etiam ipsa Dei in eo auxerunt & intenderunt desyderium. Quæ enim cæteris impedimenta virtutis afferre existimata sunt, ea huic florem virtutis auxerunt, quòd recte iis qui in ipsius imperio erant, præesse sciret. Itaque dicit, Et fuit possessio eius septem milia ouium, & tria milia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis, & multa opera erant ei in terra.) Ex quibus intelligitur, nihil eorum impedimento esse viro qui deũ amet, ad probitatem religio-K némque adipiscendam: quippe cum huic viro bono externa etiam bona non neglecta sint. Nam nec iuga boum despiciebat, nec camelos contemnebat, nec asinos negligebat: & oues ei curæ erant, nec alia, vt semel finiam, pro nihilo putabat: sationes, domorum structuras, ortos, famulorum multitudinẽ. Ait enim diuinissimus Moses, Erátque vir ille magnus inter omnes orientales.) Hæc de viro dixit, quòd genus Abrahæ significare vellet, idémque fidei genus, & Dei charitatis similitudinem: quandoquidem hic, qui religionis ac pietatis eundem locum tenuit, & amore coniunctus est, auitæ nobilitatis est particeps: hic eorum qui orientem incolũt, nobilissimus: hic denique annumeratus sorti sanctorum vita piorum quam egit. Et ibant filij eius, & faciebant cõuiuia per domos, vnusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.) Suos enim liberos hic sanctus vir ad mores suos accõmodans, iuris & æqui dispensatores effecerat, fratrum ac sororum amatores, temperantes. Attribuerat enim suam cuique domum, non imperite, vt aliquis existimabit, (nihil enim erat apud eum non consideratum & prouisum) sed vt vnusquisque alterius æmulatione splendidiorem clariorémque domus procurationẽ redderet. Siquidem æquabilis párque eis erat curandi diligentia, præsertim cùm facto à maximo natu initio, in vltimũ minimúmque natu desinerent: ac tum denique cõuiuij principium mi-L nimus natu fiebat. Testes temperantiæ suæ poscendis poculis non alienas aliquas producebant, sed sorores suas, cum eas inuitarent. Erat autem hoc etiam viaticum. Quid enim scriptura dicit? Cúmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgénsque diluculo offerebat holocausta per singulos, & vitulum pro peccato pro animabus eorum. Dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.) Hæc autem faciebat ipse, qui verè simplex & sine reprehensione erat, in eóque & virtutẽ suam augebat, & tutos reddebat suos liberos. Expiatio enim, quæ eos in memoriam redigebat, faciebat tutiores Eadémque expiatio cogitationis erat curatio, peccatis non præstantibus. Holocausta ergo & sacra faciebat, vt gratias ageret: expiationem autem adhibebat, cogitationum remissionem, vitulum verò pro eorum animis, petens, vt sibi viui permanerent. Et facta est hæc dies. (Non diuersa, nec dissimilis dies cæteris, sed idem qui hic status. Cum venissent filij Dei, vt assisterent coram domino, adfuit inter eos etiam Satan, qui obierat terram, & peragrauerat regionem quæ cœlo subiecta est.) Non locum ex loco prætereuntes (neque enim Deus in loco habitat) nullus est enim eius requietis locus: quandoquidem locus omnis ei est, quasi nõ sit, cum locum omnem qui factus est, antecesserit. Personæ autem fictio est cum significatione veritatis. Et adfuit inter eos etiam Satan.) In cõuen-M tu angelorum in cœlo fuit. Neque enim dominus in terram per se descendit, sed ei conceditur ad ordinem cœlestium accedere, & audire quæ gesta sunt; non tamen semper, nec omnia: non enim quæritur locus. Quid enim magnũ, si penetret in corpora: cum in paradisum, in qua angelorum ordo domino præsto fuerat, ei permissum sit intrare, & audire quę audiuit? Vide autem distinctionem. Angelos enim scriptura dixit venisse, vt præsto essent domino: diabolum autem non dixit præsto fuisse, sed venisse ab obambulatione & peregrinatione. Atque illi quidem præsto fuerunt, vt spiritus ministri, missi in ministerium: hic autem, vt honesti oppugnator, quòd sanctum virum deridere paratus esset. Quòd si quis paulo argutior dicat, eum quòd cum angelis fuerit, honoratum esse declarari: is intelligat, cum præstantibus esse, non facere præstantem, neque omnino cum ingloriis inglorium, sed inglorium & ignominiosum quidem declarare Dei odiũ, omnémque malam actionem: honoratum autem contrà. Affectiones enim constitutionésque animi quæruntur, non contubernia aut consuetudines. Nam & Noë cum impiis erat, & cum Lot Sodomitanis, sed in reprehensionem incurrerunt: & Elisæus cum Giezi versabatur, & Iudas cum domino, & Simon Iudas cum Apostolis, sed nihil eis profuit, propter animi non rectam affectionem. Non igitur etiam isti honori fuit sua cum angelorum

A angelorum ordine consuetudo, sed crimini ei fuit vitium suum: quin nec quia Deo seruiuit, omnino paruit, & obtemperauit. Fallēdi enim studio id eum fecisse apparuit, vt etiam in Achab contigit, non vt Dei voluntati morem gereret: quippe cum & Balaam ariolus & diuinus Deo ministrauerit in prædictionibus & benedictionibus, sed non ipsius voluntate, & Nabuchodonosor eodem modo, & ij qui dedititios Iudæos acceperunt, cum ex Dei iracundia suam non metiti sint, sed modum transierint, ex loco illo, Ego dedi eos in manum tuam: tu autem non fecisti eis misericordiam. Ergo etiā diabolo si tum Deus permisit contra aliquos stare, non quòd ignoraret eius malitiam & scelus, sed quòd dignus esset tali ministerio. Si enim curauit mandata, imperatáque fecit, non tamen id Dei colendi honorandíque causa, sed voluntati suæ morem gerēdi studio fecit. Quoniam igitur præsto fuit cum aliis angelis, consilium autem ab eo susceptum cum præsto fuit, incognitum erat eorum multitudini, & Deo cognitum erat, qui scelestam eius voluntatem coarguere vellet, ei dicit, vt scriptura docet, Cui dixit dominus, Vnde venis? non quòd ignoraret, vnde veniret, aut cur adesset, sed vt illius in virum bonum & iustum inuidiam coargueret. Nam & Adæ dixit, Adam vbi es? non quòd ignoraret, sed vt libertatem ei, qui pudore ex peccato affectus esset, daret: & Cain, Vbi est Abel frater tuus? non quòd ignoraret cædem, sed quòd fratricidam coarguere vellet. Sic etiam ex diabolo quærit, Vnde venis? vt eius in virum iustum inuidiam patefaciat. Illud etiam nos non fugiat, Angelos quidem Dei, appellatos esse, diabolum autem non item: propterea quòd illi cum Deo charitate coniuncti sunt, hic maleuolentia ab eodem alienatus: & illi ab eo quod sunt, nominati sunt angeli: hic non ex eo quod est, sed ex eo quod conatus est. Neque enim naturę nomen est diabolus, Dei enim opus est: sed à voluntate & inuidia eius in eum qui primus fictus est, & crimine quod in Deum apud mulierem contulit, nomen hoc ductum est. Præterea illud quoque obseruandum est, hæc verba duarum personarum mentionem facere, Dei, & domini: Dei, cuius sunt effectio angeli, domini, cui præsto sunt: quanquam & Deus eos per Christum effecit, & Christus à Deo accepit. Omnia enim, inquit, mihi tradita sunt à patre meo. Qui respondens ait, Circuiui terram, & perambulaui eam.) Hæc autem arroganter desertor draco & malus serpens respondet, quòd maleuolentia cæcus Dei interrogantis ignoraret dignitatem: si enim intellexisset, nunquam ausus fuisset apud tantum dominum esse contumax. Dixitque dominus ad eum, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd nō sit similis ei in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deū, & recedens à malo?)

Seruum autem suum veracem hominem appellat, omnémque eius sanctitatem ac virtutem enumerat, virum ipsum bonis virtutibúsque suis ornās, atque eum extrahens, omnia quæ in eum cogitata erant, euellit. Fretus enim erat athleta suo, eiúsque immutabilē constātémque amorem nouerat. Quòd non sit, inquit, similis ei in terra.) Non naturæ rationem habebat, cum hæc dicebat, sed affectionis animi & constitutionis. Homo enim erat etiam ipse, nec maculā vllam in animo alebat, sed verè homo Dei ipse erat: ad effectoris consiliū & voluntatem mentem suam accommodabat, parentémque rerum colebat: in suos iustus erat. Deus autem hæc in eo inesse testatur: nec gratificandi causa laus tribuitur: laus suspecta nō est, quippe cum is qui laudat, culpa omni careat. Deus autem non honoris causa cum eo loquitur, sed vt eius scelus & iniuriam coarguat, & conuincat: atque vt doceat hominem quidem, qui ex animo & corpore constet, simplicem esse atque iustum: diabolum autem, qui ex corpore nō constet, nec simplicem, nec iustum esse, sed scelestum, iniustum, oppugnatorémque honestatis. Deus ergo illum in colloquium admisit, non honoris causa, sed reprehēsionis: & quòd non solum futurum eius conatum reprehendere vellet, sed etiam scelus, quod antecesserat. Etsi enim multò pòst diaboli in Iob scelera consequuta sunt: tamen diabolus, cui inuisa bona sunt omnia, cum ne à Deo quidem ea audiret, in viro inesse credit, atque in Deo suspicatur. Cui respondens Satan ait, Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substātiam eius per circuitum: operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paulùlum manum tuam, & tāge cuncta quæ possidet nisi in faciem benedixerit tibi.) Cum enim eum locupletem esse animaduerteret, multísque opibus florere, magnáque vi & copia pecorum abūdare, séque cum sæpe in eius opes atque res impetum fecisset, re infecta spe sua falsum redüsse, propter Dei præsidium, quod ipsi in rebus Iob restitisset: cogitauit, nihil magnum esse, si in tanta rerum omnium abundantia, quæ munita esset, ille esset, & Dei amator, & iustus ac bonus, sed si eis amissis omnibus, in eo animi statu permaneret. Nōne Iob frustra Deum timet? mercenarius est: Magna est criminatio. Aufer pecunias, & inuenies propositi sententiæq; mutationem. Dixit ergo dominus ad Satan, Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tātùm in eum ne extendas manum tuam.) Petiuit à Deo hostis, vt sibi periculi in eius fide faciēdi potestatem daret: neq; enim ei hoc facere licebat per prouidentiam & curam, quæ ei obsistebat. Dedit certamen Deus, vt calumniator cōuinceretur. Seruum suum Deus nouerat: is qui tentabat fidem & patientiam, eius vires ignorabat. Itaque infestus currebat, vt ad certam paratámque prædam: sed ille anteuertit, vt vinceretur. Tibíne satis est iustū munire? Ecce, inquit, habes eius res omnes firmare, vel corrumpere pro libidine: non tamen tibi etiam iusti viri attingendi potestatē facio: veto tibi, ne eum attingas. Egressúsq; est Satan à facie domini.) Ij qui contendunt Deum esse in iis quę sunt, nunquam insanient Epicuri Deum tollentis opinione, nec ferentur cum iis qui Deum figura humana esse censent. Ita ne contineri quidem eum ab operibus suis dicēt, quorum ipse opifex fuit, neque eūdem ab eis separabunt, nec compositionem vllam in eo cogitabunt, quòd scriptum sit, faciē, oculos, & manus, sed pro ipsius dignitate etiā scripturā accipient & intelligent. Vt enim illud, Venit diabolus, non ita accipiendū est, quasi ille à Deo separatus sit, & disiunctus: sic etiam hoc, Egressúsque est à facie domini, non ita intelligendum est, quasi absit à Deo. Nihil enim eorum quæ sunt, cum Deo esse, quatenus natura, intelligitur: sed ei adsunt omnia ea volūtate, qua ea etiam effecit. Cum ergo dixit, Venit diabolus, propositum rei conatúmque exposuit: cum autem illud, Egressus est à facie domini, Dei permissionem exponit, eámque potestatem, quę ei data est in viri iusti possessionem. Idem enim scriptor simile quiddam in Genesi de Cain explanauit his verbis, Egressúsque Cain à facie domini, id est, habens terminum rei quæ in eo sita erat. Cum autem quadam die.) Quæ nihil statu & ordine ab aliis differebat, sed eadem erat, qui nunc status est, vt etiam quiuis dies. Filij & filiæ eius comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.) Conuiuij initium factum est. Erat autem totum institutio rei familiaris, temperantiæque ac frugalitatis disciplina, & amoris fraterni schola conuentus compotationis.

Nuncius vēnit ad Iob, qui diceret, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & Sabæi irruerunt, tulerúntq; omnia, & pueros percusserunt gladio: & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi.) Significatur autem his verbis, viri virtus, quòd nihil ab eo negligenter gereretur, sed cum prouisione omnia. Indicat porro is, qui infausta tristiáque nunciat, impetum latronum incidisse, & rapta quidem esse armenta, capta autem esse iuga boum, famulósque qui eis præpositi erant, cæsos gladio: quibus eum ad iram concitabat, furorem excitabat, effundebátque multitudinem, ipsum vero cohibebat, ne etiam in eos exercitum educeret. Quæ enim ei spes propulsandæ iniuriæ reliqua fuit, cum & liberos interfectos audisset, & solus is qui hæc nunciabat, saluus & incolumis euasisset, qui non humanitate ductus hoc bellum cum Iob susciperet, sed vt rerum tristium & acerbarum index existeret?

Cúmque adhuc ille loqueretur, vēnit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues puerósque cōsumpsit: & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.) A superiore quidem ipsi Iob nunciatur, insidias factas esse incursione: à posteriore autē, è cœlo incidisse, vt & continuata, & acerba, & dissimilis calamitas iustum de sententia dimoueret. Intelligendum est autem, Iob ita animo cōstitutum fuisse, vt Deum sibi ista inferre crederet. Si enim diabolum esse sciuisset, ipse non iam vt tentatus, sed vt apertum certamen excipiens, dimicasset.

G Nunc vero cum in ea esset sententia,vt se à Deo immissa hęc perferre putaret,gratias agebat. Tentationes crebræ magnæque inciderunt, sed non est ei inflexa mutatáque sententia: nihil in Deum cogitauit,non fuit ei suspecta prouidentia,nō questus est de administratione rerum: non iniustitiam accusauit:sed gratias agebat,& qui nihil sceleris se admisisse sciebat,accipit clades,nec repugnat:spoliatúsque possessionibus, à religione virtutéque non discedit. Ac prior quidem clades & calamitas suspicionem fortassis afferebat, eam hominum esse iniuriam:posterior autem quæ igné è cœlo cecidisse loquitur,superiorem etiam sustulit dubitationem,non ab hominibus tentationes proficisci,sed à Deo calamitates. At ipse qui etiam ita animo affectus erat,tamen Deo & specie & animi constitutione gratias agebat. Sed & illo adhuc loquente,venit alius,& dixit,Chaldæi fecerunt tres turmas,& inuaserunt camelos,& tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio:& ego fugi solus,vt nunciarem tibi.) Rursus non peditum impetum & incursionem nunciat, sed equitum. Perpetuæ enim continuatæque tentationes erant,sed alternę incidebant,ne viro iusto respirandi tempus daretur. Et speciem quidem eam præbebant impetus, vt ad eius malum & exitium pertinere viderentur : sed reuera ad eius vtilitatem H salutémque pertinebant. Nam diabolus quidem vincēdi studio,feriebat:Deus autem,qui victorem declarare vellet,sinebat plagas infligi:iustus verò percussus, eum qui torquebat, vincebat. Itaque post vulnera & plagas, quæ in possessionibus & pecuniis positæ erant,acerbum telum reseruatum est. Hoc autem erat mors liberorum, intimarum partium tristitia,& cordis dolor,quem etiam extremam seruabat is, qui cū eo luctam susceperat. Adhuc loquebatur ille,& ecce alius intrauit,& dixit:Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibētibus vinum in domo fratris sui primogeniti,repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus,quæ corruens oppressit liberos tuos,& mortui sunt: &effugi ego solus,vt nunciarem tibi.) Rursum non ex incursione cladem incidisse nunciat,sed domus ruinam, quæ à vēto ex solitudine flante procurata sit. Hæc autem mouens,faciebat,vt homo Dei vniuersam possessionem bello expugnatam esse existimaret,vt ita demum eum à recta mente sentētiáque abduceret. Digna autem est etiam conuiuij mentio, quæ calamitatem augeat. Ventus irruit,non vt solet. Non enim ab oriente sole,aut occidente,sed à quatuor partibus in domum irruit, nec hominis manu,sed è cœlo tela immissa sunt:comprehendit ventus domum : non remanserunt lapides:ędificium corruit,corripuit liberos in ipsa mensa:sanguis cum vino effusus est,& carnes cōuiuio,quod omni ciborum genere apparatum erat,protulit. Hoc tibi omnium est grauissimum & acerbissimum. Neque enim par & simile damnum est liberorum mors,pecuniarúmque amissio: nec filiorum fi- I liarúmque internecio,& omnium pecuniarum rerúmque incendium. Quisnam Iob erat,cum hæc audiebat?audi, qualis. Gratias agebat,erat ei ratio inuicta. Quid enim faceret, audi: Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram,adorauit,& dixit:Nudus egressus sum de vtero matris meæ,& nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit,ita factum est. Sit nomen Domini benedictum ex nunc & vsque in seculum.) O patientiam constantis viri! O fortitudinem! O maximam viri in Deum charitatem! Vt enim optimus in labore athleta cùm lucta dimicaturus est,vestem detrahit,corpúsque & caput puluere aspergit:sic beatus hic & tunica lacerata,& terra capiti aspersa,liberos quidem cum lachrymis luxit,tanta animi contentione,quantam naturæ sensus postulabat:Humani enim sunt ij,quibus Deus charus est:Deum autem adoratione veneratur:necessariis verò, & propinquis propemodum hæc dicebat,Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Nam non solum eum malus à sententia non abduxit,verùm etiam firmitatem intentionémque ei,magis verberans & vexans attulit, & auxit ipse suæ in Deum charitatis constantiam. Spoliatus enim facultatibus & bonis ipse,cui Deus charus esset, quasi leuior redditus esset,ita animo constitutus erat in credita commissáque sibi rei familiaris diligentia. Quid enim ait? Dominus dedit,Dominus abstulit. Neque enim hæc nostra erant, sed K Dei qui dederat:nec cum ea à Deo qui largitus est, repetuntur,acerbè ferre debemus. Volūtas enim fiat eius qui gubernat atque moderatur. Laudādus est enim & cum dat, & cum accipit,neque nunc modò,sed etiam in omne tempus. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum loquutus est.) id est, non ingratus fuit, nec immemor fuit beneficiorum, iis ductus malis, quæ ei acciderunt:quin & specie,dum cadit in terram,atque adorat,& verbis gratias agit,quòd dixit,Dominus dedit,Dominus abstulit. In his,id est,tentationibus aduersisque rebus, & calamitatibus. Aliis enim diabolus per alios eum oppressit, aliis per se. Nam iuga quidem boum famulorúmque multitudinē per alios capit,& necat:armenta autem atque pastores per se incendit. Eodémque modo domum per se concutit, liberis, sed non voluntate sola hæc facit, sed vel iis quæ sunt abutitur,vel accommodata essentia. Ignem enim induxit ex iis quę sunt:domum autem commouit domo accommodata essentia & materia incensa,& vt ita dicam,diuulsa,eam deiecit:sed concessu eius qui ei fecit potestatem,non pro sua potestate, neque vt effector. Neque enim in id quod non est,operari potest,sed,vt dixi,iis quæ sunt vtitur,atque id si ei permissum fuerit. Factum est autem cum quadam die.) Rursum idem est status diei,nec ab aliis differt. Venissent filij Dei, & starent L coram Domino,venisset quoque Satan inter eos.) Quærendum est,cur non dixerit,Cum eis,sed,Inter eos. Perspicuum est,eum vt victum magis, quàm victorem pudore affectum fuisse:quòd si conspectum Domini fugere potuisset, minime præsto futurum,qui Dei voluntati restitisset. Quasi enim pudore affectus,nunc in medio adfuit. Vt diceret Dominus ad Satan,Vnde venis?) Non ignorationis causa erat interrogatio,sed malitiæ diaboli declaratio. Ex iis enim qui dicturus erat,maliciam suam prodebat,qualis esset. Qui respondens ait,Circuiui terram,& perambulaui eam.) Rursum eodem modo ostentandi studio respondet. Et dixit Dominus ad Satan,Nunquid consyderasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra,vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo,& adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.) O constantiam eius qui multa tolerauit! ô fortitudinem beati viri,cui Deus tot támque egregiorum facinorum testimonium dicit! Ait enim inuido, Periculum quoque te docuit,improbe ac scelleste, illum non pecuniarum causa, nec possessionum amorem in me habere:sed æquè & diuitem & pauperem effectum, & colere me,& adorare. Est enim seruus fidelis,non mercenarius,nec vlla ex parte tuo ludibrio deiectus est de sententia,nec quicquam absurdum protulit, sed potius ad innocentiam,cum verax sit,addidit. Hæc autē ait, ostendens,eum quidem malum potuisse euadere, sed ab eo abhorruisse pro sua in Deum charitate. Nam præter cætera sua præclara facinora,etiam innocentiam retinuit. Cui respō- M dens Satan,ait,Pellem pro pelle,& cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:alioqui mitte manum tuam,& tange os eius & carnem:& tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.) Non contentus hostis veritate,neque ex victoria pudore affectus, secundam luctam iterum aggreditur, quòd intellexit,(sapiens enim est,& exercitatus ad mala perficienda) nihil esse pecuniarum possessionúmque amissionem ad corporis præsidium & custodiam. Itaque dedit operam, vt hæc obliterarentur,quòd ignoraret animi eius & firmitatē & constantiam. Qui enim prius luxu calumniator fuerat, propter pecunias,inquit,Deum amat,& ad secundam luctam se conferens,ait eum nec pecunias,nec possessiones valetudini corporis esse antepositurum. Sed an non hæc dicebas, omnium dæmonum improbissime,mendax,calumniator, religionisque & pietatis hostis,spiritus impostor,atque arrogans,misera ignoratione persuase,voluntaria amentia? Si enim non esses plenus ignorationis, Dei qui omnia scit ante quàm fiant, testimonio credidisses. Tradit ergo Deus etiam corpus sancti viri, quòd athletæ sui fortitudine fretus esset, sciterque illius in se amorem non posse mutari. Nam diabolus quidem eum ad luctam lacessit,sed exitum ignorat. Itaque aggreditur. Deus autem qui seruum suum non ignoraret, ait ei qui ad

ad grauiores iniurias & mala lacessiuisset, quemadmodū sanctus Moses narrat, Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce in manu tua est: verumtamē animam illius serua.) Ecce, inquit, deditiium eum tibi trado: sed nō permitto tibi eam partem animi in qua est principatus, lædere, ne existimes eum stupore mentis sensúsque vacuitate mala perferre, & in me grata esse voluntate agendis gratiis. Ex his autem obseruandum est, diabolum non vincere quenquam, nisi Deus tradiderit atque permiserit. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius.) Neque enim commune erat homini malum, sed plurimum differebat. Itaque improbi vlcus dictum est vitiositate reliquis morbis malísq; præstare, vt toto corpore magnus athleta aduersarium vinceret. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio extra ciuitatem.) Neque enim domum ei reliquerat, non alias facultates, non gloriam: quinetiā corpus male affecerat. Itaque ei cubile erat sterquilinium, in quo interdiu noctúque decumbebat, dedito angoribus corpore, non tamen animo dedito malis, sed Deo semper agente gratias. At vero colluctator, qui viri multa tolerantis fortitudinē consideraret, redegit in memoriam vetus maleficium, quod in paradiso in eum qui primus fictus est, excogitauerat: atque, Nō debebam, inquir, à pecuniis & armentis, plagáque corporis ordiri. Ecce enim hæc omnia frigida extiterunt, rursúmq; inani spe cursus nititur. Firmus est hic, & saxo fortiore est sententia præditus. Itaque non cum eo statim pugnam suscipere debebam, sed per mulierem fraudem propinare, ac per eam supplantare fortem hunc virum, ac bene munitum. Si enim eam captassem & decepissem, fortassis per eam etiam hunc deiecissem. Adhibebo tamen etiam nunc artem, tametsi intempestiuum est: & ad imbecillius infirmiúsque instrumentum tela mea conuertam atque torquebo. Illa ei persuadebit, quicquid proposuero: nec me à scopo aberraturum esse arbitror. Nihil enim tam ad fraudem allicit, quàm mulier. Quid ergo in his moliatur, Moses commemorat. Multo autem progrediente tempore, dixit Iob vxor sua.) Non enim ad breue tempus ei calamitates inflixit, sed cum tempore etiā dolores prorogabat. Ille verò humi iacebat vincens ac tolerans dolores: nihil illic erat premens tota nocte, percutiens interdiu. Defatigabatur autem is qui percutiebat: siquidem deditus erat is qui feriebatur. Somniis ille conturbabat: hic precibus terrores fugabat, ille tela mittebat, & arcus tēdebat: hic autē ea quæ mittebantur, excipiebat, sed immutatus permanebat, armísq; fidei munitus & instructus tela inania reddidit. Improbus cōsumpto etiam furore, maleficij sui recordatus est. Audi quæ per mulierem dicit, Quosque tolerabis, dicens, Ecce sustineo tempus adhuc breue, expectans spem salutis meę.) Non iam mulieris est oratio, etiam si per mulierem dicta est, sed eius qui magnopere laborauerat, nec quicquam perfecerat, Quousque tolerabis? es ne ferreus? inflexibilis? impatibilis? quousque toleras? quam salutem expectas? quando tui erit ratio? Intelligebat enim eum expectare semper Dei prouidentiam. Meditatus enim fuerat accuratè Dei iustitiam eius amator. Quid ergo deinceps ait? Ecce enim deleta est memoria tui è terra.) Acerba verba, nec minora cæteris: vniuersum enim dolorem continent. Vxor enim ait, Deleta est memoria tui ex terra: quibus verbis liberorum interitum commemorat. Filij tui, inquit, & filiæ ventris mei partus & labores: frustra laboraui cum doloribus. Iis quæ ait, significat vtriusque temperantiam & continētiam. Labores enim vocat liberorum ortum. Siquidem in congressu mutuo, non libidini parebant, qualis est hominum, qui sunt rationis expertes: neque solam eius delectationem sequebātur, sed quasi segetem liberorum ortum & procreationem vendicabant. Cum labore enim & dolore eos se peperisse dicit, non cum voluptate rationis expertium propria.

Túque ipse in sterquilinio vermium sedes, pernoctans sub dio) pro, nihil tibi relictum est, non domus, non famulus, nō possessiuncula, non filius, non amicus vllus, non vicinus: sed terræ onus grauissimum iaces, ac diues solum malis succumbis: & pro regiis soliis in sterquilinio sedes, nec sub tecto, sed sub dio. Et ego errabunda, & serua.) Ego autem, inquit, quæ aliquādo clara, & illustris fui, nunc vagor per alienorum domos, aliis mulieribus ministrans victus gratia: quæ aliquando tot tantísque bonis abundabam, & rei quidem nullius indigebam, sed aliorum explebam indigentiam.

Locum ex loco obiens, & domum ex domo, expecto quando sol occidet, vt requiescam à laboribus & doloribus, qui me conficiunt.) Prætereo enim locum ex loco, mutóque ædes, expectans vesperum, vt vel nox veniens dolores meos tot atque tantos sedet ac mitiget, qui recrudescūt: & cum nō possint desistere, augentur. Sed dic verbum aliquod contra Dominum, & morere.) Atque hæc quidem illi à muliere dicta sunt, quæ eam vim habebant, vt & dolorem ei afferrent, & ad ingratam in Deum voluntatem illum hortarētur. Omnia enim acerbitatis plena cum ei diabolus inflixisset, nec iā quicquam posset, quod ad rem quam volebat, conduceret: tandem aliquando eam excitauit, repetens primam suā fraudis artem, opposita ei muliere, compensans verbis mala omnia, quæ eum antea oppresserant. Hanc enim quasi acutum gladium, & laqueum improbum, atque escam quæ declinari non potest, cum ei opposuisset, expectabat rei exitum. At generosus hic pugil, qui forti animo omnia pertulisset, hoc grauiter tulit, & acriter in eam inuolans, consilióque permotus, statim eam obiurgauit. Primam adhortationem profert, vt ait beatus Moses: Qui ait ad illam, Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?) Nondum quidem Iob inimicum agnouit, sed tamen intellexit hæc verba non esse disciplinæ suæ. Quasi vna, inquit, de stultis loquuta es. Non est tuæ, ô mulier, neque meæ doctrinæ, quòd mihi auctor es, vt Deo maledicam. An cum bona dabat, & nos accipiebamus, ei nobis erant agendæ gratiæ: cum verò quæ dedit, abstulit vt Dominus, ingrati esse debemus? An ignoras ea quæ vtenda accepimus, à nobis esse repetita: nos autem agere gratias oportere pro iis quibus vsi sumus, non indignari, acerbéque ferre amissionem eorum quę restituimus? Significat autem hoc verbo, Suscepimus, eū, qui accipit Dei benignitate, manus porrigere: eum verò, à quo eadem auferuntur, non porrigere illū quidem manus, sed tamen prudenti ratione expectare se eorum detractionem. Vidés ne eum suspicari mala calamitatésque à Deo proficisci? Magna est ignoratorum reprehensio. Illi enim ne pro beneficiis quidem Deo gratias agunt: hic autem etiam pro iis quæ mala existimata sunt, agit gratias. In omnibus his, inquit, non peccauit Iob labiis suis.) Non enim vel animo quicquam in Deum dixit. Omnes enim diaboli artes fortis dissipauerat: & quæ ex parte adhibebantur, quæ quidem commemoratæ sunt: & eam quæ generaliter & vniuerse adhibita est, in quibus erat vxor, si quis audierit, forsitā certamina confecta esse existimabit. Spoliatus fuerat rex omnibus externis commodis & bonis omnibus: liberis priuatus est, vlcera & vulnera corpore accepit: sedebat humi: non ferebat etiam terra saniem dèfluētem: neque ad sterquilinium venerunt & propinqui, & amici: alij quòd spectaculum exhorrescerent: alij quòd tetrum odorem non ferrent, alij quòd negligerent & contemnerent. Venerunt procul reges auditis iis quæ euenerant: venerunt, vt studiosi consiliorum, quę amici dare solent. Enumeret autem is qui hæc legit, dolorū tempora, non in diem vnum aut alterum, nec in mēsem esse prorogata. Consideret enim mihi rumoris diuulgationem, regū profectionem quæ ex longinqua regione suscepta est: túmque intelliget virum fortissimum diu luctatum esse cū malis, cum intereà semper Deo agebat gratias, eum laudabat, gloria afficiebat, laudem ei hymnúmque tribuebat: non causam vllam, vt iniustè res administranti exponebat: non eius prouidentiam accusabat: non ignorationē ei obiiciebat, non inertiam, non contemptionem, non negligentiam: sed seipsum expiabat vbique, & cum locuples erat, præbitorem laudabat, & cum pauper, Deum qui opes detraxisset, afficiebat gloria: ecquid autem non detraxerat? sed tamen eum qui detractionem bonorum permisisset fieri, vt etiam beneficio auctus, Deo, vt ita dicam, benedicebat, vlceribúsque male affectus, agebat gratias. Itaque hæc ait, Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus? Accepi etiam aliā intelligentiam à sanctis viris, de beati Iob vxore, quam Luciani martyris, cui Christus charus fuit, esse dicebant: eámque

G

obliuione obruendam non iudicaui. Dicebant illi, vt beatus
Lucianus explanans docebat, hominem Dei Iob, qui iustus
esset, reprehẽsione careret, atque ab omni re mala se abstine-
ret, non solum non eis qui ipsi aduersi erant, molestum non
fuisse, sed propinquis ac suis etiã cõsuluisse, quemadmodum
etiã fidelis primus eius pater Abrahamus & liberis, & vxori,
vt & in Deum religiosi, & inter se iusti essent. Quî ergo fieri
poterat, vt illa quæ à tali præceptore rationem religionis di-
dicisset, atq; exercuisset, obliuione obrueret ea, quæ præclarè
decreta & statuta essent, nulla de causa, cũ ei præstò esset no-
ctu & interdiu præceptor: quo semper audito, in se recentem
religionis habeat confirmationẽ, & iustitiã eius qui res ratio-
nibus nostris consulẽs administrat? Quę eadem non poterat,
mutatis suis consiliis & rationibus, dare consilium viro, vt in
Deum diceret. Indignum est enim de tali fœmina absurdum
aliquid suspicari. Quid ergo efficiunt verba hæc, Dic verbum
aliquod contra Deum, & morere? Hoc afferebant, mulierem
quæ virum reprehensione carere vidisset, & tamen concessu
Dei in tot tantásq; calamitates incidisset, verereturq;, ne quis
ex iis quæ videbantur, iudicans ea quæ ei euenirent, contraria
eius rectè factis existimaret, id quod etiã tres amici fecissent:
qui cum nihil sinistri ab eo gestũ esse scirent, tamen ex iis quę
cernerent, ea quę illi accidissent, iudicassent, quòd ignorarent

H

Dei, qui eum edidisset, consilium: ei hæc dicit, Vir scio te Dei
auxilium expectare: sed fortasse interea salutem distulit: cau-
sam non possum dicere. Permulti autem homines, qui te sine
stirpe, sine domo, sine veste esse, omnibúsq; bonis destitutũ,
& liberos illos pulchros ac bonos, quos magno labore pro-
creauimus, nõ libidinis causa, sed propagandi generis nostri,
repente deletos, vident: tu verò ipse tinearum pabulũ factus
es, & pro pristinis opibus ac bonis & valetudine in tua carne
vermium multitudo scatet, & pro regiis, ne sub tecto quidẽ,
sed sub dio habitas: ego verò vxor tua, pro præclaro illustríq;
lare pauper effecta sum, præteriens loca ex loco, & domos
mutans, rerũ ad vitam necessariarũ gratia, ob eámq; causam
pudore affecta, solem mihi opto occidere, vt nox aduẽtu suo
calamitates meas occulat & tegat. Vt igitur ego ipsa tantum
rideor, non ferens risum procacium: sic tu qui miserum spe-
ctantibus spectaculũ propositus es, noli causa damni esse in-
firmis, quasi non sis curæ Deo, nec ipse simili tibi coniunctus
sit, collecta contractáq; mente tua te in famulatũ Dei, qui te
lucem protulit, trade, vt tibi celerem mortẽ inferat, quo faci-
liùs morte ipsa & suspicionem quam de Deo habes tollas, &
tibi dolores, & mihi calamitates reddas faciásq; leuiores. Hęc
enim illa verba declarant, Dic verbum aliquod cõtra Deum,
siue benedic Domino & morere, pro, Roga Deum, vel, pre-
care Deũ, vt morte longos illos magnósque dolores mitiget.
Qui ait ad illam, Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es.)

I

Itaque amentiã eius accusat, & leuem sermonem mulierũ si-
milem, non impietatẽ aut scelus. Ignoras enim, inquit, ô mu-
lier grauitatem dolorum, gratiásque quas pro doloribus ago,
maiorẽ mihi mercedẽ conciliare & quærere. Amisi armenta,
boues, iumenta, seruorum ac liberorum multitudinem, nihil
tamen eorum, cum in lucẽ prolatus sum, mihi suppetebat: sed
qui me effecit, vsurámque vitæ mihi largitus est, is & bona &
omnia quæ ad vitã pertinent dedit: & nunc qui dedit, etiam
abstulit. Absurdum est autem danti quidem gratias agere, de-
trahenti autẽ succensere & mortẽ timidè ignauéque optare:
& diuitiis acceptis, ac valetudine, lætari cum voluptate, pau-
pertatem autem & morbũ ignauiam existimare. Neque enim
nostrũ est, vxor, ad ea quę suauissima sunt currere: grauiter au-
tem labores, acerbéq; ferre. Debent enim ij, qui sui potestatẽ
non habent, sed à Deo gubernantur, ferre fortiter, quæ dat
Deus, qualiacunque etiam sint ea quæ incidunt. Nihil enim
sine eius prouidentia, aut boni nobis suppetit, aut mali nobis
euenit, cùm ipse omnia vel decreto suo, vel permissu, nostræ
in se charitatis comprobandæ causa faciat. Moneo igitur te,
ô vxor, ne eiusmodi mihi des cõsilium, quod imminuere for-
titudinem meam potest, sed id potius, quod possit augere
virtutem meam: atque constantia in subeundis laboribus, pa-
tientiáque in perferendis malis & morbis, præceptorem me
spectantibus agendi gratias reddere, vt & cum locupletes su-
mus, & cum valemus, Deo gloriam tribuamus: & cum pau-
peres sumus, & cum ægrotamus, eũ laudemus, non nunc mo-

K

dò, sed etiam in perpetuum, animi constitutione, & laborum
sacrificio. Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod
accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, eius consolandi
gratia: Eliphatz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar
Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visita-
rent eum, & consolarẽtur. Cúmque eleuassent procul oculos
suos, non cognouerunt eum, & exclamãtes plorauerunt: scis-
sísque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœ-
lum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem
noctibus, & nemo eorum ei loquebatur verbum, videbant e-
nim dolorem esse vehementem.) Intelligi perspicíque potest
beatus vir Iob ex amicis. Perspectum est enim, & id quod de
eo ferebatur, & amicorum eius declarata est tum virtus, tum
humanitas. Nam neque mutationis rationem habuerunt, sed
pristinæ dignitatis: & calamitatis, quæ inciderat, leniẽdę cau-
sa sapienter interuenerunt. Declarata est etiam eorum mise-
ricordia ex eo, quòd & vestes disciderunt, & caput puluere
asperserunt, & seipsos in terram proiecerunt tot dies atque
noctes. Amicitia enim amicorum res proprias & priuatas fa-
cit. Vt ergo calamitatem vlceráque viderunt, passi sunt ij qui
non patiebantur, lachrymísque ora oppleuerunt, & obstupe-
factis defuit consolatio: solo autẽ silentio, & assessu consola-

L

tionis officium præstabant, cum ignorarent, vnde initiũ ver-
borum consolationis facerent: habitu autem, & perseuerãtia

Cap. 3.

communem doloris sensum declararent. Post hæc aperuit
Iob os suũ, & maledixit diei suo.) Vt autẽ præteriit dierũ se-
ptem numerus, amicorum consolationẽ beatus Iob, alterum
dolorem numerans, cœpit secũ de calamitosa sua conditione
conqueri: multísq; enumeratis, in quibus diei ortus sui impre-
catus est, multísq; interim expositis, doloris sui magnitudinẽ
enunciauit. Lamentationis autẽ causa hæc erat. Licebat enim
diabolo, qui volũtatem sentẽtiámque perspectam habuisset,
hoc Deo obiicere, Tu quidem eius patientiam mihi tentandã
permisisti, sed vim ei concessisti, qua sensum eorum quæ à me
inferuntur, non habere possit. Itaque vt hoc etiam perfugium
ei adimatur, iis doloribus quos perfert, declaratur doloris ma
gnitudo: atque in ipso sensu doloris non abductus à sentẽtia,
nihil stultũ loquutus esse ostenditur, sed eò peruenisse, vt do-
loris significaret magnitudinẽ. Quid ergo ait in iis quæ enu-
merasse videtur? Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua
dictum est, Conceptus est homo.) Nec vero homini cuiquã
male precatus esse videtur, nec vllam aliam hypostasin per se
cohærentem, aut quæ erat ex opificio, inquam, vt aiunt Ma-
nichæi: sed præteritum diem, qui non erat, vt quasi in colore
nimium dolorem significet. Dies ille vertatur in tenebras: nõ
requirat eũ Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscu-

M

rent eum tenebrę & vmbra mortis: occupet eum caligo.) Nõ
enim diei, qui erat, aut cohęrebat, male precatus est, sed ei qui
præterierat, nec erat. Sed dicet aliquis, Si eũ qui erat detesta-
tus est, frustra hoc fecit. Atqui non frustra. Nihil enim vanum
est apud virũ qui omni vitio careat & reprehensione. Si enim
extra dolores dixisset, quæ dixit, visus esset frustra male preca-
ri. Sin autẽ in eiusmodi doloribus, se ipse consolabatur. Eodẽ
autẽ modo quo ille Hieremias etiam Dei propheta, se ipse in
calamitatibus consolans, male precatur non iis qui ipsi iniu-
riã faciebat, sed diei ortus sui. Maledicta sit dies illa, & nox il-
la: auferãt eã tenebræ: non cõputetur in diebus anni, nec nu-
meretur in mensibus: sed nox illa sit acerba, nec veniat in ea
lætitia & gaudium: sed maledicat ei homo, qui maledicebat
diei illi.) Vt enim ij qui à medicis vruntur, vestẽ mordent, do-
lorémq; declarant: sic beatus hic, hæc omnia deplorat, iis qui
audiunt vim doloris ostendẽs. Qui paratus est magnum cer-
te affligere.) Quærendũ est, vtrum diabolũ hoc loco obscurè
significet, vt qui non multo pòst ei subiiciendus erat, an illud
animal dicat, de quo in extremis Deus ei apertè dicebat, nar-
rans etiã hoc in eius esse ditione, eíque subiectum. Vtrumuis
dicatur, dicetur accusatio. Obtenebrentur stellæ caligine
eius: expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis au-
roræ.) Nihil in Deum dicit, neque in eius opera, sed iis quæ
non sunt, se ipse consolans, doloréśque leniens, male preca-
tur. Nam neque nox illa, neque lumen stellarum, luciferíque
splẽdor nocte illa constabat, sed præterierat. Quia non con-
clusit

A clusit ostia ventris qui portauit me. abstulisset enim mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? Cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus?) Hæc autem omnia nimium dolorem indicant. Itaque optabat mortem magis, quàm vitam eiusmodi. Solent enim hoc sancti Deo, cum aduersis rebus probantur, dicere. Velut Elias cum precatur, Domine accipe animã meam, quia non sum melior patribus meis. Ionas autem, Accipe animam meam, quia melius est mihi mori quàm viuere. Eodem etiam modo hic mutans morte vitam acerbã, ait: Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant solitudines, aut cum principibus, qui possident aurum.) Permutat ergo cum requie, quæ ibi est, vitam quæ hic in malis & labore degitur: æqualémque tributionem quæ inter ipsos est, eorum qui illic sunt, exponit, ex abundanti: Nam neque senator idiotæ anteponitur, neque rex militi, neque bellicosus vir seruo, neque diues pauperi, neque is qui omnia sibi vendicauit, ei qui ne obolum quidem habet. Hæc autem cum ait, non accusat statum rerum, quæ hîc sunt (prouidentiæ enim causa Reip. ratio constituta est) sed vnitatem auarorum. docet etiam homines earum rerum studio prope esse vt desinant, propterea quòd Reip. ratio conciderit. Aut sicut abortus ex matris B vtero editus.) Is enim ne vnum quidem dolorẽ expertus est, neque in res vllas aduersas incidit, sed tanquam sine labore vênit, & abiit sine dolore, nec vllum sensit. Vel pueri qui non viderunt lucem.) Hi enim etiam cum ad breue tempus in vitam venerint, facilius extincti sunt. Ibi impij finem furoris iracundiæ fecerunt, vno communíque consensu seculi.) Nam & scelestorum ira, & impiorũ furor cum eis vnà cum morte extinguitur. Ibi requieuerunt labores corporis.) Omnis enim labor & dolor conquiescit, finémque habet & terminum, post migrationem excessúmque à corpore, operationísque labor, & corporis imbecillitas. Cum enim non sit eadem indigentia, superuacanea etiam essent eiusmodi consequentia: neque enim iam eiusmodi statũ homines requirunt. Non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus, qui Dominum suum non metuit.) Qui enim hinc migrauerũt, liberi sunt & soluti à corporis laboribus. Neque enim ibi vectigalia licet exigere: nec iam seruus Dominũ suũ timet: nec paruus magnum metuit. Itaque aut verbum hoc, Metuit, ad statum qui ibi est, refertur quòd, hinc solutus non iam timet: aut quòd seruus & Dominus dici non possunt, ꝙ lex, quæ de eiusmodi lata est, sublata sit. Quare misero data est lux? & vita iis qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit, effodientes eam quasi thesaurum. Gaudéntque vehemẽter, cum inuenerint sepulchrum?) C Mors enim homini est requies, eiúsque abstrusa est via: conclusit enim eam Deus. Quod autem ait, est eiusmodi: Omnes homines, qui in angoribus doloribúsque vitam degũt, & iracundia doloréque eorum quæ accidunt, quasi amarore conficiuntur, mortem quidem optant, vt à malis quibus opprimũtur, liberentur: eam autem cum minime adipiscuntur, tum denique grauiorem morte vitam nanciscuntur. Quòd si forte id quod vult consequatur, cum tam magno gaudio excedit è vita, quanto cum dolore auari nacti thesaurum exhauriunt profundúntque pecunias. Quid est igitur quamobrem, non etiam mors cum dissoluat & deleat amentias, quæ ob dolores eueniunt, atque peccatorum quietem atque terminum afferat, iisque qui in vita manent, occultet genus vitæ eius qui migrauit, & cohibeat etiam eius appetitum à scelestis actionibus, & quasi occludat ei eiusmodi rerum actionem? Hæc deinceps ait, Antequam comedam, suspiro: & tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus: quia timor quem timebam, euênit mihi: & quod verebar, accidit. Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio.) Quæ enim res omnibus consolationem affert dum cibũ capiunt, ea mihi auget dolorem: dolorúmque vi lachrymæ mihi erumpunt, vt non iam liceat mihi ad voluptatem cibo indulgere atque potioni, quòd metus mihi esculentorum desyderium præripiat, habitúmque amarũ reddat, carnísque partes in totum corpus conciter. Iaque nec dormire possum, nec sine gemitu omnino vigilare, per iram quæ interuenit.

Respondens autem Eliphatz Themanites, dixit, Num sæpe D in molestia loquutus es?) id est, nũquàm ne alias in hæc mala incidisti? an tibi in more positũ est etiam alio tempore aliqua eiusdẽ generis dicere? Sed vim verborum tuorũ quis feret?) Quis ergo loquacitatem tuam ferre potest? Si enim docuisti multos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmauerũt sermones tui, & genua trementia confortasti. Nunc autẽ venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es:) Si enim tu eos qui dolore conficiebãtur, cõsolatus es: eósque qui desperatione lapsi erant, excitasti: atque eos qui ex illa in tabẽ animíque defectionem inciderunt, verbis confirmasti: quomodo ipse, cum in calamitates incidisti, iniquo animo & acerbè fers dolorem? falsam ergo de fortitudine tua omnes tum habebant opinionem, falsam etiam de patientia, cũ nunc tu tantopere conturbatus sis in malis. Hoc enim efficit verbũ illud, ἐσπούδασας, id est, conturbatus es. Nonne metus tuus est in insipientia: & spes tua, & malicia est in via tua?) Num frustra sapiens aliis ostensus es, tu ipse non ferẽs necessitatem quæ te oppressit? & bonas spes aliis suadens, ipse viam ad malum ferentem decurristi? Recordare, obsecro te, quis vnquam innocens periit? aut quãdo recti deleti sunt?) Perspicuum est Eliphatz ex iis quæ suadet, fuisse sapientem quendam, atque in Dei iustitia esse meditatum. Quando enim, inquit, recti ac veraces prorsus deleti sunt? aut quisnam, qui culpa vacaret, supplicio apud iustum iudicio affectus est, apud quẽ id quod E peccati expers est, pœnas non luit? Nemo enim iniuria & iniuste aliquid patitur, si Deus supplicium sumat. Quin potius vidi eos, qui arant absurda: qui autem seminant ea, dolores metent sibi ipsis.) Qui enim colunt contraria, & arant ea, eorum præmia metent. Sic enim Dei iustitia aperta & clara est. Iussu Domini peribunt: à spiritu autem iræ Dei delebuntur.) Dei enim ipsius iussu improbi punientur, iusto æquóque iudicio iræ, quæ in eos sæuiet. Robur leonis, & vox leænæ, & fastus draconũ extinctus est. Tigris periit, eò quòd non haberet prædam: & catuli leonum dissipati sunt.) Hæc cum ait, Dei dispensationem significat. Ait enim, Et magnis suppeditat, & paruis præbet; magna autem indigentia pereunt. ipse enim tenet omnia. Itaque omnes iniustos arrogantésque delet: eum autem cui charus est, vendicat. Si autem verbum aliquod in sermone tuo verum fuisset, nullum horum malorum te oppressisset.) Fretus Dei iustitia hæc videtur dicere. Non enim, inquit, iniustitia est in Deo: Sed ignorabat Eliphatz, & diaboli petitionem, & quæ ei in Iob data erat, concessionem. Itaque solum Dei iustitiæ rationem habet. Vtrum ergo auris mea non capiet insueta?) Insueti enim sunt ei metus. Metus & sonus nocturnus ad homines venit.) Siue ergo metus aliquis, siue dolor cuipiam interue- F niat, siue pauor & calamitates, eius benignitate homini, eò vt ad illum redeat, incidunt. Pauor tenuit me, & tremor: & omnia ossa mea perterrita sunt, & omnia in faciem meam incurrerunt. Inhorruerunt pili carnis meæ: surrexi, & non agnoscebam: vidi & non erat imago coram oculis meis: & vocem quasi auræ lenis audiuit.) Quidam hæc de Iob Eliphatz dicere existimarũt, quòd cum eum talem contemplatus esset vulneratum, metu perculsus sit. Sed hoc nõ vult, verùm se etiam ipsum sæpe perculsum esse metu, ita vt & ipsius ossa commora sint, & carnes horruerint. Quòdque pauore perculsus erat, videbat quidem neminem, sed causam rei ad Dei iustitiam referebat. Cur enim non est homo mundus apud Deum? aut ex operibus suis vir inculpatus?) Sciens ergo hęc in alium transferri, probans Dei curam & prouidentiam: me, inquit, in pœnis esse putabam, sed ignorare qua de causa ad pœnam deposceret, nisi quòd sciebam de me iustè supplicium sumi. Si contra seruos suos non credit.) Hoc quidam ita ediderunt, Pro, Neque iustos perfectos omni virtute inuenit, ex illo loco, Si iustus quidem vix saluabitur, ecquis gloriabitur se purum & mundum cor habere? aut quis se mundum ac liberum esse à peccato audebit dicere? Etsi enim aliquis actione & opere non tenetur, tamen cogitationibus vt homo mundus non est. Quanquam fortassis hoc non dicit, sed Deum non recipere nec probare aduersus seruos suos calũnias. Nouit enĩ qualis sit vniuscuiusque animi cõstitutio. Et in angelis suis reperit prauitatem?) Hoc etiam quidam sic interpretati

Cap. 4.

G sunt, A Deo dæmonũ exercitui qui ſcelerate impieq; fecerat, pœnam eſſe conſtitutam, Angelos enim nunc hos nuncupat, quemadmodum etiam Apoſtolus, cum ait, Neſcitis quoniam angelos iudicabimus? Sed reuera hoc vult, Deum qui ſpiritalibus virtutibus & naturis minime contentus eſſet, naturã, vt ſe ipſæ cuſtodirent & tuerentur, effeciſſe. Perſpicuum eſt autem eius poteſtatẽ cõtinere omnia: illiúſque corã & prouidẽtiam omnia recipiunt, cum etiam angelorum ordinẽ ſapienter diſpenſauerit. Metum enim ſtuporémque eis adiunxit, vt cum mens excitata metu eſſet, auxiliũ ſuum acciperent. Miſcuit enim metũ cum deſyderio, ne ſi deſyderium ſolum eſſet, animi contentionem excluderet: metus autem deſyderium excitans, impellat naturam ad aſſentiendum Deo, qui eam condidit, eiúſque auxilium ac præſidium trahat, & alliciat ſtudium eius, qui ad deſyderium cum metu impulſus eſt. Hoc etiam hominibus Deus, cui curę eſt eorũ ſalus, conceſſit. Tam enim metuẽdus eſt Deus, quàm amandus. Itaq; is qui ait, Qui timet, non eſt perfectus: &, Charitas foras mittit timorem, ſingulari fuit ſapientia pręditus, quiſquis fuerit. Etenim terribilis eſt iudex, vt etiam iuſtus: amãdúſque eſt, ſicut etiam bonus, nec vult mortem peccatoris, ſed pœnitentiam. Quanto magis eos qui habitant domos luteas, quoniam ex eodem H luto ſumus.) Si hanc prouidentiam iis qui animo & ratione cernuntur, adhibet: eſt ne magnum, ſi hominibus quiſque idem facere videatur, cum eis ſalutem metu ſui ſuppeditat?

Percuſſit eos more tineæ, de mane vſque ad veſperam, & iam non ſunt: & quia non poſſunt ipſi ſibi opem ferre, perierunt.) Nonnulli aiunt eum hoc docere, ſe hominem pro nihilo putare ac ducere, ſiue iuſtus ſit, ſiue iniuſtus, ſiue calamitas eum opprimat, ſiue valeat. Vidẽs enim, inquit malũ quod inciderat, nolénſque Deum iniuſtũ dicere, ei ait, ipſum Deo curæ non eſſe, ſiue bonus ſit, ſiue non eiuſmodi, ſiue ſupplicio ſit affectus: quemadmodum nec piſcium multitudinem curat, cum prędonum præda fiunt: neque eum hoc iniuriam exiſtimare. Sic etiam hominem nihil eſſe arbitrari, quẽadmodum nec vermium aut muſcarũ interitũ. Magnus enim cum ſit, inquit, ipſe, parua ea quæ apud nos iuſta ſunt, eſſe ducit. Sed qui hæc dicunt, delirant, atque Eliphatz accuſant, quòd ignorant & accommodatam rerum effectionem, & Dei dignitatem, & quòd Deum quidem iniuſtum exiſtimẽt, & hominem ingratum nihil eſſe cenſeant, dum eum vermibus ac muſcis comparant, cogúntque ſub procurationem prouidẽtiámque non cadere, aut potius eum amentiæ accuſant. Non enim ſapientem audierũt, qui ait, Magna res eſt homo: nec omnium qui contempti ſunt futuram eſſe rationẽ & iudicium. Sed iſti quidem omittendi ſunt, vt qui nihil conſentaneum dicant. Quod autem docere vult, eiuſmodi eſt. Vt tinea, ſi quis eam comprimat, interit: ſic Deus ſi ad breue tempus prouidentiam ſuam retrahat, docet non ſatis præſidij eſſe in natura ad ſe tuendam. Si enim non extet eius ad- I miniſtratio & procuratio, nihil eorum quæ ſunt, poteſt viuere. Dempto enim ab eis vitali prouidentiæ humore, aridã ipſorum naturã efficit, ex eo quod ſcriptũ eſt, Auferes ſpiritum eorum, & deficient. Qui enim prouidentiæ Dei rationẽ non habent cognitam, ij ſalutis rationem non inuenient, ſed peribunt. Voca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat: aut ſi aliquem ſanctorum angelorum videbis.) Hæc quidem, inquit, ita eſſe ſcio. Tu verò quoniam magnificè de te ſentire videris, appella, ſi quis te audiet, aut certe quod minus eſt, ſi quis te angelorum videbit, ne dicã, viſione aliqua diuina dignus iudicatus. Virum enim ſtultum interficit iracundia, & deceptum occidit inuidia.) Vt enim homines ſtulti cum ſine iudicio & delectu iraſcuntur, de ſe ipſi ſupplicium ſumunt: Antequàm enim alios malè afficiant, occupantes ſemetipſos necant: ſic etiam qui errorem amauit, cum eo interit, paricidam perſequutus. Ego vidi ſtultos radicem agentes, ſed ſtatim victus eorum deuoratus eſt.) Quoniam ſuperiorẽ tuam beatitudinem in magnis rebus ponis, atque ex ea iuſtitiam tuam declarare ſtudes: intellige ſtultos etiam in eiuſmodi rebus ſecundis fuiſſe, ſed hoc non fuiſſe eis ſaluti. Perierunt enim iuſto Dei iudicio. Longè fiant filij eorũ à ſalute.) Quæ enim iniuſtè congeſta ſunt, non relinquent, ſed cum eis peribunt propter eorum temeritatem. Contriti ſunt in portis inferio-

Cap. 5.

rum.) Eſt enim ſcripturæ, ea quæ futura ſunt, vt præſentia di- K cere, & quæ adſunt, vt futura. Ignominia ergo & decore affecti ſunt pro inferiorũ foribus. Et non erit, qui eruat.) Quis eſt enim, qui eos eripiat, cum Deus eos ad interitum damnauerit? Quæ illi meſſuerint, iuſti comedent: ipſi autẽ ex malis non eripientur. Diſſipata eſt eorum vis.) Dei prouidẽtiam ſignificat, & naturam in quã cadit perpeſſio. Neque enim ea quæ iniuſtè & contra ius demeſſa ſunt, deuorabuntur: neque ipſi ſine ſupplicio manebunt. Et virtus eorum exprimetur. Non enim exibit ex terra moleſtia: nec ex montibus erũpet labor.) Non enim hæc naturam habent patiendi cum ſenſu, cum inanimata ſint. Neque enim naturæ, quæ ratione intelligantur, his, vt ita dicam, paſſionibus ſubiiciuntur, ſed ſuperant: & hæc ex vtroque, & eo quod ratione intelligitur, & eo quod ſub ſenſum cadit, naturam habent. Sed homo naſcitur ad laborẽ: pulli autem vulturum in excelſis locis volant.) Vt homo, inquit, ad laborem naſcitur, dum naſcitur: ſic etiam ea quæ ad vitam pertinent, cum labore præparat, dum operibus ſe conficit, variíſque curis excruciat. Vulturum autem pulli in aëre ſublimes, ex ſuperiore quaſi ſpecula, ea quæ procul abſunt, & facilimè famem explere poſſunt, & facile percipi, intuentes, quia Deus ita decreuit, parant ea quæ natura facilè capi poſſunt, quòd pennis facile ſe mouere loco poſſint. At- L que ea quidem animalia quæ ad opus apta non ſunt, ad paranda ea quæ ad victum pertinent, volant. Quæ autem ad opus apta ad explendum ventrẽ tardiora ſunt, ea & labore cõficiuntur, & laborem vltro ac ſponte ſuſcipiunt: alia in aratris & iugis, alia ſub habenis cum celeritate, alia ferẽdis oneribus. Tu verò qui homo es, & hanc naturam accepiſti, quemadmodum volare non vis, quoniam pennæ tibi à natura datæ non ſunt: ſic diſce fortiter ferre, quæ accepiſti pro nutu eius qui te in lucem protulit. Ego vero deprecabor Dominum, & Dominum omnipotentem inuocabo, qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero: qui dat pluuiam ſuper faciẽ terræ, & irrigat aquis vniuerſa.) Hæc cum ſciam, eorúmque procurationem ac diſpenſationem credam, rogabo Deum, qui omnia ſapienter adminiſtrat, conſulítque rebus omnibus accommodatè & aptè pro vniuſcuiuſque indigentia. Qui ponit humiles in ſublime, & eos qui perierunt ad ſalutem erigit. Qui diſſipat cogitationes malignantium, ne poſſint implere manus eorum verum.) Vt enim ſemina in terra moriuntur, ſed per pluuiam ea Deus cum excitat, auget: ſic eos qui ceciderunt, & lapſi ſunt, erigit, aſtutorum autem conſilia mutat, aut non ſinens ea perfici, retardat. Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſſipat. Per diem incurrent tenebras: & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie. Pereant autem in bello.) His verbis docet Deum nihil latere eorum quę fiant, eúmque ea quę velit permittere. Arbitratu enim ſuo diem eis non diem efficit: M vt Ægyptiis tenebræ inductę trium dierum, & interdiu, vt ita dicam, palpatio, quæ in vrbe Sodomorum iis accidit, qui ad iuſti fores conuenerant. Itaque in bello perierunt, velut Paleſtini & Phœnices qui Dei populo reſtiterunt, ne auxilium ab eo haberent, quo ſpoliatus, vallo quod capi non poterat, ſeptus eſt. Imbecillis autem euadat è manu potentis. Et erit egeno ſpes: iniuſti autem os obſtruatur.) Hæc autem omnia Dei in homines prouidentiam declarant: quòd poſſit & bonos à certo periculo liberare, etiam ſi deiecti ſint: & de malis ſupplicium ſumere, etiam ſi ſint excelſi, vt cedri, ita vt nihil amplius quàm plerique propter factum eſſe exiſtimentur. Sed omnis iniquitas eius os obſtruat. Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes.) Beatus enim verè eſt, atque valde beatus is, qui hîc pœnas dedit ſuorum ſcelerũ, futura enim leniora habebit. Nam Salomon ait, Fili mi, noli negligere diſciplinã Domini: nec fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Itaq; Apoſtolus hortatur his verbis: Si diſciplinam recipitis, vt filiis vobis loquitur Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Etenim propheta, qui Deo non paruit, comedítque panẽ eo in loco in quo ei vetuerat, ne ederet, & à leone interfectus eſt, leuius ſupplicium futurum habuit. Ait enim Deus per Malachiam, Non vindicabis bis in idipſum in tribulatione. Quia

A Quia ipse vulnerat,& medetur:percutit,& manus eius sanabunt.) Hæc consulit Eliphatz,vir sapiens, Deúmque videtur timere. Huic enim simile est etiam illud quod Michæas ait, Percutiet,inquit,nos,& curabit : tertia die suscitabit nos, surgemus & viuificabimur in eo. Vult em̃ misericordiã, tollens iniquitates,& superãs iniustitias. In sex tribulationibus liberabit te:& in septima non tãget te malum. In fame eruet te de morte:& in bello de manu gladij. A flagello linguę abscondet te:& non timebis calamitatem,cum venerit.In calamitate iniustorum,& iniquorum ridebis.) Quod ait,est eiusmodi, Plerunque Deus à periculis homines liberat , & ad extremum , ab omni calamitate eos liberat, qui in ipsius amore acquiescunt : interdúmque à fame , vt Dauidem è manu Saulis ipsiúsque hostium eripuit : alias à malo linguæ liberauit,vt eundem ex Doec Idumæi ac Semei lingua : alióśque sanctos viros ex malis quæ accidebant : vt Noë , vt Lot , vt Ezechiam. Itaque agentes gratias ei qui ipsorum saluti consulit, rident quidem in hostium interitu : canunt autem canticum illud victoriæ , Propterea non timebimus dum turbabitur, & transferentur montes in cor maris.
Et bestias terræ non formidabis : sed cum lapidibus regionũ habebis pactum:& bestię terræ pacificę erunt tibi.) Horum etiam eadem est,quę superiorum,sententia.Non enim solum B hostes tibi subiicientur , quòd Deus te tueatur , sed etiam agri bestiæ: ac si in solitudine verseris, non solum non tibi nocebunt , verum etiam pacta tecum inibunt , te vt Dominum colentes. Tale enim quiddam in Daniele propheta Babylone Deus ostendit,cum illum,cui charus erat , à leonibus attingi passus non est. Et scies,quòd pacem habet tabernaculũ tuũ: & visitans speciẽ tuam non peccabis.) Quoniam enim Deus te custodit ac tuetur : nec flagrum vllum in corpus tuum sæuiet , nec peccatum animi tui pulchritudinem obliterabit, propter curam tui. Deinde domum tuam atque tabernaculi tui victus rationem in pace fore intelliges, neque peccabis. Cum enim Deus tibi propitius ac benignus sit , non modo exteri,& alieni tibi subiicientur , sed etiam domestici tui & secum & tecum sine vlla seditionis suspicione consentient, nec contentione vincendíque studio in vllum peccatum incident. Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum: & progenies tua , quasi herba terræ.) Quoniam pax vndique te circundabit propter repentinã Dei in te benignitatem tu qui sine liberis eras , liberorum multitudine florebis , arui instar, quod frugibus vestitum est, deprimitúrque spicis propter vbertatem & copiam. Ingredieris in abundantia sepulchrum,sicut triticum quod metitur tempore suo,aut sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.) Clarus ergo omnibus factus , liberorúmque multitudine stipatus , quasi quibusC dam ramis ad senectutem vbertate florentem peruenies , atque hinc multis ornatus laudibus, hora mortis ad Deum venies. Ecce hoc vt inuestigauimus,ita est: quod auditum mente pertracta.) His Dei & potestatem declarat & humanitatem , cæteráque prouidentiæ propria eadem ratione subiicit. Hæc autem ait : Hæc quidem ita sunto. Tu verò quid feceris,scias.Nihil enim frustra ac sine causa fit , vt demonstratum est. Respondens autem Iob dixit, Vtinam appenderentur peccata mea , quibus iram merui: & calamitas quã patior in statera. Quasi arena maris hęc grauior appareret.) Quorsum hæc beatus Iob dicit ? Ait enim. * Noli comparare, ô amice , ea quæ inter se comparari non possunt. Si enim arenam admiscueris doloribus,quorum causa me consolaris, ne sic quidem cum malis meis comparabuntur. Nam alius quidem vnum quippiam , aut alterum haurit : ego autem simul omnia, non singillatim. Vnde & verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini sunt in corpore meo , quorum indignatio ebibit spiritum meum. Cum incipio loqui, stimulant me.) Quomodo enim non ita existimabitur?Nec mihi gloria reliqua est,non vis,non aliqua alia abundantia , non Domini , vt ita dicam , visitatio , ex quo mihi verum esse existimabatur.Quòd enim hoc ita mihi fecit, omni mihi ignominiæ fuit , & cum pudore eius sagittæ in corpore meo fixæ sunt,etiam si vos minime videatis : sed ego sensu vulneratus, dolore cõficior. Ac vos quidem atque alij verbis & sermone consolamini:sed mihi contra accidit. Nunquid frustra rugiet onager,cum quæret herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?) Disce autem,amice,ne eorum quidem quæ expertia sunt rationis,naturam frustra clamare, nisi quid ei molestiam afferat. Deinde itá ne expers sum rationis, vt ne cum his quidem comparer?Sed prætermissa natura eorũ quæ sunt expertia rationis, quæ sensui paret, exemplo naturæ inanimatæ vobis suadere conabor. Aut comedetur panis sine sale? aut est gustus in verbis inanibus?) Animaduertite quisnam sit, qui frustra ac sine causa doler : quis sit, qui eiusmodi sine causa effutit. * Ergo non boni aliquid est in pane, sed quatenus sale conditus non est. Ergo aliqua voluptas non est coniuncta cum rebus dolorem afferentibus,quæ quidem gustatum saporémque non habeat. Non potest quiescere anima mea. Rugitum enim video triticum meum quasi odorem leonis.) Nam illi quidem cum cibum capiunt,tum quadam ex parte eis leuamentum doloris affertur. Mihi autem hoc contrà accidit. Rugitus enim & clamor tantus à me editur , cum ad cibum accedo , quantum memoriæ proditum est leonem habere. Quod quidem non solum ex dolore euenit,sed etiã opera improbi.Dicitur enim sæpe ipse cui Deus est inuisus,& tetrum & suauem odorem efflare in ædibus. Si enim mihi quod peto concedatur,& eueniat : & quod expecto,tribuat mihi Deus. Et qui cœpit Dominus,vulneret me: sed tandem me non interficiat.) Quod ait,est eiusmodi. Aut mihi exponat, cur hoc patiar: aut non solicitum me faciat de futuris. E Quod ergo me vehementer excruciat , hoc ipsum est, quòd me ne responso quidem dignum iudicat. Hoc vnum vt ipse mihi concedat, rogo.Hoc etiam scio,eum etiam si vulnus mihi infligat , tamen tandem non esse perditurum. Sit autem sepulchrum ciuitas mea in qua exiliebam.) Quòd si futura solicitum me non habeant , etiamsi sepulchrum sit vrbs mea, nullum tamen malum me opprimet. Non parcam. non enim mentitus sum in verbo sancti Dei mei.) Pro, aliquando. In conspectu enim eius loquor : nec apud eum falsum proferri potest. Deus enim sanctus est. Quę est enim fortitudo mea,vt sustineam? aut quod tẽpus meum, vt anima mea perferat ? Nec fortitudo lapidum , fortitudo mea : nec caro mea ænea est.) Neque enim anima præditus sum , sensúsque expers, vt æs vel lapis : sed ad breue tempus homo viuit , & cum sensu dolores percipit , paruásque vires nactus est , vt qui diem vnum viuat , & facile intereat. Nec in eo spem collocaui : mihi non est auxilium in me.) Quandiu enim mihi in eo præsidium erat constitutum : tandiu etiam clarus fui,& in omnibus insignis , vobísque ipsis veneratione dignus , ne quid grauius dicam. Misericordia mihi adempta est, visitatióque Domini me despexit. Proximi mei non me respexerunt, sicut torrens qui deficit, aut quemadmodum fluctus qui præteriit, nec iam cohæret, quòd defecerit.Qui me verebantur , nunc in me tanquam nix incurrerunt.) Qui enim secundis rebus me reuerebantur , nunc me F in aduersis opprimunt , cum interim nec communis naturæ pudorem suscipiant,nec humanitate ducti,communem amici dolorem esse ponant. Quíque tum propter gloriam & dignitatem qua eram ornatus,me timuerunt,ij nunc me ira cõtemnunt , vt etiam derideant. Quemadmodum nix,vel glacies congelata,quando liquefacta, & calida est , non cognoscitur quid erat : sic ego desertus sum ab omnibus , & perij, nec domum habeo.) Vt enim,inquit,nix & copia ipsa, & cãdore præstantior est,cum autem effluxit vnà cum solis radiis, non iam est similis : liquata enim diffluxit : sic ego ab omnibus desertus sum,& qui eximius eram ac locuples , dissipatus sum,& proiectus in terram, ita vt ne domo quidem integumenti causa dignus sim iudicatus. Cur igitur malorum multitudinem , aut insignem dolorem non commemorem? Tot enim sunt,vt ne enumerari quidem possint. Considerate semitas Thema,itinera Saba. Videntes pudore afficimini:ignominia condemnabuntur ij , qui in vrbibus & pecuniis spem suã collo carunt. Venistis ad me sine misericordia: Itaq; vidẽtes plagã meam,timetis.) Considerate semitas Thema,id est, reditum vestrũ,vt vestra videatis, vestrámq; gloriam inspicite.Ne igitur vobis tollant animos gloria & diuitiæ quæ conciderunt. Non enim quisquam omnino beatus est , præsertim cùm dedecore ac pudore dignum sit, in rebus incertis

Cap.6.

Al. μοὶ legendum puto Mihi compara.

ἄςαυη̃ al. an non.

G spes suas sitas habere. Beatio enim non est stabilis. Exemplo vobis sim ego amicus vester, qui cùm tanta gloria & dignitate ornatus essem, multisque diuitiis abundarem, nunc his omnibus careo, nec vllum adiumentum ex eis vtilitatémque percepi, sed nudus iaceo, inglorius, onus terræ multis futurus. Vos quoque, qui nihil maleficij à me accepistis, ita sine misericordia in me incubuistis, vt etiam nulla mei vobis sit ratio, & consyderato vulnere meo, timueritis, deposita communis naturæ misericordia. Num quid à vobis petiui? aut vestrarum virium indigeo? vt me è manu malorum eripiatis, vel è manu potentis liberetis? Docete me, & ego tacebo: & si quid errauí, dicite.) Non enim à vobis quicquam petiui: neque famulus vester fui. Scio enim non satis fore præsidij in homine constitutum. Itaque ne vestrum quidem auxilium desydero, aut salutem. Etenim si quod mihi viaticum ab hominibus preberetur, profecto auxilij indigerem. Nunc autem non ignoro, quisnam me ita percusserit. Ac meæ quidem res sunt eiusmodi. Vos autem si quid præterea vos scire putatis, docete, & tacitus vos audiam. Sed nihil consentaneum potestis dicere. Itaque etiam si consilium dederitis, tamen non feram: & si quid dixeritis, non æquum dicetis. Itaque ne vos quidem attentè audiam, sed mala veracis verba videntur. Cum enim auxilium fert Deus, etiam si vera quis dicat, tamen non est dignus fide iis qui audiunt. Neque enim à vobis vires aut H robur peto: neque verba mea vestra reprehensio est. Vos non feram.) Quomodo enim ab homine simili vires petam, qui ne sibi quidem potest subuenire? Aut quomodo aliquem verear, qui me conetur refellere, vel sonum verbi alicuius mittam, cum malum subiectum sit oculis, & mundus sit is qui sciat? Super pupillum irruitis: & in amicum vestrum inuolatis.) Vnum autem vobis ad omnia respondere volo, vos etiam qui me omnibus orbatum cerneretis, in me furentes inuasisse, & in amicum vestrum iacentem incurrisse.

Nunc autem habita vestri ratione, non mentiar. Sedete igitur, nec sit iniquum.) Et rursum cum iusto venite: nunc incipite. Non est enim in lingua mea iniustitia: an non etiam fauces meæ meditantur sapientiam? Ego vero personæ vestræ rationem non habeo, sed id quod res est, narrabo. Facite vt iustum vltro ac libenter audiatis, neque hoc quicquam vtilius ducite vero iudicio. Nihil enim me sceleris admisisse scio. Quæ autem dico, nihil absurdum prorsus continent. Dicam verò quæ omnibus vsuueniunt. An non tentatio est vita hominis super terram? & sicut dies mercenarij, dies eius? aut quemadmodum seruus qui timet Dominum suum, & qui vmbram nactus est? & sicut mercenarius præstolans mercedem suam?) Hominibus enim vita est approbatio, & demonstratio vniuscuiusque nostrûm voluntatis ac consilij. Vnusquisque enim quasi hodie mercedem accepturus, ita viuit: & eò vsque opus protrahit, quousque etiam seruus metu Domini, vel felici successu quem ab eo expectat, ductus, ad opus attentus est. Neque enim diues, neque pauper maius quiddam, sed vnusquisque laboris sui mercedem expectat.

Cap. 7.

I Sic & ego expectaui menses vacuos: & noctes laboriosæ datæ sunt mihi. Si dormiero, dico, Quando erit dies? & si surrexero, rursus, Quando erit vespera? Plenus sum enim doloribus à vespera vsque ad lucem. Conspersum est corpus meum putredine vermium: & glebas terræ sordibus quæ manant liquefacio. Vita autem mea velocius transit, quàm cursor: & periit in spe inani.) Hoc etiam ego de presentibus rebus sentio semper, sed percussus sum, & ita animo constitutus, etiam iisdem flagris verberatus sum. Itaque & interdiu, & noctu contraria concupisco. Quoniam enim noctem mihi luctuosam, dolorúmque plenam existimo, optabam lucescere. Cum autem illuxit, rursus noctem optabam, vt mihi equiorem: Sed omni die & nocte eodem modo affectus sum sine respiratione. Præterea ipsum etiam corpus omni fœtore scatet, vermiúmque est pabulum. Pus autem tanta copia defluit ex carne mea quæ putris est, vt glebæ terræ, quæ aspersæ sunt, luti instat humescant. Omnis verò vita mea cõsumpta est, & præteriit vt cursor, nec mihi quicquam relictum est præter sermonem, atque eum inanem. Memento, quia ventus est vita mea, & nõ reuertetur vltra oculus meus, vt videat bona: Nec aspiciet me oculus videntis me: Oculi tui in me, & non sum, sicut nubes dissipata in cœlo.) Vide ergo, vt sola mihi K reliqua est respiratio: ac si ex corpore excessero, nihil iam videbo eorum, quæ hîc bona dicuntur. Tum enim omnes me deserent. mortui enim nemo est amicus. Iratus enim mihi, in me oculos defixisti, atque nubis instar, quæ preterit dissipatus sum, quòd destitutus sum præsidio tuo: nudúsque factus sum, qui olim aliis vmbra eram & patronus bonus. Si enim homo descenderit ad inferos, non iam ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam: neque cognoscet eum amplius locus eius.) Hæc autem ait, non quòd resurrectionem improbet, vt Manichæi putauerunt, & Valentini, sed quòd dicat, eum qui mortuus sit, non iam hoc viuendi genus repetiturum, nec mortuum iam tractaturum esse negotia, quòd aliam sedem sit adeptus. Ei enim deinceps desiit reip. ratio: vacationémq; habet occupationis ac muneris laboris pleni, quod decursum, & confectum est, ac morte impeditum. Quapropter & ego non parcam ori meo: sed aperiam os meum in amaritudine animæ detentus. Num mare ego sum, aut draco, quia circundedisti me carcere? Si dixero, Cõsolabitur me lectulus meus, loquens mecum in stratu meo.) Itaque doloris magnitudine victus, quòd vis mali superet, initium dicendi facit, Imbecillitatem corporis, nihil veritus, dicam, Súm ne mare, aút draco? In his enim rectè ac iure tantam custodiam posuit: L cum autem sim tenuis ac vilis homo, imbecillitatem vincit probatio. Volui etiam in cubili meo cogitare, qua ratione hęc mihi euenerint, sed ne hoc quidem mihi permisisti, vehemẽtibus magnísque doloribus cogitationes meas obruentibus.

Terrebis me per somnia, & per visionem horrore me concuties. liberabis enim à spiritu vitam meam, & animam à meo corpore: & à morte ossa mea. Non enim in æternum viuam, vt patienter agam.) Si quando summis palpebris dormiam, tu statim me conturbas, metúque perterres. Itaque libenter vitam ærumnatum plenam cum morte permuto. Illa enim cum obrepserit, forsitan doloribus meis finem afferet. Neque enim in hac vita ęternus sum, vt inuicto spiritu tantos dolores feram. Quoniam autem caducus sum, ac mortalis, sine gemitu ferre non possum. Discede à me: inanis enim est vita mea super terram. Quid enim est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & in requiem eum probas. Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam? Si peccaui, quid faciam tibi?) Hæc ait beatus Iob, suam humilitatem, & vt ita dicam, vilitatem exponens, séque imminuens apud dominum. Quid ergo ait? Si homo tuo præsidio & auxilio caret, & ei instat, is qui eum considerat: omitte me, quoad carnis meæ liquorem deuoré. Quòd si peccaui, quid tibi facere possum?) Nihil sunt omnia, nec quicquam te latet eorũ, quæ aguntur. Qui scis mentem hominum, cur me posuisti contratiũ tibi? & M sum tibi oneri? & cur non oblitus es peccati mei, & cur non expias iniquitatem meam? Nunc autem in terram reuertar, & mane non sum vltra.) Qui scis omnẽ abstrusam cogitationem cur finxisti me affligere? cur tibi sum cõtrarius? quod sit, quasi tibi curæ non sim? Nec si rogem, grauis tibi sum. Quis enim te prohibet peccatum mihi remittere? Nonne aliquos subiectos legibus tuis habes? Quis ergo obstat, quo minus me à peccato expies? Quis tibi resistet? aut quis tibi dicet, cur fecisti? aut mecum tibi omne bellum fuit? cum hodie sim, & cras non sim futurus? In nouo viuendi genere eiusmodi sunt tibi leuia & vilia supplicia. Quænam erunt supplicia constituta iis qui semper punientur, quæ finem & terminũ non habebunt?

Cap. 8.

Respondens autem Baldad Suhites, dixit, Vsquequo loquêris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui?) Amici Iob qui communi consensu eius consolandi causa venerant, erant quidem vnà, cum ipsi consedissent septem dies taciti, & beatus Iob secũ miserias suas deplorans, vim, magnitudinémque doloris exposuit: sed cum finem dicendi fecisset, succedens Eliphatz, cum quæsiuisset, an non sæpe in dolore verba fecisset, multáque ei singillatim dixisset, eam de se amicis opinionem attulerat, vt fortiter contradixisse videretur. Sanctus vero Iob ei respondens, tantum sermonis vi & magnitudine ac veritate superauit, vt non iam alius amicus contra ea quæ singillatim dixisset, auderet disputare. Erat enim eis vt lucta, sic verborum instituta contentio. Sed cum initium dicendi fecisset

A fecisset, loquacitatémque accusauisset his verbis, Vsquequo loquêris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui? continente etiam ipse sermone inuento, omnibus qui fatentur vtraque ex parte infert. Nunquid Deus iudicans iniquè faciet: aut qui omnia fecit, peruertet ius?) id est, qui cuncta fecit, iustitiam ne, præstantissimam rem creatam, delebit? Hæc cum & maxima,& maximè cum re cohærentia dixisset, quæ eadem inter vtrosque constabant, instititsétque in his quasi magnis definitionibus ac decretis, columnísque firmissimis: id quod quærebatur ex iis quæ ad partem accommodantur, docet his verbis: Si filij tui peccauerunt coram ipso, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ,& ex iusto pœnas quæ eis debebantur, expetiuit: tu si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, si mundus & rectus sis, orationem tuam audiet, & restituet tibi vitam iustitiæ consentaneam. Erunt igitur priora tua, pauca: nouissima autem multiplicabuntur nimis.) Hoc etiam iusto homini ascripto, cum reliqua accommodatè ad persuadendum admonuisset,hoc ait, Si nulla facta iniuria, nullóque admisso scelere,hæc toleras, at certe cum sis insons,ad extremum non relinquent te superiora præclara facinora,non solum propter eorum multitudinem, verum etiam propter immensam singularémq; pulchritudinem. Interroga enim generationem pristinam,& diligenter inuestiga patrum memoriam.Hesterni enim sumus, & ignoramus: vmbra autem est vita nostra B super terram.An non hi te docebunt verba,& annunciabunt tibi intelligentiam sapientiæ,& in corde te docebunt verba?) Interroga,inquit, homines,qui superioribus seculis vixerunt, num iniustitia aliquando à Deo profecta sit. Nos enim heri, vt ita aliquis dicat, nati sumus: præsertim cum ex te vniuersa mundi administratio, & dispensatio intelligi non possit. Sed si ex generali ea quæ te attingunt discernis, non ex iis quæ ad partem accommodantur, quicquam eorum quæ ad totum genus referuntur,perspicis. Aliud est enim id quod ad vniuersum genus, aliud quod ad partem accommodatur. Cum enim breue tempus nostrum sit, breuísque vita,non omnia per nos diligenter accuratéque scire possumus.Quî ergo cognosci possunt omnia, quæ qualicunque ratione eueniunt, nisi aliquid à veteribus acceperimus? Quæ enim illi mandarunt literis, ex iis nos cognoscimus. Nunquid viret scirpus sine humore? aut crescet carectum sine aqua? Cum adhuc est in radice, non carpitur manu, ante quàm omnem herbam edat: si non edat, arescit.) Vt autem tibi ex re nullius precij prouidentiam quam quærimus, demonstrem, ne ea quidem quæ vilia sunt, sine eo fieri possunt. Si enim pluuiam terræ non largiatur, neque herba nasci potest, nec fructus maturescere: ac nisi moderatè pluat, rursus corrumpun- C tur. Quòd si ad tam paruas res illius prouidentia pertinet, quid attinet dubitare de maioribus, quin non possint sine eius conseruatione permanere? Omnis enim natura quæ extrinsecus erogatur, domi atque intrinsecus præbitoris bonitatem potestatémque profitetur. Nihil enim sine eius bonitate atq; auxilio potest permanere:Nihil enim quod se ipsum non fecit,seipsum conseruare potest:Nihil autem eorum quę sunt,seipsum fecit: Nihil igitur seipso contentum esse potest. Non enim potest id naturæ, quod ab alio factum est,conseruare. Sic ergo erunt omnia extrema Dei quæ obliuione obruuntur. Quòd si supra dicebam, nihil contra ius & æquitatem vnquam gestum esse à Deo aduersus aliquid eorum quæ sunt: profecto etiam nunc dico,quemadmodum ipse qui est iustus, beneficia dat iis qui se colunt, sic etiam eos iure perdit, qui ipsum ignorant, obliuionéque obruunt. Spes enim impij peribit,& domus eius non habitabitur, neque eius via: & tegumentum eius aranearum tela erit, obliuiscetur illud, neque remanebit. Neque enim qui eiusmodi est, Deum inspectorem sui habet, nec conseruatorem bonorum suorum. Cum enim eum ignoret,quomodo ab eo in die iræ protegetur? aut quomodo ei via sua facilis fiat,cum bonum incessum non habeat, sed malum propositum?Itaque non erit ei vllum auxilium,quòd ei nullā opem Deus ferat.Humectus enim est à sole,& ex carie eius germē eius egredietur.)Quod ait,hanc habet sentētiam,Vt ex humida,inquit,gutta corpus habet,id est,ex semine, quod est cibi scoria,cibus autē est ex elemētis: sic is qui viuit extra, & à sole tepescit ac fouetur, operámque D laboris molestiæque plenam suscipit, sudoribus victus perfunditur, ex loco illo, In sudore vultus tui vescêris pane tuo: quia operaberis colésque terram,& non dabit tibi vim suam. Germen autem cariei dicit,non vt semen contemnat,& nihili faciat,Manichæorum & falsorum continentium sententia: neque enim malum est corpus, nec alimenta mala,nec turpes eorum reliquiæ: nihil enim malum à bono factum est:sed cariem appellat sapiens Baldad, ortum qui cum interitu existit: interitus autem solidi stabilísque animalis est ortus: & quoniam in bonis est omne animal, bonus est etiam interitus eiusmodi: ex quibus efficitur, bonum etiam semen esse: quandoquidem etiam alimenta bona sunt,& elementa, ex quibus alimenta cibíque constant. Bonum ergo etiam est corpus, quia etiam hoc ex primis corporibus eorū diuisione, & quasi decisione constat.Elemēta ergo etiam ipsa, etiamsi non cum interitu orta sint. Cum enim non essent, facta sunt à Deo: Sed non ex interitu aut eorum inter ipsa mutatione oriūtur, neque ea quæ constant ex eis. Quē ergo interitus pudet,eum etiam pudeat originis. Primorum enim corporum inter ipsa mutatio,secundus est ortus,sed non ex interitu. Vbi enim est diuisio,conuersio, & commutatio, planè etiam est interitus & ortus alterius.Vt autem eiusmodi interitus malus non est, cum sit ortus (cum interitu enim fit omnis communio) sic nec omnis caries est in malis, etiam si à communi nomine E homo caries nuncupetur.Neque enim tantam vim habet homonymia, vt res easdem faciat esse, præsertim cum Deus sit rerum effector,definitórque essentiæ nominum: qui res efficiens non omni ex parte homonyma,synonyma esse vult,sed synonyma quidem appellari vult,vt angelum & angelum, ad ministerium adhibitos spiritus: homonyma autem, vt angelum incorporeum, & angelum, hominem qui missus est. Vt autem hîc nominum est tantum societas, non etiam naturarum:sic etiam in carie & interitu cum nomine fit, non etiam cum re societas & communio. Dicamus præterea de illo loco, Humectus enim est à sole, & ex carie germen eius egredietur.Hoc enim modo etiam intelligemus.Non erit,inquit, impio vllum auxilium à Deo. Etenim cum ei sit opus calida re,id est,sole qui omnia calefacit & fouet, isti contraria efficiet:& cū aqua irriget omnia, isti cariem potius afferet, quòd ei Deus nullam opem ferat. Quinetiam elementa ipsa eum delebunt: id quod Pharaoni Ægyptiísque accidit, cum dies quidem in noctem versus est, aqua autem in sanguinem: & incensa fornax versa est † in vrticas. Super aceruum petrarum dormiet:& in medio lapidum viuet.Si absorbuerit eum locus,mentietur.) Quòd anima prēditus rebus inanimis deditus,& affixus est,Dei auxilio carens,& ab eo desertus: eum locus nullus capiet. Quem enim Deus auersatus est,eum quis tandem assumpserit? Et qui ebrij ritu eius qui omnia admini- F strat, prouidentiam deridet, eum res creatæ omnes detestabuntur,atque vt hostem fugient,ex loco illo,Cum eo creatura debellabit inimicos. Non vidisti talia, quòd eiusmodi est impij finis & terminus. Ex terra autem alium germinabit) pro,non deficiet genus impij, quandiu est hæc viuendi ratio. Rursum enim alius orietur. Non enim iniustus est Deus, vt eos qui & in se & in ius scelus admittunt,quasi innocentes liberet, sed vnicuique pro meritis tribuet. Deus enim non proiiciet simplicem:& omne donum impij non recipiet.Rectorum autem os implebit risu, & labia eorum exultatione. Inimici vero eorum induent confusionem: & tabernaculum impij non subsistet.) Nam nec religiosos cultorésque sui sine prēmio negligit,nec impios impunitos omittit.Horum enim omnium causa iusti rationem & sermonem probauit. Et respondens Iob, ait, Verè scio,quòd ita sit.) Cum enim ei Baldad dixisset, Nunquid Deus iudicans, iniustè faciet, ipse respondet,Verè scio,quòd ita sit.Etenim quia Deum iustū esse certo scio,impellor vt liberius loquar de iis, ex quibus ea quę ad me attinent, habeo cognita: sed in hoc non est satis virium ad certum exploratúmque iudicium, nisi hoc eius confirmet sententia. Quomodo enim erit iustus homo,compositus Deo? Si enim voluerit iudicari cum non obediet ei, ne contradicat & respondeat ad vnum verbum, quod suis labiis proferet.Sapiēs enim est corde,& fortis robore,& magnus.)

† εἰς κνίδας.

Cap. 9.

G Si enim non ipse annuat, & confirmet hoc iudicio suo: quisnam alius se iustificabit? non enim vi aut necessitate cuiusquam flectitur. Quid est enim hominis iustitia, nisi æqualitas cum proximo? Quis ergo Deo largitur, vt cum assentiri cogat? Certe nihil: sed ipse qui omnia dominatu suo cohibet, cum vult, tum etiã iudicat, certo sciens id quod profuturum est. Certo autem scio nihil eorum quæ sunt, cum eo nec sapientia, nec potestate comparari. Quis igitur mea quidem conscientia teste quæ scit quod quæro, iustitia sua nitatur?

Quis durus effectus, contrarium ipsius sustinuit?) Quis durus, impudens, mitis minas eius perferet, poterítque eum quasi aduersum intueri ac ei dicere, Cur ita fecisti? Qui antiquat montes, & nesciunt: qui eos euertit iracundia: qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.) Qui magnas res inanimas commutat, non quòd ipsæ sensu præditæ sint, sed potentia virium suarum, ostendens omnia virtuti † suæ subiici, & voluntate sua firmatum esse mundum, potestatéque sua ex fundamentis vniuersum orbem moueri. Qui ait soli, ne oriatur: & stellas claudit quasi sub signaculo.) pro, Qui præcipit soli & stellis, ne hominibus colluceant, aut ne cursum conficiant, aut vt ponè rursum cursum inflectant. Ægyptiis enim triduo non illuxit: institit autem Iesu Nauæ filio duce, hostium Dei fundendorum vincendorúmque causa. Et non fuit, inquit, talis dies. Retro cur-

† αὐτῷ, eius etiã dici potest, vt ostẽdens ad deũ referatur, non ad Iob.

H sum suum inflexit Ezechia Iudææ rege, tum cum à morbo diuina benignitate curatus est: & in Domini passione obscuratus est, atque defecit propter Iudæorum audaciam & temeritatem, non ferens domini contumeliam, sed defecit non solita defectione, quam existere censent, cum luna soli subiecta cursum conficit. Magno enim interuallo inter se stellæ disiunctæ erant. Stellas etiam claudit quasi sub signaculo. Nam & Pleiades, siue Vergiliæ, quadraginta solum dies delitescunt, & stella Autumni, quam Caniculam nonnulli Orionis esse dicunt, quadraginta solum dies lucet, confitens diuturna retardatione & subtractione Dei qui præcepit, in omnia imperium & potestatem. Qui extendit cœlos: & graditur super mare, vt super terram.) Ambulauit, scilicet idem voluntate qua est ille qui cœlum tetendit. Solus autem dixit, non in actionis verbo, sed in illo libertatis & potestatis cursum conficiens. Vt enim solus præcepit, sed non vt solus egit atque fecit. Qui facit Hyadas, Arcturum, Vesperum, Oriona, & interiora Austri.) Qui enim ea effecit, is etiam & ortus eis & obitus præscribit ad vitę vsum, prouidentiæque suæ indicium. Hyas enim cum oritur, messis principium indicat: cum occidit, aratrum tractandum significat. Hesperus nauigantibus dux existit, nunquam recta incedens, sed semper quasi axis quidam se versans. Custos Austri ipse quidem etiam sub Vrsa locatus est: ventos autem parat in ortu, submersionésque excitat. Qui facit magna, & incomprehensibilia, &

I mirabilia, quorum non est numerus.) Immensitatem & admirationem eorum quæ à Deo fiunt, significat, quæ infinita & innumerabilia sunt, non ei quidem sed hominibus: exponénsque & generalem & specialem Dei prouidentiam, eum laudibus afficit. Si me præterierit, non videbo: & si pertransierit me, non intelligam: si quis discesserit, eum reuocabit. Num aliquis dicet ei, Cur fecisti? Ipse enim auersatus est irã, & sub eo curuantur qui portant orbem.) Is enim cum omnia tangat, omniáque nutu suo moueat, tamen nec videri nec tangi potest, vt qui natura sua cernendi sensum fugiat. Non tamen habet qui sibi resistat, nec cuiusquam iracundiæ concedit. Liber enim & solutus est à legibus: potestate verò sua omnia & parua & magna, imbecillia & fortia tenet. Si vero me non audierit, priuatim verba mea iudicet. Si enim iustus sum, nec me audit, iudicium eius deprecabor. Si vocauero, nec me audierit, non credo, quòd audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Non enim concedit requiescere spiritum meum: & impleuit me amaritudinibus.) Non enim potestatem suam inflectit, vt me iustum esse existimet. Eius enim iudicio mihi opus est, vt talis esse declarer. Ego enim periculo didici, magis credere, quandoquidem sub aspectũ meum non cadit. Malorum enim argumentum, facit vt hoc videam, præsertim cum eius verear potestatem, non meam iustitiã admirer. Etsi enim me nihil mali egisse scio, & iustitia eius fretus sum: tamen vis doloris, quẽ mihi attulit, me abnuere non

K sinit. Animum autem meum amarore complet. Quoniam enim fortitudine præstat, quis iudicio eius resistet? Siue enim iustus fuero, os meum impiè faciet: Siue innocens fuero, prauus comprobabor. Si enim impiè feci, nescio in anima: nisi quòd sublata est vita mea.) Quoniam præstat fortitudine & robore, est inuictus, non viribus præstans, quòd pugnare & certare sciat, sed quòd possit omnia. Quis ergo eius sentẽtiam mutat? aut quis dominus est eius potestatis? Quia enim grauia perpessus sum, os meum scelus admittet. Non dicit cor meũ sed lingua mea: pro dolore impulsus: aut potiùs iustitia & æquitate tua fretus, aliquid, inquit, dixi audacius. Quod autem omnino apud te dixi, peccatum esse existimaui. Quis enim seruus domino iniustitiam obiiciet? Hac autem oratione diaboli tyrannidem tollit, quòd cum nihil sceleris se admisisse sciat, tamen præter modum virium suarum, verberatus & afflictus, Deo non obsistat, sed eum celebret, atque veneretur, gratias ei agens vt ipsius vitæ consulenti. In hac enim tali ac tanta calamitate, tamen benignè loquitur. Sed vobis forsitan amicis, ptauus esse videor propter loquendi licentiam, idque de me cogitatis: non tamen scelus me admisisse mecum ipse recordor, sed quanquam à scelere magis abhorreo, tamen non satis est mihi iustitia, nisi Dei testimonium comprobauerit. Vis enim mali animum meum rapit & aufert, virésque

L imminuit perpetuitas dolorum. Itaque dixi, Magnum & potentem consumit ira: quia mali morte mirabili peribunt. Sed iusti ridentur: traduntur enim in manus impiorum. vultum iudicium † eorum operit.) Omnis enim, qui sine causa irascitur, in se supplicium trahit. Deus autem qui iustus est, eos qui magna scelera admittunt, magnis suppliciis pœnísque afficit. Non omnis autem qui planè pro sceletibus, aliquibus acerbitatibus molestiísque oppressus est, castigatur. Communia enim sunt & bonorum & malorum in hac vita mala: nec quisquam iudex eorum quæ ita eueniunt, esse potest: neque homo est tam acri ingenio præditus, qui horum rationẽ possit reddere: sed solus Deus eorum quæ propriè ac † priuatim eueniunt, prouidentiam tenet, quomodo, & cur vnumquodque eorum fiat: quandoquidem multa eorum quæ hominibus grauia molestáque eueniunt, aut vult propter peccata euenire, aut virtutis probandæ declarandæque eorum, quibus illa eueniunt, causa, permittit. Quibus hæc subiungit:

† eius. sic ra. al. αὐτῆς in Græco.

† κατὰ μέρος, particulariter.

Quòd si ille non est, quis ergo est? Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues, aut quasi aquila volans ad prædam.) Celeritatem migrationis ab hac vita declarat multis exẽplis, quæ aperta sunt iis qui intelligunt. Vt equus cùm summa celeritate currit, & nauis cùm secundo vento fertur, & aquila volans, monumentum vestigiúmque nullum traiectionis re-

M linquit: sic etiam ego, inquit, cum exiguam quandã bonorum vsuram habuerim, celerius cursum vitæ in his confeci. Si enim dixero, obliuiscar loquens: demisso vultu ingemiscam: commoueor membris omnibus. Scio enim, quòd me innocentem non relinques.) Vis enim doloris mihi memoriam delet, me ab iis quæ dico distrahens. Ingemisco autem prę vehementi dolore, nec vlla re mihi adiumento pręsidióque esse possum, sed solo gemitu me ipse consolor. Tremor membra mea omnia occupat, quòd eorum cõmissuræ dissolutæ sunt. Itaque dissolutus & fractus stare non possum. Si enim antè etiam quàm in hæc mala incidissem, eorum etiam famã extimescebam: quidni in ipso rerum periculo metu conficiar? qua quidem necessitate non ferens probationem & tormentum, loquor supplex. Huius etiam rei fortassis apud te quasi audaciæ pœnas dabo. Quoniam autem impius sum, cur non sum mortuus? Si enim lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me: & abominabuntur me vestimenta mea.) Si enim ita mea probasti: cur in me extremam sententiam pronunciasti? Nam pro ea parte, qua vt homo in negocium meum incumbo, non sum supplicio dignus. Sed non sum dignus fide, ipse qui pro me verba facio. Tuo enim iudicio mihi opus est. Si enim posteaquàm tam insignis fui, me rursus ex his malis eripere voles: apud hos quidem iniquo iudicio circumuentus sum: neque

A neque humanita * Neque enim viro qui similis mei est, respondebo, vt veniamus communi consensu in iudicium. Si vero erat mediator noster & redarguens & diiudicans inter vtrunque.) Tu enim obtutum fugis oculorum, æquus es, & potens: quisnam tibi potest resistere? Si verò homo esset, quî cum litigare & contendere iudicio possem: iis quibus probaturus eram, innocẽs declaratus fuissem. Sed non ita est. Deus enim es non comparandus. Ecquis si homo sit, tecum in iudicium de iis veniet, pro quibus ipse sententiam tulisti & condemnasti? Nam mihi quidem opus est absolutione. Auferat à me virgam suam: & pauor eius non me terreat. Loquar, & non timebo eum: Neque enim mihi conscius sum alicuius sceleris.) Duo sunt, quæ à te postulo, doloris, metúsque ob dolores liberationem: ac tum denique prouidentia tua fretus liberè tecum loquar. Nihil enim sceleris me admisisse scio: nec ea quæ me fecisse cõscientia teste nescio, possum dicere. Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ.) Magno animi dolore & mœrore cõfectus, cum me ipse collegero, quasi mordens labra prę dolore, ad me ipsum conuertam orationem plenam doloris, ac domino dicam, Noli me impietatis condemnare, sed indica mihi, cur me ita iudicaueris. Nunquid bonum tibi videtur, si impie faciam, & opprimas me opus manuum tuarum, & cõsilium impiorum adiuues?) Non ignorans ea quæ ad me attinent, iniquitatis magistro me dedidisti, nec eius maliciam ignoras. Num in eo tibi places, si contra leges faciam, non ex hoc lætitia afficeris, ipse qui pœnas constituisti in eos qui iniquitatem sequuti sunt, cum me opus tuum neglexeris, manuúmque tuarum effectionem? Hæc autem cum ait, Deum mitigat, quòd eius manuum opus est homo: eúmque, vt ita aliquis dicat, adhortatione in sui operis memoriam redigit. Neque enim hic opus est alterius Dei, sed quasi sit natura, non sit autem eius voluntate & consilio. Nam factus est quidem archangelus, sed maleuolentia sua, qui cum bonum quod Dei cõcessu & munere acceperat, abiecisset, nomẽ habuit ab ea malicia, quã elegit. Itaque ait, Consiliũ impiorum adiuuisti, qui nec suam dignitatem, nec amorem studiúmque tui cõseruauerunt propter scelus, quo sponte se contaminarunt. Subobscurè autem his significat etiam socios coniurationis ac defectionis dæmonas, qui natura angeli erant. Aut sicut videt homo, & tu vides? Num vt videt homo, videbis? aut vita tua est humana? aut anni tui, sicut humana sunt tẽpora? quòd iniquitatem meam quæsieris, & peccata mea scrutatus sis: & scias quia nihil impium fecerim.) Quod ait, est eiusmodi. Túne homo es, vt mea tactu tibi nota sint? aut num oblitus es ea quæ à me gesta sunt: aut tibíne mandatus est nouus magistratus, vt ex quæstione mea recognoscas, quorum causa crudeli carnifici puniendum tradidisti? At nihil te latet. Quasi enim in marsupium & crumenam peccatorum meorum notitiam reposuisti: quippe qui ea, quorũ memoria me fugit, habeat cognita. Itaque me nihil impiè ac sceleratè fecisse scis. Obseruandum est autem, eum aliud dicere peccatum, aliud ἀσέβειαν, id est, impium & sceleratum facinus: atque illud quidem cõmuniter cõtra Deum & hominem fieri: hoc verò de iisdem rebus fieri, de quibus colere dicitur: & neminem hominem colendum esse. Sed quis est, qui de manu tua possit eruere?) Potestas in te est, & eorum quæ sunt notionem habes: tibíque ius inest. Quis ergo tibi potest obsistere? Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.) Post verò mutatus me percussisti. Memẽto quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem rursus reduces me.) Quomodo igitur mea ignorare potes ipse qui me cõdidisti? Si enim mihi esse à tua potestate contigit, fieri non potest, vt te facta mea, cogitationésque meæ fugiant. Tua enim voluntate sententia statum habeo, atque eatenus conseruor in eo statu, & eatenus mutor. Tu ergo principium es generis & pater, qui & ex luto me finxisti, & rursum in terram redigis. Sed ex his non humilitatem naturæ dicit, sed Dei magnificentiam demonstrat. Nam adeo bonus es ac sapiens, vt etiam ex hac materia fragili animal volueris facere, eíque rationem & mentem concedere. Nónne sicut lac, inquit, mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pellibus & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi: & visitatio tua custodiuit spiritum meum.) Posteaquã suprà auctorem originis hominis exposuit, rursus eum consilio voluntatis suę docet fingere quæ fingit. Physicorum ergo more aptum ordinem ponit, ac primum vt animal ex animali per generis propagationem nascitur, principium quidem appellans seminis effusionem, & eius concretionem: deinde partium figurationem, cutis, carnis, ossium, neruorum formationem ipsam: postremò animi à Deo infusionem. His autem, cum diabolum transfugam constitutum cognosceret, eius fraudem coarguit. Quæ enim ille turpia esse criminabatur, & quàm sterquilinium reprehensione digniora, voluptatísque plena, & à Deo aliena vt inuisa: ea hic Dei opus, non odij & deformitatis plenum, sed sapiẽtia Dei refertum opus esse declarat, ita vt & naturã, quæ facta est, admiretur, & illius opificem ornet laudibus. Demonstrata ergo effectione, significat etiã spiritus infusionem, cum docet, posteaquàm fœtus fictus & formatus est, eum à Deo animum accipere, ipsúmq; animal prouidentia permanere. Neque enim natura cum facta est, satis habuit præsidij ad cõseruationem sui, sed effectoris ac parentis procuratione cõtinetur. Nec vero minus Syriacam amentiam refellit, quæ ait vnà cum semine animũ effundi. Si enim primum concubitus necessarius est, deinde conceptus, tum effictio, tum figuratio & formatio sequitur, postremo animi infusio & informatio: quomodo cum semine immortalem animum infundunt? Si enim postquàm fictus est, tum animo informatur, vt hic diuinus vir ait: profectò in corpore ipso fit, non fluit cũ semine. Est enim & immortalis, & incorporeus, sectionéq; ac diuisione superior. Semen enim nec animus est nec homo, sed cibi reliquiæ: cibi autem & alimenta ex iis quę sunt constãt, & animus cùm nõ sit gignitur, & semen est ex iis quæ sunt. Ei enim antecedit corpus quod alitur: quod quidẽ asciscit & attrahit ex alimẽto quod elemẽta præbent, in eiectione verò siue effusione non animum, sed reliquias in concubitu facit. Materia autem non ante animum subiicitur. Neque enim inde principium habet, vnde etiam corpora, nec iisdem alitur. Non igitur assumit, neque abiicit. Differt autem animus à corpore, & natura, & dignitate. Hoc etiam lex declarat, quæ iubet eum qui mulierem prægnantem calce petiuerit, cum mulier pulsata edit fœtum, si abortus fictus formatúsque sit, animam pro anima reddere, nõ est dubium quin quòd hominem necauerit. Si vero etiam figuratus non sit mulctam esse pœnam, quòd nondum sit figuratus. Ex quibus perspicuum est, ipsum neque corpus esse, neque animũ. Quinetiam in Genesi primo dictum est, Sumpsit Deus limum terræ, & formauit, & tum denique dictum est, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Dauid etiam scribit his verbis, Imperfectum meum viderunt oculi tui. Semen enim est quiddam non figuratum, & nihil exprimens. Est enim partium eiusdem generis omnino: sed in vtero à menstruo sanguine in corpus vertitur: figuratum autem, animum recipit. Itaque ait, Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam: pro, Ex mei effectione, quæ accommodata & apta fuit, admirationi fuisti. Sapientia tua admodum potens, ipsa mihi potestatis tuæ varietatem concinnitatémque exponit. Etenim ante etiam quàm me animal finxisses, sciebas & noueras, quænam & qualis futura esset hæc talis mei effectio. Hæc autem cum in me habeam, omnia posse scio: nihil autem esse quod non possis. Sciens ergo mei effectionem, noui magnitudinem tuã, id est, te ex paruis exiguísque partibus, fingere, & ex breuissima aspersione animal efficere. Omnia enim quæcunque voluisti, fecisti. Cum enim vis, tibi adest potestas. Si enim peccaui, me custodies: sed ab iniquitate mundum me non relinques. Si enim impiè feci, væ mihi est. Si iustus, non potero leuare caput: plenus enim sum ignominiæ. Capior autẽ quasi leo ad cædem. Rursum enim mutatus, me mirabiliter crucias. Instauras quæstiones tuas contra me: & magna ira in me vsus es: & tentationes in me redustixi.) Si, inquit, peccauero, non ignoras. Intueris enim omnia, & iure scrutaris. Non enim dissimilem te delinquentibus præstas, præsertim cũ æquitas tua se prodat. Sed quodnam ius tecum esse possit? Etsi enim in multis rectè quis

G facit, tamen non audebit te iudice gloriari. Ego vero qui tantis malis oppressus sum, atque ex his insignis extiti, apud omnes innocens sum iudicatus: sed tamen ita etiam sum seruus inutilis. Vt autem leo captus tantum ad cædē exponitur: sic ego etiam nihil minus quàm fera, me perpessurum esse spero. Quanquam fortassis deterior est conditio mea. Renouatio enim doloris mihi accidit ex malorū & à te missorum prædonum pernicie. Quibus verbis latronum impetum obscurè significat, ignis descensum, venti à solitudine flantis cladem, celerémque domus ruinam, quæ oppresserat liberos. Quare de vulua eduxisti me? nec consumptus & mortuus sum, ne oculus me videret? fuissem quasi non essem: cur autem de vtero non sum translatus ad tumulum? Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?) Melius est enim non expertum mala ex vita excedere, quàm viuum tot támque grauia mala perpeti: atque id cum exiguo tempore dures, & vitam mortalem caducámque nactus sis. Dimitte ergo me requiescere paululum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram tenebrarum æternarum, vbi non licet lumen nec vitam hominum cernere.) Quoniam ergo ita breuis, & exigua mihi vita est data, quòd sim mortalis, paulisper mihi dolores mitiga, vt interim conquiescam. Si enim hinc migrauero, muta terH ra iacebo, cui iam hæc vita curæ non erit: nec diem ac noctem videbo, nec lucem ac tenebras. Neque enim mortuus eas res quæ hîc futuræ sunt, geram, sed me status rerum excipiet, qui nulla ex parte huic est similis. *Cap.11.* Respondens autem Sophar Namathites, dixit, Qui multa loquitur, etiam vicissim audiet: aut num vir verbosus iustificabitur?) Qui linguam loquendi causa habet, is etiam aures audiendi causa nactus est. Num existimas eum, qui multis verbis abundat, ex iis etiam se iustum esse comprobare? At non omni ex parte. Beatus est homo qui breuem vitæ vsuram nactus est. Noli multus esse in verbis. An non est, qui tibi respondeat?) Propter miserias & calamitates quæ in hac vita incidunt, beatus est, qui ad breue tempus viuit. Tu verò noli sine causa tam multa verba facere, quasi non sit, qui tibi vicissim respondeat. Inutilis enim est loquacitas, vt quæ molesta sit. Noli enim dicere, Purus sum in operibus: & mundus in conspectu eius natus sum. Atque vtinam dominus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi: deinde ostenderet tibi vim sapientiæ, quia duplo maior erit iis quæ in te insunt. tum intelligeres quòd multo minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.) Non enim dignus es fide tu, qui tibi ipse testimonium dicis, nisi Deus simul testimonium det virtuti tuæ. Quid si doceat nihil tibi iniuria accidisse? Neque enim sententia tua stat pro quoquam. Qui autem eiusmodi est, si sit iustus, nihil vnquam iniustè & contra ius inferet, præsertim cum Deus improbos oderit. Num vestigia I domini inuenies? num ad extrema eorum quæ fecit omnipotēs, peruenies? Excelsum est cœlum: profunda terra: sed quid facies? an ea quæ profundiora sunt iis quæ sunt apud inferos? vnde cognoscis? num longiora mensuris terrę scis? aut latitudine maris? Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit: quis ei dicet, Cur fecisti?) Quod ait, hanc habet sententiam, Quidnam es tu? nonne breuissimum animal vno angulo cōprehensum? Quid tandem eorum quæ facta sunt, exploratè scis? aut quam in partē eorum quæ creata sunt, peruenisti? nē volare quidem potes, ea etiam quæ facilia sunt ignoras: nec ea quæ videntur, vt sunt, accuratè intelligis: leuiter quidem scis quomodo affectus sit ad mare, quomodo ad terrā, quomodo ad cœlum. Si enim concutiat, concident omnia: si prouidentiam suā contrahat, iam nulla erunt. Quis est igitur, qui ei ad hæc respondere possit, aut contradicere? Ipse enim nouit opera iniquorum: & videns iniquitatem, non negliget.) Neq; enim ignorat ea, quæ à malis geruntur. Vir autē temere nat sermonibus mortalis vero natus ex muliere, similia facit quæ onager.) Nam neque is qui perit, ad maris terminum peruenire potest: neq; asinus ad solitudinis finem. Quomodo enim homo vnquam eò ratione vel cogitatione perueniat, vt sciat, quis status sit eorū quæ priuatim administrantur? An hoc tātum modo sciet, nihil non prouidentia gubernari eorum, quę hæc rerum vniuersitas cōplectitur, eius auxilij & opis omnia K indigere? Si enim tu mundum cor tuum habes, & expandisti ad eum manus tuas, iniquitatē quæ est in manu tua aufer to, & non maneat in tabernaculo tuo iniustitia.) Si vero tu iudicem prouoces, vt tibi ius dicat, videro tua, vt sis mundus. Iudex enim seuerus est & æquus. Sic enim resplendebit facies tua, vt aqua munda & lympida: exuésq; sordes & immūdiciam, & non cades: miseriæ quoque obliuiscêris, & quasi aquarum quæ prætererūt, recordaberis. Oratio autem tua erit vt Lucifer, & ex meridie tibi vita orietur. Et habebis fiduciā proposita tibi spe. Ex solicitudine & cura tibi pax apparebit. Requiesces enim, & non erit qui te exterreat.) Non est quòd dicas, Me nimium in sordibus & immundicia inquinaui. Sic enim splendidus eris, vt cùm aqua turbida mundatur. Neque enim quicquam aqua declarat, cùm nitida euasit. Itaque ne tu quidem posteaquàm mundus effectus eris, sordes vllas prę feres. Omnibúsque angoribus molestiisque liberatus, malorum pristinorum te capiet obliuio, propter rerum prosperatum præsentiam. Atque vt aquæ, cum delapsa est, nullum apparet vestigium, nec vlla nota præteriti motus: sic nihil malorum tuorum reliquum erit. Eris autem splendidus & illustris vt Lucifer, cum manè radiis suis terram & mare illustrat. Vita autem tibi eueniet tanta, quantus est splendor meridiani luminis. Nō dubitabis iam, nec desperabis de gaudio tuo, nec de magna animi tui tranquillitate: nec dices, Timor quem ti- L mebam, euenit mihi. Sed in secundis rebus fretus eris Deo, quietus, liber & solutus ab omni tumultu. Quis enim tibi bellum inferre audebit, cum eris ita constans tantáque victoria clarus & nobilis, atque à Deo tanto præsidio munitus? Cum ita mutatus eris, te multi deprecabuntur: & salus ipsos deseret: spes enim eorum peribit. Oculi autem impiorum deficient.) Apud te vero sapientia & virtus erit. Mutatis autem præteritísque calamitatibus tuis, ij qui in aduersis rebus in te irruerant & inuaserant, cōtrà tibi amici erunt. Qui autem ea quæ tibi à Deo data erunt, nō intelligent, eis salutis spes nulla reliqua erit, sibíque præfidentes peribūt, eorum quæ expectabant desperatione. Inuidentes autem rebus secundis tuis, extabescent insano aspectu cernētes, quòd & Dei sapientiam ignorent, & vim eius qui ea tibi largiatur. Respondens *Cap.12.* autem Iob, dixit, Num vos estis homines soli? aut vobiscum morietur sapientia?) Soli ergo vos homines estis: aut etiam in vobis constitit sapientia. At sunt etiam alij. Non igitur soli vos sapientes estis, nec in vobis solis inest intelligentia. Sum enim ego quoque homo, & inest in me vt in vobis intelligentia. Et mihi est cor, sicut & vobis.) Sum enim vobis similis: nec planè corde careo. Iustus enim vir & innocēs irrisionis causa factus sum. Ad certum enim tempus constitutum est mihi aliis subiici, domus expugnari ab iniquis & improbis.) Quod ad conscientiam meam attinet, nihil peccaui. Vos autem ex calamitate mea mihi hæc pro peccatis accidisse iudicatis. Vósne igitur iusti estis, quòd secunda for- M tuna vtimini? Atqui neque vos iusti estis ac boni, quòd eadem vobis minime acciderunt, neque ipse ex eo, quòd hæc mala accepi, iniustus. Neque enim ex hoc agnoui. Sed vultis Dei iustitiam, pro sua potestate hæc mihi iure accidisse iudicare. His ductus, multo maiore fide dignus sum qui liberè in causa dicam, quò magis ac melius quàm vos, mea scio: Deiq; iustitiam & potestatem non minus quàm vos, habeo cognitam. Me autem prouidentiæ rationem ignorare arbitramini: atqui illam etiam non minus quàm vos, noui. Nemo autem credatur qui improbus sit, fore innocens, eorum qui dominum ad iram concitant, quasi vero de ipsis non sit exercenda quæstio.) Expositio ergo est, qua prouidētiæ partes enumerauit, dixítque nec bonos negligi, nec improbos impunitos manere. Hæc autem etiam illis deinceps subiicit. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus domini fecerit?) His enim docēre, naturā quidē, quę rationis est expers, prouidentiæ obsistendū putare: nec inanimatam, vt eum dicamus significare leones, qui Danielem non attigerunt: & coruos, qui Eliam aluerunt: & balenam, quæ Ionam deuorauit: aut ignem, qui tres pueros Babylone non contigit. Qui enim

A enim bestiis & inanimis naturis vt essent, concessit, is etiam hæc esse permisit. Idémq; cum vult, vt ei placet, ea mutat, quę fecit. vt in asina, quæ Balaam alloquuta est. Omnia enim, vt essent, voluntate eius habuerunt, & permanent, & intereunt, pro ipsius imperio & voluntate. Hæc autem à me dicta sunt, quòd instituerim docere, ne inanimatorum quidẽ naturam Dei voluntati obsistere. His enim, amicis suis probat, se non ignorasse prouidentiam. Si enim, inquit, aues & pisces præter Dei præscriptum nihil faciũt: quomodo ipse rationis magis expers sim quàm hæc ipsa, aut etiam insipientior, vt administrationem rerum nostrarum nõ intelligam? quomodo vero Dei potentiam, & iustitiam in iis quæ sunt ignorem?

Nónne auris verba adiiudicat, & fauces cibum gustant?) Alio etiam modo hoc ipsum vobis persuadere nõ grauabor. Vnumquodq; enim membrum, quod in nobis est, proprium munus & officium accepit ab effectore, vt etiam ex hoc Dei prouidentia perspici possit. Auris enim, inquit, audit, & oculus cernit, quorum vtrumque Dei est opus. Multo tempore inuenitur sapientia, & in diuturna longáque vita, scientia.) Ne hoc quidem ignoraui ô vos, qui soli scitis omnia: Sed nobis quidẽ tactione & disciplina horum cognitio comparatur: Deo autẽ non item, sed sine principio nouit omnia, aut potius ipse est principio carens scientia. Apud ipsum est sapientia & intelligentia: ipse habet consilium & scientiam.)

B Ipse enim fons est sapientiæ & virtutis, dans omnibus & virtutem & sapientiam sua potestate. Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si incluserit hominem, nemo aperiet. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram.) Hæc autem omnia eius prouidentiam declarant, & indicant eiusdem potestatem, neminémque esse, qui eius voluntati possit obsistere. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: apud eum est scientia & potentia.) Etenim tenet omnia, & potestate virtutéque sua omnia in suo quicque ordine collocat, vt sapiens dispensator & gubernator. Adducens consiliarios captiuos: & iudices terræ in stuporem.) Quibus declaratur eius & potentia & prouidentia. Superbos enim, qui consilium ineunt aduersus eos, qui in ipsorum sunt imperio, & obediunt, captiuos fieri passus est, & eos qui in iudicio de se magna sentiunt, nec Deo intelligentiæ sapientiæque causam attribuunt, perterret, dum supplicio horribili eos afficit, qui in ipso spem suã non collocant. Reges in soliis collocat, & præcingit eos cingulo renũ eorum.) Is enim est qui imperium mandat, potentiámq; ac victoriam eis concedit: potentia quidem per eos qui illis parent, victoriam autem per eos qui iniustum bellum gerunt. Odit enim improbos, omnésq; qui imperarunt manibus iniquis, punit. Ducit sacerdotes captiuos.) Hoc cum ait, docet eos, quibus maximi honores ab hominibus habiti sunt, sæpe captiuos fuisse. Quoniam sacerdotes ab omnibus coluntur, nomine abusus

C est. Fuerunt autem illis etiam temporibus sacerdotes, non solum digni pœnis eiusmodi, verum etiam pij, & qui in Dei spe acquiescebant: qualis fuit Melchisedec Dei summi sacerdos: atque idem semper Deo sacrificiũ faciebat & offerebat pro numero liberorum. Optimates terræ supplantat.) Claros terræ homines dicit, cum impietatem à Deo euertunt atque tollunt, Commutans labia veracium: & senum doctrinam nouit. Effundit despectionem super principes: & eos qui oppressi fuerãt, releuans.) Pro, Labia fidelis ad id quod decet, dirigit Deus, cum periculo probatus propter eum dolorem qui incidit, aspere loquitur: atque eos qui hodie magnificè de se sentiunt, ignobiles inglorióſque reddens in memoriam eis redigit, ipsos qui homines sint, modũ mensurámque suam scire oportere. Eos vero, qui in ipso spes suas omnes sitas habent, abiectíque sunt & oppressi calamitate, curat, ex miseriísque eripit. Qui reuelat profunda de tenebris: & producit in lucẽ vmbram mortis.) Qui & ea quæ hominibus incognita sunt, nota reddit, & ea quæ sunt in mente, in lucem profert: Nulla enim eũ latet hominis cogitatio: Aperta enim illustriáque ei sunt omnia: neque vllum opus, neque propositum, neque animi perceptio eius fugit scientiam. Ait enim quodã loco ipse Deus, Si faciat homo aliquid in abscõdito, & ego nõ videbo? Charissima quoq; Susanna Deum rogans, loquitur hoc modo, Deus æterne, qui es secretorum cognitor, qui omnia scis antè quàm fiant. Qui errare facit gẽtes & perdit eas: & subuersas in integrũ restituit. Qui immutat cor principũ populi terræ: & decipit eos, vt frustra incedant per inuium, palpabunt quasi in tenebris, & non in luce: & errare eos fecit, quasi ebrios.) Quoniam dixerat, Produxit in lucẽ vmbram mortis, pro metũ mortis. Cum enim quispiam tãto metu terretur, si eiusmodi metui moderetur, ab eo liberatur, & eorum meminerit quæ ad partẽ accõmodantur. His etiam prouidentiam probauit, ne quis existimaret, illum ex iis solum quę ad partem accommodantur. Dei scire prouidentiam: aut quòd singulos quidẽ homines gubernat, gentes autem non item, subiicere etiã generalem prouidentiam, eos scilicet, qui ipsi peccarũt, stultitia sua periisse. Cuiusmodi fuerunt Sodomitæ, Chananæi, & Ægyptij, & ante hos ij qui in eluuie terrarum Dei ira deleti sunt: aut etiã præter hos Israëlitæ, qui deducti Palæstinã incoluerunt. Quòd etiã gentes inter se seuerunt discordias, cõcordia & conspiratio scelesta nihil eis profuit. Decepit enim eas ipsarum stultitia, atq; ob eã deletę sunt, cum suũ ipsarum interitum ignorassent: nóxq; eas pro die oppressit, & motæ sunt sicut ebrius, cum in tenebras pro fossis decidissent. Ita ego omnẽ eius, & quę in singulis rebus, & quæ in vniuersis posita est, scio prouidentiam nec me quicquam latet vt vos existimatis: nam nec potentiam eius, nec iustitiam ignoro. Perspicuum est igitur, eũ & regere omnia & administrare. Ecce omnia hæc videt oculus meus, & audiuit auris mea: & scio omnia, quæ vos etiam scitis. Et cum sim vobis nobilior, nõ sum vobis minus sapiens.) His docet beatus hic vit, se amicos senes habuisse, atque cum eiusmodi se esse versatum. Nam vobis quidẽ ea quæ prouidentiæ ac iu-

Cap, 13.

E stitiæ sunt, probè scite contigit multa meditatione, multóq; diuturnæ ætatis vestræ periculo: Ego autem perpetuo labore, assiduáque attentione adolescens cum essem, tam multa didici, vt nihil ignorem eorum, quæ tempore didicistis. Sed tamen ad dominum loquar: & disputabo coram eo, si vultis. Vos enim estis medici improbi, & medici malorum omnes. Verum liceat vobis per me tacere, ac tum vobis sapientiæ tribuetur.) Ego autem vestri quidem rationem nullam habeo, sed cũ Deo loquor, ac si libet vobis, libere loquar. Si per vos mihi liceat eum interrogare, quæram ab eo, cur me iniquitatis & iniuriæ condemnaueritis, verbísque vestris in me non vt æquitas postulabat, sitis abusi, vt qui ritu medicorũ imperitorum, vitiosam adhibueritis curationem. Tacete igitur, vt probem vos nec accommodata ad consolationem mecum verba fecisse, nec me iure condemnasse. Docebo autem contra me frustra prolatã productámve esse sapientiam. Audite ergo correctiones oris mei, & iudicium labiorum meorum attendite. Nunquid cotã domino loquimini, & coram eo loquimini dolos? aut vos ipsos iudices esse dissimulatis, præclare quidem loquentes? Si enim vos inuestigauerit, vt omnia

F faciatis, quo eius viæ addatis, tamen vos coarguet.) Cum probè prouidentiam sciatis, nihil eum ignorare eorum quæ intelliguntur, non estis nescij. Deinde nõ ignoratis vos fraude & dolo agere, cum loquimini. Cum enim vos in animis vestris hoc cogitetis, nihil me admisisse sceleris, quoniam nec mihi estis conscij: cur me iniustitiæ condemnatis? Deo autem testimonium nè iustitiæ datis, cum eum mendacio gaudere delectaríque existimatis, aut quòd ipsius persona non accipiatur? Qui hoc præcepit, Noli accipere vultum potentis in iudicio, is non volet contra vos sibi quidem testimoniũ dicere, contra me autem pronunciare. Debuistis enim vos qui ignoratis, vnà mecum permissionis causam quærere. Deo non rectè gratificari vultis, quòd me quidem vt iniquum & scelestum accusatis, contra Deum autem, vt qui me iure tractet, pronunciatis: vos vero ipsi iudices estis, honestè quidem loquentes. Vos quasi inter me & Deum iudicastis non rectè: Ego vos vicissim iudicabo, cum Deum habeam eorum quæ dico comprobatorem. Docebit enim vos cum dolo iudicasse. Sentietis ergo, num disceptationem vestri coarguendi causa adhiberi sinat. Si enim ei multum gratificabimini dicendo, in iudicio ab illo, vt iniqui iudices, conuincemini. Deus enim mẽdacium auersatur. Si in abscondito faciẽ eius accipitis, an nõ mala eius vos turbabunt, & terror eius irruet super vos, & eueniet vestra gloriatio similis cineri? Cor-

G pus enim luteum est.) Quòd si etiam clam iniuste gloriamini, terrore suo vos conuincet. Grauis est autẽ concussio, conturbatio vero est solicitudo. Quod ait, hanc habet sententiã. Si scientes, inquit, potentis rationem habeatis, factio vestra ad eum pertinebit, eiúsque metu exterriti, conturbabimini. Imperium enim in vos iratus faciet: intelligetísque nec gloriam vestram quicquam esse, & gloriam vestram nihil differre à luto, propterea quòd elato estis animo: & animi superbia cineri est similis, quoniam Deum iniuria irruere existimastis. Tacete paulisper vt furor meus sedetur: Loquar & lacerabo carnes dentibus meis. Animam autem meam ponam in manibus meis, nisi me afflixerit potens, quoniam etiã cœpit.) Quiescite igitur, vt etiam dolor meus desistat: & loquendo quasi mordens meipsum, reprehensionem causam esse inueniam, tanquam disceptatione me ipse probans. Sum enim in Dei potestate, éstque in eiusdem voluntate vita mea. Interrogabo eum, nisi mihi os obstruat, cum possit, quandoquidem ita etiam me probare cœpit. Sed tamen loquar, vósque coram eo conuincam: idque mihi erit saluti. Non enim dolus in conspectum eius veniet.) Ipsa enim verborum veritas mihi præsidio erit, & apud Deum mihi libere dicendi H faciet potestatem. Neque enim me peccasse scio. Etenim eos qui contra æquitatem dicunt, non admittit: nam nec falsum quicquam ei acceptum est, & veritas eidem placet.

Audite sermonem meum, audite sermonem meum. Annunciabo enim vobis audientibus. Ecce ego, instat iudicium meum, scio quòd iustus inueniar. Quis est enim, qui in iudicium me adducat, vt taceam & consumar?) Atqui in probatione tamen cõscio propinquo & necessario nõ obstupesco. Scio enim me, dum iustum me esse dico, mercedem salutis accepturum. Neque enim hoc ipso gaudere dubitabo, præsertim cum accusatorem non habeam, vt taceam. Duobus tantum mihi opus est: & tunc à facie tua abscondar. Manum tuã longè fac à me: & formído tua non me terreat.) Quod ait hanc habet sententiam, Dolorem mihi mitiga: spémque bonam mihi affer ad ea quæ expectantur. Nunc autem non habeo fiduciam, quòd præ calamitate pudeat me te intueri. Deinde vocabis me, & ego respondebo tibi: loqueris, & ego tibi dabo responsum. Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi.) Si enim me metu, quo premor, liberaueris, tum mundus fiduciam iterum recipiã: & à te in ius vocatus, quòd nullo pudore afficiar, respondebo. Nunc verò si docueris, quænam sint peccata mea, ea vitabo, méque eorum pœnitebit. Ita in omnibus diuinus hic vir, grata in Deum voluntate, & ad eum iustum confugiens. Cur faciem tuam, inquit, abscõdis, & arbitraris me inimicum tuum?) Vt hostis, hostilíque animo in me affectus es, nec mihi causam exponis. Quis enim sum, vt me pro hoste & inimico vtare? Nonne me in hanc vitam protulisti, & in potestate I tua conseruatur status meus? Aut tanquam folium quod à vento rapitur, vitas? aut stipulam quæ à vento pellitur? Cõtrarius autem mihi es, quòd scripsisti contra me mala, & imputasti mihi peccata adolescentiæ meæ. Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum consyderasti, qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.) Certè me fortassis caues, quòd naturæ meæ humilitatem ignores, cũ à folio aut stipula, quæ à vento rapitur, non differam. Cur ergo in me eiusmodi sententiam pronunciasti? aut ea nunc reputas, quæ tum perfeci, cum iudicio non valebam? aut tantis malis oppressus sum, vt effugere nõ possim? Nihil te quidem

Cap.14. ignorare scio eorum quæ à me gesta sunt: quinetiã extremas actiones meas consyderasti. Si autem vtris instar vetustate attritum esse, & factum esse similem vesti, quam tinea deroserit, dicit, ob naturæ mortalitatem. Homo enim natus de muliere, breui viuens tempore multis repletur miseriis. Qui quasi flos decidit, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodẽ statu permanet.) His abiectam & caducam naturam, doloré sque eius & miserias significat, quemadmodum illud declarat, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Amplius enim nunc, non quod superat octoginta annos dicit, sed quod est in ipsis octoginta. Fugere autem vmbræ instar vitam dicit, propter celeritatem qua hinc K migramus: sicut quodam loco dictum est. Vmbræ enim trãsitus vita nostra. Nũquid etiam eius rationem fecisti, & eum coram te adduxisti in iudicium?) Tu me ad quærendam causam, & bonitas tua impellitis. Neque enim abiectæ humilisque vitæ rationem habuisti, sed rationis etiam eũ fecisti participem: præceptúmque ei dedisti, ac iudicium ei te facturum esse denunciasti. Hæc igitur me impellunt ad fiduciam. Quis enim mundus erit à sordibus? Nemo, etiam si vnius diei sit vita eius super terram: numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.) Non omnes homines accusat, sed hæc Deo dicit, Quod ad te & præceptum tuum attinet, nemo mũdus est. Alioqui quomodo etiam de eo dictum esset, Simplex, verax, rectus, & timens Deum, recedens ab omni iniquitate? Quomodo porro etiam Noë dictum esset, Te solum vidi iustum super terram: & in lege dictum est, Non fuit vt Moyses homo Dei, præter omnes homines mansuetissimus. Dei igitur quòd rationem haberet, hoc dicit, Nemo mundus: etsi manifesti sint eius dies, ne tum quidem mundus poterit permanere. Terminus enim ei apud te constitutus est vitę huius, quòd mortalis natus est. Sed iis qui peccare cupiunt, satis est hoc verbum ad negligẽtiæ suæ patrocinium, quòd ignorent, peccato carere dici, non omnino eum qui in aliquo non deprehensus sit: quis enim se cor mundum habere gloriari potest? sed eum, qui non pro- L posito peccat. Si etiam nonnunquam inconsiderate aliquid tale eueniat, & ad se redeat, ne deinceps in illud incidat, non condemnauit. Non alligabis enim, inquit, peccatum: & si vnum, non vacabit culpa: id est, non effugiet, quoad eius etiam det pœnas. Recede à me, vt quiescam, donec veniat optata vita mea, sicut mercenarij.) Mitiga mihi paulum dolores, túmque mihi placebit vita mea, contentus eo termino, quẽcunque mihi constitueris. Tantum mihi curam quæ illic me manet, leuiorem fac, in spem me bonam adducẽs bona promissione. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & ramus eius non deficit. Si enim senuerit in terra radix eius, & in petris mortuus fuerit truncus illius: ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantata est.) Ramus est omnis arboris summa pars tenera. Quod ait, est eiusmodi: Arbor, inquit, præcisa relinquet hîc pro se germen, siue gemmam: homo autem ab hac vita ablatus, huc non redibit. Homo verò cum mortuus fuerit, vbi est? & mortalis cum occiderit, iam non est.) Qui enim alteram vitæ conditionem adeptus est, is quonam modo huc viuendi causa veniet, cum ei eiusmodi erepta sit potestas? Non enim resurrectionem hoc loco improbat, vt detestabiles Valentini existimauerunt, & omnes qui Deum esse negauerunt: sed hoc ait, eos qui hic vixerunt, illuc migraturos esse: eos autem qui ad illud vitæ genus peruenerint, iam hic non esse victuros. Tempore enim mare minuitur, fluuij autem exarescent.) Si enim tam magnum elementum decrescit, & flumina tem- M pore exinaniuntur: quomodo homo, qui mortalis est, breuissimæque vitæ vsuram accepit, diutius in hac vita quæ multas mutationes habet, manebit? Homo autem cum dormierit, non resurget, nec excitabitur, donec atteratur cœlum, non euigilabunt & consurgent de somno suo.) Secundo priorem securitatem dissoluit. Certo enim sciebat atq; dixerat corporis huius resurrectionem. Ait enim, Cum cœlum vetustate attereretur, tum corpus hoc quod dissolutum fuerit, cõsuetur, quemadmodum dicebat his verbis, Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & neruis compegisti me. Vide hoc etiam, eum mortem somnum appellare: sicuti etiam Dominus dicebat, Lazarus amicus noster dormit. Quòd si mors somnus est: qui autem dormit, excitatur: nunquid qui dormit, inquit, non adiiciet, vt resurgat? perspicuum est, eum etiam, qui mortuus est, excitatum iri. Si enim quidam mortem, germanam somni mortem nominauerunt, non quòd ex parentibus aliquibus nata sit, sed propter communem quam afferunt corporis & animi dissolutionem: quid est, quamobrem non laudibus afficiam somnum qui reprehensione caret, & soporem communem mortem nuncupemus? Vtinam in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus: & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Si enim mortuus fuerit

fuerit homo, viuet, consummatis cunctis diebus vitæ suæ: expecto donec veniat immutatio mea.) Quod ait, hanc habet sententiam. Non hoc dico, quòd hæc mihi vita curæ sit. Itaque custodi me: tantum mihi velis de futura spe prædicere: voluntas tua fiat: tantum mihi eorum quę expecto, spẽ enunciа. Vereor enim, ne ea quæ hîc perpetior, præludium sit eorum quę illîc perferam. Illud autem, Si mortuus fuerit homo, viuet, consummatis cunctis diebus vitæ suæ, per hyperbaton dictum est. Continuatio enim ita habet. Si enim homo, cum omnes vitæ suæ dies compleuerit, moriatur, viuet: pro, debitum mortuus complet. Hic enim constitutum est. Itaque expecto, dum iterum fiam. Vides, vt non in desperationem veniat resurrectionis, sed in ea hæreat & commoretur. Tantum enim, inquit, mihi futurorum cognitio, quæ me post resurrectionem manet, enuncietur: ac tum denique quod vis perfero. Neque enim tibi contradici potest. Deinde vocabis me, & ego tibi obediam. Opera autem manuum tuarum ne contẽnito.) Hæc ait Deum demulcens, & seipsum quasi ceram cedentem, in manibus opificis collocans, hunc ipsius opus esse profitetur. Tu quidem gressus meos & studia mea dinumerasti: nec te præterit vllum peccatum meum. Signasti quasi in sacculo delicta mea: sed notasti si quid inuitus præuaricatus sum.) Nihil te fugit meum: sed quasi in sacculo omnia quæ à me gesta sunt, obsignata habes: quinetiam id quod non consultò à me peccatum est, notasti: quæque in adolescentia erraui, cum iudicio carerem, ea etiam scrutatus es. Mons cadẽs defluit, & saxum vetustate atteretur ex loco suo. Lapides excauant aquæ: & alluuione paulatim terra consumitur.) Si ergo hæc, quæ tam magna & firma sunt, tamen dissoluũtur interitu, & iis quæ extrinsecus accidunt: quonam modo ego possim cõsistere? His enim similia paulo ante etiam dicebat, cum inanimis naturis carnes suas compararet his verbis, Nũ fortitudo lapidũ fortitudo mea? aut carnes meæ æneæ sunt? Nunc etiam ait, Lapides excauant, siue excauauerunt aquę, id est, cõtinuata gutta. Si enim, inquit, gutta quæ tenera & mollis est, durum saxum excauat, firmámque naturam emollit: quî fieri potest, vt ego vim tãtam malorum perferam? qui ita sensus sum particeps, atque ex carne patibili consto, non ex ære, aut saxo aliquo, cum etiam hæc tempore molliantur. Alluuione enim aquarum paulatim consumitur terra.) Stillæ cum paulatim decidunt, & conglobantur, excelsa terræ loca consumunt. Et spem hominis perdes, cum eum pepuleris in fine, & periit. Immutasti faciem eius, & emisisti eum. Si autẽ multi ei sint filij, ignorat: nec si pauci sint, intelligit. Attamen caro eius doluit: & anima eius luxit.) Homo autem ex hac vita semel raptus, ad eam non reuertitur. Nihil enim eius in ea remanet: relinquetur autem cumuli terræ instar, & excisæ arboris. Consilio tamen tuo & præsens erat hîc homo, & nutu tuo hinc migrat: & siue multos habuit liberos, nihil ad eum, siue paucos, non est deterioris conditionis. Sibi enim quisq; viuit, non alij. Prolati sunt in lucem quasi per fores ab eo qui procreauit. Hoc vero solum viaticum vnusquisque eorũ, qui culpæ affines sunt, cum à vita discedit, propriè suum supplicium accipit, vt ex hoc loco perspicuum est, Eius qui omphacium comedit, dentes simul incolumes erunt. Respondens autem Eliphatz Themanites, dixit, Nunquid sapiens responsum dedit intelligentiæ spiritus, & implet ventrem labore: arguens quidem verbis, quibus non oportet, & sermonibus, qui nihil prosunt.) Omnem sermonem exorsus est contra ea quæ à beato Iob dicta sunt. Eis enim omnis sermonis cõtentio ad subiectionem referebatur. Quoniam enim eis ipse dicebat, Nunquid vos soli homines estis? aut vobiscum morietur sapientia? hic ei respondit, Est ne sapientis tibi respondere, aut cogitare tibi, qui ita es contentus aliquid dicere? aut ignorás ne sapientissime, periculosè & te loqui, & nos frustra tecum verba facere? Nam tu quoque euacuasti timorem, & eiusmodi verba fecisti coram Domino. Accusant te verba oris tui: nec diiudicasti verba potentum.) Vt enim à terrore vacuus est homo, sic audacter loquutus es in conspectu Dei. His autem verbis, quæ protulisti, te ipse accusasti: neque rationem potentis habuisti, nec vidisti Dei dignitatem. Quanto autem tibi præstat is, qui etiam cum mundo non est comparandus.

Conuincere te os tuum, & nòn ego: & labia tua in te dixerunt testimonium. Quoniam enim eiusmodi verba effudisti, iis declarata est tua arrogantia.) Nunquid tu primus homo natus es? aut ante colles formatus es? Nunquid consilium Domini audisti? aut te in consilium adhibuit? aut ad te peruenit sapientia? Quid enim nosti, quod ignoremus? aut quid intelligis, quod nesciamus? Et senes & antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui.) Hæc dicta sunt propter illud, Nunquid vos soli homines estis? Quid ergo ipse ait? Túne ante omnes natus es? aut ante colles generatus es? aut téne in consiliũ Deus adhibuit, cũ in lucẽ protulit omnia? aut num in te vno remãsit sapiẽtia? Quid verò amplius quàm nos scis? quanquã nihil inimicũ: aut és ne sapientior? cũ etiã patrẽ tuũ antiquitate superemus. Hinc autẽ perspicere licet beati Iob virtutem, vt qui non amicitiæ vel sodalitatis causa versabatur cum æqualibus, sed cum senibus. Paulum quidem peccasti vt castigeris: valde autem arroganter loquutus es. Quid ausum est cor tuum? aut quid tibi attulerunt oculi tui? Quid tumet cor tuum contra Dominum? & ore tuo verba eiusmodi protulisti?) Hæc dixit vsus in eum sententia, quasi multum arrogantérque peccasset. Eiusmodi in Deum dixisti, nec intelligis quantum inter te, qui caducus & mortalis es, atque Deũ, qui æternus, intersit. Quibus autem oculis ausus es cœlum aspicere, cum tantum furorem exprompsisti in eius conspectu, & protulisti verba eiusmodi eo præsente, qui & te fecit, & omnia? Quid est homo, vt sit immaculatus, & quasi iustus futurus, natus de muliere? Ecce inter sanctos suos nemo est immutabilis: & cœli non sunt mundi in conspectu eius: & stellæ non sunt innocentes: quanto magis abominabilis & immundus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?) Cuius molitionis & fabricæ homo est, qui nec sententia est stabili, nec natura immortalis? Nam in eos quidem qui sunt immutabiles natura, nunquam crimen vt verum approbet. Neque enim fieri potest, vt si vna cum natura sententia etiam immutabilis sit, natura mutationem aliquam recipiat in sententia. In iis autem, quæ natura quidem immutabilia sunt, sed sententiam mutare possunt, voluntas eorum hoc eis honoris tribuit, vt ne in peius deteriúsque mutentur. Si ergo etiam sancti ita aberrarunt sua sententia: quomodo tu elato es animo, quasi non peccaueris? cum etiam cœlum, si minus ex vita, at certe ad effectorem non sit mundum: Deus enim comparari non potest: sine autem eos qui sitiunt & concupiscunt peccatum, eóque cooperti sunt: sine cum aqua: an non stellæ suo consilio mouentur, sed eius qui eas descripsit sapientia? Ostendam tibi, audi me: quod vidi, narrabo tibi, Quæ sapiẽtes nunciauerunt, & non absconderunt patres suos. Quibus solis data est terra: & non transiuit alienus per eos.) Expono igitur tibi, quæ ipse vidi & auditione accepi à sapientibus viris ac bonis. Eos autem iustos rectè narrasse hinc sciri potest, quòd hoc sibi honori ac dignitati ij qui tum pij erant ducebant, sine molestia & offensione esse in terra, ac neminem ipsos persequi, quòd Deus eos tueretur. Audi ergo quæ ipsi tradiderunt. Cunctis diebus suis impius erit in cura & molestia: & numerus annorum certus datus est tyrannidi eius. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum in pace esse videtur, tum veniet eius contemptus. Non credit quòd reuerti possit de tenebris: incidit enim iam in manus gladij: & cadit in exitium: vulturibus in escam constitutus est. Scit in se, quòd manet se ruina. Dies tenebrarum eum probabit: necessitas & tribulatio eum comprehendet, quasi dux & imperator cadens.) Qui conscientiam suam à Deo abduxerit, ei aduersa omnia euenient. Neque enim iis in rebus, ex quibus voluptatem capit, desyderans acquiescet: sed ille non assequens quod concupiscit, timet semper, quòd opes vt hostes suspectas habeat. Hæc, inquit, nobis sapientes tradiderunt. Quæ etiam ex dicto sequuntur, impiorum scelestorúmque supplicium describunt. Non solum, inquit, tristis est & tremit, sed etiam ad breue tempus viuit & durat, & ad id omne quod audit, timet propter conscientiam scelerũ: sed nihil ex eo assequetur, propter supplicium, quod ei imminet. Cum enim omni metu liberatus videbitur, repente aliquid ei accidet offundentúrque ei tenebræ tantæ, vt ne ea quidem quæ ante pedes sunt, videat. Aduersæ autem res eum opprimẽt extrinsecus: nec erit,

qui ei ſit præſidio. Vt autem in acie belli vbicunque ceciderit imperator, exul & fugitiuus efficitur: ſic cum perierit, nemo erit, qui ei auxilium ferat. Tetendit enim aduerſus Deum manum: & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. Operuit faciem eius adeps, & de lateribus eius aruina dependet.) Hæc autem, inquit, ei ſimul euenient, primum quidem quòd Deo auſus ſit aduerſari, & diſcedens nugatus ſit in eum: vt exempli cauſa, Pharao, cum ait, Neſcio Dominum, & Iſraël non dimitto, & petulans ac ferox, ſi quis alius, Quis eſt, inquit, vt eius vocem audiam? Deo fretus erat, ſed omnibus armis ſuis, atque voluptatibus vim inferebat. Ancipiti vero gladio renes ſuos cinxerat, vt eos qui nullam iniuriam faciebãt, exagitaret. Deum autem, aut quaſi non eſſet, negligebat, aut quaſi non intueretur, contemnebat. Laus porrò eius erat cõtumelia. Non ſpecioſa eſt, inquit, laus peccatoris. Quòd ſi dixerit, Dominus iuſtus eſt, ego autem & populus meus peccator, nihil eum adiuuabit. Non enim beneuolentia laudem facit: ſed quòd non ferret probationem, meritò nec laus eius illi aſcribetur.

Habitauit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis. Quæ autem parauit, alij accipient.) Nam poſtea quòd expoſuit impij facinoroſique vitam, eius etiam deſcribit captiuitatem. Fugiet enim, inquit, ipſe in domum quæ non incolitur: eiúſque res alij auferent. Non ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terra radicem ſuam. Non recedet de tenebris: ramos eius areſaciet ventus, & flos eorum decidet.) Hæc omnia ſolitudinem ſcelesti hominis indicant. Nã & bona eius externa rapientur, & ipſe interibit ſine ſtirpe, ſine domo: & qui aliquando foliis atque floribus virebat, in terram reponetur, non ſecus atque arbor, quæ ab ingenti æſtu ſine fine vritur. Non credat, quòd permaneat. Inania enim ei euenient: diuiſio & amputatio eius ante tempus corrumpetur, & ramus eius non præclatè ſe habebit. Decerpetur vt omphacium ante tempus, & cadet vt flos oliuæ.) Hæc etiam ſuperioribus conſonant, quoniam ſpes impij in rebus falſis & inanibus ſita eſt, eum ante tempus eſſe caſurum, quẽadmodum flos oliuæ viuenti decidit: & ea quę in eo pulchra ſunt, à quouis quaſi flos decerpentur: nec ad tempus manebit, quòd eum condemnauit Deus. Teſtimonium enim impij mors: & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt. Et in vtero concipient dolores, & ei inania euenient: & vterus eorum portabit laborem.) Genus autem finis eius, malitiæ eius erat ſignificatio. Sic enim quondam exiſtimabant. Vt enim ſecundas res iuſtitiæ virtutíſque ſignum ſtatuebãt: ſic etiam aduerſam fortunam vitij notam. Qui enim dolo agebat cum aliis, aut negotium faceſſebat, eo teneri videbatur. Qui enim foueam fodit proximo ſuo, incidet in eam. [Cap. 16.] Reſpondens autem Iob, dixit, Audiui multa talia. Conſolatores malorum eſtis omnes. Nunquid finem ordinémque habent verba ventoſa? aut aliquid tibi moleſtum erit ſi loquaris? Ego etiam ſimilia veſtri loquar.) Sæpe verba eiuſmodi mecum facitis, non conſolandi mei cauſa, ſed remittendi. Verum an non clepſydrę lege loquimur, aut contra calamitates de quibus quæritur? Loquendum eſt igitur pro rei ſtatu & conditione, non alio modo. Tecum loquor tibi conſulẽs, ſed grauia acerbáque tibi ſunt verba mea, quòd offenſioni tibi eſſe ſermonem meum exiſtimas. Cogor autem pro ſtultitia veſtra vobis reſpondere, ne vobis ſapientes eſſe videamini. Atque vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea. Conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meũ ſuper vos. Roborarem vos ore meo: & mouere labia mea non prætermitterem.) Si ea vos ipſi pateremini, quæ etiam tolero, (inſipienter loquor, vos me coëgiſtis) vellém ne his talibus verbis vti? infeſtúſque venirem ad amicos meos, qui decumberent ac iacerent? inuaderéntque in vos verbis importunis & moleſtis? Quis enim eſſem ad vos? an non arrogans quidam, & conuitiator? Cur ego vos, qui in me tali animo eſtis, eóſque vos præſtatis, ne hiſcere quidem mihi conceditis? Vim ergo ſuam obtineant verba mea, ac tum non impediam, quo minus ex ore meo exeant. Si enim loquutus fuero, quieſcet dolor: & ſi tacuero, quid minus dolebo?) Siue enim, inquit, dixero aliquid, grauius dolebo: ſiuę tacuero, nihilo minorem dolorem ſentiam. Nunc autem dolore me confecit, ſtultúmque carie conſumptum fecit, & apprehendit me: in teſtimonium factus ſum: & excitauit in me mendacium meum, & aduerſus faciem meam contradixit mihi. Collegit furorem ſuum in me, méque deiecit: infremuítque contra me dentibus ſuis. Tela prædonum eius in me iacta ſunt. Percuſſit ſpiculis oculum meum, & immutauit ſagitta vlcera: acuto gladio in genua mea irruit: & vno conſenſu in me concurrerunt.) Auertit ſermonem ad Deum qui permiſerat. Poteſt etiam ad eum, qui poteſtatem acceperat referri. Permiſſio traditionis fecit vt iniuſtus exiſtimatus ſum: omnéſque in rebus meis in me mentiuntur. Iſque qui in me poteſtatem & imperium accepit, furore impulſus me inflictis vulneribus proſtrauit: vt hoſtis ſuo in me fremitu, pericula vniuerſa in me immiſit: atque vt ita dicam, tela iaculatus eſt: ſpiculis immutauit totum corpus, oculorúmque contentionem & aciem obſcurauit, quaſi miſſa ſagitta. Vno autem communíque conſenſu concurrerunt in me.) Incurſionem impetúmque prædonum dicit, pecorum captiuitatem, famulorum ſtragem, conſumptionem & interitum per ignem paſtorum cum ouibus, domus incendium, caſum liberorum, horribilem mortem, quæ in conuiuio incidiſſet. Concluſit me Deus apud iniquum.) Diabolum obſcurè ſignificat, & quod ei permiſſum eſt. Et manibus impiorum me tradidit.) Non amicos dicit, vt multi putauerunt: erant enim pij & boni: ſed prædones, qui in bona ipſius impetum fecerant. Ego ille quondam opulentus, repentè contritus ſum tenuit ceruicem meam, & confregit me: & poſuit me ſibi quaſi in ſignum. Circundederunt me lanceis ſuis, conuulnerauerunt lumbos meos, & non pepercerunt: effuderunt in terram vitam meam: conſciderunt me vulnere ſuper vulnus: irruerunt in me potentes. Saccum conſuerunt ſuper cutem meam, & robur meum in terra deleuerunt. Venter meus combuſtus eſt à fletu: & palpebræ meæ caligauerunt.) Hæc ait, docens varietatem malorum quæ ipſi intentata ſunt, hoſtium incurſionem, liberorum orbitatis moleſtiam, dolorum perpetuitatem, angorum aliorum ex aliis aduentum, imbecillitatis magnitudinem, vt tu cum intellexeris quantis malis oppreſſus beatus Iob, tamen Deo gratias egerit, eius fortitudinis ſis imitator. Tantum enim ſolum faciebat cum dolorem declarabat, quãtum lachrymis, quaſi etiam iam mortuus oculos in ſe conuerteret. Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces.) Non propter peccatum, inquit, precabar: non enim in me erat: ſed gloriam laudémque Deo tribuebam, ei gratias agens pro ipſius in me beneficiis: non quòd de me magnificè ſentirẽ, ſed quòd eius humanitate fretus eſſem. Terra, ne operias ſanguinem carnis meæ: neque inueniat in te locum latendi clamor meus.) Vt in Abele contigit, ne terra, inquit, ſanguinem meum abſorbeat. Aut hoc perſpicuum eſt omnibus. Nullo loco excludatur vox mea, ſed vndíque compreſſa ad Deum perueniat. Ecce enim in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Perueniat oratio mea ad Dominum: ad eum ſtillat oculus meus. Sit autem reprehenſio mea coram Domino, quomodo iudicatur filius hominis cum proximo ſuo.) Dei, inquit, teſtimoniũ probo, quod & omnibus præſto eſt, & intuetur omnia: quod preces meas audit, & lachrymas meas videt. Scit enim me non pro peccato caſtigari: conuincétque filios hominum, & vniuſcuiuſque proximum, eos non rectè me circumuenire. Anni mei breues venerunt: & ſemitam per quã non reuertar, ambulo. [Cap. 17.] Spiritu dum feror pereo: ſepulchrum peto, & non impetro. Supplicio autem laborans, & quid faciam? Furati ſunt facultates meas alieni.) Quod ait, tale eſt: Breues dies mei ſunt: nec poteſt is qui via illa profectus ſit, ad illud vitæ genus quod hîc degitur, reuerti. Ducor & abducor quaſi à ſpiritu & vento, exitio expoſitus, potiúſque vt mihi ſepulchrum tradatur, peto: ídque coactus penuria cuiuſuis eorum, quæ ad viuendum neceſſaria ſunt, quibus olim quidem abundabam, atque admodum clarus & inſignis eram, ſed ea ex inſidiis eripuerunt ij, qui in me impetum fecerunt. Quis hic eſt? manu mecum vinciatur, quòd cor ſuum à diſciplina ab alienarunt: ob eámque cauſam eo ne exaltaueris. Parti maliciæ nunciabit: & oculi mei in

filiis

A filiis defecerunt. Posuit me quasi in prouerbiũ vulgi:& exẽplum sum coram eis. Caligauerũt ad indignationẽ oculi mei: & oppugnatus sum acriter ab omnibus.) Aut vos mihi peccatum obiicite, aut is qui me percussit. Quisquis autẽ sit, paratus sum in iudiciũ cum eo venire. Hæc existimaris, non quòd conuincere potestis, sed quòd me pari cernitis, & quod scitis omnes me desertum ac destitutũ esse, maliciam & vitium mihi obiicitis: liberorúmque amissionem mihi vt viriũ obiectaris, quorũ causa oculi ferè euulsi sunt. Vbiq; prædicatus sum ob ea quæ mihi acciderunt: ridéntque immerito meas calamitates: in vrbe atque vulgò me oppugnant, atque in animis insidias occultant. Ego vero benignitate tua fretus, credo fore, vt à te ad honores non euehantur. Odisti enim malos, superbósque suppliciis coërces. Obstupuerunt veraces ob hæc ipsa, & in iustũ iniquus imperum fecit: & tenebit fidelis viã suam, & mundus manibus recipiet fortitudinẽ.) Qui sapientia præditi erant, iis stuporem admirationémque excitabam, commutatúmque ac inuersum in me ordinẽ rerum esse dicebant. Debebat enim, inquiunt, iustus superior esse improbo, non cõtrà. Ego vero scio me qui innocens sim, recuperaturũ esse pristinam fortitudinem, & qui sim fidelis, incessurũ munda via, cursu perfecto ac non impedito. Veruntamen omnes vos firmi, venite: non enim in vobis veritatem inuenio. Dies mei transierunt magna celeritate: cogitationes meæ dissipatæ sunt. Noctem verterunt in lucem: & lux post tenebras

B

appropinquauit.) Sed vt omnes vos in me irruatis, tamen ne tum quidem me deiicitis de sententia. Neque enim id quod res est dicitis. Ego verò grauitatem doloris contrà interpretatus sum. Non enim mihi nox ad remissionem prę doloribus conceditur. Syri autem, aiunt, Noctem in diem verterunt, de prædonibus dici, qui vestes detrahunt. Si enim sustinuero, infernus domus mea est: & in tenebris stratus est lectulus meus. Mortem vocaui patrem meum, matrem autem & sororem, putredinem.) Expecto iis quæ acciderunt, eiusmodi mihi supplicium futurum. Vt autem pueri consolatores patres habent, sic etiam ego in re nulla, nisi in morte acquiesco. Quoniam enim omnibus quę bona & pulchra sunt, spoliatus sum, in carie quiescam. Ab hac enim quasi à matre foueor. Vbi est ergo iam spes mea? aut bona mea vbi videbo? num in infernum mecum descendent? an simul in aggestam humum descendemus?) Hîc iam me bona visurum esse non spero. Nihil enim eorum quæ mea sunt, vnà mecum ad inferos ibit: nec ea quæ extra nos sunt, eam vim habẽt, vt nobiscum intereant. Respondens autem Baldad Suhites, dixit, Vsque ad quem finem verba iactabit? Mane, vt nos etiam loquamur. Quare quadrupedum instar coram te tacuimus? tu

Cap.18.

verò in furorem adactus es?) Hęc respondet ad ea quæ à Iob dicta sunt. Ille em̃ eis hæc dixit, Num quis tibi molestus fuit,

C

vt respondeas? Quid enim vobis molestus sum, dum loquor? num vobis iniuriam facio, aut negocium facesso? Tacete vos. Ad hæc ita Baldad respondet, Quousque finem dicendi non facies? quousque magnificè de te senties tu, qui ira nobis indicis silentium? sed omnino dicis, Iracundia in me Dominus vsus est. Nunquid si mortuus fueris, derelinquetur terra? aut transferentur montes de loco suo?) Quid? tú ne solus es eorum, qui terram incolunt? num tu es columen terræ? aut si pereas, nihil eorum quæ sunt erit? Nunquid lux impiorum extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?) Sic enim impij & nefarij homines intereunt, & repentè diuina vltione delentur. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: & lucerna quæ super eum est, extinguetur. Venabũtur eius bona alieni: & errabit eius consilium. Immittet in rete pedem suum, & in rete capietur. Venient ad eum casses vndique: & præualebunt aduersus eum sitientes.) Describit nefarij hominis supplicium his omnibus: cum ait fore, vt ipse quidẽ tenebris tradatur, eius autem facultates alienis: quòd eius facultates ipsum ad amentiam insaniámque adegerint, atque ipse ferè hęc dicet, Anima mea, habes multa bona in multos annos reposita: comede, bibe, lætare: sed eius consiliũ aberrauit, cũ mors vana & inania ea quę in spe possidẽtur, effecerit. Audit enim, Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam: quæ autem parasti cuius erũt? Itaque pes eius irretitus est, & laquei eum vndique concludunt. Qui eum puniunt, eius vitam exhaurire

desiderant. Abscondita est in terra pedica eius: & decipula

D

illius super semitam. Vndique terrebunt eum dolores: & inuoluent eum multorũ pedes. Attenuatũ est fame robur eis, & ruina eius parata est, cõsumpti sunt pedum eius rami. Deuorabit mors eius pulchritudinem. Auulsa est de eius tabernaculo curatio, & calcet super eum quasi rex interitus: & habitabit in tabernaculo eius in eius corpore, spargetur in pulchritudine eius sulphur. Deorsum radices eius siccabuntur: sursum autem attereretur messis eius.) Quod ait, hanc habet sententiam. Quoniam, inquit, peccauit, vinctus est: & quacunque incedit, vincietur, vt scriptum est, In laqueo ipso quẽ absconderunt comprehensus est pes eorum. Vt autem ij qui graui fame enecti sunt, quiduis etiam inferunt: sic etiam ij qui viuendi cupiditate ducuntur. Quæ etiam restant, describunt scelesti hominis viuendi genus, externorúmque bonorum interitum. Memoria illius pereat de terra: & celebretur nomen eius in plateis. Et expellent eum de luce in tenebras.) pro, In tenebris exterioribus nomen eius celebrabitur, lúxque omnis eum fugiet. Non enim notus in populo suo: nec salua erit domus eius sub cœlo.) Sed in eius ædibus alij viuent. Quis enim iam recipiat eum, quem Deus proiecerit? aut quid ei relinquetur, quod non peribit, aut ab aliis cõsumetur?

Super eum ingemuerunt nouissimi: & primos inuadet horror.) Ij enim, inquit, qui eum non viderunt, eius aspe-

E

ctu ingemiscent: qui autem eum norunt, cùm secunda fortuna vtebatur, eum suspiciebant: in calamitate verò, obstupuerunt. Et quoniam hæc de impio homine dicit: Hæc sunt, inquit, tabernacula iniqui: & iste locus eius qui igno-

Cap.19.

rat Deum.) pro, Hæc est pœna impiorum. Respondens autem Iob, dixit, Vsquequo affligetis animam meam, & attereretis me sermonibus?) Quousque verbis vestris mihi negocium facessetis? Quorsum hæc dicitis? tantum intelligite, Dominum me oppressisse his malis. Intelligite ergo hęc me Dei iudicio perpeti, eiúsque causa & nomine perferre. Vos autem, inquit, nihil pudet de me detrahere: & in me impetũ facitis, cum nihil sceleris fecisse me sciatis. Non vos pudet vt probrum obiectare, & accusare peccata, quæ me commisisse nescio. Nempe etsi ignoraui, mecum erit ignorantia mea, vt loquerer verba quæ non oportebat, Verba autem mea decipiunt, & non in tempore.) Hæc ait per concessionem, pro, Faciamus me errasse, & intempestiuè loquutum esse. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.) Cur ergo vos in me impetum facitis? Nunquid deest apud Deum ad supplicium? Cur ita vos infesti in me venitis, & probra in me iacitis? Saltem nunc intelligite, quia Dominus me afflixit, & vallo suo me cinxerit. Ecce dico opprobria, & non loquat: vocifetabor, nec retinebo ius meum. Vndique cinctus sum, vt euadere nequeam: & in vitiis meis offudit tenebras. Detraxit gloriã meam, & coronam capitis mei abstulit. Euulsit me vndiquaque, & pereo: abstulítque spem meam, vt euulsæ arbori.) Hæc superiorum repetitio est, quibus calamitatũ

F

magnitudinem indicauit: Rideor, inquit, dum in me probra iaciuntur: nec quisquam ius reddit, nec auditur, nec audit. Itaque me derider, vt etiam vos qui probi estis, qui non consolandi quidem mei causa, sed probra obiiciendi venistis. Exarsit in me ira illius: méque habet in hostium numero. Simul venerunt milites eius, & viam muniuerunt aduersum me, & castra posuerunt circum tabernacula mea.) In me, inquit, tanquam in hostẽ, ex acie omnia tela iaculatus est, irámque suam in me euomuit: & partim me ipse vulnerauit, partim per eos quos in insidiis locauerat. Fratres meos abstraxit à me: cognouerunt alienos potius quàm me. Amici mei sine misericordia facti sunt: & propinqui mei deseruerunt me: & qui nouerant me, obliti sunt nomen meum. Vicini, propinqui, famuli, ancillæ me pro alieno habuerũt.) An non obstupescit, & horrore quodam afficitur, qui audit tantam viri calamitatem, atque inuicti huius & pertinacis patientiæ magnitudinem? Pecuniis ac bonis spoliatus est: domus ei vi ventorum erepta: liberi ruina oppressi perierunt: magnus famulorum & ancillarum numerus, fratres eum deseruerũt, quòd calamitatem quasi voluntarium peccatum odissent: amici in eum iacentem infesto animo veniunt, ne communis quidem naturæ misericordiam suscipientes: probrísque eum, qui

G crimine carebat, afficiunt: noti abalienati sunt ab eo: domesticos eius ac nominis ipsius cepit obliuio: vicini oderunt: propinqui abalienati sunt: famuli qui euaserunt, & ancillæ eum deseruerunt, ac tanquã peregrinum quẽdam, non Dominum contempserunt: Tótque ac tantis malis, quæ enumerari non possunt, oppressus forti animo vir, nõ de ratione deflexit, sed Deo gratias agit, eúmque iustum esse dicit. Vocaui seruum meum, & non obediuit mihi.) Tales enim ei Diabolus perfecerat, vt maiorẽ dolorem ipsi afferrent, quàm ij qui è vita excesserant. Illi enim perierunt, relicta ei semel causa doloris. Hi autem semper molesti erant, quòd contra dicerẽt. Sed audi quod his etiam grauius est & acerbius. Os meum deprecabatur, & supplicabam vxori meę, & orabam filios concubinarum mearum: Illi verò in perpetuũ me aspernati sunt. Cum autem surrexi, detrahunt mihi. Abominati sunt me ij qui me norant: & quos diligebam, in me impetum fecerunt.) Vxor enim, quę non audita esset iis in rebus, in quibus malum consilium dedisset, eum etiam offendere conabatur: qui autem ex eo nati erant, eum spernebant, & prætereà ipsum accusabant, clam terræ onus & pondus eorũ qui intuebãtur nominantes: qui autem aliquando eo familiariter vsi fuerant, illum quasi piaculum quoddam auersabantur: & qui ei chari erant, H bellum gerebant, verbis indignis conuicia in eum iacientes, atque opprimentes. In pelle mea putruerunt carnes meæ: ossa autem mea adhærent circa dentes meos.) His mali magnitudo qualis & quanta sit exponit. Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me, sicut & Dominus, & carnibus meis non saturamini?) Quoniam Deum à me pœnas repetere dicitis, eásque me iure sufferre, & me condẽnatis etiam vos, qui teste conscientia vestra nihil sceleris admisi. Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro, stylo ferreo, aut lamina, vel sculpantur in silice in testimonium?) Hæc non de se ipse dicit, sed vt patientię exemplum posteris propositus sit: quod etiam à Mose factum est, consilio Dei qui in eo operatus est iis in rebus quę vtilitatem iis qui volebant attulerunt. Scio enim quòd perennis est is qui est liberaturus, & excitabit corpus meum, quod hæc hausit. A Domino enim ea mihi facta sunt, quorũ mihi ipse sum conscius: quæ viderunt oculi mei, & non alius. Omnia autem mihi facta sunt in sinu.) Scio enim, inquit, Deum qui me iudicauit, æternum esse ac perennem, neque in eum senectutem cadere: quemadmodum certo scio eum, me pro sua æquitate esse, vt ita dicam, visitaturum. Aut etiam hoc quia æternus est, ex loco illo, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient: me miseria hac liberabit, id est, curabit, cum ipse me ex ea eripuerit: ac rursum post dissolutionem me excitabit. Quòd si id quod maius est, potest efficere, id est, à mortuis excitare: quî dubitem de eo quod minus est, id est, eum carnem hanc curaturum esse, quę tanta mala pertule-I rit? Hominum põdus & onus ipse scio, & viderunt oculi mei, sinúsque meus accepit. Si vero etiam dicetis, Quid dicemus coram ipso, & radicem verbi inueniemus contra eum?) Quasi persuasi inquiunt, Certe ita est. Sed vnde initium faciemus ei hoc dicendi, Ita est? Debuistis ergo vos ambigere, atque causam, vt ego, quærere, non me cõdemnare quidem, vt Deo gratificaremini, cum ignorassetis eum nihil contra æquitatem facere. Timete etiam vos iudiciũ. Furor enim super iniquos veniet, ac tum cognoscẽt nusquã esse vim suam.) Desinite ergo vos innocentem condemnare, qui verborũ artificia fingitis. Succenset enim Deus iis qui præter ęquũm aut dicunt quid, aut faciunt: sumptóq; supplicio eorum declarat imbecillitatẽ. Respondens autẽ Sophar Naamathites, dixit: *Cap. 20.* Non ita te esse existimabam, & respõsurum esse ista, nec plus intelligere quàm me?) Non hanc habui de te opinionẽ: nec te ita Deo responsurum esse existimaui, sed te maiore sapientia quàm me præditum esse iudicabam. Doctrinam qua me arguis, audiam: aut spiritus intelligentiæ tuæ respondebit mihi.) Ego reprehensiones pro doctrina accipio, & me ita comparaui eis parẽre, vt scriptum est, Argue sapientem & diliget te. Itaque sapientes spiritu freti me docebunt.

Non hoc scis à principio, ex quo positus est homo super terram.) Nam tu es à principio vnà præsens, aut intellexisti ea quæ fiunt, vt eum falsi accuses, qui prouidentia sua administrat omnia? aut te in consilium ipse adhibuit? Lætitia enim K impij ruina insignis: gaudium autem iniquorum perditio.) Maxima lætitia sua elatus, in maximã incidet calamitatem, & propter scelus suum peribit. Si ascenderint vsque ad cœlum dona eius, & sacrificium eius nubes tetigerit: cum videbitur iam confirmatus esse, tum deinque peribit: & qui eum viderant, dicent, Vbi est?) Etsi magnam sacrificiorum multitudinem charitatis expers offert, tamen Deus ei pecuniis non reconciliabitur. Vt centum boues offerat, vt lateres aureos, vt multitudinem victimarum incendat: tamen salutem Deus ei non parabit. Muneribus enim non corrumpitur, sed animi quærit affectionem, non diuitiarum tumorem. Sacrificia autem & victimas impiorũ detestatur. Etenim eas contra leges, inquit, offerunt. Itaque cum se corroboratum esse putabit, in fraudem errorémque à se impulsus victimarum quas obtulerit multitudine, non liber ac solutus à vitiosis moribus: iudicium non effugiet. Neque enim fructus vllus est iis, qui tantum bonis externis veniam peccatorum consequuntur, sed iis qui animi affectione, & sua in Deum charitate, egentiúmque præsidio & auxilio freti precãtur. Sacrificium enim Deo spiritus cõtribulatus. Et, Peccata tua, Nabuchodonosor, eleemosynis redime. Cum ergo eius exitum vt aquam viderint ij, L qui illum antea norant, magna cum admiratione dicent, Vbi hic est? Transiui enim, inquit, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Eiusmodi est malorum exitus. Velut somnium auolans non inuentus est: transiuit sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit: nec est locus eius.) Celerem perfectámque eius perditionem & exitium his verbis obscure declarat. Ait enim, Vt somnium celeriter effluxit, & visio quæ non erat sensim elapsa est, metúsque euolans periit: sic ipse spectans sua præteribit, non iam ea visurus. Filios eius atterent inferiores: & manus eius reddent ei dolorẽ suum.) pro, Humiles aliqui perdant eos, quòd impietatis sceletúmque patris imitatores fuerunt. Semen enim manuum quasi face ignis sublato & suspenso, sic illustria peccata sua fecerũt, cum à iustitia & æquitate se remouissent. In quos hæc dicit oraculum, Ite in lumine ignis vestri, & in flamma quam excitastis. Ossa eius implebuntur adolescentia, & cum eo in puluere dormient. Dulce fuit in ore eius malum: abscondet illud sub lingua sua. Non parcet illi, & non derelinquet illud in medio gutturis sui: nec poterit eum adiuuare. Fel aspidis in vtero illius & labor.) Quod ait, hanc habet sententiam. In vigore doloris sui scelestus ad inferos detrudetur. Quo enĩ in vitio scelus amittebat, id celabat, quod Deum ignorare existimaret. Itaque quoniam illud non deseruit, eius pœnas dabit. Existimauit enim, si vitium celasset, se ex ea vtilitatem esse capturũ. At ipse ex eo, quemadmodũ ait, cõtta pœnam peperit: furorem enim venenatæ feræ educauit in visceribus suis, grauémq; vitij iram in animo suo re- M posuit, & molestiã, quam in alios excogitauerat, sibi ipse congessit. Diuitiæ, quę iniustè congeruntur, euomentur ex ventre illius: & ex domo sua eum extrahet angelus mortis.) Ac ille quidem sic sumetur: propter pœnas autem quæ ab eo repetentur, sua alienis relinquet. Consequutus est igitur eo animo, quo in ea affectus est, supplicium, cum intereà nullam ex eis voluptatem ceperit. Eorum enim apparatus, gemitus erat aliorum, non vera propriáque hæreditas. Furorem draconum suget: & occidet eum lingua serpẽtis.) Etsi enim inquit, omnes sibi subiugauit, omniáque imperio suo tenet, hostemque nullum habet: tamen à draconibus & anguibus necabitur. Non videbit riuum fluminũ, nec torrentes mellis & butyri. Frustra laborauit: diuitias habebit ex quibus non gustabit.) Abalienabitur ab iis, quorũ causa pro grato malus fuit. Interfectus est cum spes inanes fouisset in animo suo, sic vt re nulla sua frueretur. Quasi acerbus, non mãsus, nõ potabilis.) Est herba quædam acerba dicta, non quæ in hortis nascitur (neque enim apta est ad esum) sed montana: dorycnium autem eam vocant: ex qua qui ederit, sensim amittit vitam tem frigeratus, nisi cito ei præsidiũ auxiliumq; afferatur. Tanquã ergo scelestus frenũ in ore habeat, sic nec ex eo edit, nec bibit. Nam vt acerbum eum qui vescitur, necat: sic etiam iniquitatis diuitiæ eum, qui eas habet. Multorum enim pauperum domes

A domos diruit:tabernaculũ eorum rapuit,& non ędificauit illud. Propter hoc nõ erit salus in bonis eius,nec eius bona florebunt,in cupiditate sua nõ saluabitur. Non remansit de cibo eius.) Quę enim ex rapto nactus est,ea nec saluti ei erunt,nec adiuméto,sed causa supplicij ei fuit bonorum alienorum detractio. Non em̃ ei maior misericordię copia viatici loco suppetet,neque ea satiabitur,sed fame confectus interibit. Cum iam satiat⁹ videbitur,arctabitur: omnis dolor super eũ irruet. Vtinam impleatur venter eius.) Hęc autẽ omnia ei euenient, quod florem vel semen iustitiæ non seuerit. In diuitiarũ enim eius statu & vigore falletur,ac pro auxilio inopia eum opprimet. Quemadmodum qui vrsam effugit,& à serpentis morsu vulnus accepit:tum tenebræ eum effundẽt, non luce illustrabitur.& quæ pręsentia eius satietatẽ non expleuerunt,eorum priuatio satietatem attulit,quòd Deus ea quæ eius sunt, iudicarit. Malos enim odit. Vt emittat in eum iram furoris sui,& proiiciat super eum dolores: non fugiet arma ferrea: & vulnerabit eum arcus,& transibit per os eius telum.) Omnis,inquit,creata natura ei qui Deum odit,aduersatur, eiúsque maliciam & scelus indicat. Quod enim à Deo nullam procurationem habeat, facile ab omnibus capi poterit. Stellæ in tabernaculis eius obambulabunt, terrores super eum venient: omnes tenebræ eum manebunt; deuorabit eum ignis extin-B guibilis.) Aut fulmina dicit, quæ fulguribus quasi scintillis quibusdam demissa in ædes eius latent:aut quòd desertæ vastęq; sint domus,stellas in eis fulgere, quòd testa & laquearia non etiam lateant. Terrores porro ac tenebræ ei offundentur, propterea quòd natura rerum omnis cum eo bellum & inimicitias gerat:quódque ei mũda non sit consciẽtia nudato apertóq; animo vt futura prænoscat,ei pœnæ intentabuntur,quæ intuẽs & cernens,vindex animus ipse sui erit. Affliget eius domum peregrinus: reuelabũt cœli iniquitates eius, & terra consurget aduersus eum:delebit ac dissoluet eius domum perditio:& dies furoris eum opprimet.) In tantas calamitates incidet, vt etiam peregrini & aduenæ illius domum per contumeliam tractent:neque hoc non ei eueniet, verum etiam clementia ipsa eum accusabunt: exitiúmque eum opprimet. Hæc est pars hominis impij à Domino: & hæreditas rerum eius ab eo qui omnia intuetur.) id est, Hoc de illo supplicium sumet Deus,qui & res omnium intuetur, & omnia administrat. Respondens autem Iob,dixit, Audite quęso sermones meos, vt non sit mihi hæc à vobis consolatio. Sustinete me,& ego loquar, & post non mea verba ridebitis.) Ipsi enim ei dixerant, Vsque quò loquêris?Itaque eos ipse cõuenit, his verbis, Audite, vt mihi vicissitudinem loquendi concedatis. Ferte me, mihíque dicendi potestatem facite. Si enim vos demiseritis,vt mihi faciatis audientiam, ea quæ di-C cam, vobis ingrata non erunt. Nam me vos quidem iam audistis,sed me risistis: nunc autẽ sublato risu, audite. Nunquid ab homine est castigatio mei,vt meritò non debeam contristari? Attendite me,& obstupescite, & superponite digitum ori vestro. Et ego quando recordatus fuero, contremisco: & concutit carnem meam tremor.) Omnes quidem hoc mihi impetu facto afferetis, Cur ita arrogãter loqueris?His ne malis homo te oppressit? Ac me finem dicendi facere vultis. Ex quibus perspicuum est,non hominem hac me oppressisse calamitate. Ego vero maximè eò impellor, vt grauiter feram, velímque scire, cur me non homo supplicio, sed Deus ipse, affecerit. Si enim homo esset, is ignosceret, iis affectionibus ductus quæ in ipso insunt:ignorationem dico, imbecillitatẽ, & assentationem. Alioqui,calamitatem tolerarem,neque admodũ acerbe eam ferrem,quòd mihi spes certa & tuta futurorum proponeretur. Nunc maximè impellor, idque iure ac meritò,vt causa quæ sit, exquirã, quòd certò sciã nihil Deum fugere,neque vllam rem sub eius potentiam & potestatẽ non cadere, neque eundem muneribus duci, neque in errorem fraudémque impelli: quin ne vllum quidem scelus admisisse scio. Hoc igitur ipsum me facile impellit,vt scruter, cum ipse ignorem. Vos enim ex iis malis,quæ mihi acciderunt, sententiam in me tulistis. Quòd si ita hæc sententia contra me valet, audientiam mihi facite,vt cum audieritis,admiremini. Rectè considerate supplicium ipsum,tanquam magnam calamitatem videte & ponderate,parémque patiẽtiam, ac ver-

Cap.21.

borum consensionem & cõsequentiam, pręsertim cum non D me terror à proposito abduxerit,nõ maxima calamitas à prudentia detorserit. Cum ergo vobiscum admirati eritis, audite me,ori apposita manu. Scio enim vos verba mea nõ esse improbaturos. Si enim superiorem meã viuendi rationem commemorabo,nihil à me præter officium & negligenter actum est,sed diligẽter omnia. Nam eiusmodi accuratæ, & vt ita dicam,rigidæ vitę meę contraria peto à potente ac iusto,& qui scit omnia, nec ex iis quorũ causa in me impietatem scelusq; culpatis,à vobis libenter quęram. Quare ergo impij viuunt, & in diuitiis sunt à priscis temporibus. Semen eorum secundum animã:filij eorum coram eis. Domus eorum securæ sunt & pacatæ: metus nusquam, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit,& non abortiuit:vacca peperit, & non est priuata fœtu suo. Egrediũtur quasi greges paruuli eorum: & infantes eorum cum eis exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam,& gaudent ad sonitum organi. Duxerũt in bonis dies suos,& in requie inferorum dormierunt.) Si ergò impius & scelestus dicor ex iis quæ patiuntur: non patiuntur autem ij qui apud vos impij dicuntur, sed prospera fortuna vtuntur:iusti ergo sunt ex iis quæ eis accidũt. Atqui omnium consensu etiam apud vos habẽtur impij. Ij enim,qui hîc omnibus deliciis abundarunt & voluptatibus:ita secunda fortuna vtuntur, vt omnibus externis bonis floreant, nec vlli alij rei nisi instrumentis musicis sint dediti, fidelibúsque ac psalterio,dum alij aliis propinant,canant: omnibúsque bonis satiati,vsque ad vltimum spiritum,ne quoduis quidem malum experti sint. Dicit autem impius Domino, Recede à me: viam tuã scite nolo. Quis est dignus,vt seruiamus ei? & quid prodest,vt ei occurramus? In manibus enim eorũ bona sunt: opera autem eorum non munda.) Qui enim in omni voluptatum abundantia hîc vixerunt, dicúntque Domino, Cur nobis molestus es, leges præscribens?non enim vtile est, tuis adhærescere: quid est quamobrem non ij planè sint scelesti & impij? Cur ergo, qui in tantam audaciam & temeritatem prorumpunt, in diuitiis consenuerunt, & in eis iuuenum ritu insolescunt, fructúsque mundos percipiunt? terror autem eis nullus impendet, nullæ insidiæ fiunt, nullus in eos fit impetus, neque naturæ eorum quæ rationis non est particeps, vlla vnquam calamitas incidit,sed ipsi diu viuunt,præclarissiméque cum eis agitur, atque in bonorum abundantia splendidi videntur? Et tamen tam secundis rebus vtentes,dicebãt, Habemus omnia: Edamus & bibamus:cras enim moriemur. Hæc autem dixerunt, audacia in Deum prouecti: hæc etiam ei dicentes, Te quid nobis opus est? Num,quoniam his conuiciis Deum vexabant, propterea facta eorum non intuetur? aut in animi affectiones cogitationésque irrumpit? An non intelligitis impios facinorosósq; homines,etiam planè perditos esse? Sic enim statuo, ne vos quidem dubitare, sed planè credere,eius prouidentiam omnia cernere, & ad omnia pertinere. Nam & iustus est,& odit improbos eius prouidentia, F & improbos punire potest. Non igitur certa perspicuáque est impietas,non certum scelus:pręsertim cum ea,quæ in hoc viuendi genere incidunt, vtrumque sint communia:nec omni ex parte quisquam eum qui aduersa fortuna vtitur, impiũ ac scelestum potest ostendere,nec impium eum,quicum pręclarè agitur. Hæc autem vobis commemoro,non quòd Deus neutro modo se in impios gerat, sed quòd vos, qui prouidentiam ignorantes,contra me pronũciastis,mihíque obiurgantes aduersamini. Itaque subiicit: Veruntamen impiorum etiam lucerna extinguetur,& superueniet eis destructio, & dolores eos habebunt à furore. Erunt sicut paleæ ante faciem venti:aut sicut fauilla, quam turbo dispergit.) Supplicium impij scelestíque hominis describens,cõmemorat,non omni ex parte,neque constanter,præclarè agi cum impio,sed tum cum supplicium effugisse videtur, eum præter spem daturum esse pœnas scelerum, sicuti dolor eam quæ vterum fert opprimit. Quocirca hæc etiam ait: Deficient filiis eius bona ipsius, & cum reddiderit, tunc sciet. Videbunt oculi eius interfectionem suam,& à Domino non conseruabitur.) Id est, Nihil eius liberis ex illius bonis & facultaribus relinquetur:ac tum denique intelliget,cũ remuneratio causam recipiet,qua de causa hæc ei Deus inferat. Videns autẽ exitium

interitúmque suum, tum intelliget nihil sibi diuitiarum abundantiam profuisse. Non proderunt enim diuitiæ in die vltionis. Nihil enim noui cuiuis affertur præter sua mala. Quia voluntas eius in domo eius post eum, & numerus mensium diuidetur.) Labor enim studij eius in domo ipsius manebit: vitæ autem eius tempus contrahetur. Anni enim, inquit, impiorum breuiabuntur. Nunquid Dominus est qui docet scientiam & sapientiam? ipse autem sapientes diiudicat?) Harum rerum scientiam an non Deus nobis tradidit? quandoquidem ipse etiam est, qui debitum ius tribuit vnicuique pro sua iustitia. Ei enim quodam loco à Dauide dictum est, Quia tu reddes vnicuique secundum opera sua. Iste morietur in fortitudine insipientiæ suæ, totus quidem diues & felix. Viscera eius plena sunt adipe: & medulla eius dispergitur.) Improbus enim morietur in stultitia sua, atque ciborum voluptatem solum crassas carnes reportabit. Eiúsque viscera & ilia erunt illa quidem interitui vermibúsque obiecta. Ipse autem moritur in amaritudine animæ, nec boni aliquid comedit. Et tamen simul eius filij in puluere dormient: & putredo eos operiet in terra.) Accommodabitur etiam impiis & scelestis hominibus id quod dicitur, videlicet in diuite & Lazaro: illum quidem in regia deliciis voluptatibúsque diffluentem visum esse: Lazarum autem in sterquilinio iacuisse ac proiectum esse, vlceribus refertum, ne micis quidem abundantem. Sed fortasse nunc hoc non significat, omni ex parte bonos esse, aut contrà. Communia enim vtrorumque sunt, ea quæ hic eueniunt. Non potest igitur ex eo quod commune est, id quod proprium est, intelligi. Quare noui vos, quia temeritate audaciáq; prouecti, in me irruiris.)

Ego autem certo scio, fortassis autem etiam vos, me iis quæ dicta sunt, planum fecisse, vos audacia & temeritate impulsos in me impetum facere, quòd prouidentię rationem minimè intelligatis, neque ex iis qui sciant, velitis cognoscere: etiam si vos ipsi sapientes doctósque esse existimetis, ac de aliorum hominum sapientia detrahatis. Dicitis enim, Vbi est domus principis? & vbi tecta tabernaculorum impiorum?)

Simul enim & ipsi deleti sunt, & ædes eorum dirutæ, ita vt ne monumentum quidem vllum eorum felicitatis reliquum sit. Interrogate quemlibet de viatoribus, & signa eorũ non alienabuntur.) Quærite ab iis qui sunt in viis publicis, & ex eorum sermonibus, neminem id quod à vobis quæritur, ignorare intelligetis. Quia in diem perditionis seruatur & subleuatur malus, & ad diem furoris ducetur.) id est, delebitur propter animi sui, mentísque leuitatem. Neque enim in animo & sententia firmitatem vllam obtinet, sed huc atque illuc fertur, arundinis instar iudicium de iis quæ sunt, omni vento corrumpens. Malicia enim infirma est & imbecilla, eósque qui ea vsi sunt, imbecilliores efficit. Quis narrabit coram eo viam eius? & quæ ipse fecit, quis reddet illi? Nam propter animi eius inconstantiam, vsque ad ea tantum quæ hic sunt, vniuersitatem rerum esse statuit: nec sibi, cum hinc migrauerit, bonum vllum aut contrarium euenturum esse credit. Ipse ad sepulchra ducetur: & in cõgetie mortuorum vigilabit. Dulces ei fuerunt lapides torrẽtis, & post eum omnis homo abibit, & ante eum innumerabiles.) Hanc enim vnam virtutem esse ducit, eum qui in vita maneat, frui deliciis & voluptatibus: eum autem qui mortuus sit, magnificum sepulchrum habere, atq; in eo custodes propter simul defossas pecunias vsque ad tumulum permanere: eorum verò quæ hanc vitam sequuntur, nullam rationem ducit. Lapides porro, qui ei in sepulchro substrati sunt, ibi adipe suo saginat & perfundit propter adipem, qui ex eius deliciis voluptatibúsq; defluit. Eum autem & multi sequentur, & antecedent innumerabiles. Caduci enim sunt, & mortales non æterni. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum in vobis situm non sit, vt quiescam?) His ita demonstratis, cur vos me obiurgare, non consolari vultis? Quid vero firmum, quod me impellat, vt sileam & quiescam, cõmemoratum est à vobis, qui subiecta verba profertis? Respondens autem Eliphatz Themanites dixit, Nunquid Deus est, qui docet sapientiam & scientiam, & habitare facit in me sapientiam?) An non Deus est, qui nobis eorum quę ante dicta sunt, cognitionẽ scientiámq; tradidit? Nam ab eo & statum, & sermonem habemus, & sapientiam. In iis autem quæ aguntur, aut vult, aut permittit: vult quidẽ bona, permittit autem contraria. Quid curæ Deo est, si iustus fueris in factis? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua? Nunquid tui rationem habens, arguet te, & veniet tecum in iudicium?) Tibi verò cur animos virtus & iustitia tua tollit? Quid enim ei dedisti, cum iustus esses? aut quid ad eũ sanctitas tua attinet? Si enim de te magnificè sentire desinis, vel ei persuadebis, vel ratione flectes, si ei curæ non est amicitia tua, volẽtque iis, quibus tecum iudicio contendit, tibi persuadere. Nónne malitia tua magna est?) Non pronuncianris hæc sunt & asserẽtis, sed ambigentis: vt si quis dicat, Fortassis cum non esses admodum malus, ita recepisti. Reliqua etiam, quanquam odiosa & grauia sunt, tamen dubitationis modo accipi debent: quandoquidem etiam hoc modo dictum est. Et iniquitates tuæ infinitæ. Abstulisti enim pignus fratrum tuorũ sine causa: & nudos spoliasti vestibus. Aquam sitienti non dedisti: & esurienti subtraxisti panem. Quorundam personas admiratus es: & mẽdicos super terram dormire fecisti. Viduas dimisisti vacuas, & pupillos afflixisti.)

Cap. 22.

Vide, vt pungant & offendant hæc, quæ Dei quidem causa dicuntur, sed iustum calumniis opprimunt, etiamsi non asserendo, sed dubitando dicta sint. Peccasti enim, scelere admisso. Deus iustus est, & bonus: nec vnquam tibi tantam misisset calamitatem. Permittebat enim, vt tu qui homo esses, tantis sceleribus contaminares: & verisimile est eorum à te pœnas repeti. Eorum enim quidem quæ nesciebant, nihil accusare audebant. Ea autem, ex quibus tam grauem & indignam calamitatem propter Dei iustitiam perspiciebant, commemorare conabantur sine affirmatione. Iob autem immutabilis & constans perseuerabat, nec assentiebatur se scelus admisisse, ne se ipse calumniaretur. Si enim non est in te peccatum, mihi responde, Quis sapiens insanit? Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te bellum subitum. Lumen tuum in tenebras versum est: & dormientem te aquarum impetus oppressit.) Continuas periclitationes maláq; dicit, docens eorum varietatem. Quoniam enim, requies consolationem affert, & malorum discessus, obliuionem superiorum facit: tu inquit, ne quiescas, non solum genere tormentorum, sed etiam frequentia punitis: nec quisquam iniuria dixerit. Deus enim est, qui calamitates & mala mittit, apud quem quod culpa vacat, supplicio non coërcetur: est enim iustus. An non excelsa incolens intuetur? & eos qui improbitate feruntur, abiicit?) Ναίειν quidem nare dicunt, nunc autem ναίειν ait eum, qui in excelsis habitat, & intuetur omnia, & arrogantes eorum superbia ductus, abiicit. Et dixisti, Quid nouit Deus: & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra consyderat, & circa cardines cœli perambulat.) Hoc vnum confessus es, eum qui nobis non appareat, intueri omnia, iudicióque suo vnicuique iure tribuere. Cum enim vbiq; Deus sit, & præsens sit omnibus, nihil eum fugit eorum quæ geruntur. Nunquid viam seculorum custodies, quam calcauerunt viri iniqui, qui sublati sunt ante tempus suum? & fluuius subuertit fundamentum eorum. Num tibi notæ & perspectæ sunt prouidentiæ viæ? aut te adhibuit in consilium is qui vniuersitatem administrat, tum cum fecit omnia? Iusti enim ac boni honorem consequuntur: mali autem acres pœnas luunt, rapti ante tempus. Instabiles enim & infirmæ sunt improborum sententiæ, nutántque eorum spes, nulla re firma & stabili nixæ. Cur ergo tu tam magnos spiritus habes, nec Deum honore afficis, sed virtutem iustitiámque tuam prædicas? Qui dicebant, Quid faciet nobis Dominus? aut quid inducet nobis Omnipotens, cum ille impleſſet domos illorum bonis: quorum sententia procul est ab eo.) Ij qui hęc dicunt, fundamenta sua habent quasi aqua profluens. Deus autem eos nullis bonis spoliauit, ne malorum causam & prætextum eis inopia afferat. Nihil vero eorum de quibus mali consultant, cum Dei sententia consentit, sed ab eius æquitate & iustitia abest distátque plurimum. Videntes autem iusti, ridebunt: & innocens subsannabit eos. Nonne succisa est erectio eorum: & reliquias eorum deuorauit ignis?) Quæ enim prosperitates malis animos tollebant, eas cum boni consyderabant, eos ridebant: sed repentè opprimens suppliciũ, eorum statum deleuit, eósque consumpsit, quemadmodum spinas ignis

A ignis conficit. Acquiesce igitur ei: si perferes, fructus tuus erit in bonis. Suscipe ex illius ore legem: confitere, & pone sermones eius in corde tuo.) Fac respondeas, si ex eo quòd respondebis, boni aliquid percepturus es. Fac autem possis, eo inuito, responsum ab illo accipere. Effice vt possis prouidentiæ vias & rationes audire. Si idoneus sis qui exponas, vel eas commemorabis, vel etiam easdem poteris audire. Qui ergo eas ne audire quidem & intelligere per magnitudinem potest, quî tam magnas res proferet? Si reuersus fueris, & te abieceris coram domino, & longè feceris iniquitatem à tabernaculo tuo: pones pro terra silicem, & pro silice torrẽtes aureos. Eritque Omnipotens adiutor contra hostes tuos: & mundum te reddet, vt argentum quod ignis probauit.) Si te abiecto demissóque animo pro elato viderit, tum dices, Quoniam elato animo eram, ita mihi euênit. Disces ergo vias rationésque prouidentiæ, Deum eos qui se abiiciant, solitũ esse efferre, contráque eos demittere & abiicere, qui se efferant. Quod enim excelsum est apud homines, detestatur Deus. Cum igitur te imminueris & abieceris, tum denique certas spes in vita, quasi petra nixus, habebis: affluésque bonis non aliter atque torrens Sophir: splendescésque vt argentum in radio lunæ fulget. Tum tutus eris coram domino, cœlúmq; lætus aspicies. Rogabis eum, & exaudiet te: faciétque vt vota tua reddas. Restituet tibi tabernaculum iustitiæ: & in viis tuis B splẽdebit lumen. Quia me abieci, inquies, superexaltatus sum: & eum qui inclinauit oculos, saluabit. Saluabitur innocens: saluabitur autem in mundicia manuum suarum.) Hęc etiam consentiunt cum superioribus, eandémque habent sententiam. Mundus enim quis declaratur & ostenditur ex Dei iudicio, non testimonio suo. Tum cum fiducia & tutò roga, & obediens quod petis consequêris. Est enim misericordia pręditus: eúmque qui se demittit, & oculos contrahit, neque audet quasi aduersum se intueri, eum salute dignum iudicat. Vt autẽ in sontes animaduertit, sic innocentes liberat: & audiens conseruat eos qui mundis manibus ipsum propitium reddunt. Respondens autem Iob, dixit, Scio etiam quòd ex manu mea est mea redargutio: & manus eius aggrauata est super gemitum meum.) Iis qui quæsierant, An non malicia tua magna est? ipse etiam respondet, Ex iis quæ in manibus patiens habeo, ostẽdor ea iure ac merito perpeti: & præterea plura vobis expono. Nam si ingemuero, maiorem dolorem percipiam: si taceam, nihilo minus laboro. Vos enim ex iis quæ videtis, iudicatis: ego vero iis quibus doloris magnitudinem sentio, eum vobis significo. Cur ergo ex hoc mea accuratius acriúsque cognoscitis? Agite dũ scrutemur potiùs, num res ita habeat. Quis enim mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsque ad finem. Ponam coram eo C iudicium: & os meum repleam increpationibus? Sciámque verba quæ mihi respondebit: & intelligam quid loquatur mihi? Quisnam faciat, vt me audiat, mihiq; respondeat, quo faciliùs causam cognoscam, qua de causa hæc mihi euenerint?

Cap. 23.

Sciámque verba quæ mihi respondebit.) Responsum enim quod dedi ab eo positæ quæstioni, calamitatis erit curatio & remedium: tantum nunc in me est scientia eorum quæ ab eo dicebantur, quæ eadem mihi aperta sunt, non obscura. Quòd si multa fortitudine irruat in me, deinde minaciter me non tractabit. Veritas enim & redargutio est apud eũ: & perducit ad finem iudicium meum.) Me certiorem faciet, causam quam quæro, cur hæc mihi euenerint, non esse præsentia, sed futura. Itaque peto, vt mihi exponatur causa, cur ita mea iudicauerit, tãtum ne me sanguine terreat. Neque enim licet ex iis quæ declarat, nisi verum respondere. Rogo igitur eum, vt non obscurè dicat, sed nudam & simplicem ipsam veritatem, & exploratã rem exponat: id est, non solum me peccasse dicat, sed genus etiam peccati indicet. Si enim etiam ad prima venero, non iam sum: ea autem quæ vltima sunt, scio. Quæ ad sinistram sunt cum fecerit, non tenui. Si ad dexteram se vertat, non videbo.) Tantum ne terrore iniecto faciat, vt finem dicendi faciam. Quid enim etiam sum, vt me celare videatur? Si ea quæ ante me natũ fuerunt, consyderare velim, me, cum non essem, eius potestate factum esse inuenio: Si finem, nescio in quibus sim futurus. Obseruandum est igitur eum credidisse, & certo sciuisse resurrectionem. Nõ enim dixit, Posthac non sum, sed, Nescio in quibus ero, vel, in quo D viuendi genere. Eum enim res prænoscere, ex iis quæ cerno, certo scio: eundémque ea quæ sunt arbitratu nutúq; suo mutare, certo scio: quo autem pacto hæc faciat, non possum dicere. Neque enim sum opifex. Mea autem non periculo & obseruatione scit, sed cognoscit antè quàm fiant. Nam cum sub sensum oculorum nõ cadat natura sua, sic etiam operatur, vt videri nequeat. Ipse enim scit viam meã: & probauit me quasi aurum: vestigia eius sequutus est pes meus: vias enim eius custodiui, & non declinaui à mandatis eius.) Scit enim vias meas, is qui scit omnia antè quàm fiant, nec vt homines qui aliquid ab auro discernunt & distinguunt. Illud autem, Vestigia eius sequutus est pes meus, siue, Incedam in mandatis eius, id quod in nostra est potestate, & quod in potestate nostra non est, declarat. Nam vt simus, non est situm in ipsis nobis, sed in eo qui nos effecit: vt autem præceptis eius pareamus, in nobis situm est, & vt eius leges non prodamus atque violemus. Si vero etiam ipse ita iudicauit, quis est, qui ei respondeat? Ipse enim voluit & fecit. Ob eámque causam eò sum conturbatus: cum autem castigor curæ est: ex eóq; timore solicitor, eúmq; considerans terrore afficior.) Quæ cum ita sint, quis eius voluntati obsistet? aut ea quæ fecit, dabit ei crimini? Eius autem bonitate fretus, do operam, vt ab eo discam quæ causa sit. Si enim non exquisiuissem, fortassis eum offendisse atque auersatus esse iudicatus essem. Sed cur putatis, si mihi responderit, fore, vt peiora deterioráque iudicet? E Probo iudicium: tantum me sermone suo dignum iudicet; túmque faciat quod videtur. Iudicium enim approbo causa cognita, me iure ac merito malis opprimi. Deus molliuit cor meum, & Omnipotens conturbauit me. Non enim sciui me offusum iri caligine, & os meum tenebris.) Deus inflixit mihi hæc vulnera & mala, méque studio verberauit, propterea quòd mihi in vita cauerem, sperarémque me diu esse victurum, futurúmque clariorẽ. Dixi, Ætas mea consenescet, quemadmodum caudex palmæ: diu autem viuam. Nunc verò malorum periculum & sensus qui me inuasit, ne mei quidem videndi mihi facit potestatem, sed quasi ex caligine quadam tenebris traditus sum. Quare ab Omnipotente sunt abscondita tempora? & scelesti homines terminum transierunt, gregémque cum grege rapuerunt? Asinum pupillorum abegerunt: & abstulerunt pro pignore bouem viduæ? Subuerterunt pauperum viam iustam: & oppresserunt pariter mansuetos terræ? & egressi sunt quasi onagri in agrum pro me ad opus suum?) Quoniam me iniustum & improbum iudicastis, quòd calamitatem meam consyderastis, rogabo vos, cur Dei prouidentiam fugerint impij homines, cum terminum transissent: nũ dormiebat, quòd natura non dormiat, an ignorabat, an errabat? an perspicuè absurdum & alienum est, hæc existimare? Cur igitur vos mihi obiicitis, quòd à fratribus pignus abstulerim, cum non possitis conuincere? Ego verò vobis suadeo, & probo iis argumentis, quæ non sint vobis dubia, sed quæ concedatis. Quid tandem dicitis? Cur impij scelestíque homines supplantatio iure & iustitia greges diripuerunt? & pecora pupillorum, ac viduæ bouem? An quòd deum deceperit? At hoc tibi absurdum est dicere. Deus enim decipi non potest. Non igitur vel ex eo, quòd ipse in calamitatem incidi, à vobis iniustus iudicari debeo. Enumerat etiam impiorum sceleratorúmque opera, quòd prius descripta eorum felicitate, commemorauit quibus in rebus impij improbíque esse iudicati sint. Nam post multam diuturnámque suam satietatem, per contumeliam hæc in Deum præbitorem dixerunt, Recede à nobis: vias tuas scire nolumus: Ex quibus manifestò teneri in scelere visi sunt omnibus. Nec sola verba satis sunt ad docendum eos esse eiusmodi, sed cognoscentur etiam ex operibus suis. Hæc cum dixit, merito sermonem ad eos auertit, vt quærat causam: nec opinione, nec sententia ea quæ ipsi obiiciebantur, confirmans. Nam nec illi conscij erãt vllius eius sceleris, & causa calamitatis quęri debuit. Hoc quidem prætermiserant, sed cum ipse contrà quæreret, obiurgabant. Docuit autem beatus vir, vnumquenque non ex iis quæ vider, debere iudicare. Hîc enim bonis & malis communis est vita, communia ea quæ eueniunt: quæ quomodo fiant, solus is certò scit, qui eorum quæ fiunt, habet potestatem. Illud

Cap. 24.

F

G autem, Egreſſi ſunt quaſi onagri, hoc declarat, Vt onagri cum in agrum exierunt, alia deuorant, alia calcant, & perdunt: ſic etiam ſceleſti homines, res & viduæ & pupilli afficiunt. Atque vt illi quòd ſunt rationis expertes, Dei iuſtum iudicium ignorant: ſic hi obliti Dei propter odium & maleuolentiam, de ſtatu mentis dimoti ſunt. Illud etiam, Pro me egreſſi ad opus ſuum, hanc habet ſententiam & intelligentiam: Quemadmodum, inquit, extrà in meos agros veniebam, ſic improbi in agros meos ingreſſi, mea rapuerunt: & cum ipſi metu exterriti etiam mea calamitate caſtigari debuiſſent, ac ratione quadam conſilióque vſi dicere, Ex ædibus illius viri, qui aliquando florebat, atque felix erat, eſt hæc poſſeſſio: abeamus, ne forte ipſi quoque iiſdem malis opprimamur: illi tamen infortunium meum occaſionem direptionis ſuæ eſſe ſtatuerũt, direptis perditíſque meis omnibus. Agrum enim non ſuum ante tempus demeſſuerunt, dederúntque panes ſuos liberis.) Et non ſuos fructus & fruges percipientes, conuiuia latronibus & prædonibus dederunt: tantáque eos auaritia occupauit, vt ne tempus quidem meſſis expectarint, ſed quaſi ex inſidiis, & impetu facto irruperint, rapueríntque aliena. Pauperes impiorum vineas ſine mercede, ſine cibo coluerũt: nudos autem multos ſine veſtibus dormire coëgerunt, & animę eorum amictum abſtulerunt. Quos imbres montium rigant: & quia nõ habent velamen, amplexantur lapides.) Magnum

H eorum ſcelus iis quę exponit, indicat: ſpoliationem detractionémque & alimentorum & mercedis in iis qui eorum agros coluerint, quaſi lex clara & aperta lata non ſit, quæ apertè iubeat, Non priuabis mercede operarium: néque hoc tantum, ſed etiam eos qui in terra dormiebant penuria lecti coacti, neglexerunt, atque id non ſub tecto, ſed ſub dio, cum rori per imbres expoſiti eſſent. Pupillum qui à mamma etiam exciderat, abiecerunt: nudos interfecerunt iniuria: viam iuſtorum non cognouerunt. Eos ex vrbe & ex domibus expulerunt. Animæ autem infantium valde ingemuerunt.) Hæc omnia de improbis facinoroſiſque hominibus narrat, præter modum eorum ſcelera accuſans. Nam neque puerorum ætatem cõmiſerati ſunt, & duri atque crudeles etiam in eos qui ceciderant, fecerunt impetum, & eis qui nulla re ab eis differunt, veſtes detraxerunt, & eſurientibus cibum ademerunt, & in antris abditi cædem faciebant, quòd culpa ſua ignorarent eſſe vnquam iuſtitiam. Itaque non ab eis quæ & in vrbe, & in agris erant, abſtinebant, ſed paſſim omnibus iniuriam inferebant: ne eorum quidem, qui mammas ſugebant, curam rationémque habentes, quaſi feræ quædam crudeles, quòd ſupplicia eis ob oculos non obuerſarentur præ voluntaria iniquitate, inſigniq; improbitatis magnitudine. Ipſe autem cur eos non viſitauit, cum adhuc eſſent ſuper terram, & non cognouerunt: viam iuſtitiæ non intellexerunt, nec ambulauerunt in ſemitis eius. Cum vero eorum opera cognouiſſet, eos in tene-

I bras tradidit.) Quoniam igitur ſceleſtum me iudicauiſtis ex iis quæ mihi acciderunt, cur iis qui ita iniqui ſceleſtíque ſunt, vitæ vſura conceditur? Solet enim ſcriptura, ea quæ nondum facta ſunt, & fieri debent, vt præſentia exponere. Neque enim ea quæ cõmemorata ſunt eueniunt, ſed quæ euenire debent. Ob eámque cauſam, quoniam tot ſceleribus atque flagitiis ſe improbi contaminauerunt, quòd ſe latere & ignorari putarent, qui eorum actiones intuetur, eos in tenebras conieciſſe dicitur. Noctu autem ſimilis eſt furi. Oculus etiam mœchi obſeruat tenebras, dicens, Non cernet me oculus: & operit vultum ſuum, Perfodit in tenebris domos: in die autem condicunt ſibi & ſignant, & ignorauerunt lucem. Vmbra mortis leuis eſt ſuper faciem aquæ.) Quid ita, Similis eſt furi, non, Eſt fur, dicitur? Quia homines quidem latebat, Deum autem non latebat. Si ergo ad eum referatur, nõ eſt fur: ſi ad nos homines, fur. Qui autem quaſi perfodit aliena coniugia, eáque diſſoluit & diremit, quæ rectè coniuncta eſſe dicta ſunt: is tenebras quidem extimuit, Deum autem nõ extimuit. Vt etiam prędo ipſe alienos labores ſurripiens, homines obſeruat, Deũ qui intuetur, non timet, ſed operit faciem ſuam, ac tum denique ei metus incutitur. Qui enim Deum deſeruit, vmbram etiam ſuam metuet, omníſque creata natura cum homine eiuſmodi inimicitias gerit: horribiliſque ei eſt altrix qua prius vſus eſt, propterea quòd nullum à Deo habeat prędidium. Itaque conſcientia ſcelerum impulſi, interdiu latent, quòd omnis qui mala agit, odit lucem, vt non arguantur eius opera.

K Quocirca leuibus eſt moribus prędítus, ſonúmque metuit, & facile comprehendi poteſt, quippe qui nudatus ſit à Deo.

Maledicta ſit pars eorum in terra: appareant autem arbores eorum aridæ in terra: faſciculos enim pupillorum rapuerunt: rurſus eorum peccatum commemoratum eſt: & quaſi roris nebula diſſipati ſunt: tribuatur ei ſecũdum ea quæ geſſit, conteratur omnis iniquus quaſi lignum infructuoſum.) Hæc omnia declarant & Dei iuſtitiam, & ſceleratorum ſupplicia, & Deum non contemnere hominum actiones, etiamſi tempore improbos ſupplicio coërceat. Sterilis enim nõ eſt miſertus, nec eius qui caret vxore.) Nam & ſterilis procuratione digna eſt, propter penuriam liberorum: & cœlebs miſericordia dignus, quòd domi nõ habeat qui miniſtret. Cuius enim, inquit, non eſt vxor, ingemiſcet errans. Furore pauperes euertit.) Eiuſmodi enim homines ira incitantur, qui nec Dei notitiam habent vllam, nec prouidentiam imminere arbitrãtur & ſupplicium, ſed motu inconſyderato & à ratione auerſo noſtra adminiſtrari exiſtimant. Cum ſurrexit, ne certam ſpem habeat vitæ ſuæ: & æger, ne ſperet ſe eſſe conualiturum: ſed † ex morbo interibit. Multos enim afflixit eius exaltatio: & emarcuit quaſi herba æſtu, vel vt ſpica quæ temerè à culmo cecidit.) Qui ergo ita arrogans habetur, is nec cum valet, ſe mortem vitaturum eſſe exiſtimet: veniet enim ipſa nec opinato: nec cum morbo afflictabitur, eius ſperet liberationem, ſed tetrum dirúmque finem expectet, quòd multos arrogan-

L tia ſua afflixerit. Sua enim nimium magna felicitate exareſcet vt arbos: & vt herba ſolet à ſole, mareſcet, cadétque repentè velut ſpica ex culmo ſine vllo meſſore. Quòd ſi non eſt ita, quis me poteſt arguere eſſe mentitum, & ponere irrita verba mea?) Quiſnam eſt, qui de me falſam gloriam prędicabit, ſermonémq; meum, vt minimè verum refutaturus, me refellet, cogétque me finem dicendi facere? Reſpondens autem Baldad Suhites, dixit, Cur eſt proœmium ab eo in ſermone?)

Syri dicunt, Quidnam metus exorditur, impellítq; in timiditatem eum, qui iudicaturus eſt, vt iudices noſtri? Quod ait, eſt eiuſmodi: Cur Deum timere exiſtimas ea, quæ ais, vt tibi reſpondeat? At te non metuet. Qui facit vniuerſitatem, in excelſo eſt.) Nolim putes Deum quicquam fugere: quandoquidẽ ipſe in cœlo eſt, tu in terra. Non enim Deus eſt in loco, neque extra ea quæ ſunt. Ne quis enim exiſtimet, eſſe remorationem & dilationẽ prędonibus. Super quos autem eorum non veniẽt inſidiæ ab illo?) Propriè & aptè vſus eſt Sapiens inſidiarum vocabulo: Sicut ij qui repente inſidias faciunt, ſurgunt: ſic etiam Deus omnem ſimul pœnam immittit impiis & iniquis. Quomodo enim eſt iuſtus homo coram domino? aut quis mundabit ſeipſum natus de muliere?) Si quòd es, à Deo habuiſti, & quòd bonus es, ab eodem, & quòd ma-

M lus, à moribus, conſilio quidem tuo & voluntate, illius autem permiſſu: tu qui nihil es, cur de te magnificè ſentis? Si enim te eſſe non vult, neque es. Cœlum non eſt mundum. Qui dicit ſoli, & non oritur: & præcipit lunæ, & non ſplendet: & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius.) Si in eius poteſtate ſunt ea quæ æterna ſunt: quid magnum & mirum, ſi in te habet imperium, qui breuiſſimus es ad cœlum & aſtra, cum ne hæc quidem aliquid ſint ad illum? Illa enim effecta ſunt, ea autem effecit ipſe. Non munda igitur ſunt, non quidẽ ratione, vt ita dicã, conuerſationis, ſed ad effectoris dignitatẽ. Quanto magis omnis homo, qui eſt putredo, & filius hominis, vermis?) Hæc ait, non quòd naturam paruifaciat, ſed quòd Deum efferat, quòd nos cariei & vermis inſtar ad eum ſimus, & caduci quidam, atque ad breue tempus duremus: ille autẽ ęternus & fine caret. Quis ergo ei dicat, Cur ita iudicaſti? aut quãobrem feciſti, quod volebas? Reſpondens autẽ Iob, dixit, Ad quem accedis? aut cuius adiutor es?) Cũ enim dixiſſet Baldad, Deus iuſtus eſt, & non aliter feciſſet, Deúmq; efferret laudibus: Iob exordiens ait, Pro quo tibi dicendum eſt, niſi pro Deo, cuius eſt in orę tuo ſpiritus? Quoniã enim firmis rationibus vſus eſt, vt firmas etiã ipſe vult refellere. Baldad quidẽ verba hæc erãt, Neq; quòd es, ab aliquo alio, nec quòd bonus, aliũde habuiſti, niſi à Deo: & quòd malus, niſi eius cõceſſu. Cúmq; docuiſſet, nihil eum eſſe, niſi Deus velit, dat ipſi Iob facultatem, cùm iis ipſis, quæ cõmemorauit, vſus etiam erit, dicendi, verba cũ recte facere. Itaq; non relinqui ei locũ accuſandi ſui. Eum enim

A etiam quòd sit, habere à Deo, & quòd vocis instrumentis ad verborum pronunciationem vtatur. Si enim Deus noller, neque eum habiturum esse, neque loquuturum. Iraque ait, Ad quē accedis? aut cuius adiutor es? Nonne ei, cui est magna fortitudo, & cui brachium forte est.) Cui dedisti consilium? nonne ei, cui est omnis sapientia? aut quem sequêris? nonne eum etiam in quo est maxima potentia? Quem docere voluisti? Spiritus autē cuius est, qui exit à te?) His enim Iob docet, Baldad non eum rectè attendisse, sed solam vnius potestatem. Quibus ergo verbis cum Iob disputare voluit, iis etiam ipse disputat. Non enim ait, Vnde Verbum? nonne à Deo? aut Spiritus tuus à quo est? nonne à Dei consilio? & ab eo tua in vita mansio? Nonne gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis?) Tu quidem ad me disputarionē peruenire voluisti, & in me consistere. Ego verò etiam à magnis rebus tibi probabo Dei potestatem. Num hi qui omniū sermone celebrantur, ab alia potestate statum habuerunt? num natura aquarum, aut profundum eos peperit? An non & ipsi, & hæc Dei voluntate nutúque constiterunt? eiúsque potestas illis, vt quandiu velit permaneant, dedit? Syri autem pro μαιωθήσονται, id est, gement, siue adiuuabunt, ματαιωθήσονται, id est, euanescent, ediderunt, & aiunt: Non enim gigantes euanuerunt, si māserunt sine peccato, nec frustra sub aquis supplicio affecti sunt & perierūt, inquit, magni illi viri, B sub aqua propter scelera sua, aliorúmq; in alios iniurias. Nudus est infernus coram illo: & nullum est operimentum perditioni.) Nihil eum fugit: neque est quicquam eorum quæ sunt, ei abstrusum: sed omnia nuda & aperta sunt in cōspectu eius. Quibus hæc subiicit, Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appēdit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, & non erumpunt pariter deorsum. Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nubem suam.) His enumerandis docet tenere & complecti omnia Dei consilium & voluntatem. Nam nec motus halitus, neque aëris mutatio, neque nubium æquabilitas, neque humor aquæ, neque pondus grauitásque terræ, neque ignis leuitas, neque horum inter ipsa amicitia & cōcordia manere potuisset, aut confundi, nisi Dei voluntas ea colligasset. Quinetiam ea quæ ita sunt inter se contraria, in vnam conspirationem miscuit, vt neque ab aqua restinguatur immensus ignis, neque à consumptore omnium igne ea quæ comburi possunt, incendantur: nec graue terræ elementum, quod deorsum fertur in nihilum cedens vertat omnia, sed nixum habeat terra Dei voluntatem: eíque adiunctus sit aër, qui vitalis est, omníque corruptioni quæ in ipso inest, perpetuo motu medetur: aëri continens sit ignis, qui omnia refrigerari non sinit. Atque horum ipsorum quatuor elementorum naturalis inter ipsa mutatio, & ex eis etiam animantium ortus, non alio modo extitisset, nisi vis diuina vnumquodque efficeret, atque fingeret, etiamsi elementa C ipsa effecerit, cum ante ortum suum non essent. Qui tenet vultum solij.) Cœlum ipsum intelligi & accipi debet, quod Deus nubibus occultat sapientia sua: vel vt alij censuerunt, potestates, quas principibus exhibet. Terminum circundedit aquis.) Murus enim aquæ est Dei voluntas, vallúmque tutissimum, vt scriptum est, Et aquæ non præteribūt os tuum. Nam aqua quidem est in mari, in fluminibus, in paludibus, in fontibus, in fossis: Dei autem voluntas etiam eius quasi columna & firmamentum: & interdum ex mari pluit, interdum ex cœlo. Qui vocat aquas maris, & effundit illud super faciem terræ. Et rursus, Congregans sicut in vtre aquas maris: & ponens in thesauris abyssos. Interdum enim ex cœlo. Aperiet enim tibi, inquit, Dominus thesaurum suum bonum ipsum cœlum: & dabit tibi pluuiam suam, si timueris dominum Deum tuum. Vsq; dum finiatur lux & tenebræ.) Dies enim & nox, lux & tenebræ, sol & luna, atque stellæ nunquam finem facient ordinis sui & descriptionis, vsque ad finem seculi: neque verò hyems ver transiliet, neque æstas autumnum, quòd Dei volūtas præsit, terúmque omnium quasi habenas teneat. Tuus enim est dies, & tua est nox, tu fabricatus es solem & lunam: æstatem & ver, tu plasmasti ea. Et iterum, Semen & messis: frigus & æstus, die & nocte non requiescent. Præceptum, inquit, posuit, & non præteribit. Et, Non præteribit verbum eius. Columnæ cœli volant, & pauent ad increpationem eius.) Vt enim cum cœlum facit, ait, Ego omnibus stellis præcepi, vt luceant, sic eorum euersio- D nem volatum appellat. Vt enim columnas sedem firmamentúmque dicit: ita volatum eorum transitum. Dictum est autem de terra: Ego firmaui columnas eius, pro, munitas tutásq; reddidi. Qui fundauit terram super stabilitatem suam, nō inclinabitur in seculum seculi. In fortitudine sua sedauit mare, & scientia sua percussit cete. Eius vi & mare factum est, & quæ in ea sunt omnia. Hoc enim mare magnum & spaciosum: illic reptilia, quorum non est numerus: Animalia pusilla cum magnis: in his etiam balena eius sapientia nat in profundo. Vectes cœli timuerunt eum.) Vt portæ, sic etiā vectes, siue claustra. Vectes autem cœli intelligendi sunt. Vim enim quæ illud continet, vectem siue claustrum per tropum nominat. Præcepto interfecit draconem desertorē.) Draconem quidem eum appellat à conatu & impetu: desertorem autem à maleuolētia & scelere, quo à bonitate discessit, & detrectat imperium & seruitutem. Seruus quidem cum sit vt opus, & contumacia impulsus domini nomen non admittat, se ipse dominum dicit. Mortem verò dicit statum & conditionem deteriorem præstantiore amissa. Syri autem hoc non de diabolo dici censent, sed de dracone qui sub sensum cadit: desertorem verò eum appellari, ex maxima cursus celeritate, qua in fuga vtatur. Hunc ergo præcepto & voluntate sublatum esse de medio, ne celeritate noceat faciátque iniuriam. Quandiu quidem vult ipsum esse, est: cum autem in- E terficere eum vult, satis ei est voluntas. Nam nos quidem id quod fit, arte facimus, velut exempli causa, domos aut aliquid aliud, quòd naturam ipsam indissolubilem facere non possumus. Deus autem etiam naturas ipsas in id quod vult, vertit: qua re potestatis suæ vim declarat, vt in tribus pueris vim ignis commutauit, ita vt eos qui in fornace erant, sine malo saluos & incolumes seruauerit, eos autem qui extra erāt, consumpserit. Ecce hæc sunt partes viæ eius: & cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis scit quando tonitruum roboris fortitudinísque suæ faciet?) Sic aliquis cogitans & reputans, principium habere potest cognoscendæ Dei potestatis, quemadmodum ex halitu & respiratione aquæ tonitru eius vis existat: cum vero sonus tonitru editur, quis cogitando nō obstupescat? quis porro dignè vim eius qui vniuersitati præest, intelliget? quemadmodum aqua eliciatur, vt nubes cogatur & absoluatur, nodóque quodam vincta impulsu vísque ventorum non rumpatur? Deinde vt ignis superior cum elicitur & exprimitur, fulgur efficiat: subiectæ autem nubes conflictu mutuo tonitru insitatum edant, significantes Dei minas, & terrorem afferentes, vt scriptum est, Fulgura multiplicauit & conturbauit eos: prius tutam etiam hoc modo reddēs hominum imbecillitatem. Ante tonitru enim fulgor præcipitat, ne sonus, si simul & confertim ederetur, stuporem hominibus afferret. Cum autem fulgure antea tutam reddidit, plurimum timoris discutit prouidentia sua: deinde quasi confirmata natura, tonitru edit. Vox tonitrui in F rota. Et rursus, Et tonuit de cœlo dominus: & altissimus dedit vocem suam. Cum ipse hoc loco finem dicendi fecisset, fecissétque tertio amico (is autem erat Sophar Naamathites) respondendi potestatē, consyderandíque ipsum vi rationum tacuisse, atque cum ipso alios etiam amicos obstupefactos, ita vt nihil responderent: ipse rursus partes sermonis explet alio modo. Superiore enim sermone cum rationes viásque prouidentiæ exposuisset generatim, nūc in partes eas tribuit, quæ eædem rursus etiam sunt genera. Generali ergo prouidentiæ ratione exposita, ad partem disputationē accommdat. Addidit quoque Iob ad principium sermonis, & ait, Viuit dominus, qui ita me iudicauit: & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animā meam.) Verba autem faciens de prouidentia, quasi à iureiurando incipit: hoc tamen prudēter facit, docens nihil se falsi definiturum ac decreturum esse, sed vera & perspicua omnia. Viuit dominus) is qui verè viuit: is qui à nemine vitam nactus est, sed natura viuit, & omnis vitæ est administrator & præbitor. Indicat etiam prouidēriam, ac tertio loco suum in Deum animum studiúmque declarat. Quanquam enim se ab eo iudicari, & calamitatis acerbitate opprimi intelligebat, tamen gratias agens, & fiducia libertatéque vtens, vult causam cognoscere. Pro quibus ergo dolēs Deo gratias agit, iis diabolum oppugnat: extiterúntque gra-

Cap. 27.

tiarum actionis verba quasi iacula emissa in aduersariũ. Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis: non loquentur labia mea iniquitatem, neque anima mea in me meditabitur iniqua. Quod ait, hanc habet sententiam: Quandiu, inquit, in me inest animus meus, & spiro, ducóque hunc aëra viuus,& motus meos habens, nunquam aliud cogitabo, aut loquar, nisi de agendis semper Deo gratiis. Nec vero alia cogitabo, alia loquar. Iniusti enim hominis est, alia mente agitare, alia ore proferre. Absit à me, vt iustos vos esse iudicem donec moriar. Non enim recedam ab innocentia mea. Iustificationẽ meam quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in vita mea.) Hæc autem ait, eos refellens, quòd cum nihil eum mali admisisse scirent, tamen iniuria eum sentẽtiam tulissent. Quoniam igitur alia in pectore de eo habebant, alia autem dicebant, iure ac merito eos iniquos & simulatores vocat. Non tamen ego, inquit, vobis cedens, innocens esse desinam: neque aliud gerens in pectore, varia verba proferam, sed animi cogitationibus consona. Hoc enim non ficti & simulatoris hominis est, & simplicis proprium. Deinde quasi alius obiecisset, Quid ergo? si quis non loquatur, quod suggeritur, isne malus esse videbitur? Non ille, sed si quis non aliud sentiens, aliud loquatur. Ego enim nihil me sceleris admisisse scio, nisi si quid imprudens feci, quod scit Deus: ídque vt sciam, peto. Verumtamen si sint inimici mei vt euersio impiorum:& aduersarij quasi perditio iniquorum.) Simulatores, inquit, æquè ac impij, pœnas luent. Cum eis enim partẽ accipient. Quæ enim est spes impio, vt sustineat?& qui non confidit in domino, si fortè saluabitur? Nunquid Deus audiet deprecationẽ eius? aut cum venerit super eum angustia, nunquid habebit fiduciam coram domino? aut quomodo inuocante eo eum audiet?) Quod ait habet hanc sententiam: De eo enim sermo est. Spem nullam habet nefarius homo, cum Deum deseruit. Neque enim rogabit, quippe qui contemnat, etiã si eum calamitas aliqua opprimat. Quoniã non amore voluntario ductus rogat, eum non audiet. Cuius enim in ignoratione erat, is quonam pacto illius rogator est? Sed docebo vos quid sit in manu domini: quæ Omnipotens habeat. Ecce vos omnes nostis: cur ergo vana vanis additis? Hæc est pars hominis impij apud dominum: & furor violentorum, quem ab Omnipotente suscipient.) Exponam, inquit, vobis Dei potentiam. Intelligetísque nec ita multò pòst, ne Deum quidem vos recepturum esse, ob ea quæ contra ius in me dixistis. Cum enim probè sciatis nihil à me vnquam contra ius & æquitatem actum esse, non rectè mecum verba fecistis. Planè autem scitis, improbi malignique molitionibus & factis similem etiam esse remunerationem. Non enim si ea quæ ad me pertinent, ignoratis planè vos æquitatis rationem habere. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt: Si vero etiam ad virilem ætatẽ peruenerint, emendicabunt panem. Qui reliqui fuerint ex eo, dira morte occumbent:& viduarum eorum nemo miserebitur.) Hæc, inquit, omnia scelesto homini euenient, orbitas siue priuatio liberorum, viduitas, pupillorum multitudo, paupertas, morbus, mors. Si cõgregauerit quasi terram argentũ,& sicut lutum aurum præparauerit: hæc omnia iusti vẽdicabunt: & argentum innocẽtes obtinebunt.) Non quòd bonorum præmium malorum diuitiæ erunt, sed quòd ipsi in res necessarias pecuniarum vsum profundent. Hoc enim est fructum ex eis percipere. Improbi autem solum coaceruantes pecuniarum pondus & multitudinẽ, onusti & põdere pressi magis quàm fruentes, quasi ebrij, non modo non lætantur, sed etiam molestiam malúmque perferunt. Euênit domus eius sicut tinea, & sicut aranea eius diuitiæ.) Nam neque ipse ei vllo modo iuuabitur, neque quisquam alius vtilitatem percipiet. Tinea vero & corruptio eius bona possidebunt, erúntque in vtilia: quemadmodum etiam tela aranearum nulli alij est vsui.

Diues cum dormierit, non auferet: aperiet oculos suos, & non est. Cum dormierit, apprehendent eum quasi aqua, dolores: nocte opprimet eum tempestas. Tollet eum ventus vrens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco suo. Et proiiciet eum & non parcet:& in manus eius fugiens fugiet. Stringet super eum manus suas:& sibillabit super eum intuẽs locum eius.) Vt ij qui in somno diuitias congerere videntur, cum putarent gaudium adesse, expergefacti quàm inani spe se dormientes pauerint intelligunt: simul enim cum somnio etiam abundantia sperata euanuit: sic etiam ij qui in mũdo hoc diuitiis affluunt, cum hinc migrauerint, nihil amplius quàm ij qui in somniis se collocupletauerunt, habebunt: sed hunc vnum fructum percipient, multitudinem dolorum, & tortorum, qui ab eis pœnas & supplicia repetent. Quibus in suppliciis nemo eis præsidio erit, non stipatorum, non eorum qui thesauros custodiunt, sed vacui quidem exinanitique pecuniis, nudi autem omni præsidio exhibebuntur & sistentur, tenebræ verò eis porrectæ erunt ad supplicium. Atque vt æstate & meridiano tempore cum febris augetur, insanabilis est propter offusum calorem, nisi aliquod præsidium accesserit: sic etiam sibi ipsi quasi supplicij instrumenta erunt. Aut, quemadmodum aridum lignum facile à quouis vento impellitur, quòd humore careat: sic isti, quòd statum firmum non habeant. Neque eis consuletur, aut misericordia concedetur. Quandiu enim permittebãtur, superiores erant eius, qui permittebat, potestate. Cum autem impediti sunt, perfecto expletóque modo peccatorum, euanuerunt, neque eorum memoria superfuit, quandoquidem nihil boni disseminauerunt. Itaque subiicit. Habet argentum, venarum suarum principium:& auro locus est in quo conflatur. Ferrum enim de terra tollitur: & lapis solutus calore in æs vertitur. Ordinem & locum posuit tenebris,& temporum ipse finem considerat.) *Cap. 28.*

Diuersam dissimilémque vtilitatẽ, quæ ex terra percipitur, exponens, vsúmque docẽs, planum facit, omnia ordine administrari, cum modum præscriptum habeant, Nam nec argentum splendidum, nec aurum illustre nec ferrum durum& firmum, nec æs nitidum sine Dei nutu & voluntate efficitur. Nemo enim eorum quæ sunt, alius opifex ita loquitur, vt ipse Deus, Meum est argentum,& meum aurum. Quin & tenebris locum constituit, vt terminũ præscriptum circundatúmque non prætereant: & diei mẽsuram ac modum. Omnia enim terminum habẽt eius qui hanc rerum vniuersitatem administrat, volũtatem. Ego enim, inquit, Deus, qui feci lucem & tenebras. Lapidem quoque caliginis,& vmbram mortis: diuisionem torrentis à puluere. Qui autem obliti sunt vias iustitiæ, ex tonitru imbecilles facti sunt.) Hæc etiam regulæ sunt & termini eius qui præscripsit. Nam & lapis in tenebris positus est: vbi non mors, sed vmbra mortis: & mensuram torrentis ei constituit. Si enim ab eo numeratæ sunt guttæ pluuiæ: quanto magis torrentium motus dimensus est, etiam si subito obiectam terram superent & erumpant? Quòd si in natura, quæ non est sensus particeps, tamen tam certus ordo valet: quanto magis in ea quæ rationis est compos, & animo prædita, valebit? Omnes verò, quos iustitiæ Dei cepit obliuio, omni calamitati opportuni fuerunt. ἠσθένησαν porro, id est infirmi facti sunt, pro ἐσαλεύθησαν, id est, concussi sunt & commoti, positum est. Terra, de qua oriebatur panis.)

Supra quasi diuisis tributisq; in genera & species prouidentiæ viis & rationibus, nunc quasi genus terram subiicit, speciésq; enumerat, docens declaránsq; hac ex parte Dei sapientiam simul & prouidẽtiam, eiúsque vim, quæ horum est effectrix. Cum igitur terram nominauit, orbem terrę ostendit: tũ etiam ea, quæ illa cõplexu suo continet, quæ aut ad vsum, aut ad molitionem, aut ad valetudinem & ornatum, delectationémve concessa sunt, enumerat his verbis, De qua oriebatur panis. Panis enim cor hominis confirmat. In loco suo igni subuersa est.) Nam pars quidem eius ignem edit & emittit, pars autem calorem exprimit ad remedium morborum omnium generum, quòd Deus ita præscripsit, vt ignis sit non solum in superiore aliquo loco, sed etiam circum æthera atque stellas, & præterea in his naturis omnibus, vt in ferro, in ligno, in lapide:& sub terra aliàs fumet, aliàs ardeat: qui quãquam supera loca suapte natura petit, tamen Dei nutu cohibetur. Locus sapphiri lapides eius: & color eius aurum.)

Etenim ei tributum est, vt gemmas aurúmque ipsum ex se fundat & gignat:& præterea partim regũ gloriã, partim mulierum quæ ornatu delectantur, magnificentiã. Postea vero quàm docuit deũ in terra multa atque varia excellẽtia fecisse, deinceps hæc subiicit: Semitam ignorauit in ea auis, nec intuitus

A tuitus est eam oculus vulturis. Nõ calcauerunt eam filij arrogantiũ,nec pertransiuit per eã leo.) His verbis significat quasdam terræ partes incoli nõ posse, & inaccessas esse atque periculo incognitas & hominibus & bestiis,tũ volatilibus,tum terrenis: vt exempli causa zonas, siue cingula quæ vocantur, quæ ardore deflagrãt,vt solitudinẽ ipsam,& loca ad Aquilonem quæ frigore obrigescunt,aut etiã Oceanũ ipsum,in quo non in insulã,non in vrbem, non in aliquid aliud constanter ac tuto hominibus aditus patet, quæ omnia aut propter frigoris intemperiẽ,aut caloris incõmoda, aut terræ inconstantiam incoli habitariq; non possunt,quòd Deus non solũ vtilitati nostræ cùm ea faceret,consuluit, sed suæ etiam sapiẽtiæ rationem habuit. Vt enim inaccessam terrã fecit,sic etiã mare non nauigabile:atque vt nobis commodã aquam præbuit, sic immensam in æthere & in firmamento fecit. Qui firmat, inquit,in aqua palatia sua. Itaque à Iudith fœmina sapientissima in precibus dictum est, Creator aquarũ rex omnis creaturæ. Ad silicẽ extendit manũ suã:subuertit à radicibus montes. Riuos fluminum excĩdit.) Quoniã ante de terra quæ non habitatur, disseruit,docuítque ne magnos quidẽ, & qui sapi-B entes habiti sunt,atque eos,qui ea quæ visa & comperta non sunt narrant,maxima singulatíque sapiẽtia potuisse terræ latitudinẽ ac longitudinem traiicere,& obire,nec omne maris profundum,aut spacium,propterea quòd homines Dei opera circunscribere non possint:deinceps subiicit, Nã hæc quidem etsi ab eo facta sunt,tamen eius qui effecit,voluntati nõ resistunt,sed cũ ipse vult,sunt & permanent:& cum vult,dissoluuntur & intereũt: quibus rebus eius potẽtiæ magnitudinem declarant. Nam & excelsos montes ex gradibus euellit, & aquarum colluuiones vorticésq; Charibdis dirupit. Potestas enim ei est volũtas. Et omne preciosum vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorum reuelauit: & virtutem suam in lucem produxit.) Nõ suã narrat felicitatem, sed eorũ quæ à Deo effecta sunt,notitiã. Lætus ait eũ flumina exhausisse potestate sua: & lucem quæ splenduit, eorum profundũ monstrasse,velut in Ægypto,cum mare vsque in profundũ suũ diuisit,fecit vt sol colluceret:& in Palæstina cum Iordanem diuisit, omniáque eius flumina exiccauit. Increpuit enim mare, & siccauit illud. Et alio loco,Tu siccasti fluuios Ethã. Et rursus,Posuit flumina in desertum:& terrã fructiferã in salsuginem à malicia inhabitantium in ea. Sapientia verò vbi inuenitur?& quis est locus intelligẽtiæ? Nescit homo viã eius,nec inuenitur in hominibus.) Vnũquodque eorũ,quę dicta sunt, ex loco & accõmodata natura eruitur, vt aurũ, & cætera:sapiẽtię autẽ nullus est locus. Neque enim in finibus,aut in vno loco inuenitur,vt aliquis eò currens eam nãciscatur, aut rem C aliquam ea permutet. Non enim eadem est sapiẽtiæ aliarúmque rerum possessio. Si quis enim amorem conciliet eius,qui omnia quæ enumerata sunt effecit: is ab ea non abhorrebit. Ad eum enim illa curret,cum eo habitabit,sapiénsq; ab ea effectus,rerum omnium opificem intelliget ac perspiciet. Habet enim eam vim animus noster,vt ea quæ Dei sunt noscat, quòd ita eũ effecerit. Itaque cùm præceptis ac lege teneatur, aut cõdemnatur quòd non rectè violauerit, aut tutò promissum accipiet,quòd præceptis paruerit. Abyssus dicit,Nõ est in me:&mare loquitur,Non est mecũ. Non dabit aurum obrizum pro ea:nec appendetur argentum in cõmutatione pro ea. Non conferetur auro Suphit, nec lapidi sardonycho preciosissimo,vel sapphiro. Nõ adæquabitur ei aurum,vel vitrũ: nec cõmutabuntur pro ea vasa auri & argẽti. Excelsa & eminentia non memorabuntur cõparatione eius:trahe sapientiã super intima. Nõ adæquabitur ei topazius de Æthiopia: nec auro puro & mundo cõponetur.) Nihil horum,quæ in terra optima præstantissimáq; habentur sapientiæ cõparari potest, non abyssus,nõ lapis,non maris congesta profunda, nõ eius moles eã circunscribere,nõ splendor,vel auri fulgor,non gẽmarum Indię admirabile spectaculũ,quod in oculos intuentium splendorem emittit, neq; res omnium pulcherrimæ & præstantissimæ,non cœli altitudo,non terræ latitudo vnquã sapientiæ exæquabitur:non perlucidũ & mundũ vitrum. His enim omnibus infinitis partibus præstat sapiẽtia. Vnde ergo sapientia inuenta est? aut quis locus scientiæ, quis intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium: volucres quoque cœli latet. Perditio & mors dixerunt, Auribus nostris audiuimus famam eius. Dominus intelligit viam eius, D & ipse nouit locum illius.) Neque enim sub sensum cadit sapientia: nec manibus aut pedibus comprehenditur: neque humana intelligentia percipitur: sed eam dat Deus, qui etiam solus eam potest iis, qui idoneíque sunt, concedere, vt scriptum est: Ipse enim est sapientiæ dator, & sapientum director. Et rursus, A te est sapientia, & virtus, & intelligentia. Neque enim in loco inuenitur, neque in cogitationibus eorum qui sapientes videntur. Non in aëre volat, non in terra abstrusa est, non vna cum mundo voluitur: sed ex cœlo hominibus qui amore & charitate diuisoris præditi sunt, eiúsque desyderio tenentur, à Deo tribuitur, qui & cum metu ab omni malo se abstinẽt, & desyderio omne bonum perficiunt: ac malorum quidem supplicia declinant, bonorum autem præmium coronásque consequuntur. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia quæ in terra sunt quæ fecit respicit.) Nihil enim eum fugit, cum sit effector vniuersi, quæque in tenebris sunt, sciat. Et lumen cum eo est, id est, obscura & aperta: Nota enim sunt eius opera à seculo. Qui fecit ventis pondus,& aquas appendit in mensura. Cum fecit, tunc vidit. dimensus est etiam viam in expressione vocis: tunc vidit illam & enarrauit, & prẽparauit, & inuestigauit.) Qui enim omnium rerum naturam fabricatus est, is scit omnia,pondera,mensuras, & numerum con- E stituens suis operibus. Vt autem vox, cum aëra percussit, sensum auditui mittit ad audiendum: sic omnia scientia & cognitione effectorem ipsum prædicant. Nam & auditum excitat ad sensum aër, qui per medium pellitur: & res creatæ conditorem vniuersi per medium declarant. Cœli enim inquit, enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Deus autem qui sapiẽtiæ vim adeptus est, eam iis qui digni sunt, exposuit ac dedit,cum dixit,se notum esse iis qui se metuunt, & familiarem iis qui se diligunt. Non enim vt cætera, sic hæc inuenitur. Et dixit homini, Ecce timor & religio Dei est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.) Qui enim colit Dei religionem,is sapientia est præditus: & qui turbam malorum declinat, is doctus est ac præditus scientia, is amicus est Dei fidelis, verúsque seruus. Hoc loco rursus finem fecit dicendi, quòd speraret aliquem ex amicis sibi esse responsurum. Cum autem neminem ad dicendum paratum esse videret (admirati enim cum stupore prouidentiæ vias atque rationes, euidentésque probationes, partim cum voluptate, partim metu exterriti, taciti audiebant) hæc deinceps addens ad superiorem sermonem, dixit: Beati Iob amici eum peccati condemnauerant propter eam calamitatem, quæ recens ei euenerat. Itaque multis rationibus docuit,non ex iis quæ videtẽtur, eis de suis rebus esse iudicandum, sed ex eis quæ ipsi comperta & explorata haberent. Quoniam autem non persuadebat iis rationibus, qui- F bus probabat, nunc in sermonis exordio Deum precatur, vt sibi vel mensem dierum pristinæ felicitatis concedat, vt eos qui ipsum sceleris condemnauerant, refellat. Si enim ex iis quæ ei acciderant, iniustus & improbus ab illis iudicatus est, certè ex iis secundis rebus, quibus vsurus erat, iustus ac bonus cognosceretur. Sed quid est quamobrem non hinc iudicium eorum nullum fuisse doceretur, quòd eum qui peccator habitus esset, rursus iustum ac bonum vocarẽt? Ait enim.

Cap. 29. Quis mihi tribuat,vt sim iuxta menses pristinos,secundum dies, quibus Deus custodiebat me?) Quod ait, hanc habet sententiam: Quis mihi det dies aut mensem superiori meæ felicitati similem, aut respondentem,vt persuadeam eis qui me condemnarunt, eos non verè ex calamitate de meis rebus iudicasse, sed oportuisse vnà mecum causam quærere. Hoc enim tutum & certum fuisset. Quando splendebat lucerna eius super caput meum: & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ:quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecũ:& in circuitu meo pueri mei. Quando lauabã pedes meos butyro:&montes mei fundebant mihi riuos lactis. Quando procedebã ad portam ciuitatis,& in platea parabãt cathedram mihi.) Cum inquit, clarus & illustris eram:cum in vita mihi res prosperè eueniebant: nec mihi quicquam

aduersi accidebat, cum res meæ plenum me copiosúmque reddebant: cum in pecuniarum abundantia dormiebam: cũ virorum magnus me numerus assectabatur, quorum partim antecedebant, partim sequebantur, eorúmque alij vrbani erant, alij familiares & domestici: cum tantus mihi & ouium & boum erat numerus, vt eorum lacte montes perfunderentur, & per vias pluuię instar lac flueret. Hoc autem per hyperbolen quidem dicitur, vt illud, Quasi arena quæ est in litore maris, quæ non numerabitur: ad veritatem autem, quòd ita accideret, vt ij qui ex abundantia transferrent, & in montibus, & in viis etiam inuiti lac effunderẽt. Exposita verò paulo antè pecuniarum vi & copia, deinceps mentionem necessario facit etiam earum administrationis, docens, se non neglexisse boni & æqui custodiam, sed prima luce egredi solitum, & defendere eos qui opis indigerent, sectantem etiam solium, vt ius eis qui in iudicium venirent, redderet. Videbant me iuuenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.) Peritè etiam hoc loco & doctè ordinis ætatum dignitatísque mentionem facit, docens se principis atque omni ex parte regis instar fuisse. Alij enim, vt adolescentes pudore se occulebant: senes autem non cedebant quidem, sed assurgebant, honorantes dignitatem. Qui autem mediæ ætatis erant homines, silentium, obseruantiam, digito ori admoto, præferebant, dum cæteros in officio continent. Docet autem & declarat, se in tanto comitatu, tamen iustitiam parem excitauisse, nihílque damni & mali in animum propter res secundas induxisse, id quod multis vsuuenit, qui satietatem abundantiámque bonorum non ferunt, sed summis bonis iniuriam vímque afferunt. Neque enim facile homines se rebus secundis in officio continent. Parit enim licentiam satietas, cum magna felicitas viget. Auris audiens beatificabat me: & lingua eorum gutturi adhęrebat quòd auris audiuisset, & beatum me prædicauisset. Et oculus videns deflectebat, eo quòd liberassem pauperem de manu potentis: & pupillo, cui non esset adiutor, subuenissem. Benedictio perituri super me veniebat: & os viduæ benedixit me.) Non dixit, Timebant. Charus enim erat omnibus, vt beatus diceretur: Pudore etiã & reuerentia quam in eum habebant, linguam suam taciturnitate refrænabant: nec in eum oculorum aciem intendere audebant, propter summam quam de se illis excitauisset, admirationem. Quòd enim iustitiam obtineret ac coleret, eum verebantur. Hoc enim ei propositum erat, nõ iis modo, quibus bona vi eripiebantur, subuenire, sed omnis generis hominibus qui inopia premerentur, opitulari, ne bonum amare putaretur, sed etiam iustitiam. Hæ enim ei copiæ & opes erant, maximúmque lucrum, inopi subuenire, & viduæ consulere. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate.) Pro omni preciosa veste, iustitia iudicióq; ornabatur. Eiusmodi enim piorum bonorúmque vestimenta sunt, compta quædam & ad pulchritudinem accommodata. Oculus fui cæcorum, & pes claudorum. Pater eram pauperum: causam autem quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui: & de dentibus illius auferebam prædam.) Subueniebam autem etiã his, ita vt ipsi putarant, quorum membra male affecta essent, membris etiam meis opus suum exequi. Quod vero est parens liberis, hoc eram pauperibus, ita vt cum omni patientia iura audirem, & benignè eos qui dissiderent, in gratiam reducerem. Obterebam autem improborum molas, non quòd pulsarem, sed quòd planè & apertè coarguerem. Quod enim decidisse & amissum esse videbatur, id ego acceptum reddebam. Dixíque, Ætas mea senescet, sicut caudex palmæ: & diu viuam. Radix mea aperta est secus aquas: & ros morabitur in messione mea.) Hoc cogitaueram, Deum mihi satis fuisse ad ministerium eorum quæ à me gerebantur, mihíque diuturnitatem temporis concedere. Tanta autem erat felicitas mea, vt & supernè mihi ros deflueret, & infernè bona acciperem. Gloria mea inanis est mecum.) Id est, Contrà ac sperabam, mihi accidit, quòd pro homine diuturnæ vitæ, caducus & diei vnius extiti: & pro beato, miser, cum ita Deus iudicauerit. Et arcus meus in manu eius ambulat.) Præsidium meum in Deo erat constitutum. Quòd si per hyperbaton sit, Arcus eius in manu mea ambulabit: hanc habebit sententiam, Ira eius omnis in me concitabitur. Senes qui me audierant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant: & admodum læti erant, cum eos alloquebar. Vt terra sitiens imbrem expectat: sic hi eloquium meum expectabant. Si quando ridebam ad eos, nõ credebant: & lux vultus mei non cadebat in terram.) Qui ærate, inquit, processerant, verba mea audiebant, non adolescentiæ rationem habentes, sed eorum quæ dicebantur sapientiæ, iísque ita contenti erant, vt nihil ad ea adderẽt. Magnificè autem de se sentiebant, si quando cum ipsis versabar sermonémque conferebam, meáque verba ita accipiebant, vt terra arida imbrem solet. Quòd si fortè cum eis ridebã, ambigebant dicentes, Ridendum censuit. Ita eram acerbus, quãquam nec effusus essem, nec tristitiæ seueritatísque studiosus essem. Illud enim leuitatis signum est, hoc solitudinis, priuationísque societatis. Elegi viam eorum, sedíque primus: cúmque sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamẽ mœrentium consolator.) Quod ait, hanc habet sententiam: Exquisiui primum locum, & ius dixi vt princeps, rerúmque potiebar, quasi optimus quidam regulus. Imperium autem meũ quod in eos exercebam, adeo eis gratum fuit, & consolator quidam haberet, qui consolarer oppressos malis. Nunc autem derident me iuniores: nunc me monent vicissim, quorum patres contempsi, quos non dignabar ponere cum canibus gregis mei.) Non arrogantia impulsus, sed quòd insipientes essent, & adeo à ratione abhorrerent, vt ne canum quidem gregis munus eis crederetur. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo: & in eis perierat consummatio. Egestate & fame coacti, fugientes in solitudinem, squalebãt calamitate & miseria, & obambulantes quærebant halima, & illa erant cibus eorum. Qui & ignobiles & nihili homines cum essent, omni bono egebant: radicésque arborum fame enecti mandebant.) Vires enim sine sapientia & intelligentia nocent magis, quàm prosunt. Nec mors eos opprimit, quòd non sint frugi, nec fames: neque horum cura ac ratio, eorum animum coniunxit. Támque sunt inutiles nulliúsque frugis, vt per amentiã suã sibi ipsi prodesse præsidióque esse nõ possint, sed fucorũ ignauorũ & aculeo carẽtiũ instar, alienos labores edunt. Est autem ἅλιμον frutex nascens in maceriis & montibus: esui autem bonus est, & satiandi vim habet, admixta leuiter salsedine. Is nouus propter famis necessitatem & malum comeditur. Iidem verò præ ignauia tanta fame enecti sunt, vt etiam siccum ex solitudine à vento delatum, cum primum sensum affert aduentus, vnusquisque eò se conferat, & edendi causa rapiat. Aucta porro fame, stirpes arborum mandunt. Hos autem insipientes ac stultos dixit, & propter manuum torporem & ignauiam, inopes omniũ bonorum. Me adorti sunt fures, quorum domus sunt foramina petrarum. Et inter clamores garrulorum clamabant, & sub sentibus habitabant: filij stultorum & ignobilium, & à terra est eorum gloria.) Conclusis iis quæ ad ignauos & stultos pertinent, alios prædones & latrones quosdam commemorat, qui cum solitudines incolãt, habiténtque in cauernis vmbrísque fruticum, ignobiles sunt, nullóque sunt in honore & precio. Nunc in eorum canticum versus sum: & factus sum eis in prouerbium. Abominantur me & longè fugiunt à me: & faciem meam conspuere non verentur.) Stultorum ergo istorum sum tragœdia quædam & fabula, onúsq; quoddam sputis conspurcatum, plenúmque odij & detestationis. Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me: & frænum posuit in os meum.) Quæ enim in Deum cadunt, retulit quasi eo permittente. Ad dexteram vt læderent, surrexerunt: pedem suum extenderunt, & oppresserunt me semitis perditionis suæ: dissipatæ sunt semitæ meæ.) Omni ex parte qui circum me habitant, me opprimunt. Viam enim aperuit iis qui me iniuria afficiunt, is qui antehac munitum me tuebatur. Atque ita assidui sunt, qui me malis opprimunt, vt viæ eorum in me ferẽtes delętę sint. Exuit enim me veste mea, & telis suis me petiuit. Me vt vult tractauit, doloribus confectus sum: recrudescunt dolores mei.) Etenim me gloria priuauit: doloresque mihi attulit non inconsultò: quibus ita confectus sum, vt semper in me alij ex aliis noui incidant. Periit spes mea quasi

ventus

τῆς τοῦ δικαίου φυλακῆς al. iustitiæ conseruationem.

A ventus: & velut nubes pertransiit salus mea.) Id est, Præteriit me, vt halitus qui est in nubibus, celeriter fluit. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea: & possident me dies afflictionis. Nocte ossa mea confringuntur: & nerui mei dissoluuntur.) Quoniam igitur quasi nubes quæ diffluit, ab improbis existimatus sum: ob eámque causam audacia prouecti in me infesti venerunt: iure ac merito ipse ad me cogitationes reuocabo, ita vt interdiu quidẽ doloribus excrucier, noctu autem atteratur & consumatur non vnum membrum, sed omnia, sic, vt nerui dissoluantur. In multitudine virtutis apprehendit vestimentum meũ: & quasi capitio tunicæ meæ succinxit me. Comparatus sum ab eo luto: & in fauilla & cinere pars mea.) Gloriam meam, inquit, magna vi ademit, méque mala simul oppresserunt. Vt vestis fimbria ceruicem cõplectitur, atque vt si dolores non sentirem: sic me tractauit: luti inanimati instar me habuit: nec me audire in animum inducit, nec causam meæ calamitatis exponit. Itaq; hæc verba subiicit: Steterunt & considerauerunt me.) Ex calamitate cognitus sum, quòd furore dominante affectus sum supplicio. Mutatus es mihi in crudelem.) Mala sua & miserias Deo attribuit, quasi ipse permitteret: atque vires suas vinci à doloribus.

B Et in potentia manus tuæ me flagellasti. Posuisti me in doloribus, & proiecisti me à salute.) Magna me potentia afflixisti. Vt, inquit, omnia fecisti, velut humidam materiam & siccam: sic me ad supplicia & mala perferenda: & procul à te separasti. Scio, quia mors me delebit: terra enim constituta est domus omnis viuenti.) Scio enim me abs te mortalem esse factum, quippe quem ex terra finxeris: & redactum iri in terram, quemadmodum scriptum est, Terra es, & in terram reuerteris. In terra igitur domicilium habebo, quemadmodum etiam omnis homo terrenus, terræ cognatus est, eíque debetur. Et enim vtinam vel me opprimere, vel alterum rogare possem, qui hoc mihi faceret.) sed ne hoc quidem mihi præstare possum, quòd te metuam. Tu enim colligasti: alius autem si dissoluerit, dignus erit supplicio.

Flebam quondam super eo qui afflictus erat: & cum viderem hominem in necessitatibus, ingemiscebam, quanquam ego bonis abundarem: & ecce mihi magis dies malorum euenerunt.) Omnibus egentibus subueniebam iis in rebus quarum quisque indigebat, aut cibo, aut veste, alióque cultu, & officio quod præstare potuissem, quia mala, communia communésque miserias omnium hominum iudicarem. Si quid vero meorum non requirebat, sed dolebat aut propter animi ægritudinem, aut propter aliud, quod dolorem affert, communem doloris sensum declarabam lachrymis, acerbitate, animi defectione: atque hæc officij causa obseruantiǽque faciebam, & cum ea nunc in me cerno, ingemisco. Sperabam autem me pro his omnibus diuturnam vitam adepturum esse, abundantiámque bonorum omnium, non quòd vitã hanc

C mercedem & quasi remunerationem esse ducerem, sed quòd minister essem eorum, quorum mihi vsus concessus esset. Verum contrà ac sperabam, mihi accidit. Venter meus efferbuit, nec tacebo: præuenerunt me dies afflictionis.) Malum tantum est, vt finem illachrymandi facere non possim. Sic enim hominibus solet contingere. Duobus, inquit, malis opprimor, dolore, & paupertate. Eiusmodi enim mihi dies concessi sunt, pleni omnis acerbitatis. Mœrẽs incedebam sine furore.) Non possum, inquit, celare aut tegere dolorẽ, sed malum inuitum me clamare cogit, cupientémque proferre non patitur, quòd me excruciet. Et steti in cœtu, clamans.) Vbi autem erat turba, conueniebant, concurrentes vt in cœtu. Frater fui Sirenum, & socius Struthionum.) Ij quidem qui fabulas scripserunt, tradunt Sirenas esse auiculas quasdam facie muliebri, quæ nauigantes decipiant cantionibus quibusdam ad stuprum incitantibus, & aures eorum qui audiũt, demulceant: cantúsque finem voluptatis habere aliud quidem nullum bonum, sed solam mortem. Verus autem sermo hoc vult, esse loca quædam marina, montibus quibusdam in angustum deducta, in quibus alueus pressus suauem quandam vocem edat, qua exaudita nauigantes committunt vitam suã, & homines ipsi vnà cum nauibus pereunt. Quòd si apud Esaiam inuenimus & sirenas & onocentauros, dæmonas quosdam esse intelligimus ita figuratos ob desertam ciuitatẽ, quæ D sine Deo efficitur. Syri vero sireneas cycnos esse volunt. Ij enim cum abluti emergunt ex aqua & aëre, suauem cantum edunt. Struthionem autem vocat, eum quem nos Struthiocamelum dicimus, quæ auis quidem est magna, sed pedes & collum cameli habet. Cano igitur, inquit, beatus Iob, calamitates meas, vt Sirenes, solitudinísque studiosus sum, quemadmodum Struthiocamelus. Cutis mea denigrata est multum: & ossa mea aruerunt præ caumate.) Vlceribus & sanie caro mea denigrata est: solísque ardore, ac noctis glacie ossa mea exaruerunt. Versa est in luctum cithara mea: & organum meum in clamorem.) Lætitia mea, felicitas mea versa est in contrarium: eo modo quem minime sperabam.

Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.) Vt si quis dixisset, aut quęsiisset: Propterea oculi tui repetiti sunt ad pœnam, quòd cum perturbatione ac libidine adhæsissent: vt, inquam, ei qui eum leuiter pulsasset, pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, ne consentirem quidem de virgine ad turpem concubitum, propter dignitatem & temperantiam.

Et distribuit Deus de super, & hæreditatem magnam de excelso.) Suam cuique Deus partem tribuit. Eam autem nefas *Cap. 13.* est cuiquam improbare, ne Dei voluntatem peruertere videatur. Itaque hæc ait, Maledictio & perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam.) id est, iis qui non sunt cõ- E tenti parte sua, sed in illam etiam proximorum impetum faciunt. Qui autem sua contenti non sunt, vt possessione, vxore, aut ancilla, aut domo, aut aliqua alia re: quæ quidem omnia pendent ex hoc præcepto, Non concupisces res proximi tui. Nunquid ipse considerat viam meam? & cunctos gressus meos dinumerat?) Eo enim teste, quasi præsente, agebam. Etenim animi etiam mei nouit cogitationes. Vt enim cũ corpus quiescit, sensus nihil agit: sic animus cũ quiescit, in se contractus est, cum iacente corpore motus suos perficere videatur. Sic ergo beatus Iob agebat, vt si quis res ipsius consideraturus esset, quasi Deo rationẽ redditurus. Itaque ait, Sin ambulaui cum irrisoribus?) Nihil, inquit, eorum quæ cogito aut ago, Deum fugit. Itaque eius metu deterritus, detestatus sum eos qui ridebant, & contractus eram, quemadmodum quodã loco etiam Hieremias ait, Non sedi in concilio eorum gradientium, sed timebam à facie manus tuæ. Salomon etiam dicit, Risui dixi, Circumferre: & insipientiæ, Quid hoc facis? Quia igitur sciebam, inquit adesse, qui intueretur, ne cum irrisoribus quidem versatus sum. Et festinauit in dolo pes meus: Ponderor enim in lance iusta.) Vicissim licentia mea, & conscientia ponderata sunt, & quasi in trutina semper verè dixi: sic vt pœna quidem me deprimerem, Deo autem iustitiæ testimonium darem. Nihil ergo fictum, nihil simulatũ in animo habui, nec sciens vlla in re quenquam contempsit. Scit autem Deus simplicitatem meã. Si declinauit pes meus de via sua: si oculum meum sequutum est cor meũ: & si ma- F nibus meis tetigi munera: Seram, & alius comedat: progenies mea eradicetur in terra.) Non ignorat Deus animi mei integritatem. Sic enim diligenter & consyderatè me in vita degenda gessi, vt nunquam vlla in re lapsus sim, pœnitentiáque errorem correxerim. Neque enim res proximorum cernens, animo ea concupiscebam: præsertim cum nec loco, aut vxori, nec bouiculo, nec alicui alij rei affixus, victus sim à cupiditate. Animi enim mei pars, in qua inest principatus, magis vincebat. Vt si quando transitum viámque aperuerim eiusmodi cupiditatibus, mea quidem alij diripiant & auferant, ac sine progenie & culpa moriar. Si adhæsit cor meum mulieri alienæ, & si ad ostium eorum insidiatus sum: scortum alterius sit vxor mea: & filij mei humilientur. Furor enim iræ non ferendus est, polluere viri mulierem. Ignis est enim ardens ex membris omnibus, & quò peruenerit, omnia eradicat.) Quinetiam adulterij malum detestatus sum: intempestiuásque cum mulieribus consuetudines mihi vetui, quòd censerem, quę alteri facere instituissem, ea etiam me esse passurum. Qui enim alienum coniugium violat, is magnam flãmam excitat malorum. Nam & viro iniuriam facit, & mulierem polluit, & liberos suspectos facit, & cum prouidentia bellum gerit, & vnum in duo diuidit: rursum mutat proposi-

tum & inſtitutum mulieris,& ſibi inſidias facit per virum.
Tantum malorum examen ex libidinoſo adulterio naſcitur.
Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo& ancilla mea,
cum diſceptarent aduerſum me:quid enim faciam , cum ſur-
rexerit ad iudicandum me Deus ? & cum quæſierit & viſita-
uerit,quid reſpondebo illi?Nunquid non vt ego in vtero fa-
ctus ſum,ſic illi facti ſunt,& facti ſumus in eodem vtero?)
O admirabilem beati viri iuſtitiam atque virtutem. Ne ſer-
uos quidem,inquit , contempſi audire & conciliare eorum
amicitiam. Si quid vero quod reprehenſione dignum erat,
faciebam,clemens ac miris abſtinens , reprehenſionem ama-
bam. Hoc mihi perſuadebam,vt ius à Deo conſequi volo,ſic
etiam meis me ius reddere oportere,eóque magis , quòd ho-
mo eſſem,& hominibus,in quos eadem quę in me caderent,
præeſſem. Ex iis enim,quæ patior, didici miſereri proximo-
rum:Deus autem pro ſua benignitate præbet:nos vero etiam
cum largimur,alij aliis debemus,quodcunque referendæ gra-
tiæ officium inter nos accipiamus propter eandem naturę di-
gnitatem,ſiue ſerui à dominis,ſiue Domini à ſeruis. Neque
natura diſſimilis eſt,vel ortus,vel modus originis , ſed lex de
liberis ſeruíſque lata eſt . Itaque quia communis naturæ ha-
benda eſt ratio,par eſt idémque tribuendũ.Pauperes ſiquan-
do opis indiguerunt,non paſſi ſunt repulſam: & viduæ ocu-
lum non conſideraui. Si comedi buccellam meam ſolus , &
non comedit pupillus ex ea,& ab infantia mea educaui , vt
pater,& de vtero matris meæ dux ei fui.)Non pauperem ne-
glexi aut ſpreui:non viduam extenuatam tardius dimiſi,non
ea modo quæ ex horreis exprompſiſſem , dedi , ſed meum e-
tiam panem frangebam eſurientibus : & pueros inuentos e-
ducabam vt pater:& qui ex vtero in lucem editi erant,vt ma-
ter,fouebam mammis præbitis,vt ſcriptum eſt,Eſtote pupil-
lorum patres. Si deſpexi nudum pereuntem,& abſque ope-
rimento pauperem:Pauperes niſi benedixerint mihi , & vel-
leribus ouium mearum calefacti ſint eorum humeri.) Ex iis
etiam qui agere illi quidem opus volebant, ſed non poterãt,
mihi mercede vendicauerim . Leuaui enim eos labore qui in
faciendo opere conſumitur,& prætereà eis veſtes præbui.
Hinc mihi bene precabantur. Si leuaui ſuper pupillum
manum meam,cum certo ſcirem mihi magnum adiumentũ
ſupereſſe:humerus meus à iunctura ſua cadat , & brachium
meum à meis vlnis diſtrahatur.) Dicebam enim Deum
poſſe pupillis ſubuenire:excidere ac delere eos,qui illis iniu-
riam faciunt,& brachia eorum frangere,quòd malos odiſſet.
Quorſum autem hæc cogitaui ? Quia Dei, inquit,timor me
continuit,& conſilium eius ferre non potui. Eo enim teſte
faciebam omnia,eius metu exterritus:eiúſque ſentẽtiam me-
tui. Si putaui aurum robur meum:& lapide precioſo con-
fiſus ſum. Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & ſi ſuper
innumerabilia poſui manum meam.) Neque defodi , in-
quit,aurum:neque gemmas inſignes maximi feci : nec pecu-
niis me oblectans,propter opes me prædicabam:neque abũ-
dans multis pecuniis aliquid me poſſidere aut habere iudica-
bam. Hoc enim mihi propoſitum erat, non in his ſpem col-
locare,ſed in Deo , qui bona omnia largitur : vt ex loco illo
intelligebam,Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere . Potus
enim & cibus has exterminant,vt Dominus docet. Si vi-
di ſolem cum fulgeret,& lunam deſinentem.Neque enim in
ipſis ſitum eſt.) Quòd ſi elementa quæ æterna ſunt , tám-
que pulchra , dignitatéque præſtant cęteris ſtellis,non ſe ip-
ſa gubernant:quomodo me ipſo contentus ſum,cum paruus
ſim,ſi cum illis conferar,humiléque ac vile animal , vitæque
breuis mihi vſura ſit data? Et ſi deceptum eſt in abſcon-
dito cor meum.) Neque enim,inquit,re vnquam deteriora
melioribus antepoſui:neque vnquam ita cogitaui. Et oſcu-
latus ſum manum meam ori admotam : hoc etiam mihi ma-
ximo crimini detur,quòd mentitus ſum contra altiſſimum.)
Syrorum quidem ſententia,Non adoraui manibus meis obli-
uione,ſolem,vel lunam,aut alias ſtellas orientes,vim numén-
que eis attribuens , vt impij faciunt. Alij autem hoc modo
hunc locum interpretantur : Non mihi , inquit , animos ſu-
ſtulerunt pecuniæ , cum eas manibus tractarem atque oſcu-
larer , vt faciunt ſtulti qui fuluore auri lætantur , ſed in Deo
ſolo ſpes meas collocaui , eúmque plurimi feci. Sed vera
eſt hæc ſententia:Nunquam,inquit,manum meam oſculatus
ſum,quaſi eius vi & opera mihi bonorum fieret acceſſio.Ne-
que enim me ipſum mihi ſubuenire intelligebam,ſed Deum,
qui manus effecit , & pecunias ad boni tantummodo vſum
procreauit,hominibúſque largitus eſt. Si gauiſus ſum ad
ruinam eius qui me oderat:& dixi cordi meo,Euge, vt audi-
ret auris mea maledictionem meam.Si fui prouerbium in af-
flictione populo meo.) Hoc autem eram Dei mei cõtem-
ptu , quòd aduerſus inimicum mihi ſubuenire non poterat.
Spes enim meæ ſitæ erant in Deo.Hoc enim mihi ſubiiciebã
fore vt in tali nimio gaudio imprecatione inſigni afficerer,&
domi meæ omnium ſermoni parerem , quòd pœnas darem
quòd infeſtus veniſſem in eos qui iacerent & decumberent.
Si ſæpe dixerunt ancillæ meæ , Quis det,de carnibus eius vt
ſaturemur?cum admodum bonus ipſe eſſem.) Quæ cum tẽ-
perantia humanitatem coluerant,eum chariorem habebant.
Quoniam autem ita ſe res habet,ait: Foris non manſit pere-
grinus:& oſtium meum omni viatori patuit. Sic enim in-
ſtitutæ erant ancillæ , & lucro magno deputabant, peregrinũ
colligere,quòd inirent à Domino vt læto,gratiam.Exemplar
enim erat Deo charæ humanitatis,non ſolum alienis , ſed e-
tiam ſuis & domeſticis,vt etiam ſanctus Abraham. Si cum
inuitus peccaſſem,abſcondi peccatum meum.Non enim ex-
paui ad multitudinem nimiam populi mei , ne exponerem
coram eis.) Par enim erat, vt ipſe qui auditorum rationem
haberet,imaginem quandam viuam ſe præſtaret: ob eámque
cauſam peccatum ſuum enunciabat,parens illi pręcepto,Dic
tu peccata tua primum,vt iuſtificeris.Et rurſum,Iuſtus eſt ac-
cuſator ſui in principio ſermonis:venit inimicus eius, & in-
ueſtigabit eum:itáque peccatum inuitus interdum , admiſit:
carebat enim ipſe crimine , & qui ei teſtimonium dicebat,
perſonæ rationem non habet.Ait ergo admirabilis hic vir &
verax,ſe cogitatione quidem conſcientia teſte non peccaſſe.
Si enim,inquit,non eſt in te peccatum , noli enunciare . Si
quid autem non conſulto peccaſti , ita demum vehementer
teipſe reprehende:vt non apud vnum aut duos ſatis ſit, ſed
etiam apud totam ciuitatem peccatum enunciari. Etſi pau-
perem ſiui egredi ex oſtio meo ſinu vacuo: quis mihi tribuat
auditorem,& manum Dei,ſi non dedi?) Beato Iob verba fa-
ciente & narrante,amici & multitudine eorum quæ dixerat
deterriti,minus libenter audiebant,& oratione qua illos ipſe
accuſabat,conſcientiam quaſi mordicus tenentes,eum auer-
ſabantur. Itaque hac ad eos vſus eſt oratione, Quis mihi det
auditorem,quandoquidem vos me deteſtamini?Itaque illud
dico,me qui humanus ſim,& ad bene de aliis merendum pa-
ratus,ea omnia quæ paulò antè enumerata ſunt , perfeciſſe,
quòd Dei poteſtatem vererer , quam ſcirem ſuccenſere iis,
qui ſe humanos ac benignos in proximos non præbeant.
Qui enim obturabit , inquit,aures ſuas,ne audiat pauperem,
ipſe etiam inuocabit , & non erit qui eum audiat. Eum au-
tem qui intelliget ſuper egenum & pauperem,in die mala li-
berabit Dominus. Itaque ait, Et ſyngrapham quam con-
tra aliquem habebam,in humeris portans,vt coronam lege-
bam : & ſi non eam fregi , ac reddidi:) nihil à debitoribus
meis accepi. Syngrapha mihi animos non tollebat , Sed di-
ſciſſam reddidi,cum debitores liberos dimiſiſſem , gratíſque
id quod vtendum acceptum erat iis qui acceperant,humani-
tatis cauſa dediſſem. Si aduerſum me terra clamauit , &
cum ipſa ſulci eius defleuerunt , aut fructus eius comedi ſo-
lus abſque pecunia,& animam agricolarum eius afflixi : pro
frumento oriatur mihi tribulus,& pro ordeo ſpina.)Hæc au-
tem ait,non quòd terra,quæ inanimata eſt , habeat aliquem
ſenſum,ſed quòd poſſeſſorem nullum , inquit, ex fundo ſuo
expulit,ne ſi fleuiſſet,& quaſi multis lachrymis ſulcos opple-
uiſſet,in me ingemiſcẽs diceret:nec ſine vllo precio eius fru-
ctus percepi,nec conductarum operarum mercedem per a-
uariciam eripui,quòd ius magni facerem . Sic enim me ipſe
monebam,ſi quid tale facerem,Deum iratum , ea quæ man-
data terræ eſſent,verſurum eſſe ac mutaturum,ita vt pro fru-
mento tribulus, pro ordeo dumus naſceretur. Malos enim
odit ipſe,éſtque eorum,qui iniuriam aliis faciunt,& hoſtis &
vindex.Hæc omnia ſanctus vir enumerat,non vt arrogãs ali-
quis , & aliquid eſſe videatur , ſed vt illos , qui calum-
niis

niis cum ipso egissent, refellat, & præter æquum in ipsum hæc dixissent, Pignora à fratribus tuis sine causa cepisti: amictum vndis eripuisti: ne aquam quidem sitientibus dedisti: esurientibus eripuisti cibum, nudum sine amictu cubitum recepisti: an non vitia tua multa sunt, & innumerabilia peccata tua? Itaque singillatim proponit præclara sua facinora omnia, & illos quidē mutos reddit, ipse autem summa victoria ornatur, quòd docuit & se peccato criminéque carere, & Deum remotum esse ab iniustitia, ignorare verò causam & se & illos, qua de causa eum Deus passus sit in miserias incidere. Esse enim hæc in vita communia, & vti secūda fortuna improbos, & bonos aduersa, contráque tum bonos secunda, tum aduersa malos: Deúmque qui iustus sit, & harum rerum causas solus sciat, nullo modo contra ius facere, nos autem eas ignorare vt homines: neque eum quî cum præclarè agatur, omnino etiam bonū esse, neque eum qui aduersis rebus vtatur, malū: & rursus neque eum qui secunda fortuna vtitur, carere vitio (est enim hoc, vt ita dicam, indifferens in vitæ huius statu) esse autem alium rerum statum, in quo vnusquisque accipiet pro meritis, cum Deus res non susque deque habeat, sed pro æquitate sua rectè factis det prēmium, iis autē qui legē violauerint, pro meritis vnunquéq; supplicio coërceat. Hoc loco Iob finem dicendi fecit: desierunt etiam tres eius amici illum refellere. Erat enim eis Iob iustus & bonus: amicíque vt peccatorem ac scelestum eum condemnauerant, ex iis quæ ei accidisse animaduertebant. Itaque necessario ei fuit vtendum multis rationibus, vt falsa suspicione liberaretur. Neque enim erat ei verborum certamen cum quibusuis, sed cum viris virtute præditis, qui & Dei prouidentiam scirent, nec eius ignorarent iustitiam & æquitatem. Videntur enim notitię Dei expertes nō fuisse, ex eo quòd Dei seueritatē sciebant. Cum vero amici etiam calamitatem & acerbam & magnā esse contēplarentur, ipsum in eam aliqua culpa sua incidisse existimauerunt, quòd Dei iustitiæ rationem haberent. Hinc oportuit Iob, cùm euidentibus clarissimísque rationibus vsus esset, ab eorum qui condemnauerant sententia liberari. Itaque principio demonstrationis, qua apud eos vtitur, non vno tantum modo argumentatur, sed dissimili. Ac prima quidem ratione & probatione vsus est, ea à qua etiam ipsi primi accusandi principium fecerant, cum dixerunt se euidens peccati ac sceleris habere argumentū Ipse disputando ponit, impium & sceleratum aliquem atque iniustum sine controuersia, & eius felicitatem: contráque, alterum qui citra controuersiam bonus sit & iustus, eiúsque res qui ei ex animi sententia succedant. Atque hoc probando quęrit, Est ne iniustus Deus? aut idémne ipse statuit esse pietatem & impietatem, iustitiam & iniustitiam? an ignorat? an nullum rerum delectum probat? Atqui hoc de Deo sentire amentia est magis, quàm vera intelligentia. Nam nec ignorat, qui est ipsa sciētia: nec rerum delectum sustulit ipse, qui est iustitia. Quomodo igitur vos mercedem pietatis virtutísque ponebatis esse statum rerum ex animi sententia succedentium? Scimus autem etiam horum contrarium, & iniustum luere pœnas, atque aduersa fortuna vti: & bonum atque iustum corpore quidem affligi mirandum in modum, egestate autem & ignominia opprimi, sine tecto, sine domo esse, sine lare, sine stirpe. Quid rursus dicatis vos, qui me scelere condemnatis? an non esse virtutis mercedem supplicium? Vnus est iniustus & improbus, alter bonus: vterq; aduersa fortuna opprimitur. Stultum est igitur, amici, ex iis quæ videntur, hæc iudicare, & alioqui Deum iniustitiæ accusare, & condemnare iustum iniustitię crimine: sed de his ambigendum censeo, rogandúmque Deum esse, vt causam enunciet, non deserta veritate Dei patrocinium suscipere. Licebat enim, quòd nihil mali me admisisse scitis, ambigere animaduersa calamitate, non coniectura colligere, me in culpa esse & vitio. Vos autem prætermissa hac dubitatione qui me consolari debetis, accusatis, quòd existimaueritis Deum propitium fore, si ei præter æquum aliqua in re gratificemini. Vt enim ei omnia * tamen vos coarguet, quòd contra ius pronunciaueritis, & contra, quàm teste conscientia sciretis. Non enim ausi estis dicere, Magnum est vitium tuum, sed Vtrum præposito dubitanter dixistis, nullum vos scelus à me admissum esse scire, nec magnum, nec leue. Hæc cùm Iob diceret, & amici quod responderent, non haberent: Iratus indignatúsque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram, de regione Hus: iratus est autem aduersum Iob, eò quòd iustum se esse diceret coram Deo. Porro aduersum amicos eius indignatus est, eò quòd non inuenissent responsionem aduersum Iob, sed tantummodo eum impium esse condēnassent.) Iob igitur cum docuisset rationibus, non esse illa eiusmodi ex iis quę viderentur, iudicanda, priuauit eos accusandi sui facultate. Taciturnitate ergo se victos esse confessi sunt, dederúntque operam, vt iustum eum sententiis suis comprobarent. Exortus autem Elius, iure quidem illos vt proditores Dei iustitiæ declarasse videtur, & rectè Iob accusat, quòd se ipse iustum ac bonum esse dixerit. Nam illi quidem quasi Dei patrocinium suscipientes, iniustū Iob ac scelestū esse pronunciauerant: pòst verò cum ipsi probationibus rationibúsque quasi vndis obruti fuerint victoriámque taciturnitate confessi, atque hoc iustitiā esse sententiis suis iudicauerint: non est dubium, quin in Deum iniustitiam conuerterint. Atque hos quidē hoc modo refellit. Si em̄ primum respondebant, nihil eum passurum fuisse eorum quę ei euenissent, nisi peccasset: deinde verò mutata sententia, iustum bonúmque illum taciturnitate comprobarunt: profecto iure eos Eliu accusat, non quòd Iob bonum esse assensi essent, sed quòd in Deo esse ignorationem: Esse enim Iob iustum, & Deum permisisse, vt in has miserias incideret. Iob autem etiam temeritatis accusat, ita tamen, vt ei virtutis quidem ac iustitiæ testimonium dicat, accuset autem eum, nō vt peccantem, sed quòd ante tempus Dei consilium voluntatemq; intelligere velit. Itaque in eo laudata patientia, temeritatem eidem obiicit, quòd omnino seipsum, nō aliter ac Deum, iustum ausus sit pronunciare. Igitur Eliu expectauit Iob loquētem, eò quòd seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset, quòd tres respondere non potuissent, iratus est vehementer:) iuréque eis iratus, dixit, Quî fit, vt qui à vobis iniustus malúsque iudicatus est, is iustus rursum declaretur? Vbi tandem erat eius scelus & peccatum, cum illum condemnastis, nisi vestra oratione Deo illud attribuitis? Itaque iure ac merito in eos iratus fertur, quòd cum ita Dei patrocinium se suscipere professi essent, tamen absurdæ turpique proditioni se illo impetu obtulissent. Ipse verò ad Iob sermonē auertit: & antè quam cum eo verba facere incipit, primum æquū censuit tēpus commemorare, quo differens, nihil respondisset, cum ipse sermoni adesset. Cum enim adolescens esset, propter amicorum senectutem tacens, quòd viris illis honorem haberet, nihil loquebatur. Postea verò quàm reticuissent, quòd nihil haberent quod dicerent, ipse sermonem senili pudore & reuerentiæ anteponit. Non accipies, inquit, personā in iudicio. Respondénsque Eliu filius Barachel Buzites, dixit, Iunior sum tempore, vos autem antiquiores. Idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam.) Ego enim qui vos, & propter ętatem, & propter rerum vsum quo valetis dicere, existimarem, aliquādiu expectaui, id quod & honore, quem vobis habeo, & pudore meo impulsus feci. Vt autem ex euentu rei intellexi, non rationibus vsos vos esse, sed imperitè ad disputandum accessisse, ex iis quę à vobis dicta sunt, ipse coactus sum dicere, propterea quòd nihil tēpus faciat, si desit oratio. Dixit autem quod tempus non loquatur: nec in multis annis noui sapientiam: sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.) Neque enim tempus est, quod certo ordine loqui doceat: neque multitudo annorum affert gignítque sapientiam: sed Dei concessu ac munere datur de pietate ac Dei religione verba faciendi scientia: eáque verba hominibus à Deo dantur, non tempore aut senectute, sed pro eius quod quęritur amore, & captu rei quę suppediatur. Ego vero diuinæ sapientiæ indigeo, propterea quòd Deus ipse sapientiam quoque largitur, & sapientes dirigit. Ab eo verba noua habeo, & iudicium verum. Ideo dixit, Audite me, & ostēdam vobis meā sapiētiam. Auribus percipite verba mea: dicā enim vobis audientibus.) Vos ipsos iudices esse volo eorum quæ dicturus sum: expectabo, dum illa comprobetis: tantum ne ea negligenter audite, sed iis animis quibus debetis, Ecce

G audiui fermones veftros:audiui prudentiam veftram.) Audiui enim quæ dixiftis,atque id nõn negligẽter,fed attentè.Itaque vos etiam attentis animis audite, & probate quæ dicentur.Neque enim fortaffe facultatem veftram captúmque fuperabunt.Et ecce non erat qui poffet arguere Iob,& refpondere ex vobis fermonibus eius.) Nec quifquam veftrûm Iob refpõdere potuit, penuria verborum quæ vim refellendi habent. Ne forte dicatis,inuenimus fapientiam,addentes Domino.) Neque enim occafio vobis aliquid dicendi pro Deo relinquetur.Taciturnitate enim veftra hoc etiam prodidiftis. Homini autẽ negocium hæc dicendi dediftis. Extimuerunt, nec refponderunt vltra:abftulerúntque à fe eloquium.Quoniam igitur expectaui,& non funt loquuti:fteterũt, nec vltra refponderunt.) Metus ex reprehenfione quæ adhibita eft, vos inuafit, vófque patroni reticuiftis. Primas Iob fermonibus rationibúfque conceffiftis.Conclufi enim eftis, & in anguftum deducti locum:ita nẽ refpondere potuiftis.Hæc cum dixiffet,tacuit,facta ei qui vellet,refellẽdi fui poteftate. Cum autem nemo ei refponderet, loquutus eft. Refpondens autem Eliu,dixit,Loquar iterũ: plenus fum enim fermonibus.) Plenus fum enim,inquit,verborum,propter inania & futilia, quę à vobis audiui:iífque impulfus,iterum cogor dicere.Hęc
H autem Iob amicis ait. Et coarctat me fpiritus vteri mei: & venter meus quafi vter mufti plenus, ligatus & feruens: aut quafi follis æris, ligatus & rumpens.) Hoc enim iis accidit, qui amore impulfi,& animum cogitationibus excruciant, & vifceribus tumentibus,furore mufti inftar feruent, & corde ipfo quafi follis flatu calent, quoad aliquid fregerint. Loquar,& refpirabo paululum: aperiam labia mea.) Continere enim me iam non queo,quòd animus meus concaluit proditione veftra.Neque enim fapientia vos impellit vt taceatis, fed verorum fermonum penuria. Hominem enim non vereor,nec mortalem metuam: non enim fcio accipere perfonam.) Amica eft enim veritas,eámque cuiuis rei antepono. Neque enim more veftro eam contemnens,cuiufquam delectum habeo: aut veritus intempeftiuum dedecus, iuris fum proditor. Neque enim eiufmodi amicis dare foleo. Periculofa enim funt & iis qui dant, & iis qui accipiunt eiufmodi munera. Alioqui, me quoque tineæ derodent.) Has enim pœnas dem, fi hominem antepofuero veritati. Hac ad amicos oratione vfus,ad Iob fermonem auertit. Audi igitur Iob

Cap.33.

eloquia mea: & omnes fermones meos aufculta. Ecce enim aperui os meum in faucibus meis.) Noli negligenter audire quæ dicam,nec muta fentẽtiam. Nãque pro ftudio & amore meo in illum,cœpi linguã mouere,ac loqui. Simplex eft cor meum in fermonibus:& fententiam puram labia mea loquẽtur.) Neque enim tibi, inquit,fum diffimilis, nec fubdolum quid in animo alo: fed fimplicis mundæque mentis verba facio. Spiritus Dei fecit me: & fpiraculum Omnipotentis do-
I cet me.) Non fpiritum fanctum dicit, vt putauerunt ij qui *inani verbo* fapientiã,fapientiã ponunt:(neque enim opifex eft pater.Vnus eft enim Deus,ex quo omnia:& vnus Dominus Iefus Chriftus,per quẽ omnia.) fed à Deo,inquit, gratia vnicuique data eft, à quo ftatum accepimus. Tua enim, inquit,eft fapientia,& tua eft intelligentia.Si potes,refponde mihi ad hæc:& aduerfus faciem meam cõfifte, & ego aduerfus tuam.Ex luto formatus es,ficut & ego: ex eodem luto facti fumus. Veruntamen metus non te terreat: & manus mea nõn erit tibi grauis.) Si quid in te boni effe exiftimas, mihi refpondeto:neque me vereare.Sum enim homo,in quẽ eadẽ quæ in te cadunt:factus ex iifdem elementis,& ab eodem effectus Deo. Tua mihi expone: aut non rectè refponfum effe à te docebo.*Eadem eft tui quæ mei molitio: vereri te, non potes dicere, aut à me in ftuporem adactum. Dixifti ergo in auribus meis,& vocem verborum tuorũ audiui, Mũdus ego fum,& abfque delicto:non peccaui verbo: immaculatus, & non eft iniquitas in me.Quia querelas in me reperit,ideo arbitratus eft me inimicum fibi. Pofuit in neruo pedes meos, & cuftodiuit omnes femitas meas.) In eum qui me audit,inquit, hæc dixifti: quæ quidem grauia funt, neque te digna. Quis enim Deo comparatus,mundus effe poteft,cum neque cæli,neq; ftellæ fint?Tu verò cur magna & magnifica loquutus es?Quid enim es tu,vt Dei hoftis & aduerfarius habearis?

*χαινοφωνία.i. noua voce legendum puto, non κενοφωνία, vt eſt in Græco * τὴν σοφίαν,τὴν σοφίαν, τιθέμενοι, corruptum locum puto.*

aut quæ hypoftafis naturáque tua, vt tibi quafi hofti acie in-K ftructa obfiftat?Homo es caducus, breuiffima pars elemẽtorum,qui à Deo animum accepifti,qui non eras ante ortũ, & factus es:qui ab eo accepifti & rationẽ & fcientiam rerũ omnium.Quî ergo tecum pugnã fufcipiat,cum ipfe te protulerit in lucem? Quomodo enim dicis,Iuftus fum, & nõ me audiuit?Æternus enĩ eft, qui eft fuperior mortalibus.Dicit enim, Cur nõ ad omnia iuftitiæ meę verba me audiuit?) Hæc afpera & acerba protulifti,quòd eius refponfum accelerare velis, cum eum tempus fcire intelligas: tu vero magna licentia & fiducia inflammatus ante tempus petifti, vt tibi caufam aperiret,quam ipfe tibi nondum decreuiffet exponere.Itaq; quoniam ita importuno & intempeftiuo tempore hoc petebas, iure ac merito ij qui aderant,& verba tua audiebant,te reprehendebant,quòd Deum, vt tibi tanquam homini homo refponderet,rogares,quafi paratus effes cum eo iudicium fubire,quòd & tuum ipfius captum ignorares, & tua vnius virtute niterère. Semel loquitur Deus:& fecundum id ipfum non repetit per fomnium in vifione nocturna,vt quãdo irruit grauitet fopor fuper homines,& dormiunt in lectulo, tunc aperit mentem virorum, in formis timoris talibus eos perterrefacit,vt auertat hominem ab iniquitate fua, & corpus eius à cafu liberet,eruens animam eius à morte,vt nõ cadat in prælio.) Semel autem Deus inftituit atque decreuit, ordinéque L progrediuntur ea quæ ab eo ftatuta funt. Statuit vero etiam vifa,quæ per quietem eueniunt,quibus homines monet, atq; id pro fua in homines charitate facit: atque in vitæ periculis fubfidia fuppeditat,iifque præfidio eft,qui non iure violãtur, facítque vt ij qui beneficia accipiunt,eorum fenfum habeant. Mittit etiam terrores, qui mentem terreant, vt animum in Deum excitet,atq; fe toget,vt in moleftiis cafibúfque imminentibus patronũ fe prebeat.In his enim etiã vt bonus paterfamilias,hominibus inftituit fubuenire, declarãs fuam prouidentiam,vt & animum à vitio liberet,& omnium qui nobis infidias facere volũt,impetũ & vi fua & poteftate cõprimat.

Increpat quoque eum per dolorem in lectulo:& omnia offa eius marcefcere facit. Abominabilis ei fit in vita fua panis: & animæ illius cibus antè defyderabilis, donec tabefcat caro eius,& offa quæ tecta fuerant nudentur, & appropinquauerit corruptioni anima eius,& vita illius inferno.)His etiam dum confulit hominibus Deus, rector & moderator oftẽditur,vt locus ille declarat,Quem diligit Deus,corripit: flagellat autem omnem filium quẽ recipit. Cum igitur in maximũ morbum homo incidit,& de Deo cogitat, eúmque ex animo implorat & inuocat: ftatim etiam curatur, quandoquidem facit Deus, vt ægrotet,ac deinde eum valetudini priftinæ reftituit.Nam cum & animorum & corporum fit medicus, & curat famem,& à morte liberat,& eripit deploratos,& infirmos vendicat, & mortuos ad vitam reuocat. Si fuerint an-M geli mille,qui inferant ei mortẽ,non refpõdebit, neque vnus ex eis eum vulnerabit. Si in corde fuo cogitauerit reuerti ad Dominum: & annunciet homini fuam culpam, & mentem fuam aperiat.) Intelligendum eft hæc dicta effe per hyperbaton.Ordo enim ita flagitat, Si cogitauerit in corde reuerti ad Dominum,& quæ deinceps fequuntur.Si fuerint angeli mille,qui inferant ei mortẽ,non refpondebit,funt confequentia. Cum enim mors homini appropinquat, quæ propter iram Dei infertur: fi recordatus fuerit, atque ex animo Deum qui iratus eft rogauerit, ftatim auxilium confequetur. Quia enim peccatum confitetur,hoc ipfo fiduciam ac fidem fuam in Deum declarat. Itaque non iam facile capi poterit, non hominum bellis,nõ dæmonum infidiis,non ab angelis mortem inferentibus. Vt enim irato Deo iftorum iniuriis opportunus erat:fic eodẽ propitio,ab omnibus expugnari non poteft,neq; fuperari.Si enim Deus tueatur, quis cum eo pugnã fufcipiendã fibi cẽfeat? Neq; enim omnis improbitas & malicia quicquam agere poteft,fi ei diuina prouidentia obfiftat. Angelos autem mortẽ afferre Scriptura,vel malos, non à natura dicit,fed à te ipfa:vt illud, Mifit legationem per angelos malos.Nam queádmodum bona & profpera nũciantes, aut etiã cuftodes hominũ facti & cõftituti,vt Elia & Elifæo prophetis accidit (immittet enĩ angelus in circuitu timẽtium eũ, & eripiet eos.)hoc nomen habent:fic etiam ij, quibus datum eft nego-

A est negocium, vt ea quæ tristia & molestia sunt, nunciẽt vel faciat, imbrobi mortiferiq; dicũtur, non ab essentia & natura, sed ab imposito negocio. Renouabit autẽ eius corpus, quasi pollitionem in muro: eiúsque ossa implebit medulla. Molliet eius carnes vt infantis: & restituet eum virũ inter homines.) Quod ait, hác habet sententiã: Qui pœnas dat scelerũ, si ex animo ad Deum redierit, is illũ adeo mitẽ & facilẽ reddet, & ad misericordiam procliuẽ ac paratũ, vt nõ solum eum ab iis malis quibus oppressus est, liberet, verum etiam corpus eius emortuũ quasi secũdo ortu excitet: atque ita ornabit, vt politum opus muri, qui vetustate collabebatur, ossáque eiusdem iam diu emortua medulla referciat, & carnes eius tanquã paulo antè nati pueri, molliet, eúmque rursus virum effectum, ad pristinum statũ ordinémq; reuocabit. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & accedet mũda facie cum iubilo, & reddet homini iustitiam suam.) Tum cum fiducia Deum precabitur, & cum illũ rogauerit, audietur. Accedet porrò ad Deũ munda conscientia, ita tamen, vt de iis quidem quæ occuparunt, confiteatur: pro iis autem quæ adsunt, & præsentia sunt, gratias agat, eúmque iustũ esse in cõspectu omnium prędicet. Deinde accusabit se ipsum homo dicens, Quę perfeci, & non digna iis quæ peccaui, recepi.) Cum ergo eiusmodi vir intellexerit, quibus è malis ereptus sit: tum & se ipse accusabit, & B fatebitur, quàm leuis ipsi fuerit labor & pœna eorũ quę missa sint, huic Pauli sententiæ parens, Non sunt cõdignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Labores enim ad tempus durant: æterna autẽ præmia. Saluam fac animam meam, ne pergat in interitum: & vita mea lucem videbit.) Nunc quoniam sensum habeo, peto à te maiorem in modum & supplex, vt à pœnis & suppliciis quæ illic me manent, liberer. Ego enim qui hîc pauca consydero & curo, lucem illic videbo, quam nox non excipit, & vitam quæ morte non interrumpitur. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.) Hoc, inquit, modo res hominum Deus administrat. Statum concedit, exponit quę decet: aut mercedem dat eorum quæ rectè facta sunt, aut pœnas repetit eorum quæ quis violauerit. Et eruit animam meam à morte, vt vita mea in lumine eum laudet.) Ipse qui paucis me correxetat, à supplicio liberauit, vt animus meus se afficiat laudibus in loco sanctorum, in terra viuentium. Quæ cum dixisset, reticuit, concessa ei qui vellet dicendi potestate. Postea vero quàm nemo respondisset, ipse aliud dicendi initium fecit. Pronuncians itaque Eliu, etiam hæc loquutus est. Audite sapientes verba mea, & eruditi audite quod bonum est.) Auertit ad amicos orationem, ne Iob aduersari videatur. Audite enim, ô amici verba mea, & quę dicta erunt iudicate. Scitis enim atque intelligitis, vtrũ rectè dicta sint, an contrà, C ea quæ paulò antè exposui. Quòd dixit, ita quærit. Ecce, hæc omnia operatur Deus fortis, tribus vicibus per singulos, Vt reuocet animas eorũ à corruptione, donec illuminet eos luce viuentium. Docuit, inquit, superiore sermone, Deum hæc administrare & procurare vt sapientem ac potestate præditum. Statum enim nobis dedit vt potestate prędi tus, non debitum reddens, nec indigentiam explens, sed pro benignitate sua statum iis quæ sunt largitus est: legésque promulgauit, partim quæ iubent, regia potestate, partim quæ vetant, vt Dominus, vt prudenter constantérque viueremus, sapienter rebus nostris administratis: quinetiam ea exquirit & exigit iustus iudex, vt sua cuique tribuat. Attende Iob, & audi me: tace vt loquar. Si autem habes quod loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere iustum. Quòd si non habes, audi me.) Rursus sermonem ad beatum Iob auertit his verbis, Ego eram, qui tibi honorem tribuebam, & te verebar. Si quid habes quod dicas, dic ingenuè. Precũ enim opus est, declarari te iustum ac bonum Dei sententia & testimonio, non sententia tua. Quòd si non habes quod dicas, audi me dicẽtem, & disce officia sapientiæ. Omnis enim rei & negocij propriè sapientia verbi & operis dicitur. Quæ cum dixisset, tacuit, expectans qui responderet. Cum autem animaduertisset, neminem esse qui diceret, rursus ipse loquutus est: Audite sapientes verba mea, & eruditi audite quod bonum est.) Demulcens & concilians animos auditorum, orditur. Superiore enim sermone vtrisque Iob, eiúsque amicis reprehensis ac cul-

Cap. 34.

patis, nunc alio principio amicos rogat, vt rectè audiat & iudicẽt, quæ dicit: & cum Iob disserit, ne eum cõmunem eiusq; causam parẽ iis qui aderant, facere existimetur. Itaque ait: Auris enim verba probat: & guttur escas gustu diiudicat.) Vt autem esculenta non vnã habent qualitatem: sic ne verba quidẽ vna intelligẽtia sententiáq; dicuntur. Iudicium eligamus nobis: & inter nos videamus quid sit melius.) Consideramus vtilitatis quærendæ causa, sed iudicio, non temere & inconsideratè, neque odio impulsi, neque vlla perturbatione. Quia dixit Iob, Iustus sum: Deus subuertit iudicium. In iudicando me, mendaciũ est: violenta sagitta mea absque vllo peccato.) Nos videamus, num rectè ille dixerit, an vt eum docuit, cùm se ipse ante tempus prędicaret, & se pœnas luere cõtrà quàm gesserit, confirmaret, neque consequutum esse spem eorum, quæ qui gesserunt, virtutem adipiscuntur, sed vi vulneratum à potente sagitta acerrima. Quis est vir, vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam? qui non peccauit, nec impiè gessit, nec iter fecit cum operantibus iniquitatem, vt ambularet cum viris impiis?) Hæc enim cum ais, ô sapientissime, digna risu æquum censes dicere. Sic enim te tuę virtutis cepit obliuio, vt te deridendũ propines. Vt enim sitiens, sic etiam tu probra bibisti obliuione. Atqui tu, qui nihil nec in Deum sceleratè impiéq; feceris, neque hominibus peccaueris, neque vllam absurdã rem approbaueris, neque vllũ malè viuendi genus sequutus sis, irrideri maluisti, dum te indigna E dicis. Verùm quasi Iob refellisset, Quid ergo, quòd mei mentionem non facitis: hęc ait, Noli dicere, non esse visitationem viri à Deo. Qui enim hoc ait, Dei iustitiam ignorat, eúmque res hominum negligere iudicat. Ideo viri cordati, audite me. Absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei: & iuxta viam singulotum restituet ei.) Vobis autem qui intelligentia præditi estis, dico, Deus prohibeat, vt aliud in pectore clausum habeam, & aliud ore proferam. Verba enim Deo teste facimus. Non enim vt Eliphatz, qui alia cogitat, alia dicit, sic ego. Nam quẽ bonũ virũ & iustum esse scio, eum nunquam peccatorem dixerim. Sic enim mihi persuasi, eos qui dolo aliquid parati sint dicere, in iis esse, quos Deus sit iudicaturus. Itaque nihil vnquam contra ac sentiam, loquar. Quocirca impium scelestumq; virum esse duco eum, qui aut ore, aut animo putet Deum non curare res hominum, siue rectè se gerant, siue leges violent. In quibus enim homo inuenietur, in eis deprehendetur, ac pro eis vel præmium feret, vel eorum pœnas in die iudicij dabit.

Putas Dominum absurda facturum esse? aut Omnipotens subuertet iudicium, qui fecit terram? aut quis orbem fabricatus est, & quæ in eo sunt omnia? Si velit continere, & spiritum ab eo cohibere, deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem, ex quo fictus est, reuertetur.) Quis enim ita est omnino puerili animo præditus, qui iniquum iudicium cogitet de Deo, qui eiusmodi elementa fabricatus est? terram dico, F & omnia, quæ cœlum complexu suo continet. Is enim est, qui etiam inanimatam naturam partim mirabiliter extendit, partim magnificè stabiliuit. Sic enim iustitiam pulcherrimam possessionem deleat, quis tandem ea non extante res hominum curabit? Vide hoc loco Eliu sapiẽtiam, vt à re quæ ex minutis partibus constat, orsus, Dei potestatem potentiámque demonstret. Neque enim per ignem, aut per aquam dixit solum posse Deum supplicium inferre: sed cum docere vellet, eius nutu ac voluntate omnia & teneri & contineri, ait, si aëra contineat, fore, vt animantia omnia maneat dissolutio: Nam si & vescẽdi & bibendi eis certa tẽpora constituta sunt, respirãt autem & ducunt spiritũ non statis temporibus vigilando & dormiendo: si aëra Deus iratus cohibeat, animantia omnia interibunt, quæ nõ habebunt per vias, quæ ducẽdi spiritus causa datę sunt, aëra, qui calorẽ in natura insitũ refrigeret. Si intellectum non habes, audi hæc Iob, & audi vocem eloquij mei. Si verò tu nõ putas eum, qui odit scelera & perdit improbos, & æternus est, esse iustum?) Si enim iniquos odit, & improbos delet, cum æternus sit, & intueatur omnia: quid est quãobrem non iustus esse prædicetur, & æquus, cum exerceat de iis quæ violata sunt, quæstionem? Impius est, qui dicit regi, Inique agis: impiissimus in principes est, qui nõ veretur personã honorati: nec scit honorẽ habere viris magnis,

G vt eorum perſonam miretur.) Si is qui regi,qui Dei nutu rerum potitur,aduerſatur,ſcelus admittit, quòd communes leges quæ benè latæ ſunt, communémque pacem tollat: & is qui principes qui ipſi parent, his conuiciis & maledictis vexat,iniuſtus eſt, quòd mala quæ ex rebellione naſcuntur, excogitet: is qui Deum accuſat, quo tandem nomine culpæ cauſa rectè appellabitur? Nec ſolum is, qui maledictis vexat regem ac principes, peccat,verum etiam is,qui clarum virum non veretur, nec magni facit magnos viros, vt etiam eorum perſonam non ſuſpiciat. (hos enim etiam ἁδροὺς, id eſt, magnos & amplos nominat.) Vt à Paulo in præceptis relictum eſt,Reddite omnibus debita: cui timorem,timorem:cui honorem, honorem. Et rurſus ſcriptum eſt, Time Deum,fili,& regem: & neutri eorum te oſtenta. Repentè enim recipient inimicos eorum. Supplicia autem amborum quis perferet? Conſentanea autem his,de metuendis claris viris,& qui ſunt in honore,ſcribit Moſes hoc modo,Faciei cani cedes, ſeníſq; perſonam honorabis. Quòd ſi illis quidem cedendum eſt,his autem aſſurgendum:quanto minus fas eſt,aut impunè,Deum qui cum nemine comparari poteſt, accuſare & reprehendere? Inania autem eis euenient, clamare & deprecari virum. Iniquè enim pauperes tractauerunt, eos excludendo.) Qui ad regem moleſti adeunt, maioréque licentia quàm par ſit, vtuntur: ij eius motum experti, ſupplices ac rogatores ſunt: H idémque eis euenit, quod illis quorum nomine legationem obibant. Itaque precibus ſuis nihil proficient, propter ſuam ipſorum contumaciam. Vſi etiam licentia,quòd † pauperes opprimant,eos quoque experti ſunt, propter ſuum ad regem aditum eiuſmodi. Ipſe enim inſpector eſt operum hominum:nec eum fugit quicquam eorum,quæ faciunt:nec locus eſt,nec vmbra mortis,vt abſcondantur qui operantur iniquitatem: neque enim ſuper hominem ponet vltra. Dominus enim omnia conſyderat, & comprehendit non veſtigabilia, & nobilia,& eximia,quorum non eſt numerus.Nouit eorum opera: & inducet noctem, & conteretur. Extincti ſunt impij, & viſibiles facti ſunt ante inimicos eorum.) Nihil Deus ignorat.Neque enim ei opus eſt accuſatore aut teſte,alicuius refellendi gratia. Nuda enim ei ſunt omnia: neque eum fugit quicquam eorum quæ geruntur. Itaque locus nullus ſceleſtos & malos occulet, neque eoſdem inferi obruent. Si enim, inquit, faciet aliquid homo in occulto, & ego non videbo?aut abſcōdetur à me aliquid? Si aſcenderint in cœlum, illinc reducam eos: & ſi deſcenderint in abyſſum, ibi præcipiam draconi,& eos mordebit.Verum non iam humanis adiumentis & quaſi adiminiculis vtetur,ſed nutu ſuo eis ſupplicia infliget.Qui enim flagitia admittūt,clam & quaſi in tenebris,& ignorare eum,qui omnia cernit,tanquam non ſit, putant:ij ſubitò apparebunt,eorúmque actiones.Ecce enim ho- I mo & opus eius coram ipſo.Vt autem is qui accendit lucernam,ea quæ in tenebris ſita ſunt,oſtendit iis qui adſunt:ſic ea quæ facinoroſi homines egerunt,in lucē profert Deus, quem ipſi fallentes, & celantes, ſceleribus ſe inquinabant. Quocirca bifariam torquebuntur, & quòd egerunt, quæ non decebat, & quòd agentes non cernere eum, qui omnia ante eos natos ſciebat,putabant. Deprehendentur autem ab hoſtibus ſuis in ſuppliciis,deridebitúrque eorum amentia.Reſtinguetur etiam eorum lumen & ornatus, in quibus ſpes ſuas collocauerant.Talis enim exitus rerum manet eos,qui Deum ignorauerunt.Ego vero,inquit,ſi me peccatorem eſſe dixero,non credo quidem me etiam gloriam ex profeſſione reportaturum:ſed tum cum vnuſquiſque conuincetur, nec iuſtus qui ſe ipſe non iudicat,ſi ſe peccatorem eſſe profiteatur, nec peccatori ſi ſua dixerit,ac ſe iuſtum eſſe,credetur.Neque enim homo eſt,qui iudicat,qui falli poteſt,ſed Deus. Ex his perſpicuū eſt,Eliu & pietati inſtitutum fuiſſe,& Dei iuſtitiam nō ignoraſſe,& reſurrectionis rationem exploratam habuiſſe,& iudicij habuiſſe notitiam. Nam deflexerunt de lege Dei:& iuſtificationes eius non cognouerunt.) Abiecerunt enim repudiaruntque inſitam Dei notitiam, eiúſque comitem iuſtitiam & æquitatem:ac maleuolentia quidem & odio impulſi,iniurias intulerunt, petulantérque vixerunt, & mutuis iniuriis concitati ſunt. Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & vocem audiret pauperum.) Etenim ea mala & incommoda patietur,quę aliis dederunt.Odit enim mala is qui K cernit omnia: celeritérque male affectos vlciſcitur. Iuſtus enim Dominus,& iuſtitias dilexit. Ipſo concedente pacem, quis eſt qui condemnet? ex quo abſconderit vultum, qui eſt qui contempletur eum?) Hac,inquit, ex parte, ea quæ fiunt videt. Qui ſi nolit auxilium ferre,quiſnam eſt, qui eum condemnare cogat?Si hominis facta enunciare nolit,quis eius opera cognoſcet? Quòd ſi quis pœnitentia peccatum ſuum enunciauerit,alij minimè aperietur: neque eius pœnas dabit, propterea quòd is qui illud agnouit,ab eo ſe abſtinear.Itaque hæc verba ſubiicit, Et ſuper gentes, & ſuper omnes homines.) Vt Balaam ariolo accidit. Eius enim ſupplicium in aliud tempus reiecit. Rurſus pœnas, cum libet, & generatim Gentibus,& priuatim hominibus,infligit,vt † quinque Sodomorum ciuitatibus, & Oza qui Dauid rege arcam attigerat: vt Ægypto ac Pharaoni, qui cor ſuum durum reddidit. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccatum populi.) Vt Hieroboam filium Nabal regem præfecit Iſraëli,qui in ipſum non bene atque adeo male erat animatus, atque id cum populus peteret, vt ab eiuſmodi gubernaretur pro impietate ac ſcelere ſuo. Quia is qui Deo dicit,Accepi, non pignora cepi: ſine me videbo. Si erraui,tu doce me:iniquitatem feci,vltrà non addam. Nunquid à te Deus expetet L eam,quia diſplicuit tibi? tu enim cœpiſti loqui, & non ego: quòd ſi quid noſti melius, loquere.) Regem deſcribit diſſimulatorem quendam,qui ſuorum quidem res rapiat,ſed vnicuique dicat, Noli acerbe ferre: quæ enim mihi debebas,accepi: atque his talibus eos qui ipſi parent,tyrannorum more ac lege gubernans,ita animatus eſt, quaſi nihil mali faciat,ſed ſe etiam ipſe in animi ſui cupiditatibus laudet,vt ſcriptum eſt, Sermones aſſentatorum molles:hi autem cadunt in penu ventris.Cum ait,Non intellexi: oſtende mihi peccatum meum, ne iam idem admittam, niſi pro me pœnas luat is qui ſcelus non admiſit.Si ita res habet,ne denega,doce me: hæc omnia per ironiam dicit rex diſſimulator,vt rem minuat. Itaque intelligentes loquentur hæc:& vir ſapiens audiet me.) Hæc enim & his ſimilia ſapientes quærunt & vir ſapiens ea quæ dicta ſunt, intelligit. Iob autem ſtultè loquutus es: & verba tua non ſonant diſciplinam.) Non eius opera & facta reprehendit,ſed verba,quòd calamitatis cauſam ante tempus quæreret. Veruntamen Iob diſce,noli adhuc reſpondere,vt ſtulti,ne addamus iniquitatibus noſtris: peccatum autem in nobis erit.) Multa tibi Deo teſte,vt prudens conſultor, commemoro. Poſteaquàm iis quæ eius verba ſignificant,pro libertate ſua licentiam non tempeſtiuam & opportunam præ ſe tulit:alium ſermonem multo elaboratiorem inſtituit. Addens quoque Eliu hæc loquutus eſt, Quid hoc exiſtimaſti in iudicio?) Cur non rectè apud teipſum reſpondendum M cenſuiſti? Tu quis es,vt diceres,Iuſtus ſum coram Domino?) Quis enim es tu,& quæ tua eſt virtus ac iuſtitia, ſi cum Deo comparareris,qui te in lucem protulit,téque mente & ratione ornauit? Num dices,Quid ſceleris admiſi?Itaque ego reſpondebo ſermonibus tuis,& amicis tuis tribus.) Rectè eum cum amicis copulat, vt qui ei aſſenſi eſſent,cum eóque coniuncti.Ij enim vi ſermonum Iob victi fuerant. Suſpice cœlum & intuere, & contemplare æthera,quòd altior te ſit.) Dat ei conſilium: Conſydera Dei opera, eiúſque res cogita, & cùm Dei diſſimilitudinem differentiámque cognoueris, conſydera id quod in medio interiectum eſt.) Hoc enim ait, ſi ne nubes quidem,vt excelſæ & ſublimes,eius manibus tractari poſſunt,quòd tanto interuallo ſeparatę diſiunctęq; ſint: quomodo earum molitionem ipſe intelliget,niſi Deus oſtendat? Abacuc enim etiam inſpectis conſideratíſque miris operibus admiratus eorum auctorem,ait,Domine conſyderaui opera tua,& expaui. Dauid quoque mūdi pulchritudinem cum ſtuporę admirans, eius conditorem his laudibus ornabat,Quàm magnificata ſunt opera tua Domine:Omnia in ſapientia feciſti.Si peccaueris,quid facies? Si verò multa etiam ſcelera admiſeris,quid potes facere? Si iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?) Neque peccatum tuum ad Deum peruenit, neque virtus iuſtitiáque tua eum adiuuabit. Quo enim ei opus eſt,qui ſtatum dedit omnibus? Siue enim peccaueris, illius permiſſu feciſti: ſiue iuſtus bonúſque

δυνατοὺς, al.i.potētes

Πενταπλεως al. Pentapo.

Cap.35.

bona quæ fueris, eiusdem concessu ac munere officio functus es. Noli ergo de te magnificè sentire, quasi à te habeas vt sis, aut à te, vt bene sis, cum sine illius prouidentia nec conseruari possis, nec aliquid tueri. Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iustitia tua.) id est, mala tua & bona tua ad te, non ad Deum peruenient. Nam nec iniuria ei inferetur, si in eum aliquid impiè sceleratéque fiat: neque vtilitatem percipiet, si piè colatur: sed nos ipsi sumus, qui ab eo in nosmetipsos vel supplicium, aut multa bona elicimus, illud quidem malo in eum animo ac studio nostro, hęc nostra in eum charitate. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachij multorum.) Similes eiusdémque generis homines cum hominibus bellum suscipiunt, & multitudo vnum pro potestate & imperio coërcet. Nemo igitur Deo aut incommodum vllum dare, aut beneficium potest, sed sibi. Qui enim, vt quidam ait, lapidem sursum iacit, in seipsum iacit. Et non dixit, Vbi est Deus, qui fecit nos, qui ordinat vigilias nocturnas?) Qui proximis iniuriam inferunt, ij Deum memoria non coluerunt: neque eius administrationem rerúmque ordinem consyderauerunt, nec rectis oculis mundum viderunt, neque Deum eius principem auctorémque metuerunt: sed quasi inter eos, qui principe imperióque carent, degant, mutuis cædibus se de medio tollebant, vel vt lupi rapientes aliena, vel tanquam equi, ad fœminas insanientes, vel vt angues mordentes, vel vt scorpij vulnerantes. Qui me distinxit à quadrupedibus terræ, & me super volucres cœli erudit.) Qui tantam nostri rationem habuit, vt Deus, vt ne noctu quidem conseruationem nostri negligat: & à bestiis nos segregauit ac distinxit: nos, qui tantam procurationem accepimus, non id quod homines facti sumus, conseruauimus, sed mores ferarum alij in alios induimus, Deúmque in nos concitamus, attrahimúsque in nos supplicia. Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum. Absurda enim videre non vult Deus. Ipse enim Omnipotens inspector est omnium qui scelera admittunt, qui saluabit me.) Cum enim malos condemnabit, tum clamabunt, nec erit qui opem ferat: quemadmodum etiam ipsi eos quibus iniuriam inferebant, cum clamarent, non respexerunt, sed sceleratè in communem naturam petulantes fuerunt. Deus autem nec scelera vult admitti, quòd mala odit, neque vt bonus homines dedi suppliciis: (misericors enim est, & miserator, longanimis, & multæ misericordiæ:) sed ipsi ad se trahunt itam & supplicium, dum & flagitia committunt, & Deum ignoraturum arbitrantur, qui eorum facta operáque omnia habet cognita ante illos natos, & actiones intuetur. Quoniam igitur iustus est, in eos quidem qui amentia peccant, animaduertit: eos autem qui in viam redierint, salute dignatur. Non vult enim mortem peccatoris, sed conuerti eum & viuere. Iudicare coram illo, si potes eum laudare, vt est.) Si enim quantum debes, eum laudare non potes: (quicquid enim à te perficietur, exiguum erit ad eius dignitatem) quomodo poteris aliquid eorum quæ ab eo decreta sunt, consyderare? Nunc enim non est qui furorem eius accuset, nec agnouerit scelus valde.) Neque enim quisquam scit, qua ratione iram suppliciúmque inferat. Quomodo igitur quispiam accusabit eum, qui nihil iniustè facit, sed omnia cum iudicio & iustitia, nec vlla in te peccat? Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.) Imprudentia & ignoratione grauia verba molestáque fundit, contendens ante tempus iudicium Domini enunciare. Hæc cum dixit, rursus orditur. Addens quoque Eliu, hæc loquutus est, Sustine me paululum adhuc, vt te doceam: adhuc enim habeo quod loquar. Repetam scientiam meam à principio: & re vera tibi iusta dicam.) Fer me paulisper. Sunt enim etiam quę tibi enunciem non abhorrentia à vero, eáque tibi repetens à principio exponam: nec quicquam dicam nisi quod sentio, sed illa ipsa, ac non iniqua & iniusta explicabo. Iniustè intelligis.) Non est enim intelligentis & sapientis simulatio, sed quod quisque sentit, id etiam debet dicere. Hęc autem amicis premens eos, dicit, quòd cum aliud de illo cogitarent, tamen aliud dicerent. Scito Deum non abiicere innocentem, cum ipse potens sit: sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. Non auferet à iusto oculos suos: & cum regibus in solio collocat eos, & in victoriam exaltabuntur. Et qui fuerunt in catenis, continebuntur in funibus paupertatis. Indicabit eis opera illorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt: sed iustum exaudiet.) Quod ait, hanc habet sententiam: Ego nihil eorum quæ sentio, deprauans aut corrumpens dico: sed vt sentio, sic etiam simpliciter animi sensa exprimo. Hoc enim tibi velim persuadeas, Deum qui potens sit, eum qui culpa vacat & simpliciter loquitur, non esse auersaturum: miserturum autem non esse improborum. Non enim sine iudicio est eius misericordia, sed consyderata. Dat autem vnicuique præmia siue pauperi, siue diuiti. Vt enim improbos punit (oculi enim Domini super facientes mala, vt deleat de terra memoriam eorum) sic bonos bonis afficiens, ab eis oculos prouidentiæ suæ nunquam auertit. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, vt illos & collocet ad victoriam claros, & declaret illustres: quinetiam eos, quos vinctos manicis vidit, liberos à vinculis dimittit propter illorum in se charitatem: eósque rursus castigans respiciet. Cum auté scelesti homines se ad summum dignitatis gradum ascendisse existimabunt: tum eis quidem pro meritis tribuet, bonis autem dabit fructum suum. Et loquetur, vt reuertantur ab iniquitate. Si audierint, & seruierint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.) Quòd si redeant in viam, Deóque seruiant: non iam pœnas luent, sed salutem adipiscentur, vitámque æternam & decoris gloriam. At improbos non liberabit, propterea quòd & Dei notitiam habere, & admoniti parère noluerunt. Nam neque per se Deum cognouerunt, neque alij docenti credere voluerunt propter malam animi constitutionem. Neq; enim vel naturali iudicio, vel ex sui procreatione, vel ex mundi contemplatione, vniuersitatis huius Deum cognouerunt. Cúmque animus eius notitiam in se cótineret, indicarétque coagmentationis auctorem, & mundus mundi conditorem prædicaret: tamen nihil horum eorum mentem excitauit, quòd vltro ac sponte animi aciem obcæcassent, cum cogitate deberent, omne quod coagmétatum & conglutinatum sit, non per se esse conglutinatum, sed ab alio: siquidem nec domus sine architecto, nec nauis sine nauis fabro, nec pallium sine sartore, nec mundus sine eo qui eum ornauit atque distinxit, extare vllo modo potuit. Quòd si id quod fit, neq; à pari, neque ab inferiore minoréque efficitur: Deus autem infinitis partibus omnia superat: profecto is est eorum quę sunt & auctor & procurator: quandoquidem nec habitus est sine eo qui ordinat, nec lyra modulatum sonum edit sine eo qui cantum ratione accommodat. Ita nec ea quæ sunt, fine Deo qui illa in lucem protulit, fuissent, nec facta permansissent, nisi eiusdem prouidétia præesset, quæ tribueret quod cuiusque naturæ accommodatum est: iis quidem quæ mentis sunt & rationis, cóseruationem ac custodiam: animalibus autem, generis propagationé: iis vero quæ inanima sunt, permansionem: & aliis quidem alimentum triticum præberet, aliis autem pabulum, nonnullis herbã, quibusdam semina, aliis carnes: quémadmodum ex loco illo intelligi licet, Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore: quorum quoniam nihil animo & ratione intellexerunt consyderarúntque nefarij & impij homines, iure ac meritò pœnas luent. Simulatores & callidi prouocant iram Dei: neque clamabunt, cum vincti fuerint ab eo.) Ij qui aliud animo sentiunt, quàm loquuntur, sibi mala coaceruant, sententiáque condemnati, rogare non poterunt, neque enim audebunt. Morietur ergo in iuuentute anima eorum: & vita eorum vulnerabitur ab angelis.) Quia inopem inquit, & pauperem oppresserunt malis, adolescentes repentè morientur, animíque eorum sine senectutis sensu punientur, sempérque recens erit eis ac nouus ignis supplicij causa adhibitus, vt locus ille declarat, Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur: eísque pœna & supplicium erit in sensu. Hæc cum perpetientur, pœnas dabunt eorum malorum, quibus alios affecerunt, sic vt ne manus quidem erigere, opponeréque præ imbecillitate non possunt. Iudicium mansuetorum pronunciabit.) Quietũ, benignum, leue est præceptum Dei. Igitur saluabit te de ore inimici, non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. Et non tardabit iustorum iudicium:

G ira autem super impios veniet, propter impietatem donorum, quæ recipiebant ob iniquitates. Ne te detorqueat sponte intelligentia deprecationis pauperum qui sunt in necessitate, sed caue ne facias iniquitatem, & omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis: sed caue, ne declines ad iniquitatem. Hac enim te exemisti à paupertate.) Vt illud, Quis ibit, & decipiet mihi Achab, vt ascendat in Rha moth Galaad, & cadat ibi? sic in hoc Deus sumet supplicium de impiis sceleratísque hominibus, per eos qui illorum sunt similes. Vt igitur ibi per mendacem spiritũ Achab interfecit propter ipsius scelus atque impietatem, sic hoc loco: Eiusmodi enim sunt improborum præmia. Quemadmodum autem flumen à Syris vocantur fundamenta, quæ firma non sunt: sic non erit basis impiis, nec status vllus, quòd in lucris dignis supplicio mentem animúmque defixerint, manúsque in ea quę iniusta erant, porrexerint: & acceptis muneribus eorum qui ferebant, in iudiciis iuris fuerint proditores, non attenti ad id quod consentaneum erat, sed ad eum qui xenia dabat, vt verba illa indicant, Xenia & munera excæcăt: tu vero mane inflexibilis, ne fortè cum in animum induxeris aliquid, quod contra ius est & æquitatem hoc in mundo facere, repente hinc migres, ac † sine his inuentus, temetipsum pœnis obiicias atque dedas. Hoc enim eis eueniet, qui sibi, non Deo opes diuitiásque congesserunt. Tu verò si manum in pauperem erogandæ alicuius rei causa extenderis: tibi quidem profueris, eum autem ab inopia non liberaueris. H Ecce Deus firmus erit in fortitudine sua. Quis enim ad eum potens est? Quis poterit scrutari opera eius? aut quis audet ei dicere, Operatus es iniquitatem?) Deus enim, inquit, est, qui patientiam dat pauperi, cum eius indigentiam subleuare possit, & pauca, vt multa ad satietatem præbere, plurésque cupiditates atque appetitus retundere, & corroborare naturam, præsertim cum sit effector. Quis enim ea quę facit, cur faciat, expendet? nec quisquam est liber ac solutus ab eius potestate. Quæ enim fecit, ea arbitratu suo mouet. Neque enim, inquit, opus auctorem accusare potest. Memento igitur Iob, quòd magna sunt eius opera, † quotum homines fuerunt. Omnis homo vidit ea, quotquot vulnerati sunt viri.) Considera, quàm mirabilia sint Dei opera, quæ priores cum essent contemplati, obstupuerunt, Enoch, Noë, pater noster Abraham. Omnes enim homines per se monumentũ habent, & in se opificis sui notitiam, quos charitas & beneuolentia impellit, vt reputent ac cogitent, quis sit & qualis Deus, qui hanc rerum vniuersitatem conglutinauit, quemadmodum locus ille indicat, Ex magnitudine enim & pulchritudine creaturarum auctor originis rerum pro portione cognoscitur. Et rursus: Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & sapientia. Hanc enim notitiam & intelligentiam appellat vulnus, non plagam ipsam dicens, sed vt ita aliquis dicat, I sensum. Solet autem scriptura eiusmodi cognitionem & contemplationem vulnus nominare: vt cum ait, Stipate me malis, quia amore vulnerata sum: quo loco suam in Christum sponsum affectionem & animum Ecclesia vulnus suum esse dicit. Simili ergo modo Eliu ait, Omnis homo vidit ea, quotquot vulnerati sunt viri. Syri autem non hoc significare & declarare volunt hanc orationem, sed omnem hominem esse mortalem & interire: ob eámque causam illud, Omnes qui vulnerati sunt, pro, qui intereunt & dissoluuntur, positum esse volunt. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis.) Eius quidem opera ipso finita sunt: ipse autem à nemine, nec à seipso, cum sine principio sit, & finem non habeat. Tu enim idem es: & anni tui non deficient. Qui numeras guttas pluuiæ, & effunduntur pluuiæ in nubem. Fluent quæ veterascunt, in caliginem coactæ multos homines operient. Nubibus contexit infinitos homines: horam & tempus pecori constituit, & aquis cubilis locum.) Non obseruatione, & vt ita dicam, experientia horum notitiam & scientiam habet, vt si numero vsus esset, vnus, duo, tres: sed antequàm orta essent, eorum quæ fiunt, habuit notitiam & scientiam. Cum sit ipse scientia quæ principio caret, & Deus qui ortum non habuit: in eo solo verè illud dicetur,

Locus hic 3. li. Regũ corruptus est in Græco.

τούτων ἐκτὸς εὑρεθεὶς *al. extra hæc.*

ὧν ἤρξαν.

Ipse quidem & sabuli numerum, maris & metra noui:
Quódque leue est scio, me feriunt sed & ora leonis. K

Qui enim Crœsum opinionibus fallebat, verbo mentiebatur, cum horum † sibi testimonium diceret. Qui enim hæc effecit, is habet etiam eorum exploratum ac certum numerum, non ab arithmetica, sed à scientia & cõtemplatione quæ principio caret. Ipse enim scientia, vt etiã essentia quæ ortum non habuit, ab initio voluntare ea quæ non erant, in lucem protulit, quæ etiam antequàm fecisset, nouerat. Nota enim sunt, inquit, Deo ab æternitate opera sua. Et rursus, tu Deus cœlestis, qui scis omnia ante generationẽ eorum. Et rursum, Tu cognoscis extrema & prima. Itaque ei cognita est, & cœli altitudo, & terræ latitudo, & immensitas siue abyssus, & eorum numerata habet tempora, pluuiæque guttas. Eius enim voluntate ac nutu nubes coguntur. Congregans enim sicut in vtre aquas maris: & ponens in thesauris abyssos. Eiusdem voluntate hæc effundũtur in terram. Ait enim, Qui aduocat aquam maris, & effundit eam super faciem omnis terræ, Dominus omnipotens nomen illi. Defluet igitur aqua ex nubibus, & inueterascet. Defluent enim quæ inueterascunt. Hic est, qui iubet aëra nubibus operiri hominibus, ex nubiũ crassitudine, vt ex loco illo intelligi potest, Qui operit aquis superiora eius, & vmbræ instar extendit mundo quasi pellẽ nubes, vt noctu nihil videat splendidissimum diem. Hic est, qui etiam iis, quæ sunt rationis expertia, ordinẽ & locum constituit, mouendíque se de loco tempora concessit. In natura enim naturale eis præsidiũ, id est, sensum dedit. Homines au- L tem hoc meditatione, vsu, & disciplina comparare voluit, eis ratione iudicióque distinctis. Itaque † natus, sensu fontem lactis percipit: eodémque modo & catulus leonis, & pullus equi, & bouis iuuenca, propterea quod natura eis deest ratio. Nisi enim eis sensus insitus fuisset, interissent propter rationis penuriã. Norunt pulli auium matres, vocémq; exaudiunt, & apes aluearia. At homo à primo ortu non audit, nec à verme vlla re differt, nisi vagitu: nec verò accurrere ad nutricem, nec saltare potest, nisi mater brachiis complexa eum ad mammam afferat. Hoc autem fit, non quòd præstantiora sint ea quæ ratione carent, iis quæ eam habent, sed quòd illa quidem propter rationis priuationem sensu contenta fuerunt: in hominibus autem ratio satis magnam vim habuit ad præsidium educationémque eius quod est procreatum. A primo ortu bestiis dedit ad conseruationem sui submersionem in terram, antrum ad perfugium, volatum in aëra, pernicitatem pedum, sensum acriorem, leue faciléque ad concoquendum alimentum, ad fugam celeritatem. Hominibus autem, vt rationis participibus concessit sapientiam & artem ædificandi domos, condendi vrbes, multitudinem congregandi, concoquendi cibum domesticum, constitutis pręscriptísque vescen- M di, lege commercia faciendi, ratione puerorum educationes, multóque labore, in agris serendi semina, inserendi, nauigandi, mercandi, leges condendi, sacerdotes creandi, reges constituendi, magistros audiendi, equorum tarditatem corrigendi, vecturas iumentorum & asinorum, qui maximum laborem perferunt, plaustra currúsq; inueniendi: idem nauẽ fabricatus est, aratrum composuit, texendi artem inuenit, fabricam æris ostẽdit: vincit leones, vrsas, leopardos, apros sine furore: auem ex aëre deducit, nec volat: piscem ex mari extrahit, nec se submergit: aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum & stannum ex terræ hiatibus & visceribus fodiendo elicit: gemmas Indicas, & telam tenuem quam Seres conficiunt, cum vermium procreatio sit, inuenit: marinæ conchæ sanguinem curiosius res scrutans habuit, id est, florentem purpuram: non latuit eum pinna: non præteriit eum bombyx: non fugerunt eum diuersi qui byssum faciunt colores, non varia aromatum genera, non grana Indica, non herbarum flores, non vis stirpium, non anguium proprietates, non piscium aut auium varietas: non eorum quæ nocent declinatio, non eorum quæ prosunt vsus, non ex medicina valetudo, non apum opificium, non ipsius lactis suauitas, non baccarũ multa genera, non harum qualitates. Hic pascit, gregibus præest, oues pascit, bubulcus est, auriga, in equis sedet, elephantis præest, dux est belli: hic consulit vxori, liberis, domesticis, animalibus quæ opus faciunt ad ministerium eorum quæ ipsi data sunt à Deo.

ἐκείνῳ, in textu ... Crœso.

νεογνὸς *in Græco, sed corruptum est verbum.*

A De hoc scriptum est illud, Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria & honore coronasti eũ, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Ob hæc nõ obstupescit mens tua, nec cor tuum distrahitur ex corpore?) Hæc, inquit, omnia cogitans, an nõ times eum, qui ita res creatas hominibus subiecit, & mundi ornatum hominem fecit? Quomodo non totus quodammodo efficeris tantum animus, & de his cogitantem corporis te non capit obliuio? Et si intelligas extensionem nubis, æqualitatem tabernaculi eius.) Quòd si æqualitatem, æquabilitatémque ac cõcinnitatem nubis consideres: quem tãdem nubis effectoré esse existimabis? quæ nã runcina aliquid vnquam ita æquabile politúmque perfecit? Quod vnguentum, quænam sagina vnquam ita admirabiliter æquabile aliquid exacuit? Ecce intendit in eam arcum.) Arcum irin dicit, quam nonnulli zonam siue cingulum vocant. Moses autem τόξον, id est arcum, eam appellat, Daniel irin. Ac ille quidem ita scribit, Arcum meum pono in nube: Hic autem, Et ecce iris, & sanctus de cœlo. Cuius quidem aspectus solus eum qui intuetur terrere potest. Quodam enim modo emissus Dei sapientiam enunciat, cum & tot colorum pulchritudine præstet, & tam magnus sit, & circulum aspidis nactus sit, qui exprimi nõ potest: excitánsque nos ad agendas Deo gratias, impellit vt illud magno clamore dicamus, Quàm magnificata sunt opera tua domine: omnia in sapientia fecisti. Et radices maris B abscondit.) Infusione profundi maris radices obtuit. Quẽadmodum quodam loco is qui ea viderat, ait, Vinctum fuit caput meum ad scissuras montium: descendi in terram, cuius vectes retinacula sunt æterna. Per hæc enim iudicabit populos.) Omnes enim homines fecit vt ex his cõstarent. Qui enim vsum hunc acceperunt, nec agnouerunt effectorem, eis nulla est reliqua defensio. Omnia enim quæ cernuntur siue in cœlo, siue in terra, quasi vocem mittunt, & prædicant. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annũciat firmamentum. Quocirca homo, qui & sensu & ratione ornatus est, cũ nec sit per se, nec factus sit, nec alatur, quid aliud cogitare, nisi effectorem, eíque addictus & coniunctus esse debet? Dabit alimẽtum forti.) Nam & magnis ipse & paruis suppeditat omnia. Quis enim vescitur, quis bibit sine eo? In manibus abscondit lucem: & præcipit de ea vnum occurrenti. Annunciat de ea amicis suis.) Pro potestate & auctoritate sua facit quod libet, luci noctem inducens, & tenebris diem. In omni autẽ re, quæ incidit, homo in se dei pręceptum continet, & voluptatem nõ simpliciter, sed vnà cum vtilitate, cognoscit ex fine eius qui omnia condidit. Domini creatura, & de iniustitia, & super hac expauit cor meum & emotum est de loco suo.) Creata, inquit, natura Dei est. Cum autem homines alios aliis vltro citróque iniuriam facere ac nocere animaduerterem, cor meum conturbatum est, C parúmque abfuit, quin diuulsum sit, quòd admirarer improbitatem malorum, Deíque patientiam. Audi Iob in ira furoris domini: & meditatio ex ore eius procedit.) Si ergo eum iratum videris, pronunciantémque sententiam contra impios, scito eum non perturbatione vlla inciratum & impulsum pœnam infligere: sed quòd scelus & impietas ei vt iusto iudici non placeat. Subter omnes cœlos principatus eius: & lumen eius super terminos terræ. Post eum rugiet sonitus: tonabit voce magnitudinis suæ, & non mutabit eos, cum audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce sua.) Potestas, inquit, eius ad omnia pertinet, terræq; terminus in eius est manu, & sunt eius excelsi montes. Idémque & lucem diffundit, & eius amotione ac cõtractione tenebras inuehit. Nihil enim eius imperio obsistit: omnes autem minas eius audiunt: non tamen omnes puniũtur, sed sontes: vt in Ægypto eadem aqua aliis potus vsum præbebat, aliis erat sanguis: & dies aliis fuit lux, aliis tenebræ. Et grãdo atque ignis aliorum animalia incolumia seruauit, aliorum autem consumpsit. Mors etiam ea quæ prima genita fuerant apud illos non attigit, apud hos rapuit atque deleuit. Cum igitur fulgor atque tonitru insigne extitisset, fulmen iactum est violentum, facésque ignis: ac fruges quidem combusserunt, fructus arborum consumpserunt & domos incenderunt, homines autem non attigerunt. Qui enim ea emiserat, non imperauerat vt

Cap. 37.

interficerentur, sed vt castigarentur ab inanimis rebus ij qui D anima præditi erant: vt etiam dominus, cum fico quæ fructum non habebat, male præcatus est, eámque exiccauit, tum vim suam declarauit, quòd nisi perfidi in viam redirent, eodem modo afficerentur suppliciis. Rursum duo vnà iter faciunt, eorúmque vnus seruatur, alter assumitur, vt ostendat illum quidem vt causam atque auctorem obiurgatum castigatúmque esse fortassis vnius supplicio, vt alter in viam rediret. Quòd si multi puniuntur, vt in eluuie terrarum accidit, & in incendio, aut eos qui in Ægypto superfuerunt admirabuntur, & mutata vita serui Dei fient, aut metu coacti ei seruient. Fecit enim magna quæ ignoramus, præcipiens niui, vt descendat in terram, & hyemi vt imber, fortitudinibus suis.) Imperio enim ac nutu eius fit quicquid libet. Non enim primum reponit, deinde quasi ex theca profert, sed quia vult, ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, proferuntur in lucem, pluuia, nix, gelu, grando. Qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli infirmitatem suam. Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.) Qui niuem fecit, intercludit iter homini, vt norit imbecillitatem suam. Atque ij quidem qui rationis sunt participes, se iudicio tuentur. Ea autem quæ sunt rationis expertia, solo sensu. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus. Flante Deo concrescit gelu, & aquam vt vult format. Electum terret nubes, & nubes spargunt lumen suum. Atque ipse orbes torquet, in infimis partibus pones opera eorum: Omnia quæ eis E præceperit, ea ordinata sunt ab eo in terra siue ad correctionem, siue in terram suam, siue ad misericordiã ea iusserit inueniri.) Eius enim potestate hæc fiunt omnia, non in aliquo sita promũtur. Vt autem gubernator clauum tenens, nauem quò vult incitat & impellit: sic ipse aquam quò vult, agitat, nec ei vt natura humida elabitur: & interdum in nubem eam cogit, interdum in niuẽ vertit, rursúmque in gelu, tum in grãdinem: neq; hoc solum, sed eius etiam genera dissimiliter mutat, modo dulcem, modo amaram reddit, aliàs salsam, aliàs nitri saporem præferenté, interdum sulphuris ac bituminis: & frigidam illam, hanc præter modum calidam. Rursus cum pluuiam in terram effundit, atque mundum suum quasi ortum quendam irrigauit, vna aquæ qualitate dissimiles facit mutationes, & hanc quidem in suaue vinum vertit, illam in pingue oleum, aliam in mel, varióśque fructus, deinde etiam in alia genera frumentorum, & varia leguminum genera: herbam eandem in varia & diuersa genera venustatésque florum. Imperio enim tenet omnia, siquidem contentus est voluntate ad omne id, quod vult, Operiens autem cœlum nubibus, eis qui se metuunt admirationem sui stuporémque excitat: admirabilitásque nubium laudis ac gloriæ ei tribuendę est monumentum. Nubes autem ipsæ interdum lumen solis obtuunt: interdũ contrà ab eo dissipantur. Gubernatur porro Dei nutu hæc rerum vniuersitas. Eius enim voluntate ele- F menta quoque mutantur, vt eorum mutatione ac vicissitudine rerum ordo conseruetur, & quæ in eis continentur. Omnia enim firma esse ac fixa voluit imperio suo, quod non violant, quemadmodum ex loco hoc intelligi licet, Præceptum posuit, & non præteribit: & ex illo, Non transgredientur verbũ eius. Quibus enim rebus hominẽ ali voluit, iis rursum solet eundem conuertens punire: velut per pluuiam interdum fertilitatem, interdum famẽ procurat: & ignis idem aliàs alit, aliàs comburit, aliquãdo illuminat, nonnunquam etiam in rorem se vertit. Quemadmodum etiã aqua nonnunquam in sanguinem mutatur supplicij causa, interdum in vinum, beneficij. Eius enim voluntati cedunt omnia, atque in eam cadunt. Qui, inquit, facit omnia, atque mutat, & conuertit in diluculum vmbrã, & diem in noctem obducit, & aquam ad hominum transitum diuidit: terram autem fructiferam in salsuginem vertit, & per aëra pluit cibum inusitatum, & ligno amaram aquam dulcem reddit, atque ignem incensum in auram vertit, ferásque bestias mitigat, ne bono ac iusto noceant, & auibus alit, atque ex paucis multa, & ex multis pauca efficit: atque vt summatim dicam, qui omnia quæ voluit fecit ac facit. Vis enim ei est voluntas ad omnia. Nam & consilio magnus est, & potens operibus. Hæc, Iob, consydera. Vim, inquam, Domini consyderans, scis quando posuit

G opera sua, quando lucem fecit ex tenebris: scis secretionem dissipationémque nubium, mirabiliésque casus improborū.) Qui hæc fecit omnia, vniuersaque gubernat: is omnia omnibus præbet, atque vt libet conuertit. Qui lucem ex tenebris fecit.) id est, qui mensura quadam diem à nocte distinxit, nubésque secreuit sapientia, & hominem animal rationis particeps fecit, eique legem dedit: is eos quidem, qui rectè se in omnibus gesserunt, paruerúntque præceptis, liberat: eos autem qui præcepta legésque violarunt, sceleratéque & impiè multa fecerunt in eum qui legem tulit, singularibus suppliciis afficit. Vestimenta tua calida sunt, & quiescunt in terra flante Austro: firmabis cum eo, in vetustatem fortitudinis visio effusionis.) Tu vero ne ex veste quidem tua poteris calere. Calor enim qui à te proficiscitur incendit per relationem, & ignescit alio quodam modo: sed in te idem desiit ac quieuit, & vt ita dicam, coniunctus est. Tu verò qui solidus & firmus es, vetustatis incommoda sentiebas agendis gratiis: & obruens obliuione labores tuos, Dei opera faciebas. Vt enim his, qui intelligit intuetúrq; aliquid, stupidum habet oculum, cernénsque non cernit: sic etiā is qui Dei opera contemplatur, præ stupore & admiratione etiam si rigeat, tamen non sentit, quòd totus sit in eorum quæ videntur pulchritudine occupatus. Ostende nobis, quid dicamus illi, ac tum multa dicere desinemus.) Doce, an non ita hæc habeant: ac nisi ali-

H quid habemus, accusato eum, qui hæc præparauit. Quòd si inueneris quod dicas, finem dicendi faciam concessa tibi victoria. Nunquid liber aut scriba mihi adsuit, vt stans homini silentium indicerē? Non enim omnes vident lucem. Splendida est in vetustatibus, vt illa quæ ab eo exierunt in nubibus.) Quæ ego cogito, ea voce clariora sub aspectum cadūt. Nam & ab eo facta sunt, & imperio eius nubes in terrā pluuiam effundunt. Ab Aquilone nubes quasi autum resplendent.) Omni ex parte potētia eius ostenditur. Omnia enim, inquit, tibi seruiunt. Omne enim quod ortum est, debet effectori, nec quicquam est ab eius dominatu solutum ac liberum. Ob hæc magna est gloria, magnus honor Omnipotentis: nec inuenimus alium similem ei, & fortitudini eius.) Atque in his, quæ sub sensum oculorum cadunt, is qui præpotens est rerum omnium, magnus est, clarus, & terribilis, nec quenquam simili, paríque statu & potestate præditum habet: statu quidem, quòd ortum non habuit: potestate ac virtute, quòd filij est pater. Neque igitur est aliquis alius rerum omnium auctor & causa, quàm is qui est rerū omnium præpotens: neque alius quasi sequester earū originis, præter vnigenitum Deum, qui in principio erat Verbum, & ante omnia, per quem omnia: ante omnia, siue omnes quidem, quòd primogenitus est omnis creaturæ: per quem porro omnia, quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nec verò Verbū est vt vox, nec Deus, quasi principio ca-

I reat, sed Verbum est quidem, quòd sine medio, & vt ita dicā, immediatè natus est, voluntate & virtute generatus, non naturæ affectione, non diuisione essentiæ. Qui enim eum genuit, is interire non potest, vt qui immortalis est. Qui autem genitus, is etiam non potest interire ex sua dignitate, vt vnigenitus Deus. In iis porrò quæ interire non possunt, nec mutatio, nec diuisio, nec commutatio, neque progressus, neque transmutatio cogitari & intelligi potest. Non enim homo est is qui genuit, sed Deus verus, sanctus. Itaque generatio etiam digna Deo, nihil humanæ affectionis habet admixtum. Nam & genitor statum dedit, non communicauit: & is qui generatus est, factus est ei vita, non eī participauit. Magna est igitur præpotentis rerum omnium gloria, magnus ei honos ab omni natura quæ rationis est particeps, & sancta, debetur, quippe cuius & natura & vis non cadat sub comparationem. Neque ergo ὁμοούσιον aliquid eius est, id est, eiusdem essentię: cum enim interire non posse diximus: neque ὁμοούσιον, id est, vnius essentiæ: comparari enim non potest. Nec similem inuenimus ei nec fortitudini eius.) Intelligendum est, non fieri ab eo hoc loco mentionem virtutum quæ non vidētur, quæ eædem cœlestes sunt, sed ex iis quæ cernuntur, gloriam tribuendam docet. Qui iusta iudicat, non putas eum audire?) Si conuēnit inter nos, eum iustum esse, iudicémque eorum, qui iustitiam negligunt & repudiant, quomodo non

In Græco est vtrobique ὁμοούσιον, sed legendum est ὁμοιούσιον i. similis essentiæ. Pater enim, filius, & spiritus sanctus, sunt ὁμοούσιοι. id est eiusdē essentiæ siue naturæ, nō similis.

audiet & intelliget iustitiam & æquitatem? Ideo timebunt K eum viri, timebunt eum qui sapientes sunt corde.) Ij quidem qui eius notitiam non habent, necessario, vt in terræ motu & tonitru, quòd non sunt munda conscientia, metu minarum conturbabuntur. Qui autem eum ex animo ac vere cognoscunt, timent illum, quòd natura metuendus sit, súntque serui eius humanitaris. Atque in his omnibus Eliu optimum consilium Iob dedisse constat. Accusat enim non eius impietatem & scelus, sed nimis temerariam fiduciam. Cum Eliu finem dicendi fecisset, dixit dominus Iob.) Tanti faciens homines Simul Deus voluntate patris, vt cum eis in colloquium veniat, diuersis modis se ostendit. Nam & hominis specie ac figura aliquando Abrahamo visus est, vocéque sententiam suam exprimit, & cum Iacob viri specie luctatur, cum eius metum, quem Esau incusserat, deponere vellet, atque fiduciam ei afferre, & ante hos tum Adamo, tum iis qui eum sequuti sunt, & aliàs per signa, vt Mosi. Quinetiam Paulo, omnibúsque simul Apostolis præsidium auxiliúmque suū declarat, cum eis se Spiritum sanctum missurum esse pollicetur. Atque Adamo quidem per præceptum, id quod voce perfectum est, itémque eius posteris, se ostendit. Mosi autem ignis specie in dumo, atque hoc fecit in prima, vt ita dicam, apparitione: habitu verò & specie postea, & vt amicus amico apparuit. Cum ergo ei ostendit ignem qui non comburebat, sed comburere videbatur, eius aspectum ad rei tam nouæ L spectaculum excitat. Itaque cum ille propius eius videndæ causa accederet, vox ei indicat locum eum in quo staret, sanctum esse, atque ex hac oratione statim quisnam is esset qui indicauerat, intellexit. Nonnunquam vero cum dignam iudicaret gentem, quam participem faceret integrę vocis, quòd grauiter audiret, duróque & inflexibili animo esset, qui Ægyptiaco morbo laboraret: non leui aliquo argumento visus est. Caligine enim, & clangore, ac procella cum igne eos terret, vt diuinam prouidentiam curámque intelligerēt. Quod quidem eò faciebat, ne Moses putaretur suopte sensu & captu rectè facta, id est, vt ita dicā, iustificationes, & iudicia dicere, sed ipsi qui audirent cum tanto terrore ac metu, non Mosis, sed Dei verba esse crederent. Qua quidem voce exaudita, metu exterriti propter tubarum clāgorem aliósque terrores, magna voce hæc Mosi dicebant, Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Deus, ne moriamur. Atque his quidē & posteris ita conueniebat: & Apostolis vim operationémque Spiritus sancti ostendebat linguæ ignis specie, qui non combureret, sed illustraret, atque his promissum exoluebat. Beato etiam Paulo voce & lumine visus est, neque id testimonio carere voluit. In via enim visus cū terruisset, fecit, vt ij etiam qui cum eo erant, exaudirent: sed quid faciendum esset, soli Paulo aperuit & enunciauit. Hoc autem procurat, vt testes habeat eorum quæ dixit. Nunc verò in re quæ agitur, ex nube & turbine cum Iob verba facit. Per ea igitur quæ libet loqui M videtur, docens, & statum voluntate sua habuisse omnia, & eadem voluntate se in id quod vult ea quæ sunt accommodare, non quòd naturas essentiásque mutet, sed quòd eas quò vult, trahat & impellat. Nam & vt iumentum quod rationis expers erat, loqueretur, fecit, & virgam in serpētem vertit: & aquas aliàs in sanguinem, aliàs in vinum: & verba ex nubibus facit, & vocem iis quibus vult rebus attribuit. Statum enim eius voluntate habuerunt, eóque sequuntur, quocūque ei videatur. Natura enim statum rectum & immutabilem ea quæ sunt habent, vt nacta sunt, sed hac ex parte, ratione nostra, ne esse quidem cogitantur. Cum enim non essent, ea pro potestate & imperio fecit. Cum ergo cum Iob verba facit, se & testem idoneum cui credatur, & rerum omnium opificem esse docet, & simul eius virtuti testimonium dicere videtur. Debuit enim is qui per eiusmodi visus erat, eiusmodi testimonio non carere, diaboli quidem refellendi causa, sed iustitiæ virtutísque viri indicandæ: neque hoc solum, sed etiam tollendæ diluendæque amicorum de eo suspicionis ac dubitationis gratia. Sapientissimus autē vir Eliu, nullo modo vitam beati Iob culpasse videtur, audaciam verò verborum ei obiicit. Nam amici quidem cum eius vitam reprehendissent, rationibus reprehensi, ac conuicti, iure nihil habuerunt quod dicerent, sed victoriam taciturnitate confessi sunt. Eliu autem

Cap. 38.

A tem multis agitatis rationibus, atque sermonibus, quos ante commemorauimus, hortatur beatum virum, vt assentiatur: confiteatúrque sermonis errorem. Neque enim aliunde doctus, sermonem cum eo habuit, sed quòd cum totius rei auditor fuisset, tum Iob ipsum hæc dicẽtem audiuisset, Si enim sum iustus, os meum impiè aget: si sum innocens, prauus deprehendar. Ex his igitur eum monebat, vt cederet, orationísque licentiam demitteret. Cum autem semper reticeret, existimabatur habere quod diceret: Sed cum nihil diceret, recusantis & despicientis suspicionem afferebat. Deus igitur se ostendens, Iob quidem optatum explet petentis responsum, simúlque id quod cupiebat, perficit, atque ipsi Eliu planum facit, nihil habere Iob, quod ad ea quæ dicta erant, responderet. Dei enim sermo est, quasi consensus quidam supplementi eorum, quæ ab Eliu commemorata sunt. Faciamus enim vt ita aliquis dicat, eum illi respondere noluisse, cum fortasse quod diceret haberet: num etiã apud me taces, inquit dominus, & me celare putas? Ait enim. Quis est iste, qui me celat consilium: continet autem verba in mente, & me celare existimat?) Esto, non respondisti, sed eum celasti animi tui consilia & cogitationes: num me etiam aliquid horum celare poteris? vt ex loco illo perspici licet, Ego Dominus vniuersæ carnis: abscondetur mihi aliquid? Cœlum enim & terram ego impleo. Valeant enim ij qui aiunt, non Iob Deum B hæc dixisse, sed Eliu ipsi, propterea quòd ille quidem dixerit, Plenus enim sum verbotum: perdit autẽ me Spiritus ventris: & venter meus quasi vter musti, feruens ligatus, aut quasi follis fabri ærarij ligatus & ruptus. Loquar, vt requiescam, & aperiam labia mea. Ad hoc igitur exordiũ, obscure, inquiunt, alludit Deus his verbis, Quis est iste, qui me celat consilium? continet autem verba in mente, & me celare existimat? id est, Putásne quemadmodum Iob eiúsque amicos verba, quæ in animo tenes, fugiebant, sic etiam mihi obscura & abstrusa esse? Hoc falsum est. Neque enim cum eo sermo habetur. Non enim ignorabat Deum videre non solum opera omnia, sed etiam cogitationes. Hæc enim ipse de Deo dicit, Ipse enim, inquit, inspector est operum hominum: nec eum quicquam latet eorum quæ faciunt: nec locus est, aut vmbra, vt abscondãtur ij qui faciunt iniquitatem. Dominus enim omnia intuetur: qui comprehendit inuestigabilia. Et tursus, Ipse enim Omnipotens inspector est omnium. Quòd si nihil latêre Deum sciebat, sed Dei scientia eruditus fuerat: certè non ei, sed Iob ipsi hæc dicta sunt, Quis est iste, qui me celat consilium? non quòd Iob ita de Deo sentiret, sed quòd ab illo, quia taceret, ignoraretur, cur taceret, vtrum quòd Eliu contempsisset, an quòd non haberet quod diceret. Apparés ergo Deus, Iob colloquio dignum iudicauit, & Eliu dubitationem diluit, quòd non contemptu taceret, sed verborum probabilitate suauitatéque captus, quiesceret. Itaque nunc etiam vt C iustus quidem & bonus, vt qui à Deo testimonium habuerit: vt autem non reprehendendus, vt qui nihil absurdum, nihílque indignum Deo loquatur. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi) Quoniam enim supra dicebat, Deinde vocabis me, & ego respondebo tibi: cur mihi abscõderis, & arbitraris me inimicum tuum? ei necessario ait ea quę subiiciuntur, docens, quantũ inter Deum & ipsum intersit. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius? aut quis induxit funiculum super eam? super quo bases & columnæ eius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem super eam?) Quod ait, hanc habet sententiam: Si aderas, cum fiebat, expone mihi, vt fundata sit: nũ mẽsuris & ponderibus mihi opusfuit? Nam homines quidẽ cum aliquid faciunt, materia egent, loco, auxilio, funiculo, rectáque regula, & lapide angulari, qui vinciat. Ego autem contentus fui voluntate ad omne id quod institui facere. Simul enim atque visum est mihi, quod decretum est, adest. Mihíne columnas in tanto efficiendo elemento ministrasti? an non satis ei fuit pro omni sustentaculo & fundamento voluntas mea? vt locus ille declarat, Qui fundauit terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Vinculum enim firmum, inflexibile, ac stabile, mea est voluntas. Non enim vt homines, firmum quiddam substraui, comportatis materiis quibusdam dissimilibus atque diuersis. Eam enim in re nulla D sublimem posui, sed stare passus sum sola voluntate, quippe cum voluntate etiam facta sit, & volũtate permaneat: quandiu mihi videbitur. Cum facta sunt astra, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei.) Cum enim naturas quæ animo & ratione cernuntur, quæ magnæ sunt creaui: magnum etiam miraculum ferebam, & vltra gloriam atque sapientiam, distinctionem naturarum, dignitatúmque varietatem. Cum verò ea quæ sub sensum cadunt, institui facere, magnam virtutis ac roboris abundantiam declaraui, extento cœlo, fixa terra, luce illustrata, nocte tenebris obruta, sole, luna, multísque stellis in cœlo descriptis atque distinctis: tum à naturis quæ ratione intelliguntur, Dominus constitutus sum, potentiámque virtutis affecerunt gloria, immensámque sapientiã mihi domino suo laudémque tribuebãt. Quod si Deus laudibus ornandus est ob stellarum molitionem, cur nonnulli socordes & ignaui causas malorum stellas esse censent? Si enim hoc datum sit, tamen non tantum ipsæ erunt, quantum earum effector, qui aut prauas malásque fecerit, aut factas non prohibuerit mala facere. Si enim illæ malorũ causæ sunt, nec eorum vim & actionẽ effugere possunt: sine causa & frustra etiam leges parricidam atque adulterum interfici iubent. Si vero nõ frustra, sed necessario non sunt stellæ causæ malorum, sed vniuscuiusque vitiosa mens, quæ vitium virtuti anteponit: hæ autem nos cogunt, nos vero culpa E caremus, & illæ malæ sunt, vt dixi, aut eorum auctot: quomodo malos suppliciis Deus afficiet, & bonis bonos, cum ea operetur? Sin Deus est bonus, nec vllius mali particeps: nullius est mali auctor, sed causa & effector omnis boni. Omnia enim quæ fecit, erant valde bona. Ita nullius mali quod factũ est, siue supra terram, siue in terra, siue in cœlo: quẽadmodum nec stellæ, præsertim cum animo careant, & per se ab omni motu solutæ sint & liberæ. Non enim sunt animalia quæ animo intelliguntur, vt ij qui multos Deos ponunt, censuerunt. Mouentur autem non interiore motu, vt animantia, sed externo: Dei volũtate atque nutu, signa & tempora cursu, qui eis atttibutus est, notantes. Aiunt autem Eudoxus & Aratus, Deum ipsum in cœlo stellas fixisse pro signis, & cum discreuisset, procurasse stellas in annum, quæ ea etiam, quæ maximè rata sunt, significent. Stellæ igitur ad temporum notationem constitutæ sunt, non vt mala operẽtur, & ad anni significationem, non ortuum & actionum. In hominibus enim situm est, vt viuant vel bene vel male, non in stellarũ potestate. Neque enim hominum voluntates aurigæ instar gubernant, sed tempotum circuitus regunt. Tempus enim, vt placet Platoni, per eas gubernatur. Nam tempus motus est quidam stellarum, solem & lunam cõsequentium. Si ergo hæc eis facienda commissa & credita sunt: nec ad virtutem, nec ad vitium quenquam possunt impellere & cogere: non enim eis concessum est. At cum vnoquoque, inquiũt, homine, stella nascitur, F quæ eum hoc vel illud certum quid facere cogit. Principio igitur, eorum ratione & sententia cœlum stellis non est illustratum & ornatum. Si enim cum vnoquoque stella nascitur: perspicuum est, stellam quæ hodie simul orta est, heri non fuisse: inueniẽtúrque homines antecessisse ortum suum. Hominum enim causa stella, non homo stellæ causa ortus est. Quod si verum est, non est dubium quin sint etiam superiores. Ita nullum ab eis motum homines habent, aut perferunt. Quod enim inferius est, ei quod superius est, vim afferre non potest. Præterea aut homo generat stellam, quæ cum hoc oritur, aut Deus, aut ex pacto vterq; & Deus & homo. Eius autem causa superior erit & valentior, vt causa: stella vero quæ inferior sit, superiori vim & necessitatem non afferet. Quòd si Deus stellam hanc condit, is erit, eorum quidem ratione & sententia, auctor malorum. Si verò ex pacto, præterquàm quòd par est vterque, paríque dignitate prędítus, Deus & homo, mali etiam erunt. Quomodo etiam Deus quidem leges dat homini, vt inferiori, hic autem vt inferior leges accipit, Non occides, Non mœchaberis, Non furtũ facies? Quomodo igitur ipse est auctor stellæ quæ hoc perficit? Quomodo est auctor malorum is, qui mala auersatur? Quòd si de stellis falsum asserit, cum ait, Si * trianguli formam efficiat Mars aut Venus, adulteros siue scortatores faciunt: & rursus, Si luna

* τριγωνίση.

G † in puncto medio circuli cum sole descripta & sita sit, magnos, claros, regésque prædicit: & paulò pòst, Si vero Martem videas in splédida Iouis domo, magno animo & fiducia expecta duces & reges: & deinceps, † Etenim occidentibus & se condentibus, vel vota vel tumultus affert. Hæ sunt impiæ tuæ fabulæ, ô tu, qui omnia temere & sentis, & dicis, & scribis: hæ in Deum contumeliæ, eiúsque operum dedecora. Nō dubirasti, ingratissime, dæmonum numina clarissimis stellis imponere. Si ergo ais stellas esse, dic plane, vtrum Deos quosdam, aut omnino stellas, Si posterius quidem dederis, alis tuis capiere. Quomodo enim illæ, quæ Dij non sunt, ea quæ in terra sunt, & quæ in cælo, curanr, cum nec rationis, nec sensus sint compotes ? Neque enim is qui eas deos esse negat, illis mundi tribuerit administrationem. Quòd si quia dij sunt, prouident & procurant, dic tu, qui mortis lingua es prẹditus, si Deus est sol, si luna, quomodo ille parricidas, hæc adulteros scortatorésque efficiat, cuius causa rumultus existunt? Si enim vtrunque malum sit, non dij quæ sunr, horum sunt causa. Si sunt ratione tua & sententia, dij, non hæc efficient. Quòd si deorum est mala perficere, vt tu maledictis Deum vexans dicis, noli verberare eum qui peccat, noli succensere vxori tuæ cum adulteratur, noli de parricida nec de fure supplicium sumere: da veniam. Neque enim in eis situm est, vt hæc faciant,

H sed motus eorum, qui à te in deorum numerum referuntur, eos cogit. Trahuntur enim, non sponte sua currunt, fati necessitate victi: ita misericordiam consequi, magis quàm supplicio affici debent. Si verò & contemnentem seruum castigas, & filium qui te verberauit exhæredas, & vxorem quæ adulterium commisit, eiicis, & cum afficis contumeliis, maledictísque vexas, mulctaris, & cum tua tibi eripiuntur, ad magistratus confugis, legésque imploras: non quid dicas audio, sed quid facias video. Cur enim non ignoscis, ô improbe, iis qui stellarum, aut ais, vi & actione impulsi, ea quę non decet, fecerunt, sed accusas Clotho, fusúmque collectum culpas, & in Lachesin Atropúmque conuicia iacis, cum tuam ipsius mentem animúmque deberes? Neque enim illæ hæc faciunt, cum ne sint quidem, etiam si pro fabulis poëtæ prodiderint: sed sua cuiusque vitiosa voluntas hæc facit, Deúsque est extra culpam eorum malorum, quæ ab vnoquoque fiunt. Causæ enim eius qui approbauit, vt ait quidam veterum, nō est auctor Deus: at reges à regibus procreantur. Quomodo igitur Darius, cum ptiuatus esset, Persis regia potestate pręfuit? Borchoser autem ex regibus rex natus, in Aethiopiam captiuus abductus est? Sed hoc si videtur, prætermittamus. Faciamus enim esse aliquem, qui semel pauper sit, & si hoc sua voluntate: num patris cursus cum filij cursu consensit? Atqui multos scimus & priuatos homines, qui regali potestate præfuerunt, & regem liberos, qui priuatam vitam egerunt. Quomodo disciplina tua consentire inuenitur cum vi rerum multa-

I rum, quæ eodem die & hora simul factæ ortæque sunt, cum interim non eadem homines egerint? Sed cum non assequitur id quod verum est, ait donum totum mendacibus periisse: nam coniectura incumbens in aliqua, id quod casu accidit, accuratæ cértæque scientiæ attribuisti: cum vero non assequutus fueris, te horam nō posse assequi fatebere. Si propter instrumenta, quæ nunc quidem angustum cursum, nunc autem latiorem conficiunt, & quòd in die aut in nocte instrumenta ponantur, comprehensionis horarum non est vulgaris aut quęlibet dissimilitudo: quî tandem eius quod procreatur ortum assequare, cum id quod in comprehensione horæ plurimum potest, intereat? Si verò hac etiam hora nunc quidem in alio animali pueri caput pariatur, facto ab vno animali ad aliud celeri transitu: quoniam hoc ipso etiam magnam fieri dissimilitudinem differentiámque ais: quomodo hora siue tempus totius ortus eius quod procreatum est, comprehenditur? quanquam propter animalium transitum, cum stellę in alia loca, vel ad alia animalia veniunt, aut horæ comprehensio concedetur, aut si ea † non comprehenditur, eorum quæ euentura sunt ei qui ortus est, scientia non comprehendetur? Si enim in animali sit sol vel luna, aut aliqua alia stella, & temperantem faciat, in alio autem animali cum rransierit aliqua stella, aut aliquæ, parricidam aut adulterum: quomodo cùm temperantia cum intemperantia non consentiat, secum ortus consentier: aut rursus hora eundem & temperatum & libidinosum, si eadem significet? Magna est enim conuersionis

K vniuersi celeritas: nec fieri potest, vt sit, & in exigua parte & quasi puncto temporis ab alio animali in aliud stellarum fiat transitus. Per contumeliam vero cœli partes & sectiones appellas eas quidem quæ bestiarum similitudinem & speciem gerunt, scorpium, leonem: quæ autem balantum, capricornū, & arietem: quæ hominis, geminos & virginem, aquariúmque ac sagittarium. Atque sol quidem & luna vnam domū nanciscuntur: sol leonem, luna cancrum: vnaquæque autem reliquarum, duas: Saturnus, capricornum & aquarium: Iupiter, sagittarium & pisces: Mars, arietem & scorpium: Venus, taurum & libram: Mercurius, geminos & virginem. Atqui pro portione magnitudinis plures Soli quàm omnibus domus attribui debuerunt: secundum hunc, Lunæ: atque hæc varia pro dignitate cum aliis colligari. At tu quasi omne, quod tibi videtur, licitum sit facere aut dicere, ita arroganter distribuis & distinguis, solem quidem & lunam in sectetis distinctísque domibus, tāta es auaritia prædirus: stellis autem quæ his sunt minores, plus habere quàm illæ habeant, statuis, & humilitates earum vocas, altitudinésque, tectos motus inflexósque, atque affixiones, reuersionésque ac progressus appellas, aliáque de illis animalia commemoras: easdémque seruiles dicis, cum ais nonnullas, quia diutius in his animalibus commorentur, seruiles esse, detestabiliáque habere corpora, vel libera. Rur-

L sus mutans sententiam ais, stellam non iam infaustam esse, cū alium locum inuenit: nec locum infaustum, cum faustam & prosperam stellam nactus est. Si loca causas esse malorū confirmas, insigni es amentia omnibus. Nam & in Perside plurimi nec cū matre ineunt cōiugia, nec cū filiabus miscentur: & plurimi apud Romanos nefario Persarū scelere se cōtaminauerunt: & Iudæi Vespasiano imperatore, cum in totum Romanum imperium dispersi essent, nec paruo numero essent in Perside & Æthiopia, liberis suis præputia amputare non destiterunt, quemadmodum etiam antea, cum Palæstinam incolebant. Nonnulli autem eorum, cùm Iudaica instituta mutassent, desierunt etiam liberis suis præputia præcidere. Ex quibus perspicuum est, te, qui loca malorum causas dicas esse, mentiri. Quin nec Deus stellarum opifex, auctor est hominibus malorum, nec stellæ ipsæ. Quòd si earū motus est causa, is qui eis motum dedit, auctor est. Si vero non ea ratione, qua constitutæ sunt, motu suo hominibus causæ sunt malorum, perspicuum est, eos ea de causa, qua eam inuenerunt, ipsorum malorum daturos esse pœnas. Omnino autem cum eorum motus noxius esset, etiam cohibere debebant, præsertim cum scelerate in fœdos amores & à legibus abhorrentes, mulierúmque insanos amores impellerentur, atque ad externas intestináque cædes. Ais enim tu laboriosum operarium & fossorem, tauri mores referre, iustúmque libræ: furibundū, arietis: parricidam, scorpij: libidinosum & humidum, pisciū: cancri, virginem: ad regnandum natum, eum qui sit in leone

M natus. Quòd si hæc alienum est etiam dicere, perspicuum est iis qui mentis sunt suæ, eas nihil horum efficere: sed nos ipsos Verbum videt mala bonis sponte anteponere, aut etiam operam dare virtuti. Atque idem tu quod ego, sentis. Ais enim nos liberi arbitrij esse, nostræque potestatis. Cum enim dixisti: Si vero videris Saturnum senem in Veneris domo, mulierosos, aut adulteros origine esse prædica: adhortans autem ad preces, oret autem adulter & libidinosus, vt audiat molle scortum † si non abducat ortum. Atqui, ô bone vir, preces quā vim habent ad ortus euersionem? ne ortus quidem est ortus, vt omnibus imperate possit pronunciatum. Quòd si immutabile & inuictum est fatum, cur hortaris homines, vt ne precibus deteriores sint? Expedite enim eis libidinosis esse potius & adulteris, quàm scortatoribus & mollibus, nihil est eorum quæ ex precibus ob illud eueniant & adiuuent. Si autem oratio vtraque contraria sit, & precari Deos, vt deleantur deteriora mala, & ortus omni ex parte vincatur: profecto is qui vtrumque docet, amens est. Preces enim ortum, si modo est, non possunt tollere. Quòd si necessariæ sunt preces, quæ voluntariæ sunt: potestatis suæ sunt homines, rationis sunt participes, & mente libera præditi. Atqui mente & animo bona aut mala deligunt, non stellarum impulsu atque motu.

[Marginalia:]

κεντρογραφηθείσης.

καὶ γὰρ δύνουσιν ἤτ' εὐχῶν, ἢ θορύβους ἐπάγει εὐχὰς legendum puto.

ἧς ἕνεκα θόρυβοι.

In Græco negatio desyderatur.

μὴ ταρ... γὰρ γεν... ση.

Locus ob... scurus.

A motu. Nam & homines compotes sunt rationis, mentéque libera prædíti, & stellæ animi ac sensus expertes, factæque sunt à Deo ad hominum ministerium, ad rerum, temporum, annique notationem, non nocendi causa, sed adiuuádi. Deus cum natura bonus sit nullius mali est opifex: quandoquidem ne natura quidem quicquam mali à Deo, qui & natura & voluntate bonus est, fieri potest. Confirmat autem orationem sententiámque meam Menander tantus vates:

Qui ferunt opem in prælio prudentibus,
Omnibus dæmon est doctor bonus
Vitæ simul ac lucem mundi huius vident,
Malum nam dæmona non oportet ducere,
Neque vitæ vllo modo nocere mortalium,
Nec vitium habere, sed omnem esse bonum Deum.
Sed qui geniti sunt, ij sunt moribus mali:
Magnam scelerum catenam cum fecerint,
Omnium putant causam dæmona,
Extrusa sua stultitia: necnon malum
Esse dicunt eum, cum facti sint mali.

Eius ergo sententia, nullius mali auctor est Deus. Reprehendens autem quodam loco Sotades Comicus poëta prauam istam tuam disciplinam† inanem laborem esse dicit:

B *Si post scientiam, liceat non pati,*
Quæ decet pati: certe opus est discere.
Si decet pati me, cum sciuero,
Cur discere est opus? non certe discenda sunt
Quæ pati decet: nanque necesse est pati.
Ob id nolo discere: me enim decet pati.

Superuacaneum est igitur in eiusmodi rebus nugari, præsertim cum nihil ad rem pertineant. Rerum enim nec fortuitus est vllus euentus, neque in eis Clotho dominatur, nō Lachesis, non Atropos, sed Dei prouidentia, quæ omnia gubernat, quæ omnia intuetur, omniáque ducit, & fert ad eius qui administrat, voluntatem. Hæc autē omnia à me dicta sunt propter illam Dei orationem, qua in castigando seruo suo Iob vsus est: Cum factæ sunt stellæ, laudarūt me voce magna omnes angeli mei, & hymnis me affecerunt. Videamus autem etiam ea, quæ in oraculis deinceps sequuntur. Quando erumpebat quasi de vulua matris procedens: Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Circundedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia. Et dixi, Vsque huc venies, & non procedes amplius, sed in teipso confringentur tumentes fluctus tui.) Quo ostio mari circūdato, illud angustiis pressum coërcui? nónne impetum meum eius est terminus? Nubem quidem ei vt vestem, caliginem autem quasi pannos puerorum circundedi: méque potestati adeo subiicitur, vt etsi in aquā reuerti ac recidere soleat natura sua, tamen contrarium maris illud ipsum conseruet, quòd præcepto meo pareat. Claustra autem ei circundata & termini nihil aliud sunt, nisi præ-C ceptum meum: illúdque tam vastum & immensum minutissima arena quasi pedicis ligaui, modo montium instar sublime & excelsum, modo obiectis ventis fluctuans ac turbatū, modo his contractis tranquillitate sedatum: atque interdum in terram vndas euomens, interdum in profundum secedēs, celerrimè quidem erumpens, facilimè autem retro rursus cōmeans, consilio meo celerem eius cursum cohibente. Nunquid super te lumen matutinum locaui?) Num te in consilium adhibui tum, cum diluculum faciebam, & lucem fabricabar? loco quidem tenebris constituto, illustrato autem diei termino. Aurora autem vidit locum suum tenere extrema terræ, & excutere ex ea impios.) Num vi sua aurora locata est, vt orbis finibus colluceat, vt prædonum atque latronū audaciam, cum eos excusserit, comprimat? Nam simul atque ea missa est, omnes qui se sceleribus flagitiisque inquinār, fugiunt. Cum enim hæc radios suos in terram spargit, omnis sepulchrorum mortuorúmque spoliator, fur coniugiorum, & prædo, parricida audacissimus, præstigiator, omnisque malorum auctor, se in fugam conijcit. Diei enim nuncium norūt, conscientiæque metu delitescunt. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne manifestentur eius opera. Num tu accepto terræ luto formasti animal, & loquens ipsum posuisti super terram?) Docet his verbis, se corpus nostrum finxisse ex elementis quatuor, ex terra, aqua ac-D re, & ignis calore. Si enim lutum est terra & aqua, perspicuū est animal non esse, nisi insit in eo spiritus. Spiritus autem purus esse non potest, nisi sit in eo calor. Terra igitur sicca est & frigida: aqua, humida & frigida: aër humidus & calidus: ignis, siccus & calidus. Participes autem sumus trium quidem & naturarum, & facultatum: vnius autem solū facultatis, id est, caloris. Deinde vescimur rebus quæ ex terra constant: bibimus aquam, aëra trahimus, igne calescimus. Delectamur porro apta horum temperatione: offendimur aut minore quàm sat sit, aut maiore copia. Perspicuum est autem nos nunquam voluptatem percepturos fuisse ex apta temperatione, nisi antea ab his ortum habuissemus. Illud quoque intelligendum est, si quid est in nobis solidum, vt ossa, & cartilagines. perspicuum esse illud non esse sine terra. Si vero etiam humidum aliquid est in nobis, vt pituita & sudores, perspicuum est, id non esse expers aquæ. Quòd si spiritus per arterias & guttur dilabitur, perspicuum est eum non esse aëris expertem. Si calor quidam est in intestinis aliisque quibusdam partibus, perspicuum est, si minus ignis inest, at certe id quod eiusdem generis est cuius ignis, eique cognatum est, inesse. Quin ne hoc quidem ignorandum est, bilem atram in nobis siccam esse ac frigidam, similémque terræ & autumno: sanguinem, humidū & frigidum, hyemi & aquæ similem: bilem flauam, siccam atque calidam, similem estati & igni: pituitam, humidam ac fri-E gidam, similem hyemi & aquę. Ex quibus omnibus intelligitur, corpus nostrum conflatum esse ex quatuor elementis. Illud autem, Loquens posuisti, positum est pro corpore mortalis hominis. Animum quidem ex eo quod non erat, habuit: corpus autem ex primorum corporum diuisione. Ac corpus quidem quinque sensus habet, auditum, aspectum, gustatum, tactum, odoratum. Habet etiam motum ad gradiendum pertinentem, aliásque partes, & appetitum. Animus autem habet iudicium rationis particeps. Iudicij porro, quod rationis est particeps. proprium est pietatē ab impietate internoscere, iustitiam ab iniustitia, proprium ab alieno, id quod nocet ab vtili, quod decet ab eo quod dedecet. Homo igitur constat ex animo incorporeo, & bene affecto atque constituto corpore, ad naturæ, quæ rationis est particeps, coniunctionem. Corpus nostrum ex primis corporibus constat, & prætereà ex partibus ac membris tum similibus, tum dissimilibus. Habet etiam affectiones, commutationem, diuisionē, accessionem, decessionem, exinanitionem, plenitatem: habet etiam affectiones quæ animi dicūtur, cupiditatem, voluptatem, excandescentiam, tristitiam, metum, iram: quibus omnibus aurigæ instar præpositus animus, ratione atque iudicio sedat, sic vt alias reprimat, alias rite & ordine concedat, non interimat cum sint naturales, sed eis etiam vt decet, vtatur. Eo enim quòd cum ratione & iudicio viuit, commercium habens homo cum inanimis rebus, & iis quæ ratione non vtuntur: ab omnibus differt, quòd animal est consilij, actionis domesti-F cæ, ciuilisque societatis particeps. Nunquid tu cum accepisses terræ lutum, formasti animal, & loquens illud posuisti super terram?) De hoc enim dictum est. Dixitque Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et accepit puluerem à terra, & formauit hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Hunc gloria & honore coronauit is qui creauerat, & constituit super opera manuum suarum: hunc minuit paulominus ab angelis: hunc mundi ornamētum declarauit. Quo enim eum essentia immortalibus naturis inferiorem fecit, eò honore clariorem voluit esse, ita vt & sensum eorum quæ sub sensum cadunt, ei concesserit, & intelligentiam mentémque eorum quæ ratione intelliguntur. Hunc principem, dominum, atque Deum mundi huius constituit. Hic cum iacebat cum omnibus societatem & cōmercium, paruus est quidem & exiguus, ex eo quod apparet, sed magnus eo quod intelligitur. Commercium enim habet cum primis corporibus, quòd ex eis factus est, & in eis est, nec sine iisdem esse vllo modo potest. Commercium etiam habet & cum stirpibus, & cum herbis, propterea quòd ea quoque ex iisdem facta sunt: communia etiam ei sunt cum iis quæ sunt rationis expertia ea quę dixi, & quinque sensus, mo-

túsque ad ingrediendum pertinens. Cum iis naturis, quæ animatæ sunt, commercium habet, quòd solus immortalem animum nactus est: cum immortalibus autem, quòd in eo mixtus est sensus cum mente, ita vt corpore sub sensum cadat, animo mente cernatur: & quòd studio, labore ac meditatione pietatem ac virtutem colat, cum naturæ illæ sine tempore, sine meditatione eam obtineant propter & molestiæ laborísque vacuitatem, quæ in earum naturam conuenit, & mẽtem quæ distrahi auellíque non potest, Differre autem non in superiore præstantioréque tantum, sed etiam in inferiore dico. Nihil enim prohibet differre etiam id quod minus est ab eo quod maius, & quod maius est, à minore: λαλητὸν ergo animal, id est, loquens, & sermonis particeps, est homo, quod idẽ est, quod rationis siue sermonis particeps. Abstulisti ab impiis lucem, & brachium superborum confregisti?) Poteris autem tu vlcisci impios, & eos qui brachia sua iniustè atque iniuria extendunt, frangere, etiam si malos oderis? Nunquid ingressus es fontem maris: & in nouissimis abyssi deambulasti? Nunquid apertę sunt tibi portę mortis: & ianitores inferni cum te viderunt, timuerunt?) Num ex fonte aliquo erumpit, & manat tam vastum mare? nonne fons eius est imperiũ ac præceptum meum? Cętera accipiemus & interpretabimur de vnigenio Dei filio, vt à patre dicta. Tibi ne magnum videtur quòd pertuleris, & à me supplicio ac miseriis sis deditus, cum filius meus qui mihi charus est, qui morti non erat obnoxius, mortem pertulerit, vt eos qui morti obnoxij erant, à seruitute interitus redimeret? Tu qui huic pœnæ ac plagę obiectus es, ob ea quæ tibi euenerunt, dispensationem prouidẽtiámque ignoras, id est, euentum ipsum te declaraturum esse iustum ac bonum. Solet autem scriptura futurum pro præterito ponere. Vnigenium enim esse, qui in vestigiis, vt ita dicam, abyssi ambulauerit, qui mortis portas aperuerit, quem ianitores inferorum cum vidissent, exterriti sint, qui inter mortuos liber sit, cuius apud inferos non relicta sit via, nec caro corruptionem interitúmq; senserit: omnis cui Deus charus est, & qui dignus iudicatus est signis, quæ memoriæ mortis eius ac resurrectionis recolendæ perficiuntur, mihi concesserit. Is enim homo erit Christianus. Nunquid cõsyderasti latitudinem terræ? indica mihi, quomodo aut quis sit, in qua terra lux habitet, & tenebrarum quis locus sit: vt ducas me ad terminos eorum. Si vero etiam nosti semitas eorum, nosti quòd tum natus eras, numerus annorum tuorum magnus est.) Nosti finem orbis terrarum. Dic ergo mihi quantus ille sit. Lucis autem ac tenebratum an nõ sunt apud me thecæ quædam? nónne molitio & coagmentatio eorum est voluntas mea? vt ex loco illo intelligere potes, Tuus est dies, & tua est nox: orbem terrę & plenitudinem eius tu fundasti. Quòd si mihi hæc dicas, Scio te & antè quàm ea orta essent, fuisse, & esse antiquum dierum: & magnum infinitúmque esse numerum annorum tuorum. Nunquid ingressus es thesauros niuis? aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ resetuantur tibi in tempus hostis: in diem pugnæ & belli? Vnde procedit glacies, aut dissipatur Auster in orbem terræ?) Súnt ne mihi horum repositoria & promptuaria? nónne status eorum est voluntas mea? num ea reposui, veritus ne mihi deessent? Qui enim ea quæ reponuntur & conduntur custodiũt, naturæ indigentiam confitentur: mihi satis est voluisse, & quod sub voluntatem cadit, exhibetur. Meæ enim voluntati parent omnia, & potestati in iis quæ fiunt, status, vt locus ille declarat, Cum enim vis, adest tibi potestas: &, Fortitudini brachij tui, quis resistet? Simul enim cum eius volũtate, opus sequitur. Scriptum est enim, Deus mirabilis, magnus voluntate, & fortis in operibus. Quis dedit vehementissimo imbri cursum? & viam tonitruo, vt pulueret super terrã, vbi non vir? in deserto, vbi nullus mortalium commoratur? vt impleret inuiam, & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit guttas roris? de cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit, quæ descendit quasi aqua fluens? Omnia, inquit, nutu meo fiunt, aërísq; mutatio, & imbres maximi, qui & satis sint, & fertilitatem afferant simul, & in ea parte orbis quæ incolitur, & in ea quę inculta est, ne quis existimet vim meam certis terminis circundari & circunscribi in orbe terræ, nec ad incultam partem pertinere. Nam cum omni ex parte imbres expectet, pars vna pluuiam excipiet, ea autem pars, in quam non effundam pluuiam, exarescet. Neque enim homines, quos ego benignitate ductus effeci, tantum mihi curæ sunt, sed ea etiam, quæ sunt expertia rationis, quę illorum causa paraui. Vt enim illis triticum, sic his pabulum est necessarium. Triticum enim adolescentibus vtile est, herba hominum seruituti. Itaque auctor ego sum pluuię, concretęque glaciei, & gelu quod defluit: cũ aëra coëgi mea voluntate, nubésque congregaui, imbres effundo & exprimo. Cùm vero aqua defluens nimio frigore cogitur, tum effundo niuem. Cum autem humido vento cõiunxi, verto in grandinem: atque huius irin admirabilem mitto sapientia mea, quasi falcibus quibusdam rectis, quę ratione intelliguntur, & mente inuoluuntur. Humida enim materia, ex eo quod madidum est, in paruas guttas humescit: postea verò quàm sol ad occidentem peruenit, statim eius circulus in pulchritudinem insusitatam torquetur & inflectitur. Circulus enim in guttas incidens, refertur, ac oritur arcus: guttę verò non figurę speciem, sed coloris prę se ferunt, quorum primus puniceus est, alter purpureus, tertius cęruleus & prasinus. Puniceus enim, solis splendore illustratus, subitò relatione ipsa rubescit: alter turbatus & languidus magis quam scintilla, propter guttas purpureus efficitur: est enim rubri languor & dilutio. Prętérea cum magis turbatur is qui distinguit & definit, in ptasinum se vertit. Quis genuit stillas roris? De cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?) Recita hęc tu † cum iudicio apud Homoousiastas. Vt enim hîc vteri mentionem facit & partus, significatur autem Dei potestas ac voluntas: sic si has voces etiam in filio audiamus, non interitum & communicationem, sed potestatem intelligemus, generationémque puram ac mundam, quę eius qui genuit, extiterit & voluntate & potestate, non communicationem cum affectione coniunctam. Non enim vt corpora velut stirpes & animalia, essentię detractione ac diuisione facta sunt, neque vt ea quę numerari possunt, condita sunt. Nam hęc quidem per medium procreata, numero inter se comparantur. Ea autem quę eiusdem sunt ordinis, communionis expertia permanent, quoniam etiam ita orta sunt, vt interire non possint. Illa verò etsi orta sunt per communicationem, non tamen sunt in iis quę non intereunt, sed alia in alia vltro citróque mutantur, quemadmodum elemẽta alia ex aliis oriuntur. Itaque ea etiam quę ex eis constant, partim natura oriuntur, vt ea quę animo carent: partim natura & appetitu vt ea quę ratione nõ vtũtur: partim & natura & appetitu, & non voluntate vt homines: sed nihil horũ sine affectione. Deus autem cum generat, non affectione diuisionéque essentię generat: & cum creat, materia non eget, non motione, non naturę vel artis instrumentis: sed voluntate atque vi & gignit, & creat. Nam nec materiam desiderat: nec sua essentia pro materia vtitur. Nullius enim indiget, nec seipso eget is, qui quanuis rem minimè requirit: qui solus rerum omnium est prępotens, & inaccessus, omníque & causa, & ortu superior: immutabilis, incommutabilis. Non more patrum nostrorum generat, nec creat ritu opificum nostrorũ, sed vt verus, & qui nullo eget, potestate generat, quæ medio caret, generátque potestate, & potestate opera sua continet. Omnia enim quæcunque voluit fecit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Vultum autem impij quis dissoluit?) Vltús ne es eiusmodi hominem, metúque eum terruisti? Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas? aut gyrum Arcturi aperies? aut Luciferum aperies in tempore suo, & Vesperum super comam suam duces?) Quod ait, hanc habet sententiam: Scis quomodo fixæ sunt stellæ, & ligatæ? num funibus quibusdam? an non satis est eis voluntas mea ad permanendum? Orionem autem num opportuno tempore misisti, & Luciferum atque Vesperum super comã suam duces? Sunt autem quædam stellæ quæ cometæ, id est, crinitæ appellantur: non sunt illæ quidem crinitæ, sed videntur quodam tempore cursum conficere. Sunt etiam quæ barbatę dicuntur, & faces, atque columnę: nonnullę etiam gladio similes, vt austri custos, & vtraque Vrsa, quę cum oriuntur, voluntate nutúque Dei magnam rerum speciem prębent. Intelligendum est autem ἄστρον ἀστέρος differre.

συγχέσει in Græco σὺν χήσει vel συγχύσει legendũ puto.

A ferre. Ἄστρον enim ἐκ πολλῶν ἀστέρων cõſtat,vt Pleias,Scorpius,& Vrſæ atq; Hyades,& Orion: ἀστὴρ autem vnuſquiſque per ſe eſt atque ſolus,vt Lucifer, vt Veſperus , ac cæteræ, quas ſolas cernimus. Scis mutationes cœli , aut ea quæ ſub cœlo ſimul fiunt?) Noſti ne vt ſerenitates,& nebulæ exiſtant, quatuórq; anni inclinationes,quæ ſenſim acceſſione accedẽte ſine moleſtia,placidéque eueniunt? Mutatio enim quæ ſemel fit & ſimul,magis intetimere corpora ſolet , quàm alere. Scis ne etiam vt ventorum motus &impulſus oriuntur? Ventus enim eſt fluxio aëris,quę nomen accipit à locorum mutationibus. Nam ab occidente quidem caliginoſo cum flat, Zephyrus naſcitur:ab oriẽte autem Apeliotes: à Septentrionibus Aquilo.Libs à meridie. Vocabis nubem voce magna, & curſu aquæ ingentis exaudiet? Nunquid mittes fulgura, & ibunt,& dicent tibi,Quid eſt hoc?) Num tibi cedet & obtẽperabit ad nutum,aut nubes ad imbrem , aut fulmen ad ſupplicium hoſtium? Concreſcunt conglutinantúrque hæc nutu meo,imbres ſupplicij cauſa , tonitru ob incrementum : Fulgura quidem inuſitato modo expreſſa impulſu nubium , fulgore elucente vehementiſſimo ſpiritus impulſu, cuius attritu quaſi exprimitur vel fulmen , vel ſcintilla ad eorum qui peccant,conuerſionem. Quis poſuit in viſceribus mulierum texturæ ſapientiam,variámque ſapientiæ ſcientiam?) Qui enim B oues parauit & fecit,lanáſque dedit ad amictũ,is etiã texendi artẽ mulieres docuit, telã ordiri,ſtamẽ erigere, tramã texere, liciũ foraminibus induere,varióſq; colores veſtib⁹ depĩgere.

Quis eſt,qui nubes numerabit ſapientia ? & cœlum in terram inflexit,perfuſum eſt quaſi terra puluere: & conglutinaui illud quaſi cubum lapidibus.) Si enim numeratæ ſunt ei ſtillæ, guttæq; pluuiæ, multo magis nubes. Qui enim multitudinem ſtellarum numerat, & omnibus eis nominat vocat: is cœlum etiam quaſi pellem extendit,& fixit quaſi cameram in eo,atque ſubter ipſum in terra orbem effecit. Quaſi terræ, inquit,puluere , id eſt, ſplendidum & chryſtallinum. Diſtinctum eſt autem ſitu,ſed non natura,in circulum arcticum, & qui ſemper apparet,æſtiuúmque tropicum , meridianum , & eum qui pares noctibus dies efficit : rurſus in tropicum brumalem, * arcticum , & qui ſemper apparet. Obliquus autem ſemper tribus medius , qui Zodiacus,id eſt , ſignifer dicitur, ſubiectus eſt,totuſq; partes triũ attingit. Omnes porro is qui dies ęquat noctibus, rectis lineis ab arctico ad contrarium ſecat. Cubum autem quaſi in lapidibus impoſitum in cælo duxit, quod nonnulli tutbinatum dixerunt,non ſolum Græcorum ſiue Gentilium,ſed eorum etiam,qui oracula, ſcriptáque diuina interpretati ſunt. Nunquid leonibus prædam venaberis,& animas draconum implebis? Timent enim in latibulis ſuis,& ſedent in ſyluis inſidiantes.) Non enim hominibus ſolis,ac beſtiis ipſis quæ miniſtrant,paſtum paraui : ſed etiam C iis quæ carnibus veſcuntur,carnes : & repentibus ea illis ſunt commoda. Quę enim non dubitaui facere , ea ne cura quidẽ & prouidentia indigna iudicaui. Metum autem eis incuſſi,ne iniuria iis quę ſunt noceant. Quis ergo alius,Iob,hæc vt ſunt, deſcripſit, quàm ego ipſe,qui eorum ſum & effector, & Dominus , & cuſtos? Quis parauit coruo paſtum ? & pulli eius ad Dominum clamauerunt errantes, & quærẽtes pabulum.) Dixit de iis quæ tritico veſcuntur,de iis quę carnes edunt , de iis quæ venenum euomunt:dixit etiam de auibus, verbis nos docens, ſe ne hęc quidem procuratione prouidentiáque ſua indigna iudicauiſſe. Eſt enim coruus ille quidem vorax auis, atque vt rectè dicam , inſatiabilis, & admodum edax. Itaque antequàm cadauer cuiuſuis hominis contingat , vt in nidum ad pullos perferat , abſorbet. Sed tamen Dei ſapientia culicum paruarum genus procuratum gregatim emittit, quibus captis aluntur, vt ſcriptum eſt, Qui dat iumentis eſcam ipſorum,& pullis coruorum inuocantibus eum: non ratione,ſed indigentia. Quæ enim egentia fecit,ea etiam quę eis ad viuẽdum ſunt neceſſaria,quæque ad explendam indigentiam pertinent, intelligit , quemadmodum hęc verba indicant, Conſiderate volatilia cœli , quoniam non ſerunt, nec metunt:ſed pater veſter cœleſtis nutrit ea. Nunquid obſeruaſti dolores in partu ceruorum, & numeraſti partus eorum menſes? Dolores autem eorum eluiſti , eorúmque catulos educaſti ſine metu?) Docet aperte his verbis,ſe nõ ſolum horum eſſe opificem,verum etiam procuratorem , adminiſtratoré,ac vniuſcuiuſque gubernatorem:nec quicquam permanſurum fuiſſe, niſi ipſius cuſtodia pręſidióq; dignum eſſet iudicatum. Nunquid noſti tẽpus partus ibicum in petris? vel parturientes ceruas obſeruaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum? diſcerpent fœtus ſuos:multiplicabuntur in generatione: egredientur, nec reuertentur.) Hæc etiam cum ſuperioribus conſentiunt,declarántque eius prouidẽtiam quę ad omnia pertinet, cum nihil eorum quæ fecit, negligat. Nam eorum & ortus ei curę eſt,& partus,& educatio,curátque omnia , quandoquidem nihil fruſtra , nec ſine cauſa , ſed alicuius vtilitatis cauſa condidit. Quódque eſt omniũ admiratione digniſſimum,ea cum educata ſunt ab eis qui ipſa procrearunt, quaſi obliuione quadam obruta ab eis à quibus effecta ſunt, diſiunguntur ac ſeparantur,nec iam eodem modo reuertuntur. Quis dimiſit onagrum liberum? & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum,& tabernacula eius in terra ſalſuginis. Denunciat multitudinem ciuitatis:clamorem exactoris non audit? circunſpicit montes paſcuæ ſuæ : & virentia quæque perquirit.) Hæc omnia Dei prouidentiam ad omnia pertinẽtem indicant. Nam & ſolitudinis amans & animal , & gregibus pręeſt ſemper, & ferè ſolutum eſt à metu ac liberum. Itaque ait,non opportunum illud eſſe iniuriis eorũ qui tributa exigunt,non querelis eorum qui tumultuantur. Nunquid volet E rhinoceros ſeruire tibi,aut morabitur ad pręſepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arándum,loro tuo? aut cõfringet glebas in agro tuo? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius,& derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi,quoniam ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?) Num tibi monoceros ſeruiet? Illa enim tibi ſeruient, quæ ad miniſterium accepta habes. In ea autem quæ mihi data ſunt , non habes imperium. Reliqua etiam declarant Dei poteſtatem. Penna lætantis anatis ſi abripiat ſtruthiocamelum , & anas clamet ; quòd dimittet in terra oua ſua, & in puluere fouebit: obliuiſcitur quòd pes conculcet ea , & beſtia agri cõteret. Duratur ad pullos ſuos,quaſi non ſint ſui? Fruſtra laborauit abſque metu : Priuauit enim eam Deus ſapientia:nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, alas erigit: deridet equum & aſcenſorem eius.) Genera dicit anatum,quæ in arena pariunt, & oua deſerunt,quæ nutu Dei per ſe fota & calefacta,excluduntur,naſcuntúrque pulli & educantur. His etiam verbis vis opificij declaratur. Nam non natura his adhibetur , vt fota & calefacta à matre excludantur, ſed Dei pręſcriptione,& gignuntur omnia & permanent. Vt igitur anas,& ſic etiam teſtudo marina ſine metu oua parit, Deíque voluntas ea excludit: nõ enim more aliarum auium, & beſtiatum, ſolent fouere educaréque fœtus ſuos. Quæ verò ſic pariunt, eorum vnumquodque tanta vi & poteſtate ornatum eſt,vt partim in ſublime volent, partim in profundum ferantur,contemnántque & equum , & eum qui in illo F ſedet. Idem etiam narrant de halcyone,eam hyeme oua parere in littore maris,eáque ſextodecimo die excludi : Deúſque tam vaſtum mare ſedat ſedecim dies,cum hyems ſit , halcyoni conſulens. De halcyone audire etiam licet dies ipſos qui literarum monumentis proditi ſunt. Nunquid prębebis equo fortitudinem? aut circundabis collo eius timorem? Nunquid eum armaſti? Gloria pectoris eius audacia: qui terram vngula fodiens exultat. Egredietur in campũ in fortitudine, occurrẽs telo,deridet, nec cedit gladio. Super ipſum exultat arcus , & acuta atque fortis haſta & clypei motu, & ira delebit terram: nec credet,quoad buccina clangorẽ pro ſigno ediderit. Vbi audierit buccinam,dicit, Vah. Procul autem odoratur bellũ: cum fœdere & clamore egreditur.) Hoc etiam loco cum ornauit equum , docet nutu ſuo & poteſtate hoc quoque animal ortum eſſe,tantámque vim, & rãtum robur nactũ,vt & celeritate hominis tarditatem conſoletur , & fuga ſalutem ei afferat,& vi atque audacia hoſtes in prælio ſuperet , & armis magis fulgeat , quàm phaleris atque ſtragulis,& vocem horribilem buccinæ audiat,& odoratu hoſtium cœtum ſentiat,& inimicorum clamorem non ignoret,& contrà vociferetur,& pede terrã fodiat,& exultans armis ſtipatus in aciem irrũpat. Nunquid per ſapiẽtiam tuam ſtetit accipiter,paſſiſq; alis immobilis ad Auſtrum oculis conuertit?) Hæc enim auis ita

Eſt in Græco ſecundo loco ἀρκτικὸν τε καὶ ἀεὶ φανές. ſed legendũ eſt. ἀνταρκτικὸν καὶ ἀεὶ ἀφανές.

G stat in aëre, vt in terra, atque hoc ipso declarat Dei & vim & sapientiam, vescitúrque carnibus, & prædę insidias facit, leuitatéque in sublime fertur. Nunquid ad præceptum tuum eleuatur aquila?) Effertur etiam hæc in sublime cum volat, & in cœlo versatur, vt pleræque aliæ: regióq; animo prædira est, & prędæ dedita, si qua alia auis: formáque est pulcherrima & magnitudine insigni. Vultur in nido suo super petram sedés cōmoratur, & in præruptis silicibus, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam: & de longe oculi eius prospiciūt. Pulli eius lambunt sanguinem: & vbicunque fuerit cadauer, statim adest.) Qui in excelsis montibus nidum construit, in præruptis rupibus: is Dei sapientiam declarat, quemadmodū ipsum lætificauerit propter pullorum securitatem, & quemadmodum cum res ad viuendū necessariæ ei desint, quæ procul absunt, celerrime cernit, nec cadauer vllum illū fugit. Vescitur enim carnibus, delectatúrque iis quæ odorem efflant.

Et adiecit Dominus, & loquutus est ad Iob, Nunquid qui iudicium cum potente declinat, arguens Deum ei respondebit?) Quod ait, hanc habet sententiam. Num quis effugiet, declinabítque Dei iudicium? Quòd si quis est, qui Deum velit conuincere, num aliquid inueniet, aut omnino poterit eū consyderare? Respondens autem Iob Domino, Dixit, Cur H in iudicium adducor correctus & conuictus à Domino, qui hæc audit? cum nihil sim, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Semel loquutus sum, iterum non addam.) Ego semper calamitatis quæ mihi euenit, causam quærebam, sed opificium effectionémque nulla ex parte accusaui. Ad ea autem quæ dicta & abiecta sunt, nihil habeo quod dicam. Tacebo, & qui semel loquutus sum, iterum non loquar. Contrahi colligíque me animo oportet, vt tantū

Cap. 40.

Dominum aduersis oculis intuear. Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit.) Intelligendum est, Deum vbique cum hominibus per vnigenium solum loqui solitum. Ipse est enim mediator Dei & hominum. Ait enim quodam loco Dominus Iesus de patre, Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis. Deum enim nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse est qui enarrauit: per eum enim etiā Mosi leges dedit. Qui enim ordinauit per angelos, in manu mediatoris is est, qui Iesu Naue visus est armis instructus ad vrbem Hiericho, rogatúsque quisnam esset, respondit, Ego sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Eum & hospitem excepit Abrahamus, & iudicem omnis creatæ naturæ salutauit. Hic cum Iacob luctatus est hominis specie & figura. De eo dixit, Vidi Deū facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Hic est magni consilij angelus. Per hunc etiam nunc Deus Iob alloquitur his verbis: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi. Nunquid irritum facies iudicium meum? aut num me aliter I putas tecum verba fecisse, nisi vt declarêris iustus?) Quoniam virum te præstitisti, & paratus es, respondeto mihi, nec iudicium meum improba. Te enim eo conueni, vt virtutem iustitiámque tuam patefacerem. Nunquid brachium tuum est contra Deum, aut voce tonitrui contra eum tonas?) Suprà enim dicebas, Contrarius es mihi quasi inimico: & putas me quasi contrarium tibi. Quis enim es tu? aut quæ mihi tecum sunt inimicitiæ? Num ab alio statum habuisti? Quòd si fortè odio impulsus aliquid feci, quisnam cogebat me eum quem oderam, in lucem proferre? Quinetiam quòd iustus es, nōne ab auxilio meo profectum est? Quomodo enim mortalis vias suas cognouerit, nisi ego monstrem? Circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & accipe vim, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Dimitte angelos in furore tuo, & omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & contere impios subito. Absconde eos in puluere simul: & facies eorum imple ignominia. Et ego confitebor tibi, quòd saluare possit dextera tua.) Cum facies tu, quæ ego feci: tum sciam te & dignitatem recepisse & potestatem, quēadmodum etiam ego sum consequutus. Si vero aliis subuenire non potes, quin ne tibi quidem adesse: quam ego tecum pugnam, quod bellum suscipiā? Nam & dignis do beneficia, & de iis, qui obstinato animo & pertinaci scelera admittunt, supplicium sumo, & arrogantes deprimo, & demisso animo homines effero, & status tuus in mea potestate agitatur ac fluctuat. Cur virtus & iustitia tua tibi animos tollit, cuius etiā K ipsius me ducem principémque habuisti, cum rationis particeps te animal feci? Sed ecce bestiæ apud te fœnū quasi bos comedūt.) Vermes dicit, qui ex eo enati, ipsum comedebāt. Erige em̄, inquit, à te manum, & ecce vt fœnum te deuorant, quæ à te profecta sunt, téq; conficiūt. Vt scriptum est, Omnis caro, sicut fœnū, & omnis gloria hominis, vt flos fœni: exiccatum est fœnū, & flos eius cecidit. Fortitudo eius in lumbis eius: & virtus illius in vmbilico ventris eius.) Incipit de Leuiathan dicere, quod animal magnā vim & fortitudinem in lumbis vmbilicóque vētris habet sitā. In diabolo est situm, vt & perficiat in voluptariis per has partes, & voluptatem capiat ex libidinosis hominū motibus, quēadmodum scriptum est, Spiritu fornicationis decepti sunt, Deum autem non cognouerunt. Stringit caudam suam, quasi cedrum: nerui eius quasi fune perplexi sunt.) Hoc loco bestiæ inusitatam magnitudinem describit, in qua diabolus maximè habitat. Alij autem diabolum ipsum esse censent: sed non est alienum vtroque modo intelligere. Multa enim eorum quæ in scriptura continentur, duas res declarant. Ac si de animali hoc ait, Stringit caudam, idem mobile esse dicit: sin de diabolo, eius animi affectionem, quam in mala voluntate habet significat. Neruos L autem eius quasi funes, in bestia quidē, venarum arteriarúmque ac neruorum in multas partes pertinentium connexionem exponit: in diabolo verò, variam eius malitiæ atque in homines sceleris coniunctionem docet. Latera eius veluti petræ æneæ: spina dorsi eius, laminæ ferreæ.) In bestia fabricationis firmitatem significat: in diabolo, inflexibilem eius & implacabilem in homines iracundiam. Ipse enim homicida est ab initio. Ipsa est principium formationis Domini, facta vt derideatur ab eius angelis.) In bestia intelligemus, eam, quæ sit tam magna & ingens, ludibrium esse angelorum. ninihil enim est ad illos. Quòd si angeli tam inusitatæ magnitudinis bestiam derident: quæ natura & vis est eorū, qui tam magnam contemnunt, & pro nihilo putant? illud autē, Principium est formationis Domini, non de omni opificio accipiendum est, sed de omnibus animalibus. In diabolo autem, Principium formationis intelligendum est, non quòd omniū quæ ratione & animo intelliguntur, primus sit effectus, sed quòd sine tempore, quemadmodum locus ille declarat, Tu cum Cherubim creatus es immaculatus coram me. Vsque ad te inuentę sunt iustificationes tuæ, & tulerunt te Cherubim, & profecerunt in medio montium igneorum. Verbum verò hoc, Vt derideatur, positum est, pro hoc toto, Risus & probrum est eius à Dei amore auersio & declinatio, cum propter malum animū de alto dignitatis & honoris gradu deiectus sit. Cecidisti enim de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris. Et rursum Dominus, Vt fulgur de cœlo cadentem, non quòd casum à loco dicat, sed à gloria ad ignominiam, ab honore M ad infamiā, tractus vt serpens, sibilans vt draco, repēs vt scorpius: ac modo quidem primos homines decipit, modo fratrem in fratrē armat: interdum impietatem pro religione, interdum pro temperantia actiones, quæ sunt contra naturam, ostendit: aliquando sibi diuinitatem attribuit, nonnúnquam ea quæ sunt, carere principio dicit, & prouidētia nullo modo administrari: in iísq; omnibus falsum ponit. Rursum hęc etiā in Deorum numero reponit, inducens etiam eos perturbationibus obnoxios, & mortales esse docet, deinde immortales eosdem esse dicit & æmulos: sed qui inter se bella gerant. Quinetiam eis figurā tribuit, & qui sunt omnino similes, eos in mares & fœminas mutat. Horum etiam amores, & concubitus nefarios, ortúsque iunumerabiles monstri instar exponit. Deinde hæc etiam oblitus, vbique Deorum naturam tollit, & quæ creata sunt, impura & immunda insaniens esse pronunciat, hominúmque corpora digniora quæ eiiciantur, quàm stercus: statuę autem eorum, vt in magno honore sint & precio, imperauit. Qui ergo se occæcauit, tantámque ignorationem sequutus est & approbauit, non effectoris sapientia, non perturbatione aliqua, non periculo, sed sua stultitia: is iure ac merito risus & delectamentum sanctis propositus est. Itaque scriptum est, Imperio occidit draconē apostatam: Et illud, Draco quem formasti ad illudendum ei: propterea quòd deserto Deo qui est omniū auctor & seruator, impietati

A impietati ac sceleri deditus, principium dæmonum, quia malum eius animum comprobarũt, extitit. Vt enim draco in anguibus, sic etiam diabolus in dæmonibus principatum tenet. præest autem eis, nõ vt causa iis quæ effecta sunt, sed quòd ei cõmunis placeat defectio ac rebellio, & in ea acquiescat. Differt autẽ natura ab illis, quãdoquidem ipse archangelus erat, illi angeli. Maluerunt autem illi quidem dæmones dici, gaudétque hoc nomine: hic verò diabolus Beliar & Satan nominari. Peruenit ad præruptum montem, lætitiámque attulit quadrupedibus in tartaro.) De animali hoc si accipiamus, intelligendum est illud aliis quibusdam interfectis animalibus, aliis pastum præbuisse in montibus qui mari subiecti sunt. Tartarum autem appellat, maris altitudinẽ & profundũ maximum. Si in diabolo, sciendũ est, quando nationem in aliam concitauit, eum aliis copias & opes dare. Delectatur enim pugnis, prælis hominúmque cædibus. Tartarum autem inferos dicit. Quadrupedia verò non à natura, sed à voluntaria rationis priuatione eos vocat. Vt, Homo cum in honore esset, non intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sub omnimodis arboribus dormit, iuxta atundinem, & in locis virentibus. Vmbram ei faciunt arbores excelsæ, cum surculis & ramis amerinæ.) id est, his non eget, nec satis est ei vlla arbor ad integumẽtum cum ramis propter in-

B usitatam magnitudinem. Itaque per ironiam legendum est. Quod si de diabolo interpretemur & accipiamus, ne iis quidẽ hæc desyderat, sed malicia impulsus latet sub arboribus & fruticibus nemoribúsque vmbram præbentibus, vt homines interimat. Si fiat inundatio, non sentiet: & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. In oculis eius capiet eum, & intortus perforabit nares eius.) Hæc docent, quàm magna & vasta sit bellua, quòd nec eluuies vlla, nec fluxio Iordanis sensum aliquem mali ei afferre possit. Si autem de diabolo dictũ accipiamus, dicendũm est eum, cùm incorporeæ naturæ sit, nullam iniuriam accepturum esse ab iis quæ commemorata sunt, quippe cum nihil, quod vacet corpore, à re corporea accipere, & quasi pati naturæ vi soleat. Illud autẽ, Intortus perforabit nares eius, ait, quòd cum alios improbitate impulsus iniuria afficere conatur, sibi supplicium quærit. An extrahere poteris draconem hamo, & fune ligabis nares eius? Nunquid pones truncum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi aui? aut ligabis eum quasi passerem puero?) Exposita bestiæ magnitudine, venit ad eius potestatẽ, docétque captam eam esse ab illo, & tam vastam belluam habitam esse ab eo in aliquo eo-

C rum, quę vilia sunt, nulliúsque precij. In diabolo autem si hoc intelligamus, dicendum est eum bonis ac piis ita subiectum esse, vt est puero passer: & ante pedes eorum obtritum iacere, ita vt hamo quidem, quasi draco, ab illis teneatur sua in Deum fiducia, & capistro tanquam bestia trahatur, & os eius quod mala cupiat, alligatum sit, & vinctus traditus sit, quemadmodum scriptum est, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et rursus, Tu contriuisti caput draconis, id est, diaboli: tu confregisti capita draconum in aqua. Quod autem ad illud attinet, Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Videre licet eum sæpe à sanctis viris pro sua in Deum fide supplicio affectum esse, & cum postularet, ei esse aliquid remissum. Quod verò ad hæc verba attinet, Nunquid feriet tecum pactum? intelligere licet, & audire ab eo hãc vocem, cum tormentis cogitur, Iuro me huc nunquam esse vẽturum, sed omnino exulatum abiturum. Eum autem homines puniunt, non vi sua & virtute, sed eius qui tantum munus hominibus cõcessit, potestate. Videre enim licet, cum ipse qui pati non potest, ab iis qui pati possunt: qui immortalis est, à mortalibus: qui incorporeus est, ab iis qui corpus habẽt: qui non videtur, ab iis qui cernuntur, afficitur supplicio atque torquetur: & qui aliquando erat archangelus, nunc autẽ diabolus, ab homine Dei benignitate vincitur. Pascuntur autem & aluntur eo Gentes, & diuidunt eum Phœnicum gentes.) Sed neque ij qui mare nauigauerunt, & inde victum capiunt, neque hi omnes aliqua ex parte capi & subigi ab eo

poterunt propter magnitudinem. Itaque hæc per ironiam le- D genda sunt. In diabolo autem, non etiam per ironiam, sed ita intelligemus, Vescuntur eo omnes qui de eius cõsilio viuunt & sententia, capientes cibum qui mortem affert. Si quidem ex abundanti ac non necessario hæc addit, Phœnicum gentes, id est, eos qui voluptatibus ad corpus pertinentibus impulsi, immũdę impuræq; vitę dediti sunt. Vt eñ ij qui ad Dominum adhærescunt, diuino cibo aluntur: Qui enim, inquit, manducat panem hunc, viuet in æternum: sic is qui diaboli voluntati morem gerit, ipso desertore dracone satiatur.

Omne nauigium si conuenerit, non portabit pellem vnam caudæ eius, nec in nauigiis piscatorum caput eius.) Omnia enim nauigia patuissimam eius partem non capient, tam ingẽs est, & præter modum magna bestia. In diabolo autem si intelligatur, dicendum est, si diabolus perficere permitteretur, id quod aggrediatur, eius primum impetum aut extremum omnem hominum vitam sustinere non posse, naue scilicet à tempestate maris agitata, nisi Dei prĕsidium illi obsistens, eius cursum reprimeret. Nam & Deum & hominem odit. Pone super eum manum tuam, recordatus belli, quod gestum est in corpore tuo: ne iterum geratur.) His verbis obscurè significat, & calamitatem quæ Iob euenerat, & gloriam quæ calamitatem est consequuta: atque in diabolum transfert bestiæ descriptionem, aítque deinceps, Non vidisti eum? neque ob E ea quę dicebantur, miratus es?) Si minus eum vidisti, at certe ex iis quę commemorata sunt planè cognouisti, quod admiratus es. Nam animal quidem quod videri potest, non videtur à te, propterea quòd est in voragine: bestia autem quæ intelligitur, quia corpore vacat, non tibi apparet. Non timuisti eum, quòd à me paratus est? Quis enim resistere potest vultui meo? aut quis resistet mihi, & sustinebit?) Cum in vtrumque, inquit, imperium habeam, vt in meũ opus, si obsistit mihi desertor & transfuga draco, prauus anguis, at non permanebit. Voluntate enim eum interficio. Quis est enim, qui mihi obsistat? Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.) Domini eñ est terra, & plenitudo eius. Et rursum, Tui sunt cœli & tua est terra. Quò ergò conspectum meum quis fugiet? aut vbi me inscio quis delitescet, cum præter me nemo sit? Silebo propter eum?) Diabolum dicit non declinaturum esse supplicium, quod ei debeatur. Neque enim infirma est pœna ad vlciscendum, sed venit ad improbos. Et ratione virtutis æqualis eius miserebor?) Omnes qui mutuis auxiliis egent, mutuas operas accipiunt. Ego autem nullius opera egeo ad vlciscendum hostem. Nam simul atque libet, omnem qui mihi aduersatur, tollo de medio. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in plicam thoracis eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet?) Rursus hoc etiam loco robur atque crassitudinem corporis eius describit, & quam magna sit ea quæ ei similis est bestia. Si vero in diabolo intelligamus, dicendum est, Quis est homo, qui diaboli cõsilia cognoscet, F cum abstrusa sint ea quæ animo concipit, & cum ea nudauerit & aperuerit, coarguet? aut si non sit aliquis eiusmodi à me illustratus, libere dicat. Non enim eius consilia ignoramus. Per gyrum dentiũ eius formido.) Omni enim animali quod in se incurrit, nocet, dentibúsque in eum quasi armis vtitur, deuorans & conficiens marinarum multitudinem. Quin etiã diabolus tanquam leo rugiens, circumit quærẽs quem deuoret, metu conturbans & terrens imbecilles. Viscera eius scuta ænea, & vincula eius atque compages quasi Smyrites lapis. Vna alteri adhæret.) Rursum conglutinationis eius laxitatem exponit, carniúmque eius connexionẽ, idq; quod intra ipsam vim externam accipere, & quasi pati non potest, æri atque Smyriti lapidi comparat. Est autem genus lapidis, qui ita apud Indos appellatus, ferrum secare non potest: contráque antequàm aliquid ei noceat, ipse prior repercussus perforat. In diabolo autem, dicendum est eius cõsilia, quæ init in homines, implacabilia esse & crudelia, crebráque ac inter se cohærere, vt in annulis catenarum, aliarúmque rerum eiusdẽ generis, qui, vt videre licet, vnus cum altero cohærent. Dolo enim agit, mentémque surripit, ad malum doctus est, bonum autem quid tandem sit ignorat: fraudulentus est, impostor, subdolus, simulator: alia profert, alia ostendit: & dum humanitatem fingit, repente hostis existit. Et nec spiraculum

Cap. 41.

G incedit per ipsam.) Illam quidem bestiam, propter carnis densitatem & crassitudinem: diabolum autem, quòd vacet corpore. Qui enim vtrique eorum ventus iniuriam afferat?

Vt vir fratri suo adhærebit, & tenentes se nunquam separabuntur.) Nam homines quidem pro iure necessitudinis, vitæ societate coniunguntur: ea autem de quibus disseruimus, nihil inter se habent in vita commercij, quòd bestia magnitudine sua omnia cõtemnit, & pro nihilo putat: diabolus, insigni malicia, cum omnibus inimicitias gerit. In sternutatione eius lucet lumen.) Ex insito calore in eius sternutamento scintillæ quędam existunt. In diabolo autem sternutamentum, motum eius, & procliuitatem ad nocendum esse dicemus, quando vult personam figurámq; angeli lucis induere. Et oculi eius species Luciferi.) Respondent enim etiam oculi bestiæ illius magnitudini. In diabolo autem ita dicuntur, quòd ipse non vt nos circunspiciat, sed Luciferi instar tota essentia omnem in partem splendorem emittat. De ore eius procedunt lampades ardentes, & erumpunt foci ignis. De naribus eius procedit fumus fornacis ardentis flamma carbonis. Halitus eius prunas ardere facit: & flamma de ore eius egreditur.) Quoniam multus est in eo calor, quasi ex fornace quadam flamma sursum erumpit: & halitum quendam ignis quasi fluctum efflat ex naribus: atque vt aliquis dicat, vitalis eius vis & facultas nihil est aliud, nisi insitus in eo H calor. In diabolo verò, procliuitas eius ad iracundiam, furórque, quo in eos qui nihil nocent, inflammatur, eiusmodi rebus comparatur. Aliorum enim interitum quasi † coniurationem quandam existimat. In collo eius moratur fortitudo.) Robur & natura inflexibilis bestię declaratur. In diabolo autem, eius mens in omnem partem circunspiciens, & scrutans rationes interitus atque exitij aduersus caducos homines.

[margin: συστασιν, al. cõglutinatione, aut cõcretione.]

Membra carnium eius cohærentia sibi: mittet contra eum flumina, & ad locum alium non ferentur, nec ei nocebunt.) Quid enim etiam patietur, cum in aqua versetur, & ita firmis solidísque sit carnibus? Quin ne spiritalis quidem bestia quicquam perferet, etiamsi tota in aquam recidat, cum vacet corpore. Quod enim sub sensum cadit, eo quod ratione intelligitur, non est præstantius. Cor eius indurabitur tanquam lapis: & stringetur quasi indomita incus.) In bestia quidem, propterea quòd non indiget, & audacia est prædita.: in diabolo autem, propter impudentiam, & tuboris priuationem. Impius enim, cum in profundum malorum cecidit, contemnit: Veniet autem super eum in tempore vltionis, ignominia & opprobrium. Cum sublatus fuerit, timebunt quadrupedia animalia, quæ saltant super terram, in tartaro.) Quomodo enim non etiam tam vastam bestiam, talem molem ac magnitudinem, támque magnam vim? Quadrupedia autem hoc loco dicit, non terrena, sed marina. Sunt enim etiam in mari be- I luæ, quæ quatuor pedes habent, vt pardus, & testudo, aliæque nonnullæ. Si vero ad diabolum referamus, ita intelligemus, bestias quidem, dæmones, quòd propter scelus se ei subiecerunt, cum ei natura non pareant, sed voluntaria malicia, & fingant se principem exercitus metuere: quadrupedia autem, homines à ratione auersos, qui fraude & ignoratione ei addicti, ipsum & colunt, & verentur, ob ea quæ sequuti sunt.

Cum apprehenderit eum gladius, nihil ei faciet neque hasta neque thorax. Existimat enim ferrum quasi paleas: & quasi lignum putridum, æs. Non vulnerabit eum * sagitta ænea. Existimat enim iaculatorem lapidum vt fœnum: & quasi stipulam, ęstimat malleum.) Qui enim alicuius horum rationem habeat, tum bestia quę vulnerari non potest, atque adeo dura est, tum diabolus, qui corpore vacat, & vulnus perferre nequit? Deridebit terręmotum ignem afferentem.) Quid enim mali aut huic aut illi terręmotus, aut immensus ignis afferet? Illi enim propter robur noceri non potest: hic autem vt incorporeus, ignem etiąm vincit ac superat. Lectus eius verucula acuta.) Propter coagmentationem quę ęneam imitatur. In diabolo autem, propter naturam quæ vulnerari non potest, nõ quòd in eo dormiat, cum somnum minimè capiat, sed quòd etiam si eiusmodi stimulis contingatur, tamen nihil mali sentiat, aut fortasse quòd requietem esse ducit hominum exitium, lectum eius verucula acuta esse dixit. Omne autem aurum maris super ipsam quasi lutum infinitum.) Neq; enim illud requirit. Quin ne diabolus quidem eo eget: sed arrogan- K ter ea quę ipsius non sunt vendicat, in eóque exultat, si aliis ea quę Dei sunt, siue terra, siue mari, largiatur, atque id captandorum hominum causa, vt locus ille indicat, Hęc omnia tibi dabo. Pręsto est, qui Achar apud Iosue, qui Giezi apud Elisęum, qui Iudam apud pontifices, qui Ananiam cum Sapphira ex furto ad impietatem impulit, persuasitque vt & Achar ex anathemate vendicaret in vrbe Hierichone, & Giezi ea quæ Naaman erant, contra Elissæi voluntatem acciperet, & Iudas qui pauperum argentum furaretur, gloriæ Dominum pontificibus interficiendum venderet: & Ananias ac Sapphira surriperet precium eius, quod Deo oblatum erat egentium causa, mentirentúrque Apostolis. Hic etiam est, qui Simoni Mago persuasit, vt crederet venale esse pecuniis Dei munus atque donum, & pecunias Apostolis offerret, diríſque deuoueretur. Feruescere faciet quasi ollam profundum.) Magnitudine enim sua cum mota est, ex profundo.) Magnitudine enim sua cum mota est, ex profundo abyssum commutat. In diabolo autem abyssum, hominum vitam interpretabimur, in qua ipse planè orbem terræ versat, & in orbem torquet, alicubi bella externa & intestina ignis instar excitans ventis instabilibus: alibi spiritalia nequitiæ operans in filiis diffidentiæ. Æstimat mare quasi vas vnguentarium: & tartarum abyssi tanquam captiuum. Æstimabit abyssum quasi locum ambulandi.) Neque enim mare tam vastum esse putat: L neque locus qui profundo caret, id est, vt ita dicam, abyssus, qui nobis infinitus & immensus est, ei est impedimento, sed vbicunq; libuerit, abyssum obambulat. Quòd si etiam in diabolo hoc velis intelligere, non aberrabis. Is enim ne ab abysso quidem mali aliquid accipiet: sed insulas & continentem obit, non vt boni aliquid faciat, sed vt improbitatẽ maliciámque suam in hominibus inserat, & lolium conserat cum probo semine. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt derideatur à meis angelis. Omne sublime videt: ipse est rex super omnes qui sunt in aquis.) Multis suprà commemoratis, in quibus etiam robur magnitudinémq; bestiæ descripsit, nunc narrat ipse, quemadmodum illa ex profundo excelsa videt, cum minime cernatur: angelorúmque magnitudinem docet, suámque declarat potestatem. Quod enim, inquit, ad corpora attinet, nullum cum eo comparatur. Quod verò ad angelos attinet, pro delectamẽto eis est, atque exiguum ac vile tam vastum animal. Quoniam autem angeli eiusmodi sunt magnitudine præditi, ex eo perspicuum est, eorum effectorem sine comparatione infinita magnitudine, sed sola intelligentia, non sensu comprehendi. Quòd si quis opponat Leuiathan (sic enim Hebræi hoc animal appellant, quemadmodum diabolum Samaël, & Beliar) quicquid tan- M dem hoc animal esse docuerit, ei respondebimus, id pro firmamento accipimus. Vt igitur de cœlis, sic etiam de Gabriele, ac Michaële, aliísque naturis cęlestibus. Neque enim etiam hęc vidimus. Itaque ne omnia quidem animalia videre homo potest, præsertim cum sit caducus, & ad breue tempus duret: certè etiam regulum bestiam quæ venenum iaculatur, non vidimus, nec vulturem auem leoni & aquilæ similem: nec phœnicem, qui ex Æthiopia in Ægyptum quingentis annis proficiscitur: nec rhinocerota, nec chalagram: non quòd non sint, sed † quòd nobis literarum monumentis non sint prodita: verisimile est etiam alia esse animalia, quorum vel nomina ignoramus. Regem autem illam vocat omnium quæ in aquis sunt, vt quę pręsit omni animali fluuiatili. Vt enim & leo omnis pecoris principatum tenet, & draco omnis bestiæ quæ repit, & aquila omnium auium, & apes non prius ab aluearibus discedunt, quàm rex earum præuolet: sic Leuiathan omnium aquatilium obtinet principatum. Quòd si hęc diuina verba in diabolo quoque intelligamus, dicemus eum, non quòd non in terra ortus sit, nihil habere simile, sed quòd malo animo in terra repat, nihil habere simile eorum quę in terra versantur. Repens autem in iis quæ hîc sunt, risui ac ludibrio est sanctis angelis, ita tamen, vt & ea quę excelsa sunt, cernat, & regia potestate pręsit omni vitiosę actioni detestabilique peccato, capiens ex scelere & impietate voluptatem. Est enim & inuentor mendacij ac falsitatis, & sator, antistes maliciæ, lętatur contentione & inuidia, festum diem agit ob sanguinem

[margin: τόξον. al. arcus.]
[margin: ἀπίστευτα]

A sanguinem cędésque innocentum: non contentus est solis bestiarum nidoribus, sed humanas etiam carnes concupiscit, & eorum qui nudi sunt, manus armat contra charissimos. Hic enim inuidiæ facibus, in homines inflammatus est, abduxitque à præcepto eos qui ipsum nulla affecerant iniuria. Hic est, qui Cain in Abel ad fratris cædē armauit, propter iustas & vtiles gratias, quas Deo egit: qui Cham armauit in Noe ad ridendam patris naturam. Hic est, qui multitudinem confusam ad inanem turris ædificandæ laborem incitauit. Hic est, qui bellum beato huic viro intulit, & sua spe frustratus iterum cucurrit. Hic est, qui casto Ioseph eos, qui ipsius castimoniā tentauerunt, excitauit: Iacob, Esau: Dauidi, Saulem: Naboth, Achab: Eliæ, Hiezabel: Elissæo, Ioram: Ader, Zachariæ: Ioas, Michææ: Cerasphorum, Hieremiæ: Ananiæ, & Danieli, satrapas Persarum: Susannæ, senes impudicos: Mardochæo, Aman: Iudith, Olophernem. Hic est qui Iosedec Iesu opponebatur: qui petebat, vt fides Apostolorum deficeret. Iste est deniq; qui nunc quoque operatur in filiis incredulis, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, qui verbo spiritus pulsat malorum congregationem & copias, labrísque interfecit impios. Respondens autem Iob Domino, dixit: Scio, quia omnia potes, & nihil tibi impossibile est.) Non ex iis tantum, quæ declarasti, te posse ac potentem esse cognoui, sed etiam ex eo, quòd potestatem & imperiū semper obtines. Nihil enim esse, quod non possis, perspicuum est, si possis omnia. Quis est enim, qui te celet consilium suum? & si à verbis se abstineat, te etiam celare, ac latere te putet? Hæc autem dixit propter verba illa, quibus eum Deus conuenit, Quis est iste, qui me celat consilium? Certo enim scio nihil te latere eorum, quę & agimus, & cogitamus. Tu enim Deus es æternus, occultorum cognitor.

Cap. 42.

B

Annunciauit mihi quæ non intelligebam, & mirabilia quę nesciebam.) Neque enim eiusmodi bestiæ coagmentationem noueram: serpentis autem spiritalis, tam multiplicem maliciam noueram. Audi me Domine, vt ego etiam loquar: interrogabo te, & responde mihi.) Sumpta fiducia & audacia, incipit etiam ipse discendi causa interrogare. Nam tu quidem non habes disciplina comparatam rerum scientiam, sed antè etiam quàm fierent omnia, tenebas & sciebas: cum minimè didicisses, naturæ vi ipse docere potuisti. Auditu auris audiui te prius: nunc autem oculus meus vidit te.) Vidit autem, quatenus homo videre Deum potest. Sic enim illud obtinebitur, Deum nemo vidit vnquam. Quinetiam aliquis hominem videt, sed eius animum videre non potest. Ergo & videt eum, & non potest videre. Quemadmodum homo cernere potest, sic cernit. Natura enim Deus videri non potest, sed ita cernitur, vt Esaiæ visus est, Danieli, cæterísque sanctis omnibus. Idcirco ipse me deiicio, & extabui: méque terram & cinerem æstimo.) Ad te enim, nihil sum, vilis & abiectus homo, infirmitatéque circundatus, caducus quidam, & ad breue tempus durans, & minori robore præditus: Tu vero æternus es Deus, summus, rerum omnium præpotens, opifex rerum omnium, & effector: quinetiam immensus rex, & Dominus tam eorum quæ sub sensum cadunt, quàm eorum quæ ratione intelliguntur. Hæc vt Deo rerum omnium dicta sunt: nondum verba omnia facta sunt, Et sanatus est Iob à plaga. Deus enim est, qui eum curauit, cuius voluntatem comitatur effectus & actio. Est enim is qui dixit, Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum. Postquàm autem loquutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphatz Themaniten, Peccasti tu, & duo amici tui, quoniam non estis loquuti rectum, sicut seruus meus Iob.) Non enim finem intellexistis concessionis meæ, sed iustitiæ meæ tantū rationem habuistis, & insontem peccatorem esse suspicati estis. Quoniam igitur cum peccato coniuncta est, vt falsa, hæc vestra suspicio, expiari ea deberis. Intelligendum est autem, Deum Eliu, vt peccatoris, non fecisse mentionem. Nihil enim prohibuisset eum etiam, vt ob noxiū vnà annumerari tribus amicis, * nisi quòd omnes boni ac pij, & Dei notitiam habent, & eius non ignorant prouidentiā. Quomodo igitur nihil verum loquuti sunt? Dixerunt enim, Nunquid qui fecit hæc omnia, turbabit iustitiam? Sed nō ea de causa accusati sunt. Si enim impij fuissent, nūquàm sacrificiis fuissent expiati. Sacrificia enim impiorum

C

τὸ ἀν ὅτι potest ad se quentē oratione referri, vt ita interpretamur: Verū

abominatio Domino: sed quòd ea, quæ à Iob facta esse non sciebant, pro Deo dicentes, suspicione sola impulsi iustitiam accusabant, Iob etiam suspicati sunt nihil dixisse, quod Deo gratum acceptúmque esset: verum probatus gratúsque æquo iudici fuit. Neque enim alia mente agitabat, alia dicebat, cum nullius personæ rationem haberet, cum ne Dei quidem, ac multo etiam magis, quòd eum nihil ignorare sciret. Amici autem, qui alia dicebant, quàm cogitarent, iure reprehensi sunt. Etsi enim omnia facientes ei addetis, tamen vos refellet. Si enim etiam omnia Dei causa dixeritis, vestri rationem non habebitis. Quæ enim quisque consentanea cogitat, ea etiam ore proferre debet. Sumite ergo vobis septem tauros & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis.) Antè quidem vltro ac spōte sacerdos Dei fuit, offerens etiam pro liberis suis. Quoniam autem post calamitatem non iam poterat liberè offerre bestias, propter malum quod inciderat: dicebat enim supra, Satis me in sordibus tinxisti: iure ac merito à Deo sacerdos creatur, amicísque permittit, vt ad eum hostias perferant, vt ipse cum amicis credat se sacerdotem declaratum esse Dei voluntate, quemadmodum etiam Melchisedec rex Salem. Nam si faciem eius suscepissem pro vobis, & nisi per ipsum, vos perdidissem. Neque enim loquuti estis ad me recta * sicut seruus meus Iob.) Eo enim pro vobis precante remittam vobis peccatum, propterea quòd suspicione impulsi sanctum virum calumniati estis. Nisi enim ipse mihi persuadeat, fortasse vos exitio oppressos, ex terra quæ vos edidit, eiiciam, vt intelligatis quàm magnum sit malum crimina colligere, & accusare eos, qui à me insontes sunt iudicati. Abierunt ergo Eliphatz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sibi, sicut loquutus fuerat Dominus ad eos: & dimisit peccatum eorum propter Iob.) Dat ergo ei Deus amicos, cum ipse precatus esset. Damno enim Iob fuisset, si amici, qui eius consolandi causa venerant, morte pœnas dedissent: præsertim cum non æquum fuisset negligi hominum in Deum pietatem, sed eius causā illis gratiam delicti fieri precibus hominibus, cui Deus charus erat. Sciendum est autem, Eliphatz amicorum obtinuisse principatum, qui etiam dignus habitus est, qui & Deum videret, & verba eius audiret. Auxit autem Iob Dominus: & cum orasset pro amicis suis, dimisit ei peccatum.) Clarum eum, atque ex eo maiorem fecit, quòd & preces eius audiuit, & eius causa amicis ipsius peccatum condonauit. Et addidit Dominus Iob duplo plura iis quæ prius habuerat.) Oportebat enim eum, qui ita cum aduersario dimicauerat, & patientiæ corona donatus erat: cum Deus iustum eum declarauisset, quòd nihil mali aut absurdi dixisset, sed præterea ageret gratias: diabolus autem pudore suffusus esset quòd frustratus spe sua esset: non solum ea quæ ei erepta & ablata erant, recipere, verum etiam duplicia bona accipere mercedem ac pręmium fortitudinis, vnum quidem vt debitum, alterum vt munus & gratiam. Audierunt autem omnes fratres eius, & sorores eius omnia quæ acciderant ei, & venerunt ad eum, & cuncti qui nouerant eum prius.) Vbi tandem hi erant prius, tum cū beatus vir aduersa fortuna vteretur? an omnino cum Deus benignus homini est, eúmque tuetur, tum omnes & amici, & cognati sunt? cum autem manum retinet, inimico hostilique sunt in eum animo, & omnes, & omnia? Et comederunt apud eum panem, & biberunt vinum, & consolati sunt eum, & admirati sunt super omnibus bonis, quæ intulerat ei Dominus.) O felicitatem beati viri, ô magnam clementiam, ô malorum obliuionem. Hos ad bibendum inuitat, qui se contempserant, & neglexerant in calamitate, vt omnem ex suspicione susceptum dolorem animique offensionem deponat. Siquidem admirati viri virtutem & probitatem, eum consolabantur: sed bona quibus eum Deus affecerat, eis stuporem excitabant. Et dederunt ei vnusquisque agnam vnam, & auri drachmas tres non percussas.) Nondum enim erant numi, sed aurum infectum, ac nota nulla signatum, secabatur in drachmas tres aut quatuor: quemadmodum Abrahami ætate trecentæ didrachmæ filiis Ephronis Chetthæi ab eo datæ sunt. Habet quidem libra vncias duodecim, stateras centum & octo, numos duos & septuaginta:

D

quod, siue, quoniā oēs pij Dei notitiā habent, & eius non ignorāt prouidentiam quomodo nihil verū loquuti sunt?

Est κατὰ τῷ θεράποντος, id est cōtra seruū meum.

E

F

G drachmas ducentas & sex. Vncia habet numos sex, drachmas octo: semuncia efficitur numi tres, drachmæ quatuor. Ita fit, vt tres drachmæ sint tres numi. Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et erant oues eius duplices, camelorum septem milia, & mile iuga boum, & mile asinæ.) Omnia ergo duplo plura accepit hic reprehensione carẽs vir: neque hæc pietatis mercedem ac præmium accepit: ei enim quasi proposita est vita beatorum, cœlorúmque regnum: sed patientiæ quæ inducta erat, & officij, quo Deo egerat gratias. Et fuerunt ei septem filij & tres filiæ.) Sciendum est igitur, eum, ea quidem quę sunt expertia rationis, duplo numero accepisse: filios autem non item, ne improbaretur resurrectio. Nonnulli enim fortasse suspicati fuissent in duplo liberorum numero, non futuram esse resurrectionem, aut etiam naturam quæ rationis est expers, nobiscum excitatum iri. Itaque ei reseruabantur liberi ad tempus resurrectionis cum filiis sedecim, & filiabus septem, qui ei paulò antè dati fuerant. Iustorum enim animę in manu Dei sunt. &, Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Omnes enim ei viuunt. Siquidem Deus est spirituum Dominus, vniuersæque carnis, præsertim cùm animi omnes eius opus & creatura sint: vt locus ille indicat, Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit, & creauit, & formauit te? Et vocauit nomen vnius, Diem, &

Hæc in Græco exẽplari bibliothecæ Regiæ, quod vnũ habui, traiecta sũt

H nomen secundæ, Cassiam, & nomen tertiæ, Cornucapræ.) Diem appellauit tanquam signum, & significationem sui à malis liberationis: quasi nox molestiarum prætериisset, illuxisset autem diei splendidi instar Dei prouidentia: Cassiam verò & Cornucapræ, aromata, signa cuiusdam lætitiæ, & tetri odoris qui olim fuerat, fugam. Veniant enim qui fortem constantémque capram ἀμαλθείαν appellant, Iouémque eius alumnum fuisse fingunt, atque eundem cum adoleuisset, mercedem educationis dedisse, cum finxissent eum ab illa educatum esse cum aliis Deis. Non sunt autem inuenti filij & filiæ in terra eis meliores.) Si enim simile fuisset munus concessum superiori, profectò cùm maxima calamitas extitisset, hoc mancum fuisset. Quinetiam tempus corporis excellenti eximióque modo datum est, vt horum aspectu penitus calamitatis memoria obliteraretur. Quemadmodum etiam in nuptiis, non solum quòd aquam in vinum vertit, sed etiam quòd in mulrum & suaue, ipsa summa suauitate omnes qui degustabant, ad rem consyderandam excitauit. Et cum Lazarum excitabat ab inferis, in stuporẽ adduxit, non solùm, quòd salutem dedisset, verum etiam quòd vinctum excitauisset. Miraculum enim spectantibus & videntibus augebatur. Nam & ij qui eum soluebant ex mortis vinculis, rem credebant, & iis qui videbant, persuadebant. In Petri etiam socru, non so-

I lum eam dimisit, à febre solutam & liberam, sed etiam valentibus ministram eam præparabat, vt existimaretur magis virtutes ex eius à morbo liberatione collegisse, quàm eis destitui atque priuari. Tranquillitas quoque illa maris non simpliciter ab eo facta esse dicta est, sed magna vehementer. Ea enim quæ modum transeunt & exuperant, eos qui spectant & cernunt, docent. Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.) Hæc autem Iob largitur, quòd donum erat quod Deus donasset. Vixit autem Iob post flagella centum septuaginta annis.) Ita erat, ipse cum Dei concessu calamitate pressus est, annos natus octo & septuaginta. Ex quibus licet admirati hominem, quod cum esset eiusmodi, quoad Deus eius & innocentiæ, & veritatis, & pietatis, declinationísque ab omni malo, testimonium dixit: qui testis est fide dignus: omnísque qui ei fidem non habet, est impius: tamen cum Diabolus non credidisset, voluissetque eum tentandum accipere, † Et vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem.) Filios filiorum dicit, & posteros, & posterorum liberos vsque ad quartum ortum, qui deinceps sequatur: id quod ei etiam Dei concessu ac munere contigit, ad tam diuturnum tempus felicem beatámque vitam prorogate, non solum vsque ad tertium ortum, verum etiam vltrà.

Aliquid deest.

Et mortuus est Iob senex & plenus dierum.) Cum nihil haberet quod deficeret aut abesset, non in tempore, non in moribus, non in vita, non denique in Dei charitate & amore, ab hoc mundo migrauit, ad alium rerum statum & conditionem translatus meliorem, quàm superior fuisset, in qua nec ad senectutem compellitur, nec hæredem aut successorem habet K vllum. Scriptum est autem, eum rursus resurrecturum esse cum iis quos suscitauit Dominus.) Non in alia scriptura, sed in hac ipsa: ne quis enim hominis & virtutem & felicitatem hîc ei * descriptam esse existimaret, & mortem calamitatem appellaret, aliáque mala quę ei accidissent: resurrectionem verò cultum, & bona quæ recepisset, nec post ea quicquam prę terea superesse: eum etiam in resurrectione excitatum iri confirmat, rursus addens vnam quidem resurrectionem esse à calamitate liberationem, alteram autẽ esse, eam quæ ei fit communis cum aliis mortuis, quos in extremo die Dominus excitabit. Qui enim ex elementis corpora nostra finxit, & rursus ea in eadem dissoluit: is cùm illa efficiente vi separauerit, ex iisdem nobis reddet. Resurrectio enim eorum qui iacent, non eorum qui nõ sunt, esse dicitur. Qui enim dixit, Faciamus hominem, idem dixit, Terra es, & in terram reuertẽris: idem pollicitus est, Ecce aperiam sepulchra vestra, & reducam vos ex mortuis vestris, & dabo spiritum meum in vobis, & viuetis. Efficiens enim hominem, nõ debitum reddebat, sed gratiam dabat. Eum qui non erat, faciebat. Excitans autem, non gratiam, sed debitum reddit: siquidẽ animis, qui sunt sua, reddit corpora. Homo vero nec corpus est, nec animus, sed vtrunq;. Homini porro rationem & legem dedit: is mortalis est, atque ad breue tempus viuit. Repetit autem Deus pœnas horũ, cum L violata sunt. Nec animus solus pœnas luet, cum à corpore occasiones quasdam habuerit, nec corpus per se rationem impietatis scelerísque reddet, propterea quòd in animo acquieuerit. Homini autem data est lex. Homo eam aut seruat, aut violat: idémque moritur. Mors verò discessus est animi à corpore. Ab eo ratio eorum quæ bene aut malè acta sunt, reposcitur. Is igitur iure ac merito excitandus est: & quia ex animo & corpore constat, nec interit omnino, aut honore afficiẽdus est, aut puniendus. Non eius autem causa resurrectio eueniet, verum excitandus est ille quidem, quoniam hoc ei debitũ est, vt qui rationis est particeps: est enim eius, quod compos est rationis, ęternum esse: sed iudicandus est, quòd legem acceperit, iurísque diiudicationem. Legem autẽ nunc dico, non scriptam, sed insitam, non eam quæ in tabulis lapideis, sed eam quæ in animis descripta est, cuius minister & opifex, nõ Moses, sed vnigenius Deus, qui & filius, qui omnibus ministrauit. Hic autem non possunt accipere pro dignitate, propter consequutionem temporis, corporísque dissolutionem, quòd interitus impediat iustam actionem, propterea quòd caro non satis sit ad remunerationẽ. Quapropter alius rerum status sit necesse est, in quo vnusquisque accipiet pro dignitate: qualis est resurrectio. Adducet enim Deus omnia, quę fecit sub sole, M in iudicium in omni eo quod videtur, siue bonũ siue malum. Et rursus, Multi eorum qui dormiunt, ex terra resurgent, alij ad vitam ęternam, alij ad cõfusionem & opprobrium. Et alio loco, Resurgent mortui, & excitabuntur ij qui quiescunt in terra. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Atqui nec animus mortalis est: est enim immortalis: nec corpus per se mortale est, sed interit. Homo autem mortalis est. Hic excitatur, hic induit immortalitatem: eius caro induet, vt ita dicam, incorruptionem, & animus cum illa aut vitam æternã, aut supplicium sempiternum percipit, quandoquidem etiam cum ea, non sola versata est. Hic interpretatur ex Syriaco libro, habitans quidem in terra Hus, in finibus Idumeæ & Arabiæ.) Dixit patriam, significauit expressítque gentem. Syriacam autem, Hebraicam linguam appellat: quandoquidem & Syriam Iudæam, & Syros Palestinos multi nominant. Herodotus quoque historicus cum Iudæos enumerat, hæc scribit, Preputium autem amputant Indi, Ægyptij, Arabes, & Syri qui Palæstinam incolunt. Erat autem ei prius nomen Iobab.) Additio literę efficit aliquid ad memoriã. Vt circuncisio signum erat fidei Abrahami, & monumentum in carne eius sempiternum: Productio etiam nominis, pro Abram, Abraham, & pro Sara, Sarra, vt cum nominis meminissent, memoriam recolerent Dei, & apparitionis, & prouidentiæ. Accepta igitur vxore Arabissa, genuit filium nomine Ennon: erat autem ipse patris quidem Zareth, Esau filiorum filius, matris autem Bosoræ, ita est ipse quintus ab Abraham.) Zareth vrbs est

** alias scriptam.*

A est Idumææ, & Bosor Arabiæ, quæ nunc Bostra dicitur, quæ nomina habent eorum qui beatum Iob procreauerunt. Quintus autem est, ab Abrahamo. Abrahamus enim genuit Isaac: Isaac, Iacob, & Esau: Esau, Raguelem: Raguel, Zareth: Zareth, Iobab. Atque hi reges sunt, qui in Edom præfuerunt regia potestate, cui etiam regioni ipse præfuit.) Hæc autem scribit etiam in Genesi, Hi sunt reges, qui regnauerunt in Edom, ante quàm rex regnaret in Israel. Itaq; consentanea sibi admirabilis sanctúsque Dei propheta narrat. Primus Balach, * Sepphor filius: & nomen eius ciuitatis Dennaba.) Hæc etiam in Genesi narrat. Sciendum est autem hunc nõ esse Balach Sepphor filium, regem Madiam, quo regnante Balaam Beor filius ariolus fuit. Post Balach, Iobab, qui Iob vocatur.) Scribit etiam in Genesi, Mortuus est Balach, & regnauit pro eo filius Zaræ de Bosra. Diximus autem has vrbes eadem, quæ parẽtes Iob, habuisse nomina. Post hos, Asom qui erat dux Themanitidis regionis. In Genesi quoque hæc scribit, Mortuus est autem Iob, & regnauit pro eo Asom. Post hunc Adad, filius Barad, qui percussit Madiam in regione Moab, & nomen vrbis eius fuit Gethen.) Est autem Phœnicum vrbs illa. Qui autem ad eum venerunt amici, Eliphatz Themanitarum rex, filius Sophar filiorum Esau: Baldad filius Amon Suhitæ tyranni: Sophar Minæus rex.) Ait etiam in Genesi, Mortuus est autẽ Adad, B & regnauit pro eo Séla, de Masreca. Hæc etiam vrbs est Arabum, noménque habet conditoris. Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth. Cúmq; & hic obisset, successit in regnũ Balanam filius Achódor. Isto quoque mortuo regnauit pro eo Barad, noménque vrbis eius Phogor: & appellabatur vxor eius Metebeel, filia Matra filij Masoob. Theman filius Eliphatz, dux Idumææ.) Consentanea dicit in Genesi, Fuit filius Esau Eliphatz, & Eliphatz Theman, qui dux fuit Idumææ. Hic interpretatur ex Syriaco libro.) Dicta est supra huius loci intelligentia, neque repetenda est. Habitans in terra Hus in finibus Euphra- D ris. Erat autem ei priùs nomen Iob, & erat pater eius Zareth, ab ortu solis.) Abrahamũ obscurè significat his verbis beatus Moses, nobilitatémque primi patris exponit, & in principio, & in fine libri. In principio quidem his verbis, Et erat homo nobilis inter orientales: in extremo autem libri, Et erat pater eius ab ortu solis. Illius enim peregrini erat atnepos. Hæc autem dicit omnia, vt doceat se argumentum aliquod omnino & temerè non fingere, sed ex iis quæ insunt, in animis viri vitam imprimere. Ob id enim, & patris Zareth, & matris Bosræ mentionem facit, & gentis Arabum, & vrbis, & eorum quæ deinceps sequuntur, & quintæ ab Abrahamo originis, & finium Euphratis, & duplicis nominis, Iob atque Ioab, vt ignaros doceat, hæc reuerà extitisse. Illud quoque intelligendum est, eum pro sua in Deum charitate, pietatem virtutémque coluisse, nec improbitatis eorum, qui malè statuerant & iudicauerant, participem fuisse: & cum in regnum successisset propter Balach, Sepphor filium, qui fecit vt Israel in Beelphegor fornicaretur, non tamen eorum scelus & impietatem imitatum esse, nec Esau ingluuiem, sed Abrahami fidem, & Iosephi pudicitiam. Amici etiam eius digni sunt commemoratione: Eliphatz, qui erat Esau filius, nõ tamen parentem imitatus est, sed virtutem pietatémque maiorum: idémque Themanorum rex fuit: eius æmulus Baldad, qui erat etiam ipse Chobar filius, & tyrãnus Suhitarum: E non contempsit eum etiam Sophar, rex Naamathitarum. Eiusmodi erant beati Iob amici, pij, theologi, diuinæ prouidentiæ non ignari. His autem rursum infinitis partibus admirabilior fuit Elius Busites Barachielis filius, ætate quidem iuuenis, sed pietatis ac virtutis æmulus, & iustitiæ æquitatísque studiosus, non fictis moribus præditus non simulator aliquis, ad fallendum idoneus qui & Deum, & eius æquitatem ac iustitiam, cuius & homini & rei anteponebat.

FINIS.

B. IOANNIS CHRYSOSTOMI

HOMILIA SIVE CONCIO PRIMA IN IVSTVM IOB, IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriaceno, Regio interprete.

C VENIT nobis hodie anniuersarius orbis terrarum athleta: vênit nobis peregrinus, angelísque similis certator, qui multa vulnera malàque à diabolo accepit, & multarum virtutum testimonium à Deo accepit: qui multis plagis à diabolo confossus est, & multa ab angelis spectantibus præmia accepit: qui multis flagris cæsus est ab hoste, & magnus Abrahami imitator à Deo in orbe terrarũ declaratus est. Sic enim ipse cum eo loquens dicebat, Méne putas aliter tecum verba facere, nisi vt bonus iustúsque videare? Quís nam eiusmodi virum fortem ac strenuum pro dignitate laudare potest? Quis tãti faciendas eius rectè factorum ac facinorum coronas ausit nectere? Quis ad immensum laudum profundum descendere conabitur? Vt enim nemo, qui quidẽ mẽtis suæ sit, gradibus aut pedibus humanis immensum maris profundum obire vnquam ausit: sic nemo sapiens, & admodum doctus vnquam audebit generosi illius beatiq; animi laudes auditoribus exponere. Omnẽ enim humanam sapientiam huius præclara facinora superãt: omnémque hominum in coronis donandis morem huius vincunt certamina. Itaque nobis angelica lingua opus est, vt summis, vt ita dicã, digitis officinam illam vnguentariam contingentes, omnem simul Ecclesiam perfundamus. Si enim tantum conemur vas ipsius Iob attingere, & paulùm ipsum cõmouerimus: statim vnguenti suauitate Ecclesia perfunditur. Historiam, quæ de eo dicit, audiamus, In omnibus his quæ ei acciderũt, non peccauit Iob labiis suis coram domino. Vidistíne testimonium, quod angelorum laudationem excitet? Vidistíne testimoniũ, F quod diabolum vnà cum suis conatibus pudore affectum retundit? In omnibus quæ ei acciderunt, nõ peccauit. Hoc Dei de eo testimonium in vniuersa Ecclesia vnguenti pretiosi instar, auditores letitia afficit. O vas preciosum, quod in vno Arabiæ loco repositum, per vniuersum orbẽ terræ suauem vnguenti odorem efflat atque diffundit. O vas, quod sexcentis lapidibus, plagis, suppliciis à diabolo percussum est, neque est vnguẽtum effusum, vt & vas frangeret, & vnguentum virtutis ac pietatis dissiparet. Studuit etiam tetro vulnerum odore vnguenti suauitatem obscurare. Etenim corpus etiam præ vulnerum vlceribus computruerat, sed vas vulneratum mansit, vnguentúmque non periit, vt nos ei vtiliter dicamus, Vnguentum effusum nomen tuum, cum ei nudus, quemadmodum luctatus est, pugil restitui debuerit, vt admirabilem illã imaginem spectantes, certò sciretis ex fide rerum, Deum, qui diabolo planum facere instituerer, se in terra bonos viros iustósque habere, qui non iam assentationibus more Adami caperentur, sed mile tormentis flagrísque toleratis corona donarentur, hanc rem fieri permisisse. Transfuga, inquit, de te magnificè sentis, quòd Adamum deceptum, mulierémque assentationibus pellectam ex paradiso eieceris. En tibi hominẽ, qui sine rebus scripturæ vixit, ac non scriptam naturæ legem mente & animo seruauit: profer sexcentos dolos, mile assen-

G tationes, mile tormenta adhibe, ſi optimum hunc beatúmque animum commouere poſſis. Ecce tu primum hominem ex paradiſo expuliſti: vide nũc, conare poſsíſne etiam ex ſterquilinio pugilem ſupplantare. Sed ſi videtur, ad hiſtoriam, quam paulò altius repetimus, reuertamur. Vir erat in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille ſimplex, & rectus, verax ac timens Deum, & recedens à malo.) Eiuſmodi erat etiã Adamus, ante quàm mulieri crederet. Hic propterea mulieri non credit, ne illi ſimilis euadat. Ille, vt ita dicam, incorruptionẽ induerat, * quemadmodum vidit is qui eum finxerat: & vt mulieri fidem haberet, nudus fuit, & condemnatus eſt. Hic nudus erat, nec mulieri credidit: quódque mulieri non credidit, ſanctorum angelorum corona donatus eſt. Ille * vt mulieri credidit: & ex paradiſi deliciis eiectus eſt, & terrã matrẽ ſpinarum fecit, & mortẽ iure hæreditario obtinuit. Hic quia mulieri non credidit, & à ſterquilinio, & à plagis liberationẽ accepit, & regni cœlorum adiit hæreditatẽ. Ille qui ſe defenderet, Deo dicebat, Mulier quam dediſti mihi, ipſa dedit mihi & comedi. O defenſionem & excuſationem, quæ veniam non habet. Illa dixit, Comede: Ego dixi, Noli comedere Cur ergo mulierem audiſti, & Deo nõ paruiſti? Sed non eiuſmodi beatus Iob fuit. Quomodo igitur? Cum obiurgatione dicebat, O mulier, cur quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es? Vir erat, Iob nomine in terra Hus.) Cur autem etiam re-

ὡς οἶδεν est in Græco .i. ſciuit. Est in Græco ſæpe ἵνα hoc loco, quæ coniunctio non rectè ad finẽ referri poteſt.

H gionem nominauit? Cauſa tua, vt intelligas, non peccatorum conſuetudinem facere, vt bonus vir iuſtúſque peccet: ſed bonorum piorúmq; hominum inſtitutum ſtabilem firmámque ſententiam habere debere. Hęc enim regio Arabiæ malorum erat, corruptorúmque hominum diuerſorium, Omnes erant legis violatores & improbi: omnes infenſi Deo, omnes conſtupratores, & deſtabiles: omnes ſuperbi, atque Eſau nepotes, omnes peccatis ſceleribúſque cooperti: ſed tam immẽſa peccatorum vorago, pietatis virtutíſq; ſplendorem reſtinguere non potuit: tanta malorum regio non potuit patientiæ pulchritudinem ſuffocare. Hinc ad eum diabolus accedere conatus eſt. Quid ita? Quia videbat eum eleemoſynis magis, quàm pecuniis diuitem eſſe. Audi enim eum hæc non falsò dicentem: Oculus eram cæcorum, pes claudorum. & rurſus, Ego ob pauperem fleui, & ingemui videns hominem in neceſſitatibus. Nec verbis tantum, ſed re & operibus diues erat, vt qui benignitatis theſaurus totus egentibus ſit inuentus. Quid enim ait quodam loco? Non exiuit è domo mea egens vacuo ſinu: os viduæ mihi benedicebat: vellere ouium mearum calefacti ſunt humeri pauperum. Perſpicuum eſt igitur, eum locupletẽ fuiſſe omnibus, & operibus, & verbis, & eleemoſyna, & præſidio pauperum, & auxilio egẽtium. Sed vide, quid diabolus facit. Primum ei eripit bona omnia, ad extremum liberos ſumit: abſtulit primùm armenta camelorum, ademit greges ouium: magnum aſinorum numerum, magnũ

I armentum boum: hæc eripuit omnia, & ad extremum liberos. Quamobrem? Attende cum omni ſtudio & diligentia. Primùm ei ademit omnes facultates, deinde liberos: abſtulit res quæ hæreditario iure veniebant, deinde hæredes tulit de medio, vt omnibus modis eum liberorum detractione vexaret. Primùm ergo bona eripere cœpit: primùm cœpit res hæreditario iure venientes auferre viuis hæredibus, vt ſtantibus liberis, amiſſione poſſeſſionum iuſtus vir calamitatem, deſperationis occaſionem, nanciſceretur. Intelligebat enim diabolus, eum, ſi liberi nunquam ante perirent, ne ſenſum quidem amiſſionis bonorũ eſſe habiturum. Verum ipſe, qui verè adamas, fortíſque athleta erat, qui multis plagis percuſſus eſt, & ſemper corona donatus: qui multa tela accipiebat, atque telis ipſis diabolum ſtimulabat, quíque armis iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris inſtructus erat: non eſt fractus, nõ lachrymis os oppleuit, nõ permotus eſt: quin nec amiſſione bonorum flectebatur, nec liberorum morte, virtute atq; pietate ſpoliabatur: ſed manebat, quaſi arx & turris ſtabilis, quæ in terra egit radices, ac fundata eſt, & vſque ad ipſos orbes cœleſtes munita.

Vênit primus nuncius ad Iob, qui diceret, Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus, vt nunciarẽ tibi. Cúmq; adhuc ille loqueretur, vênit alter & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues puerósque conſumpſit.) Vide, diabolus quid facit. Quoniã enim eum in pri- K ma & ſecunda plaga fortiter ſtare, nec vllo modo tormentis ſuis conturbatum eſſe vidit, bello petitum, nec vulneratum: aliquid tale excogitat, & molitur. Iaculatur ex aëre ignem, vt ignem è cœlo demitti putet, & cum Deum è cœlo exiſtimaſſet ſecum bellum gerere: in Deum diceret, qui cum ipſo nulla culpa ſua ita iniuria & immeritò bellaret. Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues puerósq; conſumpſit. Sed & illo adhuc loquente venit alius & dixit, Equites fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos vndiq;, & tulerunt eos, necnon & pueros percuſſerunt gladio.) Verum in his etiã omnibus manebat beatus Iob, columnę immobilis inſtar, tanquam turris inconcuſſa, quaſi dimicator inuictus, inflexibilis, obſtinato animo, iaculans, aut impetũ faciens. Cum enim quiſpiam fruſtrà, & ſtultè laborat, ita vt ſæpe bellum gerat, nec proficiat, plerúmque pugna cum eo committatur, nec vllo modo euadat ſuperior: ipſe eſt potiùs, qui mala & plagas ex vanis ſuis laboribus accipit. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit.) Perpetuum eſt bellum, ſed vanum & ſuperuacaneum laborãti: crebriora ſunt tela, ſed lætiora præmia. Non ſinit eũ ne ad tempus quidẽ reſpirare, ne quid pro inſita luctatoris virtute ac pietate, ſapienter cogitet. Iaculatus eſt tela omnia, nec vicit athletam, pharetram ſuã exhauſit, nec à dolore liberatus eſt. Erubeſcant ij qui fruſtra iniuriam inferunt. Quãdo igitur ille etiam abiecto animo reuerſus eſt, & pudore affectus, qui ſępe L luctatus erat, & ſemper inferior diſceſſerat (iaculatus eſt enim in paſtores, in bubulcos, in oues, in camelos, in filios, in filias, in domum, in corpus, per amicos, per ſeruos, per vermes, per vulnera, per ſaniem) omnia exhauſit. Quos habuit gladios orbis terræ tyrannus, eos mouit, igne, enſibus, vallo, captiuitate, ſanguine: hæc tetendit omnia, & athletã fortiorem reddidit. Itaque propheta ſcribit his verbis, Inimici defecerunt frameę in finem. Ei etiam fortaſſis hæc dicit, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Abſtulit pecunias, poſſeſſiones, facultates. Quid autem ait poſtremus nuncius? Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.) Atque vt intelligas nõ fuiſſe hominem, qui hæc Iob nunciaret, ſed diabolum ipſum in figura hominis, diſce cum omni diligentia. Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. Vnde ſciuit, quæſo, ventum à ſolitudine veniſſe, tetigiſſéque quatuor domus angulos, ſi homo erat, & intus domi? Si vero extra domum erat, quomodo ea quæ futura erãt, videbat? Quòd ſi ventus es, doce, quis ſis, nec hominis figuram indue. Filiis tuis, inquit, & filiabus tuis veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primo- M geniti.) Vide quàm plenus erat beatus Iob omni intelligentia & ſapientia, & quẽadmodum cõfirmabat liberorum amicitiam. Cogitauit enim Cain & Abel duos ſolos fratres in orbe terrarum fuiſſe, nec vllam habuiſſe belli occaſionem: vniuerſus enim orbis communiter vtriuſque poteſtati propoſitus erat: & tamen Cain Abel fratrem, propter eius honorem & virtutẽ inuidia impulſum necaſſe. Ob eámq; cauſam beatus Iob pro rebus quidẽ incertis hoſtiã quotidie deo immolabat, ſurgẽs prima luce, cum his verbis, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Quod autẽ attinet ad ea quæ eis eueniebãt, ſiue in ſermone, ſiue in contentione, eos quotidie vltro citróq; alios cũ aliis edere volebat, quòd cogitaret, etiã ſi inter eos aliquod illiberale facinus extitiſſet, tamen eos menſam panúmq; appoſitionẽ ad amicitiã & gratiam reductutã eſſe, & malum quod incidiſſet, exterminaturam, & quòd intelligeret fore, vt perpetuo conuictu mala omnia quæ eis interueniſſent, obliterarentur. Sed diabolus qui bonos odit, eíſque inuidet, eiuſmodi tempus obſeruauit ad necandos liberos, qui nihil peccauerant, id eſt, meridianũ. Cum enim eſſent omnes coniuncti, cum illi ad pacem copularentur: tum denique bellum atrox, & graue contra eos ſuſcepit. Ac illi quidem amicitiam, hic autem gladiũ acuebat: illi charitatem ædificabãt, hic domum diruebat: extitítque eadem

A dem hora & domus sepulchrum, & mensa calamitatis nauis ac naufragium, casa pastoriria, & à bestia capra omnia. Quid ergo vir ille generosus & fortis? Non cõturbatus est: non laplus est. Quid eius laudabo? Quæ satis erit oratio, quis * metus sufficiet ad tantam narrationem? O generosum ac beatũ animum: ô magnam patientiam, quæ superiorem non habet. Verè perturbato sum animo, conturbor, atque id sciẽs & videns Iob coronatum. Sed tamen conturbato sum ego nunc animo magis, cum athletam cerno, quàm ille rum, cum liberorum miseriam oculis subiectam videbat. Perturbato sum animo, vos etiam eodem animo affectos esse existimo. Quo igitur modo tantam tragœdiam exponam, ignoro, etiam si in lingua laudum fastigium feram. Parentes corporum, cum filium habent, qui vsque ad extremũ spiritum peruenit, in orbem sedent, postrema verba audiunt, eius manus amplectuntur, signa eorũ quæ minime expectabant, coniungunt & colligunt, os osculantur, sequuntur patrum extrema oscula, tum animam efflat puer, vt is qui dederat, iussit: parentes * inuoluunt, manũ porrigunt, caput dirigunt, pedes nudãt, abluunt, dignis & idoneis sepulchralibus tegunt, consolantur ipsi casum suum. Sed quid ad hunc fortem athletam? Abíit ne domum suorum, quæ vna & eadem hora domus fuit & sepulchrum, conuiuium & cumulus, festus dies, & luctus? Vbi fodebat & quærebat membra liberorum, inueniebat vinum & B sanguinem: panem & manũ, oculum & puluerẽ, accipiebátque interdum manum, interdum pedem, aliquando caput retrahebat cum cumulo & lapidũ & lignorum: atq; aliàs quidem partem alui, aliàs autem intestina & viscera inter cumulos permixta. Sedebat magnus ille athleta, spectãs diuulsa secretáq; membra liberorum: sedebat componens & copulans membra cum membris, manum cum brachio, caput cum pectore, genua cum femoribus. Neque enim vna erat eorum quæ euenerant calamitas, sed diaboli opera & tyrannide exitium, quod omnem rationem longe multúmque superabat. Sedebat igitur inuictus athleta, beatus Iob, distinguẽs & discernens membra liberorum suorum ne fœminarum membra marium figura & specie, cum fœminæ membris cõiungerentur. O verè beatum, atq; generosum & perquàm fœlicem animum, qui angelorum laudem vincit & superat. Quid ita? Quia in omnibus his quæ ei acciderunt, nõ peccauit Iob coram domino, sed pro his omnibus, sanctas integrásq; gratias pro hostia Deo egit, his verbis, Sit nomen domini benedictum, nunc & semper, atque in secula seculorum, Amen.

B. Ioannis Chrysostomi homilia siue concio secunda in iustum Iob, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno, Regio interprete.

C CVM magnæ res magnas etiam narrationes postulant: præclaræque ac splendidæ bonorum historiæ egregiam & linguam & mentem requirunt: mentem, quæ verè ac syncerè diuina scripta contempletur: linguam, quæ planè & apertè diuina interpretetur: tum vel maximè eæ, quæ nobis propositæ sunt, id est, quas beatus Iob studio & diligentia gessit, quæ quoniam in vniuersum orbem peruaserunt, patientiæ orationem illustrant. Quòd si infirmitatem nostram materiæ ratio vincit, at certo scio Deum pro sua benignitate, non propter eius qui dicit dignitatem, sed propter patrum preces suppeditare orationem. Restat vt nos etiam ad rem ipsam veniamus. Vir erat in terra Hus.) Necesse est primum consyderare, quam vim exordium habeat, & cur ab hoc verbo orsus sit historiographus, Vir quidam erat.) Quoniam vitam virtuti consentaneam expositurus erat, quę multum statum nostrum superat: ne quis habita singulariũ certaminum ratione, existimaret peregrinam naturam esse, nõ humanam, occupans naturam ostendit, vt id quod propositum est mireris, eum qui homo erat, vitam egisse, quę humanam vinceret, ita vt cùm naturæ, quæ communis est omnium, particeps factus sit, tamen altiorem mundo animum effecerit. Vir quidam erat in terra Hus.) Prædicat eum etiam à natura, laudat eum etiam à regione & patria: vt quemadmodum cum eum hominem esse accepisti, miraris eum supra hominem vixisse, sic si intellexeris etiam regionem, ex qua tam magnus fructus floruerit, mireris verè, qualis rosa in mediis spinis eruperit. D Attende diligenter. Regio quidem Ausitidis, patria Esau fuit. Ab Esau enim Ausitis dicitur. Nominat autem profani & improbi Esau regionem, quemadmodum ait Paulus, Ne quis fornicator aut profanus, sicut Esau, vt intelligas ex quali diuersorio domicilióque maliciæ, qualis fructus floruerit. Verũ non solum Esau regio eum tulit, sed ipsa Esau stirps & radix. Nepos enim fuit Esau. Scriptura enim dicit, Iob quintũ esse ab Abraham. Quo autem pacto quintus fuerit, accipe. Abraham Isaac genuit: Isaac, Esau: Esau, Raguel: Raguel, Zara: Zara, Iob. Ab Abraham igitur per Esau genus duxit. Ita radicem declarat, vt fructũ admirêre. Quis verò erat Esau? profanus, &, vt ita dicam, fornicator. Quis etiã Iob erat, qui à cõstupratore habuit originem? Hic ipse præclarus vir & admiratione dignus, qui nobis propositus est ad narrandum, qui ait, Si sequutus est oculus meus alienã vxorem, placeat etiã vxor mea alieno viro. Esau cum multis mulieribus concubuit, cum esset insatiabili & inexplebili libidine: Iob autẽ mores legem vitæ habuit, tantúmq; ab illo scelere abfuit, vt ne iis quidem mulieribus, quæ desponsatæ erãt, deditus fuerit, id est virginibus quæ nondum nupserant. Vtendum est enim planiore verbo. Tantum aberat, vt alienis vxoribus insidiaretur, vt ne in virginem quidẽ, quæ nõdum collocata erat, in qua nihil erat periculi, aciem oculi vnquam libidinis causa intenderit. Quisnã est, qui hæc testatur? Iob ipse. Fœdus, inquit, feci cum oculis meis, nec cõmixtus sum cum virgine. Vide quã ad institutio- E nẽ in eo pietas & virtus viguerit. Instituit oculũ ad virtutem: instituit etiã membra ad iustitiam & æquitatem: & qui à cõstupratore genus ducebat, in eo maxima temperantia eluxit. Esau etiam fratricida, quod ad propositum attinet, fuit. Nã si minus res exitum non habuit, at certe propositũ & voluntas accusatur. Dixit enim, inquit, Esau in corde suo, Appropinquent dies luctus patris mei, & interficiã Iacob fratrem meũ. Radix ergo fratrem interfecit: qui autem ex radice floruit, is iustitiam tribuit. Ille naturæ bellũ intulit, fratrémque alienũ esse ducebat: hic etiã alienos, fratres existimabat, dicẽs: Factus sum pupillis vt pater, & pro viro matri eorum: causam quam non intelligebam, inuestigaui: & iniquos cessare feci. Omnia etiam quæ aliena erãt, propria suáque faciebat, is qui ab Esau ortum habebat, cum ille in alienis ea poneret. Esau cogitabat Iacob de medio tollere: Iob autem hostias immolabat pro liberis, quòd reputaret, num animo cædem cogitassent. Cum vereretur magnus hic & fortis athleta, ne ipsi mente venenũ peccati concepissent & approbassent, offerebat sacrificia, & taurũ vnũ pro peccato. Dicebat enim Iob, Ne forte filij mei benedixerint Deo in cordibus suis. Cõsydera quàm accuratè ipse mores instituebat, & quid facit. Nam cũ Esau & Iacob in malo consenserint, etsi Esau prior mali auctor fuerit, ipse epulo maiorum suorum dissensionẽ dirimit, facítque vt liberi F sui quotidie vltro citróq; alij cũ aliis vescantur, vt cõsuetudo mensæ mali venenũ dissipet. Alij ad alios veniebãt Iob liberi, concordiam discentes, & alij cum aliis edebant ac bibebãt. Assumebant autẽ, inquit, tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.) Sed quis hinc fructus, quæ vtilitas auditori cõparatur? Cur etiã sororum cõuictum addidit? Vt doceat ad quantam frugalitatem eorum conuiuium peruenerit, nec fuisse in eo risum solutum & effusum, nec intemperantiã, quę mensæ iniuriam faceret. Inducit quoque virgines cõuiuas, vt conuiuij habitũ formámq; declaret, quod non ebrietate contaminabatur, sed ornabatur concordia, Vir quidã erat, in terra Hus, nomine Iob.) Columba inter accipitres: ouis inter lupos: stella inter nubes: lilium inter spinas: germen iustitiæ in vico iniustitiæ. Et erat vir ille simplex.) Attende diligenter. Ij qui à religione nostra abhorrent, definitionem hominis posuerunt. Quid est homo? Homo est, inquiũt, animal rationis particeps, mortale. Hæc volunt philosophorum definitiones. At scriptura non dat eiusmodi. Quas ergo? inquies. Homo est simplex, & rectus, ac verax. Si quis te interroget, ac quid homo sit, à te postulet, vt definitione aperias: ei ita respondeto. Homo est simplex, rectus, & verax, & recedens ab omni malo. Qui enim his recte factis non est ornatus aliorum testimonio, is ne homo quidem est. Si enim naturæ figuram habet, eámque vitio voluntatis deformat, &

contumelia afficit:prophetam audiat,Homo cum in honore esset,non intellexit comparatus est iumentis insipientibus,& similis factus est illis. Et vir ille erat simplex.) Non parua laus est.Consydera verbum,vt quod propositum est,mireris. Aliud enim est ἔγκλημα,id est, accusatio: aliud μέμψις,id est,querela. Accusatio enim in grauissimis sceleribus peccatísque adhibetur:querela autem in delictis leuissimis. Voluit ergo docere historiographus,bonum iustúmque virum lōgè non solùm ab accusationibus abfuisse,verum etiam à querelis:Nemo enim eum accusauit, quòd magna scelera admisisset,cùm de eo ne questus quidem sit, quòd leuia commisisset.Hoc autem magnum argumentum est. † vbi media vita crimine caret. Cui enim non potes adulterium, aut cædem obiicere:is ἀνέγκλητος,id est,caret crimine: Cui autem contumeliam,criminationem,conuicium, aut ebrietatem obiiciis,is est extra crimen, sed in querimoniam incidit. Voluit igitur docere auctor libri Iob,etiam à leuissimis minimísque delictis lōge abfuisse,cum ait,Et erat vir ille sine querela, rectus,verax,ac timens Deum,& recedens ab omni malo.Hinc etiam Deus,cum vellet Abrahamo exponere primum virtutis fundamentum esse,reprehensione carere,ei dixit,Ambula coram me,&esto†perfectus.τὸ ἄμεμπτον,id est,sine querela esse,in morum integritate & extremo accipitur.Paulus autem Apostolus quoniam apud Gentes habebat, qui à Deorum multitudine abducti erant, qui à malo abstracti erant, qui à stupro & adulterio congregati erant: extremum virtutis non addidit.Sed vt in orbem terræ intrauit,qui plenus esset adulterij atque stupri,cum vellet pastores constituere orbis terræ,quoniam tum bona virtutis rara erant, constituens Episcopos,hæc Tito præcipit,Constitue Episcopos,sicut ego disposui tibi, Si quis sine crimine est. τὸ ἄμεμπτος, id est, qui sine crimine est, locumtum non habebat, quoniam rarū erat extremum virtutis,atque pietatis.Magnum est τὸ ἄμεμπτον,id est,sine querela esse medium, τὸ ἀνέγκλητον,id est, carere crimine magnum verò est improbis etiam paruum bonum.Ob eámque causam dixit vnius vxoris virum, non quòd hoc in Ecclesia seruatur(Sacerdos enim omni castimonia.& sanctitate ornatus esse debet) sed quòd tum magnum erat apud eos, qui se stupris contaminabant. Ait, Constitue Episcopum,sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine,vnius vxoris virum,non quòd hoc pro lege tulit,sed quòd errori ignouit.Intelligebat enim fore, vt florente verbo pietatis,†natura hæc voluntarium bonum haberet, meliorúmque delectus haberetur. Simplex,& rectus.) Non igitur antè rectus & iustus quis esse potest, qui non simplex ac sine querela fuerit. Verax.) Verax, quid effecit?Verax est is qui non habitum oris præ se fert, & alium statum habet:qui non temperantiæ speciem gerit, & præditus est intemperantia:qui nō iustitiam specie ostendit,iniustitiam autem in animo gestat. Quid etiam sibi vult, θεοσεβὴς, id est, timens Deum,siue colens Deum? Nam cum aliquis est sine querela & simplex,cum est rectus,cum verax: tum vera Dei religio & virtus eripitur. Et recedens ab omni malo.) Quoniam multi à multis peccatis se abstinent, ab omnibus autem se non abstinēt,cum summam virtutem rursum subiicere vellet,dixit,Recedens ab omni malo.Itaque Dauid ait, Qui diligitis Dominum,odite malum.Neque enim fieri potest,vt quis Deum colat,& viuat improbè. Narrat etiam eius facultates,quòd habuit septem milia ouium,camelorum tria milia,iuga boum quingenta,asinas quingentas. Sed cur hæc exponit?Non quòd Iob diuitias admiretur,sed vt tibi,qui audis,multitudinem facultatum enumeret: atque tu cùm videris eum postea spoliatum bonis,nec ægrè ferentem aut ingemiscentem,mireris,eum qui tot bonis priuatus sit,non detestari beneficum,neque eum contumeliis afficere. Hæc igitur scripta sunt,non vt diuitias admireris,sed vt constantiam ac patiētiam iusti boníque viri laudibus efferas, tibíque semper ob oculos obuersetur timor Dei. Eorum autem quæ sequuntur,cognitio in aliud tempus reseruatur.Diabolus enim, fratres,quoniam eum vidit diuitem opibus his quæ ad tempus durant,atque ex his opibus caducis æternas diuitias reseruari:intellexit, quemadmodum cum eo locuplete diues etiam fuit iustitia,sic etiam virtutem vnà cum eo paupere pauperē ac paruam futuram. Conatur ergo spoliare pecuniis, vt etiam plures possessiones eripiat.Hoc loco attendire diligenter,qui diciris,An non diues Iob fuit?nónne Abrahā erat diues? Cur igitur nobis inopiam proponis?Tibi ego quoque respondebo,Fac sis vt Iob locuples, túmque tibi maiores opes optabo.Esto vt Abraham,& terra vniuersa diuitias tuas continebit.Dic etiam tu quemadmodum Iob, Ianua mea aperta fuit omni qui erat oppressus: dic, Humeros pauperum calefeci: dic, Vellere ouium mearum calefacti sunt humeri pauperū, dic:Et os viduæ benedixit mihi:ac tum abūdato diuitiis quibus voles.Inuenieris enim non tibi diuitias tuas,sed pauperibus dispensare & erogare.Ianua mea,inquit,aperta fuit omni qui oppressus fuit.Imitare summum hūc pauperum amorem:indue studium patientiæ:præsta te virum contra aduersarios:ad similia nitere & contende. Sed hæc quidem hactenus.Faxit autem Deus,vt vos studio & patiētia præditi,eorū etiā quæ reliqua sunt,continuationem connexionémq; ante oculos habeatis,vósque à nobis ea quæ restant exigatis, & nos vobis contemplationis continuationem reddamus. Faxit etiam Deus,vt nos & diem festum vere agamus,& eorum quæ sancti perpessi sunt,socij participésque facti, eorum etiā quæ Christus pertulit,participes simus. Verè enim,fratres,ac meritò præluxerunt Christi passioni ea quæ sancti pertulerunt:preluxerunt,quasi fulgores,ea quæ passi sunt iusti ac boni,vt posthac Christus luceat:sicut ait Paulus,Qui cum omnibus patitur,cum omnibus glorificatur.Quapropter preces atque orationes sanctorum patrum,& quæ dicta sunt, imitati,in eorum quæ restant expectatione,gloriam tribuamus Patri,Filio,atque Spiritui sancto,& nunc,& semper, & in secula seculorum,Amen.

ἔ.al.cuius

ἄμεμπτος. id est.sine querela.

Sequutus sum verba, quæ Chrysostomus profert: nā Pauli verba paulùm secus habent.

αὐθαίρετον αὐτὴ ἡ φύσις ἕξει τὸ ἀγαθόν. legendū puto in recto αὐτη, vel αὐτὴ id est hæc, vel ipsa.

B. Ioannis Chrysostomi homilia siue concio tertia in iustum Iob, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno, Regio interprete.

NVnc & nos promissum exoluamus, & vos audientiam mihi facire, omnésque vespertinæ Iob cōsequutionis simus,ac cum fide nosmetipsos patientiæ rationi offeramus. Absurdum est enim,Iob quidem qui in sterquilinio sedebat,non torpuisse ad pietatem & virtutem:nos autem in Ecclesia†tripudiantes,pigros esse ad veritatem: atque illum infinitis doloribus angoribúsque oppressum,in aduersis rebus suis non fractum animo fuisse:nos verò, qui in hymnis diuinísque scriptis, atque spiritalibus canticis vndique canimus, studium inertię desidiæque dedere.Iob cum corpus à vermibus exedebatur,non vulneratum animum ad pietatem virtutémque reseruabat.Illum vermes non vicerunt: & nos sudores defatigabunt? Simus etiam nos homines:homines, inquam,ea quæ explicata est,definitione. Hominem enim figurat vacuitas à querimoniis,iustitia,veritas, pietas & metus Dei.Atque vt in communi more,quando aliquis seruum suū aut filium ad negocium aliquod mittens,iubet his verbis, vt homo,cura hoc negocium,commune nomen, proprium facit,quod mirum est:sic omnes dicuntur homines, sed is demum homo verè dicitur,qui imaginem retinet atque seruat, primámque speciem non obliterat. Dixit eum hominem,vt à communi natura propositum laudes: Dixit eum esse terræ Ausitidis,vt à regione quæ impietatem ferat, fructum ornes laudibus.Enumerauit eius bona,vt admirareris ea quæ maiora habebat.Exposuit eius diuitias,non vt eius copiā & abundantiam laudares,sed vt eum illa spoliatum suspiceres. Omnibus enim bonis spoliatus est,& pietatem virtutémque non exuit,sed quasi vrbs aliqua quę oppugnatur,& omnibus quidem quæ extra sunt destituta est, solo autem muro defenditur:spoliatus est liberis,& virtutis pietatísque fructus non amisit.Habuit enim filios,mores:& filias,virtutes.Tres ei erāt corporis filiæ,& tres in eo virtutes inerant per spiritum:quémadmodum ait Paulus,Manent autem tria hęc,fides,spes,charitas:maior autem horum charitas.Spoliatus est filiis,& agricolam naturæ non negauit. Intelligebat enim liberos propagationis generis esse consolationem.Deus autem agricola est radicis. Nō acerbè tulit fructuum amissionem.Sciebat enim

χορεύοντας.al.exultantes.

A agricolam radicis in perpetuum manere. Spoliatus est ouibus,& ipse ouis erat,quæ à Deo custodiebatur. Spoliatus est bubus,& iuga quidem boum dissipata sunt,sed iugum animi ac corporis non est separatum, sed consentientes animus & caro ad pietatem & virtutem,trahebant aratrum : patientiæ autem causa & nomine,virtutis fructus percipiebant, atque vt augeret patientiæ fructus,virtutis fructus recipiebant. Erant ergo ei camelorum tria milia,asinæ quingētæ. Equidem pauca eum possedisse existimo. Si enim vnicuique inopi suppeditabat,sicut ipse ait, Oculus eram cæcorum, & pes claudorum:paruæ exigúæque erant ad institutum facultates:maior erat ab amore pauperum profecta suppeditatio, quàm pro facultatibus, quæ principio suppetebant. Inops erat Iob,non subueniens pro studio. Ac diues quidem erat re & possessionibus,pauper autem pro facultatibus quæ studio respondebant. Erant autem ei, inquit, etiam opera magna in terra.) Quæ autem ea erant? Amor pauperum, amor peregrinorum,summa modestia,misericordia singularis, quæque ad virtutem pertinent. Sed hic quidem abundabat,non magis caducis,quàm pietatis virtutísque diuitiis. Sapiens autē quidam alius verba hæc exponens, existimat opera magna esse, vites,oliueta,iugera consita,& quæ sunt eiusdem generis. Sed B reuera ei erāt in terra magna opera, vt qui diuitiis cœlestibus abundaret. Diabolus autem,qui,sicut superiore concione dixi,suspicatus esset, vt est planè scelestus, quemadmodum ei locupleti simul etiam virtus creuerat & abundauerat, sic fore,vt paupertate oppresso simul etiam virtutes decrescerent ac minuerētur:spoliat eum pecore, vt eum spoliet etiam virtutum copia. Petit autem à Deo, vt sibi liceat tentare iusti viri patientiam,vt tu bono fortíque animo sis. Non enim dæmon quicquam in Christianum potest, neque in virum qui Deum metuit,nisi Deus permiserit aut castigandi causa, aut propter concessionem. Deus enim cum castigationes adhibet,aut pœnas repetit scelerum aut virtutem diuinorum factorum exercet. Non potuit ergo diabolus Iob oppugnare, quoad Deus passus est. Nec mirum tibi videri debet, si nihil in Iob potuit,nisi Dei permissu,cum ne in sues quidem eius vlla sit potestas. Audi enim,vt legio rogabat his verbis, Permitte nobis abire in porcos. Quòd si sues non sunt in eius potestate,nisi Dei concessu:quomodo in eos,qui ad Dei imaginem facti sunt,sine iussu ac nutu Dei,aliquid potest? Quadam autem, inquit, die, cum venissent angeli Dei, vt assisterent coram Domino,adfuit inter eos etiam Satan.) Num cū angelis presto est etiam diabolus,& inter sanctos spiritus immundi adsunt? Nullo modo. Nam neque sancti angeli presto fuerunt Deo corpore,nec corpore satanas, sed omne munus & officium præsentia,& vt ita dicam, assistentia dicitur. Vt enim Elias cum in terra versabatur, Deo præsto esse dicebatur,sicuti ait, Viuit Dominus cui astiti coram eo hodie, non quòd in cœlum ascendens præsto fuisset, sed quòd diuino C præcepto pareret ac ministraret : sic diabolus adfuit non in cœlesti choro, neque inter cœlestes virtutes atque mentes, sed quemadmodum Dei creatura iubetur facere, quæ sunt officij ac muneris. Sed quomodo, audi. Noli enim verba mea rapere ac dicere, Ministró ne diabolo Deus vsus est? Vt enim humanarum potestatum sunt perspicui milites,qui magistratibus administrant,súntque certi milites ad supplicia constituti & secreti:sic etiam huc ad munera quidem bona, hominúmque causa obeundas procurationes sancti angeli mittūtur,ad improborum autem hominum supplicia, dæmones: quomodo,accipe. Cum Paulus sanctorum angelorum mentionem facit,ait, Nónne sunt omnes administratorij spiritus in ministerium missi propter eos,qui hæreditatem capiēt salutis? Ex quo perspicuum est,sanctos quidem angelos seruire hominum saluti,improbos autem dæmonas peccatorū scelestorúmque suppliciis. Misit enim,inquit Dauid,in Aegyptum,furorem & iram,& tribulationem, immissionem per angelos malos. Improbi ergo & immūdi dæmones,etsi proposito rebellant & diffident,tamen iugo seruitutis coercentur,iubentúrque vt tortores,imperata facere. Nec mireris, si Deus dæmonibus iubeat,cum Apostoli diabolo pro tortore vsi sint. Itaque Paulus scribit his verbis, Quam quidam repellentes,circa fidem naufragauerunt:ex quibus est Hymenæus, & Alexander:quos tradidi satanæ,vt discant nō blasphemare. D Et rursus,de quodam qui stuprum obtulerat, pœnásque luebat,quid ait idem Paulus? Conuenientibus vobis & meo spiritu cum virtute Domini Iesu iudicaui eum,qui sic operatus est,tradere satanæ in interitum carnis,vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Dæmones enim ne quid se existiment contra diuinam auctoritatem tyrannorum more fecisse, iubentur etiam inuiti facere quæ imperantur, non res quæ ad fœlicitatem pertineant,sed res quæ ad supplicia. Non vidisti etiam magistratus principésque nostros,quando cum honore aliquem accersunt,vt mittant δρομεῖς,quos cursores latinè appellant:quando autem cum ignominia aliquos trahunt & arripiunt,alios mittant crudeles ac duros milites? Sic etiā Deus,sanctis quidem mittit ministros angelos ad salutem:cū autē vult suppliciū sumi,dæmonibus permittit. Itaq; cū Deus cōtra Achab pronūciauit & sentētiā tulit,his verbis vsus est, quis erit & decipiet Achab, vt ascēdat & cadat? respōdit spiritus nequam, Ecce ego. Sciebat enim se diabolus huic muneri esse præfectū. Dæmones igitur (sed ignoscite mihi quæso,de rebus quæ non videntur,nec sub sensum cadunt disserenti, nec verò initio constituetam aliquid de eiusmodi rebus dicere,sed tantum occasiones à sancta scriptura mutuatus sum:neque enim humanæ intelligentiæ est, res quæ non E videntur,ab iis quę sub sensum cadunt,distinguere. Sed quoniam iis quæ dixit Deus,† responderi non potest,ea quæ scripta sunt,velimus nolimus,sequimur.) Improbissimi,inquam, dæmones mittuntur quidem † præcipuè, vt de malis supplicium sumant:mittuntur autem etiam& ad bonos,non vt eos puniant,sed vt tentent. Quoniam enim sanctus angelus ministrate in tentatione non iubetur (neque enim Deus angelo indignum aut indecorum aliquid imperat) ob eam causam tentatio ipsa dæmonibus permittitur. Nec verò est,quòd miretis,si ad bonos mittantur dæmones. Ductus est enim aliquando Dominus omnium à Iordane in desertum & solitudinem, vt tentaretur à diabolo. Si ergo Dominum seruatorémque omnium diabolus tentauit,quid miratis,si exercendæ tentándæque boni viri patientiæ causa diabolus mittitur? Mittuntur porrò non iussu Dei,sed concessu. Figurat autem scriptura quasi in prosopopœia,id est,personæ fictione, sermonem. Neque enim vox Dei ad improbum dæmona peruenit,neque ea dignum iudicatur propositū illud, quod violauit. Natura enim bona est,propositum autem malū. Quòd si obiicias, Dominum dixisse diabolo : respondebo tibi ex Dauide, Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas? Num verba cum peccatore fecit? certe non:sed cū loquitur,per res ipsas cum indignis loquitur. Præcepit Deus balænæ:num voce missa? aut vi imperio addita, iussit Deus vermi matutino? Ita si sermo significat Deum cum diabolo verba fecisse:noli ex pari honore ignominiosum istud, & quod præceptum violauit, propositum in conspectum Dei producere. Sed sancti angeli ex decreta constitutáque conse- F quentia,præsto fuerunt:venit autem diabolus & adfuit inter angelos. Cur inter angelos? vt eum angeli naturam accepisse intelligas,proditoris autem propositum,& voluntatem prætetea accepisse. Diabolus enim non naturæ nomen est, sed propositi & voluntatis. Non enim diabolus ab initio factus est,sed conditus angelus. Diabolus autem appellatus est, ὡς διαβάλλων,id est,quòd in crimen vocet inuidiámque adducat,& homines apud Deum,& Deum apud homines: quódque committat & Dominum cum seruo,& seruum cum Domino. Cum enim nobis suggerit subiicítque diabolus, ac dicit, Quot mala sunt in mundo? vbi est Deus? cur non præest? tum opificem apud nos in inuidiam & odium vocat. Opus enim hoc diaboli est à primo ortu mundi. In crimen Deum apud Adamum vocabat his verbis, Scit Deus, quòd in quocūque die comederitis ex eo, eritis sicut dij,id est, inuidia impulsus,inquit,vetuit ne ederetis. Ibi Deum in inuidiam apud Adamum adducit:hîc Iob apud Deum, cum ait, Nunquid Iob gratis colit Deum? id est, mercenarius est, non virtute præditus. Quoniam igitur Deus iustum illum ac bonum virū eius suspicione violari vidit,eripit ei bona, vt tollat suspicionem,nudámque ostendat pietatem atque virtutem. Dixit,inquit, Dominus diabolo, Vnde venis? Deinde superbus

ἀντειπεῖν al. contradici.

ἰδικῶς, al. specialiter.

& arrogans, quíque nec ſtatum ſuum conditionémque nouerat, nec interrogantis dignitatem, reſpondet, Circuiui terram & perambulaui eam.) An non hoc propemodum vult docere, ſe orbis terræ obtinere principatum, ſe terrena omnia ſubiugaſſe, omnes homines ditionis ſuæ eſſe? Circuiui terram, & perambulaui eam.) Exciſa deletáque eſt iſta diaboli arrogantia. Quoniam enim Dei imaginem ſe dominatu tenere exiſtimauit, è terra ſic expellitur, vt eam iã non obeat: eúmque omnium Dominus exterminat. Is enim eſt, qui promiſit, Inhabitabo in eis, & inambulabo, eróque eorum Deus. In primo homine diabolus ambulauit. Cum enim ſimulachrorum cultus diffuſus erat, cum impietas & ſcelus valebat, cum vitia omnia vigebant: tum inambulabat diabolus. Cum autem ſanctitas, cum iuſtitia, cum veritas dominatur: tum in iis qui veritatem ſeruant, Deus & habitat & ambulat. Nunquid conſyderaſti, inquit, ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, verax, ac timens Deum, & recedens à malo?) Quoniam hoc dixit, Circuiui terram, & perambulaui eã, id quod arroganter dicebat, quaſi omnia dominatu ſuo teneret, eius arrogantiam diſſoluens Verbum veritatis, ei dicit, Vidiſti hominem, qui à te obtritus non eſt? Quoniam omnia, vt dicebas, imperio tuo tenes, vidiſti eum qui omnem maliciam tuam ſuperauit: vidiſti eum qui obtriuit te, qui omnes conculcas & obteris. Vidiſti eum qui tyrannidem tuam diſſoluit, & iniuſtitiam iuſtitia, impietatem ac ſcelus pietate atque virtute. Ille autem obſiſtit Deo his verbis, Nunquid gratis te colit? Addidit poſſeſſiones, vt eius mores violet atque vexet, vt petulanter dicat in eius vitam, vt ſuſpicionibus adulterinam falſámque eius virtutem oſtẽdat. Tu ei, inquit, abundantiam bonorum dediſti: aufer ei bonorum abundantiam, & nuda erit apertáque ſimulatio. Dixit ei Deus, Tange cuncta quæ poſſidet.) Sciebat enim eum Deus habere inexplebilem pluta habendi voluntatem. Itaque ei ait, Ecce vniuerſa quæ habet, tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.) Terminis ac finibus definit diaboli maliciam. Vide deinceps quem arcum tendat improbus in bonum ac iuſtum virum, quæ tela iaculetur. Egreſſus eſt, ac primus figuram aliam perſonámque induit ipſe, qui mala operatur, ſe ipſe malorum nuncium præſtitit: ipſe pecus occidit, idémque cladem nunciat. Dixit enim, inquit, diabolus ad Iob, Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus, & veni vt nunciarem tibi. Prima eſt hæc diaboli tentatio, primum telum miſſum in generoſum fortémque athletam: ſed oppoſuit Iob ſcutum fidei, quod poteſt omnia tela nequiſſimi extinguere. Iuga boum amittebantur, ſed animus non diuidebatur: aſinæ amittebantur, & nobilis pullus frænum virtutis ac pietatis non negauit. Vidit habuítque acerbum amiſſionis bonorum nuncium, & manebat quaſi turris tutus, & inuictus. Diabolum, qui eſt inſigni malicia, actíque & acerba voluntate, pœnituit talis nũcij. Sed attende diligenter, quæſo. Non te fugit diaboli cogitatio, qua etiam Apoſtolus accuratè conſyderata ait, Non enim eius cogitationes ignoramus. Cum ergo ei nũciaſſet, tum cum iuga boum ararent, & aſinæ paſcerentur, veniſſe, qui illa omnia ceperint, vidiſſétque Iob generoſo fortíque animo nuncium ferre, eum pœnituit imperitè allati nuncij: atque hæc ſecum ferè agitabat, Male nũciaui, cum ei dixi, homines ipſi bellum intuliſſe: poteſt enim hoc reputare, Me homines iniuria affecerunt: quid ad Deum? Imperitè, inquit, ſagittam emiſi, non ad ſcopum iaculatus ſum: nõ attigi ſcopum ſagitta, tela aberrarunt, cum dixi, homines captiuos, boues & aſinas abduxiſſe: poteſt ita dicere, Quid? hominum ne iniuriam Deo attribuam? Alij iniuriam intulerunt, & alius maledictis vexabitur? Vt igitur eius animum, & ſententiam ab hominibus in Deũ traducat, eíque oſtendat, non homines eſſe, qui nocerent, ſed Deum qui illum oppugnaret, ei dicit, Ignis Dei cecidit è cœlo.) Num potes dicere, hoſtes è cœlo ignem iaculatos eſſe? Contumeliis affice eum qui tibi nocuit: maledictis vexa eum, qui tibi bellum intulit. Ignis Dei cecidit è cœlo.) Audiuit Iob, ac rurſus fortiter tulit. Illius enim patientia, verè patientia erat, quæ ad finem vſque pertinebat, de qua Seruator ait: Qui ſuſtinuerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Ignis Dei cecidit è cœlo.) Quid mirum, ſi ignis è cœlo delapſus eſt? Quotidie triſtis erat, offerens hoſtias pro liberis: quod quotidie cum dolore offerebat, id Deus confertim ac ſimul accipiebat in hoſtiam. Ignis Dei cecidit è cœlo.) Si ego ſolus amictus eſſem, iure animo caperem dolorem. Sin pauperes induebantur num deus negligere pauperes poteſt? Scio eum, eorum quæ pro ſacrificio acceperit, quincuplum reddere. Num iniuria collectum eſt pecus? num plura habendi cupiditate ductus, oues paraui & poſſedi? Vellere ouium mearum calefacti fotíque ſunt humeri pauperum: & os viduæ benedixit mihi. Scit quid faciat Deus. Modò facultates meas pro hoſtia accepit: Deinceps augebit, & multiplicabit facultates meas, virtutis abundantia. Non me mouent externa tela, cùm interioribus bonis fultus munitúſque ſim. Me magis intus Dei tela corroborant. Sagittę enim potentis acutæ, Dauidis ſentẽtia, &, Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Quæ ſagittæ? quæ tela? Sagittæ pietatis, ſagittæ iuſtitiæ, ſagittæ deſyderij, Dei ſagittæ ſtudij virtutis. His diuinis ſagittis animus vulneratur. Diabolus ergo adhibita omni tentatione, ereptíſque bonis omnibus ac poſſeſſionibus, virtutẽ non eripuit. Deinceps ſe ad naturam confert, naturæque agriculturã violat, & ramos à radice auellit, claríque athletæ frangit obterítque liberos, ac fructum decerpit, vt eum qui procreauit, offendat. Sed quid facit? Vide improbi nuncium, quomodo diſſimulationis eſt particeps, vergítque ad præſtigias, & poteſt animum fortis viri frangere. Illi ergo dicit, Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, tepenrè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.) Verba hæc diſſimulatoria ſunt, poſſúntque luctum excitare. Non dixit, Super τέκνα, id eſt natos & filios, ſed, Super παιδία, id eſt, pueros tuos: vt cum pueros audiſſet, commiſeratione tangeretur, vt ad miſericordiam communémque ſenſum doloris inflammaretur. Irruit, inquit ventus vehemens à regione deſerti.) Rurſus iudicem in odium vocat. Ventus enim non hominibus paret, ſed Deo. Quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. Tunc ſurrexit Iob.) Ita ſcriptum eſt. Pulchrum eſt illud, Surrexit. Neque enim cecidit plaga & calamitate fractus, ſed vi pietatis virtutíſque ſurrexit. Surrexit, & adotauit.) Merces calamitatum veneratio & adoratio eſt. Percuſſus benedicit: aduerſis rebus oppreſſus, agit gratias. Et tondebat caput.) Nunc ætate noſtra multi, qui luctu & dolore conficiuntur, comam alunt. Ille autem eam præcidit. Quid ita? Quia lugenti ſtudio eſt in contrariam figuram & habitum ſtatum mutare. Vbi ergo coma in honore eſt & precio, ſignũ luctus & doloris eſt tonderi. Vbique enim contraria figura à lugentibus quæritur. Et ſcidit veſtimenta ſua.) Figura quidem & ſpecie ex caſu dolorem percipiens: virtute autem, ſe ad virtutem ſpolians. Detrahit enim veſtem, vt quaſi nudus athleta, amplectatur aduerſarium, & ex certa exploratáq; lucta, iuſtitiam virtutémque conſequatur. Veſtimẽta exuit, qui iuſtitia amictus erat, dicítque magnus ſplendor pietatis atque virtutis, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum in ſecula.) O verè fortem ac beatum animum. Hæc igitur vox rupit aduerſariorum phalangem. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.) Apoſtolica hæc vox eſt ante Apoſtolorum tempora confirmata, Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, & nudus reuertat. Et Apoſtolus, Nihil enim, inquit, intulimus in mundum, haud dubium quia nec auferre quid poſſumus. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt.) Omnibus, vt rem in pauca conferam, ſpoliatus eſt, & vxor relicta eſt, vetus diaboli inſtrumentum, ſed qui in eo arma ſeruauerit. Quoniam enim ſe mulieris opera primum hominem ſuperaſſe intelligebat, mulierem reſeruat, vt ſimilibus armis inſidians vtatur. Verum illic inuenit Adamum, inuenit etiam Euam: hîc Adamum inuenit, Euam non inuenit. Dicit ei vxor ſua, Adhuc permanes in ſimplicitate tua.) Diaboli hæc verba ſunt, † Quouſque? Eius qui torquebatur, vox erat, Ego torqueor: & tu ais, Quouſque, Ego percutior, & tu torpeſcis, ad plagas meas, qui torqueor. Adhuc permanes in innocentia tua, expectans